BIBL. NAZ
Vitt. Emanuele III
RACCOLTA
VILLAROSA
D
64/3
NAPOLI

BIBLIOTHECAE DE ROSA

V/-5

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN S. SCRIPTURAM.

JOSUE, JUDICES, RUTH, REGES.

Digitized by Google

Vill.D.64
592794
(3)

COMMENTARIUS LITERALIS IN OMNES LIBROS VETERIS ET NOVI TESTAMENTI

AUTHORE

R. P. D. AUGUSTINO CALMET

Ordinis S. Benedicti Congregationis SS. Vitoni & Hydulphi.

Opus Gallice primum ab Authore, nunc vero Latinis literis traditum

A JOANNE DOMINICO MANSI

Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei, Lucenſi.

Editio noviſſima ab Authore recognita, alicubi emendata, textuum aliquot antea præteritorum explanatione adaucta, paſſim vero novis animadverſionibus locupletata.

TOMUS SECUNDUS.



VENETIIS, MDCCLIV.

APUD SEBASTIANUM COLETI.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN LIBRUM JOSUE PROLEGOMENON.

JOSUE, de cujus nomine Liber appellatus eſt, הושע *Oſee* primum, nempe Servator, deinde יהושע *Jehoſua*, ſeu *Jehoshuah*, ideſt, qui ſalutem afferet, vel Servator a Deo datus, nuncupabatur. Immutati nominis ſive tempus ſive occaſio prorſus incerta; vel enim in cauſa fuerit belli cum Amalecitis ſtrenue ac prudenter confecti gloria (1), ſive reditus ab exploranda Chanaanitide, ambigitur (2). Solus enim tunc, una cum Calebo, Dei partes ſequutus eſt, cæteris omnibus ſeditionis & murmuris authoribus populo, vano ab illis metu conſternato (3). Quare Moyſes fidei ipſius in Deum præmio, veteri Oſee nomini alterum forſan adjecit, nempe Joſue, ut deinceps binominis eſſet vir; quemadmodum & de Jacobo memoriæ proditum eſt, cui alterum Iſraelis nomen inerat. Patrem habuit Nun e Tribu Ephraim. A Græcis æque appellatur *Auſe*, vel *Auſem*, & *Jeſus filius Nave*.

Totum ſe in clientelam Moyſis jam inde ab egreſſu ex Ægypto addixerat, honorificum ſibi ducens, ſi tanti viri obſequiis ſe totum impenderet; pro laudabili felicium eorum temporum more, quo voluntaria & gratuita officia amicitia non pecunia comparabantur. Quantum autem in viro poſuerit fiduciæ & exiſtimationis, non obſcuris rariſque Moyſes oſtendit exemplis; huic enim expeditionem in Amalecitas commiſit; hunc ſocium adhibuit, cum mons Sinai, recipiendæ Legis Divinæ gratia, ſibi fuit aſcendendus; hunc tandem inter cæteros ad inſpiciendam Chanaanitidem ſelectum voluit. Tandem Joſue poſt exhibitam fidelem Moyſi ſervitutem, dignus eſt habitus, qui Moyſi ſucceſſor in regimen populi a Deo daretur.

Fatis igitur functo Moyſe, Joſue rerum potitus, per Jordanis vada incolumem exercitum trajecit, eo vel ſimili prodigio, quo Moyſes Erythræum transfretaverat. Nube autem, cujus ductum ad id uſque Iſraelitæ ſequuti fuerant, jam evaneſcente, Joſue pro inſita ſibi a Deo prudentia, acceptaque a Deo norma, reliqui itineris ordinem diſpoſuit. Quare poſt celebratum primum Paſcha in Galgalis, inde iter Jerichuntem verſus ſuſceptum eſt. Eo cum perveniſſent, ſeptem ſuccedentibus diebus Urbi exercitus circumactus eſt, ſemel per ſingulos dies, ſeptima vero die, Sacerdotalibus buccinis clangentibus, mœnia ſponte corruerunt. Succedentes igitur in Urbem Iſraelitæ flammis omnia compleverunt & ſtragibus, ut ſola inclytæ Urbis rudera ſupereſſent. Rahab una ex cæteris omnibus Civibus, ejuſque familia univerſa, juſſu Ducis ſervata eſt, reliqua omnia anathemati devota, diriſque etiam devotus a Joſue, qui reſtituendæ Urbis conſilium ſuſcepiſſet: quæ deinde maledicta pluribus poſt ſæculis Hielem de Bethel corripuerunt. Capta Jerichunte, urbs Hai, parum ab illa diſtans, anguſta illa oppido & parva III. M. millitum armis tentata eſt; ſed fruſtra, nam erumpentes ex Urbe cives, hoſtes non ſine cæde repulerunt. Inopinato eventu territus populus animis deſpondebat, cùm Joſue coram Domino proſtratus, infauſti eventus in cauſa fuiſſe didicit ſervatam a quopiam prædæ Jerichuntinæ anathemati devotæ portionem. Quare jactis ſortibus, Achan criminis reus inventus eſt: quod lapidatione expiare ipſum, cum cæteris rebus omnibus ad illum ſpectantibus, coegerunt.

Tunc prona omnia; nam Hai nullo negotio in poteſtatem venit. Ea capta, juxta præceptum Domini olim per Moyſem traditum, ventum eſt ad verticem duorum montium, Garizim, & Hebal, ubi & monumentum erectum, & innovatum cum Domino fœdus. Cum caſtra ad Galgala ſecundum hæc populus haberet, Gabaonitæ ſupervenientes, legatione ſe a populo remotiſſimo fungi incautis perſuaſerunt: petere autem ſe, ut fœdus ſecum iniretur; quod inconſulto ab Iſraelitis Domino impetrarunt. Sed brevi fraude deprehenſa, Joſue intellexit iniviſſe ſe cum populo fœdus anathemati jam devoto; quare ſervitiis Tabernaculi Domini & totius populi gentem illam obligavit.

Hoc Gabaonitarum cum Iſraelitis fœdus gravius habentes finitimi Reges, juncto ſimul quinque Regum fœdere, exercitum in Gabaonem duxerunt. Joſue fœderatis ſibi populis ſuccurrendum ratus, opportunus cum adveniſſet, hoſtes prælio fuſos magna cæde proſtravit. Hujus prælii occaſione datis de Cœlo prodigiis Deus pro Iſraele pugnavit; nam & lapidibus in Chananæos Cœlum pluit, & Sol ac Luna curſum ſiſtentes ſuum, diem cædendis hoſtibus opportunum Hebræis prorogarunt. Ejus victoriæ fructus tota Chanaanitidis meridionalis regio in Hebræorum poteſtate relicta eſt.

(1) Vide Orig. hom. XI. in Exod. Theodoret. q. 34. in Exod. Lact. lib. 4. c. 17. de vera ſap. (2) Vide Orig. hom. 2. in Joſu. Epiſt. Barnab. pag. 13. Tertull. l. 3. cont. Jud. Juſtin. Dial. cum Tryph. Aug. l. 16. c. 19. cont. Fauſt. (3) Num. XIII. 17.

Digitized by Google

Felici armorum Iſraelitarum ſucceſſu, tum & prodigiorum fama ſolicitati Reges ſeptentrionales Chananitidis, imminenti malo occurrendum ſibi, junctis viribus, duxerunt. Commiſſo prælio, victoria ſtetit Hebræis. Tunc Jabin Rex Aſor, reliquos populos Regeſque ſimul collectos in unum exercitum ingentem ſane ac validum armavit. Caſtra locaverat ad Merom; ubi commiſſo cum Joſue prælio, fuſi fugatique Chananæi terga vertere coacti ſunt. Omnia victoribus cedebant; neque coacti a Deo tot Reges ac populi alia de cauſa videbantur, quam ut majoris victoriæ fama Duci ac populo compararetur. Porro quanta fuerint bella, quam magni momenti expeditiones, ex numero devictorum Regum facile colligimus; unus enim ac triginta recenſentur; atque juxta Scripturæ phraſim, nullus in iis locis Princeps relictus eſt, qui victrices Iſraelitarum manus graves in ſe non experiretur. Joſue XI. 19.

Poſt receptam in fidem Regionem, Ducis curæ omnes intentæ fuere aſſignandæ ſingulis Tribubus portioni, ut nulla præberetur querelis & invidiæ in perpetuum anſa. Primus omnium Caleb præmio donatus eſt, quod illi Deus peculiare fuerat pollicitus, ſpectata viri fide delectatus. Jactis deinde ſortibus, ſingulæ portiones ſingulis Tribubus Juda, Ephraim, & dimidiæ Manaſſe (alteri enim dimidiæ ſuæ jam erant ſedes) aſſignatæ ſunt.

Ne res perficeretur, interceſſit ignota nobis cauſa; nondum enim ſunt aſſignatæ portiones Tribubus Beniamin, Simeon, Zabulon, Iſſachar, Aſer, Nephthali, Dan, ipſique Joſue. Regionis dimenſores per totam provinciam miſſi, ut æquas portiones dividerent, quæ deinde ſingulæ jactu ſortium diſtributæ ſunt. His peractis XLVIII. Urbes in ſedem Levitarum aſſignatæ; e quibus ſegregatæ ſex in aſylum iis, qui imprudentes hominem peremiſſent. Accidit inter hæc, quod pene Iſraelitas omnes inter ſe commiſerat; nam Tribus Ruben, Gad, & dimidia Manaſſe reduces in aſſignatam ſibi Regionem trans Jordanem, in ripa ejuſdem fluminis Altare erexerunt, perpetuum ſui cum cæteris Iſraelitis conſenſus monumentum. Rem peſſime acceperunt Iſraelitarum reliqui, conſtitutam Aram irreligionis, & apoſtaſiæ conſilio rati; quare miſſis ad fratres legatis, ecquid rei eſſet, quæſiverunt. Reponentibus illis, nihil ſe contra avitam Religionem, & Iſraelitarum concordiam tentare voluiſſe, tumultus quievit.

Inclinans jam ad exitum Joſue, collecto in Sichem populo, beneficia prius omnia a Domino præſtita expoſuit; tum & fœdus innovavit, quo ſcilicet in electum Domini populum accepti jam fuerant, ejuſque innovati publicum extare voluit documentum. Diem clauſit, ac deinde ſepulturæ mandatus eſt in Thamnath-Sare, quam urbem in ſedem elegerat. Hæc ſumma hiſtoriæ Libri Joſue.

Operis hujus Author ſine controverſia idem creditur, cujus nomen Liber præſefert; præſefert autem Joſue nomen in omnibus æque Exemplaribus Hebræis, Græcis, Latinis, cæteriſque. Author Eccleſiaſtici tradit c. 46. 1. *Joſue ſucceſſor Moyſi in Prophetis*, ſeu ut Græcus habet, *in Prophetiis*, ideſt, juxta plures, in hiſtoria populi Dei, ſacriſque Libris ſcribendis. In extremo ejuſdem Operis capite a. 26. hæc leguntur: *Scripſit Joſue omnia verba hæc*, nempe ad minus omnia, quæ in eodem capite continentur. Si vero poſtremi hujus capitis author credatur Joſue, cur non & reliqui Libri, cum in ipſum reliqua omnia quadrent? Quis illo magis norat ſingillatim omnia in eodem libro relata, aut in quem alium unquam omnes ejuſdem Operis characteres conveniant? quis præ illo debuiſſet res a ſe geſtas memoriæ mandare? Per injuriam prorſus ambigeremus, an Opus illud Authorem habuerit coævum; vel ſaltem ſi ab altero recentiori Authore digeſtum reputetur, profecto ex monumentis alterius Authoris, Joſue coævi, excerptum eſſe judicandum eſt. Eæ ſunt enim temporum, locorum, & perſonarum circumſtantiæ; ea ſunt ſingularium virorum, rerumque nomina expreſſa, atque ſingulares rerum eventus deſignati, ut Authorem omnino prodant ætate æqualem, qui explorata ſibi omnia poſteritatis memoriæ commendaverit.

Inficias tamen non iverim, additamenta quædam in Libro notari, ab altera, quam Joſue, manu appoſita; quare facile concedimus, Scriptum hoc, quale habemus, ab altero, poſt Joſue, Authore eſſe recenſitum. Hujus opera locorum nomina, tum & notulæ quædam adjectæ ſunt, raræ tamen, & minoris momenti, ſicut & facile a reliquo priſci Authoris contextu diſtinguendæ. Par igitur de illis judicium feramus oportet, ac de ſententiis in Libris Moſaicis adjectis; Prophetas ſcilicet, Moyſe & Joſue recentiores, adjiciendum ſibi aliquid cenſuiſſe, quod, nihil mutata hiſtoriæ fide atque narrationis ſerie, obſcure dictis lucem afferret. Profecto ſi ex additamentis iſtis invidiam in reliqua omnia antiquitatis monumenta creare voluerimus, quod unquam Opus cenſura erit immune? Producatur, quæſo, Liber, cui ab Amanuenſium Lectorumque inſcitia, ſive longioris temporis oblivione impoſitum aliquid non fuerit? Hæc ſane in Libris Profanorum Authorum maculas appellamus, veneramur in Divinis Scripturis; perſuaſum habentes nihil in illis niſi Divinum, fide & veneratione dignum contineri. Additamenta illa, veluti reliquus Textus, accepta ab eodem Spiritus fonte, per ſanctiſſimorum Virorum canalem, derivantur. Excipimus tandem errata quædam Amanuenſium, quæ in Libros Sacros facile poterant irrepere; neque enim Religionis authoritate ad ea recipienda adigimur, quin & jubemur rejicere, ſi forte in apertum prodierint.

Certam recenſiti hujus Libri ætatem vix poſſemus definire; quin & accidere facile potuit, ut varii variorum temporum Prophetæ ad id opus manum admoverint. Urbs Hai, Authoris ætate, everſa adhuc jacebat (1); quam tamen reſtitutam ſub Regibus inde conſtat, quod poſt reditum e captivitate ſubſiſteret (2). Urbem Jeruſalem tenebant Jebuſæi ſimul ac viri Tribus Juda & Benia-

(1) Joſue VIII. 28. *Succendit Urbem, & fecit eam tumulum ſempiternum.* (2) 1. Eſd. II. 28. & 2. Eſd. VIII. 32. *Viri Hai, & Bethel centum viginti tres &c.* 2. Eſdr. XI. 31.

Beniamin (1); unde facilis conjectura ducitur, vixiſſe Scriptorem illum ante Davidis ætatem, qui Urbem, pulſis Jebuſæis, totam vindicavit. Nondum etiam Ephraimitæ Gazer poſſederant (2); ſed priſtinis permiſſam civibus Urbem tributariam habebant. Idem animadvertere licet in Libro Judicum (3); ex quo infertur non immerito, Authorem recenſiti primum hujus Operis Joſue ſupparem, vel fere ſupparem ſub Judicibus forte vixiſſe. Quis enim ſibi facile perſuaſerit, ſub Davide & Salomone Chananæos quietos in ea Urbe manſiſſe? Facilius ſane relinqui poterant ſub Joſue, & ſub Judicibus; non enim priſtinos omnes incolas ab avitis ſedibus Joſue expulit. Quæ autem in Libris Judicum de Gazer legimus, eorum quæ apud Joſue extant, velut repetitio quædam habenda ſunt.

Sed alia ſuppetunt in eodem Libro loca, quæ Authorem ſub Regibus vixiſſe inſinuare videntur. Ita ſcriptam legimus hiſtoriam conjugii ab Axa cum Othoniele initi; quod ſane nonniſi poſt obitum Joſue, ineuntibus Judicibus, contigiſſe reputatur (4). Expeditio etiam Danitarum in *Lezem*, quamvis in Libro Joſue relata, ad Judices pertinet (5). His omnibus addi poſſunt nomina Chabul (6), Tyri (7), Galilææ (8), Luzæ (9), Joctal (10), poſt Judices, uti ferunt, cognita. Sunt qui credant, Librum Juſtorum, ſæpius in eodem Opere laudatum, ſub Regibus tantum exaratum fuiſſe (11). Tandem hiſtoria obitus Joſue, quæ librum claudit, ab altero ſane quam ab ipſo Joſue ſcripta rectiſſime creditur.

Quamquam poſt ingenuam, quam præmiſimus, confeſſionem de locorum quorumdam additamentis, nihil tamen Fidei & moribus officientibus, nullo ſane negotio iis, quæ in hunc Librum objiciuntur, facilis patet reſponſio; non eſt tamen cur futiles alioqui has objectiones ſine peculiari diſcuſſione negligamus. Terra *Chabul*, de qua ſub Salomone mentio (12), altera quidem creditur ab ea, cujus eſt nomen apud Joſue; illa enim regio erat viginti vicos complexa; altera vero vicus tantummodo, Joſephi ætate non incognitus (13). Quod ad Tyrum ſpectat, fuſius de ætate ejus Urbis conditæ in Commentario diſſerimus. Nomen Galilææ in hoc Libro pro finitima aliqua regione uſurpatur; quare argumentum ex hoc nomine deductum, quaſi ſcilicet Scriptorem prodat longe viro illo recentiorem, ſponte corruit. An forte Urbes *Luza*, & *Joctal*, de quibus in hoc Libro, eædem ſunt, ac aliæ cognomines, de quibus in Libris Judicum & Regum? Peritiſſimi Interpretes diſtinguendas cenſent. Quamquam teſtimonium ex Libro Juſtorum aliena manu adjectum videtur; fruſtra enim ab Authore laudatur Liber, qui nihilo majorem, quam Author, qui Opus ſcribit, exigat fidem, ac fruſtra teſtimonia congeruntur in re tum temporis exploratiſſima; non ægre tamen crediderim, hunc Librum paulo ætate Joſue fuiſſe recentiorem. Facile Commentarii erant publici & vetuſti, in Tabernaculo ſervati, opus Sacerdotum, & Scribarum, quibus id muneris committi ſolebat.

Notus eſt apud Samaritanos Liber Joſue, ſed alter plane a Libro Joſue, de quo nobis in præſenti Samaritanorum ille Chronicon exhibet, vel hiſtoriam, male congeſtam rerum ſeriem a Moyſis obitu uſque ad Imperium Adriani referentem. Porro Liber iſte ſub nomine Chronici Samaritani tamdiu votis Eruditorum fruſtra expectatus, in manus Juſephi Scaligeri incidit, cujus ſupremis tabulis publicæ Lugduni Batavorum Bibliothecæ legatus eſt. Vernaculo Arabum ſermone Samaritaniſque characteribus digeritur. Nunquam Latine prodiit, cum Huttingerus, qui verſionem meditabatur, fatis antea functus fuerit, quam conſilium ſuum executioni mandaret.

Hæc Scripti, ſive hiſtoriæ, quam Joſue imputant, ſumma. In ipſo Operis veſtibulo ſtatus Hebræorum ſub Moyſe primum in deſerto, hinc in Chanaanitide ſub Joſue, ac tandem ſub Judicibus brevi contextu exhibetur; nec illud omittitur de Joſue ac de Eleazaro, quorum illum Legislator populi Ducem, alterum vero Sacrorum Principem conſtituit. Succedit in Madianitas expeditio, atque tota Balaami hiſtoria, cujus pernicioſis conſiliis factum eſt, ut Iſraelitæ cum Madianitarum puellis commiſcerentur; quod eorum crimen & ultionem in illos Moyſis & necem in Balaamum provocavit. Plura interim admiſcentur, de quibus altum eſt in ſacris Hebræorum Libris ſilentium.

Excipit hæc omnia obitus Moyſis, cui Joſue non funebri tantum pompa, ſed & panegyrica etiam oratione, ac tandem luctu xxx. dierum populus univerſus parentavit. Joſue rerum potitus exploratores Jerichuntem mittit; quibus ad exercitum reſtitutis, ipſe una cum copiis Jordanem, non ſine prodigiis illis, de quibus in Libro Joſue, aliiſque ab Authore adjectis, tranſvadavit. Jericho poſt hæc expugnatur; Achao commiſſi criminis reus punitur; Gabaonitæ Iſraelem circumveniunt; quinque fœderati Reges Gabaonem oppugnantes funduntur. Proſperum hunc armorum ſuorum ſucceſſum Joſue per literas, columbæ tanquam veredario commiſſas, Eleazaro Summo Sacerdoti nunciavit; addens inſuper, non prius ſe reverſurum, quam Chanaanitidem univerſam ſubjugaſſet. Redux jam in montem ſanctum Garizim aſcendit, ubi & populum recenſuit, luſtravit, ſacra obtulit Deo, totamque regionem in duodecim Tribus diviſit.

Data inſuper remeandi ad trans Jordanem facultas Tribubus Gad, & Ruben, quæ ſuppetias laturæ fratribus ſuis Chanaanitidem ſubigentibus venerant. Non antea tamen remiſſæ ſunt, quam il-

lis

(1) Joſue xv. ult. *Jebuſæum autem habitatorem Jeruſalem non potuerunt filii Juda delere; habitavitque Jebuſæus cum filiis Juda in Jeruſalem uſque in præſentem diem.* (2) Joſue xvi. 20. *Habitavitque Chananæus in medio Ephraim uſque in hanc diem tributarius.* (3) Judic. 1. 29. *Ephraim non interfecit Chananæum, qui habitabat in Gazer, ſed habitavit cum eo.* (4) Joſue xv. 16. &c. & Judic. 1. 12. 13. (5) Joſue xix. 37. Judic. xviii. (6) Joſue xix. 27. (7) Ibid. verſ. 29. (8) Joſue xiii. 2. & xx. 7. (9) Joſue xvi. 2. & xviii. 3. collatum cum Judic. 1. 23. 26. (10) 4. Reg. xiv. 7. (11) Joſue x. 13. collatum cum 2. Reg. 1. 18. (12) 3. Reg. 12. 13. (13) In lib. de Vita ſua.

tis Rex Nabichur, cui univerſus pareret Transjordanus populus, præficeretur. Excitavit autem Joſue Templum in monte ſancto Garizim, atque interim toto ſpatio xx. annorum quieta omnia in Iſraele manſerunt. Secundum hæc, Sauberus Rex Perſarum, filius Regis Hemam, illius nempe, quem Joſue neci tradiderat, bellum indixit in Hebræos, accito ſibi in ſocietatem ingenti Regum numero, ut junctis armis, patris ſui necem ulciſceretur. Sauberi literæ x. die ſecundi menſis ad Joſue relatæ ſunt; a quo juri dicundo in populo interim occupato, non antea quam poſt proximum Paſcha ab Iſraele celebratum, in publica Optimatum concione expoſitæ ſunt. Tum ſcripto ad hoſtes reſponſo, tumultuarium exercitum cccm. virorum collegit, iterumque coram militibus Sauberi literas recitavit: ſuas interim referendas literas Legato fœderatorum Regum, a quibus priores acceperat, commiſit. Redux ad ſuos Legatus, vires & potentiam Hebræorum adeo exaggeravit, ut nominis Hebraici terrore omnium pectora impleret.

Sed mater Sauberi, adhibito ſibi in ſocium ſeniore quodam Mago, deſpondentes animis confirmavit, adniſurum ſe Magò illo pollicente, ut omni artis ſuæ ope victoriam illis aſſereret. Nec deſnit promiſſis; nam productæ Hebræorum copiæ adeo ſe viri callidi præſtigiis faſcinari expertæ ſunt, ut ſeptem veluti ferro conſtructis parietibus includi opinarentur. Sed vix inſonante Summi Sacerdotis Eleazari buccina, & præſtigia omnia evaneſcere, & hoſtes ſubito terrore corripi, atque in fugam converti viſi fuere. Ante Sacerdotalis buccinæ prodigium, Joſue clauſum ſe tot ferreis parietibus ſentiens, anguſtias ſuas Nabichur filio patris ſui, & Regi Tribuum Transjordanarum per literas renunciavit, rogans ut ſubſidiarias copias quantocius mitteret. Nec ille ferendo auxilio ſegnior, valido ſtatim cum exercitu accurrens, ſua ipſe manu Regem Sauberum transfodit, atque inſignem cum exercitu Joſue victoriam de hoſtibus reportavit.

Aliquanto poſt, Joſue diem clauſurus, ſucceſſorem reliquit Babelem e Tribu Juda, & Calebi nepotem. Babelem excepit Terſius Ephraimita. Altum eſt apud Authorem de aliis Judicibus Iſraelis ſilentium, excepto Samſone. Additur poſt hæc, hiſtoria obitus Eleazari Summi Sacerdotis, tum & altercatio inter filios Phinees, & Heli Summum Sacerdotem pro munere ſacrorum offerendorum; nec omittitur Samuel, & hiſtoria captæ a Philiſthæis Arcæ, ac tandem Bachtenazæ (ita Nabuchodonoſorem appellat) Regis Perſarum, Jaddi & Alexandri Magni, ac tandem obſidio Jeroſolymæ ſub Adriano Imperatore. Sequitur genealogica ſeries Principum Samaritanorum, quorum hæc ſunt nomina: Akban, Nathanael, Barabba, qui nepotem ſuum Levi addiſcendarum literarum gratia Conſtantinopolim miſit. Rediit inde ad montem ſanctum Garizim. Ex his omnibus facile intelligimus, I. Librum & hiſtoriam Joſue Samaritanos non latuiſſe; quam tamen veritatem pluribus fabellis inſerſerunt. II. Librum, quem illi Joſue appellant, alterum plane eſſe opus, ac illud a Joſue duce Iſraelitarum ſcriptum. III. Tandem Librum hunc recentiſſimum eſſe, ſi exordium Operis & finem ad unum eumdemque Authorem pertinere conſtituamus.

TABULA CHRONOLOGICA

IN HISTORIAM JOSUE.

Anno Mundi 2553. I. die primi menſis — MOritur Moyſes. Prima dies ſexti menſis anni Civilis, qui & duodecimus anni Sacri. De eo luctus per triginta dies producitur, totum ſcilicet menſem duodecimum.

Joſue mittit Exploratores Jerichuntem. *Joſue* II. 1.

II. die — Noctu fugiunt in montes ℣. 15. 16.

III. die — In montibus deliteſcunt.

IV. die — In caſtra Setim ad Joſue redeunt ℣. 23. 24.

V. die — Mandat Deus Joſue, populum ad Jordanis tranſitum præparet in tertium diem. *Joſue* I. II.

VIII. die — E Setim profecti, ad Jordanem caſtra metantur. *Joſue* III. 1.

IX. die — Tranſitus paratur ℣. 2. 5.

X. die — Jordanis tranſitus, feria ſexta, pridie Kal. Martii, decima die Niſan.

XI. die — Joſue Circumciſionem imperat. *Joſue* V. 2.

XIV. die — Primum Paſcha in Terra Chanaan habitum, feria tertia, quarto Nonas Martii XIV. die Niſan.

XVI. die — Manna pluere ceſſat. *Joſue* V. 12.

Capitur Jericho; forte ſuprema Paſchalium die. *Joſue* VI.

Capitur Hai. *Joſue* VII. 8.

Altare in monte Hebal ſtruitur. *Joſue* VIII. 30. 35.

Fœdus cum Gabaonitis. *Joſue* IX.

Bellum quinque Regum in Gabaonem, triduo poſt fœdus cum Iſraele ſancitum. Joſue eadem nocte, qua ejus urbis periculum intelligit, proficiſcitur, eique opem fert. — A. M.

Poſtera die in hoſtes impetum facit, fundit, inſequitur; ac poſtridie ejus diei urbes portionis meridionalis Terræ Chanaan occupat. Hæc omnia commode ſex prioribus menſibus, vel primo in ea regione bello, fieri ab Joſue potuerunt.

Sequenti anno, bellum in fœderatos Reges ſuſceptum. *Joſue* XI. quos Joſue fundit ad aquas Merom: ſex tamen ſolidis annis bellum perſeveravit; eoque temporis intervallo urbes ejus regionis occupatæ. — 2554

Diſtributionem devictarum regionum aggreditur Joſue. *Joſue* XIII. — 2559

Caleb Hebronem, ſibi a Deo promiſſam, poſtulat; quam ope Tribus Juda occupat. *Joſue* XV. *Judic.* I.

Primus annus Sabbathicus ab ingreſſu Iſraelitarum in Terram Promiſſionis. — 2560

Transfertur Arca, & in Silo ſtatuitur. *Joſue* XVIII.

Diſtributio Terræ in Tribus adhuc ſua portione carentes perficitur. *Joſue* XVIII. XIX.

Urbes in Sedem Tribus Levi deſtinatæ.

Tribus Ruben, Gad, & dimidia Manaſſis trans Jordanem redeunt, & in ejus fluminis ripa monumentum erigunt. *Joſ.* XXII.

Joſue urbem Thamnath-Sare ſtruit, ibique ſedem ponit. — 2561

Moritur Joſue, cx. annis natus. — 2570

DIS-

DISSERTATIO
DE MANDATO JOSUE,
QUO SOLEM, ET LUNAM REMORATUS EST.

EX quo opinionum ſingularitatem affectare Eruditis ſuccurrit, tum & prodigia omnia ad naturales leges moliti ſunt revocare, nullo ſane Scripturæ Textu abutuntur magis, nullumque magis detorquent, quam eum, qui mirabilem Solis & Lunæ ſtationem ſub Joſue narrat. Ea eſt quidem prodigii illius fides, adeo perſpicua & aperta in Libris Sacris veritas, ut alter plane ſenſus verbis dari, quo prodigium eludatur, quam laborantis phantaſiæ errore, atque verbis ejuſdem Textus plane detortis, haud aliter poſſit. Non deſunt tamen Scriptores, qui hoc ſibi negocium aſſumant, ut mira prorſus judicii præverſione, nihil ſupra naturæ ordinem in ea re noſſe ſe profiteantur, tum & verborum ambagibus vim prodigii totam eludant. Ex quibus alii parum ſane cauti, ut prodigium omne depellant, alia ſane majora inferunt miracula, atque iis ſe difficultatibus obvolvunt, quibus nunquam expediantur.

Non defuerunt etiam alii, qui Solem & Lunam nunquam ſane ſtetiſſe autumarunt, ſed tantum curſum ſuum retardaſſe (1). Obſervant enim illi, non id Joſue præcipiſſe, *Siſte curſum Sol* (2); ſed tantum: *Sol ſile*; ideſt, juxta Paraphraſtem Chaldæum: (3) *Sol curſum tuum remorare*. Ac ſi aurigam curſum feſtinantem quis juberet, equos compeſcere, atque remorari. De Sole autem, addunt, ſcriptum eſt, non ſtetiſſe quidem illum a curſu, ſed: *Stetit Sol in medio Cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei*. Ita teſtimonium Libri Juſtorum in Libro Joſue laudatum (4).

Sed quis neſciat, Hebræum *ſilere* idem eſſe ac ſtare, quieſcere, curſum ſiſtere? *Fiant immobiles* [Hebr. ad literam *ſileant*] *quaſi lapis* (5). Et Pſalm. CVI. 29. *Statuit procellam ejus in auram*; nempe ſuſpendit in medio aere. Et Jerem. (6): *Non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui*; ideſt, non ceſſet a lacrymis. Habacuc II. 19. *Væ qui dicit ligno: Expergiſcere; ſurge, lapidi tacenti*. Paribus utuntur phraſibus Profani Scriptores: *Statua taciturnior*, ait Horatius; & *Luna ſilens* apud Plinium *l.* 16. *cap.* 39. & alibi, eſt Luna cum ſcilicet curſum abſolvens lucem nullam demittit. Habacuc Propheta III. 11. prodigium illud Solis reſpiciens, ita de ipſo apertiſſime: *Sol, & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo, in luce ſagittarum tuarum ibunt*: neque obſcurius Author Eccleſiaſtici XLVI. 5. *An non*, ait, *in iracundia ſua* [Joſue] *impeditus eſt Sol, & una dies facta eſt quaſi duo?* His ſane apertiſſimis verbis Spiritus Sanctus præveniſſe obtrectatorum cavillos, tum & præjudicato judicio omnes eorum ambages deprehenſas damnare viſus eſt. Licet vero illud concederemus, Solem non penitus quidem a curſu ſtetiſſe, ſed aliquandiu tantum fuiſſe remoratum, quid hæc pro adverſariis? An ne pronius eſt ruentem Solem compeſcere, quam penitus ſiſtere?

R. Maimonides non imminuiſſe tantum prodigii gloriam contentus, omnem ſuſtulit (7). Cum verſus in preces Joſue Deum rogat, ut Solis & Lunæ curſum tamdiu ſiſtat, quamdiu ſibi opportuna exigendæ de hoſtibus ultionis occaſio faveret, nihil juxta illum Authorem poſtulat, quam rem plane ſimplicem, & communem. Rogat enim concedi ſibi, ut ante ſubeuntem noctem hoſtes penitus fundat, ac ſi per modum optantis votum ſuum prodens diceret: Opto Solem non quieſcere, donec ego plene de inimicis meis ulciſcar. Deus roganti acquievit, non quidem curſu Solis, & Lunæ retardato, prorogata ultra naturæ legem die, ſed breviato victoriæ curſu, ut reliquo naturalis diei ſpatio talem victoriam obtineret, qualem ſi longius producta die pugnaſſet: nam ante ſubeuntem noctem quinque Reges fuſi, magna accepta ſtrage terga vertere coacti ſunt. Huic opinioni Vatablus ſuffragatus, ita Joſue orationem paraphraſtice vertit: Ne rogo, committas Deus, ut Solis ac Lunæ lumen deficiat, donec plenam de hoſtibus victoriam reportemus.

In eamdem fere ſententiam Grotius deſcendit, qui in ſuas partes adducere Authorem Epiſtolæ ad Hebræos conatur; quippe qui altum habuerit de hoc prodigio ſilentium. Porro in longo miraculorum catalogo, ac inter præclara fidei Veterum Patriarcharum monumenta, de hoc Joſue prodigio ne verbum quidem habet Apoſtolus; quamquam minora ſane prodigia non ſilet, uti lapſum mœnium Jerichuntis, ac præmium, quo fides Rahab donata eſt (8). Addit etiam Grotius, verba illa Joſue x. 14. *Obediente Deo voci hominis & pugnante pro Iſrael*, non ita eſſe accipienda, quaſi Deus ultro ſe hominis præcepto ſubmiſerit, eoque jubente, Solem, & Lunam continuerit; ſed tantum, Deum in opem Iſraelitarum veniſſe, indito illis robore, quo in cædem hoſtium promptam animarentur. Hæc omnia, pergit Grotius, probabiliſſime quidem aſſerimus, quamquam fieri etiam potuit, ſive ut contineret Deus in medio Cœli properantem Solem, ſive etiam poſt occaſum ejus imaginem refractis in objectam nubem radiis ſuper horizontem exhiberet.

Plus aliquid, præ Grotio, audet Spinoſa (9), qui totum prodigium ita extenuat, ut ne intelligi quidem ultra poſſit. Comminiſcitur ille, Ducem, ejuſque exercitum parum myſteriis Phyſices, & Aſtronomiæ fuiſſe initiatos; quare ſtetiſſe Solem autumaſſe, cum ſcilicet nonniſi ex grandine tunc ruente lucis refractio ſolito major contingeret. Simili errore Iſaias, addit, Solem aſſeruit in horologio Achaz ſeptem lineis receſſiſſe; ignotum enim illi fuerat, quid parelia in hac re poſſent.

Author Præadamitarum l. 4. c. 6. inſignis plane ſyſtematum inventor, prodigiis in Scriptura relatis eludendis, docet, moram illam Solis ſub Joſue aliud plane fuiſſe, quam quod vulgo homines opinamur. Erat enim ſimplex quidam meruſque fulgor, qui poſt Solis occaſum diem aliquan-

(1) R. Levi, Ben Gerſon. (2) שמש בגבעון דום (3) שמשא בגבעון אוריך (4) Joſue x. 13. ויעמד השמש בחצי השמים ולא אץ לבוא כיום תמים (5) Exod. xv. 16. ידמו כאבן (6) Thren. II. 18. & III. 49. (7) In More Neboch par. 2. cap. 35. (8) Hebr. XI. 30, 31, 32. (9) Tract. Theol. Polit. cap. 2. pag. 22. &c.

quandiu prorogavit in Palæſtina, ſive tantum Gabaone, & in vallibus circumfuſis, quas palantes hoſtes petere coacti ſunt; ſed lucis beneficio fugientes inſecutus Joſue, ampla cæde victoriam inſignem reportavit. Cenſet igitur ille, Solem fuiſſe prope occaſum, cum Ducis præcepto ſiſtere curſum juſſus fuit: Sol autem, inquit, nihil jubentem moratus eſt, ſed vicariam ſibi lucem reliquit, reflexione radiorum ex objectu montium Gabaonis inductam. Lucem hanc excepit fulgor alius minus quidem vividus, ſed fulgenti Lunæ ſimillimus, qui maxime ſuper convallem Ajalon emicuit. Ita ſua fides conſtat hiſce Scripturæ verbis: *Non fuit antea, nec poſtea tam longa dies*. Joſue x. 14.

Omnes haſce opiniones in ſuum Commentarium in Joſue Clericus collegit, adoptavitque; quin & plus aliquid adjiciendum illi viſum eſt. Aſſerit igitur rotundis verbis, Solem nonniſi in ſpeciem tantummodo ſtetiſſe, re tamen curſum peregiſſe ſuum: quod a ſe dictum his potiſſimum rationum momentis adſtruere conatur. I. Quod juxta optimos quoſque Aſtronomos non Sol terram, ſed terra Solem circumit; quare non Solis, ſed terræ curſus retardandus fuiſſet. II. Ut proprio verborum ſenſu loquamur, non erat cur Sol ſupra Gabaon ſiſti poſſet, quippe quod Urbis illius ſitus eclypticæ non ſubjaceat, ſed ad Septemtrionem vergens, ad tropicum Cancri ſpectet. III. Res erat minimi momenti, de qua tunc agebatur, commodius enim ad craſtinam diem differenda fuerat, quam ut opus fuiſſet prodigio, quo tota intra diei ſpatium abſolveretur. Deus plane non ita miracula profundit, ut pro re minima naturæ leges omnes invertat. IV. Hiſtoria illa ex Libro Poetico, nempe ex *Libro Juſtorum* derivata eſt, ſolemne eſt autem Poetis, elato, emphatico, & hyperbolico ſtylo loqui. V. Quare ejus carminis Author turgenti hac phraſi deſignare voluit, utrumque aſtrum ſegnius in occaſum ruere ea die viſum eſſe, ſive quod radii utriuſque ſyderis inſneta quadam refractione diutius ſuper horizontem emicuerint, etiam poſt Solis occaſum, uti apud Lapones contingit, ubi perpetua dies in ſolſtitio æſtivo, quamquam & ibi Sol in occidentem demergitur; ſive quod Divina virtute, ſeu Angelorum miniſterio factum eſſet, ut micanti aliquo phænomeno Solis & Lunæ defectus ſuppleretur.

Porro hi omnes Authores, ſi nec de veritate Libri Joſue, nec de Sacrorum Librorum authoritate perſuaſi ſunt, ſupervacanea ſane opera ingenium ſuum detorſerunt. Quod enim ſuſpectum, ſive fictum reputamus, illud nec refutare ſerio, nec ſedulo explicare ſtudemus. Si vero de anthoritate, ac veritate Scripturæ recta illi ſentiunt, non feliciori conatu operam ſuam locarunt; quandoquidem, ſin minus fateri velint, Authores Sacros in unum conſpiraſſe, ut credulis nobis in ea hiſtoria referenda illuderent; conſentire ſaltem oportet, illos de veritate prodigii perſuaſos, eamdem nobis ingerere ideam voluiſſe. Quare præpoſtero quidem conatu laborant Scriptores iſti, ut contra fidem authorum Sacrorum omne ab ea re abfuiſſe prodigium demonſtrare nitantur. Id tamen ſibi demonſtrandum aſſumpſerunt Peireira & Spinoſa; contendunt enim, Joſue & reliquos Judæos omnes, Phyſices & aſtronomiæ myſteriis parum initiatos, tanquam verum prodigium habuiſſe, quod Solatium radiorum refractioni, ſive parelio alicui accepto referendum erat. Se vero omnibus priſcis illis Scriptoribus plane ſapientiores, errorem probe noſſe, vel invito originali Textu, qui veri prodigii ideam ingerit, omne abeſſe prodigium jubentes. Reformandum igitur illi aſſumunt ſcriptum coævi Authoris, viſa a ſe & ab omni ſimul exercitu, quin & ab ejus Regionis incolis omnibus, referentis, Patet illis veritas rei, olim Joſue oculato teſti ignotæ. Tandem ut hypotheſim ſuam ſuſtineant, ad eas anguſtias reducuntur, ut afferant, S. Spiritum, qui Ducem populi Dei illapſu ſuo regebat, non tantum in errore, nec parvi illo momenti, virum reliquiſſe, ſed & inſpiratione ſua id commiſiſſe, ut poſteritati tranſmitteret commentum, imperitiæ illius & phænomeno non bene explorato unice tribuendum.

Conſulatur modo Textus Libri Joſue, tum & laudatum e Libro Juſtorum Teſtimonium; conferantur loca Habacuc, & Authoris Eccleſiaſtici; requirantur Judæi omnes, & Chriſtiani, qui huc uſque ſcriptam ejus rei hiſtoriam legerunt (1): ſolæ inſpectæ phraſes, quibus totus rei eventus exprimitur, pronam adeo & vividam prodigii ideam ingerunt, ut bonæ fidei nemo inveniri unquam poſſit, qui non ſtatim ingens aliquod prodigium, nulli, de quibus in Scriptura, ſecundum intelligat. Illud autem obtendere, rei nempe geſtæ hiſtoriam e Libro Juſtorum derivatam eſſe, Libro, uti quidem ferunt, poetico, gemino id aſſeritur errore; quorum alter merum putidumque commentum eſt, alter vero rei incertiſſimæ per ſummam impudentiam adſtruit certitudinem. Incertiſſimum eſt enim, Librum Juſtorum poetico ſtylo exaratum fuiſſe, cum potius Commentarius videatur rerum memorabilium, a ſummis Judaicæ Reipublicæ viris geſtarum. Mirari autem ſubit, quanta confidentia nunquam inſpectus, neque inſpiciendus Liber, ex parvi fragmenti conjectura poetico ſtylo, turgido & figurato ſcriptus aſſeratur; cum, etiamſi aperta extarent carminum in eo fragmento indicia, non tamen continuo poeticum eſſe opus ſine temeritate affirmari poſſet; cum & Moyſis Opera, verſibus licet reſperſa, proſa oratione ſcripta eſſe noverimus. Quid autem ſi poeticum eſſe opus & figurato ſtylo ſcriptum dicatur? An proinde ita ejus phraſes accipiendæ eſſent, quaſi contrarium quid exprimerent, ac illud, cujus facilem pronamque ideam ingerunt? Tandem merum eſt commentum, omnem ejus hiſtoriæ fidem ex Libro Juſtorum pendere, nunquam enim Libri alicujus teſtimonium recitatur, ut eidem teſtimonio aſſeratur fides. Liber igitur hic in teſtimonium laudatur rei ab ipſo Joſue deſcriptæ. Quare ſi Liber Joſue ſtetiſſe Solem non in ſpeciem tantum, ſed reapſe prodit; tantumdem & Liber Juſtorum retuliſſe credendus eſt. Si Liber Juſtorum miraculum narrat, narrat & Liber Joſue; quorſum enim alterius ab altero teſtimonium alioqui peteretur? Porro ſola textuum inſpectione opus eſt, ut de concordia utriuſque judicium feratur.

Facile ego quidem conceſſerim, quædam eſſe apud Sacros Authores loca, ubi figuræ, exaggerationes, & poeticæ phraſes occurrunt; ſed contextus, ac tota rei geſtæ narratio ſacrorum Authorum ſinceritatem, ac genuinam loci interpretationem in tuto ponunt. Poſt allegorias enim & figuras, ad planam & ſimplicem orationem regrediuntur, cum alteri ſententiæ ab altera lux affulgeat. Solent plerumque Scriptores viam parare figuris præcedenti aliqua oratione, nec niſi raro contingit, ut figurata locutio diutius retineatur. Sunt etiam in figura voces, quæ cum ad literam reddi non poſſint, Lectorem cogunt aptum rebus ſenſum exquirere. Nihil ſimile in præſentiarum. Joſue inclinari jam hoſtes cernens, Deum rogat, ut plenam ſibi de illis victoriam permittat; tum ad Solem & Lunam converſus ſtare jubet, donec de hoſtibus ſuis exigat ultionem. Stetiſſe ad imperium Solem ſacer Hiſtoricus prodit: quo autem omnem ea de re dubitationem excutiat, Teſtimonium laudat ex libro Juſtorum. Demum rei geſtæ narrationem ita claudit:

(1) Vide, ſi placet, Diſſert. Natal. Alexand. De admirabili ſtatione ſolis imperante Joſue.

dit : *Non fuit antea , nec poſtea tam longa dies , obediente Deo voci hominis* . Quid requiritur ultra ad orationem ſimplicem , literalem rei geſtæ hiſtoriam plane & ſine figuris narrantem ? Nihil fuiſſet magis præpoſterum , quam ut eo in loco exaggeratio, & hyperbole ponerentur ; quis enim Lector , quantumvis ingenii acumine præſtans , ab errore immunis abiiſſet ? Si enim figuræ & metaphoræ plana hac ſimplici & æquabili oratione exprimantur, actum eſt de veritate.

Sola eſſet natura rei ſive ſupra fidem , ſive factu impoſſibilis , ſive impiæ , ſive repugnantis , quæ nos poſſet ad allegoriam cogere : hæc enim regula a Patribus , & Interpretibus in expoſitione Scripturæ unice propoſita eſt. Sed in narratione Joſue nihil eſt impium , nihil repugnans , nihil factu impoſſibile , Prodigium narratur , quod agentium quidem naturalium vires , non autem Dei virtutem exceedit , Si vero ſemper ac prodigioſum aliquid , naturæ leges tranſcendens , occurrit , ad allegorias detortaſque interpretationes confugiendum eſſet , tum & miracula omnia in dubium eſſent revocanda , vel ſaltem e cogitato ad arbitrium ſyſtemate ad naturæ leges redigenda, quid eſſet in tota Scriptura ſalvum ? Ita nec Moyſes ſicco pede Erythræum transfretaſſet, ſiccoque item pede Jordanem non tranſvadaſſent Iſraelitæ , nec mœnia Jerichuntis ſponte corruiſſent , atque tandem Chriſtus Lazarum non revocaſſet a mortuis, & ſic de ſingulis,

Si Author Epiſtolæ ad Hebræos omnia narranda ſuſcepiſſet , ne uno quidem omiſſo , veteris Teſtamenti prodigia, vel ſaltem ſi omnia retuliſſet , eo uno prætermiſſo , ejus quidem ſilentium magni eſſet ponderis ad prodigium removendum, Verum ſcitum eſt , in ea Epiſtola breviori quidem tractu obiterque prodigia quædam Patriarcharum delibari , ut paucis relatis plurima omittantur , Ex rebus a Moyſe inſigniter geſtis raræ referuntur ; nihil enim de plagis Ægypti , ac de prodigiis in Deſerto patratis , Joſue ne nomine quidem Epiſtola illa memorat. Præterit Jordanis tranſitum , atque expeditionem in Terram Sanctam . Denique , ut immerito prorſus revocarentur in dubium veterum Patriarcharum geſta , quod ab eo Authore ſilentio premantur, ita nihil eſt cur ex eodem ſilentio invidia huic prodigio creetur ; ac mirari ſubit Grotium hiſce conjecturis fidem addidiſſe,

Tota Scriptorum illorum hypotheſis in luce quadam verſatur, quæ Solis jam in occidente demerſi vicibus fungens , ementita Solis ſpecie Iſraelitas feſellit. Non ſatis autem inter eos de cauſa hujus luminis conſtat. Spinoſæ viſum eſt , radiorum reflexioni ejus rei cauſam tribuere, quam reflexionem grandinis procella efficiebat. Grotius nubem ſtatuit in horizonte , cujus objectu radii in montes propinquos reflecterentur ; Peirerius , & Clericus quacumque tandem ex cauſa factum autumant , ut lux illa in viciniis Gabaonis poſt ſolis occaſum appareret.

Poſſibilem eſſe hypotheſim hanc non inficior , cum pateſia, reflexiones radiorum Solis in certis Terræ partibus, Sole etiam in Occidente demerſo , nunquam ſine prodigio non pateant . Quid etiam eſt aliud Lunæ fulgor , quam Solis radii objecto ejus Aſtri diſco reflexi ? Potuit autem , quod in Luna quotidie aſpicimus , idem plane & objectu craſſioris nubis contingere. Re tamen vera id factum nego , vel ſaltem nullam ajo afferri poſſe tam firmam conjecturam , quæ huic cauſæ accepto referat diem Hebræorum gratia prorogatam. Quare nonniſi per ſummam audaciam hæc initi ratio dubia prorſus & incerta potuit, ut res certa & apertiſſimis expreſſa verbis deſtrueretur. Plane ſi res eſſet de hiſtoria obſcura , incognita, verbis ambiguis & variam interpretationem patientibus expreſſa, victas illis manus libenter darem: ſed rem ancipitem, & hypotheſim tantum poſſibilem opponere , cum de re agitur notiſſima & evidenti , id ſane legibus bonæ fidei omnibus repugnare contendo. Docet Scriptura, Solem ſtetiſſe, Deum vero morigerum ſe præbuiſſe hominis imperio , diem illam præ cæteris omnibus , quæ ad id uſque paruerint , longiorem fuiſſe, ut duplicis diei ſpatium æquaret . En factum omnibus characteribus expreſſum, cui Iſrael univerſus teſtis adſuit , quodque Joſue , cæterique poſt illum , ratum aſſertumque prodigium habuerunt . His ego monumentis fretus adverſariorum conatus opperior . Populus , inquiunt illi , univerſus falſa ductus credulitate demerſum jam in occidente Solem ſuper horizontem vidiſſe ſibi viſus eſt ; fieri enim potuit , ut Solis radii rei alicujus objectu refracti proximis Gabaonitarum montibus affulſerint . Repono ego , nihil moratus propoſitam hypotheſim, vix ac ne vix quidem fieri potuiſſe, ut Solem ſibi videre populus univerſus videretur, quem reapſe non cerneret , quantumvis enim aſtronomiæ fuerit imperitus , non eſt tamen cur multum Libri terantur , ut Sol in horizonte ſpectari poſſit , utque plene vigilantibus appareat , diem ſingularem duos vulgares dies æquaſſe.

Quin & falſa ſibi perſuadent Authores illi, qui Joſue declinantem in occaſum Solem continuiſſe aſſeruerunt . Namque Scriptura inſinuare potius videtur, ſtetiſſe Solem in ipſo Cœli medio, cum ſcilicet curſum media ſui parte tantum confeciſſet. Summo enim mane Joſue ad mœnia Gabaonis ſuccedens, [noctem in itinere a Galgalis ad eam uſque Urbem confecerat (1)], prælium in hoſtes inivit ; eoſque in fugam verſos non ad aſcenſum Bethoron tantum inſequutus eſt , ſed inde etiam procedens excurrit uſque ad Azecam & Macedam . Cum hoſtes ad deſcenſum Bethoron perveniſſent, immiſſa lapidum pluvia cœlitus oppreſſi ſunt. In eo rerum articulo Joſue ad preces converſus ſtationem Soli imperavit , jubens ſimul ne Luna contra convallem Ajalon aſcenderet. Locus igitur patrati a Joſue prodigii inter Bethoron & Gabaonem conſtituendus eſt , Bethoron habens ad occidentem , Gabaonem ad orientem . Definienda modo horum locorum diſtantia: quod enim Azecam & Macedam uſque excurriſſe Joſue legitur, id ſane poſt Solis ſtationem, & pluviam lapidum contigit ; cum ambæ Urbes remotiores ſint quam Ajalon, & Bethoron.

Gabaon urbs erat XL. vel L. ſtadiis ab Jeruſalem, ſeptemtrionem verſus; Joſephus enim in Antiquitatibus *lib.* 7. *cap.* 10. ſtadiis XL. ab ea urbe removet; ſed in Bello *l.* 3. *cap.* 38. ſtadiis L. idem ſpatium dimetitur . Solet autem quinque ſtadia pro ſingulis milliaribus aſſignare ; quare ſtadia L. milliaria decem, vel quinque leucas efficiunt.

Bethoron inferior , [altera erat enim Bethoron ſuperior, de qua nihil ad nos] in vicinis Gabaonis & Ajalonis ſita , in via inter Jeruſalem , & Cæſaream , centum ſtadiis a Jeruſalem diſtabat . Potuit igitur quinque leucis a Gabaone removeri, ſeptemtrionem & occidentem verſus . In edito loco conſtituta , teſte Joſepho, aſcenſui Bethoron item & deſcenſui nomen fecit apud Joſue x. 10. &c. Hoſtes igitur fugientes per aſcenſum Bethoron Joſue inſecutus eſt , eoſque deſcendentes ex urbe lapidum pluvia Dominus corripuit confecitque. Veritus autem Joſue, ne prompta fuga ſeſe ab ultione ſubducerent, ſiſtere curſum Solem juſſit. Non igitur ultra quinque circiter horæ excurrerant , ex quo hoſtes in fugam ineunte mane verſos Judæi inſequebantur, nec Sol niſi mediam curſus ſui partem confeciſſe poterat . Præcepit proinde Joſue , ne Gabaonem propius accederet Sol, qui ex oriente ad eamdem Urbem aſcendebat,

[1] Joſue x. 9. *Irruit Joſue ſuper eos repente tota nocte aſcendens de Galgalis.*

Digitized by Google

bat, quæ pariter Urbs copias Iſraeliticas habebat occidentales.

Ajalon, de qua in eodem loco, *Luna contra vallem Ajalon*, ex Daniticis erat (1), ſita ad occidentem Gabaonis. Variant tamen Authores in aſſignando ejuſdem Urbis ſitu; ſeu potius varias Urbes cognomines innuunt. S. Hieronymus Urbem hanc ſitam perhibet non longe a Gabaon (2): & alibi illam collocat bis mille paſſibus ab Emmaus, qua parte Jeruſalem ſpectat (3). Sunt ergo Gabaon & Ajalon a Jeroſolyma æquo intervallo remotæ, altera ad orientem, altera ad meridiem, ſeu inter meridiem & occidentem Joſue. Quare aſcendens Sol ex oriente ad Gabaonem, ſtationem agere juſſus eſt; ſicut & morari curſum Luna, is convalli Ajalon imminens. Tunc autem ad occaſum Luna jam vergebat; alioqui etenim mane & ante meridiem illa nunquam provectior quam Sol apparuiſſet.

Ex his omnibus ſuſius deductis illud conſequitur, nec diem adeo proceſſiſſe, nec Solem in occaſum inclinaſſe, cum præcepto Joſue ſtationem agere juſſus eſt. Poteſt etiam non incongrue ad literam accipi teſtimonium Libri Juſtorum: *Stetit Sol in medio Cœli*. Apparet etiam; ſi Hiſtoriæ contextum ſequamur, locorumque diſtantiam, quæ Iſraelitæ excurrerunt, tum & confectum ab illis poſt hæc geſta iter metiamur, plurium adhuc horarum viam ſuperfuiſſe. A Bethorone Azecam & Macedam uſque, conficiendum illis erat iter ultra quatuor vel quinque leucarum, ſi fides ſit Hieronymo, Azecam IX. M. paſſuum, & Macedam VIII. M. ſeptemtrionem verſus ab Eleutheropoli removenti. Nam certior factus Joſue (4), quinque Reges in antro Macedæ delituiſſe, obſtrui ingentibus ſaxis ſpeluncæ os juſſit, ne quid ab urgendis hoſtibus detinerentur. Poſt hæc, diutius adhuc exercitus Chananæorum fugientium veſtigia premens, cum palantes omnes cecidiſſet, Macedam reverſus eſt. Ibi educti e ſpelunca Reges coram omnibus transfoſſi in patibulum aguntur; ubi ad veſperam uſque ſuſpenſi, depoſiti demum in eadem ſpelunca conduntur. Iſtane omnia breviſſimo temporis ſpatio, quanto concedunt adverſarii, præſtari potuiſſent? An forte parelium, ſive lumen ex refractis Solis radiis 7. vel 8. horis poſt occaſum Solis diem prorogaſſet? Nonne, qui hoc affirmaret, in eamdem incidiſſet Phyſices & Aſtronomiæ imperitiam, quam illi per ſummam audaciam Joſue cæteriſque Iſraelitis imputant? An forte dicturi ſunt, Sole jam in occidente demerſo, favore luminis parelio vel refractione radiorum inducti id præſtitiſſe Iſraelitas, ut a Bethoron Macedam uſque, & longius ultra fugientes hoſtes inſequerentur; ac deinde diu ante Solis occaſum Macedam regredi poſſent? Sed quis, rogo, Sol ille Iſraelitis Macedam jam regreſſis occiduus? Tandem quaſcumque comminiſcantur illi reflexiones, & refractiones radiorum, Sol Antipodum hemiſphærium illuminans, nonniſi pluribus ſuccedentibus reflexinnibus radios ad eos uſque obliquare potuiſſet; quod ſane lumen plus nimio dilutum fuiſſet, quam ut objecta Solis ſpecie fallere poſſet aſpicientes. Porro hujus opinionis aſſertores cauſam ipſi ſuam produnt, Solem invehentes occiduum, quanto enim brevius conficiendum erat ſpatium Soli, tanto diei portio brevior reſtabat, tot agendis rebus prorſus impar.

Sed reponet forte aliquis: Quid adeo urgebat Ducem, ut diem prorogari miraculo poſtularet, cum alioquin ejuſdem diei tanta adhuc portio remaneret? Ut quid Sole nonniſi in meridie poſito, cum defuturus dies rebus agendis nulla conjectura timeretur, augeri diem petit? Nonne tentare Deum ejuſque clementiæ minus fidere hæc rogans videretur? Cur miracula ſine neceſſitate poſtulat? An vota & preces temere exhibitas exauditurum ſe Deus indicavit unquam; cum maxime de re agatur mira prorſus & inaudita, totamque naturæ œconomiam turbante?

Hanc Joſue ſolicitudinem, ut dies prorogaretur, cum nulla appareret hujus prodigii neceſſitas, non eam quidem ſive diffidentiæ ipſius, ſive inani timori tribui neceſſe eſt; ſed ſtudii potius ipſius in delendis Dei hoſtibus argumentum eſt apertiſſimum. Strenuo animi ardore, tum & virilis pectoris virtute, ingentis victoriæ fructum ne amitteret, ſolicitatus eſt ut diem prorogari poſtularet, ne prius nox adeſſet, quam ipſe Divino operi finem imponeret. Deus qui pronis auribus vota ejus excepit, antea ſane vota illa in imo viri pectore formaverat. Spiritu enim Sancto, ut poſtularet, excitabatur. Certos autem fines virtuti, & Sapientiæ Divinæ præſcribere, atque de ſingulis rerum articulis judicare, quibus brachii ſui vim Deus exercere, vel continere debeat, audaciæ eſt nequaquam ferendæ. Quid opus fuit viam in mari aperire, ut ſicco pede fretum populus trajiceret? Nonne planior fuiſſet via, ſi panico injecto terrore exercitus Pharaonis totus diſſiparetur; vel ſaltem ſi paulo contractiores aquæ redderentur, quam ſolerent in Maris æſtu, ut populus facile transfretaret? Quid inſuper opus fuit per medium Jordanis alveum arentem ſtratamque viam patefacere, vel mœnia Jerichuntis dejicere? Nonne tranſvadari amnis poterat, ubi aptius eſſet vadum, vel aquæ minores, & Jericho vi expugnari? O homo, quis es tu, qui velis rationem ponere cum Deo? Quis conſiliarius ejus fuit, cui Providentiæ Divinæ abdita reſerata ſint? Nonne pronius eſſet & tutius, ſi nobiſcum ita reputaremus? Docet Scriptura, Joſue curſum Solis retinuiſſe: conducebat igitur ad Dei gloriam, ut prodigium illud patraretur. Si enim aliter res haberet ſeſe, id nunquam commiſſum fuiſſet ut fieret.

Quo id tempore anni contigerit, Scriptura licet ſilente, docent tamen Judæi, Solſtitio nempe æſtivo (5), quarta die menſis Thammus, quarti anni Sancti, & Junio reſpondentis. Malunt tamen alii diem Dominicam menſis tertii deſtinare (6). Uſſerius, die & menſe prætermiſſo, autumnum habet, autumnum nempe prioris anni introitus Iſraelitarum in Chanaanitidem (7), quinque vel ſex menſibus poſt tranſvadatum Jordanem. Qua ſemel ſtabilita hypotheſi, de longitudine ejus diei judicium ferre licet, ſi quod plerumque Scriptoribus (8) viſum eſt, neque a Scripturæ Textu abludit, prodigium meridie contigit: *Stetit itaque Sol in medio Cœli*. Quare ſi emenſum diei ſpatium ſol duplo auxit, dies illa decem & octo, ſeu viginti, vel quatuor & viginti horarum periodo terminata eſt.

Judæus Author, *Schem-tob*, ideſt Pulchrum, ſive Bonum nomen, creaſſe Deum ea occaſione autumat novum lucis corpus, cui Solis jam in occidente demerſi vicarium munus committeretur Iſraelitarum gratia plenam de hoſtibus victoriam referentium. David Kimchi, ejuſque pater Joſeph Kimchi lucidum illud corpus ipſam fuiſſe Lunam defendunt, vicibus Solis ea occaſione fungentem. Sed novi atque lucidi corporis prompta creatio, prodigium eſt nihilo minus operoſum, quam ſi Solis & Lunæ curſus ſiſtatur. Si ergo minuendo prodigiorum numero ratio illa a Judæis initur, cur ad miraculum aliud confugiunt? An forte Scri-

[1] Joſue XIX. 42. & Judic. I. 35. [2] In Epitaph. Paulæ: *Aſcendit ad Bethoron inferiorem . . . ad dexteram aſpiciens Ajalon, & Gabaon*. [3] Hieron. in locis. [4] Joſue X. 12. &c. [5] Vide Rabb. in Seder Olam, cap. 11. Genebr. Arias, Lyran. [6] Serar. in Joſue X. quæſt. 22. Bonfr. in Joſue X. [7] Uſſer. ad fin. anni M. 2553. [8] Sedul. lib. 1. Theodoret. qu. 13. Author de mirabilibus S. Script. lib. 2. c. 4. Vide Serar. qu. 22. in Joſue X.

Scriptura fallere homines ſtudeat, tot apertiſſimis phraſibus inculcans, ſtetiſſe Solem, nec occumbere feſtinaſſe; occubuiſſe denique poſt depoſitos e patibulo quinque Reges, atque ſepulturæ mandatos? De lucido hoc corpore ubinam, ſodes, in Scriptura ſermo? Quid inſuper eo opus fuiſſet, cum nulli hoſtes cædendi ſupereſſent, regrediente jam a cæde exercitu (1)?

Huic noſtræ ſententiæ opponunt I. Profanorum Authorum ſilentium, quos memorandum hoc prodigium penitus latuit. II. Rem eſſe Aſtronomiæ regulis repugnantem. III. Si imperio Ducis Sol paruiſſet, ipſum imperii ſui Ducem pœnituiſſet, cujus exercitus æſtui longioris ſolis expoſitus adeo laboraſſet, ut nedum inſequi hoſtes, ſed neque reſiſtere illis ultra potuiſſet. IV. Si Joſue eo claruiſſet prodigio, ipſi Moyſi majore prodigiorum gloria præſtaret, nec enim par a Moyſe geſtum eſt unquam: aſſerit autem Scriptura (2): *Non ſurrexit ultra Propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem, in omnibus ſignis, atque portentis, quæ miſit per eum, ut faceret in terra Ægypti Pharaoni &c.*

Sed hiſce omnibus facile patet reſponſum. Quod ad Profanorum ſilentium ſpectar, non eſt cur vehementer miremur, qui enim noſtra ætate ſuperſunt Authores, recentiores ſunt quam ut vetuſtiſſimum hoc prodigium noſcere potuerint: excedit enim Joſue antiquitate omnes Græcorum Authores, & tempus quod ipſi appellant hiſtoricum. Prodigium quidem adeo inſigne, totique, qua late patet, Orbi expoſitum nemo ſane ignoraverit; ſed numquid propterea poſteritatis memoriæ in publicis monumentis tranſmittendum fuerat? Quota rerum maximarum pars noſtra ætate intercidit? Forte veteris hiſtoriæ monumenta hujus quidem prodigii memoriam ſervaverant; ſed illis pereuntibus, eam quoque interire neceſſe fuit; vel ſaltem ſub ementitis fabularum involucris tam alte occulitur, ut deprehendi veritas nunquam poſſit. Ita in fabulis proditum eſt de nocte duplo prolixiore, ut deliciæ Jovis cum Alcmena prorogarentur; & apud S. Auguſtinum de Civit. l. 21. cap. 8. ex Varrone legimus de Veneris planetæ curſu, colore, & figura ſub Regis Ogygis ætatem mutatis. Unde vis illa Magis tributa apud Poetas, ſiſtendi ſcilicet aſtra, niſi ex inducta perſuaſione, id olim reapſe contigiſſe, nec Dei virtutem factum illud excedere? Lucanus *Pharſal. l. 6.*

Ceſſavere vices rerum, dilataque longa
Hæſit nocte dies: legi non paruit Æther,
Torpuit & præceps audito carmine Mundus.

Noctem illam, qua Ulyſſes (3) procos inſequutus trucidavit; ſeque ipſum agnoſcendum Penelopæ præbuit, plus juſto prorogaſſe Minervam Homerus fabulatur: apud quem pariter (4) Sol, cui nex ſuorum boum ab Ulyſſis ſociis inducta gravius acciderat, minitatur denegaturum ſe deinceps Terræ lumen, Regno tantum Plutonis illuſtrato. Apud Homerum Odyſſ. xII. Sol minatur, luce deinceps ſua nonniſi obſcura Plutonis regna colluſtraturum; & apud eumdem Homerum Odyſſ xxxIII. v. 242. 243. noctem illam, qua Ulyſſes detexit ſe Penelopi uxori ſuæ, longius quam reliquas noctes Minerva protraxit.

Denique argumentum ex Authorum ſilentio deductum, omnium maxime imbecille habendum eſt; niſi forte de Hiſtorico agatur, cui res fuerit explorata, qui innuere de illa aliquid ex inſtituto debebat, cujus ſcripta omnia ſuperſunt, ac tandem in ejus ſcriptis quædam leguntur rebus ſilentio preſſis plane repugnantia. Abſunt vero hæc ſimul omnia a prodigio Joſue. Authoribus enim profanis neque de illo quidquam debuit innoteſcere; neque, ſi noſſent, memoriæ tradere cogebantur; nec tandem omnia eorum ſcripta ad nos pervenerunt; quæ autem ſervata ſunt, hæc ſane nihil habent veritati ejuſdem prodigii repugnans. Non eſt igitur cur eorum ſilentium alicujus eſſe momenti credatur.

Ad hæc, ſi naturalis æquitatis rectæque rationis ordo, tum & cujuſdam juris gentium ratio poſtulat, ut in hiſtoria ſingularum gentium atque regionum iis potiſſimum fides habeatur Hiſtoricis, qui ad eam gentem & regionem ſpectantes, avitarum rerum cognitione præ cæteris omnibus inſtructi cenſentur, cur Hebræis ſua narrantibus refragemur, cum maxime in eorum ſcriptis tot appareant ſinceritatis & ſapientiæ characteres, etiam inſpiratione Divina poſthabita, quæ ſuperiorem cæteris omnibus authoritatem illis conciliat?

At enim prodigium illud factu eſt impoſſibile, omnibuſque Aſtronomiæ regulis repugnat. Quod etiam ſi contigiſſet, nihil Judæis commodi, plurimum attuliſſet incommodi; inſueto enim æſtu laſſati nedum hoſtibus inſiſtere, ſed neque reſiſtere valuiſſent. Sed eſto omnia, addunt, e re Judæis ſuccederent: quæ prodigii fuit neceſſitas? Ita plane Adverſarii; quorum ſi argumenta conſtarent, utique prodigium omne negare non inviti cogeremur. Scitum eſt enim Deum ſibi plane repugnare, ac conſtitutas a ſe leges infringere nec velle unquam nec poſſe; ſicut nec prodigia multiplicanda unquam, cum & ſine prodigio æque obtineri finis poſſit; Divina ſemper Sapientia id præferente quod planius eſt & ſimplicius. His tamen ratis manentibus principiis, ſalva tamen manere ſimul ea, quæ ad prodigium pertinent, defendimus. Nihil in illo repugnans, nihil Deo factu impoſſibile. Qui enim Aſtris omnibus e nihilo prodire juſſis motum ſingulis peculiarem impreſſit, eorum ille continere curſum ad arbitrium non poterit? Cum Dei voluntas ipſiſſima ſit rerum omnium natura, poteſt utique Deus, cum e re ſua eſſe intellexerit, & ad motum ſingula impellere, atque dum maxime volvuntur, retinere. Nobis fateor res videtur difficilis; ſed numquid proinde quamvis difficultatibus obvolveretur, non in ſpeciem tantum, ſed reipſa validis, ut aciem ipſam humani intellectus retunderent, fidei authoritatem ſive excutere nos; ſive conquiſitis ratiunculis eludere par eſſet? Deo prona ſunt, quæ etiam cogitantibus nobis impervia. Vide Auguſt. de Civit. Dei l. 21. c. 5. n. 2. & c. 7. n. 1.

Prodigia divinitus facta alterius naturæ ſunt a rebus communibus & naturalibus; hiſce enim poſtremis intelligendis, per conſtitutas Phyſicæ regulas, ac cæterarum rerum, quas habemus exploratas, analogiam nitimur. In prodigiis autem id præſtandum, ut quantum illa a præſcriptis naturæ regulis exorbitent intelligamus, ſimul etiam demonſtrantes, ſpectata ad regulas extraordinarias cohærentia factu eſſe poſſibilia, quæ Deo tantum authore geſta ſunt. In eo plane hypotheſes omnes prodigiis explicandis excogitatæ verſantur. Ita e. g. intelligimus, Deum valido quodam vento immiſſo continens freti æquor diffidiſſe, tum & diſſiſſas undas naturali fluiditate ſpoliaſſe, ut veluti in glaciem concretæ ad utrumque latus immotæ perſiſterent. Moyſis virgam in anguem mutatam conjectamur ex reſoluta prius ligni materia, ac deinde in anguem coagmentata. Res ſane nec factu impoſſibilis eſt, ut aeris validiori impreſſione cedentes undæ in glaciem concreſcant, quemadmodum hyemali tempeſtate accidere videmus; ſicut neque lignum in alterius rei naturam tranſmutari: ſed hæc ſtatim fieri, & nullo agentis naturalis miniſterio interpoſito, id plane regulas naturæ omnes excedens, prodigium conſtituit. Ita in rem noſtram philoſophari oportet: corpus motu aliquo agitatum, ſi immotum tan-

[1] Joſue x. 20. 21. xII. verſ. 3. 2.
[2] Deut. xxxIV. 10.
[3] Odyſſ. xxIII. v. 242. 243.
[4] Odyſſ.

tandem maneat, id nequaquam mirum videbitur; quod autem nemine obſtante a curſu retineatur, id ſane Divino prodigio deputandum eſt. Modo id ſupereſt demonſtrandum, Solis ſtationem nihil habere naturæ legibus repugnans, quamvis longe illas excedat.

Syſtemati quod circa terram in centro Mundi conſtitutam Solem & Lunam torquet, illud commodi accedit, quod & Scripturæ verbis præ cæteris cohæreat, & planius atque ad populi captum magis accommodatum ſit. Illud ſibi Scriptores Sacri præſtituunt, nullique alteri Judæi jam inde ab exordio aſſueverunt. In ea igitur perſuaſione tum & Joſue loquutus eſt, cum & Judæi Solis ſtationem ſpectarunt. Porro in ea rerum conſtitutione prona ſunt & plana omnia: Sol & Luna ſimul eodem tempore ſteterunt, quieſcentibus interim cæteris Mundi partibus, veluti in harmonia optime conſtituta. Quies illa, & ſilentium aſtrorum in Muodi harmonia nihil plane turbavit; intermiſſum enim curſum omnibus deinde ſimul reſumentibus, veteres functiones redierunt.

Verum Paganorum Philoſophi ſimplex illud ac populare ſyſtema de terræ quiete atque Solis motu, adeo extraneis ſyſtematibus, variis aſtrorum motibus explicandis, inſerſerunt, ut & phænomenon hoc, de quo in præſentiarum eſt ſermo, multis difficultatibus implicarint. Nec erat ſane, cur illi, Divioarum Scripturarum authoritatem nihil morati, multum laborarent ut opinionum ſuarum placita cum ipſis Scripturis conciliare ſatagerent. Statuerunt igitur, Solem, Lunam, ſtellaſque fixas omnes impreſſo ſibi a firmamento motu ex occidente in orientem torqueri; cui geminum alterum in ſtellis fixis junxerunt motum a primo mobili communicatum, quo ſcilicet ex oriente in occidentem rapiantur. Singulis hiſce ſtellis, ſicut & Soli, Lunæ, ac Planetis, ſingulos Cœlos attribuunt; illud etiam addentes, inſitum adeo eſſe ſingulis motum, ut motu intereunte interire etiam ipſa Cœli corpora neceſſe ſit: ea namque ſimul omnia adeo colligantur, ut alterum ſine altero ſtare non poſſit. Denique in ea ſunt ſententia, ut ſi forte accidiſſet unquam ut Cœleſtia corpora ſemel quieſcerent, tunc rigor & ſtupor ſublunaria omnia inceſſeret, eaque rerum turbatio ſequeretur, quæ primigenium chaos reduceret.

His ſemel perperam an ſecus conſtitutis, ſexcentis cavillationibus noſtri prodigii fidem in dubium revocare nituntur. Quibus depellendis tenebris, perperam ſane offuſis, pluribus fuit laborandum, quo ſcilicet difficultates ſolverentur, ex cunficto ad arbitrium ſyſtemate deductæ. In hanc rem aſſignatæ ſunt ſingulis aſtrorum motibus intelligentiæ quædam, Solis & Lunæ motum repreſſuræ, conatibus aliorum Cœlorum mira quadam & Cœleſti vi reſiſtentes. Tandem ſerio allaboratum eſt conciliandæ hiſtoriæ Sacræ cum ſyſtemate, quod mere ad arbitrium invectum nulla niſi Philoſophorum, a quibus inductum eſt, authoritate fulcitur.

Non defuerunt, qui conquiſitis ratiunculis demonſtrarent, Solem, ſi forte ſtationem agere coactus ſit, diem nedum non prorogaturum, ſed & multo breviorem redditurum. Nullo negocio ex Ptolemæi ſyſtemate rem demonſtrant. Sol, inquiunt illi, ſuum habet inſitum motum ex Occidente in Orientem, ſolidi anni periodo terminandum, rapitur autem ſimul XXIV. horarum ſpatio ex Oriente in Occidentem, primo mobili contra inſitam a natura inclinationem parere coactus. Quare ſi forte aſtri motus ex occidente in orientem ſuſpendaıur, in contrarium a primo mobili rapitur, ſimulque citius ſingulis diebus occidit, ea itineris portione, quam ſingulis diebus inſito motu percurrit, nempe trecenteſima ſexageſima quinta portione ſui curſus. Ita dies Joſue non tantum cæteris diebus prolixior non fuiſſet, ſed & a cæteris vinceretur. Huic ut occurreretur incommodo motum continere omnium ſimul corporum Cœleſtium opus fuit, ſane quæ res prodigium plus nimio, quam Scripturæ verbis cogamur, exaggeravit.

Philoſophi recentiores novo fabricato ſyſtemate, novis etiam explicationibus phænomenon illud expoſuerunt. Rati itaque terram circa immotum Solem torqueri, ſtetiſſe terram, non Solem, imperio Joſue autumarunt. Cum vero, inquiunt, Scriptura vulgarium captui accommodare ſe conſueverit, ac rerum naturalium ſpeciem, non rem ipſam ſectetur; factum inde, ut ſtetiſſe potius Solem, quam terram perhibeat. Eadem cautione ſolet quandoque ſenſum aſtris, intelligentiam brutis, Deo paſſiones, ſpiritibus corpora tribuere. Addunt inſuper, literalem ejus hiſtoriæ interpretationem magis futuram abſurdis, & incommodis obnoxiam, ac denique perinde eſſe ſive Sol, ſive terra ſtare dicatur, eodem ſemper effectu contingente.

Porro ſyſtema illud noſtra quidem ætate vulgo apud Doctos tanquam hypotheſis admittitur, eoque ſimul omnia noſtri phænomeni ſalvantur. Sed duplici incommodo adverſus illam deducto occurrendum eſt. I. Innatans in turbine Solis terra, ejuſque motu verſata, vix eſt, quod ſubito perſiſtat immota; nec modico id temporis ſpatio fieri poteſt, ut terra velut aggerem ſeſe opponat materiæ Solaris torrenti, qui toto impetu in illam rapitur, Præſtaret igitur, Solem una cum terra, quin & omnia inſuper corpora Cœleſtia, quæ eodem cum Sole turbine feruntur, ſiſtere. Sed in immenſum tunc multiplicari prodigia nulla neceſſitate cogeremur, quod ſane alteri ſyſtemati invidiam creare ſupra animadvertimus.

II. Si terra in vortice Solis immota inſitum ſibi motum circa proprium centrum ita continuiſſet, ut communi motu intra materiam ſolarem ageretur, ſolemque ſemper ex eodem latere ſpectaſſet, illud conſequutum fuiſſet incommodi, ut longioris diei æſtui expoſitus Judæorum exercitus, vix, ac ne vix quidem ferre ardorem potuiſſet. Adeo enim incaleſcere terræ portio illa ſub torrida Cœli plaga poſita debuiſſet, ut calore ambuſti homines & bruta deficerent, abſumerentur plantæ, omnia in vaporem abirent. Ecquid eſt aliud, incendium Phaetontæum in Mundum invehere?

Hoc quidem poſtremum incommodum adverſus omnes æque ſententias valeret; cui tamen duplici ratione occurrimus. Solem ſtare potuiſſe credimus, cum ſuper horizontem modice adhuc elevatus vim omnem ſuam non adeo explicaverat ac plena meridie; quantum enim a meridie Sol aberat, tantum ea occaſione æſtus remittebatur. Quantum autem ex contextu Scripturæ intelligimus, aberat adhuc a meridie Sol, cum ſtationem agere juſſus eſt. II. Immodicus licet & minime ferendus calor nobis habeatur, non idem tamen judicium ferendum eſt de populis in ardenti climate enutritis, ſummi æſtus aſſuetudinem patientibus. Experimentum in nobis ipſis capere ea de re licet. Si forte diem aliquam æſtivam dnplo prorogari, & meridianum Solis ardorem aliquibus horis perſeverare contingeret, iis affligemur incommodis, quæ inducenda olim ſub Joſue jactantur? Elapſis nuper annis gravioris Solis inclementiam, quantam alia nulla in Orbe loca, majorem experti ſumus; nec tamen ea toleravimus incommoda, quæ forte aliquis timuiſſet.

Ad ſecundum illud incommodum quod ſpectat, fieri nempe vix potuiſſe, ut ruentis materiæ impetum terra immobilis ſuſtineret, reponendum. I. Id quidem cæteris omnibus, non Deo factu impoſſibile: poteſt enim Deus ad arbitrium effectus naturales corporum ſuſpendere, quæ ſcilicet ipſiſſima eſt prodigii natura. II. Ut terra immobilis in vortice Solis ſiſtatur, ſuo etiam Soli cæteriſque aſtris motu relicto, ita materiæ Solaris motus temperandus eſt, ut æquo ſimul impetu

ſupra

Digitized by Google

ſupra & infra terram feratur; ita enim fiet, ut fluxuum inæqualitate ceſſante (per quos altero rapiente, altero aliquanto remorante terra torquebatur) æquali motu circa Solem acta, immota ſimul in ſuo centro conſiſtat. Nihil hic legibus naturalibus repugnans; quamquam inſuetus iſte materiæ ſolaris fluxus conſuetam naturæ rationem non ſequitur; quare prodigium eſt aperciſſimum.

Id unum tantummodo ſupereſt, quod nullum ex huc uſque adductis Syſtematibus ſatis convincit, qui ſcilicet fieri potuerit, ut exercitus totius noctis itinere feſſus, & cædere tota die hoſtes, iiſque fugientibus inſiſtere xvii. ſive xxiv. vel etiam juxta aliquos xxxvi. horarum ſpatio ſufficeret? Si vero Iſraelitæ curando corpori, reficiendis viribus, ciboque capiendo (1) deſiſtere ab armis coacti ſunt, quid prorogate profuit? Si vero nunquam ab armis ceſſatum eſt, quomodo inſuetum laborem tulerunt? Non defuerunt inter Patres, qui crederent Hebræos tota illa die inediam prorogaſſe (2); quod non ſine novo miraculo factum eſſet, Deo ſcilicet Juſſi atque laboribus confecti populi vires reparante, vacui ſtomachi moleſtia temperata. Malumus tamen, prodigio indulgentes, exercitum, de more illorum temporum, commeatu ſuo oneratum fugientes hoſtes inſequutum credere. Quare ſimul & perſequi hoſtes, & cibo curare corpora potarant; ſingulis opportunum ad eam rem pro data occaſione tempus captantibus. Ne cibo reficeretur exercitus, nunquam caverat Imperator, atque ſingularium militum mora per data intervalla nihil totius exercitus iter retardabat. Scitum eſt, Saulem cum Philiſthæos inſequeretur (3), inediam ſub capitis interminatione edixiſſe; quæ Regis juſſa tanquam intempeſtive lata Jonathas reprehendit, quod refectis cibo viribus meliori ſucceſſu fugientes hoſtes inſequi exercitus valuiſſet.

Quæ poſtremo loco in noſtram ſententiam objecta ſunt de Moyſis ſupra Joſue præſtantia, vix cum veritate tanti prodigii, quale nos agnoſcimus, cohærente, hæc quidem alicujus eſſent momenti, ſi ut prodigii gloria ita & cæteris præſtare Joſue contenderemus. Quid eſt autem incommodi, ſi in ſingulari tantum prodigio majorem, in reliquis vero omnibus inferiorem habeamus? Nonne Eliſeus prodigiorum gloria Eliam vicit? Apoſtolorum ſigna majora habita ſunt quam Jeſu Chriſti quædam? Quæ Deus hominum miniſterio operatur prodigia, minora ſunt, quam ut ex illis certum aliquod de hominum præſtantia deducatur judicium. Quamvis igitur Moyſes minori quadam prodigiorum gloria quam Joſue claruiſſet, ſemper tamen illum & merito ſuo & dignitate præcedit. Quid eſt tandem, rogo, quod prodigium auget, minuitque? an ejus patrandi quoad nos difficultas major? Hæc ſane in omnibus æque prodigiis valet, æque enim omnia vires noſtras ſuperant; quod autem vires excedit, varium licet & diverſum, pro eodem tamen habetur; quemadmodum & de infinito atque æterno conſtat. An vero Dei virtute magis præſtat Joſue prodigium quam Moſaica? Hæc ſane nonniſi per ſummam impudentiam, nec ſine errore prorſus dicantur; Deo enim æque omnia prona ſunt.

DISSERTATIO

DE PLUVIA LAPIDUM IN CHANANÆOS.

Ad Joſue x. xii.

POſt initum a Joſue prælium cum quinque Regibus Chananæis, Gabaonem obſidione prementibus, actos in fugam hoſtes circa Bethoron inſequutus eſt. Cum ad Urbis deſcenſum perveniſſent, *Deus*, inquit Textus ſacer, *miſit ſuper eos* (nempe Chananæos) *lapides magnos de Cœlo uſque ad Azeca: & mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percuſſerant filii Iſrael*. Hæc Scripturæ verba negotium Sacris Interpretibus fecerunt adeo, ut in varias abeuntes ſententias, alii quidem de procella grandinis, alii de procella lapidum dictum expoſuerint. Hoc Diſſertationis hujus noſtræ argumentum eſt.

Receptiſſima inter Expoſitores ſententia tenet, Deum (4) fugientes Chananæos oppreſſiſſe ingenti grandinis procella, quæ valido delata vento, in miſerorum capita devoluta eſt. Favet interpretationi Textus, in quo poſt narratam lapidum pluviam, *Miſit ſuper eos lapides magnos*; tum additur, quaſi luculentioris expoſitionis gratia: *Mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos percuſſerant filii Iſrael*. Septuaginta geminum hunc Textum reddunt, *Lapides grandinis* (5). Suffragatur Author Eccli. xlvi. 6. *In ſaxis grandinis virtus valde fortis*. Et alibi xliii. 16. tanquam Divinæ virtutis argumentum affert illud: *In magnitudine ſua poſuit nubes, & confracti ſunt lapides grandinis*. Ex quo animadvertere juvat, ſolemni Hebræorum phraſi grandinem *lapidum* nomine, vel *lapidum grandinis* exprimi; quemadmodum & pro glebis (6) *lapides luteos*, & pro plumbo erigendis ad libellam muris, *lapidem ſtanneum* (7) uſurpant. Iis qui male compactum murum ædificant, eamque humo ſine paleis obliniunt, Ezechiel xiii. 11. denunciat, cum valido ventorum turbine pluvia ruerit, ingentium lapidum procella ſæviente ædificium lapſurum. Luculentior Iſaias xxx. 30. immiſſurum in Aſſyrios Deum minitatur *turbinem & lapidem grandinis*, quibus alliduntur. Ezechiel 38. 22. Domini judicium in Gog prænuncians, animadverſurum in illum ait lue, ſanguine, pluvia vehementi, & *lapidibus immenſis*; ſulphure inſuper & igne e Cœlo demiſſis. Apte proinde hiſtoria Joſue de procella grandinis in cædem Chananæorum excuſſa exponitur. Præter grandinem, addunt Propheta Abacuc iii. 11. & Joſephus Antiq. l. 5. c. 1. tonitrua, fulgura, & imbrem, quæ in Textu Joſue deſiderantur.

(1) Juſtin. in Dialog. cum Tryph. (2) Tertull. lib. de Jejunio c. 10. *Jeſum Nave debellantem Amorrhæos non prandiſſe illa die exiſtimamus, qua ipſis elementis ſtationem imperavit?* Hieron. lib. 2. contra Jovinian. *Jeſus Filius Nave ſtationem imperavit Soli, & Lunæ, & inediam plusquam unius diei victoris exercitus protelavit.* (3) 1. Reg. xiv. 24. 25. (4) Vide Joſeph. Antiq. l. 2. c. 5. Lyr. Menoch. Tir. Dionyſ. Carth. Toſt. in Joſue x. q. 9. Salian. Vatabl. Cleric. alii paſſim. (5) Septuag. λίθοι χαλάζης. Hebræus אבני הברד (6) Eccli. xxii. 2. *In lapide luteo lapidatus eſt piger.* (7) Zach. iv. 10. *Videbunt lapidem ſtanneum in manu Zorobabel.*

Oppoſita huic ſententia, quæ de pluvia lapidum ad literam Textum interpretatur, neque ſuis deficit conjecturis, neque eruditiſſimorum Authorum ſuffragio. Maſius, Grotius, Bonfrerius, Gerardus Joannes Voſſius de Idol. l. 1. c. 26. aliique nonnulli in eam rem conveniunt, tanquam unum ex prodigiis Dei Iſraelis hiſtoriam illam reputantes. Eam ſtatim ideam verba Textus ingerunt; quod autem ſubditur de grandine lapidum, ad ſuperiora referendum videtur, nimirum ad lapides, quibus Chananæi confecti oppreſſique ſunt. Neque de nomine *grandinis*, adjecto lapidibus, ſolicitos nos eſſe oportet, eum uſurpari illud commode potuerit de præcipiti lapidum procella, quæ tanquam grandinis turbo in caput miſerorum inſonuit. Ita pariter reddi poſſunt verba Eccleſiaſtici, Iſaiæ, & Ezechielis; noſque familiari ſermone paſſim uſurpare ſolemus: Deturbata eſt in miſerum lapidum, ictuum, ſagittarum grando. Porro ſi grandinem tantummodo vulgarem ſignificare voluiſſent Prophetæ, quid opus fuiſſet hac verborum granditate rem familiarem exprimere? Negotium hic tantum facit genus, & natura lapidum, qua illi ratione concreverint &c. quod in præſentiarum nobis diſquirendum ſupereſt.

Lapidum imbres non ita naturæ vires ſuperant, ut continuo ad prodigium referendi ſint. Moyſes in Deuter. XXVIII. 24. pluviam quamdam pulveris, & arenæ a Domino immittendam in populum refractarium denunciat: *Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem, & de Cælo deſcendat ſuper te cinis, donec conteraris*. Exempla rem produnt. Accidit non raro, ut in inſuetis terræ concuſſionibus, ventis intima terræ quatientibus, pulveris, & arenæ nimbus in Cœlum efferatur, inde vero in ſubjecta arva recidens ſpiritum animalibus intercludat, agris ſterilitatem inducat. Id contigiſſe ferunt juxta vicum *Tripergola* in Italia anno 1538. ubi validis ſuccuſſionibus agitato ſolo, ſubito nimbo obductum Cœlum lapidibus & pulvere pluit; poſt biduum novus creviſſe mons in medio lacus *Lucrini* ſpectatus eſt (1). Majora ejus generis prodigia anno 1707. narrantur; nova enim Inſula ex imo maris emergens in Archipelago, ſtupente ad prodigium Europa, apparuit. In Relationibus ejus phænomeni legimus, ante plures dies velut ingentes pilæ bombardæ ſtrepitus exauditos fuiſſe, tum plures ignitos lapides in aerem ad immenſam altitudinem vibratos, proprio deinde pondere veluti accenſos pulveris radios in ſubjectum pelagum, & in omnem late agrum ſpatio ultra quinque milliarium recidiſſe. Ad hæc ater nigerque fumus, cinereo quodam furfure tectus attollebatur, ita craſſus, ut vix a recurrenti aere diſſolveretur; qui tandem validis ejuſdem aeris concuſſionibus paulatim diſſectus, in pulverem tenuem abibat, indeque veluti niger efformatus imber in ſubjectas terras ita exonerabatur, ut totum ſolum obduceret. Interdum cum fumo juſtæ magnitudinis lapides igniti intorquebantur, adeo ingenti copia, ut non ſemel tota brevis Inſulæ facies tegeretur.

Romani, quibus monſtri loco habebatur, ſi quando Cœlum lapidibus pluiſſet, ejus rei exempla pluſima in ſuis hiſtoriis ſervarunt. Sub Tullo Hoſtilio (2) renunciatum eſt, in Urbe lapidibus ſuper montem Albæ pluiſſe; res fabellæ loco primum accepta eſt, nunquam enim memoria hominum fuerat auditum, de Cœlo lapides demiſſos; dein certi homines legati ſunt, ut rei veritatem explorarent; renunciarunt illi: *Haud aliter, quam cum grandinem venti glomeratam in terram agunt, crebri recidere de Cœlo lapides*. Temporis ſucceſſu prodigium illud familiare redditum eſt, ut veluti in re frequenti minus ad illam horrerent (3). Similis pluviæ exemplum extat apud Authorem belli Africani (4).

Aliquanto poſt prælium Cannenſe, bidui ſpatio in eodem Albæ monte, ſimile imbris prodigium innovatum eſt. Paria alibi leguntur, veluti Ariciæ (5), Capuæ, Romæ, Lavinii, Amiternis, in agro Piceno, & alibi. Interdum ignei lapides Cœlo cadebant, interdum glebæ, interdum vulgares lapides. Hæc autem adeo explorata ſunt, publica, & ſingularibus rerum eventibus confirmata, ſicut & præſtantiſſimorum Scriptorum fide, & copia aſſerta, ut non ſine temeritate negentur.

Quod autem ſupra fidem videtur, illud eſt, nimirum non imbrem tantum lapidum, terræ, atque arenæ e Cœlo decidiſſe, ſed etiam ingentium lapidum moles varias diutius per aerem jactatas, tandem ruiſſe præcipites.

Plutarchus in vita Lyſandri fuſius narrat hiſtoriam lapidis fulminei, olim in fluvium Argos in Thracia dilapſi, Anaxagoras Philoſophus, qui in ea erat ſententia, Solem ingentem eſſe lapidem igne candentem, futurum prædixit, ut lapis iſte e reliquo Solis ſaxo avulſus corrueret (6). Damachus animadvertit (7), ſolidis illis LXXV. diebus, quot a reddito Anaxagoræ oraculo uſque ad lapidis lapſum interceſſerunt, aeris faciem flammeum quemdam nimbum occupaſſe, in varias hinc inde partes varie agitatum; ex eo vero ſubinde lapidea quædam fruſtula veluti favillas avulſa, tamquam ſtellas erraticas ex uno in alterum locum actas; corruentem tandem lapidem deferbuiſſe ab igne, imminuta quin etiam plurimum ſaxi mole. Ariſtoteles (8) ſuſpicabatur, lapidem illum e ſaxo aliquo, vel monte vi ventorum avulſum, atque in aera ſublatum, poſt varias hinc inde tum inſiti motus, tum & aeris agitationes corruiſſe, tandem juxta Anaxagoræ Oraculum; quam ejus opinionem vix probari ſibi Plutarchus ſignificat, cum juxta Damachi relationem lapis LXXV. dierum ſpatio in aere ſuſtentaretur. Plinius æquaſſe illum ait mole plauſtrum, colore autem fuiſſe atro, & aduſto (9); illum vero narrat ad ſuam uſque ætatem tanquam inſigne aliquod Religionis monumentum ſervari.

Malchus (10) in vita Pythagoræ refert, Philoſophum illum in Creta expiatum fuiſſe, lapide fulmineo in eam rem adhibito. Deus Elagabalus nihil erat aliud, quam lapis ſubniger, e Cœlo dilapſus. Comes Marcellinus anno Chriſti 452. tres ingentes lapides e Cœlo in Thraciam deturbatos narrat. Anno 1492. die 7. Novembris, mixtus cum grandine ingens lapis, quem nos oculati teſtes in Eccleſia Parochiali Enſishem in Alſatia ſpectavimus, decidit; fluviatilem lapidem nec exiguum refert, ſubnigrum, & veluti igne aduſtum, inæquali, & aſpera ſuperficie, e qua veluti fruſtula fuiſſent avulſa; pondere eſſe narrant circiter 300. librarum (11).

D. Gaſſendus (12) narrat die 29. Novembris anni 1637. circa horam decimam matutinam, læto & ſereno aere, eum forte duo viri in agro eſſent ſuper imminentem Varſonis montem, ſitum inter Urbes Guillelmum, & Sedunum, ingentem ignitumque vidiſſe illos lapidem in medio aere ſuſpenſum; tum auditi ingentes veluti e tormento belli-

(1) Montfauc. Diar. Ital. c. 21. pag. 318. (2) Liv. l. 1. decad. 1. pag. 12. (3) Vide Liv. l. 25. pag. 264. Idem l. 30. pag. 395. & lib. 34. pag. 416. (4) Cap. 47. *Nimbus cum ſaxea grandine ſubito exortus eſt ingens.* (5) Liv. l. 22. pag. 220. & l. 35. pag. 422. & alibi paſſim, Vide & Appian. l. 4. belli Civ. & Aug. l. 3. de Civ. c. 31. (6) Diogen. in Anaxag. Vide Not. Menag. in Laertium. (7) In lib. de Relig. apud Plut. dicto loco. (8) Meteorolog. l. 1. cap. 7. (9) Plin. l. 2. cap. 58. *Qui lapis etiam nunc oſtenditur, magnitudine vehis, colore aduſto.* (10) Κεραυνίῳ λίθῳ. (11) Vide Geſnerum, & Anſelm. de Boot hiſtoria lapid. & gemm. (12) In Lib. x. Diogen. Laert. de Meteor. Epicur. &c.

bellico ſtrepitus, duo potiſſimum, quorum alter altero horribilior. Viſus deinde circa petram circulus multicolor, diametro circiter quatuor pedum. Volitavit autem lapis centum circiter paſſibus a Viris diſtans, ſupra terram circiter 5. perticis elevatus. Sibilus comitabatur volitantem, ei ſimilis, quem ignitus accenſus pulvis refert, tum & odorem ſpargebat veluti aduſti ſulphuris. Tandem in terram decidit ccc. circiter paſſibus ab iis viris, qui rei eventum ſpectabant, non ſine aliquo veluti e bombarda ſtrepitu, atque fumo lætam Cœli faciem obſcurante. Concurrentes ad ſtrepitum ex adjacentibus regionibus incolæ ſpatium viderunt diametro circiter 5. pedum liquatis nivibus diſtinctum, in quo foſſa pede lata, atque tribus pedibus profunda aperiebatur. Jacentes circum lapidea vi caloris in calcem redacti ſpectabantur, atque in imo foſſæ delapſus lapis, inventus eſt paulo vitulino capite minor, & humano non abſimilis, pondere 54. librarum, colore vero fuſco, extrema duritie. Servatur adhuc Aquis Sextiis in Provincia. Fuſius ſingula deſcribere viſum eſt, ut tutius infra tum de hoc phænomeno, cum de pluvia lapidum differamus.

Anno 1510. (1) in agro non longe ab Abdua grando lapidum MCC. numero, odore ſulphureo, & duritie extrema cecidit. E nimbo flammeo ante duas horas in Cœlo verſante dilapſi ſunt, quorum unus in ſtatera pondus reddidit CXX. librarum, alter ſexaginta.

Ex *Cerauniis* ſeu lapidibus fulmineis, de quibus agit Anſelmus de Boot (2), aliqui inter Curioſorum Cimelia ſervati, aſciæ formam, alii vomeris, mallei, malleoli, cunei referunt. Quod ad rem ſpectat, genus creduntur focarii lapidis; colore variant. Forulis autem inſtructi quibuſdam plerumque non caſu ſed de induſtria, uti quidem ſuſpicari licet, factis, & manubria quondam habuiſſe ſua, & in varios agreſtium uſus adhibiti videntur.

E nubibus cum fulgure diſploſi lapides illi vulgo creduntur; ſed multo ad rem propius in uſus veterum Barbarorum tum bellicos, tum domeſticos agreſteſque addictos autumant Eruditi. Scitum eſt enim, conſueviſſe olim Veteres, ſolido quodam lapide & fere impenetrabili, tum cultros, cum arma conficere. Æthiopes apud Herodotum l. 7. c. 64. præduro quodam lapide & ſagittas armabant, & ſigilla inſculpebant. Foramina lapidum in loco, ubi manubria erant inſerenda, variis olim uſibus illos fuiſſe, argumento ſunt apertiſſimo.

In vico quodam Normandiæ, cui nomen *Coquerelle*, tumulus veterum Barbarorum anno 1685. (3) detectus eſt, in quo poſitæ ſubter capita defunctorum ſecures e præduro lapide, ac colore variæ, inventæ ſunt; nihil autem illæ a Ceranniis erant abſimiles.

Aſſueta ſub fabularum involucris verum celare vetuſtas refert, Herculem ſuſcepta in filios Neptuni expeditione, lapideam grandinem a Jove impetraſſe, qua in hoſtes deturbata omnes oppreſſi ſunt (4). Hujus fabellæ non aliam facile hiſtoriam quæras, quam quæ de Joſue in Scriptura narratur; filii enim Neptuni aptiſſime Chananæos, ſive Phœnices, commercio & navigationi deditos, deſignant. Solemni Scripturæ phraſi filii maris, terræ, arcus non alios deſignant, quam viros navigationibus, cultui terræ, jaculationibus addictos. Herculis nomen multis inſignibus viris commune eſt; vel ſaltem res a multis præclariſſimis viris inſigniter geſtæ, quidquid inſuper memorabile habebat vetuſtas, hæc in Herculem collecta ſunt. Factum inde, ut in unum eum virum ea ſimul conveniſſe deprehendantur; quæ de Moyſe, Joſue, Samſone &c. memoriæ mandata ſunt (5).

Nuclei fulminei genus eſſe lapidis creduntur, facile a noſtro argumento non alieni. Nucleus enim iſte materia quadam conſtat ſulphurea, & nitroſa, ex terræ halitu in nube rorida conſtipato, varieque ſubacto & agitato. Ejuſdem naturæ partes coeuntes in corpus ſolidiſſimum conſtringuntur, quod agitatione & compreſſione nubis igneſcens, in liberiorem aerem disjecto nubis ſinu, qua facilior via eſt, evadit. Accidit autem brevi (quandoquidem ex ſulphurea & nitroſa materia totus conſtat, paucis terræ & craſſioris materiæ, igneam vim retundentis, partibus admixtus) ut totus abeat in flammas, atque poſtquam erravit in libera aeris regione diutius, veluti accenſi pulveris radius nihil poſt ſe relinquat, niſi odorem, fumum, & colorem quemdam aduſtum in locis a fulmine tactis. Huc ſpectare facile potuit Ezechiel in loco ſupra laudato, ubi de *lapidibus Gabiſch* (6), vel pyropi, quæ gemma eſt colore & fulgore igneo.

Aliud eſt genus lapideæ pluviæ naturale, rariſſimum tamen; cum nempe lapides e rupe aliqua in editis montium jugis divulſi, in aera ventorum vi ſublati tolluntur, ac deinde vento reſidente, innato in terram pondere deturbantur. Id in noſtris quidem regionibus inuſitatum, frequenter ſpectari narrant Itineraria in quibuſdam Africæ tractibus, ubi procellæ familiares. Cum Perſæ ad Templum Delphicum diripiendum veniſſent, furens ſubito imbrium procella, & fulmina ſimul & lapides e petris avulſos intorquens, in ſacra impiorum capita ruens, tanta in illos cæde ſævijt, ut exercitum diſſiparet atque deleret. Ita Diodorus (7). Paria accidiſſe Gallis, violentas manus in direptionem ejuſdem Fani injicere volentibus, Pauſanias lib. 1. eſt author: Lapides, inquit ille, montis Parnaſſi, vi procellæ avulſi, in Gallorum capita recidentes miſere attonitos opprimebant. Hanc lapidum avulſionem non procellæ furenti, ſed terræ ſuccuſſioni violentæ tribuit Juſtinus lib. 24. *Præſentiam Dei & ipſi ſtatim ſenſere; nam & terræ motu portio montis abrupta, Gallorum ſtravit exercitum.*

Hæc lapidei imbris exempla ſuccurrunt: reſtat modo, ut genus determinetur, quod potiſſimum retuliſſe lapidea grando ſub Joſue, noſtra quidem ſententia, viſa eſt. Porro ex iis, quæ de lapidibus fulmineis ſupra digeſſimus, facile Lectores intellexerint, omnia ad fabulas potius, quam ad hiſtoriam amandari. Nucleum in præſentiarum abs re prorſus eſſe ex eo conſtat, quod lapis eſt quidem, ſed alterius cæteroqui a lapidibus in Chananæos naturæ. Illi enim grandineo imbre ruentes, Chananæos a deſcenſu Bethoron uſque Azēcam longiſſimo temporis & locorum ſpatio proſequuti ſunt: quid hæc ad nucleum, ſive ad fulgur? Tandem alieni a noſtro argumento habentur ignoti illi lapides, in aere aliquandiu ſuſpenſi, inde in varia terræ loca ruentes, hæc enim mira quædam & inſueta phænomena vix ac ne vix quidem grando lapidum appellari apte potuiſſent.

Verum ſi pondera illa immania adeo & compacta valido ventorum robore in aere ſuſtineri, atque huc illuc volvi potuerunt; ſi petere in ſublime ignis ſive ſubterraneæ exhalationis vi coacta ſunt; vel ſaltem ſi in aeris regione terreis,

(1) Cardan. de Variet. l. 14. c. 72. (2) Anſelm. de Boot hiſt. lapid. & gemm. c. 261. (3) Montfauc. Diar. Ital. cap. 28. pag. 440. (4) Vide Melam l. 2. Gall. Narbon. Plin. l. 3. Strab. l. 4. Æſchylus a Strabone laudatus contigiſſe illa teſtatur in bello Herculis Liguſtico, Solin. cap. 2. *In Liguria quoque lapidarius campus, quod ibi eo* [Hercule] *dimicante, creduntur pluiſſe ſaxa.* (5) Vide, ſi lubet, Voſſ. de Idolatr. l. 1. c. 26. & Huet. Demonſt. Evang. prop. 4. (6) Ezech. XIII. 11. אבני אלגביש (7) Diodor. Sicul. Bibl. l. 11. ἐνταῦθα δὲ παραδόξως ὄμβρος καὶ μεγάλων κεραυνῶν πλῆθος ἐκ τοῦ περιέχοντος πεσόντος. πρὸς δὲ τούτοις τὴν χειμῶνα πέτρας μεγάλας ἀποῤῥαγείσας, εἰς τὸ στρατόπεδον τῶν βαρβάρων, &c. Vide & Herod. l. 8. c. 37.

aqueis & ſulphureis particulis ſimul conſtipatis compingi potuerunt; quidni contigerit, ut lapides, mole quidem minores, ſed copia majores, quales in Scriptura inſinuantur, ſive in ipſo aere formarentur, ſive ſaltem in aera ſublati lapideam grandinem gravem Chananæis reddiderint?

Ceſſatum eſt jam diu inter Doctos opinari cum Anaxagora, lapides e Cœlo interdum dilapſos, fruſtula eſſe ea lapidea Solis ſive aſtrorum maſſa divulſa; neque enim pronius eſt ut credamus, potuiſſe e Sole vel aſtris lapides divelli, in terram provolvendos, quam quod lapides ipſi e maſſa montium in æthera protrudi potuerint, quo ſe cum aliis ſolidis corporibus in vaſto materiæ æthereæ æquore natantibus conjungerent.

Cum vero exploratum habeatur, accidiſſe quandoque, ut immanes lapides in medio aere flammas conciperent, ac deinde, proprio pondere in terram ruerent; ſicut & viſas interdum lapideas procellas, non eſt plane cur de veritate prodigii Joſue ambigamus. Res eſt enim nihilo majorem extorquens fidem, quam cætera, rata ſine dubio, & omnium aſſenſu certiſſima. Hiſce autem formandis lapidibus neque prodigium, neque Angelorum miniſterium comminiſci cogimur, quod a Maſio, & Bonfrerio factum eſt, cum Phyſicæ regulis uti, ſalva adhuc prodigii veritate poſſimus. Neque enim imbre lapideo pluiſſe Cœlum mirandum eſt, ſed id potius monſtri loco habendum, quod procella ea data opportunitate hoſtes corripuerit, quod ad eam rem pararentur lapides, quod tandem cauſæ ſecundæ ad illum rei eventum diſponerentur, atque dato temporis articulo nimbus excuteretur in Chananæorum perniciem. Solet plerumque Deus res & cauſas naturales in prodigia ordinare, cum ſcilicet nova indita diſpoſitione ſuis implendis conſiliis determinat. Non creaturas ille novas educit, ſed novam creaturis diſpoſitionem indit. Cum in Hebræorum caſtra induceret coturnices, cum in Ægyptios muſcas immitteret, num ille novas in Orbem creaturas invexit, & non potius diſperſas per univerſam Orbis faciem prodigio congregavit?

Non ægre intelligimus, valido furente venti turbine avelli e rupe potuiſſe lapides, atque longiſſime transferri. Ignis etiam ſeu venti intra terræ viſcera compreſſi, vel clauſus in ſpecu aer lapſu quodam ſive humus, ſive petræ alicujus in arctum redactus, ſi qua forte aditum in patentem aerem perrumpant, obvia quæque omnia abripiunt, veluti inflammatus in bombarda pulvis, vel compreſſus in eadem bombarda aer globum ſecum rapit. Contigit id non raro in monte Veſuvio, & Ætna, unde ejaculati longiſſime lapides, arenæ, cineres in ipſo voraginis orificio deprehenſi, longe lateque terrorem intulerunt. Id igitur forte & in imbre lapidum accidit: lapides in aera ſive turbine rapti, ſive erumpentis e terra aeris vel ignis vi protruſi, proprio deinde pondere in terram reciderunt. Divinæ autem providentiæ virtute factum eſt, ut in eo effectu producendo certum temporis articulum & opportunitatem cauſæ ſecundæ ſervarent. Nihil hac hypotheſi aptius, ut prodigii veritas cum naturæ operationibus conſtaret.

Res eſt minus quidem cogitantibus prona, non tamen factu impoſſibilis, ut lapides in ipſis nubibus coaluiſſe intelligantur. Potuit enim pulvis, arena, terra turbine quodam commota in aera protrudi; quod iteratis exemplis quotidie contingere quis ignoret? Rore autem nubis pulvis ille madeſcens, conſtipari primum, deinde admixtione partium ſulphurearum, bituminoſarum, oleoſarum dureſcere; tum proprio adnitente pondere, vel cadentis nubis alliſu in terram ruens, adjecto vento & procellæ impetu, adeo gravis in capita Chananæorum impingi, ut paſſim miſeros occideret. Hucuſque prona ſunt omnia, nihilque naturæ leges prævertens. Prodigii autem vis in eo potiſſimum ſpectatur, quod adeo diſpoſita Dei juſſu, & Angelorum directione ſingula hæc contigerint, ut in ipſo deſcenſu Bethoron hoſtes corriperent.

Nec ego facile in animum induxerim, lapideas pluvias in veteri Romanorum hiſtoria non infrequentes, in ſupernaturalium cauſarum cenſum referendas eſſe; ut nimia pietate laborare videantur Scriptores illi, qui Cacodæmonis aſtu factum id arbitrantur; quaſi ſcilicet Dei æmulatione quadam, & continendis in ſuperſtitione populis prodigii ſpecie fallere incautos vellet (1), quod nempe ſolemne eſſet Gentilibus lapideæ pluviæ prodigium ſacro Novendiali expiare (2).

Ut vero ex duobus hiſce ſyſtematibus unum aliquod præferamus, ſive illud quod in textu Joſue vulgarem grandinem, ſive quod lapideam pluviam agnoſcit, credimus poſtremum ad literam magis, & ad mentem Sacri Scripturis accedere. Neque enim Scriptura grandinem tantummodo ſignificatura illis uteretur phraſibus: *Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de Cœlo*. Nimis enim ardua eſſet interpretatio, ſi lapidum nomine grandinem intelligere cogeremur, cum maxime ſola literæ inſpectio lapidum, non grandinis, ideam lectoribus ingerat. Ad hæc: *Cum pluit terra, cum pluit creta, cum pluit lapidibus, non ut grando appellari ſolet hoc nomine, ſed omnino lapidibus. Hæc profecto etiam graviter lædere potuerant.* Ita S. Auguſtinus (3). Si ergo de grandine tantum ageretur, nunquam plane uſurpatum fuiſſet nomen lapidum, & magnorum lapidum, neque lapidibus pluiſſe ſcriberetur. Addit poſt hæc omnia Scriptura, lapideæ grandinis procellam multo plures abſumpſiſſe ex Chananæis, quam quos Iſraelitarum gladius abſtulerat, quæ quidem de lapidibus, quam de grandine multo pronius intelliguntur.

Nec me fugit, contigiſſe aliquando, ut vi procellæ immanis quamdam grando excuteretur, qua valida etiam animalia ſternerentur; quemadmodum memoriæ proditum eſt de grandine a Deo in Ægyptum excuſſa, quæ homines, & pecudes ſubdio deprehenſas occidit (4). Sed quæ exercitum percuſſerit grando, majori in illum facta cæde, quam quæ victorum hoſtium gladio induceretur integra die omnium, quotquot unquam fuerunt, longiſſima, nulla unquam occurrit. Nonne pronius eſt ut credamus, eam cædem ad lapideam grandinem eſſe referendam, quæ miſeros ſex vel ſeptem horarum itinere, quantum deſcenſus Bethoron diſtat ab Azeca, perſecuta ſit? Voces illæ apud Hebræos, *lapides grandines*, non grandinem tantummodo ſignificant, duritie & magnitudine lapides referentem, quemadmodum contrariæ ſententiæ Authores inſinuare videntur; ſed prono ſenſu exprimunt grandinem lapidum, ſive lapides inſtar grandinis, eodem nempe impetu & copia ruentes. Plura ſuppetunt ſimilium phraſium, & tranſpoſitionum exempla: ita pro lampade incenſa *lampas ignis*, pro zelo ardenti *ignis zeli*, pro igne Urbi ſubjecto *Urbem in ignem convertere* uſurpatur.

Tandem ea generalis regula revocanda eſt, nunquam ſcilicet figurato, & improprio ſenſu utendum eſſe, cum litera ſatis pronum & naturalem alterum exhibet. Eſt autem, quam nos producimus, interpretatio literæ magis conſona, quippe quæ Textum legentibus prima occurrit, nihilque habet in contrarium, quod non facile diſſolvatur. Lapideam pluviam ad Phyſicæ regulas ita revocare conati ſumus, ut habeamus perſuaſum, nihil contra illam opponi, quod etiam contra grandinem non poſſit. In hoc autem hypotheſim de grandine ſuperat, quod Scripturæ literam pro ſe habeat. Quid igitur nos ab illa retraxerit?

DIS-

[1] Maſius in Joſue x. 11. [2] Alex. ab Alex. Gen. Dier. l. 5. c. 27. [3] De Civ. l. 3. c. 31. [4] Ex. 12. 25.

DISSERTATIO
DE REGIONE IN QUAM CHANANÆI PULSI A JOSUE SESE RECEPERUNT.

BEllum a Joſue cum Chananæis geſtum, viceſque, quibus mox ab Iſraelitarum ingreſſu univerſa illorum regio agitata fuit, maximi momenti res eſt, quæ ipſa granditate ſua ac ſingularitate animos lectione hujus hiſtoriæ occupatos maxime teneat. Integra gens, florentiſſima & potentiſſima jam inde a pluribus ſæculis, ad excidium ſententia damnata, peti ſe inopinato ſentit ab exercitu DC. M. virorum, quos Imperator agebat a Deo conſtitutus, ejuſque authoritate munitus, juſſionibus directus, ac tandem ſavore pollens. Quem inſuper aſtra, & elementa reverentur, qui vel ipſa prodigia militare pro ſe in hoſtes Domini ſui cogit. Accedebat Deus ipſe ſumme potens, exerta manu in Chananæos pugnans, terrorem in eorum exercitum incutiens, tum autem corda eorum obdurans, oculos ad ſaniora cognoſcenda conſilia obcæcans, ac tandem in tantis rerum anguſtiis arma ſumere cogens, quo ſcilicet in manus populi ſui illos traderet. Captos autem jubet Deus anathemati devoveri, cavens, ne quis unquam ex illis excidio totius gentis ſuperſtes eſſe permittatur; quin & omnia ſerro & igni expiari, ne quid reliqui maneat de gente, cuius crimina ad ſummum malorum deducta Cœlum ipſum ſolicitaverunt.

In ea Chananæarum rerum turbatione, partim ad arma pro defenſione rerum ſuarum confugerunt, atque æſtu belli abſumpti ſunt, partim præſentiſſimum periculum declinaturi, ſpontaneo exilio ſolum verterunt. Poſtquam igitur in noſtro Commentario bellorum Domini, atque armorum Joſue eventus omnes proſecuti ſumus, rectus rerum ordo poſtulat, ut de iis verba faciamus, qui celeri in alias regiones ſeceſſione ſaluti ſuæ conſuluerunt. Cum autem nuſpiam in Libris ſacris certa appareant loca, quo populus ille tranſmigrarit, nos varias orbis regiones percurrentes, illarum veſtigia, ſi quæ poterimus, detegere conabimur.

Qui de hoc argumento egerunt, non ſatis conveniunt inter ſe; alii enim in Ægyptum receſſiſſe Chananæos autumant, alii in oras Africæ, qua parte Occidentem, & Septemtrionem reſpicit. Sunt qui Europam tenuiſſe, ſunt qui Americam maluerint. Suſpicantur tandem alii, per varias Mediterranei Inſulas, & continentis loca varia ſparſos illos ſedes fixiſſe ſuas; quibus favere Scriptura (1) videtur, ubi diſperſos dicit Chananæos per varia Mundi clymata. Sed aliis unum omnibus locum aſſignare viſum eſt. Sunt qui ex ſeptem populis Chanaanitidem tenentibus ſingulorum portionem aliquam fugiſſe Iſraelitas cenſeant; ſunt viciſſim qui ſolos Jebuſæos, & Gergeſæos id cepiſſe conſilium ſtatuant. Hæc omnia modo in examen revocanda ſunt.

Authores Judæi narrant (2), ſub ipſum Chanaanitidis ingreſſum tria hæc populorum optioni a Joſue propoſita: Primum, ut libera eſſet ſingulis, qui maxime voluiſſent, recedendi facultas. Secundum, ſe excepturum eos, qui pacem poſtulaſſent, fœduſque ſe cum illis initurum. Tertium tandem, quicumque propoſitis conditionibus non annuiſſent, illis indicere ſe bellum ſcirent. Unus ſuper triginta Chananæorum Reges, bellum paci præferentes, exterminati ſunt. Gabaonitæ pacem elegerunt, & fœdus; Gergeſæi fugam in Africam. Paria ferme Maimonides prodit (3). Joſue, inquit ille, miſſis ad Principes Chananæorum caduceatoribus, hæc variis epiſtolis ſcripta denunciari mandavit. Ex illis aliæ habebant: *Fugam capiat, ſi quis maluerit*. Aliæ: *Dedat ſe quicumque voluerit*. Poſtremæ tandem: *Bellum eligat quicumque bello delectatur*. Addit autem ſolos Gergeſæos, Domini verbis fidem habentes, in Africam ſeceſſiſſe. Inter Hevæos, reliquis omnibus pacis conditiones propoſitas ſtatim recuſantibus, uni Gabaonitæ fœdus per dolum a Joſue ſubduxerunt. Cæteri omnes in bellum converſi ſunt.

Sed quem potiſſimum Africæ locum ſelegerunt Gergeſæi? Silent id quidem Rabbini; illud tantummodo prodentes, ſub Alexandro Magno (4) veniſſe illos poſtulatum a Rege, ut in propriam regionem, ab Hebræis olim uſurpatam, reſtituerentur. Vocati ad dicendum cauſam Judæi reſponderunt, nihil ſe quidem Gergeſæis debere; quin potius ſibi reſtituendos eſſe Gergeſeos tanquam mancipia fugitiva dominis, reficienda inſuper damna, quæ negata tot annorum ſervitute populo intulerant. Probant eam quidem Gergeſeorum ſervitutem ex maledicto Noemi in Chanaan, ex quo Gergeſei oriuntur: *Maledictus Chanaan: ſervus ſervorum erit* (5). Significant autem, nihil eſſe exploratum magis, quam quod fuga ſe ſubduxiſſent. Stabat jam Hebræis ſententia, eum Gergeſæi de cauſa ſua deſperantes, damnationem ſubita ſeceſſione eluſerunt. Hæc quidem Rabbini, nec ſane aliam merentur fidem, quam quæ præclaris tot fabularum fabricatoribus debetur. Joſue ipſe ſe teſtatur Gergeſæos viciſſe (6); quorum reliquiæ adhue Jeſu Chriſti ætate reſtabant (7). Sed hæc ſaltem, quamquam non vera, veterem demonſtrant traditionem, Gergeſæos ſcilicet in Africam tranſmigraſſe.

Narrant ex Rabbinis quidam (8), ſparſo adventus Hebræorum in ſuam provinciam rumore, atque eas illis deſtinari ſedes intelligentes, in fugam verſos, arva reliquiſſe, cæſis arboribus, & obſtructis fontibus deſerta, evertiſſe Urbes, ut novis incolis nihil præter ſolum maneret. Harum facile gentium (9) pars in Ægyptum, pars in Africam, Germaniam, & Illyricum ſeceſſit. Hanc de Germania opinionem propugnat Genebrardus, contendens, vaſtam illam regionem, non ſecus ac occidentalem omnem tractum, deſerta fuiſſe loca, quo tempore Chananæi diſperſi per Orbem errabundi vagabantur. Chananæos autem in ea tranſmigraſſe deſerta probat ex rudi illa extremaque barbarie veterum Germanorum, quos inter Scythas Plinius recenſet (10). Genebrardi judicium minus probaſſe Serarius videtur

(1) Eſdr. ix. 22. מתלקם לפאת (2) Gemarr. Ieroſol. tit. Schebiit c. 6. (3) Maimon. Halac Mel c. 6. (4) Talmudici Perek Chelech apud Schikard. de Iure Regni pag. 121. (5) Gen. ix. 24. (6) Joſue xxiv. 11. (7) Matth. viii. 28. (8) Targ. in cap. iii. 5. Cantic. (9) Vide in Seder-Olam & Geneb. Chron. ad an. 2709. (10) Plin. l. 4. cap. 12.

tur (1), in eo maxime quod ille io veteres Germanos iniquior fuerit, quamquam alioqui idem Serarius ultro fatetur, Rabbinum Abenezram, alioſque ante illum, conſtituiſſe in Germania Chananæos; ſicur & vernaculam Germanorum linguam aliquid habere cum Hebræa & cum Chaldaica potiſſimum affinitatis. Sed quam illi viam io Germaniam contendentes tenuerunt? Caſune, an data opera eo ſe contulerunt? Quam illi Germaoiæ regionem frequentarunt? Qua tandem conjectura de illorum in eam regionem adventu docemur? Ao Rabbinis ſolo verbo aſſerentibus credendum?

Non deſunt, (2) qui Chananæorum incommodo in longiori via percurrenda parcentes, non alio migraſſe illos credant, ſed agris cultis atqua commodis locis relictis in ardua cootendiſſe, ibique excifis in ſaxo ædibus ab Hebræorum armis io tutum ſe recepiſſe. Ex his cavernis, quæ veteri traditione effugium Chananæis præbuerunt, nonnullas extitiſſe ad Jerichuntem ſua etiam ætate, prodit Hiſtoriæ Lauſiacæ Scriptor Palladius. Sed hanc opinionem licer probabiliſſimam cenſeam, facile enim Chananæi in montibus ſeſe continentes, diutius ſedes ſuas deſenderunt, quam cæteri inferiora incolentes loca: vix tamen in animum induxerim, nihil ultra deferendum eſſe vetuſtiſſimæ de fuga Chananæorum traditioni, quam ut diffugiſſe illos ex inferioribus ad ſuperiora credamus. Quare gentis colonias in locis ab Hebræorum cognitione diſſitis quærendas nobis proponimus.

Recepta magis, quæque majorem veri ſpeciem præſeferat, ſententia docet, Chananæos fuga dilapſos in Africam migraſſe. Conſentiunt in hanc rem vetuſtiſſima Hebræorum ſcripta, quibus eruditiſſimi Interpretes ſuffragantur. Convenit & Gemarra Jeroſolymitana, cujus in ſuperioribus ſententiam produximus. Diffugiſſe primum in Ægyptum tradit Procopius *de Belle Vandalice lib.* 2. *c.* 10. ubi plus nimio aucti, cum ſibi in ea regione permiſſas ſedes anguſtiores pro oumero hominum experirentur, in imas Africæ regiones migrarunt; ubi excitatis Urbibus quamplurimis, atque per adjacentes regiones omnes diſſipati, totum late tractum ab Ægypto uſque ad Columnas Herculis occuparunt, veteri ſemper retento ſermone, nonnihil tamen corrupto, ſed non ita protſus, ut Phœniciam originem noo referret apertiſſime. Ejus gentis perpetuum monumentum, addit idem Procopius, extant in vetuſtiſſima urbe Tingitana, ab ipſis condita, marmoreæ candidæ columnæ duæ, juxta majorem fontem erectæ, hanc præferentes Phœniciis characteribus inſcriptionem (3): *Nos gens ſumus, qui prædonem Jeſum filium Nave fugientes, in tutum recepti ſumus*. Porro hos Tingitanæ urbis incolas regionem illam & ſedem & matrem habuiſſe, ut ex ea nati, non eo tranſlati fuiſſent, recepta erat Africanorum traditio; inde facile ducens originem, quod nulli hominum illis vetuſtiores agnoſcerentur. Ferebant autem, Antæum primum eorum Regem e terra prognatum, ſingulari prælio cum Hercule certaſſe.

Si vera prodat Procopius, fateamur oportet, ejus ſaltem ætate opinionem, quæ Tingitanos ex Chananæis fuga dilapſis ſub Joſue acceſſit, obtinuiſſe; quin & ea traditio jam inde a tempore erectæ geminæ columnæ [quas ſane multo vetuſtiores Procopio credere par eſt] repetenda videtur. Scitum eſt, Africæ laterales oras coloniis Phœnicum frequentatas fuiſſe, cum & linguæ, & moris, & Religionis, brevi originis Phœniciæ & Chananææ non obſcura extent in iis locis veſtigia, quin & de coloniis earum gentium varia mancant in hiſtoriis monumenta. Negocium facit tantummodu, quod tempora non ſemper conveniunt; vel ductæ coloniæ illæ multo quam Joſue ſerius ſeguntur, vel ſaltem omnia ſuot de illis incerta, & fabulis obvoluta.

Sed hiſce reponimus, I. Chananæos ſingillatim non ſimul omnes tranſmigraſſe. Fuga dilapſos plures ante Hebræorum in Chanaanitidem ingreſſum, verbis illis Dei facile inſiouatur (4): *Terrorem meum immittam in præcurſum tuum, & occidam omnem populum ad quem ingredieris, cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam, Emittens crabrones prius, qui fugabunt Hevæum, & Chananæum, & Hethæum antequam introeas. Non ejiciam eos a facie tua anno uno, ne terra in ſolitudinem redigatur. Paulatim expellam eos de conſpectu tuo, donec augearis, & poſſideas terram*. Alibi vero Deus præceſſurum ſe populo ſuo pollicetur, igniſque depopulantis more Chananæos correpturum (4). Et Author libri Sapientiæ (5): *Miſiſti anteceſſores exercitus tui veſpas, ut illos paulatim exterminarent, non quia impotens eras in bello ſubiicere impios juſtis, aut beſtiis ſævis, aut bello duro ſimul exterminare; ſed partibus judicans dabas locum penitentiæ*. Facile igitur vix ex Ægypto egreſſis Judæis, terror Chananæos inceſſit, ut fuga partim dilapſi ſaluti ſuæ conſulentes, in alias Provincias migrarint.

II. Non ingruente tantum bello per Joſoe geſto, ſed & poſt ajus obitum, variis datis occaſionibus, Chananæi ſolum vertere facile potueruot. Pari enim gradu Iſraelitarum res florentes, ac proſtratæ Chananæorum procedebant: illis paulatim creſcentibus, hi arctius ſemper concluſi, metu imminentis mortis, vel ſervitutis, ad alias ſedes facile diverterunt, cum maxime tutum haberent mari effugium, cujus penes ipſos ſemper, qua Phœniciam alluit, dominium, tum ante cum poſt Joſue obitum, manſit.

Deductæ inde coloniæ Phœnicum in Africam, Aſiam minorem, Hiſpanias, Græciam, omneſque Mediterranei Inſulas. Quis enim in animum induxerit unquam, unicas Tyri, & Sidonis Urbes, quarum etiam prior Joſue fortaſſe poſterior eſt (7), tot tantiſque coloniis ſufficiendis valuiſſe? Phœnicia, juxta indicatos in Scriptura fines, intra montes Libanum & Carmelum tota claudebatur, anguſtiſque oppido limitibus continebatur in extrema ſui ora, qua ad Jordanem inclinabat: quare vix eſt, ut tot regiones miſſis coloniis frequeotare potuerit. Exercebantur etiam Phœnices navigationibus, quarum tunc temporis peritia minor, & diſcrimen erat majus, cum & navigiorum fabricandorum rudior adhuc eſſet ars; quod quidem ejus gentis propagationi obſtare plurimum debuit. Cum antem alioqui exploratum habeatur, Phœnices circa ætatem Joſue infinitas pene colonias variis regionibus frequentandis miſiſſe; ductas illas ex Chananæis minime ambigimus; ex Chananæis, inquam, qui graviſſimo ab Hebræis incommodo affecti, Sidoniis conſcenſis navibus alio migrare coacti ſunt.

III. Eſto, incertum ſit tempus coloniarum Phœnicum: illas tamen omnes vetuſtiſſimas fuiſſe, & pleraſque bello Trojano antiquiores, inde iotelligimus, quod Græci e bello reduces ad quæcumque appellerent loca (8), coli jam inde a veteri ætate a Phœnicibus audiebant. Ita plane nobiſcum Græcorum Hiſtorici conveniunt. Porro bellum Trojanum poſt bis centum quadraginta annos ab obitu Joſue conſignatur; quare ſi ea temporis intercapedine inter Joſue & Salomonem, conſtitutas omnes illas colonias, & ex Chananæis fuga

(1) Serarius in Joſue cap. XII. q. 6. (2) Pallad. Hiſt. Lauſiac. cap. 106. (3) Ἡμεῖς ἐσμὲν οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ λῃστοῦ υἱοῦ Ναυῆ. (4) Exod. XXIII. 28. 29. (5) Deut. IX. 3. Vide & Deut. XXXII. 22. (6) Sap. XII. 8. (7) Vide Commentar. in Joſue XIX. 29. (8) Vide Bochar. Chanaan, & Horn. de Orig. Gent. Americ. l. 2, cap. 3. & 4.

fuga præſentiſſimo, ob Hebræos in dies magis per Chanaanitidem diffuſos, periculo ſubductis, conſtanter dixerimus, nemo falſi in nos crimen dixerit.

Salluſtius ex vetuſtis Commentariis Regum Numidiæ, Puniee ſcriptis, refert veterem Africanorum traditionem de adventu in Africam Herculis Tyrii vel Lybis, cum exercitu Medorum, Perſarum, & Armenorum; deſerendæ autem regionis ſuæ in cauſa fuiſſe tradit bella civilia ſive domeſtica. Addit inſuper, quos ſecum Hercules ducebat milites, mixto cum fœminis Lybicis connubio, ab aviti ſermonis puritate ſenſim degenerantes, eo redactos fuiſſe, ut neque priora retinentes nomina, Medi & Armeni mira prorſus & inſueta nominis corruptione *Mauruſii* appellarentur (1).

Hornius (2), ad eum Salluſtii locum meditationes adjungens ſuas, animadvertit, genuinum Herculis Africani nomen fuiſſe *Macerin*, teſte Pauſania *in Phocicis*. Porro nomen illud derivari potuit ex Hebræo, ſive Phœnicio *Mecboker*, ſapiens, perſcrutator. Armeni illi, de quibus Salluſtius, facile pro Aramæis vel Syris, ſeu potius Amorrhæis, ſub Hercule duce in Africam deductis, uſurpandi ſunt; cum autem Salluſtius gentem illam ne audiſſet quidem unquam, quippe quod nomen ipſum vel in propria illorum Regione jam obſoleviſſet, facile cum Armenis confudit; minus animadvertens, nomen *Mauri*, quo appellabantur, ſatis ad Amorrhæos acceſſiſſe. Quæ cum Salluſtium, uti jam diximus, laterent, ejus nominis originem deducta longe etymologia petivit, cum in promptu haberet originem, ſi rerum Chananæarum hiſtoriam noſſet. Quid Medi, niſi *Madianitæ*? Quid Perſæ, niſi *Phereſæi*? Perſarum enim & Medorum nomen Herculis Africani ætate nondum increbuerat.

Gomeres, populi noſtra etiam ætate in Mauritania noti (3), ex quibus regio Gomeritis in Lybia, & Gomera Inſula inter Canarias; Gomeres, inquam, ex Amorrhæis nomen ſuum derivaſſe Hornius autumat; quemadmodum & Canariæ Inſulæ, alio nomine Fortunatæ, ex Chananæis eidem Scriptori probantur (4).

Ad bella civilia & domeſtica, Herculem in alienam regionem propellentia, quod ſpectat, non abs re prorſus ipſiſſima eſſe creduntur, ab Iſraelitis identidem in reliquias Chananæorum poſt obitum Joſue geſta. Memoriæ proditum eſt bellum Juda, & Simeonis in Jebuſæos, Hethæos, & Phereſæos, qui aſſignatam iiſdem Tribubus ſortem occupabant (5). Nec forte ab aliis Tribubus in ſua ſingulis ſorte a bello ceſſatum eſt. Nota ſunt prælia Deboræ, & Barac in Jabin Regem Aſor (6); Gedeonis in Madianitas, tum & alia plura. His afflicti bellis Chananæi, ut libertati ſuæ conſulerent, ſolum vertere coacti ſunt. Potuit etiam Deus, ut ſua in impias gentes decreta executioni mandaret, eos inter ſe populos committere, ex quo fieret ut etiam ante Hebræorum adventum alius alium ab avitis ſedibus pelleret.

Porro ſententia Chananæos in Africam invehens, nec nova eſt, nec incerta. Vetera Urbium hujus regionis nomina ferme omnia Phœnicia ſunt. Ardanis, Hippona, Leptis, Utica, Tingis, aliæque plures, coloniæ ſunt Phœnicum, nemine refragante. Carthaginem omitto, Urbem nonniſi poſt Salomonis ætatem ædificatam. S. Auguſtini ætate, Africani de origine ſua requiſiti, Chananæos ſe [*Canani*] prodebant (7). Arabes hodienum tenent, Barbaros Africæ ex vetuſtis Palæſtinæ populis, qui in eas confugerint Regiones, repetendos eſſe. S. Hieronymus (8), S. Auguſtinus (9) & recentiores Critici agnoſcunt veteris linguæ Punicæ, & Chananææ conſenſum; ut plura in eam rem congerere fruſtraneus prorſus ſit & inutilis labor. Quare non ſine firmis conjecturis concludimus, Chananæos fere omnes, Iſraelitarum arma fuga declinantes, in Africæ regiones ſeſe recepiſſe.

Quæ tamen a nobis dicta non ita accipienda eſſe contendimus, ut alia petiiſſe loca Chananæorum nulli credantur; quamquam enim vaſtiſſimus ejus terræ tractus omnibus in ſedem ſufficeret; alia tamen ab aliis ſelecta loca credi par eſt. Ita Cappadoces, Colchos, Georgianos ſive Gurgeſtaros ex Caphtoritis & Gergeſæis derivant (10). Cilicum Author fuiſſe creditur Cilix, frater Cadmi, dux Cadmonæorum. Nec deſunt qui veteres Gigantes Sueviæ, & Norvegiæ ex ſtirpe Gigantum Chananæorum ſatos credant (11). Sinæi in Scriptura noti, facile patres fuerunt Sinenſium. Inſulæ Siciliæ, Sardiniæ, Melitæ, Cypri, Corcyræ, Baleares, Gaditanæ, aliæque plures, incolas habuerunt Phœnices. Sardiniæ nomen derivatur a Sardo filio Herculis Africani (12). Author anonymus, ſub Alexandro Severo ſcribens, primos Balearium, & Gadium incolas ex Chananæis, & Jebuſæis a Joſue pulſis accerſit. Ex his poſtremis nomen inditum eſt Ebuſeæ Inſulæ non longe ab Hiſpania (13). Cadmus Thebarum conditor, patrem habuit, ex Suida, Agenorem ſive Ogygem, qui ipſiſſimus eſt Og Rex Baſan. Inachiæ, ſeu filii Inachi in tota Græcia celebratiſſimi, non alii creduntur ab *Enacim*, ſeu filiis Enach, robore virium, & ſtrenuitate in Scriptura notiſſimis (14). Phœnicum, ſive *Penicim*, nomen olim toto orbe clarum, ex Hebræo *Beneanak* aliqui accerſunt. Nec tamen fidem meam obligaverim, ut hæc omnia, quæ de origine earum gentium retulimus, quod ſcilicet ex Chananæis per Hebræos pulſis deriventur, rata ſint & firma; verum liquido conſtat, eas conjecturas plerumque veritati hiſtoricæ nihil prorſus repugnare; & ſi minus quidem in promptu ſit demonſtrare, omnes eas colonias ætate Joſue fuiſſe deductas, negaverit tamen nemo, majorem illarum partem ex Chananæis eſſe accerſendas, non diu poſt ſummi illius Ducis obitum conſtitutas.

In hiſtoria, vel ſi mavis fabula Cadmi tot deprehenduntur originis Chananææ veſtigia, ut ſcrupulos ea de re omnes evellant. Tempus deductæ coloniæ cum ingreſſu Joſue in Chanaanitidem fere congruit; narrat enim jacta a Cadmo, unacum fratre Phœnice, Regni Tyrii & Sidonii fundamenta A. M. 2549. ante Chriſtum 1415. quinempe annus congruit cum anno trigeſimo ſeptimo itineris Hebræorum per deſertum ſub Moyſe duce: ac triennio ante ingreſſum Joſue in Chanaanitidem, Cadmus ipſe in Græciam ſeſe recepit. Conſignatur idem ejus adventus in Græciam, & conditæ Thebarum Urbis epocha in marmore Arundelliano ad annum 64. Æræ Atticæ, nempe annum 3195. Periodi Julianæ, & ante Chriſtum 1519. Sub hæc tempora Moyſes apud ſocerum ſuum Jethro in Madianitide verſabatur. Qua ſemel admiſſa ſupputatione, immerito prorſus reputabimus, Cadmum Hebræorum metu e Chanaanitide ſeſe ſubduxiſſe, cum nulla adhuc expeditionis Hebræorum in eam regionem conſilia prodiiſſent. Prior eſt ergo epocha retinenda, vel deſe-

(1) Salluſt. de Bel. Jugurth. (2) Horn. loc. cit. l. 2. c. 3. pag. 75. (3) Vide Anton. Nebriſſ. Decad. 2. Rer. Hiſpan. (4) Vide Hornium l. 2. cap. 9. (5) Judic. 1. 34 &c. (6) Judic. iv. & v. & Judic. 1. 5. 6. &c. (7) Expoſit. inchoat. Ep. ad Rom. *Interrogati ruſtici noſtri, quid ſint, Punice reſpondens: Canani.* (8) Tradit Hebr. in Gen. Idem in Jerem. cap. 25. &c. (9) In Judic. q. 16. & ſerm. 35. de verb. Domini. (10) Vide Horn. de orig. gent. Americ. l. 2. c. 3. pag. 73. 74. (11) Arngrimus Jonas apud eundem. (12) Vide Pauſan. in Phoc. (13) Boch. Chanaan l. 4. c. 36. (14) Vide Grot. in Num. xiv. 23.

Digitized by Google

deſerenda opinio, quæ inter transfugas Chanaanitidis virum accenſet. Facile ſe ab hac expediunt difficultate illi, qui Hebræorum in Ægypto moram ad quatuor centum triginta ſolidos annos prorogant; ſed nullo noſtro periculo defendere nos cogimur, Ducis hujus in Greciam itineris in cauſa fuiſſe illata a Joſue in Chanaanitidem arma.

Extat inſcriptio quędam Herculis Maguſani legenda in urbe Vveſtcappel, qui portus eſt Zeelandiæ, in Inſula Vvalcheren; hunc autem Herculem D. Gallæus coęvum Moyſi facit, ductoremque eorum, qui Palæſtinam ad ingreſſum Joſue filii Nun deſeruerunt. Ab illo vero poſitas ferunt columnas illas Herculis Gaditanas. Referebat pictus imaginem veteris cujuſdam navis gubernatoris, ſemicalva fronte, facie veluti Sole aduſta. Ritu Phœnicio ut Numen colebatur in Templo, in eadem urbe Vveſtcappel ædificato. Porro nomen *Maguſanus*, ex Chaldæo *Gouz* derivatum, ſonat *abſcindere*, & per metaphoram eſt *tranſire* ſeu *pertranſire*: ita naves & vadum fluminis Chaldei appellant *Megza*. Legitur etiam in 2. Regum XIX. 17. & 1. Eſdræ XVI. 2. vox *megiſau* pro *tranſvadare*. Nullus eſt profecto ambigendi locus, Herculem Gaditanum, ſive e poſteris ejus aliquem, vel ſaltem quempiam ex Phœnicibus, cui par eſſet cognomen, ultra Gaditanum fretum excurriſſe; narrant enim de Hercule, totum ab illo orbis ambitum maritimo itinere decurſum, cui etiam Diodorus Alectam Septimaniæ urbem conditam tribuit.

De origine gentium Americanarum hucuſque diſceptatum eſt apud Doctos; & omnes licet eruditionis ſuæ nervos in eam rem contulerint, nihil vel parum adhuc profecerunt. Obſcura ſunt omnia, & incerta. Cum tamen ex Chananæis e Palæſtina egreſſis deriventur a pluribus, eorum nos ſententiam modo diſcutiendam proponimus.

In ipſo autem limine operæ pretium ducimus adnotare, inter eos etiam, qui ſententiam illam propugnant, de ratione Chananæos in Americam tranſvehendi non ſatis convenire. Sunt qui autumant, populos illos conſcenſis Sidoniis navibus fortuito caſu tempeſtate aliqua jactatos ex Mediterraneo in Oceanum, inde vero in Americam depulſos (1). Iſte maris trajectus, quod longior plus nimio, atque difficilis videatur, ita a nonnullis contrahitur: appuliſſe illos primo in Africam credunt, deinde ad inſulas Canarias, e quibus recta in Americam (2).

Conjecturæ pro aſſerenda Americanorum ex Phœnicibus origine, plerumque ex morum, linguæ, & Religionis inter utraſque gentes affinitate petuntur. Mexicanorum Numina Saturno Phœnicum, Moloch Ammonitarum ex æquo reſpondent (3). Æreum eſt ſimulacrum, monſtroſum, ſubjecto igne candeſcens, cui humanis victimis litatur. Familiare eſt etiam apud Americanos, quod etiam obtinuiſſe apud Phœnices ex Scriptura compertum eſt, ut per ignem tranſiliant; quod ipſiſſimum eſt *luſtrari per ignem*, recurrens ſæpe in Scriptura (4). Ipſa etiam Chananæorum crimina in novum Mundum tranſvecta ſunt: impudicæ, & inceſtæ commixtiones, ſodomia, polygamia, divortia; neque ignotus ipſis, quemadmodum olim Phœnicibus, Solis & Lunæ cultus. Gigantes apud Americanos ſpectantur. Stigmata ſibi inducunt, tum & acervos lapidum in honorem Numinum erigunt. Qui tandem Americanæ linguæ ſtudio delectantur, plurium vocum cum Hebræa, & Phœnicia ſimilitudinem animadvertunt (5). Animadvertit Manaſſe Ben-Iſrael (6), populos Jucatan, & Acuſainil circumciſione initiari; aliaſque Americæ gentes, cum triſti aliquo nuncio percelluntur, veſtes ſcindere; Incolas Americæ & Toton æternum ignem nutrire in Altari; puerperas recentes ingreſſu Fani probibere; Incolas Inſulæ, quæ vocatur Hiſpanica, nefas putare, ſi quis fœminam menſtruis laborantem ineat; in oppido Mereiq Jubilæum quinquaginta quibuſque annis ritu ſolemni celebrari; oblatiſque in Fano ſingulis Sabbathis ſacrificiis adeſſe. Divortium ab uxore juſtis de cauſis habent. Plures in Peruvia & nova Hiſpania uxorem fratris, fratre ſine liberis obeunte, ducebant (7). Omnia ſimul hæc non exigui ſunt in hanc ſententiam momenti; ſed illud operoſum eſt maxime, qui nempe fieri potuerit, ut tam vaſtum intarjecti maris ſpatium trajicerent.

D. Huetius Epiſcopus Abrincenſis (8) caſu id factum cenſet; cum enim, inquit, fretum Gaditanum populi illi ſæpius trajicere conſueviſſent, quo in Oceanum ad Africæ ſive Europæ litora tranſirent, factum ſemel, ut prorogata navigatione ſub ipſam uſque lineam pervaderent: cum autem ventorum arbitrio nunquam quieſcentium, & ex oriente in occidentem flantium ducerentur, ad Americam uſque, ne cogitantes quidem, evectos eſſe. Ut Regionem tenuerunt, loci amœnitate illecti, atque infauſtæ navigationis timore a regreſſu deterriti, cum maxime venti fere ſemper flarent adverſi, moram ibi ſuam conſtituerunt. Ex quo factum, ut novis incolis frequentaretur regio, quorum ne nuncius quidem ad eos veniſſet.

Hornius in ea eſt ſententia, navigationem ex Africa, & Hiſpania in Americam ſæpius a Phœnicibus iteratam, adductoque Strabonis teſtimonio demonſtrat, longas navigationes ejus gentis in Oceano Atlantico tota antiquitate celebratas fuiſſe. Addit inſuper ex eodem Strabone, Eudoxio, ex ſinu Arabico ad Indiam, & Æthiopiam naviganti, viſam proram Phœniciam, miſerum naufragæ navis indicium. Porro Phœniciam fuiſſe navim ex inſculpto equino capite agnovit, & Gaditici Negociatores unum eſſe affirmarunt ex navigiis piſcatoriis. Veteres Scriptores, Phœnicias claſſes omnia late maria percurriſſe teſtantur. Quam autem Hanno Carthaginienſis obivit circum Africam navigationem, hanc magis arduam fuiſſe defendit Hornius, quam quæ ex Africa in Americam inſtituitur. Nam ex Inſulis Fortunatis in Americam quindecim dierum navigatione ſecundo vento flante trajici poſſe, Acoſta teſtatur. Porro Phœnices Inſulas Fortunatas frequentaſſe, ignorat nemo, potuerunt autem inde ſolvantes ſive induſtria ſive caſu in Americam adnavigare. Paria ferme Laetius animadvertit (9). Phœnices ex Africa ad Canarias ferri, inde ad Inſulas Fortunatas, unde in Americam. Ipſum Canariarum nomen ex Chananæis derivaſſe Hornium, ſupra notavimus.

Neque poſſibilem tantummodo Phœnicum in Americam trajectionem ipſe Hornius demonſtrare conatur; quin & accidiſſe, ut tres ad illam navigationes reipſa inſtituerent, ita plane oſtendit. Prima ad ea loca navigatio ſub Athlantibus, poſteris nempe clariſſimi Athlantis, conſignanda eſt; cum enim, inquit, populi illi Oceanum emetirentur, nomen pelago ſuum reliquerunt, (Oceano Athlantico): huc autem illucque per vaſtum pelagi tractum diſcurrentes, accidit tandem, ut Inſulas novi Orbis tenerent, quas Athlanticas de ſuo nomine appellarunt. Porro idem Inſularum nomen didiciſſe conſtat Platonem ex Sa-

(1) Vide l'Eſcarbot, hiſt. Nov. Franc. l. 1. c. 3. (2) Vide Grot. in Deut, XVIII. 10. & Notas Joan. de Laet. in diſſert. Hugon. Grot & aliorum de orig. gent. Americ. & Horn. de orig. gent. Americ. l. 2. c. 5. (3) Vide noſtr. diſſert. de Moloch. (4) Deuter. XVIII. 10. & 2. Paralip. XXVIII. 3. (5) Vide Horn. l. 2. c. 10. 11. (6) In Lib. cui tit. Spes Iſrael. (7) Vide Horn. lib. 2. cap. 10. art. 19. (8) Demonſtr. Evang. propoſ. 4. art. 6. pag. 83. (9) Obſerv. 1. pag. 136. in Brereydi ſententiam,

Digitized by Google

Sacerdotibus Ægyptiis, qui totius antiquitatis depoſitum ſancte cuſtodiebant (1). Diodorus Siculus lib. v. non ſatis eas Inſulas a Canariis diſtinxit. Diluvium autem illud, cujus apud Americanos traditio ſervatur, ipſum eſſe Hornius ſuſpicatur, quod in Inſula Athlantica contigiſſe iidem Sacerdotes affirmarunt; addentes, integro unius diei & noctis ſpatio totam eam Inſulam aquis demerſam fuiſſe.

Altera Phœnicum in Americam navigatio (2) apud Diodorum Siculum lib. 2. cap. 19. ita ferme deſcribitur. In remotiſſima hominum ætate Phœnices Herculis columnas navigatione tranſgreſſi, cum furenti ventorum rabie ſubito abrepti ſuſtinere adhuc navigia non poſſent, tempeſtatis arbitrio ſeſe permittentes, in ulteriora Oceani raptati, poſt varias huc illuc agitationes tandem in Inſulam Oceani Athlantici plurium dierum navigatione a Lybia diſtantem, occidentem verſus, jactati ſunt; ubi ferax nacti ſolum, amnes navigia patientes, ac magnificas ædes. Ex his novæ inventæ Inſulæ fama & cognitio ad Carthaginienſes & Tyrrhenos; inter quos populos, Carthaginienſes cum frequentibus Tyrrhenorum aliorumque populorum Mauritaniæ irruptionibus quotidiano premerentur incommodo, inſtructa claſſe, & Gaditanum tranſgreſſi fretum, coloniam ad novam illam Inſulam deduxerunt, re interim omnes cælata, eo conſilio, ut ab impetu hoſtili ſi quando adigerentur, tutum illic haberent effugium. Narrant alii, inventam caſu Inſulam Carthaginienſes plures injuſſu Magiſtratuum frequentaſſe: re autem intellecta, Magiſtratus, metu ne ſenſim tota Urbs in novas ſedes migraret, ne quis ultra eo adnavigaret capitali pœna prohibuiſſe.

Tertio tandem Phœnicias Salomonis claſſes in Americam adnavigaſſe tenet; ſive illæ e Mediterraneo ſolverint, uti maluerunt nonnulli (3), ſive ex Erythræo, uti communis habet opinio. Utrimque enim triennali navigatione in Americam commode trajicitur. Virum autem rerum cognitione experriſſimum Salomonem, hujus non infimæ, atque tot naturæ portentis illuſtris terrarum orbis portionis ſitum ignoraſſe vix credimus, Scitum eſt, plures eruditione præſtantes Interpretes ad eas uſque regiones Salomonis claſſem deduxiſſe (4). Columbus ſodinas ſe, & profundiſſimos ſpecus vidiſſe teſtatur, unde erutum credit aurum, onerandis claſſibus ejuſdem Principis. Hæ potiſſimæ ſunt conjecturæ, quibus probant, Chananæos e Palæſtina ab Hebræis pulſos, in Africam primum, deinde in Americam divertiſſe; quibus ita conſtitutis, ita nos philoſophamur.

I. Vix contigiſſe credimus, ut Chananæi e portubus Sidoniis ſolventes, una cum uxoribus & filiis, vi tempeſtatis in Americam uſque jactarentur; longo enim & arduo maris tractui percurrendo, in ſumma furentis & pelagi & venti agitatione, nunquam paria fuiſſent navigia rudi ejus ætatis arte fabricata; neque etiam commeatus tam longæ navigationi ſufficientes comparaſſe illos credimus, cum maxime navigia haberent impedimentis vehendis minus apta. Hæc citra prodigium contingere debuere, neque enim prodigium ulla probabili conjectura ſuadetur; atque ii omnes, qui de tranſmigratione Chananæorum ſyſtemata excogitarunt, nunquam ſibi ad prodigium confugiendum duxerunt.

II. Ultro quidem fatemur, ex Africa in Americam tranſitum re quidem fuiſſe poſſibilem; ſed nulla ſatis firma conjectura probatur, Phœnices, vel Africanos in eas regiones penetraſſe. Eſto, non omnia quæ a Platone produntur, ſint fabuloſa; ſed vera a falſis ſecernere quis poſſit? Inſula, de qua Diodorus, una erat ex Canariis, quo ſane Phœnices penetraſſe nullus dubito; ſed quid Canariæ ad Americam? Tandem certum aliquid vix deducitur e re incertiſſima, qualis certe habendus eſt locus claſſibus Salomonis frequentatus: quamvis vero ea claſſis in Americam navigarit quid inde? An Phœnices idcirco ſive ante ſive poſt navigationem illam Americam frequentarunt? Maneat igitur incertum, primos Americæ cultores Phœnices eſſe reputandos; incertiſſimum, Chananæos, Joſue ſive arma Iſraelitarum fugientes eo uſque penetraſſe.

Non deſunt etiam, qui ſuſpicentur, Chananæos, gentem anathemati devotam, nunquam regionem ſuam deſeruiſſe, ut ſcilicet Divini gladii, & armorum Hebræorum ultioni ſubjicerentur. Ea ſane res Scripturæ verbis in ambiguo relinquitur (5): *Multo tempore pugnavit Joſue contra Reges iſtos. Non fuit Civitas, quæ ſe traderet filiis Iſrael, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon; omnes enim bellando cepit. Domini enim ſententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſrael, & caderent, & non mererentur ultra clementiam, ac perirent, ſicut præceperat Dominus Moyſi*. Hæc ſane expreſſa videntur in eos, qui partem Chananæorum fuga dilapſos abiiſſe tuentur. Congruit huic opinioni & fides hiſtoriæ. Ex omnibus Chananææ populis ne unus quidem legitur, qui manus vel cum Moyſe, vel cum Joſue non conſeruerit. Amorrhæos domuit Moyſes in prælio Transjordanico (6); Hevæos, Chananæos, Phereſæos, Jebuſæos, Hethæos, & Amorrhæorum partem, qui ſub Jabin, aliiſque fœderatis Regibus pugnabant, ſecundis præliis Joſue proſtravit (7). Enacim, montium Hebron & adjacentis regionis incolæ, deleti ſunt (8). Adonibeſech Rex Jeruſalem ſive Jebuſæorum, fœderati quinque Regum exercitus Imperator, una cum ſociis Regibus, & reliquo exercitu in obſidione Gabaonis commiſſo prælio interiit (9). Tandem Joſue ducto cenſu devictorum Regum xxxi. enumerat, quorum regio inter Iſraelitas diviſa eſt (10). Hiſce Regibus, uti ex eadem Scriptura conſtat, parebant Hethæi, Amorrhæi, Chananæi, Phereſæi, Hevæi, & Jebuſæi. Tandem idem Joſue victorias Hebræorum pro concione ad populum exponens, Gergeſæos hiſce omnibus devictis populis accenſet (11). Indigitet mihi, quicumque voluerit, regionem aliquam, ſive Urbem, quæ ab incolis, vel civibus deſerta, a victoribus Iſraelitis occuparetur: facilius plane continget, ut veteres cives occurrant, qui vel ipſis invitis Hebræis ſedes ſuas retinuerint. Videbatur etiam Divinæ Providentiæ conſilio conducere magis, ut populus in regione pervicacius manens, omnes criminum ſuorum pœnas pro merito exſolveret: quod ſane a Domino prædictum antea, Hebræis executioni mandandum committebatur.

Sed hiſce adhuc reponi poteſt, non omnes quidem ſimul Chananæos, prioribus relictis ſedibus, alio migraſſe; quare contingere potuiſſe, ut e ſingulis portio in ſua regione maneret. Supra jam animadvertimus, Chananitarum partem ante ipſum Joſue adventum ſolum facile vertiſſe: verterunt & alii, cum bellum Joſue Chananæos urgeret, quorum etiam exemplum fortaſſe alii ſecuti ſunt poſt Ducis illius obitum. Certum ejus tranſmigrationis tempus nonniſi temere definiatur, ſilente Scriptura; ſed tranſmigraſſe reipſa, vix eſt cur in apertiſſimo Scripturæ teſtimonio negemus (12): *Emittens crabrones prius, qui fugabunt Hevæum, &c.* quæ verba alibi etiam incul-

can-

(1) Plato in Timæo & in Critia. (2) Hor. l. 6. c. 7. (3) Horn. Ibid. c. 5. (4) Vatab. Arias Montanus &c. (5) Joſue xi. 18. 19. 20. (6) Vide Num. xxi. 21. &c. (7) Joſua 11. 1. (8) Ibid. 21. ℣. 21. (9) Joſue x. 23. (10) Joſue xiii. 9. &c. (11) Joſue xxiv. 11. (12) Exod. xxiii. 28.

cantur (1); atque executioni mandata fuiſſe Dei promiſſa Joſue (2) & Author Sapientiæ teſtantur: *Tranſiſtis Jordanem, & veniſtis ad Jericho. Pugnaverunt contra vos viri civitatis ejus, Amorrhæus, Phereſæus, Chananæus, Hethæus, Gergeſæus, Hevæus, & Jebuſæus; & tradidi illos in manus veſtras: miſique ante vos crabrones, & ejeci eos de locis ſuis, duos Reges Amorrhæorum, non in gladio, nec in arcu tuo.*

Nullus dubito, Deum promiſſiones ſuas Iſraelitis factas ita plane executioni mandaſſe, quomodo fidem ſuam obligaverat, depulſis nempe hoſtibus *paulatim, atque per partes*: quod ſane ab illo præſtitum eſt non tantum cum Regibus Sehon, & Og, quemadmodum textus Joſue inſinuare videtur, ſed etiam cum Chananæis cæteris, quemadmodum Moyſes pro concione ad populum locutus paulo ante obitum ſuum, & aliquanto poſt devictos duos Reges Amorrhæorum, demonſtrat (3). In ea oratione Legislator Divinas promiſſiones, quibus Deus fidem ſuam Iſraelitis caſtra habentibus ad Sinai ante quadraginta annos obligaverat, in memoriam revocat. Non eſt igitur cur miremur, ſi nullæ Urbes, & regiones continuo occurrant dilapſo habitatore deſertæ, id enim ſenſim factum eſt, nulla interim regione ita derelicta, ut in deſertum converteretur.

Nec diſſimili ratione factum eſt, ut Joſue tos devictos Chananæos Reges recenſere potuerit, nullusque relinqueretur in ea gente populus Hebræorum armis intactus. Quemadmodum enim Gabaonitæ, a reliquis Hevæis diviſi, fœdus cum Iſraelitis ſanxerunt; ita etiam contingere potuit, ut pars Gergeſæorum, & Jebuſæorum, a reliquis ſecedens, ſaluti ſuæ fuga conſuleret; cum interim cæteri conferendis cum populo Dei manibus occuparentur. In vacuas eorum ſedes alii Chananæorum ſuccedebant, quorum animos Deus obfirmaverat, ne data ſibi reſipiſcendi opportunitate uterentur. Providentia autem Dei, quæ miro occultoque conſilio publicas plerumque calamitates magnis ſervire vicibus populorum, gentium, nationum & regionum jubet, ingreſſum Iſraelitarum in Chananitidem ſervire voluit diſpergendis in varia loca, ac potiſſimum in Inſulas Mediterranei, & in Africam, Chananæis, iiſque conditoribus clariſſimorum Imperiorum, ſimulque infrequentium antea regionum frequentatoribus uſa eſt. Hæc ad noſtram Diſſertationem, tum & argumentum quod tractamus, maxime conducere viſa ſunt. Quæ de origine Americanorum a Judæis derivata feruntur, in alteram Diſſertationem rejicimus (4).

IN TABULAM GEOGRAPHICAM
TERRÆ PROMISSIONIS
ANIMADVERSIONES.

QUanti ſit ad rectam Sacræ Scripturæ intelligentiam ſcientia Geographiæ ſacræ, certum ſitum determinantis locorum, de quibus in eadem Scriptura, perſuaſum omnibus ſatis ſcio. Ejus neceſſitatem noſcentes Euſebius & S. Hieronymus, peculiarem in eam ſcientiam operam contulerunt. Poſt ſacra Crucigerorum bella plures ex noſtris laudabili huic ſtudio addicti, ad ſacra illa loca oculis ſuis luſtranda ſe contulerunt, atque uberem ejus rei cognitionum meſſem retulerunt ſibi, & nobis communicarunt. Tandem hiſce Veterum & Recentiorum documentis adjuti doctiſſimi quidam ex noſtris Geographis, tabulas & methodos Geographicas digeſſerunt, quibus in Sacrorum Librorum lectione magis magiſque juvaremur. Adrichomius inter cæteros excellit maxime, tum amplioris Operis volumine, tum & methodo & diligentia, facem præferens cæteris omnibus, qui eamdem poſt illum viam ita triverunt, ut præcedentis tanquam veſtigia relegere viderentur.

Quareſmius, Samſonius, Du Val, de la Rue, Cellarius, Hortelius, Bonfrerius, P. Lubinus, P. Lamy Oratorii, Ligfootus, ut cæteros ſileam, argumentum hoc maxime illuſtrarunt; ſed adnitentibus illis plurimum, adhuc ſupereſt emendandum in tabulis. Quantæ adhuc in Geographia Sacra tenebræ!

Quod maxime neceſſitatem errandi fecit Geographis, illud reputandum eſt, quod certam locis omnibus, de quibus in Sacra Scriptura, & Joſepho, ſedem determinandam ſuſceperint. Factum inde, ut caſu multa ſignarentur in tabulis locorum nomina, quorum incertiſſimus ſitus, & nihil exploratum habetur, præter quam quod ad hanc vel illam Tribum aut regionem pertinerent. Lectores interim, qui in ambiguo verſantur, commodum ſibi arripiunt, quæcumque oculis ſubjecta vident, omnia indiſcriminatim admittendi, rati, certum illum eſſe naturalem locorum ſitum. Poſt priores illos, ſuccedentes Geographi, alter alterum exſcribentes, ut moris eſt, perpetuam faciunt errorum tum ſucceſſionem, tum etiam pene ad infinitum propagationem.

Alteram errandi occaſionem præbet Hebraici idiomatis & etymologiarum ignoratio. Plures inde Urbes in unam confuſæ, ex una plures factæ, quod ſcilicet genuina vocum ſignificatio lateret. Sunt e. g. una & eadem Urbs *Bethſemes*, & *Hirſemes*; ſicut & *Gazer*, *Gazera*, *Gezer*, *Gezera*, *Gezeroth*, *Gezerothaim*, *Gizeror*, *Gideroth*, *Gadarath*, *Gaderoth*, una & eadem *Aſor*, & *Eſrom*, *Hazerim* &c. cum interim varia hæc nomina totidem Urbium credita ſint. Confuſa ſunt viciſſim hæc duo diſcretarum Urbium nomina, *Thamar*, *Hazazon-thamar*. Thamar in Hebræo palmam, arborem in regione frequentiſſimam, exprimit, cujus nomine plura in Palæſtina loca cenſentur. Urbes Palæſtinæ pleræque in collibus eminebant; hinc toties recurrunt nomina Gabaa, Gabbaton, Gabbatha, Gabaon, ſicut & Ramath, Ramoth, Ramathaim, Remmon: quibus vocibus collis, vel editus aliquis locus deſignatur. Idem ferme ſpectes in nominibus Urbium Beer, Beroth, Bera, Berothaim: Ain, Enna, Ennon, Enam; quarum etymon e puteis ſive fontibus ibi frequentibus. Non ita vero reputandum eſt, quaſi *Beer*, Bera, Beroth, Berothaim loca ſemper inter ſe diverſa ſignificent; ſunt enim interdum unius ejuſdemque ſynonyma. Simili exemplo voces Beth, Hir, Ca-

(1) Deut. VII. 20. (2) Joſue XXIV. 12. & Sap. XII. 8. (3) Deut. VII. 20. 21. 23. (4) Vide Diſſert. in Regionem, quo decem Tribus ſeſe receperunt.

Digitized by Google



[1] Vide Comment. in Joſue XIII. 5. [2] 1. Reg. XXVIII. 8. Hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus contibus Sur, uſque ad terram Ægypti. [3] Geneſ. XLVIII. 6. [4] Joſue X. 41. & XI. 16. & XV. 51. [5] Num. XXXIV. 3. 4. 5. [6] Joſue XIII. 3.

nihil exploratum habetur, præter quam quod ad

[illegible] ſignificent; ſunt enim interdum unius ejuſdemque ſynonyma. Simili exemplo voces Beth, Hir, Ca-

(1) Deut. VII. 20. (2) Joſue XXIV. 12. & Sap. XII. 8. (3) Deut. VII. 20. 21. 23. (4) Vide Dilect. in Regionem, quo decem Tribus ſeſe receperunt.

Digitized by Google

Cariat, vel Hazer, Aſor, Hazerim, alteri cuique nomini adjectæ, nihil aliud ſignificant, quam *Urbs*, *manſio*, vel *atrium*; quare indiſcriminatim uſurpatur *Arbee*, vel *Cariat-Arbee*, *Lebem*, ſive *Beth-Lebem*, *Ennon* & *Hazer Ennon*. His ambagibus implicantur quicumque Hebraicum idioma vel non ſatis callent, vel ignorant. Huc pariter referenda vitia illa orthographiæ in propriorum nominum adſcriptionibus, quibus adeo fœdantur Tabulæ, ut vix ultra agnoſcantur. *Carat-jarim Cariat-baal*, Baal, Baala, Baalim Juda, Sedei-jarim plura ſunt ejuſdem Urbis nomina: & *Gabaa* in 1. Regum VII. 1. nihil eſt aliud quam collis *Cariat-jarim*. Ramatha, Prophetæ Samuelis ſedes, alia plane fuit ab Urbe cognomine, inter Liddam & Jeruſalem, in via ex Joppe Jeroſolymam; Ramatha enim Samuelis, cui agnomen Ramatha-Sophim, ſita erat in montibus Ephraim 1. Reg. I. 1. multo plane ſeptentrionalior. Bozra, Boſtra, Beſor, & Bozor unius ſunt Urbis nomina in Transjordanis & in Tribu Ruben, viginti quinque millibus paſſuum ad Edrai.

Nec parum offundendis veritati tenebris contulit nimia Itinerantium credulitas. Quo tempore Crucesignatorum armis Terræ Sanctæ loca ceſſerunt, diſcurrentes regionem Chriſtiani, ea ſemel inducti perſuaſione, quæ Joſue & Joſephi ætate nota fuiſſent, ſibi etiam occurſura omnia, ad minimam nominum vel ſitus affinitatem, vel ſimilem aliquam conjecturam, ſtatim, veluti ſibi exploratum, pronunciabant hanc Bethuliam eſſe; hic quercum Mambre, vel ſpeluncam Loth, illic Terebinthum Jacob, Sepulcrum Adami, domum Cleophæ, juniperum Eliæ, fontem Agar, vel *Caſtellum, quod contra vos eſt*, & alia hujus generis ſexcenta.

Poſtquam Saracenis & Turcis loca paruerunt, rara illa monumenta, unde Geographiæ aliquid ſubſidii pareretur, vel gentis, vel temporis injuria omnia deſtructa ſunt. Regionem diſcurrentes prædones & Arabes deſertam ferme reddiderunt, ut noſtra pariter ætate tutum non ſit euntibus per ea loca iter, niſi cum illis, quas vocant, *Caravanis*, conſtantem ſemper viam tenentibus, neque divertere audentibus quidquam, neque ſubſiſtentibus tamdiu in uno loco, ut illius Urbis vel agri faciem delineent; gravius ſibi aliquid e populis illis barbaris, rudibus, ſuſpicioſis metuentes. Factum inde, ut parum adjumenti contulerint nobis Itinera doctiſſimorum virorum illius ætatis, quorum labores nonnihil tantummodo profuerunt, ut certas locorum quorumdam diſtantias, ſicut & flumina & montes, diſceremus. Accedunt his omnibus ducum itineris infertæ fabellis & parum aſſertis traditionibus relationes. Quare illud nobis jure eſt aſſerendum, nihil habere nos minus exploratum, quam Terræ Sanctæ Regionem.

Id unice nobis erat in votis, ut viri aliqui Geographiæ periti novam dare tabulam ſuſciperent. Horum ſcientia & eruditione proficere, e re noſtra fuiſſet maxime; quibus etiam animadverſiones noſtras libentiſſime communicaſſemus. Sed difficultate operis territi viri quique doctiſſimi, & aliis occupati, provinciam illam reliquerunt intactam. Quare neceſſitate coacti, novam Terræ Sanctæ tabulam digerendi, recuſatam ab aliis provinciam inivimus. Nec blandimur tamen nobis, melius ceſſiſſe noſtris conatibus, quam aliis cæteris; errata tamen nonnulla correximus, quibus præcedentes tabulæ fere omnes variantur.

Quo autem pro viribus errandi nobis occaſionem præcidamus, id nobis conſtitutum eſt, ne loca alia conſignemus in tabulis, quam quorum nomina nota ſunt in Scriptura & Joſepho, & ea quorum certum ſitum indicarunt Euſebius & Hieronymus, aliique fide digni Scriptores. Ita factum eſt, ut Tabula minus inferta nominibus luculentior ſit, nihilque determinet, quin prius ejus determinationis rationes in Commentario exhibeantur. Quicumque catalogum optant Urbium ſingularum Tribuum, facile nanciſcentur apud Joſephum; quibus id commodi accedet, ut negotium illis præcidatur diſtinguendi in Tabula loca, quorum eſt certus ſitus, ab aliis, quorum caſu tantummodo locus aſſignatus eſt. Nemo ſibi facile perſuadeat, quantum erroris inducat locorum ignoratio, & falſa ſitus determinatio. Experimento id probavimus interdum in noſtro Commentario: cujus rei reddenda nobis hic eſt ratio, ne forte contingat, ut repugnantia ſcripſiſſe accuſemur, quod alia libris mandaverimus, alia in tabulis intuentium oculis ſubjecerimus.

Falſa quædam de vetuſtis Terræ Sanctæ limitibus idea rectam Geographiæ œconomiam plurimum turbavit. Ita e.g. quicumque ea perſuaſione tenebantur, meridianos ejus regionis limites definiri linea quadam ducta ab extrema maris Mortui ora aduſque Gazam ſive torrentem Rhinocoruræ, quem cum flumine Sichor vel rivo Ægypti conjungunt; quicumque, inquam, ea perſuaſione tenentur, intra ſeptentrionalem ejus lineæ portionem clauſerunt regionem Juda & Simeonis, quamquam dimenſiones apud Euſebium & S. Hieronymum, viros in ejus ſtudii genere principes, plus multo ad meridiem protenduntur. Ut autem geminis illis Scriptoribus aliquid deferre viderentur, pluſquam par eſt ad ſeptentrionem revocare coacti ſunt Jeruſalem, Eleutheropolim, & Hebronem, ex quo magna in poſitione tum eorum, cum aliorum etiam locorum turbatio, quorum diſtantiæ ad eas urbes determinantur. Id nobis incommodi ſuſtulit limes terræ promiſſionis ad Peluſium uſque & Nilum revocatus (1); certumque habemus & ratum, regiones illas, nemine hodie frequentante deſertas, inter mare Mortuum & Ægyptum, cultura olim & incolis floruiſſe, quemadmodum non obſcure docet Scriptura (2). Hoc in loci ſpatio invenimus terram Geſſen vel Goſen, duplici olim titulo ab Iſraelitis poſſeſſam, dono ſcilicet Regis Ægypti Joſepho ejuſque fratribus (3), ac tandem decreto Joſue, a quo Tribui Juda addicta eſt (4), ut promiſſionum divinarum fides liberaretur. Ibi pariter ſunt Gerara, Berſabee, Arad, Horma, Aſemona, Siceleg, Luza, Geth, Maon, & aliæ in Scriptura notiſſimæ; quæ omnes ultra Gazam conſtitutæ ſunt, quemadmodum ſatis probat authoritas Euſebii & S. Hieronymi, Scripturæ pariter & profanorum Geographorum, apud quos Urbium ex iis nonnullarum mentio, uti Berſabeæ, Luzæ, Geraræ, Meonis, vel Maonis, ut infra demonſtrabimus. S. Hieronymus in Epiſt. ad Dardanum, & in Ezech. 7. 20. Rabbini in Gemara Hieroſolymitana terram promiſſionis uſque ad montem Amanum Ciliciam a Syria diſtinguentem prorogant.

Regionis limites meridionales ſatis aperte, ſi attendatur, Moyſes deſcribit. Ducit (5) enim lineam meridionalem a mari Mortuo, & a deſerto Zin, regioni Edom proximo, ac ad Aſcenſum Scorpionis deflexam protendit uſque ad Senna, & Cadesbarne; inde vero aduſque Adar & Eſemonam, ex quo circumductam flectit uſque ad torrentem Ægypti, & ad litus magni maris, nempe Mediterranei. Fruſtra hic demonſtraremus, Ægypti torrentem ipſum eſſe Nilum: quod in Commentario (6) ſatis eviciſſe ſperamus. Loca illa a Moyſe expreſſa non recta ſane linea a mari mortuo ad Mediterraneum ducunt: quare appoſite quidem Sacer Hiſtoricus bis utitur verbo *gyrat*; reipſa enim ducta meridionalis linea gyrat

[1] Vide Comment. in Joſue xvii. 5.

[2] 1. Reg. xxvii. 8. Hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus euntibus Sur, uſque ad terram Ægypti.

[3] Geneſ. xlvii. 6.

[4] Joſue x. 41. & xi. 16. & xv. 51.

[5] Num. xxxiv. 3, 4, 5.

[6] Joſua xiii. 3.

ad meridiem, occidentem verſus, a latere Ægypti.

In cenſu manſionum Hebræorum in deſerto in Numeris XXXIII. plura leguntur nomina Urbium ad meridiem Juda, uti Azor vel Etron; Azerim, quæ cum Mozerah, Mozeroth & Hazeroth confunditur. Lebna notiſſima eſt urbs; Ceilata alia non eſt a Ceilath. Reſſa apud Joſephum & alibi nota eſt. Mons Sepher ipſe eſt Cariat-Sepher; Adar, Adara, Arada, Ared, Herad, Barad, varia ſunt facile ejuſdem Urbis ſynonyma. *Macalot* ipſam credo Malatim, aut Malatam Euſebii, & Moladam Joſue; ſicut *Metcam* eamdem facile ac Metag in II. Regum VIII. *Alus* eſt Lyſa, Elyſa, Allus in Arabia Petræa. *Jetabata*, an eadem ac Sepulchra concupiſcentiæ (1)?

Ad Idumæam quod attinet, non ſatis diſtincta variorum temporum diſcrepantia in errorem Geographos induxit. Ut igitur Scriptura ſecum ipſa cohæreat, duas admittamus Idumæas, vel regiones Sehir, neceſſe eſt; alteram ſcilicet ad orientem Palæſtinæ in montibus Galaad, Edrai verſus, quo in loco inclyta urbs Bozra (2); alteram vero ad meridiem Juda in Arabia Petræa, a finibus Juda uſque ad mare Rubrum & Sinum Elaniticum protenſam. Poſtrema Reipublicæ Judaicæ ætate, nempe poſt captivitatem Babylonicam, ditionem ſuam propagantes Idumæi, Urbes meridionales Juda plurimas uſque ad Hebron vel circum ſibi uſurparunt.

De regione Edom, vel Seir ad orientem Terræ Sanctæ, vide Geneſim XXXII. 3. ubi legas, Jacobum e Meſopotamia reducem, cum adhuc trans Jordanem eſſet, adventus ſui nuncios ad Eſau fratrem ſuum miſiſſe; quod ut reſcivit Eſau, ipſa eadem die (non longe enim morabatur) in occurſum fratris venit. Et in II. Regum VIII. 13. 14. legimus, Davidem e Syria reducem Idumæam ſibi jure armorum ſubegiſſe. Conſtat autem Idumæam meridionalem regredienti e Syria & Emath Jeroſolymam, in via occurrere nequaquam potuiſſe. Alibi vero (3) Adad filius Regis Idumææ e cæde ſervatus, ſubductus fuit ex Idumæa in Madian, inde in Pharan, tandem in Ægyptum. Porro de Madian hic agitur, tanquam ad Orientem maris Mortui. Regionem Edom ad Orientem Chanaanitidis & in montibus Galaad Joſue pariter conſtituit (4). Non ſemel exhibentur Idumæi montis Sehir fœdere juncti cum Ammonitis & Moabitis, tamquam cum limitrophis gentibus, arma in Hebræos ferre (5). Ad eam regionem pertinebat Job e poſteris Eſau (6).

De regione Edom vel Sehir ad meridiem Juda, quod nulla ſit controverſia, vide noſtrum Commentarium in Geneſim XIV. 6.

Quæ Juda obtigerat, regio protendebatur a mari Rubro uſque ad Ægyptum. Sub Salomone, & deinceps etiam ſub Joſaphat (7), Aſiongaber & Elat ad Sinum Elaniticum Regibus Juda parebant. Poſt defectionem Jeroboami, cum Tribus Simeonis jugum excuſſiſſet domus David, ejuſdem familiæ Reges per data temporum intervalla plures urbes ex eadem Tribu (8) occuparunt: & jure illi quidem, ſuam enim veterem partem repetebant (9), in quam volentes Simeonitas admiſerant.

Alii ſunt igitur limites conſtituendi Regno Juda, quam qui plerumque ponuntur; duplo enim major patebat illi regio quam in Tabulis Geographicis obtineat. Excurrebant illi plus multo ad meridiem, ut quidquid Græcis & Romanis ſub Idumææ nomine poſtea innotuit, totum ſibi Juda olim vindicaret. Non eſt igitur, cur vehementer miremur inſtructiſſimos illos Regum Juda exercitus, nec portentoſos plane hominum ejus ditionis cenſus, tum alibi ſæpe, cum maxime ſub Joſaphat (10), cujus nutu armabantur XI. centena & LX. millia virorum, exceptis Urbium cuſtodibus, militibus & copiis item, quæ ſtabant in armis. Regio erat enim optime diſpoſita, culta maxime & feraciſſima; cui ad commodum accedebat cum finitimis commercium, quibus omnibus abunde numerus ille hominum & major etiam ſufficiebatur. Quæ ad meridiem Juda ſqualidæ nunc jacent regiones, florentiſſimæ tunc erant maxime, & Urbibus ac vicis, tum poſtremis Reipublicæ Judaicæ annis, cum etiam poſt eam ætatem; nec ad extremam hanc deſolationem redactæ ſunt, niſi immiſſo a Deo rerum omnium exterminio per Turcas. Ipſum Terræ Sanctæ centrum irrigabant lacte & melle manantes fluvii; quod fidem ſuperat de regione nihilo ferme hodie Arabia Petræa feliciori. Si quis e rebus præſentibus de præteritis argumentum capiat, poterit ne in animum inducere, tanto incolarum numero, quantum narrat Scriptura, deſerta hæc loca floruiſſe? Non eſt ergo e præſentibus ad præteritum regionis alicujus ſtatum ſemper certa conſequutio: *Nunc ſeges eſt, ubi Troja fuit* (11)?

Regio Gazam inter & Ægyptum ſqualet hodie, totam enim occupant iiluxæ ſemper arenæ, ſteriles, & ſalſum quoddam ſabulum, fructibus ferendis ineptum. Hæc loci pictura eſt, quam non Recentiores tantum, ſed Veteres etiam exhibuerunt; narrant enim, Cambyſem nunquam id commiſſurum fuiſſe, ut exercitum ſuum per eas regiones in Ægyptum duceret, niſi unus ex Arabiæ Regibus camelos ingenti plane numero, ferendis potabilibus aquis, & commeatibus cæteris ſuffeciſſet (12). Vera ſunt hæc: ſed non minus conſtat, ſuos fuiſſe olim in eo regionis tractu incolas. Uno enim Geographorum conſenſu patet, litoris Mediterranei totum tractum inter Gazam & Peluſium habuiſſe Urbes Raphiæ, Anthedonis, Rhinocoruræ, Betthaphu, Oſtracinæ; & noſtra etiam ætate plura adhuc manere columnarum & ædificiorum rudera, veteris magnificentiæ veſtigia, teſtantur Itineraria (13). Spectantur etiam oppida pagique Arabiam verſus, & ad mare; quin & infra Gaʒam, Septentrionem verſus procedendo, & a Gaza ad meridiem retrocedendo, ſpatium eſt terræ ſane longum, incultum reipſa, ſed culturæ non impatiens. Leucas non ſupra quindecim vel viginti, nec late a mari protenſæ, tenent arenæ.

Laterum ſeptentrionalium Terræ promiſſionis ſitus & dimenſio præ meridionalibus plus etiam latuit Interpretes: quibus errandi occaſionem ipſa quodammodo Scriptura ſuppeditavit, terminos modo Libanum conſtituens, modo loca alia magis remota & minus cognita. Has in ſpeciem antilogias conciliaturi Interpretes, in antilogiam reipſa prolapſi ſunt, quærentes cis & ad meridiem Libani Urbes *Hethalon*, *Sedadam*, *Emath*, *Sabarim*, *Sephamam &c.* quæ omnes ad tractum pertinent ultra Libanum, & in Syriæ centro. Qua tandem tenebantur figuræ & tractus Libani, ignoratione factum eſt, ut erronea traderent de introitu Emath, de Urbibus Rohob, Aphec, Emath &c. Nec meliora nos interdum dedimus de introitu Emath, & in Libani deſcriptione. Sed majori ſedulitate & ſtudio argumentum illud verſantes,

[1] עי התאוה *Jetaabata, Tumuli concupiſcentiæ.* [2] Joſue XV. 8. & XXI. 27. 36. Iſai. XXXIV. 6. & LXIII. 1. Jerem. XLVIII. 24. & XLIX. 13. 21. [3] 3. Reg. XI. 15. [4] Joſue XI. 17. & XII. 7. [5] 2. Paral. XX. 2. 10. Ezech. XXV. 8. & XXXV. 2. 3. [6] Vide Comment. in Job 1. pag. 3. 4. & Jerem. Thren. IV. 21. [7] 3. Reg. XXII. 49. [8] Vide 1. Paral. IV. 41. 42. 43. [9] Vide Joſue XIX. collatum cum Joſue XV. [10] 2. Paral. XVII. 15. 16. &c. [11] Ovid. Epiſt. Heroid. 1. [12] Herodot. l. 3. c. 5. 2. & 85. [13] Vide Thevenot voyage du Levant par. 2. chap. 33. & Pietro della valle lett. 13.

ſantes, aliorum tandem & noſtrum errorem intelleximus; perſuaſi, Libanum & Antilibanum duos eſſe parallelos montes, quos inter longa vallis diſtinguit, patens ad Septentrionem vel Septentrionem Occidentalem, qua parte Syriam ſpectat; perpetua vero montium catena duos illos montes jungente ad meridiem, clauſa, qua parte Judæam reſpicit. Quare perpetuus eſt montium ductus in equini ferri ſimilitudinem gyrans, cujus longitudo a meridie ad ſeptentrionem eſt: Libanus ſcilicet poſt Sidonem uſque ad ulteriora Urbis Tripolitanæ porrigitur; Antilibanus vero a fontibus Jordanis uſque ad tres leueas infra Balbec, Laodiceam Cabioſam vel Scabioſam verſus.

Congruit hæc locorum deſcriptio non Plinio tantum, Euſebio, & S. Hieronymio (1), ſed recentiorum Itinerantium accuratiſſimis. Plinius Libanum ducit poſt Sidonem, protendi vero aſſerit ſecundum Mediterraneum uſque Symiram, mu. ſtadiorum tractu; Antilibanum vero e regione illus ponit, mediam inter duos conſtituens vallem Cœleſyriæ, olim in extrema ſui ora ducto muro ad utrumque montem clauſam (2). Strabo libro XVI. locum aliter deſcribit; nam paulo ſupra Tripolim ad mare Libanum repetit, Antilibanum vero Sidonem verſus inire teſtatur; finem autem utriuſque montis conſtituit circa montes Arabiæ. Vallis intermediæ latitudinem ad oſtium quidem verſus mare bis mille ſtadiis, in medio vero tractus duplo pluribus ſtadiis dimetit. Hunc ſibi ducem in Libano & Antilibano deſcribendo plerique conſtituentes, duos parallelos montes ex Oriente ad Occidentem exhibent. Verum Maundrellus (3) narrat, ſe moviſſe Sidone, atque tranſgreſſo inde Libano, in ſubjectam demum vallem deſcendiſſe, quæ eo loco duas leucas latitudinis metiebatur; longitudine vero plurium dierum itineri par erat. Ejus ſitus ad ſeptentrionem & Orientem, & ad Meridiem & Occidentem: ſepit ejus latera duplex montium parallelorum, & ejuſdem plane figuræ ductus. Prima montium catena ea eſt, quæ vallem & urbem Sidonis interjacet; altera e regione Damaſcum reſpicit: illa Libanus eſt, hæc Antilibanus.

Septentrionales limites Terræ promiſſionis deſcribens Moyſes, illos ducit (4) *a Mari magno uſque ad montem altiſſimum*, [ad literam ad montem montium] *a quo venient*, ait, *in Emath uſque ad terminos Sedada; ibuntque confinia uſque ad Zephrana, & Villam Enan* ſeu *Hazer-Enan*. *Hi erunt termini in parte aquilonis. Inde metabuntur* (5) *fines contra Orientalem plagam, de Villa Enan uſque Sephama, & de Sephama deſcendent termini in Reblata*. Animadvertendum hic ſedulo, Emath in medio lineæ ſeptentrionalis ex Oriente in Occidentem conſtitui; ita pariter Enan in medio jacuiſſe lineæ Orientalis ex Septentrione in meridiem; ut poſt eam Urbem linea ad Septentrionem tenderet in Sepham & Reblam; inde *perveniet*, ait Moyſes, *contra Orientem ad mare Cenereth*. Porro Sepham, & Rebla Urbes erant Syriæ, Enan conſtituimus ad meridiem Damaſci. Hanc Moyſes ideam ingerit de ſeptentrionalibus Palæſtinæ limitibus. Luculentiora Ezechiel (6): *A mari magno* [Mediterraneo] *via Hethalon venientibus Sedad, Emath, Beroth, Sabarim, quæ eſt inter terminum Damaſci confinium Emath, domus Tichon* [Hebt. *Chazer Tichon*] *quæ eſt juxta terminum Auran*. Quibus ita conſtitutis, ſeptentrionales limites definire oportet linea *a mari magno ad Chazer-Enaon terminum Damaſci*, protendebatur autem ex occidente in orientem, paulo licet e ſeptentrione ad meridiem vergens; in medio autem ſuæ longitudinis *ad Septentrionem* impoſitam habebat *urbem Emath*.

Id loci ſpatium tenebant Amathæi, Samaræi, Aradii, Aracæi, Sinæi, veteres incolæ Emath, Symiræ, Aradi, Arces, Sin vel Sinæ, quem populum Moyſes recenſet inter poſteros Chanaan (7), anathemati devotos: quamquam, ſi vulgarem hypotheſim limites Terræ promiſſionis in Libano definientem ſequeremur, regiones illæ omnes ab anathemate immunes pronunciandæ eſſent.

Urbs Emath ipſa eſt Emeſa ad Orontem: quadrant enim omnia, nec nomen ipſum abludit, Ematha & Emeſa; indiſcriminatim namque uſurpatur T & S in linguis orientalibus. Emath florentiſſima erat olim in Syria Urbs (8); quo e Palæſtina per vallem Libanum & Antilibanum interjacentem petebatur. Dabat in vallem illam ingreſſum introitus Emath, ſæpius in Scriptura memoratus (9). Reblata in regione Emath ſita erat (10): illam David ſubjecit: ſed Jeroboamus II. a Regibus Juda divulſam ſibi jure armorum vindicavit (11). Jungit non ſemel Scriptura veluti tres limitrophas provincias, Emath, Arphad vel Arad, Damaſcum (12); ſemper tamen poſtrema notatur Emath, velut omnium remotiſſima in Terra promiſſionis, & ultra Libanum (13). In Partem tribus Nephtali aſſignat Joſue XIX. 85. Nulla profecto in Palæſtina, neque trans amnem Urbs luculentius characteres illos, quam Emeſa, præfert; erat enim Urbs non procul a Libano poſita. In Phœnicia Libania (14) conſtituit Stephanus; & veterem ſplendorem longa ætate ſervavit. De Thou uno ex ejus Regibus legas II. Regum VIII. 9. Nota eſt hodie ſub nomine Ems; & veteris magnificentiæ argumentum exhibent ingentia illa molium rudera, quæ adhuc ſpectantur. Euſebius & S. Hieronymus in Locis putarunt, Emath cum Epiphania, urbe non longe ab Emeſa, confundendam; ſed Theodoretus cum Emeſa maluit (15); quamquam ultro fatetur, Epiphaniam pariter Emath appellari; & Aquilam *Emath* vertiſſe Epiphaniam. Tandem Joſephus (16) teſtatur, Syros ſua etiam ætate nomine Emath appellaſſe Urbem, quam Græci Epiphaniam. S. Cyrillus Alexandrinus ſcribit (17), magnam Emath Antiochiam eſſe; minorem vero Emath Epiphaniam, Urbem non longe ab Antiochia. Hæc doctiſſimorum ſententia. Conſule Relandi Palæſtinam tom. I. p. 120.

C 2 Hetha-

(1) Vide Euſebium & S. Hieronymum ad vocem *Antilibanus*; conſtituunt enim eum montem ad Orientem Libani, Damaſcum verſus. & S. Hieronymus in Ezechielem XX. cenſet, Terram Promiſſionis a Septentrione aduſque montem Taurum protendi; complecti vero in ſuo ambitu Phœniciam, Cœleſyriam, & Ciliciam. Vide etiam eundem S. Hieronymum Epiſt. ad Dardan. & in Ezechiel. VII. & RR. in Gemar. Jeroſol. Schebith pag. 36. Vide Ligfoot. c. 12. Chorograph. (2) Plin. l. 5. c. 20. *A tergo Sidonis Libanus orſus, mille quingentis ſtadiis Symiram uſque porrigitur, qua Cœleſyria cognominatur: huic par, interjacente valle, mons adverſus Antilibanus obtenditur, quondam muro conjunctus.* (3) Maundrel voyage d' Alep a Jeruſalem pag. 20. &c. (4) Num. XXXIV. 7. 8. 9. מן הים הגדל תתאו לכם הר ההר: מהר ההר תתאו לבא חמת והיו תוצאת הגבל צדדה: ויצא הגבל זפרנה והיו תוצאתיו חצר עינן (5) Ibidem ℣. 10. והתאויתם לכם לגבל קדמה מחצר עינן שפמה: וירד הגבל משפם הרבלה מקדם לעין: וירד הגבל ומחה על כתף ים כנרת קדמה (6) Ezechiel. XLVII. 15. &c. וזה גבול הארץ לפאת צפונה מן הים הגדול הדרך חתלן לבוא צדדה: חמת ברותה סברים אשר בין גבול דמשק ובין גבול חמת חצר התיכון אשר אל גבול חורן: והיה גבול מן הים חצר עינן גבול דמשק וצפון צפונה וגבול חמת ואת פאת צפון (7) Geneſ. X. 16. 17. 18. (8) Amos VI. 2. *Ite in Emath magnam.* (9) Num. XIII. 22. Joſue XIII. 5. Judic. III. 3. & 3. Reg. VIII. 65. & 4. Reg. XIV. 25. (10) 4. Reg. XXIII. 33. & XXV. 21. (11) 4. Reg. XIV. 28. (12) 3. Reg. XVIII. 34. & XIX. 13. Iſai. X. 9. & XXXVI. 19. Jerem. XLIX. 23. (13) Ezech. XLVII. 16. 17. & XLVIII. 1. Zachariæ IX. 1. 2. (14) Φοινίκης Λιβανησίας. (15) Theodoret. quæſt. 22. in 2. Reg. & Jerem. IV. & XLVI. (16) Antiq. l. 1. cap. 7. (17) Cyrill. Alexand. in Amos.

Hethalon vel Chetalon, prima in Mediterraneo Urbs, & exordium lineæ Septentrionalis, Terram promiſſionis apud Ezechielem definientis, ipſiſſima eſt Catela (1), Urbs Syriæ, xxv. m. paſſibus a Platana, & xvi. a Laodicea; nec alia eſt fortaſſe *Bacatatlis* apud Ptolemæum, & in Tabulis Peutingeri.

Mons Caſius Orientalior eſt quidem, ſed in eadem fere linea: deſignatur autem facile a Moyſe nomine *montis montium*, ſive montis altiſſimi (2). Porro celſitudinem hujus montis profani Authores veluti monſtrum aliquod admirantur: *Orontes imos pedes Caſii illius celſi prætermeans* (3). Ex ejus vertice creditur ſpectari in oriente Sol ab ipſa quarta noctis vigilia, juxta Plinium (4), vel a ſecundo gallicinio, juxta Ammianum (5), ut eodem fere tempore ſol ex uno latere occidens, ex altero oriens appareat. Ambitum ejus in ipſis montis radicibus xix. m. paſſuum Plinius dimetitur, & perpendicularem altitudinem ad iv. m. paſſus prorogat. Ejus cacumen aſcenderunt Imperatores Adrianus (6), & Julianus (7), unde novum illud phænomenon orientis in anteceſſum ſolis ſpectarent. Jure ergo apud Moyſem nomen obtinet montis montium; celſitudine enim ſua tum cæteros vincebat, tum pariter fama erat notiſſimus.

Apamæa, ſi Rabbinis fides, confundenda eſt cum Urbe *Sephum*, vel *Sephama*, de qua Numeri xxxiv. 10. 11. congruit ſane utriuſque nomen, congruit & ſitus Apamææ ad Orontem, & ad Orientem Caſii. Verum ea ſtatim conjectura deſerenda, ſi vera ſint quæ de Urbis appellatione ab Apama uxore Regis Seleuci (8) feruntur: quibus conſtitutis, fateamur oportet, nomina *Sephama*, *Sedada*, *Sebarim & Reblata*, vel intercidiſſe penitus, vel in alia tranſmutata fuiſſe a Regibus Syriæ poſt Alexandrum Magnum. Cum enim Reges illi vernaculum Græcorum ſermonem in regionem invexiſſent, veterum nominum barbariem oblivioni tradere facile affectarunt, ſubſtitutis eorum loco aliis, vel e Macedonia, Græcia, vel peculiaribus ſingulorum nominibus repetitis. Hinc tot Urbes Antiochiæ, Seleuciæ, Apamææ, Laodicææ, Epiphaniæ nomine appellatæ, ex quo crux Geographis, & errandi occaſio.

Poſt Emath in Ezechiele ſequitur *Berot*, nomen indicans facile Urbem Berœæ ad Orientem Antiochiæ (9), quam Plinius recenſet inter Arethuſam & Epiphaniam, Urbes ad Orontem (10). Non alia facile eſt urbs Beroth, a Davide ſubacta (11); ſicut & Thebat vel Thebæ in Syria (12), & Chun vel *Conna* in Itinerario Antonini.

Damaſcus neminem latet; nunquam enim nominis ſui fama non celebratur, ac potiſſimum amœniſſimarum aquarum privilegio (13). De amnibus *Abama & Pharphar*, Urbem & agrum Damaſcenum perluentibus, ſermo eſt in iv. Regum v. 12. Nonniſi unicus quidem amnis nobis hodie innoteſcit; ſed in tres ramos veluti totidem fluvios diſtinguitur. Porro amnis iſte apud Græcos nomen obtinet, Chryſorrhoas (14), ideſt amnis aurum trahens, apud incolas regionis olim quidem ætate Stephani Geographi, *Bardine* (15), hodie vero *Barrady* (16); fluit autem a montibus Antilibani; & poſt collatas liberali munere aquas Urbi, hortis, & agro, ſub terram influens, quatuor vel quinque leucis ad meridiem Urbis Orientem verſus evaneſcit.

Ennon ſic *Hazer-enna* apud Ezechielem & Moyſem notatur, veluti prima Urbs, unde linea Septentrionalis a ſeptentrione in meridiem ducitur. Deſignari illam credimus apud Ptolemæum nomine *Innæ*, & in Tabulis Peutingeri nomine *Ænnos*, xxx. mille paſſibus circiter a Damaſco. En igitur in linea Septentrionali ſex certa puncta, alia plane ab illis, quæ hucuſque aſſignata ſunt; ſcilicet Chethalon vel Cathela, mons altiſſimus Caſius, Emeſa, Beroth, Damaſcus, Ennon vel Enna.

Ad hæc, nullus eſt dubitandi locus, aſſignatas a Joſue Iſraelitis Syriæ quaſdam urbes, multum ultra limites in vulgaribus Tabulis Geographicis præſcriptos. E.g. (17) *Maara Sidoniorum* ipſa eſt *Maratha*, vetus urbs Phœnicum, juxta Strabonem (18). *Aphec*, Urbs celebris ſub poſtremis Regibus Juda & Iſrael (19), ſita erat in Cœleſyria. Ad hæc, *Ama* ſive *Bor-amma*, arx, ſive excelſus locus in Libano, de quo Strabo lib. 16. pag. 520. *Roheb* ſive *Beth-rohob* in valle ultra Libanum (20). Ita vero de Regibus Syriæ, Zobæ, & Rohob agit Scriptura, tanquam de Principibus ditionem habentibus ultra Hebræorum terras ſub Davide (21); interim vero alibi docet, urbem *Dan* vel *Leſem* conſtitutam fuiſſe in valle *Beth-rohob*, quod in cauſa eſt, cur eamdem urbem ponamus in ima & extrema ora meridionali vallis Buccæ, e regione Leſem ſive Dan, quæ Urbs erat a meridie Antilibani, qua ex urbe via inibat e Palæſtina in Syriam. Tandem Joſue labentibus ætatis ſuæ annis, multum adhuc regionis ſubigendæ ab Iſraelitis reſtare his verbis c. xiii. 4. 5. deſignat: *Hevæi, omnis terra Chanaan & Mara Sidoniorum, uſque Apheca, & terminos Amorrhæi, ejuſque confinia; Libani quoque regio contra orientem, a Baalgad ſub monte Hermon, donec ingrediaris Emath. Omnium* [terra] *qui habitant in monte, a Libano uſque ad aquas Maſerephoth*.

Recentiora nomina amnis *Lethane*, & vallis *Bucca*, ac urbis *Baalbec* in Cœleſyria, ſuam adhuc retinent in lingua Hebraica ſignificationem; *Bekah* enim ſonat vallis, & Amos c. 5. exitium minitatur incolis *Bekath Aven*, vallis iniquitatis, quæ facile cum noſtra hac confundenda. Meminit non ſemel Scriptura amnium *Ethan*, aquarum rapiditate, & gloria inſignium: *Tu ſiccaſti fluvios Ethan* Pſ. 73. 15. *Et replebitur juſtitia, quaſi torrens fortis* [quaſi fluvius Ethan]. Amos v. 24. *Baal-bec*, *Baal-bekab* eſt Deus vallis, Deus regionis, Sol, unde apud Græcos nomen inditum Urbi illi *Heliopolis*, Civitas Solis.

Abel, vel *Abel-maaca*, aut *Abyla*, in faucibus Libani. Abel inter Paneadem & Damaſcum conſignat S. Hieronymus cum Euſebio; inter Heliopolim & Damaſcum exteri Geographi.

Abylam confundimus cum *Hoba*, ſeu *Hobal*, quo perveniſſe legimus in Geneſi xiv. 15. Abrahamum, ut ex adverſariorum Regum manu Loth nepotem ſuum reduceret. Locus ejus ad ſiniſtram Damaſci, ultra Dan, urbem in oſtio faucium ad Rohob & Emath deducentium. Quare *Hobal* urbem fuiſſe oportet Cœleſyriæ in valle Bucca. Porro in ejus Urbis loco aſſignando ſecuti ſumus Itinerarium Antonini, quod ad ejus diſtantiam e Damaſco & Heliopoli pertinet.

Cedri

[1] Itineraria Antonini; & Burdigal. [2] Num. xxxiv. 7. *Ad montem altiſſimum.* [3] Ammian. l. 14. c. 26. [4] Plin. l. 5. c. 12. *Mons Caſius, cujus excelſa altitudo quarta vigilia orientem per tenebras ſolem aſpicit, brevi circumactu corporis diem noctemque pariter oſtendens.* [5] Ammian. l. 22. c. 33. *Caſium montem aſcendit, nemoroſum, & tereti ambitu in ſublime porrectum, unde ſecundis gallicinii videtur primi ſolis exortus.* [6] Spartian. in Adrian. [7] Ammian. loc. cit. [8] Strab. l. 16. pag. 516. [9] Strab. l. 16. pag. 517. [10] Plin. l. 5. c. 23. [11] 2. Reg. viii. 8. [12] 1. Paral. xviii. 8. [13] Julian. Imper. 14. τὴν ἱερὰν καὶ μεγίστην Δαμασκὸν λέγω . . . καὶ ὡραίων κάλλει, καὶ ... πλήθει, καὶ γῆς ἀρετῇ πάντας. [14] Strab. l. 16. Plin. l. 5. c. 18. [15] Stephanus Δαμασκὸς ... τοῦ Βαρδίνου ποταμοῦ. [16] Maundrel, voyage d' Alep à Jeruſalem. [17] Joſue xix. 30. [18] Strab. l. 16. pag. 518. Μάραθος πόλις ἀρχαία ... [19] Vide 3. Reg. xx. 26. & noſtrum Commentarium ibid. [20] Vide Judic. xviii. 28. & Joſue xix. 40. [21] 2. Reg. x. 6. 8.

Cedri Libani, apud Sacros Libros, & Itineraria celebratiſſimæ, ſpectantur ſupra & ad orientem Biblos & Tripolis; hodie tamen ſuperſunt tantum in quodam Libani jugo, & raræ etiam ibi ſpectatæ proceritatis (1). Olim major erat numerus, quamquam non in toto Libano unquam natas arbores illas credo. Inſinuat etiam Scriptura 3. Reg. v. 18. hunc, quem deſignant Itineraria, locum, nempe Biblos verſus, ipſum fuiſſe olim cedros ſuppeditantem; nam Hiram miſſis ſectoribus ſuis cæduam illam materiam in aſſeres diviſam, atque inter ſe commiſſam, maritimo itinere deducebat Joppem; inde vero terreſtri Jeroſolymam. Abulfeda in deſcriptione Arabiæ collocat *Anan* in medio ſeptemtrionalis regionis finitimum Arabiæ, qua etiam in plaga ſtatuit Kaaba, quæ facile eſt Rohob; unde Syria Rohob nomen accepit. Vide Num. 13. 21. Joſue 19. 30. 2. Reg. 10. 6. Hæc ſatis pro aſſerendis ſeptemtrionalibus Terræ promiſſionis conſtitutis a nobis limitibus. Nunc ad Orientales.

Unum Euphratem Orientalem Terræ promiſſionis limitem aſſignat Moyſes *Gen.* xv. 18. *Deut.* xvii. Numer. vero xxxiv. 10. 11. accuratius rem proſecutus, protendi illos ab *Enan*, & per orientalem plagam maris Cinereth ſive Lacus Geneſareth, adusque extremam oram maris Mortui deduci. Recenſet inſuper Ezechiel xlvii. 17. Damaſcum, Enoon, Hazertichon, Auran, medium Galaaditidis, & Jordanem, cujus eſt oſtium in mare Mortuum vel orientale. De Ennon & Damaſco ſatis egimus. *Bethacenorum* in Ituræa nomine ſatis deſignat Plinius (2) populos *Chazer-tichon*, nempe *Domus Thiconis*, quæ pariter eſt ſignificatio *Beth-Thicon*: nec S. Hieronymus aliter ſibi duxit reddendum illud *Chazer-Thicon*, quam Domus Thiconis, *Auranam* metropolim Auranitidis facile credimus. In Arabia deſerta conſtituit Ptolemæus *l.* 5. *c.* 19. Auran Urbs eſt S. Hieronymo in Ezech. 47. 17. in deſerto Damaſceno. De Auranitide ſæpe Joſephus (3), & ſub Romanis in Ituræa regio illa facile cenſebatur (4). *Medium Galaad* eſt Maſpha in Galaaditide. Jordanes & mare Mortuum notiores ſunt, quam ut deſcribantur, Nec plura nos de finibus Terræ promiſſionis.

In aſſignandis ſingularum Tribuum limitibus hoc ſervatum eſt potiſſimum, ut intra privatos uniuſcujuſque veluti cancellos, omnes concluderentur Urbes, juxtà aſſignatam a Joſue per familias rationem; ſed invitis licet ea quandoque impoſita neceſſitas, ut extra lineam quædam locorum nomina adſcriberentur, in digerendis maxime Tribubus Dan & Simeon, quarum ſortem Tribus Juda complectebatur, quæque Urbes poſſidebant interdum in ipſo Tribuum finitimarum ſinu. Inſuper ſcitum eſt, occurrere non ſemel apud Joſue, ut Urbes in prima regionis diſtributione certæ Tribui aſſignatas, alteri in poſteriori diviſione adſcriberet. Conſtat inſuper, loca plurima jure acquiſitionis ex una Tribu, cui ab initio ceſſerant, ad aliam, quæ pulſis e loco Chananæis ſibi adſciverat, tranſiſſe. Exempla ejus rei plurima legas in Commentario.

Alia videbitur intuentibus Tabula noſtra a cæteris fere omnibus, quæ hucuſque paruerunt; ſed nihil a nobis immutatum, cujus non optimæ ſuppetant rationes. Solent plerumque Jordanis fontes deſignari veluti duo rivuli, hujus nomen *Jor*, alterius *Dan*, qui junctis Paneade vel Cæſareæ Philippi aquis, in amnem fluunt. Porro rivum ex urbe Dan fluentem, quod apud Euſebium & S. Hieronymum tanquam genuinus Jordanis fons aſſignetur (5), nos pariter ſervavimus; alterum vero tanquam fabuloſum prorſus rejecimus. Aſſerit S. Hieronymus, rivum a Dan fluentem *Jor* appellari, unde nomen amni *Jor-dan*. Sed primos Jordanis fontes conſtituimus in *Phiala*, qui lacus eſt ad Orientem Cæſareæ, cæcis & ſubterraneis canalibus xx. ſtadiorum tractu aquas ſuas ſuppeditans rivo juxta Dan, de quo modo. Hæc omnia ex Joſephi fide: aſſerit enim (6); Philippum Trachonitidis Tetrarcham, fontem ipſum rivi emergentis e radicibus montis Panei, juxta Cæſaream, & exinde in amnem, cui nomen Jordani, fluentis, exploraturum, comminutæ paleæ ingentem vim in lacum Phialam injeciſſe; eas vero cæcis & ſubterraneis canalibus delatas aliquandiu poſt emerſiſſe in fonte juxta Cæſaream. Porro lacus iſte Phiala, nempe lanx, inde nomen obtinuit, quod rotundus ſit ad circinum. Jacet ad dexteram viæ ducentis in Trachonitidem, ad radices Libani ſive montis Panei.

Perſuaſum habuerunt hucuſque, lacum *Semechon*, cujus frequens apud Joſephum mentio (7), ipſiſſimas eſſe aquas *Mera* ſive *Merom*, ſatis ex libro Judicum & Joſue (8) notas. Quæ apud omnes opinio ita invaluit, ut communi plerumque nomine lacus ille appelletur *Moron* vel *Mera*. Sed ſatis congruentibus rationibus demonſtraſſe nos confidimus in Commentario, aquas & Urbem Merom locum tenuiſſe ad meridiem Carmeli, inter Legionem & Samariam medium. Profecto Judæi, Joſephi ætate, eam opinionem non adhuc induerant, aquas *Semechon* eaſdem eſſe aquas Meron; neque enim altero nomine lacum illum appellabant, quam genuino שמחון *Semechon*, nempe amœnum, jucundum; quam illi appellationem facile conciliavit fons amœniſſimus Daphnes, & arborum, quibus protegebatur, umbra gratiſſima (9). Porro lacus iſte areſcit æſtate, nec ejus mentio ulla, quantum ſciam, in Scriptura. Imminebat illi Urbs Azor, juxta Joſephum. Nihil de lacu illo pariter Euſebius & S. Hieronymus in Libro de locis.

Urbs Bethſaida, in Evangelio notiſſima, jacebat ad lacum Geneſareth in Galilæa (10). Auxit Philippus Tetrarcha, & locum dedit inter Urbes, veteri nomine in Juliadem, ex nomine Juliæ filiæ Auguſti, tranſmutato (11). In inferiori Gaulanitide collocat Joſephus *de Bello l.* 2. *c.* 13. & ad Orientem lacus Geneſareth Plinius lib. v. cap. 15. Legimus in Evangelio (12), Jeſum Chriſtum tranſvadato mari Tiberiadis, contuliſſe ſe Bethſaidam, & in ejus nominis deſertum; quod in cauſa fuit, cur Ligfootus (13), & poſt illum Cellarius (14), ſubdubitantes licet, Bethſaidam & Juliadem ultra Jordanem conſtituerent. Quod autem ſcrupulum ea in re faciat, illud videtur, nimirum S. Marcum, poſt relatum de multiplicatis panibus in regione ultra lacum Geneſareth prodigium, ſcripſiſſe, Jeſum Diſcipulis ſuis mandaſſe, ut trangreſſi lacum, irent Bethſaidam & in regionem Geneſareth (15); regreſſos illos Capharnaum narrat Joannes vi. 17. 24. Hinc inſinuari videtur, Bethſaidam, non ſecus ac Capharnaum,

(1) Maundrellus pag. 250. primæ magnitudinis 16. numeravit; inferiorum vero plane multas, Thevenot 23. tantum indiſcriminatim omnes, qua majores, qua minores recenſet cap. 60. Alias apud Dezallier an. 1688. omnes ſimul 30. inter quas 20. majores habet. Vide pag. 25. (2) Plin. l. 5. c. 23. *Ituræorum gentem, & qui ex iis Baethaceni vocantur.* (3) Antiq. l. 13. cap. 15. & l. 17. cap. 13. & de Bello l. 2. cap. 9. (4) Vide Cell. & Ligfoot. (5) Euſeb. & Hieronym. in Laiſa. (6) Joſeph. De bello l. 3. c. 33. (7) Antiquit. l. 5. c. 6. De bello c. 35. l. 3. & l. 4. c. 1. (8) Joſue xi. 5. & Judic. v. 18. (9) Joſeph. l. 4. de bello c. 4. *μέχρι Δάφνης χωρίου, τἆλλα τρυφεροῦ καὶ πηγὰς ἔχοντος, αἳ τρέφουσαι μικρὸν καλούμενον Ἰορδάνην.* (10) Joan. xii. 21. (11) Antiquit. l. 18. c. 3. (12) Joann. vi. 1. 17. & Luc. 12. 10. (13) In Chorograph. in Marc. & hor. Thalmud. in Matt. xiv. 13. (14) Aſia lib. 3. cap. 13. pag. 387. (15) Marc. vi. 45. 53.

Digitized by Google

naum, & regionem Geneſareth, Jordani fuiſſe ad Orientem occidentalem.

Sed hiſce tria reponimus. I. Urbs Bethſaida ſive Julias facile geminata erat, altera nempe ad Occidentem, altera ad Orientem Jordanis, nihil enim facilius quam Urbes ad ripas fluminis conſtitutas in duas intermedio amne ſecari, quarum una pars alteram e regione reſpiciet. II. Jeſus Chriſtus ejuſque Diſcipuli facile e Deſerto, ubi prodigium illud a Magiſtro patratum fuerat, Bethſaidam ſe contulerunt, litus veluti radentes, brevioris itineris gratia, vel ut forte montes & ſcopulos, viam in ripa lacus prohibentes, evitarent. Hæc quotidiana experientia, cum iter ſecundum mare & ampliores quoſdam lacus inſtituitur, nota ſunt; aquas enim radentem cymbam iter illud habituri conſcendunt, etiam ſi ex uno loco ad alterum in eodem ripæ latere, ſed diſtantem aliquanto, ſe conferant. III. Joſephus ipſe non obſcure inſinuat, Capharnaum ad eamdem lacus ripam jacuiſſe, ubi & Bethſaida; narrat enim ſe vulnere prope Juliadem accepto, translatum fuiſſe *Capernomam*, ubi noctem egerit (1); quare tranſitus e deſerto in Capharnaum ſive Bethſaidam, propoſitum plane pro utraque Urbe non evincit, quod ſcilicet ad ripam occidentalem lacus Geneſareth pertinerent. Nec tamen iverim inficias, notam fuiſſe Urbem quamdam Capharnaum ad Occidentem lacus: ſatis, quantum arbitror, aperte ea de re Evangelium (2); & Joſephus (3) meminit amœni cujuſdam fontis *Capernaum*, cujus aquis alluebantur latera occidentalia maris Tiberiadis. Ex eo fonte inditum facile nomen Urbi Capharnao cis lacum. Tandem Jeſus Chriſtus e Deſerto, ubi panes multiplicaverat, ad regionem Geneſareth ſe contulit. Petiit ille quidem adverſam lacus ripam, non quidem lacum tranſgreſſus; ſed pedeſtri itinere Juliadem prius, deinde ſecundum ripam lacus Tiberiadem & Capharnaum ſe contulit.

Autumavit Ligfootus (4), Galilæam Gentium regionem fuiſſe trans amnem: ſicut & inferiorem Galilæam cis & ad Occidentem fluminis. Laudat in eam rem illud Matthæi IV. 15. *Terra Zabulon, & terra Nephtali, via maris trans Jordanem Galilææ gentium, populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam*. Obſervat inſuper, Bethſaidam ſive Juliadem Urbes Transjordanas ad Galilæam pertinuiſſe, ejuſque rei gratia Apoſtolos Bethſaidæ cives Galilæos appellari. Eſt ergo, ait Ligfootus, Galilæa gentium in Transjordanis. Euſebius in Iſaiam IX. luculenter aſſerit, Galilæam Trasjordanam fuiſſe regionem; Septuaginta in Iſaia XXXIII. 9. reddunt Baſan pro Galilæa; quis autem neget, Baſan regionem eſſe trans amnem? S. Hieronymus in eumdem locum obſervat, Interpretes illos nomen totius Provinciæ poſuiſſe pro ſingulari ejuſdem portione: neque enim Baſan Galilæam totam continebat. Verum ne longam diſcuſſionem trahamus in iſtum Scripturæ locum, quod alibi a nobis fiet commodius, perſuaſum habemus, Galilæam Gentium plus multo, quam pro conſueto more, prorogari oportere. Nos enim regionem illam ducimus a ſuperioribus Tyri & Sidonis, trans amnem uſque ad orientem, ſecundum Provincias olim a Gentilibus occupatas, nempe Phœniciam, regionem Damaſcenam, Ituræam, Trachonitidem, & Gaulanitidem. Nomen Galilææ Gentium peculiari ſignificatione exprimit tantummodo Provinciam regioni Gentium finitimam. Inferior Galilea eſt nobis regio a Ptolemaidis finibus, aduſque lacum Geneſareth ad orientem protenſa, in ſinu ſuo complectens Tribum Zabulon, & Tribus Iſſachar ac Nephtali portionem.

Torrentem Ciſon ita deſcribit Adrichomius, tamquam amnem poſt mare Tiberiadis ad uſque Mediterraneum; ejus vero fluminis partem, a monte Thabor uſque ad Mediterraneum fluentem, appellat *Torrentem Ciſon*: alteram vero influentem in lacum Tiberiadis, *torrentem Cadumim*. Samſonius, Duval, de la Rue, aliique fere omnes in ſuis Tabulis ſervarunt eumdem Torrentem inter duo maria; negligendum id tamen nos duximus, quod nullo documento ſive apud Veteres, ſive apud Recentiores fulcitur. Aſſerunt Itineraria (5), fontes Ciſon vergere aliquanto ad orientem montis Thabor; fluere vero torrentem illum ad Occidentem, ac devolvi in Mediterraneum ad radices & Septemtrionem Carmeli. Falli illos in oſtio torrentis, unde in mare devolvitur, aſſignando, autumavit Cellarius *l.* 3. *c.* 13. cenſet enim, ſed nullo ſatis firmo argumento, conſtituendum illud non ad Septemtrionem, ſed ad meridiem montis. Obſervat igitur, Prophetam Eliam, poſt demonſtratam ſuperſtitioſi cultus fallaciam, deducto cœlitus igne ſuper paratum ſacrificium, authorem fuiſſe populis, ut abreptos Pſeudo-Prophetas omnes in aquis Ciſon, fluentibus ad radices montis Carmeli, ubi ſacrificium oblatum fuerat, demergerent (6). Quin inde? an ergo Ciſon rivus erat ad meridiem Carmeli? Statui etiam ſolent ad ſeptemtrionem vallis magni Campi, & e regione montium Gelboe, montes quidam Hermon, quos nullibi ſcriptura, ſaltem ſub eo nomine, memorare videtur.

Geminæ Urbes *Bethoron*, ſuperior nempe, & inferior tam notæ ſunt, quam quod maxime. Inferior in eminenti quodam loco inter Lyddam & Jeruſalem ſpectabatur centum ſtadiis circiter ab eadem Jeruſalem (7), vel duodecim millibus paſſuum, juxta Itinerarium Burdigalenſe, a quo Bethar appellatur. Superior Bethoron remotior quidem erat a Jeruſalem, ſed in eadem directionis linea, ſi quis e Jeruſalem vel Dioſpoli Ceſaream peteret. Narrat S. Hieronymus (8), S. Paulam ex Emmaus flexo Jeroſolymam verſus itinere, veniſſe Bethoron inferiorem, & Bethoron ſuperiorem, urbes olim a Salomone conſtructas, deinde temporum ſenio collapſas. Sed hæc nunquam cum veritate cohærent, ut ſancti Viri ætate ipſam de ſitu Urbis memoriam penitus excidiſſe neceſſe ſit. Erant enim magis ſeptemtrionales ipſi Jeroſolymæ, quam Emmaus & Nicopolis. Itinerarium Antonini Urbem *Betaron* vel *Bethar* collocat XVIII. M. a Cæſarea Palæſtinæ, & XXII. M. a Dioſpoli; Itinerarium Burdegalenſe XX. M. a Dioſpoli, & XVI. M. a Cæſarea. Porro alia erat hæc a Bethoron inferiori, inter Jeruſalem & Dioſpolim media: quare cenſeamus oportet eſſe Bethoron ſuperiorem. Itaque inter geminas Bethoron ſpatium erat XXIV. M. circiter; inferior meridiana erat, ſuperior ſeptemtrionalis Dioſpoli. In Commentario ad Joſue XVI. 5. ſcripſimus, Bethoron ſuperiorem in Orientali portione Tribus Ephraim, ſatis proxime Jordani, ſitam fuiſſe, quem locum apertiſſime deſignare Textum Joſue reputavimus (9). Legimus enim in illo, limites orientales Ephraim duci ab Atharot-Addar aduſque Bethoron ſuperiorem. Verum ſi ea, quæ huc uſque diſputavimus, vera ſint, ita Joſue locus explicandus eſt: Sortis Ephraim limites orientales ponebant Atharot-Addar & Jordanes; ſeptemtrionales vero definiebat linea a Bethoron ſuperiori uſque ad Mediterraneum.

Nomen *Saron* ſæpius quidem recurrit in Scriptura;

(1) Joſeph. lib. de vita ſua pag. 1029. (2) Joan. VI. 17. 24. Vide & Joan. IV. 46. 47. Matth. IV. 13. (3) De Bello l. 3. c. 18. in Latinu pag. 851. (4) Ligfoot. Chorograph. in Mat. ſect. 2. (5) Vide Doubdan, voyage de la Terre ſainte, chap. 53. & 55. & Maundrel Voyage d'Alep a Jeruſalem pag. 190. &c. (6) 3. Reg. XVIII. 40. (7) Vide Joſeph. Antiquit. l. 20. cap. 4. collatum cum lib. 2. de Bello cap. 10. (8) Epitaph. Paulæ. (9) Joſue XVI. 5. *Poſſeſſio eorum contra Orientem Atharot-addar, uſque Bethoron ſuperiorem.*

Digitized by Google

ptata; ſed loci ne, an regionis? Tria eodem nomine diſſita loca diſtinguit S. Hieronymus: I. Para Bataneæ in Transjordanis eodem cenſebatur; II. Ager inter Cæſaream Palæſtinæ & Joppen; III. Locus in magno campo Jezrael vel Eſdrelon; IV. tandem recentioribus Itinerantibus Saron eſt ager poſt Ecdippum aduſque Ptolemaidem. Sed operoſior eſſet ſane demonſtratio, ſi quis niteretur adductis Scripturæ locis probare, vetera hæc fuiſſe regionum illarum nomina.

De mari Mortuo plura animadverſione digna occurrunt. Exhibetur plerumque in Tabulis, veluti in rectam lineam protenſum a ſeptemtrione ad meridiem, longitudine XX. vel XXIV. leucarum, latitudine vero, ubi ampliſſimum, ſex vel ſeptem: ſed figuram potius illud exhibere conſtat lunæ creſcentis, cum ex agro Jerichuntis, nonniſi unius leucæ tractu a mari illo diſtante, portio tantum maris illius ſpectetur longitudinis quatuor leucarum circiter, latitudinis duarum; reliquo mari, quod retro poſt montes ad orientem & occidentem ejuſdem maris feratur, objectu eorumdem montium prohibito (1). Memorant Veteres (2) Sodomæ ejuſque agri ad LX. ſtadia everſionem, cujus ſuperſunt ad litus ejuſdem maris documenta. Euſebius, & S. Hieronymus (3) ita de Sodoma & Seboim agunt, quaſi de locis ſua adhuc ætate in ripa occidentali ejuſdem exiſtentibus. Sermo etiam de Seboim, tanquam de ſuperſtite Urbe habetur in I. Regum XIII. 18. ſicut & de Adama apud Septuaginta in Iſaia XV. 9. Joſephi ætate, eodem teſte (4), ſpectabantur adhuc veſtigia quinque Urbium in litore lacus Aſphaltitis. Apud Stephanum (5), & in Notitiis legitur Sodoma, quæ Urbs erat Epiſcopalis in Provincia Eccleſiaſtica Petrææ. Sita erat inter Engaddi & Thamar, ac proinde ſatis proxime ad extremam oram meridionalem maris Mortui. Nec ſane alibi Sodoma collocanda eſt; fieri enim vix poteſt, ut multum diſtaret a Segor, quo Loth e Sodoma pedem referens, poſt aliquot vix horas ſub ortum ſolis pervenit (6). Inferior loco erat Seboim, & ad ſepteotrionem. Unius ex Urbibus rudera, non multum intra maris alveum excurrentia, ſpectari contigit ad ripam orientalem ab anno MDCL. (7); ſua exhibuit litus occidentale, in ipſum pariter alveum excurrentia, qua parte litus illud planitiem Jerichuntis habet agrum adverſum (8). Quibus ita ſe habentibus, conſtitutas tenemus quatuor Urbes, Sodomam, Seboim, Gomorrham, & Adamam, in eodem ferme quo olim, ſitu; longe plane ab illo, quem in Tabulis obtinent. Eſt enim Sodoma in Tabulis X. vel XII, leucis a Segor diſtans, cum reipſa VI. vel V. tantum recedat. Maris mortui humiliores eſſe aquas nonnullis in locis neceſſe eſt, quippe quod ab Arabibus camelos inequitantibus tranſvadentur.

Thamar vel Thamara præpoſtere cum Engaddi, ſive cum Aſaſon-Thamar, urbe longe a Thamar remota, confunditur. Urbs erat ad meridiem maris Mortui, diei itinere a Malatha, quam Euſebii ætate præſidiarii Romanorum milites tenebant (9). Apud Ezechielem XLVII, 19. Thamar omnium prima meridionales Terræ ſanctæ limites, ducta linea a Mari mortuo aduſque Mediterraneum, definit. Congruunt cum Ezechiele Tabulæ Peutingeri, & Ptolemæi, quorum poſtremus *Engaddam* in loco inferiori ejuſdem maris, ſeptemtrionem verſus, conſignat. Engaddam ipſam eamdem eſſe cum *Aſaſon-Thamar*, aperte demonſtrat Textus 2. Par. XX. 2. Porro Engaddi non longe ab Jericho collocata, media erat inter mare & eamdem Urbem, teſte Plinio & S. Hieronymo.

Neque pariter in definiendo Jeroſolymæ ſitu cum vulgaribus Tabulis convenimus; eſt enim meridionalior quam plerumque conſtituatur, uti ex dimenſionibus ductis ex Jamnia, Samaria, Ptolemaide, & Jericho intelligimus. Ad hæc, narrant Itinerantes, venientes ſe ex Jericho & Jordane in Jeruſalem, viam ita tenuiſſe, ut trium horarum ſpatio ſecundum mare Mortuum, aliquanto tamen ab illo diſtantes, iter haberent (10). Adde pariter, ex Jericho in Bethlehem venientes, Jeruſalem vel ejus urbis vicinias reperere (11). Non eſt ergo Urbs adeo Septemtrionalis, ut plerumque conſtituitur, ſi cum mari Mortuo conferatur, ſed ipſi occidentalior.

Meridionaliores etiam conſtituendæ ſunt Geth, Berſabee, Gerara, Maon, Arad, & aliæ nonnullæ. Legimus 1. *Par.* VII. 21. antequam ex Ægypto digrederentur Iſraelitæ, Ephraimitas in ulteriora regionis Gethææ penetrantes, pellere inde veteres incolas tentaſſe, ſed fruſtra; referre enim pedem non ſine ſuorum cæde coacti ſunt. Non ergo multum aberat regio Geth a regione Geſſen, loco Iſraelitis in ſedem deſtinato. Ad hæc, Siceleg Urbs erat Regi Achis ſubjecta (12); hæc autem in plaga maxime Meridionali Juda conſtituta erat. Geth & Accaron, duæ habebantur Urbes in extremis finibus regionis Philiſtææ (13), hæc ad ſeptemtrionem, Geth vero ad meridiem. Jacebat ergo Geth ultra Gazam, quam ſcilicet Urbem Geographi noſtrates conſtituerunt, veluti ditionis Philiſtinæ ad Ægyptum poſtremam. Tandem S. Hieronymo Geth Urbs eſt finitima ditioni Juda & in via Eleutheropoli Gazam (14). Sed meridionaliorem plane demonſtrat Textus 1. *Par.* I. 7. 21. ubi de bello Ephraimitarum in Ægypto adhuc verſantium adverſus Getheos. Non longe abluiſſe oportet a *Meteg*, de qua in II. *Regum* VIII. 10. ſive a Metca vel Metec, ſtatione Iſraelitarum in deſerto in viciniis Geth & Almonæ, uti legimus in Numeris XXXIII. 28. Porro *Metca* confundenda eſt facile cum Meteg, quo modo conciliantur Textus Regum & Paralipomenon; in uno enim legimus, David cepiſſe *Geth & filias ejus*; in altero vero *Meteg & matrem*; nempe Meteg & Geth.

Extremam oram meridionalem Palæſtinæ tenebat Beerſabee, quemadmodum Dan Septemtrionalem. Viginti millibus paſſuum ab Hebrone meridiem verſus conſtituunt Euſebius & S. Hieronymus, quos ſane loci, præſidio Romanorum inſignis, ſitum ignoraſſe vix credimus. Æqua intervalli ab Hebrone diſtantia, & ad eamdem plagam ſpectabatur Arad, non longe proinde a Berſabee poſita.

Nota erat Abrahami ætate Gerara (15), Urbs in Arabia Petræa (16), inter Cades & Sur, limites Chananitidis, Ægyptum verſus una cum Gaza deſignans (17). Viginti quinque millibus paſſuum ab Eleutheropoli ad meridiem conſtituunt Euſebius & S. Hieronymus. Ne dubitans quidem puto, eamdem eſſe Urbem cum *Gerra* Strabonis (18),

juxta

(1) Doubdan c. 39. (2) Strab. lib. 15. (3) In locis, in Sodoma & in Adama. (4) De bello l. 4. c. 24. in Græc. pag. 892. (5) Stephanus in Ἐγγάδα, κώμη μεγάλη πλησίον Σοδόμων Ἀραβίας. (6) Geneſ. XIX. 23. (7) Tabul. D. du Fer. (8) Vojage de Maundrel p. 142. (9) Euſeb. in Aſaſon-Thamar. Vide nov. edit. S. Hier. Urbem hanc Euſebius mediam collocat inter Hebron & Jeruſalem; quod Ezechielis loco plane repugnat. (10) Vide Pietro della Valle Epiſt. 21. pag. 340. & 336. Et Le voyage du Levant par le commandement du Roi en 1821. par ſieur D. C. pag. 415. & Doubdan c. 32. pag. 272. & 273. (11) Maundrel pag. 145. (12) 1. Reg. XXVII. 6. (13) 1. Reg. VII. 14. & XVII. 52. (14) Hieron. in Mich. I. 10. Euſebius in libro de locis conſtituit V. M. paſſibus ab Eleutheropoli, Dioſpolim verſus. (15) Gen. XX. 1. (16) 2. Par. XIV. 14. (17) Gen. X. 19. (18) Strab. l. 16. pag. 773.

Digitized by Google

juxta montem Caſium, & Urbem ſive campum Chabriæ; ſed multo quam par eſt proximiorem Peluſio ab illo collocari cenſeo.

Locum & deſertum *Maon* frequenter in Scriptura recurrit; nec aliud eo nomine deſignari cenſeo, quam Urbem *Maoinn* ſive *Menois* in viciniis Gazæ, de qua Euſebius. Campum *Mænæum*, juxta *Verſabinum* ſive Berſabee, legas in Codice Theodoſiano (1). Deſertum Maon, ubi ſedes habebat ſuas Nabal vir Abigail, non longe abfuiſſe credendum eſt a Pharan, cum David & Abigail, altera e monte Carmelo in Arabia, alter è Pharan moventes, poſt confectam aliquam viæ portionem infra Carmelum ſibi invicem occurrerint (2). Maon ad meridiem ſitum erat Jeſimon, vel Eſemonæ (3), ac proinde multum intra Arabiam Petræam. Hanc ipſam Urbem Maon ſive Mæon Metropolim Meonum conſtimo, Arad, juxta Euſebium, ſpectabatur xx. mille paſſibus ab Hebrone, meridiem verſus; & *Hormia* ſive Harma ſeu *Eremmon*, apud eumdem Authorem, xvi. M. paſſuum ab Eleutheropoli, ad meridiem. Porro locus erat non modicus; a Judæis frequentatus, ejuſdem Scriptoris ætate. De Carmelo major eſt diſquiſitio. Urbs Carmeli x. M. paſſibus ad Orientem Hebronis, quam Romanorum præſidium tenebat, legitur apud Euſebium. Eo loci greges habuiſſe ſuos credit Euſebius Nabal Carmelum; ſed vix hoc mihi perſuadetur; maluerim enim tres montes Carmelos diſtinguere, alterum juxta Pharan & *Maonis*, ubi Nabalis greges, & Saul triumphalem arcum, perpetuum victoriæ ſuæ de Amalec monumentum, erexit, alium juxta Ptolemaidem ad Mediterraneum, tertium ad Occidentem maris Mortui, x. M. paſſibus ab Hebrone, de quo facile poſtremo ſermo eſt in Joſue xv. 25. ubi Maoni & Ziph jungitur. Porro alterius Urbis Ziph mentio occurrit in eodem capite ỽ. 24. jungiturque Aſor, Cades & Jethnam. Eſt etiam interdum Carmelus appellativum nomen.

Urbs Eleutheropolis, de qua frequenter nos in hac Lucubratione, & unde pariter Euſebius ac S. Hieronymus menſuras fere omnium meridionalium Urbium Judææ deduxerunt, ſita erat ad meridiem Maſphæ, ad Occidentem Moraſthi & Odollam, ad Septemtrionem Ceilæ atque Hebronis. In Itinerario Antonini eſt xx. M. paſſuum a Jeruſalem, & xxiv. ab Aſcalone (4). Quantum ab Eleutheropoli diſtaret Hebron, nihil expreſſe Euſebius; ſed ego x. M. paſſuum circiter conſtituerim, poſuit enim ille Ceilam viii. M. ab Eleutheropoli Hebronem verſus. Itinerarium Burdigalenſe ſpatium conſtituit xxx. M. inter Jeruſalem & Hebronem; ſicut & ix. M. inter Betſur, Urbem Eleutheropoli proximam, & Hebronem. Non longe aberat amœniſſimus ager Sephala, ſecundum viam e Gaza Jeruſalem, & viciſſim. Per hanc vallem iter dirigere Jeroſolymam conſtituerat Holofernes; per hanc Rex Antiochus Eupator exercitum ſuum in eam Urbem deduxerat; & cum inter eundum Urbem Betſuram offendiſſet, obſidione illam vallavit (5). Appellabatur via illa Idumææ. Idem pariter ager inſignis eſt cæde exercitus Zaræ Regis Arabiæ (6), & diu poſt Gorgiæ copiarum Syriæ Imperatoris (7). Urbs Mareſa non longe ab Eleutheropoli ſpectabatur. Per eamdem viam, & per agrum Sephalæ, e Gaza Jeruſalem proficiſcuntur noſtra ætate Itinerantes.

Nec ultra nos de locis, quorum ſitus aliter in noſtris, aliter in vulgaribus Tabulis conſtitutus eſt. Cætera in Commentario ſupplebimus, expectantes interim, ut doctus aliquis Geographus meliora tradat & accuratiora, quam quæ nos vidimus in hoc argumento.

DISSERTATIO
QUA HEBRÆORUM HISTORIA
Cæterarum Nationum Hiſtoriis præſtare oſtenditur.

De totius orbis hiſtoricis monumentis modo nobis, quam alias unquam, pronius eſt judicare, cum eorum nulla, quantum credere par eſt, hodie nos latent, & quæ ad eorum originem & hiſtorias attinet, vulgata ſint omnia. Quamvis enim gentes aliquæ in remotiſſimo vel Africæ v. g. vel Americæ, vel Auſtralium regionum ſinum nobis abderentur incognitæ, nil ſane producere poſſent, quod præ celeberrimis Ægyptiorum v. gr. Chaldæorum, Indorum, Perſarum, & Americanorum hiſtoriis, majorem præferret authoritatem. Nos igitur nationum ullam de ſua origine, & vetuſtate, quin ad ſacros Hebræorum Libros confugiat, certi nil poſſe exhibere, hac Diſſertatione demonſtrandum aggredimur. Hi fontes ſunt, unde omnibus illud hauriendum eſt, quo ſingula omnia, quæ de ſuis hiſtoriis a Vetuſtis Scriptoribus referuntur, certa eſſe probentur. Nationes omnes, quæ originem ſuam ad Noe, ejuſque filios, ſeu poſteros non referunt, ſuàmque ultra Diluvium, & epochas ab Judæorum hiſtoriis agnitas, vetuſtatem protendunt, hoc ipſo in falſitatis ſuſpicionem adducuntur.

Primum illud occurrit, quo Judæorum hiſtoriæ hiſtoriis cæterarum nationum potiſſimum præſtant, quod nempe per Sacros Scriptores & Prophetas, Divino lumine, ne fallerentur, perfuſos, eaſdem Deus ipſe conſcripſerit. Cum igitur in hiſtoria præ cæteris facienda ſit veritas, compertum profecto eſt, Judæorum hiſtorias veritate eminere inter cæteras, quas ſæpiſſime homines vel imperiti, vel veritatis perſonandæ ſtudio detenti, edidere; qui præterea errori quotidie obnoxii, & falli poterant, & alios fallere, vel id conſulto, vel id præter animum neceſſario lumine deſtituti præſtiterint.

Verum ut Inſpirationem Divinam, per quam cæteras omnes antecellunt hiſtorias, aliquandiu prætereamus; eaſdem nihilominus, vel nulla ſupernaturalis hujus authoritatis habita ratione, tum veritate cum authoritate cæteris omnibus præ-

(1) Cod. Theod. leg. xxx. (2) 1. Reg. xxv. 20. (3) 1. Reg. xxiii. 24. *David & viri ejus erant in deſerto Maon in Campeſtribus, ad dexteram Jeſimon.* (4) Vide Cellar. l. 3. c. 13. pag. 353. 354. (5) 1. Macchab. vi. 31. &c. (6) 2. Par. xiv. 9. (7) 2. Macchab. xii. 32. &c.

præſtare perſpicue exhibemus, omnibuſque omnino numeris eſſe abſolutas.

Id ut plurimum in hiſtorico exigitur, ut coævus ſit, ingenuus, peritus, partium ſtudio minime detentus, prudens, accuratus, præjudiciorum immunis, odii, amoris, ſpei, timoris affectibus liber, indigena tandem, non advena; denique vel generis, vel nominis, vel muneris nobilitate conſpicuus. Quorum omnium vel ſingula vel pletaque in Judæorum Scriptoribus adeo congeſta intelligimus, ut vel ipſos deceptos fuiſſe, vel nos voluiſſe in errorem inducere, omnis ab iiſdem ſuſpicio ſit penitus removenda. Eorum præterea narrationes ita inter ſe mutuo nectuntur; ita cum gravitate, prudentia, & conſilio cohærent; exteris aliis & authenticis hiſtoriis adeo congruunt; quoſdam ingenuitatis, & veritatis ita ſibi ſimiles characteres præferunt; Hebræorum denique natio ea ſemper ingenuitatis laude apud omnes claruit, ut eorum narrationes nemo unquam impugnaverit. Hæc omnia ſimul congeſta eam ſane Hebtæis Scriptotibus fidem vindicant, ut parem authoritatis gradum profani Hiſtorici nunquam potuerint obtinere.

Moyſes primus & præcipuus Hiſtoriæ Hebræorum Author, eximii ingenii, & præſtantis animi & ingenui vir ſpectatiſſimus, rei indignæ neſcius, rerum peritiſſimus, ſapientia, pietate, Religione, integritate, & conſilio eo uſque cumulatus, ut his animi ſui dotibus undique ejus ſcripta redundent. Filii loco a Regis Ægypti filia aſſumptus, quo non perveniſſet, ſi faventi terga ſponte vertens fortunæ ſpem Aulæ non rejeciſſet, ut ſuorum fratrum calamitatis partem conſequeretur? Quibus profecto fratribus juvandis adeo inſtitit, ut Regis ira in ſe concitata, ſibi demum fuga conſulere debuerit, Poſtquam vero diu abſuerat, a Deo excitatus, ut Iſraelitas Ægypti captivitate ſolutos in libertatem aſſereret, iiſdemque ad mores componendos Leges impertiret, muneri ſuo ſolerter incubuit, idemque feliciſſimo implevit eventu. His peractis, earumdem rerum hiſtoriam contexere aggreſſus eſt, iis coram teſtibus, qui rebus omnibus adfuerant, coram nempe hominum ſexcentis millibus in locum unum coactis, qui ejus non modo verba omnia, ſed & animi motus ſpectantes, eidem utique reclamaſſent, ſi, quemadmodum plura eorum honori, nomini, & propenſioni adverſa recenſuit, quid forte veritati non conſonum protuliſſet.

Ut longius hiſtoriam exorſus perfectiorem exhibeat, a mundi crepundiis ad ſuam uſque ætatem protrahit; Hebræorum Progenitores refert, eorumque genealogiam recenſet, & præcipua Patriarcharum, Joſephi potiſſimum, tanti apud Ægyptios habiti, geſta commemorat. Quæ omnia Moyſis conſiliis quammaxime conducebant; Hebræis enim & ſuam, & una nationum, cum quibus brevi vel fœdus ineundum ipſis erat, vel dimicandum, originem aperiebat; eas regiones, quarum in expeditionem progrediebantur, quod eorum Progenitoribus a Deo promiſſæ fuiſſent, ad ipſos pertinere oſtendebat; Abrabæ, aliorumque Patriarcharum plurima virtutum proferebat exempla, & eorum Patres, eorumque progeniem, ut ſibi in eis Sacerdotium & Religionem conſtitueret, a Deo potiſſimum electos commendabat. Iis præterea narrandis maxime inſtitit, quæ cæremonias, & pios quoſdam ritus, quos ipſe iterum conſtituebat, ſeu reſtaurabat, Sabbatum v. g. & Circumciſionem, olim jam conſtitutos oſtenderent, His itaque argumentis Moyſem adductum putamus, ut ſuas Hiſtorias a Geneſi exordiretur.

Quæ in Exodo creditu difficillima feruntur, Iſraelitæ omnes aſpexerunt; quare Moyſes nec Hebræos decipere, nec Ægyptios hoſtes ludere poterat. Præterea de Hebræis, & de ſemetipſo ingenue loquitur, nec illis aſſentatur, nec ſibi blanditur, eorumque & bona & mala, ut occaſio poſtulat, ſincera fide commemorat; quam quidem fidem ejus hiſtoriæ undique præferunt, & ſummam produnt integritatem. In Moyſem itaque ea omnia confluunt, quæ omnem ab eo falſitatis, aut mendacii ſuſpicionem removent, & ejus hiſtoriam, cui certa fides adhibeatur, dignam conſtituunt.

Priores tantummodo Geneſeos hiſtoriæ, quas utique per ſeipſum ſcire non poterat, aliquam forte inducant difficultatem; quam ſtatim evertimus, ſi meminerimus, I. Moyſem duodequinquaginta annis poſt Levi obitum natum eſſe, Levi autem una cum Iſaaco annos vixerat quadraginta; & Iſaac cum Abrahamo quinque & octoginta, & cum Semo, Noe filio, quinquaginta. Sem annis octo & nonaginta ante Diluvium jam in vivis agebat, quare Lamechum viderat, & Mathuſalam, qui primum hominem noverant. Hinc ſit, ut eorum quæ vel ante, vel poſt diluvium geſta fuerant, traditio, priorum hominum diu viventium ratione habita, recens adhuc cenſeretur,

II. Rerum ante geſtarum ſcripturas, & monumenta jam tum non extitiſſe, non conſtat; quorum ſi quidquam vel apud Ægyptios, vel apud Judæos ſervabatur, Moyſes profecto præ cæteris noverat: optime enim ab Ægyptiis eruditus fuerat, & eorum, quæ ad Hebræorum hiſtoriam attinerent, nil penitus ignoravit.

III. Quæ a Moyſe referuntur, ea ſunt, ut facile hominum memoria ſerventur, v. gr. Mundi creatio, Adæ lapſus, Diluvium, Turris Babel, conditum Nemrodi Imperium. Huc enim ferme omnia pertinent, quæ de ea ætate a Moyſe referuntur.

De Joſue Libro, quem ipſi Joſue Iſraelitarum Duci vulgo adſcribunt, idem judicium, quod de Libris Moyſis, utique pronunciandum. Ejus enim Author iis, quæ ſcripſit, coævus, ſapiens, diligens, doctus, prudens, & Hebræi populi Dux, ea recenſuit, quæ vel ipſe geſſerat, vel teſtis oculatus aſpexerat.

Libri Judicum Scriptorem Samuelem putamus, cujus quidem gravitatem, ſapientiam, doctrinam, conſilium, & qualitates cæteras ſcimus. Ex eorum, quæ ſub Judicibus geſta fuerant, monumentis, Judicum Librum contexuit, quare vel his hiſtoriis coævus, vel ferme coævus cenſendus eſt. Si is etiam, ut vulgo credimus, primi Regum majorem partem ſcripſit, quæ viderat & geſſerat, ſcriptis redegit. Davidis geſta a *Samuele Vidente, & a Prophetis Nathan & Gad* (1), quorum uterque Davide & Salomone imperantibus vixerant, ſcripta fuiſſe, Scriptura commemorat.

Cæteros Judæorum Hiſtoricos Libros ſcripſeſunt Prophetæ, iis coævi Principibus, quorum geſta edidere. Addo & Ahias Regni Salomonis (2), Semeias & Addo Regni Roboami hiſtoriam exhibuerunt (3), Addo præterea dedit geſta Abiæ (4); Hanani ſub Aſa (5), & Jehu Hanani filius ſub Joſaphat, Annales congeſſere (6). Eodem poſtremo Rege imperante, Eliezer (7) & Janaziel (8) Prophetæ ſcripſerunt. Quæ ſub Ozia (9), & Ezechia (10) evenerant, Iſaias recenſuit; qui & plurima, quæ ad Achaz attinent, exhibuit. Regni Manaſſis hiſtoriam intexuit Hoſai (11). Regni Joſiæ, & ejus Succeſſorum Judæ Regum, Commentarios edidit Jeremias; cujus Prophetiæ habendæ ſunt veluti eorum narratio, quæ poſtremis Regni Judæ temporibus contigerunt.

(1) 1. Par. xxix. 29.
(2) 2. Par. ix. 29.
(3) 2. Par. xii. 15.
(4) 2. Par. xiii. 22.
(5) 1. Par. xvi. 7.
(6) 2. Par. xx. 34.
(7) 2. Paralip. xx. 37.
(8) 2. Paralip. xx. 14.
(9) 2. Par. xxvi. 22.
(10) 2. Par. xxxii. 32.
(11) 2. Par. xxxiii. 19.

runt. Regum & Paralipomenon Libri, Judæ & Iſraelis Regum Annales ſæpiſſime allegant, noſque ad eos veluti ad publica, certa & authentica monumenta remittunt; quæ quidem non modo captivitatis ætate, ſed & poſt captivitatem extabant, ſi, ut veriſimilius præfertur, Regum, & Paralipomenon Libros, a quibus iidem Annales ſæpiſſime producuntur, Eſdras vere ſcripſit, ſeu verius in compendium digeſſit.

Judæis captivitate detentis, Ezechiel, & Daniel eventus plurimos protulere. Ninive Tobias, Suſis Mardochæus & Eſther Nationis Judaicæ hiſtoriam continuarunt; quorum quidem authoritate perpendenda non immoramur, cum certam apud omnes eorum teſtimonium fidem obtineat. Poſt Captivitatem ab Eſdræ, Nehemiæ & Macchabæorum Libris Judæorum geſta admodum protracta exhibentur.

Spatium, quod Nehemiam & Macchabæos interjacet, breve eſt (1); tum præterea Judæi parvi ita habebantur, ut ad magna gerenda vel vix vel nunquam adhibitos, & Sacri & Profani Authores eos præterierint. Permagna Judæorum captivitas neminem latet; quo etiam pietatis ſtudio Eſdras claruerit, nemo eſt, qui non noverit. Is a præclara progenie ortum duxerat, & ab Artaxerſe Longimano vel captivus maximi ducebatur. Ejus nomine inſcriptum Librum per ſe ipſum contexuit; ſecundum addidit Nehemias, qui e clariſſima in Tribu Judæ familia ortus, ejuſdem Artaxerſis & in Pincernam aſſumptus fuerat, & amorem ſibi maximum conciliarat. Singulari nomine de ſe per totum ferme Librum ſemper loquitur; *Nehemiæ* etiam *Commentarii* (2) in Macchabæis allegantur, quorum forte compendium tantummodo ejus Librum credimus, cum locus apud Macchabæos productus (3) ibi minime occurrat.

Minima quædam aliena manu adjecta in Eſdræ & Nehemiæ Libros irrepſiſſe fatemur. Verum inter Scripturæ Libros vix aliquis inveniatur, ubi addita quædam non occurrant, quæ tamen neque ad mores, neque ad fidem ſpectent. Priſci Hebræi phraſes quaſdam ad ea explicanda, quæ temporum diuturnitate obſcura evaſura eſſent, ſuis textibus interſerere non dubitabant alienum: & cautio, qua id præſtitum eſt, priorum ætatum fidem potius, quam fallendi animum docet. Neque ſubdole id neque callide præſtitere. Ita nos vel proprias, vel alicujus periti Viri notas noſtrorum Librorum margini interdum adſcribimus; qui ſane Libri animadverſionibus ejuſmodi inſerti, non modo non amittunt authoritatem, verum etiam ſtudioſius inquiruntur. Notæ Libris Sanctis ab Judæis adſcriptæ, hæc v. gr. præſerunt: vel genealogiam longius, quam a primo Authore, deductam; vel geographicum quid, hanc Urbem alias hoc nomine appellatam; hanc regionem quondam ad hunc populum pertinuiſſe; hunc locum vel cis vel trans Jordanem ſitum eſſe; aliquid & in alio Vetuſto Codice legi. Huc omnia & ſingula referuntur, quæ Sacris Authoribus addita ſunt. Forte & aliquis Amanuenſium error irrepſit; cujuſmodi vitiis quis omnino Liber immunis eſt?

Macchabæorum primus Hebraice vel Syriace primo deſcriptus eſt; hoc enim idiomate Macchabæorum ætate Palæſtina utebatur. In fine hujus Libri ad Commentarios Pontificatus Joannis Hircani Lector remittitur (4); quo illud oſtenditur, Authorem ex Commentariis ſeu Annalibus hiſtorias deprompſiſſe; Macchabæos etiam curaſſe, ut quæ contingebant majoris momenti, memoriæ conſignarentur. Secundi Macchabæorum Scriptor (5) Judæorum hiſtorias bellorum turbis diſperſas, Judæ ſtudio congeſtas fuiſſe teſtatur. Author tertii Macchabeorum, quo perſecutio a Ptolemeo Philapatore Rege Ægypti in Judæos mota continetur, prorſus latet; vetuſtiſſimum nihilominus ſcimus, & eorum, quæ refert, periculimum.

Poſt Macchabeorum Libros, Judaicam Hiſtoriam apud Joſephum, & in vetuſtiſſimis monumentis Arabicis, quę in ſuis Polyglottis a D. Le Jay afferuntur, habemus. Joſephi Hiſtorici criticen, ſapientiam, atque peritiam omnes commendant, de quo ita Scaliger (6): *Diligentiſſimus, φιλαληθέστατος omnium Scriptorum Joſephus, de quo nos hoc audacter dicimus, non ſolum in Judaicis, ſed etiam in externis tutius illi credi, quam omnibus Græcis & Latinis*, Euſebius, S. Hieronymus, & Photius ampliſſimis laudibus eundem merito cumulant, quem nihilominus in quoſdam errores delapſum, & ſępe a Scripturarum veritate receſſiſſe fatemur.

Hęc de Hiſtorię Hebręorum authoritate. Hi innumeris ſeditionibus, infortuniis, bellis, & calamitatibus vexati, ſępe etiam in vitę, bonorum, & libertatis diſcrimine, ſua ſervarunt monumenta, quę originali adhuc idiomate conſcripta ad nos pervenere. Illud vero idioma, quamvis duodeviginti ab hinc ſęculis deſierit, a Sapientibus plurimis adhuc ita tenetur, ut optime eas Scripturas percipiant, quarum quaſdam Verſiones habemus duodeviginti ſęculis vetuſtiores. Judęorum populus in omnes ferme orbis regiones diffuſus, adhuc supereſt, Religionis ſuę quammaxime ſtudioſus, ſuęque hiſtorię peritiſſimus, ſacris monumentis ſervandis plurimum incumbens. Quare ad hujus hiſtorię veritatem, & authoritatem comprobandam nil pręterea deſideratur.

Utrum nationes cętere eadem fidei argumenta præferant, nunc expendamus. Orientales generatim propriis ſcribendis hiſtoriis prę Occidentalibus incubuiſſe videntur; idque idcirco & vetuſtiores quod ſint, & artes apud ipſos ab exordio diligentius excolerentur. Aſſyrii, Chaldęi, Phœnices, Perſę, Ægyptii, quemadmodum Hebręi, quidquid in ſuis regionibus memorabile contingeret, Annalibus mandabant. De vetuſtis Ægyptiorum Annalibus apud Herodotum (7), & Diodorum Siculum mentio (8). Plato in Timęo (9) Sacerdotem Ægyptium loquentem inducit, qui Ægyptios ea, quę vel in Ægypto vel alibi ſingularia gererentur, ſcriptis conſignare ſolitos teſtatur. Manethon apud Joſephum (10) quidquid refert, ex ſacris Ægyptiorum Libris ſe habuiſſe aſſerit. Teſte vero eodem Joſepho (11), Tyrii ſua Tabularia ſancte cuſtodita ſervabant, in quibus conditæ tabulæ de præcipuis Regionis eventibus erant.

Beroſus in Chaldæorum hiſtoria vetuſtiſſimis monumentis adhæſit (12). Menander quidquid (13) ad varias Nationes ſpectans in Veterum hiſtoriis invenit, fuſiori Commentario proſequutus eſt. De Perſarum Annalibus ſub Cyro, Dario (14), & ſub Aſſuero (15) Scriptura loquitur. Romani pleriſque ex recenſitis nationibus recentiores præclariora tabulis, Ephemeridibus vero leviora conſignabant (16). Plutarchus diarium alle-

(1) Nehemias poſt annum M. 3563. occubuit. Antiochus Epiphanes imperare cœpit an. 3820. Inter utrumque anni 266. intercedunt; cujus etiam intervalli habemus hiſtoriam de Judæis Ægypti, quos Eupator anno 3787. perſecutione confecit. (2) 2. Macch. II. 15. (3) 2. Macch. 15. 13. (4) 1. Macch. XVI. ult. (5) 2. Macch. II. 14. (6) Joſeph. Scalig. in Prolegom. in Libros de emendat. temporum. (7) Herodot. l. 2. c. 3. (8) Diod. Sicul. l. 2. pag. 16. & 44. 45. (9) Plato in Tim. p. 31. A. B. (10) Joſeph. cont. Appion lib. 1. p. 1039. (11) Idem ibid. p. 1042. (12) Idem ibid. p. 1041. G. 1044. A. (13) Idem ibid. p. 1042. G. (14) 1. Eſdr. IV. 15. & VI. I. 2. (15) Eſth. X. 2. (16) Tacit. Annal. l. 13.

allegat, in quod Alexandri ſingulorum dierum geſta referebantur (1).

Verum ſi rem propius attingamus, nonniſi imperfectas earum Nationum hiſtorias ad nos perveniſſe ultro fatebimur; earumdem enim vetuſtis primiſque Scriptis, Ephemeridibus, & monumentis oblivione deletis, fragmenta tantummodo mutila nimis atque informia obtinuimus, narrata præterea ab Authoribus Græcis, quibus, ut accuratam verſionem darent, plena linguæ cognitio fortaſſe defuit, atque ſolertia.

Beroſus natu Chaldæus, Tatiano teſte (2) ſub Alexandro Magno, teſte vero Voſſio, ſub Antiocho I. Rege Syriæ, cognomento Sotere, floruit; ſed contra Voſſium pro Tatiano ſtat Perizonius, Græce & Græcis de vetuſtiſſimis Chaldæorum geſtis, eaque perpauca commemorat. Verum ea, quæ Joſephus & Euſebius ab eodem hauſta allegant, Hebræorum hiſtoriam plurimum illuſtrant.

Chaldæi, juxta Diodorum (3), obſervationes aſtronomicas annorum CDLXXII. M. apud ſe habere comminiſcebantur. Cicero ad CDLXX. M. (4) & Beroſus & Critodemus apud Plinium ad CDLXXX. M. Epigenes vero apud eumdem ad DCCXX. M. extendit (5). Verum Cicero portentoſam hanc vetuſtatem ſtultitiæ, vanitatis, & imprudentiæ condemnat. Quæ quidem remotiſſimæ obſervationes, ſi quandoque extitiſſent, eas oblivione profecto penitus intercidiſſe quis credat?

Ariſtoteles, indagandæ veritatis gratia, ad Calliſthenem, tunc temporis Babylone cum Alexandro verſantem literas dedit, ut ſi quid certius de ea re deprehendere poſſet, reſcriberet. Calliſthenes obſervationes annorum MDCCCCIII. ab exordio Monarchiæ Chaldæorum uſque ad Alexandrum remiſit (6). Si quis igitur ab anno M. 3674. ſcilicet a victo Dario annis 1903. aſcendat, ad annum M. 1771. (7), quo tempore per Nemrodum Turris Babel ædificari cœpta eſt, perveniet.

Nabonaſſari Epocha apud Chronologos celeberrima, annum Periodi Julianæ 3966. Mundi 3257. ante Chriſtum 1743. ante Æram 1747. non prætergreditur. Nabonaſſarus idem ac Baladan, qui Legatos ad Ezechiam miſit, ut de recepta ab illo divinitus ſanitate gratularentur, & de Solis retroverſi portento inquirerent. De eo Rege apud Iſaiam (8), & in Regum quarto eſt mentio (9).

Recitatum ab Joſepho (10) Beroſi fragmentum, eadem plane ratione ac Moyſes, de diluvio narrat, hominumque in eo corruptione, ſimul & de Arca in cacumina montium Armeniorum devecta. Tum poſterorum Noe ſeriem ad Nabopolaſſarum uſque Nabuchodonoſoris patrem ducebat. Quare & Monarchiæ Chaldæorum originem docuiſſe videtur: cum vero id Joſephus non recitet, prorſus ignoratur. Quod attinet ad Nabuchodonoſoris ſucceſſores ab Evilmerodachn uſque ad Cyrum, cum Daniele, cæteriſque ea de re Authoribus Beroſus ægre conciliatur.

Sub Abrahami tempora, cujuſdam Regis Sennaar, ſeu Babyloniæ, cum Codorlahomore, fœdere juncti, fit mentio (11). Chaldæorum latronum manus in Jobi Libro occurrunt (12). Julius Africanus (13) ſcribit, Evechoum 224. annis ante Arabes in Chaldæa regnare cœpiſſe, anno nempe Periodi Julianæ 2952. eo circiter tempore, quo Jacob in Meſopotamiam perrexit, anno M. 2242. Arabum adverſus Chaldæos bellum contigit anno M. 2466. nempe anno prope trigeſimum Moyſis, Arabes 216. annis ante Belum Aſſyrium, Nini patrem, in Babylonia imperarunt.

Beleſus, ſeu Baladan, ſeu Nabonaſſar, Babyloniæ Præfectus, & Arbaces Præfectus Mediæ, a Sardanapalo Aſſyriæ Rege deſciſcentes 400000. hominum, Medorum nempe, Perſarum, Babyloniorum, & Arabum comparato exercitu (14), cum eodem Sardanapalo ſigna pluries contulerunt; a quo ter victi, Bactrianis a Rege ad ſe deficientibus, noctu hoſtes invaſerunt, & eorum caſtris potiti ſunt. Tunc Sardanapalus militibus ſuis præfecto Salamæne conjugis ſuæ fratre, Ninivem ſe recepit; ubi bis a Baladan & Arbace Salamæne profligato, ab eiſdem undique circumſeſſus, tribus annis obſidionem ſuſtinuit; donec tumentis Tygridis alluvione ſtadiis viginti, ſeu MD. muri paſſibus everſis, perque ruinas aditu hoſtibus patefacto, ne in eorum manus incideret, extructa pyra, rebuſque omnibus pretioſiſſimis, immenſis ſane, eo congeſtis, ſe ipſum una cum Concubinis, Eunuchis & tota Regia combuſſit.

Arbaces Medorum & Baladan Babyloniæ Reges renunciati fuere. Ninus vero junior in Ninive poſt Sardanapalum imperavit, & ab eo ſecunda Aſſyriæ Regum cœpta eſt progenies. Hunc Scriptura Theglatphalaſſarum appellat (15). Beleſus igitur, ſeu Baladan primus eſt Chaldæorum Rex, cujus epocham certo ſciamus, etenim de Amraphele Sennaar Rege, cujus meminit Geneſis, & de Chaldæis apud Jobum, & de iis denique, quos ab Arabibus victos Euſebius refert, apud nos certi nihil; quorum præterea & Imperii ſedem, & Monarchiæ durationem, & quomodo, & quando in Aſſyriorum ditionem venerint, penitus ignoramus. Quare Chaldæorum hiſtoriæ hiſtoria Hebræorum longe eſt præferenda; ſive utriuſque vetuſtas, continuatio, & certa authoritas una ſimul conferantur; ſive unde utraque hauritur, fontes, & monumenta perpendantur.

Qui de Medorum geſtis data opera ſcripſerint, nemo occurrit. Herodotus (16) poſt primum eorumdem Regem Dejocem ad annos tantummodo CL. eorum Monarchiam protrahit; quæ ſi ab Arbace, de quo mox, oriatur, & deſinat in Cyro, qui Medorum & Perſarum Imperium in unum iterum coegit, ad CLXXXVII. annos extendenda erit; alii ad CCCL. annos prorogant (17). Verum ejuſdem originem, progreſſum, & everſionem nonniſi ſubobſcure ſciri, inter omnes convenit. Arphaxadi Medorum Regis, qui Ecbatana condidit, quemque Nabuchodonoſor Aſſyriæ Rex profligavit, Scriptura meminit (18). Hunc vero nos in noſtris ad Judith Commentariis eumdem eſſe ac Phraortem Medorum Regem, Dejocis primi eorumdem Regis ſucceſſorem, luculenter oſtendimus. Si Judithæ hiſtoria ſub Manaſſe Judæ Rege contigit; nullam ſane Medorum Monarchia vetuſtatem ſeu diuturnitatem ſortita eſt; tunc enim a Dejoce inceptam in Cyro deſiiſſe conſtaret.

Aſſyrium Imperium, a Nemrodo paulo poſt turris Babelicæ conſtructionem conditum (19), inter cætera Orientis Imperia vetuſtiſſimum cenſetur. Nemrodus vero, ejuſque Succeſſores uſque ad Ninum Beli Aſſyrii filium, qui annis DCCCCLXXX. poſt Nemrodum, Aod & Baruc Iſraelem judicantibus, floruit, quamdiu imperaverint, ignoramus. Tempore Nemrodum inter & Ninum interjecto, Chodorlahomor Elamitarum Rex, Arioc Rex Ellaſar, & Amraphel Rex Sennaar, qui Abrahami ætate (20) Pentapoleos Regibus

(1) Plut. in Alexandr. pag. 705. (2) Tatian. pag. 171. (3) Diodor. Sicul. lib. 2. p. 83. D. (4) Cicer. l. 1. & l. 2. de Divinatione. (5) Plin. l. 7. c. 66. (6) Porphyrius apud Simplic. l. de Cœlo. (7) Ante Chriſt. 2234. (8) Iſai. XXXIX. 1. (9) 4. Reg. XX. 12. (10) Joſeph. l. 1. cont. Appion. p. 1044. 1045. (11) Geneſ. XIV. 1. (12) Job 1. 17. (13) Vid. Euſeb. Chronic. Jul. Afric. & Uſſer. ad ann. M. 2465. & 2466. (14) Diodor. Sicul. l. 2. (15) 4. Reg. XV. 29. & XVI. 7. 10. (16) Herodot. l. 1. (17) Juſtin. l. 1. c. 7. p. 10. (18) Judith. 1. 1. (19) Anno M. circiter 1757. Period. Julian. 2467. (20) Geneſ. XIV. v. 2.

Google

gibus bellum intulerunt, a Scriptura memoratur. Id vero quam arctis limitibus Aſſyriorum Imperium clauderetur, oſtendit, etiamſi Rex Sennaar pro Rege Aſſyriæ, non Chaldææ, accipiatur. Judicum ætate, Chuſan Raſathaim anno CXLVI. antequam Ninus Aſſyrium Imperium conderet, in Meſopotamia imperabat (1). A Nino uſque ad primi Imperii Aſſyrii everſionem, quæ Arbace, & Beleſo Sardanapalum, a quo deſecerant, oppugnantibus, contigit anno M. 2255. Herodotus (2), & Appion annos DXX. recenſent.

Poſt primos Aſſyriæ Reges Nini ſucceſſores, ſecundum Aſſyriæ Imperium ſcimus, quod ex primi ruinis Junior Ninus condidit (3). Hic Teglatphalaſſar a Scriptura appellatur. Annis XIX. in Ninive imperavit. Salmanaſſarem, Sennacherib, & Aſſaradonem ſucceſſores habuit. Aſſaradon, Manaſſe Judæ Rege imperante (4), Babylonis Imperio, quod heredes defeciſſent, potitus, utramque Aſſyriæ & Chaldææ Monarchiam iterum conjunxit. Hunc ſucceſſit Saoſduchin, forte idem cum Nabuchodonoſore, qui in Judithæ Libro de Arphaxad, aliter Phraorte Medorum Rege victoriam retulit.

Poſt Saoſduchin Chinaladan, aliter Sarac, imperavit; quem Nabopolaſſar Chaldæus, ſeu Babylonius, & Aſtyages Medus oppugnarunt (5), ejuſque Imperium inter ſe partiti, Chaldæorum & Medorum Regna ab Aſſyriæ Imperio iterum ſejunxere. Aſſyriæ Monarchiæ, nunquam in poſterum reſtitutæ, excidium poſſumus hic conſignare; Nabopolaſſar enim, Nabuchodonoſor, Evilmerodach, & Balthaſſar Babylonis Reges, ad Chaldæorum Monarchiæ continuationem pertinent.

De Aſſyriæ Imperio, annorum 1620. ſpatio pluries reſtituto, hæc ſunt, quæ occurrant, certiora. Verum hujus Monarchiæ hiſtoria ſceleti, ut ita dixerim, ſpeciem præfert. Ejus enim diſtincte nomina, regni durationem, plerorumque Regum geſta, & Imperii fines ignoramus; & certum quoddam, quo inſtruamur, monumentum nullibi extat. Authores Græci, qui de hac hiſtoria diſſerunt, eam nunquam perſpicue novere; quare neque inter ipſos convenit: quomodo enim e. gr. Cteſias cum Herodoto, cæteriſque de Aſſyriæ Imperio Hiſtoricis concilietur?

Perſarum Monarchiam ſub Cyro tantummodo cœpiſſe omnes vulgo teſtantur. Quoſdam quidem Authores ſcimus, qui Cambyſem Cyri patrem Perſarum Regem conſtituant; cujus tamen rei, quam Herodotus, & Trogus improbant, validum argumentum nullatenus proferunt. Quamvis Perſarum Monarchæ ante Cyrum extitiſſent, adhuc de iis certi nihil ſtatui poſſet, quod eoſdem penitus ignoremus. Perſæ Cyri initio gens apprime humilis; qui vero eorum Monarchiæ vetuſtatem longiſſime protrahunt, Achemenem Cambyſis patrem & Cyri avum non prætergrediuntur. Poſt Cyrum, & in Scripturis & apud profanos Authores celeberrimum, Perſarum Monarchia potentiſſima evaſit: verum breviſſimum fuit Imperium; a Cyro enim, qui anno 3456. Babylone Regnum ſuſcepit, uſque ad Codomani Darii, Regum Perſarum ſupremi, cladem (6), anni CCXVIII. tantummodo numerantur.

Perſæ veteres gentilibus Hiſtoricis omnino caruere. De iis quidquid certioris habemus, a Græcis accepimus; qui eorum rebus ſcribendis idcirco incubuerunt, quod Perſis pluribus bellis laceſſiti, Græci iis in præliis maximum ſibi nomen vindicarint. Quare, ut ſuorum virtus clarius eluceret, de Perſarum Natione tum per Orientem celeberrima diligentius indagarunt. Cum præterea plurimi tunc apud Græcos literis & eruditione florentes, & ſtudio ſuo & poſterorum memoria dignas res ſcribere appeterent, nil eis præſtantius tunc occurrebat, quam de Græca Republica, & Perſarum Monarchia, deque mutuis utriuſque Nationis bellis hiſtoriam contexere.

Verum ſi Hebræorum Libros conſulamus, de Perſarum antiquitate, & origine certius quid & vetuſtius hauriemus. Elam filii Sem, qui Elymaidem Perſidi conterminam populis auxit, & a quo Elamitæ, qui cum Perſis ut plurimum confunduntur, Moyſes meminit. *Perſarum* nomen nonniſi ſero apud Scripturas legitur. Inter copias Holophernis, ducis exercitus Nabuchodonoſoris, aliter Saoſdochin Aſſyriæ Regis, Medi & Perſæ recenſebantur (7). Ezechiel inter Legiones Tyri auxiliarias a Nabuchodonoſore Babylonis Rege profligatas, *Perſas Paraſcim* nomine enumerat (8). Excidium Monarchiæ Chaldæorum a Regibus Perſidis imminere, Daniel prædicit (9). Perſas ex equitandi conſuetudine, adhuc enim perpetuo ferme in equis ſunt, *Paraſcim* appellari conſtat; *Paras* enim Hebraice equitem ſignificat (10). Quare *Paras*, ſeu *Perſa* non hujus Nationis genuinum nomen eſt, ſed ex equitandi conſuetudine adſcriptum vocabulum.

Si vero genuinum Perſarum nomen *Elam* velimus, Codorlahomor Elam Regem vel Abraham ætate florentem inveniemus (11). Iſaias prophetice de Babylonis obſidione diu ante loquens, inter aggreſſores Medos & Elamitas enumerat (12). Jeremias graviſſimas adverſus Elamitarum Reges minas pronunciat (13). Hæc itaque Natio potentior, &, quam a Græcis Authoribus præferatur, longe vetuſtior. Iſaias centum annis antequam Cyrus naſceretur, Cyri ortum & nomen protulit (14). Hinc fit, ut Sacri Hebræorum Libri iis ſuppleant, quæ a profanis hiſtoriis nunquam poſſemus attingere. Hinc etiam novum deducimus argumentum, quo ad veram populorum originem indagandam, ad Scripturas confugiendum eſſe oſtendamus.

Veterum Perſarum reliquiæ, nunc in Oriente ſub Sophi, & in India degentes, & ignis cultui, pluribuſque aliis priorum Perſarum ſuperſtitionibus addicti, ſuam utique ipſorum hiſtoriam & vetuſtam originem prorſus ignorant. Librum, qui ſuæ Religionis ritus, & fidei articulos continet, & quem *Zandava-ſtavv* (15) appellant, diligentiſſime ſervant. Ferme ut Hebræi, Mundi originem narrant, Adamum & Evam generis humani progenitores noſcunt; homines jam per Orbem fuſos & vitiis addictos diluvio interiiſſe ferunt; præter Noe, quem ſecundum Adam vocant, & præter nonnullos, qui orbem populis iterum frequentarunt.

Univerſi creatorem Deum habent, a quo in ſex diviſum partes opus ſuum arbitrantur. I. Cœlum & ſphæras in amœnum quemdam & deliciosiſſimum locum, Sole, Luna, & ſtellis ornatum, ædificavit; ſedes deſtinatas Angelis, & cæteris omnibus, qui præceptis Divinis ſedulo obtemperarint. Poſt abſolutum id opus, quinque diebus ceſſavit.

Poſt hæc, conditus Infernus in infima orbis regione, locus tenebris horrendus, & impiis, qui Creatorem offenderint, deſtinatus.

Cum his occuparetur Deus, Lucifer ſeceſſione ab illo facta, in Inferni deterrimum locum actus eſt præceps, ubi ad exitum uſque mundi detineatur. Poſt hæc condita, iterum quinque dierum quies.

Aquã

(1) Judic. III. 8. 10. (2) Herod. l. 1. c. 95. (3) Ann. M. 3257. (4) Ann. M. 3325. (5) Ann. M. circit. 3398. (6) Ann. M. 3674. (7) Judith. XVI. 12. (8) Ezech. XXVII. 10. (9) Dan. V. 28. (10) פרש *Eques*, פרס *Perſæ* (11) Geneſ. XIV. 1. 9. (12) Iſai. XXII. 6. (13) Jerem. XXV. 25 & XLIX. 34 (14) Iſai. XLIV. 28. & XLV. 1. (15) Vid. lib. in ſcript. *Hiſtoire de la Religion des anciens Perſans*, ex lib. inſcripto Zendavaſtavv, a Paris, chez Nic. ville 1657.

Aqua & terra, quibus inferior mundus conſtat, tertium Dei conditoris opus fuerunt; quibus ſtata quinque dierum requies ſucceſſit.

Quartum opus, arbores & plantæ in cibum hominum & belluarum; tum ſtata iterum quies.

Quintum opus, omnis generis animantia; hinc quies iterum.

Sextum, Adam & Eva humani generis parentes creati ſunt. Ex Eva ſingulis diebus gemelli fœtus nati; unde tanta hominum multitudo, quæ mille annorum ſpatio mortem nullam vidit.

Cum Deus malum Luciferi in ſe animum intueretur, quippe qui non in ſuam tantum majeſtatem injurias, ſed in homines etiam noxia moliretur, malis ejus conſiliis occurrendum ratus, Inſpectores in Creaturas ſuas inſtituit. Principes dati in Cœlos *Hamull*; in Angelos *Acrob*; in ſolem, lunam & aſtra, *Jodes*; in terram *Soreb*; in aquas *Joſa*; in belluas *Sumbola*; in piſces *Daloo*; in arbores *Rocan*; in virum & mulierem *Coos*. Inſpectores vero, nequid Lucifer ejuſque clientes in Creaturas molirentur, dati ſunt *Sertan*, & *Aſud*.

Cum hominum crimina plus nimio crevilſent, immiſſo in terram diluvio Deus homines merſit omnes, uno excepto Noemo, [ſecundum Adam appellant] aliiſque rariſſimis, a quibus terra iterum incolis frequentata eſt.

Gujomarum præterea filium Aram, filii Sem, primum Perſarum Regem conſtituunt; eamque Monarchiam, a XLV. Regibus geſtam, annis mille perſtitiſſe: quorum Regum poſtremum Yeſdegerdem vocant, quem Arabes Mahometani Regno expulſum (1), ut Karaſonium ſe reciperet, adegerunt. Vix hæc ex hiſtoriis, quæ apud noſtræ ætatis Perſas ſervantur. Quibus ſane oſtenditur, quam plurima illos lateant; & quid nobis contingeret, ſi ad monumenta, quæ apud Orientales populos extant, confugiendum eſſet, ut veteres eorum hiſtorias perciperemus, niſi præſto nobis eſſent primum Sacri Hebræorum Libri, deinde Græci, & Latini Hiſtorici, qui deſinentibus Hebræis, nobis opitulantur.

Veterum Parſarum vetulliſſima, idiomate & characteribus incognitis inſcripta, adhuc extant monumenta, quibus in Oriente auguſtius nihil, nihilque præſtantius. Magnificarum Urbis Perſepoleos, uti creditur, Ædium, quarum conditores ignoti, Itinerantibus rudera inſpiciuntur, in quibus quædam Græcæ inſcriptiones (2), cæteris ruderibus recentiores. Verum ſepulchrorum potius, quam veterum Perſidis Regum ædium, reliquias arbitramur.

De Religione Banianorum ſive Baneanorum, regionem Cambœjæ in India Orientali tenentium, hæc damus ex *Shaſter* [Liber eſt Legum ejus gentis, Gallice verſus ex Anglico Henrici Lord] (3).

Creavit Deus cum Univerſo ſimul quatuor Elementa, Terram, Aerem, Ignem, Aquam, quæ, prius in maſſam indigeſtam confuſa, ſeparavit. Nam eo ſuper Aquas flante intumuerunt ſtatim illæ velut in ampliorem quamdam ovalem ampullam, quæ ſenſim creſcens, Firmamentum conſtituit, nitidum illum & pellucidum globum, qui Univerſo circumfunditur.

Terra, liquido cuidam elemento mixta, imo tandem fundo ſubſidit; factaque Terram inter & Aquas ſecretione, Deus utraſque ſimul in globum conſtrinxit, cujus ſolidiores partes Terra, liquentes Mare dictæ ſunt. Porro globus iſte, ut in medium Firmamenti depelleretur, ingens quidam ſtrepitus ſeu concuſſio fecit. Tum Sol, & Luna creati, ſimulque diſcernendis anni temporibus in Cœlo conſtituti.

Ita e quatuor Elementis compactus mundus, in quatuor partes diſtributus eſt, Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem. Ejus diuturnitas ad quatuor ætates; ipſeque a quatuor hominum generibus frequentandus, quibus ſingulis ſua conjux producta eſt. Ex hiſce parentibus genus referimus omnes, quotquot Mundum incolimus.

Terræ a ſe jam conſtitutæ præcepit Deus, emitteret ex alvo ſuo hominem, unde velut ex ovo creaturæ omnes excluderentur. Paruit illico caput, tum cæteræ corporis partes; Deus vitæ ſpiraculo fœtum animavit; fœminam ſociavit; ambo autem illi terræ fructibus paſcebantur, ab animantibus omnibus prorſus abſtinentes. Primi hujus hominis nomen *Porous*, fœminæ *Parcoutea*, e quibus nati quatuor liberi, *Brammon*, *Cutteri*, *Schuddery*, *Uriſus*. Ne fratribus ſorores adderet, abſtinendum cenſuit Deus, metu ne inceſtu fœdarentur; ſed conjugii gratia ſingulis ſingulas fœminas creavit, quas, in quatuor Orbis angulis conſtitutas, ſinguli illi fratres in diverſa abeuntes offenderent, junctoque cum illis connubio in ſuo quiſque angulo ſedes conſtituerent.

Cum quatuor hi fratres ad virilem ætatem perveniſſent, a Deo juſſi, facta a ſe invicem ſeceſſione, quatuor Orbis partes frequentandas ſinguli ſinguli ſingulas petierunt. Aſſignatus *Brammoni* Oriens, quo iter ſuſcepturus una ſecum tulit librum Legum, quas a Domino acceperat. Offendit inter eundum fœminam nigricante coma, & vultus colore ſubnigro, cui poſt mutua colloquia maritali lege conjunctus eſt. Nata inde florens poſteritas, e qua univerſus Oriens frequentatus. Fœminæ hujus nomen *Savatrea*.

Cutteri, alter filius *Poroi*, Occidentem verſus iter ſuſcepit, ferens in manu traditum ſibi a Deo enſem, ſtrenuum ſe Virum gerere ambiens. Poſt aliquot dierum iter, in fœminam, inſtrumento quodam (*Chucherry* appellant) rotundo, cujus acutæ ſuperficies, armatam incidit. Porro armorum illud genus longius ejaculatur, forulum habet in ventre, cui inſertum funiculum tenens jaculator, vibratum ſpiculum deinde reducit. Fœmina igitur *Toddicaſtrea* dicta, ſingulare inivit certamen cum viro, cujus ad tres vel quatuor dies producti, exitus fuit pax inter adverſarios, & conjugium. Nati inde populi Occidentales, gens ſtrenua, bellicoſa, & ſemper armis parata.

Schuddery, tertius filius *Poroi*, negotiationi exercendæ deſtinatus, ad ſeptentrionalem rupem miſſus eſt. Habebat ille apud ſe pondera & ſtateram; & cum non longe eſſet a monte *Stachalta*, conchis unionum matribus uberem rivum nactus eſt; nec multo longius excurrens, rupem adamantum invenit. Adamantibus igitur & unionibus onuſtus, iter proſequens, deſtinatam ſibi a Deo uxorem proſpexit. Prope illam factus, inter mutua colloquia optare ſe cum illa conjugium ſignificavit. Annuit fœmina, & una ſimul opera ambo conjuges ſe totos mercaturæ, gignendiſque per totum deinde Septentrionem divitiis filiis addixerunt. Nomen mulieris *Viſagondah*.

Uriſus, junior inter fratres, meridianum iter ſuſcepit, inſtrumenta ferens ad uſum vitæ accommodata. Septem maria viam interſecantia in lyntribus ad hoc fabricatis transfretavit. Secundum hæc, in litore ſeptimi maris oblectationis gratia inſtructiſſimas ædes excitavit. Accidit ut fœmina, a Deo illi in conjugem deſtinata, cui nomen *Jejunogunda*, illac forte pertranſiens, ædium magnificentiam aliquandiu morata ſpectaret. Vidit fœminam *Uriſus*, allocutus eſt, rogavit ut ſibi dextram conjugii daret. Recuſans illa receſſit; ſed aliquandiu poſt regreſſa, votis pleniſſime annuit. Nati inde populi Meridionales.

Diu poſt quatuor illi fratres inſita quadam a natura propenſione avitas ſedes ut repeterent adducti ſunt. Hic igitur omnes uno ſimul conſenſu

[1] Anno Ægiræ 31. Christi 651.

[2] Vide Voyage de Perſe de M. Chardin.

[3] Pariſiis apud Robertum Nivell in 8. 1667.

juncti aliquandiu ſubſtiterunt: ſed nato tandem inter amicos diſſidio, ſejuncti ſunt, unaque pariter ſingulorum crimina in immenſum aucta; quorum merito immiſſum a Deo diluvium aquarum omnes oppreſſit. His extinctis, novæ a Deo creaturæ, & novus mundus. Creati igitur tres homines multo, quam extincti illi, perfectiores: prior omnium *Bremavv*, maribus, & fœminis gignendis deſtinatus. Ex utroque ejus latere mas & fœmina nati, quibus deinde novis incolis totus mundus repletus eſt. Secundus homo *Vvyſlenes*, ſervandorum hominum curæ deſtinatus: tertius *Ruddery*, qui deſtruendis hominibus operam daret. Cum hominum ſcelera ultionem in ſe Dei provocaſſent, turbinum procella excuſſa omnes ferme oppreſſit, rariſſimis nonnullis exceptis, a quibus novi incolæ mundo redditi. Sed iterum ad ſcelera; iterumque valida terræ ſuccuſſione exterminium. Quartæ ætatis, quæ nunc agitur, ultio igni deſtinata. Hæc Banianorum dogmata.

Quis inter tot fabellas ſuperſtitis ac fere ubique obtinentis traditionis veſtigia non videat, de creatione mundi & origine omnium hominum e duorum conjugio? Cætera ad fabellas non inviti amandamus; ſicut & ea, quæ de mundi quatuor ætatibus ſtatuunt, vaga ſunt nimis, & incerta, ut certum aliquid ad hiſtoriam inde deducatur.

Vetuſtatem Ægyptii præ cæteris perpetuo oſtentarunt. Cum his Scythæ de antiquitate quidem certarunt (1), ſed fruſtra; cum enim illi hiſtorias nunquam ſcriberent, certa ſuæ originis, ſuæque Monarchiæ Regum monumenta producere non valebant, Ægyptii e contra (2) cum Libros & Hiſtorias vetuſtiſſimas, monumenta, & Ægyptiorum Regum Catalogos præferrent, Ægypti Imperium a Dijs primo, a Semideis deinde ſive Heroibus, ab hominibus ſeu Regibus poſtremo geſtum tuebantur. Deos & Semideos annis XXXIV. M. ac CCI. Reges vero a Mene uſque ad Nectanebum annis MMCCCXXIV. imperaſſe addebant. Undeviginti annis ante Alexandri Magni Monarchiam, ab Artaxerſe Ocho Perſidis Rege Nectanebus regno expulſus eſt. Inter Nectanebum & Chriſti adventum anni circiter CCCL. interfuere; quare ab Ægyptiæ Monarchiæ initio uſque ad Chriſtum anni 3687. numerantur; quæ quidem ſupputatio ab omnibus, iis etiam, qui Septuaginta adhærent, vulgo rejicitur; qui enim Hebræos ſequuntur, a mundo condito ad Chriſti adventum annos circiter IV. M. enumerant.

Georgius Syncellus (3) peculiaria hæc ex tribus vetuſtis monumentis ſe hauſiſſe aſſerit, ex veteribus nempe Ægypti Chronicis, Manethone, Eratoſthene, unde Julius Africanus, & Euſebius quidquid proferebant, deduxerant. Chronicon Ægyptium, quod Syncellus allegat, quindecim ante annis quam Magnus Alexander in Perſas irrueret, ad Nectanebi fugam deſinit; continet vero Dynaſtias XXX. & Generationes CXIII. quibus 36525. annorum ſpatium abſumitur.

Manetho fuit Ægyptius Sacerdos, qui ſe Ægypti Templorum Scribam, ſeu a ſecretis appellat, & Regi Ptolemæo Philadelpho, cujus obitus anno M. 3758. & 242. ante Chriſtum contigit, Opus dedicat. De XXX. Dynaſtiis, de Generationibus CXIII. & Ægypti Monarchia a Diis, Semideis, & Hominibus geſta, cum Chronicis convenit; diſſidet vero de annis, qui a Chronico Diis tribuuntur: quod diſcrimen in Manethonis textus interpolatores Marſhamus refert.

Quod ad Eratoſthenem attinet, is Athenis a Ptolemæo Evergete Philadelphi filio Alexandriam accerſitus, Thebarum, ſeu Dioſpolis Regibus recenſendis incubuit; quorum XXXVIII. ſpatio 1077. annorum imperaſſe exhibitur. Deficientem Manethonis hiſtoriam Eratoſthenes forte ſupplevit; eoſque Thebarum Reges, quos enumerat, alios putamus ab iis, quos vetuſtum Ægypti Chronicon, & Manetho recenſuerunt.

Illud ſane hic arduum ſtatuere, quanti hæ Ægyptiorum antiquitates faciendæ ſint, & an prorſus improbari debeant, an vero cum ſacris Hebræorum monumentis conciliari valeant. Earum utique authoritas plurimum inde infirmatur, quod Ægyptia monumenta inter ſe non cohæreant; quod adverſentur Herodoto (4), qui nihil a ſe referri teſtatur, niſi quod ab Ægyptiis Sacerdotibus accepit, quod denique Manetho Herodotum oppugnet (5), eumque falſum & mendacem Authorem appellet. Veritas una eſt, ſibi cohæret, ſeipſam fulcit, & omnes a ſe contradictiones avertit. Id autem in his libris deſideratur.

Ægyptum, quæ in Pſalmis *Terra Cham* (6) appellatur, a Cham Noe filio populis primum frequentatam per Sacros Judæorum Libros diſcimus (7). Mezraim filium Cham Ægypti Regem ſcimus; Ægyptus etiam a Scriptura aſſidue *Mezraim* nomine deſignatur. Quæ quidem veteribus Ægypti nominibus, apud integræ authoritatis Scriptores recenſitis, facile defenduntur. Plutarchus (8) Ægyptum *Chemiam* olim vocatam perhibet; cujus etiam Regionis vici nonnulli nominis Cham veſtigia præferebant: e. g. *Chemnis*; *Pſochemmis*, *Pſittachemmis*: Deus *Hammon*, regio *Amnaoria*, Urbs *Noammon*; quibus omnibus Cham primi Ægyptiorum Authoris nomen ſatis invehitur.

Quantum ad *Mezraim*, Veteres Ægyptii primum menſem *Mezari* nomine appellabant. Arabes adhuc magnam Cairum *Mezer* nuncupant. Georgius Syncellus ab Hebræis, Syris, & Arabibus Ægyptum ſua adhuc ætate *Metzream* vocari ſolitam teſtatur. Quæ vetera Ægypti nomina, iis affinia quæ de eadem regione Sacri Libri proferunt, eorumdem Librorum veritatem mirifice probant, & Ægyptiorum chimæras omnino refellunt. Certo enim utique ſcimus, inter Cham & Magnum Alexandrum tot non potuiſſe annos intereſſe, quot ab Ægyptio Chronico & Manethone ſtatuuntur.

Licet vero annorum & Dynaſtiarum numerum a Chronico Ægyptio exhibitum accipere cogeremur, adhuc vetuſtatem, quam nimio majorem Ægyptii oſtentant, nullo negotio poſſemus evertere. Certum eſt, veteres Ægyptiorum annos noſtris breviores fuiſſe. Imperii initio Ægyptios Regum ſuorum Regnum per dies metiri ſolitos, Palæphatus teſtatur (9). E. g. poſt Vulcani obitum, ejus filius Helios 4477. diebus, annis nempe XII. menſibus tribus, & diebus quatuor imperavit. Nonne idem forte præſtitum ab ætatis poſterioris Ægyptiis Authoribus, qui, ut ſuorum Principum annos augerent, & antiquitatem, quam jactitabant, comprobarent, pro diebus annos enumeraverint?

Diodorus Siculus (10) inane Ægyptiorum commentum vocat, quod vetuſtiſſimorum Deorum ſinguli annis MCC. Dii vero juniores annis ſaltem CCC. in Ægypto imperaverint; quodque propterea ab Helio, ſeu Solis Regno uſque ad Alexandri Magni in Aſiam adventum, anni XXIII. M. interceſſerint. Quidam mendacio purgaturi Ægyptios, illud tuentur, ipſos, antequam juxta Solis curſum duodecim menſes anno adſcriberent, Lunæ orbibus annos metientes, menſem quemlibet annum vocaſſe, ita ut anni MCC. quos cujuslibet Dei Regno adſcribunt, menſibus MCC. ſeu centum annis

[1] Juſt. l. 2. c. 1. [2] Vet. Chronicon Ægypt. & Manetho apud Syncell. Vide Marſham. Canon. Chron. Ægypt. [3] Sæculo octavo floruit. [4] Herodot. l. 2. c. 3. &c. [5] Joſeph. contr. Appion. l. 1. p. 1039. E. [6] Pſalm. LXXVII. 51. & CIV. 23. 27. CV. 22. [7] Geneſ. 2. 6. collat. cum Pſalm. LXXVII. 51. [8] Plutarch. de Iſide, & Oſiride. [9] Palæphat. fragment. in Chronic. Alex. [10] Diodor. Sicul. l. 1. p. 15. Vide & Plin. l. 7. c. 48. & Solin. c. 1.

Digitized by Google

nis reſpondeant. Succeſſu temporis, addunt, ex menſibus quatuor anno quolibet conſtituto, annis ccc. ſuos deinde Reges imperaſſe aſſeruerunt. Hæc quidem ratio Ægyptiarum Dynaſtiarum antiquitatem incredibilem ad æquiora reducit. Veteres Ægyptiorum anni, teſte Cenſorino (1), menſibus duobus conſtabant; deinde a Rege Piſone ex quatuor menſibus conſtituti, tandem ex menſibus duodecim coaluerunt.

Quod ad eorum Dynaſtias ſpectat, alteram alteri non ſucceſſiſſe certo conſtat; plures enim collaterales fuere; plures etiam Reges, quorum alter alteri in catalogis poſtponitur, ſæpe ſæpius coævi, eadem ætate, in ſua ſinguli regione imperarunt. Quare iidem Catalogi ſeptem varia exhibent nomina, juxta ſeptem Dynaſtiarum Regiones, Thim nempe, Memphim, Dioſpolim, Thanim, Sethronem, aliter Heracleopolim, Elephantinam, & Saim. Quæ quidem Dynaſtiæ ſi ſibi ſucceſſiſſe dicantur, facile in immenſum annorum vetuſtas exaggerabitur ac protrahetur. Ægyptiæ igitur Monarchiæ antiquitatem omnino non evertimus, eam vero multo minorem ducimus, quam ab Ægyptiis Authoribus oſtentetur.

His ſane Scriptoribus illud contigit, quod plerumque mendacibus, quibus nempe, etiam vera affirmantibus, nulla fides. Quare Ægyptii ſuæ Monarchiæ antiquitatem non modo non confirmarunt, verum nos eo perduxere, ut vel eorum hiſtoriam noſcere, vel eorum Regum ſucceſſionem componere nobis ferme impoſſibile evaſerit. Quis Ægypti Rex Saram ſuſtulerit (2), quis Joſephum evexerit (3); quis denique Iſraelitas inſecutus in Maris Rubri aquis interierit (4), proprio eorum nomine non cognoſcimus. Eorum quemlibet Scriptura *Pharaonem*, nempe *Regem*, tantummodo vocat: Seſac vero inter Ægypti Reges primum ſcimus, quem ſuo nomine appellet (5). Nechao deinde (6) & Sua (7), ſeu Sue, vel So; Ephræus (8) demum, ſeu Vaphres occurrunt. Seſac Roboami ætate, Nechao Joſiæ Regis Juda, Sua Oſee Regis Iſrael; Ephræus Prophetæ Jeremiæ, & Sedeciæ Regis Juda, in vivis agebant. Seſac idem forte ac Seſonchis; Nechao idem ac Nechos vel Neechus, de quo Herodotus (9). Sua alius forte non eſt a Sabacon, ſeu Sethone; Ephræus denique Apries eſt, quem Herodotus filium Pſammis, & Nechi nepotem appellat (10).

Poſt Apriem, Amaſim etiam & Pſammetichum legimus; quo poſtremo regnante, Cambyſes Ægypto potitus eſt anno M. 3479. Imperarunt deinde Inarus, Achoris, Tuchos, & Nectanebus, quem Artaxerſes Ochus Rex Perſidis Regno ſpoliavit anno M. 3654. undeviginti annis antequam Alexander Magnus totam Ægyptum in ſui ditionem redigeret anno 3673. Ptolemæi denique Alexandro ſuccedentes, annis 293. in Ægypto imperarunt uſque ad 3974. quo Cleopatra fœmina celebratiſſima interiit.

Herodotus Seſoſtrim laudat (11), ejuſque virtute plurimas Orientis Regiones ſubactas refert. Verum doctiſſimi Chronologi, quo tempore floruerit, prorſus ignorant. Inter Africanum, Euſebium, Syncellum, Scaligerum, Uſſerium, P. Pezronium, cæteroſque Chronologos minime convenit. Alii Ægyptiorum Dynaſtias contrahunt; alii præcidunt; alii omnino rejiciunt. Quare incerta omnia: ſi vero certi quidquam conſtet, illud hauriendum a Sacris Veteris Teſtamenti Scripturis, quæ Ægyptios a Cham Noe filio, & a Mezraim filio Cham egreſſos conſtituunt.

Sinæ etiam antiquitatem oſtentant: ut vero ad Fohi annis 2352. ante Chriſti adventum imperabat, pervenerimus, nil niſi incertum & ambiguum, de ipſorum Sinarum ſententia, occurrit. Eorum itaque Monarchiæ exordium anno M. 2048. ante Abrahæ vocationem 34. Quæ quidem antiquitas licet Hebræorum vetuſtate & hiſtoriis longe minor, præſtantiſſima eſſet habenda, ſi de ea omnino conſtaret. Plurima quidem Sinæ oſtentant monumenta (12); eorum enim Hiſtorici, quidquid cujuſque ætate contingeret, mandabant literis, quin eis facultas ulla fieret, ut hiſtorias a majoribus conſcriptas vel cenſuræ ſubjicerent, vel in dubium revocarent (13). *Neque enim Scriptori ſequentium temporum licet hiſtoriam priorem corrigere, vel in dubium vocare; ſed id muneris habet, ut ex fide temporum ſuorum annales prioribus ſubtexat.*

Quin vero de iis judicemus, a quibus hucuſque Sinarum hiſtorias accepimus; ſatius forte eſſet, in idioma Europæis cognitum Annales Sinicos convertere; eorum hiſtorias, & hiſtoricos expendere; noſque inſtitui certiores de eorum ætate, moribus, characteribus, & locis unde eorum hiſtoriarum exemplaria fuere depromta: qua via poſt tot ſæcula ad nos pervenerint; qua denique cautione ſervata fuerint; quæ quidem omnia maximam hiſce hiſtoriis fidem vindicarent. Operæ quoque pretium eſſet, eorum ſtylum, methodum, & genium doceri, & eorum monumenta cum Hebræorum, Græcorum, Romanorum, & noſtris hiſtoriis conferre. Fieri utique poteſt, ut Sinæ, Scriptores ſuos ſuamque antiquitatem elaturi, eos qui ſuas res ſedulo indagent, forte deciperent. Sinæ vero recentiores pro ſenioribus forte nos fallunt.

Eſto tamen, a Fohi imperio Sinicæ hiſtoriæ genuinæ fuerint; quid ad nos noſtramque utilitatem? Sinarum regio & Religio prorſus exteræ, homines ſe ipſis contenti, a ſocietate alieni, vetuſtatem, inventa, ſcientias, & bona cætera, niſi orta in ſuis regionibus, nihili faciunt; cæterorum commercium negligunt, & quod propriis non congruit moribus, contemnunt. Quis itaque populi & moribus, & loco, & religione a nobis longiſſime diſſiti rebus indagandis ſerio, & enixe incubuerit? Sinarum igitur monumenta Hebræorum hiſtoriis valde ſunt poſthabenda; etenim hæ vetuſtate, & veritate, & utilitate illis præſtant.

Præ Sinis nos afficiunt Phœnices, quod ad Hebræorum, & Græcorum etiam & Latinorum hiſtorias propius referantur. Chananæorum nomine Teſtamentum Vetus eorum meminit. Chanaan, a quo Chananæi, patrem habuit Cham filium Noe; natus vero eſt ſive ante, ſive paulo infra diluvium; ſatis enim jam tum adoleverat, cum Noe, poſtquam vineam plantaverat, nudum dormientem aſpexit. Illud utique credi poteſt, quod Chanaan una cum ſuis undecim filiis Palæſtinam citiſſime frequentaverit, eoque ſe ſtatim poſt Turris Babelicæ conſtructionem contulerit. Cum Abraham in eas regiones perrexit, Chananæi jamdin eaſdem incolebant, ante quos neminem ibidem moratum ſcimus.

Poſtquam Joſue Palæſtina potitus, Chananæos pleroſque inde exturbaverat, qui ſuperfuere, apud Profanos Phœnices appellati, in hujus regionis angulum ſecus Mediterraneum compulſi, agros colendos, & paſcendos greges Hebræis relinquentes, navigationi & commerciis ſe totos dedere. Hinc in omnibus ferme Mediterranei Inſulis, & in Africæ & Hiſpaniarum oris plurimæ Phœnicum Coloniæ. Hinc etiam maxime eorum opulentia, & nomen apud Authores omnes Græcos æque ac Latinos celeberrimum.

De Phœnicibus Homerus obiter cecinit, eos ingenioſos (14) vocat, Sidonem vero *ære ditiſſimam*

[1] Cenſorin. de die nat. c. 19. [2] Geneſ. xii. 15. [3] Geneſ. xli. 1. &c. [4] Exod. 1. 8. [5] 3. Reg. xi. 40. [6] 4. Reg. xxiii. 29. 33. Jer. xlvi. 2. [7] 4. Reg. xvii. 4. [8] Jerem. xliv. 30. [9] Herodot. l. 2. c. 158. 159. 161. [10] Herodot. l. 2. c. 141. [11] Herodot. l. 2. c. 161. [12] Herodot. l. 2. c. 102. &c. [13] Martini Martinii Sinicæ hiſtoriæ præfatio ad Lectorem. [14] Homer. Iliad. 23. v. 743.

appellat (1). Herodotus (2) Græcos inter & Barbaros primam diſſidiorum cauſam ex Phœnicibus repetit. Filia Regis Argorum a Phœnicibus rapta, injuriam ulturi Greci Europam Filiam Regis Tyri ſurripuere. Ab aliis deinde Græcis Medea filia Regis Colchi erepta, Paris tandem Priami filius Helenam Menelai Lacedæmonum Regis uxorem abſtulit. Hinc Trojæ bellum in Hiſtoriis celeberrimum, quod quidem plurimas invexit calamitates, diſſidii ſemina Perſas inter & Græcos injecit, quod plurimo utriuſque populi ſanguine diu viguit.

Meminit preterea Herodotus (3) cujuſdam Templi, quod in Thaſo, quinque ante generationibus quam Hercules Jovis & Alcmenæ ilius naſceretur, Phœnices conſtruxerant; ſeque Tyri vidiſſe ſubdit vetuſtiſſimum Herculis Fanum, quod MMCCC. ante annis una cum Tyro conditum, Templi ejuſdem Sacerdotes oſtentabant. Annis circiter 480. ante Chriſtum Herodotus florebat; quare Tyrus 2780. ante Chriſtum annis ſtetiſſe dicenda eſt, anno nempe ab orbe condito 1220. ante diluvium annis 400. Quo vero tempore ea Urbs condita fuerit (4), in noſtris Commentariis in Joſue perpendentes, multo recentiorem oſtendimus. Joſephus 240. annis antequam Salomonis Templum exſtrueretur, conditam refert (5), circa nempe annum M. 2760. ducentis circiter annis poſt obitum Joſue. Quæ omnia accipienda ſunt de Tyro veteri in continenti ſita, diu ante conſtructa, quam nova Tyrus e regione veteris in maris rupe conſtrueretur.

Annales quoſdam olim Phœnices ſervabant, quorum fragmenta apud Joſephum ſunt (6). Dius (7), Diodorus, Menander, aliique Phœnicum hiſtoriam ſubtexuere. Hanc a Mundi exordio uſque ad ſuam ætatem Sanchoniaton a Porphyrio laudatus Phœnicum lingua edidit, & *Abibalo* Berytii Regi inſcripſit. Floruit is Author Semiramidis ætate, juxta Porphyrium (8), ſuamque hiſtoriam ex monumentis, & hieroglyphicis Phœniciæ & Ægypti Templorum inſcriptionibus hauſit. Jerombalem etiam Sacerdotem Dei Jao conſuluerat, non alium forte ab Jerobaale, aliter Gedeone, Iſraelis Judice, qui Iſraelis Deo, quem *Jao*, ſeu *Jehovah* appellabant, immolaverat. Philo deinde Biblius Adriani ætate eamdem hiſtoriam Græce reddidit. Hæc de Sanchoniatone Porphyrius.

Quod ad Dium, & Menandrum ſpectat, de his pauciſſima ſcimus; eorumque Opera, præter fragmenta quædam apud Authores, omnino periere. Menander Pergami ortum duxerat. Ejus de Phœnicibus hiſtoriam Joſephus forte neſcivit; quam tamen Tatianus, & ſanctus Clemens Alexandrinus allegarunt. Dium vero Joſephus ſatis commendat, ejuſque prolixius fragmentum, in quo de Salomone & de Hiramo quædam, recitat. Producit etiam (9) Menandrum Epheſium, qui ab Hiramo uſque ad Carthaginem a Didone conditam Tyri Reges enumerat (10). Tatianus denique Theodoti meminit, Hypſicratis, & Mochi, quorum de Phœnicibus hiſtorias Chœtus Græce reddidit. Hæc vero ſingula, quod prorſus perierint, ac ſi nunquam extiterint, reputamus; neque valida nobis deſunt argumenta, ut neque Sanchuniatonem, neque ejus ſcripta, quorum fragmenta e Porphyrio profert Euſebius, unquam extitiſſe, & Porphyrium, apud quem Sanchoniationis primum mentio, illud nobis impoſuiſſe credamus.

Inter populos igitur, quorum quidem antiquitas generatim certo conſtat, hiſtoria vero monumentis deſtituta per oblivionem interiit, Phœnices ſtatuimus recenſendos. Et revera niſi Judæorum & Chriſtianorum Authorum Libri Religioni conducentia quædam e Phœnicum hiſtoriis fragmenta ſervaſſent, vix eorum originem, & veterum Hiſtoricorum nomina noviſſemus.

Ea eſt Græcorum Scriptorum frequentia, ut hujus Nationis antiquitates & hiſtorias difficultatum omnium immunes, atque certæ præ cæteris authoritatis habendas eſſe ſibi quiſque ſuadeat. Propius vero rem expendentes, ſubobſcura plurima, & manca deprehendimus; quod enim Græci Poeſim nimium & fabulas amariat, vix ulla iiſdem fides adhibetur. Vetuſtiſſimi eorum Scriptores Poetæ cum eſſent (11), ea omnia quæ tradidere, ad quamdam fabularum ſpeciem efformarunt. Extraordinaria & mirifica, veri & naturalis prætermiſſa ratione, libentius Græci excipiebant; quo pravo ingenio cum ſæculis plurimis laboraverint, id præſtitere, ut eorum vetus hiſtoria fabellis undique intexeretur: cum vero naturali methodo res geſtas referre ſtatuerunt, ante primam Olympiadem omnia coacti ſunt præterire, ut hiſtorias, quæ eamdem conſecutæ ſunt, recenſerent.

Varro (12), Romanorum doctiſſimus, tempora omnia in tres claſſes diſtribuit: primam a mundi initio uſque ad Diluvium; ſecundam a Diluvio uſque ad primam Olympiadem; ultimam ab Olympiadibus uſque ad eam, qua ipſe floruit, ætatem. Primam omnino nulli notam putabat; nec ſane Græci & Latini quidquam norant, ſecundam appellabat *fabuloſam*, quod quæcumque Græci dixerant, commentis & fabellis inſerſerint. Ab Olympiadibus igitur hiſtorias tantummodo excipiebat, a qua ſane ętate Gręcorum hiſtorię conſtanti, certiorique methodo cœperunt inſtitui.

Diodorus Siculus (13) fabellas & eventus, quæ Trojano bello præceſſiſſe ferebantur, ſex Libris complexus, nonniſi a Trojæ expugnatione hiſtoriam ſuam reapſe exorditur. Ephorus Cumæus ab Heraclidis in Peloponneſum regreſſu ſcriptis ſuis initium inſtituit. Julius Africanus ab Ogygis diluvio ſub Phoroneo Rege Argos, annis 1020. ante primam Olympiadem Chronologiam ſuam inchoavit. Annis DCCLXXV. ante primam Olympiadem Cecrops Ægyptius Athenarum Regnum condidit, ut ex veteri Chronographo Pario, a Seldeno in Arondelianis marmoribus edito, conſtat.

Verum hæ pauciſſimæ Epochæ, quæ ante Olympiades ſtatuuntur, nil utique pręſtant, ut cęteris Gręcorum hiſtoriis, per fabulas & commenta vitiatis, authoritatem adjungant. Ingentem e. gr. Deucalione imperante alluvionem, quam Græci Diluvium appellarunt, contigiſſe ſcimus; ejus vero circumſtantias quis nobis exhibeat? quis ea perſpicue ſolvat, quæ de Phaetontis incendio, de Ericthonii ortu, de Europæ, & Proſerpinæ raptu, de Cerere, Apolline, Baccho, Minoe, Perſeo, Cadmo, Caſtore, Polluce, Æſculapio, & Hercule referuntur? Neque Olympiadum initium ſatis conſtat. Eorum, qui in ludis Olympicis vicerint, nomina diu ſilentio preſſa ſunt; & omnium primum Chorebum accipimus, qui Olympiade XXVII. victoriam retulit, nempe anno circiter CVIII. poſtquam eos ludos Iphitus inſtituerat; quos etiam Atreus in patris ſui Pelopis funere celebraverat, annis, juxta Vellejum, CCCXLVI. antequam Iphitus inſtitueret.

Quam-

(1) Idem Odyſſ. 15. v. 484. (2) Herodot. l. 1. c. 1. (3) Herodot. l. 2. c. 44. (4) Comment. in Joſue XIX. 29. (5) Joſeph. Antiquit. lib. 8. cap. 3. p. 259. & lib. 1. contra Appion. p. 1042.
(6) Apud Joſeph. cont. Appion. l. 1. p. 1042. (7) Apud Joſeph. cont. Appion. lib. 1. pag 1042. 1043.
(8) Apud Euſeb. Præparat. lib. 1. & lib. 10. (9) Menandrum Pergameum quem Tatianus p. 171. & S. Clem. Alexandr. citant, eumdem eſſe ſuſpicor ac Menandrum Epheſium, ab Joſepho laudatum. (10) Contr. Appion. lib 1. p. 1042. 1043. (11) Strab. lib 1. (12) Varro apud Cenſorin. de die Natali cap. 21.
(13) Diodor. Sicul. Bibliot. l. 1. p. 44.

Quamvis Græcorum hiſtoriam ab Olympiadibus, ſeu etiam ab Ogygis diluvio, aut a Trojano bello hucuſque certam fateremur, quo idcirco nos perventuros putamus? Trojæ expugnatio contigit, juxta noſtram Chronologiam, circa annum M. 2820. ea circiter ætate, qua Jephte Iſraelitas judicabat. Ogygis diluvium ſtatuunt circa annum M. 2208. diu poſt Abrahami interitum. Prima demum Olympias incidit in annum M. 3228. Periodi Julianæ 3938. annis octo poſt Jeroboami II. obitum, Zacharia Iſraelis Rege, & Ozia Rege Judæ imperantibus. A quibus etiam ætatibus inter Græcorum hiſtoriam quot implicata, quot incerta occurrunt? A ſacris ſolummodo Judæorum Libris certam populorum, qui primo Græciam, & Ioniam frequentarint, originam accipimus. Moyſa enim teſte, ab Javan Jonios, Macedones a Cethim, Thraces a Thira, a Tharſi Cilices, Eleos ab Eliſa, a Madai Emathios; hos denique populos omnes ab Japhet egreſſos ſcimus.

Latinorum etiam hiſtoriæ ante Romam conditam incertæ, difficultatibus obnoxiæ, & fabulis, quæ profanam omnem antiquitatem vitiarunt, refertæ, Caci, Latini, & Turni hiſtorias, Æneæ in Italiam adventum, Remi & Romuli ortum atque educationem inter ea recenſemus, in quibus parum veritatis, fuci plurimum elucaſcit. Certum Romæ conditæ tempus, quo maximi ponderis apocha inſtituitur, ignoramus; primi enim hujus Urbis incolæ vel colendis agris, vel bellis gerendis omnino addicti, nil de Chronologicis; de literis, aut hiſtoriis cogitarunt, Nos Romam conditam ſtatuimus anno Periodi Julianæ 3966. M. 3256. imperante Ezechia Rege Juda, cum Sardanapalus Aſſyriæ Rex in Ninive ab Arbaca & Beleſo obſidione premeretur. Hæc vero ſingula prorſus recentia, ſi cum Orientalium, Hebræorum præſertim, antiquitatibus conſerantur.

Gallorum, Garmanorum, & populorum Septemtrionalium antiquitates hic non expendimus, quod hi minime ſcripſerint, neque ullum nobis da ſuis hiſtoriis monumentum unquam ſuffecerint. Quidquid de iiſdem ſcimus, a Græcis, & a Romanis accepimus, utroſque vero earum hiſtoriarum minus peritos, nimiumque recentes ducimus, ut ea nos doceant, quæ in Galliis, vel in Germania ab initio, cum Regna, ſeu Reſpublicæ conderentur, evenere. Scriptores, apud quos de iis mentio, veluti populorum diu ante conſtitutorum meminerunt.

Americanorum origini inveſtigandæ, poſtquam America detecta eſt, ſatis incubuere Eruditi, quorum nonnulli eos vetuſtiſſimos autumarunt. De iis regionibus uſurpatum eſt, quod perhibuit Ariſtoteles (1) de quadam deſerta Inſula, ultra columnas Herculis, amplitudine eximia, ingentibus quarumlibet arborum ſylvis frequenti, omnibus fructuum generibus affluenti, magnis irrigata fluminibus, a Gadibus plurium dierum itinere disjuncta. Primores Carthaginis Magiſtratus, cum Carthaginienſes plurimos eo ſe conferre, nonnulloſque inde minime regredi comperiſſent, ne quis in poſterum illuc pergerat, utque extemplo illic degentes reverterentur, capitali pœna ſanxerunt; illud veriti ne alii populi, re percepta, in eadem Inſula imperium conſtituerent, & Carthaginis pacem, atque commercium everterent.

Apud Diodorum accuratius aliquid (2). Phœnices nonnulli in eam Inſulam, de qua is Author veluti ampliſſima, & terreſtri quodam Paradiſo loquitur, procellarum impetu adacti, cum deinde rediiſſent, ejus pulchritudinem & opulentiam quam maxime prædicarunt; quam Tyrrhenos (3) ejus deſiderio captos eadem potiri, eoque Coloniam ducere conantes, prohibuerunt Carthaginienſes, veriti ne Carthaginienſium plerique regionis ubertate illecti Patria decederent, ſibiqua in eadem Inſula domicilium conſtituerent. Eamdem præterea veluti tutum perfugium reſpiciebant, ubi ipſos vel improviſa obrueret calamitas, vel eorum in Africa Reſpublica corrueret. Etenim cum mari potirentur, quo magis regio ceteros latuiſſet, eo facilius futurum putabant, ut illuc ſe ſuaſque familias reciperent.

Hæc apud Veteres. Sunt, qui fabellam eſſe reputent; ſunt etiam, qui Inſulas Fortunatas, ultra Herculis columnas in Oceano conſtitutas, hic deſcriptas defendant. Verum amplitudo, opulentia, amnes navigiorum patientes, montes, vaſta nemora, locupletes ædes, amplæ Urbes, quæ, ut ajunt, in Inſula, de qua Diodorus, & Ariſtoteles, occurrunt, illud ſatis oſtendunt, vel quod regionem ab Inſulis Fortunatis aliam deſcripſerint, vel quod eas Inſulas nonniſi ſubobſcure noſcentes, rem nimium amplificaverint. Ut ut fuerit, America ſane nobis omnino non patuit, niſi poſtquam ſæculo decimoquinto ab Americo Veſpucio, & Chriſtophoro Columbo detecta eſt.

Quomodo homines eo pervenerint, ignoramus. Ipſos incolas, ſeu qua ratione, ſeu quo tempore illuc ſe contulerint, prorſus latet. In eas oras vel a maris procella, vel inopinato aliquo eventu forte adacti fuere, Qui Americam ſeptemtrionalem incolunt, a Norvegia; qui Jucatan, ab Æthiopia, qui Peruvium, ab India; qui vero regiones ad meridiem uſque ad Magellanicam, ab Oriente per terras Auſtrales ſe forte illuc contulere. Magnæ Tartariæ fines ad ſeptemtrionalem Americam proxime accedunt, forte etiam cum illa continuantur.

Mexici hiſtoriam (4) ſatis rudibus figuris expreſſam habemus, quæ LXIII. tabulis Mexicanorum geſta, politiam, mores, cæremonias, religionem, & proventus exhibet. Hiſpanus Mexici Præfectus hanc a Mexicanis una cum tabularum interpretatione vernaculo eorum ſermone ſcripta accepit: quæ deinde Gallice reddita, Mexicanorum hiſtoriam annum Chriſti 1324. non ſuperare; eo anno Mexici urbem fuiſſe conditam; & Motezumam eorum Regum poſtremum imperantem oſtendit anno 1518. quo Cortelius in Americam appulit. Quibus hieroglyphicis, ſeu rudibus picturis Mexicani ad ſcribendum utebantur. In Tabulis, quarum modo meminimus, per informes homunculos, quibuſdam diſtinctos notulis, eorum Principes deſignantur, quorum Imperii anni per quemdam quadratulorum numerum, tabularum margini commendantur. Eorum denique victoriæ aliis exhibentur characteribus, quos, niſi Interprete indicante, difficillimum ſit divinare.

Ceteris Americæ populis nihil magis quam Mexicanis compertum. Peruani de prima ſuorum Regum, quos a Sole progenitos ſtatuunt, origine plures fabellas venditant. Verumtamen primum eorum Regum imperare cœpiſſe conſtat circiter anno Chriſti 1125. quatuor ante ſæculis, quam Hiſpani Peruvium occuparent, anno ſcilicet 1525. Ante hæc tempora apud hos populos nullus ſcripturæ uſus, pro qua rudem aliquam, quemadmodum Mexicani, picturam adhibebant; quibuſdam etiam utebantur funiculis, quorum colores & nodi id ferme præſtabant, quod apud nos alphabeti literæ varie diſtributæ.

Poſtquam eos populos omnes, quorum hiſtoriæ veteres certioreſque reputari poſſunt, ſatis percurrimus, iterum ad Iſraelitas, veluti ad veteris rerum originis & priorum hominum hiſtoriæ depoſitum cuſtodientes, revertimur. Hebræorum antiquitas neque exaggerata eſt nimium: neque fabulis innectitur, neque futilibus innititur argu-

(1) Ariſtot. de mirabilibus auditis.
(2) Diodor. Sicul. l. 5. p. 207. 208.
(3) Incolæ Inſularum Lemni & Imberi in Mari Ægæo; vel populi Etruriæ, nunc Tuſciæ.
(4) Hiſtoire de l'Empire Mexicain, repreſentée par figures. A Paris chez André Cramoiſy 1673.

mentis. Monumenta annos ter mille & ducentos excedunt. Moyſes primus Hebræorum Hiſtoriæ Scriptor primus, prope dixerim, Patriarchas agnovit. Ejus ſane ætate recens adhuc Turris Babelicæ, atque diluvii recordatio; nulloque negotio ea ſciri poterant, quæ diluvio præiverant. Moyſes prætere, Scriptura teſte, omni Ægyptiorum pollebat ſapientia (1); veram ea propter eorum originem, & hiſtoriam callebat. Protulit itaque, quæ certa in eorum libris nactus eſt; quæ vero falſa & commentitia, vera narrando deſtruxit.

Moyſis Progenitores a Chaldæa & Meſopotamia egreſſi, earum regionum hiſtorias utique noverant, a quibus Moyſes eaſdem accepit. Beroſi de primis annis hiſtoria cum Hebræorum Scripturis, Joſepho teſte (2), apprime cohærebat; qui profecto conſenſus Beroſi hiſtoriæ veritatem quammaxime probat. Herodotus hiſtoriarum Pater merito appellatus (3), de iis, quæ per ſe ipſum noſſe poterat, cum Scriptura prorſus convenit. Tum vero tantummodo deceptus eſt, cum fabuloſis aliorum ſermonibus fidem adhibuit: e. g. cum ea profert, quæ didicerat a Sacerdotibus Ægyptiis, qui ejus credulitate abutentes, in rem ſuam & gloriam plurima convertebant.

Cum Græci, vel ſuam vel aliorum antiquitatem elaturi, ſe terræ (4), vel ejuſdem, quam incolunt, regionis filios oſtentant, atque eo aliunde non commigraſſe certant, dum propriæ originis novitatem occultant, ſuam perſpicue inſcitiam produnt. Ab uno homine cæteri egreſſi ſunt (5); qui vero ab eodem ſe non progenitos putant, unde orti fuerint, ſe ignorare demonſtrant. Populi certo veteres, & loco, quem primi homines incoluerunt, proximi, minime ſtuduerunt, ut ſe, quemadmodum Athenienſes, a patria tellure genitos oſtentarent. Hos nemo unquam vidit barbaram vitam traducere, aut poſt diuturna tantum tempora urbibus conſtruendis, hiſtoriis ſcribendis, ſanciendis legibus, colendis moribus, & inſtituendæ Religioni incumbere. In Chaldæa, Aſſyria, & Ægypto archytectura, Religio, & Leges conditæ, in Græciam deinde, & in regiones cæteras commigrarunt. Celeberrimarum nationum origo, & traditionum fons in Oriente inveſtiganda. Si Veteres nonnulli, quemadmodum Scythæ, & quidam Africæ populi, barbaram & incultam vitam traduxerunt, id vel referendum in eorum regiones, quæ ſteriles & ſqualidæ eos prohibuere, quominus diu alicubi degentes, artes ingenuas excolerent, & politiam inſtituerent, vel vagæ eorum vitæ adſcribendum, a qua, quod illam initio amplexi eſſent, diſcedere detrectarint.

Cæteri vero minoris antiquitatis populi, & a primis hominibus remotiores, cum primum ad regionem aliquam incultam pervenirent, curabant illico, ut tellurem colerent, utque a frigore, ab æſtu, ab aeris inclementia, & a feris ſylveſtribus ſibi conſulerent. Si in iis regionibus homines alii jam verſarentur, bellis prorſus addicti, quomodo hoſtes invaderent, vel eorum improviſos impetus repellerent, unice ſtudebant, quare terroribus undique, curis atque calamitatibus circumſeſſi, otio caruerunt, ut de ſcribendis hiſtoriis ſedulo cogitarent. Quo magis abſunt Provinciæ ab iis regionibus, quas veluti centrum ducimus, unde cæteri egreſſi ſunt homines, populi eo rudiores occurrunt atque hebetiores. Septentrionales regiones, Germaniam, Gallias, ipſam quoque Italiam cultu, regimine atque politia, ſcribendique conſuetudine, & ingenuis artibus diu deſtitutam novimus; quorum & religio barbara atque informis, mores aſperi, & ſtupidi, excolendi animi negligentia ſumma. Hi ſane populi hiſtoriis & origine propria neglectis, in earum prorſus oblivionem tandem venere, cum vero eaſdem inveſtigandi, & ſcriptis commendandi ſtudio teneri cœperunt, in craſſos errores prolapſi ſunt, & levibus quibuſdam confuſæ incertæque, quam ſervaverant, traditionis veſtigiis ducti, nobis inanes fabulas tranſmiſere.

Galli, Germani, aliique populi ſuorum Deorum, Semideorum, Heroum, & Regum genealogias, & Religionis ritus memoriæ mandantes, Annalium & Scripturarum defectum ſuppletum iri putarunt; verum oblivionis periculo, memoriæ variationibus, vicibus ex hominum morte, bellis, cæteriſque eventibus, quibus humana omnia ſunt obnoxia, conſequentibus, nonniſi imperfecte occurrerunt. Illud itaque experientia compertum, ea omnia, quæ Druidæ & Bardi vel ſuæ vel alumnorum memoriæ commiſerunt, oblivione tandem ita deleta eſſe, ut eorum nihil ad nos uſque pervenerit.

Perpauca monumenta, quæ ſæculorum vetuſtati, & Barbarorum, Romanorumque armis ſuperfuere, quædam nempe ſimulacrorum fragmenta, & nonnulli Gallorum nummi, ad eas hiſtorias nobis nil prorſus conferunt. Quo etiam loquerentur idiomate, omnino ignoramus, quod literarum & ſcriptionum (6), per quas id, & hujuſmodi cætera ad poſteros tuto tranſvehuntur, conſuetudinem neglexerint. Quædam Gallici idiomatis reliquiæ in Britannia interiori, & in Vallia adhuc ſuperſtites creduntur; quæ cum veteribus ſcriptis monumentis non innitantur, neque eorum dignoſcendæ hiſtoriæ conducunt. Quæ de iiſdem a Græcis & a Romanis percepimus, & perpauca ſunt & imperfecta.

Ægyptii & Æthiopes, qui hieroglyphicis ſuorum Principum geſta deſignabant, nihil contra oblivionem valuerunt, quamvis eorum memoriam ære & marmore commendarent; hoc enim loquendi genus myſteriis plus nimio obvolvitur. Alia quidem etiam faciliori, certiorique ſcribendi methodo utebantur, verum hæ ſcriptiones, quemadmodum & vetus Ægyptiorum idioma, omnino periere: rariſſima autem ejuſdem idiomatis monumenta, quæ vel invitis barbaris ſæculis inoffenſa ſuperſunt, a nemine legi valent, aut explicari. Græcum idioma in Ægyptum a Ptolemæis invectum, linguam & veteres ejus regionis characteres ſenſim delevit. Vetuſtas Palmyræ, & Perſepolis inſcriptiones omnino ignoramus, & niſi Samaritani Pentateuchum veteribus Hebraicis characteribus exaratum ſervaſſent, Phœniciæ, & Iſraelitis uſque poſt Babylonicam captivitatem familiares, literæ nos omnino laterent. Nemo eſt qui Punicos characteres, & earum regionum nummos explicet. Quamobrem, quod Sacri Hebræorum Libri, exitiis, bellis, cæteriſque, quibus infelix hæc natio aſſidue preſſa eſt, calamitatibus invictis, ad nos uſque inoffenſi pervenerint, id ad Divinæ Providentiæ miraculum referendum arbitramur.

Græci & literas & ſcribendi artem a Phœnicibus accepere (7), quam ſe a Cadmo edoctos ferunt;

(1) Act. vii. 22. (2) Joſeph. l. 1. contr. Appion. pag. 1044. (3) Tullius l. 1. de Legibus. (4) Euripid. Strabo l. 8. ex Thucydid. Iſocrat. Panegyr. alii. (5) Act. xvii. 26. *Fecit ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ.* (6) Patet ex Cæſare, Helvetios Græcis characteribus uſos, cum in eorum caſtris exercitus Helvetici cenſum Græcis literis ſcriptum, ſed fortaſſe Gallico ſermone, invenerit l. 1. c. 29. *In caſtris Helvetiorum tabulæ repertæ ſunt, literis Græcis confectæ &c.* Alibi tamen Cæſar Q. Ciceroni Græce ſe ſcripſiſſe narrat, ne intercepta Epiſtola Romanorum conſilia ab hoſtibus cognoſcerentur lib. 5. Quæ duo loca conciliari nequeunt, niſi dicamus, Gallos Maſſiliæ, ac Mediterraneo proximos Græcis characteribus uſos, non item remotiores. l. 6. narrat, Druidas in rebus publicis, privatiſque rationibus, Græcis literis uſos. *Cum in reliquis rebus publicis privatiſque rationibus Græcis literis utantur.* (7) Ita Tacit. Lucan. Q. Curt. Plutar. Plin. Mela, alii.

runt; eos vero ſcribendi conſuetudine nonniſi ſerius ſcimus. Homerum Poema ſuum minime ſcripſiſſe, ſed tantum memoria ſuggerente per partes ceciniſſe, quod deinde Rapſodi, ſeu Cantores memoriæ commiſſum recitarent, poſtremo ſcriptis fuiſſe commendatum, Joſephus teſtatur (1). Vetuſtiſſimos Græciæ Hiſtoricos Perſarum adverſus Græcos bellum parum ſuperare conſtat. Sanctus Clemens Alexandrinus primum Græcorum Scriptorem Anaxagoram tuetur (2); Themiſtius Anaximenem (3), ante quem, ſubdit, Libros ſcribere probro ducebatur. Plinius (4) Cadmum Mileſium Græcorum hiſtorias primo ſcribere aggreſſum defendit. Fabulis & Poeticæ diu ante quam Hiſtoriæ & Philoſophiæ, teſte Strabone (5), cultus adhibitus. Priores Hiſtorici, ut populo commentis aſſueto pergratas hiſtorias redderent, eas fabulis interſeruere. Quare & Homerus bellum Trojanum fabulis inſtruxit, & Poëſeos voluptate cumulavit.

Inter fabulas, quibus vetus hiſtoria obducitur, veritatis quidem veſtigia a nobis detegi, ultro fatemur. Quot vero præclare geſta Poetarum commentis omnino obruuntur? Ipſas quoque hiſtoricas veritates, quas per fabularum velamina proſpicimus, quonam lumine diſtingueramus, niſi Divinæ nobis præſto eſſent Scripturæ, a quibus ingenue & ſine fuco res exhibentur? Earumdem utique auxilio in Saturno Noemum, Semum in Plutone, in Smi, ſeu in Typhone, & in Neptuno Japhetum dignoſcimus. Moyſes cum Noemum a Chamo ejus filio natu tertio nudum inventum narrat, Saturni ab Jove evirati fabulæ originem profert. Neptunus Oceani Deus Japhetum populorum, qui Gentium Inſulas incoluerunt (6), patrem deſignat. Per Saturnum & Rheam, Adam & Eva, ſeu verius Noe cum uxore induruntur. Gigantes, qui Jovi bellum intulerunt, & Cœlum aggreſſuri montes montibus impoſuere, eos exhibent, qui Babelicæ turri conſtruendæ incubuerunt.

Iſidem & Oſiridem in Ægypto, Venerem & Adonidem in Phœnicia, Cyniram Adonidis patrem ab Apolline victum, Europam raptam, Andromedam expoſitam & ab interitu vindicatam, fabulas quidem eſſe ſcimus, quæ veras hiſtorias indicant. Aurea, argentea, & ferrea ætas, & veterum Græcorum Chaos ab iis repetuntur hiſtoriis, quas a Moyſe accepimus. Hyrieus, qui Jovi & Mercurio peregrinorum ſpecie vagantibus bubulum tergus obtulit, Abrahamum refert, qui Angelos excepit, & Deo favente ex uxore Sara filium ſuſcepit. A Baccho Moyſes, Mercurio Aaron, Samſon ab Hercule exhibentor. Ingenio plus nimio valere ſe Veteres affectarunt: ænygmatis & ſubtilitatis ſtudioſi nil ſe protuliſſe dubebant, niſi prolata quid mirificum redolerent. A quo quidem pravo & inani ſtudio Hebræorum hiſtoria evaſit incolumis. Nil hac gravius, nilque maturius. Dixerim melius: nil verius, nil ſapientius, nil venerabilius Divino Spiritu, quem primum ejuſdem Authorem ſcimus, cujus ſane virtute ſuavitas, lumen, & vis per totam undique hiſtoriam effluunt, atque redundant. Dulciori, atque præſtantiori quam Sacri Authores methodo, nemo quidquam recenſuit, neque ulla monumenta apertiores, quam Hebræorum hiſtoriæ, veritatis characteres unquam prætulerunt.

Illud ad noſtri Operis conſilium ſpectabat, ut ſolos Hebræos veræ priorum ſæculorum hiſtoriæ depoſitarios, nullumque de iis certæ authoritatis monumentum ab Ægyptiis, Chaldæis, Phœnicibus, Sinis, Græcis, Romanis produci poſſe oſtenderemus. Operæ etiam pretium duximus, Ægyptias, Phœnicias, Aſſyrias, Sinicas, Græcas, & Romanas antiquitates perambiguas, & maximis implicatas difficultatibus exhibere, ut Hebræis parum, his vero Nationibus nimium amicos ab errore deduceremus. Inde enim pariter nobis apologiam inſtituimus, quod de iis populis, quorum vetuſtas in dubium revocari nequit, nonniſi perraro in noſtris Lucubrationibus meminerimus. Satis de iiſdem in hac Diſſertatione produximus, ut quantum poſſet neceſſitas poſtulare, Lectorem erudiremus, quin narrationes noſtras intercidere, & moleſtas eiſdem, arduaſque diſcuſſiones intexere cogeremur. Hæc vero omnia in Diſſertatione in Chronologiam (7) jam adumbravimus, & infra in Diſſertatione de magnis Orientis Imperiis attingemus.

Qui Mundum initii expertem putant, & ante Adamum homines extitiſſe, & alias, præter eas, quas ex hiſtoriis novimus, ætatum, Imperiorum, & Religionum vices præteriiſſe opinantur, de ſuis ſibi cogitationibus plaudant. Nos validas, quibus ea deliria probentur, rationes ab ipſis expoſcimus. Syſtemata, Hypotheſes, & Æras, inaneſque Methodos inſtituere quis profecto non valeat? Hoc opus, hic labor eſt, ut nova ſyſtemata ſolidis argumentis defendantur. In novis inventis, in regionibus recens detectis, brevi, ſuæ novitatis characteres mundus undique præfert. Firmiſſima omnium monumenta, marmora, nummi, ædificia, inſcriptiones, ſingula omnia mundum non diu antea conditum oſtendunt. Artium omnium, quæ humanæ opus ſunt vitæ, originem novimus; eas ſaltem non niſi diu poſt completas ſcimus. Mundi & materiæ æternitas in utroque ſyſtemate, quo Deus primum omnium Principium vel ſtatuitur, vel negatur, neque percipi poteſt, neque defendi.

(1) Joſeph. lib. 1. cont. Appion. pag. 1034. d. (2) Clem. Alex. lib. 1. Strom. (3) Themiſt. Orat. 20. (4) Plin. lib. 7. cap. 56. (5) Strabo lib. 1. pag. 18. 19. (6) Gen. 2. 5 (7) Comment. in Geneſ. 4. 1. p. 1. pag. xxvii.

A. M. # TABULA CHRONOLOGICA

1770 ante Chr. 2230 ante Æram vulg. 2234

REGUM ASSYRIÆ.

NEMBROD filius Chus, & Chami ex filio nepos, Aſſyriam Monarchiam fundavit, circa tempora conſtructæ Babelicæ turris, ideſt, circiter 114. annis poſt diluvium, circa A. M. 1770. Succeſſores poſt illum plures in variis Catalogis recenſentur, ſed incerti omnes; ſicut & geſtorum ab illis reſciſcitur nihil.
2682 BELUS Aſſyrius regnum init anno 2682. regnat 55. annis.
2737 NINUS ejus filius, quem Perſæ Imperii hujus authorem conſtituunt, regnum auſpicatur ab anno M. 2737. & ante Chriſtum 1263. Dicitur regnaſſe 52. annis. Moritur circa annum M. 2789. ante Ch. 1211. Ante Æram vulg. 1215.
2831 SEMIRAMIS uxor Nini regnat 42. annis, obit circa A. M. 2831. ante Ch. 1169.
2870 NINIAS annis circiter 39. Rex, obit A. M. 2870. ante Ch. 1130. ante Ær. 1134.
Poſt hunc longo ordine deducti Aſſyriæ Reges incerti ſunt omnes uſque ad Phul in Scriptura notum, qui facile alius non eſt a patre Sardanapali. Phul Iſraeliticam ditionem infeſtavit A. M. 3233. obiit anno 3237. ante Ch. 763. ante Ær. 767.
SARDANAPALUS ejus filius rerum potitur 20. annis, ab an. 3237. uſque ad 3257.
ARBACES Satrapa Medus, & Beleſus, alio nomine Nabonaſſar, in Sacris Libris Hebræorum Baladan, Satrapa Babyloniæ, defectione a Sardanapalo facta, ann. 3254. Regem illum
3257 coegerunt in Regiis Ædibus ultrò ſe igne perimere A. M. 3257. ante Ch. 743. ante Ær. 747.
NINUS junior, Sardanapali in Ninive ſucceſſor, ipſiſſimus eſt Teglat-Phalaſſar, de quo 1. *Par.* v. 6. 26. & 2. *Par.* XXVIII. 20. & 4. *Reg.* XV. 29. & XVI, 7. 10. Regnat 19. annis;
3276 obit A. M. 3276. ante Ch. 724.
3290 SALMANASAR, poſt 14. Regni annos, obit A. M. 3290. ante Ch. 710.
3294 SENNACHERIB regnat 4. annis, obit an. 3294. ante Ch. 706.
3336 ASSARADON rerum potitus in Aſſyrios & Chaldæos 13. annis, obit A. M. 3336. ante Ch. 664. ante Ær. 668.
3356 SAOSDUCHIN, alio nomine Nabuchodonoſor in Judith, regnat 20. annis; obit A. 3356. ante Ch. 644. ante Ær. 648.
3378 CHINALADAN, vel SARACUS 22. annis Rex, obit A. M. 3378. ante Ch. 622. ante Ær. 626.
NABOPOLASSAR & Aſtyages arcta obſidione coactum Chinaladan in Ninive, Regno expoliarunt. Aſtyages deinde in Media, & Nabopolaſſar in Ninive regnant ab A. M. 3378.
3399 uſque ad 3399. Nabopolaſſar filium habuit Nabuchodonoſorem Regem Chaldææ, vel Babyloniæ.
3399 NABUCHODONOSOR, Rex Chaldææ & Aſſyriæ, Regnum init Babylone anno 3399. in furorem incidit A. 3435. tum feræ more agit inter beſtias ſeptennio; ad mentem redit
3442 A. 3442. obit poſt 43. Regni annos A. M. 3442. ante Ch. 558. ante Ær. 561.
3444 EVILMERODACH biennio Rex, ab A. 3442. uſque ad 3444.
3449 BALTHASAR quatuor annis regnat; obit A. M. 3449.
3466 DARIUS Medus ſuccedit, & regnat Babylone 16. vel 17. annis, obit A. M. 3466. relicta Cyro Imperii hæreditate, qui Imperii Perſici Author eſt.

TABULA CHRONOLOGICA

IMPERII PERSICI.

A. M.
3466 CYRUS regnat Babylone 19. annis ab anno 3466. uſque ad 3475. ante Ch. 525. ante
3475 Ær. 529.
3482 CAMBYSES regnat 7. annis & 5. menſibus, obit A. 3482.
3483 OROPASTES, perſonam aſſumens Smerdis filii Cyri & fratris Cambyſis, Regnum uſurpat menſibus 5.
DARIUS filius Hyſtaſpis regnat. Ipſe eſt Aſſuerus Scripturæ, ducta in conjugem Eſther
3519 notus. Imperium tenet 36. annis, obit A. M. 3519. ante Ch. 481. ante Ær. 485.
3531 XERXES, 12. annis Rex, obit A. 3531. ante Ch. 469. ante Ær. 473.
3579 ARTAXERXES cognomento *Longimanus*, regnat 48. annis, obit A. 3579. ante Ch. 421. ante Ær. 425.
3580 XERXES II. regnat annis 1. obit A. 3580. ante Ch. 420. ante Ær. 424.
SECUNDIANUS, vel Sogdianus ejus frater regnat ſeptem menſibus.
OCHUS tertius filius Artaxerxis, alio nomine Darius Nothus, Rex 19. annis, obit ann.
3600 3600. ante Ch. 400. ante Ær. 404.
3643 ARTAXERSES Mnemon regnat 43. annis, obit A. 3643. ante Ch. 357. bellum ſuſtinuit a Cyro juniore fratre ſuo illatum.
3666 ARTAXERSES Ochus regnat 23. annis, obit A. 3666. ante Ch. 334.
3668 ARSEN triennio Rex, occiſus eſt a Bagoa A. 3668. ante Ch. 332.
3674 DARIUS Condomanus, victus ab Alexandro Magno A. 3674. ante Ch. 326. ante Ær. 330. poſt ſex Regni annos.

Perſarum Imperium ſtetit annis 208.

Digitized by Google

MONARCHIA CHALDÆORUM.

A. M. SCriptorum plerique cenſent, Nembrodum authorem eſſe Imperii Chaldæorum, cujus Se-
dem Babylone conſtituerit. Vide *Gen.* x. 10. & *Mich.* v. 6. Syſtemate hoc poſito, vide
quæ ſupra notavimus de Monarchia Aſſyriorum, quæ non raro cum Chaldæa confunditur.
Qui docent a Nembrodo Imperium Aſſyrium conſtitutum, nullum habent quem primum
Chaldaicæ Monarchiæ authorem aſſignent; ſed notus eſt ſub Abrahamo Amraphel Rex Sen-
2092 naar, *Gen.* xvi. 1. A. M. 2092. ante Ch. 1908. ante Ær. 1912.
Evechous Rex Chaldæorum iniviſſe Regnum A. 224. ante occupatum Regnum illud ab
2952 Arabibus, dicitur a Julio Africano & Euſebio. Incidit hic annus in A. M. 2952.
2466 Arabes armis in Chaldæos illatis, illos ſubegerunt A. M. 2466. Rerum potiti ſunt in Chal-
dæa 216. annis, uſque ad Belum Aſſyrium.
Ex Arabibus primus regnavit Mardocentes, facile Merodach, quem Numinis loco gentes
2511 illæ coluerunt. Regnum habuit 45. annis, obiit A. 2511. ante Ch. 1489.
2682 BELUS Aſſyrius Regnum Babylone inivit A. M. 2682. Periodi Julianæ 3392. ante Ch.
1318. Regnavit 55. annis, obiit A. 2737. ante Ch. 1263. Succeſſores habuit Ninum, Semi-
ramidem, Niniam, cæteroſque, de quibus actum eſt ſub Imperio Aſſyriorum.
BELESUS, alio nomine Baladan, vel Nabopolaſſar, defectione facta in Sardanapalum,
3257 poſtremum Aſſyriæ Regem ex ſucceſſoribus Beli, A. M. 3257. Periodi Julianæ 3966. ante
3323 Ch. 743. novum Chaldaicum Imperium conſtituit, quod exinde uſque ad A. M. 3323. ſub-
ſtituit, donec ſcilicet Aſſaradon Rex Aſſyriæ ditioni ſuæ illud adjiceret. Succeſſores habuit
Saoſduchin, Chinaladan, Nabopolaſſarum, Nabuchodonoſorem, Evilmerodachum, & Bal-
thaſarem, ut ſupra jam in laterculo Regum Aſſyriæ exhibuimus.

MONARCHIA MEDORUM.

ARBACES, vel Orbaces, aut Pharnaces, Satrapa vel Præfectus Mediæ, avulſos a Sar-
3257 danapalo Medos, A. M. 3257. in libertatem aſſeruit. Regnavit, ſeu præfuit in Media
ad obitum uſque, cujus incertus annus. Ejus obitum excipit interregnum uſque ad A. M.
3270 3270. ante Ch. 730.
3322 DEJOCES Rex conſtituitur A. 3270. regnat 52. annis, obit A. M. 3322. ante Ch. 678.
3322 PHRAORTES ejus filius, poſt ſubactos Perſas ipſe viciſſim ab Aſſyriis ſubjugatus eſt.
Ipſiſſimum credimus Arphaxad, de quo *Judith.* I. 1. victum a Nabuchodonoſore, alio no-
3347 mine Saoſduchin, Aſſyriæ Rege, A. M. 3347. poſt 22. Regni annos, ante Ch. 653. ante
Ær. 657.
3387 CYAXARES regnat 40. annis, obit A. M. 3387. ante Ch. 613.
3422 ASTYAGES Rex Medorum, regnat 35. annis, obit A. M. 3422. ante Ch. 578.
3449 CYAXARES II. vel Darius Medus, filius Aſtyagis, ſuccedit Balthaſari in Regnum Ba-
3466 byloniæ A. M. 3449. obit A. M. 3466. Poſt illum regnat Cyrus.

COM-

COMMENTARIUS LITERALIS IN LIBRUM JOSUE.

CAPUT PRIMUM.

Joſue ex receptis a Deo promiſſionibus confirmatis animo, denunciari jubet populo, ut ad tranſitum Jordanis ſeſe paret: mandat autem Tribubus Ruben, Gad, & dimidiæ Manaſſe, ut in primo agmine procedant; quibus juſſionibus illæ ſeſe plane obſequuturas ſpondent.

A. M. 2553. Ante Christ. 1451.

ꝟ. 1. ET factum eſt poſt mortem Moyſi ſervi Domini, ut loqueretur Dominus
ad Joſue filium Nun, miniſtrum Moyſi, & diceret ei: 2. Moyſes ſer-
vus meus mortuus eſt: ſurge, & tranſi Jordanem iſtum tu, & omnis populus tecum,
in terram, quam ego dabo filiis Iſrael. 3. Omnem locum, quem calcaverit veſti-
gium pedis veſtri, vobis tradam, ſicut locutus ſum Moyſi. 4. A deſerto, & Liba-
no uſque ad fluvium magnum Euphratem, omnis terra Hethæorum uſque ad mare
magnum contra ſolis occaſum erit terminus veſter. 5. Nullus poterit vobis reſiſtere
cunctis diebus vitæ tuæ: ſicut fui cum Moyſe, ita ero tecum: non dimittam, nec
derelinquam te. 6. Confortare, & eſto robuſtus; tu enim ſorte divides populo huic
terram, pro qua juravi patribus tuis, ut traderem eam illis. 7. Confortare igitur,
& eſto robuſtus valde: ut cuſtodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moy-
ſes ſervus meus: ne declines ab ea ad dexteram, vel ad ſiniſtram, ut intelligas cun-
cta, quæ agis. 8. Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo: ſed meditaberis in
eo diebus, ac noctibus, ut cuſtodias, & facias omnia, quæ ſcripta ſunt in eo: tunc
diriges viam tuam, & intelliges eam. 9. Ecce præcipio tibi, confortare, & eſto ro-
buſtus. Noli metuere, & noli timere: quoniam tecum eſt Dominus Deus tuus in om-
nibus, ad quæcumque perrexeris. 10. Præcepitque Joſue principibus populi, dicens:
Tranſite per medium caſtrorum, & imperate populo, ac dicite: 11. Præparate vo-
bis cibaria: quoniam poſt diem tertium tranſibitis Jordanem, & intrabitis ad poſſiden-
dam terram, quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis. 12. Rubenitis quoque,
& Gaditis, & dimidiæ tribu Manaſſe ait: 13. Mementote ſermonis, quem præcepit
vobis Moyſes famulus Domini, dicens: Dominus Deus veſter dedit vobis requiem, &
omnem terram. 14. Uxores veſtræ, & filii, ac jumenta manebunt in terra, quam
tradidit vobis Moyſes trans Jordanem: vos autem tranſite armati ante fratres veſtros,
omnes fortes manu, & pugnate pro eis, 15. Donec det Dominus requiem fratribus
veſtris, ſicut & vobis dedit, & poſſideant ipſi quoque terram, quam Dominus Deus
veſter daturus eſt eis; & ſic revertimini in terram poſſeſſionis veſtræ, & habitabitis
in ea, quam vobis dedit Moyſes famulus Domini trans Jordanem contra ſolis ortum.
16. Reſponderuntque ad Joſue, atque dixerunt: Omnia, quæ præcepiſti nobis, facie-
mus: & quocumque miſeris, ibimus. 17. Sicut obedivimus in cunctis Moyſi, ita
obediemus & tibi: tantum ſit Dominus Deus tuus tecum, ſicut fuit cum Moyſe.
18. Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis ſermonibus, quos præceperis
ei, moriatur; tu tantum confortare, & viriliter age.

℣. 1. ET FACTUM EST POST MORTEM MOYSI. Conjunctio & Libri hujus cum præcedente continuationem notat. Scripta autem creditur ab eodem Joſue Hiſtoria obitus Moyſis, quæ Deuteronomium claudit (1). Ut igitur narrationem illam conjugat cum hiſtoria rerum a ſe geſtarum poſt mortem Legiſlatoris, unam orationis ſeriem ducit; ac negligens accuratam longo ſtudio præfationem Operi ſuo præponere, ex iis, quæ ſub Moyſe acciderunt, viam ſibi pronam, & facilem ſternit ad ea narranda, quæ in expeditione Chanaanitica ſe duce geſta ſunt. Scribendi genus eſt hoc æquabile, accuratum, & multo ſuperius vana illa jactantia, quæ expendendas lucubrationes ſuas Lectoribus proponit. Lectorem ille ſuum ne ſentientem quidem e narratione rei in rem aliam deducit, ne ſentientem, inquam, ab Authore ſe alio duci. Satis autem Scriptor ſapientiſſimus attentum eſſe Lectorem ſuum putat, cum unicam orationis ſeriem texat & eorum quæ antea acciderunt, & eorum quæ ſe duce geſta ſunt. Vetus ille mos tranſcribendi Sacros Libros ſatis congruebat ingenio eorum, qui opera illa primi digeſſerant; nulla Operis per capita diviſio tunc obtinebat: nulla quin etiam ſæpe inſcriptio Libris præfigebatur; perpetua ſcriptione digerebantur omnia, præcedentibus cum ſubſequentibus intermedia conjunctione, qualis hic legitur, continuatis.

Deus Joſue alloquitur, poſt abſolutum luctum pro obitu Moyſis, & poſt reditum Exploratorum, qui Chanaanitidem excurrerant (2). Obiit Moyſes in exordio duodecimi menſis anni Sancti, cui luctu triginta dierum parentatum eſt. Cum ceſſatum eſt a lacrymis, Joſue miſit Exploratores in Chanaanitidem; quibus die quarta regreſſis, Deus verba faciens ad Joſue, denunciandum populo præcepit, ut annonam pararent ad iter, quippe quibus intra triduum Jordanis trajiciendus eſſet (3). In parando itinere triduo adhuc cunctatum eſt in Sethim: octava tandem die caſtra mota ſunt: nona die tota ſubſtitit agmen in ripa Jordanis; amnemque decima Niſan tranſvadavit.

Si quis literam teneat verſiculorum 10. & 11. hujus Capitis, ille certe reputabit, Joſue memoriæ lapſu imperaſſe populo, ut pararet ſe ad tranſvadandum Jordanem in tertium diem: neque enim niſi poſt ſex dies amnem re ipſa trajecerunt. Sed non una interpretatione oppoſitio hæc omnis conciliatur; e. g. denunciavit, tranſmiſſionem Jordanis implendam tertia die poſt mota e Sethim caſtra: Parate, ait, commeatus ad tres dies itineris; tertia enim itineris die Jordanem tranſmittetis. Vel: Parate annonam; intra triduum enim accedetis ad vada Jordanis (4): ſeu demum id imperatum eſt, poſtquam ad Jordanem populus venit; quæ interpretatio ſi teneatur verſiculi 10. & 11. hujus capitis poſt verſiculum 1. capitis III. conſtituendi ſunt. Variæ hæ ſententiæ ſingulæ ſuos habent patronos; priorem tamen cæteris præponimus. Cæterum tranſpoſitiones in Hiſtoriis ſacrorum Authorum non infrequentes occurrunt; cum enim ætate ſua comperta omnibus ſcriberent, non eamdem curam conferebant minutiſſimis quibuſque circumſtantiis referendis, quam Authores remoti vel recentiores ſibi neceſſariam arbitrantur.

JOSUE FILIUM NUN, MINISTRUM MOYSI. De dotibus cæteriſque ad Joſue pertinentibus ſuſe ſatis actum eſt in præfatione hujus Libri; & in Exodo XXIV. 10. demonſtravimus, titulum illum miniſtri, vel famuli Moyſis, nihil præferre illiberale, nihil quod ſplendorem inſignis hujus viri offuſcaret. Aderant plerumque Prophetis miniſtri peculiares, in ſucceſſores Prophetiæ deſtinati. Eliam comitabatur Eliſeus, qui illi ſucceſſit: Eliſeum Giezi, qui ſordida auri cupiditate indignum ſe eo honore præbuit: Jeremias ad nutum habebat Baruch, inclyti illi antiquitatis viri ſuos habebant familiares viros, ipſos pariter inſignes, quos in dominorum obſequio detinebat non merces collata, ſed voluntas, & amor.

℣. 2. TRANSI JORDANEM. Jordanes notiſſimus in Scriptura amnis, ſuos habebat fontes in Libano, ſeu potius in Anti-Libano. *Jordanis quidem fons*, ait Joſephus (5): *Panium eſſe videtur; ſub terram vero huc occulte defertur ex Phiala, ut appellatur. Hæc autem eſt, qua in Trachonitidem aſcenditur ad* CXX. *ſtadium a Cæſarea, ad dexteram, non longe a via; & quidem propter rotunditatem vero nomine Phiala dictus eſt lacus, rotæ in modum rotundat: ſemper autem intra labia ejus continetur aqua, nunquam ſubſidens, nunquam exundans. Cumque autem hoc eſſe Jordanis principium neſciretur, a Tetrarcha quondam Trachonitidis Philippo deprehenſum eſt, immiſſis enim ejus juſſu in Phialam paleis, inventæ ſunt delatæ in Panium, unde antiquitas fluvium naſci crediderunt. Ab hoc autem antro incipiens manifeſto fluere Jordanes, medius quidem ſecat Semechonitidis paludes cœnoſas. Huic quidem lacui (6) latitudo eſt ſtadiorum triginta; longitudo vero ſexaginta, paludeſque ſuas extendit uſque ad locum Daphnem dictum. Cætera deliciis abundantem, fonteſque habentem, qui minorem, ut vocatur, Jordanem augentes, ſub ſano Bovis aureæ cum immittunt in majorem.*

Vulgo creditur, ſed nullo documento probante, Lacum Semechon eumdem eſſe ac Aquas Merom, de quibus infra XI. 5. E Lacu Semechonis, Jordanes iter ſuum a ſeptentrione in meridiem ſpatio CXX. ſtadiorum proſequitur; inſluitque tandem in lacum Geneſareth, alio nomine, Mare Tiberiadis, ſtadiorum C. in longum, & XL. in latum. Medias illas undas amnis ſecans, poſtquam longum regionum tractum beneficis aquis irrigavit, devolvitur tandem in Mare mortuum, alio nomine Lacum Aſphaltitem, vel Sodomæ.

℣. 3. OMNEM LOCUM, QUEM CALCAVERIT VESTIGIUM PEDIS VESTRI, VOBIS TRADAM. Tota ratio, qua expeditio Hebræorum in Chanaanitidem culpa abſolvitur, legitimoſque conſtituit acquiſitæ illius regionis poſſeſſores, hinc petitur. Deus bonorum omnium & vitæ populorum illorum arbiter, expeditionem hanc præcipit: deleri homines illos jubet, regionemque illorum poſſideri. Perinde habetur tota ea regio, ac deſtitutus incolis locus, qui primo occupanti permittitur: gens eſt extremo ſupplicio Domini ſententia damnata; perinde habita, tanquam ruinis ſuis ſepulta (7).

Non ita tamen reputandum eſt, ut juſſiones illæ latæ Iſraelitis, amplam illis relinquerent facultatem infeſta arma quocumque impelleret voluntas inferendi; ſicuti neque vindicandi ſibi omnes quaſcumque regiones ſubmittere ſibi voluiſſent, quarum vetuſtis incolis deletis, illas ſibi eligerent in ſedes. Expreſſa in verbis hujus Textus facultas ſola definitur ad populos Chananæos: quin & Ciſeuphrateæ gentes, quamquam intra veteres limites a Deo Hebræis præſcriptos conſtitutæ, mitius tamen quam Chananæi habitæ ſunt a Davide, & Salomone, caventibus, ne excidio perderentur, ſed & conſervandas illas ducentibus, tributo tantum imperato. Vide perſimilem phraſim in Deuteronomio XI. 24.

℣. 4. A DESERTO, ET LIBANO USQUE AD FLUVIUM MAGNUM EUPHRATEM. Deſertum hoc eſt Arabiæ Petrææ, Terræ Chanaanitidi meridionale. Libani nomen eſt notum: limes erat Chanaanitidis a Septen-

[1] Rabb. ap. Munſt. Vat. &c. [2] Joſ. Ant. l. 5. c. 1. Bonfr. aliis. [3] כי בעוד של שה ימים אתם עברים את הירדן *Quod adhuc tres dies, & vos tranſibitis Jordanem.*
[4] Aug. qu. 2. in Joſue. [5] Joſeph. de bello Jud. l. 3. c. 18. in lat. [6] Idem l. 3. c. 18. & lib. 4. c. 1. Ex lib. 13. cap. 9. de Bello noſcimus, par intervallum fuiſſe a Lacu Semechonis ad fontes Jordanis, & ab eodem Lacu ad Mare Tiberiadis, ſcilicet CXX. ſtadia. [7] Grotius.

ptentrione. Porro mons iſte excurrebat ex Oriente in Occidentem ab ora Mediterranei ad vicina Damaſci; & a Meridie in Septentrionem porrigebatur a Dan, vel fontibus Jordanis aduſque Laodiceam, Cunnam, Aradum, vel Auturam. Duos Libani montes Græci diſtinxerunt; Occidentalem, quem Libanum appellarunt, & Orientalem, quem Antilibanum (1). Inter duas montium catenas, quas olim murus intermedius conjungebat (2), patens ſeſe offert vallis, quæ Syria-Cava, vel Cœle-Syria dicitur, Phœnicum ſedes. Hos populos quietos reliquiſſe Hebræi ſub Joſue videntur; David tamen domitos (3) tributo ſubmiſit. His continendis in fide, Urbes quaſdam, & arces in Libano Salomon ædificavit (4); diviſo tamen Regno decem Tribuum a Juda, illi tandem jugum excuſſerunt. In verſione Septuaginta (5) occurrit non raro Antilibanus pro Libano poſitus (nomine autem *Antilibani* deſignant montes Palæſtinam a Septentrione definientes, & a Sidone Damaſcum uſque porrectos). Monti huic Libani nomen inditum eſt e candore nivium, quibus perpetuo ejus vertex albeſcit; vel e thure, & arboribus gummiferis, quarum eſt ferax; *Laban* etenim, vel *Lebana* eſt Hebraice album, vel thus.

Euphrates, cui plerumque in Scriptura tribuitur nomen *magni fluvii*, fluebat ad Orientem ejus Regionis, quam Deus Iſraelitis ſeſe conceſſurum ſpoponderat. Porro illorum Imperium uſque ad amnem illum paruiſſet, ſiquidem manſiſſent in fide, atque iis ſtetiſſent conditionibus, quas in fœdere cum Deo inito, cum in poſſeſſionem ejus Regionis immiſſi ſunt, confirmarunt. Cum autem officio defuiſſent, noluit Deus, ut diutius ea poſſeſſione fruerentur. Subjecit totam illam regionem David; Salomon toto Regni ſui tempore retinuit; ſed ejus ſucceſſores illa ſpoliati ſunt: quin & David ipſe ac Salomon provincias illas nonniſi tributarias habuerunt; nec Iſraelitæ unquam abſoluto ejus portionis, urbiumque extra primam illorum hæreditatem contentarum, dominio uſi ſunt; hæreditatem, inquam, quam Moyſes & Joſue diſtribuerunt.

Terræ promiſſionis limites non eoſdem ſemper aſſignat Scriptura; variat enim non raro. Interdum pariter ſatis habet indicare generatim præcipua veluti puncta lineæ definientis; viciſſim autem interdum accurate cuncta proſequitur: modo continet ſeſe intra regionem, quam Iſraelitæ occupabant; modo vero ad omnia porrigitur, quæ illis promiſſa fuerant. Congruunt in his omnia, nihil repugnat. Eadem eſt regio vario ſub aſpectu, vel accurate magis minuſve definita.

Omnia terra Hethæorum. Conſidebant Hethæi potiſſimum in regione montuoſa, ad meridiem Chanaanitidis (6); gens autem erant bellica virtute Chananæos cæteros ſuperans, urbeſque poſſidens omnium ejus regionis munitiſſimas. Urbium illorum ſitus, & incolarum robur inexpugnabilem hoſtibus locum reddere videbantur, Deus tamen fidem ſuam obligat Joſue, eam ſe illi traditurum ſubigendam, ut ſcilicet ea ſpe confirmatus expeditionem illam alacris ſuſcipiat. Interpretum plures putant, nomine Hethæorum hic deſignari omnes late Chananæos, quemadmodum alibi ſub uno Amorrhæorum nomine indicatos fuiſſe conſtat.

Usque ad mare magnum, contra Solis occasum. Sermo eſt hic de Mediterraneo, quod occidentale eſt Palæſtinæ: mare magnum dicitur, oppoſitum minoribus quibuſdam maribus, vel lacubus Chanaanitidis, ut Mari Geneſareth, Mari Mortuo. Solemne eſt enim Hebræis, commune maris nomen tribuere amplioribus aquarum receptaculis, vel dulcibus vel ſalſis aquis impleantur. Sæpe *maris* nomine, ſine addito, occidens & mediterraneum deſignatur.

℣. 5. Nullus poterit vobis resistere. Niſi ope mea indignos vos exhibueritis, id efficiam, ne adverſarius quicumque vim veſtram ſuſtineat, reſiſtat vobis: ſi quis vero reſiſtere audeat, malo ſuo & bono veſtro id moliatur. Nulla Chananæorum gens ſponte ceſſit Hebræis; ſi unicos excipias Gabaonitas (7); cæteri vi ſubacti ſunt, id providente Numine ut perſeverarent in armis, quo ſcilicet nullas æquiores ſibi conditiones pacis ab Iſraelitis impetrarent. Igitur cum Deus ſpondet Joſue. *Nullus poterit vobis reſiſtere*, ſignificat, neminem ita reſtiturum Hebræis, ut illis non cedat, exerat licet cervicem, jugo tamen invitum eſſe ſubjiciendum.

Non dimittam. Hebræus ad literam: לא ארפך *Non dimittam te ut laſſeris animo*; vel, ut viribus infirmeris, nunquam permittam.

℣. 6. Sorte divides. Textus præfert tantum: תנחיל *Tu poſſidere facies*; populum in poſſeſſionem hujus regionis immittes, illam ſubiges.

℣. 7. Ne declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram. Phraſi hac deſignari cenſent quidam (8), nihil eſſe Legi ſive addendum, ſive detrahendum, ſed Legem facile eſſe retinendam. Præſtat vero proverbiali ſenſu dictum accipere: ne quidquam exorbites, viam tene regiam, veluti quis iter habens, qui itineri ſuo inſiſtit: ne minimum quidem divertens. Hebræus legit: אל תסור ממנו *Ne declines ab eo dextrorſum, & ſiniſtrorſum*; ne ſcilicet a Moyſe, vel a Libro Legis, ſive ad dexteram, ſive ad ſiniſtram quidquam divertas. Lectionem Vulgatæ retinendam eſſe docent Judæi ממנה *Ne declines ab ea*, a Lege, ad dexteram, vel ad ſiniſtram.

Ut intelligas cuncta quæ agis. Septuaginta, & docti plures Interpretes (9) interpretationem hanc prætulerunt: [illegible] Ut prudenter agas omnia, quæcumque moliris. Sed vertendum alii malunt (10): *Ut proſpereris in omni loco, quo iveris*; in omnibus, quæ ſuſceperis. Conſtat utique, vocem originalem uſurpari interdum pro *proſperari in re aliqua*; ſæpius tamen pro *prudenter operari*. Eadem phraſis recurrit in ℣. 8.

℣. 6. Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo. Habeas illud aſſiduo in ore, & in mente; verba ejus meditare; perinde te habeto ac illi, qui gravi aliqua re occupantur, quique conantur memoriæ mandare, verſantque ore aſſidue; ita pariter & data a me Lex nunquam ex ore tuo cadat.

Tunc diriges viam tuam, et intelliges eam. Tunc rerum a te ſuſceptarum proſperum exitum habebis; vel vias tuas æquabiliter diriges, ages prudenter. Reddi commode poteſt: Tunc fiet ut proſpereris, & ea quæ ſuſceperis, omnia perficias.

℣. 10. Principibus populi. Hebræus: *Soterim populi*. Septuaginta, *Scribis populi*; Aquila, *Exactoribus*; Symmachus, *Ducibus*. Quid ea voce deſignetur, expendimus in Deuteronomio 1. 15. Uſurpatur interdum pro judiciali quadam dignitate; interdum vero pro Curſoribus, ſive Præconibus. Reputaverim ego, non multum abludere a *Præconibus* illis, de quibus Homerus, quique appellantur Legati, vel Nuncii hominum, & Deorum: ſceptro donabantur, authoritatis indicio, & apud gentes æque omnes inviolabiles habebantur. Non erant modo viri ad politiam pertinentes, qui munus ſuum tantum intra Urbes gererent: tem ha-

bebant

[1] Strabo lib. 16. [2] Plin. l. 5. c. 20. [3] 1. Reg. VIII. 3. [4] 3. Reg. IX. 19. & 2. Paral. VIII. 3. & 6. [5] Vide Deut. 1. 7. & III. 25. & XI. 24. & Joſue 1. 4. & IX. 1. [6] Maſ. Bonfr. [7] Joſue XI. 20. *Non fuit civitas, quæ ſe traderet filiis Iſrael, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon: omnes enim bellando cepit. Domini enim ſententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſrael*, &c. [8] Rab. Levi., Ben-Gerſon apud Maſ. & Magalian. apud Bonfr. [9] Munſt. Maſ. Corn. &c. [10] למען תשכיל בכל אשר תלך Ita Chald. Rab. Druſ. Vat. Syr. Arab.

Digitized by Google

bebant in exercitu & in bello. Eadem pariter de *Soterim* Scripturæ narrantur.

Ỳ. 11. Præparate vobis cibaria. Manna, adhuc de Cœlo cadens, quotidianam annonam præbebat, facilem adeo, ut nonniſi ad unam diem cibum ſibi comparare cogerentur: fruſtra etiam ad plures dies paraſſent; diutius enim eſcæ illæ conſervatæ vermibus ſcatebant. Quem igitur commeatum parari Joſue imperavit? Sunt qui credant (1), ceſſaſſe beneficum illum imbrem, ſtatim ac Moyſes interiit: docet tamen Joſue, perſeveraſſe re ipſa uſque poſt tranſitum Jordanis, nec deſiiſſe, niſi poſtquam populus panem regionis guſtavit (2). Reputant alii, Joſue (3) cibariorum nomine deſignare arma, & bellica inſtrumenta: ſed interpretatio ea eſt plane extraordinaria, & a communi vocum notione remota. Alii (4) tandem æquius arbitrantur, Hebræos cibariorum copiam maximam nactos fuiſſe in regione Amorrhæorum, quam armis ſubegerant; plurimumque ex commercio cum finitimis gentibus farinæ & carnium comparare ſibi potuiſſe, quibus alerentur, ſiquidem vellent; nec tamen manna adhuc deſtitutos eſſe. Cadebat imber ille pro conſueto more in gratiam indigentium, & imbecillium, qui alios cibos comparare ſibi minus valuiſſent. Imperat igitur Joſue, ut ſeſe ad tranſitum amnis parent, atque ad iter commeatus. Sunt qui credant (5), tum ſolum collectam mannam perſeveraſſe incorruptam, novo plane & inſueto prodigio; nec aliis cibariis, quam manna, ſibi Judæos providiſſe. Reputari etiam non incongrue poſſet, Joſue, cum vel ſuſpicaretur, ne manna poſt trajectum Jordanem ceſſaret, vel metueret, ne ab urgentibus hoſtibus prohiberentur Iſraelitæ ab ea extra caſtra colligenda, hiſce cautionibus providendum cenſuiſſe huic populi diſcrimini, qui in hoſtili terra cibo neceſſario deſtitui potuiſſet.

Post diem tertium transibitis Jordanem. Si hæc denunciata ſunt in agro Moabitico, poſt reditum Exploratorum, & ante mota é Sethim caſtra ut veniret populus ad ripam Jordanis; conſtat utique ex contextu ſermonis Joſue, Hebræos non tranſiiſſe amnem triduo poſt illud edictum, ſed poſt ſex dies, uti ſupra expoſuimus Ỳ. 1. Reputamus igitur, triduum hoc ducendum eſſe a prima die ſtationis habitæ ad Jordanem, poſt tres dies a reditu Exploratorum, brevi ab octava die primi menſis; neque enim niſi decima ejuſdem menſis fluvius re ipſa tranſvadatus eſt.

Ỳ. 13. Dedit vobis requiem et omnem terram. Hebræus (6) legit tantum: *Dans vobis manſionem* [locum quietis] *& terram hanc*; hæreditatem veſtram recepiſtis, locum habebitis veſtræ quietis in regione Sehon & Og edomita.

Ỳ. 14. Omnes fortes manu. E tribus hiſce Tribubus ſelecti ſunt tantum xl. mille, quamquam militum complectebantur non minus, quam cx. m. ac dccxxx. omneſque fidem ſuam obligaverant Moyſi, ſuppetias ſe laturas fratribus ſuis in expeditione Chananaitica (7); ſed Joſue omnem illam multitudinem ſuperfluam propoſito cenſuit, quin etiam minus expedire videbatur, ut tota ea regio nuper ſubacta vacua defenſoribus relinqueretur in medio circumjacentium populorum, quos metus tantum coercebat, ne odium ſuum, & infenſum animum in Iſraelitas oſtenderent. Vox igitur illa *omnes* limitatione quadam accipienda eſt hic, ſicuti etiam ſupra Ỳ. 2.

Transite armati ante fratres vestros. Reddi Hebræus poſſet (8): *Tranſite in aciem diſpoſiti coram fratribus veſtris*. Occurrit hic Hebræum *Chamuſchim*, cujus genuinam ſignificationem in Exodo xiii. 18. explicare conati ſumus. Quod attinet ad cum Textus locum; milites ſcilicet Tribuum illarum juſſos fuiſſe tranſire ante fratres ſuos, vel coram fratribus ſuis; Septuaginta, & Vulgata, quos Duces docti plures Interpretes ſequuntur (9), docent, milites illos quadragies mille e Ruben, Gad, & Manaſſe in fronte agminis ſemper ſtetiſſe. Malunt tamen alii (10) ſervaſſe illos ordinem ſuarum Tribuum, quem olim tenebant in itinere per Deſertum. Prior tamen ſententia hærere magis Textui nobis videtur; qui ſcilicet Textus in deſcribenda agminis illius profectione eamdem ſemper phraſim uſurpat.

Pugnate pro eis. Hebræus: *Auxiliabimini eis*, in conferenda manu cum hoſtibus auxilio illis eſtote. Iniquum plane fuiſſet, ut auxiliares illi plus molirentur pro fratribus, quam quod illi egiſſent pro ipſis in ſubigenda regione Tranſjordanica.

Ỳ. 15. Trans Jordanem, contra Solis ortum. Scribebat facile librum ſuum Joſue poſt peracta cum Chananæis bella, & cum Palæſtinam jam teneret; quare de regione Tranſjordanica ita agit, tanquam qui cis amnem verſatur. Vide quæ diſſeruimus in Deuteronomium 1. 1.

Ỳ. 17. Tantum sit Dominus tecum. Sunt qui in hunc ſenſum verba accipiant (11): Obedientiam omnem tibi profitemur, dummodo in fide Domini maneas; & juxta datas ab illo leges nos regas. Sed detorta nimis expoſitio nobis videtur; quare vertendum potius cenſemus (12); Dicto tuo perinde ac Moyſis obſequentes erimus: Deum rogamus, ut tibi faveat, cumuletque te ſuis benedictionibus, robur illud animi concedat, quo ita nos, quemadmodum a Moyſe factum eſt, regas atque deducas.

Ỳ. 18. Qui contradixerit ori tuo .... moriatur. Quicumque animi perverſitate parere recuſabant Regi, vel Principi, vel illi, penes quem ſumma erat in Iſraele poteſtas, morte damnabantur, Judicum ſententia (13); quippe qui conſtituerent ſe reos læſæ majeſtatis, vel juxta phraſim Scriptorum Hebræorum, inducerent in caput ſuum damnationem *cauſa Regni* (14). Rei illius bona omnia fiſco addicta, Regi cedebant. Jure illo David decreviſſe fertur de bonis Saülis, & Jonathæ, quæ cum ſua eſſent, Miphiboſetho filio Jonathæ largitus eſt (15); tum eidem ablata, Sibæ donavit (16). Cum fraude Jezabelis crimine læſæ majeſtatis damnatus fuiſſet Nabot (17), ſtatim Achab in poſſeſſionem bonorum ipſius venit. Criminum illorum cauſas interdum Reges ipſi per ſe cognoſcebant; jus enim erat illis Judices ipſos prævenire: tam alta ſedebat apud Veteres de probitate Regum opinio.

[1] Rabb. [2] Joſue v. 12. [3] Rabi Salom. & Joſeph. lib. 5. c. 1. [4] Kimchi, Toſt. Maſ. [5] Serar. Procop. [6] מנוח לכם ונתן לכם את הארץ הזאת [7] Vide Num. xxxii. 17. 20. 21. [8] ואתם תעברו חמשים לפני אחיכם [9] Serar. Bonfr. Cornel. [10] Jun. Druſ. Maſ. [11] Ita Talmudici, Kimchi, &c. [12] Maſ. Menoch. Grot. [13] Vatab. [14] Vide Grot. hic. [15] 2. Reg. ix. 7. [16] 2. Reg. xvi. 4. [17] 3. Reg. xxi. 15.

CAPUT II.

Exploratores a Joſue miſſi excipiuntur, celanturque in ædibus Rabab; dein evadentes per feneſtram, recipiunt ſeſe in montes, ex quibus in caſtra Iſraelitarum deſcendunt.

℣. 1. MIſit igitur Joſue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abſcondi-
dito: & dixit eis: Ite, & conſiderate terram, urbemque Jericho. Qui
pergentes ingreſſi ſunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, & quieverunt
apud eam. 2. Nuntiatumque eſt regi Jericho, & dictum: Ecce viri ingreſſi ſunt huc
per noctem de filiis Iſrael, ut explorarent terram, 3. Miſitque rex Jericho ad Ra-
hab dicens: Educ viros, qui venerunt ad te, & ingreſſi ſunt domum tuam: explo-
ratores quippe ſunt, & omnem terram conſiderare venerunt. 4. Tollenſque mulier
viros, abſcondit, & ait: Fateor, venerunt ad me, ſed neſciebam, unde eſſent: 5.
Cumque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, neſcio, quo abierunt:
perſequimini cito, & comprehendetis eos. 6. Ipſa autem fecit aſcendere viros in ſo-
larium domus ſuæ, operuitque eos ſtipula lini, quæ ibi erat. 7. Hi autem, qui miſſi
fuerant, ſecuti ſunt eos per viam, quæ ducit ad vadum Jordanis: illiſque egreſſis ſta-
tim porta clauſa eſt. 8. Necdum obdormierant, qui latebant, & ecce mulier aſcen-
dit ad eos, & ait: 9. Novi, quod Dominus tradiderit vobis terram; etenim irruit
in nos terror veſter, & elanguerunt omnes habitatores terræ. 10. Audivimus, quod
ſiccaverit Dominus aquas maris rubri ad veſtrum introitum, quando egreſſi eſtis ex
Ægypto: & quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erant trans Jordanem,
Sehon, & Og, quos interfeciſtis. 11. Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit
cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitum veſtrum: Dominus enim Deus
veſter, ipſe eſt Deus in cœlo ſurſum, & in terra deorſum. 12. Nunc ergo jurate
mihi per Dominum, ut quomodo ego miſericordiam feci vobiſcum, ita & vos fa-
cietis cum domo patris mei: detiſque mihi verum ſignum, 13. Ut ſalvetis patrem
meum, & matrem, fratres, ac ſorores meas, & omnia, quæ illorum ſunt, & erua-
tis animas noſtras a morte: 14. Qui reſponderunt ei: Anima noſtra ſit pro vobis
in mortem, ſi tamen non prodideris nos: cumque tradiderit nobis Dominus terram,
faciemus in te miſericordiam, & veritatem. 15. Dimiſit ergo eos per funen de fe-
neſtra: domus enim ejus hærebat muro: 16. Dixitque ad eos: Ad montana conſcen-
dite, ne forte occurrant vobis revertentes, ibique latitate tribus diebus, donec re-
deant, & ſic ibitis per viam veſtram. 17. Qui dixerunt ad eam: Innoxii erimus a
juramento hoc, quo adjuraſti nos: 18. Si ingredientibus nobis terram, ſignum fue-
rit funiculus iſte coccineus, & ligaveris eum in feneſtra, per quam demiſiſti nos: &
patrem tuum, ac matrem, fratreſque, & omnem cognationem tuam congregaveris in
domum tuam. 19. Qui oſtium domus tuæ egreſſus fuerit, ſanguis ipſius erit in ca-
put ejus, & nos erimus alieni. Cunctorum autem ſanguis, qui tecum domo fuerint,
redundabit in caput noſtrum, ſi eos aliquis tetigerit: 20. Quod ſi nos prodere vo-
lueris, & ſermonem iſtum proferre in medium, erimus mundi ab hoc juramento,
qno adjuraſti nos. 21. Et illa reſpondit: Sicut locuti eſtis, ita fiat, dimittenſque
eos, ut pergerent, appendit funiculum coccineum in feneſtra, 22. Illi vero ambu-
lantes pervenerunt ad montana, & manſerunt ibi tres dies, donec reverterentur, qui
fuerant perſecuti: quærentes enim per omnem viam, non repererunt eos. 23. Qui-
bus urbem ingreſſis, reverſi ſunt, & deſcenderunt exploratores de monte: & tranſ-
miſſo Jordane, venerunt ad Joſue filium Nun, narraveruntque ei omnia, quæ acci-
derant ſibi, 24. Atque dixerunt: Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus
noſtras, & timore proſtrati ſunt cuncti habitatores ejus.

MISIT IGITUR JOSUE. Ex interpretibus plures reddunt [1]: *Miſerat igitur Joſue exploratores;* rati ſcilicet, omnia quæcumque in exordio prioris capitis recitata ſunt, ante hanc miſſionem accidiſſe. Summus ille imperator, poſt funus Moyſis abſolutum, omnium primam curam in illud intendit, ut miſſis Exploratoribus Jerichuntis ſtatum cognoſceret.

DE SETIM. Totum tempus luctus Moſaici traductum eſt in agro Setim, qui alio nomine *Campeſtria*

[1] Vat. Maſ. Bonfr. Grot.

peſtria Moab appellabatur. Conſidebat ibi Urbs Abila, vel, uti Moyſes nuncupat in Numeris XXXIII. 49. *Abel-Satim*. Jacebat illa LX. ſtadiis a Jordane, teſte Joſepho (1); & caſtra Iſraelitarum locata erant ad radices montis Phogor, juxta Euſebium & S. Hieronymum *in Locis*. Agrum Setim conſitum eſſe frequentiſſimis palmis, affirmat Joſephus (2). Innuere videtur S. Hieronymus (3), cum agrum nomen ſuum derivare ex arboribus Setim, quarum eſt frequens in Scriptura mentio; conſtituit autem Setim VI. M. paſſibus e Liviade, trans mare mortuum (4).

Duos viros. Septuaginta Editionis Romanæ, & Baſileenſis legunt δύο νεανίσκους, *duos juvenes*. Docent Rabbini, geminos hoſce fuiſſe Calebum, & Phineem, quorum alterius nomen inclytum eſt ex animi conſtantia & fide, cujus ſpecimen dedit una cum Joſue, cum ambo regreſſi ſunt, priore itinere ad explorandam Chananitidem confecto, alterius inſigne eſt Legis ſtudium & ingenuitas, quippe qui Patrem habuit Eleazarum ſummum Sacerdotem. Cum tamen Scriptura nihil doceat ſive de nomine, ſive de dotibus utriuſque hujus Exploratoris, ſatis id eſſe arbitramur ad Rabbinica omnia commenta exſufflanda.

In abscondito. Imperatum illis fuit, ut clam explorarent regionem (5), ſeu clam populo (6), vel ne præmonitis quidem Optimatibus, e caſtris ſecederent. Doctores Judæi (7); qui cavillationes in ſignificatione vocum affectant, contendunt, Joſue miſiſſe viros, qui ſurdos ſe & mutos ſimularent; Hebræum enim חרש *Charaſch* (אנשים מרגלים חרש) ſonat interdum, ſurdum eſſe. Alii vero malunt, viros illos manibus geſtiſſe inſtrumenta ſeu fabri lignarii, ſeu cæmentarii, ſeu figuli, ut ſcilicet credulis perſuaderent, ſe ad artem ſuam exercendam veniſſe. Sed epage vanas cavillationes!

Terram urbemque Jericho. Non totam illi regionem Chananiticam explorare juſſi ſunt, cum Joſue, qui totam illam peragraverat, qualitates ejus haberet exploratas; ignorare tamen potuit munitionem Jerichuntis, incolarum numerum, ſtrenuitatem, & firmitatem animi; certior autem fieri de his omnibus optabat, antequam bellum ſuſciperet. Porro ea urbs ſita erat in medio agri fertilis, & amœni, montium corona vallata, qui ſenſim inclinati, qua parte ſpectabant agrum, jucundam theatri ſpeciem intuentibus exhibebant: deſinebant autem in agrum centum ſtadiis latum, cultu & aquis fœcundum. Solum illud frequentiſſimæ tenebant palmæ & arbores aliæ (8): quod tamen vergentibus Reipublicæ Judaicæ annis pretium ejus augebat, illud erat, nimirum hortus balſami, unde balſama pretioſiſſima & rariſſima, apud Authores celebrata. Aberat Jericho CL. ſtadiis a Jeroſolymis, & Jordane LX. (9), ſeu tribus leucis, vel VIII. M. paſſibus Italicis circiter.

Ingressi sunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, Septuaginta (10). Author Epiſtolæ ad Hebræos (11), quos Patres omnes, & Interpretum plerique (12) ſequuntur, vocem Hebræam זונה *Zonah* accipiunt de fœmina proſtituta; quin & e doctis Interpretibus nonnulli certant, vocem originalem nullam aliam ſignificationem admittere. Animadverſum eſt etiam, in tota Hiſtoria Rahab ne verbo quidem deſignari ſive ejus virum, ſive ejus filios, cum illa propinquorum ſuorum vitam ſervari poſtulat. Manebat illa extra domum paternam, nec facile vidua erat, nec puella nuptum tradenda: pravam igitur vitæ profeſſionem ſequebatur, & facile ex illis una habenda eſt, quæ, juxta morem in Oriente frequentiſſimum, pudorem ſuum in honorem Numinis alicujus proſtituerat. Hanc opinionem tuetur Serarius *quæſtione* V. argumentum ex eo ducens, I. quod in urbe Jerichunte verſaretur; hanc enim dicatam putat Lunæ, Numini infamibus hiſce conſecrationibus culto; II. ex honore & cautione, quam erga illam exhibent cives & Magiſtratus; ab ingreſſu enim in domum ſeſe continentes, monent tantum ut producat viros, quos apud ſe retinet. Sed his certe argumentis non convincentur patroni Rahab; nec ipſe Author ſatis illis perſuaſus videtur.

Interpretum plerique, Rabbinis inhærentes (13), cenſent, Rahab cauponariam egiſſe in commodum advenarum: fatentur illi, ſæpe Hebræum *Zonah* uſurpari de fœmina proſtituta; hic tamen accipiendum eſſe putant de fœmina caupona, quæ venientes advenas excipit in diverſorium. Vocem deducunt e זן *Zua*, diverſari, in locum aptum ad habitandum divertere, alere, cibare. Addunt, Salmonem Principem Tribus Juda nunquam commiſſurum fuiſſe, ut in uxorem Rahab duceret, ſiquidem illa eam vitæ profeſſionem tenuiſſet, quam eidem tribuunt Aſſertores ſententiæ jam relatæ. Quomodo etiam exploratores Joſue recepiſſent ſeſe in domum meretricis, cujus profeſſionem & mores adeo deteſtabantur? quam ſecuritatem ſperaſſent in domo omnibus pervia, unde pudor, decor, fides omnis exulabat? Sapientia Joſue, qui illos elegit, non patitur profecto, ut credamus, eos fuiſſe viros, qui talibus delectarentur, ſi vero molles eas voluptates deteſtabantur, quid erat illis negocii in domo meretricis? Alius ne non erat in Urbe locus, quo diverterent?

Animadverſum eſt pariter, apud Ægyptios, Græcos, & facile etiam apud Chananæos, fœminas mercaturam, & cauponariam pariter exercuiſſe. De Ægyptiis aperta ſunt teſtimonia Herodoti (14) & Sophoclis (15): Apud illos, inquiunt, fœminæ mercantur & cauponantur: viri, domi ſedentes, textrinam aliaſque muliebres artes exercent. De Græcis eadem affirmant Ariſtophanes (16), & Apulejus (17). *Quod primum ſtabulum conſpicatus ſum*, ait Apulejus, *acceſſi, & de quadam anu caupona illico percontor*.

Similis moris apud Philiſthæos obtinentis veſtigia quædam in ſacra Hiſtoria deprehenduntur. Samſon domum ingreditur mulieris, eamdem vitæ profeſſionem ac Rahab exercentis in urbe Gaza; egreſſus eſt autem mediæ noctis ſilentio, revulſas urbis fores in montem ferens (18). Mulier fortis apud Salomonem (19) ex opificio manuum qua ſuarum, qua famularum, mercaturam exercebat.

Sanctius (20) occaſione duarum meretricum, quæ ſe invicem de ſuffocato filio ſuo accuſabant,

(1) Joſeph. antiq. l. 5. cap. 1. (2) Joſeph. antiq. l. 4. cap. 7. (3) Hieron. in Mich. cap. 6. (4) Idem in Joel. cap. ult. (5) Toſt. Pagn. Vat. Munſt. (6) Maſ. Serar. Bonfr. (7) Apud Maſ. & alios. (8) Strabo l. XVI. pag. 522. (9) Joſeph. de bello Jud. l. 4. c. 27. (10) אשה זונה Septuag. εἰς οἰκίαν γυναικὸς πόρνης. (11) Hebr. XI. 31. (12) Ita Syr. Arab. Munſt. Druſ. Maſ. Grot. Bonfr. Serar. Cornel. & antiqui PP. paſſim, vide Serar. hic qu. 5. (13) Lyr. Vat. Pagn. Montan. Titelman. & Rabb. Chald. vertit אתתא פונדקיתא, quod a Græcis, πανδοκεύτρια. (14) Herodot. l. 2. c. 35. Ἐν τοῖσι αἱ μὲν γυναῖκες ἀγοράζουσι καὶ καπηλεύουσι, οἱ δὲ ἄνδρες κατ' οἴκους ἐόντες ὑφαίνουσι, καὶ τὰ ἑξῆς. (15) Sophocles in Oedip. Colon. pag. 283. Edit. Hen. Steph.

Ἐκεῖ γὰρ οἱ μὲν ἄρσενες κατὰ στέγας
θακοῦσιν ἱστουργοῦντες, αἱ δὲ σύννομοι
τὰ ἔξω βίου τροφεῖα πορσύνουσ' ἀεί.

(16) Ariſtoph. Plut. act. 2. ſcen. 4. & Ran. act. 2. ſcen. 4. (17) Apul. l. 1. Metamorph. (18) Judic. XVI. 3. (19) Prov. XXXI. 13. 14. 24. (20) In 3. Reg. III. 16.

contendit, Hebræum *Zonab* ſignificare tantum fœminam mercatricem, vel fœminam, quæ honeſta aliqua profeſſione vitam tolerat, uti nendo, fulloniam exercendo, merces vel quid aliud vendendo. Nomen illud non immerito tribui potuiſſet, ait ille, forti illi mulieri (1), quæ cingulos & carbaſa vendebat. Ambæ illæ mulieres, quæ coram Salomone litigabant, abhorrebant utique ab inhoneſta illa vitæ profeſſione, quam ne nomine quidem proferre ſuſtinemus: nimis enim apertis legis verbis infamis hæc ars vetabatur (2); quare effrictæ adeo frontis non fuiſſent fœminæ illæ, ut coram Principe prodirent; quin & caruiſſent liberis, neque enim fœcundæ ſunt meretrices. Oraculum Iſaiæ Tyro vindicat nomen *Zonab* (3); prænunciatque futurum, ut poſt LXX. annos citharam illa ſuam capiat, mœnia ſua circumeundo ambiat, & intermiſſam mercaturam reſumat. Tandem Sanctius ne ambigens quidem cenſet, Rahab honeſtiſſimam fuiſſe mulierem, quæ advenas in diverſorium exciperet.

Diſſitas haſce ſententias pronum eſſet conciliare, reputando, fœminam hanc egiſſe cauponariam; labem autem aliquam infamiæ contraxiſſe, uti moris eſt fœminarum, quæ marito ſolutę eam profeſſionem exercent. Vocem originalem accipit Grotius in communi ſignificatione, nempe pro fœmina proſtituta; addit tamen, apud eas gentes profeſſionem illam minori probro fuiſſe, quam modo ſit, & apud Chananæos profeſſionem illam maxime deſpectam potius, quam criminoſam habitam fuiſſe. Ad cauponas quod attinet, quæ de illis fuerit apud Veteres opinio, ſcimus. Tradit Porphyrius (4), nulla quidem Lege vetari in ea loca ingreſſum; virum tamen honeſtum nunquam ſine probro eo venire; & nunquam id committere, quin ſimul probri notam incurrat. Iſocrates plus aliquid addit (5), docens, non ingenuum modo quemque, ſed vel mancipium ipſum, moribus non perditis, nunquam auſurum potus aliquid, vel cibi in caupona ſumere. Theophraſtus (6) imaginem exprimens hominis famæ proſtitutæ, qui nullo probri metu retinetur, ſcribit, paratum illum eſſe vel cauponariam exercere: tantus inſederat Græcis horror eorum, qui profeſſionem illam agerent, & eo uſque licentia eorum locorum devenerat.

Sed hæc omnia pariter demonſtrant ingens plane inter cauponas Veterum, noſtraſque diſcrimen: nemo enim probro ſibi ducit hodie in cauponam ingredi; nihilque agnoſcitur affinitatis inter loca proſtitutionis, & diverſoria. Fatendum pariter eſt, non eamdem omnibus, & ubique obtinuiſſe de locis illis opinionem. Ægyptii maxime, & Chananæi a Græcorum cautione in ea re longiſſime aberant, Joſephus ita de Rahab loquitur, quaſi de fœmina mera, & ſimplici cauponatia (7), & quamquam Apoſtolus (8), poſt Septuaginta, meretricis nomen illi tribuat, docet tamen pariter, fidei lumine illuſtratam fuiſſe, ut hoſpitalitatem laudabilem in viros Hebræos exerceret; & S. Jacobus hoſpitalitatem ejus, ac bona opera laudat (9). Affirmarunt nonnulli (10), mulierem illam, jam inde a pluribus annis infamis vitæ profeſſione deſerta, totam ſe Deo dediſſe, cum prodigia ejus in Ægypto, & in transfretatione Erythræi intellexit. Sed hæc omnia inſtabili fide putant; quemadmodum & ea, quæ de ejus ætate feruntur, ſilente hæc omnia Scriptura. Cum Salmoni nupſerit, teſte S. Mattheo I. 5. quamquam Patres nonnulli (10), & e recentioribus interpretibus quidam ſubdubitare videntur, opus eſt utique mulierem fuiſſe ætatis non effœtæ.

ET QUIEVERUNT APUD EAM. Quanto tempore ſubſtiterint in urbe Jerichunte Exploratores, diſſidium eſt inter multos. Quidam, uti Cajetanus, & Bonfrerius, cenſent, eo veniſſe ſub exitum diei, totam noctem egiſſe in ædibus Rahab, mane peragraſſe urbem, ſub veſperam detectos delatos fuiſſe ad Regem, qui ad illos inquirendos apud Rahab miſit, uti in hoc Capite narratur. Nititur autem hæc opinio potiſſimum verbis illis וישכבו שמה *Quieverunt*, vel dormierunt *apud eam* (11): id autem exponi non poteſt de nocte, qua egreſſi ſunt; miſſi enim ad inquirendum de illis a Rege viri, antequam dormirent Hebræi, venerunt; ipſaque ſerie hiſtoriæ demonſtrat, noctis illius portionem tantum Exploratores apud Rahab egiſſe. Alii, uti Joſephus, & Serarius, reputant, deveniſſe illos in urbem horis aliquot ante ſubeuntem noctem, & poſt inſpectam probe Urbem, apud Rahab cœnandi & dormiendi gratia divertiſſe. Sed hæc opinio repugnare videtur iis, quæ infra Regi Jerichuntis renunciantur, viros nempe illos ipſa eadem nocte ad inſpiciendam urbem veniſſe: באו הֵנָּה הלילה. *Ingreſſi ſunt huc per noctem*.

Tandem recepta magis opinio fert, Exploratores Urbem ingreſſus fuiſſe ſubeuntibus noctis tenebris, ut laterent; ſed cum ingredientes eos quidam agnoviſſent, rem totam detulerunt ad Regem, qui ſtatim inquiſitum de illis miſit. Simulavit Rahab, Exploratores, cum aliquantum in ædibus ſuis ſubſtitiſſent, receſſiſſe ex Urbe eo tempore, quo portæ claudebantur. A vero non abludit, mulierem hanc, inſolito fragore circa ædes ſuas audito, in ſuſpicionem rei veniſſe; ſtatimque occultaſſe Exploratores in ædium tecto, antequam fores aperiret iis, qui a Rege miſſi venerant. Juxta hanc ſententiam, Exploratoribus commodum non fuit urbem inſpiciendi: & ſane regreſſi illi in caſtra, nihil ea de re ad Joſue referunt; verba tantum habent de panico illo timore gentis illius, quem ex mulieris relatione didicerunt: illud autem, quod hic ſcribitur, quieviſſe ſcilicet illos vel dormiſſe in ædibus Rahab, ita commode exponitur: Ingreſſi ſunt in ædes mulieris, noctem ibi traducere volentes; ſed longiorem moram trahere prohibiti ſunt. Sæpe de re aliqua ita loquimur veluti ſi jam abſoluta eſſet; quamquam re ipſa tantum vel cœpta, vel cœptum tantum de illa conſilium ſit. In Geneſi (12) legimus, Ruben eripuiſſe Joſephum fratrem ſuum e manibus cæterorum fratrum; nihil autem re ipſa præſtitiſſe illum conſtat, ſed tantum liberare illum viribus omnibus, conatum eſſe.

℣. 3. EDUC VIROS, QUI VENERUNT AD TE. Rahab e feneſtra loquebatur, clauſis foribus; vel forte viri a Rege miſſi pedem continuerunt, ne ingrederentur, & dicto mulieris credendum cenſuerunt.

℣. 4. VIROS ABSCONDIT, ET AIT. Audito clamore ante fores, actutum aſcendere juſſi viros in tectum, ſtatimque obtulit illa ſeſe viris a Rege miſſis, ea reponens, quæ hic narrantur. Vel forte prævidens futurum, ut in ædibus ſuis viri perquirerentur, cautionem hanc, celandi ſcilicet illos in tecto, occupavit. Hebræus legit in ſingulari תצפנו *abſcondit eum*; ideſt, juxta nonnullos Interpretes, ſeorſum utrumque occultavit: vel juxta nonnullos Rabbinos, unicum Calebum abſcondit; Phi-

(1) Prov. XXX. 24. (2) Deut. XXIII. 18. *Non erit meretrix de filiabus Iſrael.* (3) Iſai. XXIII. 15. (4) De abſt. l. 4. [illegible] (5) Apud Athen. l. 13. Dipnoſoph. [illegible] (6) Theophraſt. [illegible] (7) Joſeph. antiq. l. 5. c. 2. (8) Hebr. XI. 31. *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.* (9) Jacob. II. 25. *Rahab meretrix nonne ex operibus juſtificata eſt, ſuſcipiens nuncios, & alia via ejiciens?* (10) Quidam apud Lyr. & Abul. qu. 14. (11) Auth. oper. imperfecti in Matth. & Theophylact. in Matt. I. Vide Serar. & Bonfr. (12) Septuag. [illegible]. Alius: [illegible]. (13) Geneſ. XXXVII. 21. *Volens eripere eum*, &c. Hebr. *eripuit eum*.

Phinees vero natura Angelus, non homo, inviſibilem ſe mortalibus præbuit (1). Fabulæ. Singularis hic, ut alibi ſæpius, loco pluralis uſurpatur.

℣. 5. CUMQUE PORTA CLAUDERETUR IN TENEBRIS, ET ILLI PARITER EXIERUNT. Exponi poſſet Textus (2): Quo tempore portæ urbis claudi ſolent, in obſcuro noctis, viri illi evaſerunt. Non ita reputandum eſt, Rahab minus caute obtendiſſe, viros illos egreſſos fuiſſe ex Urbe, quo temporis momento portæ claudebantur; facile enim mendacii rea deprehenſa fuiſſet, & contrarium per teſtes probatum. Cuſtodes portarum teſtati fuiſſent, neminem exiiſſe, atque ita mulier & ipſam ſe, & Exploratores in certum, & evidens diſcrimen injeciſſet.

Quæſtio hic inſtruitur, quid reputandum ſit de mendacio Rahab, quo ſaluti Exploratorum conſuluit; & pariter, utrum etiam mulier illa excuſari poſſit crimine perduellionis, cum hoſtes acceperit, ſi agnoviſſe illos ponatur: quod ſuum crimen auxit, evaſionem illorum juvando, poſtquam certior facta eſt, Exploratores eſſe, & patriæ ſuæ adverſarios. Ad primum quod attinet, mendacem ſe prodidit apertius, quam ut eo crimine excuſari poſſit, uti fruſtra a nonnullis (3) tentatum eſt. Reputarunt illi, verba mulieris intima mentis cogitatione directa fuiſſe ad deſignandum alium quemcumque advenam, qui forte circa tempus claudendi portas exiiſſet. Fatendum eſt tamen, Rahab veritati contrarium mendacium aſſeruiſſe. Sed numquid mendacium ea occaſione prolatum, peccatum eſt? Variant ſententiæ.

Priſcis Patribus quibuſdam ea opinio ſediſſe videtur, mendacium quandoque peccato vacare. Cum aſſeruiſſet Celſus, mendacium citra crimen uſurpari, ſi in remedium mentis vel corporis amicorum, ſive ad avertendum imminens ex hoſtibus periculum adhibeatur; Origenes nihil contra reponit, quin & probare dictum videtur (4). Cum S. Hilarius (5) pronunciaſſet, virum juſtum vera ſemper effari oportere, fatetur, axioma hoc in exequutione arduum eſſe maxime, callemque illum difficile & operoſe teneri in tanta mundi hujus iniquitate, in qua mendacii via commodius frequenter, & neceſſario etiam aliquando teritur. Hujuſmodi eſt mendacium quod obtenditur, cum adverſario adverſarium ad necem quærenti aſſerimus, alibi eſſe hominem quam ubi perquiritur; vel cum hominem graviter ægrotantem ſolamur, leviori morbo teneri illum quam putatur. In his rerum eventibus, addit Vir ſanctus, ſermones noſtri ſale diſcretionis condiendi ſunt; & generali præcepto mendacium vetanti limites appoſuit Spiritus Sanctus verbis illis: *Qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua*; quibus innui viſum eſt, *Crimen mendacii in incommodo haberi alieno*. S. Clemens Alexandrinus (6) docet, ſemper id committendum a Chriſtiano, ut exprimat verbis quæ habet in corde, coram iis, qui vera audire digni ſunt; niſi forte in proximorum commodum ea interdum præſtare cogatur, quæ alioqui nunquam agere pateretur; uti cum Medicus ſeu mentitur, ſeu potius mendacium adhibet in pharmacum ægroti. Ea cautione uſum cenſet Apoſtolum, cum circumcidendum S. Timotheum curavit, qui tamen inanem eſſe cæremoniam illam & crederet & diceret. Abbas quidam Sanctus, cujus dogmata recitat Caſſianus (7), docebat perinde ac helleboro, ita utendum mendacio; ſicut enim nonniſi in ſummo vitæ diſcrimine periculoſo illo remedio utimur; ita & ad mendacium nonniſi ultima neceſſitate cogente confugiendum eſt; extra hunc rerum articulum, nocet animæ mendacium, ut ſano corpori helleborus. S. Chryſoſtomus (8) alicubi innuere videtur, Deum probare & authoritate ſua confirmare mendacium, ſi conſiliis ſuis implendis neceſſarium noverit, vel cum juſſionibus ſuis parendum eſt: ita e. g. Jacob mentiendo decepit Iſaacum patrem ſuum, & Iſraelitæ commodato ſe recipere ab Ægyptiis ſimularunt ea, quæ ſibi retinere ſtatuerant.

Comment. Tom. II.

Veteres plures Philoſophi (9) definierunt, mendacium quidem & deceptionem malam eſſe & vitioſam; aliquando tamen contingere, ut mendacium a viro ſapiente alienum non videatur. *Nam & mendacium dicere etiam ſapienti aliquando conceſſum eſt*, ait Quintilianus. Cum in proximi commodum cedit, vel cum nemo hominum læditur, tuto mendacium proferri poſſe rebantur. Satis etiam inter omnes conſtat, uſu quotidiano uſurpari nonnulla, quæ mendacii ſpeciem, non tamen rem ipſam præferunt, cujuſmodi ſunt hyperbôlæ, ironiæ, & aliæ locutionis figuræ, quibus uſus & conſuetudo aliam plane ſignificationem tribuit, quam quæ primo offertur audientibus, adeoque & contrarium ſenſum, iis quæ exprimunt, deſignare cenſentur. Jeſus Chriſtus verba faciens de Lazaro, *Lazarus*, ait, *amicus noſter dormit* (10); quibus verbis obiiſſe illum innuebat. Agens ille pariter de corpore ſuo, affirmavit, deſtructurum ſe Templum illud, & poſt triduum iterum reædificaturum (11). Quamquam ſermones hoſce obſcuros & ambiguos non omnes aſſequebantur, quin & in alium ſenſum nonnulli acceperunt, cum illos protuliſſe alio plane quam fallendi conſilio dicendum ſit, nunquam ſive doli ſive mendacii accuſari poteſt. Verbis illis duplex ſuberat ſenſus; quare nunquam jure colligetur, id Jeſum voluiſſe exprimere, quod audientium nonnulli per errorem putabant. Inſuper & voluntatem fallendi neceſſario ad mendacium requiri docet S. Auguſtinus (12). Hinc ſe mendacio immunes eſſe putant homines, ſi quæ ficta venditent ſtultis & infantibus, cum enim rationis uſu & diſcretione judicii deſtituti ſint, nihil illis hac in re injuriæ inferre ſe arbitrantur; ſicut & juris naturalis conditiones ſtare tunc omnes cenſent, quibus conditionibus fertur, cavendum eſſe inter homines, ne ſe decipiant in iis ſignis, de quibus inter illos conventum eſt, ut valeant ad exponendos mentis ſenſus intimos, & ad commercium detinendum. (*Hæc Authoris doctrina de iis tantum valet, quæ communis uſus infantibus & ſtultis tuto obtendi poſſe admittit, ut adeſſe Orcum &c. licet enim illi reipſa decipiantur, adhuc tamen vulgo homines cæteri verba illa puerilia eſſe agnoſcunt, nihilque ſignificationis continere*).

Reputari etiam poſſet, mendacium culpa tunc vacare, cum jure nobis perſuadere poſſumus, illi qui decipitur, gratam deceptionem futuram, ut non injuriam libertati ſuæ illatam, ſed potius beneficium ſibi collatum cenſeat. (*Caute lege; ſi enim hæc doctrina teneatur, licebit utique ad ſalutem mundi leve ſaltem mendacium proferre, contra doctrinam S. Auguſtini, & Theologorum omnium. Quis non ducat loco beneficii, ſi levi deceptione ſua ſaluti totius Mundi conſulere poſſit?*) Hujuſmodi eſt deceptio ægroti, ut ſalubrem medicinam admittat: ita pariter & Dux copiarum falſum rumorem ad augendos militibus animos ſpargit, vel ſtrategemate id efficit, ne diſcrimen aliquod intelligant. Nemo tandem ignorat, fas eſſe interdum, ut quis aliquid optare ſe ſimulet, quod tamen intus & in corde refugit; ac viciſſim ut ſpeciem præferat reſpuendi quæ maxime optat: fas eſſe, inquam, hæc omnia præſtare, dummodo

 ſimu-

(1) Vide Serar. qu. 10. (2) ויהי השער לסגור בחשך והאנשים יצאו. (3) Jun. & Tremell. (4) Origen. cont. Celſ. l. 4. p. 172. (5) Hilar. in Pſal. xiv. ℣. 3. (6) Clem. Alex. l. 7. Strom. (7) Caſſian. Collat. xvii. c. 17. (8) Chryſoſt. Homil. 53. in Geneſ. (9) Plato l. 1. 2. & 3. de Republ. Xenoph. l. 4. Vide Plut. de Stoic. Contract. & Quintil. lib. 12. c. 1. Vide Grot. de jure belli & par. lib. 3. c. 1. art. 9. 10. 12. (10) Joan. xi. 11. (11) Joan. 12. 20. 21. (12) Aug. de mendac. c. 4. & contra mendac. c. 12.

ſimulatio rendat in rem vel in medio poſitam, vel permiſſam, quæ neminem lædat, niſi forte hoſtes; illos enim artificio, & doloſa quadam ſimulatione eludere tamdiu Leges belli communes permittunt, quamdiu fœdus aliquod initum non eſt, cum quo ſimul redeant neceſſe eſt & ſinceritas, & imperata a jure communi æquitas; quæ utraque per belli tempus communi quodam conſenſu ſuſpenditur, & amovetur. Joſephus ſimulavit quaſi fratres ſuos non agnoſceret, & pro exploratoribus (1) ac furibus acciperet. Salomon juſſurum ſe dixit, puerum ſuperſtitem medium abſcindi, cum cauſam agerent duæ illæ fœminæ, quæ ſe invicem de ſuffocato filio ſuo accuſabant (2). Eliſeus monſtraturum ſe dixit iter in Dothan militibus Regis Syriæ; cum interim illos duceret Samariam, ut illos in Regis Iſraelis poteſtatem traderet (3). Principes Iſraelis celavit Jeremias, quæ ipſe cum Rege egerat (4). Jeſus Chriſtus oſtendit, ſe diſcipulos ſuos prætergreſſurum in lacu Geneſareth; & longius proſequuturum iter, cum ad Emmaus poſt reſurrectionem ſuam veniſſet (5). S. Paulus omnia ſe omnibus fecit (6), Judæis Judæum, Paganis Paganum, ut ad Chriſtum omnes reduceret. Quis hæc omnia mendacii, & fraudis accuſet?

Ut autem doctrinam hanc totam rei, de qua modo, accommodemus, reputari poſſet Rahab conſilium Dei de Chananitis in manus Iſraelitarum tradendis habuiſſe exploratum; quare Numinis voluntati ſe obſequuturam rebatur, ſi, cum alia ratione non poſſet, opportuno mendacio Exploratores diſcrimine liberaret. Perſuaſerat ſibi forte, jus hoſpitalitatis violatum majus eſſe crimen, quam officioſum mendacium; expedire magis, ſi crimen impediret, a civibus ſuis committendum, illata his Exploratoribus nece; quod ſane majorem Numinis ultionem in urbem provocaſſet. Arbitrabatur, cæde hac majoris ſe criminis conſciam futuram, quam quod admittebat, cum mendacium illud obtendit; norat ingens eſſe diſcrimen, certum, inevitabile, tum ſibi, tum hoſpitibus ſuis, niſi prompto mendacio occurreret. Commodum hujus mendacii plane ſentitur; neceſſitas verſabatur extrema; gloria vero Dei id exigere videbatur, ut Exploratores iſti ſervarentur. Tandem reputat Maſius, minus congruere facto huic Rahab nomen mendacii; neque enim ſatis aperte adverſatur contrariæ virtuti, ut odioſo hoc mendacii nomine traduci mereatur. Profecto mulier illa eo minime ſpectabat, ſive ut falleret, ſive ut officeret veritati: quin potius veritati, & juſtitiæ pro viribus conſulebat; cum autem recta eo tendere non poſſet, per circuitus viarum illuc fertur; quemadmodum ferme ille, qui curvam arborem reſtituere nititur, trahit in contrariam partem, donec propoſitum obtineat. Cenſet idem pariter, ſingulari Numinis afflatu interdum SS. Patriarchas veritatem celaſſe; quæ proinde eorum dicta, & facta immerito tanquam veritati, & juſtitiæ contraria arguantur; cum fieri non poſſit, ut Deus a ſe ipſo diſſentiatur, & authoritate ſua ea probet, quæ Legi ſuæ repugnant. Fieri utique potuit, ut Rahab eodem tunc ſpiritu, quo & Patriarchæ, ducta fuerit.

Sed in tota hac quæſtione malumus, S. Auguſtinum Doctorem ſequuti (7), mendacium Rahab damnare, laudare fidem, hoſpitalitatem, ſtudium in procuranda eorum ſalute, quos conſiliorum Dei adminiſtros agnoſcebat. Deus autem præmio donavit non quidem mendacium, ſed miſericordiam fœminæ hoſpitalis; temporalem mercedem rependit pro opere humanitatis, & juſtitiæ pleno. Sincera ejus voluntas, & qua tenebatur ignoratio veræ morum regulæ, in re præſertim adeo difficili ac diſcriminis plena, & in Regione euſque corrupta, ejus utique culpam minuere potuerunt, faciliorem que criminis veniam impetrare. Sed factum eſt hoc, quod imitationi proponendum non eſt: melius utique egiſſet, ſi continuiſſet ſe a mendacio, pro viribus tamen laboraſſet eximere a diſcrimine viros, quos officioſe adeo & humaniter exceperat. Hanc S. Auguſtini ſententiam vulgo ſequuntur Interpretes, docentes, mendacium Rahab, perinde ac cætera id generis, quæ officioſa dicuntur, crimine veniali non vacare.

Ad alteram quæſtionem quod attinet, utrum ſcilicet citra culpam Rahab & venientes excipere potuerit, & evaſioni illorum conſulere, quos norat hoſtes eſſe patriæ ſuæ, & gentis; reponi poſſet, generali uſque opinione Exploratores genus eſſe hominum ipſis etiam hoſtibus pernicioſum; quare majoris eſſe culpæ reos, qui illis, quam qui hoſtibus favent. Rahab itaque non aliter a Civibus ſuis haberi potuiſſet, quam reus quiſque graviſſimæ perduellionis; ſiquidem viros illos pro Exploratoribus agnoſcens occultaſſet, & incolumes dimiſiſſet. Quamquam vero eorum conſilia tunc ignoraret, cum venientes excepit; tunc ſaltem nullam cauſationem obtendere poterat, cum poſtulari illos a Rege intellexit. Accuſanda igitur in ea re, & perduellionis in patriam damnanda videtur.

Sed æquius de illa judicabit, qui animadvertet, noviſſe mulierem illam conſilia Dei, ſtatuentis perdere Chananæos, eoſque Hebræorum manibus tradere; continuo enim intelligebat pariter, ejus conſiliis reſiſtere neminem poſſe, quin ſimul & perduellionis in Deum ſeſe reum conſtitueret, cujus criminis pœnam ut averteret a patria ſua, ſollicite curabat. Perſuadebatur illa pariter, juſtitiam adeſſe Hebræis, iniqua defendere Chananæos: juſte illos arma inferre, hos vero injuſte Hebræos ſeſe aggredientes propulſare; quare æquius illa partes elegit, nihilque non e media ſapientia præſtitit: cum præſertim noſſet, ſi Exploratores proderet, nihil tamen patriæ ſuæ conſulturam, atque nihilo meliorem civium ſuorum conditionem ſe facturam; certum enim, & inevitabile excidium illos manebat; majorem potius in ſe pœnam provocaturos, ſiquidem crimina ſua ſupplicio Exploratorum exaggeraſſent. Viciſſim autem ſi Exploratorum ſaluti conſuleret, comparaturam ſibi ſuiſque intelligebat bonum, quod eſt in hac vita maxime optabile, libertatem ac vitam, eamque rem, cujus pretium ſatis æſtimari præ hiſce omnibus nequit, fidem & veræ religionis agnitionem.

℣. 6. Ascendere fecit eos in solarium. Hebr. העלתם הגגה *Aſcendere fecit eos in tectum*. Conſtat inter omnes, regionis tecta omnia plana fuiſſe, nec raro hoſpites ibi conſtitutos, ubi quietem caperent ſub dio, data illis tantum ſeu culcitra, ſeu ſtramento, quo ſe tegerent, quodque humi ſternerent. Samuel tectum domus tradidit Sauli ejuſque famulo, ut dormirent (8). In tecto ædium Davidis erigi tentoria, & inſterni lectos Abſalom juſſit (9).

Operuit eos stipula lini. Lino ſcilicet carminato, vel manipulis ex lino collectis; mos enim eſt, collecti lini manipulos exponere Soli rorique, antequam carmine, & pectine ſubigantur. Hebræus ad literam (10): *In linis ligni*, vel in lino folliculis ſuis nondum exuto. Reputat Maſius, commode Textum exponi poſſe de goſſypii genere quodam, quod *Xylinum*, ideſt, lignum lini appellatur; eamdemque opinionem e Criticis docti quidam probant (11).

℣. 7. Illisque egressis, statim porta clausa est. Rabbinorum quidam cenſent (12), agi hic de foribus ædium Rahab, quæ vix egreſſis Inqui-ſito-

(1) Geneſ. XLII. 7. (2) 3. Reg. III. 25. (3) 4. Reg. VI. 12. (4) Jerem. XXXVIII. 26. 27. (5) Luc. XXIV. 28. (6) 1. Cor. IX. 20. 21. (7) Aug. contra mendac. c. 15. & 17. (8) 1. Reg. IX. 25. (9) 2. Reg. XVI. 22. (10) בפשתי העץ 70. ἐν τῇ λινοκαλάμῃ. Alius. ἐν τοῖς ξύλοις τῆς λινοκαλάμης. (11) Forſter. & Boot. animadv. l. 2. c. 1. ſ. 8. & Arabs. (12) Kimchi apud Druſ.

ſitoribus clauſæ ab illa fuerint. Sed ne in domum quidem illi ingreſſi fuiſſe videntur; ac vulgo plerique certant, ſtatim clauſas fuiſſe portas Jerichuntis, poſtquam illi exierunt, qui Exploratores inquiſitum pertexerant. Ea vero cautione utendum cenſuerunt, ut, ſi forte miſſi a Joſue viri adhuc laterent in urbe, noctis favorem captare evaſuri non poſſent: at ſolicitudinem illorum omnem induſtria Rahab inutilem effecit.

℣. 8. Necdum obdormierant. Verbis hiſce innui videretur, Hebræos eo aſcendiſſe tantum, ut dormirent, ignorantes quid de ſe contingeret; quę vero ſuperius narrata ſunt, hunc plane ſenſum reſpuunt: in tectum ideo tantum aſcenderant, ut laterent. Poſtquam primum hoc diſcrimen ab illis avertit Rahab, deceptione iſtorum, qui miſſi fuerant eos quæſituri, præveniendum etiam cenſuit quidquid ſiniſtri contingere hoſpitibus ſuis in urbe poſſet: quare ne dato quidem illis dormiendi ſpatio admonuit ſtatim, ut noctis favore ſaluti ſuæ fuga conſulerent.

℣. 9. Elanguerunt omnes habitatores terræ. Reddi poſſet Hebręus (1): *Omnes habitatores terræ liquefacti ſunt*; viribus, robore, animo deſtituti ſunt; ob grandem, quo premuntur, timorem corpore & animo elangueſcunt.

℣. 11. Deus veſter ipse est Deus in Cœlo sursum &c. Deus eſt infinitæ victoris, cujus imperium nec limitibus, nec certa regione continetur: Cœli Terræque Dominus. Habes hic fœminæ Proſelytæ confeſſionem plane eximiam, & quantum fieri poſſit abſolutiſſimam. Exprimit hic infinito ſuperare intervallo Deum Iſraelis cætera Gentium Numina, quæ ipſis etiam cultoribus ſuis fatentibus, Imperium ſuum nonniſi in Regiones & populos ſibi addictos prorogabant.

℣. 12. Detisque mihi signum verum. Argumentum certum & pignus, vos mihi meiſque vitam incolumem ſervaturos. Tacite his innuit, non ſatis ſe habituram datam verbis fidem; certam rem exigit, & ſignum permanens, quod de ſecuritate rei obtentæ reſpondeat.

℣. 14. Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodideris nos. Antequam religione ſacramenti ſeſe obſtringant, ſecretum ab illa poſtulant, utque fidem ſuam obliget, ſe nunquam rem prodituram ſive ante, ſive poſt ipſorum fugam; & mortalium nemini revelaturam conditiones & ſignum, de quibus conventum erat, ne cives alii, rem ſubodorati, eodem uterentur ſigno: tunc enim Hebræi minime diſtinguere potuiſſent eos, qui ad Rahab pertinerent, ab alienis, habituri proinde innocentem cum reo promiſcue; eodemque fato implicaturi eos, quibus Deus vitam permiſerat, cum iis, quos interficiendos mandaverat. Animadvertere hic licet, ut alibi ſæpe in Scriptura, quas cautiones afferrent, & procurarent Veteres, antequam ſacramento ſeſe obſtringerent, & arcanum proderent.

Faciemus in te misericordiam, et veritatem; ideſt, indulgentia erga te utemur, & fide in exequendis promiſſis. Familiare eſt vernaculo Hebręorum ſermoni, ut miſericordiam, & pietatem uſurpent, tum ad indicandam Dei in creaturas ſuas miſerentis clementiam, & fidem in promiſſis exequendis, tum ad beneficia, & ſinceritatem hominum inter ſe ſignificanda. Miſericordia, & veritas exprimere etiam poſſunt beneficium ſolidum, & irrevocabile, ut diſtinctum a promiſſionibus ac beneficiis, quæ officio non ſemper conſtanti perennantur.

℣. 15. Demisit eos per funem. Geſtum eſt hoc poſt ea, quæ in ſequentibus verſiculis uſque ad 21. narrantur.

℣. 16. Ad montana conscendite. Montes ii, ad meridiem Jerichuntis, perfugium erant aptiſſimum, ut perquiſitionem hoſtium Hebræi evitarent: deſcendere ex his poterant ad litus maris mortui, tum Jordane tranſmiſſo caſtris ſeſe reſtituere. Triduum egerunt in montibus, ideſt, tertia die a diſceſſu redierunt in caſtra, cum diem unam duaſque noctes in montibus iter habuiſſent.

℣. 18. Funiculus iste coccineus (2); vitta ſcilicet, filum, faſcia coccinea. Autumarunt nonnulli, ope faſciæ coccineæ, loco funiculi, demiſſos eſſe illos e feneſtra, eamdemque faſciam in ſignum accepiſſe. Quæ ſequuntur, hunc ſenſum pronum admittunt. *In feneſtra, per quam demiſiſti nos.* Hebræus (3): *Lineam fili coccinei ligabis in feneſtra, qua* (linea ſcilicet fili, vel feneſtra) *deſcendere feciſti nos.* Sed quæ neceſſitas funiculi coccinei, ut e feneſtra deſcenderent?

℣. 21. Appendit funiculum coccineum in fenestra. Appendit tunc, appenſumque uſque ad diem captæ urbis reliquit (4). Sed ita quoque plane redditur: Appendit tunc, cum tempus adeſſe judicavit; ideſt, cum Hebręi ad obſidendam urbem venerunt: cum autem extra Urbem demitteretur, ideo facile illud intueri datum eſt omnibus, cum ambiendo mœnia circumierunt. Reddi poſſet Hebræus: *Appendit texturam e purpura in feneſtra* (5), pannum purpureum.

℣. 22. Tres dies. Reliquum ſcilicet ejus noctis cum ſubſequenti die, & nocte ſuccedente. Non abſimile vero reputamus, noctu tantum iter habuiſſe, ne per diem detegerentur.

(1) נמגו כל ישבי הארץ Aqu. Sym. *ἀντετήκασι, liquefacti ſunt.* Th. *κατεπτοήθησαν, conſternati ſunt.* (2) תקות חוט השני Septuag. *τὸ σπαρτίον τὸ κόκκινον τοῦτο.* (3) הקשרי בחלון אשר הורדתנו בו (4) Ita Lyran. Menoch. Maſ. Bonfr. (5) Maſ. Cleric. תקות חוט Antiqui Interp. *ἔδησαν τὸ σημεῖον τὸ κόκκινον; ligaverunt ſignum purpureum in feneſtra, & abierunt.*

CAPUT III.

Tranſitus prodigioſus Jordanis.

℣. 1. IGitur Joſue de nocte conſurgens movit caſtra: egredienteſque de Setim, vene-
runt ad Jordanem ipſe, & omnes filii Iſrael, & morati ſunt ibi tres dies.
2. Quibus evolutis, tranſierunt præcones per caſtrorum medium, 3. Et clamare cœ-
perunt: Quando videritis arcam fœderis Domini Dei veſtri, & ſacerdotes ſtirpis Le-
vitæ portantes eam, vos quoque conſurgite, & ſequimini præcedentes: 4. Sitque
inter vos, & arcam ſpatium cubitorum duum millium: ut procul videre poſſitis, &
noſſe, per quam viam ingrediamini: quia prius non ambulaſtis per eam; & cavete,

ne

ne appropinquetis ad arcam. 5. Dixitque Joſue ad populum: Sanctificamini: cras
enim faciet Dominus inter vos mirabilia. 6. Et ait ad ſacerdotes: Tollite arcam
fœderis, & præcedite populum. Qui juſſa complentes, tulerunt, & ambulaverunt an-
te eos. 7. Dixitque Dominus ad Joſue: Hodie incipiam exaltare te coram omni
Iſrael ut ſciant, quod ſicut cum Moyſe fui, ita & tecum ſim. 8. Tu autem præ-
cipe ſacerdotibus, qui portant arcam fœderis, & dic eis: Cum ingreſſi fueritis par-
tem aquæ Jordanis, ſtate in ea. 9. Dixitque Joſue ad filios Iſrael: Accedite huc,
& audite verbum Domini Dei veſtri. 10. Et rurſum: In hoc, inquit, ſcietis, quod
Dominus Deus vivens in medio veſtri eſt, & diſperdet in conſpectu veſtro Chana-
næum, & Hethæum, Hevæum, & Pherezæum, Gergeſæum quoque, & Jebuſæum,
& Amorrhæum. 11. Ecce arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Jor-
danem. 12. Parate duodecim viros de tribubus Iſrael, ſingulos per ſingulas tribus:
13. Et cum poſuerint veſtigia pedum ſuorum ſacerdotes, qui portant arcam Domini
Dei univerſæ terræ in aquis Jordanis, aquæ, quæ inferiores ſunt, decurrent, atque
deficient: quæ autem deſuper veniunt, in una mole conſiſtent. 14. Igitur egreſſus
eſt populus de tabernaculis ſuis, ut tranſiret Jordanem: & ſacerdotes, qui portabant
arcam fœderis, pergebant ante eum. 15. Ingreſſiſque eis Jordanem, & pedibus eo-
rum in parte aquæ tinctis (Jordanis autem ripas alvei ſui tempore meſſis impleve-
rat) 16. Steterunt aquæ deſcendentes in loco uno, & ad inſtar montis intumeſcen-
tes apparebant procul, ab urbe, quæ vocatur Adom, uſque ad locum Sarhan: quæ
autem inferiores erant, in mare ſolitudinis (quod nunc vocatur mortuum) deſcen-
derunt, uſquequo omnino deficerent. 17. Populus autem incedebat contra Jericho:
& ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini, ſtabant ſuper ſiccam humum in
medio Jordanis accincti, omniſque populus per arentem alveum tranſibat,

℣. 1. JOSUE DE NOCTE CONSURGENS. Hebræus: ישכם בבקר *Joſue ſummo mane conſurgens.* Mota fuiſſe caſtra e Setim credimus octava die primi menſis; feria quarta, quarto Kal. Maii (1). Diſtat Setim a Jordane, teſte Joſepho (2), ſtadiis LX., ideſt, VIII. M. paſſibus, vel tribus leucis circiter. De Setim actum eſt ſupra, II. 1.

MORATI SUNT IBI TRES DIES. Hebræus fert tantum (3): *Pernoctaverunt ibi, antequam tranſirent*; vel ſubſtiterunt ante amnis tranſitum. Sunt qui noctem tantum egiſſe ibi credant, alii integram diem cum duplici nocte; quæ noſtra pariter eſt ſententia: minus enim temporis ſpatium non exigebatur, ut expiarent ſeſe, & pararent ad tranſvadandum. Author Vulgatæ reputavit, ſubſtitiſſe illos triduo ad Jordanem; quod in ſententia noſtra commode exponitur, acceptis diebus non plenis, ſed tantum inceptis; egerunt enim ibi partem ejus diei quo primum venerunt, totum alterum, & partem tertii: quemadmodum Jeſus Chriſtus triduo in ſepulchro jacuiſſe dicitur, cum tamen integrum ibi diem, & partem duorum ſequentium abſolverit. Hebræus verſiculi ſecundi noſtræ huic expoſitioni favet.

℣. 2. QUIBUS EVOLUTIS, TRANSIERUNT PRÆCONES; ideſt, mane diei decimæ, ad tranſitum amnis deſtinatæ, quæ ipſa erat tertia dies ab adventu a Setim. Palam edici juſſit Joſue per præcones, quem ordinem teneret exercitus in profectionibus. In Hebræo eſt: *In fine trium dierum tranſierunt præcones* (4) &c. Supputant nonnulli tres hoſce dies ab edicto lato a Joſue, ut pararent Hebræi ad tranſitum amnis commeatus (5), ſed ſermonis ſeries multo æquiorem eſſe demonſtrat interpretationem Authoris Vulgatæ, de tertia die ab adventu ad Jordanem. Præcones iſti iidem ſunt plane ac qui ſupra I. 10. appellantur *Principes populi*, Hebraice *Soterim*.

℣. 3. SACERDOTES STIRPIS LEVITICÆ. Chaldæus, & Septuaginta: *Cum videritis Sacerdotes & Levitas*; quaſi ſcilicet utrique alternis vicibus Arcam Domini tuliſſent. Reputavit Sigonius (6), ſolis Levitis e familia Caath demandari conſueviſſe honorem ſacrum pignus ferendi (7); ſed Hebræus (8) & Vulgata non obſcure produnt, in hac re Sacerdotes id muneris egiſſe, ideo fortaſſe, quod minime velata eſſet tunc Arca, nec fas eſſet Levitis e familia Caath illam aliter tangere, quam velaminibus, & operimentis obvolutam. Animadverſum eſt etiam, ter, vel quater honorem illum delatum fuiſſe Sacerdotibus; e. g. cum mœnia Jerichuntis circumeundo ambiebantur (9); cum filii Heli Summi Sacerdotis detulerunt Arcam in Caſtra (10); cum David fugæ ſuæ tempore illam remiſit Jeroſolymam: delata etiam a Sacerdotibus tum creditur, cum a Salomone e Tabernaculo a Davide parato in Templum translata fuit (11).

Sacerdotum numerus tunc quidem erat infrequens, cum ſoli eſſent Sacerdotes Eleazar, & Ithamar filii Aaronis; quibus facile in ea cæremonia accedere poterant comites aliqui ex filiis, in eam rem apti. Quatuor vectoribus, juxta Hebræos, ac Interpretes nonnullos, Arca ferebatur: ſinguli e quatuor Sacerdotibus humeros ſubmittebant vectibus, qui annulis Arcæ inſerti erant; creduntur inſuper os habuiſſe converſum alter ad alterum, caventes, ne unquam terga verterent Arcæ, ut proinde oblique gradi cogerentur. Credat, cuicumque id arridet, animadverſionibus hiſce Rabbinicis: nec Scriptura, nec e Priſcis quiſquam aliquid innuit ſeu de quatuor illis Arcæ vectoribus, ſeu incommodo illo vehendi ritu, ſeu tandem de neceſſitate oblique incedendi. Vectes Arcæ conſtituendos cenſemus per tranſverſa ejuſdem Arcæ latera, vectoreſque tradimus Sacerdotes geminos, quorum alter coram, retro alter gradiebatur.

SEQUIMINI PRÆCEDENTES. Hebræus: *Ite poſt illam*, Arcam præcedentem ſequimini. In conſuetis agmi-

(1) Uſſer. ad an. mundi 2553. (2) Joſeph. antiqu. l. 5. c. 1. (3) וילנו שם טרם יעברו (4) ויהי מקצה שלשת ימים (5) Joſue I. 11. (6) Sigon. de Rep. Heb. l. 5. c. 4. (7) Num. IV. 15. (8) כהנים הלוים *Sacerdotes Levitæ.* (9) Joſue VI. 6. (10) 2. Reg. XV. 25. (11) 3. Reg. VIII. 1.

agminis per deſertum profectionibus Arca ferme medium exercitus tenebat; hic autem ante primos ordines ita ferenda eſt, ut bis mille cubitis populum præcedat. Ad obitum uſque Moyſis columna nubis Iſraelitas iter facientes antecedebat; evanuiſſe autem illa vulgo creditur, cum obiit Legislator (1): ejus loco ſubſtituta Arca Domini iter monſtravit Hebræis.

℣. 4. Spatium cubitorum duum millium. Hebræus (2): *Spatium fore duum millium cubiti in menſura*. In profectione exercitus nunquam fieri poterat, ut certa ſpatii menſura adamuſſim ſervaretur. Cavet Deus, ne populus ad Arcam accedat propius, in ſignificationem ſummi illius obſequii, quo Majeſtatis ſuæ præſentia obſervanda eſt; ne ſcilicet populus curioſius rem ſacram inſpiciat & conſideret. Scitum eſt, quanti ſteterit Bethſamitis curioſior nudæ ejuſdem rei ſacræ inſpectio (3); quanti Ozæ tangendi illam temeritas (4). Cautio illa cur in deſerto ſervaretur, non erat, cum Arca velata deferretur, & in ſtationibus in penetralibus Tabernaculi reconderetur. Perſuaſum habebant Iſraelitæ, nefas eſſe mortali ad divinitatem propius accedere; quique id auderent, in apertum ſe mortis diſcrimen injicere; nec intueri Deum poſſe quin ſtatim mors in pœnam audaciæ conſequeretur: quare volentes libenteſque hæc ſibi data præcepta obſervaſſe credendum eſt. Potiſſimam rationem intervalli hujus inter Arcam & populum conſtituendi hanc fert Toſtatus, ut ſcilicet omnium aſpectui facilius illa pateret; ſi enim inter primos ordines vel in medio agminis collocata fuiſſet, rati illam & propinquiores tantum vidiſſent. Huic expoſitioni apprime favet Vulgata, ita enim legit: *Ut procul videre poſſitis, & noſſe per quam viam ingrediamini*. Sed minime omnium favet illi Textus Hebræus, uti demonſtrabitur infra.

Non ſine magna veri ſpecie reputamus, caſtra Iſraelis a ripa Jordanis bis mille cubitis vel DC. circiter paſſibus abſuiſſe; neque enim alioqui Dei juſſiones iſtæ exequutioni mandari potuiſſent. Cum igitur Arca ad ripam amnis proceſſiſſet, & Sacerdotum pedes alveum attigiſſent, continuo aquæ ſuperiores ſenſim retrogredi, inferiores vero dilabi; ſimul autem agmen progredi, ita tamen ut intervallum bis mille cubitorum circiter ab Arca ſervaret: vadum autem tenuit exercitus DC. paſſibus infra locum, ubi Sacerdotes in alveum Jordanis ingreſſi ſubſtiterant: ampliſſima ad tranſitum relicta erat via in amne, cujus inferiores aquæ in mare mortuum dilapſæ, totum late tractum ſex leucarum arentem reliquerant, ut ex anguſtia viæ nulla eſſet propius ad Arcam accedendi neceſſitas.

Ut procul magis videre poſſitis, et noſſe per quam viam ingrediamini. Hebræus: *Ne appropinquetis ad eam, ut cognoſcatis viam, qua ambuletis in ea, quoniam non tranſiſtis in via ab heri & nudiuſtertius*. Hæc autem commode ita exponuntur; Ne accedatis ad Arcam propius, ſed longe illam ſequimini; neque ab itinere quod illa demonſtraverit, divertatis quidquam, ne forte aberretis in via plane nova, quam nunquam calcaſtis. Innui tamen hiſce potius videtur per ambages tranſitus prodigioſus, qui per medium amnem ipſis parabatur: novam & inſuetam viam, cui perſimilem nullam triviſſent, Deus illis ſternere decreverat. Viſuri eſtis rem plane novam, cujus non aliud exemplum quam tranſvadatio Maris Rubri datum eſt unquam. Utrum Joſue tunc illis imminens prodigium revelaverit, certo non conſtat: forte nondum Deus quidquam ea de re detexerat.

Cavete ne appropinquetis ad Arcam. Deſunt hæc in Hebræo hujus loci.

℣. 5. Sanctificamini, vel expiate vos. Eam ſanctimoniam a populo exigere hic Deus creditur, quam popoſcit cum in montem Sinai toto majeſtatis apparatu deſcenſurus erat; imperavit enim tunc (5) Moyſes: *Sanctificamini & lavate veſtimenta veſtra, & ne appropinquetis uxoribus veſtris*. Indixit hoc Joſue populo altera die, ex quo populus ad Jordanis caſtra pervenerat, ideſt nona menſis. Exterior hæc ſanctitas, & corporis veſtiumque lotio ſymbolum erat non intimæ tantum illius ſanctitatis, quam Deus a populo ſuo exigebat, ut virtutis ſuæ & præſentiæ vim intueri mereretur; ſed ſimul cor, & mens parabatur, comparabaturque in obſequium, fiduciam, admirationem grandium illarum rerum, quas Deus ipſis præſentibus acturus erat. Admiratio, quæ viſis prodigiis nunquam non tenet homines, tunc creſcit & menti altius ſeſe imprimens diutius perſeverat, cum præcedentes habet, & comites præparationes quaſdam religioſas, pioſque illos ſenſus, quos Numinis præſentia inſpirat: hæc ſi abfuerint, maxima etiam prodigia cor mentemque leviter tantum, obiterque movent; & cum illa oculis obverſentur, nihilque interim inſpirent in corde timoris, & obſequii, aſpectus ille omnis fruſtra eſt, & inutilis. Vocem originalem התקדשו ita vertendam cenſent quidam (6) ex Interpretibus: *Præparamini*, parati eſtote ad tranſitum, res veſtras præparate; nemo retro maneat ſegnior. Vox *ſanctificare* uſurpatur interdum de ſimplici præparatione ad actiones aliquas communes, & conſuetas; ſed nihil commune exigit cauſa hujus ſanctificationis a Joſue indictæ.

℣. 6. Ait ad Sacerdotes: Tollite Arcam foederis. Sacerdotes alloquitur, ſed non pro imperio; neque enim in iis, quæ ad Religionem pertinent, Principis eſt imperare Sacerdotibus, ſed potius imperantibus illis parere. Significat igitur Joſue Sacerdotibus tantum Domini juſſiones; erat enim ille Dei mandantis præco, & adminiſter, ut e ſubſequentibus verſiculis patet. Injuncta ſunt hæc ipſa eadem die, qua caſtra mota ſunt, decima Niſan, paulo ante tranſitum Jordanis.

℣. 7. Hodie incipiam exaltare te. Hodie ſcilicet prodigiis meis id efficere incipiam, ut Iſrael univerſus intelligat, agere te meo nomine, & tanquam meorum conſiliorum miniſtrum; intelligent tandem Hebræi, me tecum eſſe, uti antea cum Moyſe: eamdem in te, quam olim in Moyſe, fiduciam ſuam collocabunt. Animadvertit Grotius, uſque ad Saulis ætatem conſueviſſe Deum prodigiorum ſuorum argumento demonſtrare, quem virum in regimen populi ſeligeret. Nec ſane a Moyſe uſque ad Saulem nemo fere unus eſt, cujus miſſionem & authoritatem edita divinitus prodigia non confirmaverint.

℣. 8. Cum ingressi fueritis partem aquæ Jordanis, state in ea. Hebræus ad literam (7): *Cum ingreſſi fueritis ad extrema aquarum Jordanis, manebitis in Jordane*.

Hæc Textus verba longe diſcrepantibus interpretationibus exponuntur. Sunt qui (8) ſtetiſſe credant Sacerdotes in ripa Orientali Jordanis, donec totus populus tranſiret. Malunt alii (9), tranſvadaſſe illos aquam, ſubſtitiſſe antem in ripa Occidentali, Chananitidem ſpectante. Alii tandem (10) reputant; Sacerdotes cum vix primas aquas tetigiſſent, ſtetiſſe, tamdiu expectantes, quamdiu inferioribus aquis diffluentibus, refluentibuſque verſus originem ſuam ſuperioribus, liber in alveo tranſitus relinqueretur; tunc enim Sacerdotes ad medium uſque alvei proceſſerunt, nec retraxerunt ex illo pedem, niſi poſtquam populus univerſus pertranſiit. Poſteriorem hanc interpretationem æquio-

[1] Auguſt. qu. 3. in Joſue. Abul. qu. 5. 6. 7. Maſ. Serar. Bonfr. alii. [2] באלפים אמה במדה
[3] 1. Reg. VI. 19. [4] 2. Reg. VI. 6. 7. [5] Exod. XIX. 10. 15. [6] Chald. Kimchi.
[7] כבאכם עד קצה מי הירדן בירדן תעמדו [8] Ita Thalmudici, Serar. [9] Maſ. Vatab. Druſ.
[10] Bonfrer. Cornel. a Lapide.

quiorem reputamus, quippe quæ Joſue cum Joſue conciliat; monuit enim ille Sacerdotes, ut pedem ſiſterent *cum ingreſſi fuiſſent ad unum extremum aquarum Jordanis*. De ripa Occidentali dicta hæc accipi non patitur ℣. 17. ferens: *Sacerdotes ſtabant ſuper ſiccam humum in medio Jordanis, omniſque populus per arentem alveum tranſibat*. Quæ pariter idem Joſue clarioribus verbis exponit Capite IV. 9. 10. 11. Subſtiterunt igitur paulliſper in ripa amnis Orientali, quoadusque recedentibus aquis procedendi via aperiretur: quæ omnia innuuntur ℣. 15. ferente: *Ingreſſis eis Jordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis, ſteterunt aquæ, &c.*

Qui Hebræum ita vertendum cenſent (1), *Cum ingreſſi fueritis diviſionem aquarum Jordanis, ſtate in ea*, facilior illis conciliatio variarum omnium opinionum, ſummovendique ardua omnia, prona maxime ratio ſuppetit, cum negotium totum faceſſat ambiguitas vocis *extremitas*. Ea amota, vel Sacerdotes in medio alvei, vel in alterutra amnis ripa ſubſtiterint, veriſſime aſſeritur, ſtetiſſe illos in diviſione aquarum Jordanis: quamquam id multo pronius accipitur de medio fluenti, uti ex aliis Textibus jam productis demonſtratur.

℣. 9. Accedite huc גשו הנה. Creditur invitaſſe populum ad locum, ubi cœtus cogebantur præ foribus Tabernaculi.

℣. 10. In hoc scietis, quod Dominus Deus vivens in medio vestri sit. Poſtquam oculati teſtes ſpectabitis quæ patranda ſunt miracula, nihil erit ultra cur ambigatis, utrum Deus veſtrum medius incedat. Addit Joſue animos populo, ſimulque authoritatem ſuam coram illis aſſerit, habere ſecomitem Deum, ut olim aderat Moyſi, ad ſenſum demonſtrans. Dictorum autem ſuorum aperta duo profert argumenta, alterum ſcilicet, debellandas ab iis eſſe ſeptem gentes Chananæorum; alterum vero, per arentem Jordanis alveum ipſos eſſe tranſmittendos. Vel planius: Certum hoc habebitis Divinæ in vos opis, & futuræ veſtræ de Chananæis victoriæ argumentum, quod hodie via per medium Jordanis alveum vobis patebit ad tranſitum. Nullum utique dari poterat documentum ejus rei ſive certius, ſive promptius, ſive ad captum populi aptius, ſive utilius Hebræis, ſive tandem validius ad Chananæos terrendos: non enim res erat de prodigio occulto, obſcuro, quod brevi evaneſceret, vel dolo, & artibus revocari poſſet in dubium. Patratum eſt plena die, in horas plures perſeveravit, eo præſertim tempore, quo amnis aquarum copia tumebat: pronum erat omnibus intueri aquas ſuperiores ſuſpenſas, & in caput ſuum retruſas, cum interim totus inferioris alvei tractus, ultra bis mille paſſus excurrens, totus areſceret tempore non modico, id præſtans veluti obſequium Arcæ Domini, quæ in conſpectu ſtabat. Idcirco vero Deum Iſraelis *Deum viventem* appellat, ut Idolis opponat, quæ Numina ſunt vita, robore, & motu omni deſtituta; Numina tam protegendis cultoribus ſuis, quam tuendis inepta ſibi ipſis adverſus Deum Omnipotentem, & Dominum Hebræorum, qui in exitium eorum armabatur. Tandem Deus vivens deſignare poteſt Deum præſentem, largientemque vitam, robur, victoriam, qui ad opem, auxilium, & protectionem populo ſuo ferendam præſto eſt, longe utique alius a Diis gentium, qui cum mortales homines eſſent, in Numina electi ſunt.

Disperdet in conspectu vestro Chananæum. Hebræus: *Expellet a faciebus veſtris Chananæum*; extorrem aget a ſedibus ſuis, & undis. Septem hic tantum Chananææ gentes leguntur pro decem, quorum regionem conceſſurum ſe Deus Abrahamo promiſit (2). At ſæpe alias animadvertimus, raro occurrere in Scriptura accuratum gentium illarum numerum; neque enim inter ſe adeo diſtinctæ erant, quin ſæpe conjungerentur, & ſub alterius nomine altera cenſeretur. Sub communi Amorrhæorum, & Chananæorum nomine ſimul hæ omnes interdum deſignantur.

De ſitu ſingularum illarum gentium in Chananitide, animadverſum eſt a nobis in Geneſ. x. 19. Chananæos conſediſſe potiſſimum in Phœnicia circa Tyrum, & Sidonem; Hethæos montana ad meridiem Terræ Promiſſionis occupaſſe; Hevæos loca circa montes Hebal, & Garizim, Sichem, & Gabaonem, tractumque montibus Hermon proximum. Pherezæi gentem ab aliis diſcretam facile non conſtituebant, ſed ruricolæ erant per regionem ſparſi. Gergeſæi ſedes habebant in Transjordanis circa Lacum Genezareth; Jebuſæi tenebant Jeruſalem; Amorrhæi montes, qui mare mortuum habent Orientale, eumque Regionis Moabiticæ tractum, quem Moyſes ex Sehone, & Og retulit.

℣. 12. Parate duodecim viros. Quem in uſum viri iſti pararentur, ex lectione Capitis ſubſequentis patebit. Selectos fuiſſe viros illos habet Vulgata; nec aliter plane reputandum eſt, licet Hebræus præferat tantum: *Capite vobis duodecim viros de Tribubus Iſrael*. Agitur hic tantum de viris duodecim, qui lapidem ſinguli ſuum in humeros ſublatum ad ripam amnis tulerunt; facile tamen alios etiam adhibuit Joſue, ut in medio alveo duodecim grandium lapidum ſtruem erigeret; niſi forte reputemus, in eam rem impenſos fuiſſe ipſos eoſdem viros, qui duodecim lapides contulerunt.

℣. 13. Aquæ, quæ inferiores sunt, decurrent. Non ſatis accurate definiri poteſt, quanta ſpatii diſtantia intercederet inter locum, ubi aquæ Jordanis diſſectæ ſunt, uſque ad Mare Mortuum, ubi amnis ejuſdem ſunt oſtia; neque enim Joſue adamuſſim deſcribit, ubi amnem Iſraelitæ tranſvadarunt. Verum ſi tranſiſſe illi reputentur e regione Jerichuntis, uti non immerito cenſemus, aquæ illæ in mare mortuum defluentes arentem reliquerunt alveum non minus quam duorum, vel trium millium paſſuum.

Quæ autem desuper veniunt, in una mole consistent. Aquæ Jordanis impetu ruentes exaggerarunt ſe in tumulos, ſpeciem exhibentes veluti montium aquæ in glaciem concretæ, quas aquas potens quædam, & inviſibilis manus continebat, ne ruerent. Hebræus (3): *Aquæ Jordanis ſcindentur, aquæ deſcendentes deſuper ſtabunt in acervo uno*. Priori ſententiæ hujus membro adjecit Author Vulgatæ, *Aquæ, quæ inferiores ſunt*, decurrent in Mare mortuum, ut diſtingueret luculentius aquas inferiores a ſuperioribus, quæ in acervum intumeſcentes, imminebant loco, ubi Arca conſiſtebat (4).

Interruptus aquis fluxit prior amnis in æquor:
Ad molem ſtetit unda fluens . . . . .

℣. 15. Pedibus eorum in parte aquæ tinctis. Hebræus (5): *Pedes Sacerdotum tincti eſſent in extremo aquarum*; ideſt, cum primum pedem intra amnem Jordanis poſuiſſent. Grande fiduciæ ſuæ ſpecimen tunc utique Sacerdotes præbuerunt; nihil enim cunctantes ingreſſi ſunt aquas, licet ne dubium quidem adhuc ſignum appareret viæ intra medium alveum aperiendæ: ſtatim vero greſſum retinuerunt, cum Dei manu ſcindi aquas ſenſerunt.

Jordanis autem ripas alvei sui tempore messis impleverat. Jam alibi animadverſum eſt, Hebræos trajeciſſe Jordanem die decima Niſan, quæ congruere poteſt cum trigeſima Aprilis; erat autem tempus colligendæ in ea Regione meſſis, hordeaceæ ſcilicet, nam frumentum ſerius metebatur. Codices quidam Septuaginta mendo plane manifeſto exhibent hic meſſem frumenti (6). Hebræus

(1) Seras. Cornel. a Lapide. (2) Geneſ. xv. 19. (3) מי הירדן יכרתון המים הירדים מלמעלה ויעמדו נד אחד Symmach. ἄκρον ἕν, partem unam, quaſi legiſſet נאר Aqu. Theod. εἰς σωρὸν acervum unum. (4) Lucan. Pharſal. lib. 2. (5) נטבלו בקצה המים (6) ὡσεὶ ἡμέραι θερισμοῦ πυρῶν. Ita Seras. & Menoch.

bræus (1), Chaldæus, Vulgata, & Optimæ Editiones Septuaginta, legunt tantum *tempore meſſis*. Eſt autem plane argumentis demonſtratum, in Feſto Paſchatis primitias meſſis hordeaceæ offerri conſueviſſe (2).

Plenus iſte Jordanis alveus tempore meſſis alicubi etiam per Scripturam recurrit. E. g. virtus Tribus Gad eo nomine celebratur potiſſimum, quod Davidem in ſeceſſu adivit, Jordane trajecto, quo maxime tempore aquis redundat primo menſe (3), Niſan ſcilicet, qui prior eſt *anni ſancti*. Author Eccleſiaſtici (4) Jordanem, & Euphratem ponit tanquam duos amnes, qui tempore meſſis ſeu verno riparum ſuarum limites tranſvertunt; *Quaſi Jordanis in tempore meſſis*. Hunc amnem, non ſecus ac Nilum, tempore meſſis late per arva inundare, perhibet Ariſtæas, Hiſtoriæ Septuaginta Interpretum Scriptor. Hanc aquarum Jordanis luxuriem deſignaſſe creditur Jeremias XLIX. 19. nomine ſuperbiæ Jordanis: *Ecce quaſi Leo aſcendet de ſuperbia Jordanis*.

Paria referunt Itineraria quæcumque amnem illum deſcribunt. Doubdan (5), qui in viciniis Jerichuntis ad Jordanem verſabatur eo plane anni tempore, quo Hebræi amnem trajecere, narrat, amnem tunc impleſſe alveum, quantum jactus eſt lapidis patentem; aquis vero intumuiſſe flaveſcentibus, & turbidis, uti Sequana per hyemem; fluento autem decurriſſe alto, & præcipiti, quod auctum aquis e liquata Libani nive defluentibus, in ſubjecta arva inundationem minitabatur. Antonius Begnaut, qui ſcribebat anno 1573. (6), non melius comparari poſſe Jordanem ſcribit, quam Tiberi, qui Urbem Romam ſecat, undaſque trahit lutulentas, & turbidas, amne rapidiſſimo, & profundo, Princeps Radzvilius (7) affirmat, amnem illum plerumque non excedere triginta cubitos, ideſt XLV. pedes in latum, niſi ad fauces in mare mortuum, ubi latiori amne ſpariatur. Reputarunt nonnulli (8), eo tempore, quo Hebræi amnem tranſvadarunt, aquas tractum tenuiſſe bis mille cubitorum latitudinis: quam ſententiam ut teneamus, nulla Scripturæ authoritas petit; nec prodigia citra neceſſitatem multiplicanda ſunt. Jordanes nondum exundaverat, ſed pleno alveo tumebat; cui ſi tantum latitudinis tribuamus, quantum jactus eſt lapidis, id utique ſatis eſt ad grandem prodigii imaginem intelligendam. Itinerator quidam (9), ſcribens anno 1531. affirmat, menſe Auguſto, in maxima tunc aquarum humilitate, utramque ripam ſubjecta aquæ ſuperficie decem pedibus altiorem ſpectaſſe.

Cauſæ naturales inundantis eo anni tempore Jordanis, e liquatis nivibus Libani, ex quo amnis originem ſuam refert, & ex imbribus, in ea regione primo vere cadentibus, repetendæ ſunt. Vernæ pluviæ deſignantur in Scriptura nomine *imbris temporanei* (10), nempe primi temporis; & Libani nives tam Scriptores Sacri, quam veteres recentioreſque Geographi norant. *Numquid deficiet nix Libani?* ait Jeremias XVIII. 14. Tacitus lib. v. de eodem monte: *Mirum dictu! tantos inter ardores opacum, fidumque nivibus*. Multis etiam perſuaſum eſt (11), nomen ipſum *Libani* e verticis ipſius candore [*Laban* enim Hebraice eſt *albus*] derivari. Ardores ſolis maxime æſtuantes in Palæſtina nives illas liquant, intumeſcuntque aquarum acceſſione illa non Jordanes tantum, ſed & cæteri e Libano diffluentes amnes, uti Adonis & Orontes,

℣. 16. Steterunt aquæ descendentes in loco uno, et ad instar montis intumescentes apparebant. Variat aliquantulum Hebræus: *Steterunt aquæ deſcendentes deſuper, ſteterunt acervo uno* (12). Aquas illas alias ſuper alias exaggeratas intumuiſſe velut in montem, Textus non præfert; & ea quæ ſequuntur, ſatis demonſtrant, reflexo itinere illas originem ſuam verſus aſcendiſſe altius quam per decem leucas a loco, ubi Iſraelitæ tranſvadarunt: quare non ita prodigium intelligendum eſt, ut impedito curſu aquæ illæ intumeſcentes ſupra caput Iſraelitarum velut ſuſpenſo monte imminerent, ſed potius unda ſuper undam reflexa, aquas a loco tranſitus Iſraelitarum uſque ad urbes Adom & Sarthan coacervatas exhibuerit. Apud profanos ſcriptores occurrunt interdum flumina ſeu fontes, qui veteri mutato curſum retro reflexerunt, quemadmodum de Vulturno & Lagno memoriæ proditum eſt. Plinius lib. 15. cap. 103. retro fluere & noſtra vidit ætas Neronis principis annis ſupremis. Simile quid habes apud Dionyſium Halicarnaſſæum. Horatius lib. 1. Od. 2.

Vidimus flavum Tiberim retortis
Littore Etruſco violenter undis,
Ire dejectum monumenta Regis Templaque Veſtæ.

Sed exempla iſta, ſiquidem pro veris admittantur nihil probant aliud, niſi in quibuſdam rerum eventibus, ut valido flante vento, vel in terribili terræ concuſſione fieri potuiſſe, ut amnis vel maris aquæ refluæ modico aliquo ſpatio impellantur. Sed hic longe alia res eſt; aquæ enim Jordanis refluunt e latere Sarthan ad octo vel decem leucas aſcendentes. Eo loci amnis profundiſſimus eſt quatuor vel quinque pedibus, & ſexaginta pedibus latus. Vide Relandi Palæſtinam tom. 1. lib. 3. pag. 275. 276. &c.

Apparebant procul a urbe, quæ vocatur Edom, usque ad latus Sarthan. Hebræus ad literam (13): *Steterunt acervo uno procul valde recedentes in Adam, urbe quæ eu latere Sarthan*. Certus ſitus *Adam* vel *Edom* ignoratur; notior eſt Sarthan, quam Scriptura (14) collocat prope *Bethſan* vel Scythopolim, e regione Socoth, urbis Transjordanicæ (15). Jacebat denique ad extrema vallis Jezrael (16) ad Jordanem, cis amnem. Cum igitur vallis Jezrael & Scythopolis a lacu Geneſareth non diſtarent, nec ab ea pariter urbs Sarthan removenda eſt; & ſi Sarthan e regione & a latere Edom ſpectabat, conſtat utique, poſtremam hanc urbem pertinuiſſe ad alteram Jordanis ripam, & a loco ubi Iſraelitæ tranſvadarunt, abfuiſſe plurimum: eſt autem ſitus iſte ab eo, quem in noſtris Tabulis Geographicis tenet, longe diverſus. Intumeſcentis igitur amnis tractus definiendus eſt a *Bethabara*, ubi Iſraelitarum vadum conſtituimus, aduſque Sarthan & Adam, ſpatio viginti leucarum Galliæ circiter. Codices variant plurimum inter ſe. In Romana deeſt *Adam*, & pro *Sarthan* legitur *Cariathjarim*; Francofurtenſis legit, ab urbe Adam uſque *Cariathjarim* verſus; Aldi Manutii: *Ab Adami uſque ad Cariathiarim*. Ignorare me equidem fateor, cur hic poſita ſit urbs Cariathiarim, quæ cum in medio regionis ſex vel ſeptem leucis ab amne jacuerit, ad definiendas ejuſdem amnis menſuras nequaquam valebat.

In mare solitudinis, quod nunc vocatur mortuum. Hebræus (17): *In mare Araba, mare ſalis*. Nomen *Araba* frequens eſt in Scriptura, quo ſignificantur campeſtria illa Moab, ubi Iſraelitarum

(1) בל ימי קציר (2) Vide quæ diximus Levitic. XXIII. 10. 14. & Joſeph. Antiqu. l. 3. cap. 10. & Bonfr. hic. (3) 1. Paral. XII. 15. (4) Eccli. XXIV. 36. De Euphrate vide Strab. l. XVI. & Plin. l. c. cap. 26. (5) Doubdan, voyage c. 34. (6) Pag. 107. 108. 112. (7) Epiſt. 2. pag. 104. (8) Kimchi & Maſius. (9) D. Nicol. Louvan, Relig. de S. Michiel, en Lorraine, voyage mſ. de l'an. 1531. (10) Vide quæ animadvertimus in Deuteron. 11. 14. (11) Hieronym. Ribera in Abac. 11. &c. (12) ויעמדו המים הירדים מלמעלה קמו נד אחד Symmachus ἄσκωμα ἕν, utrem unum. Chaldæus תר רוקבה Septuaginta vertunt pariter נד utrem Pſalm. XXXII. 7. (13) הרחק מאד מארם העיר אשר מצד צרתן (14) 3. Reg. IV. 12. (15) 3. Reg. VII. 46. (16) 3. Reg. 19. 12.
(17) על ים הערבה ים המלח

rum caſtra diu ſteterunt. Creditur ea vox exprimere locum incultum quidem, ſed non penitus ſterilem, paſcuis divitem. Lacus autem Sodomæ *Mare Araba* idcirco appellatur, quod non longe abſit a campeſtribus vel deſertis Moab, regionemque habeat adjacentem plane incultam, & paſcuorum tantum quorumdam feracem. *Mare* etiam ſalis vel Lacus Aſphaltites appellatus eſt, quod nitro & bitumine ſcateat: ſalis enim nomen in Scriptura non marino tantum, & alteri quod e terra effoditur, ſali tribuitur; ſed eodem pariter cenſentur quæcumque ſaporem reddunt acrem & ſalſum, ut nitrum, bitumen, aſphaltus. De ſitu vero & qualitatibus maris mortui adeo explorata ſunt omnia, ut in his immorari nulla neceſſitate cogamur. Porro Jordanes (1) *velut invitus Aſphaltitem lacum, dirum natura, petit, a quo poſtremo ebibitur, aquaſque laudatas perdit, peſtilentibus mixtus*. Lacui Sodomæ tractum definit Joſephus (2) longitudinis quidem, ab oſtiis Jordanis aduſque Zoaram vel Segor DLXXX. ſtadiorum, latitudinis vero CL. ſed Plinius (3) tribuit in longum centies mille paſſus, & XXV. mille in latum, ubi vaſtiſſime ſpatiatur, & VI. mille quo loco arctiſſimus eſt. A Bethabara, ubi Sacerdotes alveum ſubierunt, ad mare mortuum tractus eſt quinque vel ſex leucarum; qui totus in tranſitu Iſraelitarum inaruit.

℣. 17. POPULUS AUTEM INCEDEBAT CONTRA JERICHO. Hebræus: והעם עברו נגד יריחו: *Populi tranſierunt contra Jericho*, Septuaginta: [illegible] *Populus ſtetit contra Jericho*. Textus autem reddendus eſt juxta vim Hebræi: *Populus tranſivit contra Jericho*. Ex certo hoc puncto dimetiri oportet diſtantiam locorum, de quibus in hoc capite. Aberat Jericho LX. ſtadiis vel VIII. mille paſſibus circiter, nempe tribus circiter leucis a Jordane.

SACERDOTES .... STABANT SUPER SICCAM HUMUM IN MEDIO JORDANIS ACCINCTI. Reddi poſſet Hebræus: *Conſtiterunt in medio Jordanis in arenti*; הכן *ſubſiſtentes*; manentes nempe immoti vel parantes tranſitum populo. Septuaginta in eumdem ſenſum ac Vulgata: *Stantes parati* [illegible] ad medium uſque Jordanis progreſſi, ſteterunt ibi, quoadusque populus tranſiiſſet. Qui cenſent, Sacerdotes conſtitiſſe in alterutra amnis ripa, illud in *medio* accipiunt, *intra alveum*, licet non in medio, ac in ipſo fluenti centro: ſed ſeries tota ſermonis literam ſervare nos jubet, Vide ſequentis capitis ℣℣. 3. 5. 8. 9. 10.

OMNISQUE POPULUS PER ARENTEM ALVEUM PERTRANSIBAT. Hebræus: *Et omnis Iſrael tranſeuntes in ſicco, donec conſummaverunt omnis gens tranſire Jordanem*.

(1) Plin. l. 5. c. 15. (2) Joſeph. de bello Jud. l. 4. c. 27. (3) Plin. lib. 5. c. 16.

CAPUT IV.

Monumentum e duodecim lapidibus in medio alveo Jordanis erectis. Totidem alii lapides e medio amne accipiuntur, in Galgalis ſtatuendi. Populus, trajecto amne, caſtra locat in Galgalis in agro Jerichuntis.

℣. 1. QUibus tranſgreſſis, dixit Dominus ad Joſue: 2. Elige duodecim viros ſin-
gulos per ſingulas tribus, 3. Et præcipe eis, ut tollant de medio Jor-
danis alveo, ubi ſteterunt pedes ſacerdotum, duodecim duriſſimos lapi-
des, quos ponetis in loco caſtrorum, ubi fixeritis hac nocte tentoria. 4. Vocavitque
Joſue duodecim viros, quos elegerat de filiis Iſrael, ſingulos de ſingulis tribubus,
5. Et ait ad eos: Ite ante arcam Domini Dei veſtri ad Jordanis medium, & porta-
te inde ſinguli ſingulos lapides in humeris veſtris, juxta numerum filiorum Iſrael,
6. Ut ſit ſignum inter vos. Et quando interrogaverint vos filii veſtri cras, dicentes:
Quid ſibi volunt iſti lapides? 7. Reſpondebitis eis: Defecerunt aquæ Jordanis ante
arcam fœderis Domini, cum tranſiret eum: idcirco poſiti ſunt lapides iſti in monu-
mentum filiorum Iſrael uſque in æternum. 8. Fecerunt ergo filii Iſrael, ſicut præ-
cepit eis Joſue, portantes de medio Jordanis alveo duodecim lapides, ut Dominus ei
imperarat, juxta numerum filiorum Iſrael, uſque ad locum, in quo caſtrametati ſunt,
ibique poſuerunt eos. 9. Alios quoque duodecim lapides poſuit Joſue in medio Jor-
danis alveo, ubi ſteterunt ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis: & ſunt ibi uſque
in præſentem diem. 10. Sacerdotes autem, qui portabant arcam, ſtabant in Jorda-
nis medio, donec omnia complerentur, quæ Joſue, ut loqueretur ad populum, præ-
ceperat Dominus, & dixerat ei Moyſes. Feſtinavitque populus, & tranſiit. 11. Cum-
que tranſiſſent omnes, tranſivit & arca Domini, ſacerdotes quoque pergebant ante
populum. 12. Filii quoque Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manaſſe, armati præ-
cedebant filios Iſrael, ſicut eis præceperat Moyſes: 13. Et quadraginta pugnatorum
millia per turmas, & cuneos, incedebant per plana, atque campeſtria urbis Jericho.
14. In die illo magnificavit Dominus Joſue coram omni Iſrael, ut timerent eum,
ſicut timuerant Moyſen, dum adhuc viveret. 15. Dixitque ad eum: 16. Præcipe
ſacerdotibus, qui portant arcam fœderis, ut aſcendant de Jordane. 17. Qui præce-
pit

Digitized by Google

pit eis, dicens: Aſcendite de Jordane. 18. Cumque aſcendiſſent portantes arcam fœ-
deris Domini, & ſiccam humum calcare cœpiſſent, reverſæ ſunt aquæ in alveum
ſuum, & fluebant, ſicut ante conſueverant. 19. Populus autem aſcendit de Jorda-
ne, decimo die menſis primi, & caſtrametati ſunt in Galgalis contra Orientalem pla-
gam urbis Jericho. 20. Duodecim quoque lapides, quos de Jordanis alveo ſumpſe-
rant, poſuit Joſue in Galgalis, 21. Et dixit ad filios Iſrael: Quando interrogave-
rint filii veſtri cras patres ſuos, & dixerint eis: Quid ſibi volunt lapides iſti? 22.
Docebitis eos, atque dicetis: Per arentem alveum tranſivit Iſrael Jordanem iſtum,
23. Siccante Domino Deo veſtro aquas ejus in conſpectu veſtro, donec tranſiretis:
24. Sicut fecerat prius in mari rubro, quod ſiccavit, donec tranſiremus: 25. Ut di-
ſcant omnes terrarum populi fortiſſimam Domini manum, ut & vos timeatis Domi-
num Deum veſtrum omni tempore.

℣. 1. Dixit Dominus ad Josue. Mandatum hoc jam ſupra III. 12. expoſitum eſt. Reddi poſſet cum Interpretibus non paucis: *Igitur Dominus dixerat ad Joſue: Accipe duodecim viros.* Acceptos viros illos, non ſelectos, exhibet Textus Hebræus קחו לכם מן העם.

℣. 3. Ubi steterunt pedes Sacerdotum. Hebræus (1): *E ſtatione pedum Sacerdotum.* Dicta hæc non ita accipienda ſunt, quaſi lapides illi ſub pedibus Sacerdotum jacerent; ſed accepti ſunt ex eo loco, & eodem alvei vado, ad eamdem a ripa diſtantiam, ubi ipſi conſiſtebant. In ℣. 5. ſcriptum eſt: *Ite ante Arcam Domini Dei veſtri ad Jordanis medium, & portate inde ſinguli lapides in humeris veſtris.*

Duodecim durissimos lapides. Vox quædam legitur in Hebræo, quam alii (2) ad Sacerdotes referendam cenſent, quaſi ſcilicet illis imperatum eſſet, ut acciperent lapides (3) *e ſtatione Sacerdotum paratorum*, qui nempe fixo gradu ſtabant immobiles. Alii vero (4) ad duodecim lapides referunt: *Accipite duodecim lapides paratos*, ſeu firmos, duros, ſolidos; vel alio ſenſu: Accipite, & parate duodecim lapides; vel tandem: Accipite certum numerum duodecim (5), nec plures, nec pauciores.

℣. 6. Ut sit signum inter vos; ideſt, monumentum. Ad perennandam rei hujus memoriam, juſſit Deus geminum monumentum parari, alterum quidem in medio Jordane erectum, alterum vero in loco, ubi primum Iſraelitarum caſtra poſt tranſitum amnis figenda erant. Teſtimoniis hiſce indigebat rudis populus, & incredula poſteritas; idemque Numen, quod ſtatui monumenta ob diſcrimen ſuperſtitionis & Idololatriæ vetuerat, eadem nunc præcipit in commodum Religionis, & ad memoriam prodigiorum conſervandam. Sæpe alibi (6) diſſeruimus de veteri more erigendi qua in uſus ſacros, qua in communes monumenta. Euſebii ætate (7) perſeverabant adhuc duodecim lapides a Joſue in Galgalis conſtituti, quos etiam ſpectaſſe S. Paulam, cum Urbem illam pertranſiret, affirmat S. Hieronymus (8).

Filii vestri cras. Vox iſta *cras* uſurpatur non raro pro futuro tempore utcumque. Monet Sapiens (9): *Ne glorieris in craſtinum*, in tempus futurum; & Jeſus Chriſtus (10): *Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum*, in tempus futurum.

℣. 8. Juxta numerum filiorum Israel. Hebræum aliter legiſſe videntur Septuaginta; reddunt enim Textum: Ἐν τῇ συντελείᾳ τῆς διαβάσεως; *In conſummatione tranſitus filiorum Iſrael.*

Ad locum, in quo castrametati sunt; ideſt, Galgalim, duabus circiter leucis a Jordane. Vero propius autumamus, viros illos in opem ſibi alios advocaſſe ad grandes hoſce lapides eo uſque transferendos. Sua adhuc ætate monſtrari erecta hæc monumenta in Galgalis, Euſebius in Locis, & S. Hieronymus teſtantur.

℣. 9. Sunt ibi usque in præsentem diem. Scripſit fortaſſe hæc Joſue ad exitum vitæ ſuæ, vel alter poſt illum hæc Textui adjicienda cenſuit. Lapides iſti alter ſuper alterum aggeſti ſunt in medio alvei Jordanis, juxta locum, ubi Sacerdotes conſtiterant. Facile autem ſuper aquas emergebant, cum amnis fluebat humilior; receptaque in populo traditio memoriam loci, ubi conſtituti erant, diutius conſervavit. Sed longa Babylonis captivitas traditionum illarum, & nominum locorum partem maximam inducta oblivione delevit. Legimus in Vitis Patrum, Abbatem Agiodulum impetraſſe divinitus, ut duodecim hoſce in Jordane lapides intueretur (11). Hos ipſos lapides digito indicaſſe S. Joannem Baptiſtam credunt plures (12), cum ad Judæos dicebat (13): *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*; quin & ſpectatos adhuc pluribus poſt ætatem illam ſæculis. Sed opinione hac nihil incertius; nec S. Joannes tunc in Bethabara, ubi Jordanem tranſierunt Hebræi, baptizabat, eo enim nonniſi aliquanto poſt ſe contulit (14).

℣. 10. Donec omnia complerentur, quæ Josue, ut loqueretur ad populum, præceperat Dominus; et dixerat ei Moyses. Non antea e medio amne moverunt ſeſe Sacerdotes, quam poſt trajectas a Joſue, & Iſraelitis aquas, aſſumptoſque lapides pro monumento in Galgalis, atque aliud monumentum in eodem Jordane erectum. Hæc omnia Deus viro præceperat; ſed quæ fuerit Moyſis in ea re pars, non facile intelligitur, quippe qui ante quadraginta dies obierat. Fieri tamen potuit, ut Legislator ante obitum ſuum Joſue docuerit de omnibus, quæ præſtanda eſſent in re tanta tranſitus Jordanis; ſive quod cuncta quæ tunc futura eſſent, revelatione didicerit; ſive quod tantum generali mandato imperaverit Joſue, ut nullam prætermitteret occaſionem revocandi populo in mentem officia ſua in Deum, & perennandæ ejus rei memoriam erectis monumentis perſpicuis, & in ævum duraturis: idque exequutus eſt Joſue; collecta ſtrue lapidum in alveo Jordanis, & in Galgalis.

Festinavitque Populus, et transiit. Sive quod terreretur pendenti ſuper caput immani illa aquarum mole, quæ fide licet ac ſpe firmos animos concutiebat; uti ſæpe etiam viris ſtrenuis in conſpectu rei terribilis contingit. S. Petrum ſuper aquas gradientem terruit minax fluctus, quem in ſe ruentem aſpexit (15). Sive quod fidei illorum, & ſpei imbecillitas id efficeret, ut poſitos ſe crederent

(1) ממצב רגלי הכהנים (2) Vat. Maſ. Pag. Jun. & Tremel. (3) הכין שנים עשרה אבנים
(4) Ita Vulg. Septuag. Aquila, Sym. Bonfr. (5) Lud. de Dieu. (6) Vide ad Geneſ. XXVIII. 18. & XXXI. 46. 47. & 52. & Levit. XXVI. 1. (7) Euſeb. in locis, voce Βουνὸς & Galgala. (8) Hieronym. Ep. . . (9) Prov. XXVII. 15. (10) Matth. VI. 34. (11) Joan. Moſch. vit. PP. l. 2. c. 41. (12) Vide Anſelm. Remig. Abbat. Lyr. Toſtat. Auctor. Hiſt. Eccleſ. c. 30. (13) Matth. III. 9. (14) Joan. I. 19. 26. (15) Matth. XIV. 30.

Digitized by Google

derent in præſentiſſimo diſcrimine, quod celeri tantum fuga evitandum eſſet.

℣. 11. Sacerdotes quoque pergebant ante populum. Credimus populum tranſiiſſe bis mille cubitis infra locum, ubi Arca Domini conſtiterat; ita ut, cum Sacerdotes Jordane tranſmiſſo Jerichuntem vel Galgalim verſus procederent, populus, qui ad eam quam indicavimus loci diſtantiam in ripa amnis ſubſtiterat, ipſe pariter ad eumdem locum tenderet, ea proportione Arcam ſequens, qua illa ulterius progrediebatur.

℣. 12. Armati præcedebant fratres suos. Vide Caput 1. 14.

℣. 13. Per turmas, et cuneos incedebant. Hebræus (1): *Exercitus tranſivit ante faciem Domini ad prælium.* Acies illa xl. millium virorum veluti primum agmen conſtituebat exercitus Domini; proficiſcebatur ad ejus nutum, & coram ipſo.

Per plana, atque campestria. Hebræus אל ערבות יריחו *Per Araboth Jericho. Araba*, vel *Araboth* deſignat loca inculta, in quibus nihil, niſi paſcua; quæ ipſa pariter loca in utroque Teſtamento *Deſerta* non raro appellata ſunt. Quin & tractum hunc Regionis, de quo nunc agitur, Vulgata in Jerem. lii. 8. deſertum Jericho nuncupat: *In deſerto, quod eſt juxta Jericho.* Symmachus vocem *Araba* reddit interdum *arva*, interdum *loca inculta*. Jerichunti ad latus Orientale adjacebat longi tractus ager, ad Jordanem uſque protenſus.

℣. 14. Magnificavit Dominus Josua, juxta obligatam illi fidem ſuam (a). Ut munus illud a Deo ſibi commiſſum tueretur, neceſſario indigebat auctoritate, & apud populum gratia, quam illi naturali via nonniſi plurium annorum comitas, & victoriarum proſperitas conciliaſſet; ſed Deus prodigiis ſuis, quibus prima Joſue molimina proſequutus eſt, ſtatim ad eum auctoritatis, & favoris gradum erexit, quo ad regimen populi, & ad injiciendum hoſtibus terrorem opus erat.

℣. 15. Dixitque ad eum. Hæc illi Deus antea mandaverat; quare, ut ſuus naturalis locus verſiculo huic & tribus ſequentibus reſtituatur, undecimo præferendi ſunt.

℣. 19. Decimo die mensis primi; primi ſcilicet anni Sancti, & ſeptimi anni Civilis. Quadrageſimus is annus eſt ab exitu ex Ægypto, cui abſolvendo dies quinque deerant; egreſſi ſunt enim ex Ægypto die quintadecima primi menſis, & poſt quadraginta annos die decima ejuſdem menſis Chanaanitidem tenuerunt.

In Galgalis. Nomen Galgal inditum eſt loco tantum poſt circumciſionem populi, ut infra, v. 9. narratum eſt. Jacebat Galgal decem ſtadiis a Jerichunte, & l. (3) a Jordane (4); cui eadem Jericho erat occidentalis, Jordanes vero ad Orientem. Stativa hic habuit Joſue toto ferme eo tempore, quo bellum in Chananæos geſtum eſt. Ibi pariter ſedes Arcæ, fœminis, pueris, & impedimentis Hebræorum conſtituta eſt; ibi nati in deſerto, ſpatio quadraginta annorum, mares circumciſione obſignati ſunt: ac tandem Paſcha celebratum. In Galgalis Saulem populus Regem ſalutavit (5). Nullæ forte ibi erant domus, antequam venirent Iſraelitæ; inde tamen oppidum conditum fuit, de quo non ſemel in Scriptura (6).

Contra orientalem plagam urbis Jericho. Hebræus ad literam: בקצה מזרח יריחו *In extremo orientis Jericho*; ex qua loquendi phraſi inferunt nonnulli (7), Galgalam non recta plane ad orientem jacuiſſe; ſed aliquanto ſeptemtrionem verſus Jerichuntis inclinaſſe. Sed originalis illa phraſis ſignificat tantum, locum hunc fuiſſe in parte orientali agri Jerichuntis; cum novimus, Galgal recta inter Jordanem & Jerichuntem, quare & veriſſime ad illius urbis orientem jacuiſſe. Joſephus (8) affirmat, Jerichuntem lx. ſtadiis a Jordane abfuiſſe; & alibi (9) Galgalam removet l. ſtadiis a Jordane, & x. a Jerichunte. Inſiſtebat igitur Galgala viæ recta a Jordane ad Jerichuntem.

℣. 20. Duodecim quoque lapides ... posuit in Galgalis. Ritu ſolemni ii lapides poſiti ſunt in edito loco, ut perenne monumentum prodigii in Jordanis tranſitu ſtarent,

Conditam ibi Aram cenſuit Joſephus (10). Tertullianus (11) præter omnem veri ſpeciem autumavit, lapides illos *in Arcam Teſtamenti conditos* fuiſſe; qua in opinione verſari illum id probat, quod paulo infra, Apoſtolos duodecim totidem hiſce lapidibus comparans, docet, eduxiſſe Jeſum Apoſtolos e lavacro Jordanis *& in Sacrarium teſtamenti ſui recepiſſe*. Suſpicatur Druſius, accepiſſe hæc Tertullianum ex Libro Antiquitatum Pſeudo-Philonis, ſeu potius Pſeudo-Philonem ex Tertulliano, in quo ſcriptum legitur *poſitos fuiſſe hos lapides in Arca a Cenez. Et ſunt*, inquit, *in Arca Teſtamenti uſque in hodiernum diem.* Abſurda hæc ſuum tamen nacta ſunt patronum in *Loricbio Adamario*, uti prodit Serarius. R. Levi filius Gerſon conſtitutos eos lapides cenſet juxta Arcam, ſervatoſque in ſæcula ſuccedentia, ut ſcilicet Iſraelitis, ter per annos ſingulos ad obſequium Domino exhibendum ventitantibus, conſpiciendi exhiberentur. Sed temere hæc aſſerta ad fabellas meritiſſime amandantur.

℣. 25. Ut discant omnes terrarum populi fortissimam Dei manum. Reddi poſſet Hebr. (12): *Ut omnes populi hujus regionis &c.* Id ſatagit Deus, ut terrorem hoſtibus, fiduciam populo ſuo ingerat: ſimul autem & famulum ſuum Joſue commendat; Iſraelitarum, quos tot prodigiis alit, religionem fidemque munit atque confirmat. Nihil aptius ad Chananæos terrendos exhiberi poterat, quam tanto prodigio aperta vada Jordanis. Quod autem pervicaciam illorum nulla cauſatione excuſabilem, cædemque juſtiorem efficit, illud eſt, Deum prodigium hoc ſuum exhibuiſſe palam, & coram omnibus ejus incolis Regionis, ut ejus veritatem in dubium revocare temerario auſu nemo potuerit.

(1) הצבא עברו לפני יהוה למלחמה (a) Joſue iii. 17. (3) Singula ſtadia cxxv. paſſuum erant. Igitur l. ſtadia ſunt vi. m. paſſus, ſeu tres leucæ minores. (4) Joſeph. Antiqu. lib 5. cap. 1. (5) 1. Reg. xi. 14. 15. (6) 1. Reg. vii. 16. & Amos v. 5. Vide Bonfr. hic. (7) Adrichom & Ludov. de Dieu. (8) Joſeph. lib. 5. cap. 4. de Bello. (9) Idem Antiq. lib. 5. c. 1. Bonfrer. hic. (10) Idem ibidem. Ita & Monæ. lib. 2. c. 4. de vital. aur. (11) L. 4. contra Marcion. (12) למען דעת כל עמי הארץ

C A-

CAPUT V.

Terror Chananæorum. Iſraelitæ obſignantur circumciſione, & Feſtum Paſchatis celebrant. Mannæ imber ceſſat. Angelus Joſue per viſum apparet.

℣. 1. POſtquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans
Jordanem ad occidentalem plagam, & cuncti reges Chanaan, qui propin-
qua poſſidebant magni maris loca, quod ſiccaſſet Dominus fluenta Jordanis coram
filiis Iſrael, donec tranſirent, diſſolutum eſt cor eorum, & non remanſit in eis ſpi-
ritus, timentium introitum filiorum Iſrael. 2. Eo tempore ait Dominus ad Joſue:
Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundo filios Iſrael. 3. Fecit, quod juſſe-
rat Dominus, & circumcidit filios Iſrael in colle præputiorum. 4. Hæc autem cau-
ſa eſt ſecundæ circumciſionis: Omnis populus, qui egreſſus eſt de Ægypto generis
maſculini, univerſi bellatores viri, mortui ſunt in deſerto per longiſſimos viæ circui-
tus, 5. Qui omnes circumciſi erant. Populus autem, qui natus erat in deſerto, 6.
Per quadraginta annos itineris latiſſimæ ſolitudinis, incircumciſus fuit: donec conſu-
merentur, qui non audierant vocem Domini, & quibus ante juraverat, ut non oſten-
deret eis Terram lacte, & melle manantem. 7. Horum filii in locum ſucceſſerunt
patrum, & circumciſi ſunt a Joſue: quia ſicut nati fuerant, in præputio erant, nec
eos in via aliquis circumciderat. 8. Poſtquam autem omnes circumciſi ſunt, man-
ſerunt in eodem caſtrorum loco, donec ſanarentur. 9 Dixitque Dominus ad Joſue:
Hodie abſtuli opprobrium Ægypti a vobis. Vocatumque eſt nomen loci illius Galga-
la, uſque in præſentem diem. 10. Manſeruntque filii Iſrael in Galgalis, & fece-
runt Phaſe, quartadecima die menſis ad veſperum in campeſtribus Jericho. 11. Et
comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, & polentam ejuſdem anni.
12. Defecitque manna, poſtquam comederunt de frugibus terræ, nec uſi ſunt ultra
cibo illo filii Iſrael, ſed comederunt de frugibus præſentis anni terræ Chanaan. 13.
Cum autem eſſet Joſue in agro urbis Jericho, levavit oculos, & vidit virum ſtantem
contra ſe, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: Noſter es,
an adverſariorum? 14. Qui reſpondit: Nequaquam: ſed ſum princeps exercitus Do
mini, & nunc venio. 15. Cecidit Joſue pronus in terram. Et adorans ait; Quid
Dominus meus loquitur ad ſervum ſuum? 16. Solve, inquit, calceamentum tuum
de pedibus tuis; locus enim, in quo ſtas, ſanctus eſt. Fecitque Joſue, ut ſibi fuerat
imperatum.

℣. 1. REGES AMORRHÆORUM. Generali Amorrhæorum nomine interdum Chananææ gentes omnes deſignantur, interdum vero tantum poſteri Emor, filii Chanaan, e quibus nonnullos cis, alios vero trans Jordanem habitaſſe conſtat. Trans amnem Amorrhæos deleverat Moyſes; cis amnem reliqui deſignantur nomine *Amorrhæorum, qui habitant trans Jordanem ad Occidentalem plagam*. Vel juxta Hebr. בעבר הירדן ימה *Qui in tranſitu Jordanis a latere maris*; ſeu potius *a latere Jordanis, quod mare reſpicit*. In Deuteron. 1. 1. late demonſtravimus, præpoſitionem *heber* proprie ac vere neque cis, neque ultra, ſed tantum *a latere* exprimere, uſurpari autem indiſcriminatim, ut cis vel ultra, uti e ſerie ſermonis determinatur, ſignificet. Quare nihil ex hoc loco certum inferri poteſt, ut ſtatuamus, utrum Libri Author cis, vel trans amnem ſcripſerit.

CUNCTI REGES CHANAAN. Quamquam ſub communi Amorrhæorum nomine gentes omnes Chananæas, quæ ſubigendæ ſupererant, cenſuit, ſeorſum tamen exprimit Reges Chanaan, idest, Phœnicum, qui inter cæteros potentiſſimi erant, & formidabiles. Poſſediſſe illos ſcribit Regiones omnes, quæ mari magno adjacent, id eſt, Phœniciam univerſam, quæ a Monte Libano uſque ad Carmelum, & Regionem Philiſthæorum, quin & interdum apud ſacros profanoſque Scriptores, ad Ægyptum (1) porrigitur. Poſteriorem hanc Phœniciæ amplitudinem deſignaſſe Joſue videtur; nec ambigendum eſt, gentes omnes per Chananitidem diſperſas Iſraelitarum manibus traditas fuiſſe; & Philiſtæi, qui alienam habebant a Chananæis originem, nec cenſebantur inter cæteros populos, quorum Regionem Deus Abrahæ promiſerat (2), non alia ratione ſubmittendi illis fuerant, quam quod Phœnicum, vel Chananæorum Provinciam incolerent.

Juvat hic animadvertere, moris eſſe apud Septuaginta, nomen Phœnicum pro Chananæis ſubſtituere; & in Novo Teſtamento ipſam eamdem fœminam Chananæam S. Matthæus xv. 22. & Syrophœniſſam S. Marcus vii. 26. appellat. Phœnicum nomen celebre eſt tum navigationibus, tum mercatura, tum fraude & calliditate, quibus omnibus excellebant; iiſdemque characteribus Scriptura Chananæos diſtinguit (3). In univerſa hac Hiſtoria ſpectare licet ſingularum Urbium ſuos Reges, quæ vetuſtiſſima obtinebat per totum Orientem politia (4). *Intra ſuam cuique patriam Regna finiebantur*; & de Urbibus Phœniciæ potiſſimum affirmat Strabo, ſingulas ferme ſuis peculiaribus Regibus paruiſſe.

DISSOLUTUM EST COR EORUM, ET NON REMANSIT

(1) Vide Maſ. hic. (2) Geneſ. xv. 18. 19. 20. 21. (3) Vide Prov. xxiii. 24. Iſa. xxiii. 8. Oſee xii. 7 (4) Juſtin. l. 1. Vide & Strabon. l. 16.

In eis spiritus. Hebræus ad literam (1): *Liqueſactum eſt cor eorum, nec erat in eis ultra ſpiritus*, halitus & vita; velut extra ſe facti ſunt ſtupore, ſubito horrore, animi perturbatione, & terrore, quem prodigii aſpectus incuſſit. Stupotem Reginæ Sabæ, viſa Aula Salomonis, expreſſurus Author Sacer, eamdem, quæ hic, phraſim adhibuit (2): *Non habebat ultra ſpiritum*. Ita pariter Moyſes (3) felicem illam paterni cordis mutationem, quam Jacob, de Joſepho adhuc dias auras ſpirante monitus, expertus eſt, exhibiturus, ſcribit: *Revixit ſpiritus eius*; in novam vitam revocatus eſt. Septuaginta Textum hunc aliter reddunt (4): *Mentes eorum* veluti *liqueſactæ ſunt*, & *conſternati ſunt*, tanquam mente defluuti, & *non erat in eis prudentia ulla a facie filiorum Iſrael*. Ad eum ſtatum redacti ſunt, ut conſilio carerent & mente, quibus quidquam ſtatuerent, vel conſilii caperent.

℣. 2. Eo tempore. Ut eum Chananæorum terrorem & conſternationem in ſuum uſum verteret, Deus Joſue mandaverat, circumciſione populum univerſum initiaret, antequam hoſtes e ſtupore & metu ſeſe recipientes, Hebræos aggrederentur, quo maxime tempore ipſi dolore vulnerum vexati, imbecillem defenſionem oppoſuiſſent. Edixiſſe hoc Joſue creditur die undecima Niſan, ante feſtum Paſchatis quarta, atque ipſa pariter die peractum. Secus enim proximo Feſto celebrando fuiſſent impares, cum vulneris e circumciſione dolor tertia die maxime ſæviat, uti ex Geneſi xxxiv. 25. certum eſt.

Fac tibi cultros lapideos. Chaldæus Paraphraſtes (5) cum Rabbinis, & Recentiorum pluribus vertunt Hebr. חרבות צרים *Fac tibi novaculas acutas*. Sed docti alii Interpretes (6) contendunt, Hebræum *zur* nunquam uſurpari de acie gladii vel enſis, ſed *lapidem* tantum vel petram, ſequendoſque ajunt veteres Interpretes Græcos, & Vulgatam, qui de cultris lapideis acceperunt, Μαχαίρας πετρίνας. Præacuto lapide Sephora filium ſuum Eliezerum circumcidit (7). Ferunt, cultros hoſce lapideos aptiores eſſe æneis ferreiſque, qui noxiam vulneris inflammationem non pariant. Notus erat in antiquitate uſus lapideorum cultrorum in eam rem, notus, inquam, non apud Hebræos modo, ſed apud exteras gentes; nec ſane aliter fieri poſſe citra valetudinis diſcrimen credebatur (8): *Samia teſta . . . virilitatem amputabant, nec aliter citra perniciem*. Legendi in eam rem Ovidius in Faſtis iv. Juvenalis (9). Catullus (10). Plutarchus in Nicia, Herodotus (11); qui poſtremus Author affirmat, medicos Ægyptios, qui condiendis cadaveribus dabant operam, corpora illa ſecuiſſe præacuto lapide, ut exta detraherent.

Nec tantum ad ſecanda hominum corpora cultri lapidei obtinebant, ſed lapide etiam acuto calami ſcriptorii aptabantur (12); armabantur eodem militum tela (13), ſcindebantur arbores balſamo manantes (14). Aſſerit Scaliger, vidiſſe ſe Lugduni duos lapideos cultros; Africani Marochi, & Americani quidam (15) formant hodie pariter lapides in cultros, gladiolos, novaculas. Fama eſt, in Regno Calechuti, ubi ferrum omne, æs, & metallum quodcumque deeſt, defectum illum ſuppleri lapidibus præacutis, qui vel ad lignum ſcindendum apti ſunt (16); omneſque ferme, qui de rebus Americanis ſcripſerunt, cultros hoſce lapideos gentibus illis familiares memorant (17). In vetere quodam ſepulchro Diœceſis Ebroicenſis repertæ ſunt ſecures lapideæ, quibus olim in bello utebantur (18).

Patres quidam Eccleſiæ docuerunt, Jeſum Chriſtum circumciſum fuiſſe cultro lapideo, inſtrumento in circumciſione familiari: conſtat tamen, nihil eſſe ea de re in Lege præceptum; & conſuetudinem variam ſemper, nunquam conſtantem, obtinuiſſe. Hebræorum enim quidam (19) contendunt, uſque ad Davidem lapidibus circumciſionem miniſtratam fuiſſe; poſtquam vero David ictu lapidis æneam vel ferream galeam Gigantis transfodit, tunc ferrum lapidi ſubſtitutum eſſe: hiſce vero quis credat? Illud utique conſtat, Judæos hodie & ab ætate immemorabili novacula circumcidere (20); ipſiuſque Joſephi ætate miniſterium Chirurgorum in eamdem rem adhibitum fuiſſe. Narrat enim ille (21), Izatem Regem Adiabenorum, cum Judaicis ſacris ſeſe initiari vellet, Chirurgum acciviſſe, a quo circumcideretur.

Circumcide secundo filios Israel. Minime profecto reputandum eſt, circumciſionem iteratam fuiſſe, vel Joſue antea circumciſione Hebræos obſignaſſe: inepta ſunt hæc & abſurda. Mandat tantum Deus, ut intermiſſa in deſerto circumciſio reſumatur; ut circumciſionem, qua inter cæteras gentes diſtinguebantur, acciperent Iſraelitæ, qui ea carebant, antequam in poſſeſſionem regionis, ſibi ſub ea tantum conditione promiſſæ (22), immitterentur. Cur vero præceptum hoc ita fertur: *Circumcide ſecundo?* Secunda hæc circumciſio ad aliam ne primam referenda eſt? quamnam illam? Circumciſionem Abrahami ejuſque familiæ, cenſent nonnulli (23). Tunc enim Deus primo cum Patriarcha illo ejuſque poſteris fœdus inivit, quod iterum innovatum eſt, cum Moyſes legem rogavit; ſed intermiſſa in deſerto circumciſione, & Joſue veteri illo more revocato, publico pariter & ſolemni ritu prius illud populi cum Deo fœdus compoſitum innovavit. Tunc ſecundo ab origine Judææ gentis factum eſt, ut circumciſio univerſo ferme populo palam miniſtraretur.

Malunt alii, Moyſem, cum in Ægyptum veniſſet, deprehendiſſetque Iſraelitas incircumciſos, populum adegiſſe, ut ſacramento illo obſignandum ſe traderet: idem nunc ab Joſue præſtitum. Moſaica igitur, prima; hæc, ſecunda. Optandum eſſet tamen, ut argumenta interruptæ hujus in Ægypto circumciſionis exhiberent. Narrat id Tertullianus (24) cum Rabbinis nonnullis; at ſilet Scriptura.

Reputat S. Auguſtinus (25), ſecundam hanc circumciſionem ad priorem aliam referri non oportere; cenſet enim, ſolummodo rationem haberi eorum Iſraelitarum, qui jam circumciſione initiati fuerant, quique ab Ægypto egreſſi mixti erant cum aliis in deſerto natis, ſacramento illo adhuc carentibus. Subtilior forte videbitur Viri ſanctiſſimi expoſitio; planiuſque reputandum erit, circumciſionem hanc ſecundam aliud eſſe nihil, quam quod morem circumciſionis jam interruptum reſumendum eſſe iterum, & ſervandum indicet (26).

At

(1) וימס לבבם ולא היה בם עוד רוח (2) 3. Reg. x. 5. (3) Geneſ. xlv. 27. (4) Καὶ κατετάκησαν αἱ διάνοιαι αὐτῶν, καὶ κατεπλάγησαν, καὶ οὐκ ἦν ἐν αὐτοῖς φρόνησις οὐδὲ μία. (5) Ita Jonathan & Onkelos, Rabb. Vat. Munſt. Pag. Jun. Piſc. (6) Vide Maſ. Druſ. Bonfr. Cornel. &c. (7) Exod. 4. 25. (8) Plin. xxv. 12. (9) Juvenal. Satyr. 6. Mollia qui rupta ſecuit genitalia teſta. (10) Catull. Carm. de Berecynth. & Athy. (11) Λίθῳ αἰθιοπικῷ ὀξέϊ παρασχίσαντες παρὰ τὴν λαπάρην. Herodot. l. 2. c. 86. (12) Vide Julian. l. 6. Epigr. apud Bonfr. Ἀκὴν δ' ἀμβλεῖαν θῆγε γλύφων καλάμων. Idem Epigr ſequ. καὶ λίθος συγχύδιος θηγαλέος καλάμου. (13) Herodot. l. 7. (14) Vide Joſeph. l. 14. Antiq. c. 7. Plin. l. xiii. c. 26. Tacit. l. 5. (15) D. Jean Palafox pag. 12. (16) Aloyſ. Cadam navigat. c. 66. (17) Vide Job. Lor. Navig. Braſil. c. 15. p. 189. & paſſim. (18) Diar. Italic. c. 28. (19) Hebræi apud auctor. Hiſtor. Scholaſt. (20) Vide Leon. Moden. Cerimonie de' Giudei, & Buxtorf. Synag. Jud. c. 2. (21) Joſeph. l. xx. Antiq. c. 2. (22) Geneſ. xvii. 8. 10. (23) Lyran. Vide & Maſ. hic. (24) Tertull. contra Judæos. Ita Rab. Levi, Ben Gerſon, &c. (25) Aug. qu. 6. in Joſue, Rupert. (26) Ita Bonfr. Serar. Menoch. Tirin. &c.

At enim circumciſio illa infantium in deſerto intermiſſa eſt? An abſque crimine negligi, vel omitti fas erat cæremoniam, quam Deus conceptis adeo verbis imperaverat; qua amota nihil erat quo quis dignitatem populi Dei, quin nec felicitatem æternam comparare poſſet, ſi cum Doctoribus ſane plurimis ſtatuamus, peccatum originale circumciſione deleri? Reputaſſe videtur S. Auguſtinus (1), ſola Hebræorum deſidia morem illum ceſſaſſe, non ſine illorum culpa, & crimine Legis violatæ. Cum tamen Scriptura nunquam id exprobret populo; cum pariter aſſerat hic, ex infantibus in deſerto natis neminem circumciſione initiatum fuiſſe, minima exceptis vel diſtinctis piorum impiorumve filiis, aliæ interruptionis hujus cauſæ invectæ ſunt. Theodoreto (2) aliiſque nonnullis ſedit opinio, circumciſione, idcirco tantum inſtituta, ut Hebræi a cæteris diſtinguerentur, nihil opus fuiſſe eo tempore, quo Iſraelitæ penitus ſegregati erant a cæteris, ut miſceri cum illis vix ac ne vix quidem poſſent.

Maſio (3) videtur, nonniſi in ipſorum pœnam factum eſſe, ut Iſraelitæ circumciſione initiare filios ſuos in deſerto non auderent. Sancte paruerant huic legi in Ægypto, totoque eo tempore quo ad Sinai ſubſtiterunt, uſque poſt Paſcha ibidem celebratum: cum vero regreſſis Exploratoribus ad Cadesbarne (4) tumultus in Deum excitatus eſt, circumciſio omnis ceſſavit. Privavit illos Deus eo ſigno fœderis ſui, quo ſe indignos præbuerant, & cui defectione ſua veluti renunciaverant. In ſuffragium ejus opinionis addunt, etiam poſtquam populus longiſſimam temporis moram traxit in Cadesbarne (5) & in agro Moabitico, & defectionis rei omnes morte ſublati fuere, pluribus menſibus ante Moyſis deceſſum (6), adhuc tamen ſe continuiſſe a miniſtranda circumciſione filiis ſuis, niſi poſt acceptam a Deo novam apertamque facultatem. Inſinuare hæc videtur Scriptura verbis illis (7): *Filii veſtri erunt vagi in deſerto annis quadraginta, & portabunt fornicationem, donec conſumantur cadavera patrum in deſerto.* Favet pariter expoſitioni huic Joſue, ſcribens, cum refractarii illi indignos ſe præbuiſſent, ut terram Chanaan in poſſeſſionem acciperent, *Horum filii*, ait, *in locum ſucceſſerunt patrum, & circumciſi ſunt a Joſue;* ac ſi vetus inter Deum & ipſos fœdus eo uſque ceſſaſſet, minime communicatis effectibus.

Verum planior & juſtior interpretatio, quam Scriptores Commentariorum ſequuntur, tenet, cum Hebræi in Deſerto erraticam vitam agerent, cogerenturque ſæpe ſtationem locumque mutare, Deum, qua erat clementia & in populum ſuum indulgentia, paſſum eſſe, ut filios a lege illa, gravi adeo & moleſta ſpatio triginta & octo annorum, quot ſcilicet a motis e Sinai caſtris fluxerunt, eximerent, ne mortis diſcrimen prope inevitabile ſubire pueri cogerentur.

℣. 3. Circumcidit. Circumciſionem hanc miniſtrandam curavit ab iis, qui eodem Sacramento in Ægypto initiati fuerant. Quamvis autem circumcidendi forent homines ſexcenties mille, id unica die abſolvi commode poterat. Porro obſignata alios circumciſione, omnibus permiſſum erat; vel ipſæ quandoque fœminæ infantes ſecabant.

Monuerunt me quidam, ut mente adverterem, quam ſit creditu difficile Iſraelitas numero hominum ſexcentum millium una die omnes circumcidi potuiſſe, nemine excepto, niſi Joſue tantummodo & Caleb, qui uni ex tam multis ex Ægypto una cum Moyſe egreſſis remanſerant. Verum I. nullibi ſcriptum legitur omnes unica die ſectos fuiſſe. II. Plures ex Hebræis in deſerto nati alios ſecare potuerunt. III. In ea rerum circumſtantia fas erat matribus filios ſuos circumcidere, ut exemplum Sephoræ uxoris Moyſis, quæ geminos filios ſuos Manaſſem & Eleazarum circumcidit, ſuadet. IV. Jethro cum ſuis idem pariter erat juris, cum eſſent e numero proſelitum & præſentes cum populo abeſſent.

In colle præputiorum. In loco aliquo caſtrorum Galgalæ, cui ex ea re nomen inditum fuit.

℣. 4. Hæc autem cauſa eſt ſecundæ circumciſionis. Hebræus ad literam (8): *Et hoc verbum*, vel *res*, *quo*, vel *qua Joſue circumcidit*. Septuaginta (9): *Et hic populus, quem Joſue circumcidit*. Vulgata Originalis vim totam aſſequuta eſt.

Univerſi bellatores viri mortui ſunt. Ultio Dei in caput tantum Iſraelitarum, qui ferendis armis ætate pares erant, ideſt viginti annis non minores (10), cecidit.

℣. 5. Qui omnes circumciſi erant. Plenior eſt ſententia in Hebræo & Septuaginta: *Circumciſi fuerunt omnes populi egredientes.* Perſuaſum tamen habemus, eo pariter ſacramento obſignatos fuiſſe, qui in ſtatione ad Sinai nati ſunt: quæ noſtra opinio inde repetitur, quod ſecundum Paſcha ibidem celebratum eſt, nunquam autem id commiſſum fuiſſet, ſi circumciſio jam inde ante annum ceſſaſſet.

℣. 6. Per quadraginta annos &c. Fuſior eſt quidem Textus Hebræus, & Septuaginta; ſententia tamen eadem ac in Vulgata. Septuaginta pro quadraginta annis legunt quadraginta duos, eoſdemque S. Auguſtinus & Theodoretus ſequuntur. Putarunt illi, exordium annorum quadraginta, quorum ſpatio vagandum erat Iſraelitis in deſerto, in pœnam defectionis ſuæ, annos, inquam, illos, frequenter adeo recurrentes in Scriptura, repetendos eſſe a caſtris in Cadesbarne poſitis: quæ temporis epocha anno ſecundo exitus ab Ægypto conſtituitur. Doctores tamen noſtri Chronologi quadraginta ſolum annos ſupputant ab exitu ex Ægypto aduſque introitum in Terram promiſſionis: cum autem Scriptura quadraginta annos itineris per deſertum in pœnam murmuris conſtituit, in eum cenſum biennium illud refert, quod jam effluxerat. Hebræus cum Vulgata, Chaldæo, & Septuaginta Editionibus nonnullis legunt annos quadraginta. Iidem pariter Græci Interpretes editionis Romanæ deſertum illud, in quo Hebræi pererrarunt, ita ſcribunt: ἐν τῇ ἐρήμῳ μαδβαρίτιδι, *In deſerto Mabderitidi*, vel *Magdaritidi*, vel *Madmaritidi*; qua voce expreſſum eſt Hebræum *madbar* vel *midbar* מדבר, deſertum.

℣. 7. Horum filii in locum ſucceſſerunt patrum. Hebræus & Septuaginta (11): *Pro his* Deus *ſubſtituit filios eorum*. Promiſſione patribus ſuis a Deo facta filii potiti ſunt; quæ etenim pervicacibus parentibus Deus negaverat, eorum filiis reſtituit. Filii hæredes earum promiſſionum, quibus parentes illorum caruere, typum exhibent non obſcurum Chriſtianorum, qui Judæis ſubſtituti ſunt; quippe qui venerint in poſſeſſionem hæreditatis, unde vetus ille populus in pœnam criminis ſui exciderat. Idem etiam exprimitur, juxta Patrum doctrinam (12), in ſecunda circumciſione, de qua in hoc capite, quam verus Joſue inſtituit: circumciſione, inquam, ſpirituali, circumciſione cordis, quam præcepto ſuo Jeſus Chriſtus imperat (13).

(1) Aug. qu. 6. in Joſue: *Contempſerunt filios circumcidere, quod inobedientes erant legi Dei.* (2) Theodoret. quæſt. 2. in Joſue. Hieronym. in Epiſt. ad Galat. lib. 1. ad fin. Damaſcen. de fide orthod. lib. 4. cap. 16. (3) Maſ. hic, Vaſq. Perer. & alii apud Bonfr. (4) Num. XIV. 1. (5) Deut. I. 46. *Sediſtis in Cadesbarne multo tempore.* (6) Deut. II. 14. (7) Num. XIV. 33. (8) וזה הדבר אשר מל יהושע (9) Καὶ οὗτος ὁ λαὸς ὃν περιέτεμεν Ἰησοῦς. (10) Num. I. 3. & XIV. 29. (11) ואת בניהם הקים תחתם Septuag. Τοὺς υἱοὺς αὐτῶν, οὓς ἀντικατέστησεν ἀντὶ τούτων. (12) Vide Tertull. contra Judæos, Lactant. lib. 4. cap. 17. Auguſt. de verbis Apoſt. ſerm. olim 15. nunc 169. Origen. homil. 4. (13) Rom. II. 28. 29. I. Cor. VII. 19. Galat. V. 6. Coloſſ. II. 11.

℣. 8. Manserunt in eodem castrorum loco, quoadusque a vulnere penitus convaluiſſent: quare ſo a circumciſione die Paſcha ibi octo dierum ſpatio celebrarunt. Abſoluta ſolemnitate, adverſus Jerichuntem profecti ſunt, caſtris tamen Galgalæ non prorſus derelictis; ibi enim relinquere viſum eſt uxores, filios, impedimenta, ut infra, xiv. 6. demonſtrabitur; quæ omnia ibi diutiſſime retenta ſunt.

℣. 9. Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis. Opprobrium hoc Ægypti circumciſione ademptum fuiſſe, ambigit nemo: ſed quomodo id eo ritu præſtitum fuerit, inquiritur. Cenſent quidam, apud Ægyptios olim obtinuiſſe circumciſionem, uti apud Hebræos: ſed quibus ea ſedet opinio, ægre illi admodum intelligent, eadem circumciſione auferri ex Hebræis opprobrium Ægyptiorum; his enim ſemel poſitis, Ægyptiis perinde ac Hebræis horrori fuiſſent incircumciſi; unum autem idemque illud inſigne Hebræos Ægyptioſque non tantum non diſtinxiſſet, ſed & conjunxiſſet. Igitur reputandum eſt, Deum abſtuliſſe ex Hebræis notam aliquam, quæ Ægyptiorum opinione probroſa fuerit; eadem fere ſenſu ac Moyſes admonuit Iſraelitas, ut Deo ſuo ſacrificarent abominationes Ægyptiorum (1), id eſt pecora, quorum mors apud eas gentes abominatio eſſet & crimen.

Sed argumentis demonſtratum fuiſſe a nobis (2) credimus, circumciſionis morem recens inventum eſſe apud Ægyptios; nullamque apud illos ignominiæ notam incurriſſe, qui ritum illum reſpuiſſent; quare dictum accipiendum eſſe hoc plane ſenſu credimus: Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis; id eſt, id quo Ægyptiis perſimiles efficiebamini, quidquid vos cum populo iſto immundo & Dei adverſario conjungebat. Filii Jacob ad Sichemitas (3): Non poſſumus dare ſororem noſtram homini incircumciſo; quod illicitum & nefarium eſt apud nos (opprobrium eſt nobis). Id igitur Hebræorum opinione opprobrioſum erat in Chananæis, quod circumciſione carerent; eademque notæ incircumciſi Ægyptii traducebantur. At enim cur Deus non abſtuliſſe ſe a populo ſuo opprobrium Chananæorum potius quam Ægyptiorum profitetur? Ideo facile, quod cum Iſraelitæ ex Ægypto veniſſent, ſi incircumciſionem præferrent, viderentur notam illam ignominiæ ex eadem regione ferre, haberenturque tamquam manus quædam Ægyptiorum, quibus nullum eſſet jus æquius in Chananitidem quam Ægyptiis. Sed eorum circumciſio veluti ſigillum habebatur promiſſionum Dei, & juris ſui in eamdem regionem diploma. Quantum ſibi de circumciſione placerent Hebræi, non una Scripturæ ſententia demonſtrat: demonſtrat pariter quam alte ſpernerent, exprobrarentque cæteris gentibus tamquam grandem immunditiæ notam, quod circumciſione deſtituerentur (4).

Theodoretus (5), quem Interpretes frequentiſſimi ſequuntur, docet, circumciſionem illam Hebræorum in Galgalis argumentum fuiſſe, illos ab Ægyptiaca ſervitute manumitti. Ex hiſtoriæ teſtimonio noviſſe ſe dicit, Iſraelitarum plures nulla circumciſione in Ægypto obſignatos fuiſſe, cum forte parentes metuerent, ne filios ſuos morti exponerent, ſiquidem illos in eadem regione ſecuiſſent: ſed poſt circumciſionem in Galgalis, Deum edixiſſe, velle ſe ab illis auferre opprobrium Ægypti, id eſt, removere penitus jugum ſervitutis Ægyptiacæ, eoſque in poſſeſſionem regionis immittere, quam patribus illorum ſpoponderat. Unde hiſtoriam hanc acceperit Theodoretus, Hebræos ſcilicet neglexiſſe circumciſionem filiorum in Ægypto, ignoro. Vero tamen propius crediderim, ea, quæ de manumiſſione aſſerit, derivari e prava interpretatione vocis Galgal, quam Joſephus vertit libertatem (6); quæ enim alioqui naturalis ſimilitudo inter circumciſionem manumiſſionemque intercedit?

Galgala uſque in præsentem diem. Animadvertimus modo, Joſephum & Theodoretum Galgalam reddidiſſe libertatem; ſed Hebræorum Grammatici vim & genuinam ſignificationem vocum melius attingentes, docent, Galgal ſonare Revolutionem; ita enim Hebræus hujus verſiculi redditur: Revolvi [Hebr. Gallot] opprobrium Ægypti deſuper vobis, & vocavit nomen loci ipſius Revolutio, Galgal.

℣. 10. Fecerunt Phase. Tertium eſt hoc Paſcha ab Iſraelitis celebratum; primum enim egerunt, qua die ab Ægypto egreſſi ſunt; alterum in ſtatione ad Sinai, poſt erectum Tabernaculum (7). Tertium tandem eſt hoc de quo modo, quodque cœpit, ut reliqua omnia, a die quartadecima primi menſis inter duas veſperas, ſeu in veſpera, qua dies quintadecima init. Cum autem Feſtum hoc inſtitutum eſſet poſtliminum pro eo tempore, quo plena poſſeſſio Chananitidis haberetur (8); cumque pariter nefas eſſet illud celebrare non admiſſa prius circumciſione, nil mirum, ſi Feſtum hoc in itinere per deſertum, vel intermiſſum vel ſuſpenſum eſt (9). Tribus illæ, quæ ſubſiſterant trans Jordanem, idem Feſtum egiſſe nequaquam creduntur; plures enim ex illis circumciſione initiati non erant; nec conſtat celebrari Feſtum illud licebat, niſi in loco ubi Tabernaculum, vel Arca Domini maneret, cum alibi ſacrificia nulla offerri poſſent.

℣. 11. Comederunt de frugibus terræ die altero. Juxta plures Interpretes, Hebrææ voces מעבור הארץ ſonant ad literam præteriti anni frumentum (10), vetus triticum, ut diſtinctum ab eo, quod nova meſſe colligitur. Cenſent illi, Iſraelitas uſque ad alteram Feſti diem abſtinuiſſe a novo tritico, e quo nulla adhuc oblatio data erat in Tabernaculo. Aliis tamen Interpretibus (11) ambigendum videtur, utrum arcta adeo ſignificatio originali voci tribuenda ſit; animadvertunt enim, diſcrimen illud nequaquam expreſſiſſe vel Septuaginta, vel Vulgatam, Chaldæum, Syriacum, Joſephum, qui planius expoſuerunt de fructibus regionis, qua vetuſtis, qua recentibus. Quin etiam dubitari merito poteſt, utrum in primo eo Paſchate oblatio manipuli, vel Gomer tritici ex Lege (12) data fuerit; neque enim tunc Iſraelitæ adhuc frumenta, quæ ibi repererunt, coluerant, nec plenam adhuc terræ illius poſſeſſionem obtinuerant. Quamvis autem non omiſſam tunc eamdem cæremoniam reputemus, non tamen hinc inferre licet, vetus tantummodo triticum illos eo uſque comediſſe.

Immolarunt Iſraelitæ agnum Paſchalem, guſtaruntque die decimaquarta primi menſis in veſperis, mane alterius diei, quæ ipſa erat dies Feſta, azymis, & novo pane regionis, tum & toſtis igne ſpicis uti cœperunt. Eo uſque cibis illis abſtinuerant, cum ſatis eorum neceſſitati ſufeciſſet annona in Sethim comparata, & manna quæ nondum pluere ceſſaverat. Hebræus ad literam (13): Et comederunt de frugibus terræ a craſtino Paſchæ infermentata, & toſtam in corpore diei hujus. Poſtre-

(1) Exod. viii. 26. [illegible] כי תועבת [illegible] [illegible] Vide & xvii. 16. [illegible] (2) Differt. de Vetuſtate Circumciſionis. (3) Geneſ. xxxiv. 14. [illegible] Terram, quam Dominus daturus eſt nobis [illegible] (4) 1. Reg. xiv. 6. [illegible] ad [illegible] incircumciſo[illegible] (5) Theodoret. qu. 4. in Joſue. (6) Joſeph. Antiquit. l. 5. [illegible] (7) Num. ix. 2. (8) Exod. xii. 25. Cum introieritis [illegible] (9) Vide Origen. hom. [illegible] in [illegible] Num. & Maſ. & Sera. in hunc loc. (10) [illegible] Vat. Kimchi, Bonfr. (11) Serari Cornel. Druſ. Maſ. (12) Levit. xxiii. 10. (13) [illegible] ויאכלו מעבור הארץ ממחרת הפסח מצות וקלוי בעצם היום הזה.

ſtrema hæc verba conjunguntur cum verſiculo ſequenti apud Septuaginta in hanc ſententiam (1): *Comederunt de fructibus terræ die ſequenti azyma & nova. In hac die defecit manna, & non ultra adfuit filiis Iſrael.*

Hebræum *Kalui*, quod Vulgata reddit *polentam*, Septuaginta *nova*, ſonat ſpicas igne toſtas, ut in Levitico 11. 14. demonſtravimus. Cibi genus illud in Paſchate Lex permittebat; nihil enim in illo erat fermentati. Novæ ſpicæ toſtæ igne & affrictu manus excuſſæ, munus ſunt dignum quidem homine agreſtem vitam agenti: maxime etiam conveniebant Hebræis, qui a quadraginta annis nec meſſem ullam collegerant, nec panem pro conſueto cibo deguſtaverant.

℣. 12. Defecit manna, eadem facile die qua deguſtare cœperunt triticum, ideſt, primi menſis die quinta decima. Malunt alii, diem decimam ſextam fuiſſe, mane ſcilicet ejus diei, qua manipuli offeruntur (2). Favet his Hebræus (3): *Ceſſavit manna craſtino, in edendo eos de frumento terræ.* Primam tamen expoſitionem retinere Septuaginta, in ſuperiori verſiculo animadvertimus; ſcite tamen obſervat Serarius, nunquam reputari poſſe, mannam ea die ceſſaſſe, qua Iſraelitæ fructibus regionis veſci cœpere; manna enim cadebat tantum vel nocte, vel ſummo mane, nec Iſraelitæ veſci fructibus illis potuerunt, niſi poſt oblatum manipulum in Tabernaculum; qui ritus ſero nimis, & plena jam die præſtabatur. Si tamen ponas, oblationem hoc anno omiſſam non fuiſſe; quod utique non ultro admittitur. Vide ℣. 11.

De frugibus præſentis anni terræ Chanaan. Septuaginta (4): *De fructu regionis Phœnicum in anno illo.* Interpres Origenis: *De fructu regionis Palmarum.* Conſtat utique, Græcum *Phœnix* deſignare palmam & Phœnicem; quod non ſemel in Scriptura labendi occaſionem præbuit, cum Interpretes interdum de Phœnice expoſuerint, quod Septuaginta de palma ſcripſerant. Vide Jobum xxix. 18.

℣. 13. In agro Jericho. Hebræus & Septuaginta legunt tantum in *Jericho*; ſcite tamen Vulgata ſupplevit *in agro*. Vertunt alii Hebræum ביריחו *juxta Jericho*. Creditur autem Joſue illuc diverti ſſe ſive ad orandum, ſive ad ſitum locorum urbi circumjacentium conſiderandum.

Vidit virum stantem contra se. Judæi quidam (5) negant, Joſue tunc evigilaſſe; cenſent enim hoc oblatum illi fuiſſe per quietem, tamquam ſpectrum mentis in obſidione Jerichuntis occupatæ: ſed hiſtoriæ hujus ſeries evigilaſſe illum apertiſſime demonſtrat.

℣. 14. Qui respondit. Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini. Id permittit Deus, ut quo potiſſimum tempore inſtituendum erat bellum in Chananæos, opportuno hoc viſu Joſue ad grandem illam expeditionem confirmetur, quemadmodum ferme & cum Moyſe præſtitum eſt, qui viſione in Sinai comparatur ad arduam illam provinciam, liberandi ſcilicet populum ſuum ex Ægypto: quæ duæ viſiones aſſinitaris habent plurimum inter ſe. Exhibuit ſeſe Angelus Domini Moyſi in rubo ardenti, eo veluti ſymbolo expreſſurus labores illos, quibus cruciabantur Iſraelitæ, legemque igneam, quam Deus Moyſi traditurus erat: hic vero offert ſe Joſue veluti Heroem armatum, paratumque opem illi præſtare ad ſubigendam Chanaanitidem. Joſue mira animi præſentia ad virum illum armatum pergit, quis ſit rogans. Reponit alter, ſe adverſarium non eſſe, vel nec Judæum eſſe, nec Chananæum; utrumque enim ſenſum verba ejus admittunt: cæterum eſſe ſe Principem exercitus Domini, qui in ejus opem veniat. Legunt hic Septuaginta (6): *Ego ſum &c.* pro, *Nequaquam, ſed ſum &c.*

Veteres Patres uno aſſenſu docuerunt (7), ipſum per ſe Dei Filium, ſecundam in Trinitate perſonam ſe Joſue exhibuiſſe; eamdemque veritatem velut interluxiſſe priſcis Judæis, Maſius demonſtrat, qui recitat nonnulla eorum teſtimonia; quibus agnoſcere videntur, apparuiſſe Joſue per viſum ipſum eumdem, qui a Deo promiſſus fuerat Moyſi, verbis illis: *Facies mea præibit*, ideſt, Ipſe ego; eumdem pariter, qui locutus eſt cum Jacobo (8): *Ego ſum Deus Bethel*: eumdem qui Iſraelem ab Ægypto eduxit, *Angelum faciei Domini, qui ſalvos fecit ipſos*; eumdem denique de quo Malachias III. 1. *Dominum quem vos quæritis, & Angelum fœderis quem cupitis.* Supplex coram illo provolutus Joſue, quid a ſe exigat, ſignificari ſibi poſtulat: & ℣. 2. capitis ſequentis, huic, quicumque ille ſit, ſive Angelo, ſive Deo tribuitur nomen *Jehovah*, quod nonniſi Deo convenit.

Cum Angeli interdum hominibus per viſum apparuerunt, nunquam ſive adorari ſe, ſive coram ſe proſterni homines paſſi ſunt. Hic autem honorem illum non reſpuit, quin & mandat Joſue, ut coram ſe detrahat calceos, quippe quod locus, ubi videndum ſe præbuiſſet, ſacer eſſet & inviolabilis. His tamen nequidquam obſtantibus, recepta maxime inter Scriptores Commentariorum opinio tenet, purum putumque Angelum coram Hebræo duce ſeſe exhibuiſſe. Cum vero Dei perſonam, nomen & authoritatem gereret, dari ſibi pariter Dei nomen & honorem; neque enim cultus ejuſmodi ad Angelum, ſed ad Deum tantummodo referebatur, ſi tamen ponamus, Joſua tunc cultum latriæ illi impendiſſe, quod inter incerta eſt incertiſſimum. Scriptura teſte ſcimus, Angelorum miniſterio rogatam fuiſſe legem (9), nec niſi Angelos ſive Moyſi per viſum in rubo ardenti apparuiſſe, ſive ortum Iſaaci Abrahamo ſpopondiſſe: hiſce tamen Angelis non ſemel peculiare Dei nomen *Jehovah* datum eſt. Jam inde multis retro ſæculis S. Auguſtinus (10) ſententiam hanc firmaverat; in quam deinde plerique omnes poſt illum conceſſerunt. Chaldæus in eumdem ſenſum exponit; *Ego Angelus miſſus a facie Domini nunc veni.*

℣. 15. Et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur? Quamquam vox *adorare* Latine fere ſemper exprimat latriæ cultum, Deo ſoli debitum; uſurpatur tamen interdum etiam pro obſequio, & externæ venerationis Angelis, Sanctis, & hominibus impenſæ, ſignificatione. Quod autem perſuadere poteſt, Joſue nullum latriæ cultum exhibuiſſe Angelo, illud eſt, quod non Jehovah appellavit, ſed tantum *Adonai*, nomine quo homines æque ac Deus ſæpe appellantur.

℣. 16. Solve calceamentum tuum de pedibus tuis; vel ſolve vincula ſandaliorum tuorum. Significatione quadam obſequii apud gentes olim obtinens pedinudium coram Deo ſervabatur. Eo corporis habitu, humili plane & luctuoſo, homines coram Diis ſupplices, in ſummis Reipublicæ calamitatibus, ſeſe ſternebant. Fœminæ Romanæ nudis

(1) Καὶ ἔφαγον ἀπὸ τοῦ σίτου τῆς γῆς τῇ ἐπαύριον τοῦ πάσχα, ἄζυμα καὶ νέα. Alius φρυκτὸν Toſtum. Is eſt Aquila ex conject. D. Bern. de Monfaucon in Hexaplis. (2) Rabb. Serar. Vatab. Bonfr. (3) וישבת המן ממחרת באכלם מעבור הארץ (4) Ἐκαρπώσαντο δὲ τῆς χώρας τῶν Φοινίκων ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἐκείνῳ. (5) Quidam Hebræi apud Vat. (6) Ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ, ὅτι ἐγὼ ἀρχιστράτηγος δυνάμεως Κυρίου. Legunt illi: ויאמר לו כי אני שר צבא יהוה, pro ויאמר לא (7) Clem. Rom. l. 5. Conſtit. c. 21. Origen. homil. 6. in Joſue. Procop. hic. Philaſt. hæreſ. 84. par. 5. Iren. l. 5. c. 15. Tertull. l. 2. contra Marcion. cap. 27. contra Praxeam c. 16. &c. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 2. & alii paſſim. Vide Serar. qu. 40. (8) Geneſ. xxxi. 13. (9) Act. vii. 30. 38. 53. & Galat. iii. 19. (10) Auguſt. contra Maxim. & lib. xi. de Civit. c. 13. & lib. xvi. c. 7. & lib. 2. de Trinit. c. 11. Fulgent. l. 2. ad Monim. c. 3. Hieron. in c. 3. Epiſt. ad Galat. &c.

nudis pedibus in Templum Deæ Veſtæ ſeſe contulerunt (1). Cum ſacrificia pro obtinendo imbre offerrentur, nudipedium populo imperabatur (2). Infinita ſuppetunt hujus ritus exempla apud Chriſtianos, in piiſſimis Religionis exercitiis. Nunquam Turcæ pavimenta Moſchæarum nuda tangunt, ſed tapetibus quibuſdam amplis humum ſternunt, in quibus gradiantur: calceos vero in limine relinquunt. Jam alibi animadvertimus, in aditu veterum Templorum poſitis inſcriptionibus moneri homines, ne exuvias mortui animalis intro ferant. Docet Porphyrius (3), in ſacrificiis ab hominibus in honorem Deorum inſtitutis, maximam curam in eo poni, ut calcei accedentium puri ſint, & ſordibus immunes: quare multo potiori jure, ait, corpora noſtra a ſordibus omnibus & corruptionibus pura exhibenda ſunt, quippe quæ animarum noſtrarum veſtes habentur. Tradit Arrianus (4), olim in Deorum Templis ſive excreare, ſive nares emungere, nefas fuiſſe.

Locus, IN QUO STAS, SANCTUS EST, non propria quadam & peculiari religione, at ſanctitate ab eo, qui ibi apparuerat, communicata.

(1) Ovid. 6. Faſtor. *Hic pede Matronam nudo deſcendere vidi.* (2) Tertull. *Cum ſtupet cœlum & aret annus, nudipedalia denuntiantur.* (3) Porphyr. de abſt. animal. l. 2. τά γε μὴν καθαρὰ δεῖ εἶναι καὶ ἀκηλίδωτα πέδιλα, &c. (4) Ἀλλὰ καὶ εἰς τὰ ἱερὰ ἡμῖν εἰσελθοῦσι πίεσαι, ὅπου πτύσαι οὐ νενόμισται οὐδὲ ἀπομύξασθαι ὅλως οὐ πτύσμα, καὶ μύξα.

CAPUT VI.

Obſidio Jerichuntis, cujus mœnia clangentibus tubis & inclamante populo corruunt. Sola Rahab ejuſque familia ab exitio ſervantur. In eum qui Jerichuntem reſtituere ſuſceperit, diræ.

℣. 1. JEricho autem clauſa erat, atque munita, timore filiorum Iſrael, & nullus
egredi audebat, aut ingredi. 2. Dixitque Dominus ad Joſue: Ecce dedi in
manu tua Jericho, & regem ejus, omneſque fortes viros. 3. Circuite urbem cuncti
bellatores ſemel per diem: ſic facietis ſex diebus. 4. Septimo autem die ſacerdotes
tollant ſeptem buccinas, quarum uſus eſt in jubilæo, & præcedant arcam fœderis:
ſeptieſque circuibitis civitatem, & ſacerdotes clangent buccinis. 5. Cumque inſonuerit vox tubæ longior, atque concisior, & in auribus veſtris increpuerit, conclamabit
omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent civitatis, ingredienturque ſinguli per locum, contra quem ſteterint. 6. Vocavit ergo Joſue filius Nun
ſacerdotes, & dixit ad eos: Tollite arcam fœderis: & ſeptem alii ſacerdotes tollant
ſeptem jubilæorum buccinas, & incedant ante arcam Domini. 7. Ad populum quoque ait: Ite, & circuite civitatem, armati præcedentes arcam Domini. 8. Cumque
Joſue verba finiſſent, & ſeptem ſacerdotes ſeptem buccinis clangerent ante arcam
fœderis Domini, 9. Omniſque præcederet armatus exercitus, reliquum vulgus arcam
ſequebatur, ac buccinis omnia concrepabant. 10. Præceperat autem Joſue populo,
dicens: Non clamabitis, nec audietur vox veſtra, neque ullus ſermo ex ore veſtro
egredietur, donec veniat dies in quo dicam vobis: Clamate, & vociferamini. 11.
Circuivit ergo arca Domini civitatem ſemel per diem, & reverſa in caſtra manſit
ibi. 12. Igitur Joſue de nocte conſurgente, tulerunt ſacerdotes arcam Domini, 13.
Et ſeptem ex eis ſeptem buccinas, quarum in jubilæo uſus eſt; præcedebantque arcam Domini ambulantes, atque clangentes: & armatus populus ibat ante eos, vulgus autem reliquum ſequebatur arcam, & buccinis perſonabat. 14. Circuieruntque
civitatem ſecundo die ſemel, & reverſi ſunt in caſtra. Sic fecerunt ſex diebus. 15.
Die autem ſeptimo, diluculo conſurgentes, circuierunt urbem, ſicut diſpoſitum erat,
ſepties. 16. Cumque ſeptimo circuitu clangerent buccinis ſacerdotes, dixit Joſue ad
omnem Iſrael: Vociferamini: tradidit enim vobis Dominus civitatem: 17. Sitque civitas hæc anathema: & omnia, quæ in ea ſunt, Domino: ſola Rahab meretrix vivat, cum univerſis, qui cum ea in domo ſunt: abſcondit enim nuntios, quos direximus. 18. Vos autem cavete, ne de his, quæ præcepta ſunt, quippiam contingatis, & ſitis prævaricationis rei, & omnia caſtra Iſrael ſub peccato ſint, atque turbentur. 19. Quidquid autem auri, & argenti fuerit, & vaſorum æneorum, ac ferri,
Domino conſecretur, repoſitum in theſauris ejus. 20. Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, poſtquam in aures multitudinis vox, ſonituſque increpuit,
muri illico corruerunt: & aſcendit unuſquiſque per locum, qui contra ſe erat: ceperuntque civitatem, 21. Et interfecerunt omnia, quæ erant in ea a viro uſque ad
mulie-

mulierem, ab infante uſque ad ſenem. Boves quoque, & oves, & aſinos in ore gladii percuſſerunt. 22. Duobus autem viris, qui exploratores miſſi fuerant, dixit Joſue: Ingredimini domum mulieris meretricis, & producite eam, & omnia, quæ illius ſunt, ſicut juramento firmaſtis. 23. Ingreſſique juvenes, edux erunt Rahab, & parentes ejus, fratres quoque, & cunctam ſupellectilem, ac cognationem illius, & extra caſtra Iſrael manere fecerunt. 24. Urbem autem, & omnia, quæ erant in ea, ſuccenderunt: abſque auro, & argento, & vaſis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini conſecrarunt. 25. Rahab vero meretricem, & domum patris ejus, & omnia, quæ habebat, fecit Joſue vivere, & habitaverunt in medio Iſrael uſque in præſentem diem; eo quod abſconderit nuntios, quos miſerat, ut explorarent Jericho. In tempore illo imprecatus eſt Joſue, dicens: 26. Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitaverit, & ædificaverit civitatem Jericho. In primogenito ſuo fundamenta illius jaciat, & in noviſſimo liberorum ponat portas ejus. 27. Fuit ergo Dominus cum Joſue, & nomen ejus vulgatum eſt in omni terra.

℣. 1. JERICHO AUTEM CLAUSA ERAT ATQUE MUNITA. Hebræus (1): *Jericho claudens & clauſa*, Incolas ſuos intra mœnia claudebat, ne deficerent ad Hebræos prohibens; itemque nemo ingredi quacumque de cauſa permittebatur: clauſa erat, & diligentiſſime cuſtodita. Chaldæus: *Clauſa erat foribus ferreis, & roborata vectibus chalybeis; non erat qui prodiret ex ea ad ineundum prælium, nec qui ingrederetur eam ad rogandam pacem.* Quam illi cautionem ceperunt exploratorum cauſa, qui ex Urbe evaſerant; eamque eorum ſolicitudinem magis anxiam præſentia hoſtium effecerat.

℣. 2. DIXIT DOMINUS. Hebræus: *Jehovah dixit ad Joſue*, Idem ipſe Angelus creditur (2), de quo in præcedenti capite ℣. 13. & 14. Nomen autem Dei ſibi vindicat, uti Legatus nomen Principis ſui, cujus nomine agit & loquitur.

JERICHO ET REGEM EJUS, OMNESQUE VIROS FORTES. Hebræus: *Jericho, & Regem ejus, potentes exercitus*; ideſt, Regem, & cives Jerichuntis, milites ſtrenuos. Frequentabant Jerichuntem omnes Chanaanitidis gentes, Amorrhæi, Pherezæi, Chananæi, Hethæi, Gergeſæi, Hevæi, & Jebuſæi (3); ſive quod veteres eſſent illius incolæ, ſive quod eo ad opem Urbi ferendam deveniſſent.

℣. 3. CIRCUITE URBEM CUNCTI BELLATORES. Non ita plane reputandum eſt, ut milites tantum Jerichuntem circumeundo ambierint; id enim æque per ſeptem ſuccedentes dies ab univerſo populo præſtitum eſt. Porro milites primi gradiebantur, facile citra jactum hoſtilium ſagittarum; ſuccedebant Sacerdotes buccinis canentes; tum deferebatur Arca; tandem populus ſequebatur. Contendit Maſius, eodem ordine aciem univerſam proceſſiſſe; qui in itinere per deſertum ſervatus eſt: præcedebant nempe Tribus Juda, Iſſachar, & Zabulon: pone veniebant Gerſonitæ, & Meraritæ e Tribu Levi, cum univerſo apparatu Tabernaculi; ſuccedebant Tribus Ruben, Gad, & Simeonis, & poſt illos filii Caath cum Arca: tum Ephraim, Manaſſe & Beniamin; claudebantque agmen Tribus Dan, Aſer, & Nephtali. De hoc ordine habes quæ diſſeruimus in Numeris x. 14. Textus Joſue magis cohærere videtur primo hujus profectionis ſpecimini quod exhibuimus; atque infra ℣. 9. pariter demonſtrabimus, aliter etiam de re tota Doctores Hebræos ſenſiſſe. Per ſex ſuccedentes dies, ſemel quotidie mœnia Jerichuntis circuivit exercitus: ſeptima tandem ſepties; ac poſtremo ambitu mœnia Urbis ſponte corruerunt. Circumiri cœptum eſt die Dominica, ſi qua fides Rabbinis, & die Sabbati ceſſatum.

℣. 4. SEPTIMO AUTEM DIE SACERDOTES. Hebræus ושבעה כהנים *Septem Sacerdotes tollent ſeptem tubas.*

TOLLANT SEPTEM BUCCINAS, QUARUM USUS EST IN JUBILÆO. Hebræus ad literam (4): *Septem Sacerdotes tollent ſeptem tubas Jobelim*; Symmachus: *Tubas corneas*; Aquila: *Tubas remiſſionis*, vel Jubilæi. Chaldæus, Rabbini, & recentiores plures Interpretes, Rabbinis inhærentes, vertunt: *Septem tubas arietum*. Jam vero alibi animadvertimus, cornua arietina, cum ſolida ſint intus & compacta, inepta eſſe ad tubas (5); unde Interpretum doctiſſimorum perſuaſio, tubas illas *Jobel* ipſiſſimas eſſe tubas argenteas, quas Moyſes conflari curavit, ut ſeu movendi caſtra, ſeu cogendi cœtus (6), ſive ineuntis anni Jubilæi ſignum darent (7). Malunt alii (8), cornua vera fuiſſe, ut hic ℣. 5. appellantur; vel ſaltem figuram exhibuiſſe cornuum: nomen vero *Jobel* indicaſſe cornuum illorum clangorem, qualis priſcis illis temporibus edi poterat, cum muſica inſtrumenta perfectionis gradum illum, quem modo obtinent, nondum attigerant. Nobis tamen nihil ſuccurrit, quod explicationem Vulgatæ deſerere nos cogat, quæ tubas intelligit, quarum uſus erat in Jubilæo.

SEPTIES CIRCUIBITIS CIVITATEM. Hebræus (9): *In die ſeptima circumibitis civitatem ſeptem vicibus.* Septenarium numerum, qui ubique hic tanta ſedulitate affectatur, caſu tantum, & abſque myſterio poſitum eſſe, nemo ſibi perſuadeat. Septem Sacerdotes, ſeptem tubæ, ſeptem dies, ſeptem circuitiones. Frequentiſſime pariter idem ſeptenarius numerus per Scripturam recurrit. Qui myſticis delectantur, adeant in eam rem Maſium, Druſium, Serarium. Quartus verſiculus deeſt in Septuaginta Editionis Romanæ, & Baſileenſis.

℣. 5. CUMQUE INSONUERIT VOX TUBÆ LONGIOR ATQUE CONCISIOR. Si quis literam tantum hiſtoriæ hujus retineat, ille certe ſuſpicabitur, tubas inflatas fuiſſe tantum in exitu ſeptimi circuitus ſeptimæ diei; ſed Textus Hebræus ℣. 4. non obſcure docet, quotidie ſeptem iis diebus inſonuiſſe tubas, cum populus Urbem circumiret. ℣. 3. *Circuite Urbem ſemel per diem: ſic facietis ſex diebus.* ℣. 4. *Et ſeptem Sacerdotes tollent ſeptem tubas Jubilæi ad facies Arcæ, & in die ſeptima circumibitis civitatem vicibus ſeptem, & Sacerdotes clangent in tubis.*

De ratione clangendi tuba, repugnans aliquid contineri videtur in Vulgata; clangendum enim dicit *longius atque conciſius*: ſi enim longo clangore ſonandum eſt, quomodo conciſo? Hebræus (10): *Et erit in procedendo in cornu Jobel*; cum longiori

[1] ויריחו סגרת ומסגרת . [2] Bonfr. Cornel. Grot. Druſ. [3] Joſue xxiv. 11. [4] שבעה שופרות היובלים Aq. σάλπιγγας ἀφέσεως. Sym. σάλπιγγας κερατίνας. [5] Vide quæ diximus in Levitic. xxv. 10. [6] Num. x. 2. [7] Levit. xxv. 8. [8] Vide Maſ. & Druſ. hic. [9] וביום השביעי תסבו את העיר שבע פעמים [10] והיה במשוך בקרן היובל

gioti clangore ſonabit tuba. Septuaginta dictum hoc planius acceperunt (1): *Et erit, poſtquam cecinerit tuba Jobel*. Eoſdem Duces ſequuti ſunt Interpretes quidam (2), reputantes, nihil tunc imperatum eſſe diverſum ab ea clangendi ratione, qua Sacerdotes ſolerent; ſed dandum eſſe tantummodo illis a Joſue ſignum, ut cum tempus clamandi veniſſet, voces ſuas tollerent (3). Populus univerſus in obſequio manebat ac ſilentio, cum interim Sacerdotes, tamquam Dei perſonam gerentes, inflarent tubam. *Beatus populus, qui ſcit* [intelligit, noſcit] *jubilationem* [Hebr. *clangorem*]. *Domine in lumine vultus tui ambulabunt* (4). Is tubæ clangor argumentum erat Numinis præſentis, & vocis illius ſymbolum (5). Eo ſpectavit Balaam, cum de caſtris Iſraelitarum effatus eſt (6): *Clangor victoriæ Regis in illo*: ideſt, clangit ibi tuba, in argumentum victoriæ Regis illorum.

Muri funditus corruent. Hebræus ad literam (7): *Cadet murus civitatis ſub ſe*. Septuaginta (8): *Cadent ſponte mœnia Civitatis*. Chaldæus: *Corruet murus Urbis, & abſorbebitur ſubtus ſe*. Fama eſt apud Hebræos, corruentia mœnia hiſcens ſolum abſorbuiſſe, ut ne veſtigium quidem eorum ſupereſſet, pandereturque Iſraelitis per patentem, planamque viam iter in Urbem, ut nullo quidem ruinarum impedimento retinerentur, ſed hæc omnia fabularum ingenium referunt. Voces Originalis exprimunt tantum, mœnia in ſuo quæque loco corruiſſe, vel ſubſediſſe ceu furtim aliquam fundamento ſubtracto: ceciderunt mœnia in terram a ſummo ad imum, ut ne pars quidem ſupereſſet.

Interpretum quidam (9) cenſent, corruiſſe tantum partem mœnium e regione loci, ubi erant Iſraelitæ, reliquum vero muri ſtetiſſe; ut nihil in toto eo prodigio ſpectandum ſit, quam vaſtus quidam hiatus ad ſubeuntem illam multitudinem excipiendam. Hujus opinionis ratio potiſſima inde petitur, quod domus Rahab, mœnibus illis utique inhærens, intacta ſteterit; quæ ſane minime ſtetiſſet, ſi mœnia undique corruiſſent. Perſuadetur tamen aliis (10), omnia circum mœnia ruiſſe, ut exercitus Iſraelitarum, qui facile urbem circum ambiebat, undique pariter intra urbem ſubiret; commode autem ſtetit intacta domus Rahab, quam nonniſi ab uno latere ſuſtentabant mœnia urbis; vel forte Numinis manu portio illa mœnium retenta eſt, ne cum reliquis laberetur.

℣. 7. Circuite civitatem armati, præcedentes Arcam. Alium ſenſum præfert Hebræus (11): *Et Sacerdotes denuncient populo: Tranſite, & circuite Civitatem, & quicumque armatus tranſeat ad facies Arcæ Domini*. Jam ſupra animadvertimus, milites omnes Arcam armatos præceſſiſſe; retro vero poſt illam, ſequutum fuiſſe populum imbellem, fœminas, pueros. Confer ℣℣. 3. & 8. Interpretes quidam (12) cenſent, armatus hoſce eſſe agmen e Tribubus Ruben, Gad, & dimidia Manaſſe, qui, ut alibi inſinuatum eſt (13), primi in agmine Iſraelitarum gradiebantur. Sed plerique accipiunt de univerſo exercitu Hebræorum. Maſius definiendum cenſet ad Tribus Juda, Iſſachar, & Zabulon, quæ in profectionibus per deſertum cæteras præcedebant.

℣. 9. Reliquum vulgus Arcam sequebatur. Hebræus ad literam (14): *Colligens, jens poſt Arcam*. Deſignari ea phraſi vulgo ferunt (15) Tribum Dan, quæ agmen claudens, cogebat ſegniores, excipiebat qui cæteros proſequi non poſſent, atque in ordinem ſuum redire impellebat eos, qui ab agmine receſſiſſent. Porro Tribui huic idem nomen datur in Numeris (16); eademque phraſi, colligere ſcilicet vel cogere manum, utitur alicubi Scriptura (17), ut exprimat manum illam ſequi, vel humeros ejus tegere. Sed Interpretum alii, Septuaginta, & Vulgatam ſequuti, dictum accipiunt de univerſo populo, ſive univerſa imbellium turba; nec male redditur Hebræus: ὁ λοιπὸς ὄχλος ὄπισθεν, *Et univerſa multitudo collecta Arcam ſequebatur* (18).

Ac buccinis omnia concrepabant. Innui videtur in Hebræo (19), & Septuaginta, buccina non Sacerdotes modo, ſed & ſequentem retro turbam ceciniſſe. Vulgo tamen creditur, unis Sacerdotibus jus fuiſſe in ejuſmodi rebus inflare tubas; vertiturque Textus indefinite: *Turba collecta Arcam ſequebatur, & clangebatur tuba in toto itinere*. Vide perſimilem phraſim in Hebræo, in fine ℣. 13.

℣. 11. Reversa in castra mansit ibi. Hebræus (20): *Venerunt ad caſtrametationem, & pernoctarunt in caſtrametatione*. Quotidie in Galgalam, poſt Urbis circuitum, eodem quo venerant ordine, revertebantur. Inſolitus hic motus ſimul continebat in exercitatione obedientiæ populum, & tutum adverſus hoſtes efficiebat, ac tandem animos ad hoſtium contemptum parabat; nemo enim Chananæorum venire in conſpectum audebat, quamquam plerique Iſraelitæ inermes ſeſe exhiberent.

℣. 15. Die autem septimo. Diem Sabbathi decurriſſe tunc affirmant Judæi; nec ſane e ſeptem hiſce diebus aliquam in ſabbathum incidiſſe, quis negaverit: at ſeptimam eum ſabbatho componendam eſſe, nullo argumento demonſtratur. Marcion accuſare audet inconſtantiæ Deum Hebræorum, qui otium ſimul, & laborem una eademque die imperavit, jubens die ſabbathi circumiri Urbem, eademque ſimul die capitali edicto cavens, ne quis quidquam operetur (21). At Tertullianus ſcite animadvertit, interdicere ſolummodo Deum die Sabbathi opera humana, & ſervilia, non opera divina; ſervare illum ſibi jus remittendi Leges ſuas, ut pro arbitrio immutet, revocet, certum modum imponat Legibus poſitivis, & cæremonialibus; ſalvas tamen manere ab illo Leges naturales, & Divinas, quas ſi immutet, ipſum pariter immutari neceſſe ſit: quod utique fieri non poteſt. En integram ſententiam hujus verſiculi in Hebræo: *Et fuit in die ſeptimo, & manicarunt juxta aſcendere Auroram* [primo mane ſurrexerunt], *& circumierunt civitatem ſeptem vicibus ut antea; & circumierunt civitatem in ipſa die ſeptem vicibus*.

℣. 16. Dixit Josua ad omnem Israel: vociferamini. In ſerie hac narrationis arduum aliquid occurrit. Narratum eſt ſupra ℣. 5. Ducem dediſſe populo clamandi hoc ſignum, nempe cum certum quemdam tubarum ſonum audirent; & in ℣. 10. ac præſenti mandat, ut clament cum imperaverit. Tum in proxime ſuccedentibus verſiculis imperat prædam, & direptionem Urbis: quas utique difficile fuiſſet in medio tumultu, & clamore univerſi exercitus imperare. Hæc utique nobis

(1) Καὶ ἔσαι ὡς ἂν σαλπίσωσι τῇ σάλπιγγι τῇ Ἰωβήλ. (2) Vide Maſ. (3) ℣. 10. *Cumque ſeptimo circuitu clangerent buccinis Sacerdotes, dixit Joſue ad omnem Iſrael: Vociferamini*. (4) Pſ. LXXXVIII. 16. (5) Theodoret. in Joſue. (6) Num. XXIII. 21. (7) נפלה חומת העיר תחתיה (8) Πεσεῖται αὐτόματα τὰ τείχη τῆς πόλεως. (9) Munſt. Clar. Druſ. Maſ. (10) Grot. & aliis. (11) ויאמרו אל העם עברו וסבו את העיר והחלוץ יעבר לפני ארון (12) Ita Chald. & alii apud Maſ. hic. (13) Joſue I. 14. & IV. 13. 14. (14) והמאסף הלך אחרי הארון (15) Jonath. Munſt. Vat. Maſ. Jun. in Num. X. 25. &c. (16) Num. X. 25. *Noviſſimi Caſtrorum profecti ſunt filii Dan*. Hebr. *Colligens in omnibus caſtris, filii Dan*. מאסף לכל המחנות (17) Iſai. LII. 12. *Non in tumultu exibitis . . . . . præcedet enim vos Dominus, & congregabit vos Deus Iſrael*. Vide & Pſalm. XXVI. 10. (18) Vide Syr. & Arab. & alios. (19) הלוך ותקוע בשופרות περιάμενοι καὶ σαλπίζοντες ταῖς κερατίναις. (20) ויבאו המחנה וילינו במחנה (21) Tertull. contra Marcion. l. 4. c. 12. & S. Epiphan. l. 2. t. 2. contra Hæreſ. p. 52.

nobis ſuadent, edicta hæc ſua denunciaſſe Joſue in caſtris, antequam copiæ ad urbis circuitum ducerentur.

℣. 17. SITQUE CIVITAS HÆC ANATHEMA, ET OMNIA QUÆ IN EA SUNT, DOMINO. De anathematiſmis, rebuſque Domino devotis non ſemel alias diſſeruimus (1). Devovendi ritus erant plures. Interdum delebantur Urbes, vel abſumebatur igne quidquid in illis eſſet, homines & bruta cædebantur; quandoque parcebatur fœminis, & infantibus; ſæpe etiam ſupellex & ſpolia Urbium, devictorumque populorum ſervabantur; lex enim anathematis laxior erat, ſtrictiorque pro voluntate devoventis.

Chananææ Gentes, hoſtes Domini, omnes anathemati devotæ ſunt (2); quas deleri ac trucidari, nullumque in fœdus admitti Deus jubet; non eadem tamen ſeveritate omnes æque ac Jericho actæ ſunt: urbibus minime exciſis, illarum ſolummodo ſpoliis hoſtes uſi ſunt. Moyſes anathemati ſubjecit Urbes Sehon (3): pecora tamen, & præda victoribus permiſſa. Hic autem quæcumque vivunt, omnia ferro traduntur: Urbs everſa, & incendio abſumpta; abſumpta pariter quæcumque in poteſtatam veniunt, metallis tantum Domino ſervatis.

SOLA RAHAB . . . . . VIVAT CUM UNIVERSIS, QUI CUM EA IN DOMO SUNT. Codices quidam Latini ferunt: *Cum univerſis quæ &c.* Huic lectioni favent Hebræus (4) & Septuaginta, & prone ſatis Textus accipitur de omnibus quæcumque ad Rahab pertinerent. Vita Rahab, & quæcumque ejus ſunt, omnia intacta conſerventur. Nec ſane quidquam, non tantum de ejus familia, ſed & de rebus ipſius periiſſe, ex ℣. 23. intelligimus.

℣. 18. VOS AUTEM CAVETE. En integram ſententiam, ut in Hebræo ſonat (5): *Vos cuſtodite ab anathemate, ne forte anathematizetis, & tollatis de anathemate, & ponatis caſtrametationem Iſrael in anathema, & turbetis illam &c.* Vox *Anathema* vario ſenſu hic uſurpatur; tribuitur enim Urbi devotæ, rebus in illa contentis, homini, qui e rebus illis aliquid acceperit, & ultioni quam homo ille in caput ſuum & in univerſa caſtra Iſraelitarum provocaret. Ita Scriptura nomen peccati, æque & actioni ipſi traditur, & agenti, ipſique cupiditati, cujus pellectu in eam pertrahimur, tum peccati ipſius materiæ, & hoſtiæ illud expianti. Qui e rebus Deo devotis aliquid ad ſe transfert, anathemati ſeſe exponit, & velut in anathema convertitur, ac tandem maledictum, & furorem Domini in ſe, & in caſtra omnia concitat. Hujus rei documentum infra exhibebitur in Achan, Legis hujus tranſgreſſore.

℣. 19. DOMINO CONSECRETUR, REPOSITUM IN THESAURIS EJUS. Exigit Deus ſpolia Jericho, tanquam prædæ expeditionis hujus primitias (6); exhibetque ſe pariter arbitrum, authoremque victoriæ, quam populo ſuo largitur; agnoſcendum ſe tradit ſupremum Dominum, & Regem Iſraelis, cujus primæ ſunt ſpoliorum partes. Creditur, totum quidquid provenit a direptione Urbis, auri, argenti, æris, & ferri, conditum fuiſſe in Tabernaculo, tanquam grandis hujus facinoris monumentum. Perſimili religione, in bello Madianitico (7) Principes populi Domino obtulerunt e manubiis ſuis pretioſiſſima, eaque omnia *illata ſunt in Tabernaculum Teſtimonii, in monumentum filiorum Iſrael coram Domino.*

VASORUM ÆNEORUM AC FERRI. Septuaginta: [illegible], *Omne æs, vel ferrum &c.* quod meliorem ſenſum reddit. Diſcrimen hoc unica tantum literula in Textum intulit, legunt enim וכל נחשת pro וכלי נחשה.

℣. 23. INGRESSI JUVENES. Hebræus: הנערים *Duo fuere* (8). Nomen juvenis, vel pueri famulis omnibus, cujuſcumque ſint ætatis, tribuitur, quin etiam hominibus ſatis provectæ ætatis, ſi cum provectioribus aliis comparentur. Salomon viginti annorum ætatem agens, Joſeph triginta, Joſue quinquaginta quinque, Roboam unius & quadraginta, pueri nuncupati.

EXTRA CASTRA MANERE FECERUNT, quoadusque ejurata Idololatria legem Domini edidicerent. Ad Judæorum ſacra admiſſi ſunt, poſtquam viri circumciſione, fœminæ baptiſmo initiati fuere. Summum illud erga præſentis Numinis majeſtatem obſequium, ut infideles & incircumciſi in caſtra Iſraelitarum exciperentur, non permittebat.

℣. 25. RAHAB, . . FECIT JOSUE VIVERE, vitam illi ſervavit (9). Sunt qui Joſue ſuffeciſſe credant mulieri illi totique familiæ annonam. Sunt pariter qui ductam ab illo in uxorem affirment: æquam tamen, ideſt nullam, fidem hæc omnia merentur. Id efficere ut vivat, ſeu dare vitam, ſignificat hic ſolum vitam ſervare, tutum ab injuria & vi præſtare.

HABITAVERUNT IN MEDIO ISRAEL USQUE IN PRÆSENTEM DIEM. Aliena manu Textui Joſue hæc adjecta creduntur. Porro Rahab Salmoni e Tribu Juda nupſit, e quo genus ſuum refert familia Regalis David, familia, inquam, illa, quæ inter primas Iſraelis ſemper eſt habita, tum nobilitate, ac dignitate ſua, tum quod radix cenſeretur, e qua Servator mundi germinaret. Patres quidam (10) docuerunt, Rahab typum eſſe Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ ad jus hæreditatis Iſraeliticæ & olim admiſſa eſt, & nunc etiam uſque ad exitum ſæculorum perſeverat. Imago erat, ait Theodoretus (11), oleaſtri in bonam olivam inſerti (12).

℣. 26. MALEDICTUS VIR CORAM DOMINO, QUI SUSCITAVERIT . . . . JERICHO. Hebræus (13): *Maledictus vir ad faciem Domini, qui ſurrexerit & ædificaverit civitatem iſtam Jericho.* Occurrunt in veteri hiſtoria perſimilia quædam exempla dirarum, addito interdicto ne reſtituerentur hoſtiles Urbes, quarum metuebatur potentia, ſi caput iterum erexiſſent, vel horrori habebatur perfidia & violentia, vel tandem quarum protervia & audacia deprimenda erat. Edictum execrationibus plenum promulgarunt Romani (14) in eos, qui Carthaginem reſtituiſſent, ſuperbam illam Romani Imperii æmulam, cujus ſitus percommodus plurimum Romanis negotii feciſſet, ſi quidem iterum in priſtinam gloriam rediiſſet. Diras etiam imprecatus Agamemnon in eos, qui Trojam e cineribus ſuis excitarent; & Crœſus in eos, qui reſtituiſſent Sidenen; quod ab illo præſtitum fuiſſe ex veteri more, affirmat Strabo (15). Jones maledictis devoverunt, quicumque everſa a Perſis Templa reſtituerent, ut ſcilicet æternum poſteris monumentum maneret impietatis barbaricæ, nec mortalium quiſquam fideret gentibus illis, quæ vel in ipſos Deos arma capere auſæ fuiſſent (16). Perſimili interdicto (17) reparari vetuerunt Græci Templa in

(1) Levit. xxvii. 21. 28. & alibi. (2) Deut. vii. 1. 2. (3) Deut. ii. 34. (4) רק רחב ... תחיה היא וכל אשר אתה בבית Septuag. [illegible] (5) ורק אתם שמרו מן החרם פן תחריםו ולקחתם מן החרם ושמתם את מחנה ישראל לחרם ועכרתם אותו (6) Joseph. Antiq. l. 5. c. 2. Theodoret. qu. 7. in Joſue. (7) Num. xxxi. 48. 54. (8) Vide Maſi. Druſ. &c. (9) Vat. Maſ. Druſ. Cornel. &c. (10) Orig. homil. 7. in Joſue. (11) Theodoret. qu. 8. in Joſue. (12) Rom. 11. 17. 24. (13) ארור האיש לפני יהוה אשר יקום ובנה S. Hieronymus legit [illegible] pro [illegible] (14) Zonar. l. 2. [illegible] (15) Strabo. l. 13. [illegible] (16) Vide Iſocrat. in Panegyr. (17) Diodor. l. 11. & Lycurg. orat. contra Locrat. Pauſan. in Phocicis: [illegible]

in regione ſua a Perſis cremata, jubentes incenſa rudera in ævum relinqui, tamquam æternum odii inter duas illas gentes monumentum.

In primogenito ſuo fundamenta illius jaciat. Non fruſtra hæc Joſua imprecatus eſt. Achabi enim ætate Hiel quidam civis Bethel nova ejus urbis fundamenta ponere cœpit (1), ſed malo ſuo; ſtatim enim ac illa jecit, orbatus eſt filio majori natu *Abiram*, & minimo natu *Segub* caruit pariter, cum novæ Urbi portas imponeret. Septuaginta in nonnullis Codicibus narrant hic hiſtoriam Hielis, ſed nominibus corruptis (2): *Et ita fecit Hezan*, [vel *Azozan*] *qui ex Bethel: in Abiram primogenito fundavit eam, & in ſalvato noviſſimo impoſuit portas ejus*: eſt autem hæc inepta plane interpretatio textus tertii Regum, ubi eadem hiſtoria recitatur.

Cæterum plane reputandum non eſt, Urbem Jericho uſque ad ætatem Hielis penitus deſtitutam jacuiſſe; antea enim ſuos habuiſſe incolas non uno Scripturæ teſtimonio probatur. Quibus ea ſedet perſuaſio, urbem Palmarum ipſam eſſe Jericho, in eam pariter inducuntur opinionem, extitiſſe illam paulo poſt Joſue: poſteri enim Jethro ex urbe Palmarum egreſſi ſunt, ut meliores ſibi ſedes procurarent, ſub ipſum ineuntium Judicum exordium (3). Rex Eglon abſtulit Iſraelitis urbem Palmarum (4). Davidis Legati fœda habiti a Rege Ammonitarum, quos dimidiâ barba & veſtibus a tergo nudavit, in Jericho tamdiu ſubſtiterunt, quamdiu barba creſceret (5). Ex eo igitur tempore Urbs Jericho ſtabat; ſed facile alio ſitu, proxime veteris Urbis ruinas (6). Confirmat id Joſephus (7), tradens, ſua adhuc ætate monſtrari juxta veterem Jerichuntem, olim a Joſue everſam, ditiſſimum quemdam fontem, qui uberi aquarum vena totum late agrum irrigabat: ita vero diſtinguens ille veterem Jerichuntem fonti proximam, aliam eſſe plane demonſtrat a nova urbe, quæ in medio agro conſidebat.

Poſt Hielem e Bethel ſolummodo vetus Urbs reſtitui cœpta eſt: quamquam autem gravis ultio Divina ſævierit in caput illius, qui id primus molitus eſt, nemo tamen abſterritus eſt religione, quin ſedem in ea jam conſtituta figeret. Habitarunt ibi Elias, & Eliſæus Prophetæ, eamdamque præſentia ſua Jeſus Chriſtus ornavit; floruitque maxime labentibus Reipublicæ ſæculis. Hodie de veteri gloria plurimum amiſit, cum raras contineat triginta vel quadraginta pauperes caſas, ſedes anguſtas egenorum quorumdam Maurorum & Arabum, ibi non alio quam belluarum cultu viventium. Ager Jerichuntinus, amœniſſimus olim & fertilitate ſua apud Veteres laudatiſſimus, incultus deſtituitur, raras tantum proferens, ac ſponte natas arbores ſylveſtres, & fructus quoſdam ingratos.

(1) 3. Reg. xvi. 34. (2) Καὶ ἐποίησεν οὕτως, ὁ Ἀζὰν [alias Ἀζαζὰν] ὁ ἐκ Βαιθὴλ, ἐν τῷ Ἀβειρὼμ τῷ πρωτοτόκῳ αὐτοῦ ἐθεμελίωσεν αὐτὴν, καὶ ἐν τῷ διασωθέντι ἐλαχίστῳ ἐπέστησε τὰς πύλας αὐτῆς. (3) Judic. i. 16.
(4) Judic. iii. 13. (5) 2. Reg. x. 4. 5. (6) Doubdan, voyage de la Terre ſainte chap. 37.
(7) Joſeph. de Bello Jud. l. 5. cap. 4. Παρὰ μέντοι τὴν Ἱεριχοῦντα, ἔτι πηγὴ δαψιλής τε, καὶ πρὸς ἀρδείας λιπαρωτάτη, παρὰ τὴν παλαιὰν ἀναβλύζουσα πόλιν, ἣν Ἰησοῦς πρώτην εἷλε δοριάλωτον.

CAPUT VII.

Joſue mittit ad explorandam Hai, quam Urbem manu trium millium tentat, ſed non ſine diſpendio repellitur. Terror populi. Precatio Joſue. Crimen Achan detectum & punitum.

℣. 1. Filii autem Iſrael prævaricati ſunt mandatum, & uſurpaverunt de anathe-
mate. Nam Achan filius Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda,
tulit aliquid de anathemate: iratuſque eſt Dominus contra filios Iſrael. 2. Cumque
mitteret Joſuè de Jericho viros contra Hai, quæ eſt juxta Bethaven, ad orientalem
plagam oppidi Bethel, dixit eis: Aſcendite, & explorate terram. Qui præcepta com-
plentes exploraverunt Hai. 3. Et reverſi dixerunt ei: Non aſcendat omnis populus,
ſed duo, vel tria millia virorum pergant, & deleant civitatem: quare omnis popu-
lus fruſtra vexabitur contra hoſtes pauciſſimos? 4. Aſcenderunt ergo tria millia pu-
gnatorum. Qui ſtatim terga vertentes, 5. Percuſſi ſunt a viris urbis Hai, & cor-
ruerunt ex eis triginta ſex homines: perſecutique ſunt eos adverſarii de porta uſque
ad Sabarim, & ceciderunt per prona fugientes: pertimuitque cor populi, & inſtar
aquæ liquefactum eſt. 6. Joſue vero ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in ter-
ram coram arca Domini uſque ad veſperam tam ipſe, quam omnes ſenes Iſrael: mi-
ſeruntque pulverem ſuper capita ſua. 7. Et dixit Joſue: Heu, Domine Deus, quid
voluiſti traducere populum iſtum Jordanem fluvium, ut traderes nos in manus Amor-
rhæi, & perderes? utinam, ut cœpimus, manſiſſemus trans Jordanem. 8. Mi Do-
mine Deus, quid dicam, videns Iſraelem hoſtibus ſuis terga vertentem? 9. Audient
Chananæi, & omnes habitatores Terræ, & pariter conglobati circumdabunt nos, at-
que delebunt nomen noſtrum de terra: & quid facies magno nomini tuo? 10. Di-
xitque Dominus ad Joſuè: Surge, cur jaces pronus in terra? 11. Peccavit Iſrael,
& prævaricatus eſt pactum meum: tuleruntque de anathemate, & furati ſunt, atque
mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua. 12. Nec poterit Iſrael ſtare ante hoſtes

suos,

ſuos, eoſque fugiet: quia pollutus eſt anathemate, non ero ultra vobiſcum, donec
conteratis eum, qui hujus ſceleris reus eſt. 13. Surge, ſanctifica populum, & dic eis:
Sanctificamini in craſtinum: hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael: Anathema in me-
dio tui eſt Iſrael: non poteris ſtare coram hoſtibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc
contaminatus eſt ſcelere. 14. Accedetiſque mane ſinguli per tribus veſtras: & quam-
cumque tribum ſors invenerit, accedet per cognationes ſuas, & cognatio per domos,
domuſque per viros. 15. Et quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehenſus, com-
buretur igni cum omni ſubſtantia ſua: quoniam prævaricatus eſt pactum Domini, &
fecit nefas in Iſrael. 16. Surgens itaque Joſue mane, applicuit Iſrael per tribus ſuas,
& inventa eſt tribus Juda. 17. Quæ cum juxta familias ſuas eſſet oblata, inventa eſt
familia Zare. Illam quoque per domos offerens, reperit Zabdi: 18. Cujus domum in
ſingulos dividens viros, invenit Achan filium Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu
Juda. 19. Et ait Joſue ad Achan: Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confi-
tere, atque indica mihi, quod feceris, ne abſcondas. 20. Reſponditque Achan Joſue,
& dixit ei: Vere ego peccavi Domino Deo Iſrael, & ſic, & ſic feci. 21. Vidi enim
inter ſpolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque
auream quinquaginta ſiclorum: & concupiſcens abſtuli, & abſcondi in terra contra me-
dium tabernaculi mei, argentumque foſſa humo operui. 22. Miſit ergo Joſue miniſtros:
qui currentes ad tabernaculum illius, repererunt cuncta abſcondita in eodem loco, &
argentum ſimul. 23. Auferenteſque de tentorio, tulerunt ea ad Joſue, & ad omnes fi-
lios Iſrael, projeceruntque ante Dominum. 24. Tollens itaque Joſue Achan filium Za-
re, argentumque, & pallium, & auream regulam, filios quoque, & filias ejus, bo-
ves, & aſinos, & oves, ipſumque tabernaculum, & cunctam ſupellectilem (& omnis
Iſrael cum eo) duxeruntque eos ad vallem Achor: 25. Ubi dixit Joſue: Quia turba-
ſti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitque eum omnis Iſrael: & cuncta,
quæ illius erant, igne conſumpta ſunt. 26. Congregaveruntque ſuper eum acervum
magnum lapidum, qui permanet uſque in præſentem diem. Et averſus eſt furor Domi-
ni ab eis. Vocatumque eſt nomen loci illius, Vallis Achor, uſque hodie.

℣. 1. FILII AUTEM ISRAEL PRÆVARICATI SUNT... IRATUSQUE EST DOMINUS CONTRA FILIOS ISRAEL. Quomodo Iſraelitæ omnes prævaricationis accuſantur, cum unus Achan delictum commiſerit? quomodo Deus in totum Iſraelem iraſcitur ex unius tantum privati hominis offenſa? Reponimus, I. Conſuetum eſſe ſtylo Scripturæ, uti & familiari ſermone, ut toti hominum cœtui tribuatur, quod ex eo cœtu vel unus, vel pauci commiſerunt: ita legimus (1) obloquutos eſſe Apoſtolos de profuſione Magdalenæ, quamquam unus Judas obloquutus eſt. E profanis Scriptoribus accuratiſſimi ſæpe tamen idem uſurpant. Nutrire filios, committere alteri filios &c. vulgo dicitur, tunc etiam, cum de unico filio, vel filia eſt ſermo (2).

Secundo, delictum Achan ceu publicum & commune univerſo Iſraeli tamdiu haberi poterat, quamdiu nomine univerſi populi juſta de ſonte ultio exacta non eſt. Fateor equidem, nemini tunc crimen innotuiſſe, non populo, non Magiſtratibus; quare minus juſte, tamquam qui ultionem neglexiſſent, conſcios ejuſdem dici: ſed Deus id commiſit, ut altius imprimeret mentibus, quo horrore proſequeretur juſſionum ſuarum violatores, ſeveram adeo ejus criminis pœnam exigens, ut non contentus ſontem punire, vel ipſum etiam populum animadverſioni ſubmitteret. Id autem ab illo præſtari citra ullam iniquitatis notam poterat, cum externæ illæ pœnæ, quibus nos afficit, miſerentis potius ſint patris beneficia, quam ſævientis Judicis ultio: his enim nobis procurat patientiæ meritum; ſtudia cultus ſui, noſtraque erga ſe officia excitat; animum revocat, ut de rebus ſuis cogitet; incuriam & deſidiam, quibus imprudentes deduceremur in crimen & ſanctionum divinarum oblivionem, prævenit. Quas noſtras animadverſiones, & commoda, quæ viris juſtis ſanctiſque e malis ærumniſque publicis proveniunt (3), ſatis illud oſtendit, quod Joſue, Seniores, univerſuſque Iſrael præſtitere, malis, quæ in caput privatorum quorumdam excuſſa ſunt, admoniti.

PRÆVARICATI SUNT MANDATUM, ET USURPAVERUNT DE ANATHEMATE. Brevius Hebræus (4): *Prævaricati ſunt filii Iſrael prævaricationem in anathemate*, ſeu adverſus anathema, aut interdictum tangendi res anathemate devotas. Septuaginta (5): *Deliquerunt filii Iſrael delictum magnum, & uſurpaverunt* [ſegregaverunt] *de anathemate*.

IRATUSQUE EST DOMINUS CONTRA FILIOS ISRAEL. Perinde ſe habuit, ac ſi commotus eſſet in omnes, ceu pater excutit flagellum, ut majorem filios mali horrorem doceret, ſive ut majorum delictorum in ſua familia periculum præveniret, omnes filios ſuos punivit ob crimen ab uno ex illis commiſſum. Iræ Dei argumenta, non certa tamen ſemper, ſunt animadverſiones; punit enim ſæpe clemens piuſque æque ac furens & iratus.

ACHAN FILIUS CHARMI, FILII ZABDI, FILII ZARE. Judæ ex Thamare liberi fuerunt duo, *Pharez* & *Zare*; ex Zare Zabdi, ex quo Charmi, & ex eo demum Achan. Hac quinque hominum ſucceſſione ſpatium CCLXV. annorum occupatur; quare ſingulos

(1) Joan. xii. 4. collatum cum Matth. xxvi. 6. & Marc. xiv. 3. (2) Donat. in Terent. Hecyr. act. 2. ſcen. 1. *Qui illum decreverant dignum, cui ſuos liberos committerent. Multum ſonanter, & accuſatorie ſtrepitu, nec maſculinum genus, nec femininum poſuit, nec unum, ſed liberos. Sic Cicero: en cui tuos liberos committas, cum de uno ageret; & Habemus enim liberos omnes, de puella.* (3) Vide Maſium & Serarium in hunc locum. (4) וימעלו בני ישראל מעל בחרם (5) Καὶ ἐπλημμέλησαν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ πλημμέλειαν, καὶ ἐνοσφίσαντο ἀπὸ τοῦ ἀναθέματος.

gulos hoſce non prius genuiſſe neceſſe eſt, quam ætatem L. vel LV. annorum agentes. Idem Achan appellatur in Paralipomenis (1), *Achar filius Zamri*, vel *Zambri*.

℣. 2. Cumque mitteret viros contra Hai, adverſus Hai, ſeu potius (2) *ad Hai, ad explorandam Urbem*. Porro Hai, vel, uti pronunciant Septuaginta (3), *Gai*, vel etiam *Hagai*, quatuor leucis a Jerichunte aberat; eamque alii ad occidentem (4), alii ad ſeptemtrionem (5) ejuſdem Urbis conſtituunt. Poſteriorem hanc ſententiam ideo præferendam cenſemus, quod cohæret Textui Geneſis XII. 3. & huic Joſue: utrobique enim ad Orientem Bethel, adeoque ad Septemtrionem Jerichuntis conſtituitur; eſt enim, diſſentiente nemine, Bethel Urbi Jerichunti Septemtrionalis: nec a vero abludit, mendum irrepſiſſe in Textus Euſebii, & S. Hieronymi, præferentes, ad Occidentem Bethel. Urbs Hai incendio deſtructa a Joſue, iterum e cineribus revixit, uti conſtat ex I. Eſdræ II. 28. & II. Eſdræ VII. 32.

Bethaven & Bethel una eademque urbs, utrumque in ſe nomen concilians, creduntur. Legimus in Geneſi hiſtoriam inditi nominis *Bethel*, ideſt Domus Dei, Urbi Luzæ, ubi Jacob in Meſopotamiam contendens, cœleſti viſione donatus eſt. Huic deinde Urbi Iſraelitæ tribuerunt nomen Bethaven (6), ideſt Domus iniquitatis (7), poſtquam Jeroboam conſecratos ibi aureos vitulos ad cultum ſubjectis ſibi populis propoſuit. Sedet in monte XII. M. paſſibus, vel quatuor leucis ab Jeroſolyma, Sichem vel Neapolim verſus (8).

Malunt tamen alii (9), Bethavea, vel, ut In Septuaginta, Bethan, vel Bethon, urbem eſſe plane aliam, ſed loco non diſſitam, a Bethel. Duas haſce Urbes Bethaven, & Bethel diſtinguere hic Joſue non obſcure videtur; & inferius (10) ita de illis agit, ut de geminis Urbibus, vel ſaltem locis diſtinctis: ambigunt enim quidam, utrum Bethaven Urbs re ipſa cenſenda ſit. Tandem in Libris Regum (11) ſermo eſt in eodem capite de Bethel, & Bethaven; unde facilis perſuaſio ducitur, duo eſſe loca plane diverſa.

Hæc tamen tanta non ſunt, quæ duas haſce Urbes diſtinguere me cogant. Commode enim, & prone ſatis Textus illi omnes exponuntur, ſi Bethel, & Bethaven, tamquam duo nomina ejuſdem Urbis, alterum pro altero poſita accipiantur: nihil de alterutra narratur, quod alteri etiam non congruat: diſtinctus utriuſque ſitus minime demonſtratur. Inſuetumne eſt & novum, ſi Author de una binomine Urbe agens, utroque nomine indiſcriminatim in eodem capite, vel etiam in eadem periodo, utatur? Contrariæ ſententiæ aſſertores non diffitentur, Bethel in Scriptura interdum Bethaven appellari; ex quo præjudicata opinione reputari poteſt, cum inter legendum nomen Bethaven occurrit, pro Bethel poſitum accipi ſemper oportere; cum maxime nullo certo, & invicto argumento demonſtretur ſitus Urbis Bethaven, ut a Bethel diſtinctæ. Tandem nonniſi imbecilli argumento oppugnamur, ſi quis oggerat, in Scriptura legi nomen Bethaven ante Regnum Jeroboami: ejuſmodi enim anticipationes in nominibus propriis frequentiſſimas apud Libros Sacros occurrere, neminem ignorare arbitror; & Liber Joſue ab iis facile recenſitus eſt, qui Libros Regum ſcripſerunt. Igitur dum aliis argumentis non perſuadeamur, eam tenebimus ſententiam, quam Hebræi, & S. Hieronymus (12), Bethaven ſcilicet ac Bethel gemina eſſe unius ejuſdemque Urbis nomina.

℣. 3. Non ascendat omnis populus, sed duo, vel tria millia virorum. Quare omnis populus frustra vexabitur? Hebræus ad literam: *Non aſcendat omnis populus. Circiter duo millia virorum, vel circiter tria millia virorum aſcendant, & percutiant Hai; ne laborare facias illuc omnem populum.* Neceſſe quidem eſt, Exploratores iſtos non ſatis compertas habuiſſe Urbis illius vires, vel plus nimio fiſos eſſe ſeu viribus ſuis, ſeu Numinis auxilio; infra enim VIII. 25. narratur, Urbem illam non minus quam XII. millia hominum continuiſſe. Fac tamen defenſorum numerum quatuor vel quinque millia non exceſſiſſe, adhuc tamen temerarium eſt, tribus millibus tantum aggredi arcem, quam ſaltem pari numero defenſores tuentur.

℣. 5. De porta usque ad Sabarim. Hebræus (13): *Ad facies portæ*, vel *contra portam uſque ad Sabarim*. Nomine illo *Sabarim* deſignari cenſent quidam locum, cui a fractis Iſraelitis nomen inditum fuerit; Hebraice enim *Schabarim* ſonat gentes fractas, in fugam converſas: cum tamen nullibi in Scriptura locus iſte *Schabarim* occurrat, ideo cenſent alii (14), vocem accipi oportere cum Septuaginta (15) in ſenſu appellativo: *Perſecuti ſunt eos a porta, & contriverunt eos.* Magno quidem numero non trucidarunt; nec enim niſi ſex & triginta numerat Joſue: aciem tamen illam fregerunt, fugarunt, diſſiparunt.

℣. 6. Josue vero scidit vestimenta sua. Triſti hoc nuncio graviſſime affecti Joſue, & Seniores Iſraelis, veſtes ſuas dilacerarunt, caput pulvere conſperſerunt, ſtratique coram Arca Domini, altis ejulatibus dolorem ſuum oſtenderunt, enixiſque precibus Deum flectere ad miſericordiam & protectionem populi ſui, ipſius Dei nominis gloriam obtendentes, conati ſunt. Externa hæc doloris indicia omnibus per orbem gentibus communia ſunt. Ejus moris viginti ſuppetunt exempla in Scriptura. Jacob ad triſte de obitu filii ſui Joſephi nuncium veſtes ſcidit (16): fratres Joſephi, intuentes ſcyphum in ſacco Benjamini, doloris acerbitatem dilaceratis veſtibus demonſtrarunt (17). Vetat Deus, ne Sacerdotes in luctu veſtes ſcindant (18). Achilles, audita morte Patrocli amici ſui (19), caput cinere fœdavit, veſtes abrupit, vulneribus faciem cruentavit, jacuitque in pulvere. Eo ritu ingemuit pius ille Rex Latinus (20).

. . . . *It ſciſſa veſte Latinus,*
Canitiem immundo perfuſam pulvere turpans:

Coram Arca Domini. Non in Sanctuario, cujus aditus uni tantum Summo Sacerdoti permiſſus erat, ſed coram Sancto, coram veſtibulo, inter Templum & Altare holocauſtorum, ut apud Joelem II. 17. *Inter veſtibulum & Altare plorabunt Sacerdotes miniſtri Domini &c.*

℣. 7. Utinam, ut coepimus, mansissemus trans Jordanem. Hebr. (21): *Utinam contenti fuiſſemus ma-*

(1) I. Par. II. 5. 6. (2) וישלח אנשים העי (3) Geneſ. XII. 8. & XIII. 3. Αγγαι: ſed hic, ϵἰς γαί. Ita & Euſeb. & Hieron. in locis. Joſeph. legit Αἰναν. (4) Euſeb. & Hieron. in locis de Geneſi, Adrichom. (5) Maſ. Bonf. Cellarius. (6) Vide Oſee IV. 15. & X. 5. Amos V. 5. Joſue VIII. 12 (7) Aqu. Sym. οἶκον ἀνωφελοῦς, *domum inutilitatis*. Theod. οἶκος ἀδικίας, *domum iniquitatis*. (8) Euſeb. & Hier. in locis, ad Bethel. (9) Euſeb. in locis. Serar. Bonfr. Cellar. (10) Joſue XVIII. 12.... *perveniens ad ſolitudinem Bethaven; 13. atque pertranſiens juxta Luzam ad meridiem, ipſa eſt Bethel.* (11) I. Reg. XIII. 2. & 5. (12) Hieron. in locis: & Hebræi apud eumd. & Lyr. & Grot. ad cap. VIII. ℣. 12. (13) לפני השער עד השברים (14) Jonath. Syr. Arab. &c. (15) κατεδίωξαν αὐτοὺς ἀπὸ τῆς πύλης, ἕως συνέτριψαν αὐτούς. Legunt fortaſſe: עד השבירום (16) Geneſ. XXXVII. 34. (17) Ibid. XLIV. 13. (18) Levit. XXI. 10. (19) Iliad. Σ:

Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν,
Χεύατο κὰκ κεφαλῆς, χαρίεν δ' ᾔσχυνε πρόσωπον,
Νεκταρέῳ δὲ χιτῶνι μέλαιν' ἀμφίζανε τέφρη.

(20) Virgil. Æneid. XII. (21) ולו הואלנו ונשב בעבר הירדן

manere trans Jordanem; nec ambiſſemus trajicere amnem, ut in hanc Regionem tranſiremus hic morituri. Querelas haſce ſuas plus nimio urſiſſe Joſue, Rabbinis (1), & Chriſtianis nonnullis videtur. Si enim verborum illius litera teneatur, exhibetur illis ceu pœnitudo quædam trajecti Jordanis, accuſaturque Deus, quaſi de induſtria populum ſuum in medio hoſtium deſerere voluerit. Sed cum Scriptura nunquam ipſi Joſue exprobret ſive imbecillitatem animi, ſive incredulitatem, ſive inconſtantiam, verba illius ita lenienda ſunt, tamquam ſi Deum alloqueretur in hanc ſententiam. Quandoquidem populus tuus, Domine, criminum ſuorum merito indignum ſe fecit ope tua, dignumque viciſſim, qui in medio hoſtium ſuorum a te deſeratur, nonne melius illi conſultum fuiſſet, ſi trans Jordanem ſubſtitiſſet, quam ut huc in medios hoſtes veniret? Melius ſaltem proviſum fuiſſet honori tuo; nec gloria nominis tui blaſphemiis Chananæorum obnoxia fuiſſet. Quid reputabunt gentes iſtæ infideles, poſtquam nos penitus deleverint? & quomodo gloriam nominis tui reparabis? *Quid facies magno nomini tuo?* Si quis verba hæc omnia Joſue expendat, intelliget utique totum occupari virum illum ſtudio gloriæ Dei ſui, cui nequid decedat ob victoriam hoſtium de Iſraelitis, metuere videtur.

℣. 9. Delebunt nomen nostrum. Ita delebunt, ut noſtri ne memoria quidem ſuperſit: furorem illorum nemo unus vitabit. Phraſis eſt Hebræis perfamiliaris, perdere nomen vel memoriam populi, vel ita delere, ut de illo ne verbum quidem ultra fiat (2).

Quid facies magno nomini tuo? Quomodo incolumem ſervabis gloriam tuam? quomodo ab inſultibus impiorum defendes?

℣. 11. Peccavit Israel. Vide quæ contulimus ſupra ℣. 1.

Furati sunt atque mentiti. Deſuerunt promiſſis, quibus fidem ſuam obſtrinxerunt, ut metalla omnia, quæ in Urbe reperiſſent, mihi reſervarent. Infideles ſe præbuerunt, & pervicaces juſſionibus meis, Legi, qua mihi res omnes anathemati devotas vindicavit (3). Non immerito reputemus, poſt direptionem Urbis e populo ſingulos attuliſſe in medium quidquid e manubiis nacti eſſent aptum, ut in æraria Domini inferretur, coactoſque fuiſſe ſancte aſſirmare, nihil aliud habere ſe quod proferrent. Achan venit cum cæteris, ſed non omnia tradidit: mentitus eſt Domino, ratus poſſe ſe illum decipere. Novi equidem, verbum *mentiri* non ſemper in Scriptura ſonare mendacium verbo, vel facto; ſæpe enim uſurpatur de infidelitate, defectione, & perfidia: cur tamen hic prono, & naturali ſenſu accipiatur, nihil prohibet.

℣. 12. Pollutus est anathemate. Hebræus כי היו לחרם *Facti ſunt anathema*. Ita & LXX. Ἐξενόσφισαν ἀνάθεμα. Reos ſe anathematis præbuerunt, fœdarunt conſcientiam ſuam, accipientes rem devotam, & conſecratam anathemati. Planum fiet infra ex pœna de Achan relata, quantum criminis ſit res Deo conſecratas inique ſibi uſurpare.

℣. 13. Sanctifica populum. Impera populo, ut expiet ſeſe præparetque, ut coram Domino adſit, ipſius ſententiam auditurus: ſcrutetur conſcientiam ſuam quiſque, paretque ſe ad expiandum crimen illud, quo Deus ſe læſum eſſe teſtatur. Hæc expiatio in eo poſita creditur, ut continerent ſe homines, lavarent veſtes, legales maculas ſedulo evitarent, ſeque a rebus ſacris, cœtibuſque removerent. Chaldæus apud Maſium אזמין ית עמא *Cita populum*, voca populum ad cœtum. Ita pariter reddit Syriacus. Pagninus, & Montanus reddunt Hebræum planius קדש את העם *Præpara populum*. Septuaginta: Ἁγίασον τὸν λαόν, *Purifica populum*.

℣. 14. Quamcumque Tribum sors invenerit. Hebræus (4): *Tribus quam ceperit Dominus*. De ſortibus nihil hic expreſſum eſt; adhibitas tamen credimus. Tradunt Rabbini, ſingulas Tribus coram Arca tranſire juſſas fuiſſe; quæ vero ſontem continebat, manſiſſe immobilem, ut ne gradum quidem promovere poſſet. Malunt alii (5), accitas fuiſſe ſingulas Tribus ſeorſum, coram Summo Sacerdote, qui Rationale in pectore geſtabat; indicatam autem fuiſſe ream Tribum Juda, quod ea præſente nitor omnis gemmæ, nomen ejus præferentis, evanuerit. Apage fabulas! Factum igitur hic credimus, quod in ſimilibus rerum eventibus frequenter: per ſortes res tota explorata eſt. Primo igitur jactæ ſunt ſortes in Tribus, tum in Tribus indicatæ familias principes, inde in electæ familiæ domos, denique in domus eductæ ſingulos homines. Ita geſtum eſt pariter in electione Saulis in Regem (6), in cauſa Jonathæ filii Saulis, qui mel imprudens contra Regis patris ſui ſanctionem guſtaverat (7). Sortibus etiam diviſio ſoli Chananitici peracta eſt (8), nec aliter diſtributa ſunt tempora & vices miniſtrorum in Templo (9).

Sortium uſus in Scriptura frequentiſſimus eſt; quin & authoritatis habere aliquid in rebus ad religionem pertinentibus videtur, ipſeque pariter Deus probaſſe ipſum non ſemel viſus eſt. In feſto Expiationis, ſortium indicio eligebatur, uter hircus immolandus, uter emittendus (10). Dirigebat Deus ſortes, ut vera proderent in cauſa Achan & Jonathæ, de quo mox. Vana etiam non renunciarunt ſortes, cum nautæ in ſummo pereundi diſcrimine, quod Jonam in navim excepiſſent, ſortibus uſi ſunt, quibus diſcerent, quis cauſa illius procellæ eſſet (11): ſortium uſu pariter Apoſtoli quæſivere, quis ſuorum digniſſimus eſſet, qui in locum Judæ ſubſtitueretur (12). Tandem non obſcure Salomon in Proverbiis XVI. 33. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed a Domino temperantur*; & cap. XVIII. 18. *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque dijudicat*.

Exempla tamen ejuſmodi & teſtimonia minus valent ad uſum ſortium indiſcriminatim in omnibus comprobandum. Sola Dei authoritas, communibus legibus plane ſuperior, æquitatem conciliare potuit conſilio a Joſue in re præſenti ſumpto, ut furtum Achan detegeret, uti & a Saule, ut diſceret violatorem interdicti ſui, nequis quidquam ad uſque veſperum deguſtaret. Cum Deus nunquam abſoluta promiſſione ſpoponderit, hanc initurum ſe rationem occulta crimina revelandi, nunquam fas eſt ſortibus uti citra crimen temere tentati Numinis, uti, inquam, ſortibus in judicio ad occultas res detegendas; niſi in extraordinariis rebus, ſi Deus ita præſtandum edicat. Iniquior eſt etiam ſortium uſus, cum res eſt de ſeligendis viris ad regimen vel civile vel ſacrum. Si arbitrio ſortium permiſſa eſt tum primi Regis Iſraelis, tum Apoſtoli in locum Judæ ſubſtituendi electio, ſpeciali id Numinis providentia & expreſſo Dei præcepto factum eſſe conſtat. Alteram enim electionem habuit vir Propheta, alteram Apoſtoli habuere; nec Apoſtoli quidquam moliti ſunt, niſi poſt adhibitas cautiones omnes, quas prudentia hominibus ſuggerebat, ſelectis duobus eximiis viris, conſultoque Deo precibus, ut oſtenderet,

(1) Apud Maſ. hic. (2) Deut. VII. 24. IX. 14. XII. 3. XXV. 19. XXIX. 20. Pſalm. IX. 6. LXXXII. 5. Iſai. XIV. 22. & paſſim. (3) Levit. XXVII. 28. (4) והיה השבט אשר ילכדנו יהוה 70. καὶ ἔσται ἡ φυλή, ἣν ἂν δείξῃ κύριος. (5) Joſeph. Antiqu. lib. 5. cap. 1. Vatab. Maſ. Druſ. Bonfr. Serar. &c. (6) 1. Reg. X. 20. 21. (7) 1. Reg. XIV. 41. (8) Num. XXIV. 55. XXXIII. 54. Deuteronom. I. 38. &c. (9) 1. Paralip. XXIV. 5. 7. 8. 9. & ſeq. (10) Levit. XVI. 8. (11) Jonæ 1. 7. (12) Act. 1. 26.

Digitized by Google

utrum ex illis eligeret (1). Leges Eccleſiæ (2) graviſſimis ſanctionibus ſortes in Antiſtitum electione damnarunt. *Sortium uſum in electionibus perpetua damnatione prohibemus*, ait Honorius Papa. Quanta profecto rerum omnium turbatio eſſet, ſi quis ſorti crederet rem adeo gravem, quanta eſt electio Præſulum & Antiſtitum Eccleſiæ, eum potiſſimum Deus non unam rationem ſuppeditaverit Candidatorum merita explorandi? Si Deus permiſit, ut jactu ſortium in navi Jonam vehente idem Propheta indicaretur, non ſtatim inſerendum eſt, Deum conſilium hoc nautarum comprubaſſe. Uſus ſortium nunquam non habendus eſt ſuperſtitioſus, veræque ſapientiæ regulis plane contrarius; neque e ſecundo rei alicujus externæ ſucceſſu recte ſemper ducendum eſt, illam omni culpa vacare. Cum tandem diviſio Terræ promiſſionis per ſortes Dei juſſu facta ſit, æquitatem ejus rei in dubium revocare nemini licet: atque ultro fatentur Theologi, in ejuſmodi rerum eventibus tantummodo ad ſortes tuto eſſe confugiendum. Nihil hic nos de ſortilegiis & ſuperſtitioſa per ſortes divinatione, cui Dæmones ſeſe intermiſcent; hanc enim, nemine excepto, damnant omnes; & Scriptura non ſolum morem illum non tuetur, ſed plurimo horrore deteſtatur.

℣. 15. Comburetur igni cum omni substantia sua. Conſtat ex iis quæ ℣. 24. 25. & 26. narrantur, igne abſumptos fuiſſe non Achan modo, ſed & univerſam ejus familiam, greges, tentorium, ſupellectilem: quin & in ſontem ipſum, odio admiſſi criminis, populum lapides congeſſiſſe, quorum ſtrues in loco, ubi cineres ejus remanſerant, collecta eſt, æternum qua delicti, qua ignominiæ, qua ſupplicii monumentum. Non ſatis exprimit Scriptura, utrum miſer ille lapidibus prius confectus, rogo deinde impoſitus fuerit; an quo tempore ardebat, lapidibus etiam injectis peteretur; an denique nullum fuerit quidem lapidum ſupplicium, ſed lapidum tantum ſtrues ſuper ejus cineres collecta fuerit (3). Perſpicue etiam non explicat, utrum liberi ejus eadem ſupplicii pœna obvoluti ſint: nec deſunt qui coactos ſolum adeſſe ſupplicio patris ſui credant (4). Quam tamen melioribus fultam argumentis arbitramur, ſententia tenet, Achan, ejuſque familiam univerſam lapidibus confectos fuiſſe, deinde miſerorum cadavera rogo arſiſſe; tandem criminis horrore, in loco cinerum lapidum ſtruem tanquam rei monumentum perpetuum fuiſſe collectam.

℣. 19. Fili mi, da gloriam Domino .... et confitere. Mirari hic ſubit clementiam, mitiſſimumque animum Ducis; optimi utique diſcipuli viri illius, cujus inter omnes homines mitis animi clementia excelluit (5): eximiam gerit ille imaginem illius, qui in mundum venturus erat, ut mitis animi charitatem, & humilitatem doceret (6). Achanum ita alloquitur tanquam filium, agnitum licet ceu turbarum omnium in exercitu Iſraelis authorem. Virtus magnorum animorum clementia eſt; nihilque magis invidioſum eſt viris rerum moderatoribus, quam quod furentis animi æſtum moderari neſciant.

Verba illa, *Da gloriam Deo*, perinde valent (7), Veritatem agnoſce, fatere coram Deo, qui intima cordis ſcrutatur, judicia ejus veriſſima eſſe, nihilque illius oculos fugere: denique da gloriam Deo, criminis tui ſincera confeſſione; ingenua enim revelatio criminis, hominum obtutibus occulti, confeſſio eſt laudis, & gloriæ, quæ Domino impenditur. Phraſis hæc non ſemel in Scriptura recurrit; ubique vero eadem ferme interpretatione exponitur. Judæi cæcum illum natum interrogantes, hortabantur (8): *Da gloriam Deo: nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt*; ac ſi dicerent: Ne veritatem nobis diſſimula: cogita loqui te coram Deo, qui cordis tui intima novit: igitur dic nobis ſerio: Quis te ſanavit? Jeſum enim quis ſit noſcimus: vir eſt ingentibus oneratus criminibus, qui tam grande miraculum patrare nunquam potuit.

℣. 21. Pallium coccineum. Hebræus עדרת שנער *Pallium Sennaar*, forte etiam שער *piloſum*: Aquila: Στολὴν Βαβυλωνιακὴν, *Pallium Babylonicum* (9). Conſtat utique, Babylonem Urbem fuiſſe agri Sennaar (10), Babylonicæ autem veſtes apud Veteres celebrantur. Scriptura interdum piloſa dicit ea pallia, quæ *Aderet* appellat; unde ſuſpicioni locus, e palliis hiſce ſaltem nonnulla contexta fuiſſe more tapetis Turcici, quod panni genus eſt vetuſtiſſimum, & ex Oriente acceptum. Eſau comparatur a Moyſe (11) אדרת שער *Aderet*, ſeu *pallio villoſo*; & Zacharias XIII. 4. de Prophetis annunciat: *Nec operientur pallio ſaccino* [אדרת שער] *ut mentiantur*. Ex aliis Scripturæ Textibus intelligimus, veſtis genus illud magnificentiſſimum, & in uſum virorum principum fuiſſe. Rex Ninives abjecto pallio ſuo [*Aderet*] ſumpſit ſaccum, Jona concionante (12). Joſephus (13) ſcribit, Achan abſtuliſſe pallium Regium, totum auro contextum.

Ad veſtes Babylonicas quod attinet, eas multicolores fuiſſe, Veteres omnes conveniunt (14): in hoc autem inter ſe diſſident, quod alii e ſtaminibus variorum colorum contextas dicunt; alii colores illos acu ſuperinductos fuiſſe affirmant; alii vero pictis coloribus imbutas exhibere videntur. Silius Italicus libro XIV. texturæ verſicolori favet:

Veſtis ſpirantes referens ſubtegmine vultus,
Quæ radio cælat Babylon.

Martialis opus plumarium præfert (15).

Non ego prætulerim Babylonica picta ſuperbe
Texta, Semiramia quæ variantur acu.

Plinius (16), & Apulejus (17) pro pictura ſtare videntur. *Colores diverſos picturæ intexere Babylon maxime celebravit, & nomen impoſuit*. Septuaginta (18) reddunt *veſtem tenuem, & variam*. Aquila Στολὴν Βαβυλωνιακὴν, *veſtem talarem Babylonicam*. Author Vulgatæ, ſcribens, pallium hoc Babylonicum cocco imbutum fuiſſe, innuere facile voluit purpuream veſtem, variatam, ornatamque aliorum colorum textura; purpuræ enim Babylonicæ laus eſt nulla apud Veteres.

Ducentos siclos; argentum ſcilicet pondere ducentorum ſiclorum, quod monetæ noſtratis refert 325. libras.

Regulam auream. Hebræus לשון זהב אחד *Linguam auream unam*, virgam auream, aurum rude, laminam auream, figura linguæ. Aurum, vel argentum cuſum nullum adhuc per eam ætatem obtinebat, ſed extendebantur ea metalla in virgas, vel laminas. Cenſet Piſcator, auream hanc linguam uncum fuiſſe veteris pallii, cui nomen linguæ ex figura. Ea vero conjectura audacior eſt.

Argentumque fossa humo operui. Duplicem hunc

(1) Orig. homil. 13. in Joſue. *Nobis ab Apoſtolis ſors ducta deſignat, quia ubi ex fide integra, & oratione præmiſſa ſors ducitur, ea quæ Dei voluntas continet in occulto, ſors hominibus declarat in manifeſto.* (2) Vide C. Eccleſia veſtra, tit. de ſortilegiis. Item C. non ſtatim, & C. non exemplo. (3) Serar. Bonf. (4) Rabb. apud Maſ. nec repugnat Grot. (5) Num. XII. 3. (6) Matt. XI. 25. (7) Maſ. Cajet. Toſt. Vatab. Rabb. (8) Johan. IX. 24. (9) Symm. ἔνδυμα σεννάρ, *veſtem Sennar.* Septuag. Ψιλὴν ποικίλην, *veſtem variis coloris.* (10) Geneſ. XI. 2. & 3. (11) Geneſ. XXV. 25. (12) Jonas III. 6. (13) Antiquit. l. 5. cap. 1. χλαμύδα βασιλικὴν, ἐκ χρυσοῦ πᾶσαν νενησμένην. At Theodoret. legit χλανίδα. (14) Vide Bonfr. in hunc loc. (15) Martial. l. 8. Epig. 28. Vide eumdem in apophoretis, & Petron. *Plumato amictus aureo Babylonico.* (16) Plin. lib. VIII. 48. (17) Apul. Florid. lib. 1. (18) Ψιλὴν ποικίλην μίαν καλήν. Gloſſæ Cyrill. στολὶς ἑρμηνεία. *Lucifer, ſtolam variam optimam.* Interp. Origen. *dextralia pura.*

Digitized by Google

hunc ſenſum commode admittit Hebræus והכסף תחתיה *Poſui argentum ſub illa* (1), veſte ſcilicet Babylonica, vel terra; vel tandem, argentum ſub his condidi (2).

℣. 23. Ad omnes filios Israel. Septuaginta: Πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους Ἰσραήλ: *Ad omnes ſeniores Iſrael*. Exhibuerunt omnia coram Joſue, & coram Senioribus, qui una cum univerſo populo ſtantes ante Dominum, rei exitum oppetiebantur.

℣. 24. Filios, et Filias ejus. Volunt quidam (3), filios Achan paterni furti conſcios ſe præbuiſſe; neque enim facile erat in medio tentorii ſui furtum ita cælare, ut res tota ab illis ignoraretur. Si tamen reputemus cum S. Auguſtino (4) aliiſque doctis Interpretibus, filios Achan immunes fuiſſe patris crimine, non ideo tamen Deus iniquitatis merito accuſetur, creaturarum enim omnium Judex ſupremus, qui nihil agit, niſi æquiſſimum & veriſſimum, valet utique pro jure eam vitam a nobis repoſcere, cujus nobis uſuram largitus eſt, tanquam fœnerator aliquis, qui debitori ſuo largitur pecuniam, nulla ad ſolvendum temporis præſcriptione (5): *Dedit uſuram vitæ tanquam pecuniæ, nulla præſtituta die*. Ultionis hujus ſeveritatem exigebant exordia illa politiæ, ut populus in obſequio metuque contentus, ſubmiſſum ſe per omnia divinis juſſionibus præberet.

Duxerunt eos ad vallem Achor. Septuaginta: *Duxit eum &c.* Vallis Achor portio erat agri Jerichuntini, teſte Euſebio (6), cujus ætate vetus adhuc nomen retinebat. Idem pariter alibi ſcribit, Achor oppidum fuiſſe deſertum, ſitum in loco, qui appellabatur *Mae-dommei*, ſive, uti legit S. Hieronymus, *Maledommim*, ubi plerumque cuſtodiæ detinebantur, in itinere ab Hieroſolymis Hierichuntem. Vallem Achor ſtatuit S. Hieronymus (7) ad ſeptemtrionem Hierichuntis, & vicum Achor in Tribu Juda; *Maledommim* vero in finibus Tribuum Juda, & Benjamin; additque, ipſum eſſe locum, cujus meminit Jeſus Chriſtus in Evangelio, narrans hiſtoriam hominis vulnerati, & pro mortuo relicti a latronibus, cum Jeroſolyma Jerichuntem contenderet (8). Ad itinerantium ſecuritatem in iis viæ anguſtiis parva quædam arx, ubi militare præſidium haberetur, excitata eſt. Verum ſi vallis Achor in Tribu Juda, ſive in finibus utriuſque Tribus jacebat; & ſi oppidum Achor in via erat ab Jeroſolymis Jerichuntem, conſtat utique, ſpectaſſe potius ad Occidentem, & Meridiem, quam Septemtrionem Jerichuntis, uti ſcite obſervat Bonfrerius, probatque ex Joſue, qui lineam meridionalem Benjamini deſcribens, notat (9): *Tendens uſque ad terminos Debera, de valle Achor, contra Aquilonem reſpiciens Galgala, quæ eſt ex adverſo Aſcenſionis Adommim*.

℣. 25. Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Fit luſus verborum cum nomine *Achor* vel *Achar*, quod Hebraice ſonat turbare. מה עכרתנו יעכרך יהוה *Mah acharetanu, jeacharetcha Jehova*. Suſpicati ſunt nonnulli, huic Valli Achor nomen inditum eſſe ex nomine Achan, qui apud Græcos nunquam non Achar appellatur. Sed quæ neceſſitas hujus etymologiæ? Hebræus reddi poteſt ad literam: *Quot turbas nobis peperiſti! Dominus turbabit te hodie*; vel: Dominus te quoque hodie conturbet. Septuaginta (10): *Quid nobis cauſa malorum fuiſti? Exterminet te Deus ſecundum quæ & hodie facit*. Interpretes quidam (11) ex ea voce *hodie* inſerendum arbitrantur, miſerum hunc hominem nullum alterius vitæ ſupplicium pro furto ſuo ſubiiſſe, cum capitale illud in hac vita ſupplicium totam criminis culpam expiarit. Verum licet non ſine plurima veri ſpecie reputamus, ſupplicium ejus & ingenuam delicti confeſſionem promeruiſſe homini miſerentis Dei in altero ſæculo veniam; ingenue tamen fatendum eſt, argumentum, quod hinc ducitur, inter imbecilliora eſſe invalidiſſimum.

Lapidavit eum omnis Israel, et cuncta, quæ ejus erant, igne consumpta sunt. Repetitur hinc opinio eorum qui putant, ſolum Achan ſupplicium ſubiiſſe; cum neque affectos lapidibus neque crematos ejus filios narret Scriptura. Sed Textus Hebræus non tantum ſententiæ huic non favet, verum etiam pro contraria non obſcurus videtur (12): *Et obruerunt eum omnis Iſrael lapide, & combuſſerunt eos igni, & lapidaverunt eos in lapidibus*. Eamdem lectionem retinent Septuaginta & Chaldæus, qui poſtremus apertiſſime docet crematos, poſtquam lapidibus confecti fuerunt. Porro igne damnatum fuiſſe Achan ceu ſacrilegum, lapidibus vero ceu violatorem Sabbathi, quippe qui furtum ea die & commiſerit, & occultaverit, affirmant Hebræi (13). Conſtat utique, in Sabbathi violatorem lapidibus olim in deſerto animadverſum fuiſſe (14), pœnamque anathematis & ſacrilegii fuiſſe ignem: igne pariter abſumebantur res anathemati devotæ (15): ignem ſubire coacti ſunt Divinorum præceptorum ſuperbi violatores ac protervi (16). Quorſum vero ejuſmodi argutiæ? Res illa plane ſingularis fuit; quare & Deus facile novum & ſingulare ſupplicium, quo crimen illud expiaretur, conſtituit, nihil ea in re leges communes & conſuetas ſpectans.

℣. 26. Congregaverunt super eum acervum magnum lapidum. Jam ſupra attigimus Interpretum quorumdam opinionem (17), qui ferunt, ſupplicium hoc lapidum, de quo ſupra, nihil fuiſſe aliud quam ſtruem lapidum ſuper cineres Achan, & filiorum congeſtam: vero tamen propius reputamus, miſeros illos prius lapidibus confectos, in rogum deinde conjectos fuiſſe: tandem ſuper combuſtos cineres congeſſiſſe Iſraelitas in monumentum horroris, quo crimen illud proſequebantur, lapidum acervum. Ita aliquanto poſt ſervatum eſt in Regem Hai (18), & diu poſt eam ætatem in Abſalomum (19), qui in eo bello, quod cum Davide patre ſuo geſſit, extinctus eſt. Forte etiam Achan palo alligatus ut cremaretur, jactu lapidum oppreſſus eſt, ut ſimul & ſemel igne & lapidibus periret. Servant id noſtra ætate Turcæ (20); cum enim reus aliquis igne damnatur, lignorum ſtrues juxta palum ad quem alligatur, qua parte ventus flat, incenditur, ut vento delata flamma fumuſque miſerum per intervalla afflent & amburant. Interim præſentes omnes jaciunt in illum lapides & convicia; quare eodem ſimul tempore igne & lapidibus afficitur.

[1] Pagn. Montan. Vat. Druſ. Maſ. [2] Septuag. Jonathan, Arab. &c. [3] Thalmudici apud Maſ. [4] Auguſt. qu. 8. in Joſue. Maſ. Cornel. Juni. Menoch. Bonfr. [5] Tull. Tuſculan. quæſt. lib. 1. [6] Euſeb. in locis, primo loco in Achor. de lib. Jeſu. [7] In locis, ſub voce Achor ſecundo loco. [8] Luc. x. 30. [9] Joſue xv. 7. [10] Τί ὠλόθρευσας ἡμᾶς; ἐξολοθρεύσαι σε κύριος, ὡς καὶ σήμερον. [11] Vide Maſ. & Druſ. [12] וירגמו אתו כל ישראל אבן וישרפו אתם באש ויסקלו אתם באבנים [13] Munſt. ex Hebr. [14] Num. xv. 32. 35. [15] Deut. xiii. 15. 16. [16] Num. xvi. 30. [17] Serar. Bonfr. [18] Joſue viii. 29. [19] 2. Reg. xviii. 17. [20] Vide Roger, Terre ſainte l. 2. cap. 17. p. 326.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Urbs Hai ſuperatur, cujus Rex captus ſuſpenditur. Erigitur Altare in monte Hebal; eodemque in Altari Deuteronomium deſcribitur. Benedictiones & maledicta precatur populus, in montibus Hebal, & Garizim ſtans.

℣. 1. DIxit autem Dominus ad Joſue: Ne timeas, neque formides: tolle tecum omnem multitudinem pugoatorum, & coofurgens aſcende in oppidum Hai, ecce tradidi in manu tua regem ejus, & populum, urbemque, & terram. 2. Facieſque urbi Hai, & regi ejus, ſicut feciſti Jericho, & regi illius: prædam vero, & omnia animantia diripietis vobis: pone inſidias urbi poſt eam. 3. Surrexitque Joſue, & omnis exercitus bellatorum cum eo, ut aſceoderet in Hai: & electa triginta millia virorum fortium miſit nocte. 4. Præcepitque eis, dicens: Ponite inſidias poſt civitatem: nec longius recedatis, & eritis omnes parati. 5. Ego autem, & reliqua multitudo, quæ mecum eſt, accedemus ex adverſo contra urbem. Cumque exierint contra nos ſicut ante fecimus, fugiemus, & terga vertemus: 6. Donec perſequentes ab urbe longius protrahamur: putabunt enim nos fugere ſicut prius. 7. Nobis ergo fugientibus, & illis perſequeotibus, conſurgetis de inſidiis, & vaſtabitis civitatem: tradetque eam Dominus Deus veſter in manus veſtras. 8. Cumque ceperitis, ſuccendite eam, & ſic omnia facietis, ut juſſi. 9. Dimiſitque eos, & perrexerunt ad locum inſidiarum, ſederuntque inter Bethel, & Hai, ad occidentalem plagam urbis Hai. Joſue autem nocte illa in medio manſit populi, 10. Surgenſque diluculo recenſuit ſocios, & aſcendit com ſenioribus in fronte exercitus, vallatus auxilio pugnatorum. 11. Cumque veniſſent, & aſcendiſſent ex adverſo civitatis, ſteterunt ad ſeptentrionalem urbis plagam, inter quam, & eos erat vallis media. 12. Quinque autem millia viros elegerat, & poſuerat in inſidiis inter Bethel, & Hai, ex occidentali parte ejuſdem civitatis. 13. Omnis vero reliquus exercitus ad aquilonem aciem dirigebat, ita ut noviſſimi illius multitudinis occidentalem plagam urbis attingerent. Abiit ergo Joſue nocte illa, & ſtetit in vallis medio. 14. Quod cum vidiſſet rex Hai, feſtinavit mane, & egreſſus eſt cum omni exercitu civitatis, direxitque aciem contra deſertum, ignorans, quod poſt tergum laterent inſidiæ. 15. Joſue vero, & omnis Iſrael ceſſerunt loco, ſimulantes metum, & fugientes per ſolitudinis viam. 16. At illi vociferantes pariter, & ſe mutuo cohortantes, perſecuti ſunt eos. Cumque receſſiſſeot a civitate, 17. Et ne unus quidem in urbe Hai, & Bethel remanſiſſet, qui non perſequeretur Iſrael (ſicut eruperant aperta oppida relinquentes,) 18. Dixit Dominus ad Joſue; Leva clypeum, qui in manu tua eſt, contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam. 19. Cumque elevaſſet clypeum ex adverſo civitatis, inſidiæ, quæ latebant, ſurrexerunt confeſtim: & pergentes ad civitatem, ceperuot, & ſuccenderunt eam. 20. Viri autem civitatis, qui perſequebantur Joſue, reſpicientes, & videntes fumum urbis ad cœlum uſque conſcendere, non potuerunt ultra huc, illucque diffugere: præſertim cum hi, qui ſimulaverant fugam, & tendebant ad ſolitudinem, contra perſequentes fortiſſime reſtitiſſent. 21. Videnſque Joſue, & omnis Iſrael, quod capta eſſet civitas, & fumus urbis aſcenderet, reverſus percuſſit viros Hai. 22. Siquidem & illi, qui ceperant, & ſuccenderant civitatem, egreſſi ex urbe contra ſuos, medios hoſtium ferire cœperunt. Cum ergo ex utraque parte adverſarii cæderentur, ita ut nullus de tanta multitudine ſalveretur, 23. Regem quoque urbis Hai apprehenderunt viventem, & obtulerunt Joſue. 24. Igitur omnibus interfectis, qui Iſraelem ad deſerta tendentem fuerant perſecuti, & in eodem loco gladio corruentibus, reverſi filii Iſrael percuſſerunt civitatem. 25. Erant autem, qui in eodem die conciderant, a viro uſque ad mulierem, duodecim millia hominum, omnes urbis Hai. 26. Joſue vero non contraxit manum, quam in ſublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai. 27. Jumenta autem, & prædam civitatis diviſerunt ſibi filii Iſrael, ſicut præceperat Dominus Joſue. 28. Qui ſuccendit urbem, & fecit eam tumulum ſempiternum. 29. Regem quoque ejus ſuſpendit in patibulo uſque ad veſperam, & ſolis occaſum. Præcepitque Joſue, & depoſuerunt cadaver ejus de cruce: projeceruntque in ipſo introitu civitatis, congeſto ſuper eum

magno

Digitized by Google

magno acervo lapidum, qui permanet uſque in præſentem diem. 30. Tunc ædifi-
cavit Joſue altare Domino Deo Iſrael in monte Hebal: 31. Sicut præceperat Moyſes
famulus Domini filiis Iſrael, & ſcriptum eſt in volumine legis Moyſi: Altare vero de
lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit: & obtulit ſuper eo holocauſta Domino,
immolavitque pacificas victimas. 32. Et ſcripſit ſuper lapides Deuteronomium legis
Moyſi, quod ille digeſſerat coram filiis Iſrael. 33. Omnis autem populus, & ma-
jores natu, ducesque ac judices ſtabant ex utraque parte arcæ in conſpectu ſacerdo-
tum, qui portabant arcam fœderis Domini, ut advena, ita & indigena. Media pars
eorum juxta montem Garizim, & media juxta montem Hebal, ſicut præceperat Moy-
ſes famulus Domini. Et primum quidem benedixit populo Iſrael. 34. Poſt hæc le-
git omnia verba benedictionis, & maledictionis, & cuncta, quæ ſcripta erant in le-
gis volumine. 35. Nihil ex his, quæ Moyſes juſſerat, reliquit intactum, ſed uni-
verſa replicavit coram omni multitudine Iſrael, mulieribus, ac parvulis, & advenis,
qui inter eos morabantur.

℣. 1. TOLLE TECUM OMNEM MULTITUDINEM PUGNATORUM. Cenſet Maſius, accepiſſe Joſue non plures quam XXX. mille ex univerſo exercitu, e quibus V. millia locaverit in inſidiis, reliquos vero palam adverſus urbem duxerit. Ita vero Textum exponit: Tolle tecum ex univerſo exercitu triginta millia ſelectiſſimorum, Sed verba Textus apertiora ſunt, quam ut violentam hanc expoſitionem admittant. Bellatores omnes ſecum accepit Joſue, imbellem multitudinem reliquit in caſtris Galgalim; ex his vero militibus triginta millia conſtituit in inſidiis, tum & quinque millia locavit alibi; cum reliquis vero adverſus urbem profectus eſt. Hanc nobis ideam ſubjicit Scriptura hujus copiarum diſtributionis. In decurſu hujus hiſtoriæ patebit accuratius totus expeditionis hujus ordo & diſciplina.

FACIES URBI HAI ET REGI EJUS, SICUT FECISTI JERICHO ET REGI ILLIUS. Urbem & Regem capies; hunc vero neci trades, illam exterminio, uti cum Jerichunte factum eſt. Hoc tamen inter utramque diſcrimen hic conſtituitur, quod Rex Hai ſuſpenſus eſt, cum nihil tale Regi Jerichuntis illatum legamus. Urbs etiam Hai direptioni Hebræorum permiſſa eſt, nihil autem datum fuit eidem populo in expugnatione Jerichuntis.

PONE INSIDIAS URBI POST EAM. Inſidiæ hujuſmodi locatæ creduntur ad Occidentem Urbis; occidens enim plerumque voce illa *poſt* deſignatur: quare conſtitutæ ſunt inter Hai & Bethel (1), ſed paulo ad meridiem, ut nihil de illis ſive cives Bethel, ſive Hai ſubodorarentur (2). Mirari ſuccurrit nonnullis, Deum, qui virtute ſua facile poterat urbem & defenſores opprimere, maluiſſe tamen ſtratagemate victoriam populo ſuo elargiri; id autem minus decere videtur potentiam Numinis; nec defuerunt gentes & Imperatores, qui indignum id eſſe viro ſtrenuo, & magis gloriam nominis minuere, quam commendare arbitrantes, eam vincendi artem rejecerint. Alexander Magnus nolle ſe dicebat victoriam furto ſurripere (3); veteres Græci & Tibareni de loco & tempore certaminis hoſtes ſuos præmonebant; veteresque Romani quid calliditas, quid fraus & circumventio eſſet, ignorabant: *Non fraude, neque occulte, ſed palam & armatum populum Romanum hoſtes ſuos ulciſci*. Recuſabant victoriam, quam juſto bello & aperta vi non comparaſſent: volebant ut hoſtes faterentur, coactos ſe ceſſiſſe Romanorum virtuti; quo ſcilicet ſe merito ſubmiſſos agnoſcerent, tamquam validioribus imbecilliores.

At numquid Deus ſemper neceſſe habet prodigiis? Audacia civium Hai circumveniri ſtratagemate merebatur; & Iſraelitæ fracti animis ex priori ea cæde erigendi erant in ſpem certam facilis & promptæ victoriæ: exempla denique recitata laudem ſuam utique merentur, quippe quæ ſingularis animi & virtutis grande exhibent ſpecimen; minime tamen probant, inſidias omnes, ſtratagemata doloſque belli legibus removeri. Imperatores ſcientia pariter prudentia & æquitate inſignes, qua populi Dei, qua exterarum gentium, nihil ejuſmodi interdictum ſibi cenſuerunt. Probat id authoritate ſua Deus: imperat hic pariter & alibi interdum. Docet S. Auguſtinus (4), *cum juſtum bellum ſuſcipitur, utrum aperta pugna, utrum ex inſidiis vincat, nihil ad juſtitiam intereſſe*. Reipſa quidem nihil hic doli & mendacii intercedit; neque quid agit vel ſinceritati repugnans vel charitati, qui conſilia ſua hoſtibus non revelat. Fas utique eſt, ait S. Auguſtinus (5), *Veritatem occultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione*. Ea libertate in proximum uti, quæ proximo in ſe permittitur, id iniquitatis quis accuſet? Tacita quædam conventio mutuo inter hoſtes intercedit, ut commoda ſua alter in alterum occupet, & invicem noceant, ſeu vi ſeu arte utantur: *Dolus an virtus, quis in hoſte requirat?*

Si ſtratagemata & inſidiæ malum eſſent natura ſua, & actio ex earum numero, quas patrare nunquam licet, nulla eſſet exceptio, nulla conventio, nulla circumſtantia, quæ licitas illas efficeret, nec a Deo unquam imperarentur. Cum Joſue inſidias ante urbem Hai conſtituit, ipſe vero fugam ſimulavit, norat utique fallendos eſſe hac ſimulatione hoſtes incautos, ut ſcilicet ſimulatam illam fugam perinde ac verum timorem acciperent: erroris tamen hujus non cauſam ſe præbuit, ſed occaſionem. Illud vero, quod per ſe malum non eſt, facere licet, quamquam hoſtes inde fallantur. Deus tandem, uti ſupremus arbiter vitæ & mortis Chananæorum, jure potuit populo ſuo ultionem in illos imperare; rationemque illius implendæ, quam aptiſſimam judicaſſet, præſcribere. Jubenti autem Deo nunquam ſine criminis culpa immorigeros ſeſe præbere potuiſſent Hebræi.

℣. 3. TRIGINTA MILLIA VIRORUM MISIT NOCTE, juſſitque ſe in inſidiis retro poſt Urbem locare. Quomodo tamen iſta componantur cum ℣. 12. ubi quinque millia virorum conſtituta exhibentur in inſidiis inter Bethel & Hai? Jam ſupra animadvertimus, reputaſſe Maſium, ad Urbem capiendam duxiſſe Joſue tantum tricies mille, e quibus quinquies millenos in inſidiis diſpoſuerint, reliquos in hoſtem duxerit; perſuadetur enim ille, exercitum DC. millium nihil commodi, incommodi plurimum & turbarum per eam occaſionem allaturum fuiſſe. Vulgo tamen Interpretes agno-

ſcunt

[1] Vide ℣. 2. Cap. VII. [2] Vide ℣. 17. ubi incolæ urbs Bethel auxiliares incolis Hai copias duxiſſe narrantur. [3] Vide Grot. l. 3. de Jure belli & pacis c. 1. art. 20. & Serar. in Joſue c. 8. qu. 2. [4] Aug. qu. 8 in Joſue. [5] Aug. contra Mendac. 10.

Digitized by Google

ſcunt gemina militum agmina in inſidiis collocata, utraque inter Bethel & Hai, alterum ſcilicet e xxv. millibus, alterum e v. millibus. Hanc autem facile diſpoſitionem opportunitati locorum aptam fecere Duces, quibus expeditionis hujus dirigendæ cura a Joſue commiſſa eſt: cum autem ex locorum ſitu & circumſtantiis totum id pendeat, fruſtra noſtras conjecturas in eo inveſtigando impenderemus, cum nullum ejuſdem veſtigium in Textu Joſue appareat.

℣. 4. Ponite insidias post civitatem: nec longius recedatis &c. Hebræus ad literam (1): *Vide, vos inſidiantes civitati a tergo civitatis, ne elongetis vos ab Urbe valde, & eritis omnes vos parati*. Duo monet Joſue, primo ut quam proxime Urbi ſeſe conſtituant, clam tamen hoſtibus; ſecundo ut ſtent arrecti ad omnes motus inimicorum, ſtatimque cum tempus aderit, irrumpant in Urbem, & omni aditu occupato fugam hoſtium impediant. Commode etiam Textus exponitur: *Cavete vos qui in inſidiis ſtatis, ne retro poſt urbem hoſtes vos aggrediantur*; vel, ne a tergo auxilia in urbem inferantur (2).

℣. 5. Sicut ante fecimus, fugiemus. Hebræus tantum (3): *Fugiemus ad facies eorum*. Nec Joſue quidem, nec e copiis illis plures in prima expeditione fugerant, cum eidem non adfuerint.

℣. 7. Vastabitis civitatem. Hebræus (4): *Capietis civitatem*; vel, Expelletis cives; vel tandem, expoliabitis, diripietis, deſtruetis Urbem.

℣. 8. Succendite eam. Primo quidem injiciendus erat ignis in ædes aliquas, ut ſignum ingreſſus ſui darent; ſi enim late omnia tradidiſſent incendio, diripiendum nihil Iſraeli ſuperfuiſſet.

℣. 9. Mansit Josue nocte illa in medio populi. Ne quid hoſtes ſuſpicarentur, Joſue cum toto exercitu pernoctavit in caſtris Galgalæ: ſummo mane alterius diei movit, nec Hai e caſtris illis, niſi tribus circiter leucis, aberat. Manum illam inſidiis deſtinatam alius a Joſue Imperator duxit.

℣. 10. Recensuit socios, et ascendit cum senioribus. Hebræus ad literam: *Viſitavit*, vel recenſuit *populum, & ipſe aſcendit, & Senes Iſrael ad facies populi in Hai*. Non ita reputandum eſt, in celeri hac tamque diligenti profectione Ducem illum tamdiu remoratum eſſe, ut exercitum oc. millium recenſeret. Satis habuit facile ex Præfectis intelligere numerum & ſtatum copiarum, utrum omnia apta eſſent & parata ad profectionem. Seniores Iſraelis, de quibus hic, ipſi ſunt Duces & Præfecti ſingularum Tribuum, vel forte viri in Tribubus Principes, ætate authoritateque ſua ampliſſimi, qui ipſum Joſue conſilio & præſentia juvabant.

℣. 11. Cumque . . . . ascendissent ex adverso Civitatis, steterunt ad Septemtrionalem Urbis plagam, inter quam et eos erat vallis media. Caſtra in Galgalis, unde Joſue cum exercitu movit, ad meridiem Hai reſpondebant; exercitum autem circumegit Joſue ad Orientem ejuſdem Urbis (5), hinc ad latus Septemtrionale promoturus, ut ibi mœnia aggrederetur, ideo facile quod latus meridionale inacceſſum erat; neque enim alioqui Urbem, niſi ad meridiem, tentare debuiſſet. Igitur Joſue in conſpectu Urbis una cum exercitu in colle ſtetit ad Septemtrionem & e regione Urbis, inter quam & collem vallis erat intermedia. In ipſo pariter colle agmen diſpoſuit, ita ut ala ejus dextera longius excurreret ad Occidentem, uti indicatur ℣. 13. *Ita ut noviſſimi multitudinis Occidentalem Urbis plagam attingerent*. Tum deſcendit in ſubjectam vallem, velut Urbem aggreſſurus: *Stetit in vallis medio*, Rex ejuſdem Urbis appropinquantes hoſtes intuitus, prorupit extra Urbem quaſi incurrentes aggreſſurus; copiæ Joſue, quibus imperatum erat, ut fugientes pugnarent, receſſerunt in eumdem collem, unde deſcenderant; inſtitit adverſarius, commodamque præbuit opportunitatem inſidiis in proxima valle a Joſue locatis, ut in vacuam Urbem evaderent.

℣. 12. Quinque millia viros elegerat. Manum hanc virorum ita huc uſque reſpeximus, quaſi portio eſſet e triginta millibus a Joſue præcedenti nocte præmiſſis, ut in valle ad Occidentem Hai clam ſtarent. Innuere tamen hic Textus videtur, Ducem ipſum per ſe e reliquo exercitu ſegregaſſe manum hanc quinque millium, ac miſiſſe ad occupandum locum, quem ſibi aptiſſimum judicabat. Priorem tamen ſententiam non temere deſerendam cenſeam; potuit enim Scriptura ipſi Joſue tribuere, quod ejus juſſu, & a ſubjectis illi ducibus præſtitum eſt.

℣. 13. Ita ut novissimi illius multitudinis occidentalem plagam Urbis attingerent. Commode in alium ſenſum Hebræus redditur (6): *Conſtituit inſidias ſuas ad occaſum Urbis* (7); uti non ſemel alias animadverſum eſt. Sed Interpretes quidam docti retinendam Vulgatæ interpretationem defendunt (8); negant quidam (9), Hebræum *Akeb* inſidias ſignificare; eſt enim ad literam *talus*.

Abiit Josue nocte illa. Narratum eſt ſupra ℣. 9. Joſue noctem in medio populi ſui egiſſe; & ℣. 10. moviſſe ſummo mane cum exercitu; hic tandem legimus, obtuliſſe ſe nocte contra Hai: unde duæ noctes, & integra dies innui videntur. Facile tamen hæc omnia concilientur, ſi conſtituamus, Joſue miſiſſe ſub veſperam copias, ut locum inſidiis aptum occuparent; ipſum vero manſiſſe in caſtris cum ſuis in plurimam noctem: ſummo mane ante auroram itineri ſeſe commiſiſſe, obtuliſſeque ſe ante Urbem, tribus tantum leucis a Galgala diſtantem, ante exortum ſolem, ibique ordinaſſe aciem; mane a Rege Hai prælio laceſſitum (10).

℣. 14. Egressus est cum omni exercitu civitatis. Hebræus (11): *Venit in occurſum Iſrael ad prælium, ipſe, & omnis populus ejus ad tempus ſtatutum*. Id autem varie exponitur. Egreſſi ſunt ſtatim progreſſis Iſraelitis; vel, præſto ſe exhibuerunt ſtatim ac Regis juſſiones delatæ ſunt; vel, egreſſi ſunt ex Urbe eodem tempore, eadem hora, & in eodem loco, ubi prius certatum eſt; vel tandem, venerunt ad tempus præſtitutum pro expectatione & voto hoſtium.

Direxit aciem contra desertum. Deductus exercitus creditur e latere deſerti Bethel, vel Bethaven, de quo alicubi (12) in Scriptura. Deſertum illud tractus erat inter Bethel, & Hai, ineptus quidem culturæ, ſed gregum paſcuis commodus, in quo nihil, niſi herbæ & ſylveſtres arbores; id enim Hebræorum phraſi deſerti nomine deſignatur.

Ignorans quod post tergum laterent insidiæ. Hebræus: *A tergo Civitatis*, vel ad Occidentem Urbis. Vide ſupra ℣. 2. E plaga Septentrionali Rex perrexit in Joſue, qui fugam per viam deſerti ſimulabat.

℣. 15. Cesserunt loco, simulantes metum, et fugientes. Hebræus: וינגעו וינסו *Percuſſi ſunt, & fugerunt*. Sed Interpretum omnium aſſenſu voces iſtæ Originalis deſignant tantum penes Iſraelitas imaginem quamdam fugæ; & non veram penes Cives Hai victoriam. Commode exponitur: *Fecerunt ſe victos*, fuga ceſſerunt, tanquam ſi re ipſa

---

(1) ראו אתם ארבים לעיר מאחרי העיר אל תרחיקו מן העיר מאד והייתם כלכם נכנים (2) Vide Druſ. (3) כי יצאו לקראתנו כאשר בראשנה ונסנו (4) והורשתם את העיר (5) ויעלו ויבאו נגד העיר Septuag. [illegible] (6) ואת עקבו מים לעיר (7) Ita Chald. Munſt. Vatab. Jun. Maſ. (8) Jun. & Tremell. Piſc. Cornel Bonfr. (9) Lud. de Dieu. (10) Vide Cornel. a Lapide, Bonfr. &c. (11) ויצאו לקראת ישראל למלחמה הוא וכל עמו למועד (12) Joſue xviii. 12.

ipſa cæſi fugerent. Familiare eſt Scripturæ facere ſe magnum, divitem, pauperem, ut deſignet eos, qui externam tantum earum rerum ſpeciem exhibent. Porro milites Joſue fugerunt *per ſolitudinis viam*; facile verſus agrum Jerichuntinum, ubi caſtra poſita erant.

℣. 17. Nec unus quidem in urbe Hai, et Bethel remanſiſſet. Quæ pars erat civium Bethel ea in re, cum in illos nihil moverint Iſraelitæ? Creditur, locorum propinquitate [ambæ enim urbes ultra leucam non diſtabant] & diſcriminis evidentia inductos fuiſſe, ut arma cum civibus Hai jungerent in hoſtes communes, quin & in Urbe Hai addidiſſe ſe defenſoribus, ut finitimos ſuos tuerentur. Innuere videtur Vulgata, cives Bethel & Hai e ſuis utroſque Urbibus ſeorſum erupiſſe in Hebræos; ſed Textus Originalis (1), Chaldæus, & Septuaginta legerunt tantum unicam urbis portam; quod utique nonniſi de Hai accipiendum eſt, quamquam non incongrue pronoque ſenſu de porta utriuſque urbis ſeorſum dictum accipi poteſt.

Cæterum quod legitur, ne unum quidem in urbibus Hai & Bethel manſiſſe, hac limitatione exponendum eſt: Nemo unus armis aptorum non irrupit in hoſtes, nemo illorum in Urbe manſit. Illi ipſi pariter, qui ibi relicti fuerant, ut ſi quid forte accidiſſet, tuerentur, rati omne jam evanuiſſe diſcrimen, egreſſi ſunt. Sed arduum adhuc ſupereſt aliud. Narratum eſt hic, ſtatim ac fugam ſimulavit Joſue, cives Hai fugientem longe inſecutos fuiſſe, ac ne unum quidem in urbibus Hai & Bethel perſeveraſſe. Tunc igitur primo factum eſt, ut cives Bethel ex urbe erumpentes Iſraelitis inſtarent. Abs re enim neque in loco id adnotaſſet in præſenti Author hujus Libri, ſi antea copiæ Bethel defenſoribus Hai ſeſe conjunxiſſent. Ad hæc, in ℣. 25. legimus, cæſos ea die fuiſſe duodecies mille, ex Hai omnes: non igitur junctim cum illis certabant milites Bethel; vix enim in tanta cæde ſociorum abſque ingenti ſuorum diſpendio evaſiſſent. Tandem Bethel urbs erat munitiſſima, uti ex Judicibus 1.24. intelligimus: vix igitur inanimum inducimus credendum, ejus cives patriis munitionibus deſertis, in Urbe Hai ſeſe clauſiſſe, in tanta præſertim hoſtium propinquitate.

His argumentis inducti dicimus, cives Bethel, cum ſedulo rei eventum explorarent, viderentque procul ex urbe ſua, Iſraelitas in fugam verti, perſequi fugientes cœpiſſe, ex urbe veluti ad certam victoriam vulgo erumpentes; antequam vero Iſraelitas aſſequerentur, illos retro vertiſſe in cives Hai, quos ceciderunt. Interim cives Bethel commode regredi potuere, quin illos inſequi curarent Iſraelitæ.

℣. 18. Leva clypeum. Non immerito reputamus (2), Joſue conveniſſe antea de eo ſigno cum ſuis, ut cum ſcilicet clypeum ſuum in altum levari proſpicerent, ex inſidiis proſilientes, recta tenderent in urbem; ſimulque ad ſignum illud copiæ, quæ fugam ſimularent, verſis armis impetum facerent in hoſtes. Statim ex condicto omnia: ad ſignum erecti clypei, ſurgentes e latebris inſidiæ moverunt in urbem; & certamen cum militibus Hai initum eſt. Clypeum hunc ſuum Joſue in haſtam levavit, inſtar ſigni militaris, quo longius proſpiceretur, ut in paribus rerum eventibus non ſemel præſtitum eſt (3).

Sunt qui ſimile aliquid a Joſue ſervatum hic credant (4) ac olim a Moyſe, cum in monte ſtans ac virgam tenens, manus elevabat ad Cœlum toto eo tempore, quo Iſrael cum Amalecitis certabat (5). Mandat Deus Joſue, ut clypeum ſuum contra Urbem elevet, ſpondens viciſſim, traditurum ſe illam manibus Hebræorum; quaſi ſcilicet nutui huic Joſue & precationi, quam ſimul jungi juſſit, hoſtium victoriam urbiſque expugnationem largiretur. Clypeum non demiſit Dux, niſi poſt fuſos penitus fugatoſque Urbis defenſores: tum qua ratione copiæ ejus in inſidiis ſtatutæ, longo inde intervallo, & in loco, ubi a nemine deprehendi poſſent, erectum hunc ejus clypeum proſpexere? Nihil igitur hac in re ex condicto egiſſe Joſue, neque de tollendo clypeo quidquam præmonuiſſe ſuos videtur: nihil hac de re Scriptura; quin potius innuit contrarium, Deum ſcilicet nihil tale cogitanti, clypeum extolleret, imperaſſe.

Diſſidium eſt etiam de ſignificatione vocis Hebrææ *Cidon* (6), quam Vulgata & docti plures Interpretes reddunt *clypeum*; Septuaginta & Aquila exponunt miſſile illud, perpetuo ferri ductu conſtans, quod *Gæſus* appellatur. Vide adnotationes P. de Montfaucon in Hexapla Origenis. In deſcriptione armorum Goliath legimus, geſſiſſe illum *Cidon* ſuum æneum in humero ſuo (7). In humeros autem rejectus interdum clypeus geſtabatur. Ibi pariter diſtinguitur *Cidon* (8) a lancea & gladio; quæ pariter duo ſunt inter ſe diverſa in Textu Job (9). Suſpicio inde non levis ducitur, vocem hanc Hebræam clypeum potius quam teli genus aliquod ſignificare. Nihilo tamen minus Septuaginta (10) hic reddunt *Gæſum*, quod ſpiculi genus eſt; & Author Eccleſiaſtici (11) factum hoc Joſue narrans, jactaſſe illum dicit *Rompheam*. Chaldæo eſt lancea; docentque Rabbini, ſignum ea occaſione datum fuiſſe a Joſue, ſublata in altum haſta vexilli. Hanc traditionem fulcire videntur Textus quidam Scripturæ, in quibus *cidon* teli genus eſſe videtur. Ita e. g. Job XLI. 10. agens de Beemoth ſcribit: *Deridebit vibrantem haſtam* (Hebr. לרעש כידון *concutientem Cidon*) & Jeremias VI. 23. venturum prædicit Chaldæum in Jeroſolymam, *& ſagittam*, ait, *& ſcutum arripiet*; Hebr. arcum & Cidon. Congruunt autem hæc omnia melius cum telo quam cum clypeo; non enim ſagittarii clypeis uti ſolebant. Reputat Bonfrerius, Gallicum *guidon* derivari ex Hebræo *Cidon* vel *Kidon*. Sed hæc omnia leviora nobis videntur, quam quæ valeant ad detrahendam fidem Verſioni Vulgatæ, quæ de clypeo vocem interpretatur.

Hæc olim; modo vero comparatis inter ſe diligenter ſingulis illis locis, in quibus vox eadem recurrit, perſuaſus ſum voce illa non clypeum, ſed genus aliquod armorum ad lædendum hoſtem deſignari. I. in loco illo Joſue, de quo agimus, ſcriptum legitur: *Leva Kidon. Non contraxit manum quam in ſublime porrexerat in Kidon*. Perſpicuum eſt Deum illi mandaſſe, ut manum ſuam porrigeret ad arma illa accipienda; porrectam vero manum illam tenuiſſe toto illo tempore, quo certatum eſt. Profecto ſi de clypeo ageretur, fruſtra eſſet porrectio illa manus ad clypeum accipiendum, quod jam manu tenebat.

II. In deſcriptione armorum Goliat non ambigue diſtinguitur galea ænea, lorica ſquamata pondo ſiclorum quinquemillium, ocreæ æneæ, Kidon æneum inter humeros ejus, *& armiger ejus antecedebat eum*, ferens, uti facile credo, ejus clypeum. Clypei plerumque lignei erant, corio tecti, & totius antiquitatis quin & ſcripturæ teſtimonio ungi illos conſueviſſe diſcimus, Iſai. XXI. 5. Ungi-

(1) ועזבו את העיר פתוחה Septuag. κατέλιπον τὴν πόλιν ἀνεῳγμένην. (2) Joſeph. Antiq. l. 5. c. 1. Rabb. Lyran. Abul. Vatab. Jun. &c. (3) Polyæn. Stratag. l. 1. c. 45. Vide Cleric. hic. (4) Maſ. Serar. Bonfr. (5) Exod. XVII. 12. (6) נטה בכידון Septuag. ἐν τῷ γαισῷ, Joſeph. Symm. apud Theodoret. & Aquila, ἀσπίδα, Ita & LXX. 1. Reg. XVII. 6. & 45. Grot. Maſ. (7) 1. Reg. XVII. 6. (8) ℣. 45. *Tu venis ad me in gladio & haſta & clypeo*. (9) Job. XXIX. 23. *Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta & clypeus*. (10) Ἔκτεινον τὴν χεῖρά σε τῷ γαισῷ. Suidas, γαῖσος, ἀκόντιον. Pollux. δόρυ ὁλοσίδηρον. Livio, Gellio, Virgilio Gæſus eſt teli genus. (11) Eccli. XVI. 3. *Jactando contra civitates Rompheam*.

Ungite clypeum; & in Pſalm. XLV. 10. ſcuta igni combuſta cernimus. Interdum quidem ad pompam laminis aureis vel æneis tegebantur; quemadmodum de Salomone fertur, qui texit laminis aureis clypeos, a Regii corporis cuſtodibus ferendos cum diebus ſolemnibus ante Regem procederent 3. Reg. X. 16. 17. Sed in his expreſſa eſt Hebraica vox *Magen*, quæ proprie clypeum deſignat; nec uſlibi occurrit *Kidon*, quod eſt in lib. Joſue & Reg. ubi deſcribuntur arma Goliat, qui nempe Gigas ferebat in humeris ſuis *Kidon* æneum. Mos erat tegi clypeos, ut a pluvia vel pulvere defenderentur. Iſaiæ XXII. 6. *Kir denudavit clypeum*. Clypei ex ſolido auro vel ære, quales fabricavit Salomon ut eſſent ſpectaculo, oneri potius & impedimento, nulli vero uſui fuiſſent in bello.

In deſcriptione armorum Goliat diſtinguitur ſedulo *gladius*, *haſta*, & *Kidon*; in Job pariter XXXIX. 23. diſcernitur *haſta* & *Kidon*. Leviathan contemnet *haſtam* & *Kidon*. Ibid. XLI. 20. deridebit *Kidon vibrantem*. Jer. L. 42. Venient, ait, Chaldæi *arcum & Kidon apprehendent*.

Hæc ſimul omnia inter ſe collata demonſtrant Kidon genus eſſe armorum ad lædendum aptum; a lancea, telo, & multo potiori jure a clypeo diſtinctum. Supereſt nunc diſcutiamus, quodnam teli genus iſtud ſit ex multis, quibus deſignandis Græci Latinique ſua diſtincta nomina invexerunt. Septuaginta & Aquila adhibuerunt vocem *Gæſos* ſeu *Gaiſos*, quæ a lingua Græca Latinaque aliena eſt; ſed Germanis Galliſque familiaris deſignans haſtam quandam ferream ſive æneam totam, quæ in hoſtes ejaculata, ſeſeque ad vulnus inſinuans amento tamen vincta ad nutum ſagittarii recipiebatur. Hoc porro jaculi genus nomine *Kidon* deſignari nunc nobis argumentis evincendum ſupereſt.

Apud Lexicographos Græcos Gæſos ſive Gaiſos ſive Yſſos telum ferreum exponitur. Diogenianus apud Didymum: *Embolum totum ferreum*. Heſychius pariter gemina: Pollux; Suidæ Gæſum eſt armorum genus ad offenſandum, Appianus agens de Celtis ſeu Gallis tradit eorum miſſilia nihil habere ſimile cum telis Romanorum, & ab illis Iſſos appellari teſtatur. Procopius in Joſue VIII. 18. monet interpretes quoſdam Græcos exponere vocem hanc de jaculo quodam ferreo cum amento; *Lingua vero Iberica Acontium quod Romani Gæſum vocant*. Porro jacula iſta cum amento clare diſtinguuntur apud veteres, dum de armis Gallorum ac Germanorum agunt. Livius lib. 8. 8. levis armaturæ appellant eos, qui nihil ferunt præter haſtam & Gæſa, *qui haſtam cominus Gæſaque gererent*; ubi cernimus haſtam a Gæſo diſtingui, ſicut & lib. 9. Gæſa, pila, & haſtæ longæ tria ſunt diſcreta.

Statius Thebaid. lib. 4. v. 64.

. . . . *Pars Gæſa manu, pars robora flammis*
Indurata diu . . . .

Virgil.

. . . . *Duo quiſque alpina coruſcat*
Gæſa manu . . . .

Id. Æn. 9.

Intendunt acres arcus amentaque torquent;

Ideſt ejaculabant tela illa amento vincta & poſt vulnus tela recipiebant. Uno verbo agniti fuiſſent ex jaculis amento vinctis, quibus emiſſis amentum retinebatur. Telorum illorum imago ſupereſt adhuc in vetuſtis nonnullis codicibus, ac præſertim diſtinguuntur in Gallorum imaginibus. Amentum illud, quo vincitur *Kidon* ſive *Gæſum*, mire valet ad explicandum cur *Kidon* Goliathi poſt humeros rejectum erat.

Silius Italicus lib. 4.

. . . . *haſta juvatur*
Amento, renovantque nova fornace bipennes

Tum &

Hanc nodo curſuque levi ſimul adjuvat hoſtem
. . . . *telumque volatile nodo*
Excutit.

℣. 19. Succenderunt eam. Urbis loca quædam incenderunt; neque enim uno incendio omnia ſublata ſunt, niſi poſtquam hoſtes univerſa diripuerunt. Vide ſupra ℣. 8.

℣. 20. Non potuerunt ultra huc illucque diffugere. Hebræus (1): *Non fuit in eis manus ad fugiendum huc & illuc*; ſatis animi, ſatis virium (2) non habuerunt, vix aliquid ad fugam non habuerunt. Seu potius ſpatii, locique patentis ad fugam ſuperfuit nihil; manus enim ſæpe ponitur pro expanſione, ut in illo Pſalmi CIII. 25. *Hoc mare ſpatioſum manibus*; & Jobi I. 14. *Paſcentes ſuper manus eorum* (3); ideſt juxta & non procul ab eis.

℣. 22. Egressi ex urbe contra suos. Textus hic Latinus exponi quidem poſſet, quaſi Hebræi in ſuos impetum facturi procurriſſent: ſed hic *contra* valet obviam & in occurſum venire. Copiæ igitur Joſue, Urbe jam occupata, & aliqua ex parte incenſa, e patentibus foribus egreſſæ ſunt, ut Cives Hai ingreſſum tentantes infeſtis armis exciperent. Hebræus (4): *Egreſſi ſunt in occurſum eorum*.

Ita ut nullus de tanta multitudine salvaretur. Reddi poſſet Hebræus (5): *Quoadusque nemo remanſit ſalvus*, vel periculo liber; ideſt, nemo unus fuga evaſit, vel nemini eorum, qui in Iſraelitarum manus venerunt, vita ſervata eſt.

℣. 23. Regem apprehenderunt viventem, et obtulerunt Josue. E re viſum non eſt illum cum reliquis in prælio interficere, quem ad majora ſupplicia ſervarent. Poſitum erat olim in moribus, ut ſupremi Duces copiarum, vel Reges in prælio capti ad Imperatorem ducerentur, quæ portio erat juris Regii; ipſeque victor legitimo præmio eos remunerabatur, qui opimam hanc prædam ad ſe deferrent (6).

℣. 28. Fecit eam tumulum sempiternum. Hebræus (7): *Poſuit eam tumulum ſæculi, deſolationem uſque ad diem hanc*. Suis ſepulta ruinis jacebat Urbs illa, nec caput e depreſſione ſua adhuc erexerat, cum Libri hujus Author ad ſcribendum ſe contulit. Notum eſt tamen ex Scriptura, Urbem Hai Eſdræ ætate ſtetiſſe (8), & multo etiam citius facile in priſtinum reſtituta fuerat; neque enim captivitatis tempus illud ad veteres urbes reparandas ſatis aptum erat.

℣. 29. Regem suspendit in patibulo. Hebræus תלה על העץ *ſuſpendit ſuper ligno*, vel arbori. Patibulum appellabant Romani lignum fatale, vel arborem infelicem (9). Septuaginta: Ἐπὶ ξύλου διδύμου, *Suſpendit ſuper lignum geminum*; patibulo e gemina trabe conſtanti, vel cruci, vel furcæ. Hebræi, quos Commentariorum Scriptores multi ſequuntur, affirmant, Regem Hai interfectum prius, deinde in patibulum ſublatum fuiſſe; neque enim, inquiunt, moris erat Iſraelitarum, ut viventes homines ſuſpenderent in patibulo. Hanc tamen opinionem ſolide nos refutaſſe ſperamus in Diſſertatione de ſuppliciis apud Judæos. Principis hujus cadaver e patibulo aduſque veſperum pependit, juxta Moſaicæ legis ſanctionem, præcipientem ut ante ſubeuntem noctem reorum cadavera e cruce deponerentur: cujus præcepti cauſas habes in Deuteronomio XXI. 22. deductas.

℣. 30. Tunc ædificavit Josue Altare Domino Deo. Ex Deuteronomio (10) intelligimus, imperaſſe Deum, ut poſt tranſitum Jordanis ſacra ſibi

Ara

[1] לא היה להם ידים לנוס [2] Jonat. R. Salom. [3] Vide & Num. 11. 17. [4] יצאו מן העיר לקראתם [5] עד בלתי השאיר להם שריד ופליט Septuag. Ἕως τοῦ μὴ καταλειφθῆναι αὐτῶν σεσωσμένον καὶ διαπεφευγότα. [6] Grot. hic. [7] וישימה תל עולם שממה עד היום הזה [8] 1. Eſdr. 11. 28. 2. Eſdr. VII. 32. & XI. 31. [9] *Lignum infelix*, vel *arbor infelix*: *arbori infelici ſuſpendito*. Liv. l. 1. 4. Senec. Ep. 101. [10] Deut. XXVII. 4. *Quando tranſieritis Jordanem, erigite lapides ... in monte Hebal, &c.*

Ara excitaretur; unde Scriptorum quorumdam conjectura eſt (1), ipſa eadem die tranſmiſſi Jordanis, ante Circumciſionem populi, aram ſtetiſſe. Rejiciunt hanc cæremoniam alii poſt circumciſionem, & celebrationem Paſchatis, antequam bellum committeretur. Quinquennio poſt tranſmiſſum Jordanem revocat illam Joſephus (2); & quatuordecim annis ab eadem tranſmiſſione, R. Iſmael. Communior tamen, & æquior ſententia eamdem temporum ſeriem, quam in narratione ſua Joſue præfert, retinendam arbitratur. Poſt expugnatas Jerichuntem & Hai, Iſraelitæ ad montes Garizim & Hebal progreſſi, ſecum duxerunt uxores, filios, & exteros, qui inter Proſelytos nomen dederant, unaque omnes venerunt, ut ſolemne cum Domino fœdus innovarent. Duo illi montes ab Hai ſpatio circiter decem leucarum abſunt: ſtatuimus autem utroſque non longe a Sichem, ut in Deuteronomio probatum eſt. Juſſit Moyſes excitari monumentum in Hebal (3), quod hic a Joſue impletur: contendunt tamen Samaritani, monumentum illud in Garizim poſitum fuiſſe, ubi & poſtea ſemper ſteterit. Codices Legis, quibus ipſi utuntur, legunt Garizim pro Hebal; & multo æquius etiam videtur, ut Altare in vertice Garizim inſideret, quam in Hebal, e quo maledicta pronunciata ſunt. Sed contrarium Moyſis, & Joſue Textus luculentiſſime affirmant.

℣. 31. Altare de lapidibus impolitis. Qui in ea ſunt opinione, Altare ſcilicet montis Hebal ſtatim poſt trajectum Jordanem excitatum fuiſſe, defendunt pariter, eoſdem ipſos lapides, quos e medio amnis acceperant, in eum uſum Iſraelitas adhibuiſſe. Favere videntur huic opinioni Euſebius, & S. Hieronymus (4), quibus Hebal, & Garizim duo ſunt in agro Jerichuntino montes: nullis tamen defenditur argumentis, ſi ambo illi montes prope Sichem, novem, vel decem leucis a Jerichunte conſtituantur. Fuſius in Exodo xx. 25. diſſeruimus de Dei præcepto hic, & alibi indicto, ut Altare ſibi non e ſectis quidem, ſed rudibus lapidibus excitaretur.

Obtulit super eo holocausta Domino. Sacrificia hæc manibus Sacerdotum oblata fuiſſe vulgo fertur, cum Deus Laicis cujuſcumque conditionis omnibus offerre Sacrificia interdixerit. Non deſunt tamen, qui eam Legem eſſe tantum arbitrantur de Sacrificiis oblatis vel in Tabernaculo, vel in Templo, ubi res Sacras Sacerdotes tantum miniſtrabant: extra hunc locum, & in extraordinariis rerum eventibus Principes, Judices, & Prophetæ ſacrificia ſuis manibus operati ſunt, tunc præſertim, cum Arca nondum certam, ſtabilemque ſedem obtineret. Id autem pluribus exemplis demonſtratur. Joſue Principis populi perſonam gerens, in ſolemni hac cæremonia renovati fœderis Deum inter & Iſraelem ſacrificat. Bethſamitæ coram Arca a Philiſthæis remiſſa hoſtias Domino immolant (5). Populus Saulis electionem ratam habiturus, ſacrificia in Galgalis offert (6). Idem pariter Saul ſuis manibus obtulit holocauſta, & hoſtias pacificas in caſtris Galgalæ, cum differre Samuelem adventum ſuum, & copias ſenſim dilabi intelligeret (7). Neque factum improbavit Samuel, ſed tantum acrioribus verbis id reprehendit, quod adventum ſuum non expectaſſet: cæterum idem ipſe Propheta cum Levita merus eſſet, nullum ſibi jus majus operandi ſacrificia, quam Saul, vindicare poterat. Nihilo tamen ſecius idem Propheta aliquanto poſt in Bethlehem concedens, victimas pacificas ibidem immolavit (8); immolavit pariter in Ramatha patria ſua (9), & in Maſphat (10). Meminit Scriptura hoſtiarum, quas David mactavit in ſolemni translatione Arcæ e domo Obed Edom in Civitatem David (11), uti & victimarum, quas obtulit in area Ornan Jebuſæi ſuper Aram a ſe ibi excitatam (12); Abſalom (13), Adonias (14), Salomon, & ſub eo Rege populus (15) in editis locis extra Tabernaculum ſacrificarunt. Una tantum oblatio ſuffitus in Sancto interdicta penitus Regibus videtur; qui enim id ſibi vindicaverat, Oziam Regem Deus lepra punivit (16). Legimus in Joſepho (17), Herodem tranſgreſſurum cum exercitu Jordanem, ſacrificia operatum fuiſſe. In extraordinariis rebus, & extra Templum nulla religione abſterrebantur Prophetæ ab offerendis ſacrificiis, quamquam nulla peculiari dignitate ad eam rem ornarentur; omnibus enim nota ſunt ſacrificia Eliæ Prophetæ in monte Carmelo (18) coram Rege, & Sacerdotibus Baal.

Hebræi Doctores (19), & cum illis Interpretum quidam, docent, interdictum fuiſſe populo ſacrificia extra Tabernaculum offerre, donec populus in deſerto erravit; hanc tamen legem tunc ceſſaſſe, cum venerunt in Galgal; nullus enim adhuc certus locus Arcæ præſcriptus erat. Hinc Joſue nihil cunctatum, ſacris operandum ſibi in monte Hebal cenſuiſſe. Libertas ejuſmodi Sacrificia quocumque tandem in loco offerendi ſemper manſit, donec Arca in Silo non conſedit. Tunc parietes pro aſſeribus ædificari ſunt, quibus Sanctum, & Sanctuarium ambirentur: velaminibus tamen & pellibus ambo ea loca tegi deſuetum non eſt; ac rurſus tunc populo obligatio ſtetit, ut eo ad offerenda ſacrificia ventitaret. Cum vero remota e Silo Arca, quievit nunc quidem in Nobe, nunc in Maſpha, vel Gabaone, eadem, quæ prius, libertas rediit, offerendi ſcilicet ubique, ut quiſque aptum judicabat, & uſque ad Templi Salomonici ædificationem manſit. Variis idcirco in locis ſacrificatum a Samuele, Saule, & ipſo pariter Davide legimus.

Vetus illud jus, quod olim erat Regibus, & Principibus, in inſueris rerum eventibus ſacrificandi, non penitus extinctum periit apud Hebreos, poſtquam Sacerdotium familiæ Aaronis traditum eſt, ut productis ſuperioribus exemplis non obſcure demonſtratur. Tradit Demoſthenes (20), olim apud Athenienſes victimas omnes Regi immolandas ſervari conſueviſſe; Reginam vero ejus uxorem traditum ſibi habuiſſe depoſitum myſteriorum omnium cuſtodiendum; quam diſciplinam tunc mutavit Theſeus, cum populi in immenſum creviſſent. Ne vero priſca hæc penitus exciderent, creatus Rex Sacrificiorum, qui cæremoniis omnibus præerat.

℣. 32. Scripsit super lapides Deuteronomium Legis Moysi. Gemina ſunt, quæ in hoc verſiculo negotium faceſſunt; primum ſcilicet de lapidibus, alterum de literis ibi exaratis. Defendunt quidam (21); eamdem ipſam Aram, eoſdemque lapides inſcriptos fuiſſe, ſuper quos Joſue victimas immolavit: cenſent autem, Aram hanc impoſitis quidem lapidibus, uti perhibet Scriptura, conflatam, dein vero ad commodum ſcribendi ſuperinducto luto oblitam fuiſſe. Malunt (22), in altero ad eam rem excitato monumento ea deſcripſiſſe Joſue,

[1] Thalmudiſt. apud Maſ. [2] Joſeph. Antiq. l. 5. c. 2. [3] Deut. xxvii. 4. [4] Euſeb. & Hieron. in locis, voce Hebal, & Garizim. [5] 1. Reg. vi. 15. [6] 1. Reg. xi. 15. [7] 1. Reg. xiii. 9. [8] 1. Reg. xvi. 2. 5. [9] 1. Reg. 12. 12. 13. [10] 1. Reg. vii. 9. [11] 2. Reg. vi. 13. [12] 2. Reg. xxiv. 14. 15. & 1. Par. xxi. 26. [13] 2. Reg. xv. 12. [14] 3. Reg. 1. 9. [15] 3. Reg. iii. 2. [16] 2. Par. xxvi. 19. [17] Joſeph. de Bello Jud. l. 1. c. 14. [18] 3. Reg. xviii. 32. 33. 34. [19] Rabb. apud Outram. de ſacrific. l. 1. c. 2. Vide & Grot. & alios critic. ad cap. xii. ℣. 8. Deut. [20] Demoſt. orat. contra Neæram. [illegible] [21] Joſeph. Antiq. l. 5. cap. 2. Orig. homil. 9. Toſt. hic. [22] Druſ. Maſ. Serar. Cajet.

Digitized by Google

ſue, quæ Moyſes præceperat: hanc tamen poſtremam ſententiam nullis ſatis probari, nec ſatis neceſſitatem ſecundi hujus monumenti evinci, fatemur.

Significationem nominis hujus *Deuteronomium* ab aliis aliam tradi, in Deuteronomii XXVII. 3. animadvertimus. Prorogant quidam ad totum Deuteronomium; alii definiunt in Decalogo; alii in Epitome Legis, ut in benedictionibus, & maledictis, quæ utrimque pronunciata ſunt; ambigua omnia, nihil exploratum. Una eſt Rabbinorum ſententia, deſcriptum ibi fuiſſe totum Pentateuchum, non unica, ſed ſeptuaginta linguarum generibus [1], ne ſcilicet ulla per Orbem gens ignorationem cauſaretur. Nobis vero vix perſuadeatur, tantum ibi fuiſſe ſpatii, ut ſolum Deuteronomium deſcriberetur, nedum Pentateuchus, totumque pariter librum illum lectum, & expoſitum fuiſſe populo; quod ſane plures dies exegiſſet.

℣. 33. Media pars eorum juxta montem Garizim, et media juxta montem Hebal. Totus exercitus ex æquo diviſus conſedit in utroque monte, uti in Deuteronomio Moyſes præcepit. Sacerdotes, Levitis nonnullis comitantibus, ſtabant cum Arca inter duos montes medii, ibique fauſta, & dira ad utrumque montem alternatim converſi pronunciabant, e vertice autem montium Iſraelitæ ad ſingula maledicta, quæ Sacerdotes ore ad ipſos converſo inclamabant, reſpondebant: *Amen*. Hæc omnia fuſius expoſuimus in Commentario ad Deuteronomii XXVII. 12.

℣. 34. Post hæc legit omnia verba benedictionis, et maledictionis. Poſt impartitam populo benedictionem, benedictiones itidem & maledictiones omnes a Moyſe deſcriptas legi vel a Sacerdote, vel a Levita juſſit, vel ipſe per ſe legit. Subſtitit facile Joſue in medio utriuſque montis, ut cæremoniæ huic præeſſet; atque ita demum fœdus in Sinai compoſitum, renovatum eſt. Cum plerique eorum, qui priore illo ſeſe obſtrinxerant, in deſerto periiſſent, qui ſucceſſerunt filii exacti fœderis memoriam, iiſdem conditionibus ſeſe obſtringentes, renovarunt.

[1] Vide apud Maſ. & Serar.

CAPUT IX.

Gabaonitæ mendacio ſuo Joſue, ac Seniores fallunt. Fœdus cum illis initur; ſed tandem agnita fraude, ut convehant aquam & ligna in domum Domini, damnantur.

℣. 1. Quibus auditis, cuncti reges trans Jordanem, qui verſabantur in montanis, & campeſtribus, in maritimis, ac littore magni maris, hi quoque, qui habitabant juxta Libanum, Hethæus, & Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, & Hevæus, & Jebuſæus, 2. Congregati ſunt pariter, ut pugnarent contra Joſue, & Iſrael uno animo, eademque ſententia. 3. At hi, qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta, quæ fecerat Joſue Jericho, & Hai, 4. Et callide cogitantes, tulerunt ſibi cibaria, ſaccos veteres aſinis imponentes, & utres vinarios ſciſſos, atque conſutos, 5. Calceamentaque perantiqua, quæ ad indicium vetuſtatis pittaciis conſuta erant, induti veteribus veſtimentis: panes quoque, quos portabant ob viaticum, duri erant, & in fruſtra comminuti: 6. Perrexeruntque ad Joſue, qui tunc morabatur in caſtris Galgalæ, & dixerunt ei atque ſimul omni Iſraeli: De terra longinqua venimus, pacem vobiſcum facere cupientes. Reſponderuntque viri Iſrael ad eos, atque dixerunt: 7. Ne forte in terra, quæ nobis ſorte debetur, habitetis, & non poſſimus fœdus inire vobiſcum. 8. At illi ad Joſue, Servi, inquiunt, tui ſumus. Quibus Joſue, ait: Quinam eſtis vos? & unde veniſtis? 9. Reſponderunt: De terra longinqua valde venerunt ſervi tui in nomine Domini Dei tui. Audivimus enim famam potentiæ ejus, cuncta, quæ fecit in Ægypto, 10. Et duobus regibus Amorrhæorum, qui fuerunt trans Jordanem, Sehon regi Heſebon, & Og regi Baſan, qui erant in Aſtaroth. 11. Dixeruntque nobis ſeniores, & omnes habitatores terræ noſtræ; Tollite in manibus cibaria ob longiſſimam viam, & occurrite eis, & dicite: ſervi veſtri ſumus, fœdus inite nobiſcum. 12. En panes, quando egreſſi ſumus de domibus noſtris, ut veniremus ad vos, calidos ſumpſimus: nunc ſicci facti ſunt, & vetuſtate nimia comminuti. 13. Utres vini novos implevimus, nunc rupti ſunt, & ſoluti, veſtes, & calceamenta, quibus induimur, & quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita ſunt, & pene conſumpta. 14. Suſceperunt igitur de cibariis eorum, & os Domini non interrogaverunt. 15. Fecitque Joſue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus eſt, quod non occiderentur: principes quoque multitudinis juraverunt eis. 16. Poſt dies autem tres initi fœderis, audierunt, quod in vicino habitarent, & inter eos futuri eſſent. 17. Moveruntque caſtra filii Iſrael, & venerunt in civitates eorum die tertio, quarum hæc vocabula ſunt: Gabaon, & Caphira, & Beroth, & Cariathiarim. Et non percuſſerunt eos: eo quod juraſſent eis principes multitu-

titudinis in nomine Domini Dei Iſrael. Murmuravit itaque omne vulgus contra principes Iſrael. 19. Qui reſponderunt eis: Juravimus illis in nomine Domini Dei Iſrael, & idcirco non poſſumus eos contingere. 20. Sed hoc faciemus eis: Reſervetur quidem, ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, ſi pejeravimus: 21. Sed ſic vivant, ut in uſus univerſæ multitudinis ligna cædant, aquaſque comportent. Quibus hæc loquentibus, 22. Vocavit Gabaonitas Joſue, & dixit eis: Cur nos decipere fraude voluiſtis, ut diceretis: Procul valde habitamus a vobis, cum in medio noſtri ſitis? 23. Itaque ſub maledictione eritis, & non deficiet de ſtirpe veſtra ligna cædens, aquaſque comportans in domum Dei mei. 24. Qui reſponderunt: Nuntiatum eſt nobis ſervis tuis, quod permiſiſſet Dominus Deus tuus Moyſi ſervo ſuo, ut traderet vobis omnem Terram, & diſperderet cunctos habitatores ejus. Timuimus igitur valde, & providimus animabus noſtris, veſtro terrore compulſi, & hoc conſilium inivimus. 25. Nunc autem in manu tua ſumus: quod tibi bonum, & rectum videtur, fac nobis. 26. Fecit ergo Joſue, ut dixerat, & liberavit eos de manu filiorum Iſrael, ut non occiderentur. 27. Decrevitque in illo die eos eſſe in miniſterio cuncti populi, & altaris Domini, cædentes ligna, & aquas comportantes, uſque in præſens tempus, in loco, quem Dominus elegiſſet,

℣. 1. QUISUS AUDITIS, ideſt expugnatione Jerichuntis & Hai, ac ſolemni fœdere in montibus Hebal, & Garizim renovato, conſulendum rati ſunt Reges Chanaan, ut ab armis Joſue validam rebus ſuis defenſionem opponerent. Receperat ſe Joſue in Galgal, qui locus fuit caſtrorum, & quo pariter univerſis copiis condictum erat plurium annorum tempore; ibi pariter convenerunt illum Gabaonitæ.

CUNCTI REGES TRANS JORDANEM, QUI VERSABANTUR IN MONTANIS. Pronius eſſet vertere: *Cuncti Reges cis Jordanem*, ſi Author hujus Libri ſcribere in Chanaanitide cenſeatur. Voces Originalis (1) indiſcriminatim pro *cis* & *trans* uſurpari, alibi demonſtravimus. Reges in regione montibus aſpera imperantes, ii ſunt potiſſimum, qui meridionalia Terræ Sanctæ poſſidebant. Hujus tractus portio maxima parebat Amorrhæis (a), Hethæis & Jebuſæis.

IN MARITIMIS, AC LITORE MAGNI MARIS. Magnum mare ipſum eſt mediterraneum, cujus latera tenebant Phœnices, Tyrii, Sidonii, & Philiſthæi; quamquam enim poſteriores hi alienam habebant a Chananæis originem, obvolvebantur tamen eadem ſententiæ damnatione, qua Regionis Chanaaniticæ gentes omnes, ut ſcilicet vel ſuperſtitiones deſerere ſuas, & dedere ſe Iſraelitis, vel carere ſedibus, bonis, libertate, vita cogerentur. Licet autem Joſue nunquam eam ſibi regionem vindicaverit armis, in diſtributione tamen provinciarum per Tribus, eam cum cæteris diviſit, perſuaſus futurum, ut e fide & virtute Hebræorum ejus poſſeſſio unice penderet.

HI QUOQUE QUI HABITABANT JUXTA LIBANUM. Incolæ Libani ad meridiem & Septentrionem, vel qui regionem frequentabant inter Libanum & Antilibanum, quique ſedes habebant in ſubjecta huic monti Regione meridionali. Hebræus poſteriorem hanc cum ſuperiori ſententiam hic jungit (3): *In omni portu maris magni, e regione Libani;* veluti hoc de portubus Phœniciæ tantum loquatur.

℣. 2. CONGREGATI SUNT PARITER . . . . UNO ANIMO EADEMQUE SENTENTIA. Principes omnes juncto ſimul fœdere arma, in defenſionem ſui & offenſionem Iſraelitarum, ſociarunt, cujus fœderis in partem Chananæi omnes, unis exceptis Gabaonitis, venerunt; non enim alias a Gabonitis gentes clementia Joſue uti Deus permiſit. *Uno animo eademque ſententia;* unanimes ſimul omnes. Hebræus (4): *Ore uno.*

℣. 4. CALLIDE COGITANTES TULERUNT SIBI CIBARIA. Sapientius ſibi atque ſolertius Gabaonitæ præ cæteris Chananæis conſuluerunt: reputarunt enim, nunquam ſe reſtituros Numinis voluntati, qui regionis ſuæ exitium decreviſſet. Vetera illa in Ægypto, in Mari Rubro, in deſerto miracula, & nova etiam alia in trajectione Jordanis, in expugnatione Jerichuntis & Hai, valida manu ſua Deum Iſraelitis adeſſe, Gabaonitis probarunt.

Hebræus legit (5): *Fecerunt etiam ipſi in aſtutia, & abierunt, & Legatos ſe finxerunt*, vel perſonam exhibuerunt virorum e longinqua legatione venientium. Verba illa, *Fecerunt etiam ipſi in aſtutia*, innuere videntur cæterarum gentium Chanaanitidis conſilium, quæ validam defenſionem Hebræis oppoſituræ, ingenti fœdere arma ſociarunt. Gabaonitis aliter ſuccurrit; dolo enim circumvenire decreverunt religionem Joſue, ac Seniorum Iſraelis. Aliam interpretationem hujus Textus docet Chronicon Samaritanum, narrans, Exploratores a Joſue ad agnoſcendam Chanaanitidem miſſos, conſilium ſuum celaturos dolosum aliud conſilium iniviſſe. Qua poſita animadverſione, ambiguum in hac ſententia nihil remanet; illorum etenim imitatione Gabaonitæ dolo fallere Joſue & Seniores Iſraelis ſtatuerunt. Author Vulgatæ, Chaldæus, Syriacus, & Septuaginta vocem nonnihil diverſam ab ea, quam præferunt codices recentiores, legerunt (6); ita enim reddunt: *Tulerunt ſibi cibaria*, pro, *Legatos ſe fecerunt*. Perſimilem phraſim ſupra VIII. 15. animadvertimus: *Fecerunt ſe percuſſos;* ita ſe exhibuerunt, quaſi ab hoſtibus percuſſi reſiſtere non valerent.

SACCOS VETERES ASINIS IMPONENTES לחמוריהם Editiones quædam Septuaginta legunt: Ἐπὶ τῶν ὄνων αὐτῶν; *In aſinis ſuis;* aliæ: Ἐπὶ τῶν ὤμων αὐτῶν, *In humeris ſuis*. Utramque lectionem agnovit S. Auguſtinus (7); ſed eam quæ in noſtris Vulgatis legitur, prætulit.

UTRES VINARIOS SCISSOS ATQUE CONSUTOS. Hebræus (8): *Utres*, vel ſaccos coriaceos ad liquores continendos, *veteres, ſciſſos & colligatos*. Hodie pariter in Oriente familiares ſunt utres vel ſacci e corio hirci villoſo intus, & pice probe oblinitos, ut apti ſint ad continendum vinum & aſportandum.

℣. 5. CALCEAMENTA . . . . . PITTACIIS CONSUTA. Hebrææ voces adamuſſim ſonant ſandalia maculis

H aſper-

(1) כל המלכים אשר בעבר הירדן (2) Vide Deut. I. 24. 44. Joſue X. 6. Num. XIII. 30. (3) ובכל חוף הים הגדול אל מול הלבנון (4) פה אחד Septuag. ἅμα πάντες. Vide 3. Reg. ultim. 13. & 2. Par. XVIII. 12. Daniel. III. 51. Judit. VII. 12. (5) ויעשו גם המה בערמה וילכו ויצטירו (6) Legunt ויצטידו pro ויצטירו Septuag. in Edit. Complut. habent [illegible]; ſed legendum creditur, ut in Romana: ἐπεσιτίσαντο, Mſſ. Druſ. alii. (7) Aug. qu. 12. in Joſue. (8) ונאדות יין בלים ומבקעים ומצררים

aſperſa (1), & variis tincta coloribus, uti vellus arietis maculoſi (2). Sandalia igitur, vel calceamenta induerant variorum colorum, uti ſolent eſſe Itinerantium, luto & pulvere fœdata. Septuaginta: *Sandalia novis ſoleis ſarcita*.

Panes quoque, quos portabant ob viaticum, duri erant, et in frusta comminuti. Septuaginta: Ἄρτος καὶ ἐπισιτισμοῦ, βεβρωμένος, *Panes eorum viatici aridus, & cariem paſſus*, & corroſus; vel juxta Maſium, aridus & corruptus, vel mucidus. Aquila: Ξηρὸς ἐψαθυρωμένος, *Aridus, & areſactus* Symmachus: Ξηρὸς κεκαυμένος, *panis aridus, torridus*. Theodotion: ξηροὶ καὶ ἐσβρωμένοι, *aridus & corroſus*. Interpretes plerique reddunt Hebræum (3) *panes aridos & mucidos*, vel panes aduſtos, areſactos, & in micas redactos. Chaldæus, Jonathan. *Omnis panis viatici eorum ſiccus fuit ut obleæ* (4), vel uti placentulæ quædam maxime tenues & aridæ. Poſteriorem hanc interpretationem, noſtra quidem opinione præ ceteris optimam, argumentis nonnullis fulciendam ſuſcipimus.

Vocem Hebræam *nikkudim* deſignare panem mucidum, nullis probatur: conſtat autem, uſurpari perpetuo pro genere quodam panis, vel collyridæ delicatæ, tenuis & arentis. Eam ſignificationem tenet in tertio Regum xiv. 3. fatentibus omnibus qua Hebræis, qua Græcis, qua Latinis interpretibus (5). Cum Abias filius Jeroboami periculoſo morbo laboraret, Regina ejus mater viri ſui juſſu ementitis veſtibus, ne agnoſceretur, ad Prophetam ea de re miſſa eſt, admonuitque illam Jeroboamus: *Tolle in manu tua decem panes, cruſtulam, & vas mellis*. Septuaginta: *Et tolle in manu tua decem panes, & collyridas, & vas mellis*. Sunt autem collyridæ genus placentulæ delicatæ & ſubcinericiæ. In nonnullis codicibus Septuaginta legitur: *Tolle uvas & collyridas pro pueris*. Vatablus, & ex Interpretibus alii, docent, deſignari hic obleas, vel offas, quæ punctis ſeu figuris nonnullis ad elegantiam & pulchritudinem ornabantur; ex quo facile inditum eſt pani illi nomen *nikkudim*, ad literam, *punctati*, & maculoſi. Pincerna Pharaonis in Geneſi xl. 16. ſomnium ſuum narrans Joſepho, vidiſſe ſe dixit שלשה סלי חרי *tria caniſtra punctatorum*; quæ facile genus id panis deſignant. Agens Buxtorfius (6) de Azymis Judæorum in Feſto Paſchatis, deſcribit illos tenues, rotundos, ac varie apto in eam rem ferro perforatos. Placentulas ſubcinericias, & obleas *charurim* (7) ideo appellant Rabbini, quod varie perforentur.

Ut ad Textum Joſue regrediamur, ita totus commode exponitur: Totus panis, quem ſibi in iter ſumpſerant, aridus erat tamquam placentulæ. Et in ℣. 12. *Panes, quando egreſſi ſumus de domibus noſtris, calidos ſumpſimus, nunc autem ſicci facti ſunt*, veluti placentulæ. Hanc interpretationem Hebræa ſyntaxis expoſtulat; cum enim *nikkudim* plurale ſit, & verbum *erat*, ſicut & nomen *lechem*, panis, ſingulare, inepte prorſus diceretur: Panis ſiccus eſt, & ſunt mucidi; viciſſim autem ſatis congruet Hebrææ ſyntaxi: *Panis eſt ſiccus & obleæ*, ideſt, velut obleæ. Adde quod ℣. 14. legitur, Iſraelitas *accepiſſe de cibariis Gabaonitarum*, nec ſane in alium uſum accepiſſe credendi ſunt, quam ut de illis una cum novis sociis deguſtarent in ſignum fœderis. Quis autem de pane ſicco & mucido guſtet? de ſicco quidem minus incongrue idem reputetur, ſiquidem bonus ſit panis, & ideo ſaltem guſtandus, ut ſymbolum quoddam unionis exhibeatur, quo ſcilicet affirmari poſſit, utroſque ſocios e communi pane guſtaſſe.

℣. 6. Atque simul omni Israeli. Hebræus ואל איש ישראל *Et ad viros ſingulos Iſrael*, vel *ad optimates Iſraelis*. Viros principes Iſraelis, quibus occurrerunt, prenſantes Gabaonitæ pluribus rogabant, exprimentes verbis quanto deſiderio ineundi cum ipſis fœderis tenerentur. Id autem ab illis præſtitum eſt, antequam deducerentur ad Joſue; illiſque precantibus reſponderunt Iſraelitæ ea quæ leguntur ℣. 7. Hæc autem omnia geſta ſunt antequam Joſue ipſos alloqueretur.

℣. 7. Ne forte in terra, quæ nobis sorte debetur, habitetis, et non possimus fœdus inire vobiscum. Edocti erant Gabaonitæ de præcepto a Deo Iſraelitis tradito, ut incolas Chanaanitidis omnes delerent (8); ſicut & de lato Iſraelitis ipſis interdicto, nequid fœderis cum gentibus illis inirent: quare e diſſita regione veniſſe ſe ſimularunt. Hebræi viciſſim metuentes, nequid adverſus Dei juſſa committerent, requiſierunt ab illis, utrum ex incolis Chanaanitidis eſſent, quos nec in amicos accipere, nec inter fœderatos poſſent (9); cum admitti ad iſta non poſſent Chananæi, niſi gravibus conditionibus, & illa præſertim, ut Religionem mutarent, ſubirentque Iſraelitarum ſervitutem.

℣. 8. Servi tui sumus. Officio quodam ita loquuntur Gabaonitæ, cum alieni eſſent a ſubeundo Hebræorum jugo; ſi etenim illud ſponte admiſiſſent, cur dolo & fallacia circumveniendum Joſue ſuſciperent?

℣. 9. Venerunt servi tui in nomine Domini; ideſt, ad famam prodigiorum, quæ Deus veſter operatus eſt. Ita pariter & de Regina Saba legimus, veniſſe illam ad inviſendum Salomonem *in nomine Domini* (10), ut oculis ſuis ea ſpectaret, quæ fama de Rege illo grandia referebat. Ita etiam Textus exponitur: Gabaonitæ venerunt, ut agnoſcerent verum Deum, ejuſque Religioni ſeſe ſubmitterent, nomen adorarent, ejuſdemque populo conjungerentur (11).

Cunctaque quæ fecit in ægypto. Nihil illi de rebus paulo antea geſtis in expugnatione Jerichuntis & Hai, ne ſcilicet dicta ſua contrario indicio proderent; veniſſe enim dixerunt ſe e longinqua regione, quo certe illarum rerum fama adhuc perveniſſe non poterat.

℣. 14. Susceperunt igitur de cibariis eorum, ex illis guſtaturi, in ſymbolum pacis & amicitiæ, pro veteri more gentibus omnibus communi. Dogma erat Pythagoræ: Ἅλα καὶ τράπεζαν μὴ παραβαίνειν, *Salem & menſam ne tranſgrediare*; ideſt, nihil committas præter leges amicitiæ, cujus ſymbolum ſal & menſa ſunt. Macedones in ſanctiſſimis quibuſque fœderibus e diviſo pane oblationem Diis ſtatuebant (12). Fœdera omnia inter Patriarchas, de quibus in Geneſi, nunquam convivio ſuo deſtituuntur. Jacob & Labanus, poſtquam amicitiæ ſanctiſſimum vinculum inter ſe ſacramenti religione ſtrinxere, ſimul cibum guſtant ſuper ſtruem illam lapidum, quam in monumentum juncti fœderis erexerunt (13). Iſaac & Abimelec pacem fœduſque inter ſe componentes, communes cibos capiunt (14). David in Pſalmo liv. 15. crimen exaggerans adverſariorum ſuorum, profitetur, toleraturum ſe illorum injurias & probra: quod autem ferebat acerbiſſime, illud erat, nimirum proditorem expertum fuiſſe eumdem, quem in amicis & convivis habebat. Violare *menſam hoſpitalitatis*, & prodere illum, qui

prius

[1] נקדים שלאות נעלות 70. κατασεσυλμματωμένα. Alius: ἐπιβελημένα ἔχοντα. [2] Vide Geneſ. xxx. 32. 33. 35. [3] יבש היה נקדים כל לחם צידם [4] יבש היה בסנים [5] Vide Interpretes ad loc. citatum, & Maſ. hic. [6] Buxtorf. Synag. Jud. c. 12. [7] Lexic. Munſt. in voce חררא [8] Exod. xxiii. 32. & xxxiv. 15. & Deut. vii. 2. *Percuties eas uſque ad internecionem, non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum.* [9] *Non poſſumus fœdus inire ſocialē, quo terra & plena libertas relinquerentur*, Grot. hic. [10] 3. Reg. 2. *Sed & Regina Saba, audita fama Salomonis, in nomine Domini venit, &c.* [11] Lyran. Serar. [12] Quint. Curt. l. 8. [13] Geneſ. xxxi. 54. [14] Gen. xxvi. 30.

prius fuerat in eadem menſa conviva; id tanquam inſigne perfidiæ crimen Veteres deteſtabantur (1).

Hebræum ita vertendum cenſent nonnulli (2): ויקחו מצירם *Receperunt de inſidiis eorum*; in laqueos ipſorum impegerunt, eorum verbis decepti ſunt. Acceperunt de illorum pane, ut ſedula inquiſitione perquirerent, utrum illa talis eſſet qualem eſſe ajebant, non vero, inquiunt illi, ut deguſtarent. Hæc Interpretes illi, eo poſito fundamento, quod panis ille aridus eſſet & mucidus: qua de re vide, quæ ſupra diſſeruimus.

OS DOMINI NON INTERROGAVERUNT. Conſulere neglexerunt Summum Sacerdotem, indutum Rationali cum Urim & Thummim (3), quibus veluti ſignis Deus alligaverat conſuetam voluntatis ſuæ revelationem. Pronum etiam fuerat Joſue Deum per ſe in tabernaculo interrogare: idem vero Deus permiſit latenti conſilio ſuo, ut cautiones haſce omnes negligerent. Vix autem ab ejus negligentiæ culpa Joſue & Seniores excuſentur.

℣. 15. FECIT JOSUE CUM EIS PACEM. Accepit illos amice & animo pacis, denique inter fœderatos admiſit. Sed numquid ſub pacis conditionibus admittere illos pro Chananæis agnitis non valuiſſet? Interdictum illud legis, nequid pacis, fœderis & conſuetudinis iniretur cum Chananæis, nonne ſtricte accipiendum erat? & poſt legis cautionem illam data Chananæis fides ſervanda erat intacta? Affirmativam ſententiam tuentes Interpretum plures (4) cenſent, Gabaonitas, qui fœdus per dolum ab Iſraelitis extorſerant, ut exteros ſe & diſſitæ regionis ſimularent, nullum ſibi jus vindicare potuiſſe, ut tandem agnitis fidem datam Hebræi ſervare tenerentur.

Malunt tamen alii (5), interdictum illud excipiendi Chananæos ſub quibuſcumque pacis conditionibus ita accipiendum eſſe, ut intra limites quoſdam & conditiones generalis illa lex definiretur; & quamquam ſanctionis ejuſdem verba omnia plane fœdus comprehendere videntur, continere tamen tacitas quaſdam conditiones, quas ſi reciperent Chananæi, admittere fas eſſet: e. g. ſi religione ſua ejurata ad Hebræorum ſacra tranſiiſſent, ſi antequam armis peterentur, ultro victas manus dediſſent, fidemque obligaſſent ſuam manendi ſubmiſſos & tributo obnoxios populo Domini. Hæc ſi admitterent, poſtularentque pacem, non modo petentibus poſſe, ſed concedi omnino debuiſſe. Nec deſunt qui credant, antequam arma inferrentur in illos, imperatum fuiſſe Hebræis, ut pacem offerrent; quod legitur in Deuteronomio xx. 10. *Si quando acceſſeris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem; ſi receperit & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea eſt, ſalvabitur, & ſerviet tibi ſub tributo*. Ipſe pariter Joſue opinionem hanc confirmat, narrans, ſupplicio ſe tradidiſſe Reges Chanaan, de quibus actum eſt Capite xi. 19. quia *Non fuit civitas, quæ ſe traderet filiis Iſrael, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon; omnes enim bellando cepit; Domini enim ſententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſrael, & caderent, & non mererentur ullam clementiam, ac perirent*. Innuitur hiſce verbis futurum fuiſſe, ut ſi gentes illæ omnes ultro jugum ſubiiſſent, extremum illud malum quod in caput illarum ſæviit, evitarent. Eo proceſſerunt nonnulli, ut vel ambigant, utrum cogendæ fuerint ad tributum, ſi forte ſuperſtitionibus ſuis abjectis, & Religioni ſe & imperio Iſraelitarum adjungerent. Profecto cum damnationis & anathematis cauſa ceſſaret, effectum etiam & cauſam ceſſare par erat. Exempla denique Rahab, & plurium ex Chananæis, quibus vita & res omnes conſervatæ ſunt, & cum quibus pariter Reges pietate maxime inſignes fœdus & inierunt, & ſanctiſſime retinuerunt, exempla, inquam, illa ſatis evincunt, Deum ita imperaſſe Chananæorum cædem, ut legem hanc ſuam æquiſſimis limitibus coarctaret. Una Theologorum omnium ſententia tenet, fas eſſe cum infidelibus inire fœdus, ſiquidem quæ Religionis ſunt, maneant in tuto. Æquiuri igitur jure tunc idem licebit, cum ea conditione pars infidelis admittitur, ſi infidelitatem & ſuperſtitionem ſuam deſerat.

Quod ad fraudem Chananæorum, qua Hebræorum religionem circumvenere, illud reputandum videtur, conciliatum ex illa fœdus nulla religione Joſue & Iſraelitas obligaſſe: quis enim fidei ſtare cogatur, quam fictam perſonam gerentibus dedit? Gabaonitæ per fraudem ementiti ſunt perſonam earum gentium, quibuſcum fœdus & amicitiam inire Iſraelitis fas erat; Iſraelitæ viciſſim fidem ſuam obligarunt ſervandi illis vitam, habendique inter amicos & ſocios, obligarunt, inquam, ea ſaltem conditione, ut tales eſſent reipſa, quales ſeſe prodebant: cum igitur illi falſum aſſeruiſſe arguuntur, pacta conventa prorſus pereunt, peritque orta itidem ex illis obligatio. Agnoverunt id non obſcure pariter Gabaonitæ, fatentes, jus eſſe Iſraelitis, nihil morantibus fœderis Religionem, de ſe pro arbitrio decernere: *Nunc in manu tua ſumus*, reponebant Joſue dolum exprobranti: *quod tibi bonum & rectum videtur, fac nobis* (6). Joſue vero, ut fraudem hanc illorum puniret, futuros omnes ſub maledictione pronunciavit, cogendoſque deinceps aquam & ligna in domum Domini convehere (7).

His tamen nequidquam obſtantibus, reputamus, Joſue nunquam citra crimen infidelitatis & injuriæ committere potuiſſe, ut ſemel initum cum Gabaonitis fœdus penitus abrumperet, hoſtium loco haberet, ac vitam adimeret (8). Dolus Gabaonitarum & error Joſue eo collimabant, ut in veris perſonis aliquid quod erat fictum conſiderarent, id nempe, quod exteros ſe dicerent. Si nihil ex eo refundebatur peccati in promiſſionem hanc Joſue, ſi Gabaonitæ, obtrudentes ſeſe velut exteros, nihil ultra obtinuerunt, quod non impetraturi fuiſſent, ſi omni abjecto dolo conditionem ſuam prodidiſſent; conſtabit utique, errorem illum minoris habendum fuiſſe, quam qui e graviſſimis perſonam reſpicientibus cenſendus eſſet. Paciſcatur quis cum homine qui numen & patriam mentitur: utrum continuo irrita ſint omnia, pactum, inſtrumentum? Demonſtratum eſt autem a nobis, integrum fuiſſe Hebræis fœdus componere cum Chananæis, perinde ac cum exteris æque omnibus, conditionibus tantum nonnullis diſcrepantibus: igitur inferendum eſt, iniquum maxima futurum fuiſſe, ut Gabaonitæ hoſtium loco haberentur, ſiquidem ipſi æquas conditiones ſponte admiſiſſent; atque ſi Joſue maledicto illos & ſervitute damnavit, id ab illo inflictum fuiſſe in pœnam doli, quam utique pœnam ſincerius & æquius agendo cum Hebræis evaſiſſent.

Adde, ſacramenti religionem & nominis Dei in teſtimonium fœderis hujus invocati ſanctitatem majorem fuiſſe, quam fas eſſet, ut Joſue datam ſub ea obteſtatione fidem deſereret (9). Poſt eam obligationem nihil æquius ſuccurrere poterat, quam ut novas conditiones Gabaonitis proponeret, innovaretque fœdus iis adſtrictum conditionibus, quas æquitas patiabatur. Demonſtravit poſtea Deus, quanta religione retineri vellet datam olim Gabaonitis fidem, cum Saul præpoſte-

(1) Eupirid. Hecub. (2) Vide Jonathan. Jun. &c. (3) Druſ. Cornel. Bonfr. Maſ. Jun. Piſc. (4) Toſtat. Serar. Magallian. apud Bonfr. Vide & Auguſt. qo. 13. in Joſue. (5) Ita Hebræi, & Maſius, Bonfr. Serar. Cornel. (6) Joſue IX. 25. (7) ℣. 23. (8) Vide Grot. l. 2. de Jure belli & pacis, c. XIII. art. 3. (9) *Joſue tamen pacem, quam dederat, revocandam non cenſuit, quia firmata erat ſacramenti religione, ne, dum alienam perfidiam arguit, ſuam fidem ſolveret.* Amb. Officior. l. 3. c. 10.

ro plane ſtudio plures ex iis neci tradidit. Deus enim tunc ſævam in Iſraelem luem immiſit; eamque graſſantem cohibere non prius datum eſt, quam poſt ſublatos & in crucem actos a Gabaonitis ſeptem ejuſdem Regis poſteros (1). Neceſſitas etiam quædam poſtulare videbatur, ut e Chananæis aliqui in regione perſeverarent, ut ſua fides conſtaret oraculo Noe, qui futurum pronunciavit, ut Chanaan poſterorum Sem jugum ſubiret (2).

Inito fœdere. Non male reputaverimus, fœdus iſtud ſanguine victimarum confirmatum fuiſſe, celebratumque ea ſolemnitate, quam rei granditas poſtulabat. In ſimilibus rerum eventibus dividi ſolebant victimæ, atque per medias illas ſolemni ritu contrahentes tranſibant. Vide Geneſim xv. 10. 17. Jerem. xxxiv. 18.

℣. 16. Poſt dies tres. Cum quinque fœderati Reges arma intuliſſent in Gabaonem, coacti Gabaonitæ venerunt opem Joſue imploratum, ſtatum ſuum & patriam ſincere revelantes.

Audierunt quod in vicino habitarent. Galgal a Gabaone octo circiter leucis diſtabat; Joſephus enim (3) Gabaonem conſtituit xl. vel l. ſtadiis ab Jeroſolymis, & cl. ſtadiis a Jerichunte (4); quare Jericho, cui Galgal accedebat proxime, ab Jeroſolymis ſex circiter leucis removenda erat; Jeroſolyma a Gabaone, duobus. Ceſſit urbs hæc Gabaon Sacerdotibus, cum Joſue regionem in Tribus diſtribuit (5); ibidemque diutius ſub Rege Davide & Salomone Tabernaculum Domini conſedit.

℣. 17. Die tertio, a confirmato ſacramenti religione fœdere, ac ipſa eadem die, qua Joſue certior factus eſt de Gabaonitarum diſcrimine, movit continuo; & cum tota nocte iter habuiſſet, mane quartæ diei pervenit Gabaonem. Cap. x. 9.

Caphira, Beroth, Cariathjarim, Urbes, quæ Tribui Benjamini ceſſerunt, excepta Cariathjarim, Urbe Tribus Juda.

℣. 18. Non percuſſerunt eos, eo quod juraſſent eis . . . in nomine Domini. Jam ſupra animadvertimus, non licuiſſe Hebræis ſive neci tradere Gabaonitas, ſive omni belli ſeveritate in illos ſævire tunc etiam, cum omni amoto dolo conditionem illi ſuam declaraſſent, ſi tamen deſerere Idololatriam, & jugum Iſraelitarum ſubire conſenſiſſent. Quare hic Scriptura non omnes quidem, ſed unam tantum e cauſis Hebræos removentibus a nece Gabaonitarum, religionem nempe ſacramenti, exprimit; neque inde continuo inferre licet, integrum fuiſſe necem illis inferre, niſi vitam ſacramento impetraſſent, etiam ſi ſuperſtitionem ſuam ejuraſſent, & eas quæ juſte imperari poterant, conditiones omnes admiſiſſent. Plus nimio tamen credibile eſt, Iſraelitas ad puniendum Gabaonitarum dolum inſita animi propenſione in extremam ſeveritatem declinaturos fuiſſe, niſi inito fœdere, obteſtatione Divini nominis, retinerentur. Hic autem ſtatuimus, contra plurium Interpretum opinionem ſacramentum illud Hebræorum & juſtum fuiſſe, & Religionis vinculo animos obligaſſe. Quibus alia ſedet opinio, ii cenſent, re ipſa quidem nullum fuiſſe hujus ſacramenti vinculum, quare nulla ejus religione obligatos fuiſſe Iſraelitas; quemadmodum ſolvere nemo cogitur, quod per errorem pro re, quam non emit (6), ſeſe daturum ſpopondit.

Expendere hic juvat, quanta religione veteres Hebræi erga ſacramenta tenerentur. Mentibus ſummo erga nomen Dei obſequio occupatis, difficile, multaque adhibita cautione jurabant; juratam vero fidem ſanctiſſime cuſtodiebant, tunc etiam cum cauſatione aliqua ſpecioſa ad eam abjiciendam induci potuiſſent. Eam animi habitudinem in Iſraelitis compertas habentes Gabaonitæ, commodiſſimum rebus ſuis futurum arbitrati ſunt, ſi vel per dolum ad ſacramentum illos inducerent. *Nondum hæc*, ut verbis Livii (7) apte in rem noſtram utar, *quæ nunc tenet ſæculum, negligentia Dei venerat, nec interpretando ſibi quiſque jusjurandum & leges aptas faciebat, ſed ſuos potius mores ad eas accommodabat.*

Murmuravit omnis vulgus in Principes, fœderis hujus cum Gabaonitis initi Authores. Infimum vulgus nihil curans juſtitiam, cauſaſque fœderis, rerum ſuarum commodum unice ſpectabat; tamquam jacturam reſpiciens quidquid amittebat e ſpoliis ex Urbe & regione Gabaonitarum referendis.

℣. 21. Sed ſic vivant, ut in uſus univerſæ multitudinis ligna cædant, aquaque comportent. Hebræus ad literam: *Dixerunt ad eos Principes: Vivant, & ſint ſcindentes ligna & haurientes aquas omni conventui.* Malum hoc e capite ſuo prius avertere potuiſſent Gabaonitæ, ſi conditionem ſuam ſincere faſſi, in fidem Hebræorum ſeſe dediſſent: tunc vero perinde habiti ſunt, ac ſi bello capti eſſent, quibus ideo vita conſervatur, ut commodo ſint ſervitute ſua hoſtibus. Jubentur ſervire populo, & aquam ac ligna caſtris & tabernaculo ſufficere, caſtris quidem, quoadusque Iſrael in ſedes ſuas non migravit, & agmen perſeveravit in expeditione; Tabernaculo, ſtatim ac certam ſedem obtinuit, & Iſraelitæ in ſortes quique ſuas immiſſi ſunt. Hæc tamen a Gabaonitis præſtita in commodum Iſraelitarum, mercede ſua penitus caruiſſe non credimus (8): miniſtrabant mercede conducti, non tamen liberum illis erat, ut a ſervitio ſeſe eximerent; cogebanturque continere ſe in infima illa lixarum conditione, ut ad ſuperiorem aſcendere non poſſent: ſunt enim inter calones omnes viliſſimi atque miſerrimæ conditionis portitores aquarum, & lignorum ſciſſores, uti Veterum (9) ac Scripturæ teſtimonio probatur (10). In agminibus Regum Orientis, ad id muneris, convehendas ſcilicet aquas, viliſſima quæque mancipia deſtinantur (11). Non ſatis compertum eſt, utrum ſententiam hanc in Galgal, vel tantum Gabaone, poſt exploratam regionem Gabaonitarum, Joſue pronunciaverit. Multo tamen vero propius videtur, hæc omnia geſta fuiſſe in Galgal, ut certior factus eſt populus, Gabaonitas ex Chananæis eſſe, eorumque occaſione grave bellum in quinque fœderatos Reges eſſe gerendum.

℣. 23. Sub maledictione eritis. Hebr. ועתה ארורים אתם. *Et nunc maledicti vos*; e numero illorum eſtis, qui maledictis devoventur; vel dignos vos præbuiſtis omni genere maledictionis, quod nos implicaveritis ſacramento, & fœdere nunquam a nobis ſervando, quin ſimul Dei juſſiones tranſgrediamur; niſi forte id vos pati volueritis, ut & avitam Religionem deſeratis, & imperio noſtro ſubjiciamini. Vel potius; Subjecti manebitis maledicto ſervitutis, ac viliſſimorum mancipiorum muneri per totam vitam addicti.

Non deficiet de ſtirpe veſtra ligna cædens, aquaque comportans in domum Dei mei. Deſtinat Joſue Gabaonitas, eorumque poſteros ſervitiis Domini in Tabernaculo, ac Templo; imperatum eſt illis, ut famulentur Levitis, ac viliſſima quæque & laborioſiſſima in uſum exteriorem Templi exhibeant. Hæc autem obeuntes, ſupplent quodammodo vices Iſraelitarum, ex quibus id utique exigebatur, ut aquas deferrent, ſcinderentque ligna in uſum Domus Dei ſui. Nec aliud forte ſonant illa, ℣. 21. *In uſus univerſæ multitudinis ligna cædant &c.* ideſt, id muneris obeant in

(1) 3. Reg. xxi. 1. 2. & ſeq. (2) Gen. 12. 25. (3) Joſeph. Antiq. l. 7. c. 10. numerat quadraginta ſtadia, & l. 2. de bello, c. 37. quinquaginta. (4) Joſeph. l. 4. de Bello c. 27. (5) Joſue xxi. 17. (6) Maſius hic, Serar. Toſt. (7) Livius l. 3. Vide Grot. hic. (8) Vide Serar. qu. 17. Neheman. in Maſ. (9) Athæneus l. 10. c. 22. (10) Deut. xxix. 11. (11) Bernier, Lettres de l'etat d'Indouſtan, p. 205. 207.

in Tabernaculo, quod alioqui a populo exhibendum eſſet (1).

Quamquam autem unum hoc munus Gabaonitarum, ferendi ſcilicet aquas, & ſcindendi ligna, hic exprimitur; alia tamen ex illis petita fuiſſe credimus, ut neceſſitas, & rerum circumſtantiæ exigebant. Ita e. g. cum Salomon Templi ædificium aggreſſus eſt, Gabaonitæ cenſentur e numero illorum CL. millium Proſelytorum, qui cædendis dolandiſque lapidibus, ac ferendis oneribus in uſum ædificii addicti ſunt (2).

Ex quo vero Gabaonitæ ſubmiſſi ſunt, Urbes illorum, & agri omnes ad Iſraelitas devenere. Gabaon ceſſit Sacerdotibus; loca vero cætera, quæ Urbi illi parebant, Tribubus Juda, & Beniamin aſſignata ſunt; tandem Gabaonitas diſperdere per Iſraelem viſum eſt, ac præſertim per Urbes Sacerdotum, & Levitarum, quorum tamquam miniſtri, & famuli habebantur. Non immerito reputaverimus, ſerviiſſe illos Templo per vices, vel per ſemeſtres, uti de Sacerdotibus, & Levitis memoriæ proditum eſt. De Gabaonitis nihil ſatis apertum occurrit in Scriptura poſt Regnum Davidis. Multa illi perpeſſi, & ex commota in ſe Saulis perſecutione plurimum imminuti erant: id autem facile Davidem, & Principes Iſraelis permovit, ut miniſterio Domus Domini ſervos, Nathinæos appellatos, addicerent. Poſt ſolutam captivitatem, non tantum Gabaonitæ nullibi apparent, ſed & munera illorum obiiſſe populus videtur. Judæi enim ſufficiebant ligna Templo; defectui autem aquarum per rivulos eo deductos proviſum eſt. Meminit Joſephus (3) *Xylophoriæ*, Feſti ſcilicet, quo ſolemni ritu ingens lignorum copia deferebatur in uſum Altaris, & culinarum Templi. Non unus ex Authoribus agit (4) de fonte ejuſdem loci: ita autem levabantur Gabaonitæ onere ſibi ante captivitatem impoſito, aquas, & ligna in uſum Sacrum convehendi. Legimus in Eſdra (5): *Sortes miſimus ſuper oblationes lignorum, inter Sacerdotes, & Levitas, & populum, ut inferrentur in domum Dei noſtri per domos patrum noſtrorum*. His omnibus perſuademur, Gabaonitas, ſiqui ex illis adhuc ſupererant, levatos fuiſſe parte ſaltem onerum, immutandumque aliquid viſum fuiſſe de vetere illa ſanctione, qua David olim, & Salomon Templi miniſteria direxerant.

℣. 25. Nunc in manu tua sumus. Agnoſcunt non modo in Joſue majus robur & authoritatem; ſed fatentur etiam, ita ſe cum illo egiſſe, ut pœnæ aliquid ex dolo mereantur: permittunt autem rem totam ipſius juſtitiæ, & æquitati. Vim fœderis, & ſacramenti adverſus illum non urgent; quin & renunciare videntur omnibus, quæcumque in favorem ſuum ex illis cederent, utpote qui omnia ea commoda fraude, & mendacio retulerint.

℣. 27. Usque in præsens tampus in loco quem Dominus elegisset. Nihil ex hoc Textu inferendum eſt, ex quo Libri hujus Author innoteſcat, niſi illud tantum, ejus ſcilicet ætate Gabaonitas vacaſſe operibus in loco, quicumque tandem is eſſet, quem ſibi Dominus elegerat: congruunt hæc omni æque ætati, Joſue, Judicum, Davidis & Salomonis.

(1) Vide Bonf. ℣. 20. 21. (2) 1. Paral. 11. 17 18. & 2. Paral. xvii. 1. (3) Joſeph. lib. 2. de Bello c. 17. (4) Tacit. lib. 5 Hiſtor. Eupolem. apud Euſeb. lib. 9. Præpar. Ariſtæas de Septuag. Interp. (5) 2. Eſd. x. 14.

CAPUT X.

Gabaon a quinque Regibus Chananæis obſidetur: Joſue in ejus auxilium convolat: Solem remoratur: integram victoriam refert de iis Regibus, quos neci traditos, tum in crucem agi jubet. Poſt victoriam, Urbes Macedam, Lebnam, Lachis, Eglonem, Hebronem, Dabir, aliaſque nonnullas ſubmittit.

℣. 1. QUæ cum audiſſet Adoniſedec rex Jeruſalem, quod ſcilicet cepiſſet Joſue
Hai, & ſubvertiſſet eam (ſicut enim fecerat Jericho, & regi ejus, ſic
fecit Hai, & regi illius) & quod transfugiſſent Gabaonitæ ad Iſrael, &
eſſent fœderati eorum, 2. Timuit valde. Urbs enim magna erat Gabaon, & una
civitatum regalium, & major oppido Hai, omneſque bellatores ejus fortiſſimi. 3. Mi-
ſit ergo Adoniſedec rex Jeruſalem ad Oham regem Hebron, & ad Pharam regem Je-
rimoth, ad Japhia quoque regem Lachis, & ad Dabir regem Eglon, dicens: 4. Ad
me aſcendite, & ferte præſidium, ut expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Jo-
ſue, & ad filios Iſrael. 5. Congregati igitur aſcenderunt quinque reges Amorrhæo-
rum, rex Jeruſalem, rex Hebron, rex Jerimoth, rex Lachis, rex Eglon, ſimul cum
exercitibus ſuis, & caſtrametati ſunt circa Gabaon, oppugnantes eam. 6. Habitato-
res autem Gabaon urbis obſeſſæ miſerunt ad Joſue, qui tunc morabatur in caſtris
apud Galgalam, & dixerunt ei: Ne retrahas manus tuas ab auxilio ſervorum tuo-
rum: aſcende cito, & libera nos, ferque præſidium: convenerunt enim adverſum nos
omnes reges Amorrhæorum, qui habitant in montanis. 7. Aſcenditque Joſue de Gal-
galis, & omnis exercitus bellatorum cum eo, viri fortiſſimi. 8. Dixitque Dominus
ad Joſue: Ne timeas eos: in manus enim tuas tradidi illos: nullus ex eis tibi reſi-
ſtere poterit. 9. Irruit itaque Joſue ſuper eos repente, tota nocte aſcendens de Gal-
galis, 10. Et conturbavit eos Dominus a facie Iſrael: contrivitque plaga magna in
Gabaon, ac perſecutus eſt eos per viam aſcenſus Beth-horon, & percuſſit uſque Azeca,

& Maceda: 11. Cumque fugerent filios Iſrael, & eſſent in deſcenſu Beth-horon,
Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo uſque ad Azeca: & mortui ſunt
multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percuſſerant filii Iſrael. 12.
Tunc locutus eſt Joſue Domino, in die, qua tradidit Amorrhæum in conſpectu filio-
rum Iſrael, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra val-
lem Ajalon. 13. Steteruntque Sol, & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis
ſuis. Nonne ſcriptum eſt hoc in libro juſtorum? Stetit itaque Sol in medio cœli, &
non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei. 14. Non fuit antea, nec poſtea tam lon-
ga dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael. 15. Reverſuſque
eſt Joſue cum omni Iſrael in caſtra Galgalæ. 16. Fugerant enim quinque reges, &
ſe abſconderant in ſpelunca urbis Maceda. 17. Nuntiatumque eſt Joſue, quod inven-
ti eſſent quinque reges latentes in ſpelunca urbis Maceda, 18. Qui præcipit ſociis,
& ait: Volvite ſaxa ingentia ad os ſpeluncæ, & ponite viros induſtrios, qui clauſos
cuſtodiant: 19. Vos autem nolite ſtare, ſed perſequimini hoſtes, & extremos quoſ-
que fugientium cædite: nec dimittatis eos urbium ſuarum intrare præſidia, quos tra-
didit Dominus Deus in manus veſtras. 20. Cæſis ergo adverſariis plaga magna, &
uſque ad internecionem pene conſumptis, hi, qui Iſrael effugere potuerunt, ingreſſi
ſunt civitates munitas. 21. Reverſuſque eſt omnis exercitus ad Joſue in Maceda, ubi
tunc erant caſtra, ſani, & integro numero: nulluſque contra filios Iſrael mutire au-
ſus eſt. 22. Præcepitque Joſue, dicens: Aperite os ſpeluncæ, & producite ad me
quinque reges, qui in ea latitant. 23. Feceruntque miniſtri, ut ſibi fuerat impera-
tum: & eduxerunt ad eum quinque reges de ſpelunca, regem Jeruſalem, regem He-
bron, regem Jerimoth, regem Lachis, regem Eglon. 24. Cumque educti eſſent ad
eum, vocavit omnes viros Iſrael, & ait ad principes exercitus, qui ſecum erant: Ite,
& ponite pedes ſuper colla regum iſtorum. Qui cum perrexiſſent, & ſubjectorum
colla pedibus calcarent, 25. Rurſum ait ad eos: Nolite timere, nec paveatis, con-
fortamini, & eſtote robuſti: ſic enim faciet Dominus cunctis hoſtibus veſtris, adver-
ſus quos dimicatis. 26. Percuſſitque Joſue, & interfecit eos, atque ſuſpendit ſicut
quinque ſtipites: fueruntque ſuſpenſi ſuper ad veſperum. 27. Cumque occumberet
ſol, præcepit ſociis, ut deponerent eos de patibulis. Qui depoſitos projecerunt in ſpe-
luncam, in qua latuerant, & poſuerunt ſuper os ejus ſaxa ingentia, quæ permanent
uſque in præſens. 28. Eodem quoque die Macedam cepit Joſue, & percuſſit eam
in ore gladii, regemque illius interfecit, & omnes habitatores ejus: non dimiſit in
ea ſaltem parvas reliquias. Fecitque regi Maceda, ſicut fecerat regi Jericho. 29. Tran-
ſivit autem cum omni Iſrael de Maceda in Lebna, & pugnabat contra eam: 30. Quam
tradidit Dominus cum rege ſuo in manus Iſrael: percuſſeruntque urbem in ore gla-
dii, & omnes habitatores ejus. Non dimiſerunt in ea ullas reliquias. Feceruntque regi
Lebna, ſicut fecerant regi Jericho. 31. De Lebna tranſivit in Lachis cum omni Iſ-
rael: & exercitu per gyrum diſpoſito oppugnabat eam. 32. Tradiditque Dominus La-
chis in manus Iſrael, & cepit eam die altero, atque percuſſit in ore gladii, omnem-
que animam, quæ fuerat in ea, ſicut fecerat Lebna. 33. Eo tempore aſcendit Ho-
ram rex Gazer, ut auxiliaretur Lachis: quem percuſſit Joſue cum omni populo ejus
uſque ad internecionem. 34. Tranſivitque de Lachis in Eglon, & circumdedit, 35.
Atque expugnavit eam eadem die: percuſſitque in ore gladii omnes animas, quæ erant
in ea, juxta omnia, quæ fecerat Lachis. 36. Aſcendit quoque cum omni Iſrael de
Eglon in Hebron, & pugnavit contra eam. 37. Cepit eam, & percuſſit in ore gla-
dii, regem quoque ejus, & omnia oppida regionis illius, univerſaſque animas, quæ in
ea fuerant commoratæ: non reliquit in ea ullas reliquias, ſicut fecerat Eglon, ſic fe-
cit & Hebron, cuncta, quæ in ea reperit, conſumens gladio. 38. Inde reverſus in Da-
bir, 39. Cepit eam, atque vaſtavit: regem quoque ejus, atque omnia per circuitum
oppida percuſſit in ore gladii: non dimiſit in ea ullas reliquias, ſicut fecerat Hebron,
& Lebna, & regibus earum, ſic fecit Dabir, & regi illius. 40. Percuſſit itaque Joſue
omnem Terram montanam, & meridianam, atque campeſtrem, & Aſedoth cum regi-
bus ſuis: non dimiſit in ea ullas reliquias, ſed omne, quod ſpirare poterat, interfecit,
ſicut præceperat ei Dominus Deus Iſrael, 41. A Cadesbarne uſque Gazan. Omnem
terram Goſen uſque Gabaon, 42. Univerſoſque reges, & regiones eorum, uno impetu
cepit, atque vaſtavit; Dominus enim Deus Iſrael pugnavit pro eo. 43. Reverſuſque
eſt cum omni Iſrael ad locum caſtrorum in Galgala.

℣. 1. Ado-

℣. 1. ADONISEDEC REX JERUSALEM. Septuaginta pro *Adoniſedec* legunt *Adonibeſech*, quod nomen eſt Principis Chananæi in *Beſech* regnantis, de quo in Libro Judicum I. 4. 5. Regnabat Adoniſedec in Jeruſalem, ejuſque nomen exprimit, *Dominus juſtitiæ*; ſimili ferme ſignificatione ac *Melchiſedech*, quod nomen erat unius ex ejus prædeceſſoribus, ſonans, *Rex juſtitiæ*. Nomini Regum Jeruſalem addebatur *Zedec*; reputatque non temere Maſius, Urbem illam olim duplex nomen *Zedec*, & *Salem* obtinuiſſe. Bellum hoc quinque fœderatorum Regum in Gabaonitas, conſignari poteſt ad tertiam diem (1) a fœdere populi cum Joſue inito. Quinque autem illi Principes finitima habebant imperia; reputaruntque ſolicita ſibi cautione Gabaonem opprimendam eſſe, antequam ſatis temporis nacta ea Urbs, auxilia Iſraelitarum procuraret. Metu autem prohibiti ſunt, ne recta tenderent in Iſraelitas; meliuſque ſibi rem ceſſuram arbitrabantur, ſi aggreſſi fœderatos ipſis Gabaonitas, deſertionem communis cauſæ punirant, prævenirentque perniciem illam, quæ e pravo illorum exemplo cæteris per Chananitidem gentibus exhibito timeri potuiſſet. Rex Jeruſalem, cujus erat ditio urbibus Hai, & Gabaoni maxime proxima, ſolicitior cæteris, cautiones omnes in Iſraelitas occupavit, quippe cui ex armis illorum periculum majus, & præſentiſſimum eſſet.

QUOD TRANSFUGISSENT GABAONITÆ AD ISRAEL, ET ESSENT FOEDERATI EORUM, Hebræus ad literam (2): *Quod pacem feciſſent habitatores Gabaon cum Iſrael, & eſſent in interiore eorum*. Compoſito ſcilicet cum Iſraele fœdere, Urbes illi ſuas tradituros aſſe; vel Gabaonitas ipſos admittendos eſſe in Iſraelem tamquam gentem fœderatam, ſociam, & amicam, vel tamquam populum, qui in eamdem legem & religionem tranſiiſſet, ut cum Iſraele in unum veluti corpus coaluiſſe videretur. Phraſis illa, *Eſſent in interiore eorum*, deſignare poteſt, ſeu Iſraelitas admittendos fuiſſe in urbes Gabaonitarum, ſeu Gabaonitas inter Hebræos.

℣. 2. UNA CIVITATUM REGALIUM. Nullibi tamen legimus, urbi illi ſuum fuiſſe Regem peculiarem, Gabaonitæ Joſue convenientes, ut fœdus cum illo procurarent, non a Rege ſe miſſos, ſed a Senioribus veniſſe profeſſi ſunt (3): *Seniores & habitatores terræ noſtræ*. Propterea Textus Hebræus, Chaldæus, Septuaginta legunt tantum: *Quaſi una ex iis, quæ ſunt Metropoles* (4), Nihil ſcilicet Regiis Urbibus concedebat.

OMNESQUE BELLATORES EJUS FORTISSIMI. Hebreus, כל אנשים גברים, *Et omnes viri ejus fortes*. Strenui nempe milites; quare non imbecillitate animi, non timore ad fœdus cum Hebræis procurandum inducti credendi ſunt; ſed ſolers quædam prudentia, ſapiens quædam prudentia, & politica cautio, quanto in periculo verſarentur, & viam qua ſe ſubducerent, illis demonſtravit (5).

℣. 3. AD OHAM REGEM HEBRON. Septuaginta: *Ad Elam Regem Hebron*. Sita erat Hebron in montibus ad meridiem Chananitidis, aberatque octo vel decem leucis circiter ab Jeroſolymis (6), in ſorte Tribus Juda.

JERIMOTH. Geminæ hujus nominis Urbes innotuerunt, altera quidem in Tribu Juda, alia in Tribu Iſſachar (7): illa quatuor mille paſſibus ab Eleutheropoli (8), & circiter ſex leucis ab Jeroſolymis diſtabat.

LACHIS, Urbs VII. millibus paſſuum vel tribus leucis ab Eleutheropoli, meridiem verſus (9). In Scriptura maxime celebratur. Hic Amaſias Rex Juda proditione ſuorum interfectus eſt (10). Obſidionem Sennacheribi tulit (11); tulit etiam diutius Nabuchodonoſoris arma (12), quibus tandem victa ceſſit.

DABIR REGEM EGLON. Septuaginta: *Dabir Regem Odollam*. Docet Euſebius, Eglonem alio nomine appellatam fuiſſe *Odollam*; ætate autem ſua ingens fuiſſe oppidum, XII. millibus paſſuum ab Eleutheropoli, orientem verſus. Poſterior autem hæc Urbs, cujus ſæpe recurret ſermo, cum ab Euſebio & S. Hieronymo conſtituatur veluti punctum certum, ex quo dimenſiones ſuas geographicas fere omnes ducunt, jacebat, ex Antonini Itinerario, XX. millibus paſſuum ab Jeroſolymis, meridiem verſus. Quod tamen ipſe affirmat de Eglone & Odollam, tamquam duo eſſent unius Urbis nomina, non ita facile admittendum cenſemus, cum duo hæc geminas Urbes plane diſtinctas exhibeant, capite XV. 35. 39.

℣. 4. QUARE TRANSFUGERIT. Hebr. השלימה את יהושע *Quia pacem fecit cum Joſue*. Vide ſupra ℣. 1.

℣. 5. QUINQUE REGES AMORRHÆORUM. Nomen *Amorrhæorum* ſæpe pro Chananæis uſurpatur. Scitum eſt autem, Amorrhæos occupaſſe montes terræ Promiſſionis meridionales; ſed & illud pariter conſtat, Urbem Jeruſalem Jebuſæos tenuiſſe (13) Hebronem Hethæos (14). Gabaonitæ, qui ex Hevæis erant, Amorrhei interdum appellati ſunt (15). Viri illi ad Joſue legati, expoſuerunt, undique ſe infeſtis Regum Amorrhæorum armia peti, ideo ſcilicet quod vel reipſa putarint, Reges omnes tractus meridionalis Chananitidis arma adverſus ſe conjunxiſſe, ſiva quod granditatem periculi ſui exaggerarint, ut Hebræorum auxilia ſolicitarent. In fine hujus capitis intelliget lector, alios fuiſſe in montibus Reges, qui in partem fœderis adverſus Gabaonitas non venerant.

℣. 9. TOTA NOCTE ASCENDENS DE GALGALIS. Inter Galgalam & Gabaonem tractus erat, uti jam innuimus, octo leucarum circiter; profectione ſua nova ac inſperata Joſue inopinato ſupervenit hoſtibus, qui proinde ſubito terrore turbati, ſatis temporis non habuere, ut a metu ſeſe reciperent.

℣. 10. CONTURBAVIT EOS DOMINUS A FACIE ISRAEL. Reddi poſſet Hebræus (16). *Fregit illos*, vel fugavit, vel tandem corripuit terrore. Septuaginta; Ἐξέστησεν αὐτοὺς, *Exturbavit eos Dominus*, vel terrore proſtravit. Immiſſurum ſe Deus ſpoponderat ſpiritum vertiginis & terroris in corda Chananæorum (17).

PER VIAM ASCENSUS BETHORON. Duæ ſunt Urbes ejuſdem nominis, & in Tribu Ephraim ambæ (18): altera appellabatur Bethoron ſuperior, altera inferior. Utramque ſeu condidit ſeu reſtituit *Sara* e Tribu Ephraim (19) mulier. Earum ſitus non ſatis exploratus eſt; una tamen ex illis ad meridiem jacuiſſe videtur, altera ad Septemtrionem ſortis Ephraim, tanto inter ſe diſtantes intervallo, quanta erat latitudo ſoli ejuſdem Tribus. Bethoron inferior aberat ab Jeroſolymis, XII. millibus paſſuum, vel centum ſtadiis, teſte Ioſepho (20) & Euſebio; quamquam uterque non ſatis diſtinguit, utrum de Bethoron ſuperiori, an inferiori hoc intelligendum ſit. De inferiori nos dictum reputamus, quippe quæ urbs aſſet ad Septemtrionem Ephraim, & fines Benjamin attingens

(1) Vide ſupra IX. 16. 17. (2) כי השלימו ישבי גבעון את ישראל ויהיו בקרבם (3) Joſue IX. 11. (4) כאחת ערי הממלכה Septuag. ὡσεὶ μία τῶν μητροπόλεων τῶν βασιλέων. (5) Vide cap. IX. 3. 4. (6) S. Hieron. & Euſebius XXII. millibus paſſuum ab Jeroſolymis locant; Sozomenus, XXXI. Itinerarium Burdigalenſe, XXXII. Vide Cellar. l. 3. c. 17. p. 547. & Bonfr. Onomaſt. (7) Joſue XXI. 29. (8) Hieronym. in locis. (9) Euſeb. & Hieron. ibid. (10) 4. Reg. XIV. (11) 4. Reg. XVIII. 14. 17. (12) Jerem. XXXIV. 7. (13) Joſue XV. 63. (14) Geneſ. XXIII. 2. 3. & XXV. 9. 10. (15) 2. Reg. XXI. 2. (16) ויהמם יהוה לפני ישראל (17) Exod. XXIII. 27. *Terrorem meum mittam in præcurſum tuum.* (18) Joſue XVI. 3. 5. (19) 1. Par. VII. 24. *Filia ejus*, [Beria] *fuit Sara, quæ ædificavit Bethoron inferiorem & ſuperiorem.* (20) Lib. 20. Antiq. c. 4. collatum cum lib. 2. de Bello c. 20.

Digitized by Google

gens (1). Septuaginta & vetus quidam Interpres Bethoronem appellant *Oronim*.

Percussit usque Azeca, et Maceda. Quinque illi Reges fugam arripuerant regionem ſuam verſus, proceſſeruntque Gabaone Azecam & Macedam verſus, quæ duæ Urbes deinde Tribui Juda ceſſerunt. Affirmat Euſebius, Macedam octies mille paſſibus ab Eleutheropoli Orientem verſus abfuiſſe; de Azeca vero nihil definit. Sed Azecam proxime acceſſiſſe ad Soco, intelligimus ex primo Regum xvii. 1. Exercitus enim Philiſthæorum inter Soco & Azecam caſtra locaverat. Erat autem Soco urbs ad Septemtrionem, & novem millibus paſſuum ab Eleutheropoli; Azeca tamen ulterius ad Septemtrionem jacuiſſe videtur.

℣. 11. Dominus misit super eos lapides magnos de cælo. Scriptores Commentariorum pleríque dictum hoc accipiunt de pluvia grandinis, extraordinariæ magnitudinis, & duriſſimæ. Alii literam retinendam cenſent. Vide noſtram Diſſertationem in hanc narrationem. Hæc lapidum procella ſævit in Chananæos a clivo Bethoron uſque ad Azecam, ſpatio circiter leucarum quatuor itineris. Abacuc iii. 11. Joſephus (2) narrant, fugientibus tum Chananæis fulgura pariter, & fulmina terrorem addidiſſe: qua de re tamen nihil Scriptura. Arnob. l. 1. *in litteris priſcis comprehenſum, imbres ſaxeos totas ſæpe comminuiſſe regiones.*

℣. 12. Tunc locutus est Josue Domino. Ruere in fugam hoſtes cernens Joſue, veritusque ne ſatis temporis haberet, quo fugientes inſequens penitus deleret, ad Dominum ſeſe convertit, & fiducia plenus, univerſo audiente Iſraele, imperavit: *Sol ne movearis &c.* (3). Chaldæus, & poſt illum Judæi pleríque, illud quod legitur in Textu, *Dixit*, accipiunt pro, *laudavit*, exaltavit, vel cecinit hymnum hunc: *Sol ne movearis &c.* Epinicii genus hoc erat, eoixas ſimul preces continens, quas preces mox ſtatim res ſecuta eſt.

Sol contra Gabaon ne movearis, et Luna contra vallem Ajalon. Hebræus ad litteram (4): *Sol in Gabaon ſile, & luna in valle Ajalon.* Pugnam inſtituit Joſue mane ejus diei, hoſtes fugavit, fugienteſque per horas aliquot inſecutus eſt ſatis longe ab Urbe Gabaone, uſque ad clivum Bethoron. Tunc autem Sol curſus ſui medium tenebat, vel, ut Scripturæ ℣. 13. phraſi utar, Sol erat *in medio Cœli*. Imperavit aſtro Joſue, ut ſiſteret ſe ſuper Gabaonem. Cum enim hoſtes ab Oriente in Occidentem fuga peterent, verſabatur tunc Dux ille ad Occidentem Gabaonis, vertitque faciem ſuam retro ad Urbem, ut aſtro imperaret. Eodem ſimul tempore creditur luna ſuper vallem Ajalonis emicuiſſe, quamquam nihil in ea re certi conſtat. Merito etiam ambigitur, utrum Luna tunc ſpectandam ſe præbuerit, an Joſue in ſua oratione vel cantico, familiari Scripturæ loquendi phraſi uſus ſit, ea ſcilicet in ſecundo membro repetens, quæ in priori expreſſerat, ut ſit dictorum illius ſenſus: Sol curſum tuum remorare; & tu, Luna, ne procedas ultra; ideſt, aſtrorum curſus certi temporis ſpatio ſuſpendatur. Gabaon, & vallis Ajalonis duo ſunt vel ejuſdem, vel proximorum locorum nomina. Gabaon, ut ipſo ejus nomine indicatur, conſidebat in monte, vallis Ajalonis forte deſignare poteſt generali nomine vallem ſylvæ (5). Celebrem hanc hiſtoriam in peculiari diſſertatione noſtra fuſius expendimus.

℣. 13. Donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Textum Originalem ita reddunt Septuaginta (6): *Donec ultus eſt Deus inimicos eorum.* Deo tribuunt ultionem; in quem ſenſum commode etiam redditur Hebræus: Donec ultus eſt [Deus], & punivit hanc gentem, populi ſui adverſariam.

Nonne scriptum est hoc in libro Justorum? Liber hic Juſtorum laudatur etiam in 11. Regum 1. 18. quod ſane oſtendit, longe diu poſt Joſue ejuſmodi Commentarium fuiſſe abſolutum. S. Hieronymus (7), & ex Judæis quidam, hunc Librum ipſam eſſe Geneſim, res geſtas Juſtorum & Patriarcharum referentem, exiſtimant: alii Pentateuchum, vel Librum Legis, qui & Juſtorum merito appelletur. Incerta. Quæ vero opinio gravioribus nititur (8), docet, veteres Hebræos jam inde ab exordio Reipublicæ nihil habuiſſe antiquius, quam ut res maxime memorabiles, quæ genti accidiſſent, referrent in Commentarios; quos a viris authoritate, ætate & dignitate ampliſſimis in eam rem electis, deſcriptos, in Tabernaculo vel in Templo conſervabant, id generis Opus appellare viſum eſt *Librum Juſtorum*, vel *Regis*, vel populi Iſrael, qui nomine *populi juſti*, vel nomine *Jaſchar*, vel *Iſchuron* diminutivo Iſraelis (9), diſtinguitur. Hanc hiſtoriam relatam fuiſſe in tabulas, quæ in Templo ſervabantur, affirmat Joſephus (10).

Sunt qui Librum *bellorum Domini*, de quo in Numeris xxi. 4. cum Libro hoc Juſtorum vel confundendum penitus, vel ſaltem ſimilitudine argumenti non diſtinguendum credant: quæ quidem opinio, licet non apertiſſima, probabilitate non caret. Receptum pariter tenetur, Librum Juſtorum carmine deſcriptum fuiſſe, cum reſidua ex illo fragmenta poeticum ſtylum ſapiant: ſed hujus argumenti vim plane non ſentio; potuit enim ſcriptus proſa oratione Liber carminis aliquid, vetereſque aliquos hymnos continere; difficile autem credas, totum librum eodem ſtylo eſſe exaratum (11).

Atenim ſententiam hanc ipſe ne Joſue, an alius ab illo ejus Operi inſeruit? Fruſtra utique Joſue e tabulis publicis teſtimonium acceſſiſſet, ut id probaret quod palam & coram omnibus quia Iſraelitis, quo Chananæis geſtum a nemine ignorabatur. Viciſſim autem poſt obitum Joſue, cum ſcripti ab illo Commentarii evulgandi eſſent, aptiſſime addi potuere aliqua, majoris perſpicuitatis gratia; quam in rem opportunius nihil ſuccurriſſet, quam ut e tabulis publicis relato teſtimonio tanti prodigii veritas confirmaretur. Humani cordis tanta eſt corruptio, ut cautio nulla neceſſitatem ſuperet, cum de ſubmovendis cavillis omnibus circa relata Scripturæ miracula agitur. Cæterum ambo hi Libri, Juſtorum & Bellorum Domini, ita penitus interciderunt, ut ſola ſuperſint fragmenta, quæ in Scripturis Canonicis ſervantur.

Stetit itaque Sol in medio Cæli. Illud in *medio* non ita accipiendum eſt, ut partem Cœli quamcumque ſignificet. Phraſis originalis בחצי השמים exprimit medium rei in duas æquas partes diviſæ; quare hic valet meridiem vel circiter. Qui inclinantem in veſperam Solem ſtetiſſe credunt, plauſibili ea ratione moventur, vix ſcilicet reputari poſſe, ut Joſue plena adhuc die prodigium ejuſmodi poſtulaverit. Sed opinioni huic nihil ſuffragatur Textus; quæ ſi admittatur, inepte Joſue imperaſſet: *Sol ne movearis contra Gabaon*, vel ſuper Gabaon; jam enim longe a Gabaone occidentem verſus Sol receſſiſſet (12). Quare præcipiendum illi fuiſſet potius: Regredere in Gabaon; quam urbem tunc habebat Orientalem.

Non festinavit occumbere spatio unius diei. Reddi poſſet Hebræus (13): *Non proceſſit verſus occaſum*

(1) Joſue xvi. 3. (2) Joſeph. Antiq. l. 5. c. 1. (3) Vide Maſ. hic. (4) שמש בגבעון דום וירח בעמק אילון Septuag. [illegible]. A. [illegible]. S. [illegible]. Vide nov. edit. Hexaplorum. (5) Vide Maſium in hunc locum, & noſtram Diſſert. de hac re. (6) עד יקם גוי אויביו. ἕως ἠμύνατο ὁ Θεὸς τοὺς ἐχθροὺς αὐτῶν, Symmach. & Arab. (7) Hieronym. in Ezech. xviii. nov. edit. p. 819. (8) Maſ. hic, & Joſeph. l. 1. contra Appion. (9) Deut. xxxiii. 5. *Erit apud rectiſſimum Rex.* Heb. *Erit in Jeſchuron Rex.* Vide & Iſai. xliv. 2. (10) Joſeph. Antiq. l. 5. c. 2. Δηλοῦται διὰ τῶν ἀνακειμένων ἐν τῷ ἱερῷ γραμμάτων. (11) Vide Bonfr. hic. (12) Vide Maſ. Serar. Bonfr. Cornel. (13) ולא אץ לבוא כיום תמים

ſuns ſuum circiter die integra; vel, non feſtinavit occumbere, die completa. Exiſtimant nonnulli, *diem integram* eſſe hic ſpatium xxiv. horarum, ut in horizonte Sol xxxvi. horis perſeveraverit. Proceſſerat enim, inquiunt illi, Sol per ſex horas; ſubſtitit ſpatio xxiv. horarum, tunc reliquum ſex horarum curſum confecit. Ita ſentiunt Judæi, jam inde ab ætate S. Juſtini martyris, apud quem opinio iſta occurrit (1). Docet Author Eccleſiaſtici xlvi. 5. *Una dies facta eſt quaſi duo*; ideſt, ſolidis xxiv. horis perſeveravit, die in horas duodecim computata, juxta morem ejus ætatis, qua dies noctesque in duodecim horas inæquales diſtinguebantur.

℣. 14. Non fuit antea vel poſtea tam longa dies. Fertur ea dies ad horas xxxvi. porrecta fuiſſe; quæ vero ſub Ezechia prorogata fuit (2), horas xxxii. non exceſſit. Sol enim, inquiunt, decem jam lineas, vel decem horas in horologio Ezechiæ percurrerat, cum Iſaias ut regrederetur imperavit: tunc autem decem lineis retrogreſſus eſt, quas poſtea iterum procedendo emetitus, ſtatum curſum ſuum recepit ſpatium duodecim horarum confecturus: qua admiſſa ſupputatione dies tantum horis xxxii. longus fuit. Sed in eorum ſententia, qui cenſent, Solem unico temporis momento decem lineis receſſiſſe, dies illa xxii. horas non ſuperavit. Textus Hebræus præfert tantum (3): *Non fuit, ſicut dies illa, ad facies ejus, & poſt eam*. Geſtum id credunt Mahometani feria ſexta, adduntque, Solem ſtationem una hora & dimidia prorogaſſe.

Prodigioſas quaſdam Solis moras narrant hiſtoriæ; cujuſmodi ſunt ea, quæ referuntur de Mutio & Beſſarione Eremicolis (4): ſed libri prodigia illa referentes, a ſacrorum Librorum authoritate longo adeo intervallo recedunt, ut prodigiorum iſtorum cum illis, quæ hic referuntur, veritatem ne comparare quidem audeamus. Minotis etiam apud nos æſtimantur commenta Rabbinorum, qui narrant, Judæum quemdam Gamalielem remoratum fuiſſe Solem; hæc enim ſiquis velit inter commenta Rabbinica referre, per nos licet.

Obediente Domino voci hominis. Hac phraſi tota ſignificatur vis precum a viris juſtis emiſſarum, ut poſtulata omnia a Deo impetrent. Si juſtitiam retinueris, *tunc invocabis, & Dominus exaudiet; clamabis & dicet: Ecce adſum* (5). *Exaudivit Dominus deſiderium pauperis, præparationem cordis eorum audivit auris tua* (6). Hæc omnia appellari merito poſſunt Dei erga creaturas ſuas obedientia. Vim etiam præfert majorem ea, quæ Sacerdotibus conceſſa eſt, authoritas, conſecrandi nempe Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ. Planius etiam reddi poſſet Textus (7): *Auſcultante Deo vocem hominis*. Qua eſt clementia Deus, excepit benignius preces a Joſue per eam occaſionem oblatas, conſenſitque, ut exhiberetur illi ſpecimen hoc inſigne qua potentiæ ſuæ infinitæ, qua patrocinii validiſſimi. Chaldæus: *Ut ſuſciperetur ante Dominum oratio hominis*.

℣. 15. Reverſuſque eſt Joſua cum omni Iſrael in caſtra Galgalæ. Totus hic verſiculus aberrare extra ſuum locum videtur, Joſue non prius reſtituit ſe Galgalis, quam poſt confectam expeditionem, de qua ℣℣. 19. 20. Codices quidam Septuaginta (8) hanc ſententiam, hic omiſſam, totidem verbis recitant in fine hujus capitis. Exiſtimat Maſius, totum hunc verſiculum cum præcedenti, & dimidio decimi tertii, decerptos fuiſſe e Libro Juſtorum, ac Textui Joſue acceſſiſſe. Malunt tamen alii (9), verba illa, *Reverſus eſt*, ita accipi oportere, ut ſonent: *Redire ſtatuit*, reditum parabat, cum certior factus eſt, quinque Reges in ſpecu latuiſſe. Quare mutato conſilio, in illos movit; tum impetum victoriæ ſuæ ſecutus, reliquam partem meridionalem ejus regionis percurrendo ſubjecit, ut infra narrabitur. Interdum factum aliquid dicitur, quod quis facere decrevit. Scribit Moyſes in Geneſi xxxvii. 21. Ruben liberaſſe fratrem ſuum Joſephum e manibus fratrum; id ſcilicet adnixum fuiſſe, ut liberaret; & in Numeris xxxiv. 25. affirmat de Balaamo: *Reverſus eſt in locum ſuum*; ideſt, in viam ſe dedit, ut ad propria rediret. Jonas 1. 6. ſcribit, nautas in eadem ſecum navi verſantes *immolaſſe hoſtias*, innuens, hoſtias voviſſe.

℣. 16. In ſpelunca urbis Maceda: ſeu potius in ſpecu juxta Macedam, vel in agro Macedæ. Cavos ſpecus plures regio illa continet; ſunt autem ad receſſum atque ad effugium aptiſſimi, ab injuriis incurſionum & belli. Specum illum, in quo Reges iſti latuerunt, hodie uſque monſtrant aſſirmant Itineraria: muro clauditur (10).

℣. 18. Viros induſtrios: Vigilantes & attentos. Hebræus fert tantum אנשים לשמרם, *Viros ad cuſtodiendum*.

℣. 21. In Maceda, ubi erant caſtra. Coegit exercitum ſuum Juſue juxta Macedam, quo ut convenirent, edixerat.

Sani et integro numero; nullusque contra filios Iſrael mutire auſus eſt. Hebræus ad literam (11): *Reverſi ſunt in pace, non movit filiis Iſrael* [ideſt in filios Iſrael] *vir linguam ſuam*. Sunt qui (12) in hac phraſi ſuppleant *canis*, ne canis quidem latrare auſus eſt in eos: quæ proverbialis dicendi phraſis legitur in Exodo xi. 7. dum ea narrantur, quæ acciderunt nocte illa, cum Iſraelitæ ab Ægypto egreſſi ſunt. Cum enim tunc omnia obſtreperent clamoribus & ejulatibus in ædibus Ægyptiorum, ne canis quidem in Iſraelitas latrabat. Septuaginta reddendum cenſuerunt (13): *Non mutivit quiſquam de filiis Iſrael lingua*.

℣. 24. Ait ad principes exercitus. Niſi alta mentibus inſideret perſuaſio, nihil egiſſe Joſue niſi afflante atque præcipiente Numine, nulla excuſari ratione poſſet a ſævitia & impotentia in miſeros hoſce ac devictos principes. Sed merus erat executor & inſtrumentum Juſtitiæ Dei erga Reges iniquos. Imperavit igitur Principibus exercitus ſui, ut pede jugulum ſingulorum calcarent, interficerent, ac tandem cadavera agerent in patibulum: id autem totum egit, ut milites Ducesque magis magiſque confirmarentur in hoſtes: vicisſim autem novo metu tantæ ſeveritatis & ignominiæ hoſtes animis caderent. Hæc omnia jam diu prædixerat Moyſes oraculo illo (14): *Negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis*.

℣. 27. Cumque occumberet Sol. Legis ſanctioni obſequuturus (15) Joſue, e patibulo miſerorum cadavera demitti juſſit. Hujus legis cauſas alibi expendimus. Geſta ſunt hæc omnia eadem die commiſſi prælii Gabaonitici: prolixitate enim ejuſdem diei factum eſt, ut una eademque dies tam multis ſufficeret; atque Principum illorum interfectio perinde ac prodigioſæ illius victoriæ complementum habebatur. Quamobrem reputandum eſt, populum diu ante occaſum Solis reſtitutum eſſe caſtris: nec ſane fieri potuiſſet, ut poſt iter tota nocte prorogatum, tantum adhuc virium haberent, ut fugientes hoſtes inſequerentur a mane uſque ad veſperam ejus diei, quæ duplicem communem diem æquabat.

℣. 28. Eodem quoque die Macedam cepit. Facile

(1) Juſtin. in Dialog. cum Tryphone. (2) 4. Reg. xx. Iſai. xxxviii. (3) לא היה כיום ההוא לפניו ואחריו (4) Vide apud Bonfr. hic, & vitas Patr. l. 2. & l. 6. (5) Iſai. lviii. 9. (6) Pſalm. x. 17. (7) לשמע יהוה בקול איש ὡς ἐπακοῦσαι τὸν Θεὸν φωνῆς ἀνθρώπου. (8) Edit. Rom. & codex Alexandrin. (9) Serar. Druſ. (10) Vide Maſ. hic. (11) ישבו .. בשלום לא חרץ לבני ישראל לאיש את לשנו (12) Maſ. Druſ. Cornel. &c. (13) οὐκ ἔγρυξεν τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ οὐδεὶς τῇ γλώσσῃ αὐτοῦ. (14) Deut. xxxiii. 29. (15) Deut. xxi. ult.

Digitized by Google

cile ceſſit ea Urbs victoribus, quorum terror per totum late regionis illius tractum diffuſus erat: quare pronum illis fuit, ut ab inſequendis hoſtibus reduces illam ſubmitterent. Sed Scriptores Commentariorum plerique (1) ad alteram diem & Urbis hujus ſubmiſſionem & quinque Regum necem differunt: profecto dilationis hujus neceſſitatem nullam ſentimus.

NON DIMISIT IN EA SALTEM PARVAS RELIQUIAS. Hebræus לא השאיר שריד, *Non reliquit ſuperſtitem*; Urbe & ſpoliis ſervatis, homines ad unum omnes deleti ſunt.

℣. 29. TRANSIVIT DE MACEDA IN LEBNA. Mane alterius diei, vel poſt aliquot ab ea victoria dies, motis e Maceda caſtris, ad obſidionem *Lebnæ*, Urbis ad meridiem Macedæ, & ab Eleutheropoli non remotæ (2), venit. Porro ea Urbs ceſſit Tribui Juda (3), tum & in Sacerdotum (4) portionem tranſivit; obſidebatque illam Sennacherib (5), cum minitabundus imperavit Regi Ezechiæ, ut imperium hoſtis ipſe unaque illius urbes omnes exciperent.

℣. 31. DE LEBNA TRANSIVIT IN LACHIS. Majores in dies progreſſus ad meridiem faciebat. Lachis Urbs eſt VII. mille paſſibus, vel tribus leucis & ſemis ab Eleutheropoli, in plaga meridionali. Vide ſupra ℣. 3. Urbem hanc ſuperavit Joſue *die altero* ℣. 32. ideſt, mane alterius diei a capta Lebna; vel potius, ut innuere videtur Textus, die altera ab ejus obſidione.

℣. 33. EO TEMPORE ASCENDIT HORAM REX GAZER. Facile credimus, Regem hunc tum primum moviſſe, cum certior factus eſt, Joſue Urbem Lachis armis urgere cœpiſſe. Gazer, alio nomine Gezer, & Gazara, Urbs erat *in finibus Azoti*, quæ verba ſunt primi Libri Macchabæorum XIV. 34. In Palæſtina a Joſepho pariter collocatur (6): & in ſecundo Regum x. 25. legimus, Davidem cecidiſſe Philiſtæos a Gabaa uſque Gezer. Docet tandem Scriptura (7), Pharaonem Regem Ægypti Urbem Gazer, quam Chananæis ejus habitatoribus rapuerat, dediſſe Salomoni, filiæ ſuæ marito, a quo & reſtituta, & munitionibus aucta eſt. Hiſce omnibus perſuaſi, conſtituimus Gazer ad Occidentem & Septentrionem Lachis in regione Philiſthæorum. Obtigit Tribui Ephraim (8), quamquam ejus poſſeſſione non ſtatim potitam eamdem Tribum fuiſſe credimus; ſubegiſſe enim illam Joſue nullibi ſcriptum eſt; ac Salomonis ætate adhuc fuiſſe in poteſtate Chananæorum conſtat. Euſebio, & S. Hieronymo jacet ad Septentrionem Nicopoleos vel Emmaus, leuca ab eadem urbe, adeoque & tribus leucis ab Jeroſolymis, in plaga Septentrionali, abſens: id autem nobis contra omnem veri ſpeciem videtur; propius enim ad Azotum & Philiſtæos admovendam credimus.

℣. 37. REGEM QUOQUE EJUS. Is Rex Hebronis illi ſucceſſerat, qui in ſpelunca Macedæ deprehenſus, neci traditus fuerat, uti ℣℣. 24. & 26. traditum eſt. Cum ea urbs Hebron ad Chananæos iterum rediiſſet, a Calebo iterum recepta eſt (9). Merito reputaverimus, Joſue ſubito impetu raptas Urbes illas incenſaſque deſeruiſſe, ut ad alias ſubigendas veniret, terrorem atque tumultum Chananæorum in rem ſuam vertens. Verum poſt primum illum terrorem, qui e periculo evaſerant, illi in Urbes ſuas reduces, novis illas munitionibus vallarunt, cum interim Joſue regionem illam percurrens, bellum undique & ignem inſerret, nullum tamen in captis Urbibus præſidium relinquens, ne quid nimis e copiis ſuis decerperet. Quare Chananæis commodum fuit, urbes & loca antea a ſe deſerta iterum reſtituendi. Iſraelitæ igitur nonniſi poſt regionis diſtributionem Chananæos revera expulerunt ex Urbibus, quæ ſingulis Tribubus contigerunt. Ex belli legibus tenebatur Joſue primum capita hoſtium dejicere, & id efficere, ut impares eſſent ad vim inferendam; his enim ſubmotis, minimi negotii res erat Urbes in poteſtatem redigere: cum enim communibus aliarum urbibus auxiliis deſtituerentur, viribus Iſraelitarum reſiſtere non poterant, dum tamen Iſraelitæ levi aliquo conatu ſubigere illas ſeu vi ſeu fame tentarent. Secreto tamen Numinis conſilio factum eſt, ut plures in regione hoſtes permitterentur; quod populo ruinæ fuit & exitio.

℣. 38. INDE REVERSUS IN DABIR. Ea Urbs ad latus Hebronis jacebat; legimus enim, Joſue copias ſuas reduxiſſe, ut ad obſidionem ejus arcis veniret. Reliquerat illam facile ad latus, e Lachis & Eglone in Hebronem tendens. Certum Urbis Dabir ſitum, ejuſque ab aliis Urbibus notis diſtantiam, non indicant Geographi; id ſolum de illa innotuit, veteri nomine appellatam fuiſſe *Urbem Libri*, *Cariat-Sepher* (10), vel Urbem montis Sepher, de quo monte in Num. XXXIII. 23. Nuncupatur etiam *Urbs Senna*, *Cariat-Senna* (11). A Chananæis poſſeſſam Othoniel iterum ſubegit (12).

℣. 40. OMNEM TERRAM MONTANAM, ET MERIDIANAM ATQUE CAMPESTREM, ET ASEDOTH. Non ſemel alias animadvertimus, plagam meridionalem Chanaanitidis frequentiſſimis montibus aſperam fuiſſe; quare hic appellatur regio montana, & meridiana: ſolet autem Scriptura jungere montibus meridianis planitiem quamdam, *Schephala* (13) appellatam. Planitiem hanc pertigiſſe credimus ad plagam Occidentalem montanæ hujus regionis. Hunc enim ſitum determinat Abdias I. 19. cum Schephalam Philiſtæis conjungat. In hunc hujus Prophetæ locum ſcribens S. Hieronymus, docet, *Sephalam* appellari campeſtria Eleutheropoli adjacentia. Idem confirmat Euſebius *in locis*, tradens, totum tractum ad Eleutheropolis Septentrionem Occidentemque porrectum, *Sephelam* appellari. Legimus tandem (14), Philiſtæos ſub Regno Achaz in Urbes *Sephelæ*, vel regionis campeſtris effuſos, ibi ſedes firmaſſe: quo confirmatur opinio, urbes illas proxime ad regionem Philiſtæorum conſtituens, quæ fulcitur ex urbibus in Sephala conſtitutis; ejus enim tractus cenſentur Berſabee, Ajalon, Gaderot, Soco, Thamna &c. Simon Macchabæus ædificavit Urbem *Adiadam* in Sephela (15), ſive in agro Juda.

ASEDOTH ſonat campeſtria & loca irrigua, vel aquarum ſcaturigines & fontes. Septuaginta in nonnullis Codicibus pro *Aſedoth* legunt *Aſeroth*; quod loci ejuſdem regionis nomen eſt, ſed aliter ſcribitur.

℣. 41. A CADESBARNE USQUE GAZAM. Urbs Cadesbarne, de qua fuſe in Libris præcedentibus actum eſt, jacebat inter extremam oram meridionalem maris mortui, & Urbem Gazam, ſed ad illud mare propius. Gaza enim urbs erat maxime omnium meridionalis regionis Philiſtææ, ad Mediterraneum.

OMNEM TERRAM GOSEN, vel *Geſſen*, vel *Jeſſe*, uti appellatur in Judith I. 9. Eamdem eſſe regionem, quam Hebræi olim frequentabant, cum verſarentur in Ægypto, credimus. Paradoxum videbitur iis, qui non animadverterint, regionem inter Hebræos diviſam late ſe ad uſque Nilum porrexiſſe, (16); terram vero Geſſen jacuiſſe inter

hunc

(1) Maſ. Serar. at contra Bonfr. (2) Euſeb. & Hieron. in locis. (3) Joſue XV. 42. (4) Joſue XXI. 13. (5) 4. Reg. XIX. 8. Iſai. XXXVII. 8. (6) Joſeph. l. 8. Antiq. c. 11. γάζαρα τὴν τῶν Παλαιστινῶν χώρας. (7) 3. Reg. IX. 15. 16. 17. (8) Joſue XXI. 21. (9) Joſue XV. 14. & Judic. I. 10. (10) Joſue XV. 15. (11) Joſue XV. 49. (12) Joſue XV. 16. & Judic. I. ... 11. (13) אל הארץ ההר והנגב והשפלה ובאשדות. Vide & Deuteron. I. 7. Joſue IX. I. XI. 16. XII. 8. Judic. I. 9. 2. Paral. XXVIII. 18. Jerem. XXXII. 44. Zach. VII. 7. (14) 2. Paral. XXVIII. 18. (15) I. Macch. XII. 38. (16) Vide ſupra Joſue XIII. 3.

hunc amnem, Arabiam, & Palæſtinam. Regio Geſſen excurrebat ad Nilum, pertingebatque ad fines regionis Cuſch vel Arabiæ. Primum ex Geneſi (1) conſtat; alterum ex Judith I. 9. ubi de Nabuchodonoſore: *Miſit ad omnem terram Jeſſe, uſque ad terminos Æthiopiæ*, ideſt Arabiæ, vel terræ Cuſch, Terra Goſen, & Urbs ejus nominis, omnium maxime meridionales erant ſortis Juda, ad Nilum uſque porrectæ (2). Nulla tandem in Scriptura ratio apparet diſtinguendi regionem Goſen, vel Geſſen Tribus Juda, ab ea quam olim Iſraelitæ in Ægypto degentes tenebant. Solum illud neque cultura olim neque incolis deſertum fuiſſe, uti hodie ſqualet, jam alibi demonſtravimus. Vide ad Joſue XIII. 3. & Diſſertationem in Geographiam, huic Libro præfixam.

℣. 42. UNO IMPETU CEPIT; unica expeditione, ſimul, eodem tempore, Hebræus: פעם אחת *vice una*. Ita & LXX. *ἅπαξ*, *ſemel*. Sunt qui credant, Hebronem & Dabir nonniſi poſt aliquot annos ſubactas fuiſſe; cum ſcilicet ambæ iſtæ Urbes Calebo in hæreditatem evenere. Facile tamen Caleb iterum cepit, quas olim a Joſue ſubactas iterum occupaverant hoſtes.

(1) Vide Geneſ. XLV. 10. Exod. II. 3. (2) Joſue XV. 4. 47. 51.

CAPUT XI.

Victoriæ Joſue de Rege Aſor, aliiſque fœderatis in Hebræos. Urbes illorum omnes ſubmittit; Gigantes omnes, exceptis Gigantibus Gazæ, Geth, & Aſcalonis, exterminat.

℣. 1. QUÆ cum audiſſet Jabin rex Aſor, miſit ad Jobab regem Madon, & ad re-
gem Semeron, atque ad regem Achſaph: 2. Ad reges quoque Aquilo- A. M. 2554.
nis, qui habitabant in montanis, & in planitie contra meridiem Cene-
roth, in campeſtribus quoque, & in regionibus Dor juxta mare: 3. Chananæum
quoque ab Oriente, & Occidente, & Amorrhæum, atque Hethæum, ac Pherezæum,
& Jebuſæum in montanis: Hevæum quoque, qui habitabat ad radices Hermon in
terra Maſpha. 4. Egreſſique ſunt omnes cum turmis ſuis, populus multus nimis
ſicut arena, quæ eſt in littore maris, equi quoque, & currus immenſæ multitudinis.
5. Conveneruntque omnes reges iſti in unum ad aquas Merom, ut pugnarent contra
Iſrael. 6. Dixitque Dominus ad Joſue: Ne timeas eos; cras enim hac eadem hora
ego tradam omnes iſtos vulnerandos in conſpectu Iſrael; equos eorum ſubnervabis,
& currus igne combures. 7. Venitque Joſue, & omnis exercitus cum eo adverſus
illos ad Aquas Merom ſubito, & irruerunt ſuper eos. 8. Tradiditque illos Domi-
nus in manus Iſrael. Qui percuſſerunt eos, & perſecuti ſunt uſque ad Sidonem ma-
gnam, & Aquas Maſerephod, campumque Maſphe, qui eſt ad Orientalem illius par-
tem. Ita percuſſit omnes, ut nullas dimitteret ex eis reliquias. 9. Fecitque ſicut præ-
ceperat ei Dominus, equos eorum ſubnervavit, curruſque combuſſit igni. 10. Rever-
ſuſque ſtatim cepit Aſor: & regem ejus percuſſit gladio. Aſor enim antiquitus inter
omnia regna hæc principatum tenebat. 11. Percuſſitque omnes animas, quæ ibidem
morabantur; non dimiſit in ea ullas reliquias, ſed uſque ad internecionem univerſa
vaſtavit, ipſamque urbem peremit incendio. 12. Et omnes per circuitum civitates,
regeſque earum cepit, percuſſit, atque delevit, ſicut præceperat ei Moyſes famulus
Domini. 13. Abſque urbibus, quæ erant in collibus & in tumulis ſitæ, cæteras ſuc-
cendit Iſrael: unam tantum Aſor munitiſſimam flamma conſumpſit. 14. Omnemque
prædam iſtarum urbium, ac jumenta diviſerunt ſibi filii Iſrael, cunctis hominibus in-
terfectis. 15. Sicut præceperat Dominus Moyſi ſervo ſuo, ita præcepit Moyſes Jo-
ſue, & ille univerſa complevit: non præteriit de univerſis mandatis nec unum qui-
dem verbum, quod juſſerat Dominus Moyſi. 16. Cepit itaque Joſue omnem Ter-
ram montanam, & meridianam, terramque Goſen, & planitiem, & Occidentalem
plagam, montemque Iſrael, & campeſtria ejus: 17. Et partem montis, quæ aſcen-
dit Seir uſque Baalgad per planitiem Libani ſubter montem Hermon: omnes reges
eorum cepit, percuſſit, & occidit. 18. Multo tempore pugnavit Joſue contra reges
iſtos. 19. Non fuit civitas, quæ ſe traderet filiis Iſrael, præter Hevæum, qui ha-
bitabat in Gabaon: omnes enim bellando cepit. 20. Domini enim ſententia fuerat,
ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſrael, & caderent: & non mere-
rentur ullam clementiam, ac perirent, ſicut præceperat Dominus Moyſi. 21. In illo
tempore venit Joſue, & interfecit Enacim de montanis Hebron, & Dabir, & Anab,
& de omni monte Juda, & Iſrael, urbeſque eorum delevit. 22. Non reliquit ul-
lum

Digitized by Google

lum de ſtirpe Enacim, in Terra filiorum Iſrael: abſque civitatibus Gaza, & Geth, & Azoto, in quibus ſolis relicti ſunt. 23. Cepit ergo Joſue omnem terram, ſicut locutus eſt Dominus ad Moyſen, & tradidit eam in poſſeſſionem filiis Iſrael ſecundum partes, & tribus ſuas: quievitque terra a prœliis.

℣. 1. JABIN REX ASOR. Nomen *Jabin* Regibus Aſor familiare videtur; eodem enim appellabatur Rex ille, qui Iſraelitas viginti annorum ſervitute preſſit ſub Judicibus (1), ceſſitque tandem armis Barac & Deboræ (2). Significare poteſt *Intelligentem*, ſapientem, prudentem.

Urbs Aſor in ſuperioribus Lacus Semechonis, ſuperiori in Galilæa, jacebat (3); ceſſitque Tribui Nephtali (4), quæ tamen non diu ea urbe potita eſt, cum incendio vaſtatam a Joſue (5), Chananæi iterum reſtituerint atque occupaverint; & cxxx. circiter annis ab obitu Joſue (6) validiſſimus ibi Princeps regnaret. Superata eſt armis Teglatphalaſſaris (7) una cum urbe proxima Cades; nomenque dabat ſuum valli Aſor, quæ inter Urbem ipſam & Cades jacebat, celeberrima ex ingentibus bellicæ virtutis exemplis ibi a Jonatha Maccabæo cum Ducibus Demetrii pugnante exhibitis (8). Tradit Joſue (9). Urbem Aſor tota antiquitate primas inter regionis illius habuiſſe. Moris erat locorum illorum, quæ ſingula peculiaribus ſuis Regulis parebant, ut inter Principes illos unus aliquis ſeligeretur, penes quem in communibus bellis reſideret imperium, ut Grotius animadvertit, Jabin in tractu ſeptemtrionali Terræ Promiſſionis Princeps erat omnium potentiſſimus. Cum meridionalia omnia ceſſiſſent Joſue, intellexit ſtatim Jabin futurum, ut arma in regionem ſuam converterentur; quare ſocianda cenſuit omnium Regum ejus regionis arma in hoſtem communem.

MADON. Hujus Urbis nullibi meminit Scriptura, niſi hic, & in Cap. XII. 19. quod mirari ſubit de Urbe Regia & Chananitica; nec certum ejus ſitum e Geographis quiſquam determinat. Si quis legat *Maron* cum Septuaginta Editionis Romanæ, is facile ſignificet Urbem *Maroniam*, vel *Marath* in Phœnicia ad Septemtrionem Libani (10). Nomen *Maron* retinetur in Textu Hebræo Capitis XII. 20. ubi extra ſuum locum poſt *Semeron* legitur. Utrum ea regio Maron eadem ſit, ac terra Meroz (11), ambigere me profiteor; literæ enim Daleth & Reſch inter ſe non raro confunduntur, & *Nun* finalis figuram habet literæ *Zain* perſimilem.

AD REGEM SEMERON. De Samaria, Urbe poſtea Metropoli Regni Iſraelis, ſermonem hic eſſe quidam putarunt; quod anticipatione quadam factum eſſe dicunt, uti in Verſiculis 16. & 21. leguntur *Montes Iſrael*, quamquam ætate Joſue alium ſane nomen obtinebant. Verum hæc opinio nullis defenditur; nam *Semeron* Joſue ætate non tantum illud nominis non habebat, ſed & locus etiam erat nullus. In Regum Libris (12) legimus, Amri Regem Iſraelis emiſſe pecunia montem *Samer*, ubi Samariam condidit, novæque Urbi nomen indidiſſe *Sameriam*, ideſt, *Samer Domini*. Præſtat igitur Semeron hujus Textus confundere cum Urbe Symira in Cœleſyria, quam Plinius, & Mela (13) cum Maron, vel Marath conjungunt. *Taximyram* appellat Strabo (14); ibique ſedes conſtituerunt ſuas Samaræi, poſteri Chanaan: qua de re vide Geneſ. x. 18.

AD REGEM ACHSAPH. Hoc nomine deſignari Urbem Ecdippi notam Plinio (15), Ptolemæo, Joſepho (16), & Euſebio (17), ne ambigimus quidem. Conſtituitur ab eodem Euſebio IX. M. paſſibus a Ptolemaide Tyrum verſus; ceſſit Tribui Aſer.

℣. 2. AD REGES QUOQUE AQUILONIS, QUI HABITABANT IN MONTANIS, nempe Libano, Antilibano & Hermon, qui montes ſunt ad ſeptemtrionem Terræ Promiſſionis. Jam alibi animadvertimus, populos Cœleſyriæ Phœnicios, vel Chananæos fuiſſe; quare e re illorum, perinde ac cæterorum, erat validam defenſionem Hebræis opponere. Legunt hic Septuaginta: *Ad Reges, qui ad Sidonem magnam in montana*; quod forte legerint מצידון pro מצפון.

ET IN PLANITIE CONTRA MERIDIEM CENEROTH. In agro montibus mox narratis ſubjecto, qui mari Ceneroth ad meridiem definiebatur; viciſſim enim mare illud Ceneroth, vel Geneſareth a ſeptemtrione agrum hunc ſpectabat. Septuaginta legunt (18): *Miſit in Araba e regione Cenerith*. Retinendum cenſuerunt Hebræum *Araba*, quod interdum alias reddiderunt Occidentem; ſed in Vulgata plerumque vertitur *planities*. Cineroth vero, vel Cinereth, Urbs erat nomen ſuum lacui, cui adjacebat, communicans; ſitum tamen habebat nobis incertum. S. Hieronymus (19) eamdem cenſet ac Tiberiadem; Bonfrerius, Capharnaum; Cellarius (20) S. Hieronymo accedens, reputat, *Chamat*, quod junctum legitur Cinereth (21), deſignare thermas Tiberiadis; quod ſi admittatur, conſtituenda erit Urbs Cinereth ad ripam ſeptemtrionalem lacus Geneſareth; adeoque eo uſque porrigenda ſors Nephtali, cui Cinereth a Joſue tradita eſt (22); vel dicendum, nomen Cinereth in Cap. XIX. 35. hujus Libri poſitum eſſe pro mari, non pro urbe hujus nominis.

IN CAMPESTRIBUS QUOQUE ET IN REGIONIBUS DOR JUXTA MARE. In Campeſtribus ſuperioris, & inferioris Galilææ ad uſque Mediterraneum, & Urbem Dor. Reliqua ejuſdem regionis, plagam verſus meridionalem Palæſtinæ, jam ſubiiſſe jugum videntur, ut nihil ſupereſſet niſi tractus ſeptemtrionalis a Dor uſque ad extrema Phœniciæ & montis Libani. Nullibi ſcriptum legimus, Philiſtæos ſociale fœdus iniiſſe cum Chananæis, idcirco facile, quod vetus eſſet inter utramque gentem ſimultas. Vivebant ab illis ſegregati; neque ut in ſocietatem venirent, invitavit illos Rex Aſor: quamquam urbes eorum aliquæ arma Hebræorum non adhuc ſenſerant, ut infra, ℣. 22. conſtabit. Dor Urbs erat ultimæ Phœniciæ.

Jacebat Dor ad Mediterraneum, tribus circiter leucis a Cæſarea Palæſtinæ, & ſeptem a Ptolemaide. Septuaginta pro Dor legunt εἰς Νεφὲθ Δὼρ, *Nephet Dor*, quod pariter habent Euſebius, & S. Hieronymus. *Nephet*, vel *Naphot* in Hebræo ſonat ſtativa, loca adjacentia. נפות דור *Nephot-Dor*, regio Dor.

℣. 3. CHANANÆUM QUOQUE AB ORIENTE, ET OCCIDENTE. Chananæi Orientales occupabant tractum ſecus Jordanem, ad meridiem lacus Tiberiadis; & Chananæi Occidentale Phœnices ſunt, ſedes habentes ſecundum Mare Mediterraneum, a Dor ad Septemtrionem Libanum verſus.

HEVÆUM QUI HABITABAT AD RADICES HERMON IN TER-

---

[1] Judic. IV. 2. 3. [2] Jud. IV. 24. [3] Joſeph. Antiq. lib. 5. cap. 6. [4] Joſue XIX. 36. [5] ℣. 13. [6] Jud. IV. 1. [7] 4. Reg. XV. 29. [8] 1. Macc. 11. 67. 72. & Joſeph. Antiq. lib. 13. c. 8. [9] Hic ℣. 10. [10] Vide Ptolem. Geogr. & Hieron. in vita Malchi. [11] Judic. V. 23. [12] 3. Reg. XVI. 23. 24. [13] Plin. l. 5. c. 20. Mela l. 1. c. 12. [14] Strabo l. 16. [15] Plin. l. 5. c. 19. [16] Joſeph. Antiq. l. 1. c. 11. [17] Euſeb. in locis, vide nov. edit. S. Hieron. in Achſib. [18] εἰς τὴν Ἀραβὰ ἀπέναντι Χενερώθ. בערבה נגב כנרות [19] In locis, in Chenereth. [20] Cellar. l. 3. c. 13. [21] Joſue XIX. 35. [22] Joſue ibidem.

TERRA MASPHA. Mons Hermon jacebat ad Orientem Libani, & fontium Jordanis. Variis nominibus appellatur in Scriptura, uti *Samr*, *Syrion*, *Baal-Hermon*. Hevæi, de quibus hic, ſubjectam huic monti Regionem trans Jordanem incolebant. Terra *Maſpha* nomen referebat ex Urbe, ſeu potius ex Monte *Maſpha-Galaad* (1), ubi facile morabatur Jephte Judex Iſraelis. In Joſue XIII. 26. ſermo eſt de editis locis, vel de *Ramath-Maſphe*, vel *Maſpha*: ad Tribum Gad pertinebat. Facile credo, loco huic inditum fuiſſe nomen ex fœdere Labanum inter, & Jacobum ibidem compoſito. Vox *Mizpha* tunc primo occurrit (2); deſignatur autem illo ſpecula, ſeu editus locus ad ſpeculam.

℣. 4. EGRESSI SUNT OMNES CUM TURMIS SUIS, POPULUS MULTUS NIMIS, SICUT ARENA. Septuaginta: *Exierunt ipſi, & Reges eorum cum ipſis, ſicut arena maris multitudine*. Ut exprimat ingentem hominum turbam, familiare eſt Scripturæ uti ſimilitudine ex arena maris deducta; hæc autem par hyperbolen dicta ſunt, quam ſæpe adhibet Scriptura, uti & alias dicendi figuras, ait S. Auguſtinus (3), Joſephus (4) aſſeruit, exercitum illum fœderatorum Regum e trecentis millibus peditum, decem millibus equitum, & viginti millibus militarium curruum fuiſſe collectum.

EQUI QUOQUE ET CURRUS. Quæ figura eſſet & uſus curruum militarium & falcatorum, in Diſſertatione de militia Hebræorum expendetur. Armatos fuiſſe hoſce currus, Joſue quidem ſilet, ſed Interpretes plerique credunt. Negari tamen nequit, ſimplices currus Heroicis temporibus in uſum belli fuiſſe communes. Viri quique vulgaribus ſuperiores e curru certabant; cujus rei exempla ſuppetunt in obſidione Trojæ, & ipſi pariter Reges Iſraelis (5) curru vecti aderant prælis.

℣. 5. AD AQUAS MEROM. Interpretum multi (6) cenſent, nomine aquarum *Merom* deſignari lacum Semechon a Joſepho deſcriptum, qui inter fontes Jordanis, & lacum Geneſareth medius jacet; huic autem opinioni illud favet, quod nulla alia ingens aquarum collectio nota ſit in Galilæa. Hæc tamen opinio ſua difficultate non caret, nam primo nonniſi probabili maxime argumento reputaverimus, fœderatos illos Reges ad extremos uſque ditionis ſuæ fines proceſſiſſe, nec permiſiſſe, ut hoſtile agmen quindecim, ſeu viginti leucis intra Regionem penetraret, ut prælium committeretur juxta Aſor, & ad lacum Semechon. II. Debora in ſuo cantico eo nomine laudat Tribus Zabulon, & Naphtali, quod objecerint ſe diſcrimini, certantes cum Chananæis in Regione Merom, vel Merome (7). *Obtulerunt animas ſuas morti in Regione Merome* (8). Compertum eſt autem, prælium illud ad torrentem Ciſſon, & Thanac, circa Aquas Mageddo fuiſſe commiſſum (9). Vero igitur propius arbitramur, fœderatos illos Reges occupaſſe hunc eumdem locum ad torrentem Ciſſon, in regione Merom, ut aditum Iſraelitis tentantibus prohiberent.

Tota narrationis hujus ſeries cum hac hypotheſi congruit: Merom vel Merrus ab Euſebio conſtituitur XII. M. paſſibus a Sebaſte, vel Samaria, prope Dothaim: quod cum noſtra ſententia plane cohæret. Hac erat tranſitus in regionem celeberrimus, ac maximi momenti: hic pariter, vel circa eum locum, Chananæi Reges a Joſue ac deinde a Barach, tum & diu poſt a Joſia Rege Judæorum prælio victi ſunt. Circa eumdem locum offerebat ſe urbs Legio, de qua Euſebius, & S. Hieronymus, quæ nomen ſuum referebat e legione Romanorum ad Provinciæ ſecuritatem ibi conſtituta. Vide infra Cap. XVII. 11.

℣. 6. CRAS ENIM HAC EADEM HORA EGO TRADAM OMNES ISTOS. Delato ad aures ſuas nuncio, de ingenti Chananæorum apparatu, proceſſerat Joſue e Galgalis ad torrentem Ciſſon. Pridie quam certamen iniretur, Deo alloquente, didicit certam ſe manere victoriam; quam ſpem ut firmius teneret, ipſam eamdem certaminis horam Deus viro revelavit.

TRADAM VULNERANDOS, Hebræus (10): *Tradam vulneratos*, dejectos, interfectos.

℣. 7. VENIT JOSUE AD AQUAS MERON SUBITO. Poſt quinque dierum iter in conſpectum hoſtium veniſſe ducem, affirmat Joſephus (11). E Galgalis ad Merom, juxta tabulas Euſebii, ſpatium eſt XX. leucarum circiter; ſed & Hebræorum iter prorogandum erit ad leucas XL. ſiquidem conſtituantur ad uſque lacum Semechon proceſſiſſe.

℣. 8. USQUE AD SIDONEM MAGNAM ET AQUAS MASEREPHOT CAMPUMQUE MASPHE. Hebræus ad literam (12): *Uſque ad Sidonem magnam* (vel potentem) *& Maſerephot aquarum* (vel Maſerephot aquis divitem) *& uſque ad vallem Miſpha ad Orientem*. Qui ſitus eſſet Urbis Sidonis, exploratum eſt omnibus; Maſpha conſidebat trans Jordanem; Maſerephot latet; eamdem tamen eſſe cenſemus cum Sarepta Urbe Phœniciæ, & Sidoni proxima, vino celeberrima (13). Nomen Sarepta ex eadem radice ac Maſerephot deducitur. Sunt qui credent, nomen Sarepta derivari e fornacibus vitri, vel metalli; ſed affirmant, non probant. Deducunt illud Rabbini e canalibus in litore maris effoſſis, ad excipiendas marinas aquas, ſali conficiendo, uti moris eſt in locis maritimis. Suſpicantur alii, aquas Maſerephot thermales fuiſſe (14). Ex Cap. XIII. 6. conſtat, Maſerephot infra montem Libanum, & prope Sidonem jacuiſſe. Si fidem narrationis Joſue teneamus, reputandum erit, inclytum Ducem exercitum ſuum bifariam, vel trifariam ad inſequendos fugitivos diviſiſſe; copiarum autem ſuarum partem miſiſſe trans amnem, partem vero Sidonem & Maſerephot verſus direxiſſe; ex locorum ſitu intelligimus, inſecutum fuiſſe hoſtes pluribus diebus, quocumque tandem in loco commiſſum prælium conſtituatur.

Nomine magnæ vel potentis diſtinguitur Sidon, non quod altera Sidon eſſet hac minor, ſed quod Urbs eſſet ampliſſima, vetuſta, opulenta. Condita fertur a Sidone filio Chanaan (15); vero tamen propius autumaverimus cum Origene (16), nomen illud Sidonis e piſcatione ſeu venatione acceſſitum fuiſſe, Ita Sidonis meminit Homerus (17) tanquam Urbis ætate jam ſua ditiſſimæ & inclytæ. Multo ætate vetuſtior erat Trojæ obſidione; eamque parentem ſuam agnoſcebat clara Urbs Thebarum in Bœotia. Vetuſtiorem eſſe Tyro, convenit inter omnes. Hic vitri artificium cœpit (18), ex quo divitiæ plures, incolarum frequentia, & commercium per totum Mediterraneum. Accepto pariter illi refertur inventio Arithmeticæ, Aſtronomiæ & Literarum: ſed hujus honoris æmulas alias habet.

(1) Judic. XI. 29. (2) Geneſ. XXXI. 48. (3) Auguſt. lib. XVI. de Civit. c. 21. *Gracè dicunt hyperbolen, quæ utique tropica eſt, non propria, quo tamen modo cæteris tropis uti ſolere Scripturam, nullus qui eam didicit, ambigit.* (4) Joſeph. Antiq. l. 5. c. 1. (5) 4. Reg. XXII. 35. *Rex Iſrael ſtabat in curru ſuo*,
(6) Serar. Bonfr. (7) Judic. IV. 10. *Qui accitis Zabulon, & Nephtali, aſcendit cum decem millibus pugnatorum.* (8) Judic. V. 18. (9) ℣. 19. (10) אנכי נתן את כלם חללים (11) Joſeph. Antiq. l. 5. c. 1. (12) וירדפום עד צידון רבה ועד משרפות מים ועד בקעת מצפה (13) Sidon. Apollin. car. 17.

Vina mihi non ſunt Gazetica, Chia, Falerna,
Quæque Sareptano palmite miſſa bibas,

(14) Vide Cleric. hic. (15) Vide Geneſ. X. 15. & Juſtin. l. 18. c. 3. *Condita ibi urbe, quam a piſcium ubertate Sidona appellaverunt, nam piſcem Phœnices Sidon vocant.* (16) Origen. homil. 14. in Joſue. (17) Homer. Odyſſ. O. ἐκ μὲν Σιδῶνος πολυχάλκου εὔχομαι εἶναι. (18) Plin. lib. 5. c. 19. *Sidon artifex vitri. Thebarumque Bœotiarum parens.*

℣. 9. Equos eorum subnervavit, ut in alios uſus, & maxime belli, ineptos efficeret. Noluit Deus, ut populus ſuus equos ſibi ſervaret, ne forte ſpem in illis ſuam collocare, & armorum proſperum ſucceſſum ſibi tribuere auderet. Cavit etiam, ne Hebræorum Reges magno numero equos alerent (1). Et ſane equorum uſus apud Hebræos nullus ſe prodit uſque ad Regnum Salomonis. Aſinis utebantur ad vehendum; captiſque in bello cum Rege Abadezer (2) equis David omnibus nervos ſuccidit.

℣. 10. Reversusque statim cepit Asor. Deeſt illud *ſtatim* in Hebræo; legit enim tantum (3): *Et reverſus eſt Joſue in tempore ipſo, & cepit Aſor.* Si hoſtes inſecutus eſt uſque ad Sidonem & Maſpha, uti ſupra narratur, qui ſtatim redire potuit ad Aſor? id utique aliquot itineris dies exigebat.

Regem ejus percussit gladio. Sive poſt cladem exercitus ſui Jabin in Urbem ſuam auſugerit, ſive alius eo abſente Rex ſubſtitutus ſit. Fertur, moribus receptum fuiſſe, ut abſente Rege, cum ille proficiſceretur in bellum, alter vice ejus Rex crearetur: hinc Reges illi Iſraelis a prima juventute & vivo adhuc patre conſtituti. Familiare id erat in Perſide.

Asor enim antiquitus &c. Vide quæ diſſeruimus ſupra ad ℣. 1.

℣. 12. Et omnes per circuitum civitates. Hebræus (4): *Omnes Urbes Regum iſtorum.* Septuaginta: *Omnes civitates Regnorum*, quorum ſcilicet Reges & exercitus victi fugatique erant.

Sicut præceperat ei Moyses. Deleri juſſerat Moyſes Chananæos omnes, qui armis reſiſtere Hebræis auſi fuiſſent, præſertim Reges illorum, quos Reges Deos traditurum ſe manibus Joſue & populi ſui ſpoponderat (5).

℣. 13. Absque urbibus, quæ erant in collibus et tumulis sitæ, cæteras succendit Israel. Igne abſumpſit Urbes omnes in agro ſitas; quæ vero in collibus, & ſitu loci munitæ, eas ſervavit; haſce enim valere plurimum cenſuit, ut agrum totum continerent in obſequio: perinde erant ac arces in ſecuritatem regionis. Aliter etiam reddi poſſet Hebræus (6): *Sed non combuſſit Urbes, quæ ſtabant, una cum munitionibus ſuis.* In hunc ſenſum interpretati ſunt Septuaginta (7), Chaldæus, & Interpretum nonnulli. Pepercit Urbibus, quæ ſponte ſeſe dediderant, vel quas ſubegerat abſque obſidione, ut nulla neceſſitate cogeretur per dejecta munimenta in illas evadere. Ad fulciendam eam interpretationem producitur illud Jeremiæ xxx. 18. *Ædificabitur civitas in excelſo ſuo* [Hebræus על תלה *ſuper tumulo ſuo*] ideſt, reſtituetur, mœnia ejus & munitiones reparabuntur. Sed hunc Textum ſententiæ contrariæ patroni (8) regerunt in adverſarios: *Ædificabitur civitas in excelſo ſuo*, ideſt, in collibus quibus inſidet: *Fundamenta ejus in montibus ſanctis*. Utraque hæc interpretatio optima eſt.

℣. 14. Omnem prædam istarum urbium. Septuaginta (9): *Omnia ſpolia ejus* urbis Aſor. Sed retinenda eſt Vulgata, & Hebræus, qui ſpolia omnium urbium in hac expeditione captarum præferunt. Excipienda ſunt tamen ſpolia illa, quæ juſſu Dei anathemati devovebantur, ut Idola omnia, & ſacrum illis metallum; hæc enim igne abſumenda erant (10).

℣. 15. Sicut præceperat Dominus Moysi . . . . ita præcepit Dominus Josue. Nemo jure ambigat, quin Moyſes privatis adhortationibus pluribus inſtituerit Joſue, & plura etiam illi præſcripſerit, quam quæ in libris ſuis ſcripta reliquit. Satis inſuper erat, ut receptas a Deo Leges illi committens, moneret pariter, ut tanquam ſibi dicta acciperet ea, quæ ipſi Moyſi, ut gerenti perſonam ſummi moderatoris populi Dei, injuncta fuerant.

℣. 16. Cepit Josue omnem terram montanam, et meridianam. Verſiculus hic, & alter proxime ſuccedens, epilogus ſunt eorum, quæ huc uſque de bellis Joſue narrata ſunt. Eximius hic Imperator totam regionem montanam, ideſt, plagam meridionalem Chanaanitidis, a mari mortuo ad uſque Gazam circiter porrectam, ſuperavit.

Terram Gosen. Vide ſupra ad Caput x. 14.

Et planitiem, ſubjectam montibus Juda, quæ ad Philiſtæorum Regionem excurrebat. In Hebræo duæ ſunt voces את השפלה ואת הערבה quæ ambæ planitiem ſonant: prior tamen creditur exprimere potius regionem cultam, altera vero regionem ſolum paſcuis aptam.

Montemque Israel, et campestria ejus. Ex collatione hujus verſiculi cum ℣. 21. noſcitur, arva hæc Iſraelis opponi hic Regioni Juda; quare dictum accipiendum eſſe de montibus ad partem Ephraimi pertinentibus. Meminit frequenter Scriptura montium Ephraimi; atque Tribus illa inter cæteras Regni Iſraelis principabatur. Ex hoc autem intelligimus, hunc librum ſecundis curis recenſitum fuiſſe, cum decem Tribus, divortio a familia Davidis facto, Regnum Iſraelis a Regno Juda diſtinctum conſtituebant.

℣. 17. Partem montis, quæ ascendit Seir, usque Baalgad. Montes porrectos a meridie Chanaanitidis, verſus Sehir, uſque ad Baalgad, urbem Transjordanicam ad radices Libani, vel montis Hermon (11). Hebræus ita redditur (12): *A monte calvo*, arboribus nempe deſtituto, *aſcendendo in Seir & uſque Baalgad*. Mons iſte calvus & raſus ignoratur; illud tantum ſcimus, montes Chanaanitidis paſcuis ditiſſimos fuiſſe, & in regione montibus frequenti *calvi montes* (13) appellantur ii, quorum vertex arboribus deſtitutus, herbis, & paſcuis tegitur; oppoſitum eſt quid inter montem calvum, & montem Seir, ideſt villoſum.

Per planitiem Libani subter montem Hermon. Secundum planitiem, quæ ad meridiem, & facile etiam ad Septentrionem Libani porrigitur. Num ipſa ſit Cœleſyria, ignoro: inter Libanum, & montem Hermon continetur. *Vide Tabulam Geographicam.* Supra ℣. 1. animadvertimus, *Maron*, & *Semeron* ad Septentrionem Antilibani jacuiſſe.

℣. 18. Multo tempore pugnavit Josue. Victorias haſce omnes unica ſerie narratas percurrens Lector, putare facile potuiſſet, una eademque expeditione partas omnes fuiſſe; ſed monet Libri Author, nonniſi plurium annorum labore tot ſimul urbes veniſſe in poteſtatem. Quinquennium in eam rem impenſum, ſcribit Joſephus (14). Alii (15) malunt ſeptennium, vel ſexennium, menſibus nonnullis adjectis. Poſteriorem hanc ſententiam ita probant. Agebat Calebus ætatis annos quadraginta, cum miſſus a Moyſe e Cadesbarne ad regionem explorandam ſe contulit: in fine belli numerabat ille ætatis quinque & octoginta, ut ipſe de ſe teſtatur (16). Igitur ſi ex hac quinque & octoginta annorum ſumma demantur quadraginta, quot attigerat, cum regionem hoſtilem exploravit,

(1) Deuteron. xvii. 16. (2) 2. Reg. viii. 4. (3) וישב יהושע בעת ההיא וילכד את חצור (4) ואת כל ערי המלכים האלה (5) Deut. vii. 22. 23. & alibi ſæpius. (6) רק כל הערים העמדות על תלם לא שרפם (7) Τὰς πόλεις τὰς κεχωματισμένας. (8) Ludovic. de Dieu, Boch. vide Maſ. Bonfr. Cornel. a Lap. (9) Καὶ πάντα τὰ σκῦλα αὐτῆς. (10) Deuter. vii. 25. *Sculptilia eorum igne combures; non concupiſces argentum & aurum, de quibus facta ſunt*, &c. (11) Vide Joſue xii. 7. (12) מן ההר החלק העולה שעיר ועד בעל גד Sym. ἀπὸ ὄρους λείου. Septuag. ἀπὸ ὄρους Χαλάκ. (13) Pagus eſt ejus nominis in montibus Voſgæ *Pagus Calvo-montenſis*. (14) Joſeph. l. 5. Ant. c. 2. (15) Rabb. Lyr. Maſ. Serar. Bonfr. &c. (16) Joſue xiv. 7. *Quadraginta annorum eram quando miſit me Moyſes . . . Hodie octoginta quinque annorum ſum, ſic valeos ut eo valebam tempore.*

vit, cum & anni octo & triginta, quot in deſerto poſt reditum egit, ſepteni ſupererunt pro bello in Chananæos. Cur non omnes ſimul Chananæos uno impetu ſubverterit, cauſam non ſemel (1) Deus manifeſtavit: voluit opportunum reſipiſcendi tempus hoſtibus permittere, fidem populi ſui exercere, belluas, ne in regione vacua nimium multiplicarentur, prohibere.

℣. 19. Omnes bellando cepit. Exceptione quadam dictum hoc accipiendum eſt; neque enim Chananæorum urbes omnes ſubegit; quas tamen ſubmiſit, eas vi cepit (2), ſi unam excipias Gabaonem, quæ ſponte ſe dedidit.

℣. 20. Domini sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum. Tremendo juſtiſſimi Numinis judicio factum eſt, ut gentes iſtæ cum reſipiſcere deberent, ac tot malorum cauſas, crimina nempe ſua, cognoſcere, peccata potius peccatis cumularent, ut ad extremum pervicaciæ gradum pertingerent. Palam hoc fecit Spiritus Sanctus iis verbis Sapientiæ xii. 10. *Partibus judicans* [ideſt veluti per gradus ſententiam tuam aggravans] *dabas locum pœnitentiæ, non ignorans quoniam nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.* Valuiſſet utique Deus majori illos terrore afficere, ut victoris clementiam implorare cogerentur. Valuiſſet gratiæ ſuæ potentia corda illorum ad ſe convertere, & animi pervicaciam perrumpere; ſed cum indignos ſe gratia Dei exhibuiſſent, quod contemptu & pertinacia Deo reſiſterent; ideo Deus minime corrigenda nequitia illorum provocatus, omnium graviſſimam ultionem ſuam in capita illorum immiſit, illam ſcilicet, qua peccatori fræna laxat, & impotentiæ ſuæ permittit, quam impotentiam cæcitas, & ad extremum uſque minime revocata nequitia conſequuntur.

℣. 21. In illo tempore venit Josue, et interfecit Enacim de Montanis Hebron. Repetita hic credimus ea, quæ capite x. 37. narrata ſunt de bello Joſue in Gigantes e ſtirpe Enach, in urbibus Hebrone, & Dabir verſantes. Cum Gigantes illi in eaſdem has urbes, e quibus pulſi fuerant, rediiſſent, iterum ſolum vertere coacti ſunt a Calebo, cui Hebron obtigerat, uti legimus infra xv. 14. & in Judicibus i. ℣. 10. Quare hæc verba, *In tempore illo*, nihil aliud ſonant, niſi Gigantes Enacim a Joſue ſuperatos ſuiſſe eodem tempore, quo cætera ſubigebat, de quibus in capite x.

Anab, urbs erat iv. m. paſſibus, ex Euſebio, vel viii. m. paſſibus a Dioſpoli, ex S. Hieronymo (3) in plaga orientali; nec præterea de illa quidquam ſcimus. Suſpicatur Maſius, ipſam eſſe Nob vel *Betanoba*, quam Itineraria deſcribunt prope Lyddam vel Dioſpolim, ad dexteram viæ ex Joppe Jeroſolymam.

Urbes eorum delevit. Hebræus עם עריהם החרימם *Cum urbibus eorum ſubmiſit anathemati.* Intelligendum eſt id modo de urbibus Gigantum e ſtirpe Henach; jam enim ſupra ℣. 13. animadvertimus, ſervandas duxiſſe Joſue Urbes omnes, quæ in editis locis conſidebant, unica Aſor excepta. Sunt qui reputent, *Urbium* nomine deſignari hic, ut alibi ſæpius, incolas illarum Urbium, gladio omnes trucidatos, ex legibus anathematis.

℣. 22. Non reliquit ullum de stirpe Enacim. Unde igitur Gigantes, quos Caleb aliquibus poſt annis Hebrone depulit? Ex iis facile, qui in Geth, Gazam, Azotum auſugientes, veteres tandem ſedes repetierant, cum occupari Joſue diſtribnenda inter ſuos regione animadverterunt. Cæterum Gigantes e ſtirpe Enach exhibentur in Scriptura tamquam immania corpora, viribus animique robore portentoſa, ut veluti in proverbium abierint. Fatebantur Iſraelitæ, Gigantum illorum comparatione perinde videri ſe ac locuſtas. Ex eadem ſtirpe originem retuliſſe creditur celebris ille Goliath, qui agmini Iſraelitarum inſultavit diutius; erat enim Gigas e Geth, quemadmodum & cæteri Gigantes, Davidis ætate noti. Porro immanis horum ſtaturæ argumentum e corpore Goliath aptum deducitur. Surgebat ille ſex cubitis & palmo (4), ideſt, decem pedibus Regiis, & dimidio. Narrat Joſephus (5), ſua adhuc ætate Hebrone viſa eſſe immania quædam veterum Gigantum oſſa, quæ hominum eſſe reliquiæ ægre credebantur.

Nomen Enach deprehendere licet in Græco *Anax*, quod tribui ſolebat Regibus, Heroibus, cæteriſque, quorum authoritas & dignitas ſupra reliquos erat. Paret id nomen, judice Bocharto, in voce *Phœnices*, quæ derivatur ex *Bene-Anak*, ex quo *Phanak*, ac tandem *Phœnix*. Phœnices Carthaginis conditores urbem illam appellarunt *Chadre-Anak*, ſedem Anak, uti ex *Pœnulo* Plauti intelligimus. Quamquam alia illis erat origo ac Gigantibus Enacim, ſibi tamen honori duxerunt hoc præferre nomen apud exteros, apud quos fama nominis Enak pervenerat. Cum autem *Anak* Hebraice ſit *torques*, reputarunt nonnulli, *Anakim* torquem geſtare conſueviſſe. Legimus in Scriptura, Reges illos Madianitarum, quos Gedeon bello vicit, torquem omnes prætuliſſe, & *Torquati* illi veteres Romani inſigne hoc in argumentum virtutis ſuæ acceperunt. Sed etymon illud fidei eſt parum aſſertæ; neque enim nominis hujus origo longius repetenda eſt, quam ab *Anak* Arbee filio, ex quo in poſteros tranſiit.

Gaza vel Haza, uti in originali עזה, quo eodem nomine in ſua regione appellabatur, authore Stephano (6). Urbs erat ultima Philiſtæorum, in finibus Ægypti. Si quis e Gaza in Ægyptum contenderet, nihil oſſendebat aliud quam ſolitudines, terram incultam, & arenoſam. Arriano (7) eſt viginti ſtadiis, Straboni vero libro xvi. ſeptem, a mari. Strabonis ætate, ruinis ſepulta ſuis jacebat; manebat tamen adhuc ſub Macchabæis (8), & ſupremis Judæorum Regibus, quin & ſub Imperatoribus Tito, Hadriano, Antonino, & Vero. Urbem hanc Joſue quidem armis non ſubegit, ut hic narratum eſt; ſed poſt ejus mortem cedere coacta eſt Tribui Juda (9), cui in ſortem obrigit (10): jugum tamen illud diu non tuliſſe videtur; ubique enim in Scriptura paret tanquam urbs Philiſtæorum. Addicta ſemper maaima religione fuit cultui Jovis, cognomento *Marnæ*, vel Domini.

Gath, Urbs erat quinquies mille paſſibus, vel unica leuca & dimidia ab Eleutheropoli, Dioſpolim verſus, ait Euſebius, cujus tamen authoritas nullis defendi poteſt. Celebratur maxime in Scriptura. Davidis ætate (11) Regi ſuo parebat; apud quem David perſugium a furore Saulis ſe perſequentis obtinuit. Goliath e Geth originem referebat. Hanc Urbem armis ſubactam coegiſſe ad tributum David creditur (12); ſed probabiliſſime credimus, illam poſt Salomonis obitum jugum excuſſiſſe.

Azotus, vel *Aſdod*, uti ſcribunt Hebræi, jacebat æquo ferme intervallo inter Aſcalonem & Jamniam ad Mediterraneum. Templum Dagonis ibi erectum memoratur in primo Regum v. 1. ob translatam illuc a Philiſtæis Arcam Domini. Jonathas Aſmonæus (13), capta urbe illa, profanum Templum evertit.

---

[1] Exod. xxiii. 19. Sap. xii. 10. 11. 12. [2] Auguſt. qu. xvii. in Joſue. [3] In locis Heb. Anab, ſeu Anam. [4] 1. Reg. xvii. 4. [5] Lib. 5. Antiq. c. 2. [6] Steph. μεχρι νῦν σύροι Ἄζαν αὐτὴν χαλοῦσι. [7] Arrian. l. 2. de expedit. Alex. [8] 1. Macch. xi. 61. xiii. 43. 44. Joſeph. Antiq. l. 13. cap. 21. Vide Cellar. l. 3. c. 13. p. 369. [9] Judic. 1. 18. [10] Joſue xv. 47. [11] 1. Reg. xxi. 10. *Venit David ad Achis Regem Geth.* [12] 2. Reg. viii. 1. [13] Joſeph. Antiq. l. xii. c. 8.

CAPUT XII.

Epilogus regionum captarum victorumque Regum ab Iſraelitis, Moyſe, & Joſue ducibus.

℣. 1. HI ſunt Reges, quos percuſſerunt filii Iſrael, & poſſederunt terram eorum trans Jordanem ad ſolis ortum, a torrente Arnon uſque ad montem Hermon, & omnem orientalem plagam, quæ reſpicit ſolitudinem. 2. Sehon rex Amorrhæorum, qui habitavit in Heſebon, dominatus eſt ab Aroer, quæ ſita eſt ſuper ripam torrentis Arnon, & mediæ partis in valle, dimidiæque Galaad, uſque ad torrentem Jaboc, qui eſt terminus filiorum Ammon. 3. Et a ſolitudine uſque ad mare Ceneroth contra Orientem, & uſque ad mare deſerti, quod eſt mare ſalſiſſimum, ad orientalem plagam per viam, quæ ducit Bethſimoth: & ab auſtrali parte, quæ ſubjacet Aſedoth, uſque Phaſga. 4. Terminus Og regis Baſan, de reliquiis Raphaim, qui habitavit in Aſtaroth, & in Edrai, & dominatus eſt in monte Hermon, & in Salecha, atque in univerſa Baſan, uſque ad terminos. 5. Geſſuri, & Machati, & dimidiæ partis Galaad, terminos Sehon regis Heſebon. 6. Moyſes famulus Domini, & filii Iſrael percuſſerunt eos, tradiditque terram eorum Moyſes in poſſeſſionem Rubenitis, & Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſe. 7. Hi ſunt reges terræ, quos percuſſit Joſue, & filii Iſrael trans Jordanem ad occidentalem plagam, a Baalgad in campo Libani, uſque ad montem, cujus pars aſcendit in Seir: tradiditque eam Joſue in poſſeſſionem tribubus Iſrael, ſingulis partes ſuas, 8. Tam in montanis, quam in planis, atque campeſtribus. In Aſedoth, & in ſolitudine, ac in meridie Hethæus fuit, & Amorrhæus, Chananæus, & Pherezæus, Hevæus, & Jebuſæus. 9. Rex Jericho unus: rex Hai, quæ eſt ex latere Bethel, unus: 10. Rex Jeruſalem unus, rex Hebron unus, 11. Rex Jerimoth unus, rex Lachis unus, 12. Rex Eglon unus, rex Gazer unus, 13. Rex Dabir unus, rex Gader unus, 14. Rex Herma unus, rex Hered unus, 15. Rex Rebna unus, rex Odullam unus, 16. Rex Maceda unus, rex Bethel unus, 17. Rex Taphna unus, rex Opher unus, 18. Rex Aphec unus, rex Saron unus, 19. Rex Madon unus, rex Aſor unus, 20. Rex Semeron unus, rex Achſaph unus, 21. Rex Thenac unus, rex Mageddo unus, 22. Rex Cades unus, rex Jachanan Carmeli unus, 23. Rex Dor, & provinciæ Dor unus, rex Gentium Galgal unus, 24. Rex Therſa unus: omnes reges triginta unus.

℣. 1. A TORRENTE ARNON USQUE AD MONTEM HERMON. Torrens Arnon definiebat ad meridiem totam regionem transjordanicam ab Iſraelitis occupatam; a Septemtrione vero eamdem montes Hermon terminabant. Fontes habebat ſuos Arnon in montibus Galaad, ac longo circuitu a ſeptemtrione ad meridiem iter emenſus, demum aquas in mare mortuum, prope oſtia Jordanis in eumdem lacum, devolvebat. Torrens iſte fluvii nomine donatur a Joſepho (1); nec ſane aquis unquam deſtituitur. Septuaginta reddunt hic: Ἀπὸ φάραγγος Ἀρνῶν, *Ex valle Arnon*, pro amne, vel torrente Arnon. Vox Originalis מנחל ארנון eque uſurpatur de torrente, amne, & valle (2): hic tamen certo deſignare amnem, demonſtrat apertiſſime verſiculus proxime ſuccedens, ubi ſermo eſt de ripa Arnon. Græci quidam Veteres Interpretes (3) legerunt hic *Aroer*, pro Arnon.

OMNEM ORIENTALEM PLAGAM, QUÆ RESPICIT SOLITUDINEM. Occupabant Iſraelitæ totam late regionem, ad Orientem Jordanis, porrectam a Deſerto, vel campeſtribus Moab, de quibus ſæpe, uſque ad montem Hermon. Hebræus ad literam: וכל הערבה מזרחה *Poſſederunt totam Araba* [totam planitiem] *ad ortum Solis*. Nec S. Hieronymus, nec Septuaginta ſatis conſtantem verſionem vocis *Araba* retinuerunt; modo enim *deſertum*, modo *occidentem*, modo *campeſtria* reddiderunt. Certo tamen conſtat, uſurpari hic pro regione plana (4), uti & vocem *Araba* diſtingui ſæpe a deſerto, & montibus; exprimit autem *Arabot* planam regionem, aptam paſcuis, quamvis incultam.

℣. 2. AB AROER, QUÆ SITA EST SUPER RIPAM TORRENTIS ARNON, ET MEDIÆ PARTIS IN VALLE. Urbs Aroer jacebat in ripa occidentali Arnon, in medio vallis, per quam hic Torrens fluebat; & Regnum Sehon porrigebatur a torrente Arnon, & ab Urbe Aroer ad meridiem, ad uſque torrentem Jaboc ad Septemtrionem.

DIMIDIÆQUE GALAAD USQUE AD TORRENTEM JABOC. Montium Galaaditidis tractus, a Septemtrione ad meridiem excurrens, porrigebatur a monte Hermon aduſque fontes Arnon, qui in media longitudine Regionis Sehon oriebantur. Rex igitur hic ſub ditione ſua continebat *dimidiam Galaad*, ideſt, dimidium montium, & Regionis, quæ nomine Galaad diſtinguebantur, ad Orientem ſuæ ditionis: ſeu potius occupabat dimidiam Galaad, ditio ſcilicet ejus ad uſque medium longitudinis eorum montium porrigebatur.

USQUE AD TORRENTEM JABOC, QUI EST TERMINUS FILIORUM AMMON. Fontes habet ſuos hic torrens in montibus Galaad; fluenſque ex Oriente in Occidentem, denique in Jordanem devolvitur (5).

Deſi-

(1) Joſeph. Antiq. l. 4. c. 4. (2) Vide Druſ. hic. (3) Vide nov edit. Hexapl. hic. (4) Vide Maſium, & confer hunc locum cum Deut. III. 8. (5) Euſeb. & Hieron. in lo. 11. Joſeph. Antiq. l. 4. c. 5.

Digitized by Google

Definiebat regionem Sehon ad ſeptemtrionem, & Ammonitarum ad meridiem.

℣. 3. Et a solitudine usque ad mare Ceneroth contra Orientem, et usque ad mare deserti. Repetit hic quæ ſupra ℣. 1. narraverat: modo tamen fuſius rem eamdem perſequitur. Regnum Sehon ad Orientem Jordanis erat, se ſecundum eumdem fluvium porrigebatur a mare Ceneroth vel Geneſareth ad ſeptemtrionem, uſque ad mare deſerti, vel ſalſum, vel mortuum, vel lacum Sodomæ; his enim omnibus aliiſque pariter nominibus idem locus appellatur. Deſignari etiam ſolet nomine maris deſerti, Hebraice ים הערבה *Maris Araba*, quod ſcilicet diffundatur in Campeſtria, vel *Arabot* Moab trans Jordanem. Totus hic Textus non male redditur: *A planitie uſque ad mare Ceneroth, quod eſt ad orientem, & uſque ad planitiem, ubi mare ſalſum, & ipſum pariter ad orientem.*

Per viam, quæ ducit Betsimoth, Urbem hanc collocat Euſebius decies mille paſſibus ab Jerichunte: nobis vero conſtituitur prope Mare Mortuum, in campeſtribus Moab (1). Incidebat in lineam, quam Joſue deſcribit, a mari Tiberiadis aduſque mare mortuum deductam, Alio nomine appellatur Betjeſimoth, vel Betſimath.

Ab australi parte, quæ subjacet Asedoth, usque Phasga. Pars meridionalis Regni Sehon ita deſcribitur: Excurrebat *ab Aſedoth uſque Phaſga*; ſeu potius, *ab Aſedoth-Phaſga*, uſque ad mare mortuum; neque enim Aſedoth a Phaſga ſeparandum eſt. Urbs fuiſſe creditur ad radices montis Phaſga (2); niſi forte reputaverimus, nomine *Aſedoth* deſignati declive ejuſdem montis (3), & ſubjectos illi campos, vel aquarum fontes ibi ſcaturientes (4). Unicum modo tractus meridionalis terminum deſignat ſacer Hiſtoricus, quod ejuſdem terminum alium, mare ſcilicet mortuum, proxime ſuperius enunciaverit.

℣. 4. Terminus Og. De Regno & Perſona ejuſdem Regis, fuſius diſſeruimus in Numeris xxi. 33. & Deuteronomio iii. 11.

De reliquiis Raphaim. Raphaim genus erant hominum, in Chananitide natum, regionemque cis Jordanem occupans, Ex illis tamen quidam amne tranſmiſſo, & Regnum & ſedes conſtituerunt in Baſanitide: ſed illos vicit Moyſes, ſuperato Og, qui inter Raphaim noviſſimus fuit, uti in Deuteronomium iii. 11. animadverſum eſt.

Qui habitavit in Astaroth et in Edrai. Vide Deuteronomium 1. 4.

In Salecha. Urbis hujus certus ſitus latet: in Baſanitide tamen conſtitutam fuiſſe ſcimus.

Universa Basan usque ad terminos ℣. 5. Gessuri et Machati. Regio Baſan, Moyſis ac Joſue ætate, tractum occupabat a torrente Jaboc ad meridiem, uſque ad fines Geſſuri & Machati ad ſeptemtrionem, ad radices montium Hermon. Septuaginta legunt *Gergeſi*, pro *Geſſuri*.

℣. 5. Dimidiæ partis Galaad terminos Sehon. Regni hujus Principis latus occidentale definiebat torrens Jaboc, qui e medio tractu montium Galaad originem ſuam referebat. Vide ℣. 2.

℣. 7. A Baalgad in campo Libani, usque ad montem, cujus pars ascendit in Seir. Repetitio eſt eorum, quæ ſupra xi. 17. narrantur. Cum Joſue totam ſubegiſſet regionem inter *Baalgad* & Libanum ad ſeptemtrionem, monteſque Seir ad meridiem, inter filios Iſraelis diviſit. Hebræus ad literam (5): *A Baalgad*, quæ eſt *in valle Libani, uſque ad montem Chalac, aſcendentem in Seir*. Jam ſupra animadvertimus, torqueri Interpretes in hoc monte *Chalac*, quam vocem reddunt montem calvum vel raſum. Nobis tamen perſuaſum eſt, commodum hunc ſenſum tribui poſſe utrique Textui, eamdem vocem præferenti: *Adeptus eſt Joſue totam regionem quæ eſt trans Jordanem ad ſeptemtrionem, a Baalgad ad radices Libani & montis Hermon*, prope eum locum, ubi montes illi coeunt, *uſque ad montes ſeparationis*, qui ſcilicet diſtinguunt regionem Chanaan, & ditionem Seir, quique Idumæam verſus aſcendunt. Optime nomen hoc montium ſeparationis congruit montibus ad meridiem Judæ, uti Tabulam Geographicam inſpicientes ſtatim intelligent, Interpretationes aliæ violenti plurimum & obſcuri præferre videntur.

℣. 8. In Asedoth. Narrationis ſeries demonſtrat, vocem hanc generali quadam ſignificatione pro locis cultis & irriguis, vallibuſque uſurpari oportere, Vide ℣. 3.

℣. 9. Hai, quæ est ex latere Bethel. Urbem Hai, de qua in Capite vii. diſtinguit ab altera cognomine, in ditione Ammonitarum (6). In ſuccedentibus verſiculis de Urbibus, de quibus nihil hucuſque, agemus.

℣. 13. Gader in Tribu Juda ipſa eſt *Gador*, de qua in 1. Paralipomenon iv. 39. & Gedor, de qua Joſue xv. 58. & primus Macchabæorum xv. 39. In Græco & apud Joſephum Gazara dicitur. Pulſis Chananæis, illam ſibi vindicavit Tribus Simeonis, ac deinde ſub Simone Macchabæo in poteſtatem Antiochi filii Demetrii venit, cujus juſſu a Cendebæo munitionibus vallata eſt. Quamquam procul ab Jamnis non abfuiſſe videtur; certus tamen ejus ſitus latet. Godaram appellat Strabo libro xvi. conſtituitque Joppe & Jamniæ vicinam.

℣. 14. Herma, vel Horma, & Harma, ideſt, *Anathema*. Sunt qui credant, Iſraelitas fugientes hucuſque Chananæis urgentibus ceſſiſſe, cum ſcilicet Iſraelitæ, Dei licet injuſſu, aggredi Chananæos auſi ſunt (7). Poſt annos plures Rex Arad cum moviſſet in Iſraelitas, hi totam hoſtilem regionem devoventes Domino, loco, ubi votum illud nuncuparunt, Sephat (8) antea appellato, nomen *Horma* (9) indiderunt. Huic autem opinioni, quæ Hermam hujus loci confundit cum Horma Libri Numerorum, favet, I. Quod hic cum Arad vel Ared conjungitur; II. quod Tribui Juda aſſignata eſt (10); III. quod infra xix. 4. 5. jungitur cum Siceleg. Porro Horma, & *Arad*, vel *Ered*, & *Siceleg* Urbes erant propinquæ. *Arad*, vel *Ered*, vel *Adar*, vel *Arada* (11) jacebat xx. m. paſſibus ab Hebrone, & quater mille a Malathi, juxta Euſebium, inter Cadesbarne & Aſmonam.

℣. 15. Odullam, vel Odollam, ſeu Odolla urbs Tribus Juda (12), x. m. paſſibus ab Eleuteropoli, orientem verſus (13). Notiſſima eſt ex perfugio Davidi præſtito in una e ſuis ſpeluncis, cum David ipſe perſequentem Saulem fugeret (14).

℣. 17. Taphua in Tribu Juda. Ejus urbis certus ſitus latet: altera ejuſdem nominis jacebat in finibus Ephraim & Manaſſe.

Ophra. Eamdem credo urbem ac Opheram in Tribu Benjamin (15). Altera erat in Tribu Zabulonis, quæ Jonæ Prophetæ patria creditur; & hanc ipſam urbem ſignificari hic ab Joſue, Bonfrerius & Cellarius exiſtimaſſe videntur (16).

℣. 18. Aphec vel Apheca. Plures ſunt ejus nominis urbes, aliam etenim habebat Tribus Aſer (17), aliam Tribus Juda (18), tertiam Syria (19). E duabus prioribus alterutram hic deſignari a Joſue, conſtat quidem inter omnes; latet vero quæ nam potiſſimum. Eſt etiam quarta alia ejuſdem nominis in Tribu Iſſachar, ex S. Hieronymo: eam tamen demonſtrari non poſſe ex Scri-

(1) Vide quæ diximus in Numeros xxxiii. 49. (2) Vide Joſue xiii. 20. (3) Ita Maſ. (4) Pagn. Munſt. (5) מבעל גד בבקעת הלבנון ועד ההר החלק העולה שעירה (6) Jerem. xlix. 3. (7) Num. xiv. 45. (8) Vide Judic. 1. 17. (9) Num. xxi. 3. (10) Joſue xix. 2. 4. (11) Vide quæ diximus in Num. xxxiii. 24. (12) Joſue xv. 35. 58. (13) Euſeb. & Hieron. in locis Heb. (14) 1. Reg. xxii. 1. (15) Joſue xviii. 1. (16) Vide Bonfr. Onomaſtic. & Cellar. l. 3. c. 13. in Ephes. (17) Joſue xix. 30. (18) 1. Reg. iv. 1. & xxix. 1. (19) 3. Reg. xx. & 4. Reg. xiii.

ptura, Bonfrerius exiſtimat. Quin & Urbem Tribus Aſer ab altera in Syria diſtinguendam non eſſe, ego quidem reputaverim.

Saron vel Lasaron מלך לשרון, uti legunt Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta. Author Vulgatæ putavit, literam L in principio vocis ſervilem eſſe, eaque indicari ſolummodo eum Rege proxime præcedenti relationem. Reputarunt alii, *Laſaron* nomen eſſe Urbis, longe alterius a Saron, in Baſanitide trans Jordanem poſita (1), & agri ſui ubertate inclyta (2). *Decor Carmeli & Saron*. Urbs autem, de qua modo, non longe aberat a Lydda, nec diſtinguenda creditur a *Sarona* (3). Forte etiam *Saron* nomen eſt agri, vel provinciæ, & non urbis; quod indicare videntur ℣℣. 22. 23. Agit enim Scriptura de Saron potius ut regione, quam urbe. Docet Euſebius, tractum illum agri a Cæſarea Palæſtinæ ad uſque Joppen, Saron appellari.

℣. 19. Madon. De hac urbe actum eſt ſupra, xi. 1.

℣. 21. Thenac vel Thanac, in dimidia Tribu Manaſſe trans Jordanem, ter mille paſſibus a Legione. Poſterior hæc urbs celebratur maxime in Libro de Locis per Euſebium ſcripto, verſoque per S. Hieronymum. Jacebat inter montem Thabor, & mediterraneum xv. m. paſſuum a Nazareth, occidentem verſus (4). Ad Thanae profligatus eſt Siſara a Barach (5). Urbs erat Levitis aſſignata (6); nunquam tamen inde pulſi ſunt Chananæi (7), quos poſt Joſue obitum illa potitos arbitramur.

Mageddo, urbs non longe a torrente Ciſſon, ubi Siſara victus fugatuſque eſt. Ceſſit Tribui Manaſſe (8). Agri Mageddo nomen celebre eſt ex clade copiarum Regis Joſiæ, qui tranſitum Nechao Regi Ægypti prohibiturus venerat (9). Aquarum Mageddo meminit Debora (10).

℣. 22. Cades vel Cedes, urbs Galilææ, in Tribu Nephtali, Levitica, & Refugio aſſignata (11). Aberat xx. m. paſſibus a Tyro, Paneadem verſus. Utrum hæc Urbs Cades ipſa eſt Cadytis (12), armis Regis Ægypti ſubacta? Non diſtat plurimum a Mageddo, ubi Joſias prælio victus eſt.

Rex Jachanan Carmeli. Supra ℣. 18. animadvertimus, ſolemne eſſe Joſue deſignare interdum nomen loci, ubi Rex aliquis imperabat, ex nomine regionis, quæ ejus imperio parebat. In hoc verſiculo & ſequentibus jungit nomen urbis & Regionis; ſed ℣. 18. agens de Rege Saron, & ℣. 23. de Rege Gentium, ſatis habet de illo quidem animadvertere, jus dixiſſe illum in provincia Saron; de altero, regnaſſe in Provincia Galgal, nec nomen Metropoleos ſignificavit.

Jachanan Carmeli urbs erat monti Carmelo proxima, quæ pariter appellata legitur *Jernam* vel *Jeconam* (13). Parebat Tribui Zabulonis, ceſſitque Levitis.

℣. 23. Rex Dor et Provinciæ Dor. Hebræus (14): *Rex Dor, tractus Dor*. Jam alibi diſſeruimus de regione Dor ad Mediterraneum in dimidia Tribu Manaſſe. Hebræas voces conſervarunt Septuaginta (15): *Rex Dor, Naphat Dor*.

Rex gentium Galgal. Nomen Galgal prono & naturali ſenſu accipi hic non poteſt de loco, ubi Iſraelitæ poſt Jordanis tranſitum caſtrametati ſunt. Nullus ibi Rex, urbs nulla. Peculiaris loci hujus ſyntaxis indicat, nomen Galgal deſignare hic regionem aliquam terræ Chanaan; & locorum, de quibus ſupra & infra, ſeries demonſtrat, regionem hanc cis Jordanem, & in plaga ſeptemtrionali terræ Promiſſionis conſediſſe: ex quo ducta plurium Interpretum opinio, Regem hunc imperaſſe in ſuperiori Galilæa, quæ cognomine Galilææ gentium diſtinguebatur. Nomen Galgal affinitatis habet plurimum cum Galilæa, & ab illa non multum abſunt Regna, de quibus modo.

At enim Galilææ nomen recentiſſimum eſt, nec ante regioni inditum, quam poſt translatas Tribus Zabulonis, Aſer & Nephtali in Regnum Aſſyriorum per Teglatphalaſſarem. Cum enim tractum illum tunc occuparent Ethnicæ & Paganæ gentes, hinc nomen loco derivatum eſt Galilææ gentium. Repono, nullis ſatis idoneis argumentis probari, recentem adeo originem retuliſſe nomen Galilææ; quin & vero propius nos arbitrari, multo vetuſtius eſſe, cum legatur in Iſaia, & in Libris Regum ad hiſtoriam Salomonis. Narratur enim (16) ibi, Salomonem muneris loco dediſſe Hiramo viginti urbes בארץ גליל *in terra Galilææ*; donum recuſavit Hiram, locuſque urbes illas continens appellatus eſt terra *Chabul*. Iſajas vero (17) prænuncians futuram Servatoris prædicationem in Galilæa, vaticinatur: *Terra Zabulon & terra Nephtali .... Galilæa gentium vidit lucem magnam*. In Hebræo eorum Textuum regio hæc appellatur *Gelil*; ſed inter omnes ferme convenit, ipſum eſſe idemque ac *Galgal* (18), de qua hic. Cognomine Galilææ gentium ideo diſtinguitur, quod vel Judæis mixtos Paganos frequentes contineret, vel incolas haberet e pluribus gentibus collectos, variam inter ſe & obſcuram originem referentes. Affirmat Strabo (19), plures eſſe in Palæſtina regiones e variis collectis populis frequentatas, uti ex Arabibus, Phœnicibus, Ægyptiis: profert autem exemplum hujus rei Galilæam, quam totam variarum gentium homines occupabant: id autem ex quo primum tempore cœperit, nemo doceat. Cæterum Galilæa gentium totam continebat Galilæam ſuperiorem, porrigebaturque a Tyro & Sidone uſque trans Jordanem, montes Trachonitas, & ſecundum eum amnem, per Tribus Aſer & Nephthali excurrens. Rex, de quo hic Joſue, totum ſane hunc tractum non occupabat; nec plane unicum fuiſſe Regem totius regionis, quæ deinde nomine Galilææ gentium diſtincta eſt, credimus. Vide Animadverſiones in Tabulam Geographicam.

℣. 24. Thersa. Urbs hæc longiſſimi temporis ſpatio Metropolis fuit Regni Iſraelis, & Regum illius ſedes (20). Verſati ſunt ibi Jeroboamus ejuſque ſucceſſores, uſque ad Amri, qui Samariam condidit. Hujus quidem meminere ſæpe Scriptura, Joſephus & Euſebius, ſed ejus ſitum non determinant. In Tribu Ephraim, ubi ſedes Regni Iſraelis, urbem hanc ponimus. Tribus leucis a Samaria, meridiem verſus, & in montis ſpecula illam conſtituit Brocardus, quem, cum meliora deſint monumenta, ſequi neceſſe eſt.

(1) 1. Par. v. 16. (2) Iſai. xxxiii. 9. & xxxv. 2. (3) Act. ix. 35. (4) Vide Bonfr. & Cellar. l. 3. c. 13. (5) Judic. v. 19. (6) Joſue xxi. 25. (7) Judic. i. 27. (8) Joſue xvii. 11. (9) 2. Par. xxxv. 22. (10) Judic. v. 16. (11) Joſue xx. 7. (12) Herodot. l. 2. c. 159. (13) Joſue xxi. 34. & xix. 11. (14) מלך דור לנפת דור (15) Βασιλεὺς Δώρ, τοῦ Ναφεδδώρ. (16) 3. Reg. ix. 12. 13. (17) Iſai. ix. 1. Vide Matth. iv. 15. (18) גוים לגלגל Edit. Rom. γοιὶμ τῆς γαλιλαίας. (19) Strabo lib. 16. ὑπὸ φυλῶν οἰκούμενα μικτῶν, ἔκ τε αἰγυπτίων ἐθνῶν, καὶ Ἀραβίων, καὶ φοινίκων. οἱ τοιοῦτοι δὲ οἱ Γαλιλαίαν ἔχοντες. (20) Vide Bonfr. in Therſa.

C A-

CAPUT XIII.

Mandat Deus Joſue, ut ſubactam regionem inter filios Iſraelis diſtribuat. Diviſio ſoli trans Jordanem facta a Moyſe ante obitum ſuum inter Tribus Ruben, Gad, & dimidiam Manaſſe.

℣. 1. JOſue ſenex, provectæque ætatis erat, & dixit Dominus ad eum: Senuiſti, & longævus es, terraque latiſſima derelicta eſt, quæ necdum ſorte diviſa eſt: 2. Omnis videlicet Galilæa, Philiſtiim, & univerſa Geſſuri. 3. A fluvio turbido, qui irrigat Ægyptum, uſque ad terminos Accaron, contra Aquilonem. Terra Chanaan, quæ in quinque regulos Philiſthiim dividitur; Gazæos, & Azotios, Aſcalonitas, Gethæos, & Accaronitas. 4. Ad meridiem vero ſunt Hevæi, omnis terra Chanaan, & Maara Sidoniorum, uſque Apheca, & terminos Amorrhæi, 5. Ejuſque confinia. Libani quoque regio contra orientem, & Baalgad ſub monte Hermon, donec ingrediaris Emath. 6. Omnium, qui habitant in monte, a Libano uſque ad aquas Maſerephoth, univerſique Sidonii. Ego ſum qui delebo eos a facie filiorum Iſrael: Veniat ergo in partem hæreditatis Iſrael, ſicut præcepi tibi. 7. Et nunc divide terram in poſſeſſionem novem tribubus, & dimidiæ tribui Manaſſe, 8. Cum qua Ruben, & Gad poſſederunt terram, quam tradidit eis Moyſes famulus Domini trans fluenta Jordanis ad orientalem plagam. 9. Ab Aroer, quæ ſita eſt in ripa torrentis Arnon, & in vallis medio, univerſaque campeſtria Medaba, uſque Dibon: 10. Et cunctas civitates Sehon regis Amorrhæi, qui regnavit in Heſebon, uſque ad terminos filiorum Ammom. 11. Et Galaad, ac terminum Geſſuri, & Machati, & omnem montem Hermon, & univerſam Baſan, uſque ad Salecha. 12. Omne regnum Og in Baſan, qui regnavit in Aſtaroth, & Edrai, ipſe fuit de reliquiis Raphaim: percuſſitque eos Moyſes, atque delevit. 13. Nolueruntque diſperdere filii Iſrael Heſſuri, & Machati: & habitaverunt in medio Iſrael uſque in præſentem diem. 14. Tribui autem Levi non dedit poſſeſſionem, ſed ſacrificia, & victimæ Domini Dei Iſrael, ipſa eſt ejus hæreditas, ſicut locutus eſt illi. 15. Dedit ergo Moyſes poſſeſſionem tribui filiorum Ruben juxta cognationes ſuas. 16. Fuitque terminus eorum ab Aroer, quæ ſita eſt in ripa torrentis Arnon, & in valle ejuſdem torrentis media: univerſam planitiem, quæ ducit Medaba, 17. Et Heſebon, cunctoſque viculos earum, qui ſunt in campeſtribus; Dibon quoque, & Bamothbaal, & oppidum Baalmaon, 18. Et Jaſſa, & Cedimoth, & Mephaath, 19. Et Chariathaim, & Sabama, & Sarathaſar in monte convallis. 20. Bethphogor, & Aſedoth, Phaſga, & Bethieſimoth, 21. Et omnes urbes campeſtres, univerſaque regna Sehon regis Amorrhæi, qui regnavit in Heſebon, quem percuſſit Moyſes cum principibus Madian: Hevæum, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe duces Sehon habitatores terræ. 22. Et Balaam filium Beor ariolum occiderunt filii Iſrael gladio cum cæteris interfectis. 23. Factuſque eſt terminus filiorum Ruben Jordanis fluvius. Hæc eſt poſſeſſio Rubenitarum per cognationes ſuas urbium, & viculorum. 24. Deditque Moyſes tribui Gad, & filiis ejus per cognationes ſuas poſſeſſionem, cujus hæc diviſio eſt, 25. Terminus Jaſer, & omnes civitates Galaad, & dimidiam partem terræ filiorum Ammon, uſque ad Aroer, quæ eſt contra Rabba, 26. Et ab Heſebon uſque Ramoth, Maſphe, & Betonim, & a Manaim uſque ad terminos Dabir. 27. In valle quoque Betharam, & Bethnemra, & Socoth, & Saphon reliquam partem regni Sehon regis Heſebon: hujus quoque finis, Jordanis eſt, uſque ad extremam partem maris Cenereth trans Jordanem ad orientalem plagam. 28. Hæc eſt poſſeſſio filiorum Gad per familias ſuas, civitates, & villæ earum. 29. Dedit & dimidiæ tribui Manaſſe, filiiſque ejus juxta cognationes ſuas poſſeſſionem, 30. Cujus hoc principium eſt: a Manaim univerſam Baſan, & cuncta regna Og regis Baſan, omneſque vicos Jair, qui ſunt in Baſan, ſexaginta oppida. 31. Et dimidiam partem Galaad, & Aſtaroth, & Edrai, urbes regni Og in Baſan: filiis Machir, filii Manaſſe, dimidiæ parti filiorum Machir juxta cognationes ſuas. 32. Hanc poſſeſſionem diviſit Moyſes in campeſtribus Moab trans Jordanem contra Jericho ad orientalem plagam. 33. Tribui autem Levi non dedit poſſeſſionem: quoniam Dominus Deus Iſrael ipſe eſt poſſeſſio ejus, ut locutus eſt illi. A. M. 2559

℣. 1. JOSUE SENEX, PROVECTÆQUE ÆTATIS ERAT. Agebat centum annorum ætatem; e quibus ſeptem impenderat in ſubigendo tractu illo terrarum, & integer ferme annus in eo diſtribuendo inſumptus eſt. Deceſſit tandem Joſue decem poſt annis, annorum cx. ætate grandævus. Inclytus hic vir agitabat facile conſilium totam ſubigendi regionem, antequam illam inter Iſraelitas divideret; nec ſane ambigendum eſt, quin toto illo ſeptennio munera omnia præſtiterit, quæ inclyti ducis eſſent, ut conſilium hoc ſuum impleret, & Chananæorum vel nomen ipſum deleret. Sed Numinis providentia e re eſſe cenſuit, ut gentium illarum portionem conſervaret, ad continendos in obſequio Iſraelitas, quin & puniendos, ſi forte officii ſui immemores a fide recederent: quare mandavit Joſue, ut ſtatim regionem diſtribueret, licet plures adhuc ſupereſſent Urbes, quæ jugum non ſubierant.

TERRA LATISSIMA DERELICTA EST, QUÆ NECDUM SORTE DIVISA EST. Hebræus (1): *Terra relicta eſt multa valde ad poſſidendum eam*. Multum adhuc ſupereſt regionis ſubigendæ, neque tamen idcirco prohibearis a ſuſcipienda terræ illius diviſione. Singularum Tribuum erit pellere, exterminare, vel deſtruere Chananæos, ſi quos in ſorte ſua nactæ fuerint. Idcirco autem multum adhuc terræ dividendum ſupereſſe ſcribitur, quod ea terra compararetur alteri Transjordanicæ, per Tribus jam diviſæ.

℣. 2. OMNIS GALILÆA, PHILISTIIM ET UNIVERSA GESSURI. Ægre ſatis perſuademur, totam Galilæam nondum veniſſe in poteſtatem Hebræorum poſt bella plura ab Joſue in regione geſta (a); ex quo ſuboritur ſuſpicio, voces Originalis alio ſenſu accipi oportere in hanc verſionem (3): *Omnes termini Philiſtæorum, & omnis terra Geſſuri*. Nomen *Geliloth* in hoc ſenſu uſurpatum bis in ſequentibus Capitibus occurrit (4).

Terra Geſſuri, de qua hic, differt ab alia ejuſdem nominis, adjacente monti Hermon trans Jordanem: hæc enim porrigebatur in plaga meridionali terræ Chanaan, Arabiam verſus, vel Ægyptum, ut innuitur e verbis illis Davidis ad Achis, affirmantis ſe excurriſſe regionem circa Jerameel in Tribu Juda, quamquam arma non intuliſſet niſi in Geſſuritas, & Gerſitas (5). Ambigit Cellarius, utrum urbs aliqua Geſſuri unquam extiterit (6); reputatque, nomine illo deſignari tantum gentem Amalecitis proximam.

℣. 3. A FLUVIO TURBIDO, QUI IRRIGAT ÆGYPTUM. Hebræus (7): *A Sichor, qui ſuper faciem Ægypti*, ſeu qui eſt ante Ægyptum, *uſque ad terminum Accaron*. Interpretum plerique (8) in Sichor Nilum agnoſcunt, eumdemque amnem nomine Sichor appellat Jeremias 11. 18. *Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquas Sichor?* Docent equidem Itineraria, lutulento amne fluere plerumque Nilum; neque tamen idcirco prohiberi, quin illis utantur ad potum incolæ ejus loci, ubi unicus eſt tantum fons. Projectæ in vas aqua Nili plenum paucæ quædam ſeu amygdalæ ſeu fabæ contuſæ, nativum lymphæ nitorem reſtituunt (9).

Scribit Vanslebius *pag.* 54. portitores aquarum cum primum lagenas ſuas aqua impleverint, intimam ſuperficiem linire affrictu globuli cujuſdam ex amygdalis contuſis, redactiſque in maſſam, eoque tantum artificio brevi aquas lutum deponere. In eamdem rem utuntur agricolæ nucibus malorum Americanorum, quas eadem arte præparant; idem etiam præſtari creditur fabarum farina. De præſtantia aquarum Nili, quas totius Orbis optimas reputat Proſper Alpinus (10), fuſius ipſe diſſeruit. Perſuaſum eſt etiam Ægyptiis, valere illas plurimum ad nutriendum, & copioſum ſanguinem gignere; quam latici virtutem acceſſiſſe ajunt, ex quo ſub Pharaone Moyſes Nilum in ſanguinem vertit.

Nomina huic amni plura, nomini Sichor affinia, Veteres tradiderunt; uti illud e. g. *Siris* (11); quare aſtrum Caniculæ, quo regnante Nilus exundat, *Sirius* appellatus eſt. Id autem ad *Sihor* vel *Sichor* accedit. Hodie pariter Æthiopes amnem nuncupant *Schichrt*. Nomen *Melas*, quod Græce eſt niger, vel turbidus, altera eſt Nili appellatio, qui etiam *Melo* dictus eſt (12); quamquam alterum hoc nomen ex Hebræo *Mele*, quod eſt plenum, optime derivatur. *Ægyptus de Cælo lapſus* dicitur apud Homerum (13); docetque Heſychius, *Ægyptum* perinde valere ac nigrum. Tandem, ſi quæ fides Theophylacto Simocattæ, incolæ Meroes appellant *Aſtapum*, quod vernaculo eorum ſermone ſonat aquam ex obſcuritate ortam. Sed inter vetuſta hæc nomina, nomen Oceani amni datum vetuſtiſſimum eſſe affirmat Diodorus Siculus (14): acceſſit illi pariter nomen Aquilæ, cum placidiori amne fluit. Ægyptus dictus eſt a Rege quodam Ægypto. Locus, ubi in mare devolvitur, Theonis nuncupatus eſt; ac tandem a Rege Nileo accepit Nili appellationem, quæ ducta videtur ex Hebræo *Nahal*, torrens vel amnis. Agens Mela (15) de fonte quodam, qui Nili eſſe credebatur, ſcribit: *Nuchul ab incolis dicitur; & videri poteſt non alio nomine appellari, ſed a barbaro ore corruptus*; ideſt, *Nuchul* idem nomen videtur ac *Nilus*, ſed vitio pronunciationis barbaricæ corruptum. Nilum inter Numina collocaſſe Ægyptios tam certum eſt, quam quod maxima (16).

Te propter nullos tua tellus poſtulat imbres,
Arida nec fluvio ſupplicat herba Jovi (17).

Septuaginta (18) pro flumine *Sichor* reddiderunt: *Ab inhabitata, quæ eſt ad faciem Ægypti*; & in Iſaia xxvii. 12. torrentem Ægypti verterunt Rhinocoruram: *A foſſa fluminis uſque ad Rhinocoruram*. Ex quo intelligimus, reputaſſe Interpretes illos, torrentem Rhinocoruræ eſſe torrentem Ægypti, eumdemque fuiſſe ex ea plaga limitem terræ promiſſionis. Scitum eſt, jacere inter Gazam & Peluſium tractum trium dierum circiter itineris, penitus incultum, & ſterili ſolo atque arenoſo ingratum. In vaſta illa ſolitudine duas ferme ſolas Urbes adſcribunt Geographi, Antedonem & Rhinocoruram: quare fruſtra quis conari videatur, ut vel tueatur, vel vindicet Hebræis poſſeſſionem terræ ſqualidæ adeo & ingratæ; ac minimi eſt momenti, inutilem hanc hæreditatem illis ſive concedere, ſive denegare. Quod tamen res ipſa non

[1] והארץ נשארה הרבה מאד לרשתה [a] Joſue xi. 10. 23. & Bonfr. hic. [3] כל גלילות הפלשתים וכל הגשורי [4] Joſue xviii. 18. *Et pertranſivit uſque ad tumulos, qui ſunt e regione aſcenſus Adommim*. Heb. *Uſque ad Geliloth*, &c. Et Joſue xxii. 10. 11. *Ad tumulos Jordanis*. Heb. *Ad Geliloth Jarden*. [5] 1. Reg. xxvii. 10. & xxx. 29. [6] Cellar. l. 3. c. 13. pag. 358. [7] ומן השיחור אשר על פני מצרים ועד גבול עקרון [8] Hebræi, Lyr. Toſt. Mont. Pagn. Munſt. Vat. Bonfr. Lyr. Cleric. [9] Le Sire de Joinville, Hiſt. de S. Louis P. 2. Morizon, voyage l. 1. c. 20. [10] Proſper. Alpin. de medic. Ægypt. l. 1. c. 10. [11] Dionyſ. Afer.

Σίρις ὑπ' Αἰθιόπων κικλήσκεται, οἱ δὲ Συήνης.
Ἐνναέται στρεφθέντι μετ' οὔνομα Νεῖλον ἔθεντο.

[12] Servius in illud Georgic. 4.

Et viridem Ægyptum nigra fœcundat arena.

Sic notat: *Nam antea Nilus Melo dicebatur*. Vide, ſi placet, Joh. Cleric. hic. [13] Homer. Odyſſ. Δ.

Ἂψ δ' εἰς Αἰγύπτοιο διιπετέος ποταμοῖο στῆσαι νῆας.

[14] Diodor. Biblioth. l. 1. c. 2. Item l. 2. c. 2. [15] Mela lib. 3. c. 9. [16] Αἰγύπτιε Ζεῦ Νεῖλε. Poeta quidam apud Athen. l. 5. [17] Tibull. Eleg. l. 1. Eleg. 8. ℣. 25. 26. Alii legunt, *pluvio*. [18] Ἀπὸ τῆς ἀοικήτου τῆς κατὰ πρόσωπον Αἰγύπτου.

non poſtulat, veritas exigit, ne ſcilicet penitus deſeramus eam regionem, quam Deus conceptis adeo crebriſque verbis per Scripturam populo ſuo tribuit. Id certum apud nos ſedet*, ramum Nili ſolummodo, qui non procul a Peluſio fluit, intelligi poſſe nomine fluvii ac *torrentis Ægypti*, & ſub appellatione *Sichor*: id autem argumentis demonſtrare aggredimur.

I. Facile nobis aſſerentibus dabitur, amnem, vel torrentem Ægypti, quicumque demum is fuerit, ad ditionem Ægypti pertinuiſſe, vel ſaltem ad regionem Ægypto adeo proximam, illique conjunctam, ut ſub nomine Ægypti cenſeretur: conſtat autem, torrentem Rhinocoruræ nec in Ægypto, nec adeo proximum Ægypto fluxiſſe, ut ſub Ægypti nomine ſignificaretur. Torrens igitur Ægypti, de quo Scriptura, a torrente Rhinocoruræ diſtinguendus eſt. Minime omnium probari poteſt, urbem hanc intra regionem, quæ peculiari Ægypti nomine appellatur, comprehenſam fuiſſe, quamquam facile Regibus ejuſdem regionis paruit; quo ſenſu a Ptolemæo & Stephano inter Ægyptias recenſetur. Rhinocoruram Phœniciæ tribuit Strabo; qui pariter (1) Phœniciam ad Peluſium terminat. Herodoto, Plinio (2), & Diodoro Siculo Palæſtina ad lacum Sirbonem excurrit. Ipſe pariter S. Hieronymus (3), cæterique qui putant, torrentem Rhinocoruræ ipſum eſſe torrentem Ægypti, ultro fatentur, Paleſtinam eo uſque porrigi: quomodo autem, cum Rhinocorura inter Paleſtinæ urbes recenſeatur, torrens vel illam ſecans mediam, vel alluens, torrens Ægypti merito appellatur? Profecto S. Hieronymus tam longe abeſt ab improbanda ſententia, quæ torrentis Ægypti nomen vindicat ramo Nili, ut potius illam commendet, nec niſi ſecundo loco meminerit torrentis, qui e deſerto ad Rhinocoruram fluit.

II. Torrens Ægypti ſæpe adeo deſignatus in Scriptura tamquam limes terræ promiſſionis meridionalis, idem eſt plane ac *Sichor* hujus loci: id quod apertiſſime demonſtrat teſtimonium primi Paralipomenon XIII. 5. *Congregavit ergo David cunctum Iſrael a Sichor Ægypti, uſque dum ingrediaris Emath*; quæ verborum phraſis perinde valet ac aliæ, quibus fertur, populum conveniſſe (4) *ab introitu Emath uſque ad torrentem Ægypti*. Eſt autem Sichor Ægypti Nilus, uti paulo ante ex Textu Jeremiæ probavimus; quare & rivus vel torrens Ægypti non alius cenſendus eſt, quam ramus Nili, qui maxime omnium ad Palæſtinam accedit. Tandem Antiochus Epiphanes (5) Lyſaniam præfecit provinciis omnibus inter Euphratem, & fluvium Ægypti: conſtat vero Antiochum ditionem ſuam prorogaſſe non ad Phœniciam modo & Palæſtinam, ſed ad Urbes Ægypti uſque ad Nilum, vel uſque Peluſium, quas omnes nonnullis ante annis Imperio ſuo ſubjecerat.

III. Neque quidquam in nos argumentum ejuſmodi valet: Nunquam Iſraelitæ victricibus armis ad Nilum uſque penetrarunt, nunquam ditionem ſuam prorogarunt in totam eam regionem inter Palæſtinam & eum amnem; nunquam igitur Deus id regionis illis daturum ſe ſpopondit. Facile enim hoc argumentum in adverſarios regeretur; Nunquam Iſraelitæ totam Chananæorum regionem poſſederunt, nunquam igitur Deus illis Chananitidem promiſit. Argumenti hujus imbecillitatem quis non ſentiat? Sed quo tandem argumento evincitur, Hebræos nunquam reipſa totum illum terrarum tractum obtinuiſſe? Nonne legimus in capitibus X. XI. XV. hujus libri, ſubegiſſe illos *univerſam terram Goſen*, quæ ipſa videtur eſſe regio Geſſen, quam olim, cum in Ægypto verſarentur, frequentarunt? Cum fines Ægypti regionem offerrent ſterilem & obnoxiam injuriis atque excurſionibus hoſtium, idcirco filii Juda vel poſſeſſionem hanc ſuam diu non retinuerunt, vel ſatius duxerunt deducere greges ſuos per loca uberiora, uti per terram Geſſen, quæ propius ad Nilum accedebat.

Nec jure reponas, nomen Torrentis minus decere Nilum, amnem ingenti aquarum gloria uberem: apertiſſimis enim argumentis demonſtratur (6), Hebræum נחל *Nachal* uſurpari frequenter ſive pro amne, ſive pro flueneto aquarum perpetuo. Eumdem ſenſum retinet interdum apud Authores Latinos nomen torrens, quod ingentibus interdum amnibus traditum eſt. Lucanus libro IX.

Non mihi pyramidum tumulis evulſus Amaſis,
Atque alii Reges Nilo torrente natabunt.

Claudianus Epigrammate VIII.

Aſpice morigeras Rhodani torrentis alumnas,

Denique ſi regio inter Gazam & Peluſium inter Ægyptum & ditionem Philiſtæorum deſerta penitus, & incolis deſtituta ſub poſtremis Ægypti Regibus, labentibuſque Judaicæ Reipublicæ annis fuit, non ſtatim idem de illa judicium pro Moyſis, & Joſue ætate ferendum eſt. Author, qui primum Librum Regum ſecundis curis recenſuit, diſerte affirmat (7), Regionem inter *Sur* & Ægyptum, jacentemque inter Palæſtinam, & eam Regionem, occupaſſe olim Geſſuri, Gerzi, & Amalecitas, populos anathemate inuſtos, quos ſuccedentia his tempora tandem delevere: ac regnante adhuc Aſa in Juda offert ſeſe regio culta, ſuiſque habitatoribus frequens, nec urbibus deſtituta circa Geraram inter *Cades*, & *Sur* (8).

USQUE AD TERMINOS ACCARON CONTRA AQUILONEM. Urbs Accaron una erat e quinque Satrapiis Philiſtæorum, atque ex maxime ſeptemtrionalibus in earum gentium ditione inter Jamniam & Azotum. Statim quidem ceſſiſſe Tribui Juda videtur (9), ſed in ea, quæ deſcribitur in capite XIX. 43. diſtributione inter Daniticas recenſetur; neutra tamen Tribus ea urbe potita eſt, quamquam forte armis Tribus Juda ſubacta fuit paulo poſt obitum Joſue (10); brevi enim amiſſam libertatem recuperavit. Urbem hanc ignorant Profani Geographi, notiſſima tamen eſt in Scriptura. Beelſebub potiſſimum inter Numina colebant (11).

TERRA CHANAAN QUÆ IN QUINQUE REGULOS PHILISTINORUM DIVIDITUR. Philiſtei gens erant non in Chanaan nata, ſed in Chanaan tranſlata (12), quæ pulſis Hevæis, eorum ſedes occupabat. Regio diſtributa eſt in quinque Satrapias, vel in parva totidem Regna; quorum erant metropoliticæ urbes Gaza, Azotus, Aſcalon, Geth, Accaron. In minoribus hiſce Regnis qui jura dabant, appellabantur *Serenim* (13), quod idem eſſe credo nomen ac *Surenam*, titulum dignitatis apud veteres Perſas. Porro *Surenarum* erat munus ſolemni ritu imponere Regum capiti diadema, ſeu vittam Regiam (14); eorumque dignitas poſt Regem erat prima. *Surena*, ait Ammianus Marcellinus (15), *poſt Regem apud Perſas proximæ dignitatis*. Inter Philiſtæos tamen Surenæ deſpoticam geſſiſſe authoritatem, ac nemini obnoxiam videntur. Septuaginta,

(1) Strabo l. XVI. p. 520. (2) Plin. l. 5. c. 13. Herodot. l. 3. c. 5. Diodor. Sicul. l. 1. (3) Hieron. in Amos VI. *Ab Hemath uſque ad Rhinocoruram, inter quam & Peluſium rivus Nili, ſive torrens ex Eremo veniens mare ingreditur.* (4) 3. Reg. VIII. 65. & 2. Par. VII. 8. (5) 1. Macc. III. 32. (6) Vide Eccle. 1. 7. *Omnia flumina intrant in mare*. Heb. כל נחלים (7) 1. Reg. XXVII. 8. *Hi pagi* (Geſſuri & Gerzi, & Amalecitarum) *habitabantur in terra antiquitus venientibus Sur, uſque ad terram Ægypti.* (8) 2. Par. XIV. 14. *Percuſſerunt civitates omnes per circuitum Gerara.* (9) Joſue XV. 11. (10) Judic. 1. 18. (11) 4. Reg. 1. 2. (12) Vide quæ diximus in Geneſ. X. 14. (13) חמשת סרני פלשתים (14) Vide Plut. in Artax. Appian. Parthic. Tacit. l. 6. Annal. (15) Ammian. Marcel l. 24. Vide Briſſon. de Reg. Perſar. lib. 1.

ginta, & poſt illos Vulgata, reddere ſolent *Satrapias*, quod hic S. Hieronymus vertit *Regulos*. Saulis ætate, *Achis*, appellatur in Textu Rex Geth (1); quamquam reliqui Satrapæ nomine tantum *Serenim* deſignantur (2).

℣. 4. Ad meridiam vero sunt Evæi. Interpretum quidam (3) Evæos Satrapiis Philiſtæorum accenſent: ſed diſtinguendos malumus, non modo quod aliam ab illis referant originem, ſed idcirco maxime, quod Evæi ſi quinque hiſce Satrapiis accedant, ſextam aliam Satrapiam conflare dicendi ſint, quod hujus loci authoritati adverſatur. Cæterum Evæi ſedulo diſtinguendi ſunt ab Heveis (4), quorum nomen aliter ſcribitur, & longa diverſa ditio erat. Evæos e ſedibus ſuis pepulerant Caphtorim, atque ex illis nonniſi pauci, de quibus hic, ſuperfuerunt, qui facile in angulo Palæſtinæ ſeſe continebant: ſed Hevæi occupabant montes ad meridiem Chananitidis, tum & regionem trans Jordanem in montibus Hermon.

Omnis terra Chanaan ex Maara Sidoniorum: Eſt hæc facile Marathus ad Mediterraneum. Cavendum eſt autem, ne verba hæc & quæ proxime ſequuntur, referantur ad illa, *Ad meridiem ſunt*, quod in capite verſiculi legitur; ſunt enim potius ad ea referenda, quæ in exordio capitis ſcripta ſunt: *Necdum ſorte diviſa eſt*; cujuſmodi erat terra, quæ peculiari nomine Chanaan appellabatur, ideſt, tota late Phœnicia e regione Philiſtæorum aduſque Sidonem excurrens. *Maara Sidoniorum* (5) ſignificat, juxta nonnullos, ſpeluncam, juxta alios vero prata; ſed præſtat cum Junio accipere de amne *Magora*, qui influit in Mediterraneum, inter Sidonem, & Berythum (6). Non raro litera hain pronunciando effertur ut G, uti conſtat in nominibus Gomorrha, & Gaza. Septuaginta pro *Magora* legerunt *Megaza*: *Omnis terra Chanaan, contra Gazam, & Sidonii uſque Aphec*. Sed fruſtra repetitur hic terra Chanaan a Gaza, poſtquam proxime ſuperius actum eſt de Satrapiis Philiſtæorum; id enim eſt eamdem rem diverſis tantum vocibus oggerere.

Usque Apheca, et terminos Amorrhæi. Plures ſunt nominis Aphec Urbes, uti ſupra, XIX. 58. animadvertimus. Deſignatam hic credimus Urbem in Tribu Aſer. Poſtquam Joſue recenſuit gentes Chananæorum, quæ ſub jugum adbuc redigendæ ſupererant, ſecundum maris litora incolentes, aſcendens per Aphec, ad Amorrhæos uſque nos ducit. Sed quinam regionis illius Amorrhæi? nullos enim ibi noſcimus. Facile pro *Amorrhæi* legendum hic eſſet *Aramæi* vel Syri. Syria, Hebraice *Aram* appellata, in plaga ſeptemtrionali Chananitidi limitropha erat. Huic lectioni favet Textus originalis; fert enim: *Uſque ad Aphec, uſque ad terminum Amorrhæi* [℣. 5.] *& terra Gibli, & omnis Libanus*. Si hic pro *Amorrhæus* ſubſtituatur *Aramæus*, congruunt omnia. Procedit enim Joſue a Sidone ad Aphec Urbem Syriæ, inter Heliopolim & Biblos, ubi Templum Veneris Aphecitis ſpectabatur (7). Ea urbs Aphec celebratur etiam in Libris Regum (8), veluti metropolis Regum Syriæ. Ex Aphec progreditur Joſue ad fines Syrorum verſus Gebal vel Gabalam, quam in Phœnicia collocat Ptolemæus.

℣. 5. Libani quoque regio contra Orientem a Baalgad . . . donec ingrediaris Emath. Tractus omnis orientalis Libani a Baalgad uſque ad viam, quæ per montes ad Emath vel Emeſam ducit, nondum ſub Hebræis erat. Jam alibi animadverſum eſt, Baalgad jacuiſſe non longe a fontibus Jordanis, & ubi montes Hermon oriuntur, infra fauces, vel Aſcenſum Emath, uti ex hoc loco plane conſtat, Aſcenſus iſte Emath, vel Emeſæ, conſtituendus eſt in montibus Hermon, circa Damaſcum. De Emath conſulenda ſunt quæ congeſſimus in Numeros XXXIV. 8. Ex his omnibus plane evincitur, Emath, aliam eſſe Urbem ab Antiochia magna, quæ multo inferius quam Baalgad jacebat; hic autem aſcenſus Emath orientalior eſt adhuc, quam Baalgad. *Vide Animadverſiones in Tabulam Geographicam*.

℣. 6. A Libano usque ad aquas Maserephot. Videſis ſupra XI. 8. Deleturum ſe ſpondet Deus omnes haſce gentes, dum tamen Hebræi illas aggrediantur, nec ſe indignos Divina ope præſtent. Si eventus alius reſpondit, id culpæ Iſraeli tribuendum eſt, qui conditionibus fœderis initi cum Deo non ſtetit.

℣. 9. Ab Aroer. Vide caput XII. 2. Hebræus *Ab Aroer, quæ ſuper torrentem* [vel in medio vallis] *& Medaba, uſque ad Dibon*.

℣. 14. Sacrificia et victimæ. Hebræus אשי יהוה *Ignita Domini*, quidquid in ignem projicitur Domino, in ejus mercedem erit.

℣. 16. Ab Aroer, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, et in valle ejusdem torrentis media. Reddi poſſet Hebræus: *Ab Aroer, quæ ſita eſt in ripa torrentis Arnon*, & ab *Urbe, quæ eſt in medio torrentis*; quaſi ſcilicet geminæ eſſent Urbes, quarum altera jaceret in ripa, altera in Inſula, in medio torrentis Arnon. Sed verſio Vulgatæ perſpicuitate ſua & facilitate præſtat.

℣. 17. Dibon, Urbs eſt inter Gaditicas, in Libro Numerorum XXXII. 34. accenſa; ex quo vulgo appellatur *Dibon-Gad*. Hic autem Tribui Ruben aſſignatur, ideo fortaſſe quod juris eſſet utriuſque Tribus Ruben & Gad, uti Jeruſalem communis erat Juda & Benjamin poſſeſſio.

Bamot-Baal eadem eſt facile ac Bamot-Arnon, ad amnem ejuſdem nominis, vel Baale-Bamot-Arnon, in Numeris XXI. 28. vel tantum Bamoth, in Numeris XXI. 19.

Baal-Maon, vel Beel-Meon, urbs IX. M. paſſibus ab Heſebone, juxta Euſebium. Tapentium aquarum fontibus locus diſtinguebatur.

℣. 18. Jassa, vel Jessa, vel Jasa, urbs ſita inter Medabam & Debus, vel Dibon, quæ Levitis ceſſit (9).

Cedimoth, vel Cademot, jacebat facile trans Arnon, nomenque ſuum communicabat deſerto, de quo in Deuteronomio II. 26.

Mephaat, vel Mephet, in finibus regionis Moabiticæ, verſus Deſertum, in plaga orientali. Docet Euſebius in Locis, Romanorum præſidium ibi conſtitutum fuiſſe, quod Urbs eſſet Deſerto proxima. Inter Leviticas recenſebatur (10). Moabitarum jugum ſubiiſſe poſt res Davidicæ domus proſtratas, ex Jeremia XLVIII. 21. intelligimus.

℣. 19. Cariathaim, IX. M. paſſibus a Medaba ad occidentem conſtituitur ab Euſebio. Porro ea Urbs ex Emim tranſiit ad Moabitas, tum ad Amorrhæos, ac demum ad Iſraelitas (11). Paruit Tribui Ruben uſque ad ejus tranſmigrationem in Aſſyriam; tunc autem priſtinum Moabitarum jugum ſubivit, uti ex oraculis Jeremiæ & Ezechielis in illam latis (12) conjectura licet arguere.

Sabama, vel Sebama, urbs Tribus Ruben, vineis ſuis commendata: ſatis proxima lacui Jaſer (13) conſtituenda eſt, S. Hieronymus illam collocat quingentis paſſibus ab Heſebone.

Sarathasar in monte convallis, ideſt, Sarathaſar conſidens in monte, qui in medio lati agri, ſolitarius exſurgit (14), vel qui proximus eſt colli, ubi Moyſes occubuit. Tandem juxta Septuaginta, *Sarath & Aſar in monte Emack*, vel *Sior*
in

(1) 1. Reg. XXVII. 2. (2) 4. Reg. XXIX. 2. (3) Ita Septuag. Syr. Arab. Jonathan, & Hebr. (4) Vide Bochart. Phaleg. l. 4. c. 36. (5) מערה אשר לצידנים (6) Plin. l. 5. c. 20. (7) Vide Sozomen. l. 1. c. 58. & Euſeb. l. 3. de vita Conſtantini c. 4. & Cellar. l. 3. c. 12. pag. 268. (8) 3. Reg. XX. 26. & 4. Reg. XIII. 18. (9) 1. Par. VI. 78. (10) Joſue XXI. 37. (11) Vide Geneſ. XIV. 5. Deut. II. 20. (12) Jerem. XLVIII. & Ezech. XXV. (13) Vide Iſai. XVI. 8. 9. & Jerem. XLVIII. 32. (14) Vatab. Munſt.

in monte Enab, vel *Enak*. De ſitu hujus loci nihil certo definiri poteſt.

℣. 20. Bethphogor; ideſt, domus vel Templum Phogor, Numinis Moabitarum. Sita erat ad radices montis Phogor; ſex millibus paſſuum a Liviade, ait Euſebius.

℣. 21. Sehon . . . . . . quem percussit Moyses cum Principibus Madian, Hevæum, et Racem, et Sur, et Hur, et Rebe Duces Sehon, habitatores terræ. Hiſtoria hujus victoriæ de quinque hiſce Regulis Madian relatæ, deſcripta legitur in Numeris xxxi. 8. Sed ibi appellantur Reges Madian; nec prælio fuſi fugatique videntur ab Iſraelitis, niſi poſt mortem Sehonis. Docet hic Joſue, authoritatem habuiſſe illos Regia minorem, ut Imperatores eſſent copiarum, & Provinciarum Præfecti, ſuperiori alteri Regi, nempe Sehoni, ſubjecti. Additur illis a Scriptura hic nomen *Niſekei* (1), quod ſonat Præfectos Provinciarum, vicibus Regis fungentes, & Reges ſuperiori alteri ſubditos (2); quod familiare in magnis Imperiis Orientis erat. Imperabat Sehon quinque hiſce minoribus Regibus; quare non ſemel ait Scriptura (3), ſubacta eſſe non unicum Regnum Sehonis, ſed *omnia Regna* illius. Poſt ejus obitum, Principes hi minores Madianitarum ſupremam poteſtatem regionis ſuæ quiſque uſurparunt; vel ſaltem ſuæ ſe poteſtati permiſſos rebantur. Nec ſubire jugum Iſraelitarum, qui Sehonem vicerant, niſi vi armorum coacti, paſſi ſunt. Appellantur hic *habitatores terræ*, quod nec ex Amorrhæis eſſent, nec ex aliena regione, quemadmodum illi, in eum locum veniſſent; ſed in patrio & avito illo ſolo conſiderent, ubi & regnarent, majori tamen Principi, nempe Sehoni, obnoxii.

℣. 22. Balaam filium Beor ariolum occiderunt. Conſulenda ſunt ea, quæ ſcripſimus in Numeros xxxi. 9. xxxi. 8. de Balaamo & ejus interitu. Ferunt hic Septuaginta (4), ariolum hunc in fuga necatum fuiſſe.

℣. 23. Urbium et viculorum. Exprimit Hebræus (5) potius Urbes & vicos; vel Urbes, agreſteſque ſedes ſub tentoriis, vel caſis. Symmachus; *Urbes & agri eorum*.

℣. 25. Terminus Jaser, et omnes civitates Galaad. Proxima lacui cognomini offerebat ſe Urbs Jaſer, ex qua oriebatur amnis, qui in Jordanem ferebatur, uti non obſcure docent Euſebius (6) & S. Hieronymus. Diſtabat xii. m. paſſibus a Philadelphia, ad meridiem, & xv. m. paſſibus ab Heſebone ad ſeptentrionem. Tribus Gad Galaaditicas Urbes, tum quæ Regi Og, cum quæ Regi Sehon paruerant, omnes poſſedit, uſque ad Aroer ad Arnon. Ex iis quæ narrata ſunt (7), animadvertere licuit, Sehon Principem fuiſſe medii, ſeu dimidii *Galaad*; per ingentem regionis Galaaditicæ tractum ad meridiem Jaboc ditionem ſuam porrexiſſe Montes ii, & quidquid ad ſeptentrionem Jaboc ſitum erat, Gaditis ceſſere.

Dimidiam partem terræ filiorum Ammon usque ad Aroer, quæ est contra Rabba. E Regione Ammonitica, quæ ſibi uſurpaverat Sehon, omnia ad ſe diverterunt, rati licere ſibi jure acquiſitionis illis frui, neque illa comprehendi ea Dei Lege, qua, ne quid Ammoniticæ regionis tangerent, prohibebantur (8). In Libro Judicum (9) referuntur ea, quæ ad tuendam hanc Iſraelitarum poſſeſſionem in medium allata ſunt.

Usque ad Aroer, quæ est contra Rabba. Rabba eadem eſt Urbs ac *Ar* Moabitarum, ad ripam meridionalem Arnon, e regione vel ferme e regione Aroer, Urbis Tribus Ruben. Alia eſt autem a *Rabba* Ammonitarum, juxta torrentem Jaboc. Porro Urbibus hiſce nomen *Rabba*, ideſt, magna, potens, florens, datum eſt, quod Metropoles eſſent, & veluti totius regionis Principes.

℣. 26. Ramoth vel Ramoth Galaad. Jacebat xv. m. paſſibus a Philadelphia Orientem verſus, ex S. Hieronymo, qui Euſebium corrigit, a quo ad Occidentem ſtatuitur. Urbs erat refugii (10).

Masphe, idem locus vel Urbs ac *Maſpha Galaad*, de qua ſupra (11): quam pariter nos non procul a fontibus Jaboc conſtituimus. Sunt qui Ramoth & Maſphe jungentes, unicam urbem conſtituant.

Bethonim, urbs eſt incerti ſitus; quem neque determinant Euſebius & S. Hieronymus, quamquam uterque retinere adhuc vetus nomen *Bothnim* affirmant.

A Manaim usque ad terminos Dabir. Celebris eſt in Scriptura Urbs Manaim, ex tranſitu Jacobi, qui redux e Meſopotamia ibi ſubſtitit, nomenque *Manaim* loco indidit, quod Angelorum caſtra ibi conſpexerit (12): *Caſtra Dei ſunt hæc*. Jacet ad ripam ſeptentrionalem Jaboc.

Dabir, de qua hic, Urbs eſt longe diverſa ab altera cognomine in Tribu Juda, in plaga ejuſdem Tribus meridionali: hanc enim jacuiſſe neceſſe eſt in extremis finibus Tribus Gad; ubi tamen potiſſimum, ignoratur. Collocandam cenſuit Bonfrerius ad Jordanem, ſatis proximam confluenti amnis Jazer in Jordanem.

℣. 27. In valle quoque Betharan. Urbis Betharan res auctæ ſunt ſub Herode Rege Judæorum, qui & illam reſtituit, & reſtitutam de nomine Liviæ Uxoris Auguſti *Liviadem*, vel *Libiadem* appellavit; *Juliadem* nuncupat Joſephus, quod ſoleant Græci *Juliæ* nomen Liviæ tribuere. Jacebat Betharan ſatis prope Jordanem, vi. m. paſſibus a Setim, uti demonſtrat Cellarius (13) poſt Euſebium, & S. Hieronymum, qui Urbis hujus ſæpe meminerunt.

Bethnemra, Urbs ad Jordanem, inter Gaditicas. In Iſaia, & Jeremia occurrit locus *Nemrim*, & *aquæ Nemrim* (14); is autem collocatur ab Euſebio in Terra Moab, ad ſeptentrionem Segor. Utrum duo hæc, *Nemrim*, & *Nemra*, diſtinguenda ſint, ambigo. Utriuſque illius Prophetæ ætate, Moabitæ omnium ferme Urbium Ruben, & Gad potiebantur. Veteres Græci Interpretes legerunt *Bethanabra*, vel *Bethnebra*, vel *Thanabara*.

Socoth, Urbs eſt inter Jaboc, & Jordanem, ubi tentoria ſua Jacob expandit (15); qua ex re inditum loco nomen *Socoth*, ideſt, *tentoria*.

Et Saphon, reliquam partem Regni Sehon. Saphon facile Zephona (16) eſt. Sunt qui nomen eſſe Urbis ad Jordanem credant: malumus tamen nos, literalem vocis ſignificationem retinentes (17), dictum accipere de ſeptentrione, vel *portione ſeptentrionali reliquæ ditionis Sehon*. Regio Gad tota ferme jacebat ad ſeptentrionem Regni Sehon; nec melius notio ejus ingeri poterat, quam, expoſitis veluti ſub oculis quæ ea Tribus poſſidebat ad Orientem & Occidentem ſortis Ruben, addere tandem, reliquam ditionem ſuam habere illam ad ſeptentrionem ejuſdem Tribus, ſecundum Jordanem, uſque ad extremam oram meridionalem maris Cinneret, ad Orientem utriuſque, ut reliqua verſiculi exhibent.

℣. 30. A Manaim universam Basan. Dimidia Tribus Manaſſe hæc poſſidebat: Totam Regionem Baſan, quæ ſecundum mare Tiberidiadis & Jordanem

[1] נסיכי סיחון יושבי הארץ [2] Vide Ezech. xxxii. 30. Mich. v. 4. Pſ. lxxxii. 12. [3] כל ממלכות Joſue xiii. 12. 21. 27. 30. 31. [4] Ἀπέκτειναν ἐν ῥομφαίᾳ ἐν τῇ τροπῇ. Alias ἐν τῇ ῥοπῇ, *In impetu*. [5] הערים וחצריהם. Septuag. αἱ πόλεις καὶ αἱ ἐπαύλεις. Symmach. πόλεις καὶ ἀγροὶ αὐτῶν.
[6] In locis Heb. καὶ φέρεται ἀπ' αὐτῆς ποταμὸς μέγιστος ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην ἐκπίπτων. [7] Joſue xii. 2.
[8] Deuter. ii. 37. [9] Judic. xi. 13. [10] Deuter. iv. 43. Joſue xx. 8. [11] Joſue xi. 3. 8. [12] Geneſ. xxxii. 2. [13] Cellar. l. 3. c. 13. p. 308. [14] Iſai. xv. 6. Jer. xlviii. 34.
[15] Geneſ. xxxiii. 17. [16] Vide noſtrum Comm. in Jud. xii. 1. [17] וחציו יתר ממלכות סיחון

nem a ſeptemtrione in meridiem excurrebat. Manaim inter duas Tribus Gad, & Manaſſe jacebat media. Non ita reputandum eſt, quaſi diſtributiones Regionum lineis rectis ſemper definiantur. Manaim intra ſortem Gad longius poſita erat; nihilo tamen ſecius ceu punctum fixum extenſionem Regionis Manaſſe determinabat.

Omnes vicos Jair. Hebræus כל חות יאיר *Havoth Jair*. Jair Segub filius, Eſronis nepos, abnepos Machir, per aviam ſuam, quæ nupſerat Eſroni e Tribu Juda. Porro Jair ſecutus eſt Tribum Manaſſe, unde ex avia originem referebat, poſſeditque in ſorte ejuſdem Tribus hæreditatem plane magnam, ſibi traditam ſive in præmium meriti, & virtutis ſuæ, ſive Dei juſſu, ſive tandem jure acquiſitionis comparatam; neque enim ſortito hæc illi obtigiſſe videtur. Porro ſexaginta illi vici per Baſanitidem diſſeminati, appellati ſunt *Havoth Jair*, ideſt, vici, vel tentoria, vel caſæ Jair; *Havoth* Arabice ſunt domus, vel tentoria, pro more ejuſdem Regionis, in rotundum collecta. Vide quæ diximus in Num. xxxii. 41.

CAPUT XIV.

Diſtributio Chanaanitidis per ſortem. Caleb filius Jephone precario obtinet urbem Hebronem, ex data ſibi a Deo promiſſione. Urbem illam ſibi vindicat,

℣. 1. HOC eſt quod poſſederunt filii Iſrael in terra Chanaan, quam dederunt eis
Eleazar Sacerdos & Joſue filius Nun, & Principes familiarum per tribus
Iſrael: 2. Sorte omnia dividentes, ſicut præceperat Dominus in manu Moyſi, no-
vem tribubus, & dimidiæ tribui. 3. Duabus enim tribubus, & dimidiæ, dederat
Moyſes trans Jordanem poſſeſſionem: abſque Levitis, qui nihil terræ acceperunt in-
ter fratres ſuos. 4. Sed in eorum ſucceſſerunt locum filii Joſeph, in duas diviſi tri-
bus, Manaſſe & Ephraim: nec acceperunt Levitæ aliam in terra partem, niſi urbes
ad habitandum, & ſuburbana earum ad alenda jumenta & pecora ſua. 5. Sicut præ-
ceperat Dominus Moyſi, ita fecerunt filii Iſrael, & diviſerunt terram. 6. Acceſſe-
runt itaque filii Juda ad Joſue in Galgala, locutuſque eſt ad eum Caleb filius Jepho-
ne Cenezæus: Noſti quid locutus ſit Dominus ad Moyſen hominem Dei de me &
te in Cadesbarne. 7. Quadraginta annorum eram quando miſit me Moyſes famulus
Domini de Cadesbarne, ut conſiderarem terram, nuntiavique ei quod mihi verum
videbatur. 8. Fratres autem mei, qui aſcenderunt mecum, diſſolverunt cor populi;
& nihilominus ego ſecutus ſum Dominum Deum meum. 9. Juravitque Moyſes in
die illo, dicens: Terra, quam calcavit pes tuus, erit poſſeſſio tua, & filiorum tuo-
rum in æternum: quia ſecutus es Dominum Deum meum. 10. Conceſſit ergo Do-
minus vitam mihi, ſicut pollicitus eſt, uſque in præſentem diem. Quadraginta &
quinque anni ſunt, ex quo locutus eſt Dominus verbum iſtud ad Moyſen, quando
ambulabat Iſrael per ſolitudinem: hodie octoginta quinque annorum ſum, 11. Sic
valens, ut eo valebam tempore quando ad explorandum miſſus ſum; illius in me
temporis fortitudo uſque hodie perſeverat, tam ad bellandum, quam ad gradiendum.
12. Da ergo mihi montem iſtum, quem pollicitus eſt Dominus, te quoque audien-
te, in quo Enacim ſunt, & urbes magnæ atque munitæ: ſi forte ſit Dominus me-
cum, & potuero delere eos, ſicut promiſit mihi. 13. Benedixitque ei Joſue: &
tradidit ei Hebron in poſſeſſionem. 14. Atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Jepho-
ne Cenezæo uſque in præſentem diem: quia ſecutus eſt Dominum Deum Iſrael. 15.
Nomen Hebron ante vocabatur Cariath-Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim ſitus
eſt: & terra ceſſavit a præliis.

℣. 1. Principes familiarum. Hebræus (1). *Capita patrum Tribuum*. Nomina horum Principum ſingularum Tribuum legas in Numeris xxxiv. 17, &c. Duodecim erant numero, Joſue, & Eleazaro numeratis. Tribuum Ruben, & Gad Principes nulli acciti ſunt; ambæ enim illæ Tribus ſortem ſuam obtinuerant trans Jordanem; quare nihil illis rei erat in diſtributione terrarum cis amnem.

℣. 2. Sorte omnia dividentes. Quamquam Jacob paulo ante obitum ſuum (2), & Moyſes in noviſſimo Cantico (3) perſpicue ſatis docuerant ſingularum Tribuum ſedes; oracula tamen illorum obſcurum adhuc aliquid continebant, præſertim ante rem, ut pravis expoſitionibus, & diſſidiis prona offerretur occaſio: quare ut ex ipſa veluti radice tolleretur quidquid pacem turbare, & in contraria ſtudia Tribus dividere poſſet, imperavit Deus, ut in diſtributione regionis arbitrio ſortis omnia committerentur. Id autem ſimul omnes ſuffocat querelas, æmulationes, tum & invidiam omnem ab iis ſubmovet, quibus totum divi-

[1] ראשי אבות המטות ἄρχοντες πατριῶν φυλῶν. [2] Geneſ. xlix. [3] Deut. xxxiii.

Digitized by Google

diviſionis illius onus impoſitum erat. Rei ita inſtitutæ eventus, quo ſcilicet ſingulæ Tribus ita ſe conſtitutas intellexerunt, ut olim oraculo Jacobi ac Moyſis prædictum erat, tum promiſſionum illarum veritatem aſſeruit, tum nova ſuppeditavit argumenta pro Religione Iſraelitarum, veluti ſub oculis exhibens, illum, cujus afflatu viri Sancti oracula ſua ſuderant, ſortes etiam Numine ſuo direxiſſe.

Non ſatis aperte prodit Scriptura, quæ ſortiendi per Tribus ratio tunc inſtituta ſit; ſed duplex ſuccurrit. Prior, ut ſingulæ Tribus alia poſt aliam ordine ſchedam extraherent, in qua carta aliqua regionis portio deſcripta eſſet; quam autem ſingulis ſors dabat regio, hanc haberent. Altera ratio eſt, ut poſita duo vaſa, alterum quidem nomina Tribuum, alterum regionum diſtribuendarum contineret. Joſue, ſive alius, ſortito extraheret ex altero vaſe nomina, ex altero ſchedas regionum: regio vero, quam tunc ſors offerebat, hæc Tribui ſorte eductæ cederet. Fuſius de his omnibus actum eſt in Num. xxvi. 54.

Tota ea diviſio terrarum in Galgalis minime abſoluta eſt: ſuas ibi ſedes obtinuerunt tantummodo Tribus Juda & Joſephi; reliquæ vero aliquanto poſt regiones ſuas obtinuerunt, ut in exordio Capitis xviii. aſſeritur.

℣. 4. Sed in eorum ſucceſſerunt locum filii Joseph. Duodecim Tribuum numerum abſolverunt filii Joſephi; cum enim Levitis nulla eſſet portio, ſi Joſeph unicam modo ſortem obtinuiſſet, undecim tantum portiones terrarum pro numero Tribuum diſtributæ fuiſſent; ſed Tribu Joſephi geminas Tribus reddente, nempe Ephraim & Manaſſe, factum eſt, ut ſors Levi Tribui illi accederet. Hebræus legit ſolum (1): *Quia fuerunt filii Joſeph, Ephraim & Manaſſe, duæ Tribus;* atque ita factum eſt, ut Joſeph gemina ſorte donatus, ceu filius major natu inter liberos Jacobi haberetur, æqua frueretur prærogativa, ex qua Ruben excidiſſet (2): *Data ſunt primogenita ejus filiis Joſeph.*

Suburbana earum ad alenda jumenta et pecora sua. Vox *ſuburbana* non pro ſuburbiis, ſed pro agris ad paſcendos greges accipienda eſt (3); nec enim licebat Levitis agros illos colere, & vineis ſerere, ait Grotius. Dimenſiones hujus ſoli, Urbibus Leviticis circumjacentis, dedimus in Numeris xxxv. 4. 5. 6.

℣. 5. Diviserunt terram. Convenerunt primo in Galgalis, ut diviſionem illam ſuſciperent: antequam vero operi manus admoveretur, veritus Caleb, ne in communi diviſione obvolveretur illud quod largiente Numine ſibi fuerat deſtinatum, ad rem ſuam obtinendam Joſua convenit. Igitur cum diviſa hic terra ſcribitur, ita accipiendum eſt, perinde ac diceretur: Diviſionem inſtituere pararunt: id autem in Galgalis cœptum, nonniſi poſt aliquod tempus in Silo abſolutum eſt, uti in Cap. xviii. narrabitur. Phraſi Hebræorum familiare eſt, ut factum dicatur, quod conſtitutum eſt, vel fieri deſideratur. Ita legimus hic xxiv. 9. Balac cum Iſraelitis decertaſſe; & in 1. Machabæorum 1. 7. de Alexandro Magno: *Diviſit illis* (familiaribus ſuis) *Regnum ſuum, dum adhuc viveret;* ideſt, Balac optabat Iſraelitas aggredi; Alexander decrevit imperium ſuum inter familiares diſtribuere. Affirmari utique poſſet, dimiſſos fuiſſe per regionem viros geometras & metiendi peritos, antequam diſtributio ſuſciperetur, quamquam ea de re nihil hic apud Joſue.

℣. 6. Caleb filius Jephone, Cenezæus. Jephone, nemine reclamante, pater erat Caleb, uti Scriptura hic & alibi affirmat; atque ſi forte alicubi (4) patrem Calebi aſſignat Eſronem e Tribu Juda, nomen patris poni putandum eſt pro avo & abavo. Profecto Eſron filius Juda in Ægyptum deſcenderat clxxvi. annis ante natum Caleb; quare fieri nequit, ut Calebi pater eſſe exiſtimetur. Cognomen Cenezæi, Calebo plerumque datum, crucem figit Interpretibus. Sunt qui e nomine patris vel alicujus ex avis derivatum in illum credant, alii malunt ex loco habitationis, & ex occupatis a Calebo ſedibus Cenezæorum. Illud conſtat, nomen Cenezæi familiam Calebi totam pervaſiſſe; Othoniel, ſive ejus frater ſive nepos, filius Cenez appellatur (5). Alius eſt etiam Cenez Calebi nepos (6). Tandem Calebus ipſe Cenezæi cognomen obtinet in Numer. xxxii. 12. diu antequam in poſſeſſionem ſortis ſuæ veniret. Hiſce omnibus demonſtratur, id cognominis in familia fuiſſe, antequam in Chanaanitidem venirent, niſi forte quis reputaverit, illud *Cenezæus* aliena manu Libro Numerorum acceſſiſſe.

Nosti quod locutus sit Dominus . . . de me. Nihil apertis verbis pro Calebo narratum eſt in loco, ubi Moyſes hiſtoriam narrat eorum, quæ geſta ſunt in Cadesbarne, occaſione murmuris in populo ſuborti; ſpondet illi tantummodo Deus, inducturum ſe illum & Joſue in terram promiſſionis (7); ſed ne verbo quidem traditurum ſe illi poſſeſſionem Hebronis indicat. Plus aliquid exprimitur in Deuteronomio (8), ubi Legiſlator totam hanc hiſtoriam iterum recitat; nihil tamen majus ibi exprimitur quam quod hic ℣. 9. legitur: *Terra quam calcavit pes tuus, erit poſſeſſio tua, & filiorum tuorum in æternum.*

Reputandum eſt igitur, Moyſem ore tenus, Deique juſſu, & coram univerſo populo audiente, annunciaſſe Calebo & Joſue Dei erga illos conſilia, Calebo nempe tradendam eſſe Hebronis cæterarumque urbium Enacim poſſeſſionem.

℣. 7. Nunciavique ei quod mihi verum videbatur. Hebræus ad literam (9): *Retuli ei verbum, quemadmodum cum corde meo*, ut verum noram, ex corde. Septuaginta Complutenſes a genuino ſenſu hic magis recedunt (10): *Reſponderunt illi quique juxta mentem ſuam.* Exploratores alii ex animi ſui ſententia, vel quod de regione animo conceperant, ad Moyſem & ad populum retulerunt. Rem ita exhibuerunt, uti animo affecti ſunt ſtatim ac terram aſpexere. Sed æquior eſt editio Romana: *Reſpondi illi ſecundum cor ſuum.*

℣. 8. Secutus sum Dominum. Hebræus ad literam (11): *Ego complevi poſt Dominum.* Ceu quis iter habens, qui ducem viæ æquis paſſibus ita ſequitur, ut inter duos nullum relinquat ſpatium. Septuaginta (12): *Ego perſeveravi ſequi*, vel *ſtatui ſequi Dominum.*

Juravit Moyses . . . . Terram quam calcavit pes tuus, erit possessio tua. Verba hæc Deo tribuuntur in Deuteronomio (13). Moyſes Calebo Dei juſſu ac nomine, juratuſque regionis illius poſſeſſionem pollicetur, Hebræus: *Juravit Moyſes in die illa dicendo: Si non terra, quam calcavit pes tuus in ea, tibi erit in hæreditate, & filiis tuis;* ac ſi diceret: Ceu nugator habear & men-

[1] כי היו בני יוסף שני מטות [2] 1. Par. v. 1. [3] מגרשיהם לבהמתם ולקנינם 70. τὰ περισπόρια αὐτῶν τοῖς κτήνεσιν αὐτῶν. [4] 1. Par. 11, 18. [5] Joſue xv. 17. & Judic. 1. 13. & 1. Par. 14. 13. [6] 1. Par. iv. 15. [7] Num. xiv. 24. *Servum meum Caleb, qui plenus alio ſpiritu ſecutus eſt me, inducam in terram hanc, quam circuivit.* [8] Deut. 1. 36. *Ipſe* (Caleb) *videbit eam* (terram), *& ipſi dabo terram quam calcavit, & filiis ejus, quia ſecutus eſt Dominum.* [9] ואשב אתו דבר כאשר עם לבבי [10] Καὶ ἀπεκρίθησαν αὐτῷ λόγον κατὰ τὸν νοῦν αὐτοῦ. Roman. ἀπεκρίθην, &c. [11] ואנכי מלאתי אחרי יהוה [12] ἐγὼ δὲ προσετέθην ἐπακολουθῆσαι κυρίῳ. [13] Deut. 1. 34. 36. *Dominus juravit & ait: Non videbit quiſpiam de hominibus generationis hujus peſſimæ terram bonam . . . . præter Caleb filium Jephone. Ipſe enim videbit eam, & ipſi dabo terram quam calcavit, &c.*

Digitized by Google

mendax, vel Deus me puniat, niſi tu immittaris in poſſeſſionem ejus regionis, quam pede calcaveris. Non ita plane reputandum eſt, quaſi Deus totam illi Chanaanitidem, ad quam explorandam miſſus fuit, ſpoponderit; ſed immittendum in eam regionem, fruiturum autem poſſeſſione ejus tractus, quem Moyſes conceptis verbis deſignavit.

℣. 10. Quadraginta et quinque anni sunt. Ex hoc Textu demonſtravimus ſuperius XIII. 1. ſeptem integros annos in expeditione Chanaanitica impenſos fuiſſe.

℣. 11. Tam ad bellandum, quam ad gradiendum. Hebræus (1): *Sicut fortitudo mea tunc, ſic fortitudo mea nunc ad prælium, & ad exeundum, & ad ingrediendum*. Ideſt, ad omnes vitæ actiones, atque ad militares præſertim; ingredi enim & egredi uſurpatur frequenter (2) pro, gerere bellum. Hunc ſenſum determinarunt Septuaginta (3): *Egredi, & ingredi in prælium*.

℣. 12. Da mihi montem istum ... si forte Dominus sit mecum. Da mihi regionem hanc montoſam Judææ, quam occupant Enacim, ubi conſident Urbes Hebron & Dabir, aliæque Gigantum; ſive, ut ego ope Dei fretus ſubigere illas aggrediar. *Si forte ſit Dominus mecum*. Vir plane magnus, tanta plenus ſpe, ut nobilem ſecuritatem ubique ſpiret, plena hic modeſtiæ & obſequii verba effert: ſpem omnem collocat in Domino, agnoſcitque nihil ſe abſque Dei ope poſſe, nec ſibi opem illam jure aliquo deberi.

℣. 13. Benedixitque ei Josue. Viri ſapientiam & virtutem laudans, proſpera illi omnia imprecatus eſt, rogavitque Deum, ut pro voto res illi cederent.

Tradidit ei Hebron. Verba hæc prono & naturali ſenſu nihil ſonant, niſi quod Joſue facile ac prompte omnia conceſſit, largitus in poſſeſſionem & hæreditatem ipſius Hebronem, regionemque illi ſubditam, cum reliquis Urbibus Enacim; nec tamen in poſſeſſionem earum Urbium reipſa immiſit, ſicut nec poſſeſſionem tradidit ſedium ſuarum cæteris Iſraelitis, quibus regionem incolendam aſſignavit: jus illis datum eſt poſſidendi quæ ſibi obtigerant; ut autem poſſeſſionem ſuam ſibi vindicarent, enitendum illis erat, pulſis inde hoſtibus, ſi qui adhuc ſupereſſent. Docti quidam Interpretes (4) reputant, noluiſſe Joſue, ut Caleb privatis viribus expeditionem hanc in Hebronem ſuſciperet, ſed ductis eo copiis redegiſſe illam una cum cæteris Urbibus Enacim in poteſtatem, ſubactamque Calebo tradidiſſe; hanc autem expeditionem Calebi cauſa ſuſceptam, per excessum narratam credunt ſupra, a cap. X. 28. uſque ad finem Capitis XI. & in Judicibus I. a ℣. 9. uſque ad 15. Facinus hoc Calebi comparat Grotius iis, quæ de gente Fabiorum apud Romanos traduntur: rogarunt enim Fabii, ut ſibi bellum privatis viribus gerendum concederetur; ſed, eddit ille, Joſue e re eſſe minime cenſuit ut Calebi precibus annuens, ejus ſumptu & diſcrimine bellum geri ſineret; æquum enim erat, *ut publica fides publicis opibus liberaretur*.

Sed quæ neceſſitas hujus expoſitionis, quam nec Textus tuetur, nec continuata rerum ſeries expoſcit? Bellum Joſue in Hebronem Urbeſque propinquas, narratum ſuperius cap. X. appendix eſt belli in quinque fœderatos Reges Gabaonitis infeſtos ſuſcepti. In ſocietatem fœderis illius Rex Hebronis venerat. Joſue poſt memorabile illud prælium, cujus occaſione Soli, ac Lunæ ſtationem imperavit, poſt ſublatos ad Macedam quinque Reges, copias victrices in eorum Urbes duxit, ſubegit, atque omnia ferro cecidit. Cum autem totus occuparetur bellis poſt illud ſuccedentibus in extrema regione, Gigantes Enacim Urbibus ſuis ſeſe reddentes, illas reſtituerunt; firmaruntque munitionibus. Intelligens Joſue, quo tempore ipſe ſuperanda altera regionis parte occupabatur, alteram ab hoſtibus occupari ac muniri, nec vires ſuas per tot diverſa loca diſtribuere e re eſſe judicans, optimum factu eſſe cenſuit, ſi regionem per ſingulas Tribus divideret, atque ita demum fieret, ut ſingulæ Tribus & ſedes ſuas defendere & ditionem augere aggrederentur; futurum inde, ut armis Iſraeliticis undique petiti hoſtes, ſenſim loco cederent, ac penitus delerentur. Conſilium Ducis probavit Deus; eoque tempore Calebus hæreditatem ſuam poſtulavit. Omnia conceſſa ſunt roganti, nullo alio majori ſupra cæteros privilegio, quam quod ipſi plenum daretur jus in eam regionem, nullo expectato ſortis eventu: in hanc autem regionem ipſe ſe viribus familiæ ſuæ ac fœderatorum immiſit, uti apertiſſimo argumento demonſtrant ea, quæ ad Cariat-Sepher geſta ſunt. Caleb nuptias filiæ ſuæ Axæ illi pollicitus eſt, qui Urbem ſubjiceret: conditionem implevit Othoniel, & nuptiis filiæ Calebi potitus eſt. Exhibent hæc privatum bellum viribus unius familiæ, ope fœderatorum & amicorum, geſtum. Bellum hoc privatum Calebi narratur in hoc Libro, Capite XV. 13. 14. 15. 16. 17. & in Judicibus I. 10. 11. 12. 13. ubi Tribui Juda, quæ Calebo in ea expeditione favit, tribuitur.

Cæterum cum legis, Calebum ejuſque filios poſſediſſe Hebron, Dabir & Cariat-Sepher in hæreditatem, nihil id inferre putes oppoſitum iis, quæ narrantur inferius XXI. 11. 12. 13. de Hebrone & Dabir in ſedes Sacerdotum traditis. Cum enim nullæ eſſent Sacerdotibus hæreditates, ſed Urbes tantum & circa Urbes ſpatium aliquod ſoli, reliqua omnia Calebo ejuſque Familiæ paruerunt, facta acceſſione aliarum omnium Urbium, oppidorum, atque agrorum. Quin & Caleb ejuſque Familia ſedes retinuerunt Hebrone cum Sacerdotibus, neque enim hi ſoli totam occupare Urbem potuiſſent.

℣. 15. Nomen Hebron ante vocabatur Cariath-Arbe; id eſt, Urbs Arbe; *Cariath* enim קרית Hebraice eſt Urbs. Nomen ארבע *Arbe* ipſum eſſe creditur Gigantis Urbis illius conditoris. Commode etiam Cariath-Arbe ſenſu appellativo accipi poteſt pro *Urbe quadrata*, ſeu potius *Urbe quatuor*; Arbe enim eſt quatuor: idcirco facile quod quatuor ſimul fratres illam & condiderint & poſſederint. Refert non ſemel S. Hieronymus (5) opinionem Hebræorum, autumantium, *Urbis quatuor* nomen derivari e quatuor Patriarchis ibi ſepulturæ mandatis, videlicet Adamo, Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo; vel, juxta eos, qui Adamum in monte Calvario conditum docent, Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, & Calebo, cujus poſtremi ſepulchrum ad latus Urbis ſpectabatur. Harum traditionum vim, atque veritatem æquis Lectoribus judicandum relinquimus. Patriarchæ Abraham, Iſaac, & Jacob prope Hebronem aliquandiu vixere. David ſeptem priores Regni ſui annos ibidem tranſegit. Poſt tranſmigrationem Tribuum Judæ, & Benjamini in Babyloniam, Idumæi Hebronem occuparunt, quibus pulſis Judas & Simon Macchabæi urbem receperunt (6).

Adam maximus ibi inter Enacim situs est. Vix eſt dubio locus, quin S. Hieronymus exprimere hic in ſua verſione voluerit receptam apud Veteres opinionem de ſepultura Adami, primi mortalium parentis, Hebrone. Nec tamen id voluiſſe cre-

[1] כבחי אז וכבחי עתה למלחמה ולצאת ולבוא [2] Vide Druſ. Proverb. ſacra. [3] εἰς τὸν πόλεμον ἐξελθεῖν, καὶ εἰσελθεῖν. [4] Jun. Tremell. Uſſerius, Grotius hic. [5] Hieron. in Epitaphio Paulæ. *Cariat-Arbe, ideſt oppidum virorum quatuor, Abraham, Iſaac, Jacob, Adam magni, quem ibi conditum juxta librum Jeſu Nave Hebræi autumant*. Vide eumdem in quæſt. Hebr. in Geneſ. & in locis Hebr. in Arbog. [6] 1. Macc. v. 65. Joſeph. l. 4. de Bello c. 21.

Digitized by Google

credendus eſt S. Doctor, ut traditionem hanc ceu erroris immunem teneremus: nunquam id propoſuit vel uti ſuam ipſius privatam, vel uti communem Eccleſiæ ſententiam; ac cæterorum Patrum plerique (1) affirmarunt, Adamum conditum fuiſſe in monte Calvariæ: quas repugnantes ſententias conciliaturi quidam (2) reputarunt, bis ſepultum fuiſſe, ſemel quidem ante diluvium in Cariath-Arbe; iterum vero poſt diluvium, curante Semo, qui Calvariam ejus in monte Calvariæ repoſuit. Poſterior tamen hæc opinio, quæ ſepulchrum primi Parentis in monte Calvariæ conſtituit, ut ipſemet S. Hieronymus (3) affirmare non renuit, eſt *Favorabilis opinio, mulcens aurem populi, nec tamen vera:* qua forte cenſura altera etiam opinio de ſepultura Adami Hebrone, inurenda eſt.

Noſtri Commentariorum Scriptores plerique (4) Textum ita reddunt: *Vetus ejus nomen eſt Cariath Arbe*. Vir hic Arbe *fuit maximus inter Enacim*. Ex Arbe natus eſt Enac, ex quo Enacim. Hebræus (5): *Nomen vetus Hebron eſt Cariath-Arbe; homo magnus in Enacim ipſe*. Carent Hebræi ſuperlativo, uſurpantque *pulchram* vel *benedictam inter mulieres*, pro pulcherrima, vel quæ inter omnes fœminas benedictionibus refertiſſima eſt; *parvum inter gentes, magnum inter gigantes* pro minimo omnium gentium, & gigantum maximo. Scitum eſt inter omnes, vocem *Adam* hominem generaliter deſignare, quem etiam ſenſum interdum retinet in Vulgata: *Iſta eſt Lex Adam* (6), lex nempe & conditio hominis; *In funiculis Adam traham eos* (7), quibus ſcilicet homines pertrahuntur, charitate, & clementia. Septuaginta (8): *Nomen ipſius Hebron erat antea, Civitas Arbe, Metropolis ipſorum Enacim hæc*.

Terra cessavit a præliis. Intermiſſa ſunt aliquandiu prælia; generalia prælia ceſſarunt, cum ſingulæ Tribus occuparentur obtinenda poſſeſſione ſortis ſuæ, exterminandis Chananæis, ſiqui adhuc ſupererant, vel ſaltem cogendis ad tributa, vel diſſipandis.

(1) Vide quæ congeſſimus in Geneſim v. 5. & Serar. in Joſue xv. q. 5. (2) Vide Villalpand. l. 1. c. 9. Jeroſolym. Urb. Apparat. apud Serar. hic. (3) Hieronym. in Matth. xxvii. (4) Pagn. Mont. Maſ. Bonfr. Serar. Cornel. a Lapide, Druſ. Grot. alii paſſim. (5) ושם חברון לפנים קרית ארבע האדם הגדול בענקים הוא (6) 2. Reg. vii 19. (7) Oſee xi 4. (8) Τὸ δὲ ὄνομα Χεβρὼν τὸ πρότερον ἦν πόλις Ἀρβὸκ μητρόπολις τῶν Ἐνακὶμ αὕτη. Videntur legiſſe העיר pro האדם

CAPUT XV.

Hæreditas Tribui Judæ aſſignatur. Othoniel ducit Axam filiam Calebi, in præmium recepta Cariath-Sepher: Axa vero obtinet a patre ſuo ſolum irriguum. Urbes Tribus Juda. Jebuſæos ex Jeruſalem pellere hæc Tribus non valet.

℣. 1. IGitur ſors filiorum Judæ per cognationes ſuas iſta fuit: A termino Edom,
deſertum Sin contra meridiem, & uſque ad extremam partem Auſtralis pla-
gæ. 2. Initium ejus a ſummitate maris ſalſiſſimi, & a lingua ejus, quæ reſpicit Me-
ridiem. 3. Egrediturque contra Aſcenſum Scorpionis, & pertranſit in Sinai: aſcen-
ditque in Cadesbarne, & pervenit in Eſron, aſcendens ad Addar, & circuiens Car-
caa, 4. Atque inde pertranſiens in Aſemona, & perveniens ad Torrentem Ægypti:
eruntque termini ejus mare magnum: hic erit finis meridianæ plagæ. 5. Ab Orien-
te vero erit initium, mare ſalſiſſimum uſque ad extrema Jordanis: & ea, quæ reſpi-
ciunt ad Aquilonem, a lingua maris, uſque ad eumdem Jordanis fluvium. 6. Aſcen-
ditque terminus in Beth Hagla, & tranſit ab Aquilone in Beth Araba: aſcendens ad
lapidem Boen filii Ruben, 7. Et tendens uſque ad terminos Debera de Valle Achor,
contra Aquilonem reſpiciens Galgala, quæ eſt ex adverſo Aſcenſionis Adommim, ab
auſtrali parte torrentis: tranſitque aquas, quæ vocantur fons ſolis: & erunt exitus
ejus ad Fontem Rogel. 8. Aſcenditque per convallem filii Ennon ex latere Jebuſæi
ad Meridiem, hæc eſt Jeruſalem: & inde ſe erigens ad verticem montis, qui eſt con-
tra Geennom ad Occidentem in ſummitate vallis Raphaim contra Aquilonem. 9. Per-
tranſitque a vertice montis uſque ad fontem aquæ Nephtoa: & pervenit uſque ad vi-
cos montis Ephron: inclinaturque in Baala, quæ eſt Cariathiarim, id eſt, urbs ſil-
varum; 10. Et circuit de Baala contra Occidentem, uſque ad montem Seir: tran-
ſitque juxta latus montis Jarim ad Aquilonem in Cheslon: & deſcendit in Bethſa-
mes, tranſitque in Thamna. 11. Et pervenit contra Aquilonem partis Accaron ex
latere: inclinaturque Sechrona, & tranſiit montem Baala: pervenitque in Jebneel; &
magni maris contra Occidentem fine concluditur. 12. Hi ſunt termini filiorum Juda
per circuitum in cognationibus ſuis. 13. Caleb vero filio Jephone dedit partem in
medio filiorum Juda, ſicut præceperat ei Dominus: Cariath Arbe patris Enac, ipſa
eſt Hebron. 14. Delevitque ex ea Caleb tres filios Enac, Seſai, & Ahimam, &
Tholmai de ſtirpe Enac. 15. Atque inde conſcendens venit ad habitatores Dabir,

Digitized by Google

quæ prius vocabatur Cariath Sepher, id eſt, civitas litterarum. 16. Dixitque Caleb: Qui percuſſerit Cariath Sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem. 17. Cepitque eam Othoniel filius Cenez frater Caleb junior: deditque ei Axam filiam ſuam uxorem. 18. Quæ, cum pergerent ſimul, ſuaſa eſt a viro ſuo, ut peteret a patre ſuo agrum, ſuſpiravitque ut ſedebat in aſino. Cui Caleb: Quid habes, inquit? 19. At illa reſpondit. Da mihi benedictionem: Terram Auſtralem, & arentem dediſti mihi, junge & irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum ſuperius, & inferius. 20. Hæc eſt poſſeſſio tribus filiorum Juda per cognationes ſuas. 21. Eruntque civitates ab extremis partibus filiorum Juda juxta terminos Edom a Meridie: Cabſeel, & Eder, & Jagur, 22. Et Cyna, & Dimona, & Adada, 23. Et Cades, & Aſor, & Jethnam, 24. Ziph, & Telem, & Baloth, 25. Aſor nova, & Carioth, Heſron, hæc eſt Aſor. 26. Amam, Sama, & Molada, 27. Et Aſergadda, & Haſſemon, & Bethphelet, 28. Et Haſerſual, & Berſabee, & Baziothia, 29. Et Baala, & Iim, & Elem, 30. Et Eltholad, & Ceſil, & Harma, 31. Et Siceleg, & Medemena, & Senſenna, 32. Lebaoth, & Selim, & Aen, & Remon. Omnes civitates viginti novem, & villæ earum. 33. In campeſtribus vero: Eſtaol, & Sarea, & Aſena, 34. Et Zanoe, & Engannim, & Taphua, & Enaim, 35. Et Jerimoth, & Adullam, Socho, & Azeca, 36. Et Saraim, & Adithaim, & Gedera, & Gederothaim: urbes quatuordecim, & villæ earum. 37. Sanan, & Hadaſſa, & Magdalgad, 38. Delean, & Maſepha, & Jecthel, 39. Lachis, & Baſcath, & Eglon, 40. Chebbon, & Leheman, & Cethlis, 41. Et Gideroth, & Bethdagon, & Naama, & Maceda: civitates ſedecim, & villæ earum. 42. Labana, & Ether, & Aſan, 43. Jephtha, & Eſna, & Neſib, 44. Et Ceila, & Achzib, & Mareſa: civitates novem, & villæ earum. 45. Accaron cum vicis, & villulis ſuis, 46. Ab Accaron uſque ad mare: omnia quæ vergunt ad Azotum, & viculos ejus. 47. Azotus cum vicis, & villulis ſuis. Gaza cum vicis, & villulis ſuis, uſque ad torrentem Ægypti, & mare magnum terminus ejus. 48. Et in monte, Samir, & Iether, & Socoth. 49. Et Danna, & Cariathſenna, hæc eſt Dabir: 50. Anab, & Iſtemo, & Anim, 51. Goſen, & Olon, & Gilo: civitates undecim, & villæ earum. 52. Arab, & Ruma, & Eſaan, 53. Et Janum, & Beththaphua, & Apheca, 54. Athmatha, & Cariatharbe, hæc eſt Hebron, & Sior: civitates novem, & villæ earum. 55. Maon, & Carmel, & Ziph, & Jota, 56. Jezrael, & Jucadam, & Zanoe, 57. Accain, Gabaa, & Thamna: civitates decem, & villæ earum. 58. Halhul, & Beſſur, & Gedor, 59. Mareth, & Bethanoth, & Eltecon: civitates ſex, & villæ earum. 60. Cariathbaal, hæc eſt Cariathiarim urbs ſilvarum, & Arebba: civitates duæ, & villæ earum. 61. In deſerto Betharaba, Meddin, & Sachacha, 62. Et Nebſan, & civitas ſalis, & Engaddi: civitates ſex, & villæ earum. 63. Jebuſæum autem habitatorem Jeruſalem non potuerunt filii Juda delere, habitavitque Jebuſæus cum filiis Juda in Jeruſalem uſque in præſentem diem.

℣. 1. A TERMINO EDOM, DESERTUM SIN, CONTRA MERIDIEM. In ipſo expendendi hujus capitis exordio, juvat animadverſiones quaſdam in tabulam Geographicam Terrę Sanctę prȩmittere (1). Præſens hic labor, & cura, enumerandi Urbes, earumque ſitum determinandi, ut inutilis, aut levis utique reprobandus non eſt. Singula enim hæc accurate diſtinguere non modo e re fuit Veterum Hebrȩorum, tam prȩcedentium, quam ſubſequentium captivitatem, quibus veterum limitum memoriam conſervabat; ſed juvat etiam res noſtras, ut ſcilicet genuinum ſenſum Scripturarum aſſequamur; & ſi iſta lateant, arduum eſt totam penitus hiſtoriam populi Dei pervadere. Fatemur equidem, maximis hodie difficultatibus id ſtudii genus implicari, cum tot caſibus affecta, vicibuſque implicata eſt Paleſtina, pulſis præſertim ab illa perpetuo exilio Judæis. Locorum olim illuſtrium pleraque ſuis hodie ſepulta ruinis jacent; & ſi quid inter rudera adhuc ſupereſt, priſtinum nomen ita mutavit, ut ne leve quidem prioris veſtigium retineat.

Verum ſi iiſdem, vel etiam majoribus difficultatibus implexa vetus hiſtoria Perſarum, Græcorum, Romanorum, cæterarumque Nationum, adhuc tamen ſtudia hominum, conantium veterem Geographiam ambagibus explicare, gnaviter exercet, quis ſtudium ſuum deneget Geographiæ Hebraicæ, quæ cum tota intra fines breviſſimæ Regionis contineatur, id efficiet, ut in arcto ſpatio minus vagemur incerti? Neque nobis ipſi, ſive alius quiſque ſibi blandiri debet, futurum, ut certum ſitum omnium locorum, de quibus apud Joſue, determinet: pleraque enim Scriptores, & Tabulæ Geographicæ caſu, & temere deſignarunt. Id tamen nobis pro certo ſpondemus, fixorum punctorum certum numerum nos reperturos, quorum indicio eo uſque perveniri poſſit, ut mens habeat certum aliquid, ubi ſubſiſtat, ſimulque lux affundatur narrationibus ſane pluribus, quæ inſuperabilibus alioqui tenebris obvolverentur. De locis, quorum ſitum jam alibi expendimus, fuſius hic agere non vacat; ſilentio item præteribimus ea loca,

[1] Vide Maſ. & Serar. hic.

loca, quorum nulla certa cognitio ſuppetit. Conſulant Lectores Tabulam Geographicam, id ſemper mente verſantes, quod jam innuimus, inter parva quædam loca fixa, & explorata, quampluríma eſſe caſu tantum, & ex conjecturis deſcripta. Omnes etiam varias rationes idem nomen nomen legendi, niſi in locis notis exploratiſque, recenſendas non duximus.

Tribus Juda, in Regione maxime meridionali Chanaanitidis ſeſe explicans, tractum poſſidebat ab extrema ora maris mortui, ad meridiem, ſecundum Idumæam excurrentem, cujus extrema linea per deſertum Sin tranſiens, procedebat ab Oriente in Occidentem, uſque ad Mediterraneum, & ad ramum Nili maxime Orientalem. Porro limites hujus Tribus accuratius deſcribit Joſue, utpote omnium Principis, potiſſimæ, ac florentiſſimæ, quæ totius gentis Reges editura erat, & in qua potiſſimum Religionis ſedem, & centrum futurum norat, ut ſileam Meſſiam ex illa naſciturum.

Deſertum Sin, vel Sina, uti appellatur ℣. 3. Idumææ accenſebatur, continebat autem intra ſe Urbem Cades-barne. Vide Numeros XIII, 22, XX. 1. XXXIV. 3.

℣. 2. A SUMMITATE MARIS SALSISSIMI, ET A LINGUA EJUS, QUÆ RESPICIT MERIDIEM. Linea meridionalis Regis Juda, ab extrema ſummitate maris mortui ducta, ad Nilum & Mediterraneum deſinebat. Quod hic appellatur *lingua* (1), eſt, ex Chaldæo & Hebræorum pluribus, promontorium, vel Terræ aliquid intra mare illud excurrens. In hanc ſignificationem nomen *lingua* interdum, & a Latinis uſurpatum (2). *Lingua . . . promontorii genus, non excellentis, ſed molliter in planum devexi*, ait Feſtus. De ſitu Urbium Britanniæ agens Cæſar, conſtitutas pleraſque dicit *in extremis linguis, promontoriiſque*. Juxta alios vero *lingua* eſt ſinus intra continentem penetrans; & hanc poſtremam ſententiam magis ſuperiori veram putamus. Si enim ſeu promontorium, ſeu ſcopulus aliquis ſignificabatur, potius nomen linguæ telluris, quam linguæ maris uſurpandum erat, ac prænuncians Iſaias deſolationem Ægypti, *Deſolabit*, ait, *Dominus linguam maris Ægypti, & levabit manum ſuam ſuper flumen*.

℣. 3. EGREDITURQUE CONTRA ASCENSUM SCORPIONIS, ET PERTRANSIT IN SINA, ASCENDITQUE IN CADESBARNE. Tranſitus vel aſcenſus Scorpionis nomen ſuum e ſcorpionibus ibi ebullientibus derivabat, uti cenſet Bonfrerius; vel ſi mavis, ſcopulis montibuſque prominentibus inſtar quodammodo ſcorpionum (3). Cum autem eæ belluæ Hebraice appellentur *Acrabim*, inde nomen regioni illi *Acrabatene* datum eſt in Libro Macchabæorum (4). Nota eſt alia regio Acrabatene in Samaria, de qua Plinius (5), & Joſephus (6). Ex ordine autem locorum per Moyſem deducto reputandum eſt, *Aſcenſum ſcorpionis* occurriſſe medium inter deſertum Sin, & Mare mortuum, qua iter eſt e Palæſtina in Idumæam. De Cadesbarne fuſius actum eſt in Numeris XXXII. 8.

Totum hunc verſiculum ita reddunt Septuaginta: *Egrediantur fines contra aſcenſum Acrabim, & pertranſeunt Senna; & aſcendunt ab Africo in Cadesbarne, & egrediantur a Soron, & aſcendunt in Sarada, & obeunt eam* [regionem] *quæ ad Occidentem Cades; & egrediuntur in Selmonam*. Nihil illi de *Carcar*; & pro *Adar* legunt *Sarada*, ac pro *Aſemona* ferunt *Selmona*.

ESRON, ipſa eſt *Aſor*, vel *Aſerot* Numer. XI. 35. alia plane ab Aſor Galilææ, ubi Jabin regnabat.

CARCAA, eadem facile ac *Corace* Ptolemæi, in Arabia Petræa, *Adram* inter & *Suratam*. Adra eadem eſt ac Adar, & *Sarata* facile eſt *Sur*, vicina mari Rubro, quæ nomen ſuum Deſerto *Sur* communicat. Porro *Carcaam* in eamdem cum cæteris Urbibus lineam non incidiſſe, indicat ſacer Hiſtoricus, ferens, lineam flectere ad Carcaam. Oppidum Carcariam, diei itinere a Patræa, Euſebius conſtituit (7). Vetus quidam Interpres nomen *Carcaa* de Galaaditide accipit.

℣. 4. ASEMONA, poſtrema ex urbibus Juda, e latere Ægypti. Vide Numeros XXXIV. 4.

TORRENTEM ÆGYPTI, ramum Nili maxime orientalem. Vide ſupra XI. 3.

℣. 5. AB ORIENTE VERO &c. Senſum hujus verſiculi vix in Vulgata aſſequimur, nec apertior eſt in Hebræo: *Terminus ad Orientem, mare ſalis, uſque ad extremum Jordanem, & terminus anguli aquilonis a lingua maris* [ab Africo] *ab extremo Jordanis* [ex latere oppoſito]. Ut commodus aliquis ſenſus verbis hiſce ambiguis tradatur, ita ſententia reddenda eſt: Limites regionis Juda ab Oriente quidem dimetitur mare mortuum, ſecundum totam longitudinem ſuam, a lingua quæ porrigitur verſus meridiem, uſque ad extremam oram ſeptentrionalem hujus maris, ubi Jordanes mari illi ſeſe immiſcens, aquas ſuas & nomen perdit. Id autem verbis illis Textus, *ab extremo Jordanis*, deſignatur. Sed in tractu illo loca quædam continebantur ad plagam Septentrionalem Maris mortui, quæ Tribui Beniamini ceſſerant. Animadverte autem, vernacula Hebræorum & Arabum phraſi *linguam maris* dici, ut a nobis *lingua terræ* uſurpatur (8).

℣. 6. ASCENDIT TERMINUS IN BETH HAGLA. Locus is erat inter Mare mortuum & Jerichuntem, in ditione Beniamitarum (9), quamquam hic fines Judæ determinat. Apud Euſebium & S. Hieronymum notus eſt vicus Beth-Hagla X. M. paſſibus ab Eleutheropoli, Gazam verſus: is tamen locus plus nimio ab eo diſtat, de quo quærimus. Betagla ſita erat inter Jordanem & Jerichuntem. Vide Comment. in Geneſ. L. 10. Nummum ſervo cuſum Etglæ vel Beſaglæ.

BETH-HARABA, & *Lapis Boen*, duo ſunt loca ignoti ſitus. Boen nomen erat facile alicujus ex poſteris Rubeni, ex quo locus ille appellatus eſt; locus, inquam, neque enim Urbem fuiſſe ſatis conſtat.

℣. 7. AD TERMINOS DEBERA DE VALLE ACHOR, CONTRA AQUILONEM RESPICIENS GALGALA. Urbis *Deber* vel Deberæ ſitus latet. Celebris eſt vallis Achor, infelicis Achan, lapidibus confecti combuſtique ſupplicio. Jacebat ad meridiem Galgalæ juxta Textum: *Contra Aquilonem reſpiciens Galgala*. Galgal valli Achor erat ſeptentrionalis. Contendit Maſius, Galgalam hujus Textus longe aliam eſſe a Galgala, ubi Hebræi primis ingreſſus in Palæſtinam annis ſubſtiterunt. Collocandam autem credit inter Jeruſalem & Jerichuntem, confundendamque cum Gelilot Capitis XVIII. 18. aſcenſum *Adommim* e regione ſpectante. Maluerim ego tamen nomen *Galgal*, vel *Gelilah* utrobique pro limitibus generatim accipere.

QUÆ EST EX ADVERSO ASCENSIONIS ADOMMIM. Fuſius diſſeruimus ſupra VII. 24. de ſitu Adommim, quem locum alii conſtituunt ad ſeptentrionem, alii ad meridiem Jerichuntis & Galgalæ. Quo loco Vulgata legit, *Ab auſtrali parte torrentis*, habent Septuaginta: Ἥ ἐστι κατὰ λίβα τῇ φάραγγι, *Eſt ad Africum ipſi valli*. Sæpe alibi animadvertimus, Hebræum *Nachal* uſurpari modo pro valle, modo pro torrente: cæterum hoc textu juvantur ii, qui vallem Achor ad meridiem Galgalæ conſtituunt.

FONS SOLIS. Hebræus *Ein-ſemes*. Ad orientem Jeroſolymæ, in finibus Juda & Beniamini hic, non Urbs quidem, ſed merus fons occurrebat.

[1] מן הלשון הפנה נגבה [2] Vide Clericum hic. Cæſar Comment. l. 3. c. 12. [3] Vatab. [4] 1. Macch. v. 3. Vide & Hieronym. in Abdiam ℣. 19. [5] Plin. l. 5. c. 14. [6] Joſeph. l. 2. de Bello c. 25. & 28 & l. 3. c. 2. & 5. [7] Euſeb. in Carca, quod male confundit cum Carcor Judic. VIII. 10. [8] Vide Joſue XVIII. 19. Iſai. XI. 15. [9] Joſue XVIII. 21.

Digitized by Google

Fontem Rogel, vel ſontem *fullonis*, vel tandem, ſontem agri fullonis, de quo alicubi in Scriptura (1), ideo facile eo nomine appellatum, quod purgandis pannis ſeu lineis ſeu laneis fullones eo vantitarent; Hebræum enim *Rogel* exprimit ad literam pedibus calcare, qua ratione olim ſullones purgaſſe pannos, pedibus ſcilicet in aqua terendo, compertum eſt. Exhibet Homerus (2) Nauſicaam filiam Regis Alcinoi, una eum ancillis ſuis, terentem pedibus intra foſſas de induſtria ductas lineos pannos, quos eo attulerant purgandos. Prope hunc ſontem Rogel Adonias filius Davidis in Regem ſalutandum ſe tradidit (3); fontemque ipſum in hortis Regiis Joſephus (4) conſtituit. Ductus autem ex illa rivus ab oriente montis Sinai in torrentem Cedron defloebat.

℣. 8. Convallem filii Ennom; vallis eſt ad Orientem Urbis Jeruſalem, Hebraice appellata גי בן הנם *Ge-ben-Hennom*, vel tantum *Ge-Hennom*; ex quo derivatum creditur nomen illud, ſæpius in Scriptura de Interno uſurpatum, *Gehenna*. Ibi conſeeratum erat Idolum Moloch, cui cruento inſantum ſacrificio lirabatur. Hunc eumdem locum appellatum ferunt *Tophet*, derivato facile nomine ex tinnitu tympanorum, quorum fragore occupabantur autes, ne inſantum ſuffocatutum ejulatus exaudirent. Hunc tandem locum in ſentinam Jeroſolymæ deſtinatum fuiſſe tradunt.

Ad Occidentem in summitate vallis Raphaim, contra Aquilonem. Linea diſtinguens Tribum Juda a Tribu Beniamini, cujus ductum ad ſeptentrionem ſequimur, aſcendebat e valle Ennom ad Occidentem Jeroſolymæ, per montem, valli Gigantum vel Raphaim ſeptentrionalem. Itaque vallis Raphaim ad meridiem ejus montis adjacet, & aduſque Betlehem circitet, uti demonſtrat Bonfrerius (5), porrigebatur. Meminit ſæpe Scriptura *vallis Gigantum*; & Septuaginta quandoque pro *valle Raphaim* reddunt *vallem Titanum*. Porro Raphaim Gigantes fuiſſe ejus regionis inclytos, compertum eſt. Ex his autem facile nomen ſuum vallis accepit. Ibi David memorabilem de Philiſtæis victoriam retulit (6).

℣. 9. Fontem aquæ Nephtoa. Originales voces עין מי נפתוח ſonant *fontem apertum*. Nihil de hoc loco compertum eſt, niſi quod jacuerit in finibus Beniamini & Judæ, in plaga occidentali Jeroſolymæ.

Ad vicos montis Ephron, Hebræus: אל ערי הר עפרון *Ad urbes montis Ephron*. Hujus montis certus ſitus plane compertus non eſt. Utrum cum montibus Ephraim confundendus? Occurrit apud Euſebium ingens quoddam oppidum *Ephræa*, vel *Ephraim* xx. m. paſſibus ab Jeroſolymis. Urbis Ephron meminere ſecundus Paralipomenon xiii. 19. & Libri Macchabæorum (7); eademque facile reputanda eſt ac Ephraim, de qua in Joanne xi. 54. Sita videtur in anguſtiis, in loco ſatis commodo; habebaturque veluti arx munitiſſima, & magni momenti, ætate Judæ Macchabæi.

Bala, quæ est Cariathiarim. Appellatur etiam Baal & *Cariath-Baal* (8). Tribui Juda accenſebatur, diſtabatque ab Jeruſalem x. m. paſſibus, Dioſpolim verſus. Nomen *Cariathjarim* ſonat, *urbs nemorum*. Arca ſederis ibi diutius detenta eſt, poſtquam e Philiſtæis rediit (9).

℣. 10. Juxta latus montis Jarim, ad Aquilonem in Chelson. Utrum mons iſte *Jarim* vel nemoris idem reputandus eſt cum monte, cui vel ad quem urbs *Cariathjarim* inſidebat? Limites Tribus Juda ita deſcribit Joſue, ut lineam illorum extremam ducens a ſeptentrione ad meridiem, verſus montes Sehir, tranſire illam dicat juxta latus montis Jarim, qui aſſurgit ad ſeptentrionem *Cheslon*, vel *Chaslon*, uti legit S. Hieronymus, qui eum locum in Tribu Juda conſtituit. Sed ab Euſebio in ditione in ditione Beniamini adſcribitur; quod nos multo veroſimilius cenſemus, cum eo urbs ad aquilonem Jarim jaceret.

Descendit in Bethsames, transitque in Thamna. Bethſames vel *Hir-Semes*, *urbs* vel *domus Solis*, ad Tribum Juda pertinens (10), quæ Sacerdotibus ceſſit. Arca e Philiſtæis redux, ibi primum ſubſtitit: ſed malo Bethſamitarum, quippe qui nimis curioſum obtutum in illam figere auſi, pœnas luerunt repentino quinquaginta millium & ſeptuaginta e ſuis interitu (11). Ibi pariter Amaſias Rex Juda a Joas Rege Iſraelis captus eſt (12). Conſtituit hanc Urbem Euſebius x. m. paſſibus, vel quinque leucis ab Eleutheropoli, Emmaus verſus.

Thamna, urbs vicina Bethſames, quæ primum Tribui Juda aſſignata (13), ceſſit deinde Danitis (14). Euſebio & S. Hieronymo eſt prope Dioſpolim, Jeroſolymam verſus. Septuaginta pro ועבר תמנתה, *& tranſit in Thamna*, legunt: Παρελεύσεται ἐπὶ λίβα, *Et pertranſibit ad Africum*.

℣. 11. Pervenit contra Aquilonem partis Accaron ex latere, inclinaturque Sechrona, Hebræus (15): *Egredietur terminus ad humerum Accaron, ad Aquilonem, & deſignabit* [flectet] *ad Sechron*.

Scitum eſt, Accaronem ad Philiſtæos pertinuiſſe, & jacuiſſe ad Occidentem earum urbium, de quibus mox: ſitus vero *Sechron* vel *Sechronæ*, vel uti legunt Septuaginta, *Sachronæ*, penitus latet. Ex his autem intelligimus, Accaronem ſeptentrionalem fuiſſe urbi Bethſames vel Thamnæ, lineamque extremam recta ex Accarone ad Sechronem non tetendiſſe.

Transit montem Baala, pervenitque in Jebneel. Montis Balæ certus ſitus ignoratur, niſi forte conſtituendum cenſeamus juxta Urbem Balam, de qua infra ℣. 29. & facile etiam in capite xix. 3. In Tribu Nephtali urbs eſt quædam Jabnel, quæ tamen cum noſtra hac confundi non poteſt. Sunt qui deſignari hic *Jabniam* vel *Jamniam* credant.

℣. 13. Cariath-Arbe patris Enac. Vide quæ diſſeruimus ſupra xiv. 15.

℣. 14. Sesai, Ahiman, Tholmai. Tres erant hujus nominis Gigantes Hebrone, octo & triginta ante annis, cum a Moyſe viri ſelecti regionem inſpectuti veniſſent (16).

℣. 15. Dabir, quæ prius vocabatur Cariath-Sepher. De hac Urbe ad caput x. 38. egimus. Interpretum plerique nomen *Cariath-Sepher*, urbis Libri, inditum loco idcirco cenſent, quod ibi olim ante adventum Hebræorum literæ docerentur (17), vel quod Tabulæ, & vetera Chananæorum monumenta ibi ſervarentur (18) Chaldæus pro קרית ספר *chiriat Sepher* vertit קרית ארכי *Kiriath-arche*, quod ſonare poteſt urbem Bibliothecarum, armariorum, archivorum. Septuaginta: Πόλις γραμμάτων, *Civitas literarum*. Nomen *Kariath-Senna*, quod illi inferius ℣. 49. traditum eſt, in eamdem ſignificationem congruere poteſt; ſonat enim ad literam, urbem ubi acuitur, inſtruitur, vel ſtudio opera datur. Adhortans Moyſes in Deuteronomio vi. 7. Iſraelitas, ut Legem repetant, imprimantque filiorum mentibus, utitur Hebræo verbo *Schanan*: שננתם לבניך, *Acues illam filiis tuis*, mandes &c.

℣. 16.

(1) 4. Reg. xviii. 17. & Iſai. vii. 3. & xxxvi. 2. (2) Homer. Odyſſ. Σ. Στεῖβον δ' ἐν βόθροισι θοῶς ἔριδα προφέρουσαι. (3) 3. Reg. i. 25. (4) Joſeph. Antiq. l. 7. c. 11. (5) Bonfr. hic, ex Joſepho l. 7. Antiq. c. 10. (6) 2. Reg. v. 23. 24. 25. (7) 1. Macch. v. 46. & 2. Macch. xii. 17. (8) Joſue xv. 6. (9) 1. Reg. xv. 60. (10) Joſue xv. 10. & 4. Reg. xiv. 11. (11) 1. Reg. vi. 19. (12) iv. Reg. xiv. 13. (13) Joſue xv. 57. (14) Joſue xix. 43. (15) ויצא הגבול אל כתף עקרון צפונה ותאר הגבול שכרונה (16) Num. xiii. 23. (17) Cornel. a Lapide, Bonfr. Grot. *Gymnaſium Phœnicum*. (18) Maſius, Bochart. Phaleg. l. 2. c. 17.

℣. 16. Qui percuſſerit Cariath-Sephera, dabo ei Axam filiam meam. In moribus poſitum erat apud eas gentes, ut penes parentes jus eſſet integrum in connubia filiorum (1). Saul nuptias filiæ ſuæ ſpondet in præmium illi, qui Goliath in certamine ſuperarit (2): cujuſmodi etiam plura ex hiſtoria profana ſuppeditantur. Exigebatur pretii aliquid a ſponſo, veluti dotis loco, ſeu in emptionem uxoris.

℣. 17. Cepit eam Othoniel filius Cenez, frater Caleb junior. Deeſt hic quidem in Hebræo illud *Junior*, ſed legitur apud Septuaginta (3), & in Vulgata; ac facile ſuppletum credimus ex Judicum 1. 13. ubi expreſſum eſt. Commode Textus reddi poteſt (4): *Othoniel filius Cenez, qui Cenez frater erat Caleb*; quam interpretationem ſuffragio ſuo firmant docti plures Interpretes; cui fulciendæ animadvertunt, Calebum, ſi frater germanus fuiſſet Othonielis, nunquam traditurum illi fuiſſe filiam ſuam in conjugem, cum lege interdicta videantur inter patruum & neptem conjugia, eadem plane ſanctione, qua apertis verbis interdicta ſunt connubia amitæ cum nepte. Sed, uti in Leviticum XVIII. 14. adnotatum eſt, docent Judæi, Samaritanis licet negantibus, fas eſſe patruo neptem ſuam ducere in uxorem, quamvis interdictæ ſint nuptiæ nepotis cum amita: alterum enim conjugium juri ſuperioris & mariti, & authoritati patrui in neptem non officit; viciſſim autem rectus ordo deſtrueretur, ſi nepos jure conjugis efficeretur ſuperior amitæ ſuæ, cui alioqui ætas & natura illum ſubdidit. Utcumque res habeat ſeſe, exemplum & authoritas litigioſa cauſam non vincit. *Nil agit exemplum, litem quod lite reſolvit* (5).

Ad tuendam Vulgatæ interpretationem, illud afferri poſſet, nunquam in Scriptura agi de Cenez tamquam fratre Calebi, nihilque eſſe abſurdi, ſi ſtatuamus, Othonielem fratrem fuiſſe Calebi, ſive nomen fratris uſurpetur eo latiori ſenſu, quo ſolet Scriptura, ſive ad literam accipiatur: quamquam mea quidem ſententia, Othoniel jure propinquitatis potius quam fraterno ad Calebum pertinebat (6). Id autem a me dictum probatur, I. quod Othoniel nunquam non appelletur filius Cenez, & Caleb filius Jephone; II. quod Othoniel multo junior eſſet Calebo, uti in Textu Judicum exprimitur, ac tandem filiam Calebi Axam duxit; nuptiæ autem illæ genere propinquum potius quam patruum decent. Reputari igitur poſſet, Jephone patrem Calebi, & Cenez patrem Othonielis, fratres fuiſſe, adeoque & Othonielem & Calebum patrueles fuiſſe inter ſe, atque ex patruele conſobrinam Axam ad Othonielem acceſſiſſe: nuptias autem inter conſobrinos ſociare, per Legem licebat.

℣. 18. Qui cum pergerent ſimul, ſuaſa eſt a viro ſuo, ut peteret a patre ſuo agrum. Actum eſt hoc eo tempore, quo Axæ cum Othoniele conjugium celebrabatur; ſolemni enim ritu ſponſa in domum viri traducebatur, neceſſariorum turba ſponſos comitante, ſtrepentibus circum omnibus feſtivo inſtrumentorum ſonitu, atque inter plures lætitiæ ſignificationes. Opportunam hanc occaſionem nactus eſt Othoniel, ut a ſocero ſuo impetraret agrum irriguum, ſibi facile percommodum, conjunctumque alteri arido & ingrato, qui filiæ a patre Calebo traditus fuerat. Viro igitur authore, Axa patrem ſuum illud rogavit, quod hic narratur. Tota hujus hiſtoriæ ſeries pronam hanc expoſitionem poſtulat, quam vindicant Syriacus, Arabs, & docti plures Interpretes, ex iis pariter qui Hebræo tenacius inhærent (7).

Sed litera ejuſdem Hebræi (8), tum hic, tum in Textu parallelo capitis primi Judicum, contrarium plane ſenſum reddit: *Et in veniendo ipſa* (in domum ſponſi) *incitavit eum ad petendum a patre ſuo agrum; & ſuſpiravit* (vel deſcendit) *deſuper ex aſino; dixitque ei Caleb: Quid tibi?* Eamdem cum Hebræo ſententiam reddunt vetera quædam Mſs. (9) Vulgatæ, a S. Hieronymo verſæ, & Chaldæus unaque plerique eorum, qui verſiones ſuas ex Hebræo adornarunt, ferunt, Axam verecunda quadam in patrem reverentia, cum petere ſibi in dotem agrum irriguum non auderet, incitaſſe virum, ut pro ſe poſtularet; ſed cum Othoniel viciſſim non auderet petere, vel potius repulſam paſſus eſſet a Calebo, uxorem ſolicitaſſe, ut patrem eadem rogaret; itaque Axam auſam eſſe tandem ſolicitare patrem ſuum, ut denique optatum agrum concederet. Ut Hebræo ſenſus intelligibilis reddatur, ſupplendum eſt, Othonielem noluiſſe agrum per ſe poſtulare, vel poſtulatum impetrare non potuiſſe: eaque facile verborum difficultas & conciſio in eam interpretationem, quam in Vulgata expreſſit, S. Hieronymum perduxit.

Suſpiravitque ut ſedebat in aſino. Vox Hebrea ותצנח מעל החמור quæ redditur *ſuſpiravit*, nonnili hic, & in Judicibus 1. 14. ubi eadem hiſtoria repetitur, ac tandem in hiſtoria fuſi fugatique Siſaræ, ubi legimus Jaelem clavo confixiſſe caput ejus Ducis (10), occurrit. Conſtat autem, ex poſtremo hoc loco parum lucis affundi ad explorandum vocis hujus ſenſum. Interpretum quidam vertunt hic (11): *Demiſit ſe*, vel *deſcendit ex aſino*. Alii: *Coaffixit ſe ſuper aſinum* (12); noluit deſcendere, niſi prius poſtulatis annuiſſet pater. Alii (13): *Expectavit inſideas aſino*. Septuaginta: Ἐβόησεν ἀπὸ τοῦ ὄνου, *Exclamavit de aſino*; quod cum Vulgatæ verſione congruit, Legerunt enim forte illi תאנח uti S. Hieronymus, pro תצנח. Interpres Origenis: *Exclamavit de monte*, ἀπὸ τοῦ ὄρους. E variantibus hiſce id ducitur, genuinum ſenſum Hebræi hujus Textus ignorari.

℣. 19. Da mihi benedictionem, largire hoc mihi: quem ſenſum frequenter retinere vocem *benedictio*, ſatis conſtat. Abigail ad Davidem (14): *Suſcipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi*. S. Paulus (15): *Præparent repromiſſam benedictionem* [munus, donum] *hanc paratam eſſe*.

Terram auſtralem et arentem dediſti mihi, junge et irriguam. Ut loci hujus ſenſus plene exponeretur, neceſſarium eſſet, ſitum locorum & ſoli in partem Axæ traditi poſituram exploratam habere. Videtur autem Caleb filiæ dediſſe totam agri arentis & ſicci portionem, ſervata ſibi ejuſdem agri altera parte fertili & irrigua. *Junge & irriguam*, ait Axa; quibus verbis innuere videtur ſolum irriguum, agro jam ſibi tradito junctum. Hebræus ad literam (16): *Quoniam terram meridiei dediſti mihi, & da mihi fontes aquarum*. Terra auſtralis pro arido, ſicco & aduſto ſolo uſurpatur. In regionibus illis ferventibus, ubi auſtrales venti calidi regnant, agri meridianus ſitus ſterilis eſt & aduſtus. Septuaginta Textum hunc ita acceperunt (17); *In terram Nageb*, vel auſtralem, *dediſti me; da mihi Golat maim*; ideſt, aquarum ſcaturigines. Interpres Origenis vertit: *In terra auſtri nuptum me tradidiſti, & accepit Gonetlam ſuperiorem, & Gonetlam inferiorem*; hæc autem verba nihil ſignificant.

---

(1) Grot. hic. (2) 1. Reg. XVII. 25. (3) Ita Septuag. in Cod. Vatic. Syr. Arab. Munſt. Pagn. &c. (4) עתניאל בן קנז אחי כלב (5) Horat. (6) Vide Maſ. hic, Vatab. Druſ. Cornel. Bonfr. in Judic. 1. 13. (7) Piſc. Jun. Tremel. Bonfr. Cornel. &c. (8) ויהי בבואה ותסיתהו לשאול מאת אביה שדה ותצ (9) Codex mſ. Corbej. ex Bibliothec. Sancti Germani a Pratis in editione nova Hieron. tom. 1. pag. 269. (10) Judic. IV. 21. ותצנח בארץ. (11) Jonat. Munſt. Vatab. Druſ. Pagn. Grot. Maſ. (12) Menoch. (13) Ludov. de Dieu. (14) 1. Reg. XXV. 27. (15) 2. Corinth. IX. 15. (16) כי ארץ הנגב נתתני ונתתה לי גלות מים (17) Εἰς γῆν Ναγὲβ δέδωκάς με, δὸς μοι τὴν γολαθμαΐμ.

cant. Aquila: *Golgot ſuperiorem & Golgot inferiorem*. Symmachus (1) ad 1. Judicum: *Poſſeſſionem* (agrum) *in ſuperiori, & agrum in inferiori*.

Dedit ei . . . . irriguum ſuperius et irriguum inferius. Terram nempe montanam & agrum, utrumque vero aquis irriguum; vel, juxta alios, agrum infra & ſupra, ad duo extrema irriguum; vel tandem, agrum in quo aquarum rivuli fluebant, *irriguum ſuperius*, addebanturque putei & ciſternæ, *irriguum inferius*. Animadvertimus jam, Septuaginta voces originales pro nominibus propriis accepiſſe.

℣. 22. Adada. Septuaginta legerunt *Aroer* Confer 1. Reg. 30. 28.

℣. 23. Jethnam, vel Jota, & Jeta. Urbs eſt Sacerdotalis, quam confundendam probat Bonfrerius (2) cum Aſan, de qua infra xix. 7. & 1. Paralipomenon vi. 59. Animadvertit autem in eam rem, ubique in Scriptura, ubi nomen *Jeta* occurrit, nunquam ibi legi *Aſan*, ac viciſſim, ubi *Aſan*, ibi nunquam *Jeta*. Sed contrarium placet Cellario, qui certat, Jetam hujus loci eumdem eſſe locum ac *Jotam* capitis xxi. 15. eumdemque ac Jethnam, quam Euſebius xviii. m. paſſibus ab Eleutheropoli, meridiem verſus, conſtituit.

℣. 24. Ziph, locus ſeceſſu Davidis in deſertum Ziph notus. Davidem autem ut manibus Saulis traderent, Ziphæi nullum non moverunt lapidem (3). Geminæ ſunt ejus nominis Urbes in Tribu Juda; altera quidem, de qua hic, altera vero, de qua ℣. 55. Poſterioris hujus meminiſſe creduntur Libri Regum, cujus in montes David receſſit: id vero ſuadet propinquitas Maonis & Carmeli. Jacet viii. m. paſſibus ab Hebrone, Orientem verſus, authore Euſebio.

℣. 25. Asor nova, idcirco nova dicitur, ut diſtinguatur ab Aſor vetere, ubi olim Jabin Rex Chanaaniticus imperitabat. Porro Aſor nova jacebat ad Orientem, & in ditione Aſcalonis (4). Hujus nominis Aſor Urbes plures ſunt.

Carioth Hesron: hæc est Asor. Deſignari hic credimus urbem Aſor in finibus Juda, verſus Arabiam. Vide Numeros xi. 35. & xxxiii. 17. Veteres Græci Interpretes hunc verſiculum aliter legerunt. Septuaginta: *Civitates Aſeron: hæc eſt Aſor*. Vetus aliis Interpres: *Urbs Aſeron, hæc eſt Aſor*. Itaque ex illis totus hic verſiculus, in quo Vulgata tres Urbes diſtinguit, unam tantum, ſcilicet *Aſor*, continet. In eumdem ſenſum reddi poſſet Hebræus: *Aſor Chadata, vel Urbes Heſron, ideſt Aſor*.

℣. 26. Molada, vel Moladah. Ceſſit hæc primum Tribui Juda, uti verſiculus hic demonſtrat: inde in ditionem Simeonis tranſivit (5); poſt reditum e captivitate Babylonica, a Tribu Juda iterum frequentata eſt (6). Eadem eſt facile ac *Malata*, vel *Malatis*, de qua ſæpe Euſebius & S. Hieronymus. Vide Numeros xxxiii. 25. & infra *Bethphelet*.

℣. 27. Hassemon, confundendam credo eum *Aſſemona*, loco ſtationis Iſraeliticæ in deſerto (7): poſtrema autem eſt Urbs deſerti, & plagæ meridionalis in ſorte Juda (8). In eam perſuaſionem ideo inducimur, quod Malati & Berſabee juncta eſt. Deeſt ejus nomen in Septuaginta, & in vetere alio Græco Interprete.

Bethphelet, vel *Bethphalet*, ideſt, *domus ejus qui fugit*, vel liberationis, vel domus Pheletæi. Eamdem eſſe affirmat Euſebius, ac *Metheli*; legendum credo *Meleti*, vel *Malati*, quod nomen eſt Urbis, ſæpius ab illo memoratæ, xx. m. paſſibus ab Hebrone, & quater mille ab Arad. Vide quæ diſſeruimus de Maccelot in Numeros xxxiii. 25.

℣. 28. Haser-Sual, ideſt, *Atrium Sual*, vel commoratio vulpis. Occurrit in Scriptura terra Sual, juxta Ephram (9). Deeſt hoc nomen in Septuaginta.

Bersabee locus eſt celebris, ex ſede ibi conſtituta a Patriarchis Abrahamo & Iſaaco: hic autem & in I. Regum xix. 3. Tribui Juda aſſignatur; alibi vero inter Simeoniticas accenſa eſt (10). Docet tamen Scriptura, Simeonem in medio Tribus Juda habitaſſe, & portionem in ejus ditione contentam obtinuiſſe. Adjacebat urbs viæ e Palæſtina in Ægyptum, & inter Urbes Judææ, ſi quæ alia, maxime erat meridionalis. Ambigere me profiteor, utrum fides præſtanda ſit Euſebio, Berſabee ab Hebrone nonniſi xx. m. paſſibus removenti. In vetuſtis quibuſdam monumentis (11) pro Berſabee legitur *Verſabinum Caſtrum*, & *Beroſabæ*.

Baziothia. Id nominis non legitur in Septuaginta, nec in quovis alio vetere Græco Interprete; ſed ejus loco occurrit: *Vici earum, & villæ earum*.

℣. 29. Baala. De monte Bala actum eſt ſupra ℣. 11. & infra etiam occurret Urbs Baala, inter Simeoniticas, ambo in plaga meridionali Tribus Juda. Nec eſt, cur monſtri loco ducamus, ſi quæ prius Urbes ditioni Judæ adſcriptæ fuerant, tranſierint deinde ad proximas Tribus, & viciſſim Tribus Juda eas poſſediſſe legatur, quæ olim alterius erant juris & ditionis. In aſſignandis ſortibus poſtremarum Tribuum, plura reformare viſum eſt, quæ olim in primis diſtributionibus ſancita fuerant; detractumque eſt uni, quod alteri adderetur, ut æqualitas pro viribus ſervaretur. Ad hæc, cum Juda regionem latiſſimam poſſideret, armiſque cum Simeone ſociatis (12) poſt obitum Joſue, reliquos Chananæos omnes aggreſſus ſit, contigit tum pariter, ut nova quædam diviſio ſuperatæ regionis inter geminas illas Tribus haberetur. Denique temporum, & Judaicæ Reipublicæ vices id pariter effecerunt, ut novæ res politiam in dies turbarent, quarum cauſas, & effectus omnes diſtinguere, id fieri nequaquam poſſe judicamus.

Jim. Septuaginta, *Bacoc*; Græcus alius Interpres, *Arim*.

℣. 30. Eltholad; de quo pariter 1. Par. 4. 29. Tholad. *Harma*, aliter *Herma* (13), vel *Horma* (14), id eſt, anathema. Urbs eſt celebris in Scriptura, victoria Chananæorum de Iſraelitis primum (15), dein vero Iſraelitarum de Chananæis. Eadem occaſione nomen loco inditum eſt *Anathema*, devoventibus Iſraelitis anathemati ditionem Regis Arad, cujus armis petebantur. Reputandum eſt, Hormam a Cadesbarne non longe abfuiſſe, cum Iſraelitæ moventes e Cadesbarne, ut injuſſu Moyſis Chananæos & Amalecitas aggrederentur, prælio victi hoſtes a tergo infeſtos uſque Hormam ſenſerint (16). Hæc urbs primum Judæ, dein Simeoni ceſſit (17).

℣. 31. Siceleg. Hæc urbs, uti præcedens, ex Juda ad Simeonem tranſivit; perſeveraſſe autem ſub Philiſtæorum imperio uſque ad Davidis ætatem videtur. Semel vero ab eodem Davide obtenta, munere Achis, quo tempore ille e favore Saulis exciderat, ſemper deinde Regibus Juda paruit (18).

℣. 32. Lebaoth, vel *Labaoth*, inter Simeoniticas Urbes recenſetur, ſub nomine *Beth-Lebaoth*, id eſt, *commoratio leænarum* (19).

Aen, & Remon. Geminæ iſtæ Urbes in nonnullis Latinis Exemplaribus junguntur, ac tamquam una & ſingularis Urbs leguntur in II. Eſdræ xi. 29. ſed in duas longe diverſas utique diſtinguendæ ſunt. Remon una eſt ex iis, quæ ad Simeonem deinde tranſierunt. Nominis Remon plura ſunt loca. Inter ſtationes Iſraelitarum in Deſerto

(1) Sym. κτῆσιν ἐν ὑψηλοτέρᾳ, καὶ κτῆσιν ἐν κοιλοτέρᾳ. (2) Bonfr. in Joſue xxi. 5. (3) 1. Reg. xxiii. xxvi. (4) Euſeb. & Hieronym. (5) Joſue xix. 2. & 1. Par. iv. 28. (6) 2. Eſd. xi. 24. (7) Num. xxxiii. 29. (8) Joſue xv. 4. (9) 1. Reg. xiii. 7. (10) Joſue xix. 2. (11) Apud Cellar. l. 3. c. 13. pag. 358. (12) Judic. i. 3. (13) Joſue xii. 14. (14) Num. xiv. 45. & Deut. i. 44. (15) Num. xxi. 1. (16) Num. xiv. 45. (17) Joſue xix. 4. (18) 1. Reg. xxvii. 6. (19) Joſue xix. 6.

Digitized by Google

ſecto occurrit Remmon-Pharez (5). Eſt autem apud Euſebium Remmon locus ad ſeptemtrionem, & xv. m. paſſibus ab Jeroſolymis: quod utique non congruit cum noſtra hac Urbe, quæ multo meridionalior Jeroſolymæ conſtituenda eſt.

Civitates viginti novem. Si quis numerum Urbium deſcriptarum a ℣. 20. uſque ad 32. recenſeat, quinque & triginta reperiet; idemque numerus ad octo & triginta augebitur, ſi Hebron, Dabir, & Cariath-Sepher addantur. Interpretum plures (2) ſuſpicantur, ex eo numero detrahendas eſſe novem illas, quæ Tribui Simeonis deinde traditæ ſunt, ut infra ex capite xix. 2. 3. & ſequentibus conſtat. Malunt alii (3) retinendum eſſe numerum novem & viginti Urbium majorum, quibus addendi ſint novem pagi ſeu vici minores; id autem innui verbis illis Textus: *Civitates viginti novem, & villæ earum*. Samſonius numerum octo & triginta ad viginti & novem redacturus, nomina quædam Urbium ſimul jungit, quamquam in Hebræo, & in Græco per conjunctionem & diſtinguuntur. Satis hoc eſſe puto ad opinionem ejus evertendam.

℣. 33. In campeſtribus vero Estaol. Hebræus: בשפלה אשתאול *Et in Scephalah* Urbs *Eſtaol*. In capite x. 40. oſtendimus, regionem *Scephalah* tractum fuiſſe planæ regionis in viciniis & ad occidentem Eleutheropolis. Urbs *Eſtaol*, Euſebio teſte, diſtabat x. m. paſſibus ab Eleutheropoli, verſus Nicopolim, ſeu potius, uti mavult Boaſrerius, Dioſpolim. Eſtaol, una olim ex Urbibus Juda, tranſivit in ditionem Danitarum (4). Samſon conditus fuit in ſepulcro patrum ſuorum, inter Eſtaol & Saraam (5).

Sarea, vel *Sara*, vel *Saara*, tranſivit poſt hæc ad Danitas (6). Patria Samſonis (7). Septuaginta & Græcus alius Interpres poſt *Aſna*, quod hic legitur, exhibent *Rameum*, vel *Ramen*, de quo nihil in Hebræo & in Vulgata.

℣. 34. Zanoe, vel *Zanoa*, in via ab Eleutheropoli Jeroſolymam, ait Euſebius. Urbs eſt alia ejuſdem nominis infra ℣. 56.

Engannim. Hujus nominis urbs juxta Bethel conſtituitur; utrum vero hæc eadem ſit, ignoratur.

Taphua, Urbs regia, ſed ſitus ignoti (8). Non una erat ejuſdem nominis in Palæſtina.

Enaim. Eamdem eſſe cenſet Euſebius ac Bethenion, prope Terebinthum. Joſepho (9), Sozomeno, atque Itinerario, Theodoſii ætate ſcripto, teſtibus, terebinthus quædam monſtrabatur, aliquot ſtadiis ab Hebrone; ipſa autem credebatur arbor, ſub qua Abraham tres Angelos convivio excepit. Enaim hæc utrum eadem cenſenda eſt, de qua in Geneſi? ubi legimus Judam acceſſiſſe ad Thamar in porta Enaim, ad viam Thamnæ (10). Hunc verſiculum 34. aliter reddit Vulgata & Hebræus, aliter Septuaginta: *Thano, Ilusbot & Mæani*. Interpres alius: *Zano, Adiathaim & Enaim*.

℣. 35. Jerimoth, iv. m. paſſibus ab Eleutheropoli; ſupra x. 3.

Adullam, vel *Adollam*, & *Odollam*; ſuperius xii. 15.

Socho et Azecha, in via ex Jeroſolyma Eleutheropolim. Eo loco certamen illud ſingulare inter Davidem & Goliath inſtitutum eſt (11). Septuaginta, & Græcus alius Interpres addunt huic verſiculo Urbem *Membra*, vel *Nembra*.

℣. 36. Saraim, vel *Saarim*, Judæ & Simeoni tribuitur. Geminæ ejuſdem nominis fuiſſe Urbes creduntur, quarum altera Simeoni, altera Danitis pareret (12).

Adithaim. Notum eſt oppidum Adatha prope Gazam, & alterum ad orientem Dioſpolis.

Gedera, Gederothaim, vel *Gador* & *Gaderot* & *Gader* vel *Gaddera*. In capite hujus libri xii. 31. occurrit Rex *Gader*. Idem eſt facile locus ac Gazer vel Gazera. In hoc verſiculo duas tantum Urbes legunt Septuaginta, videlicet *Sacarim* & *Gadera*.

Urbes quatuordecim. Quindecim ducta ſupputatione veniunt; quæ tamen ad quatuordecim redigentur, ſi Gedera & Gederothaim in unam urbem jungantur. Sunt qui *Enaim* nomen fontis eſſe, non urbis, credant. Malunt alii, in hoc cenſu pagos eſſe quoſdam, urbium dignitate minores. Septuaginta & Græcus alius Interpres in quatuor præcedentibus verſiculis urbes tantum quatuordecim recenſent.

℣. 38. Masepha. Hujus nominis urbem ad ſeptemtrionem Eleutheropolis, Jeroſolymam verſus, Euſebius conſtituit.

Jecthel, locus eſt longe alius ab Jectael, alio nomine *Petra* in Arabia, cui Amaſias Rex Juda nomen Jectael dedit (13). Septuaginta & vetus Interpres legunt *Jachariel*.

℣. 39. Lachis. Vide ſuperius x. 3.

Eglon. Vide caput x. 3. Septuaginta legunt hic *Boſedoth*, & *Ideadalea*.

℣. 40. Chebbon, Leheman, Cethlis. Septuaginta: *Chabba*, *Maches*, *Machos*. Græcus alius Interpres: *Chabba*, *Chamas*, *Chatlos*. Vide novam Editionem Hexaplorum.

℣. 41. Beth-Dagon, ideſt, *Fanum* vel *Domus Dagon*. Conſtat inter omnes, Dagonem ſacrum fuiſſe Numen Philiſtæorum; quare non injuria ſuſpicamur, Beth-Dagon regioni illorum proximam adjacuiſſe. Affirmat S. Hieronymus, ætate ſua ingens quoddam oppidum inter Jamniam & Dioſpolim ſtetiſſe, cui nomen *Capher-Dagon*, ideſt, commoratio Dagon. Alia eſt etiam urbs Beth-Dagon inter Aſeriticas (14). Septuaginta legunt hic: *Bagadiel*.

Maceda. Vide ſuperius x. 57.

℣. 42. Labana, eadem facile ac *Lebna*, vel *Lobna*, *Joſue* x. 29.

Ether, vel Athar. Urbs primum Tribui Juda tradita, inde ad Simeonitas traducta (15). Docet Euſebius, in intimis partibus regionis Daromæ, quæ in ea provincia omnium maxime eſt meridionalis, locum fuiſſe ingentem, nomine Etheram vel Jethiram, prope Urbem Malatam. Vide quæ in Numeris diſſeruimus de Macelor, & quæ de Jether, eadem ac Ether, in Commentario ad 1. Regum xxx. 27.

Asan. An eadem ac Jeta? Vide ſupra ℣. 23. Nec facile diſtinguenda eſt a *Cor-Aſan*, de qua 1. Regum xxx. 30. Septuaginta, *Ariach*.

℣. 43. Jephtha, Esna, Nesib. Septuaginta, *Jana* & *Naſib*. Græcus alius Interpres: *Jephta*, *Aſenna*, & *Naſim*.

℣. 44. Ceila, Achzib, Maresa. Septuaginta: *Ceila*, *Aciezi*, *Ceſib*, *Batheſan*, *Alem*. Vetus alius Græcus Interpres: *Cela*, *Ameſat*, *Zen* (ad extremam oram paginæ, *Aczib*) *Mareſa*, *Edom* (16).

Ceila, urbs hiſtoria Davidis celebris. Illam enim ab obſidione Philiſtæorum liberavit: dein vero Saulem inſequentem fugiens, parum abfuit, quin ab incolis Ceilæ, acceptum beneficium tanto ſcelere rependuris, in manus inviſi Principis traderetur (17). Ceilam conſtituit Euſebius in via ex Eleutheropoli ad Hebronem, ab Eleutheropoli xvii. m. paſſibus, vel, juxta S. Hieronymum,

(1) Num. xxxiii. 19. (2) Hebræi in Lyr. & Maſ. Vat. Grot. jun. (3) Maſ. Menoch. Serar. Bonfr. Druſ. (4) Joſue xix. 41. (5) Judic. xvi. (6) Joſue xix. 4. (7) Judic. xiii. 2. (8) Joſue xii. 17. (9) Joſephus l. 4. de Bello c. 31. hanc collocat ſex ſtadiis ab Hebrone; Sozomenus l. 2. Hiſt. Eccl. cap. 4. quatuor ſtadiis; & Itinerarium Burdegalenſe, bis mille paſſibus ab Hebrone. (10) Geneſ. xxxviii. 14. בפתח עינים (11) 1. Reg. xvii. 49. (12) 1. Reg. xvii. 52. Vide Bonfr. in Saarim. (13) 4. Reg. xiv. 6. (14) Joſue xix. 27. (15) Joſue xix. 7. (16) Vide nov. edit. Hexapl. (17) Vide 1. Reg. xxiii.

mum, VIII. M. paſſibus diſſitam. Monſtrabatur ibi Abacuc Prophetæ ſepulcrum.

ACHZIB, eadem facile ac Cazbi, de qua Geneſis XXXVIII. 5. Hujus nominis urbs erat in Galilæa celebris; ſed hæc, de qua modo, penitus latet.

MARESA, urbs in Scriptura celebris, at ſitus incertiſſimi. De ruderibus Mareſæ, X. M. paſſibus ab Eleutheropoli, agunt Euſebius & S. Hieronymus; ſed mendum irrepſiſſe in numerum oportet, cum Mareſa multo meridionalior in Chananitide conſtituenda videatur. Idumææ adſcribit Joſephus (1). Roboamus filius Salomonis, Rex Juda, munire illam aggreſſus eſt (2), diuque poſt Gabinius Romanarum copiarum Imperator reſtituendam curavit (3). Ibi Aſa Rex Juda prælio fudit Zaram Regem Æthiopiæ vel Arabiæ, fugientemque Geraram uſque inſecutus eſt (4). Significari hoc nomine Reſſam Arabiæ urbem, nos alibi conjectura docuimus. *Mareſſam* conſtanter appellat Joſephus. Nota eſt hodie pariter Urbs *Lariſſa*, inter Palæſtinam & Ægyptum, ſupra & ad Orientem *Raphiæ*.

℣. 45. ACCARON. Vide ſupra XIII. 3.

℣. 47. AZOTUS. Vide Joſue XI. 22.

℣. 48. JETHRA, urbs prope Malatam, ad meridiem regionis, & XX. M. paſſibus ab Eleutheropoli. Euſebii ætate, Jethira appellabatur; quod ab illo prius, & a nobis etiam poſt ipſum ſupra, ℣. 42. ad *Ether*, animadverſum eſt. Vix tamen ego in animum induxerim, Joſue eaſdem hic Urbes, quas paulo ante commemoraverat, repetere.

SOCOTH. Hebræus, & Septuaginta, *Soco*. Urbs ejuſdem nominis jam ſupra, ℣. 35. occurrit.

℣. 49. CARIATH-SANNA, vel Dabir. Vide ℣. 15.

℣. 50. ANAB, in regione Eleutheropolis, ait Euſebius.

ISTEMO, vel *Eſthamo*, vel *Eſthemo*. Hujus nominis Urbs eſt quædam Sacerdotalis (5). Bonfrerius confundendam credit cum Aſemon vel Aſemonia: quod vix in animum induxerimus. Euſebius & S. Hieronymus docent, Iſtemo in adjacentibus vel in ditione Eleutheropolis jacuiſſe.

℣. 51. GOSEN. Vide cap. X. 41. & XI. 16.

OLON, Hebraice, *Cholon*; eadem ac *Holon* capitis XXI. 15. & *Helon* primi Paralipom. VI. 69. quæ in Levitarum ſedem aſſignata eſt.

GILO vel GILON, natale ſolum proditoris Achitophelis, Gilonitæ idcirco appellati 2. *Reg.* XV. 12.

℣. 53. BETH-THAPHUA. Teſte Euſebio, Beth-Thaphua, vel, ut ille nuncupat, *Bethaphu*, urbs erat in via Ægypti, XIV. M. paſſibus a Raphia (6). Innuere etiam videtur, poſtremam fuiſſe ejus lateris urbem Palæſtinæ (7). Raphia urbs erat inter Gazam & Rhinocoruram; ad Raphiam vero prælium inter Ptolemæum IV. & Antiochum Magnum (8), a Polybio (9) deſcriptum, commiſſum eſt.

APHECA. Vide ſupra XII. 18.

℣. 54. ATHMATHA. Vide Dictionarium meum Biblicum ad hanc vocem.

℣. 55. MAON. Notum eſt nomen deſerti Maon, quo David Sauli inviſus aufugit. Urbs ejus nominis ad latus orientale Daromæ, ideſt, in regione maxime Orientali plagæ meridionalis Judææ, ab Euſebio conſtituitur.

CARMEL. Is non eſt Carmelus, fama prodigiorum Eliæ commendatus. Urbs Carmel, de qua hic Joſue, ſita erat in Tribu Juda, X. M. paſſibus & ad Orientem Hebronis. Montem autem, cui hæc urbs inſidet, maxime celebrem effecit ſtultitia & temeritate ſua Nabal, vir Abigailis (10); & Saul, triumphali poſt relatam de Amalecitis victoriam erecto ibi monumento (11). *Vide Animadverſiones in Tabulam Geographicam.*

ZIPH. Vide ſupra ℣. 24.

JOTA, eadem facile ac Jeta, ℣. 23.

℣. 56. JEZRAEL, urbs ignoti ſitus, longe alia ab urbe cognomine in Tribu Iſſachar, de qua alibi.

℣. 57. GABAA, alia eſt ab urbe Gabaa in Tribu Benjamin, patria Saulis. In edito loco conſediſſe, ipſo ejus nomine indicatur.

THAMNA, *Thamnas* vel *Thamnata*. Vide quæ diſſeruimus ſupra, ℣. 10. Cum Philiſtæis eſſet finitima, ſæpius gentis illius jugum ſubire coacta eſt. Samſonis ætate illis parebat (12); itemque ſub Achabo armis illorum ceſſit (13).

℣. 58. BESSUR, vel BETH-SOR, uti legit Hebr. & Septuaginta. Tribui Juda nunquam non paruit. Hujus nominis duo loca eidem Tribui aſſignat Euſebius: horum alter jacebat XX. M. paſſibus ab Jeroſolyma, Hebronem verſus, juxta quem ad radicem montis fons ſpectabatur, ubi Eunuchus Reginæ Candacis Baptiſmo tinctus ferebatur (14). Cum tamen Eunuchi hujus hiſtoria narret, contendiſſe illum Jeroſolyma Gazam, jure meritoque affirmari poteſt, illum iter non habuiſſe per Urbem Beſſur prope Hebronem (15); atque ſi juxta Beſſur fons baptizati Eunuchi conſtituendus eſt, illud accipi oportet de altera Urbe Beſſur, X. M. paſſibus ab Eleutheropoli.

Priorem Beſſur, ad Hebronem, munitionibus firmaſſe Roboamum (16), eamdemque cepiſſe, pulſis Judæis, Antiochum Eupatorem, cum ex Idumæa in Judæam contenderet (17), arbitramur. Eamdem facile Urbem Simon Macchabæus reſtituit (18); jacebat enim *in finibus Judææ*, juxta vices ejus ætatis, qua Hebron Idumæis parebat (19); ejuſdemque Urbis, tanquam arcis eximiæ, frequenter Libri Macchabæorum meminere. Fateor equidem, Textum eorum Librorum Urbem Beſſur nonniſi quinque ſtadiis ab Jeroſolymis removere (20); ex quo Adrichomius, & Bonfrerius reputarunt, nomen id eſſe arcis cujuſdam prope Jeroſolymam, loci proinde longe alterius ab utraque Beſſura, de qua modo. Scite tamen animadvertit Cellarius, numerum ſtadiorum mendoſum eſſe in Textibus Macchabæorum, cum & in Libris illis (21), & in Joſepho (22) conſtanter ſermo ſit de Beſſur, tamquam de urbe munitiſſima in finibus Judææ & Idumææ, neque unquam Joſephum, qui accurate adeo Jeroſolymam & loca adjacentia deſcripſit, omiſſurum fuiſſe arcem Beſſur, ſi ab eadem urbe nonniſi quinque ſtadiis vel DCXXV. paſſibus receſſiſſet. Denique Syriacus pro quinque ſtadiis habet duodecim & quinque; & Codex Alexandrinus, laudatus in Polyglottis Anglicis, legit pro quinque ſtadiis quinque ſchænos, vel quinque funiculos. Schænorum autem menſura pro varietate regionis varia erat; nunquam tamen minor XXX. ſtadiis: qua ratione ducta, quinque Schæni congruunt ferme cum XX. M. paſſibus, quos Euſebius & S. Hieronymus a Beſſura ad Jeroſolymam numerant (23).

GE-

(1) Joſeph. Antiq. l. 13. c. 23. & lib. 5. de Bello c. 2. (2) 2. Par. XI. 8. (3) Joſeph. Antiq. l. 14. cap. 16. (4) 2. Par. XIV. 10. 14. (5) Joſue XXI. 14. & 1. Par. VI. (6) Impreſſi Codices habent Rufia, ῥοῖς; & S. Hieronymus legit Rapham, quod tenebras offudit Bonfrerio & Cellario in hoc loco, quamquam narrationis ſeries ſatis lucis ſuppeditat. (7) ἡ καὶ ὕςατη ἐςὶ παλαιςίνης. (8) Strabo l. XVI. p. 122. (9) Polyb. l. 5. c. 82. (10) 1. Reg. XXV. 3. & ſeq. (11) 1. Reg. XV. 12. (12) Judic. IV. 1. & ſeq. (13) 2. Par. XXVIII. 18. (14) Act. VIII. 38. (15) Author Itinerarii Burdegalenſis, circa Theodoſii ætatem ſcripti, innuit, fama tunc percrebuiſſe, fontem Beſſur eumdem eſſe, ubi Eunuchus initiatus eſt. Potius tuetens Beſor fuit. (16) 2. Par. XI. 7. (17) Joſeph. Antiq. l. XII. c. 14. (18) 1. Macc. XIV. 33. (19) Vide Joſeph. Antiq. l. 12. c. 12. (20) 2. Macc. XI. 5. ἱεροσολύμων δὲ ἀπέχουσαν ὡσεὶ ςαδίους πέντε. (21) Vide 1. Macc. IV. 29. 61. & VI. 7. (22) Joſeph. Antiq. lib. X. c. 14. & l. 13. c. 9. (23) Vide Cellar. l. 3. c. 13. pag. 344. 345.

Digitized by Google

Gedor. Vide quæ diſſeruimus de *Gader* ℣. 36. de *Gadera*, Cap. xii. 36. & de *Gedor* 1. *Paral.* iv. 4. Urbe Gador, Ezechiæ Regis Juda ætate, Simeonitæ potiti ſunt (1).

℣. 59. Eltecon, vel *Eltece*, tranſiit deinde ad Danitas (2), ac tandem ſedes Levitis aſſignata eſt (3). Græcus Textus mſ. Alexandrini addit hic plures urbes, quas fruſtra in Hebræo quæras; e. g. *Theco*, *Ephrata*, vel *Betbleem*, *Phagor*, & *Oetban*, *Coulon*, *Thatam*, *Tobis*, *Carem*, *Galem*, *Thether*, *Manacho*. Vide S. Hieronymum in Michæam, v. 1.

℣. 60. Cariath-Baal. Vide ſupra ℣. 9. *Cariath-jarim*.

Arebba; legi poſſet tantum *Rabba*, ideſt, magna. Jacet, teſte S. Hieronymo, urbs quædam *Rabbo* ad meridiem & ad Orientem Eleutheropolis. Legi etiam poſſet *Arabe* ארבח vel ארבע, eadem ac Hebron. *Arebba* nuſpiam alibi occurrit.

℣. 61. In deserto, Beth-Araba. Urbs hæc recenſetur infra xviii. inter Benjamiticas. Jacebat facile in deſerto, vel in campeſtribus Jerichuntis, uti Textus hujus loci, ferens conſtitutam eſſe in deſerto, innuit.

℣. 62. Civitas salis. Convenit inter omnes, urbem hanc adjacuiſſe mari mortuo, frequenter in Scriptura *mari ſalis* appellato. Nec ignotum eſt nomen vallis ſalis; ſeu *vallis ſalinarum* (4). An ibi urbs conſtituenda? Conſtat equidem, eam propius ad Idumæam acceſſiſſe; Idumææ autem Vallis hæc Salinarum vulgo tribuitur. Cenſet Bonfrerius, ſignificari hoc nomine urbem Segor, quæ ſceleſtarum urbium incendium vitavit.

En-Gaddi, locus in Scriptura æque & in Profanis celeberrimus. Docent Euſebius & S. Hieronymus, ad mare mortuum, & in agro vel in deſerto Jerichuntis occurriſſe oppidum quoddam ingens, cui nomen *En-gaddi*, ubi balſami arbuſcula veniebant. Ejuſdem urbis meminerunt etiam Plinius ac Solinus (5), conſtitueruntque inter Jerichuntem & mare mortuum: quamquam autem eorum ætate jacebat everſa, adhuc tamen balſamum ibi colebatur, ex quo fama loci celebris perſeverabat. Urbs Engaddi appellatur etiam *Azazon-Thamar*, ex palmis quæ ibi frequentiſſimæ creſcebant; *Thamar* enim Hebraice eſt palma. Ibi pariter occurrebat *Thamaro*, cujus meminere Ptolemæus & Tabulæ Peutingeri. Deſertum Engaddi celebre eſt in Scriptura ſeceſſu Davidis (6); & vineæ Engaddi, quas S. Hieronymus de balſamo accepit in Cantico Canticorum I. 14. laudantur. Sunt qui En-gaddi & Hazazon-Thamar unam eſſe Jerichuntem velint, quod palmæ & balſama Jarichuntis tota antiquitate commendentur; quaſi ſcilicet nuſpiam alibi ambo illa coli poſſent. Cæterum En-gaddi locus erat in agro Jerichuntis; quare non immerito ad eam urbem referri potuit totus honos balſami & palmarum Engaddi, quem locum ruinis ſuis ſepultum jacuiſſe Plinii & Solini ætate jam animadvertimus; qui tamen ambo Scriptores utraſque illas urbes ex nomine diſtinguunt.

Quæſito ſitu locorum, de quibus in hoc capite, juvat etiam nonnulla animadvertere de ordine & ratione, qua diſtributa ſunt. Harum urbium plures ſemel & iterum hic recurrere, ex ſuperioribus Lectores intellexiſſe arbitror; ex. gr. *Zanoe* legitur ℣. 34. iterumque ℣. 56. Gedera, Gederothaim, Gedor, & Giderot plura ejuſdem urbis nomina videntur; ſicut & plura unius Jether & *Ether*, & *Eſaam*, *Aſan*, & *Aſena*. *Jota* verſiculi 55. eadem eſt facile ac *Jetta* verſiculi 23. *Ziph* bis legitur, in ℣. 24. & in ℣. 55. Unde vero hæ repetitiones in mero & ſimplici catalogo urbium ejuſdem Tribus? Unde omiſſiones non leves, quæ hic merito animadvertendæ ſunt, & ipſe pariter S. Hieronymus animadvertit (7)? Monet enim, in Codicibus Septuaginta (8) occurrere undecim urbes, quas Textus Hebræus prætermittit. Sunt autem *Thæco*, *Ephrata*, alio nomine *Betlehem*, *Phagor*, *Æthan*, *Culon*, *Tami*, *Soris*, *Ceram*, *Gallim*, *Bether*, & *Manacho*, *civitates undecim & viculi earum: quod*, ſequitur idem S. Scriptor, *nec in Hebraico nec apud alium invenitur interpretem; & ſive de veteribus libris earum ſit malitia Judæorum, ne Chriſtus de Tribu Juda ortus videretur, ſive a* LXX. *additum, nequaquam liquido cognoſcentes, certum quid novimus*. Bethſemes, urbs Sacerdotalis Juda, ab hoc catalogo abeſt, quamquam ſuo nomine exprimitur infra xxi. 16. Jam ſupra animadvertimus, plures ex urbibus Tribui Juda hic aſſignatis deinde inter Simeoniticas, vel Benjamiticas, vel Daniticas accenſas fuiſſe: nec etiam nos fugit, ſummam earum urbium non ſatis accurate reſpondere ſummæ urbium mox recenſitarum; poſtquam enim quinque & triginta urbium nomina deſcripta ſunt, ducta ſumma novem & viginti exhibentur.

Hæc omnia in eam perſuaſionem inducere nos poſſent, catalogos hoſce varie ſubinde reformatos fuiſſe; excidiſſe etiam forte urbes nonnullas, aliaſque repetitas fuiſſe, Amanuenſium incuria. Id autem ſatis probant variantia, quæ ex veteribus Græcis Interpretibus cum Hebræo collatis oriuntur.

Salebras tamen has commodius ſterni poſſe reputamus, ſi id ſemel conſtituamus, diſtributum fuiſſe ſolum & Urbes per diverſas familias Juda ſeorſum. Exprimit hoc non obſcure verſiculus 28. *Hi ſunt termini filiorum Juda in cognationibus ſuis:* Series etiam Capitis demonſtrat (9), totam regionem ſectam fuiſſe in decem inæquales portiones, facile juxta numerum & frequentiam diverſarum familiarum. Animadvertere hic licet decem portiones diſtinctas, quemadmodum decem familiæ in Juda deprehenduntur, nimirum *Sela*, *Pharez*, *Zare*, filii ipſius Judæ: *Heſron*, *Carmel*, filii Pharez, & *Zamri*, *Ethan*, *Eman*, *Chalcat*, & *Dara*, filii Zare (10). Quod autem fidem huic hypotheſi plenam conciliat, illud eſt, nimirum in capite xvii. 5. diſertiſſime exprimi, ſortem Manaſſe diſtributam eſſe in Familias ipſius, quæ decem erant numero: *Ceciderunt funiculi Manaſſe decem*. Cum igitur par ratio Juda eſſet, parem etiam diſciplinam ſervatam eſſe cum illo cenſendum eſt, ut tota Provincia in totidem regiones, quot erant in Tribu familiæ, diſtingueretur.

His ita conſtitutis, quæcumque ardua in hoc cenſu, omnia ſternuntur; cum enim certus eſſet numerus illarum urbium, quæ pluribus diverſis familiis aſſignari poſſent, hinc fit, ut variis in locis enuncientur: hæc urbs e. gr. familiæ *Heſronitarum* erat, quæ ſimul ad Camulitas ſpectabat. Hinc in ſumma ducta diſcrimina quædam occurrunt, ut ductus numerus recenſitis antea urbibus non reſpondeat; facile enim in numero ducto comprehendere viſum eſt eas tantum urbes, quæ ad familiam, de qua ſermo erat, pertinerent, non vero eas, in quas vel alteri familiæ ex eadem Tribu, vel forte etiam alteri Tribui jus eſſe aliquod poſſet. Facile etiam illud, quod non ſemel per totum hoc caput animadverſum eſt, hanc ſcilicet, vel illam urbem ceſſiſſe primum Judæ, inde ad Ephraimitas tranſiſſe, illud, inquam, nihil aliud ſignificat, quam quod una eademque urbs intra ſe complecteretur ex Juda, Simeone,

& Dan

(1) 1. Par. iv. 39. (2) Joſue xix. 44. (3) Joſue xxi. 13. (4) 2. Reg. viii. 13. & 4. Reg. xiv. 7. 1. Par. xviii. 12. & 2. Par. xxv. 11. (5) Plin. l. 15. c. 17. Solin. c. 35. (6) 1. Reg. xxiv. (7) Hieron. l. 2. in Mich. c. v. tom. 3. p. 1532. nov. edit. (8) Non occurrunt in Complutenſi Editione; ſed leguntur in Editione Romana, Aldina, & Mſ. Alexandrino, nonnullis variantibus. (9) ℣. 32. 36. 41. 44. 51. 54. 57. 59. 60. 62. (10) Vide Num. xxvi. 20. & 1. Par. ii. 3. 4.

& Dan ſimul habitantes familias. Idem pro ratione diciro de Urbibus, quæ Sacerdotibus, & Levitis ceſſerunt; cum enim in portionem illorum Urbem aliquam traditam legis, non tamen idcirco excluſas ab ea cæteras Tribus ibi jam commorantes, & in quarum ditione urbes illæ continebantur, ſuſpicere. Mixti cum cæteris Sacerdotes illas tenebant, qui tamen pro ſuo jure exigere poterant, ut ſibi in illis ſedes, & ſpatium ſoli neceſſarium aſſignaretur. Interpretationem hanc æque pronam, & naturalem cenſemus, ac alteram, quam ſupra authoritate, & judicio Scriptorum fultam retulimus.

℣. 63. Jebusæum habitatorem Jerusalem, non potuerunt filii Juda delere. Obtigerat ergo Jeruſalem Tribui Juda, & Jebuſæi urbem illam iterum uſurparant, additiſque propugnaculis ſe communierant, poſtquam Joſue in celebri prælio ad Gabaonem Jeruſalem Regem ſuperarat, ceperatque captivum (1). Nullibi quidem Joſue prodit cepiſſe ſe Jeroſolymam; ſed numquid fieri potuiſſe putemus, ut ſolitariam hanc urbem relinqueret in medio totius Regionis, poſt fuſum ejus Regem, cæteroſque Jebuſæos, uti non ſemel in Scriptura narratur? Utcumque res habeat ſeſe, legimus in Judicibus 1. 18. Filios Juda cepiſſe, atque igne vaſtaſſe Jeruſalem, infra vero ℣. 21. ejuſdem capitis aſſeritur: *Jebuſæum autem habitatorem Jeruſalem non deleverunt filii Beniamin; habitavitque Jebuſæus cum filiis Beniamin in Jeruſalem uſque in præſentem diem.* Tandem diu poſt, Davidis ætate, Jebuſæi tenuiſſe adhuc urbem Jeruſalem narrentur, nec niſi ab eodem Rege pulſi arcem Sion (2) reliquiſſe. Quo pacto hæc omnia cohæreant? Quomodo, & quo jure Juda & Beniamin vindicant ſibi Jeroſolymam? Quomodo in eadem urbe utraque Tribus commorari paſſa eſt Jebuſæos, moleſtos ſocios admittens?

Reponi his poſſet, Jeruſalem, urbem in finibus utriuſque Tribus Juda & Beniamin (3) conſtitutam, modo Judæ, ut hic (4), modo Beniamino, ut in Capite XVIII. 28. accenſeri. Ita nil mirum eſt, ſi Juda, & Beniamin Jebuſæos Jeroſolyma non exterminarint, quin & communes eum illis ſedes in eadem urbe retinuerint; ſinguli enim pro ſua parte ceperunt, poſſederuntque variis temporibus ſuam urbis & agri portionem; ſed nunquam factum eſt, ut partem ſuperiorem urbis, arcem Sion, Jebuſæis eriperent; quod tandem Davidi, in Regem jam creato, contigit.

Ingenue nihilominus fatemur, minime demonſtrari poſſe ex Scriptura, filios Juda & Beniamin longioris temporis moram Jeroſolymis ante Davidem traxiſſe; ſub Judicibus enim, ſeu potius in Anarchia illa, quæ obitum Joſue, Calebi, & Seniorum ſubſecuta eſt, eo ſcilicet tempore, quo populus ſuæ voluntatis arbitrio ita regebatur, ut quod ſibi præſtandum videretur, hoc quiſque faceret, in nota illa cauſa Levitæ, cujus uxor probrum paſſa eſt Gabaæ, Jebuſæis tantummodo urbs Jeruſalem parebat (5). Levitam illum prope hanc urbem pertranſeuntem, *cum dies mutaretur in noctem*, admonuit ſervus: *Veni, obſecro, & declinemus ad urbem Jebuſæorum, & maneamus in ea. Cui reſpondit dominus: Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non eſt de filiis Iſrael, ſed tranſibo uſque Gabaa.* Ita profecto non reſpondiſſet Levita, ſi urbis illius pars inferior a filiis Juda & Beniamin occupata fuiſſet. Cum David urbem eamdem tentavit armis, an vel minimum indicium exhibetur, urbis illius portionem Iſraelitas jam poſſediſſe? Commode igitur hæc omnia conciliantur, ſi ponamus, urbem totam aduſque Davidis ætatem tenuiſſe Jebuſæos; ita tamen, ut prohibere non potuerint filios Juda & Beniamin, quin eo frequentes migrarent ad habitandum. Quæ autem urbs a Joſue primum, iterumque poſt ejus obitum a Tribu Juda, uti in Capite 1. Judicum narratur, ſuperata eſt, hæc in poteſtatem victorum aliqua tantum ſui parte venit, brevique iterum ſubiit imperium Jebuſæorum; qui tamen ibi ſedes ſuas ita conſtituerunt, ut Iſraelitas una ſecum incolas admittarent. Cenſent Hebræi, urbem Jeruſalem privati juris ſeu Tribus Judæ, ſeu Tribus Beniamini ſeorſum non fuiſſe, ſed ad omnes æque Tribus pertinuiſſe: communis enim erat urbs, gentis univerſæ totiuſque regionis veluti Metropolis, ut omnes æquo jure pateretur, nemine excluſo. Rem equidem ita habuiſſe ſeſe poſtremis ſaltem Reipublicæ temporibus, nemo ſane inficias ierit; id enim non ſemel affirmat Joſephus (6). Loquentem ille induxit Simonem filium Cathlæ, Optimates Jeruſalem prohibuiſſe urbem genti univerſæ communem, iis, qui eam defenſuri veniſſent. Alibi vero notat, cauſam quare in ſuprema Hieroſolymæ obſidione tam multi omnis conditionis homines eo veniſſent, eam fuiſſe, quod ſcilicet ea urbs Principe careret, ac de more omnes æque Judæos admitteret. Sed ante captivitatem, & potiori ratione ante Davidem, aliter de illa reputandum eſt; geminis enim tantum Tribubus Juda & Beniamin ea urbs parebat. Beniamitarum ingens erat jus in illam, cum per ſortem ſibi obtigiſſet; ſed & Judæ pariter majus, quod armis captam ſubegiſſet.

Habitavit Jebusæus in Jerusalem usque in præsentem diem. Inferri hinc poteſt, Libri hujus authorem ante Davidem ſcripſiſſe, cum David ex urbe Jeruſalem Jebuſæos penitus depulerit. Parcimus hic ea referre, quæ narrant Judæi, nimirum ne exterminarentur Jebuſæi in cauſa fuiſſe initum olim fœdus Iſaacum inter, & Abimelechum Regem Geraræ (7); ex quo, potius quam ex Chanaano, natos Jebuſæos credunt. Sed quæ fides iſta venditantibus?

(1) Joſue x. 23. 40. & XII. 10. (2) 2. Reg. v. 8. *Cepit autem David arcem Sion, hæc eſt civitas David.* (3) Joſue xv. 8. (4) Vide & Pſalm. LXXVII. 67. . . . *Sed elegit tribum Juda, montem Sion quem dilexit.* (5) Judic. XIX. 11. (6) Joſeph. de Bello Jud. lib. 4. cap. 6. ὥςε καὶ τῷ ἔθνει κλείειν τινὰς ὅδε τὴν κοινὴν πόλιν. Et lib. 5. cap. 5. πατρίῳ ἔθει πᾶν ἀπαραιτήτως δεχομένην τὸ ὁμόφυλον. (7) Geneſ. XXVI. 28. 29. 31.

CAPUT XVI.

Sors Tribuum Ephraim, & Manaſſe.

A. M. 2560. ℣. 1. Cecidit quoque ſors filiorum Joſeph, ab Jordane contra Jericho, & aquas
ejus ab Oriente: ſolitudo, quæ aſcendit de Jericho ad montem Bethel:
2. Et egreditur de Bethel Luza: tranſitque terminum Archi, & Atharoth: 3. Et deſcendit

ſcendit ad Occidentem juxta terminum Jephleti, uſque ad terminos Bethoron inferioris, & Gazer: finiunturque regiones ejus mari magno: 4. Poſſederuntque filii Joſeph Manaſſes, & Ephraim. 5. Et factus eſt terminus filiorum Ephraim per cognationes ſuas: & poſſeſſio eorum contra Orientem Atharoth Addar uſque Bethoron ſuperiorem. 6. Egrediuntur confinia in mare: Machmethath vero Aquilonem reſpicit, & circuit terminos contra Orientem in Thanathſelo: & pertranſit ab Oriente Janoe. 7. Deſcenditque de Janoe in Atharoth, & Naaratha: & pervenit in Jericho, egrediturque ad Jordanem. 8. De Taphua pertranſit contra mare in Vallem arundineti, ſuntque egreſſus ejus in mare ſalſiſſimum: hæc eſt poſſeſſio tribus filiorum Ephraim per familias ſuas. 9. Urbeſque ſeparatæ ſunt filiis Ephraim in medio poſſeſſionis filiorum Manaſſe, & villæ earum. 10. Et non interfecerunt filii Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer: habitavitque Chananæus in medio Ephraim uſque in diem hanc tributarius.

℣. 1. CECIDIT SORS FILIORUM JOSEPH, AB JORDANE CONTRA JERICHO, ET AQUAS EJUS AB ORIENTE. Nati ex Joſepho filii ſunt Ephraim, & Manaſſe. Limites Ephraimi meridionales deſcribit hic linea ducta ſecundum Tribus Beniamin, & Dan; ab Jordane ad Orientem, uſque ad Mediterraneum ad Occidentem: lateris autem Orientalis termini exordiuntur ab ea Jordanis parte, quæ adverſam Jerichuntem reſpicit, in Textu appellatam *Jordanem Jericho*, & ab eo fonte, qui agrum ejuſdem urbis irrigans, in Textu dicitur *Aquæ Jericho* (1). Fons eſt ille celebris, cujus aquas injecto ſale prodigioſe Eliſæus Propheta correxit (2). Jacebat ad Occidentem, verſus ſeptentrionem ejuſdem urbis, totumque Jerichuntinum agrum beata fœcunditate ditabat.

SOLITUDO, QUÆ ASCENDIT DE JERICHO AD MONTEM BETHEL. Deſertum hoc idem credimus, de quo actum eſt ſupra VIII. 14. 24. recurretque ſermo Capite XVIII. 12. ſub nomine ſolitudinis Bethaven. Excurrebat ab Jerichunte aduſque eum montem, cui Bethel inſidebat.

℣. 2. EGREDITUR DE BETHEL LUZA. Utrum Luza urbs eſſet a Bethel diſtincta, non convenit. In Geneſi XXVIII. 29. legimus, Bethel veteri nomine *Luzam* appellatam fuiſſe; quare *Bethel Luza* hic merito tamquam compoſitum unius ejuſdemque loci nomen accipi poſſet. Sed phraſis Vulgatæ, & Septuaginta ea eſt, quæ nullam ambigendi rationem exhibeat, quin dum hæc nomina geminas indicent hic diſtinctas urbes, quarum altera Bethel eſſet ad Orientem, Luza ad Occidentem, in finibus Beniamini, & Ephraimi; cujus ſitus cauſa factum eſt, ut Bethel modo uni Tribui, modo alteri accenſeatur. Vide Textum laudatum Geneſeos. *Luza* facile nomen eſt urbis, & *Bethel* propinqui alicujus loci, ubi Jacob viſum ſpectavit.

TRANSITQUE TERMINUM ARCHI, ATHAROTH. Sunt qui (3) geminas illas voces *Archi-Atharoth* jungentes, nomen eſſe credant ejuſdem urbis, quæ ℣. 5. & Capite XVIII. 13. *Atharoth-Addar* appellatur, ac plane alia eſt, juxta illos, ab altera urbe, *Atharoth* ſine addito nuncupata in Hebræo primi Paralipomenon II. 54. Nobis tamen duo diſtinguenda videntur loca, pro duobus hiſce diſtinctis nominibus, Archi, & Atharoth. *Archi* Patria eſt Chuſai Archæi, amici Davidis (4); *Atharoth* vero urbs eſt eadem cum *Atharoth-Addar*, ideſt, Atharoth illuſtri ℣. 7. Ejuſdem nominis urbs eſt alia ad ſeptentrionem Samariæ. Noſtra hæc jacebat XV. M. paſſibus ab Jerichunte. Geminas Atharoth ab Jeroſolyma non remotas Euſebius diſtinguit.

℣. 3. JUXTA TERMINUM JEPHLETI, USQUE AD TERMINOS BETHORON INFERIORIS. Situm Jephleti non aliter determinare nobis licet, quam ſtatuendo in linea, quæ Ephraimum a Beniamino diſtinguit, inter Atharoth, & Bethoron inferiorem. Ajunt, *Pheleti*, de quibus in Libris Regum (5), ex urbe Jephleti ortum ducere. *Bethoron inferior* jacebat XII. M. paſſibus ab Jeroſolyma, Nicopolim, vel Emmaus verſus. Vide Joſue X. 10.

GAZER. De hac urbe vide quæ diſſeruimus ad Joſue X. 33.

℣. 5. CONTRA ORIENTEM ATHAROTH-ADDAR, USQUE AD BETHORON SUPERIOREM. En limites inter utramque Tribum Beniamin, & Manaſſe. Pars Orientalis Ephraimi definiebatur linea ducta ex *Atharoth-Addar*, de qua ſupra ℣. 2. uſque ad *Bethoron ſuperiorem*, quam proinde urbem jacuiſſe neceſſe eſt in plaga Orientali ejuſdem Tribus, ſatis proxime Jordani, qua parte Manaſſe cum Ephraimo conjungebatur. Bethoron ſuperior longe minus nota eſt, quam Bethoron inferior, adjacens viæ ex Jeroſolyma Cæſaream, cujus meminit frequenter Joſephus.

℣. 6. MACHMETHATH AQUILONEM RESPICIT. Reſpiciebat illa plagam ſeptentrionalem Ephraimi, & Auſtralem Manaſſe. In Capite XVII. 7. legimus, poſitam fuiſſe e regione Sichem. Machmethath cum Aſor jungitur. Aſor autem S. Hieronymus conſtituit XV. M. paſſibus a Sichem, Scythopolim verſus: quare Machmethath ad Sichem propius admovenda eſt. Septuaginta legunt *Icaſmon*; Interpres alius, *Oclomon*; alius *Machtoth*; quæ omnia ſatis demonſtrant veterum Codicum Hebraicorum varietatem.

CIRCUIT TERMINOS CONTRA ORIENTEM IN THANATH SELO. Legendum eſſet, *Circuit terminus* (6), non, *terminos*. Limites Orientales Ephraimi & Manaſſe circuibant verſus Thanath Selo, urbem facile eamdem ac *Thanath*, vel *Thenath*, de qua inferius XVII. 8. X. M. paſſibus a Sichem, Jordanem verſus, ab Euſebio conſtituta.

PERTRANSIT AB ORIENTE JANOE. Janoe locus eſt, teſte Euſebio, in Acrabatene Samariæ XII. M. paſſibus a Sichem ad Orientem. Urbem quamdam Janoen Teglat-phalaſſar Iſraelitis eripuit (7).

℣. 7. DESCENDIT DE JANOE IN ATHAROTH, ET NAARATHA. Eadem hic Atharoth recurrit, quæ ſupra ℣. 2. legitur. Urbs erat Ephraimitica, in finibus ejuſdem Tribus ac Beniamitarum. Naaratham conſtituit Euſebius ad ſeptentrionem & V. M. paſſibus ab Jerichunte.

℣. 8. DE TAPHUA PERTRANSIT CONTRA MARE IN VALLEM ARUNDINETI. Taphua urbs eſt ad Occidentem Manaſſe, quæ nomen ſuum communicat parvæ regioni, quæ infra XVII. 8. Terra Taphuæ dici-

(1) Vulg. *Aqua ejus.* Hebr. *Aqua Jericho* מי יריחו

(2) 4. Reg. II. 19. 20.

(3) Bonfr. Maſ. Montan. Malv. Clar.

(4) 2. Reg. XV. 32.

(5) 2. Reg. VIII. 18. & XV. 18. Vide Grot. Jun.

(6) ונסב הגבול Septuag. περιελεύσεται τὰ ὅρια. Vide Serar. Bonfrer. Vatab.

(7) 4. Reg. XV. 29.

dicitur. Mare, de quo hic, ſignificat Occidentem & Mediterraneum. Linea quæ Tribus Ephraimi & Manaſſe diſtinguit, poſtquam Orientales limites definiit, revertitur ad occidentem Taphuæ, tum ad vallem ſeu ad torrentem Arundineti, vel ad torrentem Cana, uti legunt Septuaginta (1). Torrens hic & vallis Tribui Manaſſe aſſignati fuiſſe videntur: ſed urbes illis contentæ ceſſerunt Ephraimitis, uti in capite ſequenti, ℣. 9. narratur. Certus ſitus vallis Cana, & Urbis Taphuæ, quoad diſtantiam ab aliis urbibus, accurate definiri non poteſt; ac generatim affirmandum eſt, hujus Tribus utriuſque limites turbatos eſſe penitus & confuſos.

Suntque egressus ejus in mare salsissimum. Hebræus (2), Chaldæus & Septuaginta habent tantum *Mare*, quod de Mediterraneo accipiendum eſt. Longiſſime enim aberat ſors Manaſſe a Mari Mortuo, quod nomine Maris ſalſiſſimi deſignari ſolet in Scriptura. Commode igitur Textus redditur: *Torrentis Cana egreſſus eſt in mare*, Mediterraneum nempe; quæ doctiſſimorum eſt interpretatio (3).

℣. 9. Urbesque separatæ sunt filiis Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse. Expoſitio hujus Textus capite ſequenti exhibetur; in eo enim urbes, quæ ceſſerunt Ephraimitis in ditione Manaſſe, collocantur circa torrentem ſeu vallem Arundineti. Verſiculus hic cum præcedenti, juxta vim Textus originalis, ita commode jungi poteſt: *Hæc ſors Tribus Ephraim, & urbes quæ ſeparatæ ſunt e Manaſſe, ut Ephraimitis tribuerentur.*

℣. 10. Chananæum qui habitabat in Gazer. Superius x. 33. actum eſt de urbe Gazer, quæ cum ceſſiſſet Ephraimitis, adhuc vero a Chananæis occuparetur, armis coacta eſt ab Ephraimo accipere jugum, ejuſque cives tributa pendere Iſraelitis juſſi ſunt. Quo tempore hæc geſta ſint, ignoratur; Urbis enim hujus acquiſitio in Judicibus I. 29. narrata, nonniſi epilogo quodam ibi, uti credimus, reperitur. Cæterum juvat hic eadem, quæ in exitu capitis præcedentis, animadvertere, Chananæos ſcilicet Gazer tributum adhuc ſolviſſe Ephraimitis, quo tempore Author hujus Libri ſcribebat; quare vixiſſe illum neceſſe eſt, antequam Gazer jugum excuteret, & antequam adderetur Imperio Salomonis, cui dotis nomine pro nuptiis filiæ tradita eſt a Rege Ægypti, qui olim victricibus illam armis ſubjecerat (4).

[1] נחל קנה χειμάῤῥουν Κανά. [2] היו תוצאותיו הימה [3] Maſ. Bonſr. Vatab. Menoch. Malv.
[4] 3. Reg. ix. 16.

CAPUT XVII.

Sors Manaſſe, filii Joſephi natu majoris.

℣. 1. CEcidit autem ſors tribui Manaſſe: (ipſe enim eſt primogenitus Joſeph)
Machir primogenito Manaſſe patri Galaad, qui fuit vir pugnator, habuitque
poſſeſſionem Galaad, & Baſan: 2. Et reliquis filiorum Manaſſe juxta familias
ſuas, filiis Abiezer, & filiis Helec, & filiis Eſriel, & filiis Sechem, & filiis
Hepher, & filiis Semida: iſti ſunt filii Manaſſe, filii Joſeph, mares, per cognationes
ſuas. 3. Salphaad vero filio Hepher, filii Galaad, filii Machir, filii Manaſſe, non
erant filii, ſed ſolæ filiæ: quarum iſta ſunt nomina, Maala, & Noa, & Hegla, &
Melcha, & Therſa. 4. Veneruntque in conſpectu Eleazari ſacerdotis, & Joſue filii
Nun, & principum, dicentes: Dominus præcepit per manum Moyſi, ut daretur
nobis poſſeſſio in medio fratrum noſtrorum. Deditque eis juxta imperium Domini
poſſeſſionem in medio fratrum patris earum. 5. Et ceciderunt funiculi Manaſſe, decem,
abſque Terra Galaad, & Baſan trans Jordanem. 6. Filiæ enim Manaſſe poſſederunt
hæreditatem in medio filiorum ejus; Terra autem Galaad cecidit in ſortem
filiorum Manaſſe, qui reliqui erant. 7. Fuitque terminus Manaſſe ab Aſer, Machmethath,
quæ reſpicit Sichem: & egreditur ad dexteram juxta habitatores fontis
Taphuæ. 8. Etenim in ſorte Manaſſe ceciderat terra Taphuæ, quæ eſt juxta terminos
Manaſſe filiorum Ephraim. 9. Deſcenditque terminus Vallis arundineti in meridiem
torrentis civitatum Ephraim, quæ in medio ſunt urbium Manaſſe; terminus
Manaſſe ab Aquilone torrentis, & exitus ejus pergit ad mare: 10. Ita ut poſſeſſio
Ephraim ſit ab Auſtro, & ab Aquilone Manaſſe, & utramque claudat mare, & conjungantur
ſibi in tribu Aſer ab Aquilone, & in tribu Iſſachar ab Oriente. 11. Fuitque
hæreditas Manaſſe in Iſſachar, & in Aſſer, Bethſan, & viculi ejus, & Jeblaam
cum viculis ſuis, & habitatores Dor cum oppidis ſuis, habitatores quoque Endor
cum viculis ſuis; ſimiliterque habitatores Thenac cum viculis ſuis, & habitatores
Mageddo cum viculis ſuis, & tertia pars urbis Nophet. 12. Nec potuerunt filii
Manaſſe has civitates ſubvertere, ſed cœpit Chananæus habitare in terra ſua: 13.
Poſtquam autem convaluerunt filii Iſrael, ſubjecerunt Chananæos, & fecerunt ſibi tributarios,
nec interfecerunt eos. 14. Locutique ſunt filii Joſeph ad Joſue, & dixerunt;

Digitized by Google

runt: Quare dediſti mihi poſſeſſionem ſortis, & funiculi unius, cum ſim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi Dominus? 15. Ad quos Joſue ait: Si populus multus es, aſcende in ſilvam, & ſuccide tibi ſpatia in Terra Pherezæi, & Raphaim: quia anguſta eſt tibi poſſeſſio montis Ephraim. 16. Cui reſponderunt filii Joſeph: Non poterimus ad montana conſcendere, cum ferreis curribus utantur Chananæi, qui habitant in terra campeſtri, in qua ſitæ ſunt Bethſan cum viculis ſuis, & Jezrael mediam poſſidens vallem. 17. Dixitque Joſue ad domum Joſeph, Ephraim, & Manaſſe: Populus multus es, & magnæ fortitudinis, non habebis ſortem unam, 18. Sed tranſibis ad montem, & ſuccides tibi, atque purgabis ad habitandum ſpatia, & poteris ultra procedere, cum ſubverteris Chananæum, quem dicis ferreos habere currus, & eſſe fortiſſimum.

℣. 1. MANASSE (IPSE ENIM EST PRIMOGENITUS JOSEPH). Manaſſe, primogenitus Joſephi, Ephraimo quodammodo inſerior conſtitutus erat a Jacobo, qui futurum prædixerat, ut frater minor majori præſtaret (1): *Frater ejus minor erit illo*. Nihil tamen de privilegiis majoris natu Jacob illi detraxerat; ex quo factum eſt, ut trans Jordanem Machir, & media Tribus Manaſſe ſedes ſuas obtinerent in eximia regione Baſan & Galaaditide antequam Ephraimo quidquam aſſignaretur.

MACHIR PRIMOGENITO MANASSE, PATRI GALAAD. Demonſtratum eſt in Num. XXXII. 33. Manaſſe liberos nullos, præter Machir, genuiſſe. Natus eſt autem Machir ante obitum Joſephi; quare ætatem egiſſe CLXXX. annorum neceſſe eſt, quo tempore a Moyſe regio diſtributa eſt, ſiquidem tum vixiſſe adhuc conſtituatur. Ex Machir natus eſt Galaad; hic vero Galaaditidem & Baſanitidem trans Jordanem tenuit. Nec reputandum eſt, nomen ab illo ſuum retuliſſe Galaaditidem, quippe quæ appellationem hanc ſuam jam inde ab ætate Jacobi obtineret (2): quin & vero propius reputavarimus, Galaad nomen ſuum ex regione obtinuiſſe, uti moris eſt Principum virorum, qui e ſubjectis ſibi regionibus nomen adſciſcunt. Nomen Galaad regio illa jam præferebat, cum ſupremus cenſus ſub Moyſe, ante ſuſceptum bellum in Sehonem, inſtitutus eſt (3).

℣. 2. ET RELIQUIS FILIORUM MANASSE, ideſt, nepotibus & poſteris Manaſſe; neque enim ex illo parente nati ſunt ii, qui in hoc verſiculo recenſentur. Deſcendebant illi ex Galaad, vel ex Jair, quippe qui ſedes haberent trans Jordanem in Galaaditide & Baſanitide (4).

ESRIAT. Reputarunt quidam, hunc eumdem eſſe, qui una cum Machir in 1. Paral. VII. 14. filius Manaſſe appellatus eſt: ex hoc autem Textu intelligimus, unum fuiſſe tantummodo ex ejus poſteris remotis.

℣. 3. SALPHAAD.. NON ERANT FILII, SED SOLÆ FILIÆ. Vide quæ de hoc argumento diſſeruimus in Numer. XXXVI. 1. Puellis hiſce ſedes aſſignata eſt trans Jordanem, Tribui Ephraim conjuncta.

℣. 5. CECIDERUNT FUNICULI MANASSE DECEM ABSQUE TERRA GALAAD ET BASAN. Decem erant filii & quinque filiæ, quibus hæreditas diſtribuenda erat; quare undecim portiones ſtatui oportebat: cum vero Salphaad filius Hepher quinque filias ſui loco reliquiſſet, ideo nec Hepher, nec Salphaad venerunt in numerum, aſſignataque Manaſſe ſors in decem partes diviſa eſt; videlicet quinque partes totidem filiis Galaad, *Abiezer*, *Helec*, *Eſriel*, *Sichem*, & *Semida*, & quinque partes filiabus Salphaad, *Mala*, *Noa*, *Egla*, *Melcha*, *Therſa*: ea tamen cautio ſervata eſt, ut quinque filiæ Salphaad nonniſi unicam portionem, quæ ad patrem ſuum pertinuiſſet, inter ſe dividerent. In hanc interpretationem Commentariorum Scriptores plures conceſſerunt (5). Judæis aliter viſum eſt (6): Sex filiis Manaſſe, *Abiezer*, *Helec*, *Eſriel*, *Sichem*, *Semida*, *Hepher*, ſingulis ſingulæ portiones ceſſerunt; quinque vero filiabus Salphaad quatuor tantum datæ ſunt, geminæ ſcilicet pro avo illarum, quem in familia primogenitum ſtatuunt Judæi, alia pro patre, quarta demum pro illarum patruo, qui ſine liberis deceſſerat: illi enim omnes ex Ægypto egreſſi, jus ſuum in poſteros tranſmiſerant. Hæc autem Judæi nullo argumento fulti aſſerunt. Reddi etiam poſſet Textus: *Manaſſe ceciderunt decem funiculi*, ſeu decem *Schæni*, quorum ſinguli LX. ſtadia amplectebantur (7). Tota Manaſſis regio excurrebat facile DC. ſtadiis in longum.

ABSQUE TERRA GALAAD ET BASAN. Tribus Manaſſe poſſidebat decem partes cis Jordanem; quibus accedebant terræ Galaad & Baſan trans amnem. Qui vero iſta cohæreant cum primo Paralipomenon V. 23. ferente, Principes familiarum Manaſſe, videlicet *Hepher*, *Jeſi*, *Eliel*, *Eſriel*, *Jeremia*, *Odoia*, *Gediel*, poſſediſſe trans amnem regionem Baſan, adusque Baal-Hermon & Sanir? Occurrunt hic Hepher & Eſriel, quorum nomina deſcripta jam erant in cenſu paulo ſuperius relato; creditur autem *Jeſi* Paralipomenon idem eſſe vir cum Jaser Numerorum XXVI. 31. & cum *Abiezer*, de quo in noſtro hoc Textu. His autem ſemel conſtitutis, ſibi ipſi repugnare Scripturam comminiſcamur oportet, quippe quæ cis Jordanem hic aſſignet portionem Familiarum, quæ hæreditatem ſuam trans amnem obtinuerant. Reponi tamen facile poteſt, Familias illas nimio hominum numero frequentes diviſas fuiſſe, earumque alteri aſſignatam fuiſſe hæreditatem trans amnem, alteri vero cis amnem. Partes autem illæ inæquales diviſæ ſunt; illud enim maxime ſpectatum eſt, ut ſingulis Familiis pro numero hominum poſſeſſio aſſignaretur: id vero facile præ oculis habuit Hiſtoricus, narrans, diviſam fuiſſe regionem cis amnem in decem partes, non computatis iis, quæ familiæ trans amnem jam poſſidebant.

℣. 6. TERRA AUTEM GALAAD CECIDIT IN SORTEM FILIORUM MANASSE, QUI RELIQUI ERANT. Regionem trans amnem habuerunt poſteri Jair & Galaad; quorum nomina, quæ hic ſilentur, nos aliqua in præcedenti articulo recenſuimus, uti Jeremiæ, Godohelis, Odoiæ: hiſce autem tota fuit trans amnem portio.

℣. 7. AB ASER MACHMETHATH. Actum eſt de his Urbibus ſupra ℣. 6. *Machmethath* appellant hic Septuaginta *Delanath*, vel *Delanothec*.

AD DEXTERAM, JUXTA HABITATORES FONTIS TAPHUÆ. Septuaginta: *Ad fines in Jamin & Jaſeb; ad fontem Taphuæ*, vel *Thaphtot*. Voces Originales retinendas cenſuerunt; ſed præſtat Vulgatæ interpretationem ſequi. Manaſſe & Ephraim limi-

L a tes

(1) Geneſ. XLVIII. 19. 20. (2) Gen. XXXI. 48. (3) Num. XXVI. 29. (4) 1. Par. V. 13. 21.
(5) Maſius, Menoch. Bonfr. Cornel. Druſ. (6) Vide Munſt. Grot. & Mal. hic, & Selden. de ſucceſſ. in bona, cap. 23. 24. (7) Herodot. lib. 2. cap. 6.

ges habent ad aquilonem communes, deſcenduntque ex Aſer juxta Sichem, ac procedunt Mediterraneum verſus, ſive ad dexteram ſontis Taphuæ, qui fluere creditur in torrentem Cana, vel Arundineti.

Ỳ. 8. Terra Taphuæ, quæ est juxta terminos Manasse, filiorum Ephraim; quæ ſcilicet filiis Ephraim aſſignata eſt, uti Hebræus ait, Vulgatæ ſenſum determinans. Taphua & regio illi ſubjecta in ſorte Manaſſe continebatur; ſed Urbem Ephraimitæ poſſederunt.

Ỳ. 9. Descendit terminus vallis Arundineti in meridiem torrentis, &c. Hebræus ad literam: *Deſcendit terminus torrentis Arundineti ad meridiem torrentis. Civitates iſtæ Ephraim in medio Civitatum Manaſſe.* Fines Manaſſe hic deſcribi ducuntur ad meridiem, & non ad ſeptentrionem torrentis Arundineti, ut torrentem hunc haberent ſeptentrionalem, vindicarentque ditioni Manaſſe. Licet autem torrens ſeu vallis in ſolo Manaſſe contineretur, urbes tamen ad torrentem, & ad ſeptentrionem limitum illorum ſitæ, inter Ephraimiticas recenſendæ erant. Hæc interpretatio lucem affundit iis, quæ ſequuntur: *Terminus Manaſſe ab aquilone torrentis, & exitus ejus pergit ad mare.* Tribum Manaſſe definiebat ad ſeptentrionem torrens Arundineti, & extrema ejus Mediterraneum claudebat. Plenam fidem huic expoſitioni vindicat verſiculus proxime ſequens.

Ỳ. 10. Et conjungantur sibi in Tribu Aser ab aquilone, et in Tribu Issachar ab oriente. Hujus ſententiæ ſenſus eſt obſcuriſſimus. Inter Scriptores Commentariorum ſatis convenit, nequaquam reputandum eſſe, geminas Tribus Ephraimi & Manaſſe ditionem poſſediſſe cum Iſſachar & Aſer proxime conjunctam, ſatiſque credunt ad propoſitum, ſi demonſtraverint, unicam Tribum Manaſſe, quæ cum fratre ejuſdem Manaſſis Ephraimo tamquam unam & ſolam Tribum conſtituere reputatur, fines utriuſque illius Tribus contingere; an vero hæc eorum opinio, quamquam ad unicam Tribum redacta, difficultate ſua careat? Nam inter Aſer & Manaſſe geminæ Tribus Iſſachar & Zabulon jacent; quibus ſane interpoſitis fines utriuſque, ne ſe invicem contingant, prohibentur. Ut autem rem totam componant, demonſtrare conantur, Tribum Aſer perveniſſe ad Mediterraneum ad uſque montem Carmelum (1); & ex Ỳ. 11. atque Joſepho conſtat, ditionem Manaſſe excurriſſe uſque ad regionem Dor (2), quæ ſatis proxime ad Carmelum accedit; atque ita demum fieri, ut geminæ Tribus Aſer & Manaſſe ad Mediterraneum coeant. Conjunctio vero Iſſachar cum Manaſſe comperta eſt omnibus & explorata.

His tamen, quæ prona & ſolida videntur, admiſſis, adhuc tamen alia explicandi ratio ſuccurrit, filios nempe Joſephi, Ephraim & Manaſſe junctim, vel unicos tantum filios Manaſſe Urbes aliquas Aſer & Iſſachar incoluiſſe. In hanc ſuſpicionem nos induxit ſequens verſiculus, ferens, Manaſſe in ditione Aſer & Iſſachar has Urbes poſſediſſe, videlicet Betſan, Jeblaam, Dor, Endor, Tenac, Mageddo, & tertiam partem Urbis Nophet. Neque enim ſolicita nimis cura definiendos credimus terminos ſingularum Tribuum; ita ut frequenter Urbes vel jure armorum, vel aliter acquiſitas, altera in ditione alterius non poſſiderent. Nonne Juda intra regionem Dan & Simeon excurrebat? ac viciſſim Simeon jura dabat intra Judam? Cur igitur idem non reputemus de Manaſſe, & Ephraimo, quo ad Aſer, & Iſſachar, cum præſertim filii Joſeph, numero frequentiſſimi, ditionis ſuæ finibus plus nimio coarctarentur? Nonne facile illis ſuccurrere potuit, ut Urbes aliquas caperent, quæ, licet in ditione proximarum Tribuum, adhuc tamen a Chananæis occupabantur? Simili exemplo Danitæ Urbe Lais, ſatis diſtanti a ditione ſua, potiti ſunt. Vox Hebræa באשר יפגעון quæ hic redditur, *conjungantur*, ſignificare etiam poteſt, invaſerunt, occuparunt, expugnarunt; quare jungi poſſent verſ. 10. & 11. in hanc ſententiam: *Poſſeſſio Ephraim eſt ad Auſtrum, & Manaſſe ad Aquilonem, & clauditur mari. Et invaſerunt Aſer ad Septemtrionem; & Iſſachar ad Orientem* (Ỳ. 11.): *Et Manaſſe poſſedit in Iſſachar, & in Aſer Urbes Bethſan, & Jeblaam, &c.* Hac admiſſa interpretatione, plana ſunt omnia, perſpicua, commoda, & narrationis ſeries continuatur.

Ỳ. 11. Bethsan. Urbem hanc celebrem occuparunt filii Manaſſe, quamquam in ditione Iſſachar continebatur, uti mox narravimus. Author ſecundi Macchabæorum XII. 29. removet illam DC. ſtadiis, nempe XXXVII. leucis circiter, ab Jeroſolyma; conſtituiturque ad ripam Occidentalem Jordanis, intra locum, ubi Jordanes a lacu Tiberiadis ſeſe expedit. Nomen Scythopolis, Urbis nempe Scytharum, quo etiam in Libris Macchabæorum appellata eſt, obtinuit; ſed qua occaſione, & quo tempore Scythis paruerit, incertum. Contigiſſe id creditur poſt abductas decem Tribus per Salmanaſarem Regem Aſſyriæ. Sed unde Scythæ in Palæſtinam? Docet Herodotus (3). Ea gens Aſia univerſa ſubacta, recta ſe contulit in Ægyptum: cum proceſſiſſent adusque Palæſtinam Syriæ, Pſalmitithus Rex Ægypti obviam occurrit, tantumque precibus, ac munerum vi conatus eſt, ut hoſtes a regione ſua averteret. Verſo igitur itinere, Scythæ cum Aſcalonem jam veniſſent, alii quidem Templum Veneris Cœleſtis, in ea urbe ſacrum, diripuere; alii vero proceſſerunt ulterius. Hi creduntur Bethſan occupaſſe, ubi & ſedem conſtituerint (4). Hæc ſententia omnino cum noſtra Chronologia congruit: exitum enim Regni Iſraelis componimus cum anno 3283. Scytharum vero in Aſiam irruptionem cum Anno M. 3391.

In hanc tamen opinionem inclinamur Scythas, a quibus Scythopolis, ipſos fuiſſe Cuthæos, a Rege Aſſyriæ in regionem Samaritanorum miſſos; illos enim Hebræi, juxta vim pronunciationis ſuæ, Cuthæos appellarunt; Græci vero Scythas: Cuthæi enim & Scythæ unus idemque populus habendi ſunt. Sed cur Samariam tenentes Cuthæos Græci ſub Scytharum nomine non norant, uti novere incolas Scythopolis ſeu Bethſan? Ideo facile quod cum Samariam tenentes populi circumciſionem, & Religionis Judaicæ ſaltem aliquid admiſiſſent, cum Iſraelitis confuſi ſunt; incolæ vero Bethſan in ſuperſtitione ſua perſeverantes, vetus etiam Scytharum nomen retinuerunt. Noviſſimi Judæorum Reges reducere illos ſub jugum non valuerunt; & Scythopolis, Joſephi adhuc ætate exiſtens, plerumque Paganis incolis frequentabatur.

Jeblaam, eadem facile ac Balaam 1. *Par.* VI. 70. quæ Levitis e familia Caath aſſignata eſt.

Dor, ad Mediterraneum; inter Phœnicias urbes a Joſepho & Ptolemæo recenſetur; quin & omnium ejus provinciæ extremam idem Ptolemæus conſtituit. Aberat a Cæſarea Tyrum verſus IX. M. paſſibus, teſte Euſebio, & VIII. M. paſſibus, juxta Tabulas Peutingeri; accedebat vero ſatis proxime ad Carmelum.

En-Dor, vel fons Dor. Hic Saul Pythoniſſam conſuluit (5). Euſebio & S. Hieronymo eſt IV. M. paſſibus a monte Thabor ad meridiem. Quare una forte reputanda eſt ex Urbibus, quæ prius Iſſacharo aſſignatæ, deinde ad Manaſſe tranſierunt.

CHE-

[1] Joſue XIX. 26. *Pervenit uſque ad Carmelum maris.* [2] Joſeph. Antiq. l. 5. c. 1. [3] Herodot. l. 1. c. 105. [4] Euſeb. Chronic. Græc. lib. 1. pag. 20. Σκύθαι τὴν Παλαιστίνην κατέδραμον, καὶ τὴν Βασὰν κατέσχον τὴν ἐξ αὐτῶν κληθεῖσαν Σκυθόπολιν. [5] 1. Reg. XXVIII. 7. 8.

Thenac. Locus cæſo exercitu Siſaræ a Debora & Baraco celebris (1), diſtans iv. m. paſſibus a Legione, juxta torrentem Ciſſon.

Magedo, circa eumdem torrentem. Vide ſupra xii. 21.

Tertia pars urbis Nophet. Animadvertimus alibi (2), vocem *Nophet* vel *Nephet*, cum Dor conjungi, *Nephet-Dor*. Sunt (3) qui credant, tertiam urbis Nophet partem tantummodo poſſediſſe filios Manaſſe; reliqua vero ceſſiſſe Zabuloni. Nobis tamen ea ſubeſt perſuaſio, nomen Nophet vel Naphet regionem potius deſignare; quam etiam ſignificationem plerumque retinere ſolet Author Vulgatæ (4), nec ullibi a contextu reſpuitur. Hebræus fert tantum שלשת הנפת *Tres regiones* vel *tres Naphet*, iis tribus urbibus, de quibus agitur, ſubjectas. Septuaginta (5): *Tertium Nophet & pagos ejus*. Nomen id Nophet addictum videtur regioni proximæ Dor ſignificandæ. Hanc vocem Symmachus reddiderat maritimam regionem (6).

℣. 12. Nec potuerunt filii Manasse has civitates subvertere. Repugnare hoc videtur cum verbis ℣. 11. *Fuit hæreditas Manaſſe in Iſſachar & in Aſer, Betſan &c.* His tamen verbis nihil aliud innuitur, quam quod Manaſſe jure tantum in eas urbes potiretur, ſed urbes reipſa non poſſideret: quod etiam aliis Tribubus accidit, ut nunquam urbes plures ſibi aſſignatas occuparent.

Hæc tamen ſi admittantur, quomodo cohærebunt cum noſtra illa hypotheſi, Manaſſe ſcilicet eas Urbes Chananæis, illas in ditione Aſer & Iſſachar poſſidentibus, eripuiſſe? Facile hæc omnia, admiſſo temporum diſcrimine, conciliantur. Manaſſe urbes illas primum occupavit, ſed hoſtes e Manaſſe ſibi iterum vindicarunt, novilque munitionibus ſeſe ibi firmarunt. Quam multæ urbes in aliis Tribubus ſive Joſue armis ſive Principum Tribuum ceſſerunt, quæ poſtea ad Chananæos redierunt? Nonne his ſimilia, quæ de Manaſſe hic legimus, de Juda, Beniamin & Ephraim pariter narrantur?

Aliam extricandi nodi æque facilem rationem Textus originalis ſuppeditat. Ita enim ad literam ſonat (7): *Et non potuerunt filii Manaſſe delere* (vel a poſſeſſione deturbare, expoliare) *urbes iſtas, & voluit Chananæus habitare in terra ipſa*; (℣. 13.) *& fuit, cum roborati eſſent filii Iſrael, & dederunt Chananæum in tributum, & expellendo non expulerunt eum*. Id ergo præſtandum ſibi filii Manaſſe cenſuerunt, ut, cum incolas omnes devictarum urbium perdere nollent, Chananæos cogerent ad tributum: hi vero, ut vitam ſervarent, præſto ſe ad omnia obtulerunt. Hæc autem filiorum Iſraelis prævaricatio id tandem promeruit, ut ipſi Chananæis ſervire tandem cogerentur. Deſtruere, expoliare urbem, uſurpatur ſæpe pro deſtruere, delere incolas; uti & non poſſe aliquid facere, valet interdum pro nolle (8). In Libro Judicum I. 27. ubi eadem de filiis Manaſſe narrantur, vitio iſtis vertitur non quidem quod minime valuerint, ſed noluerint potius incolas urbium illatum delere.

℣. 14. Locuti sunt filii Joseph ad Josue. Septuaginta (9): *Contradixerunt filii Joſeph Jeſu, dicentes &c.* In eorum quidem reſponſione aſperitatis aliquid & animoſitatis ſe prodit: queſti ſunt, unam tantum ſibi aſſignatam eſſe ſortem, anguſtam adeo, ut pro aucto eorum numero vix uni ſufficeret. Hebræus: *Cur dediſti mihi hæreditatem ſortem unam, & funiculum unum, & ego populus multus, adeo benedixit mihi Dominus.* Sortem ſuam funiculum appellat, pro familiari Scripturæ phraſi, deſumpta e moribus Ægyptiorum, qui grandia ſpatia funiculis dimetiebantur. Neque profecto vera illi oggerebant, unam ſibi partem aſſignatam eſſe querentes; ſupra enim xvi. & xvii. animadvertitur, regiones poſſediſſe ſuis limitibus accurate diſtinctas. Maſius, ne illis mendacii crimen appingat, arbitratur, querelas haſce præceſſiſſe regionis inter illos diſtributionem, quo tempore unicam tantum regionem in communi poſſidebant. Sed pleriſque (10) aliter exponendum videtur: *Dediſti mihi poſſeſſionem funiculi unius*; quaſi dicerent: Dediſti utriſque nobis, quod vix uni ſufficeret.

Querelas haſce dabant potiſſimum filii Manaſſe, quorum erat ſors brevibus limitibus definita, atque undique circum clauſa ditione fratrum ſuorum, Jordane, vel mari; nihilque ſuppetebat, quo hæreditatis ſuæ pomeria dilatare poſſent. Aliter res obtigit cæteris Tribubus, quarum ditio adjacebat ut plurimum vacuæ regioni, Chananæis adhuc ſubditæ, quam tandem aliquando ſibi adjiciendam ſperabant. Ad hæc, Tribus illa plurimum creverat, ex quo ab Ægypto pedem retulerunt; in priori enim cenſu (11) ad xxxii. m. & cc. ſupputati ſunt. In altero vero (12) ad lii. m. & dcc. creverunt. Viciſſim autem Tribus Ephraim numero hominum decreſcebat; nam ex xl. m. & d. quæ cenſa ſunt in priori luſtro, in ſecundo ad xxxii. m. & d. redacti ſunt.

℣. 16. Non poterimus ad Montana conscendere, cum ferreis curribus utantur Chananæi. Illationis hujus vim non aſſequor. Chananæi campeſtrem regionem tenentes, ferreis ſeu falcatis curribus utuntur: ergo montes conſcendere nobis pronum non eſt. Contrarium inferendum videbatur: Falcatis curribus inſtruuntur; ergo ſubſidentes in agro urbes ſuperare non valemus; cui enim uſui currus iſti in montibus? In 3. Regum xx. 23. familiares Benadad Regis Syriæ, Regem illum ſolaturi de infelici eventu prælii cum Rege Iſraelis commiſſi, ita affantur: *Inſtaura currus ſecundum currus, quos antea habuiſti, & pugnabimus contra eos in campeſtribus, & videbis quod obtinebimus eos. Dii montium ſunt Dii eorum, ideo ſuperaverunt nos; ſed melius eſt ut pugnemus contra eos in campeſtribus, &c.*

Sed aliter ac nos intelligimus, ambæ illæ Tribus argumentatæ ſunt: id autem ut aſſequamur, rationem Hebræus Textus ſuppeditat (13): *Dixerunt filii Joſeph: Non invenietur mons nobis*; hunc montem armis occupaturi non aggrediemur, noſtris enim conatibus inacceſſibilis, vim omnem noſtram eludet, *& currus ferrei in omni Chananæo habitante in terra vallis*. Duo ſunt quæ expeditionem ejus regionis, & molientes pomeria noſtra dilatare, prohibent. Montes ſitu locorum inacceſſi ſunt, valles armatis curribus defenduntur. In Geneſim xxxii. 24. animadvertimus, verbum *invenire* interdum pro aggredi uſurpatum eſſe; quare illud, *Non invenietur nobis mons*, commode ſignificare poteſt, Non aggrediemur montem armis; loca ſunt enim ſitu ſuo adeo tuta, ut induſtriam muniendi non exigant. Perſimili phraſi in Judicibus I. 5. legimus de Iſraelitis: *Invenerunt Adonibezec in Bezec*, ideſt, aggreſſi ſunt illum in Bezec, & in I. Regum xxxi. 3. *ſagittarii Philiſthæorum invenerunt Saulem*, ideſt, aggreſſi & aſſecuti ſunt. Abner ad Isboſeth (14): *Non inve-*

(1) Judic. v. 19. (2) Joſue xi. 2. Vulg. *In regionibus Dor.* (3) Bonfr. Onomaſt. in voce Nophet. (4) Joſue xi. 2. *In regionibus Dor*; & xii. 23. *& Provincia Dor.* (5) 70. τὸ τρίτον τῆς Νεφὲθ, καὶ τὰς κώμας αὐτῆς. (6) Hieron. in locis, voce Nephet Dor. (7) ולא יכלו בני מנשה להוריש את הערים האלה ויואל הכנעני לשבת בארץ הזאת (8) Vide Geneſ. xxiii. 3. xxix. 8, xxxiv. 14. &c. (9) ἀντεῖπον δὲ υἱοὶ Ἰωσὴφ τῷ Ἰησοῦ λέγοντες. (10) Jun. Malv. Cornel. a Lapid. Bonfr. (11) Num. ii. 2. (12) Num. xxvi. 36. (13) לא ימצא לנו ההר ורכב ברזל בכל הכנעני הישב בארץ העמק (14) 3. Reg. iii. 5.

evenire feci te in manu David; non permiſi, ut in Davidis poteſtatem venires.

Sunt qui reddendum cenſuerint: *Mons non ſufficiet; & Chananæi vallium armatis curribus defenduntur*. Verbum equidem originale uſurpatur interdum pro ſufficere, uti in illo Numerorum XI. 22. *Numquid ovium & boum multitudo cædetur, ut poſſit ſufficere ad cibum? vel omnes piſces maris in unum congregabuntur, ut eos ſatient?* [& illis ſufficient?] Deum hic alloquitur Moyſes, difficultatem exponens ſufficiendi annonam Iſraelitis in deſerto. Septuaginta (1), Chaldæus, Syriacus, Arabs, & docti plures Interpretes (2) in hanc ſententiam conceſſerunt: Montes, de quibus eſt ſermo, impares ſunt nobis continendis; portio hæc nobis minime ſufficit; & Pherezæus ac Raphaim, ad quos remittimur, hoſtes ſunt terribiles æque & invicti.

De curribus ferreis, ſeu ferro armatis, in noſtra Diſſertatione de Re militari veterum Hebræorum egimus.

JEZRAEL MEDIAM POSSIDENS VALLEM. Hebræus אשׁר בעמק יזרעאל *Chananæus, qui in valle Jezrael*. Vallis hæc ab oriente in occidentem excurrens, a Betſan aduſque Legionem, urbem torrenti Ciſſon vicinam (3), ſpatium X. M. paſſibus majus comprehendebat. Urbs Jezrael in medio ejus vallis jacebat. Hanc autem ditioni Iſſachar accenſet Joſue XIX. 18. in finibus ejuſdem Tribus & in ditione Manaſſe, Euſebius & S. Hieronymus. Eam utique verborum phraſim uſurpant hic filii Manaſſe, quæ conjecturam ſuppeditet, Jezraelem perinde ac ditionis ſuæ agnoviſſe; vel ſaltem regionem illam, in Chananæorum adhuc poteſtate poſitam, in medio eſſe primo occupantibus poſitam. Regum Iſraelis regia domus erat in Jezrael (4), cui vicina adjacebat vinea Naboth, occaſio criminis Jezabeli, & familiæ Achabi excidio. Madianitæ, quos Gedeon prælio vicit, caſtra in valle Jezrael habuerunt (5).

℣. 17. NON HABEBIS SORTEM UNAM [℣. 18.] SED TRANSIBIS AD MONTEM, ET SUCCIDES TIBI. In priori ſententia Joſue perſiſtens, minus æquum eſſe cognoſcit, ut validæ adeo & numero hominum florentes Tribus, Ephraim & Manaſſe, unicam tantum ſortem obtineant; ſed & minus æquum cenſet, ut duæ illæ Tribus manibus in aliena injectis, de ſociorum parte decerpant: Ite, occupate regionem hanc montibus aſperam, a nemine adhuc occupatam, & incultam; ſuccidite arbores, & conſtruite hic vobis domos: hanc vobis totam permittimus. His autem ſemel occupatis, procedetis ulterius, invadentes *illorum exitus*, id eſt, valles & loca vicina: cum vero ſedes hic veſtras muniveritis, pronum erit in ſubjectam montibus regionem deſcendere, ut arma inſeratis in Chananæos, quos curribus ſuis terribiles metuitis. Hebræus ad literam ita ſonat (6): *Multus tu, & fortitudo magna tibi; non erit tibi ſors una. Quia mons erit tibi, quia ſylva, & ipſa, & ibi ædificabis* (vel eam ſuccides) *& erit tibi exitus ejus* [vel ejus fauces] *cum expelles Chananæum, cui ferrei currus, & ipſe fortis*. Mons hic alius eſt plane a monte Ephraim, neque enim illis hic ſufficiebat, teſte Joſue ℣. 15. *Quia anguſta tibi eſt poſſeſſio montis Ephraim*. Mons facile eſt Gelboe in ditione Manaſſe, Septemtrionalis, porrectuſque ab Jezraele & infra, uſque Bethſan verſus: quibus ſane montibus occupatis, Hebræi Chananæos campeſtres facile omnes & brevi diſſipaſſent. Obiter hic admirari oportet conſtantiam, æquitatem, & vacuum cupiditate animum Joſue. Natus ille e Tribu Ephraim, & Principatum in populo gerens, peculiare id commodum procurare potuiſſet; res tamen illius ſupra cæteras evehere adeo non curavit, ut unica illa eſſe videretur, cui de ſorte ſua querendum eſſet, cum interim cæteræ latius habitarent, quam ut toti Regioni ſuæ occupandæ ſufficerent.

(1) Septuag. ἐκ ἀρκέσει ὑμῖν τὸ ὄρος τοῦ Ἐφραΐμ; Alias ἐκ ἀρέσκει. (2) Pagn. Vatab. Munſt. Jun. & Tremel. (3) Euſeb. & Hieron. in locis, verbo Jezrael; & Hieron. in Oſee 1. ℣. 4. (4) 3. Reg. XXI. 1. (5) Judic. VI. 33. (6) עם רב אתה וכח גדול לך לא יהיה לך גורל אחד : כי הר יהיה לך כי יער הוא ובראתו [Septuag. & Vulgata legerunt כראהו ſcindes eum] והיה לך תוצאתיו כי תוריש את הכנעני

C A P U T XVIII.

Conventus populi in Silo; ibi Tabernaculum Domini erigitur. Joſue ſelectos viros mittit ad dimetiendum quidquid reliquum eſt terrarum. Portio & limites Tribus Beniamin.

℣. 1. CONgregatique ſunt omnes filii Iſrael in Silo, ibique fixerunt tabernaculum
teſtimonii, & fuit eis Terra ſubjecta. 2. Remanſerant autem filiorum Iſrael
ſeptem tribus, quæ necdum acceperant poſſeſſiones ſuas. 3. Ad quos Joſue ait: Uſ-
quequo marcetis ignavia, & non intratis ad poſſidendam Terram, quam Dominus
Deus patrum veſtrorum dedit vobis? 4. Eligite de ſingulis tribubus ternos viros,
ut mittam eos, pergant, atque circumeant Terram, & deſcribant eam juxta nume-
rum uniuſcujuſque multitudinis: referantque ad me, quod deſcripſerint. 5. Dividi-
te vobis Terram in ſeptem partes: Judas ſit in terminis ſuis ab auſtrali plaga, &
domus Joſeph ab Aquilone. 6. Mediam inter hos Terram in ſeptem partes deſcri-
bite: & huc venietis ad me, ut coram Domino Deo veſtro mittam vobis hic ſor-
tem: 7. Quia non eſt inter vos pars Levitarum, ſed ſacerdotium Domini eſt eorum
hæreditas. Gad autem, & Ruben, & dimidia tribus Manaſſe, jam acceperant poſſeſ-
ſiones ſuas trans Jordanem ad orientalem plagam: quas dedit eis Moyſes famulus
Domini. 8. Cumque ſurrexiſſent viri, ut pergerent ad deſcribendam terram, præ-
cepit eis Joſue, dicens: Circuite Terram, & deſcribite eam, ac revertimini ad me:

ut

Digitized by Google

ut hic coram Domino, in Silo, mittam vobis ſortem. *9.* Itaque perrexerunt: & lu-
ſtrantes eam, in ſeptem partes diviſerunt, ſcribentes in volumine. Reverſique ſunt
ad Joſue in caſtra Silo. 10. Qui miſit ſortes coram Domino in Silo, diviſitque ter-
ram filiis Iſrael in ſeptem partes. 11. Et aſcendit ſors prima filiorum Benjamin per
familias ſuas, ut poſſiderent Terram inter filios Juda, & filios Joſeph. 12. Fuitque
terminus eorum contra Aquilonem a Jordane: pergens juxta latus Jericho ſeptentrio-
nalis plagæ, & inde contra occidentem ad montana conſcendens, & perveniens ad
ſolitudinem Bethaven, 13. Atque pertranſiens juxta Luzam ad meridiem, ipſa eſt
Bethel: deſcenditque in Ataroth addar, in montem qui eſt ad meridiem Bethoron in-
ferioris: 14. Et inclinatur circuiens contra mare ad meridiem montis, qui reſpicit
Bethoron contra Africum: ſuntque exitus ejus in Cariath baal, quæ vocatur & Ca-
riathiarim, urbem filiorum Juda: hæc eſt plaga contra mare, ad Occidentem. 15.
A Meridie autem ex parte Cariathiarim egreditur terminus contra mare, & perve-
nit uſque ad fontem aquarum Nephtoa. *16.* Deſcenditque in partem montis, qui
reſpicit vallem filiorum Ennon: & eſt contra ſeptentrionalem plagam in extrema par-
te vallis Raphaim. Deſcenditque in Geennom (id eſt, vallem Ennom) juxta latus
Jebuſæi ad Auſtrum: & pervenit ad fontem Rogel, 17. Tranſiens ad Aquilonem,
& egrediens ad Enſemes, id eſt, fontem ſolis: 18. Et pertranſit uſque ad tumulos,
qui ſunt e regione aſcenſus Adommim: deſcenditque ad Abenboen, id eſt, lapidem
Boen filii Ruben: & pertranſit ex latere Aquilonis ad campeſtria: deſcenditque in
planitiem, *19.* Et prætergreditur contra Aquilonem Beth hagla: ſuntque exitus ejus
contra linguam maris ſalſiſſimi ab Aquilone in fine Jordanis ad auſtralem plagam:
20. Qui eſt terminus illius ab oriente: hæc eſt poſſeſſio filiorum Benjamin per ter-
minos ſuos in circuitu, & familias ſuas. 21. Fueruntque civitates ejus, Jericho, &
Beth hagla, & Vallis Caſis, 22. Beth Araba, & Samaraim, & Bethel, 23. Et
Avim, & Aphara, & Ophera, 24. Villa Emona, & Ophni, & Gabee: civitates duo-
decim, & villæ earum. 25. Gabaon, & Rama, & Beroth, 26. Et Meſphe, &
Caphara, & Amoſa, 27. Et Recem, Jarephel, & Tharela, 28. Et Sela, Eleph,
& Jebus, quæ eſt Jeruſalem, Gabaath, & Cariath: civitates quatuordecim, & villæ
earum. Hæc eſt poſſeſſio filiorum Benjamin juxta familias ſuas.

℣. 1. CONGREGATIQUE SUNT OMNES FILII ISRAEL IN SILO. Tradita Tribubus Juda, & Ephraim ac dimidiæ Manaſſe Regione in plaga maxime meridionali Chanaanitidis, progreſſum eſt ulterius, ſeptemtrionem verſus, ut commodius, & magis e propinquo diſtributio ſoli per ſeptem reliquas Tribus, quæ nihil adhuc acceperant, perficeretur. Viſum eſt Joſue deligere Silo in locum, quo populus colligeretur; ubi pariter Tabernaculum Domini ſtatueretur. Urbs erat florens, ſitu loci commodo, & ferme in meditullio Regionis, in ditione Ephraim, quæ Tribus erat Joſue. Conſtituitur Silo in Acrabatene, XII. M. paſſibus a Sichem ad meridiem (1); eamdemque putant nonnulli eſſe *Salem*, cui Melchiſadech imperabat (2).

Mota igitur caſtra tunc fuere e Galgalis, ubi Iſraelitæ ſaltem annos ſeptem perſeveraverant; decem & quatuor moræ hujus annos definiunt Hebræi, rati ſeptem annos impenſos fuiſſe ſubigendæ, totidemque diſtribuendæ Regioni. Sed in hanc Chronologiam convenire non poſſumus: neque verba Joſue exprobrantis ſeptem Tribubus deſidiam, neglectumque comparandæ Regionis ſibi deſtinatæ, moroſam adeo dilationem exigunt; ut enim vera loqueretur Joſue, ſatis erat, ſi incurſam preferret populus, vel ſaltem non ſatis ſolicitum ſe potiundi tradita ſibi ſorte exhiberet ℣. 3.

IBIQUE FIXERUNT TABERNACULUM TESTIMONII. Certant Hebræi (3), Tabernaculum illud in Silo erectum, non & quod eo uſque ſteterat in Galgalis, Tabernaculum fuiſſe ad eam rem confectum, longe aliud a Tabernaculo per Moyſem in deſerto erectum. Affirmant inſuper, dum Tabernaculum in Silo non ſtetit, integrum fuiſſe ſingulis ubique locorum ſacrificare Domino; adduntque pariter, pro aſſeribus, quorum clauſtro claudebatur Tabernaculum Moyſis, cæmentitios parietes ſubſtitutos fuiſſe in Tabernaculo Silo; nihilo tamen ſecius utrumque hoc Tabernaculum pellibus, & velaminibus tegebatur. Putavit Toſtatus, Tabernaculum Silo ædificio aliquo tectum fuiſſe; neque enim credibile arbitratur, ut nulla poſcente neceſſitate imbrium, & aeris injuriis expoſitum relinqueretur. Validiſſimum, quo ſe tueatur, argumentum ducit ex Scriptura (4), Tabernaculum Silo *Domum Domini* appellante. Si quid tamen hoc probaret, ſimili argumento demonſtraretur, Templum Salomonis tentorium fuiſſe, cum in Scriptura Templum illud non raro nomine Tabernaculi Domini ſignificetur (5). Neminem etiam latent ea quæ David, cum apud ſe decreviſſet Templum Domino erigere, Nathano dixit: *Vides ne quod ego habitem in domo cedrina, & Arca Dei poſita ſit in medio pellium* (6)? Statuamus igitur oportet, Tabernaculum Silo unum idemque fuiſſe Moſaicum, neque alio tegmine uſum quam pellibus, quæ vel antea in deſerto, vel forte poſtea, ut neceſſitas poſtulabat, paratæ ſunt.

Creditur Tabernaculum hoc ad uſque Samuelis ætatem in Silo perſeveraſſe: illud ſaltem compertum eſt, manſiſſe ibi Arcam uſque ad infauſtam illam diem, qua in manus Philiſtæorum incidit. Poſtquam vero gens illa territa ultione Dei, quam ſubi-

[1] Vide Euſeb. & Hieron. in locis. [2] Vide quæ diximus in Geneſ. XIV. 8. Uſſerius ad an. 2560.
[3] Apud Serar. quæſt. 4. in cap. 18. [4] 1. Reg. 1. 24. [5] 2. Par. XXIV. 6. XXIX. 6. & paſſim.
[6] 2. Reg. VII. 2.

ſubire coacta eſt, arcam remiſit in Iſraelem, reducere illam viſum eſt, non quidem in Silo, ubi adhuc erectum ſtabat Tabernaculum, & aliquandiu etiam poſt perſeveravit, ſed in domum Aminadabi in Gabaa. Tranſlata eſt inde in Noben, ubi adhuc colebatur Saulis & Davidis ætate: quo vero tempore eo venerit, incertum. Deinceps Tabernaculum Gabaone fuit, nec amotum eſt, etiam tranſlata Jeroſolymam Arca, ubi & poſt conſtructum Templum Salomonis adhuc permanſit.

Et fuit ais terra subjacta. Ceſſarunt bella, cum regionis pars maxima Iſraelitis ſubeſſet; quare nihil erat quo prohiberentur a diviſione terrarum, neque ab amovendis e Galgala caſtris, & alio transferendis. Pacata erant omnia in provincia, ut veluti in tranquillo pacis commodum eſſet deſtinatis viris eam regionem deſcribere ac dimetiri.

℣. 3. Usquequo marcetis ignavia? Contenti otio illo pacis, quo in amœna illa regione fruebantur, longoque uſu aſſueti commodam otioſamque vitam in deſerto ducere, parata in dies ſingulos annona, quæ nihil aliud exigeret operis, quam ut ex humo colligeretur, nulla tenebantur ſolicitudine partem ſuam poſtulandi, ne forte illa potiti cogerentur humum cultura exercere, & ſoli in ditione ſua bellum adverſus Chananæorum reliquias & gerere & pati, quibus totus Iſraelitarum exercitus collectis in unum viribus terrorem quidem incutiebat, cum ſingulis vero Tribubus manum conſerendi, ſatis virium & animi eſſet.

℣. 4. Eligite de singulis Tribubus ternos viros. Nova hæc virorum electio eſt ad inviſendam regionem, renunciandumque Joſue quæ ejus eſſet dimenſio, ut ſcilicet ea diviſa in ſeptem partes pro ſeptem Tribubus, quibus regio adhuc aſſignanda ſupererat, ſorte educi poſſet, quid ſingulis contingeret, pro more jam cum cæteris Tribubus ſervato. Utrum tres viri e ſingulis duodecim Tribubus, an e ſingulis ſeptem illis tantummodo, quibus portio aſſignanda erat, ſelecti fuerint, incertum eſt.

Describant eam juxta numerum unius cujusque multitudinis. Conciſior Hebræus (1): *Deſcribent eam*, vel delineabunt, *juxta hæreditatem eorum*. Selecti ad hoc viri deſcribant in tabulis totam regionis hujus amplitudinem, juxta numerum Tribuum, parte ſua adhuc carentium, vel dividant regionem in ſeptem portiones æquas, ſoli tamen natura ſpectata. Jure hic ſcribit Joſephus, viris hiſce acceſſiſſe ſocios Geometras, ut regionem dimetirentur.

℣. 5. Judas sit in terminis suis ab Australi plaga, et domus Joseph ab Aquilone. [℣. 6.] Mediam inter hos terram in septem partes describite. Innui hoc loco videtur, filios Juda totam meridionalem plagam Terræ promiſſionis occupaſſe; Ephraim vero & Manaſſe filios Joſephi totum late ſeptemtrionem tenuiſſe: quidquid vero intermedium ſupererat dividendum, ſeptem Tribubus ſuperfuiſſe. Ne tamen ita reputemus, prohibet Textus originalis, ferens: *Juda ſtabit ſuper terminum ſuum ad meridiem, & domus Joſeph ſtabunt ſuper terminum ſuum ab Aquilone; & vos deſcribetis terram in ſeptem partes* (2). De ſitu locorum agit Joſue pro habitudine ejus loci, ubi verſabatur, ideſt, Silo, quæ intimior erat in Tribu Ephraim, & Judæ ſatis proxima. Mandavit igitur viris ad id deſtinatis, irent inſpicerentque quidquid reliquum eſſet regionis diſtribuendum. Relinquerent ditionem Juda & Ephraim, quarum altera eidem loco ad meridiem, altera ad ſeptemtrionem erant. In ſedibus ſuis Tribus illæ conſiderent: ipſorum eſſet ſolummodo quidquid vacuum erat Tribubus, in ſeptem partes diſtribuere.

℣. 6. Ut coram Domino . . . . . mittam vobis sortem. Diviſa in ſeptem æquas partes regione, Joſue ſive alius ejus juſſu portionem unicuique ſuam deſtinaturus erat. Cum vero numerus hominum varius eſſet per varias Tribus, non abs re arbitramur, Seniorum una & Joſue curæ fuiſſe, ut ſortes numero hominum, quibus ſingulæ Tribus coaleſcebant, aptarent, aliquid addendo, ſi quid deeſſet, demendoque ſi quid ſuperflueret: æque enim incommodum accidiſſet ſive minoribus Tribubus vaſtam nimis regionem incolere, ſive majoribus arcta nimis concludi. Hinc forte accidit, ut in ditione alterius poſitæ urbes quædam ad alteram Tribum pertinerent; cujuſmodi plures indicavimus in ſorte Juda, quæ deinde ad Beniaminum, Dan & Simeonem tranſierunt; & in Tribubus Aſer atque Iſſachar urbes quædam filiis Manaſſe parebant. Si quis arbitretur, ſelectos illos viros in diſtribuendis Tribuum ſortibus æqualitatem pro data portione ſervaſſe; ille pariter ſtatuat oportet, ſorte prius deſtinatum fuiſſe quid ſingulis Tribubus regionis contingere deberet: cum tamen Joſue hic doceat apertiſſime, ſortes ductas fuiſſe tantum poſt reditum Legatorum, inferendum ex his neceſſario videtur, diviſionem in æquas partes, nulla habita ratione, primo omnium inductam fuiſſe.

℣. 7. Sacerdotium Domini est eorum hæreditas. Uſurpatur hic Sacerdotium pro Sacerdotii jure, oblationibus, ſacrificiis, decimis, primitiis, primogenitis, cæteriſque, quæ Sacerdotio debebantur, ut Levitarum ac Sacerdotum patrimonium conſtituerent.

℣. 9. Lustrantes eam, in septem partes diviserunt, scribentes in volumine. Hebræus (3): *Percurrerunt in terra, atque deſcripſerunt eam, juxta Urbes in ſeptem partes, ſuper libro*. Urbium Catalogum, eaſque in ſeptem partes diviſas in Libro deſcripſerunt. Vel potius, Tabulam Geographicam delineantes, ſcripſerunt in illa nomina ſingularum Urbium, in qua & totam regionem ſeptem in partes diviſerunt. Cum de libro hic agitur, id accipiendum eſt de pugillaribus vel aſſeribus, in quibus delineabantur vel inſculpebantur figuræ, imprimebanturque pro veteri more literæ.

℣. 11. Ascendit sors prima filiorum Beniamin. Ex altera urna eductum eſt nomen Beniamin, tum ex altera educta ſchedula ferebat totam regionem inter Judam & Ephraimum; ſeu forte clara voce prolatum eſt, eam regionem aſſignandam eſſe Tribui illi, quam primam ſors offerret; ſorte autem educta eſt Tribus Beniamin. Pro limitibus hujus Tribus, vide Tabulam; de locis vero deſignatis hic ℣. 12. 13. & 14. ſuperius xv. 6. 7. 8. diſſeruimus.

℣. 12. Bethaven, urbs eadem ac Bethel, cui nomen Bethaven, *Domus iniquitatis*, inditum eſt, ex quo Jeroboam alterum e vitulis aureis a ſe conflatis ibidem conſecravit.

℣. 16. In partem montis. Reddi poſſet Textus קצה ההר *extremum*, vel *cacumen montis*, Jeroſolymæ proximi.

℣. 18. Ad tumulos, qui sunt e regione ascensus Adommim. Reddi poſſet Hebræus (4): *Ad limites, qui ſunt e regione aſcenſus Adommim*. Ad literam: *A Gelilot, qui eſt e regione aſcenſus Adommim*. Animadvertimus alias, doctis quibuſdam Interpretibus (5) eam ſediſſe opinionem, Gelilot eamdem eſſe cum Galgala Capitis xv. 7. alia a Galgala, ubi caſtra Hebræorum diu perſeverarunt. Nobis tamen inhærendum credimus generali ſignificationi vocis *Gelilot*, quæ limites ſonat. Conſtat autem, Aſcenſum Adommim fauces eſſe quaſdam in via ex Jeroſolyma Jerichuntem.

Et pertransit ex latere Aquilonis ad campestria,

(1) ויכתבו אותה לפי נחלתם

(2) יהודה יעמד על גבולו מנגב וביח יוסף יעמדו על גבלם מצפון ואתם תכתבו את הארץ שבעה חלקים

(3) ויכתבוה לערים לשבעה חלקים על ספר

(4) אל גלילות אשר נכח מעלה אדמים

(5) Maſ. Cornel. Bonfr.

STRIA, DESCENDITQUE IN PLANITIEM. Septuaginta: *Et tranſibunt ſuper dorſum Beth-Araba ab aquilone, & deſcendunt in Arabam*. Legendum utique ſaltem ſubaudiendum creditur priore quidem vel in membro *Beth-Araba*, in altero vero *Araba*, ſeu planitiem Deſerti. Beth-Araba ſonat *domum*, vel commorationem *planitiei deſertæ*: urbs eſt autem infra ℣. 22. inter Beniamiticas recenſita; quæ etiam ſpectari potuit in Cap. xv. 6. cum fines Beniamin & Juda deſcriberentur.

℣. 19. CONTRA LINGUAM MARIS SALSISSIMI. Maris hujus duo erant extremi anguli, alter quidem meridianus, de quo in Cap. xv. 2. alius vero ſeptemtrionalis, de quo hic, & xv. 5.

IN FINE JORDANIS AD AUSTRALEM PLAGAM. Influit quidem Jordanes in mare mortuum ad extremum angulum ſeptemtrionalem; ſed oſtium illud, ſi cum amnis curſu comparetur, meridiem reſpicit.

℣. 21. JERICHO. Vide 12. 2.

BETH-HAGLA. xv. 6.

VALLIS CASIS. Hebræus עמק קציץ *Emech-Caſis*, vallis inciſionis, vallis prærupta, ardua, præciſa. Locus eſt ſitus ignoti. Suſpicati ſunt nonnulli (1), nomen vallis inciſionis proveniſſe valli huic, quod ibi forte colligeretur balſamum, ex inciſo, vel acuto lapide, vel vitro, cortice arbuſculæ cujuſdam ſtillans. Sed nullo argumento demonſtrabitur, collectum ibi fuiſſe balſamum, ſive Joſue, ſive etiam longe poſteriori ætate: etymologia eſt hæc pariter longe nimis deducta.

℣. 22. SAMARAIM. Hebræus: *Zémaraim*. Nomen ſolummodo novimus.

℣. 23. AVIM, urbs ignota.

AFHARA. Hujus nominis occurrit oppidum quoddam quinquies mille paſſibus a Bethel, orientem verſus, ut narrat S. Hieronymus.

OPHERA, EMONA. Ignotæ Urbes.

℣. 24. OPHNI forte eſt *Gophna* (2), urbs labentibus Reipublicæ Hebraicæ ſæculis inſignis. Nomen *Ophni* idem eſt ac *Gophni*, ſi *Hain* veluti *G*, uti ſæpe accidit in nominibus propriis, pronuncietur. *Gophnam* collocat S. Hieronymus in Tribu Ephraim, quod unicum argumentum mox propoſitæ ſententiæ adverſatur; niſi tamen reponas, vel S. Hieronymo Ephraim pro Beniamin excidiſſe; vel urbem *Ophni*, utpote poſitam in finibus Ephraim & Beniamin, communem utrique Tribui evaſiſſe; vel tandem filiis Ephraim paruiſſe, quamvis in ditione Beniamin poſitam. Utcumque res habeat ſeſe, docet Joſephus (3), Gophnam ſecundam fuiſſe Toparchiam Judææ; & Toparchia Gophnæ apud Plinium (4) etiam inter Judææ Toparchias enumeratur. Denique idem Joſephus (5) iter Titi Jeroſolymam venientis deſcribens, narrat, pertranſiſſe illum Samariam, tum veniſſe Gophnam, inde diei itinere Gabaam Saulis perveniſſe; quare inter Gophnam & Gabaam poteſt quinque leucarum intervallum conſtitui.

GABEE, vel *Gabe*, aut *Gabaa*, vel *Geba*, ſeu *Gibea*, ipſa eſt Urbs *Gabaa Saulis*, vel *Gabaa Beniamin*, in Scriptura notiſſima: inſignis eſt autem potiſſimum crimine incolarum in uxorem Levitæ patrato, quod bellum in illos induxit, Tribui Beniamin exitio penitus prope futurum. Natus ibidem Saul, ibi pariter commorabatur. Removet hanc Urbem Joſephus (6) xx. M. paſſibus ab Jeroſolyma ad ſeptemtrionem.

℣. 25. GABAON. Obſederunt hanc urbem quinque illi Reges, quos prodigio fuſos fugatoſque jam vidimus (7).

RAMA, ad ſeptemtrionem, & VI. M. paſſibus circiter, vel tribus leucis ab Jeroſolyma (8).

BEROTH. Id eſt, putei. Una eſt e quatuor urbibus, quæ cum Gabaonitis Joſue feſellerunt; ut fœdere inito Iſraelitis jungerentur. Aberat VII. M. paſſibus circiter ab Jeroſolyma, qua parte Emmaus, vel Nicopolim reſpiciebat.

℣. 26. MESPHE, eadem facile ac Maſpha, urbs Tribus Juda, vel urbs utrique Tribui, Juda & Beniamin, communis, ac Jeroſolymæ ſatis proxima. Conveniebat eo populus coram Domino frequenter, e. g. deliberaturus de ultione exigenda pro injuria Gabaitarum, uxori Levitæ illata (9). Convenit ibi pariter juſſu Samuelis, ut monita ejuſdem de abdicandis ſuperſtitionibus audiret (10): ibi tandem Saul in Regem electus eſt (11). Denique ſub Macchabæis religio hujus loci nondum obſoleverat; eo enim coibat populus ad preces Domino offerendas, cum a profanis Templum occupabatur (12).

AMOSA. De hac urbe, uti & de tribus ſequentibus, nihil ſuccurrit.

℣. 28. SELA. Locus eſt ſepultura Saulis, Jonathæ, & Familiæ Cis notus (13).

JEBUS, QUÆ EST JERUSALEM. Ex hoc Textu aliiſque (14) docemur, Jeruſalem veteri nomine appellatam fuiſſe Jebus: incertum tamen, utrum Jebuſæi ex illa appellati ſint, vel illa ex Jebuſæis. Illud conſtat, jure Metropoleos toti regioni illorum præfuiſſe. Creditur *Salem* nomen fuiſſe vulgatum Jeruſalem ætate Abrahami; quæ opinio eſt ferme communis, fulciturque valide Pſalmo LXXV. 3. verbis illis: *Factus eſt in pace*, Hebr. *in Salem, locus ejus, & habitatio ejus in Sion*. Hac etiam perſuaſione tenentur Joſephus, Onkelos, & Scriptores pene innumeri: verum S. Hieronymus (15) aliique nonnulli docent, Salem, cui Melchiſedech Rex imperabat, urbem fuiſſe prope Scythopolim, ab Jeroſolyma ſatis diſſitam, ubi ſpectabantur adhuc rudera ædium ejuſdem Principis; eadem vero de urbe ſermonem eſſe in Gen. XXXIII. 17. ubi narratur Jacob e Socot veniſſe in *Salem*, urbem regionis Sichimitarum. Cenſet Uſſerius, *Salim*, ubi S. Joannes Baptiſta baptizabat (16), & Silo Urbem præſentia Tabernaculi Domini celebrem, ipſiſſimam fuiſſe veterem urbem Melchiſedechi, longe aliam ab Jebus, quæ poſtea Jeruſalem dicta eſt. Hæc tamen nobis maxime ſuſpecta ſunt.

GABAATH. In hac urbe ſepultum ferunt ſummum Sacerdotem Eleazarum filium Aaronis (17). *Gabaath Phinees* appellata eſt, idcirco quod Phinees Eleazari filio ceſſit. Euſebius & S. Hieronymus illam conſtituunt in ditione Beniamin XII. M. paſſibus ab Eleutheropoli; affirmantque, ſervatum ibi eſſe ſepulchrum Habacuc Prophetæ. Sed urbs Gabaath Phinees inter Ephraimiticas recenſebatur, ut aperte Scriptura: *Eleazarus filius Aaron mortuus eſt, & ſepelierunt eum in Gabaath Phinees filii ejus, quæ data eſt ei in monte Ephraim*. Samaritani recentiores gloriantur, habere ſe adhuc ſepulchra Phinees & Eleazari (18): quibus admiſſis, agnoſcamus oportet geminas urbes Gabaath, alteram quidem in montibus Ephraim, ubi ſepulchra Phinees & Eleazari; alteram vero ſepulchro Habacuc claram, quatuor leucis ab Eleutheropoli, in Tribu Beniamin.

CARIATH, in ditione Gabaath, teſte Euſebio,

(1) Bonfr. hic. (2) Ita Cellar. l. 3. c. 13. pag. 358. & Bonfr. Onomaſtic. (3) Joſeph. lib. 5. de Bello cap. 4. (4) Plin. l. 5. c. 14. (5) Joſeph. lib. 5. de Bello c. 6. (6) Idem Antiq. lib. 5. cap. 2. (7) Joſue x. (8) Joſeph. lib. 8. Antiq. cap. 6. Vide Euſeb. & Hieron. in locis. (9) Judic. xx. 1. 3. (10) 1. Reg. VII. 5. (11) 1. Reg. x. 17. (12) Macchab. III. 40. (13) Reg. xxi. 14. (14) Joſue XIX. 10. 1. Par. XI. 4. (15) Hieron. Epiſt. ad Evang. tom. 2. nov. edit. pag. 573. (16) Joan. III. 23. (17) Joſue XXIV. 33. (18) Ludolf. in epiſtolis ad Vir. Clar.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

Sors Tribuum Simeonis, Zabulonis, Iſſacbar, Aſer, Nephtali, Dan. Filii Dan capiunt Leſem. Joſue accipit in partem ſuam Thamnath-Saraa.

A. M. 2560. ℣. 1. ET egreſſa eſt ſors ſecunda filiorum Simeon per cognationes ſuas: fuitque
hæreditas 2. Eorum in medio poſſeſſionis filiorum Juda: Berſabee, &
Sabee, & Molada, 3. Et Haſerſual, Bala, & Aſem, 4. Et Eltholad, Bethul, &
Harma, 5. Et Siceleg, & Bethmarchaboth, & Haſerſuſa, 6. Et Bethlebaoth, &
Sarohen: civitates tredecim, & villæ earum. 7. Ain, & Remmon, & Athar, &
Aſan: civitates quatuor, & villæ earum: 8. Omnes viculi per circuitum urbium
iſtarum uſque ad Balaath-Beer-Ramath contra auſtralem plagam. Hæc eſt hæreditas
filiorum Simeon juxta cognationes ſuas, 9. In poſſeſſione, & funiculo filiorum Ju-
da: quia major erat: & idcirco filii Simeon poſſederunt in medio hæreditatis eorum.
10. Ceciditque ſors tertia filiorum Zabulon per cognationes ſuas: & factus eſt termi-
nus poſſeſſionis eorum uſque Sarid. 11. Aſcenditque de Mari, & Merala, & perve-
nit in Debbaſeth, uſque ad torrentem, qui eſt contra Jeconam. 12. Et revertitur
de Sared contra orientem in fines Ceſeleththabor: & egreditur ad Dabereth, aſcen-
ditque contra Japhie. 13. Et inde pertranſit uſque ad orientalem plagam Gethhe-
pher, & Thacaſim: & egreditur in Remmom, Amthar, & Noa. 14. Et circuit ad
Aquilonem Hanathon: ſuntque egreſſus ejus vallis Jephtahel, 15. Et Cathet, & Naa-
lol, & Semeron, & Jedala, & Bethlehem: civitates duodecim, & villæ earum. 16.
Hæc eſt hæreditas tribus filiorum Zabulon per cognationes ſuas, urbes, & viculi ea-
rum. 17. Iſſachar egreſſa eſt ſors quarta per cognationes ſuas. 18. Fuitque ejus
hæreditas, Jezrael, & Caſaloth, & Sunem, 19. Et Hapharaim, & Seon, & Ana-
harath, 20. Et Rabboth, & Ceſion, Abes, 21. Et Rameth, & Engannim, &
Enhadda, & Bethpheſes. 22. Et pervenit terminus ejus uſque Thabor & Seheſima,
& Bethſames: eruntque exitus ejus Jordanis: civitates ſedecim, & villæ earum. 23.
Hæc eſt poſſeſſio filiorum Iſſachar per cognationes ſuas, urbes, & viculi earum. 24.
Ceciditque ſors quinta tribui filiorum Aſer per cognationes ſuas: 25. Fuitque terminus
eorum Halcath, & Chali, & Beten, & Axaph, 26. Et Elmelech, & Amaad, &
Meſſal, & pervenit uſque ad Carmelum maris, & Sihor, & Labanath. 27. Ac rever-
titur contra orientem Bethdagon: & pertranſit uſque Zabulon, & vallem Jephthael con-
tra Aquilonem in Bethemec, & Nehiel. Egrediturque ad lævam Cabul. 28. Et A-
bran, & Rohob, & Hamon, & Cana, uſque ad Sidonem magnam. 29. Revertitur-
que in Horma uſque ad civitatem munitiſſimam Tyrum, et uſque Hoſa: eruntque exi-
tus ejus in mare de funiculo Achziba: 30. Et Amma, et Aphec, et Rohob: civitates
viginti duæ, et villæ earum. 31. Hæc eſt poſſeſſio filiorum Aſer per cognationes ſuas,
urbeſque, et viculi earum. 32. Filiorum Nephtali ſexta ſors cecidit per familias ſuas:
33. Et cepit terminus de Heleph, et Elon in Saananim, et Adami, quæ eſt Neceb, et
Jebnael uſque Lecum: et egreſſus eorum uſque ad Jordanem: 34. Reverticurque ter-
minus contra Occidentem in Azanotthabor, atque inde egreditur in Hucuca, et per-
tranſit in Zabulon contra Meridiem, et in Aſer contra Occidentem, et in Juda ad Jor-
danem contra ortum ſolis, 35. Civitates munitiſſimæ, Aſſedim, Ser, et Emath, et
Recchat, et Cenereth, 36. Et Edema, et Arama, Aſor. 37. Et Cedes, et Edrai,
Enhaſor, 38. Et Jeron, et Magdalel, Horem, et Bethanath, et Bethſames: civitates
decem et novem, et villæ earum. 39. Hæc eſt poſſeſſio tribus filiorum Nephtali per
cognationes ſuas, urbes, et viculi earum. 40. Tribui filiorum Dan per familias ſuas
egreſſa eſt ſors ſeptima: 41. Et fuit terminus poſſeſſionis ejus Saara, et Eſthaol, et Hir-
ſemes, ideſt, civitas ſolis. 42. Selebin, et Ajalon, et Jethela, 43. Elon, et Them-
na, et Acron, 44. Elthece, Gebbethon, et Balaath, 45. Et Jud, et Bane, et Ba-
racb, et Gethremmon: 46. Et Mejarcon, et Arecon, cum termino, qui reſpicit Jop-
pen, 47. Et ipſo fine concluditur. Aſcenderuntque filii Dan, et pugnaverunt contra
contra Leſem, ceperuntque eam: et percuſſerunt eam in ore gladii, et poſſederunt, et
habitaverunt in ea, vocantes nomen ejus Leſem Dan, ex nomine Dan patris ſui. 48.
Hæc eſt poſſeſſio tribus filiorum Dan, per cognationes ſuas, urbes, et viculi earum.

49. Cum-

49. Cumque compleſſet ſorte dividere terram ſingulis per tribus ſuas, dederunt filii Iſ-
rael poſſeſſionem Joſue filio Nun in medio ſui, 50. Juxta præceptum Domini, urbem,
quam poſtulavit, Thamnath Saraa in monte Ephraim: et ædificavit civitatem, habita-
vitque in ea. 51. Hæ ſunt poſſeſſiones, quas ſorte diviſerunt Eleazar ſacerdos, et Jo-
ſue filius Nun, et principes familiarum, ac tribuum filiorum Iſrael, in Silo, coram
Domino ad oſtium tabernaculi teſtimonii, partitique ſunt terram.

℣. 1. FUIT HÆREDITAS [℣. 9.] EORUM IN MEDIO FILIORUM JUDA. Animadvertimus ſupra, in diſtributione regionis per ſingulas Tribus nihil antiquius habuiſſe Principes populi, quam ut portiones æquarent, expenſis ſingularum Tribuum tum hominum numero, tum viribus; horum autem habita ratione addebant aliquid, demebantque ſortibus, quæ illis contigerant, ut æquitas poſtulabat. Atque ita factum eſt, ut ſingulis Tribubus tantum regionis aſſignaretur, quantum exigebant, ut nec latius quam par eſſet, nec anguſtius habitarent. Hujus œconomiæ exemplum hic offertur in Tribubus Juda & Simeonis. Cum Judas, numero licet hominum frequentiſſimus, æquo tamen majorem occupare regionem, cæteris Tribubus comparatus, intelligeretur; contraſum eſt ex illo quiddam, ut cederet in partem Simeonis. Porro hæc Tribus omnium minima erat, quippe quæ in ſupremo luſtro tantummodo XXII. M. ac CC. homines numeraret (1). Aſſignantur illi hic urbes XVII. vel XVIII. ſedulo tamen animadvertendum eſt, catalogos in hoc Libro ductos minus accuratos eſſe & abſolutos; jam enim ſupra monuimus, ſolas ferme hic deſcribi urbes præcipuas, & quæ limitibus ſignandis prodeſſent: quibus parebant inferiora oppida, & vici, quorum acceſſione hæreditas non modice augebatur.

Juvat autem in portione Simeonis documentum intueri Providentiæ Numinis, & falli neſciam minarum vel promiſsionum Dei certitudinem apertiſsimo argumento demonſtratam. Dei ſpiritu afflatus Jacob, Levi & Simeoni futurum prædixerat, ut diſpergerentur in Iſraele (2), pœnam daturi ſociati ſceleris in cædem Sichemitarum (3). Levi per totam Palæſtinæ faciem diſperſus eſt, cum nullam peculiarem hæreditatem, ſed tantum urbes ad habitandum ſparſim per regiones obtinuerit: Simeon in Juda diſsipatus eſt, ut nulla peculiari ſorte ab aliis Tribubus diſtincta potiretur.

Perſuaſum habent Hebræi (4), Tribum Juda, quæ ſponte in ſortem ſuam, & ad tempus quod vellet, Simeonem acceperat, illum ſub Davidis Regno expuliſſe. In hanc autem opinionem veniendi occaſionem illis præbuit, quod in Paralipomenis (5) legitur; habitaſſe ſcilicet filios Simeonis in tredecim Urbibus, quæ hic recenſentur, *uſque ad Regem David*. Tunc igitur ab eo Principe amotos credant Simeonitas ex iis urbibus, quas eo uſque incoluerant: nobis tamen ea ſedet opinio, Davidem in eamdem regionem miſiſſe tantum colonias e Tribu Juda, ut incolis ea loca frequentaret, quæ non ſatis Tribu Simeonis occuparentur; atque ita factum eſſe, ut ambæ hæ Tribus in iiſdem Urbibus ſedes ſuas ſociarent. Poſt ſeceſsionem vero decem Tribuum, non injuria opinamur, filios Juda Simeonitas arctius concluſiſſe, quin & expuliſſe penitus ex Urbibus hiſce nonnullis, qui idcirco coacti ſub Ezechia novas ſibi procurarunt ſedes in regione Gador & in montibus Sehir (6): ubi tamen diutius non ſubſtiterunt; captivi enim una cum decem Tribubus abducti ſunt a Salmanaſare, anno ſexto Ezechiæ Regis Juda (7).

℣. 2. BERSABEE. Vide ſupra XV. 27. Urbs eſt eadem, quæ ſtatim poſt hæc verba *Sabee* appellatur. Si duo hæc eſſent nomina diſtinctarum Urbium, pro tredecim, quatuordecim numerandæ eſſent in ℣. 6. Berſabee ſonat *puteum ſeptem*, vel *puteum juramenti* (8): commodo autem ſeparari potuit vox *B'er*, *puteus*, ut remaneret tantum appellatio *Sabee*. Cenſet Junius, *Sabee*, vel *Schebeah* eamdem eſſe urbem ac Schemah Joſue XV. 26. & Thocam primi Paralipomenon IV. 32. Notat etiam Grotius, Septuaginta pro *Scheba*, vel *Sabe* legiſſe hic *Schama*.

MOLADA. Vide Joſue XV. 26.

℣. 3. HASER-SUAL, Joſue XV. 28. *Baala*, Joſ. XV. 29.

ASEM, non aliam credimus ab *Aſemona*, de qua Joſue XV. 14. & in Numeris XXXIV. 4. 5.

℣. 4. ELTHOLAD, *Tholad* appellatur in Paralipomenis. Vide Joſue XV. 30.

BETHUL, in I. Paralipomenon IV. 3. *Bathuel*. An eadem cenſenda ſit cum Bethulia Judith, alibi expendemus. Eſt Bethulia quædam in Galilæa, unica leuca diſtans a Tiberiade (9), ubi occiſum Holophernem communis ſententia docet. Sed eruditi quidam Geographi (10) certant, Bethuliam in Galilæa vel nullam fuiſſe, vel ſaltem nullo veteri documento extitiſſe demonſtrari. Nec aperte demonſtrat Hiſtoria Judith, urbem hanc in Galilæa jacuiſſe.

HARMA, eadem ac Horma, de qua ſupra XV. 31.

℣. 5. SICELEG. Vide Joſue XV. 31. inter urbes Juda.

BETH-MARCHABOTH, vel potius *Beth-hammarchaboth*, urbs curruum; ignoti ſitus.

HASER-SUA, in Paralipomenis (11). *Haſer-Suſim*, urbs equorum. *Haſer-Suſa*, urbs equæ. Eo facile ducebantur equi, quos ex Ægypto Salomon emebat (12).

℣. 6. BETH-LEBAOTH, ideſt, *Domus leænarum*, eadem facile ac *Beth-berai*, de qua I. Paralipomenon IV. 31.

CIVITATES TREDECIM. In præcedentibus verſiculis quatuor & decem recenſentur; animadvertimus tamen ad ℣. 2. *Sabee* urbem eſſe eamdem ac *Berſabee*. Quibus alia ſedet opinio, difficultatem hanc ita ſolvant, uti docuimus ſupra XV. 62.

℣. 7. AIN & RAMMON. Hebræus: *Ain-Remmon*. Vide ſupra XV. 31.

ATHAR. *Ether* appellatur in Joſue XV. 42.

ASAN. Vide ibidem.

CIVITATES QUATUOR. Quinta recenſetur *Etam* in I. Paralipomenon IV. 32. Vox Originalis חצרים ſonat potius ἐπαύλεις, vicos & ſepta, quam urbes.

℣. 8. BAALATH-BEER-RAMATH. *Baloth* appellatur tantum in Joſue XV. 24. & *Baal* in I. Paralipomenon IV. 33. Eamdem eſſe credimus Baalath, quam Salomon in deſerto reſtituit (13).

℣. 9. IN MEDIO HÆREDITATIS EORUM; ideſt, tantum intra hæreditatem eorum; neque enim in meditullio regionis Juda urbes illæ conſtitutæ erant.

℣. 11. DE MARI ET MERALA. Tribus Zabulon ad mare circa montem Carmelum perveniebat. Hebræus: Termini eorum a mari aſcendunt & *Merahala*. Situs Merahalæ latet. Contendit Bonfrerius, Zabulonis Tribum ad Mediterraneum uſque non excurriſſe; cujus argumenta habes deducta ad caput XVII. 10.

Jeco-

[1] Num. XXVI. 14. [2] Geneſ. XLIX. 6. 7. [3] Geneſ. XXXIV. [4] Rabb. apud Maſ. [5] 1. Paral. IV. 31. [6] Ibid. ℣. 39. 40. 41. 42. [7] 4. Reg. XVIII. 6. [8] Vide Geneſ. XXI. 33. [9] Brocard. Deſcript. Terræ ſanctæ. Vide Bonfr. Onomaſt. [10] Cellarius l. 3. c. 31. [11] 1. Paral. IV. 31. [12] 3. Reg. X. 28. [13] 3. Reg. IX. 18.

Digitized by Google

Jeconam vel Jecnam, ut appellatur cap. xxi. 34. ubi Levitis aſsignata eſt. Eamdem urbem habemus ſupra xii. 22. ſub nomine *Jachanan Carmeli*, quod ab eo monte non procul abeſſet.

℣. 12. De Sared contra Orientam in fines Ceseleth-Thabor. Limites Zabulonis aſcendebant e *Sared*, vel, ut nominatur ℣. 10. Sarid, ad Orientem, ad *Ceſeleth* vel *Caſaloth*, uti appellatur ℣. 18. Euſebius & S. Hieronymus inter urbes Iſſachari recenſent: ex hoc tamen Textu aperte demonſtratur, juris fuiſſe Zabulonis. Jacebat fortaſſe in finibus utriuſque Tribus. Sita erat in planitie, ad radices montis Thabor viii. m. paſsibus a Diocæſarea ad Orientem. *Ceſeleth-Thabor* ad literam ſonat renes vel latus montis Thabor: eadem forte, quæ dicitur ſolummodo Thabor in 1. Paralipomenon vi. 77.

Dabeareth, urbs non in Tribu Zabulonis, ſed Iſſachari, & in finibus Zabulonis, Levitis in ſedem tradita (1).

Japhia. Validæ cujuſdam urbis *Japhæ* in Galilæa, prope Jotapatam, meminit Joſephus (2). Recenti cuidam Itineratio Japha urbs eſt leuca diſtans a Nazareth, ad meridiem.

℣. 13. Geth-Hepher, patria Jonæ Prophetæ. *Erat*, ait Scriptura (3), *de Geth, quæ eſt in Epher*. Hanc urbem collocat S. Hieronymus, in Proœmio in Jonam, bis mille paſsibus a Sephori, Tiberiadem verſus. Egimus ſupra xii. 17. de Oper, vel Epher, quæ nomen ſuum communicat parvæ cuidam regioni, ubi ſita eſt Geth.

Thacasim, urbs non longe removenda a mari Tiberiadis, cum ad extremam oram orientalem Zabulonis jaceret.

Remmon, Amthaa, Noa, vel, uti legunt Septuaginta, *Anoa*. Horum locorum omnium, uti & ſubſequentium plerorumque, ſitus latet. Forte tamen Remmon-Amthar ipſa eadem eſt urbs *Remmon inclyta* & illuſtris, quæ Hebraicæ vocis רמון המתאר ſignificatio eſt (4). Clericus vertit: *Remmon, quæ claudebat Naba*. Poſterior hæc urbs intra eos limites continebatur; neque injuria eadem credi poteſt ac *Neae*, vel *Nabe*, ſeu *Nove*. Eſt *Neve* in Itinerario Antonini urbs xxxvi. m. paſsibus a Capitoliade, atque hæc a Gadara xvi. m. paſsibus abeſt. Vide Relandum in *Neve tom. 2. pag.* 909.

℣. 15. Semeron. Alia eſt ab urbe Samaria, quæ eodem Semeron nomine in Hebræo appellatur. Illa enim diu poſt Joſue excitata fuit, & in Tribu Ephraim jacebat. Sermo eſſe hic creditur de urbe, cujus Regem fœderatum cum Rege Aſor aliiſque Principibus plagæ ſeptentrionalis terræ promiſsionis, Joſue prælio vicit. Opinionem noſtram aperuimus Capite xi. 1. ubi oſtendimus, Semeron, cujus Rex prælio victus eſt a Joſue, Simyram eſſe, urbem Syriæ; quare ditio Zabulonis ad regionem uſque trans Libanum proroganda eſt. Septuaginta in MS. Alexandrino legunt Simoon, teſtaturque Joſephus in lib. de vita ſua p. 1007. Simonium urbem fuiſſe in finibus Galilææ.

Bethlehem, longe alia ab urbe Juda, natalibus Jeſu Chriſti clariſsima.

Civitates duodecim. Undeviginti recenſentur; ſed quædam ſunt ad finitimas Tribus pertinentes, hic tantum nomine ſuo expreſſæ, ut Tribus unius limites ab altera diſtincti deſcribantur. Animadvertimus alias, catalogos hoſce nec ſatis accuratos, nec ſatis completos reputandos eſſe; certoque conſtat, Zabulonem alias poſſediſſe urbes, quam quæ hic referuntur. Vide quæ monuimus ad Joſue xv. 62.

℣. 17. Issachar egressa est sors quarta. Quamvis Iſſachar ætate major eſſet Zabulone, hic nihilominus illi præcedit. Zabuloni etiam antea benedictionem ſuam imprecatus eſt Jacob, quam Iſſacharo (5). Ratio hujus rei ignoratur.

℣. 18. Jezrael, urbs in ampliſsimo agro ſita, inter Legionem ad Occidentem, & *Bethſan* ad Orientem, cui ad meridiem erant montes Gelboe, ad ſeptentrionem montes Hermon.

Casaloth. Vide hic ℣. 12.

Sunem vel *Sunam*. Locus eſt notus, quod eo veniens Propheta Eliſæus diverteret ad ædes fœminæ cujuſdam religioſæ, cujus filium ad vitam revocaverat. Aberat Sunam, ex Euſebio & S. Hieronymo v. m. paſsibus a monte Thabor, ad meridiem. Ibi caſtra habuerunt Philiſtæi (6), cum infelix illud prælium commiſſum eſt, in quo Saul, & Jonathas ceciderunt, totuſque late Iſrael diſsipatus eſt in montibus Gelboe.

℣. 19. Hapharaim, vel *Haphraim* vi. m. paſsibus a Legione, ad ſeptentrionem.

Seon, prope montem Thabor.

Anaharath, [℣. 20.] Rabboth, Cesion, Abes. De his locis id ſolum novimus, ea in Tribu Iſſachar jacuiſſe. Ceſion eſt forte Cades Iſſachar, de qua 1. Paralipomenon vii. 32.

℣. 21. Rameth, in 1. Paral. vi. 73. *Ramoth*; & infra xxi. 29. *Jaramoth*. Urbs Levitica.

En-Gannim, urbs Levitis aſsignata (7) in Tribu Iſſachar, quæ in 1. Paralipomenon vi. 73. *Enam* appellatur.

En-hadda. Eſſe eadem nequit ac urbs ejus nominis inter Jeruſalem, & Eleutheropolim, & ab Eleutheropoli x. m. paſsibus diſsita.

℣. 22. Thabor, urbs ſive ad radices, ſive in dorſo celebris montis Thabor, ad torrentem Ciſſon. Vide Judices iv. 6.

Bethsames. Hujus nominis plures ſunt urbes; altera enim eſt in Juda, altera in Nephthali. Urbis hujus noſtræ ſitus latet. Bethſames eſt *domus Solis*.

℣. 25. Halcath, vel *Helcbat* (8), vel *Hucbat* (9), inter Aſeriticas, Levitis aſsignata (10).

Chali, Bethan, Axaph, ℣. 26. Elmelech, Amaad, Messal, ignotæ urbes. *Axaph* crediderim eſſe *Ecdippum*. In nonnullis Mſs. Græcis legitur hic *Akom*, quæ eſt *Acco*, vel *Ptolemais*.

℣. 26. Usque ad Carmelum maris, ideſt, qui mari adjacet, vel uſque ad Carmelum Occidentis (11), vel a latere maris. Egimus ſupra xv. 55. de Carmelo Tribus Juda (12), ubi Nabal vir Abigailis greges ſuos habebat. Mons Carmelus, de quo hic, ditionis erat Aſer: celebratur autem maxime fama prodigiorum, quæ Elias ibi operatus eſt (13). Carmelum abeſſe tradit Joſephus (14) cxx. ſtadiis a Ptolemaide, meridiem verſus. *Carmelus maris* hic appellatur, quod re ipſa a Mediterraneo non abeſſet. Catena erat montium, aliorum aliis connexorum, potius quam montis unius jugum; excurrebatque e ſeptentrione ad meridiem prolixo ſatis ductu in Tribus Iſſachari, & Zabulonis. Hi montes aliquo intervallo a mari ita recedunt; ut tamen unus eorum in ejus litus porrigatur; meminitque Plinius (15) promontorii Carmeli, & urbis ejuſdem nominis in monte.

In eo colle Veſpaſiani ætate ſurgebat Ara, conſecrata Numini itidem Carmelo. De eo Numine narrat Tacitus (16): *Nec ſimulacrum Deo, aut Templum* [*ſic tradidere majores*] *Ara tantum & reverentia*. Eo ſe contulit Veſpaſianus, ut conſuleret degentem ibi Sacerdotem Baſilidem. Nomen *Carmel* eſt *vinea Domini*, vinea eximia, Divina; vel ſpica plena, virens, tenera; denique locus amœnitate ſua & fertilitate ſingularis. Porro amœnitas, & ubertas Carmeli abierat in proverbium; & pul-

[1] Joſue xxi. 28. & 1. Par. vi. 72. [2] Joſeph. in vita ſua, & lib. 3. de Bello c. 21. [3] 4. Reg. xiv. 25. [4] Sym. apud Dioſ. [5] Geneſ. xlix. 13. 14. [6] 1. Reg. xxviii. 4. [7] Joſue xxi. 29 [8] Joſue xxi. 31. [9] 1. Par. vi. 75. [10] Joſue xxi. 31. [11] בכרמל הימה [12] Vide ad Joſue xv. 55. [13] 3. Reg. xviii. 20. [14] Lib. 2. de Bello c. 17. [15] Plin. l. 5. c. 17. *Promontorium Carmelum, & in monte oppidum eodem nomine.* [16] Tac. l. 2. Hiſt. c. 78.

& pulchritudinem capitis Sponſi ſui Carmelo confert Sponſa in Cantico VII. 5. *Caput tuum ut Carmelus*. Futurum prænunciat Iſaias XXXII. 15. *ut ſit deſertum in Carmel, & Carmel in ſaltum reputetur*. S. Hieronymus (1), & Itineraria Recentiorum deſcribunt Carmelum veluti montem frequenti nemore umbroſum, divitem arboribus pomiferis, vineis eximiis, quem eximiæ aquarum ſcaturigines irrigant.

Urbs, quam in Carmelo Plinius conſtituit, eodemque nomine ac montem ipſum donat, *Ecbatana* olim appellabatur, id eſt Hebraice, uti ego quidem aſſequor conjectura, *Gabbaton*, vel *Gabbata*, celſitudo. Occurrit apud Joſephum (2) Urbs Gabba prope Ptolemaidem, & Carmelo contiguam. Ibi Cambyſes diem clauſit extremum. Oraculo ille monente intellexerat, lethum ſe manere Ecbatanis. Innui reputavit Ecbatana Mediæ, cum re ipſa Ecbatana Syriæ deſignarentur, ait Herodotus *l. 3. cap. 69.*

Sihor, et Labanath. Duo hæc nomina unum, eundemque ſeu locum, ſeu rivum ſignificare quidam credunt; deeſt enim conjunctio in Hebræo, legente *Sihor-Lebana*. Perſuaſum tenemus, rivum hunc juxta Promontorium Album fluxiſſe, cujus meminit Plinius (3), quodque conſtituit inter Ecdippum, & Tyrum. Demonſtravimus alibi, *Sihor*, quod turbidum ſonat, nomen eſſe fluminis, vel rivi. *Lebanath* eſt albus.

℣. 27. Beth-Dagon, locus eſt diverſus ab altero ejuſdem nominis in Juda (4). Sonat autem *Domum Dagon*, vel piſcis, vel Templum Dagun.

Zabulon, Urbs valida Galilææ, nomen ſuum e Tribu Zabulon mutuata. Ptolemaidem a Judæa diſtinguere illam, Joſephus (5) aſſirmat.

Vallem Jephtael, inter Tribus Zabulon, & Aſer mediam (6); forte inter Ptolemaidem, & montem Carmelum.

Egreditur ad lævam Cabul; ideſt, ad ſeptemtrionem Cabul, cum enim de locis agitur, læva pro ſeptemtrione uſurpatur. Diſſidium eſt aliquod in nomine *Cabul*. Deſignari illo cenſent quidam (7) Regionem viginti urbibus frequentatam, qua Salomon Hiramum Regem Tyri donavit. Cum autem munus diſplicuiſſet Hiramo, is regionem illam appellavit *Cabul* (8). Malunt alii (9) ſermonem hic eſſe de loco hujus nominis, cujus meminit Joſephus (10) ſub nomine Oppidi *Chabalo*; qui & alibi (11) docet, Galilæam inferiorem porrigi a Tiberiade aduſque Chabulonem, ſitam ad mare, & Ptolemaidi proximam.

℣. 28. Abran. Hebræus: *Hebron*, id eſt, tranſitus. Vulgata legit in Hebræo עכרן *Akran* עברן, pro עברן *Abran*.

Rohoa. Recurrit inferius ℣. 30. urbs Tribus, & nominis ejuſdem. Utraque hæc urbs, uti reor, jacebant altera quidem ad Orientem, altera ad ſeptemtrionem Tribus Aſer; ſi tamen geminæ conſtituantur, neque enim in his catalogis eaſdem Urbes bis deſcribi novum eſt. Maluerim ego unicam cognoſcere, quæ Levitis aſſignata eſt (12), unde Chananæos pellere Aſeritæ nunquam valuerunt (13). Urbs Rohob, de qua in Numeris XIII. 22. eadem cum noſtra hæc reputanda eſt; docetque Moyſes, jacuiſſe ad extremam oram ſeptemtrionalem Chanaanitidis, circa introitum Emath.

Hamon. Urbem hanc jacuiſſe credo in finibus, ſed extra ditionem Aſer, cum Tribui Nephtali deberetur. Eadem Levitis obtigit (14). Appellatur etiam *Hammot-Dor* in Joſue XXI. 32.

Cana. Perſuaſum habuiſſe videntur Euſebius, & S. Hieronymus, ſermonem hic eſſe de urbe, ubi Jeſus Chriſtus aquam in vinum convertit (15). Geminam Canam, majorem & minorem, diſtingui a S. Hieronymo cenſent quidam; ſed diſcrimen ejuſmodi in ejus Textu non deprehendo, nec enim ibi vir Sanctus niſi de Sidone majori meminit: *Cana uſque ad Sidon majorem (eſt quippe & altera minor, ad cujus diſtinctionem major hæc dicitur). Fuit autem Cana in Tribu Aſer* &c. Nec apud Joſephum, nec alium quemcunque Hiſtoricum occurrit Cana hæc major, ſed tantum celebris eſt Cana Galilææ, in Evangelio nota, patria Simonis, & Nathanaelis. Hujus meminit Joſephus non ſemel (16); narratque, verſantem ſe in Cana, ingenti Galilææ oppido, certiorem factum eſſe de Tiberienſium defectione, ſtatimque in viam ſe dediſſe, manu centum virorum comitante, & mane ſummo Tiberiadem perveniſſe: ex quo inferas licet, Canam octo circiter leucis a Tiberiade ad Occidentem abſuiſſe. Ingenue tamen fateor, ſi Urbes in hoc verſiculo relatæ e meridie in ſeptemtrionem, vel ex oriente in occidentem procedunt, paſſim ulterius progrediendo Sidonem verſus, agnoſci oportere alteram Canam, Sidoni propinquiorem, quæ tamen nobis inter ignotas eſt ignotiſſima.

℣. 29. Revertitur in Horma usque ad Civitatem munitissimam Tyrum. Septuaginta: *Uſque ad fontem Maſpha Tyriorum*. Urbs *Horma*, vel, ut in Hebræo legitur, הרמה *Haramah*, nos penitus latet. Septuaginta, Chaldæus, Syriacus, Arabs legunt *Rama*, quæ vox facile editum aliquem locum, non urbem deſignat. *Ramah* enim eſt elevatio. Suſpicatur Maſius; hic innui Sareptam, vineis ſuis celebrem. *Bacchus amat colles*. Bonfrerius maluit accipere de *Ornithone*, urbe avium, ideo facile quod incolarum ædes editiſſime eſſent, & ſub tectis, tamquam in nidulis ſuis aves, clauderentur. Prætereo tamen opinionem, quæ *Rama* exponit de loco edito, de promontorio. E Sidone limites Aſer excurrebant ſecundum litus aduſque Tyrum, Urbem in Antiquitate ſacra & profana celebrem.

Conditæ Tyri epocha obſcuriſſima eſt & implexa, quam hic pro viribus explicandam ſuſcipimus. Narrat Sanchoniaton (17), Hypſuranium, vetuſtiſſimum terræ filium, urbem Tyrum incoluiſſe, rudeſque ibi caſas junco & arundine inte-xuiſſe. Ab ea autem Tyri fundatione per Hypſuranium, aduſque Sanchoniatonem, bis mille ac trecentos annos numerabant Tyrii Sacerdotes, conſtituentes ſcilicet Sanchoniatonem Gedeoni coævum, Tyrum vero conditam ætate Turri Babelica ſuperiori. Id autem ſatis eſt ſuperque, ut epocham hanc deſeramus, quamvis non conſtaret, Sanchoniatonem Scriptorem eſſe ſuppoſitum, uti a viris doctis non paucis demonſtratum eſt, patebitque legenti, ſi ſola inſpiciat Operis illius ab Euſebio ſervata fragmenta.

Multo meliorem fidem vindicat ſibi Joſephus (18), tradens, urbem hanc primum conditam fuiſſe CCXL. annis ante Templum Salomonicum, ſcilicet anno Mundi 2760. CC. annis circiter poſt Joſue obitum. Templi autem dedicationem anno Mundi 3001. conſignamus; & obitum Joſue 2570. Conditæ etiam Tyri annum adnotaverat Trogus: ſed

(1) Hieron. in Iſai. c. X. ℣. 18. & in Jerem. c. IV. ℣. 16. Vide Doubdan chap. 53. (2) Joſeph. de Bello l. 3. c. 4. & lib. de vita ſua. (3) Plin. l. 5. c. 19. (4) Joſue XV. 41. (5) Joſeph. lib. 2. de bello cap. 37. G. Ζαβουλὼν διορίζει δὲ ἀπὸ τῆς ἔθνους τῆς Πτολεμαΐδος. (6) Joſue XIX. 14. (7) Malv. Maſ. Grot. Jun. (8) 3. Reg. IX. 11. 12. 13. (9) Bonfr. & Euſeb. demonſtrat. Evang. (10) Joſeph. de Vita ſua. εἰς Χαβωλὼ κώμην Πτολεμαΐδος μεθορίου ἀγροῦ. (11) Lib. 3. de Bello c. 4. τὴν κάτω καλουμένην Γαλιλαίαν ἀπὸ Τιβεριάδος, μέχρι Χαβωλῶνος, ἧς οὐ πόρρω τῶν παραλίων, Πτολεμαῒς γείτων, τὸ μῆκος ἐκτείνεσθαι. (12) Joſue XXI. 31. & 1. Par. VI. 75. (13) Judic. I. 31. (14) 1. Par. VI. 76. (15) Johan. II. 2. (16) Joſeph. lib. de Vita ſua. Vide Cellar. in Cana p. 300. (17) Apud Euſeb. Præp. l. 1. cap. ult. (18) Joſeph. Antiq. l. VIII. c. 2.

ſed breviatori ejus Juſtino vel Juſtini Amanuenſibus excidit; hæc enim tantum habet ille, libro XVIII. *A Rege Aſcaloniorum victi Sidonii, navibus appulſi, Tyrum urbem ante annum . . . . Trojanæ cladis condiderant*. Sacerdotibus Herculis Tyri interrogatis, affirmat Herodotus (1) eam urbem annis ante eam ætatem, qua ipſe ſcribebat, bis mille trecentis ſtetiſſe, opinaturque Uſſerius Herodotum commentarios illos ſuos ſcripſiſſe Athenis anno Mundi 3596. Vide, quæ ſcribit ad an. 3559.; ex quo anno 3596. ſi retroceſſeris, Tyri exordia anno Mundi 1296. aſſignabis, ex quo fieret urbem hanc præceſſiſſe diluvium annis 656. quod eſt intolerabile. Hoc tamen luculenter demonſtrat, remotiſſimam antiquitatem urbi ſuæ Tyrios Sacerdotes vindicaſſe.

Conditorem Tyri Agenorem, patrem Cadmi, Q. Curtius conſtituit (2). Sed nulla fides habenda hujus teſtimonio, qui doceat, Sidonem parem Tyro ætatem & conditorem Agenorem referre; conſtat autem, Tyro multo vetuſtiorem eſſe Sidonem. Tyro addit Iſaias (3) epithetum filię Sidonis, vel Coloniæ Sidoniorum. Apud Homerum (4) nunquam occurrit Tyrus; Sidonis vero velut inclytæ urbis meminit. Euſebius in Chronico affirmat, Phœnicem & Cadmum Thebis Ægypti profectos in Syriam, Regnum Tyri & Sidonis obtinuiſſe. Quæ ſi vera ſint, agnoſcamus oportet Tyrum ante Joſue ſtetiſſe; creditur enim Cadmus in Græciam non prius recepiſſe ſeſe, quam poſt adventum Joſue in Chanaanitidem. Cum tamen de hac fuga Cadmi nihil certum ſit, temere prorſus incertiſſimo fundamento certa adſtruatur hypotheſis; neque merito affirmetur, Tyrum nondum ea ætate conditam fuiſſe, præſertim cum Author Libri Joſue, quem ſaltem in ſcribendo præ oculis habuiſſe Commentarios, Joſue ætate deſcriptos, nemo negaverit, de Tyro tamquam de urbe validiſſima agat.

Ut vero nobis viam hac de re diſputaturi ſternamus, geminæ urbes Tyri ſedulo diſtinguendæ ſunt, quarum altera in Inſula Mediterranei ſtabat, altera vero alteri oppoſita in continenti. Hanc vetuſtiorem altera eſſe conſtat, parum tamen novere Græci Scriptores, qui vix alterius Tyri meminerunt, quam quæ erat in Inſula (5), Urbis celeberrimæ; quæ victricibus Alexandri Magni copiis reſtiterit. Hanc autem a continenti nonniſi IV. ſtadiis, vel D. paſſibus Diodorus Siculus, & Q. Curtius removent; ſed Plinius (6) ſpatium illud DCC. paſſibus definit. Poſt Alexandrum Magnum juncta eſt continenti, aggere quodam ab eodem Principe ad eam oppugnandam excitato. *Tyrus quondam Inſula, præalto mari ſeptingenti paſſibus diviſa, nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens*.

Vetus Tyrus in continenti poſita, Inſulam e regione ſpectabat. Author Eccleſiaſtici XLVI. 20. docet, Principes Tyrios addidiſſe ſe Philiſtæis, quos Samuel initio regiminis ſui prelio vicit (7). Sub Davide & Salomone excreverat jam in urbem magnam & florentem, quippe quæ Reges haberet potentiſſimos. Hiram Rex Tyri miſit ad Davidem ligna & Opifices ad regiarum ædium conſtructionem (8). Legimus in II. Regum XXIV. 7. Joab cæteroſque additos illi viros ad cenſum filiorum Iſraelis deſcribendum, prope mœnia Tyri pertranſiſſe. Sub Salomone novæ Tyri fundamenta nondum locata erant, neque quidquam in Inſula ſpectabatur, præter Templum Jovis Olympici. Dius (9), Hiſtoriæ Phœniciæ Scriptor accuratus, narrat, Hiramum filium Abibaalis, Regem Tyri, & amicum Salomonis, junxiſſe urbi Fanum Herculis, quod ſolitarium ſtabat in Inſula; junxit autem veteri Tyro, ſtructo aggere ex injecta in mare humo aliiſque cæmentis. Paria ſcribit Menander Epheſius (10), additque, Hiramum auream columnam in Templo Jovis conſecraſſe. Succeſſu temporis, agger ille, opus Regis Hirami, everſus eſt; facile tamen non prius, quam cum jam urbs in poteſtatem Chaldæorum veniſſet: exploratum eſt enim, urbem Tyrum ſecretam fuiſſe a continenti, maris canali interjecto, cum Alexander ejus obſidionem aggreſſus eſt.

Diſſimulandum tamen non eſt, in literis Hirami ad Salomonem, a Joſepho recitatis (11), Regem Tyri poſcere a Salomone frumentum, in pretium lignorum, quæ ad illum mittebat; frumento enim, inquit ille, indigemus, cum in Inſula Urbs noſtra contineatur: id vero argumento eſt, novam Tyrum jam tunc ſtetiſſe. Sed veri ſpeciem præfert plurimam, literas illas ab eodem Scriptore vel ex integro ſuppoſitas fuiſſe, vel ſaltem interpolatas. Suſpicionem hanc promovet Eupolemus, ab Euſebio (12) laudatus, qui eaſdem Literas ſtylo admodum diverſas, neque circumſtantiam hanc præferentes, exhibent.

Nabuchodonoſor Rex Chaldææ, aliquot poſt annos ab everſo Templo, & Urbe Jeroſolyma, Tyrum obſedit, & obtinuit. Obſidionem hanc ſatis accurate prædicit Ezechiel (13), nec tamen ſatis convenit, utrum ille Tyrum veterem ne an novam, ſignificet. Novam cenſet S. Hieronymus (13), tradens, Nabuchodonoſorem Inſulam continenti junxiſſe, oppleto inter utrumque mari, humo & lignis aggeſtis. Urbem hanc in Inſula jacuiſſe, innuere videtur Propheta verbis illis Capitis XXVII. 25. *Glorificata es nimis in corde maris*. Tyrum nomine filiæ maris nuncupat Iſaias XXIII. 6. eamque ita affatur: *Tranſite maria, ululate qui habitatis in Inſula*. Viciſſim tamen aliæ occurrunt phraſes, quæ urbi in continenti poſitæ melius congruunt.

Admiſſis iis, quæ ſupra retulimus ex Dio, & Menandro Epheſio, Tyrum ſcilicet junctam fuiſſe continenti, aggere per Hiramum ducto, difficultas omnis aufertur, & variæ Prophetarum phraſes conciliantur. Ipſa enim eademque Tyrus Inſula erat & continens; ope etenim ejus aggeris peninſula evaſerat. Cum Alexander Magnus ejus oppugnationem aggreſſus eſt, vetus Tyrus ſeu deſerta penitus erat, ſeu raris incolis frequentata; narrant enim Hiſtorici (15), ejus ruderibus uſum, Alexandrum, illud mare, Inſulam a continenti ſeparans, obſtruxiſſe.

Vetus nullum monumentum ſuppetit, quo tempus & occaſionem novæ Tyri conditæ doceamur. Conditam cenſet Marſhamus poſt captam veterem urbem a Nabuchodonoſore (16); cujus opinionis ſuæ quanquam non ſpernenda proferat argumenta, agnoſcamus tamen oportet, rem eſſe utique minus adhuc exploratam, & ambigui plurimum ſupereſſe. Maluerim ego fundationem Tyri, quam Trogus (17) fuiſſe appendicem belli Aſcalonitarum, Sidoniis devictis, affirmat; fundationem, inquam, hanc ad novam Tyrum referri oportere. Favet huic ſententię quiddam ab Hiſtorico relatum: *Navibus appulſi Tyron urbem condiderunt*.

Navi-

(1) Herodot. l. 2. c. 44. (2) Quint. Curt. l. 4. c. 4. (3) Iſai. XXIII. 12. *Non adjicies ultra ut glorieris calumniam ſuſtinens, virgo filia Sidonis*. (4) Strabo l. 16. Ὅμηρος δὲ οὐδὲ μέμνηται τῆς Τύρου. (5) Strabo lib. 16. τύρος ὅλη νῆσος . . . . συνῆπται δὲ χώματι πρὸς τὴν ἤπειρον, ὃ κατεσκεύασε πολιορκῶν Ἀλέξανδρος. (6) Plin. lib. 5. c. 19. (7) 1. Reg. VII. 21. (8) 2. Reg. V. 1. & 1. Par. XIV. 1. (9) Dius, apud Joſeph. contra Appion. l. 1. pag. 1043. (10) Joſeph. ibidem pag. 1043. οὗτος ἔχωσε τὸν εὐρύχωρον, τόν τε χρυσοῦν κίονα, τὸν ἐν τοῖς τοῦ Διὸς, ἀνέθηκεν. (11) Joſeph. Antiq. l. 8. ὅπως παράσχῃς ἡμῖν αὐτὸ τοῦτο σῖτον, οὗ δεῖ τῷ νήσον οἰκοῦντι διότι μάλιστα, ἐπίστασο. (12) De Præpar. l. X. c. 33. 34. (13) Ezech. XXVI. & XXVIII. (14) Hieron. in Ezech. XXVI. & XXVIII. & Amos 1. (15) Q. Curt. l. 4. c. 2. Diodor. Sicul. l. 17. c. 40. (16) Marsham. Canon. Ægypt. ſecul. XI. (17) Vide Juſtin. loco ſup. cit.

Digitized by Google

Navibus usque non appulere ad [illegible] veteris Tyri, quo nonnisi pedestri itinere ferri poterant: sermo est igitur de nova Tyro. Sed dubii adhuc superest aliquid; communi enim persuasione creditur nova Tyrus opus esse & colonia veteris urbis cognominis. Huic dubio conciliando haec una ratio suppetit, si reputemus, Tyrios fundatores tunc, vel subjectus Sidoniis, incolas veteris urbis urbi novæ substitisse, quamquam hujus fundatio Sidoni Metropoli Phœniciæ tribuitur.

Cæterum etsi fateamur, nec [illegible], nec novam Tyrum Josue ætate stetisse, nihil id nos urgeret; neque enim pervicaciter defendendam suscipimus sententiam, quæ librum hunc, qualem habemus, absolutum penitus Josue ætate defendit. Interpretes quidam, [illegible] nudum præcise, reddunt hic Hebræam generica significatione (1): Usque ad munitionem petræ. Jonathan: Usque ad Urbem [illegible], vel Urbes fortes. Sed Versio Septuaginta ac Vulgata, reddens, usque ad Civitatem Tyrum, communi ferme omnium suffragio probatur.

Eruntque exitus ejus in mare de funiculo Achziba. Idest, circa Achziba. Urbs hujus nominis obtulit sese Cap. xv. 44. Hæc autem, de qua modo, ipsa est Ecdippus, urbs ad Mediterraneum, inter Ptolemaidem & Tyrum, [illegible] passibus a Ptolemaide. Porro Ecdippus ad meridiem Tyri, nota est Plinio (2), Ptolemæo, & Josepho. Mare hic, ut alibi sæpe, pro occidente usurpatur.

℣. 30. Amma. Forte est Aco vetus nomen Ptolemaidis. Septuaginta legunt alicubi Axion. Mirabile est Hebræos nihil fere hic de Accone urbe maxime celebri; facile ex עכו fieri potest אמה. Series urbium hic descriptarum postulat, ut pro Amma legatur Aco. Hujus urbis nomen hic solum ex universa Scriptura sese offert. In eam sententiam inclinor, urbem hanc intra Syriam penetrasse multo magis quam cæteræ urbes, de quibus his agitur. Salomon in Cantico iv. 8. Sponsam invitat: Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon. Amana est facile pars illa Libani, quam prope constituendam credimus urbem Amma, & facile etiam amnem Abanam, de quo Naaman in iv. Reg. v. 12. Nihil est autem quod nos remoretur ab investigandis ultra Antilibanum in Cœle-syria urbibus Israelis. Compertum enim est, Chananæos olim totam illam regionem occupasse, ibique sedes habuisse suas Samaræos, Sinæos, & Aracæos. Hujus autem regionis totius imperium admodum breve sub Davide & Salomone tenuerunt Israelitæ, nec diutius potiti sunt Provinciis usque Euphratem excurrentibus: neque tamen ex his recte inferas, Provincias illas omnes Israelitis Divina promissione destinatas non fuisse.

Aphec. Hujus urbis omnia congruunt cum Apheca Cœle-syriæ, ultra Antilibanum, jungitur Aphec cum Rohob, urbe Antilibani, vel ad radices ejus montis, in faucibus Cœle-Syriæ. Legimus in Judicibus i. 31. filios Aser nequisse Chananæos ex Aphec & Rohob expellere; tandem, ut ex libris Regum (3) constat, eo cogebantur copiæ Regum Syriæ, ut in ditionem Israeliticarum irruerent. Sermo est apud Profanos de Apheca, urbe inter Heliopolim & Biblum (4). Juxta hanc urbem, in luco remoto Libani (5), surgebat Templum Veneris Aphacitidis. Id Numen descripsisse creditur Macrobius (6) sub nomine Veneris Architidis, in Assyria, seu potius in Syria, quam possidebant Phœnices: Simulacrum hujus Deæ, ait, in monte Libano fingitur, capite obnu-

pto, specie tristi, faciem manu læva intra amictum sustinens; & lacrymæ visione conspicientium manare creduntur.

Civitates viginti duæ. Siquis urbes omnes in præcedentibus quinque versiculis deductas numeret, octo & viginti deprehendet; atque si demantur Carmelus, & vallis Jephtael, sex & viginti supererunt: quin & major adhuc erit quam pro [illegible] numerus, si quis etiam Sidonem & Tyrum excludat. Valent hic ea, quæ attulimus supra in Cap. xv. post ℣. 12. Catalogi sunt hi minus accurati, una enim cura est hic sequendi ductum limitum regionis, non referendi accurate in numerum urbes omnes in ea comprehensas. Nonnullæ occurrunt alibi, quæ hic desiderantur, uti urbs Addon, Levitica. Recensentur hic etiam quædam, quæ licet in finibus Aser, alterius tamen Tribus ditioni parebant.

℣. 33. Heleph, jacebat facile in finibus septentrionalibus Tribus Nephtali, qua parte Tribum Aser respiciebat.

Et Elon in Saananim. Hebr. מאלון בצעננים, Ab Elon in Saananim. Urbes hujus nominis omnino latent: suspicamur tantum, Saananim nomen esse gentium circa Libanum. Reddi posset Textus: A nemore, vel a prato, quod est in Saananim, vel in regione Zahanaim.

Adami quæ est Neceb. Reddunt alii Hebræum אדמי הנקב Adami Neceb, vel Adami fossa, vel Adami transfossa.

Azanoth Thabor, vel tantum Azanoth, urbs in agro, prope Diocæsaream, vel Sephorim.

℣. 34. Pertransit [illegible] in Juda ad Jordanem contra ortum Solis. Quo pacto Tribus Nephtali contingeret fines Juda ad Jordanem, cum ad eam partem inter Juda & Nephtali quinque Tribus intercederent, videlicet Zabulon, Issachar, Manasse, Ephraim, & Benjamin? Vix aptum aliquid, quod satisfaciat, succurrit. Hæc communius, & verisimilius asseruntur. Juda, & Nephtali communem habebant limitem Orientalem, Jordanem; quare is amnis jungebat quodammodo utramque, alveo suo exhibens liberum iter, ut ex una ad alteram, quia vicinæ Tribus tangerentur, transitus pateret. Atque ita factum est, ut plene fines assererentur Oraculo Mosaico de Nephtali latu (8): Mare, & meridiem possidebit. Mari commodo utebatur, cum fortis suæ extrema ora contingeret mare Tiberiadis, ex quo transitus patebat in terras meridionales Palæstinæ, ut divitias ejus Regionis ad se transferret. Nomen Juda in hoc Textu non legerunt Septuaginta, quo difficultas omnis submovetur; reddunt enim: Jordanes ab ortu Solis (9).

℣. 35. Civitates munitissimæ Assedim, Ser, et Emath. Septuaginta legunt (10): Civitates munitæ Tyriorum, Tyrus, Emath, vel Amath. Quo loco sitæ fuerint Assedim, Ser, vel Zer, ignoratur. Fortasse Assedim, vel Hassidim gentis nomen est. Emath ipsam esse eamdemque Emesam, demonstrare conati sumus ad Numer. xxxiv. 8. & xxxv. 8.

Cenereth. Mare hujus nominis hic facile designatur, supra enim xi. 2. post S. Hieronymum animadvertimus, urbem Cenereth non aliam esse a Tiberiade, urbe longe distita a forte Nephtali, ad latus meridionale Lacus vel Maris Cinereth; cum autem Lacum nonnisi parte opposita Tribus Nephtali contingebat ad Urbem Cenereth ad Capharnaum, vel propinquum aliquem locum, [illegible] ulterius referendam censeo.

℣. 36. Edema, Arama, Asor. Reddi posset:

(1) [illegible] (2) Plin. lib. 5. cap. 19. Joseph. lib. [illegible] de Bello cap. [illegible] (3) [illegible] Reg. xx. 26. [illegible] Reg. xiii. 17. (4) Zosym. lib. 1. cap. 58. (5) Euseb. Orat. de Laud. Constant. [illegible] (6) Macrob. lib. 1. cap. 21. Saturnal. (7) Deut. xxxiii. 23. (8) Septuag. in Cod. Alex. Rom. & Ald. [illegible] (9) [illegible] (10) [illegible] Legunt צרים pro צדים. [illegible]

Adama, Rama, vel editus locus, & Haſor. Poſterior hæc Urbs Metropolis erat Regni Jabin, de qua Cap. XI. 1. actum eſt.

℣. 37. Cedes Nephtali alicubi in Scriptura appellatur (1); ut ab aliis urbibus ejuſdem nominis, & aliarum Tribuum diſtinguatur. Hæc autem ceſſit Levitis (2), & Aſylo deſtinata, collocaturque a S. Hieronymo XX. M. paſſibus a Tyro, Paneadem verſus.

Edrai. Urbs ejus nominis trans Jordanem in ditione Regis Og. alibi (3) occurrit: hæc tamen alia eſt urbs, cujus ſitus latet.

En-Hason, vel *Fons Haſor*. Hic ſignificari non abs re credimus fontem Daphnes, qui in lacum Semechon, juxta Urbem Aſor, influit. Locum hunc deſcribit Joſephus (4) totius Regionis amœniſſimum fontibus & arboribus, ex quo nomen inditum eſt *Fonti Daphnes*, vel *Lauri*, forte imitatione quadam amœni Suburbii Daphnes, prope Antiochiam.

℣. 38. Beth-Anath, ſeu domus paupertatis, quo nomine inhabi putant Euſebius, & S. Hieronymus urbem Batanæam, XV. M. paſſibus a Cæſarea, ubi ſalubria quædam balnea: qua vero in plaga, ſeptemtrionali ne an meridionali jaceret Batanea, iidem ſilent.

Beth-Sames; id eſt, urbs Solis. Longe aliam eſſe urbem a Beth-ſames Tribus Juda, facile omnes intelligunt.

Civitates decem et novem. Tres & viginti exhibent præcedentes verſiculi, ſed ex iis quatuor ceu minores urbes ſubducendæ ſunt. Vide quæ diſſeruimus ad Cap. XV. 62.

℣. 41. Saraa, Esthaol. De his urbibus actum eſt Cap. XV. 33.

Hir-Semes, vel urbs Solis. Deſignari hic ajunt quidam *Beth-ſemes*, domum Solis, quæ Judæ vulgo tribuitur. Conſtat utique, geminas Tribus Judæ & Dan limitrophas fuiſſe, urbeſque ſæpe poſſediſſe communes, vel ſaltem quæ ex una ad alteram transferint. Urbs iſta Beth-ſemes ex Juda Levitis ceſſit; quare ſimul tenebatur a Juda, Dan, & Levitis.

℣. 42. Selebim, vel *Salebin*, id eſt, vulpes. Conſtat ex Judicibus I. 35. Amorrhæos Urbem hanc adverſus conatus omnes Danitarum defendiſſe.

Ajalon. Locus hujus nominis occurrebat bis M. paſſibus a Nicopoli, vel Emmaus, euntibus Jeroſolymam.

Jethela (℣. 43.) Elon, ſitum habent ignotum.

Themna, vel *Thamna* occurrunt in Catalogo urbium Juda (5).

Acron, ipſa eſt *Accaron* urbs Philiſtæorum.

℣. 44. Eltheca. Elthecon. Ceſſit primum Judæ (6), dein tranſiit ad Danitas; tandem Levitis in ſedem data eſt (7): cohærere autem hæc omnia ſimul poſſunt; nihil enim obſtat, quominus tres diverſæ Tribus Urbem eamdem incolerent.

Gebbethon, vel Jebbethon, ſeu Gabbathon. Hujus nominis plures ſunt urbes, eſt autem hæc facile, quam Euſebius, & S. Hieronymus XVI. M. paſſibus a Cæſarea Palæſtinæ removent.

Balaath, vel *Baalath*. Urbem *Baalam*, vel *Balot*, alteram poſſidebat Juda (8), alteram Simeon (9). Alteram denique hujus nominis Salomon munivit (10). Quam vero e tribus hiſce deſignet hic Textus, an tres non tantum ſint, quis definiat?

℣. 45. Jud, Bane, Barach. Vertere præſtat: *Jehud filiorum Barach*. Jehud ignotus eſt ſitus; juxta Azotum, vicus erat parvus *Barecq*.

Geth-Remmon, Urbs eſt ejuſdem nominis in Tribu Manaſſe (11), ex qua tamen plurimum hæc noſtra diſtabat: Sunt (12) qui ipſiſſimam credant Geth, unius e provinciis Philiſtæorum Metropolim: alii utramque diſtinguunt. Urbs Geth Philiſtæorum, Geth ſine addito nunquam non appellatur; contra vero *Geth-Remmon* nunquam addito *Remmon* caret. Poſtremam hanc collocat S. Hieronymus XII. M. paſſibus ab Eleutheropoli, in via ad Dioſpolim.

℣. 46. Me-Jarcon, vel Aquæ *Jarcon*, & *Arecon*: loca erant ad Joppen.

℣. 47. Et ipso fine concluditur. Hebr. (13): *Et exivit terminus filiorum Dan ab eis*. Ditionis ſuæ pomeria dilatarunt filii Dan, ultra metas ſortis ſibi aſſignatæ. E regione enim ſua profecti, alias ſibi terras procurarunt. Hoc veluti proœmio via ſtruitur ad hiſtoriam, quæ ſtatim narratur. Reddi poſſet Textus: *Limites Dan reliquerunt illos*, deſeruerunt, urbes ſortis illorum plerique jugum illorum excuſſerunt. Philiſtæi & Chananæi loca illa tenentes, cum ſatis ceſſiſſe Joſue intellexerunt, ſolvere illis tributum recuſarunt; quare cum intra ſortem ſuam contineri ſeſe non poſſet ea Tribus, quærere ſibi alias ſedes coacta eſt. Aliter: Limites Dan egreſſi ſunt ab urbibus illis, & locis, quæ hic deſignantur, id eſt, per omnia ea loca ferebantur.

Ascenderunt filii Dan, et pugnaverunt contra Lesem. Urbs Leſem, quæ poſt tem hic deſcriptam nomen vertit in Dan, jacebat ad radices Libani, IV. M. paſſibus circiter a Paneade, & a fontibus Jordanis, Tyrum verſus (14). Tradit Joſephus, dies itinere abfuiſſe a magno campo Sidonis; ex quo inferas licet, Dan aliam eſſe urbem a Paneade, vel Cæſarea Philippi. Ex hac urbe, & e Berſabee; Palæſtinæ longitudo ducebatur; quare frequenter in Scriptura legimus, coactum eſſe populum univerſum *a Dan uſque Berſabee*.

Quæ paucis hic innuitur, hiſtoriam fuſius habes in Libro Judicum XVIII. v. tamquam in loco ſuo naturali deductam: ibi vero diſcutiemus, quæ de hac expeditione formantur quæſtiones.

Septuaginta (15) longe plurimum diſcrepant ab Hebræo in verſiculis 46. 47. & 48. Ita enim legant ℣. 46. *Et a mari, Jeracon terminus prope Joppe.* 47. *Hæc hæreditas Tribus filiorum Dan, ſecundum populos eorum, civitates eorum, & pagi eorum. Et non extriverunt filii Dan Amorrhæum vexantem eos in monte; & non ſinebant eos Amorrhæi deſcendere in convallem.* ℣. 48. *Et filii Dan deſolaverunt hæreditatem ſuam* (16) (ab Amorrhæis uſurpatam). *Et oppugnaverunt Lachis* (vel Leſem) *& ceperunt eam, & percuſſerunt eam in ore gladii. Et habitaverunt eam, & vocaverunt nomen ejus Laſen-Dan. Et Amorrhæus permanſit habitare in Elom & in Salamin. Et gravata eſt manus Ephraim ſuper eos, & facti ſunt illis tributarii.* ℣. 49. *Et filii Iſrael profecti ſunt percurrere limites portionis ſuæ.*

Vocantes nomen ejus, Lesem-Dan. Hebræus: *Vocaverunt Dan urbem Leſem* (17).

Dederunt possessionem Josue. Poſt diſtributam populo regionem, omnium poſtremus Joſue portionem ſuam obtinuit: ſelegit autem ſibi Urbem in medio fratrum ſuorum, in loco tamen maxime ſterili totius regionis, in montibus Ephraim. Privilegio ducis populi ſui non utitur, non ingerit virtutis ſuæ & operum egregie factorum mo-

(1) Joſue XXI. 32. & Judic. IV. 6. (2) Joſue XXI. 32. & 1. Par. VI. 76. (3) Num. XXI. 33. Joſue XII. 4. XIII. 12. (4) Joſeph. l. 4. de Bello [illegible] (5) Joſue XV [illegible] (6) Joſue XV. 59. (7) Joſue XXI. 23. (8) Joſue XV. 29. (9) Joſue XIX. 3. (10) 3. Reg. IX. 18. (11) Joſue XXI. 25. (12) Maſ. Bonfr. [illegible] (14) Euſeb. & Hieron. (15) Vide Edit. Rom. Vide & Auguſt. quæſt. XX. in Joſue, & Origen. homil. 23. & Nobilium hic. (16) Καὶ οἱ υἱοὶ Δὰν [illegible] (17) [illegible]

merita, non Dei juſſiones; qui in præmium fidei & obſequii illius conſtantis mandaverat, ut ſors, quam ipſe delegiſſet, ipſi adſignaretur. Præfefert ubique liberum cupiditate animum, nulli rei ſtudentem, quam rebus ſuis ſtudentem, omni admiratione majorem. Eam imperii partem elegit, quæ oneri erat & incommodo; naſtaque tenebatur majori ſolicitudine, quam ut gloriam ſibi vindicaret hominis Deo morigeri, & commodis totius populi ſervientis. Quæ in re ſuis coloribus depingit Jeſum Chriſtum, qui voluntatis ſuæ arbitrio id elegit, ut rebus maxime neceſſariis indigeret, iiſque careret, quæ Numinis providentia brutis etiam & avibus Cœli ſufficit; qui obſequium ſuum erga Patrem, & amorem in populum eo provexit, ut vitam & ſanguinem ſuum profuderit. Docet Scriptura, *juſſu Domini* ſelectam portionem Joſue traditam fuiſſe; quam voluntatem ſuam Deus Summi Sacerdotis Eleazari verbis manifeſtavit.

℣. 50. Thamnat-Saraa in monte Ephraim. *Thamnath Sarae*, vel *Thamnat-Sare*, תמנת סרח, vel *Thamnat-Cheres* תמנת חרס, ut appellatur in Hebræo Judicum II. 9. ordine literarum turbato. Inferius autem legimus, montem, ubi *Thamnath-Sare* conſidebat, appellatum fuiſſe *Gaas* (1): hanc vero urbem ad Septemtrionem hujus montis occurrere.

Ædificavit Civitatem. Ædes forte quædam erant in loco, antequam eo ſeſe reciperet Joſue. Ædificia tamen ille auxit, totumque locum illum ita reſtituit, ut tamquam ædificatæ illius urbis novus Author haberetur.

CAPUT XX.

Sex ſeliguntur Urbes pro cædibus ab imprudente commiſſis. Quibuſnam id perfugii daretur; quibus conditionibus, & quo tempore ibi manendum.

℣. 1. ET locutus eſt Dominus ad Joſue, dicens: Loquere filiis Iſrael, & dic eis:
2. Separate urbes fugitivorum, de quibus locutus ſum ad vos per manum A. M. 2560.
Moyſi; 3. Ut confugiat ad eas quicumque animam percuſſerit neſcius: & poſſit evadere
iram proximi, qui ultor eſt ſanguinis. 4. Cum ad unam harum confugerit ci-
vitatum, ſtabit ante portam civitatis, & loquetur ſenioribus urbis illius ea, quæ ſe
comprobent innocentem; ſicque ſuſcipient eum, & dabunt ei locum ad habitandum.
5. Cumque ultor ſanguinis eum fuerit perſecutus, non tradent in manu ejus: quia
ignorans percuſſit proximum ejus, nec ante biduum, triduumve ejus probatur inimi-
cus. 6. Et habitabit in civitate illa, donec ſtet ante judicium cauſam reddens facti
ſui, & moriatur ſacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore: tunc revertetur homi-
cida, & ingredietur civitatem, & domum ſuam, de qua fugerat. 7. Decreveruntque Cedes in Galilæa montis Nephtali, & Sichen in monte Ephraim, & Cariatharbe, ipſa eſt Hebron in monte Juda.
8. Et trans Jordanem contra orientalem plagam Jericho, ſtatuerunt Boſor, quæ ſita eſt in campeſtri ſolitudine, de tribu Ruben, & Ramoth in Galaad de tribu Gad, & Gaulon in Baſan de tribu Manaſſe.
9. Hæ civitates conſtitutæ ſunt in cunctis filiis Iſrael, & advenis, qui habitabant inter eos; ut fugeret ad eas, qui animam neſcius percuſſiſſet, & non moreretur in manu proximi, effuſum ſanguinem vindicare cupientis, donec ſtaret ante populum expoſiturus cauſam ſuam.

℣. 2. Separate Urbes fugitivorum. Hebræus (2): *Date vobis civitates receptionis*; Urbes, in quas excipiantur ii, qui aſylum quærere coguntur. Fuſe ſatis in Commentario ad Numeros XXXV. 6. de aſylo Hebræorum, cæterarumque gentium diſſeruimus.

Et poſſit evadere iram proximi, qui ultor eſt sanguinis, ideſt, ultor eſt mortis. Septuag. [illegible], *Qui veluti cogitur jure neceſſitudinis ulciſci ſanguinem proximi ſui*. Hebræus ad literam מגאל הדם: *A redemptore ſanguinis*. Eadem hic legitur vox, qua alibi deſignatur propinquus ille inter neceſſarios, cui jus eſſet redimendi, ſive hæreditatem a fratre ſuo oppigneratam, ſeu fratrem ipſum ſuum, cum in ſervitutem anguſtia rei familiaris inciderit (3). Quaſi ſcilicet Judæorum opinione & politia ultio injuriæ & ſanguinis fratris ſui genus quoddam officii haberetur, quamquam ultionem apertis adeo verbis Lex Dei vetuit, quamquam etiam repugnat id ſinceræ æquitati, jubenti remitti Deo injuriarum ultionem, vicilſim autem præcipienti, ut veniam ultro demus, quemadmodum dari nobis volumus. Hæc tamen perſuaſio ſi mentibus Hebræorum inſediſſe ponatur, id minime mirum videri debet; neque enim inter gentes, quæ Chriſtianam Religionem profitentur, deſunt hodie uſque, qui ultionem in quibuſdam rerum articulis perinde habent, ac lege quadam ſibi imperatam.

Aperte tamen conſtat, ultionem, de qua hic, longe aliam eſſe ab ultione, quam privatus quiſque de privatis injuriis proſequitur. Ultio eſt a legibus ducta & temperata. Licet Neceſſario cædem propinqui ſui per datas juſtitiæ vias ulciſci; quin & quandoque præcipi id poteſt religionis & æquitatis imperio; poteſt non modo nulla criminis culpa, ſed merito etiam virtutis urgeri, cum ſcilicet eo deduci ſe ultor permittit ſtudio juſtitiæ, gloriæ Dei, & proximi charitate.

[1] *Joſue* XXIV. 30. *Judic.* II. 9. [2] תנו לכם את ערי המקלט Δότε ὑμῖν τὰς πόλεις τῶν φυγαδευτηρί[illegible].
[3] *Levit.* XXV. 25. *Si attenuatus frater tuus vendiderit poſſeſſiunculam ſuam, & voluerit propinquus ejus, poteſt redimere*. Vide & ℣. 48. 49.

Ex nonnullis Scripturæ phraſibus innui videtur; Hebræorum viros etiam ſanctiſſimos perinde ac beneficium & largitionem Dei habuiſſe permiſſam ſibi ex hoſtibus ſuis ultionem. Pſalmus LVII. 11. *Lætabitur juſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris.* Pſalm. XVII. 48. *Deus* (laudabo te) *qui das vindictam mihi, & ſubdis populos ſub me.* Jeremias XI. 20. & XX. 12. *Videam ultionem tuam ex eis* (ex hoſtibus); *tibi enim revelavi cauſam meam.* Quot imprecationes, quot diræ non occurrunt in Pſalmis, late vel in adverſarios populi Dei, vel in privatos hoſtes Davidis? Quam ultionem non exegere Eſther, & Judæi omnes de Amano, cæteriſque Judaici nominis oſoribus (1)? Quis virorum piiſſimorum ſeveriſſimam etiam ultionem perſequi veritus eſt?

Quam multi autem viciſſim Scripturæ Textus damnant ultionem, odium inimicorum, & injuriarum vindictam? Quam ſæpe docet ultionem Deo uni deberi? neque tantum in Novo Teſtamento, in quo nihil frequentius quam patientia, clementia, & venia injuriarum repetitur. In Veteri etiam Teſtamento quam crebra ſunt clementiæ & patientiæ exempla? quam gravibus verbis ultio ea pariter, quæ juſtitiæ ſpeciem præfert maximam, damnatur? Quanto horrore Jacob deteſtatur crudele illud Levi & Simeonis filiorum ſuorum facinus, qui honorem ſororis ſuæ cæde Sichemitarum vindicarunt? Grandia ſunt clementiæ exempla Joſephi, Moyſis, Davidis. Hic, cujus animi ardorem in Pſalmis expreſſum perinde haberi volunt quidam ac furoris exceſſum, nonne Deum ita affatur in Pſalmo VII. 5. *Si reddidi retribuentibus mihi mala; decidam merito ab inimicis meis inanis.* Utraque Scripturæ pagina offert ſententias & phraſes plenas horroris, quo Juſti privatam injuriæ ſibi illatæ ultionem execrantur. Si quæ ergo contraria hiſce exempla vel loquendi phraſes occurrant, mitius exponenda ſunt; cum præſertim conſtet, legem aliqua tolerare, ut duris corde Judæis morem gerat; conſtet inſuper viciſſim, aperta ſententia ultionem damnare, utpote voluntati Creatoris oppoſitam.

℣. 4. Stabit ante portam Civitatis. Coram Judicibus, & Senioribus ad portas coactis, ut judicium de ejus innocentia ferant, audita occaſione fugæ ejus, ſolaque Rei de ſe confeſſione aſylo illum donabunt ad tempus, opperientes interim, ut pars ipſi adverſa, ideſt, *ultor ſanguinis*, accuſatum veniat, demonſtretque, illum volentem prudentemque necem intuliſſe. Tunc autem ea ſervanda decernebantur, de quibus in Numeris.

Loquatur . . . . . ea, quæ se comprobent innocentem. Hebræus ad literam ודבר את דבריו *Loquetur verba ſua*, quæ pro ſe habet in promptu. Totam illatæ necis hiſtoriam recitabit. Cum enim aſylum innocentium ſit privilegium, rei æquitas poſtulat, ut cautionibus hiſce, ne quid reis proſit conſulatur.

℣. 5. Nec ante unum diem tridiumve ejus probatur inimicus. Phraſis hæc ad literam accipi ſolet, ſatiſque eſſe dicunt ad probandum, ſimultates aliquas inter duos intercesſiſſe, ſi demonſtretur jam inde a duobus, vel tribus diebus mutuo ſe ab alloquio continuiſſe. Maluerim ego tamen proverbii aliquid in illis agnoſcere, ut ſpatium indicent aliquod temporis; ac de ſimultate præſumendum eſſe, cum poſt diſſidium invicem reparatæ amicitiæ ſignificationes ab aliquo vel longo vel brevi tempore negaverint. Contra vero de homicidio abſque noxa & imprudenter illato judicandum eſſe, cum occiſori nulla ſimultas cum occiſo antea fuerit.

℣. 6. Donec stet ante judicium causam reddens facti sui. In his rerum articulis reus deducebatur in urbem, ubi homicidium patratum fuerat, quæ multis Commentariorum Scriptoribus ſedet opinio. Malunt alii, cauſam totam in urbe refugii peragi conſueviſſe. Utriuſque opinionis momenta expendimus ad Num. XXXV. 12.

Et moriatur Sacerdos Magnus. Hujus Legis cauſas habes deductas ad Numer. XXXV. 25.

℣. 7. Decreveruntque Cedes &c. Heb. ויקדישו את קדש *Sanctificaverunt Cedes*; ſegregarunt e numero cæterarum urbium, delectu quodam ac deſtinatione peculiari. Chaldæus ואפרישו *Conſtituerunt*, Septuaginta: Διέστειλαν, *Diſtinxerunt*, diviſerunt.

Cades, vel Cedes in Galilæa, & *Hebron* duas veluti extremas oras ejus regionis ſignabant. Jacebat illa quidem in Galilæa, hæc vero in Tribu Juda, utraque in regione montibus aſpera; medium vel fere medium utriuſque ſpatium tenebat Sichem in Tribu Ephraim.

℣. 8. Bosor in plaga meridionali ſortis Iſraelitarum trans Jordanem, & in agris e regione Jerichuntis (2).

Ramoth in Galaad. Jacebat in media ferme longitudine ejus regionis, ad fontes Jabok, circa medium montium Galaad.

Gaulon, metropolis parvæ Regionis Gaulanitidis, in provincia Baſan, ad extremam oram meridionalem ſortis Manaſſe.

℣. 9. Cunctis filiis Israel et advenis. Eadem aperte declarat Moyſes in Num. XXXV. 15. quare inhærendum cenſemus literæ hujus Legis, rejiciendaſque exceptiones Rabbinorum, in favorem gentis ſuæ adverſus exteros latas. Nec Joſephus, nec Philo illas agnovere; nec ſanctiones iſtæ, quæ ad politiam tantummodo, non ad Religionem pertinent, quempiam ex incolis regionis excludebant. Ita ſane poſtulat optimæ politiæ ratio; civilis, & criminalis juriſprudentiæ leges communes eſſe oportet & generales, niſi quid illis Lex Divina derogandum cenſuerit: hic autem tam longe a derogando abeſt, ut potius aperta ſanctione æquum jus faciat advenæ, & indigenæ.

Donec staret ante Populum; donec ſiſtere ſe poſſet coram Judicibus, & Senioribus, & ante coactum populum, ut in rebus gravibus, & publicis. Operæ pretium eſt ſemel hic animadvertere (3), cum Scriptura innuit ſiſti in judicio, exprimere ſemper quo corporis ſtatu ſiſti reus debeat, ferens, ſtandum eſſe reo coram ſedentibus Judicibus: *Sedit Moyſes, ut judicaret populum, qui aſſidebat Moyſi* (Hebræus: *Et ſtetit populus juxta Moyſem*) *a mane uſque ad veſperam.* Ita pariter & apud Latinos ſtare coram Judice eſt ſiſti in judicio (4).

. . . . *Diſpeream, ſi*
Aut valeo ſtare, aut novi civilia jura.

[1] Eſther VIII. 12. [2] Deut. IV. 43. [3] Vide Druſ. hic, ad ℣. 6. [4] Horat. lib. I. Satyr. 9.

CA-

CAPUT XXI.

Urbes octo & quadraginta Levitis in ſedem aſſignantur. Promiſſionum divinarum erga Iſraelitas expletio.

℣. 1. ACceſſeruntque principes familiarum Levi ad Eleazarum ſacerdotem, & Jo-
ſue filium Nun, & ad duces cognationum per ſingulas tribus filiorum
Iſrael: 2. Locutique ſunt ad eos in Silo terræ Chanaan, atque dixerunt: Dominus
præcepit per manum Moyſi, ut darentur nobis urbes ad habitandum, & ſuburbana
earum ad alenda jumenta. 3. Dederuntque filii Iſrael de poſſeſſionibus ſuis juxta im-
perium Domini, civitates, & ſuburbana earum. 4. Egreſſaque eſt ſors in familiam
Caath filiorum Aaron ſacerdotis, de tribubus Juda, & Simeon, & Beniamin, civita-
tes tredecim: 5. Et reliquis filiorum Caath, id eſt, Levitis, qui ſuperfuerant, de
tribubus Ephraim, & Dan, & dimidia tribu Manaſſe, civitates decem. 6. Porro fi-
liis Gerſon egreſſa eſt ſors, ut acciperent de tribubus Iſſachar, & Aſer, & Nephtali,
dimidiaque tribu Manaſſe in Baſan, civitates numero tredecim. 7. Et filiis Merari
per cognationes ſuas, de tribubus Ruben, & Gad, & Zabulon, urbes duodecim. 8.
Dederuntque filii Iſrael Levitis civitates, & ſuburbana earum, ſicut præcepit Domi-
nus per manum Moyſi, ſingulis ſorte tribuentes. 9. De tribubus filiorum Juda, &
Simeon dedit Joſue civitates: quarum iſta ſunt nomina, 10. Filiis Aaron per fami-
lias Caath Levitici generis (prima enim ſors illis egreſſa eſt) 11. Cariatharbe pa-
tris Enac, quæ vocatur Hebron, in monte Juda, & ſuburbana ejus per circuitum.
12. Agros vero, & villas ejus dederat Caleb filio Jephone ad poſſidendum. 13. De-
dit ergo filiis Aaron ſacerdotis Hebron confugii civitatem, ac ſuburbana ejus, & Lob-
nam cum ſuburbanis ejus. 14. Et Jether, & Eſthemo, 15. Et Holon, & Dabir,
16. Et Ain, & Jeta, & Bethſames, cum ſuburbanis ſuis: civitates novem de tribu-
bus, ut dictum eſt, duabus. 17. De tribu autem filiorum Beniamin, Gabaon, &
Gabae. 18. Et Anathoth, & Almon, cum ſuburbanis ſuis: civitates quatuor. 19.
Omnes ſimul civitates filiorum Aaron ſacerdotis, tredecim, cum ſuburbanis ſuis. 20.
Reliquis vero per familias filiorum Caath Levitici generis, hæc eſt data poſſeſſio. 21.
De tribu Ephraim urbes confugii, Sichem cum ſuburbanis ſuis in monte Ephraim,
& Gazer, 22. Et Cibſaim, & Beth-horon, cum ſuburbanis ſuis, civitates quatuor.
23. De tribu quoque Dan, Eltheco, & Gabathon, 24. Et Ajalon, & Gethremmon,
cum ſuburbanis ſuis, civitates quatuor. 25. Porro de dimidia tribu Manaſſe, Tha-
nac, & Gethremmon, cum ſuburbanis ſuis, civitates duæ. 26. Omnes civitates de-
cem, & ſuburbana earum, datæ ſunt filiis Caath inferioris gradus. 27. Filiis quoque
Gerſon Levitici generis dedit de dimidia tribu Manaſſe confugii civitates, Gaulon in
Baſan, & Boſram, cum ſuburbanis ſuis, civitates duas. 28. Porro de tribu Iſſachar,
Caſion, & Dabereth, 29. Et Jaramoth, & Engannim, cum ſuburbanis ſuis, civita-
tes quatuor. 30. De tribu autem Aſer, Maſal, & Abdon, 31. Et Helchat, &
Rohob, cum ſuburbanis ſuis, civitates quatuor. 32. De tribu quoque Nephtali ci-
vitates confugii, Cedes in Galilæa, & Hammoth Dor, & Carthan, cum ſuburbanis
ſuis civitates tres. 33. Omnes urbes familiarum Gerſon, tredecim, cum ſuburbanis
ſuis. 34. Filiis autem Merari Levitis inferioris gradus per familias ſuas data eſt de
tribu Zabulon, Jecnam, & Cartha, 35. Et Damna, & Naalol, civitates quatuor
cum ſuburbanis ſuis, 36. De tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho civitates
refugii, Boſor in ſolitudine, Miſor, & Jaſer, & Jethſon, & Mephaath, civitates qua-
tuor cum ſuburbanis ſuis. 37. De tribu Gad civitates confugii, Ramoth in Galaad,
& Manaim, & Heſebon, & Jaſer, civitates quatuor cum ſuburbanis ſuis. 38. Omnes
urbes filiorum Merari per familias, & cognationes ſuas, duodecim. 39. Itaque civi-
tates univerſæ Levitarum in medio poſſeſſionis filiorum Iſrael fuerunt quadraginta octo
40. Cum ſuburbanis ſuis, ſingulæ per familias diſtributæ. 41. Deditque Dominus
Deus Iſraeli omnem terram, quam traditurum ſe patribus eorum juraverat: & poſ-
ſederunt illam, atque habitaverunt in ea. 42. Dataque eſt ab eo pax in omnes per
circuitum nationes, nulluſque eis hoſtis reſiſtere auſus eſt, ſed cuncti in eorum ditio-
nem redacti ſunt. 43. Ne unum quidem verbum, quod illis præſtiturum ſe eſſe pro-
miſerat, irritum fuit, ſed rebus expleta ſunt omnia.

ỳ. 5. Acceſſerunt Principes familiarum Levi ad Eleazarum. Tribus Levi diſtinguebatur in tres majores Familias, e totidem filiis Levi, *Caath*, *Gerſon*, & *Merari*, originem ſuam referentes. Aaron e Familia Caath satus, quartam aliam conſtituit, cui gloriæ, & privilegiorum ſupra cæteras acceſſionem fecit deſtinatum illi Sacerdotium. *Principes familiarum Levi*, ſeu viri ampliſſimi, Seniores, & qui primas in ea familia tenebant, Hebræus ad literam (1), *Capita Patrum Levitarum*, ſteterunt coram totius gentis Principibus, qui in unum convenerant ad regionis per Tribus diſtributionem; expoſueruntque, rei æquitatem poſtulare, ut antequam conventus generalis ſolveretur, & ſingulæ Tribus in poſſeſſionem ſortis ſuæ diſcederent, urbes ſibi aſſignarentur in ſedem, cum Tribus Levi in generali regionis diſtributione cum cæteris minime veniret in partem. Non immerito reputaverimus, Principes Levi octo, vel duodecim numero fuiſſe, ut e ſingulis quatuor familiis duo, vel tres fuerint deſtinati. Quamquam enim Eleazar Summus Sacerdos unus e conſeſſu fuit, vel etiam fortaſſe præfuit, cum ubique ejus nomen ante Joſue exprimatur, minime tamen dubito, quin Sacerdotes e cœtu ſuo aliquos ſelectos viros deſtinaverint, una cum cæteris Levitis, qui promiſſam ſibi a Deo partem poſtulatum accederent.

ỳ. 2. Dominus præcepit . . . ut darentur nobis urbes ad habitandum. Mandatum hoc Dei in Numeris (2) legitur. Id erat Numinis conſilium, ut Sacerdotes & Levitæ, utpote gens peculiari miniſterio & religione ſibi addicta, per omnes late Tribus diffunderentur, quo ſcilicet omnes continerent in obſequio & reverentia legum, ne qua forte oblivio ac negligentia ſubreperet. Populo autem in Levitis ad manus erant paratique Judices, quos interrogarent conſulerentque in rebus dubiis, & in ambigua legum interpretatione (3).

ỳ. 3. Dederunt filii Israel de poſſeſſionibus ſuis . . . civitates et suburbana earum, ſeu potius urbes & agros adjacentes, ſpatio bis mille cubitorum, uti docuimus (4). Gentis totius Principes duas & xl. urbes ex univerſis Tribubus ſelegerunt, quas Levitis in ſedem aſſignarent. Levitæ vero, diſtributa in quatuor partes omni ea hæreditate, eamdem ſorte in quatuor Tribus ſuæ familias diviſerunt. Mirabili autem Numinis conſilio factum eſt, ut familiæ Caath, quæ Sacerdotii prærogativa fruebatur, ſors contingeret in Tribu Juda, ubi deinceps Templum Domino erigendum erat.

Quæritur hic, qua ratione Levitæ traditas ſibi urbes poſſiderent, jure ne deſpotico, an earum tantummodo uſu fruerentur, ut dominium earum maneret Tribubus, ex quibus ſegregatæ fuerant; an potius ita addictæ eſſent Levitis, ut nemini liceret ſedes ibi habere ſuas, niſi facta ab illis habitandi facultate. Reponi poſſet, I. urbes haſce, ut Levitis ceſſerunt, in jus Domini tranſiiſſe: fundos fuiſſe jure domini ad miniſtros Dei pertinentes, ita tamen, ut abdicare illos a ſe perpetuo non poſſent, ſed ad tempus; quæ vero continebantur in urbibus ædes, vendi eas potuiſſe, nunquam tamen adempto jure venditas redimendi: quæ, niſi redimerentur, anno tandem Jubilæi ad Levitas redirent. Agros vero urbibus ſpatio bis mille cubitorum circumjacentes, omnibus æque Levitis urbem incolentibus communes (5), vendi, expreſſa legis ſanctione interdictum erat.

II. Sanctiones ejuſmodi aperiſſime demonſtrant, Levitas non uſum modo illarum, ſed jus etiam & dominium poſſediſſe. Indicant pariter, eas urbes illos ita incoluiſſe, ut ſocios alios admitterent: cui enim alioquin vendere domos ſuas potuiſſent? quomodo Sacerdotes e ſtirpe Aaronica, qui in tranſitu Jordanis, ſex vel ſeptem ante regionis diſtributionem annis, numerum quatuor & viginti virorum militaris ætatis attingebant, ſoli occupare potuiſſent urbes tredecim, hic ỳ. 4. ſibi aſſignatas? Nonne diſcimus ex hiſtoria, urbes Levitarum Iſraelitis aliarum Tribuum refertiſſimas fuiſſe? Ita Gabaa Beniamin, quæ hic ỳ. 17. Levitis adſcribitur, ſemper tamen a filiis Beniamin frequentabatur; ut ad ſenſum demonſtrat illud, quod Levitæ illi accidit. Cum enim ad eam urbem dormiturus divertiſſet, ejus uxore fœdiſſime ab incolis habita (6), reliquæ omnes Tribus Iſraelis arma intulerunt in unam Tribum Beniamin; cum nihil interim ſe in Sacerdotes & Levitas habere ſignificarent, qui facile ejus criminis innoxii fuerunt, vel rari adeo erant in ea Urbe, ut nulla illorum ratio haberetur.

Diu poſt, Saul ejuſque cognatio univerſa in eadem urbe Gabaa ſedem habuerunt. David ejuſque familiares primis quidem Regni annis Hebrone fuere. Moyſes tandem aperte ſatis demonſtrat, Levitas in aſſignatis ſibi urbibus ſolos non commoraturos; neque enim illis de circumjecta urbibus regione niſi ſpatium bis mille cubitorum aſſignat. Reliquum agrum quis coluiſſet, niſi cum Levitis Iſraelitarum etiam alii in urbibus & in agro verſati fuiſſent? Quo pacto impleri potuiſſet lex jubens ſegregari in uſum Levitarum primitias farinæ quæ ſubigitur (7), & aliquam animalium, quæ mactabantur, portionem, aliaque munera illis offerri, eoſque ad convivia vocari? Neque pariter ſervari potuiſſet ea lex, imperans: *Anno tertio ſeparabis decimam ex omnibus quæ naſcuntur tibi eo tempore, & repones intra januas tuas: venietque Levites, qui aliam non habet partem, nec poſſeſſionem tecum, & peregrinus ac pupillus & vidua, qui intra portas tuas ſunt, & comedent & ſaturabuntur; ut benedicat tibi Dominus Deus tuus.*

Reputandum igitur videtur, cum ejuſmodi urbes Levitis traderentur, permiſſum illis tantummodo jus ſeligendi in iis Urbibus quas ipſi occupare poſſent ædes; reliquas vero habuiſſe ſibi ejuſdem Tribus homines, in quorum portione urbs continebatur. Si vero deinceps Sacerdotum & Levitarum numerus ita augebatur, ut novas ædes poſceret, credendum eſt, novas tunc illis traditas fuiſſe a Magiſtratibus, juxta conſtitutas politiæ leges, quas ſingillatim deſcribere vix ac ne vix quidem poſſumus. Certo tamen urbium numero illis deſtinato, non idcirco libertas alibi manendi Levitis adimebatur. Nobe Urbs erat Sacerdotibus minime initio deſtinata; dein vero ad Sacerdotales tranſivit, cum ſedes facta eſt Tabernaculi (8). Ignorat etiam nemo, poſt Templi ædificationem Sacerdotes pleroſque Jeroſolymam & vicina loca incoluiſſe. Id autem prævidens Moyſes (9), conſtituit, ut ſi quis Levita ſedibus ſuis derelictis migraret in locum, quem Dominus ſibi elegiſſet, exciperetur ibi a fratribus ſuis, annona donaretur, additis etiam proventibus, quos illi paterna hæreditas ſuffeciſſet.

ỳ. 4. Civitates tredecim. Tres Tribus, Juda, Simeon, & Benjamin, majorem numerum urbium,

(1) [illegible] *Seorſum* [illegible] (2) Num. xxxv. 2. & ſequ. (3) Vide 1. Par. xxvi. 29. *Ad opera forinſecus ſuper Iſrael, ad docendum & judicandum eos.* (4) Num. xxxv. 4. (5) Levit. xxv. 32. *Ædes Levitarum quæ in urbibus ſunt, ſemper poſſunt redimi.* 34. *Suburbana autem eorum non veneant, quia poſſeſſio ſempiterna eſt.* (6) Judic. xix. (7) Num. xv. 19. 20. *Cum veneritis in terram quam dabo vobis, & comederitis de panibus regionis illius, ſeparabitis primitias Domino de cibis veſtris, &c.* Vide & Deut. xii. 12. 19. *Cave ne derelinquas Levitem in omni tempore quo verſaris in terra.* Item Deut. xiv. 27. [illegible] xvi. 11. & xxvi. 11. (8) Vide 1. Reg. xxi. 1. (9) Deut. xviii. 6.

bium, ſervata proportione, quam cæteræ Tribus ſingulæ, contulerint, ex ea Moyſis ſanctione (1): *Ab his, qui plus habent, plures auferentur; & qui minus, pauciores.*

℣. 5. Reliquis filiorum Caath, id est Levitarum, qui superfuerant. Hebræus legit tantum ולבני קהת הנותרים *Filiis Caath reſiduis de Familia*. Iis, qui in ea familia intra Levitarum ordinem continebantur; ea eadem enim ſtirpe pars, ut jam ſupra demonſtratum eſt, Sacerdotio potiebatur. Hi ex Aarone nati erant, habueruntque tredecim Urbes, quamvis minores eſſent numero Caathitis fratribus ſuis, qui decem habuerunt. Hæc omnia inviſibilis Dei manus moderabatur, qui conſilio ſuo & voluntate ſortes dirigebat.

℣. 8. Singulis sorte tribuentes. Verſor incertus, utrum in aſſignanda Levitis portione ratio haberetur numeri hominum, qui ſingulas familias componebant, ut ſors adderetur minueretur que eadem, qua in diſtributione regionis per Tribus, œconomia; vel potius utrum quatuor æquis portionibus conſtitutis, ſortes deinde jactæ ſint, initio a familia Sacerdotum ducto, ut ſua ſingulis familiis portio aſſignaretur. Nihil offert Textus, quo altera ſententia alteri præferatur.

℣. 11. Cariath-Arbe patris Enac; Cariath-Arbe, vel potius *Urbs Arbe*, qui *pater erat Enac*. De hac Urbe ejuſque conditore actum eſt ſupra xiv. 15.

℣. 12. Agros et villas dederat Caleb. Permiſſa Sacerdotibus Hebrone ejuſque agri portione, jus tamen in agros & vicos illi ſubjectos Calebo aſſertum eſt: imo neque Caleb ipſe ejuſque familia prohibiti ſunt, quin ſedem haberent in eadem urbe una cum Sacerdotibus: id tantum ſervatum eſt, ut ex ejus portione domus ac ſedes pro Levitis ſegregarentur.

℣. 14. Estemo. Vide Joſue xv. 50. & 1. Regum xxx. 28.

℣. 15. Holon, vel *Helon*, vel *Olon*. Jungitur Goſen & Gilo (2), quæ omnium maxime meridionales erant in Tribu Juda. Certus ejus ſitus ignoratur.

℣. 16. Ain et Jeta. Harum primam jacuiſſe neceſſe eſt in tractu maxime meridionali Judæ, 12. m. paſſibus ab Hebrone (3). Urbs Ain non legitur in Textu huic parallelo primi Paralipomenon vi. 59. *Jeta* eadem eſt facile ac *Aſan*, de qua in Paralipomenis loco citato. De *Jeta* mentem noſtram aperuimus ſupra xv. 55. Septuaginta legunt: *Aſa* & *Tany*.

℣. 17. Gabaon. Vide Joſue ix. 3. Non legitur in Textu citato Paralipomenon.

Gabae. Ipſa eſt Gabaa Beniamin, alio nomine Gabaa Saul, prope Jeroſolymam.

℣. 18. Anathoth. Urbs celebris natalibus Jeremiæ, quam ter mille paſſibus ab Jeroſolyma, ſeptentrionem verſus, jacuiſſe aſſirmat S. Hieronymus in Præfatione in Jeremiam.

Almon. *Almath* appellatur in 1. Paralipom. vi. 60. nec aliam eſſe cenſet Maſius a *Bahurim* (4): eſt enim *Almath* juventus, & *Bahurim* juvenes.

℣. 19. Omnes civitates ... tredecim. In 1. Paralipom. vi. 60. voces eædem recurrunt, quamquam nonniſi undecim urbium nomina leguntur. Plures ejuſmodi variantes deprehendi poterunt in nominibus, & enumeratione urbium Leviticarum hujus capitis; quemadmodum & in ſupputatione Urbium ſingularum Tribuum ſupra animadverſum eſt: id autem ad eaſdem cauſas referri poſſe credimus, ad quas etiam ſuperiores retulimus (5). Judæi quidam Scriptores apud Maſium docent, hanc in nominibus diſcrepantiam ex eo referri, quod cum urbes quædam Levitis aſſignatæ a Chananæis occuparentur, idcirco primum loco novæ illis traditæ fuerint, quæ in Paralipomenis recitantur. Malumus tamen nos Urbibus hiſce duplicem appellationem tribuere, vel rem totam mendo & incuriæ amanuenſium adſcribere.

℣. 21. De Tribu Ephraim Urbes confugii, Sichem. Perſuaſum habuiſſe videtur Author Vulgatæ urbes omnes Leviticas inter urbes confugii computatas fuiſſe; ubique enim conſtanter (6) reddit in plurali: *Urbes confugii*. Neque uni ipſi inter omnes Scriptori hæc ſedit opinio, uti demonſtratum eſt ad Numeros xxxv. 6. Sed Hebræus (7), Septuaginta (8), Chaldæus legunt tantum in ſingulari: Dedit Levitis in Tribu Ephraim *Sichem*, *Civitatem refugii homicidæ*. Ex communi Interpretum ſententia, e Textu Scripturæ petita, urbes refugii, vel Aſyli ſex tantum conſtituit.

℣. 22. Cibsaim. Jecmaan appellatur in 1. Paralipomenon vi. 68. Certus ejus ſitus ignoratur: non longe tamen abfuiſſe ab *Abel-Meula* legimus in 3. Regum iv. 12. cum autem hæc in Tribu Manaſſe contineretur, prope eos limites Cibſaim conſtituenda eſt. Ad Ephraim vero pertinuiſſe idcirco credimus, quod hic, & in Paralipomenis inter Ephraimiticas recenſeatur.

Beth-Horon. Ea ne ſit Bethoron ſuperior, an inferior, geminas enim fuiſſe conſtat, Scriptura non docet; ſed una cum pleriſque Interpretibus ſuperiorem hic innui credimus. Adduntur in 1. Paralipom. vi. 69. urbes *Helon*, & *Geth-Remmon*, quæ hic inter Daniticas recenſentur; nec aliter appellantur, quam *Ajalon*, & *Geth-Remmon*.

℣. 23. De Tribu Dan; Eltheco et Gabathon. Verſiculum hunc omittens Author Paralipomenon, Helon, & Geth-Remmon inter Ephraimiticas recenſet. De Urbe *Eltheco*, vel *Elthecon*, vel *Eltece*, nos alibi (9) diſſeruimus. Gabathon, vel Gebbethon, vel Gabbate, diu ſub Philiſthæis fuit (10).

℣. 24. Ajalon, et Geth-Remmon. Vide Joſue x. 12. & xix. 42. 45. Urbs eſt, Geth-Remmon nomine, in Tribu Manaſſe, ut verſiculo ſequenti demonſtratur.

℣. 25. Thanach, vel *Thenach*, tribus, vel quatuor leucis a torrente Ciſſon, ad meridiem. Joſue xvii. 11. In 1. Paralipom. vi. 70. pro *Geth-Remmon*, & *Thenach*, dimidiæ Manaſſe aſſignantur *Aner*, & *Balaam*.

℣. 27. Gaulon in Basan, et Bosram. Utraque hæc urbs jacebat in dimidia Tribu Manaſſe, trans Jordanem. Pro *Boſra* in 1. Paralipomenon vi. 71. legitur *Aſtaroth*. Urbs Boſra in Idumæa [Orientali videlicet] ipſa eſt Boſra Tribus Ruben. Alias tres urbes hujus nominis diſtinxi; ſed facta collatione inter loca, ubi vox iſta occurrit, cenſeo unicam fuiſſe tantummodo urbem in Idumæa Orientali maxime propinquam urbi Aſtaroth.

℣. 28. Cesion, et Dabereth. In 1. Paralipom. vi. 72. *Cedes*, & *Daberet*.

℣. 29. Jaramoth, En-Gannim. Aliter *Ramoth*, & *Anem* (11). Vide Joſue xix. 21. ubi Jaremoth *Rameth* appellatur.

℣. 30. Masal, Abdon. Priorem jacuiſſe ferunt prope Carmelum ad mare (12). Abdon ceſſit Levitis, e familia Gerſon. Vide 1. Paralipom. vi. 74.

℣. 31. Helcath, Rohob. In 1. Paralipom. vi. 75. *Hucuc*, *Rohob*. Nota eſt *Hucuca* in Tribu, vel in finibus (13) Nephtali. De Rohob actum eſt ſupra xix. 28.

℣. 32. Hammoth-Dor, Carthan. In 1. Paralipomenon vi. 76. legitur: *Hammon*, & *Cariathaim*. Nota eſt urbs *Hammon* in finibus, vel in ditione Aſer, quam non inani conatu unicam quia fecere cum urbe cognomine, aſſignata hic Nephtali.

Fue-

(1) Num. xxxv. 8. (2) Joſue xv. 51. (3) Hieron. in locis. (4) 2. Reg. iii. 16. (5) Vide ad Joſue xv. 62. (6) Vide ℣. 27. 32. 36. 37. (7) [illegible] (8) Kai ἔδωκαν αὐτοῖς τὴν πόλιν τοῦ φυγαδευτηρίου τοῦ φονεύσαντος. (9) Joſue xv. 59. & xix. 44. (10) 3. Reg. xv. 27. (11) 1. Par. vi. ℣. 73. (12) Vide Joſue xix. 26. (13) Joſue xix. 34.

Fuerit ne Chamon? Vide Judices x. 5. Cariathaim in Tribu Ruben notiſſima eſt urbs, ſed hujus nominis nulla ſe prodit in Nephtali. Situs *Carthan* ignoratur.

℣. 34. Jecnam, et Cartha [℣. 35.] et Damna et Naalol. In 1. Paralipomenon vi. 77. geminæ tantum urbes, *Remmono* & *Thabor*, recenſentur. Prima eſt facile *Remmon* in Tribu Zabulon, de qua Joſue xix. 13. & *Thabor* forte eſt *Ceſeleth-Thabor* in eadem Tribu. Jecnam occurrit apud Joſue xix. 11. ſub nomine *Jecondin*; & *Cartha* ipſa eſt facile *Cathet*, de qua ibidem ℣. 15. *Damna* tamen non recitatur a Joſue inter urbes Zabulonis.

℣. 36. De Tribu Ruben ultra Jordanem &c. Verſiculus hic non legebatur in vetuſtis Codicibus Hebraicis Maſſoretarum, nec in celebri Mſ. Hillel, nec in Textu Editionis Venetæ, neque in vetuſtis pluribus Codicibus Latinis, quamquam in Recentioribus quibuſdam non deeſt. Omiſſus eſt etiam in nova Editione Canonis Hebraici S. Hieronymi. Codices item Hebraici nonnulli ſuperſunt, in quibus aliquid ex hoc verſiculo deſideratur (1). Tandem hæc ſententia in Editionibus quibuſdam Latinis (2) poſtpoſita eſt; prius enim recitantur urbes Leviticæ Tribus Gad; deinde Rubeniticæ ſuccedunt. Vero propius exiſtimaverimus, Textum hunc non legiſſe S. Hieronymum in ſuis Codicibus Hebraicis, ſed in Verſionem ſuam Latinam tranſtuliſſe ex Græco Septuaginta, quibus ejus interpretatio maxime favet, ſed minus congruit Textui Hebraico, ut infra demonſtrabimus.

Legerunt id forte Septuaginta in vetuſtis ætatis ſuæ Hebraicis Codicibus, vel ex 1. Paralipomenon vi. 78. 79. ſuppleverunt quod hic deerat. Quod autem exhibuiſſe id olim Codices Hebraicos perſuadet, illud eſt, nimirum Verſionem Septuaginta non cohærere penitus cum Hebræo Paralipomenon; & in ſupputatione duodecim urbium Merariticarum Rubeniticas etiam neceſſario contineri: illis enim amotis, octo tantum recenſendæ eſſent. Hunc Textum adjeciſſe videtur codicibus ſuis Syriacus; præmittit enim ℣℣. 34. 35. exhibentibus urbes Zabulonis pro Levitis ſubductas. Variantia hæc & tranſpoſita apertiſſime demonſtrant, vetera Mſs. Originalia in hoc Textu minus ſancte cuſtodita fuiſſe.

Porro Hebræum hujus Textus ita præferunt Editiones vulgares (3): *Et de Tribu Ruben, Boſor & ſuburbana ejus* [vel agri ejus] *Jazar & ſuburbana ejus; Cedemoth & ſuburbana ejus; Mephaath & ſuburbana ejus, quatuor Civitates.* In Paralipomenis vero legitur: *Et trans Jordanem e regione Jericho de Tribu Ruben Beſor in deſerto, & ſuburbana ejus; & Jaza & ſuburbana ejus; Cedemoth & ſuburbana ejus; Mephaath & ſuburbana ejus, ſeu oppida ejus.* Quod utique ſatis recedit a lectione noſtri Textus Hebraici. Hebræo Paralipomenon accedunt quidem magis Septuaginta, non tamen in omnibus congruunt; ita enim illi ad literam (4): *Et trans Jordanem contra Jericho, de Tribu Ruben, civitatem refugii homicidæ, Boſor quæ in deſerto, & ſuburbana ejus: Jazer & ſuburbana ejus; Maſpha & ſuburbana ejus; Cedſon & ſuburbana ejus: omnes civitates quatuor.* Noſtra denique Vulgata ab his omnibus in eo differt, quod urbes quinque recenſet, *Boſor, Miſor, Jazer, Jethſon, & Maſphaath*, ſtatimque quatuor ſupputat, & in tota ſumma urbium Merari duodecim tantum recenſet. Sed Aquila & Symmachus arbitrati ſunt, *Miſor* hic uſurpari pro campeſtribus vel deſerto, in quo Boſor jacebat: nec deſunt quidem Textus (5), qui in hanc ſignificationem *Miſor* accipiant, cum agitur de regione, in qua Boſor aliæque campeſtres urbes Moab jacerent. Cæterum Beſer, vel Boſor, vel Boſra ipſa eſt celebris urbs Boſra in Arabia deſerta, inter Philadelphiam & Jazer, ad Orientem.

Jethson. Nunquam adhuc inter urbes Ruben occurrit, niſi eadem ſit ac Cademoth, quæ lecta eſt Hebræi hic, & in Paralipomenis. De hac urbe vide quæ conſuluimus ad Joſue xiii. 18. & Deuteronomium ii. 26.

Jazer, ſeu potius *Jaza*, longe alia eſt ab Jazer, ad fontes torrentis Jaſer, de qua infra ℣. 37. Porro *Jaza* tanquam inter Rubeniticas deſcribitur capite xiii. 18. Recurrit etiam apud Jeremiam xlviii. 21.

Mephaat. Vide Joſue xiii. 18.

℣. 37. Ramoth in Galaad, et Manaim, et Heſebon, et Jazer, urbes notæ ſunt ex iis, quæ alibi diſſeruimus. Jaſer alia eſt urbs ab ea, de qua in ℣. 36. Jacet hæc ad amnem Jaſer, qui in Jordanem devolvitur.

℣. 39. Civitates quadraginta octo, recenſitis enim Urbibus refugii ſex, de quibus in Capite præcedenti, & quæ hic pariter repetuntur. Mirabitur fortaſſe quis, Tribum Levi numero hominum inter reliquas minimam, quippe quæ in ſupremo cenſu (6) hominum vix tria & viginti millia numeraret, octo tamen & quadraginta urbes in ſedem accepiſſe, plures ſcilicet, quam quæ reliquis tribubus obtigerint. Facile tamen reponitur, Sacerdotes & Levitas ſedes habuiſſe in Urbibus tantum, non in agro pariter, uti reliqui Iſraelitæ. Ad hæc, Catalogus Urbium Leviticarum accuratus eſt, & definitus, cum cæterarum Urbium minori cura ductus fuerit. Tandem in Urbibus Leviticis plures ſimul conſediſſe Iſraelitas, animadvertimus ſupra ℣. 3.

Septuaginta Editionis Romanæ longe diſcrepant ab Hebræo & Vulgata in verſiculis 39. & 40. ita enim ferunt: *Omnes civitates filii Merari, Civitates duodecim. Omnes Civitates Levitarum in medio poſſeſſionis filiorum Iſrael, quadraginta octo civitates, & ſuburbana earum in circuitu civitatum iſtarum* [40.]. *Et conſummavit Jeſus dividens terram in finibus earum; & dederunt filii Iſrael portionem Jeſu per conſtitutionem Domini, dederunt ei civitatem, quam petiit, Thamnaſachar dederunt ei in monte Ephraim. Et ædificavit Jeſus civitatem, & habitavit in ea. Et accepit Jeſus cultros petrinos, in quibus circumciderat filios Iſrael, qui nati fuerant in via in Deſerto, & poſuit eos in Thamnaſachar.* Hos cultros illatos fuiſſe in ſepulchrum Joſue infra xxiv. 30. ex eodem Textu Septuaginta conſtabit.

℣. 41. Dedit Dominus Deus Israeli omnem terram, quam traditurum ſe patribus eorum juraverat. Quo pacto iſta cohæreant cum iis, quæ non ſemel traduntur, Chananæos ſcilicet plures urbes Iſraelitis debitas occupaſſe? Reponit S. Auguſtinus (7), omnem quidem regionem Chananiticam diſtributam fuiſſe Iſraelitis, ut quicumque ex Chananæis in regione ſupererant, moleſtiæ illis quicquam inferre non auderent; manſiſſe vero illos ad utilitatem tantummodo & exercitium Iſraelitarum. *Omnis ergo illis terra data eſt, quia illa pars, quæ nondum fuerat in poſſeſſionem*

---

(1) Vide novam editionem S. Hieronymi t. i. pag. 293. ubi animadvertes, hæc verba [illegible] . . . . In quibuſdam Hebraicis exemplaribus deſiderari. (2) Editione Roberti Stephani; Lovanienſium, Polyglottis Antuerpienſibus & Pariſienſibus. (3) [illegible] (4) Καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου [illegible] (5) Deuteron. iv. 43. [illegible] *Boſor in ſolitudine quæ ſita eſt in terra campeſtri.* Et Joſue xx. 8. [illegible] *Boſor quæ ſita eſt in campeſtri ſolitudine.* Et Jerem. xlviii. 21. (6) Num. xxvi. 62. (7) Auguſt. qu. 21. in Joſue.

nem data, jam data fuerat in quamdam exercitationis utilitatem.

Ajunt alii (r), Deum prorſus fidem ſuam erga Iſraelitas liberaſſe, permiſſa illis poſſeſſione Chanaanitidis, & terrore nominis Hebraici Chananæis incuſſo: commodis hiſce præparationibus ut opportune uterentur, Iſraelitarum fuiſſe. Si quid igitur regionis non poſſederunt, ignaviæ ſuæ & incuriæ debuere. Tuetur Maſius, Deum Iſraelitis tantum regionis tradidiſſe, quantum occupare tunc poterant; caviſſe vero ne ſimul omnes Chananæi exterminarentur, ne regio ſqualeret inculta, totaque belluis nimium auctis frequentaretur, uti Deus ipſe Moyſi prodiderat (2). Illorum erat ſubmittere vel delere Chananæorum reliquias: Deus opem ad hoc ſuam & auxilium, modo non indignos ſeſe præberent, ſpoponderat: permiſerunt illi ſe vitiis & ſceleribus, Deus opem ſuam denegavit; quid niſi impietatem ſuam querantur?

℣. 42. Nullus ais hostium resistere ausus est. Quoad vixit Joſue, fidemque ſuam Deo integram præſtiterunt, invicti ſemper, nunquam experti ſunt Chananæos ſive aggreſſores, ſive reſiſtentes. Quod quandoque legitur in Scriptura (3), Chananæos in arctum redegiſſe Hebræos, nec permiſiſſe, ut in poſſeſſionem totius regionis ſuæ venirent; id accipiendum eſt de tempore obitum Joſue conſequente. Si illo ſuperſtite totam ditionem ſuam non occuparunt, id accidiſſe reputandum eſt, quod labori parcere voluerint. Ita in 1. capite Judicum (4), ubi epilogo ea repetuntur, quæ ſingulæ Tribus mala a Chananæis hoſtibus paſſæ ſunt, vitio datur pleriſque illorum, quod hoſtes non deleverint, & in ditione ſua eſſe permiſerint. Quod tandem demonſtrat, Iſraelitas in ditionibus ſuis loci anguſtia minime preſſos fuiſſe, illud eſt, quod in capite ſequenti Phinees nomine omnium Tribuum cis Jordanem incolentium invitaverit Transjordanicas, ut migrarent in eam regionem, quam Joſue mox diſtribuerat, una ſecum habitaturæ, ſiquidem venire liberet (5): *Si putatis immundam eſſe terram poſſeſſionis veſtræ, tranſite ad terram, in qua Tabernaculum Domini eſt, & habitate inter nos.*

[1] Rab. Levi apud Maſ. [2] Exod. xxiii. 29. [3] Judic. 1. 34. *Arctavitque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum ut ad planitiem deſcenderent.* [4] Ibid. ℣. 27. 28. 29. 30. 31. [5] Joſue xxii. 19.

CAPUT XXII.

Tribus Ruben, Gad, & dimidia Manaſſe domum trans Jordanem redeunt. Monumentum in ripa amnis erigunt: mittuntur Principes Tribuum, qui ejus facinoris illos arguant; ſed ipſi omnem a ſe ſuſpicionem egregie amovent.

℣. 1. Eodem tempore vocavit Joſue Rubenitas, & Gaditas, & dimidiam tribum
Manaſſe, 2. Dixitque ad eos: Feciſtis omnia, quæ præcepit vobis Moy-
ſes famulus Domini: mihi quoque in omnibus obediſtis, 3. Nec reliquiſtis fratres ve-
ſtros longo tempore, uſque in præſentem diem, cuſtodientes imperium Domini Dei
veſtri. 4. Quia igitur dedit Dominus Deus veſter fratribus veſtris quietem, & pa-
cem; ſicut pollicitus eſt: revertimini, & ite in tabernacula veſtra, & in terram poſ-
ſeſſionis, quam tradidit vobis Moyſes famulus Domini trans Jordanem: 5. Ita dum-
taxat, ut cuſtodiatis attente, & opere compleatis mandatum, & legem, quam præ-
cepit vobis Moyſes famulus Domini, ut diligatis Dominum Deum veſtrum, & am-
buletis in omnibus viis ejus, & obſervetis mandata illius, adhæreatiſque ei, ac ſer-
viatis in omni anima veſtra. 6. Benedixitque eis Joſue, & dimiſit eos. Qui reverſi
ſunt in tabernacula ſua. 7. Dimidiæ autem tribui Manaſſe poſſeſſionem Moyſes de-
derat in Baſan: & idcirco mediæ, quæ ſuperfuit, dedit Joſue ſortem inter cæteros
fratres ſuos trans Jordanem ad Occidentalem plagam. Cumque dimitteret eos in ta-
bernacula ſua, & benedixiſſet eis, 8. Dixit ad eos: In multa ſubſtantia, atque di-
vitiis revertimini ad ſedes veſtras, cum argento, & auro, ære, ac ferro, & veſte mul-
tiplici: dividite prædam hoſtium cum fratribus veſtris. 9. Reverſique ſunt, & abie-
runt filii Ruben, & filii Gad, & tribus Manaſſe a filiis Iſrael de Silo, quæ ſita eſt in
Chanaan, ut intrarent Galaad Terram poſſeſſionis ſuæ, quam obtinuerant juxta impe-
rium Domini in manu Moyſi. 10. Cumque veniſſent ad tumulos Jordanis in Terram
Chanaan, ædificaverunt juxta Jordanem altare infinitæ magnitudinis. 11. Quod cum
audiſſent filii Iſrael, & ad eos certi nuntii detuliſſent, ædificaſſe filios Ruben, & Gad,
& dimidiæ tribus Manaſſe altare in Terra Chanaan, ſuper Jordanis tumulos, contra fi-
lios Iſrael: 12. Convenerunt omnes in Silo, ut aſcenderent, & dimicarent contra eos.
13. Et interim miſerunt ad illos in Terram Galaad Phinees filium Eleazari ſacerdotis,
14. Et decem principes cum eo, ſingulos de ſingulis tribubus. 15. Qui venerunt ad
filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe, in terram Galaad, dixeruntque ad
eos: 16. Hæc mandat omnis populus Domini. Quæ eſt iſta tranſgreſſio? Cur reliqui-
ſtis

ſtis Dominum Deum Iſrael ædificantes altare ſacrilegum, & a cultu illius recedentes?
17. An parum vobis eſt, quod peccaſtis in Beelphegor, & uſque in præſentem diem
macula hujus ſceleris in vobis permanet? multique de populo corruerunt. 18. Et vos
hodie reliquiſtis Dominum, & cras in univerſum Iſrael ira ejus deſæviet. 19. Quod ſi
putatis immundam eſſe terram poſſeſſionis veſtræ, tranſite ad Terram, in qua taberna-
culum Domini eſt, & habitate inter nos: tantum, ut a Domino, & a noſtro conſortio
non recedatis, ædificato altari præter altare Domini Dei noſtri. 20. Nonne Achan fi-
lius Zare præteriit mandatum Domini, & ſuper omnem populum Iſrael ira ejus incu-
buit? Et ille erat unus homo, atque utinam ſolus periiſſet in ſcelere ſuo. 21. Reſpon-
deruntque filii Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manaſſe, principibus legationis Iſrael;
22. Fortiſſimus Deus Dominus, ipſe novit, & Iſrael ſimul intelliget: ſi prævaricatio-
nis animo hoc altare conſtruximus, non cuſtodiat nos, ſed puniat nos in præſenti: 23.
Et ſi ea mente fecimus, ut holocauſta, & ſacrificium, & pacificas victimas ſuper eo
imponeremus, ipſe quærat, & judicet: 24. Et non ea magis cogitatione, atque tra-
ctatu, ut diceremus: Cras dicent filii veſtri filiis noſtris: quid vobis, & Domino Deo
Iſrael? 25. Terminum poſuit Dominus inter nos, & vos, o filii Ruben, & filii Gad,
Jordanem fluvium: & idcirco partem non habetis in Domino. Et per hanc occaſionem
avertent filii veſtri filios noſtros a timore Domini. Putavimus itaque melius, 26. Et di-
ximus: Extruamus nobis altare, non in holocauſta, neque ad victimas offerendas, 27.
Sed in teſtimonium inter nos, & vos, & ſobolem noſtram, veſtramque progeniem, ut
ſerviamus Domino, & juris noſtri ſit offerre & holocauſta, & victimas, & pacificas ho-
ſtias: & nequaquam dicant cras filii veſtri filiis noſtris: Non eſt vobis pars in Domino.
28. Quod ſi voluerint dicere, reſpondebunt eis: Ecce altare Domini, quod fecerunt pa-
tres noſtri, non in holocauſta, neque ſacrificium, ſed in teſtimonium noſtrum, ac ve-
ſtrum. 29. Abſit a nobis hoc ſcelus, ut recedamus a Domino, & ejus veſtigia relin-
quamus, extructo altari ad holocauſta, & ſacrificia, & victimas offerendas, præter al-
tare Domini Dei noſtri, quod extructum eſt ante Tabernaculum ejus. 30. Quibus au-
ditis Phinees ſacerdos, & principes legationis Iſrael, qui erant cum eo, placati ſunt,
& verba filiorum Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe, libentiſſime ſuſceperunt.
31. Dixitque Phinees filius Eleazari ſacerdos ad eos: Nunc ſcimus, quod nobiſcum ſit
Dominus, quoniam alieni eſtis a prævaricatione hac, & liberaſtis filios Iſrael de manu
Domini. 32. Reverſuſque eſt cum principibus a filiis Ruben, & Gad, de Terra
Galaad, finium Chanaan ad filios Iſrael, & retulit eis. 33. Placuit ſermo cunctis
audientibus. Et laudaverunt Deum filii Iſrael, & nequaquam ultra dixerunt, ut aſcen-
derent contra eos, atque pugnarent, & delerent Terram poſſeſſionis eorum. 34. Vo-
caveruntque filii Ruben, & filii Gad, altare, quod extruxerant, Teſtimonium no-
ſtrum, quod Dominus ipſe ſit Deus.

℣. 1. EODEM TEMPORE. Aſſignatis Levitis in ſedem Urbibus, antequam populi conventus dimitteretur, & caſtra e Silo moverentur, ſeptimo, vel octavo anno ab trajecto Jordane. Toto eo temporis ſpatio, quadraginta illa virorum millia e Tribubus Transjordanicis in Chanaanitide ſubſtiterunt: niſi forte reputentur hyberna duxiſſe in regione ſua, ex qua caſtra in Galgalis nonniſi intermedio Jordane ſeparabantur.

℣. 4. DEDIT DOMINUS . . . . FRATRIBUS VESTRIS QUIETEM ET PACEM. Reddi poſſet הניח לאחיכם *Dedit illis ſedem certam & ſtabilem.* Ad literam: *Conſtituit in requie*, requieſcere illos fecit, feſſos longiſſimi itineris per deſertum errore. De pace nihil in Textu: uſurpatur autem ſæpe *dare pacem*, pro ſedem firmam ſtabilem & tranquillam largiri. Deus ad Moyſem: *Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi* (1). Moyſes ad Tribus Gad, Ruben, & dimidiam Manaſſe (2): *Præcedite fratres veſtros . . . . donec requiem tribuat Dominus fratribus veſtris.* Nurus ſuas adhortabatur Noemi (3): *Ite in domum matris veſtræ . . . . & & det vobis Dominus invenire requiem in domibus virorum, quos ſortituræ eſtis.* David conſilium agitans ædificandi Domino Templum, precabatur (4): *Surge Domine* [veni] *in requiem tuam.* Eo uſque Arca veluti ſtationem habuerat mobilem & incertam: tunc autem Deus ſtatuit: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam.*

℣. 6. BENEDIXIT EIS. Fauſta illis omnia precatus eſt, vel laudibus cumulavit, egitque nomine totius gentis gratias pro opera fratribus præſtita, vel tandem muneribus cumulavit, in ſignificationem amoris, grati animi & obſequii; hos enim omnes ſenſus reddere poteſt verbum *benedicere.*

REVERSI SUNT IN TABERNACULA SUA, in ædes, in ſedes (5), in urbes (6) ſuas. Solemne eſt Hebræis nomine tabernaculi deſignare domos & firma quæcumque ædificia; imo & eodem appellari interdum Templum Dei, ſupra animadvertimus. Vernaculo eorum ſermoni familiare erat: *Regreſſus eſt Iſrael in Tabernacula ſua*, pro divertit quiſque in ædes ſuas. Annos plures egerant ſub tabernaculis; uſus autem exprimendi ea voce tecta, ſub quibus degebant, nunquam apud illos ceſſavit.

℣. 8.

[1] Exod. xxxiii. 14. [2] Deut. iii. 20. [3] Ruth i. 9. [4] Pſalm. cxxxi. 5. 8.
[5] Hebr. אל אהליהם Septuag. εἰς τοὺς οἴκους αὐτῶν. [6] Chald. Syr.

℣. 8. In multa substantia atque divitiis . . . cum argento et auro. Hebræus (1): *In divitiis multis, & in jumento multo nimis, in argento & in auro &c.* Ita Textum reddunt Septuaginta, Chaldæus, & optimi quique Interpretes.

Dividite prædam hostium cum fratribus vestris. Suadetne, an præcipit? Præcepiſſe creditur (2), quo præcepto adigebantur, non ducis tantum juſſione, ſed more, qui legis vim obtinuerat, & lata olim a Deo lege in bello Madianitico (3): *Divides ex æquo prædam inter eos, qui pugnaverunt, egreſſique ſunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem.* Sed quæ diſtribuendi ratio? Sunt qui prædam omnem in duas inæquales portiones diviſam fuiſſe credant, quarum major iis, qui prælio adfuerunt, deſtinaretur, minor vero maneret eos, qui defendendæ regioni ab incurſionibus hoſtium, abſentibus fratribus ſuis, domi ſe continuerunt; cujus defenſionis merito partem ſpoliorum ſuam jure vindicabant. Minor autem datur præda iis, qui minus diſcriminis, major autem, qui plus incurrerunt. Imperat Textus ſolum, ut *dividatur* præda, ſed non ut dividatur ex æquo. Ad hæc, ſi in duas æquas portiones ſpolia omnia diviſa ſunt, illud conſequeretur neceſſe fuit, ut magna partium inæqualitas in privatis contingeret; neque enim in bellum proceſſerant niſi XL. millia virorum, cum interim trans Jordanem LXX. millia remanſiſſent (4). Arbitramur tamen nos, omnem ex æquo prædam diviſam eſſe inter eos, qui venerant in expeditionem, eoſque qui in regione ſua perſeverarant. Ea lex ſemper in Iſraele obtinuit. David ab expeditione Amalecitarum redux, ſpoliorum æquam partem diſtribuit iis, qui certamini adfuerant, ac iis qui in caſtris ſe continuerant ad ſarcinas defendendas (5).

Textum hunc liberius exponit Grotius. *Læti abite ad fratres veſtros cum ea parte prædæ, quam comparaſtis.* Dividere ſpolia uſurpatur ſæpe pro comparare ſpolia. Pharao apud ſe reputabat (6): *Perſequar, dividam ſpolia.* Beniaminum lupo rapaci comparat Jacob (7): *Mane*, ait, *comedet prædam, & veſpere dividet ſpolia.* Una ex uxoribus Siſaræ ſocrum ſuam ſolabatur (8): *Forſitan nunc dividet ſpolia.* Firma tamen nos tenet perſuaſio, phraſes ejuſmodi ex vetere illo more peti, cum ſpolia dividebantur inter milites (9) ex æquo, ut non minus haberent qui ad ſarcinas remanſerant, quam qui in prælio certaverant. Quare noſtram ſententiam, nedum infringere, confirmare potius, & fulcire videntur.

℣. 9. Ut intrarent Galaad, terram possessionis suæ. Nomen Galaad hic uſurpatur pro regione Iſraelitarum trans Jordanem; ut alibi Amorrhæi pro omnibus Chananæis, & Ephraim pro decem Tribubus accipiuntur.

℣. 10. Cumque venissent ad tumulos Jordanis in terra Chanaan, ædificaverunt juxta Jordanem altare infinitæ magnitudinis. Apertiſſime hic Textus probare videtur, Aram hanc erectam fuiſſe in ripa occidentali Jordanis; verba enim illa, *In terra Chanaan*, pronam hanc opinionem ingerunt. Nihilo tamen ſecius Joſephus (10) in oppoſita amnis ripa erectam credit; in quam ſententiam abiiſſe videntur Judæi in ſuo Chronico (11). Fatendum eſt equidem, phraſes hic occurrere nonnullas, quæ interpretationem hanc exigere videntur; in ſequenti enim verſiculo renunciatum eſt Iſraelitis eis amnem verſantibus, de Tribubus Ruben, Gad, & dimidia Manaſſe; *ædificare illos altare* (12) *contra terram Chanaan, ſuper Jordanis tumulos, contra filios Iſrael*; ideſt, in adverſo latere filiorum Iſrael. Pronum eſt utique reputemus, Tribus illas aram excitaſſe in ſuo ſolo, & in ripa quæ ad ipſos pertinebat, ut perſpicuum eſſet filiis ſuis monumentum, ab illis ſervandum; ex quo occaſionem caperent cauſas erectionis illius efflagitandi. Ea vero verſiculi decimi verba, Aram hanc ſcilicet jacuiſſe *in Terra Chanaan*, accipi commode poſſunt de regione trans Jordanem; nomine terræ Chanaan interdum deſignata, ut Vatablus hic, ad ℣. 14. animadvertit; ideo ſcilicet, quod olim ab Amorrhæis poſteris Chanaan teneretur. Referri etiam poſſent eadem verba, *In terra Chanaan*, ad Jordanem, ut ſit ſenſus: *Cum veniſſent ad tumulos* [אל גלילות (13) ad fines, ad limites] *Jordanis, qui eſt in terra Chanaan.*

Altare infinitæ magnitudinis. Hebræus מזבח גדול למראה *Altare magnum ad viſum*, eximiæ & ſpectabilis magnitudinis. Strues erat ex aggeſta humo & lapidibus, iis perſimilis, quas olim moliti ſunt Bacchus, Hercules, Semiramis, Cyrus, Alexander magnus, aliique in variis rerum articulis, ut victoriarum atque itinerum ſuorum æternum ſtarent monumentum (14).

℣. 12. Ut ascenderent et dimicarent contra eos, ex Dei mandato, præcipientis (15), ut ſi qua forte urbs in regione illorum rea teneretur deſertæ religionis Domini, ut ſeſe Diis exteris dederet, prius rei veritas ſedulo perquireretur, deinde crimine deprehenſo, indicto in illam bello, incolæ omnes neci, urbs excidio traderentur.

℣. 14. Decem principes cum eo, singulos de singulis Tribubus. Hebræus (16): *Decem Principes cum eo, Principem unum ad domum patris in omnibus Tribubus Iſrael; & quilibet eorum caput domus patrum ſuorum in millibus Iſrael*; ideſt, delecti in eam rem viri Principes erant ampliſſimarum familiarum in Tribubus; quamquam enim Principes non erant Tribuum, præfecti tamen erant quarumdam majorum urbium Iſraelis. Nam illud, *In millibus Iſrael*; uſurpatur interdum (17) de urbibus Tribuum majoribus. Accipiendum ego tamen maluerim de Principibus maximarum familiarum. Kimchi aliique nonnulli de Chiliarchis exponunt.

℣. 17. An parum vobis est quod peccastis in Beelphegor? Revocat hic Phinees crimen illud de Beelphegor (18); tum addit peccatum Achani, tamquam omnium noviſſima, quæ Deum in Iſraelem irritarant. Facinus Beelphegor patratum fuerat trans Jordanem, & in regione a Tribubus, quas alloquebatur, occupata. Tribus illæ finitimas habebant gentes cultui ejus Numinis addictas (19). Idem erat Phinees, qui tum virtutis ſuæ illuſtre ſpecimen dederat; quare id potius quam aliud exprobrandum pro concione ſelegit, ut ad officium & ad metum furoris Domini Tribus illas revocaret: erat autem viri authoritas ad crimen ejus generis reprehendendum graviſſima.

Usque in præsentem diem macula hujus sceleris in nobis permanet. Sceleris hujus nota nondum e nobis deleta eſt: vix crimen illud expiavimus, & novum in nos inducitis: ob oculos adhuc verſantur mala idololatriæ hujus, cujus vel infau-

(1) בנכסים רבים ובמקנה רב מאד בכסף ובזהב Septuag. ἐν χρήμασι πολλοῖς . . . . καὶ κτήνη πολλὰ σφόδρα, καὶ ἀργύριον καὶ χρυσίον. (2) Tirin. Serar. Cornel. Bonfr. Maſ. (3) Num. XXXI. 27. (4) Vide Maſ. hic. (5) 1. Reg. XXX. 24. *Æqua pars erit deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas, & ſimiliter divident.* (6) Exod. XV. 9. (7) Geneſ. XLIX. 27. (8) Judic. V. 30. (9) Vide Iliad. A. & Odyſſ. I. (10) Joſeph. Antiq. l. V. c. 1. Διαβάντα δ' τὸν ποταμὸν ἐπὶ ῥεῖθρον εἰδότα . . . . . Βωμὸν ὑπὲρ τῆς ὄχθης ἱδρύονται τοῦ Ἰορδάνου. (11) Judæi in Seder-olam apud Serar. (12) אל מול ארץ כנען אל גלילות הירדן אל עבר בני ישראל (13) Vide Joſue XIII. 2. (14) Plin. l. 6. c. 16. 17. & Philoſt. l. 2. Vitæ Apollonii ad finem. (15) Deut. XIII. 12. 13. 14. (16) עשרה נשיאים עמו נשיא אחד נשיא אחד לבית אב לכל מטות ישראל ואיש ראש בית אבותם המה לאלפי ישראל (17) Vide Zach. V. 2. (18) Num. XXV. 3. (19) Judic. VII. 1. & ſeq.

ſtæ appendices horrorem vobis incutere debuerunt. Docet Scriptura, Phineem Dei eam ob rem irati furorem compeſcuiſſe: *Stetit Phinees, & placavit* (1): verebatur autem ille, ne nova crimina Iſraelitarum vetera illa quodammodo revocarent, gravioremque in caput illorum ultionem provocarent, ex conſueto Dei more, qui in crimen relapſos graviori animadverſioni ſubjicit.

Reddi poſſet Hebræus (2): *Numquid non ſatis eſt nobis crimen Phegor, ut nolitis illud expiare uſque in præſentem diem?* Nonne ſatis erat crimen commiſiſſe, ut pervicacius etiam illi ad hanc uſque diem inhærere volueritis? Id tacite exprobrare Phinees videtur: Cum aram conſtruxeritis, & a Religione communi deſciveritis, non alium facile quam Beelphegor, vetus Numen Regionis quam incolitis, huic aræ imponere meditamini. An ignoratis quanti ſteterit Iſraeli impii hujus Numinis ſuperſtitio? An non potius ea vos cura teneri par erat, ut expiaretis commiſſa, quam ut novis criminibus Dei furorem provocaretis?

ỹ. 19. Si putatis immundam esse terram habitationis vestræ, utpote non comprehenſam in verbis fœderis, & in promiſſionibus Domini cum Iſraele initis; vel utpote carentem pignore præſentiæ Dei in Arca: tranſmiſſo flumine ad nos migrate. Concionem hanc Phineis legentes non poſſumus quin admiremur vim, & gravitatem Oratoris, Legis ſtudium acre ſimul & flagrans, atque omni vacuum cupiditate commendemus, quo excitatus eo fertur, ut hortetur fratres ſuos, deſerant potius regionem ſuam, & una ſecum hæreditatem trans Jordanem partiantur, quam quidquam vel minimum de cultu & Religione Domini decedant. Animadvertere hic pariter licet, quanto obſequio, & amore Regionis Patribus ſuis promiſſæ veteres Hebræi tenerentur. Reliquam Terram omnem habebant opinione ſua profanam, rati nullam eſſe, niſi humum Iſraeliticam, ubi Deus hominum obſequia exciperet. Hæc autem, quæ Hebræis inſidebat, opinio ad exteros uſque tranſivit, uti probat exemplum Nahamani, qui ex ea humo duorum mulorum ſarcinas in Syriam tranſtulit.

ỹ. 20. Ille erat unus homo, atque utinam solus periisset in scelere suo. Si crimen Achani, viri privati, & neminem alium ſceleris ſui conſcium habentis, furorem Dei nihilominus in univerſum Iſraelem provocavit; quid non de veſtro crimine publico, & communi metuendum eſt? Hebræus ad literam (3): *Ipſe vir unus, non obiit in perverſitate ſua*; vel addita interrogatione: Et quamquam unicus erat homo, nonne expiravit in perverſitate ſua? Nonne ut ſcelus ſuum expiaret, mortem ſubivit? Quanto igitur magis extrema omnia vobis timenda ſunt, ſi generatim omnes a Deo vos ſubducitis? Septuaginta (4): *Unus erat, & non unus ſolus interiit in peccato ſuo*. Chaldæus: *Ipſe vir unus non mortuus eſt in culpa ſua*.

ỹ. 22. Fortissimus Deus Dominus. Tria Dei nomina recitat Hebræus אל אלהים יהוה *El, Elohim, Jehovah*, quæ reddi poſſunt: *Deus Dominorum Deus*; vel, *Deus Dominus Angelorum*; vel, *Deus Deorum*; vel uti Vulgata, *Deus fortis, Dominus*. Septuaginta: ὁ Θεὸς ὁ Θεὸς κύριός ἐστι, *Deus Deus Dominus eſt*.

ỹ. 23. Ut holocausta, et Sacrificium, et pacificas victimas. Reddi poſſet (5): *Holocauſta, oblationes ſimilæ, frumenti, libaminum, & hoſtias pacificas*.

ỹ. 24. Quid vobis et Domino Deo Israel? Eadem eſt phraſis ac altera ỹ. 27. *Non eſt vobis pars in Domino*, ab ejus populo alienos vos feciſtis: nulla vobis eſt pars in ejus fœdus & religionem, jus nullum in ſacrificia, cultum & hæreditatem. Hebræi omnium ætatum ſummo ſemper ſtudio teneri ſe erga privilegium electionis ſuæ profeſſi ſunt: inconſtantes licet in religione Patrum ſuorum, conſtantiſſime ſemper propugnarunt, ſe eſſe populum diſtinctum & ſpeciali Dei providentia ſelectum. Solicitudinem hanc gentis ſuæ nemo melius quam fratres ipſi norant; qua perſuaſione inducti, cautiones haſce occupant, ut quod prævidebant, futuro incommodo viam præcluderent.

ỹ. 31. Nunc scimus quod nobiscum sit Dominus. Nunc denique nobis conſtat, Dominum opem ſuam nobis non ſubducturum, cum vobis certum ſtet propoſitum in ejus obſequio perſeverandi: certum præſentiæ ac tutelæ Numinis habemus argumentum, cum vos in eamdem nobiſcum ſententiam convenire intelligimus, ipſeque cultum ſuum deſerere vos non permiſit.

Liberastis filios Israel de manu Domini. Innoxios vos præbuiſtis ejus criminis, quod utique furorem Dei in Iſraelem provocaſſet, atque ita demum veſtra in religione conſtantia malum illud e cervicibus populi veſtri avertiſtis.

ỹ. 32. De terra Galaad, finium Chanaan, ad filios Israel; ideſt, de terra Galaad ad regionem Chanaan, vel quæ eſt regionis Chanaan. Ambiguitatem auſert Hebræus (6): *Reverſi ſunt de terra Galaad ad terram Chanaan, ad filios Iſrael*.

ỹ. 34. Testimonium nostrum, quod Dominus ipse sit Deus. Manca videtur in Hebræo ſententia (7): *Vocaverunt altare, quia teſtis ipſum inter nos, quod Dominus Deus eſt*. Supplendum videtur cum Chaldæo: *Vocaverunt altare teſtimonii, quoniam teſtis inter nos, quod Dominus ipſe eſt noſter Deus*. Septuaginta (8): *Dederunt nomen altari & dixerunt: Quoniam teſtimonium eſt inter eos, quia Dominus Deus eorum eſt*. Vertendum vellet Maſius: *Epigraphen appoſuerunt altari, ferentem, futurum illud teſtimonium æternum ſui erga Deum obſequii*. Hebræum *Kara* valet interdum ſcribere, ex quo *Mikra*, Scriptura Hebraice, & *Alcoranus*, quod idem Arabice ſonat.

(1) Pſalm. cv. 30.
(2) המעט לנו את עון פעור אשר לא הטהרנו ממנו עד היום
(3) הוא איש אחד לא גוע בעונו. S. Hieronymus legit ולו pro לא non.
(4) Καὶ οὗτος εἷς μόνος ἦν, μὴ οὗτος μόνος ἀπέθανεν ἐν τῇ ἑαυτοῦ ἁμαρτίᾳ.
(5) להעלות עלה עולה ומנחה ואם לעשות עליו זבחי שלמים
(6) מארץ הגלעד אל ארץ כנען אל בני ישראל
(7) ויקראו למזבח כי עד הוא בינותינו כי יהוה האלהים
(8) Ἐπωνόμασαν τὸν βωμὸν, καὶ εἶπαν ὅτι μαρτύριόν ἐστιν ἀνὰ μέσον αὐτῶν, ὅτι κύριος αὐτὸς ὁ Θεὸς αὐτῶν ἐστι. Edit. Rom. ἐπωνόμασεν Ἰησοῦς τὸν βωμόν.

C A-

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

In conventu populi, Seniorum, Principum, Ducum & Magiſtratuum, Joſue affecta jam ætate, pro concione hortatur, ut in obſequio Domini integra fide perſeverent; vitentque potiſſimum omne cum exteris gentibus fœdus. Animos illorum excitat, revocans in mentem ea, quibus a Domino donati ſunt, beneficia; cujus opem certam illis ſpondet, ſi in fide permanſerint; ultionem vero & indignationem, ſi initum cum eo fœdus violarint.

℣. 1. EVoluto autem multo tempore, poſtquam pacem dederat Dominus Iſraeli, ſubjectis in gyro nationibus univerſis, & Joſue jam longævo, & perſenilis ætatis: 2. Vocavit Joſue omnem Iſraelem, majoreſque natu, & principes, ac duces, & magiſtros, dixitque ad eos: Ego ſenui, & progreſſioris ætatis ſum: 3. Voſque cernitis omnia, quæ fecerit Dominus Deus veſter cunctis per circuitum nationibus, quomodo pro vobis ipſe pugnaverit: 4. Et nunc quia vobis ſorte diviſit omnem Terram, ab Orientali parte Jordanis uſque ad mare magnum, multæque adhuc ſuperſunt nationes, 5. Dominus Deus veſter diſperdet eas, & auferet a facie veſtra, & poſſidebitis terram, ſicut vobis pollicitus eſt. 6. Tantum confortamini, & eſtote ſoliciti, ut cuſtodiatis cuncta, quæ ſcripta ſunt in volumine legis Moyſi: & non declinetis ab eis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram: 7. Ne poſtquam intraveritis ad Gentes, quæ inter vos futuræ ſunt, juretis in nomine deorum earum, & ſerviatis eis, & adoretis illos: 8. Sed adhæreatis Domino Deo veſtro: quod feciſtis uſque in diem hanc. 9. Et tunc auferet Dominus Deus in conſpectu veſtro gentes magnas, & robuſtiſſimas, & nullus vobis reſiſtere poterit. 10. Unus e vobis perſequetur hoſtium mille viros: quia Dominus Deus veſter pro vobis ipſe pugnabit, ſicut pollicitus eſt. 11. Hoc tantum diligentiſſime præcavete, ut diligatis Dominum Deum veſtrum. 12. Quod ſi volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miſcere connubia, atque amicitias copulare: 13. Jam nunc ſcitote, quod Dominus Deus veſter non eas deleat ante faciem veſtram, ſed ſint vobis in foveam, ac laqueum, & offendiculum ex latere veſtro, & ſudes in oculis veſtris, donec vos auferat, atque diſperdat de Terra hac optima, quam tradidit vobis. 14. En ego hodie ingredior viam univerſæ terræ, & toto animo cognoſcetis, quod de omnibus verbis, quæ ſe Dominus præſtiturum vobis eſſe pollicitus eſt, unum non prætererit incaſſum. 15. Sicut ergo implevit opere, quod promiſit, & proſpera cuncta venerunt: ſic adducet ſuper vos, quidquid malorum comminatus eſt, donec vos auferat, atque diſperdat de Terra hac optima, quam tradidit vobis, 16. Eo quod prætererítis pactum Domini Dei veſtri, quod pepigit vobiſcum, & ſervieritis diis alienis, & adoraveritis eos: cito atque velociter conſurget in vos furor Domini, & auferemini ab hac Terra optima, quam tradidit vobis.

℣. 1. EVOLUTO MULTO TEMPORE. Supremo vitæ Joſue anno, vel ſaltem paulo ante ſupremum illum annum; a diviſa enim regione adusque obitum ſummi illius populi Dei Imperatoris, nonniſi decennium evolutum eſt.

℣. 2. VOCAVIT OMNEM ISRAEL, MAJORESQUE NATU ET PRINCIPES. Quo loco conventus ille habitus ſit, non legimus: ſunt tamen qui conſtituant in Thamnat-Sara (1), ubi Joſue ſedem fixerat; vel in Silo (2), ubi Tabernaculum & Arca fœderis conſidebat; ſeu potius in Sichem, quemadmodum proditur cap. XXIV. 1. quod hujus continuatio videtur. Igitur Joſue ſupremo vitæ ſuæ anno molioris vitæ commodis dediſſe ſe populum, nimiaque erga Chananæos indulgentia uti intelligens, metuens vero ne cum illis tandem convenirent, amicitiæ, connubiorum, ac tandem religionis vinculo ſeſe conjungerent; populi conventum indixit, & graviſſimis verbis expoſuit, quanta a Deo largitore accepiſſent beneficia: demonſtravit rem eſſe plenam diſcriminis commercium & conſuetudinem cum exteris, ac tandem mala prædixit, quæ in ſuum caput provocaturi erant, ſi a debita in Deum fide unquam deficerent.

℣. 4. ET NUNC QUIA VOBIS SORTE DIVISIT OMNEM TERRAM. Hebr. ad literam (3): *Videte quia vobis ego diviſi gentes iſtas reſiduas in hæreditatem veſtris Tribubus, & omnes gentes, quas oppreſſi a Jordane, uſque ad mare magnum.* Exhibet Joſue populo diviſionem a ſe factam totius regionis late patentis ab Jordane ad uſque mare Mediterraneum, diviſionis, inquam, regionis tum ſubjectæ, cum ſubjiciendæ: certiores illos facit de ope, & auxilio Dei, modo ſancte tueantur ejus cultum, & obſequium. Hæc autem omnia commemorat, ut tacite exprobret eorum incuriam, qua quicquid reliquum erat regionis, ſubjicere neglexerunt; ſimulque excitet adverſus Chananæos, quos deinceps haberi

[1] Menoch. Serar. Rabb. [2] Maſ. Cornel. Bonf. [3] ראו הפלתי לכם את הגוים הנשארים האלה בנחלה לשבטיכם מן הירדן וכל הגוים אשר הכרתי והים הגדול מבוא השמש Trajectio in hoc textu intercedit: jungenda eſt vox ירדן cum מבוא השמש

par erat nedum ut Dei adverſarios, ſed ut injuſtos etiam debitæ Tribubus hæreditatis poſſeſſores.

℣. 7. Ne postquam intraveritis ad gentes.... juretis in nomine Deorum eorum. Hebræus ad literam (1): *Ne ingrediamini in gentes iſtas, reſiduas illas vobiſcum*: ne conſuetudinem cum illis ineatis, ne connubia jungatis invicem, *& nomina Deorum earum non commemoretis*; ne nomen quidem illorum in ore veſtro ſonare quis audiat; *neque juretis in nomine illorum*, vel *ne exigatis jusjurandum in nomine illorum*. Tanto contemptu & horrore exteros illos Deos proſequi populum ſuum Deus voluit, ut ab illorum nomine efferendo vel horrore, vel contemptu abſtinerent. Tanta abominatione proſequi ſe cœtus peccatorum affirmat Propheta, ut ne meminiſſe quidem illorum velit (2): *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*. Animos populi ſui ita abalienaturum Deum ab Idolis prænunciat Oſee (3), ut ne uxor quidem maritum ſuum appellatura ſit *Baali*, quod eſt *Dominus meus*: nomen enim illud revocat in mentem ſpectrum illud Numinis Baal; ſed pro Baali *vocabit me*, ait, *Iſchi*, *vir meus*. Eodem ſpiritu David Gedeonem nuncupavit *Jeroboſchet* pro Jeroboal (4). Imperat Apoſtolus (5), ne quis Fidelium prolatis turpiſſimorum criminum nominibus os ſuum unquam contaminet. Qua in re tanta eſt Judæorum cautio (6) ut viri inter illos religioſiſſimi ne ſemel quidem Idolorum nomina efferant; quin & a nominibus ipſis immundorum animalium ſeſe contineant: hinc ſuum indicant nomine *alterius rei*; nec de hæreticis loquuntur ſine præfatione veniæ: *Verbo ſit venia*.

Interdictum hoc aliam quoque ſignificationem referre poſſe, quidam arbitrantur, Deum nomine appellare, ejus nomen proferre, revocare in mentem ſuam vel aliorum Dei nomen, uſurpatur interdum pro, ſervire, adorare, cultu religioſo proſequi, ac tandem agnoſcere. Ita Deus adfuturum ſe ſpondet (7) omni loco, in quo futura ſit *memoria nominis ejus*; ideſt; loco ſibi conſecrato. Aliæ quidem gentes, ait Pſalmus XVIII. 8. ſpem ſuam omnem in equitibus & curribus collocarunt; *nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus* נזכיר *Recordabimur*; ideſt, Deum noſtrum agnoſcemus, invocabimus. Pſalmus XXI. 28. de Juſtis: *Reminiſcentur* יזכרו וישבו [nominis Dei] *& convertentur ad Dominum*. Sexcenta alia hujus generis exempla ſuppetunt. Apoſtolo etiam *nominare nomen Jeſu Chriſti*, eſt, ſeſe diſcipulum ejus, Evangelium, & Chriſtianam religionem profiteri. *Diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini* (8). In Actis Apoſtolorum IX. 14. 21. *invocare* vel *appellare nomen Jeſu Chriſti*, vel *Dei*, valet, Chriſtianum eſſe: *Qui invocabant nomen iſtud*.

De interdicto jurandi, vel alios adigendi ad jusjurandum per Deos externos, in Exodo XXIII. 13. diſſeruimus; & una omnium ſententia agnoſcit, jusjurandum actum eſſe religionis, quo Deum tantum veneramur, quantum illius honori derogamus blaſphemia. Tyriorum legibus vetitum fuiſſe jurare peregrino ſacramento, præſertim ſacramento *Corban*, quod Hebræorum fuiſſe ex Evangelio & Joſepho conſtat, Theophraſtus (9) affirmat.

℣. 10. Unus e vobis persequetur hostium mille viros. Repetitio hæc eſt promiſſionum, quas Deus per Moyſem non ſemel populo ſuo (10) ſpoponderat.

℣. 13. Erunt vobis in foveam ac laqueum et offendiculum ex latere vestro, et sudes in oculis vestris. Reddi poſſet Textus (11): *Erunt vobis in rete & in laqueum, & flagellum*, ſeu virga *lateri veſtro, & ſpinæ in oculis veſtris*. Animadverſum eſt, olim ſervorum & puerorum latera cædi conſueviſſe; *Ibericis peruſte funibus latus*, ait Horatius (12). Author Eccleſiaſtici (13): *Curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus, dum infans eſt*; & alibi: *Ne erubeſcas multa diſciplina filiorum, & ſervo peſſimo latus ſanguinare*. Quod nos reddimus *flagella*, ſeu *virgas lateribus tuis*, Septuaginta verterunt: *In clavos in calcaneis veſtris*.

℣. 14. En ego hodie ingredior viam universæ Terræ; ad finem meum propero. *Hodie* uſurpatur hic pro brevi; quemadmodum alibi *cras* eſt pro aliquo poſt tempore. *Ingredi viam univerſæ Terræ* eſt; eamdem, quam mortales omnes, mortis conditionem ſubire; viam inire eamdem, quam & mundus univerſus; eo pervenire, quo omnes convenire neceſſe eſt. Familiaris eſt Profanorum phraſis; *Abire in communem locum*, vel eo ire, ubi plures jam verſantur: *Quin prius me ad plures penetravi* (14).

Toto animo cognoscetis: Hebræus (15): *Scietis in toto corde veſtro, & in tota anima veſtra*. Plane cognoſcitis; teſtes vos ipſi fuiſtis, nec ignorare poteſtis, Dominum integra fide, quæ ſpoponderat, impleviſſe,

℣. 16. Eo quod præterieritis. Prophetico more ita de futuris agit, tamquam de præteritis. Easdem minas majori verborum vi Moyſes in populum intorquet (16). Hæc autem omnia prorſus impleta ſunt captivitate Babylonica, ſed multo etiam gravius poſt obitum Jeſu Chriſti, Templo & Jeroſolyma everſis.

(1) לבלתי בוא בגוים האלה הנשארים האלה אתכם ובשם אלהיהם לא תזכירו לא תשביעו (2) Pſalm. XV. 4. (3) Oſee II. 16. *Et erit in die illa, dicit Dominus, vocabis me, vir meus, & non vocabis me Baali*. (4) 2. Reg. XI. 21. (5) Epheſ. V. 3. *Fornicatio autem & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominentur in vobis*. (6) Vide Druſ. hic, & Selar. (7) Exod. XX. 24. *In quo memoria fuerit nominis mei*. אשר אזכיר את שמי (8) 1. Timot. II. 19. (9) Vide Joſeph. lib. 1. contra Appion. Ὅρκος ξενικός. (10) Levit. XXVI. 13. 7. 8. Deut. XXVIII. 7. & XXXII. 30. (11) והיו לכם לפח ולמוקש ולשטט בצדיכם ולצנינים בעיניכם S. Hieronymus legit פחת *fovea*, pro פח *rete*. (12) Horat. Epod. Ode 4. (13) Eccli. XXX. 12. & XLII. 5. Vide Grot. & Druſ. (14) Plaut. in Trinum. Vide Druſ. hic. (15) וידעתם בכל לבבכם ובכל נפשכם (16) Deut. XXXI. & XXXII.

CAPUT XXIV.

Conventus populi in Sichem, cui Deus per Joſue beneficia ſua omnia, quæ Patribus illorum, quæ ipſis collata, exponit. Fœdus populi cum Deo. Joſue obiit. Oſſa Joſephi Patriarchæ ſepulturæ mandantur. Phinees moritur.

℣. 1. Congregavitque Joſue omnes tribus Iſrael in Sichem, & vocavit majores natu, ac principes, & judices, & magiſtros, ſteteruntque in conſpectu Domini. 2. Et ad populum ſic locutus eſt: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Trans flu-

fluvium habitaverunt patres veſtri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor: ſer-
vieruntque diis alienis. 3. Tuli ergo patrem veſtrum Abraham de Meſopotamiæ fi-
nibus: & adduxi eum in terram Chanaan: multiplicavique ſemen ejus, 4. Et dedi
ei Iſaac: Illique rurſum dedi Jacob, & Eſau. E quibus, Eſau dedi montem Seir ad
poſſidendum: Jacob vero, & filii ejus deſcenderunt in Ægyptum. 5. Miſique Moy-
ſen, & Aaron, & percuſſi Ægyptum multis ſignis, atque portentis. 6. Eduxique
vos, & patres veſtros de Ægypto, & veniſtis ad mare: perſecutique ſunt Ægyptii
patres veſtros cum curribus, & equitatu, uſque ad Mare rubrum. 7. Clamaverunt
autem ad Dominum filii Iſrael: qui poſuit tenebras inter vos, & Ægyptios, & ad-
duxit ſuper eos mare, & operuit eos. Viderunt oculi veſtri cuncta, quæ in Ægy-
pto fecerim, & habitaſtis in ſolitudine multo tempore: 8. Et introduxi vos in Ter-
ram Amorrhæi, qui habitabat trans Jordanem. Cumque pugnarent contra vos, tra-
didi eos in manus veſtras, & poſſediſtis Terram eorum, atque interfeciſtis eos. 9.
Surrexit autem Balac filius Sephor rex Moab, & pugnavit contra Iſraelem. Miſit-
que, & vocavit Balaam filium Beor, ut malediceret vobis. 10. Et ego nolui audi-
re eum, ſed e contrario per illum benedixi vobis, & liberavi vos de manu ejus.
11. Tranſiſtiſque Jordanem, & veniſtis ad Jericho. Pugnaveruntque contra vos viri
civitatis ejus, Amorrhæus, & Pherezæus, & Chananæus, & Hethæus, & Gergezæus,
& Hevæus, & Jebuſæus: & tradidi illos in manus veſtras. 12. Miſique ante vos
crabrones: & ejeci eos de locis ſuis; duos reges Amorrhæorum, non in gladio, nec
in arcu tuo. 13. Dedique vobis Terram, in qua non laboraſtis, & urbes, quas non
ædificaſtis, ut habitaretis in eis, vineas, & oliveta, quæ non plantaſtis. 14. Nunc
ergo timete Dominum, & ſervite ei perfecto corde, atque veriſſimo: & auferte deos,
quibus ſervierunt patres veſtri in Meſopotamia, & in Ægypto, ac ſervite Domino.
15. Sin autem malum vobis videtur, ut Domino ſerviatis, optio vobis datur: eligite
hodie, quod placet, cui ſervire potiſſimum debeatis, utrum diis, quibus ſervierunt
patres veſtri in Meſopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum Terra habitatis; ego
autem, & domus mea ſerviemus Domino. 16. Reſponditque populus, & ait: Abſit
a nobis, ut relinquamus Dominum, & ſerviamus diis alienis. 17. Dominus Deus
noſter ipſe eduxit nos, & patres noſtros de Terra Ægypti, de domo ſervitutis: fe-
citque videntibus nobis ſigna ingentia, & cuſtodivit nos in omni via, per quam am-
bulavimus, & in cunctis populis, per quos tranſivimus. 18. Et ejecit univerſas gen-
tes, Amorrhæum habitatorem Terræ, quam nos intravimus. Serviemus igitur Domi-
no, quia ipſe eſt Deus noſter. 19. Dixitque Joſue ad populum: Non poteritis ſer-
vire Domino: Deus enim ſanctus, & fortis æmulator eſt, nec ignoſcet ſceleribus ve-
ſtris, atque peccatis. 20. Si dimiſeritis Dominum, & ſervieritis diis alienis, con-
vertet ſe, & affliget vos, atque ſubvertet, poſtquam vobis præſtiterit bona. 21. Di-
xitque populus ad Joſue: Nequaquam, ita ut loqueris, erit, ſed Domino ſerviemus,
22. Et Joſue ad populum, Teſtes, inquit, vos eſtis, quia ipſi elegeritis vobis Do-
minum, ut ſerviatis ei. Reſponderunt: Teſtes. 23. Nunc ergo, ait, auferte deos
alienos de medio veſtri, & inclinate corda veſtra ad Dominum Deum Iſrael. 24.
Dixitque populus ad Joſue: Domino Deo noſtro ſerviemus, & obedientes erimus præ-
ceptis ejus. 25. Percuſſit ergo Joſue in die illo fœdus, & propoſuit populo præce-
pta, atque judicia in Sichem. 26. Scripſit quoque omnia verba hæc in volumine
legis Domini, & tulit lapidem pergrandem, poſuitque eum ſubter quercum, quæ
erat in ſanctnario Domini: 27. Et dixit ad omnem populum: En lapis iſte erit
vobis in teſtimonium, quod audierit omnia verba Domini, quæ locutus eſt vobis:
ne forte poſtea negare velitis, & mentiri Domino Deo veſtro: 28. Dimiſitque po-
pulum, ſingulos in poſſeſſionem ſuam. 29. Et poſt hæc mortuus eſt Joſue filius Nun
ſervus Domini, centum, & decem annorum: 30. Sepelieruntque eum in finibus poſ-
ſeſſionis ſuæ in Thamnathſare, quæ eſt ſita in monte Ephraim, a Septentrionali par-
te montis Gaas. 31. Servivitque Iſrael Domino cunctis diebus Joſue, & ſeniorum,
qui longo vixerunt tempore poſt Joſue, & qui noverunt omnia opera Domini, quæ
fecerat in Iſrael. 32. Oſſa quoque Joſeph, quæ tulerant filii Iſrael de Ægypto, ſe-
pelierunt in Sichem, in parte agri, quem emerat Jacob a filiis Hemor patris Sichem
centum novellis ovibus, & fuit in poſſeſſionem filiorum Joſeph. 33. Eleazar quo-
que filius Aaron mortuus eſt: & ſepelierunt eum in Gabaath Phinees filii ejus, quæ
data eſt ei in monte Ephraim.

℣. 5. CONGREGAVITQUE JOSUE OMNES TRIBUS ISRAEL ... ET VOCAVIT MAJORES NATU AC PRINCIPES. Continuatur hic illa, quæ in præcedenti capite, narratio inſtituta eſt. Præparatis Joſue animis populi, ut facilius ea audiret, quæ ipſe pro concione expoſiturus erat, orationem ſuam proſequitur, & rem longe petit, ut illos ad innovandum fœdus cum Deo in Sinai compoſitum hortetur. Caput hoc perinde haberi poteſt ac ſupremæ Joſue morientis tabulæ. Non ſatis aſſequor, cur Interpretes quidam definiant verba illa, *omnes Tribus Iſrael*, alii quidem (1) ad Tribus Cis-Jordanicas, alii (2) ad Principes, Optimates, Judices, & Magiſtratus ſupremos urbium & Tribuum. In re tanti momenti, quanti utique erat fœderis cum Deo innovatio, Tribus omnes quin ad cœtum coactæ fuerint, nullus dubito. Selegit autem facile in eam rem diem aliquam majoris feſti, qua generalem populi conventum religio indiceret.

IN SICHEM, vel prope Sichem, in agro, quem Jacob emerat, ac prope celebrem illam quercum, ubi olim habitaſſe Patriarchæ creduntur. Cur eo convenerint, cauſam ſilet Scriptura: ſuſpicamur autem, aptum locum illum ad innovandum fœdus ideo habitum fuiſſe, quod Urbi Sichem imminerent montes Hebal & Garizim, ubi olim erectum fuerat monumentum fœderis, initi Deum inter & Iſraelem, poſt tranſitum Jordanis. Coram igitur hoc monumento fœdus illud renovare viſum eſt.

Cœtum illum populi non in Sichem, ſed in Silo habitum fuiſſe, docti plures Interpretes arbitrantur (3). Pro *Sichem* enim *Silo* præferunt Septuaginta Editionis Romanæ, Manuſcriptum Alexandrinum, & S. Auguſtinus (4): certo autem conſtat, conventum habitum fuiſſe coram Domino & Arca & Sanctuario, uti ſeries univerſa rei monſtrat. Cum autem Arca & Tabernaculum in Silo tunc conſediſſe credantur, ibi pariter & conventus populi eſt habitus; idcirco vero Sichem pro Silo legitur, quod loca eſſent inter ſe adeo propinqua, ut alter pro altero facile uſurpari potuerit.

His tamen reponimus, I. Textum Hebræum, Chaldæum, Orientales Verſiones omnes, omneſque pariter Græcos codices, præter eos quos diximus, legere hic, & ℣. 25. hujus capitis, conſtanter *Sichem*. II. Temere prorſus ſtatuitur, Silo & Sichem duo fuiſſe ejuſdem regionis loca propinqua; cum tamen S. Hieronymus abeſſe invicem X. M. paſſibus, & Euſebius XII. M. paſſibus affirmet. III. Convenit populus ante Dominum, & coram Arca, quod præter morem Arca e Silo ſub quercum Sichem tranſlata fuiſſet. Porro ea quercus tunc in Sanctuario Domini fuit, Sanctuario, inquam, mox deſtruendo, tunc juxta Sichem erecto, & longe alio a Sanctuario ſtabili, in Silo conſtituto, in quo ſane arborem paſſi non fuiſſent Hebræi, aperta Domini ſanctione vetante, ne arbores circa Altare ſuum ſerantur (5). Imo nec ibi erigi ſiviſſent monumentum e lapidibus, quale hic ℣. 26. deſcribitur.

℣. 2. SERVIERUNT DIIS ALIENIS. Alibi demonſtravimus, Abrahami progenitores Idololatriam profeſſos fuiſſe; quin & Abrahamum ipſum iiſdem erroribus ab exordio implicitum fuiſſe, quidam ſtatuunt. Vide Commentarium in Geneſim XI. 31. Iſaiam XLIII. 27. Sapientiam X. 5. & Judith V. 7.

℣. 3. MULTIPLICAVI SEMEN EJUS, [℣. 4.] ET DEDI EI ISAAC. Poſteritatem ejus ex Iſaaco auxi, vel Iſmaelem filium Agaris, alioſque plures e Cethura liberos dedi; denique largitus ſuum Iſaacum filium promiſſionum & ſelectæ ſtirpis patrem futurum.

℣. 6. EDUXITQUE VOS ET PATRES VESTROS DE ÆGYPTO. Plures adhuc e populo ſupererant, quibus prodigia Dei in Ægypto, unde ſeptimo & quinquageſimo ab hunc anno exierant, intueri datum fuerat. Sæpe alibi animadvertimus, Deum in deſerto interfeciſſe reos tantummodo murmuris in Cadesbarne, qui ætatis annum vigeſimum ſuperabant.

℣. 9. SURREXIT AUTEM BALAC .... ET PUGNAVIT CONTRA ISRAELEM. Nuſpiam alibi legimus, Principem hunc arma in Dei populum intuliſſe; ſed accitum tantummodo ab eo ſcimus Balaamum, qui dira in Hebræos imprecaretur. Sed divinitus prohibitus ne dira pronunciaret Propheta, pro maledictis bona, invitus licet, precatus eſt. Ita Balac in Iſraelem, calliditate potius maliſque nocendi artibus, quam aperta vi, pugnavit. Inducere tentavit Prophetam Balaamum, ut diris Iſraelem devoveret, quo illum tandem aggrediens facilius ſuperaret: id enim generis maledicta & diræ uſurpari ſolebant potiſſimum in bellis, ut imbecilles hoſtes & ad reſiſtendum impares redderentur. Denique dici poteſt, Balac pugnaſſe, quia pugnandi conſilium inierat, neque per illum ſtetit, quin reipſa pugnarit; ſolo enim hoſtium metu abſterritus eſt. Factum eſſe aliquid vel dictum non ſemel affirmat Scriptura, quod reipſa dicere vel facere quiſpiam decrevit. Vide quæ contulimus ad Joſue X. 15. Pugnatum etiam inter Principes aliquos tradit, cum reipſa nullum inter illos certamen, ſed tantum ſimultas, & animorum in pugnam præparatio interceſſerit. Vide 3. Regum XIV. 30.

℣. 10. LIBERAVI VOS DE MANU EJUS. De manu Balac: arma illum in vos ferre non permiſi, feci ut neque inferre auderet.

℣. 11. PUGNAVERUNT CONTRA VOS VIRI CIVITATIS EJUS, AMORRHÆUS, ET PHEREZÆUS. Urbem Jericho incolebant facile, vel ſaltem defendebant Amorrhæi, Pherezæi, Hethæi, Chananæi, aliæque gentes ex univerſa ea regione collectæ. Vel intellige de bellis omnibus a Joſue cis Jordanem geſtis. Urbs Jericho vobis reſtitit, vel pugnavit vobiſcum, quemadmodum & cæteræ per regionem gentes, Amorrhæi, Pherezæi, Hethæi, quos Dominus veſtræ tradidit poteſtati. Pro *viri civitatis Jericho*, Hebræus legit בעלי יריחו, *Domini Jericho*: quod exprimere poteſt Optimates, Regem, ejuſque Duces, vel tantum incolas & cives urbis, quod ajunt Septuaginta, κατοικοῦντες Ἱεριχώ: quæ poſterior ſententia æquior videtur, & communiori ſuffragio probatur (6).

At enim quomodo cives Jerichuntis pugnarunt in Iſraelem? Nonne memoriæ proditum eſt, illos in apertum prodire metuentes, clauſiſſe ſe intra mœnia urbis; corruentibus autem divinitus muris ne reſiſtentes quidem in poteſtatem hoſtium veniſſe? Quis autem id pugnam appellet? Reſpondemus, cives Jerichuntis jure meritoque dici pugnaſſe in Iſraelitas, quamquam in apertum prodire non auſi fuerunt, cum hoſtes illos haberent: clauſerunt ſe intra mœnia ſua, urbem tuentes, parati etiam aggreſſoribus reſiſtere, ſi conſueto belli more urbem tentaſſent: præſtitiſſe dicuntur quod parati erant præſtare. Communes ſunt eæ phraſes tum vernaculo Hebræorum ſermoni, cum cæteris per orbem linguis. *A voluntate animique deſtinatione res perpenduntur*, ait S. Iſidorus Peluſiota (7). *Quo fit, ut qui ſponte aliquem ſauciarit, nec tamen interfecerit, eo, qui non ſponte atque conſulto interemerit, ſceleratior eſſe judicetur: ac proinde is, qui dedita opera vulnus intulit, omnino puniatur; qui autem haud voluntarie occiderit, veniam obtineat. Quemadmodum ſi quis accepto gladio*

(1) Vatab. (2) Maſ. Druſ. Bonfr. (3) Serar. Menoch. Druſ. Tirin. Jun. Grot. (4) Aug. quæſt. 30. in Joſue. (5) Deut. XVI. 21. *Non plantabis lucum & omnem arborem, juxta altare Domini Dei tui.* (6) Vide Druſ. hic, & Judic. IX. 20. 23. 39. XX. 5. & 1. Reg. XXIII. 11. 12. ubi בעלי עיר ſignificat incolas urbis. (7) Iſidor. Peluſ. lib. 2. Epiſt. 289.

pto gladio vias circumeat, at aliquem obtruncet, eum autem minime nactus infecto negotio redeat, non propterea homicidii crimen effugit. Ita Orion violaſſe Dianam accuſatur, quod vitium illi inferre tentarit, non intulerit (1).

Sic quondam Orion manibus violaſſe Dianam.

Galli tenuiſſe arcem vel Capitolium dicuntur, quod occupaturi illud obſiderent, & ſpe jam occupaſſent (2).

Galli per dumos aderant, arcemque tenebant.

Juvenalis Satyra III. verſu 78. affirmat, Græculum eſurientem, ſi quis juſſerit, vel ad Cœlum ipſum conſcenſurum; ideſt, fore ut ſpondeat ſe eo uſque conſcenſurum, & vel quæ fieri nequeant, tentaturum:

Græculus eſuriens in Cœlum, juſſeris, ibit.

℣. 12. Misique ante vos crabrones, qui hoſtes moleſtia ſua expulerunt; quod nos ad literam accipiendum eſſe, in Commentario ad Exodi XXIII. 28. demonſtravimus.

Ejeci eos de locis suis, duos Reges Amorrhæorum, non in gladio nec in arcu tuo. Duo hi ſunt Og & Sehon, quos Deus fucceſſere e regione ſua muſcarum agmine pulſos coegit; qui tamen in exteras regiones non evaſerunt prius quam manus cum Iſraelitis conſeruerint. Prælium rite commiſſum eſt; ſed Hebræi, quibus muſcarum exercitus, quas narrat Scriptura, admilitabat, hoſtes ferme non reſiſtentes ſuperarunt. Victoria igitur Iſraelitis non arcu & gladio parta eſt. Arcus & gladius uſurpantur in Scriptura pro quolibet armorum ad injuriam inferendam genere (3): nec fere quidquam aliis armis pugnare tunc homines norant.

Latiori ſenſu Textus accipi poſſet (4): *Miſi ante vos muſcas, & ejeci* (Chananæos illos, de quibus in ℣. precedenti). Tradidi manibus veſtris *duos Reges Amorrhæorum, quin vos arcu & gladio pugnaretis: viciſtis illos quodammodo abſque vulnere: leviter adeo reſtiterunt, ut facile intelligeretur, inviſibilem quamdam manum pro vobis pugnare*. In hoc Textu ſupplemus, *Tradidi eos manibus veſtris*, quod e ℣. 11. deſumptum eſt.

℣. 14. Auferte Deos, quibus servierunt Patres vestri. Fieri ne unquam potuit, ut ſub ipſis oculis Joſue, Eleazari, Phinees, cæterorumque Seniorum, qui teſtes fuerunt prodigiorum Dei in Ægypto & in deſerto, Idolorum ſuperſtitio in medio Iſraelis permitteretur? Id tamen iterum reperit Joſue in ℣. 23. & Amos Propheta capite 5. 26. docet, in itinere per deſertum Hebræos Profanorum Numinum ædiculas geſtaſſe; quod etiam S. Stephanus in Actibus VII. 41. & Ezechiel XXIII. 3. 8. confirmant. Numquid major inerat Joſue, quam Moyſi ſive ſtudium legis, ſive authoritas? Numquid docilior ſub Joſue quam ſub eo Legiſlatore; religioſior in Chanaanitide quam per deſertum, effectus eſt populus? Plus nimio igitur verum eſt, apud Hebræos fuiſſe plures, qui clam ſaltem religionem Numinum Ægyptiorum ac Meſopotamiæ (5) ſervarint.

Verum S. Auguſtinus (6) inducere animum non poteſt, ut credat verba illa Joſue ad literam accipi oportere. Quomodo fieri potuit, ut populus ille, cui Scriptura (7) non ſemel teſtimonium reddit ſane glorioſum, ſeſe ſcilicet Dei juſſionibus morigerum omnino exhibuiſſe, *ſerviſſe illum Domino cunctis diebus Joſue, & Seniorum, qui longo vixerunt tempore poſt Joſue* (8), quomodo, inquam, fieri potuit, ut Idola veneraretur, ſimulque Scriptura de impiis illuſtre adeo judicium ferret? Deus, qui gravi adeo animadverſione furtum Achan punivit, num eam in populo ſuo iniquitatem tuliſſet impunem? Num poſt hoc edictum Joſue narrat Scriptura, populum Idola eo uſque a ſe culta projeciſſe? Vis illa animi, qua exarſerunt in fratres ſuos ob merum ac ſimplex monumentum in ripa Jordanis erectum, exhibet ne populum cultui Idolorum addictum? Verba igitur Joſue ceu conditione aliqua definita accipienda ſunt, veluti ſi profiteretur: Siquis ex vobis reliquias aliquas ſervat propenſionis erga Numina olim in Ægypto culta, vel quibus Patres veſtri ſervierunt in Meſopotamia, abdicet a ſe illas ſtatim, & jam nunc nihil habeat amoris, nihil propenſionis, niſi in cultum Domini.

Hæ tamen rationes omnes ex rei convenientia deductæ, adverſus rem ipſam, aperte adeo & crebro in Scriptura narratam, nihil probant. Eſto immunem ſe ab eo crimine præbuerit tota communiter natio Hebræorum, & viri in populo principes; inter multos tamen plures adhuc ſupererant, vitiis & ſuperſtitionibus addicti, qui impietatem ſuam oculis Magiſtratuum occultabant.

Quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, et in Ægypto. Convenit inter omnes, Thare patrem Abrahami, & ex avis ejus plures Idola coluiſſe, ſed ægre in animum inducimus, Abrahamum Idololatris cæteris eſſe jungendum, quamquam Joſue illum non excipit e numero reliquorum Parentum Hebræorum, qui Numina Meſopotamiæ coluere; ac Philo (9), S. Ephrem (10), Anthor Recognitionum (11), Rabbini (12), & recentiores plures Interpretes ultro fatentur, Abrahamum ante vocationem ſuam, & priuſquam veniret in Chanaanitidem, Idola coluiſſe. Idcirco autem credunt quidam, Abrahamum ante vocationem ſuam ab Apoſtolo Paulo (13) impium appellatum fuiſſe: *Credenti in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam*. Iſraelitarum in Ægypto Idololatria non minus comperta eſt, quam conſtet de ſuperſtitione patrum illorum in Meſopotamia. Crimen illud apertiſſimis ſimul pleniſque execratione verbis exprimit Ezechiel Propheta (14): *Duæ mulieres*, ait, *filiæ matris unius fuerunt, & fornicatæ ſunt in Ægypto, in adoleſcentia ſua fornicatæ ſunt .... Porro earum nomina Samaria & Jeruſalem.*

℣. 15. Optio vobis datur. Intelligens Joſue, ſervitutem omnem, quæ neque ſponte, neque cum delectu & cognitione ſuſcipitur, diu non permanere, nihilque ſoliditatis habere, ut propoſuit Iſraelitis, quantum erga Deum ſuum tenerentur, volenſque ad innovandum cum Domino fœdus animos illorum inclinare, liberos eos eſſe monet fœdus illud admittant nec ne. Deo gratum non eſſe quidquid coacti præſtamus. Ne igitur, ait, rem tanti momenti niſi prius ſerio omnibus expenſis, ſuſcipiatis moneo: ſedulo vos ipſos & voluntatis veſtræ inclinationem omnem expendite. Ad me quod attinet, ego quam ſequar partem elegi: *Ego & domus mea ſerviemus Domino.*

℣. 19. Non poteritis servire Domino. Moras haſce nectens & difficultates expendens Joſue, eo ſpectat, ut cautionem omnem populo ſubducat, quaſi ſcilicet ſubito & præcipiti conſilio in eam rem ipſos pertraxerit: eo deducit Iſraelitas, ut rogent & urgeant, quo tandem nomine ſuo velit initum jam fœdus confirmare. Optat, ut tanti momenti res ſumma conſilii maturitate & cautione peragatur: nec ſibi quidquam pollicetur de inconſtantia & mobilitate Judæorum. Hujus ingenii, quale in

(1) Aratus. Vide Gataker. & Glaſſium. (2) Virgil. Æneid. VIII. (3) Vide Geneſ. XLVIII. 22. Pſal. XLIII. 7. & VIII. 13. 14. (4) ואשלח לפניכם את הצרעה ותגרש אותם מפניכם שני מלכי האמרי (5) Vide Lyran. Tirin. Boofr. (6) Auguſt. quæſt. 29. in Joſue. (7) Vide Joſue XXII. 2. 3. & XXIII. 3. 4. & 8. *Adhærebitis Domino Deo veſtro, quod feciſtis uſque in diem hanc.* (8) Joſue XXIV. 31. (9) Philo, περὶ εὐγενείας, & clariſſime lib. de Præmiis & pœnis. (10) Ephræm ſerm. 2. de pœnit. (11) Recognit. l. 1. (12) Vide Maimonid. & Thalmud. in Sedar. hic qu. 2. (13) Rom. IV. 5. (14) Ezech. XXIII. 2. 3. Vide ℣. 8. 19. & 27. ejuſdem.

Digitized by Google

in vobis agnoſco, populus, vix erit ut conſtantem Domino ſervitutem exhibeat: cavete autem; Deus enim ſeverus eſt & æquus Judex, qui peccantibus non parcet: Deus eſt zelotes, qui uni ſibi integram & perfectam ſervitutem exigit: videte igitur, utrum in propoſito ſuſceptoque munere fidem & conſtantiam ſpondeatis.

℣. 20. CONVERTET SE, ET AFFLIGET VOS. Seu potius (1), alium ſe vobis præſtabit, & malis opprimet. Vel forte: Novas infliget plagas, & veluti ex integro pondus aggravabit, ut vos opprimat, ac penitus conterat. Vel tandem: Sententiam Deus, & agendi erga vos rationem mutabit, ut ex parente & patrono in adverſarium & deſtructorem convertatur.

℣. 21. NEQUAQUAM ITA ERIT. Dominum non deſeremus, nec recedemus a fœdere, quod inire nobiſcum dignatus eſt; ſperamus autem futurum, ut ille beneficia erga nos ſua non minuat, neque id nobis infortunii accidat, ut in ea incurramus mala, quæ tu minitaris.

℣. 25. PERCUSSIT ERGO JOSUE FOEDUS, ET PROPOSUIT POPULO PRÆCEPTA ATQUE JUDICIA. Animo & mente Iſraelitarum ad innovandum cum Domino fœdus præparatis, fœderis illius conditiones perlectæ ſunt; expoſuitque Joſue, quæ Dominus ex populo ſuo exigeret, & quibus viciſſim legibus ipſe ſe erga Populum obſtringeret. Ex his conditionibus prima apertiſſime hic deſcribitur, ℣. 23. *Auferte Deos alienos de medio veſtri, & inclinate corda veſtra ad Dominum Deum Iſrael*; pro reliquis autem merito reputamus, lectum fuiſſe Deuteronomium, vel potiſſimas Legis ſanctiones; deinde a populo obligatam fuiſſe ſacramento in iis omnibus fidem & obſervantiam; quibus abſolutis, immolatas credimus hujus cæremoniæ victimas: tum geſta omnia publicis tabulis deſcripta ſunt, eademque deſcripſit Joſue in calce Codicis Moyſis, qui vel intra, vel juxta Arcam ſervabatur. Vide quæ diximus in Deuteronomium xxxi. 26.

℣. 26. SCRIPSIT OMNIA VERBA HÆC IN VOLUMINE LEGIS DOMINI. Acta hujus cœtus, & fœderis hujus leges deſcripſit in calce voluminis Legis Moyſi, quod Moyſes in Arca fœderis condiderat. Commodum autem erat addere in fine hujus voluminis ſeu novas aliquas tabellas, ſeu poſtremæ, adhuc fortaſſe partim vacuæ, novam ſcripturam adjicere.

TULIT LAPIDEM PERGRANDEM, POSUITQUE EUM SUBTER QUERCUM, QUÆ ERAT IN SANCTUARIO DOMINI. Quem Joſue collocat hic in Sanctuario Domini, lapis, ſimplex erat monumentum fœderis, quod ipſe Dei nomine cum Iſraelitis juraverat, nihilque referebat oppoſitum cautioni illi, ne monumenta ſuperſtitioſa in honorem inanium Numinum ſtatuerentur (2). Quod autem hic *Sanctuarium Domini* appellatur, nihil erat aliud, uti ſupra diximus, quam Tabernaculum pro tempore erectum, ſtatutumque ſub quercu, ut Arcam brevi illo tempore, quo manſit in Sichem, contineret. Quæ vox Hebræa האלה hic vertitur *quercus*, *Terebinthus* reddita eſt per Septuaginta, Græcoſque Scriptores, qui ejus meminerunt. Sed Aquila, Symmachus, Chaldæus, ac plerique quercum interpretantur: ſub ipſa autem eademque arbore ferunt tres Angelos per viſum Abrahamo apparuiſſe (3), ibique exceptos fuiſſe convivio; ſub illa Jacobum infodiſſe Teraphim Labani (4); ſub illa Abimelechum filium Gedeonis in Regem a Sichemitis ſalutatum (5); eademque tandem pluribus adhuc poſt Chriſtum ſæculis virens monſtrabatur. Sed quis diuturnam adeo ætatem arbori concedat?

℣. 27. EN LAPIS ISTE ERIT VOBIS IN TESTIMONIUM, QUOD AUDIERIT OMNIA VERBA DOMINI. Mirum eſt, Joſue lapidi huic tribuiſſe vim ea percipiendi, quæ Deus populo ſuo expoſuerat. Orator vi orationis interdum raptus, per apoſtrophen alloquitur; Poetæ rebus interdum vita, & ſenſu deſtitutis vitam, verba, & ſermonem tribuunt: ſed in oratione ſimplici & æquali, in narratione figuris inornata, quid neceſſe fuit tribuere lapidi vim audiendi ea quæ facta ſunt verba? Itaque in hunc ſenſum reddi poſſet Hebræus (6): *En lapis iſte, qui erit inter nos teſtimonium, perinde ac ſi audierit omnia verba Domini*. Teſtes nos eſſe non poſſumus eorum, quæ inter nos geſta ſunt: & cum nullus alius ſit a nobis diverſus, quem ſumamus in teſtem, optimum factu erit, ſi hunc ſeligamus lapidem, eumque habeamus tanquam teſtem eorum, quæ nos auſcultavimus.

Nequidquam tamen his obſtantibus, ſenſus Vulgatæ commode retinetur; non enim deſunt perſimiles loquendi phraſes in ſermonibus æque familiaribus, & inornatis. Phraſes haſce audaciores & vividas amant Orientales: ita legimus in Scriptura, Terram vorare habitatores ſuos (7), evomere impios (8), totam ſe armare in homines ſceleſtos (9); vocem ſanguinis Abel in Cœlum clamare (10); crimina Sodomitarum ad aures oſque Dei offerri (11); rubiginem pecuniæ avarorum contra illos clamare. Futurum dicit Jeſus Chriſtus (12), ut ſi ingrediente ſe Jeroſolymam ſileant pueri, plauſus edant e pariete lapides; & ſic de cæteris. Cenſet Chaldæus, deſcriptam fuiſſe in lapide totius rei in hoc cœtu geſtæ hiſtoriam.

NE FORTE POSTEA NEGARE VELITIS, ET MENTIRI DOMINO DEO VESTRO. Hebræus legit tantum (13): *Ne forte mentiamini Domino*. Mentiri in Scriptura uſurpatur ſæpe pro deſciſcere, datæ fidei vel muneri ſuo deeſſe, ad alteram partem deficere, violare fœdus, pacta conventa abrumpere (14).

℣. 29. POST HÆC, MORTUUS EST JOSUE FILIUS NUN. Obiit annorum decem & centum ætate grandævus, exactis in regimine Iſraelis annis ſeptemdecim. In connubio vixiſſe, liberoſque genuiſſe, nullibi apparet (15). Illi publico luctu parentatum fuiſſe, quamquam ſilet Scriptura, rei tamen æquitas ſuadet. Elogium ejus nullum anguſtius intexere poſſumus, quam relatis Spiritus Sancti verbis, qui non ſemel incluti hujus viri encomiaſtem egit. Intelligens Moyſes, nolle Dominum, ut aditus ſibi in terram Promiſſionis pateret, Deum ipſum rogavit, ut ipſe per ſe ſucceſſorem eligeret (16): *Provideat*, ait, *Dominus ſpirituum omnis carnis hominem, qui ſit ſuper multitudinem, & poſſit exire & intrare ante eos, & educere eos vel introducere, ne ſit populus Domini ſicut oves abſque paſtore. Dixitque Dominus ad eum: Tolle Joſue filium Nun, virum in quo eſt ſpiritus, & pone manum tuam ſuper eum .... & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Iſrael*. Quid auguſtius concipi poſſit de Joſue, quam quod dignus habitus fuerit, ut a Deo ipſo ad regendum populi ſui clavum ſeligeretur, deſtinareturque ſucceſſor viri illius, qui longe ſuperavit cæteros omnes, quotquot unquam Numinis providentia

inter

[1] ושב והרע לכם וכלה אתכם [2] Deuter. xvi. 22. *Nec facies tibi, neque conſtitues ſtatuam; quæ odit Dominus Deus tuus*. Levit. xxvi. 1. *Nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum*. [3] Geneſ. xviii. 1. [4] Geneſ. xxxv. 4. *Infodit ea ſubter Terebinthum, quæ eſt poſt urbem Sichem*. [5] Judic. ix. 6. [6] הנה האבן הזאת תהיה בנו לעדה כי היא שמעה את כל אמרי יהוה [7] Num. xiii. 33. [8] Levit. xviii. 25. [9] Sap. v. 18. [10] Gen. iv. 10. [11] Geneſ. xviii. 20. [12] Luc. xix. 40. [13] פן שכחשון באלהיכם [14] Vide Deuter. xxxiii. 29. 2. Reg. xxii. 45. Pſal. lxv. 3. Et lxxx. 16. Iſai. lix. 13. &c. [15] Vide Hieron. l. 1. adverſ. Jovin. Chryſoſt. ſerm. de Martyrib. [16] Num. xxvii. 12. & ſeq.

inter homines produxit? Hujus autem ſapientiſſimi delectus gloriæ virtuta ſua & prudentia plane reſpondit.

Singulari etiam elogio, quo geſtorum ipſius clariſſima quæque commendat, Anthor Eccleſiaſtici XLVI. &c. proſecutus eſt: *Fortis in bello Jeſus Nave, ſucceſſor Moyſis in Prophetis; qui fuit magnus ſecundum nomen ſuum* (Joſue enim ſervatorem ſonat, ejuſque nominis vim totam implevit). *Maximus in ſalute electorum Dei, expugnare inſurgentes hoſtes, ut conſequeretur hæreditatem Iſrael, Quam gloriam adeptus eſt in tollendo manus ſuas, & jactando contra civitates rhomphæas? Quis ante illum ſic reſtitit? Nam hoſtes ipſe Dominus perduxit* (ante illum ut vincerentur). *An non in iracundia ejus impeditus eſt Sol, & una dies facta eſt quaſi duo? Invocavit Altiſſimum potentem in oppugnando inimicos undique, & audivit illum magnus & ſanctus Deus in ſaxis grandinis virtutis valde fortis. Impetum fecit contra gentem hoſtilem, & in deſcenſu perdidit contrarios, ut agnoſcant gentes potentiam ejus, quia contra Deum pugnare non eſt facile. Et ſecutus eſt a tergo potentis* (Deum ſcilicet ſecutus eſt). Ita elogium viri ſummi claudit.

Joſephus Hiſtoricus (1) illum laudat tamquam virum eloquentia æque ac ſcientia clarum, aptum aſſequi mente non minus quam perſuadere aliis eloquentiæ ſuæ vi, quæ ipſe intellexerat. Audax & intrepidus in periculis, magnis rebus gerendis idoneus, ſatiſque habens virtutis perficiendis iis quæ ſuſceperat; pacis ac belli virtutes ſummas poſſidebat: tandem paratus erat ad omnia, virtuteque omnibus temporibus accommodata præſtabat. Genuinam hujus viri imaginem paucis nobis explicuit Grotius (2): *Fuit Joſue ad belli imperium peridoneus, ingenio ſolers, fortis animo, Moſe ſeverior. Huic ſiquis ex aliis gentibus comparandus ſit, ſalvo pietatis & divini afflatus diſcrimine, ſumam Catonem majorem.*

Joſue in ſucceſſorem Moyſis deſtinatus, & a Deo ſelectus ut Iſraelem in terram promiſſionis introduceret, cum interim Legiſlator ipſe ejuſque frater Aaron ſententiam mortis ſubiiſſent, antequam in optatam regionem pedem intro ferre poſſent, quam regionem perinde habebant ac imaginem æternæ illius hæreditatis, quo juſtorum vota omnia colliman; Joſue, inquam, in his figuram gerit, vivis coloribus expreſſam, Servatoris Mundi, per quem Legi Evangelium ſucceſſit, quique populo ſuo æternam hæreditatem procuravit & ſalutem, præmium iis promiſſum, qui in fide manſerint, neque ſe participes præbuerint idololatriæ, pervicaciæ atque obtrectationis, quibus criminibus mors in Iſraelitas magno numero per deſertum inducta eſt.

Joſue Jordanem trajicit, amnem illum ſingulari dignitate ornatum, cujus aquas Jeſus Chriſtus, Baptiſmo ſe illis abluendum tradens, ſanctas effecit: in eo autem tranſitu Joſue typum gerit Sacramenti illius, quo purgamur ſordibus omnes qui mundum ingredimur, tamquam maculis ex peccato primorum parentum reſiduis; eodemque Sacramento recluduntur fores Eccleſiæ & ſalutis, tam facile & prompte, ut aperta in aquis Jordanis via minus expreſſam ejus imaginem exhibeat.

Nova illa vel ſecunda circumciſio, cui Joſue filios Iſraelis ſubmiſit, ut ad Paſcha celebrandum compararentur, præferrentque ſignum, quod genuinos Iſraelitas a cæteris populis diſtingueret, circumciſio hæc nova exhibet cordis & animi circumciſionem illam, quæ inſigne eſt Fidelium ac filiorum Dei, qua ſi careant, indigni ſint celebratione Chriſtiani Paſchatis & participatione Sacramenti Corporis & Sanguinis Domini. Paſcha enim illud pro mundis corde eſt, a veteri fermento puris, qui Ægypti opprobrium dereliquerunt, ac veſtem filiorum nequitiæ & mendacii depoſuerunt.

Relatæ ab Joſue victoriæ, militantibus ferme ſub ejus ſignis prodigiis, inanes hoſtium conatus, & vana illa molimina Regum fœderata arma in illum ferentium, imago ſunt prodigioſi illius imperii, quod Religio Chriſtiana toto orbe diffudit, fruſtra reluctante ſæculi & inferni poteſtate, Jeſus Chriſtus vi gratiæ ſuæ, robore crucis, & efficacia vocationis id evicit, ut totum ad ſe mundum pertraheret, ſubjiceretque ſibi hoſtes validiſſimos gratiæ ſuæ illecebris, potenti ac viva brachii ſui impreſſione, qua corda hominum valide æque & ſuaviter trahit. Quas in Eccleſia perſecutiones excitavit Dæmon, quæ pertulerunt Martyres ſupplicia, Hæreticorum defectiones, & ſeditiones domeſticæ impiorum Chriſtianorum, curſum victoriarum Jeſu Chriſti remorari non valuerunt. Reſiſtere quidem poſſunt hoſtes, vincere etiam Iſraelem, cum ſe reum detenti anathematis ex Jerichunte præbet: verus tamen Joſue poteſtatem hanc & nequitiam hoſtium ſuorum limitibus definit, ac propria illorum arma ac nequitiam admilitare ſibi cogit.

In Gemarra Babylonica (3) recitantur decem ſeu regulæ ſeu leges, quas Judæi ad Joſue authorem referunt, quamquam ita indignæ ſunt tanto viro, ut alienas eſſe ab illo omnino reputemus. Narrandas tamen arbitramur antiquitatis ſuæ cauſa, atque ut pariter Lectores de fide illis præſtanda judicent.

I. Fas eſt paſcere minutum gregem, non vero majorem, in magnis ſylvis; neutrum vero compellere licet in cæduam vel teneram adhuc ſylvam, inſcio domino.

II. Fas eſt Iſraelitis in alterius agro colligere & comparare in ſuum uſum ligna minuta, carduos & ſpinas; ſed non illa cædere, multoque etiam minus e pomiſeris arboribus, aut ex arbuſculis agri præcidere.

III. Herbas ubique colligere, ubi ſponte germinaverint, datum eſt: abſtinendum tamen a fœno, quod in agris in pabulum beſtiarum ſeritur.

IV. Ramuſculos nonnullos e pomifera arbore decerpere licet, excepta olea; e qua tamen demere tuto datum eſt aliquid, oliva vel ovo non majus: non vetus lignum, ſed germen cædito; non ſarmenta vitis nec arboris niſi plus nimio ramoſæ, idque tantum in locis Soli non expoſitis.

V. Fontes amnis ad eam ſive urbem ſive provinciam pertinent, quæ eodem amne perluitur, quamquam fons ipſe intra ditionis alterius fines contineretur.

VI. Tribubus æque omnibus Iſraelis jus eſto piſcandi hamo in lacu Tiberiadis; ut vero lintribus retibuſque ac naſſa piſcatum jure ibi exerceant, unis datum eſt Tribubus, intra quarum ditionem mare illud continetur.

VII. Integrum eſt omnibus alvum exonerare ad ſepem, licet ager ſatus ſit croco, vel re alia æque pretioſa.

VIII. Qui aberraverit in vinea vel in agro, tuto per mediam illam vineam vel agrum inambulat, donec recto itineri ſeſe reſtituat.

IX. Pluvio tempore, cum cœno viæ impediuntur, per alterius hæreditatem iter ſibi facere jus eſto.

X. Cadaver in agro jacens, locum illum ſibi acquirit, nec ſepultura illi ibidem denegari poteſt.

Leges ejuſmodi Joſue & viris illis ad regionem diſtribuendam ſelectis tribuunt Judæi: ſunt autem pars juris veteris Hebraici, paremque merito Authoris ſui vim ac obſequium ſibi apud illos vindicant.

Geſtorum etiam Joſue, quæ tamen apocryphum aper-

(1) Joſeph. Antiq. l. 5. c. 1. ad finem. (2) Grot. ad Joſue ℣. 1. (3) Vide Gemar. Babyl. ad Titul. Kama c. 7. apud Selden. l. 6. de jure Nat. & Gent. c. 2. & apud Marſham, Canon. Ægypt. ſæcul. 10.

apette olent (1), nonnulla in Chronico Samaritanorum (2) & in Judæorum Scriptis referuntur. Regibus Chanaan victis necique traditis a Joſue, Sobach minoris Armeniæ Rex, unius e Regibus illis filius, inito cum xLv. Regibus Perſarum & Medorum fœdere, exercitum more arenæ maris immenſum comparavit: cui præſidium accedebat Gigantis Japhet, viri robore ſuo vel validiſſimis quibuſque formidandi. Literas autem ad Joſue in hanc ſententiam ſcripſerunt: Lupus es veſpertinus, quem late intuliſſe excidium, patres noſtros interfeciſſe, & pepercisse nemini ſcimus. Compertum autem tibi eſto, intra dies triginta futurum, ut te aggrediamur Reges quinque & quadraginta, exercitum unuſquiſque ducentes ſexaginta millium inſtructiſſimorum. Para ergo te, neque te deinceps paraturum ſpera, ſtatim enim veniemus.

Cum literas ejuſmodi acciperet Joſue, forte Regio ſolio inſidebat, ac jus dicere populo, iis nec dum recluſis, perſeveravit; quin nec populo quidquam ſignificandum cenſuit uſque poſt Feſtum Pentecoſtes, ne gaudium publicum turbaret. Tandem pro concione literas illas quadraginta quinque Regum palam legit. Neque animis dejecerunt Iſraelitæ, ſed ore humi proſtrati, Joſue flagitarunt, ut ſuperbis literis paria reſponderet. Legit itaque Joſue quæ antea meditatus fuerat ut reſcriberet; quorum hæc ſumma: Robur Iſraelitarum omne in Dei virtute eſſe conſtitutum; excitaſſe illos dormientem Leonem; nunciare autem, ut ſe viciſſim pararent ad certamen, arma enim intra ſeptem dies ſeſe illaturum: Nobis autem, adjecit, militant Angeli Altiſſimi, adeſt ſexcentorum millium exercitus, favetque Dominus prodigiis illis omnibus, quorum fama ad aures veſtras pervenit.

His acceptis literis, fœderati illi Reges, ſibi de conſtituta ab Hebræis invaſione metuentes, proni in terram ejularunt: Quid nos cepimus conſilii? cur in ejuſmodi mali nos diſcrimen injecimus? Interim Joſue cum delectis duodecim millibus, magnis itineribus intra ſex dies Reges illos aſſecutus eſt; quos ſane diſciplina & habitus parvi illius exercitus terruit. Sed mater Sobach magicis artibus inſtructiſſima id ſe commiſſuram ſpopondit, ut Joſue intra ſeptem ferreos muros clauderetur, e quibus eripere ſe nulla vi poſſet. Omni igitur artis ſuæ virtute adnitens mulier, mira ſtatim præſtitit. In eas anguſtias redactus Joſue, literis datis ad Janiach Regem Tribuum Transjordanicarum, rogavit, ut ſuppetias laturus quantocius accurreret. Literas autem ſuas commendavit alis columbæ, quæ dimiſſa ad Janiach detulit. Igitur ille ſtatim coacto exercitu, accitoque Phinees filio Summi Sacerdotis Eleazari cum tubis Domini, itineri ſe cum illo dedit, brevique ad urbem Sobach pervenit. Mulier venefica, quæ Joſue concluſerat, aperte profeſſa eſt, primo conſpectu ſideris hujus orientalis artem ſuam omnem evanuiſſe, ut nihil adverſus Janiach poſſet; cujus confeſſione filius irritatus fœminam ex altis mœnibus præcipitem egit. Interim Janiach commiſſo cum Sobach prælio, illum interfecit; ſimulque Phinee clangente buccinis, ferrea illa mœnia, quæ præſtigiis fœminæ veneficæ ſtabant, ſponte corruerunt, & Joſue cum ſuis e carcere liber, impetum fecit in hoſtes, quos omnes ſudit ac delevit, ut ne unus quidem reliquus ſupereſſet.

Male conſutam adeo fabulam refutare non vacat; animadvertere autem juvat, raros occurrere viros ſummos, & grandia aliqua geſta in Scriptura, quæ Judæi exaggerare non ſtuduerint, veras illas rerum hiſtorias fabulis & portentoſis adjunctis infercientes. Cum autem commenta hæc ſint vetuſtiſſima, & procuſa a Doctoribus illorum ſapientiſſimis & graviſſimis, jure meritoque reputamus non ſine induſtria & conſilio id eos effeciſſe, ut geſta magnorum virorum ornamentis hiſce decorarent. Quamquam enim ludibria hæc ſunt ingenii, adbuc tamen mentem tenent attentam, excitantque juvenum ingenia, ut veritates illas, quibus junguntur, menti altius imprimant. Natura enim comparati ſumus, ut ea amemus, quæ admirationis aliquid inferunt, & moveri quiſque cupit ac excitari: ſeria & ſimplex narratio vivida & fœcunda ingenia afficit tædio. In ea autem re indulgendum forte ingenio vulgi & juniorum, Hebræi cenſuerunt. Non deſunt etiam, quibus hæc omnia tamquam parabolæ ad inſtruendum aptæ reputentur.

Ferunt, Petrum Regem Aragoniæ (3) interrogaſſe olim Doctorem quemdam de hiſtoria illa Thalmudis, ranam ſcilicet fuiſſe olim adeo immanem, ut ſexaginta domos æquaret; quam ranam anguis abſorbuit, anguem voravit corvus, qui tamen eo cibo neque gravior nec ſegnior effectus, in arborem evolavit. Reſpondit autem Doctor, familiare olim fuiſſe Priſcis docere populos ad ſonum muſicorum inſtrumentorum, ut Præceptorum lectiones mentibus influerent ſuavius: eo autem more paulatim dilabente, ſucceſſiſſe methodum ornandi præcepta fabulis, cælandique graviſſima dogmata eo fabularum involucro, ut ſcilicet & oculi mentis eo adſcitio ornamento caperentur, & ſimul mens ipſa inſtrueretur.

Sed num commoda hac cauſatione excuſentur figmenta omnia & anilia commenta, quibus Judæorum Libri interciuntur? Malum illud, quodcumque ſit, quod evitandum ſuſcipitur, an majus eſt quam verum alterum mali diſcrimen, cui objiciuntur Lectores, ridiculis adeo fabellis ob oculos eorum ingeſtis? An & malum illud, cui eo remedio occurritur, reipſa aufertur? Quod unquam obſequium eſſe poteſt erga perſonatas adeo & abſurdis coloribus expreſſas veritates? Quomodo in his veritatum & fabellarum ambagibus ſeſe lector expediet; & cui bono ingenia torqueamus formandis diſciplinæ præceptis ad ingenium fabularum? Cum interim veritates occurrant nudæ & apertæ in Scriptura, & aliæ ſint ſolidiſſimæ ſub Legis cortice latentes. Nibil eſt igitur, cur ejuſmodi narratiunculæ & fabellæ, quamquam ſe vetuſtate tuentur, aliter haberi poſſint, quam ut corruptiones hiſtoriæ ſanctæ pernicioſiſſimæ, & plena diſcriminis oblectamenta otioſarum mentium, quas grandis & auguſta majeſtas hiſtoriæ ſacræ non allicit.

℣. 30. SEPELIERUNT EUM IN FINIBUS POSSESSIONIS SUÆ IN THAMNATH-SARE. In nonnullis codicibus Septuaginta, ad calcem hujus verſiculi, hæc leguntur: *In quo monumento ſepelierunt eum, ibi poſuerunt cultros petrinos, in quibus circumcidit filios Iſrael in Galgalis, cum eduxit eos de Ægypto, ſicut conſtituit eis Dominus, & ibi ſunt uſque ad hodiernam diem.* Additionem hanc in codice ſuo legiſſe S. Auguſtinum, conſtat ex quæſtione ejus xxx. in Joſue. Ferunt etiam (4), cælatam fuiſſe in ejus ſepulchro imaginem Solis, tamquam monumentum rei geſtæ in celebri illo prælio Gabaonis, cum Solem & Lunam remoratus eſt. Fertur pariter (5) nomen *Thamnath-Sare* tranſlatum fuiſſe in *Thamnath-Hares* (6), quod ſonat ſtationem Solis, ex imagine ejuſdem aſtri ibi conſtituta. Omni tamen amota hæſitatione hæc omnia in cenſum earum fabularum rejiciuntur, quas nobis Judæi & Orientales venditant. Duo hæc nomina, *Thamnath-Sare* & *Thamnath-Hares* iiſdem literis, ſed inverſo ordine, ſcribuntur: nec abs re ſuſpicamur, ex his alterutrum vitium eſſe ſcriptionis.

---

[1] Abraham Zachin in Jochaſim, & R. Godolias in Catena. Vide Serar. cap. 24. qu. 15. [2] Vide Baſnage, Hiſt. des Juifs, tome 1. [3] Vide Baſnage, Hiſt. des Juifs, liv. 3. c. 6. art. 4. [4] Rabb. apud Maſ. Serar. alios. [5] Cajet. Maſ. [6] Locus Sepulchri Joſue in Hebræo capitis 11. 9. dicitur *Thamnat-hares*.

Digitized by Google

nis. Maluerim legendum תמנת חרם *Thamnath-Hares*, quam תמנת סרח *Thamnath-Sare*, ideo ſcilicet, quod notus ſit in Tribu Ephraimi mons *Hares*, in Vulgata *Mons Teſtaceus* (1), mons autem *Sare* nullibi occurrat.

Idem vero mons, qui *Hares* vel *Sare*, appellatus eſt etiam Gaas. Scriptum legimus, hic ſepulchrum Joſue ſitum fuiſſe ad ſeptemtrionem montis Gaas. Porro hujus nominis mons nullo alterius teſtimonio notus eſt, quam hoc Librorum ſacrorum loco; aſſeruntque Hebræi (2), id nominis, quod tremorem ſonat, inditum loco fuiſſe, quod in obitu Joſue Hebræi in contraria ſtudia commoverentur ſeu ſcinderentur, nolentes poſtremos honores viro huic eximio impendere, quales grandia ex illo relata beneficia exigebant. Ut ut res habeat ſeſe, narrat S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, ſanctam hanc fœminam inviſiſſe ſepulchrum Joſue in monte Ephraim ad ſeptemtrionem montis Gaas. Tradit Euſebius (3), ſua adhuc ætate ſuperſuiſſe illud juxta Thamnam: aſſeritque Brocardus, idem ſepulchrum occurrere in monte pardorum, in ſpecu ſex pedibus & viginti profundo, eumdemque locum peregrinationibus Saracenorum in memoriam viri ſancti frequentari. Alter Itinerarii Scriptor (4) narrat, ad radices montis Libani occurrere ſpecum cum ſepulchro ex unico lapide, pedibus ſeptem & viginti ac ſemis in longum, in quo Joſue conditus creditur. Sed poſterior hæc opinio veritati utique repugnat, conſtat enim, Joſue ſepulturæ mandatum fuiſſe in montibus Ephraim, qui a Libano plurimum diſtant.

℣. 31. Servivit Israel Domino cunctis diebus Josue et Seniorum, qui longo vixerunt tempore post Josue. Quoto tempore Iſraelitæ in obſequio Domini fideles manſerint, ſatis accurate definiri non poteſt. Id ſpatii ad annos circiter quindecim poſt obitum Joſue prorogamus. Per illud tempus Seniores, qui Moyſi & Joſue coævi fuerant, quique coram ſpectaverant Domini prodigia, authoritate qua præſtabant in populo, & exemplo probitatis ſuæ, religionem in Iſraele ſartam tectam ſervatunt. Sed iis decedentibus, populus in Idololatriam prolabens, Deos Chananæorum conſecravit. *Fecerunt filii Iſrael malum in conſpectu Domini, & adoraverunt Baalim* (5).

℣. 32. Ossa quoque Joseph ... sepelierunt in Sichem. Ante obitum ſuum Joſeph fratres obſecravit, ne in Ægypto oſſa ſua relinquerent, ſed ſecum auferrent in regionem Chanaan, eum Dominus aditum illis in eam provinciam aperiret (6). Voto huic Joſephi obſecuti ſunt Iſraelitæ: ſed quo potiſſimum tempore cæremonia ejus ſepulturæ functi ſint, non ſatis convenit intèr omnes. Maſius conſtituendam credit poſt erectum Altare in monte Hebal (7) prope Sichem, paulo poſt tranſmiſſum Jordanem; quam temporis opportunitatem nactum dicit populum, ut ſolemni ritu lypſana Patriarchæ ſanctiſſimi ſepulturæ mandaret. Malunt alii, non prius in Sichem oſſa Joſephi condita fuiſſe, quam regio ſubacta fuerit, atque diviſa. Quod in hac re certum videtur, illud eſt, nimirum pium ejuſmodi officium præſtitum fuiſſe pluribus annis antequam Joſue fatis fungeretur. Inclytus ille Dux, ſtudio gloriæ gentis & Tribus ſuæ incenſus, neglexiſſet ne ſexdecim annorum vel ſeptemdecim ſpatio, honorem illum tot nominibus Patriarchæ Joſepho debitum impendere?

In Sichem, in parte agri, quem emerat Jacob a filiis Hemor patris Sichem centum novellis ovibus. Idem eſt ager, quem Jacob præter hereditatem paulo ante obitum ſuum filio Joſepho largitus eſt (8). Expoſuimus in Geneſi, quo ſenſu affirmare potuerit Jacob, ſe ſibi comparaſſe hunc agrum gladio & arcu ſuo; hic enim & in Geneſi (9) legimus emptum fuiſſe pretio centum *novellarum ovium*, vel juxta Hebræum, *centum Keſitab*. Reputari enim poſſet, poſt emptum agrum illum centum *Keſitab*, coactum fuiſſe Jacobum & ab urbe ſe & ab agro removere, metuentem ſibi pro inſigni a filiis ſuis illata incolis injuria, quos omnes ferro trucidarunt. Sed annis aliquot evolutis, Jacobum eo redeuntem nolentes Chananæos occupatum a ſe agrum reſtituere, vi coegiſſe. Duplici igitur nomine agrum poſſidebat Jacob, emptione ſcilicet centum *Keſitab*, & violenta armorum adeptione. De ſignificatione vocis *Keſitab*, ad Textum citatum Geneſeos fuſe diſſeruimus. S. Stephanus in Actis VII. 26. argentum eo nomine deſignari cenſet: *Quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem*. Hoc tamen non probat, ſolutum fuiſſe argentum cuſum, figura arietis vel agni, non enim aliter ſolvi poterat, quam argentum rude ad pondus.

℣. 33. Eleazar quoque filius Aaron mortuus est. Conſignatur ea mors circa idem tempus, quo Joſue fatis ceſſit. Sepultus fuit in *Gabaath-Phinees*, urbe Ephraimitica, quæ privato jure ipſi Phinei ceſſerat, in præmium forte eorum, quæ egregie geſſerat, ſtudii & preclaræ virtutis. Hæc urbs in cenſu urbium Sacerdotalium non erat; nec niſi ſingulari privilegio poſſidenda Phinei tradita eſt, cum jure proprio fundos poſſidere nefas eſſet Sacerdotibus. Suſpicatur Grotius, ceſſiſſe illam in dotem uxoris Phineis, quæ forte hæreditatem hanc in Tribu Ephraim poſſidebat. Sed puellæ hæredes (10) num viros ſibi ex aliena Tribu adſciſcere poterant?

In fine hujus capitis addunt Septuaginta (11): *In illa die ſumentes filii Iſrael arcam Dei, circumtulerunt in ſeipſis; & Phinees functus eſt Sacerdotio pro Eleazaro patre ſuo, quoad uſque mortuus eſt, & defoſſus eſt in Gabaath. Et coluerunt filii Iſrael Aſtarten, & Aſtaroth, & Deos gentium, quæ in circuitu ipſorum. Et tradidit eos Dominus in manus Eglon Regis Moab, & dominatus eſt eorum annis decem octo*. De Phinee plura narrant Hebræi (12), quæ non aliter haberi poſſunt, ac futiles & inanes traditiones. Affirmant, ſummum hunc Sacerdotem Angelum fuiſſe, mortalibus exuviis indutum; eumdemque eſſe virum Dei, qui narratur (13) conveniſſe Heli ſummum Sacerdotem (14): eumdem Phineem a Jephte de voto ſuo conſultum reſpondiſſe, remiſſionem voti dare ſe minime poſſe (15). Contendunt, ipſiſſimum eſſe Eliam & Phineem filium Eleazari, Eſdræ coævum, circa tempus captivitatis Babylonicæ florentem (16). Sed ut has fabulas omittamus, preſtat recitare hic viri elogium, quod Spiritus Sanctus in Eccleſiaſtico (17) dictavit: *Phinees filius Eleazari, tertius in gloria* (tertius a Moyſe & Joſue) *imitando eum* (Aaronem) *in timore Domini & ſtare in reverentia gentis ſuæ* (innuit obſequium a populo exhibitum Beelphegor) *in bonitate & alacritate animæ ſuæ placuit Deo pro Iſrael. Ideo* (Deus) *ſtatuit illi teſtamentum pacis, principem ſanctorum gentis ſuæ, ut ſit illi & ſemini ejus Sacerdotii dignitas in æternum*.

(1) Judic. I. 35. *Habitavitque in monte Hares, quod interpretatur Teſtaceus, in Aialon & Salebim.* (2) Vide Munſter. & Serar. (3) Vide Euſeb. in locis, Thamna. (4) Villam. l. 3. c. 8. (5) Judic. II. 11. (6) Geneſ. L. 24. (7) Joſue VIII. 30. 31. (8) Geneſ. XLVIII. 20. *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* (9) Geneſ. XXXIII. 19. (10) Num. XXXVI. 8. (11) Septuag. In Edit. Rom. & Francofort. (12) Rabb. apud Munſt. in Joſue II. 6. (13) 1. Reg. II. 27. (14) Author tradit. Hebr. in Libb. Reg. (15) Jarchi & Said. Batricides, apud Selden. de ſucceſſu in Pontific. l. 1. c. 2. (16) 1. Par. IX. 20. (17) Eccli. XLV. 28. 29.

FINIS LIBRI JOSUE.

IN

IN LIBRUM JUDICUM
PROLEGOMENON.

JUDICES, quorum hic examinandam hiſtoriam proponimus, jura populo Dei dabant, Rempublicam Iſraelis moderantes ea temporis intercapedine, quæ inter Moyſem & Joſue, uſque ad conſtitutos Rages interceſſit. Quare nomen illod non ita ad literam uſurpatur, quaſi juri dicundo conſtitutum virum ſignificet, ſive tantum politiæ Præfectum, vel Magiſtratum, cum penes illos ſumma eſſet tum pacis cum belli poteſtas. Tyrii poſt veterem Urbem cognominem everſam, atque novam alteram conditam, *Judices* loco Regum conſtitnerunt (1); & Carthaginienſes, colonia Tyriorum, Summos Reipublicæ Principes non alio appellatos nomine voluerunt, quam *Judices*, Phœnicio nomine *Suffetes* (2), vel *Sufetim*, quod non multum abludit ab Hebræo שפטים *Schophetim*, quo in Scriptura Judices, de quibus in præſentiarum, nuncupantur. Suſpicantur viri quidam Eruditi (3) *Archontes* Athenienſium, & *Dictatores* Romanorum ad Judices Iſraelitarum referendos; nec deſunt qui Rempublicam Iſraelis ſub Judicibus comparent politiæ Germanorum, Gallorum, ac Britannorum ante immutatas a Romanis Leges (4). Grotius in ea eſt ſententia, Judices Iſraelitarum nihilo fuiſſe Regibus minores, niſi uno excepto Regio faſtu & apparatu, cæterum poteſtate pares; quemadmodum in Interregno Regni Adminiſtratores, ſive Dictatores in Republica Romana (5).

Munus Judicum non hæreditario jure, nec electione poſſidebatur; vices autem Dei, ſummi ejus gentis arbitri, in adminiſtratione Reipublicæ gerebant. Cum autem hanc ſummam in populum authoritatem retinere ſibi Deus ſummopere vellet, ſuſcitatos identidem Judices nonniſi in partem modicam, & anguſtam authoritatis vocabat. Cum Samuel urgeretur a populo, ut Regem conſtitneret, Deus illatam injuriam ſibi credidit; quaſi ſcilicet Regnum ſuum recuſaſſent, cum alterum ſibi conſtituendum poſtularent: *Non te*, ait idem Deus ad Samuelem, *abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos*. Gedeon offerenti ſibi ac poſteris Regnum populo reſpondit: *Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vobis filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus* (6). Perpetua erat ad obitum uſque Judicum dignitas, quamvis uni defuncto non ſtatim alter ſufficeretur, adeo ut ſeries fuerit intervallis diviſa: ſuomet arbitrio identidem ſibi imperantibus populis, identidem alterius imperio ſervientibus. Id autem ut populus nullius imperio ſubigeretur, tunc primum invectum in Rempublicam creditur, poſtquam Joſue, & Seniores cum illo rerum potiti, fato functi ſunt. Cum autem neceſſitas poſtulabat, ſuſcitatus a Deo Liberator populum defendere aggrediebatur.

Quædam tamen ſuppetunt identidem exempla delati Reipublicæ imperii, non aperta Dei electione, ſed populi conſentientis voluntate. Ita ſuffragiis populi univerſi Jephte deſtinatus eſt, ut populum contra Ammonitas defenderet (7). In iis autem electionibus ratus, nec immerito, populus eum potiſſimum virum afflictis rebus relevandis deſtinari divinitus, qui inſigni corporis robore animique virtute præſtaret, ſummo omnium conſenſu imperium illi totius Reipublicæ conſerebat. Sæpe Ducis electio a parte tantum Iſraelitarum, non ab univerſo populo facta eſt; cui proinde in partem, non in totam Rempublicam imperium demandabatur. Eadem æqua proportione politia in Duces a Deo deſtinatos ſervabatur, quippe qui non raro parti tantum Iſraelitarum præeſſent; parti, inquam, quæ alterius Principis tyrannidi ſubjecta Liberatore indigebat; cum interim reliqui pacis delitiis fruerentur. Electi autem non quidem ad tempus erant, ſed imperium per totam vitam prorogabant, jure dicundo occupati. Cæterum ſine pompa, fuco, & ſatellitio; niſi faſtum propriis ſumptibus, & ambitione, non dignitatis neceſſitate adſciſcerent. Dignitatem enim gerebant puram & ſimplicem, ſine theſauro facile & cenſu. Jair Scriptura docente (8), *habebat triginta filios, ſedentes ſupra triginta pullos aſinarum*. Abdon, qui præfuit octo annis, filios habuit XL. & nepotes XXX. ſingulos aſello ſuo inſidentes (9). Hæc autem duorum Judicum decora & apparatus non dignitatis illius fuiſſe ex verbis Deboræ in Cantico colligimus, in quo divites, & Principes Iſraelis ita affatur (10): *Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos, & ſedetis in judicio, & ambulatis in via, benedicite Domino*. Nulli ſane tum temporis Judices erant in Iſraele conſtituti præter Deboram ipſam, & Barac, quocum Debora vel Canticum concinnavit vel cecinit (11); neque iis verbis ipſam ſe Deboram vel Barac hortari voluiſſe, facile credimus.

Summa erat penes Judices poteſtas in rebus belli, & pacis, uti belli indicendi, atque nomine

[1] Joſeph. l. 1. contra Appion. δικαστάς. [2] Liv. Decad. 3. l. 8. *Suffetes ſummus erat Pœnis Magiſtrat.* [3] Vide Serar. in Judic. III. 2. qu. 1. &c. [4] Grot. in Judic. 1. [5] Idem in Deut. XVII. 9. [6] Judic. VIII. 22. [7] Judic. XI. [8] Judic. X. 4. [9] Judic. XII. 14. [10] Judic. V. 10. [11] Ibid. v. 1. *Cecineruntque in illo die Debora & Barac .... dicentes.*

ne totius gentis gerendi; de cauſis ſingulorum definita ſententia judicandi. Ad novas condendas leges imponendaque onera quod attinet, hanc Deus ſibi reſervaverat poteſtatem, ut ipſi ſe & populum regere ad Dei nutum, legem, & voluntatem, ore Sacerdotum, & Urim & Thummim oraculo manifeſtatam, tenerentur. Aſſertores tamen erant Legum, & Religionis, criminum ultores, ac Idololatriæ potiſſimum, quæ ne irreperet unquam invigilare, aut jam invecta ne ultra gliſceret, vi obſiſtere debebant.

Animadverſione etiam dignum eſt, Scripturam, ut munus Regum innuat, uti verbo *judicare*. Iſraelitæ ad Samuelem: *Conſtitue*, inquiunt, *nobis Regem ut judicet nos* (1). Salomon eam a Deo poſtulat ſapientiam, qua *populum judicare poſſit* (2). Joatham filius Azariæ Regis, vicibus patris functus, *gubernabat palatium*, *& judicabat populum terræ* (3). Non abs re etiam putamus, ex Judicibus Iſraelis nonnullos nihil præter bellicas res curaſſe, ut nulla eſſet penes illos poteſtas de Iſraelitarum cauſis judicandi. Debora jus populum dicebat ſub Judice Barac; & Summus Sacerdos Heli ſub Samſone, quem plane Samſonem nunquam judicandi munus egiſſe novimus in S. Scriptura.

Tempus adminiſtratæ Reipublicæ a Judicibus CCCXXXIX. annorum intercapedine continetur. Liber Judicum hiſtoriam omnium eorum Principum uſque ad Samſonem complectitur; quare nihil in eo de Heli & Samuele: obiit autem Samſon A. M. 2887. juxta quem calculum in Libro Judicum hiſtoria exhibetur CCCXVIII. annorum. Horum tamen annorum ſupputatio crucem figit Chronologis. Major ipſorum & Interpretum pars autumat, cum in Scriptura pacis alicujus certum aliquod tempus indicatur, non ita eſſe ſupputationem inſtituendam, ut annorum numerus a pace per illum Judicem, de quo ibi ſermo eſt, procurata ducatur, ſed calculum exordiendum eſſe a fine pacis alterius Judicis præcedentis. Quare intra deſignatam annorum periodum non tempus tantummodo adminiſtratæ Reipublicæ ab Judice illo, de quo agitur, contineatur; ſed etiam una recenſeatur tempus præcedentis oppreſſionis, quod pacem ab antecedenti Judice procuratam excepit. Quæ plane digerendorum annorum ratio & conſuetudini repugnat, & omnem vocum naturalem ſignificationem turbat; cum enim dicimus e. g. Princeps depulſis hoſtibus regionem pacavit, quæ ſane pax XL. annis perſeveravit; quis plane hanc annorum ſupputationem non exordiatur a pace primum ab eodem Principe procurata? Sed in Libro Judicum omnia plane variare contendunt.

Ut ſe ab ea difficultate expediret Marſhamus (4), rationem inivit commodam oppido, & quantum conjicimus, plauſibilem. Suſpicatur ille, ſuos fuiſſe Judices plane diverſos ultra & citra Jordanem, ſicut & ſua fuiſſe bella ulterioris & citerioris regionis. His conſtitutis obſervat, poſt egreſſum ab Ægypto uſque ad conditum Salomonis Templum CDLXXX. annos in Scriptura numerari (5); tum & poſt occupatas ab Iſraelitis Transjordanicas ſedes uſque ad Jephte, calculum reddi CCC. annorum (6). Si quis autem omnium ſimul Judicum annos contrahat uſque ad Jair, anteceſſorem Jephte, numerum plane CCC. annis majorem inveniet, & majorem quam LXXX. annorum intercapedinem inter Jephte & quartum Salomonis annum, quo anno Templum ab eodem Rege excitatum fuit. Eſt igitur ratio ineunda variantibus hiſce annorum ſupputationibus conciliandis, vel certe epochæ iſtæ deſerendæ ſunt; quod poſtremum cum fieri nequaquam poſſit, ideo temperamento aliquo uti non oportet. Duplex occurrit; alterum quod vulgo Interpretes ſequuntur; aliud quod mox exhibuimus, & maxime Marſhamo arridet. Nos geminas Tabulas Chronologicas exhibebimus, ad Uſſerii nempe, & ad Marſhami normam; data Lectoribus æqua utrimque facultate, ut quodcumque maluerint ſyſtema ſequantur.

Fatis functo Joſue, Seniores ſuam ſinguli Tribum adminiſtraſſe creditur; ita videlicet, ut coacto in Silo totius gentis concilio, Domini juſſiones, oraculo Summi Sacerdotis ſignificatas, obſervarent. Accidit, ut ſemel coactus in Concilium populus Dominum conſuleret, quænam inter Tribus omnium prima arma ſuſciperet in Chananæos, quos cervicibus Iſraelis inſultaturos metuebant. Tribus Juda oraculo deſtinata eſt, quæ in expeditionis ſocietatem Tribu Simeonis vocata, ſecundo prælio Adonibeſechum, victoria LXX. Regum ſuperbientem, fregit. Verſis deinde in Chananæos fortis ſuæ armis, Urbes plurimas expugnarunt; qua facile occaſione, (niſi ad Joſue ætatem revocandam hiſtoriam maluerimus) Caleb expugnationem Cariat-ſepher virtuti Othonielis accepto referens, in præmium expugnatæ per illum Urbis thorum filiæ ſuæ Axæ viro conceſſit. Eo ſucceſſu animata Tribus Ephraim, ſumptis armis urbem Bethel aggreſſa, in poteſtatem accepit. Nec cæteræ Tribus ſegniores; nam in hoſtes ſingulæ ſortis ſuæ verſæ, aliæ quidem validos atque copioſos nactæ adverſarios, viribus ſe impares ſentientes, re infecta receſſerunt; aliæ non infelici eventu pugnantes, delere hoſtes cum maxime poſſent, ſervare maluerunt, tributo tantummodo illis indicto; quod deinde origo fuit & caput malorum in Iſraele. Senſim enim Hebræi ad idololatriam declinantes, cum fruſtra a Domino per Angelum (7) ſive per Prophetam monerentur, duram a Domino ultionem, multis variiſque identidem captivitatibus & oppreſſionibus afflicti, in ſuum caput provocarunt.

Primo igitur octennis ſervitutis jugo a Chuſan Raſathaim, Rege Meſopotamiæ, oppreſſi ſunt (8); quo Othoniel, a Domino excitatus, armis in eum Principem motis, miſeros relevavit. Poſt XL. annorum pacem, iterum ad ſervitutem ſub Eglone Rege Moab (9); tum iterum ad liberta-

[1] 1. Reg. VIII. 5. 6. [2] 3. Reg. III. 9. [3] 4. Reg. XV. 5. [4] Canon. Chronic. Ægypt. &c. pag. 291. edit. London. [5] 3. Reg. VI. 1. [6] Judic. XI. 16. [7] Judic. II. 1. *Aſcendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium.* [8] Judic. III. 8. [9] Ibid. ℣. 12.

tem, per Aodum procuratam. Hunc Judicem excepit Samgar, qui percuſſis vomere DC. Philiſtæis, Iſraelem defendit (1).

Jabin Rex Aſor ſeptentrionales Judæos ſub jugo tenuit XX. annis (2), donec ſuſcitata a Deo Debora, quæ in monte Ephraim jura dabat Iſraelitis, accituſque ab illa Barac exercitum compararunt in monte Thabor; commiſſoque cum Siſara Duce exercitus Jabin prælio victoriam ſibi, libertatem Iſraelitis pepererunt. Ejus victoriæ epinicium cecinit Debora, cujus exemplum in Scriptura adhuc manet (3).

Dura dein ſervitute, quæ ſeptennio perſeveravit, oppreſſi Iſraelitæ a Madianitis, tandem levati ſunt a Gedeone. Angeli enim ſibi per viſum apparentis monitu, crebriſque factis ab illo prodigiis de juſſione Divina Gedeon certior factus, comparatis undique copiis exercitum inſtruxit. Sed juſſus a Deo ex hiſce copiis trecentos tantummodo ſelegit, cæteris rejectis. Tum buccinis incenſiſque facibus inſtructos ad caſtra hoſtium duxit, juſſos intra figlinas lagenas facium lumen condere. Ut acceſſere, fractis lagenis lumina undique apparuerunt, militibus interim tuba clangentibus. Inopinato ſtrepitu atque Hebræorum aſpectu territi hoſtes, ne re quidem tentata, ſtatim in fugam effuſi ſunt: neque hic ceſſatum, ſed verſis in ſubita trepidatione in ſuos armis, mutua inter ſe cæde ſævierunt. Ruentes in fugam Gedeon inſecutus eſt in ulteriora regionis Transjordanicæ. Redux deinde duras de civibus Soccot, & Phanuel pœnas ſumpſit, quippe qui inſequenti antea hoſtes ſibi commeatus denegaviſſent.

Nihil ea victoria elatus Gedeon, cum a viris Ephraim per ſummam audaciam requireretur, cur ſeſe in belli Madianitici ſocietatem non advocaſſet? demiſſe reſpondit, nihil ſe præſtitiſſe, quod rebus Ephraimitarum geſtis poſſet æquari (4): *Nonne melior eſt racemus Ephraim vindemiis Abiezer*. Porro Abiezer author erat familiæ Gedeonis. Cum autem Ducis virtute, & prudentia capti milites regiam illi poſteriſque dignitatem deferre cogitarent, ille, qua erat animi magnanimitate, reſpondit (5): *Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vobis filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus*. De ſpoliis vero, ſibi conceſſis, hoſtium inauribus contentus, cætera rejecit. Felici ſenectute diem clauſit, relictis LXX. filiis; quæ frequens adeo & florens poſteritas tota brevi intercidit, uno excepto Joathamo, qui ſublatis cæteris ab Abimelecho, altero filio ejuſdem Gedeonis, pia fraude ſervatus eſt. Abimelech igitur rerum potitus, poſt exactum triennii regnum in Sichem, gravem ſuorum defectionem paſſus eſt. Seditioſis ducem ſe præbuerat Gaal, quocum inito ab Abimelecho prælio, victor Abimelechus devictum Gaal interfecit, Sichimitas prælio fudit; tum & capta everſaque Urbe raſum ejus ſolum ſale diſſeminavit. Dein ad obſidionem Thebes victor ſuccedens, demiſſa e turri Urbis obſeſſæ per fœminam mola macinaria percuſſus, prope moriturus, armigeri in ſe gladium imploravit: ne ſcilicet, inquit, audiatur unquam, Abimelechum, tantum Ducem, muliebri manu cecidiſſe (6).

Abimelechum exceperunt ordine Thola, Jair (7), Abeſan, Ahialon, Abdon, Samſon (8), ſub quibus non ita ſemper rebus felicibus uſi ſunt Iſraelitæ, quin ab Ammonitis hinc (9), inde a Philiſtæis identidem affligerentur; non ita quidem ut regio in hoſtium poteſtatem veniret, ſed ita tamen, ut tota excurſionibus pateret, diripereturque, eaque omnia experiretur mala, quæ a potentioribus hoſtibus timere ſolent imbecilliores.

Ammonitæ, Jordanis vada tranſgreſſi, ditionem Juda, Beniamin, & Ephraim excurrerunt; quamquam hæc levia ſunt, ſi cum irrogatis ab ea gente malis in Judæos Transjordanicos conferantur. Adnitebantur porro illi, ut de poſſeſſis diu ſedibus Judæos expellerent: quorum afflictiſſimis rebus juvandis accitus Jephte cum fratribus (10), poſt tentatas ab illo fruſtra pacis conditiones, ad arma converſus, prælioque hoſtes aggreſſus, inſignem victoriam retulit. Cum tamen voto ſe inconſulto obſtrinxiſſet, immolandi ſcilicet quidquid ſibi e victoria reduci primum occurreret, & forte regredienti patri nemo prius quam filia accurriſſet obvia, ejus ſe voti reum teneri putavit. Neque id tantum victoriæ lætitiam temperavit; ſed reduci etiam occurrentes Ephraimitæ, incendio ſe ejus ædes abſumpturos minitati ſunt, quippe quod Socios belli Ephraimitas non advocaſſet (11). Res ad arma uſque proceſſit; quare conſertis utrimque manibus, cum victoria Jephte ſtetiſſet, Ephraimitæ in fugam converſi ſunt; ſed obſeſſo a Galaaditis Jordanis vado, quicumque tranſgreſſuri accedebant, ii interrogati minus recte nomen *ſchibbolet* proferrent, pro Ephraimitis agniti ſtatim trucidabantur.

Samſonis Hiſtoria nihil niſi inauditum & ſupra fidem prodit. Viri ortum Angelus prænunciat (12); ejus cum fœmina Philiſthæa connubium anſam viro præbuit aſſiduis bellis hoſtes populi Dei vexandi. Eorum meſſes coactis CCC. vulpibus, quas incenſas faces trahentes in agros immiſerat, miſero incendio vaſtavit. Armatus aſini mandibula uno impetu mille hoſtes trucidavit. Portarum Gazæ vectes foreſque e cardinibus revulſas aſportavit. Tandem meretricem deperiens, ejus precibus importuniſque querelis devictus, roboris ſui ſecretum omne revelavit; narrans, ex intonſa coma, Nazaræatus, & conſecrationis ſuæ inſigni, proveniſſe illud, quod tantopere horrebant Philiſthæi, robur invictum. Fœmina ſtatim cæſarie viri amputata, capitis honorem ſimul abſtulit, & libertatem. Nam ab illa in manus Philiſthinorum traditus, lumine ſtatim orbatus, in atrum carcerem detruſus eſt. Sed viri injuria magno ſtetit Philiſthæis; Feſtum enim diem ſimul in Templo Dei ſui celebrantibus, cum ad ſpectaculum populis exhibendum captivus productus fuiſſet, ille

(1) Ibid. ℣. 31. (2) Judic. IV. (3) Judic. V. (4) Judic. VIII. 12. (5) Judic. VIII. 23. (6) Judic. IX. 10. 53. (7) Judic. X. 1. 3. (8) Judic. XII. 9. 11. 13. (9) Judic. X. 9. (10) Judic. XI. 13. (11) Judic. XII. (12) Judic. XIII.

ſe invocata prius Dei ope, columnis Templi innixus, adeo valido apprehenſas lacerto concuſſit, ut tota fabricæ machina ſubſidens lapſu ſuo omnes oppreſſerit. Ita moriens Samſon majori fuit Philiſtæis exitio, quam vivens fuiſſet; quippe qui una ſecum ruina Principes eorum, viros tria millia, involverit.

Ad calcem Libri Judicum tres rejiciuntur hiſtoriæ, quas contigiſſe credunt Interpretes in temporis ſpatio inter obitum Joſue & Judicem Othonielem medio. Omnium prima occurrit hiſtoria Michæ, qui erigi ſibi Idolum, & ejus ſervitio prius filium, deinde juniorem Levitam Bethlehemitem inſtituit. Succedit Danitarum hiſtoria, in expeditionem Lais, ſive Dan, ad extremam ſeptentrionalem oram Chananitidis, profectorum. Tertio, bellum filiorum Iſrael cum Beniamitis, in ultionem injuriæ a viris ejuſdem Tribus in urbe Gabaa uxori Levitæ cujuſdam irrogatæ. Hæc ſumma Libri Judicum.

De hujus Operis Authore ambigitur; alii enim ipſos Judices ſive ſingulos hiſtoriæ Scriptores aſſignant; alii Phineem, vel Samuelem, vel Ezechiam; hic Eſdram. Sed unum eumdem eſſe totius Operis Authorem, qui poſt Judicum ætatem floruerit, ſatis produnt ea, quæ ad caput II. v. 6. & deinceps leguntur, ubi totius Hiſtoriæ generalis quædam idea & ſumma exhibetur. Obſervat enim Author, poſt Joſue & Seniorum illi coævorum obitum, novam quamdam acceſſiſſe generationem, nec Domini nec beneficiorum ipſius in Iſraelem ſatis memorem. Ex oblivione orta crimina & ſuperſtitionem, tum Dei ultionem & hoſtium ingruentium calamitatem. Oppreſſis relevandis Deum identidem Judices produxiſſe, qui ſimul & rebus providerent afflictis, & Rempublicam curarent. Deo cum libertate ſimul reſtituebantur; mox vero inclinante in deteriora natura, ſtudia priora repetebant &c. Hi omnes characteres ſunt Authoris, qui univerſam ſimul hiſtoriam Judicum præ oculis habeat, non partem tantummodo.

Quæ Operis hujus Authorem conſtituit Samuelem opinio, his potiſſimum fulcitur rationibus non contemnendis. I. Operis Scriptor tunc florebat, cum Jeruſalem a Jebuſæis teneretur (1), adeoque ante Davidis regnum. II. Reipublicæ Hebraicæ adminiſtrationem ejuſdem Authoris ætate penes Reges extitiſſe, ex eo intelligimus, quod toties repetat, ſub Judicibus nullum fuiſſe Hebræis Regem; id autem cum Samuele plane congruit, qui ſub Saule agens, politiam ſuæ ætatis a politia ſub Judicibus quantum differet, memoriſſima illa narratione demonſtrare volebat.

Sed contra hanc ſententiam: I. In eo Libro occurrere nomen נביא Nabi; ut deſignet Prophetam; quod ſane ab ætate Samuelis alienum erat; nam ait Author primi Regum IX. 19. *Qui Propheta dicitur hodie* (Hebraice Nabi) *vocabatur olim Videns*. Sub Davide etiam, ideo equidem poſt Samuelem, uſurpatum nomen Videntis legimus (2): *O Videns revertere in Civitatem in pace*. Sed pro hac ſententia reponi poſſet, Samuelem utriuſque operis, Judicum, & primi Regum, Authorem, utrobique vocem *Nabi* ætate ſua obtinentem adhibuiſſe; tunc autem illud nomen *Videns* non omnino obſolevisse, quamquam ita rarum eſſet, ut opportune duxerit animadvertendum, eos qui ſua ætate Nabi, olim Videntes appellari conſueviſſe.

II. Obſervant, in eodem Libro mentionem occurrere, *Domus Domini*, quæ ſunt phraſes poſt conſtructum a Salomone Templum obtinere cœperunt. Sed eodem etiam nomine deſignatum Tabernaculum conſtat ex teſtimonio Moyſis, Libri Joſue, primi Regum, & quorumdam Pſalmorum Davidis.

III. In eodem Libro Silo urbem eſſe in terra Chanaan exprimitur. Quæ autem neceſſitas, inquiunt, Samuelem coegiſſet, ut in Chananitide ſcribens, & eiſdem alloquens populos, ſitum ejuſdem Urbis tam accurate deſcriberet? *Inventa ſunt*, inquit (3), *de Jabes Galaad quadringentæ Virgines, quæ neſcierunt viri thorum, & adduxerunt eas ad caſtra in Silo in terra Chanaan*. Sed facile reponitur, nomen hic Chananitidis adjectum eſſe per oppoſitionem ad Urbem Jabes, quæ Urbs erat Transjordanica. Quis rogo, miretur, ſi ad tranſitum ex una provincia in aliam deſignandum, utriuſque Regionis nomina exprimantur?

IV. Negotium facit potiſſimum in hanc ſententiam teſtimonium ex Judicibus XVIII. 30. *Poſuerunt ſibi ſculptile, & Jonathan filium Gerſam, ac illius filios, ſunt Sacerdotes in Tribu Dan, uſque ad diem captivitatis ſuæ. Manſitque apud eum Idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo*. Fuſius hunc locum examinavimus in noſtro Commentario, ubi etiam certam legendi Textus Hebraici rationem invenimus, qua indicatum ibi tempus cum ætate Samuelis, & liberatione a jugo Philiſthæorum componitur. Fatemur tamen ingenue, teſtimonium illud, ſi forte ad captivitatem Tribuum Zabulonis, & Nephtali ſub Teglat-phalaſſare (4), ſive aliarum Tribuum ſub Salmanaſſare referatur, alium poſtulare Operis Authorem, a Samuele plane diverſum; niſi forte ſcriptum Samuelis recenſuiſſe Eſdram (quod fieri potuit) admiſerimus. Sed prætereundum non eſt, illum eumdem textum, ſi vulgari ſenſu uſurpetur, aliquid præſeferre repugnans & contrarium. Nam cultus Idoli Michæ ſublatus dicetur tempore remotæ Arcæ a Silo, ſimulque idem cultus perſeveraſſe uſque ad tempus tranſmigrationis ſeu captivitatis Danitarum, tempore, ut certiſſime, poſt CCCLXIX. annos a capta per Philiſtæos Arca. Si ceſſavit Propheta Samuelis ætate, quomodo uſque ad Teglat-phalaſſarem, ſive Salmanaſſarem perſeveravit.

De Verſionibus Græcis libri Judicum, vide Erneſtum Grabe de vitiis Septuaginta Interpretum ad Joan. Millium an. 1705.

(1) Judic. I. 21. *Jebuſæum autem habitatorem Jeruſalem non deleverunt filii Beniamin*. (2) 2. Reg. XV. 27. (3) Judic. XXI. 12. (4) Iſa. IX. 1.

CHRONOLOGIA
REGIMINIS JUDICUM,
EX USSERIO.

A. M.

2570 MOritur Joſue cx. annorum ætate.

2585 Poſt Joſue Seniorumque obitum, Iſraelitæ Divinas Leges obliviſcuntur. Michæ hiſtoria. Occupatur Lais, Pleraque Tribus Dan in ſuperſtitionem labitur *Judic.* XVII. & XVIII.

Levitæ hiſtoria, cujus uxori injuriam a Gabaitis infertur, ortumque ex eo bellum. *Judic.* XIX. XX. XXI.

Anni circiter duo & viginti hucuſque ſunt; quindecim ſcilicet, quibus Seniores poſt Joſue vixerint; ſeptem libertatis & anarchiæ; quibus evolutis, Iſraelitæ ſub jugum Chuſan Regis Meſopotamiæ devenere.

2591 Prima ſervitus ſub Chuſan Raſathaim, octo annis producta; cœpit anno 2591. deſiit anno

2599 2599. Othoniel Iſraelem liberat, quadrageſimo poſt partam a Joſue regioni pacem anno.

Pax annorum circiter XL.

2662 Altera ſervitus ſub Eglone Moabitarum Rege per XVIII. annos.

2679 Aod Iſraelem liberat.

Poſt Aodum, Samgar; diutinaque pace fruitur regio uſque ad octogeſimum annum a prima per Othonielem libertate. *Judic.* III. 15. 30.

2699 Tertia ſervitus ſub Chananæis per XX. annos. *Judic.* IV.

2719 Deboræ & Baraci opera libertas paritur.

Poſt libertatem per Aodum, uſque ad exitum Regiminis Deboræ & Baraci XL. anni.

2737 *Aſſyriorum Imperium a Nino Beli filio conditum; Aſſyrii partem Aſiæ jam a 520. annis occupaverant, ſed Ninus, junctis cum Ariæo Arabum Rege armis, Aſiam univerſam ſubdidit, ac XVII. annis ſemper. Annos omnino LII. regnavit.*

2752 Quarta ſervitus ſub Madianitis, ſeptem annis. *Judic.* VI.

2759 Libertas per Gedeonem.

A Libertate per Deboram & Baracum, uſque ad Gedeonis libertatem XL. anni. *Jud.* VI. VII. VIII.

2768 Mortuo Gedeone, populus in Idololatriam recidit. Abimelech nothus Gedeonis, ſeptuaginta fratres ſuos interficit. *Judic.* IX.

2769 Abimelech a Sichimitis Rex ſalutatur.

2771 Tribus annis regnat, & in obſidione urbis Thebes moritur.

2772 Thola poſt Abimelechum judicat tribus & viginti annis.

2781 *Initium Regni Lydiorum per Argonem, qui Sardibus regnavit. Quingentis annis Regnum hoc ſtetit. Herodot.* I. I. c. 7.

2789 *Semiramis uxor Nini, poſt ſtrenue Aſiæ duobus & XL. annis imperat.*

Jair Tholæ ſucceſſor, duobus & XX. annis judicat.

2795 Quinta ſervitus ſub Philiſtæis XVIII. annis.

2799 Liberat Deus Iſraelitas a Philiſtæis cis Jordanem, & Ammonitis cæteriſque hoſtibus trans Jordanem. *Judic.* X. 18.

2816 Moritur Jair. *Judic.* X. 1. 5.

2817 Jephte Princeps trans-Jordanicorum Iſraelitarum eligitur. Ammonitas fundit.

Ephraimitarum duo & XL. millia ad vadum Jordanis interfecta. Jephte ſex annis judicat. *Judic.* XI. XII.

2820 *Troja per Græcos capitur.*

2823 Moritur Jephte. Abeſan ſeptem annis judicat.

2830 Ahialon ſuccedit, decem annis Judex.

2831 *Moritur Semiramis, duobus & LX. annis ætatis, Regni XLII. perfunctâ. Succedit Ninias.*

2840 Abdon Iſraelem judicat octo annis, ab anno 2840.

2848 Heli, poſt mortem Abdonis XL. annis Judex.

Sexta ſervitus ſub Philiſtæis per XL. annos. *Judic.* XIII. 1. Septimo menſe poſt initam ab Heli adminiſtrationem.

2849 Naſcitur Samſon. *Judic.* XIII. 24.

2867 Mulierem Philiſtæam ducit. Munus Liberatoris obire incipit, ac per XX. annos pergit.

2868 Philiſtæorum meſſes incendit ccc. vulpibus immiſſis; Tum mille Philiſtæos unica aſini mandibula armatus interficit *Judic.* XV.

2887 A Dalila proditur, oculis orbatur, ac Philiſtæis traditur; eodem anno ſub ruinis Templi, quo ductus fuerat, una cum ingenti Philiſtæorum turba oppreſſus obit. *Judic.* XVI.

2888 Moritur Heli, ſuccedit Samuel, qui ſervitutem Philiſtæorum excutit. 1. *Reg.* VII. 13.

TABULA
CHRONOLOGICA JUDICUM, EX MARSHAMO.

A. poſt egreſſum ab Ægypto.

JOſue populum regit xxv. annis, ab anno xl. ab egreſſu ex Ægypto, uſque ad lxv. ab eodem.

Moritur Joſue, cx. annorum ætate.

40 Seniores populi regimen habent.

65 Anarchia, & Idololatria, xxxiv. annis poſt Joſue.

99 Prima ſervitus ſub Chuſan, per octo annos.

Othoniel Calebi gener fundit Chuſan, & pacem regioni reſtituit.

107 Pax xl. annorum.

147 Altera ſervitus ſub Eglone Moabitarum Rege, qui Regiones trans Jordanem, & partem Beniamiticæ 18. annis oppreſſit.

165 Aod patriam ab Eglonis ſervitute liberat.

Pax lxxx. annorum trans Jordanem, uſque ad Madianitarum incurſionem.

185 Tertia ſervitus ſub Jabin Rege Aſor, qui Tribus potiſſimum Chanaanitidis ſeptemtrionalis oppreſſit per xx. annos.

194 Samgar ſexcentis Philiſtæis interfectis, Iſraelem liberat.

203 Debora & Barac Siſaram Imperatorem copiarum Regis Jabin fundunt: eorumque in opem Tribus Nephtali & Zabulon veniunt.

243 Pax xl. annorum, uſque ad annum 243.

Quarta ſervitus ſub Madianitis, per vii. annos.

253 Libertas per Gedeonem, ope Zabulonis, Aſer, & Nephtali.

293 Pax xl. annorum, ſuperſtite Gedeone, uſque ad 293.

Abimelech triennio in Sichem regnat.

Thola tribus & xx. annis judicat.

Jair duobus & xx. annis.

340 Quinta ſervitus ſub Ammonitis, trans Jordanem, ccc. annis poſtquam Iſraelitæ eam regionem occupaverant. Servitus xviii. annorum fuit.

363 Jephte Iſraelem liberat.

Cum Iſraelitæ trans Jordanem ſub Ammonitis gemerent, Philiſtæi cis Jordanicos opprimebant: eaque ſervitus per xl. annos producta eſt; interea Samſon & Heli judicarunt quidem,

383 ſed Iſraelem prorſus non liberarunt. Sub Samuele reſtituta libertas, ccclxxxiii. annis poſt egreſſum ex Ægypto.

Per idem temporis intervallum Abeſan a Deo producitur, qui ſeptem annis judicavit,

Eglon qui decem annis,

Et Abdon, qui octo annis. Sed eorum vel primordia vel obitus anni adamuſſim definiri non poſſunt.

403 Saul xl. annis regnat.

443 David xl. annis regnat.

476 Salomon regnum init anno cdlxxvi. poſt egreſſum ex Ægypto; & quarto Regni ſui anno

480 Templi fundamenta ponit.

DISSERTATIO
DE PRISCIS HEBRÆORUM ÆDIBUS.

SI quis in moribus & conſuetudinibus veterum Orientalium gnaviter ſeſe ſtudendo exercuerit, ille plane ad interpretationem literalem Scripturæ non modicum inde adjumenti ſe retuliſſe intelliget. Cum Libri Sancti & remotiſſimam præſeferant antiquitatem, & in Regione ſcripti ſint a noſtris uſibus maxime aliena, vix Scriptorum ſenſus, mentem, & conſilium aſſequemur, niſi loca illa, ſi non corpore, ſaltem mente, ut ita dicam, percurrentes, remotam antiquitatem veluti præſentem nobis ac familiarem efficiamus. Experimento plane doctiſſimorum Interpretum, qui egregium rei uſum fecerunt, plane docemur, nunquam ſatis nos habere cum veteribus commercii, omnique cautione ſtudendum, ut noſtris vacuam prejudiciis mentem ad alienorum mores diſcutiendos afferamus. Quæ cum ita ſint, operæ pretium nos facturos duximus, ſi variam ſtruendarum ædium rationem, ipſarumque ædium formam apud Veteres Hebræos uſurpatam, cum ea quæ nunc obtinet apud noſtrates, comparemus.

Productos olim e terra homines inſtar ſtirpium autumarunt Profani (1), eos vero ſenſim & per gradus profeciſſe dicebant, ut ratione uterentur; tum & poſt plura ſæcula miſcendi ſermonis artem invenirent, ac poſtremum omnium factum eſt, inquiunt, ut abjecto erraticæ vitæ ac ferinæ genere, antra ſibi homines, & cavernas procurarent. Poſt antra, tentoria ſucceſſerunt & caſæ, caſis ædes cæmento conſtructæ. In Scriptura tamen primus homo inducitur, ſapientia plane ſingulari inſtructus, & ſub ipſa conditi mundi exordia domus occurrunt, & Urbes, iis ſimillimæ, quæ poſt plurium ſæculorum experientiam conſtruere ſibi homines noverunt. Cain urbem filio ſuo natu majori cognominem ædificavit (2). Metallorum ratio, & uſus, ſicut & muſica inſtrumenta diu ante diluvium obtinuerunt (3). Nec imperitus plane architectus cenſendus eſt Noe, cui ideam & dimenſiones Arcæ ab ipſo conſtruendæ Dominus deſignavit. Paulo poſt diluvium, homines uno conſilio Turrim, & Urbem Babelis conſtruere aggreſſi ſunt: qui vero potuiſſent, ſi nullam noſſent conſtruendæ fabricæ rationem? Si autem poſt ea tempora, ſicut & hodie uſque extant, populi & gentes ſub tentoriis, ſive in antris degentes fuere, idcirco tamen cenſendum eſt, nullam apud ipſos ædificandarum ædium, & condendarum urbium ideam fuiſſe. Habitudine, & educatione factum eſt, ut eam ſibi vitæ rationem familiarem habuerint, facile etiam earum regionum temperies permittit, ſive poſtulat, ut commodum ſibi habeant genus illud vitæ nobis inuſitatum, & incommodum, quod ſub Cœli plaga degamus diverſa & plane oppoſita.

Venienti in Chanaanitidem Abrahamo regio tota florentibus Urbibus diſſeminata ſeſe obtulit, ut facilis illi ſedes in aliqua ex multis fuiſſet, quemadmodum Loth Sodomam conceſſerat; potuiſſet etiam ſibi & florentiſſimæ familiæ ædes fabricare: ſed campeſtri vitæ genere electo, in tentoriis degere maluit; quod ab illo acceptum ejus poſteri tam ex Iſaaco, quam ex Agare & Cethura ſervarunt. Neque hodienum plerique ex his populis commodius vitæ genus quæſiverunt, nihil ſibi conducibilius ad ſuavem vitam rati, quam ſi in deſertis & agris vagantes, nemini libertatem ſuam obnoxiam habeant.

Poſt acquiſitam ab Iſraelitis Chanaanitidem, non ſtatim papilionibus amotis ædes ſibi populus fabricavit, adhuc enim in Galgalis ſub tentoriis vixerunt. Verum elapſo ab ingreſſu in eam regionem ſeptennio, cum ſingulis Tribubus peculiares ſedes tunc primo aſſignatæ fuiſſent, ex agro in Urbes, ex tentoriis in ædes migrarunt. Sed a Cinæis nihil de priſtino more variatum eſt; neglectis enim Urbibus, in agro & ſub tentoriis, uti antea, morati ſunt, ſive in media regione Chanaan, uti Heber Cinæus (4), ſive in media Amalecitide, uti cæteri ex poſteris Jethro (5), ſive tandem in medio Regni Juda, uti Rechabitæ, qui Jeremiæ etiam ætate conſtitutis ſibi ab Authore ſuo legibus inhærentes, & ab uſu vini, ac tandem ab agricultura abſtinebant (6).

Porro in iis regionibus, de quibus nuper egimus, cavernæ & petræ non modo tutum erant in bellis rebuſque turbatis effugium, ſed jucundæ etiam, commodæ, & vulgares incolarum ædes. Nullæ erant commodiores ſedes gentibus quibuſdam, ad Erythræi litora, ad Sinum Perſicum, ad montes Armeniæ, in Inſulis Balearibus, & Melita, quas gentes Græco nomine *Troglodytas* appellabant, nempe viros in cavernis latentes (7). Hiſce ſpeluncis diſſeminati erant montes Arabiæ, Judææ, & Phœniciæ; ac teſte Strabone, in Ituræa immania quædam antra occurrebant IV. M. hominum continendis aptiſſima (8). Apud Joſephum mentio fit de inacceſſis Galilææ ſpecubus, quibus ſe continentes prædones nunquam potuerunt ab Herode exterminari, niſi cum demiſſi ope machinarum ex alto in ſportis milites ad oſtia cavernarum ſucceſſerunt (9). Habebant receſſus illi anguſtum & difficilem aditum, vix capientem ſingulos, interiora vero ampla & ſpatioſa, ut homines plurimos cum annona & aqua ad multuos dies continerent.

In Scriptura occurrunt ſpelunca Loth, quo ille & tota familia (10) Sodoma elapſi ſeſe receperunt, ſpelunca Maceda, quinque Regum ab armis victricibus Joſue & Iſraelis effugium (11); Etham (12), in qua Samſon ſeſe continuit; Odollam, & Engaddi, Davide ejuſque exercitu celato notiſſimæ (13). Aliæ leguntur ab Iſraelitis, Madianitas (14) & Philiſtæos (15) fugientibus, exciſæ. Abdias Oeconomus Achabi in cavernis reconditos centum Prophetas tenuit, ubi furentis Jezabelis gladio ſubducerentur (16). Maccabæi Antiochum Epiphanem declinaturi, in ſpeluncis ſeſe contutabantur (17). Quo tandem niſi ad ſpeluncas confugiebant Prophetæ & Juſti ab impio-

ſum

(1) Horat. l. 1. Sat. 3. *Cum prorepſerunt primis animalia terris, Mutum & turpe pecus, glandem, atque cubilia propter, Unguibus & pugnis, dein fuſtibus, atque ita porro Pugnabant armis, quæ poſt fabricaverat uſus; Donec verba, quibus voces, ſenſuſque notarent, Nominaque invenere. Dehinc abſiſtere bello, Oppida cœperunt munire, & condere leges*, &c. (2) Gen. IV. 17. (3) Gen. IV. 21. (4) Judic. IV. 17. (5) 1. Reg. XV. 6. (6) Jerem. XXXV. 6. 7. (7) Vide Plin. l. 6. c. 29. Strab. l. 11. & 16. Diod. l. 5. (8) Strab. l. 16. pag. 520. Ὄρη δύσβατα, ἐν οἷς τινα σπήλαια, ὧν ἓν καὶ τετρακισχιλίους ἀνθρώπους δέξασθαι δυνάμενον. (9) Antiq. l. 14. c. 27. & l. 15. (10) Gen. XIX. 30. (11) Joſue X. 16. (12) Judic. XV. 8. (13) 1. Reg. XXII. 1. & XXIV. 4. (14) Judic. VI. 2. (15) 1. Reg. XIII. 6. (16) 3. Reg. XVIII. 4. (17) Macc. VI. 11. & X. 6.

rum perſecutionibus in tutum ſeſe recipientes (1)? Pacatis Urbibus, adhuc tamen excisa ſaxa petebant, a Mundi corruptione effugium; commodiſſimas eas inſuper ſedes rati, ubi rerum Divinarum contemplationibus, & pietatis operibus exercendis liberius vacarent. Succurrunt in eam rem Eliæ, S. Joannis Baptiſtæ, & Jeſu Chriſti exempla. Extat hodienum una ex his ſpeluncis, tribus leucis a Sidone (2), quam ita deſcribunt: Immane eſt ſaxum, prealti montis portio, in quo plurimi exciſi ſpecus, prope ſimilis inter ſe formæ. Aditus duobus circiter pedibus in quadro patet, intus videas cc. circiter exciſas cellas, duodecim pedum in quadro. Oſtium unum cellæ latus occupat, reliqua tria cellulæ, vel armaria quædam tenent, duobus pedibus a ſolo edita; patent autem quædam tribus pedibus in quadro, quædam hac dimenſione majores ſunt, quædam minores. Super oſtium cujuſcumque cellulæ canalis eſt in ſaxo exciſus, efferendis aquis de fornice ſtillantibus opportunus. Cum vero aliæ ſupra alias cellas incumbant, ex inferioribus ad ſuperiores per gradus in ſaxo expreſſos aſcenſus datur. Tandem ad baſim prælti ſaxi plures exciſæ ſunt ciſternæ, ſervandis aquis deſtinatæ. Ex hac ſpelunca de reliquis judicium eſto.

Ciſternæ, colligendis aquis pluvialibus deſtinatæ, ſeu vino poſt vindemiam ſervando in ipſis vineis, aut juxta illas effoſſæ, quandoque tutum miſeris effugium, atque ſedem pro cavernis præbuerunt. Patriarcha Joſeph in ciſternam Dothain a fratribus demiſſus legitur (3). Iſraelitæ cum Philiſtæos moleſtiſſimos dominos ſuſtinerent, in ciſternis ſeſe continebant (4). Vir quidam ex fortiſſimis in exercitu Davidis leonem in arentem ciſternam prolapſum occidit (5). Ciſternam arentem pro carcere toleravit Jeremias (6). Zeb vir inter Madianitas facile princeps, in torculari delituit ſeu potius in ſubterraneo quodam receptaculo ad ſervandum vinum, antequam in lagenas pro more illorum temporum reponeretur (7). Fratres Regis Ochoziæ duo & quadraginta in ciſterna deprehenſi, omnes mandante Jehu neci traditi ſunt (8). Loca tamen illa neque Hebræis unquam, neque finitimis populis domeſticas ſedes præbuerunt. Verum cum de Hebræorum ædibus ſermo a nobis habeatur, hæc omnia animadvertiſſe operæ pretium fuit, adeo a noſtris moribus aliena, ut vix fieri poſſe videatur, ut vera ſint, ſi Palæſtina regio eſſe irrigua ponatur, in qua raræ viſerentur ciſternæ, præterquam in Urbibus in monte ſitis, ubi rari fontes & putei, uti etiam ſi vinum ſervatum credatur apud illos, quemadmodum apud nos, in doliis, cellis vinariis, & cavernis.

In Palæſtinam ſuccedentibus Hebræis nullæ erant Urbes, niſi quas pulſis Chananæis armis ſibi occupabant: Deus enim eam regionem poſſidendam cum Urbibus conceſſerat, cum Urbibus inquam, aliena manu ædificatis, & cum vineis, & olivetis aliena manu ſatis (9). Porro Chananææ Urbes illæ validis munitionibus cingebantur, ac mœnibus ita editis, ut de illis uſurparetur: *Urbes ad Cælum uſque muratas* (10). Arces ſeu munitiſſimæ Urbes editis collibus inſidebant; duplici interdum, & triplici quandoque mœnium ambitu protectæ. Sed unus erat præ cæteris firmior murus, turribus per interjecta ſpatia munitus, quem excavata foſſa, ac deinde antemurale, de quo frequenter Scriptura (11), tuebantur. Antemurale illud humilior erat murus, quem tantum aggeſta terra & humillima propugnacula tutabantur. Altitudinis, & craſſitudinis veterum mœnium ſpecimen exhibent ambientes Babylonem muri, qui cc. cubitis e ſolo ſurgebant, & l. habebant craſſitudinis (12). Vir, qui noſtra ætate rem oculatus teſtis inſpexit, teſtatur, extantia adhuc rudera veterum mœnium urbis Ninives, murum exhibere xxx. pedibus latum, & altum adeo, ut jactus ab homine ſurſum lapis vix altius evolaret (13). Cum Romani Jeroſolymam expugnarunt, triplici mœnium ambitu urbs cingebatur (14). Paria ferunt de Urbibus Babylone, & Carthagine. Ecbatana ſeptemplici muro protegebantur (15). Sed non tam mœnibus & arcibus, quam loci ſitu, munitiſſimæ erant Urbes Palæſtinæ; in jugo enim ardui montis conſtitutæ, omnes eludebant hoſtium conatus; ſi quæ autem tutæ loci natura fuiſſent, in naturæ auxilium arte accita, muro maxime immani & validiſſimo muniebant. Videſis noſtram Diſſertationem de militia Hebræorum.

Urbes habebant, quemadmodum adhuc in Oriente, nullo ſtratas lapide, ſed mundiſſimas, nulla in ea re cautione prætermiſſa. Nulla occurrebant in illis vel ſanguinis macula, ſive projecta beſtiarum morticina, ſive aliud quodcumque aeri corrumpendo, ſive inficiendis legali macula Iſraelitis, noxium. Notiſſima ſunt quæ Moyſes his ſordibus amovendis præſcripſit (16); nec ignotus Judæorum horror in ſanguinem (17). Quantum autem munditiæ ſtuderet populus, ſatis demonſtrant ablutiones tam privatæ (18) quam publicæ apud illos frequentiſſimæ. Nulla quidem oſtendere licet apud illos publica ædificia balneis deſtinata, quemadmodum plura erant Græcis & Romanis, ſicut & hodie Mahometanis (19), ſed præceptum tamen ſingulis a Moyſe legimus, ut balneis & lotionibus in certis rebus uterentur; nempe pro eluendis legalibus & quotidianis maculis, quæ vix ac ne vix quidem vel a cautiſſimis evitantur.

Non is erat Hebræorum Urbibus publicorum ædificiorum, & Templorum numerus & ſplendor, qualis in Urbibus cæterorum populorum ſpectabatur. Unicum erat in toto Regno Templum, magnificentiſſimum tamen, adeo ut cætera aliarum gentium ſuperaret. Poſt ſchiſma Jeroboami, gemina alia ab eodem Rege excitata ſunt, alterum in Dan, juxta fontes Jordanis, alterum in Bethel, ſingulis aureis vitulis dedicata (20). Salomon nonnulla excitaverat Diis alienigenis, impio fœminarum amori indulgens (21), pravoque exemplo cæteros deinde Reges ad ſimile facinus induxit. In Iſraelis Regno majori licentia crimen pervagatum eſt. Sub Achaz & Jezabele, præter geminos aureorum vitulorum Templa, alia quoque adjecta ſunt Baal & Aſtaroth, Phœniciis Numinibus, quorum cultum Jezabel in Iſraelem invexerat (22). Synagogæ in Urbibus non niſi poſt captivitatem occurrunt (23). Jeſu Chriſti ætate frequentes erant, quas magnificentia, & amplitudine ſua munificentiæ conditorum & Urbium reſpondiſſe facile credimus.

Juri dicundo plerumque Urbis portæ deſtinatæ: *Ne cogerentur agricolæ intrare Urbes & aliquod ſubire diſpendium, Judices in portis reſidebant, ut tam urbanos quam ruſticos in exitu & introitu urbis audirent, & finito negotio unuſquiſque confeſtim* ad

(1) Hebr. xi. 38. (2) Maundrel. Voyag. de Jeruſ. p. 198. (3) Gen. xxxvii. 20. &c. (4) 1. Reg. xiii. 6. (5) 2. Reg. xxiii. 20. (6) Jerem. xxxviii. 8. (7) Judic. vii. 25. (8) 4. Reg. x. 15. (9) Deut. vi. 11. 12. (10) Deut. ix. 1. (11) 3. Reg. xxi. 23. & 2. Reg. xx. 15. Pſ. xlviii. 14. Iſai. viii. 4. & xxvi. 1. Jerem. Lam. ii. 8. Nahum iii. 8. (12) Herod. l. 1. cap. 178. (13) Paul. Lucas Voyage de Levant l. 2. ch. 11. p. 56. (14) Joſeph de bello l. 6. cap. 6. Lat. & 13. in Græc. (15) Herod. l. 1. cap. 9. (16) Deut. xxiii. 12. (17) Gen. ix. 4. Levit. vii. 26. &c. (18) Marc. vii. 2. 3. (19) Vide Thevenot. ch. 23. (20) 3. Reg. xii. 30. (21) 3. Reg. 11. 7. (22) 4. Reg. xvi. 31. 32. (23) Vide quæ diſſeruimus in 1. Macchab. xiii. 42.

ad ſedes proprias reverteretur, ait S. Hieronymus (1). Ædificia in eam rem deſtinata ipſis Urbium foribus adhærebant. Cum vero ſcriptis parceretur ætate illa, ſummaria erant judicia, nullis ferme ſervatis judicialibus formis, ſoliſque adhibitis teſtimoniis, quorum nunquam abeſſe poterat in patentibus urbis foribus copia. Si quid venderetur, emereturque, aut pactione tractaretur in Urbis foribus & coram teſtibus, id ſane ratum erat & firmum. Abraham pretio ſibi ſpeluncam & agrum Ephronis, ut Saram ſepeliret, empturus (2), præ foribus Urbis Hebron ſe conſtituens, cum Ephrone convenit; ſolutoque pretio coram omnibus Urbem ingredientibus, *confirmatus eſt ager, quondam Ephronis, Abrahæ in poſſeſſionem, videntibus filiis Heth, & cunctis, qui intrabant portam Civitatis illius*. Quid autem potiſſimum ſervaretur in Judiciis ibidem ferendis, ex hiſtoria Ruth (3) ſatis intelligimus. Foribus ergo Urbis ædificium imminebat cum ſpecula. In bello Abſalomi cum Davide, pius pater, cum prælium committeretur (4), ſedebat *inter duas portas*; ſpeculator vero in edito loco proſpiciens, cum forte aliquem e prælio venientem ſpectaret, clamabat. David audito de nece filii ſui nuncio, ut paterno dolori fræna liberius laxaret, *aſcendit in cœnaculum portæ*.

Foribus accedebat platea, cogendis populis (5), & nundinis celebrandis deſtinata (6). Eliſæus Propheta futurum prædixit Joramu Regi Samariæ, ut poſt ſolutam ab obſidione Urbem mane alterius diei farinæ modius præ foribus, ſive in foro, ſiclo veniret. Uſuram, & dolos nunquam receſſiſſe e foro Jeroſolymæ Pſalmiſta conqueritur (7). Quæ ſacrificiis uſui eſſe poterant, in ipſo Templi atrio vendebantur, unde Jeſus Chriſtus impios licitatores depulit: indignum clamitans, domum orationis ſpeluncam latronum effici (8). Plateæ iſtæ vendendis rebus deſtinatæ, reſpondebant hodiernis Bazaris orientalibus, qui atria ſunt porticus perpetuæ, & faſtigiatæ ambitu cincta; ſub porticibus vero officinæ mercatorum patent. Viri mercaturam exercebant, fœminas enim vel in officinis apparere nefas, qui adhuc mos apud Orientales manet. Solebant non raro advenæ, fruſtra quæſito apud cives hoſpitio, noctem in foro agere; diverſoria enim tunc temporis rara habebantur, & frequenter nulla. Angeli Sodomam miſſi, ut Lothum educerent, acturi totam noctem in foro videbantur (9). Levita ille, cujus uxor injuriam a Gabaonitis paſſa eſt, ad multam noctem in foro manſit, nullum inveniens benevolum hoſpitem (10). Diverſoria quidem alicubi occurrebant, quæ a fœminis deploratæ famæ habebantur. Fratres Joſephi ex Ægypto reduces, in diverſorium, nocte ſubeunte, ſeſe receperunt (11). Exploratores Jerichuntem miſſi apud Rabab diverterunt (12). Samſon, cum Gazam veniſſet, in hoſpitium, quo ceteri advenæ, receptus eſt (13).

Præter aulas, & areas cogendis populis ſive juri dicundo præ foribus Urbis deſtinatas, alia erant atria, & aulæ ad eam rem in Templo & in ædibus Principum, ubi Præfecti Regis, & Miniſtri Domini de cauſis cognoſcebant, ſuam ſinguli exercentes poteſtatem; juxta poſitiam a Moyſe conſtitutam. Cum in Jeremiam capitalis eſſet dicta ſententia in cœtu Sacerdotum & populi, in ipſo Templo congregato (14), Præfecti & Judices Regii in Templum coeuntes, cauſa rei iterum cognita, damnatum antea novo judicio abſolverunt. De throno Salomonis, & atrio juri dicundo deſtinato lege 3. Reg. x. 18. &c. & vii. 7. 8.

Ex omnibus publicis Hebræorum ædificiis, magnificentiſſimæ, poſt Domum Domini, cujus alibi deſcriptionem late dedimus, ædes occurrunt Regum Juda, & Iſraelis. De ædibus Salomonis veluti omnium ea ætate ſplendidiſſimis, ſermo eſt in Scriptura (15). Ædificium erat centum cubitis longum, quinquaginta latum, triginta aſſurgens; tres columnarum ordines, ex quibus tres faſtigiatæ porticus, ante conclavium faciem regnantes, totum ornabant. Latera etiam fulciebant porticus, columnæ, & conclavia. Ædes Reginæ, uxoris Salomonis, & filiæ Regis Ægypti, ejuſdem erant ſtructuræ & magnificentiæ. In primo Regiæ Domus atrio conſtitutus erat thronus, Regi, cum maxime jus diceret, deſtinatus. Marmoreo conſtabat lapide, cedrinis ſuperinductis aſſeribus ornatus, ad quem per gradus aſcenſus patebat, quemadmodum fuſius in III. Reg. x. 18. Thronum ambiebant columnæ porticus circum regnantis, & teſtudinis ſpeciem quamdam ſuſtinentes.

Columnæ illæ cedro conſtabant, nec alterius erant vilioris materiæ trabes, & baſes porticuum; unde nomen ædibus: *Domus ſaltus Libani*. Porro huic ædificio conſtruendo non niſi *lapides pretioſi*, juxta Scripturæ phraſim, in uſu fuerunt (16), nempe exquiſitiſſima marmora ſedula arte expolita. Ab imo enim fundamento uſque ad verticem, lævigati ſective lapides, utrimque quadrati, octo ſive decem cubitorum, ſplendebant. In eo quippe veteris magnificentiæ ratio poſita erat, ut grandiores lapides in ædificiis conſtituerentur, ad normam elaborati, & ſcite adeo connexi, ut nullo cæmento, ſive bitumine juncti ſimul viderentur; denique ut ædificium ſolidum eſſet & compactum. Id autem maxime vident hodie uſque quicumque loca illa Itinerantes petunt, in vetuſtiſſimis remotioris antiquitatis ruderibus, in Ægypto, Palæſtina, Syria omnia ſoliditatem, & compactum quiddam in ſtructura exhibere.

Periſtylia vero illa & porticus perpetuo circa ædes regnantes duplici erant commodo; primo id efficiebant, ne Solis radii recta in parietes conclavium lapſi immodico æſtu torrerent; ſecundo, ut ex una ædium parte ad aliam liber daretur aditus, ab injuriis Solis & pluviæ immunis. In atriis Principum milites Prætorii, cæterique, qui rerum agendarum cauſa ventitabant, ſub hiſce porticibus commodam moram trahebant. Palatia Principum Orientalium hodie uſque ad hanc normam conſtructa ſunt; neque alterius fuiſſe architecturæ videntur ædes Eglonis Regis Moabitarum Jerichunte, nam Aod poſt occiſum proditione Regem, periſtylium tranſgreſſus, ubi diſpoſiti erant milites Regiæ domus cuſtodes, evaſit (17).

Materia omnis in ædificiis ejus ætatis vilior habebatur præ cedro. David conſilium ſuum de conſtruendo Templo Domini Nathano communicans (18), Cernis, inquit, me pretioſas e cedro ædes incolere, cum interim Arca Domini ſub pellibus detineatur? Salomon cedrinis aſſeribus Templum veſtivit; cedro ſimul & marmore intermixtis inſtravit atrium interius Templi, veſtibulum item Sancti, & atrium Regiæ Domus, ut totum pavimentum triplici conſtaret ordine lapidum, & altero cedrino; ſed de cedri uſu nos alibi fuſius (19). Quid? columnæ, porticus Regiarum Ædium fulcientes, nonne cedrinæ? Jeremias luxum Joakimi regis Juda arguens ait: *Facit laquearia*

ce-

(1) In Zachar. viii. (2) Gen. xxiii. 10. 18. (3) Ruth. iv. 1. & Deut. xxv. 6. 7. (4) 2. Reg. xviii. 24. 33. (5) Vide 2. Paral. xviii. 9. *In area, juxta portam Samariæ*. Et 2. Par. xxxii. 6. *In platea portæ Civitatis*. (6) Iſai. xxvii. 21. & 2. Eſd. iii. 3. 4. Reg. vii. 1. (7) Pſalm. lvi. 17. (8) Matth. xx. 13. (9) Geneſ. xix. 2. (10) Judic. xix. 15. (11) Geneſ. xlii. 27. (12) Joſue ii. 1. (13) Judic. xvi. 1. (14) Jerem. xxvi. (15) 3. Reg. vii. (16) 3. Reg. vii. 11. (17) Judic. iii. 24. (18) 2. Reg. vii. 2. (19) 3. Reg. vi. 36. & vii. 12.

cedrina, pingitque ſinopide (1). De picturis ceratis mentio occurrit in II. Macchabæor. 30. Dictæ picturæ illæ in ligno vel pariete, dein liquata cera oblitæ, loris panneis fricabantur; qua de re Vitruvius (2). Auratâ cerataque laquearia porticuum in Templo legas apud Joſephum (3). Tandem Scriptura quoties ædificii alicujus magnifici ideam ingerit, ſemper cedrinas ædes vel cedro veſtitas memorat (4), *Fabricæ noſtræ lateritiæ corruerunt*, ita imprudentiſſime jactitabant Samaritani, *nos pro lateribus uicentes & expolitis lapides ſubſtituemus, ædificia noſtra e ſycomoro everterunt; cedrina ædificabimus* (5).

Nec cedrus tantummodo, ſed ligna alia pretioſa, & ebur in ædificiis Salomonis ſpectabantur. Thronum juri dicundo deſtinatum, auro micantem & ebore excitavit (6); & cedro aliiſque pretioſis peregriniſque lignis conſtabant fulcra porticus, Regias Ædes cum Templo jungentis (7). Achabo Regi Iſraelis Ædes erant, ex eboris copia, eburneæ appellatæ (8). Amos divites Iſraelis arguens (9), everſurum Deum minatur domus hyemales, æſtivaſque, ædeſque eburneas ſubverſurum. Domus eburneæ mentio occurrit etiam in Pſalmo XLIV. 9. quamquam ſermo ibi potius de arculis, quam de ædibus eburneis creditur.

Ad domos æſtivas & hyemales apud Amos commemoratas quod attinet, operæ pretium eſt animadvertere, nullum fuiſſe caminorum apud Hebræos uſum. Vix ad ignem accedebant; & ſi quando frigore adigerentur, prunæ in foculo inferebantur, adjectis olivarum nucleis, vel ſimili quodam fomento. Regi Joakimo, ſedenti ad prunas in conclavi hyemali, & in arula ante ſe poſitas, oblatum eſt volumen Jeremiæ (10); quod ab illo cultro diſciſſum, igni traditum eſt. De olivarum nucleis ad ignem fovendum in ſummo hyemis frigore, ſermo eſt apud Baruch (11); interdum in medio atrii ignis excitabatur, quod factum conſtat, qua nocte Jeſus Chriſtus ad Summum Sacerdotem raptus fuit (12). Templi culinæ atria erant XL. cubitorum in longum, & XXX. in latum, quæ circum habebant diſpoſitos focos, coquendis victimis ſacrificiorum pacificorum; quorum fumus libero aeri expoſitus nullo camini ductu efferebatur. Apud Oſee XIII, 3. ſermo eſt de feneſtris ſive ferulis, unde fumus exhalabat: *Sicut fumus de fumario*.

Domus æſtivæ variæ erant formæ, ſeu potius æſtus mitigandi variæ initæ ſunt rationes. Interdum ſubterranea parabantur loca, Solis radiis invia: *Subeſt cryptoporticus ſubterraneæ ſimilis, æſtivo incluſo frigore riget* (13). Sæpe porticus erant amplæ, qua parte venti flabant, patentes, qua vero Soli perviæ, pariete obductæ (14). Auras captantem in periſtilio Antiochum Epiphanem, Ptolemæus pro Menelao deprecaturus convenit (15). Eglonem in æſtiva domo agentem Aod interfecit (16). Ægyptiorum aulæ, de quibus Vitruvius, cum ſuperius tantum patentes ſuperiores auras captarent, refrigeratum aera diutius continere cenſebantur. Perſæ, authore Xenophonte (17), non inductum tantummodo a natura refrigerium ex arborum umbra & petrarum algore ſibi procurabant; ſed loca etiam parabant umbroſa & algentia in ipſis domeſticarum ædium ædificiis. Ammianus Marcellinus (18) vidiſſe ſe per-

hibet Canopi in Ægypto conclavia ventorum flamine refrigerata. Loca erant patentia, Zephyris perflata, in maximo etiam æſtu. Conclavia æſtiva, hodie etiam apud Orientales frequentia, in quadro conſtructa ſunt, opere concamerato, paullo elatiora, ut per gradus aſcenſus pateat; auras vero captant ex ſuperiori foramine, ex inferiori oſtio demittunt (19). Patuiſſe autem ædificia illa a ſeptentrione tantummodo, ex Varrone & Columella ac Palladio intelligimus (20). Ex itinerariis etiam deſcriptionem habemus conclavium apud Orientales, frigori captando paratorum. Author eſt Proſper Alpinus (21), apud Ægyptios in uſu eſſe tubos quoſdam ingentes, in mediis ædibus erectos, intus latos decem cubitis; quorum os ad Septemtrionem obverſum, in campanæ modum panditur; quare aeris aditus amplior eſt, quam tubus, per quem frigidior aer ad conclava ducitur.

Privatæ Hebræorum ædes nihil a finitimorum populorum diſtabant; nec variaſſe credimus ab iis, quæ hodie uſque in Paleſtina, Arabia, & Syria obtinent. Exterior earum facies ſimplex, culmen in aream complanatum, ſolario quodam inſtratum eſt ex compreſſa humo, reguntique circum lorica, ut labendi periculum omne amoveatur; uti Moyſes edixerat protectum (22). Tecta enim frequentabant Hebræi, cum auris captandis, cum etiam ſpatiaturi, ac tandem quieti capiendæ. David in tecto domus obambulans, uxorem Uriæ in vicinis ædibus lavantem proſpexit (23). Gemini exploratores a Joſue miſſi ſub tecto domus Rahab cubarunt (24); cubavit & Saul hoc in loco, a Samuele parato (25). Abſalom dicitur juſſiſſe uxores Davidis patris ſui ſub tentoria in tecto Regiæ domus expanſa (26). Cum Samſon Fanum Dagonis evertit, ingens hominum turba in tecto ejuſdem ædificii verſabatur (27). In tecto item Regiæ domus Achaz Altare erigendum præcepit (28). Sacrificia ſuper tectis oblata vitio Iſraelitis vertuntur apud Prophetas (29). Eumdem morem ſpectaſſe creditur Jeſus Chriſtus illis verbis: *Quæ in aure auditis, prædicate ſuper tecta* (30).

Scalas, quibus in tecta aſcenderetur, non intra domeſticos parietes, ſed extra ædificium ſub dio poſitas ferunt. Viri illi, de quibus Lucas V. 19. cum inferre per oſtium paralyticum, turba hominum fores obſidente, prohiberentur, conſcenſo tecto ægrum funibus alligatum ante Jeſum demiſerunt. Jeſus Chriſtus (31), *Qui in tecto eſt, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua*. Deſcendendum quidem erat ad fugam capiendam, ſed vetat deſcenſum in domum. Elpena apud Homerum (32), e tecto per exteriores ſcalas deſcendens, quod pes fefellerit, præceps e ſcalis corruens, interiit. Hæc domos ædificandi ratio non uno in loco adhuc ſupereſt, ut in Alſatia, & ubique per Orientem: Tournefortius Epiſt. 16. in urbe Moſcha ædes omnes ſcalas habent exteriùs perinde ac in Alſatia & Cairo. Primum ſolarium duabus perticis ſupra terram extollitur. Des Breves pag. 242. Vide & eumdem pag. 25[illegible]. Mos & ibi aquæ vivæ receptacula conſtituere in majori aula refrigerationis gratia. Id vero & animadvertere licet aliculi in Scriptura. Des Breves pag. 262.

Feneſtræ non vitris obducebantur, ſed velis [illegible]

(1) Jerem. XXII. 13. 14. (2) Vitruv. l. 7. c. 9. (3) Antiq. l. 15. c. 14. (4) Cantic. [illegible] (5) Iſai. IX. 10. (6) 3. Reg. X. 18. & 2. Par. IX. 17. (7) 3. Reg. [illegible] (8) 3. Reg. XXII. 39. (9) Amos III. [illegible] (10) Jerem. XXXVI. [illegible] (11) Baruch. VI. 42. (12) Luc. XXII. 55. (13) Plin. in villa [illegible] (14) Juvenal. Satyr. 7. *Porticus alia longis ſuſpenditur ſulta columnis, Surgit, & algentem rapiat cœnatio Solem.* (15) 2. Mach. IV. 46. (16) Judic. III. 24. (17) In Cyrop. l. 8. (18) Ammian. lib. 22. (19) Leo Afric. Deſcript. Afric. [illegible] Tavernier Voyage de Perſe [illegible] (20) Varro de Re Ruſt. Columel. [illegible] Pall. lib. 1. [illegible] (21) Proſp. Alp. de Medic. Ægypt. l. 1. [illegible] (22) Deut. XXII. 8. (23) 2. Reg. XI. 2. (24) Joſue 2. [illegible] (25) 1. Reg. IX. 25. (26) 2. Reg. XVI. 22. (27) Judic. 16. 27. (28) 4. Reg. XXIII. 12. (29) Jerem. XIX. 13. Sophon. 1. 5. (30) Matt. X. 27. (31) Matth. XXIV. 17. (32) Odyſſ. XI. v. 63. 64.

re cancellis; quare per cancellos in conclave Sponſæ reſpexiſſe Sponſus (1) dicitur; & in Eccleſiaſtico xxi. 26. Stultus in alienas domos intro duci poſtulans, obſervat per cancellos janitorem; cum vir prudens extra domum expectet. Cum in ſacro Textu recludi feneſtras legimus, de cancellis ſeu velis reductis intelligendum eſt. Cum vero mulieres raro domo prodirent, & in conclavi ſuo clauſæ retinerentur, ſæpe e feneſtris ſpectabant. Mater Siſaræ e feneſtra reſpiciens, adventum filii ſui præſtolabatur (2). Michol pompam translationis Arcæ e feneſtra ſpectabat (3), & Jezabel ingredientem Jehu Samariam (4). Mulier impudica de feneſtra domus ſuæ per cancellos in via tranſeuntes obſervat (5). Cum Heliodorus juſſu Seleuci ad expilandum Templum Jeroſolymitanum veniſſet, puellæ & fœminæ curſum proſpiciebant, aliæ e mœnibus, aliæ e feneſtris (6).

Tentoria, & ædes mulierum ſeorſum erant a viris: ita tentoria Saræ, Rachelis & Liæ, diſtincta fuiſſe legimus a tentoriis Abrahami, Iſaaci, & Jacobi. Salomon ædes ædificavit uxori ſuæ, filiæ Regis Ægypti (7). Jahel uxor Heber Cinæi ſuum habebat tentorium, ſeorſum a viro, ſuam etiam domum Sponſa in Canticis. Quin neo mensam habebant communem fœminæ cum viris ſuis, ſi quando convivio præter domeſticos aliqui intereſſent. Cum Abraham convivio excepit tres Angelos, nunquam Sara apparuit; nec Rebecca, cum Eliezer ab Abrahamo miſſus de conjugio ejuſdem puellæ cum domeſticis ipſius iniret cœnandum ageret. Sciunt eſt, quid Reginæ Vaſthi reponeret Aſſuero, ut convivio aſſiſteret invitanti (8). Sed fruſtra in eam rem exempla ex Libris Sacris congerimus, cum hodie uſque eadem conſuetudo in toto Oriente, & in Europa frequentiſſima maneat.

Mos eſt in Paleſtina adhuc perſeverans, ut ædificiorum omnium etiam magnificentiſſimorum, & publicorum fores humiles ſint adeo (quemadmodum veteres quædam Eccleſiæ præſeferunt), ut nonniſi incurvo corpore adiri queant. Ejus rei in cauſa fuiſſe dicunt Arabum equitum excurſiones, ne forte equitantes per Eccleſias, five domos diſcurrant. Cum tamen nihil ſimile contingeret, dum Hebræi regionem illam pacifica poſſeſſione tenebant; hinc facile credimus, eorum ædificiis appoſitas fuiſſe fores pro reliqua ſtructuræ magnificentia. Sane quæ in Scriptura, & apud Joſephum deſcribuntur, fores magnificentiſſimæ ſunt, quamquam non domorum illæ fuerunt, ſed Templi. Parvas nonnullas teſtatur Joſephus uſque ad xx. cubitos in altum, & xx. in latum (9); alibi vero uſque ad l. cubitos in altum, & xx. in latum, obductas laminis aureis & argenteis, deſcribit (10). Janua Orientalis ex ære conſtans adeo immanis erat, & gravis, ut non minus quam xx. adhibitis viris clauderetur, recluderetur que (11). Veſtibus ferro infertis fores clauſæ continebantur, additis & peſſulis. Altera ſtipites, ex integro ſolidiſſimoque lapide conſtantes, inſertis. Laminas aureas & argenteas a Templi foribus revellens, ut integrum exactum a Sennacheribo pretium ſolveret, Ezechias coactus eſt (12). Portæ Gazæ, quas Samſon revulſas ſecum tulit, ligneæ erant, ligneoque pariter conſtabant ſtipites & ſuperliminaria (13). Hæ totius Orientis vulgarium nobiliumque domorum fores (14). Poſtes & ſuperliminaria lignea; porrigitur in ſuperiori & inferiori parte quædam ligni ſuperfluitas, cui appoſitis apte forulis inſerta ſuſtinentur, ut in ſeipſis veluti in cardine vertantur. Nullus illic ferri uſus, niſi in obducta foribus catena, quæ ferrea ſimul peſſulo continetur. Occurrunt etiam alicubi ex unico lapide fores, quæ marmoreo etiam cardine verſantur; quibus in re nihil ſpectatur auguſtius, quam januæ ſepulchrorum Regum Juda; unico enim perpetuo lapide ſtipites, ſuperliminare, veſtibulum, cardines excisa conſtant.

Porro valvæ illæ interius obfirmabantur appoſito ligneo ſive æreo vel ferreo vecte cum peſſulis. Vectes continebant annuli ærei, five ferrei catenæ. Urbes illæ Baſanitidis, *Avoth-Jair* dictæ, firmis mœnibus, æreiſque vectibus muniebantur (15). Eadem vox Hebræa נעל *Nahal*, quæ caligas inducere ſonat, uſurpatur etiam de foribus claudendis, ut idem ſit ac valvas, objecto vecte æreis vinculis adſtricto, obfirmare; quemadmodum enim olim caligæ ligulis adſtrictæ pedibus vinciebantur, ita & vinculis vectes. Quare locus Deuteron. xxxiii. 25. *Ferrum, & æs calceamentum tuum*, commode etiam reddi poteſt; *Ferreus & æreus vectis eſt & peſſulus tuus.*

Quo autem vincula illa ſolvi, & vectes removeri poſſent, clavi utebantur veteres; incertum tamen cujus artificii. In ſuprema Jeroſolymæ obſidione Idumæi ad ferendam opem a Zelotis arceſſiti, in Templum introducti ſunt, ſerra abciſſis vectibus, januas obfirmantibus (16). Satis igitur non erat intus in domo eſſe, ut quis fores recluderet, ſed clavi etiam reſolvenda erant vincula, ut vectis amoveretur. Paria colligimus ex hiſtoria Eglonis. Ejus enim aulæ miniſtri aperire januas ab Aod clauſas non potuere; clavis requirenda fuit, vinculis peſſulum continentibus reſolvendis (17). Morem hunc alligandi, & reſolvendi vectes ſæpiſſime innuit Scriptura. Balthaſar Rex Babyloniæ ad Danielem (18): *Ego audivi de te, quod poſſis obſcura interpretari, & ligata diſſolvere*, id eſt, clauſa recludere; & Jeſus Chriſtus (19): *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*; nempe fores Regni Cœlorum pro tuo arbitrio occludentur recludenturque. Libri Regum (20) catenarum quarumdam meminere, quibus Sanctuarii fores claudebantur. Vidimus mox a Chardino uſum catenarum, quibus in Oriente fores obſerantur. Homerus etiam vincula memorat, arcarum operculis vinciendis. Idem in Oriente mos ſervatur, ubi arcæ vinculo muniuntur, cui ſigillum additur (21).

Nullum ſatis expreſſum in Scriptura compertum habeo teſtimonium de uſu ſerarum apud veteres Hebræos. Nam vox מנעול *minhul*, quam reddunt plerumque *ſeram*, deſignare potius creditur vincula, vectes continentia. Jungi ſolet voci בריח *Beriath*, id eſt, vectis ſive peſſulus. Ut formam horum vinculorum, & vectium intelligamus, nonnihil ex Cantico v. 4. deducimus; ait enim Sponſa, dilectum ſuum immiſſo per foramen januæ digito, adventus ſui indicium præbuiſſe; cum vero, inquit, ego ſtatim reſolutura *ligamina ſeræ* כפות המנעול cucurriſſem, foramina myrrha ab eo ſparſa comperi. Erat ergo in medio januæ foramen, ubi brachium inſerebatur, quo ſcilicet introducta clavi interior vectis reſolveretur. Intus, ait Scholiaſtes Arati, *inſeri clavem*

(1) Cant. ii. 9. (2) Judic. v. 28. (3) 2. Reg. vi. 16. (4) 4. Reg. ix. 30. (5) Proverb. vii. 6. (6) 2. Macc. iii. (7) 3. Reg. vii. 8. (8) Eſth. i. [illegible] (9) Joſeph. l. 2. contr. Appion. pag. 1067. (10) De bello l. 6. cap. 6. (11) De bello lib. 7. cap. 12. (12) 4. Reg. xviii. 16. (13) Judic. xvi. 3. (14) Chardin. Voyage de Perſe t. 3. p. 70. (15) Num. xxxii. 41. & 3. Reg. iv. 13. [illegible] xv. 8. (16) Joſeph. de bello l. 4. cap. 7. pag. 881. (17) Judic. iii. 25. (18) Dan. v. 16. (19) Matth. xvi. 19. (20) 3. Reg. vi. 21. in Hebr. (21) Chardin, Gouvernement politique des Perſes tome ii pag. 262.

res veteri more receptum eſt, nec enim exterius, uti nunc, ſolebant olim claves inducere Ægyptii & Lacones. Nec difficile credimus, eumdem in ea re, uti & in aliis pluribus, fuiſſe Ægyptiorum, & Hebræorum morem. Addit Sponſa, apprehendiſſe ſe ora ſive manubria vinculorum, Hebræus ad litteram, *manus minbul*, ideſt, manus calceamenti januæ, nempe extremam oram vinculorum vectis. Narrat Homerus (1), Euricleam, e cubiculo egredientem, fores annulo argenteo traxiſſe, demiſſoque loro, quo peſſulus ſuſtinebatur, qui clavis loco erat, clauſiſſe. Erat igitur in foribus foramen, qua lorum tranſmittebatur, ſuſtinendo demittendoque peſſulo, intus poſito, qui demiſſus claudebat fores, tractoque loro elevatus aperiebat.

Euſtathius (2) obſervat, gemina fuiſſe vectis ligamina, ad dexteram nempe, & ad ſiniſtram, hinc inde per certa foramina pendentia, ut ſcilicet claudi recludive oſtium poſſet. Totum aperiendi oſtii artificium, ſicut & clavium formam, Homerus concinne deſcribit, ita Penelopen domeſticum oſtium aperientem inducens Odyſſ. Φ. initio: *Accepit clavem bene flexam, manu forti, pulchram, æream, manubrium autem eboris inerat . . . . . Statim lorum ſolvit annuli; clavem at immiſit, januarum autem pepulit ſeras, ante prudenter permovendo: hæ autem reſonuerunt velut taurus paſcens prato, tantum ſonuerunt pulchræ portæ percuſſæ clavi. Apertæ ſunt cito*. Quare clavis ad vincula reſolvenda, multo quam hodie major, lignea que erat, vel eburnea, in falcis modum retorta. Remoto operculo foraminis ipſius januæ, clavis in id foramen introducebatur; qua impulſo peſſulo intus poſito, aperiebatur, reſoluto vecte ejus clavis ope, a noſtris prorſus alienæ. Claves quidem retortæ apud ruſticos adhuc manent, quamquam nonniſi ad removendum peſſulum aut vectem ligneum, qui intra murum reconditus, eductus deinde ac foribus appoſitus, januam occluſam firmat. Tandem foramen illud in medio januæ patens ad brachium inſerendum, apertiſſime in Apulejo legitur (3): *Lamachus ſpectatæ virtutis ſuæ fiducia, qua clavi immittendæ foramen, ſenſim immiſſa manu, clauſtrum evellere geſtiebat*. Et alibi ita de peſſulo (4): *Subdita clavi peſſulos educo*. Porro januæ exterius, & interius claudebantur, nullo adhibito clavis uſu. Aod egreſſus e cubiculo Eglonis, oſtium clauſit diligentiſſime, nulla appoſita clavi, uti S. Auguſtinus obſervat (5); quamquam ſine clavi oſtium illud aperiri deinceps non potuit; cujuſmodi ſunt apud nos ſeræ, quæ *veruclatæ* dicuntur. Homer. Odyſſ. A. v. antepen. Euricleam deſcribit, oſtium claudentem, *Janua attracta annulo argenteo; inſuper autem peſſulum obtendit loro*.

Præter eas claves; alias etiam obtinuiſſe, docet Salmaſius in Solinum, quibus alterius generis vectis retineretur, & ad januam adſtringeretur. Clavus in cocleæ modum perforatus vecti inſerebatur, cui deinde removendo recludendiſque foribus, clavis in promptu erat ſpiralis, quæ ſpirali item circumvolutione intra clavum inſerta, ac deinde reducta ſimul & clavum reducebat. Ita pandebantur valvæ, amoto, ſive ſponte decidente vecte. Porro cocleam illam appellabant *Balanagran*, & clavem *Balanon*, quæ omnia Ariſtophanes ejuſque Scholiaſtæ innuunt non obſcure: *Seram atque vectem diligenter inſpice, ne peſſulorum clauſtra* [Græce *balanon*] *poſſit rodere* (6). Succeſſu temporum, Laconicarum clavium uſus, maxime commodus ac tutus omnium ad id uſque, obtinuit; quibus oſtium exterius claudi poſſet, quin per foramen januæ brachium, uti prius, insereretur. Crucis formam referentes (7), tribus erant dentibus inſtructæ; & ſi quando claudi aliquem intra domum contigiſſet, nulla illi aperiendi fores erat poteſtas, niſi exterius recluderentur. Autumat Suidas (8), vectem ſive peſſulum in Laconicis ſeris exterius apponi conſueviſſe, ut ſi quis domum ingredi vellet, nunquam poſſet, niſi clavi immiſſa. Porro artificium illud minus conducebat fœminis, quæ in ea regione ædibus clauſæ tenebantur. Quare ita apud Ariſtophanem conqueruntur (9): *Non ultra nobis licet, uti antehac, viros decipere. Viri enim jam claviculas ipſi geſtant occultas, callidiſſimas, ac maxime malignas, Laconicas quaſdam, tres habentes claviculos. Sed prius quidem certe licebat aperire fores facientibus annulum triobolo, & vili pretio. Nunc vero iſte ipſos verna Euripides docuit minuta, & quaſi tineis corroſa habere ſigilla, appenſa habentes*. Hæ vero claves, in ſigilli tineis corroſi morem formatæ, aliæ plane ſunt a Laconicis.

Porro claves haſce tineis abroſas, vera eſſe lignea fruſtula carioſa, contendunt Scholiaſtæ, quæ ſcilicet ligna ceræ applicata ſigilli loco eſſent, imo & ſigilli tutioris, cum adulterari ſigillum poſſet, minime vero ligni illius impreſſa figura (10). Sed vix ego crediderim, pro ſigillis ligna carioſa obtinuiſſe: facilius putarim, in annulis ſigilla fuiſſe, quæ formam referrent ligni carioſi. Contigit inſuper mihi ſpectare inter Cymelia D. Abbatis Fauvel annulos quoſdam æreos, habentes pro ſigillo plura varia, & inæqualiter aſſurgentia puncta, quæ ſine in cera varias imprimere punctiones, vix adulterandas, nec male carioſi ligni figuras referentes, debuerunt. De clavibus apud veteres, vide Homerum Odyſſ. xx. in principio, & adnotationes D. Dacerii. Veterum claves conſtabant ferreo vel æris fruſtulo in falcem recurvo & ligno vel ebore manicato. Utebantur hoc ære perinde ac hodie apud nos ruſtici adhibent claves aduncas ad removendum peſſulum amoto prius corio quo forulum ſeræ clauditur.

Cæterum de annulis ita perforatis, ac de clavibus Laconicis, nihil in Scriptura expreſſum; ſed annuli obſignandis foribus non raro occurrunt. Daniel fores Templi Beli regio Darii annulo obſignavit (11); eodemque inſuper obſignatum eſt oſtium laci leonum (12). Moyſes Domini verbis ait: *Nonne hæc condita ſunt apud me* [nempe pœnæ ab impiis ſolvendæ] *& ſignata in theſauris meis* (13)? Job ix. 7. de Deo: *Stellas claudit quaſi ſub ſignaculo*. Sponſa in Canticis viii. 6. optat poni veluti ſigillum in ſinu, & brachiis Sponſi ſui; eamque viciſſim Sponſus comparat fonti obſignato (14). Eccleſiaſticus xxii. 33. optat cuſtodiam ori ſuo opponi, & ſigillum labiis; ac tandem tumulus Jeſu Chriſti ſigillo obfirmatus eſt (15). Hunc annulorum rebus condendis uſum poſt bellum Trojanum obtinuiſſe, Plinius contendit, nam ait, tunc *conditas arcis veſtes, vaſaque aurea, & argentea, & ea colligata nodi non annuli nota, Homerus indicat* (16). Sed falli virum, ex adducto Moyſis teſtimonio, aperte convincimus. Plerumque Veterum claves æreæ ſunt, noſtris breviores, quod mire conjecturæ illorum favet, qui Petro-

(1) Odyſſ. A. ad fin. Vide Notas Dacerii. (2) Euſtat. in Odyſſ. A. ad fin. (3) Aſini l. 4. (4) Idem l. 1. (5) In Judic. qu. 23. *Aut tale clauſura genus fuit, quod ſine clavi poſſet claudi, nec ſine clavi aperiri, nam ſunt quædam talia, ſicut ea, quæ Veruclata dicuntur*. (6) Ariſtoph. in Veſp. act. 1. ſc. 2. (7) Vide Salmaſ. in Solin. (8) Suidas in voce Λακωνικαί. (9) In Teſmophoriaz. Vide & Plaut. in Moſtellar. *Clavim harumce ædium Laconicam jam jube efferi intus. Haſce ego ædis occludam hinc foris*. (10) Biſet. in Ariſtoph. p. 790. & Suidas in Θριπήδεστα. Οὕτω δὲ καλοῦνται τὰ ξύλα ὑπὸ θριπῶν βεβρωμένα. Pauſanias. Ξυλήφια τὰ ὑπὸ θριπῶν βεβρωμένα, οἷς ἐχρῶντο οἱ παλαιοὶ γυναικεῖοι ἀντὶ γλυπτῶν σφραγίδων. (11) Dan. xiv. 13. 14. (12) Dan. vi. 12. 17. (13) Deuteronom. xxxii. 34. (14) Cantic. iv. 12. (15) Matth. xii. 26. (16) Plin. l. 33. cap. 1.

catenarias ſeras olim & frequentiſſime obtinuiſſe arbitrantur. Conſtat id, quantum aſſequor, ex Petronio: *Dum loquimur, ſera ſua ſponte decidit.* Manere adhuc noſtra ætate morem in Oriente, plurium ea loca peragrantium teſtimonio ſcimus (1). Et in Muſæis DD. Foucaut, Fauvel, & Girardon, Pariſiis, annuli ærei ſpectantur, ferentes clavim ſigilli loco; quæ ſane claves vix alium habere uſum poterant, quam pro catenariis ſeris vel arculis.

In toto Oriente ſeræ, & claves ligno conſtant (2). Clavibus autem aliquando brachii craſſitudinem æquantibus, plerumque pollicis, utuntur; quadratæ ſunt, oblongæ, cuſpidibus ferreis quinque vel ſex per intervalla diſpoſitis armatæ. Porro claves illæ in ſeras immittuntur, non directe, ſed per latera, & in obliquo; quibus autem armantur clavi, in clavos intra ſeram poſitos impliciti, vectem ducunt, reducuntque, prout fores claudendæ ſunt vel recludendæ. Seram illam inſtar eſſe cujuſdam exiguæ catarrhactæ teſtatur Chardinus (3), quæ in ligneum ſulcum [vulgo *ſtaffa*] cadens, valvas obſerat; ſuperius autem demiſſa clavis ferreis cuſpidibus armata catarrhactam attollit cum fores aperiuntur. Vide etiam Dandinum (4). Cujus ſint antiquitatis hæ claves, prorſus neſcimus; ſed apud Iſaiam Dominus fidem ſuam obligat Eliacim filio Helciæ (5), *daturum ſe clavem domus David ſuper humerum ejus.* Extant etiam imagines veteres ex Ægypto relatæ, in quibus viri exhibentur impoſitam humeris geſtantes clavim retortam, vel etiam clavim fere ſola magnitudine a noſtris diverſam. Ad eas facile grandiores ligneaſque claves ſpectare potuit Iſaias.

Magnificam domorum ſupellectilem nunquam amarunt Hebræi; neque hodie uſque finitimi Judææ populi uſum norunt aulæorum, ſellarum, cubilium, picturarum, atque ſtatuarum, tum & ſimilium. Tota domorum ſupellex conſtat ampliori tapete ſuper pavimentum inſtrato, atque ditiſſimis nonnullis pulvinaribus ſuper Sopham poſitis. Strato humi ad veſperam tapete, ſuper eo lectus paratur pannis & culcitris; mane omnia removentur, ut vacuum per diem cubiculum appareat. Hi mores omnium ferme Orientalium, a quibus aliquantulum receſſiſſe Hebræos conſtat, apud quos, nec ſedilia deerant, nec tumultuaria erant cubilia. Salomoni, Regum opulentiſſimo, auro miniſtrabatur; nihilque ipſe ſibi ad corporis & animi delicias reliquum fecit (6), nihil tamen de ſupellectile Regiæ ipſius domus ſcriptum ſupereſt. Rex Tyri, cujus opulentiam & faſtum Ezechiel XXVIII. 13. deſcribit, gemmis & auro ipſe, pretioſis metallis Regia domus nitebat. Urbem Tyri ditabant panni, gemmæ, & merces pretioſiſſimæ. Naves ejus gentis ebore diſtinctæ erant, & velis coccineis. Quo ſane tempore Iſraelitarum opes creverant adeo, ut argentum non minus quam lapides ſuppeteret (7); ſupellex etiam divitiis par eſſe debuit; ſed nos conſuetos Iſraelitarum mores, non inſuetam temporis alicujus conditionem, reſpicimus. Quid igitur ſolerent Hebræi, colligimus ex hoſpitio, quod Sunamitis Eliſeo paravit (8): *Faciamus*, inquit, *ei cœnaculum parvum, & ponamus in eo lectulum & menſam & ſellam, & candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi.* Gravioribus quidem verbis exaggerant Prophetæ & pompas ornamentorum, & veſtium cultus, ac tandem ædificiorum ſuperbiam; nihil tamen unquam de ſupellectilis apparatu exprobrarunt. Occurrit aliquando mentio de ſtrato ſub pedibus panno, cui inſidere, vel de pulvinaribus, quibus inniti conſuevisſent. Amos II. 8. verbis caſtigat divites, qui *ſuper veſtimentis pignoratis* [nempe in pignus ab egenis receptis] *accubuerunt.* Ezechiel XIII. 18. in Pſeudo-Prophetas invehitur, qui, ait, pernicioſa aſſentatione molle pulvinar omnium cubitis ſubjiciunt. In toto Oriente manet hodie uſque tapetum & pulvinarium uſus. Fœmina proſtituta (9) amaſium ſuum his verbis invitat: *Intexui funibus lectulum meum, ſtravi tapetibus pictis ex Ægypto, aſperſi cubile meum myrrha, aloe, & cinnamomo.* Porro lectulorum uſus, non in Canticis III. 7. modo, ubi de lecto Salomonis ſermo, ſed alibi etiam frequenter in S. Scriptura, quemadmodum & ſellarum apparet. Apparent etiam apud Ezechielem XXIII. 41. lectuli, menſæ, unguenta ſuper menſas poſita: *Sediſti in lectulo pulcherrimo, & menſa ornata eſt ante te. Thymiama meum & argentum meum poſuiſti ſuper eam.* Invehitur Amos VI. 4. in divites, ſuper eburneos lectulos cubantes, qui undique luxum ſpirant & voluptates.

DISSERTATIO
DE VOTO JEPHTE.

VAriæ de voto Jephte agitantur quæſtiones, ſingulæ in hac Diſſertatione diſcutiendæ. I. Quid potiſſimum voverit; II. An jure voverit; III. An voti fidem exſolverit; IV. An exſolvens peccaverit.

Quamquam Scripturæ textus apertiſſime voti hujus genus exprimere videtur, non deſunt tamen, quibus ipſa Scripturæ hiſtoria negotium faciat. Narrat igitur (10): *Factus eſt ſuper Jephte ſpiritus Domini, & circumiens* [Jephte] *Galaad, & Manaſſe*, cogendis ſcilicet in expeditionem Ammoniticam copiis; *Votum vovit*, ſequitur S. Scriptura, *Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace cum filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino.* Vovit igitur Jephte, ſe in holocauſtum oblaturum hominem illum, quicumque demum eſſet, qui e bello reduci, e domo ejuſdem Jephte egrediens, ſibi primus occurreret, non enim ait, *quæ res prima occurrerit*; ſed, *quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit* (11). Profecto, uti ſcite S. Auguſtinus obſervat (12), *non eſt, aut fuit conſuetudinis, ut redeuntibus de bello ducibus pecora occurrerent.* Niſi forte præ oculis habuiſſe Jephte maluerimus canem, qui venienti Domino adblandiens, occurrere ſolet; quod eſſet voti genus tum per

(1) Tavern. c. 4. pag. 43. (2) Vide Cotovic. c. 11. Villamont. l. 2. c. 32. Morizon. l. 6. cap. 11. Tavern. Voyage de Perſe c. 4. (3) Gouverne polit. des Perſes t. 2. p. 79. (4) Voyage du Mont Liban. c. 14. p. 7. (5) Iſai. XXII. 21. 22. (6) Eccl. II. 2. & 3. Reg. X. 21. (7) 3. Reg. X. 27. (8) 4. Reg. IV. 10. (9) Prov. VII. 16. (10) Judic. XI. 29. 30. 31. &c. (11) והיה היוצא אשר יצא מדלתי ביתי Sept. Καὶ ἔσται ὁ ἐκπορευόμενος ὃς ἂν ἐξέλθῃ ἀπὸ τῆς θύρας. (12) Judic. q. 49.

per ſe ridiculum, cum in holocauſtum offerre impium. Tandem Jephte fidem ſuam obſtrinxit, non dedicaturum ſe tantum quem primum obvium habuiſſet, ſed & in holocauſtum oblaturum: *Eum holocauſtum offeram Domino*; quem ſenſum reddit litera Textus: *Erit Domino, & offeram in holocauſtum* (1). Ita etiam reddiderunt Patres uno omnes aſſenſu; nec ſane aliter poſſet nulla vi Textui originali illata; ut infra. Hugo de S. Victore tom. 2. pag. 350. col. 2. non ambigue ſcribit Jephte filiam ſuam immolaſſe.

Sed Textu licet invito, non deſunt recentiores quidam Interpretes, qui ad alium plane ſenſum verba detorqueant. Horum alii Hebræum ita vertunt (2): *Erit egrediens quod egreſſus fuerit e foribus domus meæ, in occurſum meum, erit Domino, & offeram illud in holocauſtum*. Voto igitur, inquiunt illi, dicavit Domino, quidquid primum ſibi redeunti obvium ſeſe obtuliſſet, ſive homo, ſive brutum; ita tamen ut homines dedicaturum ſe Domino, bruta vero in holocauſtum daturum polliceretur. Nec eodem bruta omnia ritu oblaturum ſpondet: ſed pecora & ſiquæ alia ſacrificio apta, hæc quidem holocauſto, cætera vero neci tantummodo deſtinabat. Uno verbo ſingula rite devovit. Ita vertunt Hebræi, ac recentiorum Interpretum (3) plerique.

Quicumque priorem literæ interpretationem ſequuntur, ii ſane fateri debent, Jephte filiam deinde ſuam Domino immolaſſe: quod rudem profecto ignorantiam, vel etiam hebetudinem in Judice Iſraelis, vel impium, & infandum facinus argueret. Anne vero facile ignorare potuit, Deum humanas victimas deteſtari (4)? *Non facies Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes quas averſatur Dominus, fecerunt* [Chananæi] *Diis ſuis, offerentes filios, & filias, & comburentes igni*. Nonne execrari ſe Deus impia illa & inhumana ſacrificia alte adeo edixit, ut ejus rei ignoratio prætandi poſſet a nemine? Paranti autem impium votum offerre, nonne cæteri obſtitiſſent omnes, Sacerdotes, Principes populi, cæterique? Poſt hæc autem, genus illud voti, tanquam gratum aliquid Numini, nuncupaſſe Jephte credemus?

Tandem quod nos de voto Jephte rectius ſentire perſuadet, illud eſt, nimirum oblatam ab illo filiam in holocauſtum, nuſpiam in Textu legi. In Scriptura tantummodo apparet, puellam poſt impetratam a patre facultatem lugendi virginitatem ſuam duorum menſium ſpatio, eo elapſo termino rediiſſe; deinde, ſequitur Scriptura: *Fecit ei* [pater] *ſicut voverat, quæ ignorabat virum*; ideſt, clauſam ac cœlibem vitam vivere adegit; quippe quæ ſervitiis Templi Domini in Silo ſub imperio Summi Sacerdotis mancipata eſt. Patrem rogaverat puella, ut ſibi facultatem concederet non mortem, ſed virginitatem plorandi. Norat igitur, a patre non ad necem, ſed ad vitam cœlibem deſtinari: quod ſane ejus ætatis moribus probroſum habebatur & triſte.

Denique, addunt, ſi quid tale in filiam pater commiſiſſet, ut natæ ſuæ unicæ in holocauſtum immolandæ voti ſe reum arbitraretur, uſurum ſane fuiſſe Legis privilegio, deſtinato ſcilicet pretio tam carum ſibi caput redimendi, quis non facile autumarit? Ita enim edicitur (5): *Homo qui votum fecerit, & ſpoponderit Deo animam ſuam, ſub æſtimatione dabit pretium. Si fuerit maſculus, a vigeſimo anno uſque ad ſexageſimum annum dabit quinquaginta ſiclos argenti ad menſuram Sanctuarii: ſi mulier, triginta. A quinto anno uſque ad vigeſimum, maſculus dabit viginti ſiclos, fœmina decem*. Porro hujus Legis ſanctio, quotidiano communique uſu commendata, vix a Jephte ignorata crederetur. Fac autem ignoraſſe illum; annon ſpatio duorum menſium, quo voti executio dilata eſt, voti, inquam, tam celebris, nemini unquam Lex illa ſuccurrit? Hæc potiſſima ſunt, quibus ſententia, negans oblatam a Jephte filiam in holocauſtum, fulcitur.

Sed hiſce reponere poſſumus. I. Quamquam Hebraicus Textus commode reddi poteſt: *Quod egreſſum fuerit e foribus Domus meæ in occurſum meum, erit Domino, ſive offeram illud in holocauſtum*; non eſt tamen cur a verſione Vulgatę, Septuaginta, Syriaci, & Arabici, recedamus, quæ ſimul omnes habent: *Quicumque primus fuerit egreſſus, eum holocauſtum offeram Domino*. Porro ea ſe res ultro prodit. An forte ſperare poterat Jephte, occurſurum ſibi obviam bovem aliquem, aut ovem, aut capram? Nonne res eſt manifeſta, homines tantummodo de victoria ab amico relata gratulatum venire? nec homines utcumque, ſed amicos potiſſimum, & neceſſarios, qui in aliquam gloriæ partem adveniunt. Particula illa ſejungens *vel* perperam, contra fidem originalis Textus, invehitur; habet enim: *Erit Domino, & immolabitur in holocauſtum*. Nec me fugit, particulam *Et* aliquando pro *vel* uſurpari; ſed in hoc ſenſu accipiendam eſſe, quænam ibi ratio ſuadeat? Cum ſane Jephte votum ſuum nuncupavit, extraordinarium aliquid, & ſingulare Domino offerre cogitabat; nihil enim uſitatum, nihil vulgare voluit. Quid autem novi voviſſet, ſi primum ex pecudibus, ſibi forte e victoria reduci obvium, in holocauſtum voviſſet? Aliud igitur vir ille ſpectabat, cujus merito impetraturum ſe a Deo victoriam ſperabat; voluit nempe voto tradere quidquid ſibi maxime carum, & pretioſum eſſet.

Ad alteram rationem reſpondemus, I. Nos quidem non ita eſſe comparatos, ut Jephte ab omni crimine abſolvamus. Nondum ad hanc rem in examen revocandam acceſſimus. Fatebimur ultro, ejus voto nihil maxime deſuiſſe, quam ſcientiam, & diſcretionem. Quod impræſentiatum agitur, eſt quid nam potiſſimum vir ille voverit, atque necem devoviſſe contendimus illius, qui primus victori occurriſſet. II. Quamquam Deus humanas victimas deteſtari ſe, & Chananæorum ſacra abhorrere non ſemel in Scriptura ſignificavit; non taman omnia vota, tradendi aliquem in necem, in Lege prohiberi. Scitum eſt enim, integros quandoque hoſtium exercitus, & gentes devoveri conſueviſſe. Iſraelitæ prælio victi a Rege Arad, cum hoſtes habuiſſent a tergo inſequentes uſque Horma, promereri ſibi Domini opem volentes, anathemati devoverunt, ſeu cædi totam late ajus Regis ditionem & gentem (6). Amalecitæ, & Chananæi pariter ſimili anathematis religioni juſſu Domini traditi erant; atque in Levitico XXVII. 28. 29. ſancitur: *Omne, quod Domino conſecratur, homo fuerit, ſive anima, ſive ager, non vendetur, nec redimi poterit. . . . . omnis conſecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, ſed morte morietur*. Cum igitur Deus cavet, ne humanis victimis litatur, illud prohibuiſſe tantummodo cenſendus eſt, ne cruenta ſacrificia Idolis offerantur, neve paria ſibi victimarum holocauſta mactentur: non vero vota ex hominibus, & pecudibus, neque tantum hoſtibus populi Dei, ſed domeſticis, filiis, mancipiis, & ſubditis, interdixiſſe unquam ſignificat. Porro vota illa ad necem alia plane erant a ſacrificiis humanarum victimarum, Legis ſanctione vitandis.

Sedulo etiam diſtinguendum eſt inter perſonas ſimplici voto Deo conſecratas, quas redimi pecunia dabatur (7); & res anathemati devotas, quas nec redimere, nec a nece ſubducere licebat (8).

[1] והיה ליהוה והעליתהו עלה [2] Pagninus. Mont. apud Munſt. Vat. Clar. Druſ. Grot. Lyran. Mariana, alii. [3] Joſeph. Kimchi, & alii Rabb. [4] Deuteron. XII. 31. Pſalm. CV. 17. 38. [5] Levit. XXVII. 2. 3. [6] Num. XXI. 1. 2. 3. [7] Levit. XXVII. 2. כי יפלא נדר בערכך נפשת ליהוה איש [8] Ibid. ℣. 28. כל חרם אשר יחרם איש ליהוה

Porro ſi Jephte ſimplici voto filiam ſuam obligaſſet, uſus deinde Legis privilegio, ſolutione decem ſiclorum, ſi forte puella decimum ætatis annum excedens, nondum vigeſimum expleverat, carum ſibi caput ab imminenti nece ſubduxiſſet; neque enim tam rudem fuiſſe credimus virum, ut Legem ea de re ignoraret. Sed voti ab ipſo nuncupati illud erat genus, quod redimendi omnem viam præcluderet; nempe, anathemate, ſive ut loquitur Hebræus, *Cherem* ſeſe obſtrinxerat, cujus generis res devotæ *non redimentur, ſed morte morientur*. Fruſtra Interpretes quidam exceptiones in hac Lege aliquas excogitarunt, quarum nulla extant in Lege veſtigia. In Textu duo votorum genera liquido diſtinguuntur, ſimplex nempe, & anathematis: in utroque homines, bruta & res inanimæ devoventur, illic facta redimendi ſpe, hic vero ſublata. Is pronus eſt Textus originalis ſenſus.

At enim Legum iſtarum ſanctio dura prorſus eſt, nec ſine crimine executioni mandanda. Jephte ne filiam ſuam in holocauſtum Domino immolaverit, idque ſacrificii genus Domino placuerit? Iterum reponam; non hic agitur de facto, ſed de ſenſu Legis: Moyſes apertiſſime de nece rerum omnium voto obligatarum loquitur; votum illud Deus nunquam præcipit, ſed tolerat: ut vero quis ea ſe promiſſione obſtrinxit, ſi deinde fidem ſuam ad literam ſolvit, nihil hic, quod ad Deum attinet, nonniſi juſtiſſimum. Deus tolerat divortium, legem talionis, aquas Zelotypiæ, Polygamiam, ultionem: an hæc omnia vel probat, vel exigit? Si quid igitur in hoc voti genere impium, & inhumanum, totum ejus rei crimen non in Deum quidem, ſed in voventem regerendum eſt.

Cæterum non ii ſumus, qui eo voti genere conceſſam ſingulis quibuſque facultatem credamus, ut homines Deo devotos privata authoritate & pro libito morti addicant. Devovere, niſi perſonas ſibi ſubjectas, nemini fas erat; permittebatur autem eo jure uti parentes in filios, Domini in famulos, quippe quibus jus eſſet vitæ & necis in ſuos. Par erat authoritas viri in uxorem, non vero inferiorum in inferiores. Ad hæc, vix credimus more, & conſuetudine duram alioqui legem ſucceſſu temporis temperatam non fuiſſe, appoſitis exceptionibus, & limitationibus neque apud Moyſem expreſſis, neque nobis ſatis cognitis. Communis Reipublicæ, & familiarum ratio exigebat, ut ſui eſſent Judices rebus hiſce cognoſcendis, & dirigendis conſtituti, qui eventus diſcernerent varios, quando ſcilicet omnino impleri vota illa, quando remitti deberent. Facile hæc omnia ad Sacerdotes deferebantur; quemadmodum & cæteræ quæſtiones arduæ & implexæ. Tandem facile credimus, raro quidem de his rebus negocium factum fuiſſe Judicibus.

Quæ vero feruntur de conſecratione filiæ Jephte, atque ipſius ad cœlibatum abdicatione, hæc nobis ad arbitrium mere excogitata creduntur, cum ne verbum quidem in Lege ea de re occurrat, neque ea afferantur monumenta, quæ rem extra controverſiam ponant. Nonne in Scriptura conceptis verbis aſſeritur, impleſſe Jephte omnia, quæ voverat? *Et fecit ei, ſicut voverat*. Pollicitus fuerat holocauſtum, ergo obtulit. Quamquam non ii ſumus, qui reputemus immolatam puellam cæterarum hoſtiarum more, in Tabernaculo, & ſuper Altare Domini; facile enim potuit fidem ſuam liberare pater, mactata filia in regione ſua, & in montibus Galaad. Nec facile divinamus, quo ritu Sacrificium celebratum ſit; quamquam, etſi ritum neſcimus, factum tamen conſtat.

Devotus Deo per vim & coactu cœlibatus, neque Deo quidem gratus, neque Divina juſſione præcipi magis poteſt, quam cruenta humanarum victimarum Sacrificia: & qui patris viſcera immitia adeo, ut filiam perimant, non intelligunt, qui intelligere poſſint illum invitam coegiſſe ad cœlibatum, cujus illa quotidie duram neceſſitatem cum ſociis puellis defleat? Proferatur ejus rei vel unum exemplum in toto Veteri Teſtamento. Nullum certe eſſe poteſt rei, quam jus æque naturale, & Divinum damnat. Coactum obſequium Deus non accipit; neque cœlibis vitæ ſtatus res eſt, quæ præcepto nolentibus injungatur. Cœlibis, inquam, vitæ ſtatus, qui non in pœnam, ſed in exercitium virtutis & pietatis injunctus ſit. Quod autem obſervant ex Libro Judicum, eandem filiam Jephte deploraſſe non interitum, ſed *Virginitatem ſuam*, eaque reverſa, feciſſe ei patrem, *ſicut voverat, quæ ignorabat virum*: hoc quidem nunquam evincit, ſubductam a nece puellam, ad cœlibis vitæ propoſitum coactam, ac ſervitiis Tabernaculi perpetuo addictam fuiſſe. Deflet enim una cum ſociis puellis duram neceſſitatem, qua cogitur mortem ſubire, antequam conjugii pignora viduo parenti ferre potuerit, filium nempe, qui patrem in poſteris, perennet. Ea erat ejus temporis conditio, ut ſterilitas probro haberetur & maledicto; ac puella, præcoci morte vitam claudens, antequam probrum illud a ſe depellere potuiſſet, miſerabilis reliquo populo & maxime coævis puellis habebatur. Cum igitur voto ſeſe obſtrinxiſſe Jephte, oblaturum ſe in holocauſtum, quicumque primus regredienti e victoria obvius proceſſiſſet, Scriptura narraverit, ſatis erat animadvertere, voti illum ſui fidem ſolviſſe, ut credamus filiam nece traditam reipſa interiiſſe. Quod autem additur, *Quæ ignorabat virum*, innuit tantummodo, obiiſſe puellam, antequam conjugio copularetur.

Conveniunt in hanc ſententiam Veteres Hebræi, Patres Eccleſiæ, & eruditiſſimi quique Veteres, recentioreſque Interpretes. Joſephus apertis verbis oblatam in holocauſtum puellam aſſerit (1). Chaldæus Paraphraſtes aſſerit, immolatam a Jephte filiam, inconſulto Phinee Summo Sacerdote, a quo ſane edoctus, pretio redempturus fuiſſet puellam. Author carminis in Marcionem inter Opera Tertulliani libro III. canit.

Peccati votum violenta morte coperuit.

S. Ambroſius (2): *Dura promiſſio, acerbior ſolutio, quam neceſſe habuit lugere etiam ipſe qui fecit*. Permiſſam hanc necem in pœnam voti temere nuncupati autumaſſe videtur S. Hieronymus (3), *Ut qui improſpecte voverat, errorem votorum in filiæ morte ſentiret*. S. Auguſtinus certam tenens necem puellæ, factum improbat, nam ait, *fecit quod & Lege vetabatur, & nullo ſpeciali jubebatur imperio* (4). Tandem concludit, quandoquidem nihil de viri facto dijudicat S. Scriptura, integrum nobis relinqui, ut in ea re, quidquid ſibi viſum fuerit, quiſque arbitretur, cenſeatque minus placuiſſe Deo votum illud; quare in pœnam temere emiſſi voti, permiſſam eſſe puellæ necem: ut ſcilicet intelligant parentes, nihil ſe Deo gratum exhibituros, ſi humanis victimis & maxime filiorum, cruentum ſacrificium offerant; neque ad fictas exhibendas promiſſiones ferantur, ea ſpe ducti, futurum, ut Deus prodigiis ſuis, ſicut olim Abrahamo, & filiorum incolumitati ſuccurrat, & parentum fidem liberet.

Hanc S. Auguſtini ſententiam luculentius exponit S. Joannes Chryſoſtomus, animadvertens ſacrificium Jephte (5), quod Sacrorum Librorum adverſarii tamquam inhumanum & impium criminantur, argumento eſſe apertiſſimo providentiæ Dei, ejuſque in homines clementiæ. Si enim, inquit,

[1] Antiq. l. 5. cap. 9. Συγχωρήσας δὲ τὸν κτ προειρημένον χρόνον, μετὰ τοῦτον διελθόντα θύσας τὴν παῖδα ὡλοκαύτωσεν. [2] Offic. lib. 3. cap. 12. [3] In Jovinian. lib. 1. [4] In Judic. quæſt. 49.
[5] Hom. 21. ad populum Antioch.

Digitized by Google

inquit, patrem prohibuiſſet, ne temere nuncupatum votum exſolveret, eo ſenſim devenisſent homines, ut pravum viri exemplum imitati, filios tandem ſuos indiſcriminatim neci traderent. Quare Deus unius neci permiſſa, id effecit, ne pravum exemplum in poſteris perennaretur. Pſeudo-Juſtinus (1), & Theodoretus (2) idem ea de re judicantes, permiſſam credunt necem filiæ Jephte a Deo, ut nos caute nuncupare vota doceremur. Patribus accenſere poſſumus etiam turbam recentiorum Interpretum; qui votum Jephte ad literam interpretantes, filiæ necem ultro admiſerunt (3). Ludovicus Capellus hoc idem integra Diſſertatione demonſtrat, & hanc eſſe opinionem inter Catholicos Interpretes regnantem conſtat; ſed cum in facto conveniant, in jure diſſident utrum ſcilicet votum illud viri religioſum, an ſecus habendum ſit.

Quidam ex Patribus laudibus proſequuntur & votum, & poſt votum exequutionem, factumque dicunt, ut in præmium religionis glorioſa de hoſtibus victoria illi divinitus decerneretur; tum & laudes, quibus S. Paulus (4) virum proſequitur, elogium eſſe putarunt, fidei illius debitum. Animos in ejus favorem præparare videtur S. Scriptura, cum narrandam hiſtoriam ita ſuſcipit: *Factus eſt ergo ſuper Jephte Spiritus Domini* (5): poſt hæc verba proſequitur, obiviſſe illum regionem cogendis in bellum copiis, & votum Deo, de quo agimus, nuncupaſſe. S. Paulus inter Heroes Veteris Teſtamenti Gedeonem, Baruc, Samſonem, Samuelem, Prophetas, & Jephte recenſet, qui omnes viri, ait, *per fidem devicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones*. Author quæſtionum ad Orthodoxos *q.* 99. ne dubitans quidem aſſerit, viri erga Deum religioſi fuiſſe, ut filiam ſacrificaret, quare, inquit, in catalogo Juſtorum ab Apoſtolo meruit recenſeri. S. Hieronymus in Epiſtola ad Julianum ſcribit: *Jephte obtulit filiam virginem, & idcirco in enumeratione Sanctorum ab Apoſtolo ponitur*. Poſſent & alii nonnulli (6) tum veteres, cum recentiores ejus ſententiæ patroni laudari. Scriptura inſuper nullibi factum damnat, quin & primos viri impulſus ad S. Spiritum referre videtur, exordio illo narrandam hiſtoriam ſuſcipiens: *Factus eſt ergo ſuper Jephte Spiritus Domini*. S. Thomas, quamquam minus viro favens, quippe qui votum ſtultitiæ, voti vero executionem impietatis condemnet, S. Thomas, inquam, fatetur, fidem & religionem Viri, quibus in votum adactus fuit, Spiritus Sancti motioni adſcribendam eſſe, quare, inquit ipſe, in enumeratione Juſtorum ab Apoſtolo meruit recenſeri (7). Sed, addit, militaris animi ardore extra præſcriptas a Deo metas advectus, præpropere nimis & incaute votum emiſit; quod ſane præpoſtera religione & fide deinde complevit. Hæc nobis æquior ea de re videtur ſententia, Scripturæ magis, & Patribus conſona. *Si Jephte obtulit filiam ſuam Virginem Deo* (8) *non Sacrificium placet, ſed animus offerentis*. *Non poſſum* (9) *accuſare virum, qui neceſſe habet implere, quæ voverat; ſed tamen miſerabilis neceſſitas, quæ ſolvitur parricidio*. Nec tamen hiſce omnibus prohibemur, quin inter cæteros Sanctos, & Juſtos V. T. ſuum viro locum ſtatuamus. *Propter bonam fidelemque vitam, in qua eum credendum eſt eſſe defunctum, tale meruit teſtimonium* (10).

(1) Auth. quæſt. ad Orthod. inter Opera S. Juſtini quæſt. 99. (2) Theodoret. in Judic. quæſt. 20. (3) Serar. Tirin. Salian. Genebr. Cajet. (4) Hebr. XI. 32. 33. (5) Judic. XI. 29. (6) Auth. de vita & morte SS. cap. 30. inter Opera Iſid. Hiſpal. S. Anſel. Serar. Salian. Tirin. &c. (7) D. Th. 2. 2. quæſt. 88. art. 2. in reſp. ad 2. (8) Hieron. in cap. VII. Jerem. (9) Ambroſ. offic. lib. 3. cap. 12. (10) Auguſt. quæſt. 49. in Judic.

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN LIBRUM JUDICUM.

CAPUT PRIMUM.

Belli Chananitici provincia Tribui Juda datur, quæ Tribum Simeonis ſociam adſciſcit, prælioque vincit Adonibezechum. Jeruſalem & aliæ quædam urbes capiuntur. Othoniel in præmium expugnatæ Cariath-Sepher Axam filiam Calebi ſponſam impetrat; Axa vero a patre ſuo terram irriguam precibus obtinet. Cinæi relicta Urbe Palmarum, in deſertum Juda migrant. Tribus Ephraim, Manaſſe, Zabulon, & Aſer reliquias Chananæorum in ditione ſua non delent.

A. M. 2855. Ante Chriſt. [illegible]

Ỳ. 1. POſt mortem Joſue conſuluerunt filii Iſrael Dominum, dicentes: Quis aſcen-
det ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? 2. Dixitque Domi-
nus: Judas aſcendet: ecce tradidi Terram in manus ejus. 3. Et ait Judas Simeoni
fratri ſuo: Aſcende mecum in ſortem meam, & pugna contra Chananæum, ut &
ego pergam tecum in ſortem tuam. Et abiit cum eo Simeon. 4. Aſcenditque Ju-
das, & tradidit Dominus Chananæum, ac Pherezæum in manus eorum: & percuſſe-
runt in Bezec decem millia virorum. 5. Inveneruntque Adonibezech in Bezec, &
pugnaverunt contra eum, ac percuſſerunt Chananæum, & Pherezæum. 6. Fugit au-
tem Adonibezech: quem perſecuti comprehenderunt, cæſis ſummitatibus manuum ejus,
ac pedum. 7. Dixitque Adonibezech: Septuaginta reges, amputatis manuum, ac pe-
dum ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita red-
didit mihi Deus. Adduxeruntque eum in Jeruſalem, & ibi mortuus eſt. 8. Oppu-
gnantes ergo filii Juda Jeruſalem, ceperunt eam, & percuſſerunt in ore gladii, tra-
dentes cunctam incendio civitatem. 9. Et poſtea deſcendentes pugnaverunt contra
Chananæum, qui habitabat in montanis, & ad Meridiem, & in campeſtribus. 10.
Pergenſque Judas contra Chananæum, qui habitabat in Hebron, (cujus nomen fuit
antiquitus Chariath Arbe) percuſſit Seſai, & Ahiman, & Thulmai: 11. Atque in-
de profectus abiit ad habitatores Dabir, cujus nomen vetus erat Cariath Sepher, id-
eſt, civitas litterarum. 12. Dixitque Caleb: Qui percuſſerit Cariath Sepher, & va-
ſtaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem. 13. Cumque cepiſſet eam Otho-
niel filius Cenez frater Caleb minor, dedit ei Axam filiam ſuam conjugem. 14.
Quam pergentem in itinere monuit vir ſuus, ut peteret a patre ſuo agrum. Quæ
cum ſuſpiraſſet ſedens in aſino, dixit ei Caleb: Quid habes? 15. At ille reſpondit:
Da mihi benedictionem, quia terram arentem dediſti mihi: da & irriguam aquis.
Dedit ergo ei Caleb irriguum ſuperius, & irriguum inferius. 16. Filii autem Cinæi
cognati Moyſi, aſcenderunt de civitate palmarum, cum filiis Juda, in deſertum ſor-
tis ejus, quod eſt ad Meridiem Arad, & habitaverunt cum eo. 17. Abiit autem Ju-
das cum Simeone fratre ſuo, & percuſſerunt ſimul Chananæum, qui habitabat in Se-
phaath, & interfecerunt eum. Vocatumque eſt nomen urbis, Horma, ideſt, anathe-
ma. 18. Cepitque Judas Gazam cum finibus ſuis, & Aſcalonem, atque Accaron
cum terminis ſuis. 19. Fuitque Dominus cum Juda, & montana poſſedit: nec po-
tuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant. 20 Dederuntque
Caleb Hebron, ſicut dixerat Moyſes, qui delevit ex ea tres filios Enac. 21. Jebu-
ſæum autem habitatorem Jeruſalem, non deleverunt filii Beniamin: habitavitque Je-

buſæus

buſæus cum filiis Beniamin in Jeruſalem, uſque in præſentem diem. 22. Domus quoque Joſeph aſcendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis. 23. Nam cum obſiderent urbem, quæ prius Luza vocabatur, 24. Viderunt hominem egredientem de civitate, dixeruntque ad eum: Oſtende nobis introitum civitatis, & faciemus tecum miſericordiam. 25. Qui cum oſtendiſſet eis, percuſſerunt urbem in ore gladii: hominem autem illum, & omnem cognationem ejus dimiſerunt. 26. Qui dimiſſus abiit in Terram Hetthim, & ædificavit ibi civitatem, vocavitque eam Luzam: quæ ita appellatur uſque in præſentem diem. 27. Manaſſes quoque non delevit Bethſan, & Thanac cum viculis ſuis: & habitatores Dor, & Jeblaam, & Mageddo cum viculis ſuis, cepitque Chananæus habitare cum eis. 28. Poſtquam autem confortatus eſt Iſrael, fecit eos tributarios, & delere noluit. 29. Ephraím etiam non interfecit Chananæum, qui habitabat in Gazer, ſed habitavit cum eo. 30. Zabulon non delevit habitatores Cetron, & Naalol: ſed habitavit Chananæus in medio ejus, factuſque eſt ei tributarius. 31. Aſer quoque non delevit habitatores Accho, & Sidonis, Ahalab, & Achazib, & Helba, & Aphec, & Rohob. 32. Habitavitque in medio Chananæi habitatoris illius terræ, nec interfecit eum. 33. Nephtali quoque non delevit habitatores Bethſames, & Bethanath: & habitavit inter Chananæum habitatorem terræ, fueruntque ei Bethſamitæ, & Bethanitæ tributarii. 34. Arctavitque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, ut ad planiora deſcenderent. 35. Habitavitque in monte Hares, quod interpretatur teſtaceo, in Ajalon, & Salebim. Et aggravata eſt manus domus Joſeph, factuſque eſt ei tributarius. 36. Fuit autem terminus Amorrhæi ab Aſcenſu Scorpionis, Petra, & ſuperiora loca,

℣. 1. Poſt mortem Joſue conſuluerunt filii Iſrael Dominum. Librum a conjunctione *Et* exorditur Textus Hebræus, quaſi Dominum interrogarint Hebræi ſtatim poſt obitum Joſue: ſed recepta communiter perſuaſio docet, Iſraelitas id conſilii non prius cepiſſe, quam poſt aliquot annos a morte inclyti illius Ducis, cum populi, quibus pepercerant, reſurgere, ac terribiles ipſis fieri cepiſſent. Adonibezech inter potentiſſimos Chananæorum, regionem adhuc tenentium, erat, quem neglectum, nec armis debellatum fuiſſe vivo Joſue, ſiquidem jam tum regnaſſe dicatur, miramur. Neque minus mirum fuerit, ſi poſt obitum ejuſdem Ducis ad eas opes eum creſcere potuiſſe conſtituamus. Clericus contendit, accidiſſe hæc omnia ante obitum Joſue, paulo poſt quam Tribus Juda & Caleb aſſignaram ſibi portionem obtinuerunt; quam tamen ſententiam ut tuearis, vim ſummam verbis Scripturæ inſeras, neceſſe eſt.

Iſraelitæ Dominum conſuluerunt de eligendo decreti in Chananæos belli Imperatore. Joſue, nullo ſucceſſore relicto deceſſerat; quare Seniores ſuam ſinguli Tribum regentes, ſapientiſſime judicarunt, in re tanti momenti unum eligi oportere, nec ab alio quam ab ipſo Deo, Imperatorem. Deus, nulli privato viro ſuprema authoritate commiſſa, mandavit, ut Tribus Juda prima hoſtes aggrederetur. Reliquum autem Iſraelis ſub ſignis ejuſdem Tribus militaſſe, Scriptura non prodit, & res eſt incertiſſima. Victo Adonibezecho, ſingulæ Tribus ſatis habere ſe virium intellexerunt, ut Chananæos ditionis ſuæ domarent: ſuum igitur ſingulæ bellum ſuſceperunt; atque narrationis ſeries ſatis demonſtrat, niſi Chananæorum nomen penitus deletum eſt, id Iſraelitarum voluntati eſſe tribuendum, qui neque vires ſuas exerere, neque victoria uti, quo par erat niſu & conſtantia, voluerunt.

Affirmat Joſephus (1), ad Domini voluntatem explorandam, Phineem conſultum fuiſſe; quare ponat ille neceſſe eſt, Phineem tunc ſacris præfuiſſe, totamque eam rem geſtam fuiſſe poſt aliquos ab obitu Joſue annos, cum Eleazar pater Phineis Duci huic populi Dei aliquandiu ſuperſtes fuerit.

℣. 2. Judas aſcendet. Putarunt quidam (2), *Judam* hic nomen eſſe ſingularis viri, Joſue ſucceſſoris deſignati, quemadmodum Joſue Moyſi ſucceſſerat. Sed totius hiſtoriæ ſeries demonſtrat, *Judam* nomen hic eſſe ſingularis Tribus; quæ communis eſt Patrum & ſcriptorum ſententia.

℣. 3. Ait Judas Simeoni fratri ſuo. Propinquæ erant Tribus Juda & Simeon, ditionemque habebant fere communem, cum Simeon partem ſuam in ea regione haberet, quæ prius Judæ tradita fuerat. Ambæ eæ Tribus communibus ſumptibus & armis bellum geſſerunt, in commodum utriuſque, & totius gentis utilitatem ceſſurum. Hæc tamen duo, commodum ſcilicet privatum & publicum, ſedulo diſtinguenda ſunt. Bellum Adonibezechi totius æque Iſraelis res erat; neque enim ille ditionem Juda occupabat: reliqua vero bella in hoc capite narrata, communibus copiis Judæ & Simeonis geſta, ad res privatas utriuſque Tribus pertinebant.

℣. 4. Tradidit Dominus Chananæum ac Pherezæum in manus eorum, et percuſſerunt in Bezec decem millia virorum. Nulla certa ſedes erat Pherezæis; quo nomine deſignantur viri agreſtes & ruſtici; *Chananæorum* vero nomen ſonat Mercatores. Inter undecim filios Chanaan (3) nemo proprio nomine *Chanaan* vel *Pherez* appellabatur. Nomina Chananæorum & Pherezæorum hic vitæ profeſſionem, non certas eorum ſedes, deſignant. Convenerant gentes illæ in Bezec ſub ſignis Adonibezech vel Regis Bezec; *Adoni* enim eſt Dominus, vel Princeps: nec forte aliud ſibi nomen adſciverat ille, præter quam Domini *Bezec*, ex nomine urbis ſuæ Metropoleos, pro more hodie pariter apud viros Principes uſitato, ut appellationem e ditione ſua mutuentur.

Ad ſitum Bezec quod attinet, nullum ejus nominis locum, in Tribu Juda noſcimus; quod autem ſuadet, urbem fuiſſe ab eadem Tribu alienam, illud eſt, nimirum, Saulem ſuppetias laturum Jabes urbi Transjordanicæ, copias ſuas imperaſſe ad *Bezec*, quam jacuiſſe opus eſt magis ad ſeptentrionem, circa eum locum, ubi trajiciendus

[1] Joſeph. Antiq. l. 5. c. 2.

[2] Vide apud Serar. hic, Abulenſ. Glycam part. 2. Melch. Can. l. 11. c. 5. Reſpond ad 12. arg.

[3] Geneſ. x. 15. 16. 17. 18.

eſſet amnis, ut copiæ ad Jabes ducerentur. Congruit autem id ſatis cum Euſebio & S. Hieronymo, apud quos gemini ſunt vici Bezec, alter prope alterum XVII. M. paſſibus a Sichem, qua parte Scythopolim ſpectat. Quanti eſſet Rex iſte Bezec roboris ſimul & feritatis, ex eo intelligimus quod infra narratur, coegiſſe illum ſeptuaginta a ſe devictos Reges cibos ſub menſa ſua carpere. Nec a vero abludit, ejuſdem Principis oppreſſione coactos fuiſſe Hebræos ad Dominum confugere, ut Ducem ſibi in prælium daret. Juda deſtinatus Iſraelis in eo bello Imperator, primus omnium arma movit in hoſtem gentis communem; dein vero junctis cum Simeone armis, privatum bellum cum Chananæis ſuſcepit, quos & ditioni ſuæ & Simeoniticæ inſtare graves experiebatur.

℣. 5. Invenerunt Adonibezec in Bezec בבזק. Aggreſſi ſunt illum prope urbem Bezec, commiſſoque prælio, hoſtium decem millia ceciderunt. Scitum eſt, verbum *invenire* uſurpari interdum pro aggredi, ſupervenire incautis, ruere in hoſtes. Septuaginta: Κατέλαβον, *Deprehenderunt*, ceperunt captivum Adonibezechum.

℣. 6. Cæsis summitatibus manuum ejus ac pedum. Hebræus (1): *Abſciderunt pollices manuum ejus, & pedum ejus*. In ſequenti verſiculo fatetur miſer ille Rex, paria intuliſſe ſeſe ſeptuaginta Regibus, quos bello ſuperarat. Sed cur tam ſerus in hoſtes ſuos? Cauſam aliqui aſſignant, ut ineptos illos redderet ferendis in poſterum armis in ſui perniciem, ut olim Athenienſes Æginæ inſulæ incolas omnes pollicibus mutilarunt (2), ne ſcilicet inſulares illos deinceps in imperio maris æmulos paterentur. Plura ſuppetunt in hiſtoria Romana exempla eorum, qui ſibi id incommodi intulerunt, ne ad militiam cogerentur. Perſimilem licentiam Senatus Romanus punire coactus fuit (3); & Auguſtus cædi pollices juſsit patri, qui pollices duobus filiis ſuis amputaverat, ut a militia eximerentur (4); milites vero, qui in ſe id auderent, perduellionis arceſſebantur. Ammianus Marcellinus libro XV. ſtudium Gallorum in res bellicas eo nomine commendat, quod nemo eſſet inter illos, qui pollices ſibi ad exemptionem militiæ adimeret, uti frequentiſsime apud Romanos. Vernaculus Italorum ſermo retinuit nomen *Poltrone* (5), ſonans hominem abſciſſo pollice, ut indicent militem animi virtute & robore deſtitutum. Conſtantinus Imperator (6) damnat eos, qui ineptos ſeſe reddiderunt, damnat, inquam, ut vias urbium curent. Sed fortaſſe exempla hæc omnia a re præſenti ſunt aliena. Eo unice ſpectabat Adonibezec, ut ſævitiam ſuam expleret in miſeros illos Principes, qui in ſuas manus inciderant. David pedibus manibuſque mulctavit interfectores Isboſethi. Alexander Magnus, cum Perſepolim perveniſſet, obviam habuit octingentorum Græcorum manum, patrocinium & libertatem poſtulantium. Turba autem erat hominum, quos Reges Perſidis captivos olim habuerant, inuſſerantque ſervili nota, alios quidem abſciſsione alterius pedis vel manus, alios vero narium, vel aurium: quin & ſtigmata quiſque gerebat ex barbaricis characteribus, tam alte cuti impreſsis, ut deleri non poſſent (7). Id generis mutilatio non latebat Orientales, & ſupplicium erat apud illos familiariſsimum.

℣. 7. Colligebant sub mensa mea ciborum reliquias. Septuaginta illi Reges, quos fœde adeo excepit Adonibezec, regnabant facile in Urbibus Chananitidis. Tunc enim ſingulis Urbibus ſuus erat Rex, quamquam minores iſti Reges validiori alteri interdum parebant. Porro Adonibezec imperio ſuo illos ſubjectos habere non contentus, indigniſsime habuit, cogens cibum carpere canum more ſub menſa ſua, projectas reliquias cibi regii comedentes. Ejuſmodi ſævitiæ alia exempla ſuppetunt. Seſoſtris Rex Ægypti, ab expeditionibus ſuis redux, trahi currum ſuum voluit ab iis Regibus, quos ſuperarat (8).

Venit ad occaſum Mundique extrema Seſoſtris,
Et Pharios currus Regum cervicibus egit.

Valerianus Imperator (9), qui in manus Saporis Perſarum Regis inciderat, dorſum præbere in equum aſcendenti, loco ſcabelli, coactus eſt; & Tamerlanus Bajazetum Turcarum Imperatorem in cavea ferrea clauſum more ferocis belluæ alebat (10).

℣. 8. Oppugnantes ergo filii Juda Jerusalem, ceperunt eam. Urbem hanc vel cepit Joſue, vel cepiſſe creditur, quamquam nihil ſatis apertum ea de re Scriptura; narrat (11) enim tantummodo, Joſue cepiſſe ac neci tradidiſſe Adoniſedech Regem Jeruſalem; & alibi (12) tradit, filiorum Juda conatibus reſtitiſſe Jebuſæos hujus urbis, ut una ambæ gentes eadem in urbe habitarent. Hic denique filii Juda capiunt, igne devaſtant, eaque capta expeditionem ſuam in reliquas partes proſequuntur. Sedem habuiſſe illos in hac urbe, quamquam hic ſilet Textus ſacer, aperte tamen docet Textus Joſue, de quo ſupra: intelligimus etiam ex ℣. 21. hujus capitis, filios Beniamin domicilium ibi cum filiis Juda habuiſſe; utroſque autem peperciſſe Jebuſæis, ibi verſantibus, ne illos delerent, quibus urbs paruit adusque Davidis ætatem, qui imperio illius eos exſpoliavit.

In Commentariis ad Joſue animadvertimus, Jeruſalem, utpote in finibus Juda & Beniamin conſtitutam, ad utramque pertinuiſſe. Beniamitæ in plaga ſeptentrionali, filii Juda in meridionali jus dediſſe feruntur. Nomen *Jeruſalem*, uti ab Judæis effertur, duale eſt, & commode duas ejuſdem urbis partes deſignare poteſt. Cum autem Veteres omnes ſemper legerint, *Jeruſalem* in ſingulari, idemque nomen nunquam non ſingularibus verbis conjungi ſoleat, recentis pronunciationis Judaicæ nullam eſſe poſſe vim credo ut probet, duas in ea urbes partes fuiſſe diſtinctas, quarum altera ad Judam, altera ad Beniaminum pertineret: nec nos rem ipſam, ſed argumentum, quo probatur, negamus. Licet autem demus, Jeruſalem in ditione Juda neque totam, neque partim accenſam fuiſſe, optime tamen jure acquiſitionis illi parere potuit; quemadmodum aliæ plures urbes ex una Tribu in alteram ex iiſdem belli legibus tranſierunt.

Tradentes cunctam incendio civitatem. Hebræus: *Civitatem totam miſerunt in ignem*. Perſimili phraſi Virgilius non ſemel ſcripſit (13): *Dare claſſibus Auſtros*. Porro urbs injecto igne tota non arſit: deinceps enim conſediſſe ibi Jebuſæos cum filiis Juda & Beniamin, ſupra tradidimus.

℣. 9. In montanis, et ad meridiem, et in campestribus. Tribus Juda poſſidebat regionem maxime meridionalem terræ promiſſionis, quæ ſane regio frequentibus montibus diſſeminabatur, ſed Orientem verſus deſcendendo, in agros amœniſſimos ſeſe demittebat. Ubique autem per eam provinciam non infima quædam loca a Chananæis occupabantur. Urbes in montibus conſtitutas Juda ſubegit, ſed jacentes in agro expugnare minime valuit. Vide infra ℣. 19.

℣. 10. Contra Chananæum, qui habitabat in Hebron. Tertio hic jam ſermo eſt de ſubacta Hebrone. Illam ceperat Joſue in expeditione adverſus quinque fœderatos Chananæos Reges (14), iterum ſub jugum redegit Caleb, cui in partem aſſi-

[1] ויקצצו את בהנות ידיו ורגליו [2] Ælian. Var. hiſt. l. 2. c. 9. Cicero l. 3. de Offic. [3] Vide Valer. Max. de ſeveritate l. 6. c. 3. [4] Sveton. in Auguſto c. 24. [5] Cornel. a Lapide hic. Vide Bonfr. & Serar. [6] Lib. 1. Codic. Theodoſ. de filiis mil. App. &c. [7] Diodor. Curt. Juſtin. &c. [8] Lucan. l. 10. Pharſ. [9] Eutrop. & Aurel. Victor. [10] Jovius, & alii qui de Rebus Turcis ſcripſere. [11] Joſue x. 25. [12] Num. 21. 23. [13] Virgil. Æneid. 2. [14] Joſue ix. 32.

aſſignata fuerat (1). Tandem filii Juda armis illam cinxerunt, poſt obitum Joſue: qui iſta ſibi cohæreant? Credimus, poſtremum hoc bellum in Hebronem epilogo quodam narrari, ut idem ſit penitus ac quod Caleb Tribus ſuæ ope, ſuperſtite adhuc Joſue, ſuſcepit. Narratur autem hic, occaſione victoriarum, quæ a Tribu Juda relatæ ſunt. Porro eventus expeditionis Calebi iidem hic recurrunt, uti expugnatio Dabir, Othonielis facinore; Axæ filiæ Calebi conjugium cum Othoniele in præmium ſtrenui illius moliminis, & cetera quæ totidem verbis & in Joſue & hic pariter referuntur. Primo quidem Joſue bello captum habuit Regem Hebronis, urbem vaſtavit incendio, & incolas quotquot nactus eſt, trucidavit. Sed aliis deinde bellis occupato eodem Joſue, gigantes filii Enach, eo regreſſi, urbem munierunt, ut illius victoria iterum ſuperſtite adhuc duce Joſue tentanda eſſet. Narrantur hæc omnia hic a ℣. 10. uſque ad 16.

℣. 13. Othoniel filius Cenez, frater Caleb minor. Nomen fratris hic pro neceſſario propinquo uſurpatum cenſemus. De hiſtoria Calebi, Othonielis & Axæ, vide quæ diſſeruimus in Joſue xv. 17. 18. ubi eadem verba, & difficultates eædem recurrunt.

℣. 16. Filii autem Cinæi, cognati Moysis, ascenderunt de civitate Palmarum in deſertum Juda. Cinæi, poſteri Jethro, ſoceri Moyſis, itemque poſteri Hobab fratris uxoris ejuſdem Moyſis, Iſraelitarum partes ſecuti (2), iter cum illis habuerant per deſertum, & cum illis pariter in terram promiſſionis venerant. Partem autem ſuam obtinuerunt in Tribu Juda, ſedemque habuerunt in urbe Palmarum, donec Joſue egit in vivis: poſt ejus obitum, ſive portione hac ſua minus contenti, ſive a priſcis regionis incolis moleſtia affecti, conjunctis cum filiis Juda armis, in expeditionem Arad proceſſerunt. Hac regione ſuperata, Cinæi ſedes ibi elegerunt ſuas, quas & ad Saulis uſque ætatem cum Amalecitis mixti retinuerunt. Juſſus autem Saul a Deo arma in Amalecitas movere, miſſis nuntiis imperavit Cinæis, ut ſecederent ab illis, neque enim eodem ipſos cum Amalecitis exitio obvolvere Deus ſtatuerat (3). Cinæi appellari ſolent *Salmæi* a Chaldæo; ſunt autem Salmæi in Arabia populi; & apud Ptolemæum occurrit urbs *Salma* in Arabia deſerta, & Arabes *Salmani* apud Plinium (4).

Urbem Palmarum עיר התמרים ipſam credunt quidam (5) Jerichuntem, palmetis ſuis celebrem. Quomodo tamen Jericho incolis frequentari poterat vel adhuc ſuperſtite Joſue, vel paucis poſt ejus obitum annis, cum funeſtis adeo ſacramentis vir ille ſummus illum devoverit, quicumque eam urbem reſtituere aggrederetur (6)? Nonne memoriæ proditum legimus, integre reſtitutam non fuiſſe (7), niſi Achabo Rege Iſraelis imperante? Igitur Palmarum urbs locus erat alius quiſpiam in agro Jerichuntino, palmis conſitus (8); nec facile alter erat ab Engaddi, urbe proxima (9), quæ interdum *Hazazon-Thamar*, urbs Palmarum appellatur, quod earum arborum locus eſſet feraciſſimus. Jacebat ea urbs inter Jerichuntem, & Mare Mortuum, huic proxima. Porro hic ſitus melius congruit cum iis, quæ de veteri regione Cinæorum narrantur (10), quam ager Jerichuntis.

Quod est ad meridiem Arad. Arad urbs erat inter maxime meridionales ditionis Juda. In deſerto verſantes Iſraelitæ, anathemati devoverant regionem Arad, cujus Regis arma in ſe illata ad uſque Horma fugientes experti ſunt. Interpretes quidam (11) docent, narrari hic expeditionem, præcurſione quadam recitatam in Numeris xxi. Porro Cinæi ulterius etiam in Arabiam ultra Arad progreſſi, ſedes ſuas cum Amalecitis junctas habuerunt.

Et habitaverunt cum eo, cum incolis Arad, vel cum Juda, regionem Arad occupante. Priorem interpretationem prætulerim, accipiens τὸ Arad tamquam urbem Amalecitis vicinam. Filii Juda ſuperatam a ſe regionem illam permiſerunt Cinæis, poſteris Jethro, qui cum veteribus ejus incolis mixti, in ea conſederunt.

℣. 17. Chananæum qui habitabat in Sephaath. Urbs Sephaath ipſa eſt facile *Sephata*, prope Mareſam, in plaga maxime meridionali ditionis Juda, ubi Rex Aſa prælium iniit cum Zara Rege Arabiæ vel Chus (12). Hæc pariter urbs *Sephaath*, vel *Sephata*, nomen *Hormæ* tunc primum retulit, cum ditionem Regis Arad Iſraelitæ anathemati devoverunt, uti jam ſupra commemoravimus.

℣. 18. Gaza, Ascalon, Accaron. Tres urbes Philiſtæorum, de quibus nos alias: quamquam autem continebantur in ditione Juda, nunquam tamen ſuperatæ videntur armis Joſue, cum in Libro Joſue xii. 3. ſermo habeatur de quinque Satrapiis Philiſtæorum, tamquam adhuc ad eamdem gentem ſpectantibus. Codex Romanus Septuaginta (13) præfert, Filios Juda tres illas urbes non ſubjeciſſe, addita huic Textui negatione. Hanc lectionem in ſuo Codice habuerunt S. Auguſtinus (14) & Procopius; & tota narrationis ſeries illi favet. Joſephus apertiſſime tradit (15), filios Juda duas tantum in agro urbes cepiſſe, videlicet Aſcalonem & Azotum; Gazam vero & Accaronem eorum vim evaſiſſe, quod jacerent in æquo & patenti ſolo, & Philiſtæi ingenti bellicorum curruum munimine fulcirentur: quæ omnia narrantur ℣. ſequenti. Legimus enim ibi, Judam perrupiſſe in urbes in montibus ſitas; quæ vero in agro jacebant, eas illius conatus eluſiſſe, cum falcatis curribus propugnatores illarum inſtruerentur. Conſtat autem, urbes Gazam, Aſcalonem, & Accaronem in agro jacuiſſe. Tandem capite ii. 3. hujus Libri animadvertitur, ſecreto ac ſapientiſſimo Numinis conſilio factum eſſe, ut in medio Iſraelis relinquerentur quinque Philiſtæorum Satrapiæ, inter quas Gaza, Aſcalon, & Accaron cenſebantur. Reputandum igitur videtur, in Textum Hebræum, & quæ illum exprimit, Vulgatam, mendum irrepſiſſe, ut negatio addenda ſit, ac fatendum, filios Juda tres illas urbes non ſubjeciſſe.

Reponi tamen poſſet, ad vindicandum Hebræum, Chaldæum, Vulgatam, & pleroſque Græcos Septuaginta Codices, filios Juda potitos quidem fuiſſe urbibus Gaza, Aſcalone, & Accarone, ſed retinere poſſeſſas diu non valuiſſe, quod in medio eſſent Philiſtæorum, gentis tum temporis validiſſimæ; vel agros tantum & vicos tribus hiſce urbibus ſubditos, urbes vero ipſas minime ſubmiſiſſe. Frequenter urbis alicujus ager pro urbe ipſa uſurpatur, uti cum ſcribitur (16), quinque Reges captos fuiſſe in Maceda, quod prope eamdem urbem in hoſtium poteſtatem venerint.

℣. 19. Nec potuit delere habitatores vallis, quia

[1] Joſue xv. 13. 14. [2] Vide Exod. xviii. 27. [3] 1. Reg. xv. 6. [4] Plin. l. 6. c. 28. [5] Ita Rabb. Jonas. & alii. [6] Joſue vi. 26. [7] 3. Reg. xvi. 34. [8] Vide Grot. Clarium, &c. [9] Vide ad Joſua xv. 62. [10] Vide ad Num. xxiv. 21. [11] Vide Bonfr. hic. [12] 2. Par. xiv. 9. 10. [13] Roman. Codex Interpp. Καὶ οὐκ ἐκληρονόμησεν Ἰούδας τὴν Γάζαν, οὐδὲ τὰ ὅρια αὐτῆς, οὐδὲ τὴν Ἀσκάλωνα, οὐδὲ τὰ ὅρια αὐτῆς, καὶ τὴν Ἀκκαρὼν οὐδὲ τὰ ὅρια αὐτῆς, τὴν Ἄζωτον οὐδὲ τὰ περισπόρια αὐτῆς. Ita fere & Codex Alexand. Cæteri Codices Septuag. addunt Azotum, at abſque negatione, uti Vulgata. [14] Auguſt. qu. 5. in Judic. [15] Joſeph. Antiq. l. 5. c. 2. Τῶν δὲ ἐν τῷ πεδίῳ καὶ πρὸς θαλάσσῃ, Ἀσκάλωνα, καὶ Ἄζωτον εἷλον. Διαφεύγει δὲ αὐτοὺς Γάζα καὶ Ἀκκαρὼν, πεδίον ὄντες, καὶ πολλῆς ἁρμάτων εὐπορίας, κακῶς ἔπραξαν τοὺς ἐπελθόντας. [16] Joſua x. 16. 17.

QUIA FALCATIS CURRIBUS ABUNDABANT. Non ſatis aperte exprimit Textus, filios Juda delere habitatores vallis non potuiſſe (1); ſed ita reddi poſſet, ac ſi vel deſtruere noluiſſent, vel aggredi non auſi fuiſſent. Quid ſane illis Dei ope adjutis metuendum erat? Utrum currus Philiſtæorum magis timendi erant in agro, quam virtus animi, & robur Gigantum filiorum Enac, in arcibus & in urbibus montium? Hebræus non legit *falcatis curribus*, ſed tantum רכב ברזל *ferreis curribus*; Septuag. ἅρματα σιδηρᾶ. Codex Romanus Septuaginta Hebræam vocem, quæ currus ſonat, retinuit: Ὅτι Ῥηχὰβ διεστείλατο αὐτοῖς. *Quia Rechab obſtitit eis*. Eamdem lectionem exhibet Theodoretus (2), quam male interpretatur de celebri Rechab patre Rechabitarum. Codex Baſileenſis, plus aliquid addens (3), præfert: *Quia Rechab obſtitit eis, & habebant currus ferreos*. Eamdem lectionem, quæ bis eadem verba legit, ſequitur S. Auguſtinus (4). *Recheb* enim vel *Rechab* eſt currus.

℣. 20. DEDERUNT CALEB HEBRON. Vide quæ de hac re diſſeruimus in Joſue xv. 14.

℣. 21. JEBUSÆUM HABITATOREM JERUSALEM NON DELEVERUNT. Arcem, vel maxime editum & validiſſimum Urbis locum Jebuſæis permittentes filii Beniamin, reſederunt una cum illis, & cum fratribus ſuis e Tribu Juda, in urbe inferiori, quam filii Juda ſuperato Adonibezeco occupaverant (5). In Joſue xv. 63. idem narratur de filiis Juda, quod hic de filiis Beniamin legimus.

USQUE IN PRÆSENTEM DIEM. Qui hoc ſcripſit Author, vivebat ante Regnum Davidis, qui Jeroſolyma capta, Jebuſæos delevit (6).

℣. 22. DOMUS JOSEPH ASCENDIT IN BETHEL. Tribus Ephraim & dimidia Manaſſe, cis Jordanem conſidentes, armis cinxerunt Bethel, ditionis ſuæ urbem (7). Hanc autem non ſubjecerat Joſue, quamquam Hai, urbem proximam, expugnavit (8).

℣. 23. CUM OBSIDERENT URBEM. Textus legit (9): *Cum explorari* vel *obſervari facerent Bethel*. Miſſis Exploratoribus, qui opportunos aditus & minus munitos inſpicerent: vel cum veniſſent clam in noctis ſilentio, more exploratorum, ut imparatam urbem caperent, nacti ſunt hominem, cui ſpem fecere tum vitæ ſervandæ, tum præmii ditioris potiundi, ſiquidem locum aptum, qua evaderent in urbem, indicaret: *Oſtende nobis introitum civitatis, & faciemus tecum miſericordiam*. Fas erat Hebræis hanc ſibi viam ſtruere, ut in urbem ſibi debitam evaderent; jure ſpondere poterant vitam & præmium homini, quamquam ipſe, non minus atque Chananæi omnes, anathemati devotus erat. Supperebat in eam rem exemplum Rahab & Gabaonitarum, quibus pepercerant: nec immerito reputamus, hominem illum receptum non fuiſſe, niſi ea conditione, ut religionem mutaret, vel eam regionem desereret; quod ille præſtitit.

Arduum eſt magis hominem a crimine perfidiæ in urbem ſuam excuſare: vix aliter ille haberi poteſt ac patriæ proditor, impius bonorum & vitæ civium ſuorum venditor, ut vitam & mercedem aliquam referret. Quamquam autem nihil eſt, cur ſolicitos tenere nos debeat hominis perfidia, neque laborandum eſt nobis, ut factum excuſemus nullibi in Scriptura probatum; nihilo tamen ſecius cum fieri potuerit, ut Chananæus iſte decretum Dei, anathemati omnes eas gentes devoventis, tradentiſque omnes manibus Iſraelitarum noſſet, non injuria reputaverimus, ſavere illum non debuiſſe, quin conſiliorum Dei in partem veniret, juſſorumque illius executioni pro Iſraelitis faveret (10). Profecto ſi filii Joſephi aliam fuiſſe mentem viri illius intellexiſſent, par erat utique ut neque vi neque minis cogerent, nec præmii promiſſione corrumperent, ut patriam proderet. Cum vero illum nacti fuiſſent jam paratum in ſui favorem, nullo utique præcepto tenebantur, ut certiores ſe de cauſis ejus habitudinis redderent: fas erat in ſuum commodum ea animi habitudine uti, quam in homine deprehenderunt.

℣. 26. ABIIT IN TERRAM HETTHIM, ET ÆDIFICAVIT IBI CIVITATEM, VOCAVITQUE EAM LUZAM. Regio Hetthim vel Chetthim ארץ החתים ipſa eſt facile Hethæorum regio. Porro hujus nominis nulla alia regio in Scriptura innoreſcit. Habitabant autem Hethæi ad meridiem Chanaanitidis, Arabiam Petræam verſus; eoque facile hic ſe contulit. Ibi vero nota eſt urbs *Luſa*, *Elyſa*, vel *Luſſa*, priſcis Geographis celebratiſſima (11); cujus meminit Joſephus (12). Novam hanc urbem a ſe conditam Chananæus hic *Luz* vel *Luzam* idcirco appellavit, ut vetus nomen conſervaret patriæ ſuæ, quæ ante *Luza* nuncupabatur, quam ab Iſraelitis nomen Bethel referret. Joſeph. Antiquit l. 14. c. 2. tradit Judæos Arabibus urbem hanc Luzam eripuiſſe.

℣. 27. BETHSAN, THANAC, DOR, JEBLAAM, MAGEDDO &c. De ſitu harum Urbium vide quæ diſſeruimus in Joſue, & Tabulam Geographicam conſulito.

CŒPITQUE CHANANÆUS HABITARE CUM EIS. Hebræus (13): *Voluitque Chananæus habitare in terra ipſa*: tributum ſolvere contenti fuere, dum relinquerentur incolumes, & in priſcis ſedibus ſuis eſſe permitterentur.

℣. 28. POSTQUAM AUTEM CONFORTATUS EST ISRAEL, FECIT EOS TRIBUTARIOS. Probat hoc, per ſolam Iſraelitarum voluntatem ſtetiſſe, quin Chananæi omnino ſuperarentur. Chananæi enim nonniſi leviter reſtiterunt; ſed auro commodiſque ſuis indulgentes Hebræi eo inducti ſunt, ut vitam largirentur hoſtibus, reluctante Dei præcepto: quæ quidem legis violatio illos in ea mala perduxit, quæ in hoc Libro narrantur.

℣. 29. GAZER, prope Philiſtæos, non procul ab *Jamnia*.

℣. 30. CETRON, Certus ſitus hujus urbis ignoratur; eademque eſt facile ac *Cateth*, quæ cum *Naalol* jungitur in Joſue xix. 15. Naalol Levitis ceſſit (14); ſed nunquam poſſeſſione hac ſua illis frui datum eſt, cum a Chananæis occuparetur.

℣. 31. ACCHO עכו, urbs eſt Ptolemais ad mediterraneum, monti Carmelo vicina. Græcis Geographis innotuit ſub veteri nomine *Ake*; & cum appellationis hujus genuinum etymon ignorarent, derivandum cenſuerunt e Græco *Akeomai*, quod eſt *mederi*, & *Ake*, *medicina*: id autem nominis inditum urbi comminiſcuntur, quod Hercules eo in loco convaluerit (15). Tranſiit deinde in Ptolemaidis appellationem, in honorem Regis cujuſdam Ægyptii. Denique ſub Claudio Imperatore Colonia Romanorum effecta eſt (16). Prope hanc urbem fluit amnis *Belus*, ſeu *Beleus*, aquis ignobilis, ſed aptis vitro arenis clarus. Abeſſe hunc amnem ab urbe duobus ſtadiis, vel CCL. paſſibus, affirmat Joſephus (17). Adjacet huic amni mira quædam vallis, centum circiter cubitorum ambitu, ex qua vitreæ arenæ efferuntur ea copia, ut navigia plurima onerent, nec tamen exhauriantur un-

(1) כי לא להוריש את ישבי העמק, *Quia non ad expellendum habitatores vallis*. (2) Theodoret. in Judic. qu. 6. (3) ὅτι Ῥηχὰβ διεστείλατο αὐτοῖς, καὶ ἅρματα σιδηρᾶ αὐτοῖς. (4) Aug. qu. 5. in Judic. (5) Vide ſupra ℣. 6. 7. (6) 2. Reg. v. 8. (7) Joſue xvi. 1. 2. (8) Joſue viii. 9. 17. (9) ויתירו בית יוסף בבית אל (10) Vide Bonfr. hic & Grot. (11) Vide Ptolem. Geog. lib. 5. c. 16. & 17. (12) Joſeph. Antiq. l. 14. c. 2. (13) ויואל הכנעני לשבת בארץ S. Hieronymus & Septuag. videntur legiſſe ויחל, *cœpit*, καὶ ἤρξατο ὁ Χαναναῖος κατοικεῖν ἐν τῇ γῇ ταύτῃ. Vide quæ diximus in Joſue xvii. 12. (14) Joſue xxi. 35. (15) Stephan. Byzant. in Ἄκη. (16) Plin. l. 5. c. 19. *Colonia Claudii Cæſaris Ptolemais, quæ quondam Ace*. (17) Joſeph. lib. 2. de Bello c. 17. in Græco.

unquam, cum beneficio ventorum e viciniis collibus tantum arenæ illo deturbetur, quantum egeſtum eſt; diſpendium ita reparante natura. Affirmat Plinius, amnis hujus fontes eſſe in lacu Cendevia ad radices montis Carmeli (1).

Ahalab אחלב, vel juxta Hebræum & Septuaginta, *Achlab*, Urbs eſt inter ignotas nobis ignotiſſima, niſi forte confundatur cum *Aleppo*, vel uti Græci appellant, *Chaleppo* (2). Fertur ipſa eſſe urbs inclyta Berœa.

Achzib, inter Tyrum & Ptolemaidem, ad mediterraneum.

Helba חלבה. An *Eleph* (3) in finibus ſeptemtrionalibus Nephtali, e regione Tribus Aſer?

Aphec, urbs eadem ac Aphec, de qua in Libris Regum (4), in finibus Regnorum Iſraelis & Syriæ. Labentibus Regum Iſraelis annis, Regibus Syriæ parebat. Vide quæ de hac urbe diximus in Joſue xix. 30.

Rohob, jacebat & ipſa pariter circa Libanum, in extrema ora ſeptemtrionali Regni Iſraelis (5).

℣. 33. Bethsames, ideſt, domus ſolis, in Tribu Nephtali, urbs longe diverſa ab altera cognomine, in Tribu Juda. De priore illa vide Joſue xix. 38.

Beth-Anath. Vide Joſue xix. 38.

℣. 34. Arctavitque Amorrhæus filios Dan in monte. Tribus Dan reſidebat ad occidentem Juda, in regione Philiſtæis vicina; in ſua autem ditione reliquias habebat Amorrhæorum: neque a vero abludit, armatis gentium illarum curribus coarctatos fuiſſe Danitas in montibus; quæ ſedium anguſtiæ illorum plurimos adegerunt, ut regione ſua relicta novas ſibi terras procuraturi diſcederent (6).

℣. 35. Habitavitque in monte Hares, quod interpretatur Testaceo, in Ajalon et Salebim. Referri hæc poſſunt vel ad Amorrhæos, vel ad filios Dan; ſed Hebræus de Amorrhæis, conſidentibus in monte Hares, & tributariis filiorum Ephraim, determinat. Ita ergo Textus ad literam (7): *Cœpitque Amorrhæus habitare in monte Cheres, in Ajalon & in Salebim, & aggravata eſt manus Domus Joſeph, & fuerunt* [Amorrhæi] *in tributum.*

Varians hic Septuaginta. Codices illorum quidam (8) ferunt: *Cœpit Amorrhæus habitare in monte Hares, in quo urſi, & in quo vulpes.* Vocem *Ajalon* vel *Ajalin* reddiderunt illi urſos, & *Salebim*, vulpes. Poſtremum hoc utique ſignificare poteſt vulpes; quamquam Hebræi vulpes appellant potius שועלים, *ſchualim*, non שעלבים, *Salabim*; ſed prius illud eſt potius cervus, urſos enim nominant Hebræi דובים *dubim*, non אילין *Ajalin*. Codex Baſileenſis legit (9): *In monte myrti, ubi ſunt urſi & vulpes in myrto, & in Salabim.* Bis idem hic repetitum eſt. *Ajalon* eſſe poteſt nemus: poſita eſt autem ſpecies arboris pro genere, myrtus pro arboribus in communi: ſervata eſt pariter vox *Salabim* in eorum Textu, & adſcripta pariter literalis ejus ſignificatio. Denique in Codice Romano (10): *In monte teſtaceo, in quo urſi, in quo vulpes, in nemore myrti, & in Salabim.* Utri credas? *Ajalon* locus erat in Tribu Juda, & in Scriptura celebris ex juſſione Joſue ad Lunam, ne ſupra Ajalon progrederetur (11). *Salabim* alter erat locus in Tribu Dan, qui *Selebim* appellatur in Joſue xix. 42. Certus ejus ſitus ignoratur. Urbs erat ætate Salomonis non obſcura (12), cum unus e duodecim Regis illius Præfectis, qui Regiarum ædium annonam curabant, ibi eſſet conſtitutus.

℣. 36. Fuit autem terminus Amorrhæi ab ascensu scorpionis, Petra, et superiora loca. Hæc primitus occupabatur ab Amorrhæis regio: tractus ſcilicet ab Aſcenſu Scorpionis aduſque Petram in Arabia Petræa, & ulterius etiam ad meridiem. Sed intra eos limites non ita ſe continebant, ut per totam late Chananæidem, & trans Jordanem minime diffunderentur. Reges Og, & Sehon genus ex Amorrhæis referebant. Amorrhæos in ditione Dan & Ephraim poſitos, ſupra animadvertimus, eorumque nomen adeo celebre effectum eſt, ut ſæpe Amorrhæus generice uſurparetur.

Urbs Petra, Hebraice סלע *Sela*, ipſa eſt facile Metropolis Arabiæ Petrææ, cujus alterum eſt nomen *Bekem*, & *Chagar*. Amalecitis paruiſſe videtur; tradit enim Joſephus (13), tenuiſſe illos Gobolitem, & urbem Petram. Jacebat ſatis proxime Aſcenſum Scorpionis, quem magnopere removere non poſſumus ab urbe Adar vel Arad.

---

[1] Plin. lib. 5. cap. 19. *Belus vitri fertiles arenas, parvo litori miſcens, ipſe e palude Cendevia a radicibus Carmeli profluit.* [2] Johan. Comnen. c. 7. Nicephor. Calliſt. lib. 14. cap. 39. apud Cellar. l. 3. c. 12. [3] Joſue xix. 33. [4] 3. Reg. xx. 26. 30. 4. Reg. xiii. 17. [5] Num. xiii. 22. & xix. 38. Joſue xix. 28. [6] Joſue xix. 47. & Judic. xviii. 1. & 27. [7] ויואל האמרי לשבת בהר חרס באילון ובשעלבים ותכבד יד בית יוסף ויהיו למס [8] Codex Reg. ἐν τῷ ὄρει τῷ ὀστρακώδει, ἐν ᾧ αἱ ἄρκτοι καὶ ἐν ᾧ αἱ ἀλώπεκες. [9] Ἐν τῷ ὄρει τῷ μυρσινῶνι, οὗ αἱ ἄρκτοι καὶ ἀλώπεκες, ἐν τῷ μυρσινῶνι καὶ ἐν Θαλαβίν. [10] Ἐν τῷ ὄρει τῷ ὀστρακώδει, ἐν ᾧ αἱ ἄρκτοι καὶ ἐν ᾧ αἱ ἀλώπεκες ἐν τῷ μυρσινῶνι, καὶ ἐν Θαλαβίν. [11] Joſue x. 12. [12] 3. Reg. iv. 9. [13] Joſeph. l. 3. c. 2. Antiq. οἱ τὴν Γοβολῖτιν καὶ τὴν Πέτραν κατοικοῦντες καλοῦνται μὲν Ἀμαληκῖται.

CAPUT II.

Angelus Domini venit in Galgalam, ingrati animi vitium Iſraelitis exprobraturus. Inconſtantia populi in cultu Domini, poſt deceſſum Joſue.

℣. 1. Aſcenditque Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, & ait: Edu-
xi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua juravi patribus ve-
ſtris: & pollicitus ſum, ut facerem irritum pactum meum vobiſcum in ſempiternum,
2. Ita dumtaxat ut non feriretis fœdus cum habitatoribus Terræ hujus, ſed aras eo-
rum ſubverteretis: & noluiſtis audire vocem meam; cur hoc feciſtis? 3. Quam ob
rem nolui delere eos a facie veſtra: ut habeatis hoſtes, & dii eorum ſint vobis in
ruinam. 4. Cumque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Iſrael,
elevaverunt ipſi vocem ſuam, & fleverunt. 5. Et vocatum eſt nomen loci illius:

Locus

Locus flentium, ſive lacrymarum: immolaveruntque ibi hoſtias Domino. 6. Dimi-
ſit ergo Joſue populum, & abierunt filii Iſrael unuſquiſque in poſſeſſionem ſuam, ut
obtinerent eam: 7. Servieruntque Domino cunctis diebus ejus, & ſeniorum, qui
longo poſt eum vixerunt tempore, & noverant omnia opera Domini, quæ fecerat
cum Iſrael. 8. Mortuus eſt autem Joſue filius Nun, famulus Domini, centum, &
decem annorum, 9. Et ſepelierunt eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamnathſare
in monte Ephraim, a Septentrionali plaga montis Gaas. 10. Omniſque illa genera-
tio congregata eſt ad patres ſuos: & ſurrexerunt alii, qui non noverant Dominum,
& opera, quæ fecerat cum Iſrael. 11. Feceruntque filii Iſrael malum in conſpectu
Domini, & ſervierunt Baalim. 12. Ac dimiſerunt Dominum Deum patrum ſuorum,
qui eduxerat eos de Terra Ægypti: & ſecuti ſunt deos alienos, deoſque populorum,
qui habitabant in circuitu eorum, & adoraverunt eos: & ad iracundiam concitave-
runt Dominum, 13. Dimittentes eum, & ſervientes Baal, & Aſtaroth: 14. Iratuſ-
que Dominus contra Iſrael, tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos,
& vendiderunt hoſtibus, qui habitabant per gyrum: nec potuerunt reſiſtere adverſa-
riis ſuis: 15. Sed quocumque pergere voluiſſent, manus Domini ſuper eos erat,
ſicut locutus eſt, & juravit eis: & vehementer afflicti ſunt. 16. Suſcitavitque Do-
minus judices, qui liberarent eos de vaſtantium manibus: ſed nec eos audire volue-
runt, 17. Fornicantes cum diis alienis, & adorantes eos: Cito deſeruerunt viam,
per quam ingreſſi fuerant patres eorum: & audientes mandata Domini, omnia fece-
re contraria. 18. Cumque Dominus judices ſuſcitaret, in diebus eorum flectebatur
miſericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vaſtantium.
19. Poſtquam autem mortuus eſſet judex, revertebantur, & multo faciebant pejora,
quam fecerant patres eorum, ſequentes Deos alienos, ſervientes eis, & adorantes il-
los. Non dimiſerunt adinventiones ſuas, & viam duriſſimam, per quam ambulare
conſueverunt. 20. Iratuſque eſt furor Domini in Iſrael, & ait: Quia irritum fecit
gens iſta pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, & vocem meam au-
dire contempſit: 21. Et ego non delebo gentes, quas dimiſit Joſue, & mortuus eſt:
22. Ut in ipſis experiar Iſrael, utrum cuſtodiant viam Domini, & ambulent in ea,
ſicut cuſtodierunt patres eorum, an non. 23. Dimiſit ergo Dominus omnes nationes
has, & cito ſubvertere noluit, nec tradidit in manu Joſue.

ỳ. 1. **A**SCENDIT ANGELUS DOMINI DE GALGALIS AD LOCUM FLENTIUM. Libri hujus Author, narratis breviter in priori capite iis, quæ ſpatio annorum aliquot ab obitu Joſue contigerunt, donec in vivis egerunt Seniores, & populus fidem ſuam Domino integram exhibuit; hic tandem producit eumdem populum, in extrema mala prolapſum, merito neglecti erga Dominum officii, legumque fœderis illius relictarum. Totum hoc caput & octo priores verſiculi ſequentis perinde haberi poſſunt, ac totius hujus libri argumentum & ſumma: cujus ſane Libri unicum eſt propoſitum, ut partim quidem revocet ſub oculos crimina Iſraelitarum, partim Dei in illos ultionem, reſipiſcentiam & pœnitudinem ejuſdem populi, quas pone ſequuntur Dei miſerentis clementia, & malorum, quibus premuntur, relevatio.

Dubio procul omnino arbitramur, hiſtoriam hanc Angeli Domini, qui e Galgalis ad locum Flentium ſe contulit, contigiſſe poſt aliquot annos ab obitu Joſue, quique illi ſucceſſerunt, Seniorum, eo potiſſimum tempore, quo Iſraelitæ criminibus ſuis exprobrationibus hiſce dignos ſe præbuerunt. Porro verſiculus ſextus, & ſequentes quinque, qui opinionem hanc evertere, ac demonſtrare videntur, accidiſſe hæc omnia, antequam populus immitteretur in poſſeſſionem ſedium, quæ ſingulis contigerant; verſiculi, inquam, iſti recitantur hic per parentheſim, ac reddendi ſunt in præterito, ut infra demonſtrabimus.

Angelus iſte *Domini*, qui juſſus a Deo venit exprobraturus populo inconſtantiam in religione Patrum ſuorum, ex nonnullis Interpretibus (1), Pontifex erat, qui tunc temporis Sacris præerat: congruit illi nomen Angeli tum præſertim cum Dei verba ad populum refert. Malachias Propheta (2) docet, id nominis interdum Sacerdotibus datum fuiſſe: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt*. Contendunt Judæi, Angeli nomine diſtingui hic Phineem ſummum Sacerdotem; neque abs re fortaſſe, ſed hujus opinionis nulla ſuppetunt argumenta, Phinees diem forte clauſerat, quemadmodum Seniores cæteri, quorum exempla, documenta, & authoritas in officio eo uſque populum continuerant. Cæterum Angelus Domini moram habuiſſe videtur in Galgalis, cum Phinees ſedem habere ſoleret in Gabaath Phinees, in Tribu Ephraim (3).

Malunt alii (4), non alium cenſeri oportere quam Angelum de Cœlo miſſum ad revocandos in officium Iſraelitas. Si enim, inquiunt illi, de homine quopiam res eſſet, nec nomen, nec dotes, patria, profeſſio, quidve illi poſt orationem illam ad populum contigerit, ſileretur. Expreſſæ tam cito ex populo lacrymæ ſatis indicant, ſupernaturali alicui cauſæ tribui id oportere; & quam præfert loquendo authoritas, [Dei ſiqui-
dem

(1) Ita Rabb. plerique. Vide Druſ. (2) Malach. II. 7. (3) Vide Joſue XXIV. ult. (4) Aug. qu. 11. Theodoret. qu. VI. in Levit. Lyr. Bonfr. Cornel. Tirin. Menoch. Eſt. alii apud Serar.

dem perſonam gerit] argumento eſt apertiſſimo, Spiritum eſſe aliquem Cœlitus miſſum. Idem erat facile patronus Iſraelitarum Angelus (1), quem Deus a ſe mittendum ante illos ſpoponderat, ut eo auſpice & duce dirigerentur, atque in Chanaanitidem introducerentur, idemque pariter Angelus qui Joſue per viſum apparens ad Jerichuntem (2), Principem ſe eſſe exercitus Domini prodidit. Quæ tandem neceſſitas allegoriam & tropum ſuadet, cum litera prono & naturali ſenſu teneri poſſit?

Minime tamen hæc omnia perſuaſere doctis permultis Interpretibus (3), qui nullum certum hominem deſignantes, hoc tamen accipiendum credunt de Propheta quopiam, ſeu viro, quem Deus in eam rem excitaverit, miſeritque e Galgalis ad locum Flentium, quo populus convenerat. Prophetæ quidem in Scriptura Angeli Domini interdum appellantur (4): *Et dixit Aggæus nuntius Domini* (Hebræus מלאך *malach*, Græcus, Ἄγγελος, *Angelos*) *de nuntiis Domini*. *Angelus* enim idem eſt ac *Nuntius*. Eupolemus apud Euſebium titulo Angeli Nathanum donat. Appellatio quidem hæc Angeli, Miſſi Legati Domini maxime congruit Prophetis, qui ejus verbis & nomine loquuntur. Cum Angeli hominibus per viſum apparent, e Cœlo deſcendiſſe dicuntur; noſter autem hic e Galgalis aſcendens, ad locum flentium ſe confert, Angeli toti ſimul & ſtatim ex oculis evaneſcunt; Scriptura nihil tale in præſenti refert: ex quibus recta inferas, hominem fuiſſe hunc a Deo miſſum, qui ejus verbis, nomine atque authoritate loqueretur.

Ad locum flentium. Hebræus אל הבכים *Ad Habbocim*. LXX: Ἐπὶ τὸν κλαυθμῶνα, *In locum fletus*. Id nominis loco inditum poſt hæc geſta fertur; ſed præſtat vertere, *Ad Moros*, locum ſcilicet moris conſitum. Qui docent populi conventum tunc in Silo fuiſſe, contendunt, hanc ipſam urbem appellatam fuiſſe olim *locum Flentium*. Huic fulciendæ opinioni animadvertunt, nullo alio in loco, præterquam in Silo, coire populum non accitum potuiſſe; Angelus enim Domini ad cœtum populi ſe contuliſſe videtur inexpectatus; veniſſe autem eo maxime tempore, quo populus ibi aderat, Feſtum aliquod Religionis forte celebraturus. Præterea offeruntur hic Deo Sacrificia; quod extra Tabernaculum præſtari nefas habebatur.

Hiſce tamen opponi poteſt, nunquam Silo ſub appellatione *Bochim* vel *Flentium* occurrere; ſemper enim vetus nomen *Silo* retinuit. Legitur apud Septuaginta (5), & apud Joſephum (6) nomen loci *Clauthmon*, fletus, prope Jeroſolymam; eſt autem *Clauthmon* vox, qua Græci Interpretes hic utuntur. Eumdem locum ſpectare videtur Pſalmiſta, memorans *vallem lacrymarum*, ſeu *vallem Baсach* (7). Creditur autem ipſiſſima eſſe ſpecula Bochim, unde Dominus ſignum edidit Davidi, aggrediendi Philiſtæos (8). Quod de Sacrificiis extra Templum offerri vetitis objicitur, conſtat inter omnes, minus religioſos ea in re fuiſſe Hebræos ante excitatum Templum Salomonicum. Crebra ſuppetunt exempla ſacrificiorum extra Tabernaculum. Gedeon in fundo ſuo juxta domum paternam ſacrificavit (9); tantumdem juxta domum ſuam præſtitit Manue pater Samſonis (10). Samuel operatus eſt ſacris in Bethlehem (11); Saul in Galgalis (12), David in Area Areunæ (13), Elias in monte Carmelo (14); cur igitur hic vir a Deo miſſus non litaverit *in loco flentium*? & quid prohibebat, ne ibi populum Dei nomine cogeret?

Eduxi vos de Ægypto. Dei perſonam gerens, ejus nomine loquitur. Neque utique reputandum eſt, non aperuiſſe populo imperatum ſibi a Deo munus, ejus nomine loquendi: miſſionis ſuæ, & ſpiritus, quo afflabatur, documenta exhibuit. Si Summus Sacerdos, vel Propheta quidam in populo notus verba hæc faciebat, pro omni argumento electionis ſuæ valebat ille, qui ad loquendum impellebat, ſpiritus. Si Angelus, non homo, loquebatur, ſola apparendi ratio, nova prorſus & inuſitata, habitus, majeſtas, vis Orationis, quæ a veris manifeſtiſque criminibus populi robur capiens acriter exprobrabat commiſſa, plenam fidem Oratori conciliarunt.

℣. 2. Ita dumtaxat ut non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ hujus. Fœderis cum gente aliqua ineundi plura ſunt genera; quædam enim publica, privata alia, illa inter populum & populum, hæc inter familiam & familiam, inter privatum & privatum. Fœdus aliquod apertum, publicum, & ſolemne, ſive cum univerſa natione Chananæorum, ſive cum magna ejus parte compoſuiſſe tota Hebræorum natio nunquam videtur, niſi fœdus illud excipias a Joſue cum Gabaonitis ſancitum. Sed privatæ Tribus fœderis genus quoddam inivere cum urbibus, quas ditioni ſuæ ſubegerant, & quarum incolis parcentes tributo obnoxios & famulos habere maluerunt. Plus aliquid addiderunt privatæ familiæ; jungentes enim ſeſe cum Chananæis, adſciverunt ſibi illos in ſocios, amicos, & conjuges, ac brevi gradum fecerunt etiam ad cultum, & ſuperſtitioſam illorum Religionem. Vitium illud adeo pervagatum eſt, tamque late ſeſe diffudit, ut merito Angelus iſte Domini totam Iſraelitarum nationem hic arguerit fœderis cum alienis compoſiti.

Quæritur hic, utrum communia hæc & privata fœdera, Iſraelitas inter & Chananæos, facta tectaque ſervanda eſſent, eorumque leges contra interdictum a Deo latum retinendæ. Sunt qui Divina cautione omnia hæc nefaria, ſed non infecta reddi cenſuerint (15). Iſraelitæ, inquiunt, jure tum naturali cum gentium tenebantur eas implere conditiones, quas ſine dolo malo juraverant, quacumque tandem Dei lege fœdus interdiceretur. Qui verba ad illos hic facit Angelus, non ſuadet quidem, ut fracto fœdere impetum faciant in Chananæos, neque in conſilium illud, quod pronum adeo videbatur, abeunt Hebræi; ſed peccatum ſuum deplorant, & pervicaciam ſuam pœnitudine revocant. Deinceps vero Salomon nihil ſibi juris ineſſe cenſuit, ut Chananæorum reliquias deleret, ſed armis illos ſervituti, & tributo, quod olim ab exordio ſolverant, ſubjecit. Si vero ſub Judicibus Hebræi bellum interdum moverunt in Chananæos, id ab illis præſtitum eſt, ut vel peculiare Dei mandatum explerent, vel quod ea gens e tributariis in dominos, & tyrannos Iſraelitarum tranſire conata fuerit.

Malunt alii (16), nulla Religione teneri homines ad fidem illam ſervandam, quæ contra Dei præceptum data eſt. Initum illud cum Chananæis pactum, utpote impium & iniquum, citra crimen executioni mandari non poterat; & cum Hebræi compoſiti illius fœderis culpam pœnitentia delere juſſi fuerint, res utique poſcebat, ut doloris hujus, & pœnitentiæ argumentum & cauſam tollerent. Si a fœdere cum Chananæis inito ſeſe non abdicarunt, id utique eo factum eſſe dixeris, ſive quod

[1] Exod. xxiii. 20. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem paravi.* [2] Joſue v. 14. *Sum Princeps exercitus Domini.* [3] Jonath. Maſ. Vatab. Grot. Jun. Deuſ. Piſc. [4] Agg. i. 13. [5] Reg. v. 23. ἐπὶ τοῦ Κλαυθμῶνος ... [6] Joſeph. Antiq. l. 7. c. 3. ... ἐν τοῖς ἄλσεσι τοῖς καλουμένοις Κλαυθμῶσι ... [7] Pſal. lxxxiii. 7. בעמק הבכא ... τοῦ κλαυθμῶνος. Vide Bonfr. ad hunc locum. [8] 2. Reg. v. 23. [9] Judic. 6. 20. 26. [10] Judic. xiii. 19. [11] 1. Reg. xvi. 2. [12] 1. Reg. xiii. 9. [13] 2. Reg. xxiv. 25. [14] 3. Reg. xviii. 38. [15] Bonfr. Cornel. a Lapide. [16] Petr. Martyr.

quod pœnitentia minus ſincera doluerint, ſive quod imbecilliores ſe noverint, ut hoſtibus reſiſterent, vel illos aggrederentur.

Inter duas haſce ſententias mediam viam teneri poſſe cenſerem, his principiis conſtitutis. In fœdere cum Chananæis inito duo conſideranda ſunt, Idololatria ſcilicet, vitium, crimen, Legis Dei violatio, cæteraque omnia, quibus moralis quædam neceſſitas inducitur aliquid præſtandi, quod nulla unquam res licitum efficit. Id generis fœdera, quæcumque tandem illa fuerint, & quocumque ſancita ritu, abolenda ſunt penitus & ſcindenda. Alterum quod in fœderibus ejuſmodi ſpectandum eſt, ſunt civiles quædam pactiones, natura ſua indifferentes, quas peculiari quadam de cauſa Deus interdicere potuit, eaque Dei cautione nefariæ efficiuntur, ut nunquam citra crimen perfidiæ ſanciri poſſint: ut vero ſancitæ ſunt, ea fœdera ſolvere, nec ſervare promiſſa ſemel facta, id nefas habendum.

Facile ad rem noſtram hæc principia referuntur. Iſraelitæ vitam polliciti ſunt Chananæis & facultatem ſedes ſuas retinendi, imperato tributo. Perperam illi quidem, ita ut ejus criminis pœnitere illos debuerit: ſed nefas erat pariter a fœdere illo ſeſe abdicare, ac pejerare. Quod vero attinet ad fidem datam ſarta tectaque conſervandi eorum Templa, Aras, Numina in regione conſecrata, ineundi cum illis connubia, Diis etiam iiſdem ſerviendi, admittendique eorum mores, legibus Dei plane contrarios, revocandæ illis erant eæ pactiones, repudiandæ conjuges profanæ, quod præſtitum ſcimus ab Hebræis poſt captivitatem Babylonicam (1); Idololatriæ inſignia omnia dejicienda, abjiciendusque cultus omnis ſuperſtitioſus, initi antea fœderis religione neglecta.

℣. 3. Quamobrem nolui delere eos a facie veſtra. Hebræus (2): *Et etiam dixi: Non expellam eos.* Quoniam juſſionibus meis non paruiſtis, ſtatui non expellere eas gentes, ut iis pervicaciæ veſtræ ultoribus utar. Solet Deus ultionem de criminibus hominum exigere iiſdem ipſis inſtrumentis, quibus ipſi uſi ſunt ad peccatum. Id effecit, ut Chananæi, quibus præpoſtera & impia indulgentia Hebræi pepercerant, pernicioſiſſimi illorum hoſtes evaderent, & quæ gentium illarum Numina reliquerant in Aris, criminis ac peccati populo offendiculum forent.

Ut habeatis hostes. Varie reddi poſſet Hebr. והיו לכם לצדים, *Erunt ad latera veſtra*, tamquam ſtimuli, latera veſtra pungentes, vel tamquam flagra latus cædentia. Septuaginta: Ἔσονται ὑμῖν εἰς συνοχάς, *Erunt vobis in anguſtias*; in arctum redigentes vos prement. Legunt hi צרים, *hoſtes*, *anguſtiæ*, pro צדים, *latera*. Alii; Inſequentur vos tamquam venator prædam; vel, *Erunt vobis in laqueos*, ducta etymologia e צוד *Zud*, *venari*, Vulgata & Chaldæus ſenſum Septuaginta ſequuti eſſe videntur.

℣. 5. Immolaveruntque ibi hostias Domino. Exceptione quadam communis & generalis legis, vetantis ſacrificium alibi quam in Tabernaculo offerri, uti jam ſupra animadverſum eſt. Hoſtias facile expiationis pro univerſo populo immolandas duxerunt, vel forte holocauſta, omnium ſacrificiorum abſolutiſſima, quibus mortales magnitudinem & majeſtatem ſupremi Numinis agnoſcunt, & interdum etiam veniam pro admiſſis criminibus deprecantur (3).

℣. 6. Dimisit ergo Josue populum, et abierunt filii Israel unusquisque in possessionem suam. Ex hoc textu male quidam intulerunt (4), contigiſſe hæc ante obitum Joſue: ſed quæ præcedunt, & quæ deinde narrantur, eo nos ducunt, ut revocemus eam hiſtoriam poſt obitum Joſue; & Seniorum, qui illi ſuperſtites fuere. Ita vero hoc eum præcedentibus necti poteſt. Cum Author hucuſque nullam de criminibus Iſraelitarum, quibus eas Angeli reprehenſiones promeruerant, mentionem habuiſſet, ut lectores ſuum doceret ac inſtrueret, quæ conviciorum illorum cauſa eſſet, altius rem totam exorditur. Narrat igitur, Joſue diſtributa Chananitide per Tribus, miſſiſque ſingulis in ditionem ſuam, Joſue, inquam, diem clauſiſſe, fatoque pariter ceſſiſſe Seniores, qui Moyſi ſuperſtites fuerant, oculatique Teſtes prodigia Domini in Ægypto & in deſerto ſpectaverant. Solutum itaque exemplo & authoritate magnorum illorum virorum populum, proruiſſe in vitia & Idololatriam. Indignationis ſuæ non ſemel flagella Deum in illos excuſſiſſe, nec ſemel etiam malorum, quibus affligebantur, miſeratione tactum, miſiſſe liberatores. Is rerum Hebraicarum ſtatus erat, cum Angelus ad loquendum acceſſit: vitia æque & mala inundabant.

℣. 9. Thamnat-Saar. Hebr. *Thamnat-Hares*, תמנת סרח & תמנת חרס idem nomen ſunt, inverſo tantum literarum ordine. Vide Joſue xxiv. 30.

℣. 10. Omnis illa generatio congregata est ad patres suos. Quidquid erat Seniorum virorumque, quos ad authoritatem & gravitatem a ſe formatos Moyſes Tribubus præfecerat, jam deceſſerat. *Congregari ad patres ſuos*, vel ad populum ſuum, eſt, ad alterius vitæ beatitudinem proficiſci. His phraſibus demonſtratur, Priſcis Hebræis inſediſſe menti dogma de animæ immortalitate, æternitate ſuppliciorum, & præmiis alterius mundi: familiare enim eſt in Scriptura, Deum colligere vel congregare animas hominum (5), homines colligi vel congregari cum illis, qui ante ſe deceſſerunt (6).

Surrexerunt alii, qui non noverant Dominum. Fieri ne potuit, ut tanta mentes Iſraelitarum Dei oblivio teneret, ut poſt obitum Joſue cæterorumque Seniorum nihil penitus de illo noſſent? Sæpe tamen *noſſe Dominum* uſurpatur pro ſervire; & viciſſim ignorare, pro cultum & famulatum minorem, quam par eſt, exhibere: revera enim Domini memoria penitus non exciderat in Iſraele, ejuſque cultus ita plane non obſoleverat, ut nihil de illo ſupereſſet. Tabernaculum in Silo ſtabat, ibique ſacrificia Domino offerebantur; ſimul tamen varia per loca Numinum Profanorum ſimulacra erecta erant ad cultum, neque a populo erga unum Deum religio pura & ſincera ſervabatur.

℣. 13. Servientes Baal et Astaroth. Nomen *Baal* commune eſt omnibus æque Profanis Numinibus. diſtinguendi autem illa inter ſe gratia, addebantur peculiaria quædam nomina, ex loco, ubi Numina colebantur, vel ex figura illorum, vel ex dotibus deſumpta. Hinc nota ſunt nomina *Beel-Zephon*, *Beel-Phegor* Dei Moabitarum, *Beel-Sebub* Dei muſcarum, Accarone culti, *Baal-Berit*, Dei fœderis, in Sichem conſecrati, *Beel-Samen*, vel *Baal-Schamaim*, Dei Cœli; denique nomen *Baal* vernaculo Phœnicum, Syrorum, Hebræorum, Chaldæorum, ac vicinarum gentium ſermone ſignificare ſolet ſummum illorum Deum, Cœlum ſcilicet, Jovem, vel Solem.

Astaroth eſſe creditur Luna ſeu Venus: qua de re conſule Diſſertationem noſtram de Numinibus Phœnicum.

℣. 14. Qui ceperunt eos, et vendiderunt hostibus. Legitur in Hebræo, Dominus tradidiſſe illos in manus hoſtium (7): *Et diripuerunt eos, & vendidit eos in manu inimicorum eorum in circuitu.* Animadvertere juvat, in toto hoc Libro nomen *vendere* uſurpari pro, derelinquere, tradere, dare. Ita in cap. iii. 8. legimus: *Vendidit* (Vul-

[1] Eſdr. ix. [2] גם אמרתי לא אגרש [3] Vide Bonfr. hic. [4] Toſt. Torniel. Salian. [5] Job. xxxiv. 4. *Spiritum illius & flatum ad ſe trahet.* Pſal. xxv. 9. & xxxiv. 23. [6] Gen. xxv. 8. xlix. 29. Num. xxvii. 13. & xxxi. 2. [7] וישסו אותם וימכרם ביד אויביהם מסביב

[Vulgata *tradidit*] *eos in manus Chuſan Raſathaim*. Et capite IV. 2. *Vendidit* [Vulgata *tradidit*] *illos Dominus in manus Jabin*, & ℣. 9. *In manu mulieris vendetur* [Vulgata, *tradetur*] *Siſara*.

℣. 18. In diebus eorum flectebatur miſericordia, et audierat afflictorum gemitus, et liberabat eos de cæde vaſtantium. Hebræus ad literam: *Dominus erat cum Judice*, quem ſuſcitaverat, *& ſervabat eos e manibus inimicorum eorum, omnibus diebus Judicis, quia pœnitebat* (1), miſerebatur, *Dominus a gemitu eorum, a facie opprimentium eos, & coarctatorum eorum*, cauſa eorum, qui opprimebant. Pœnitere Deum dicitur, cum ille agendi rationem mutat, miſericordia & clementia utitur.

℣. 19. Revertebantur, et multo faciebant pejora. Textus originalis vis major eſt (2): *Revertebantur* ad licentiam, *& ſe corrumpebant*, vel corrumpebant vias ſuas, ſceleribus patrum ſuorum graviora addebant.

Non dimiſerunt adinventiones ſuas [cordis ſui errores] et viam duriſſimam, viam iniquitatis, Hebræus (3): *Cadere non faciebant de actibus ſuis, & de via ſua dura*; vel potius non excidebant e geſtis ſuis impiis, nec e viis ſuis duris: obſirmabant ſe ac muniebant, nolentes vel minimum a malo recedere. Chaldæus: *Non remittentes de factis ſuis malis, & de via ſua corrupta*. Via dura eſt via torta, prava, & perverſa, cujuſmodi viæ ſunt raris viatoribus tritæ: viæ remotæ, per quas iter habens fallitur. Viæ perditionis, per quas aberratur, difficiliores ſunt, duriores, magis ſalebroſæ, & prolixiores quam viæ regiæ ac tritæ: ita pariter morali ſenſu *viæ duræ* ſunt viæ, quas impii terunt, difficiles & aſperæ. Ingenua confeſſione id agnoſcunt impii (4): *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus*.

℣. 22. Ut in ipſis experiar Iſrael, utrum cuſtodiant vias Domini. Permiſit Deus, ut Iſraelitæ Chananæorum reliquias non delerent, quo de fide illorum atque in obſequio ſuo conſtantia, periculum faceret. Voluit autem ut & ipſi de ſe, & orbis univerſi homines intelligerent, quam minimi & religionem & cultum Domini facerent. Perinde ſe illis exhibuit ac herus vel pater, qui de famuli vel filii ſui obſequio & amore diffidit, quique eorum animos tentaturus, illos in diſcrimen inducit, ut argumenta pravi ſeu ſinceri animi ſui exhibeant. Sunt autem loquendi phraſes hominum moribus accommodatæ: non enim probat Deus hominem, ut internas cordis ejus habitudines noverit, cum optime intueatur cuncta cordis noſtri penetralia, & voluntatis humanæ conſilia præſentia pariter & futura proſpiciat.

---

(1) כי ינחם יהוה מנאקתם (2) ישובו והשחיתו מאבותם Septuag. Καὶ ἀνέστρεψαν καὶ πάλιν διέφθειραν ὑπὲρ τοὺς πατέρας αὐτῶν. (3) לא הפילו ממעלליהם ומדרכם הקשה (4) Sap. v. 7.

CAPUT III.

Chananæi in regione permittuntur, ad exercendos Hebræos. Prima ſervitus Iſraelitarum ſub Chuſan-Raſathaim, Rege Meſopotamiæ, quam Othoniel ſolvit. Altera ſervitus ſub Eglone Rege Moab, qua Aod populum liberat. Samgar tertius Judex Iſraelis.

℣. 1. HÆc ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Iſraelem, &
omnes, qui non noverant bella Chananæorum: 2. Ut poſtea diſcerent filii
eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi: 3. Quinque ſatra-
pas Philiſthinorum, omnemque Chananæum, & Sidonium, atque Hevæum, qui ha-
bitabat in monte Libano, de monte Baal Hermon, uſque ad introitum Emath. 4. Di-
miſitque eos, ut in ipſis experiretur Iſraelem, utrum audiret mandata Domini, quæ
præceperat patribus eorum per manum Moyſi, an non. 5. Itaque filii Iſrael habi-
taverunt in medio Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Hevæi, &
Jebuſæi: 6. Et duxerunt uxores filias eorum, ipſique filias ſuas filiis eorum tradide-
runt, & ſervierunt diis eorum. 7. Feceruntque malum in conſpectu Domini, &
obliti ſunt Dei ſui, ſervientes Baalim, & Aſtaroth. 8. Iratuſque contra Iſrael Do- Ab anno M.
minus, tradidit eos in manus Chuſan Raſathaim regis Meſopotamiæ, ſervieruntque 2591. ad 2599.
ei octo annis. 9. Et clamaverunt ad Dominum, qui ſuſcitavit eis ſalvatorem, &
liberavit eos, Othoniel videlicet filium Cenez, fratrem Caleb minorem. 10. Fuit-
que in eo Spiritus Domini, & judicavit Iſrael: egreſſuſque eſt ad pugnam, & tra-
didit Dominus in manus ejus Chuſan Raſathaim regem Syriæ, & oppreſſit eum. 11. A. M. 2599.
Quievitque terra quadraginta annis, & mortuus eſt Othoniel filius Cenez. 12. Ad- ante J. C.
diderunt autem filii Iſrael facere malum in conſpectu Domini, qui confortavit ad- 1405.
verſum eos Eglon regem Moab; quia fecerunt malum in conſpectu ejus. 13. Et co-
pulavit ei filios Ammon, & Amalec: abiitque, & percuſſit Iſrael, atque poſſedit ur-
bem palmarum. 14. Servieruntque filii Iſrael Eglon regi Moab decem, & octo an- Ab anno M.
nis. 15. Et poſtea clamaverunt ad Dominum: qui ſuſcitavit eis ſalvatorem vocabu- 2592. uſque
lo Aod, filium Gera, filii Jemini, qui utraque manu pro dextera utebatur. Miſe- ad 2680.
runtque filii Iſrael per illum munera Eglon regi Moab. 16. Qui fecit ſibi gladium

ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, & accinctus eſt
eo ſubter ſagum in dextro femore: 17. Obtulitque munera Eglon regi Moab. Erat
autem Eglon craſſus nimis. 18. Cumque obtuliſſet ei munera, proſecutus eſt ſocios,
qui cum eo venerant. 19. Et reverſus de Galgalis, ubi erant idola, dixit ad re-
gem: Verbum ſecretum habeo ad te, o Rex. Et ille imperavit ſilentium, egreſſiſ-
que omnibus, qui circa eum erant, 20. Ingreſſus eſt Aod ad eum: ſedebat autem
in æſtivo cænaculo ſolus: dixitque: Verbum Dei habeo ad te. Qui ſtatim ſurrexit
de throno. 21. Extenditque Aod ſiniſtram manum, & tulit ſicam de dextero ſemo-
re ſuo, infixitque eam in ventre ejus. 22. Tam valide, ut capulus ſequeretur fer-
rum in vulnere, ac pinguiſſimo adipe ſtringeretur. Nec eduxit gladium, ſed ita ut
percuſſerat, reliquit in corpore: ſtatimque per ſecreta naturæ alvi ſtercora prorupe-
runt. 23. Aod autem clauſis diligentiſſime oſtiis cœnaculi, & obfirmatis ſera, 24.
Per poſticum egreſſus eſt. Servique regis ingreſſi viderunt clauſas fores cœnaculi, at-
que dixerunt: Forſitan purgat alvum in æſtivo cubiculo. 25. Expectanteſque diu
donec erubeſcerent, & videntes, quod nullus aperiret, tulerunt clavem: & aperien-
tes invenerunt dominum ſuum in terra jacentem mortuum. 26. Aod autem, dum
illi turbarentur, effugit, & pertranſiit locum idolorum, unde reverſus fuerat. Venit-
que in Seirath: 27. Et ſtatim inſonuit buccina in monte Ephraim: deſcenderuntque
cum eo filii Iſrael, ipſo in fronte gradiente. 28. Qui dixit ad eos: Sequimini me:
tradidit enim Dominus inimicos noſtros Moabitas in manus noſtras. Deſcenderuntque
poſt eum, & occupaverunt vada Jordanis, quæ tranſmittunt in Moab: & non di-
miſerunt tranſire quemquam: 29. Sed percuſſerunt Moabitas in tempore illo, cir-
citer decem millia, omnes robuſtos, & fortes viros, nullus eorum evadere potuit.
30. Humiliatuſque eſt Moab in die illo ſub manu Iſrael: & quievit terra octoginta
Ab anno M. 2579. ante Chr. 1425. annis. 31. Poſt hunc fuit Samgar filius Anath, qui percuſſit de Philiſtiim ſexcen-
tos viros vomere: & ipſe quoque defendit Iſrael.

℣. 1. HÆ SUNT GENTES, QUAS DOMINUS DERELIQUIT, UT ERUDIRET IN EIS ISRAELEM. Sceleribus Iſraelitarum commotus Dominus, veterum incolarum partem reliquit in Chanaanitide, ut de populo ſuo periculum faceret (1). Has autem gentes ſervandas cenſuit: Philiſtæorum Satrapias quinque, Sidonios, Chananæos, Hevæos montis Libani, & nonnullos alios per regionem.

UT ERUDIRET IN EIS ISRAELEM. Hebræus (2): *Ad tentandum in eis Iſrael*, ad exercendum, ad experimentum capiendum. Eadem vox occurrit ſupra v. 22. *Ut in eis experiar Iſrael*.

ET OMNES QUI NON NOVERANT BELLA CHANANÆORUM. Hebræus: *Ad tentandum in eis Iſrael, & omnes qui non noverant prælia Chanaan*. Quicumque ſub Joſue militaverant, & oculati teſtes ſpectaverant prodigia Domini, noverantque quantam ſervitutis fidem exigeret Deus, alte animo impreſſum ſervarunt obſequium & amorem erga leges patrias: genus vero hominum, quod poſt illos venit, iis doctrinis parum inſtructum, nec eruditum exemplis, quæ oculis explorata non habuit, aliqua interdum calamitate indigebat, ut ad officium revocaretur. Pax diuturna, & otii felicitas nimis longa oblivionem Domini illorum menti induxiſſet. Firmatur virtus & perficitur in adverſis (3); atque ut quis noſcat quam multa Deo debeat, & quanta imbecillitate ac deſidia ipſe torpeat, tentationis diſcrimen ſubire ipſi utile eſt (4): *Qui non eſt tentatus, quid ſcit?*

℣. 2. UT POSTEA DISCERENT FILII EORUM CERTARE CUM HOSTIBUS. Ut exerceret ad bellum Iſraelitas, ne militiam dediſcerent. Textus ad literam (5): *Tantum ut ſcirent generationes filiorum Iſrael prælium, tantum qui antea non cognoverant ea*. Ne vetus odium & ſimultas Hebræorum in Chananæos ceſſaret, noluit Deus ut Chananæi penitus delerentur; in avitis ſedibus eſſe permiſit veterum incolarum plures, quorum infeſtis armis admonerentur Hebræi, hoſtes non deeſſe, eorumque virtus eo veluti ſtimulo excitaretur, & ira in antiquos hoſtes fomite non careret.

At enim nonne commodius fuiſſet Chananæorum nomen penitus delere, quam illos permittere, ut Hebræi in militia exercerentur? Nonne melius eſt amoveri penitus bella, quam palmarum planam manum referre? carere hoſte, quam vincere? Reponimus, experientia magiſtra doceri, diuturnam nimis pacem prolixamque ſecuritatem fatales eſſe interdum, nedum Regnis & Imperiis, ſed etiam moribus & pietati. Ut homines in virtute firmiores fiant, labore & contentione opus eſt; innato autem naturæ pondere feruntur in deſidiam, audaciam, & oblivionem Domini, cum illius ope & auxilio ſe indigere non ſentiunt, nullumque externum hoſtem metuunt. Hæc autem per ſe certa, certiora ſunt etiam & magis perſpicua in Hebræis, quam in cæteris gentibus. Cæteri enim populi a Deo permiſſi impiis animi ſui cupiditatibus, cæco impetu ab iis rapiebantur, iiſque veluti legibus obtemperabant. Iſraelitæ vero duræ legi ſubjecti, ſelectique in populum ſanctum, ac juſſi placere Deo, qui zelotes erat, cæterum prava animi habitudine ſponte in licentiam inclinantes, majori quam cæteræ gentes exercitatione indigebant, ut contrario calamitatum pondere in officio & ſubjectione continerentur. Res igitur illorum poſcebant, ut hoſtes in regione ſua infeſtos haberent, ut ſcilicet ſoliciti ad arma tenerentur, munirentque ſe contra impietatem; cui victas manus facile dediſſent, niſi prementibus interdum malis reſipiſcerent, & ad implorandam ſummi Liberatoris opem adigerentur.

℣. 3. QUINQUE SATRAPAS PHILISTINORUM. In capite

---

[1] Cap. XXIV. 20. 21. 22. [2] לנסות בם את ישראל. Symmach. ἐπεῖραι Septuag. πειρᾶσαι. [3] 2. Cor XII. 9. *Virtus in infirmitate perficitur*. [4] Eccli. XXXIV. 9. 11. [5] רק למען דעת דורות בני ישראל ללמדם מלחמה רק אשר לפנים לא ידעום

pite I. 18. juxta Hebræum & Vulgatam, animadverſum eſt, Tribum Juda domuiſſe tres Satrapias Philiſtæorum, videlicet Gazam, Aſcalonem & Accaronem; duas vero reliquas, Geth & Azothum, jugum non ſubiiſſe. Verum tres illæ urbes Hebræis diutius non paruerunt; cum hic referantur in earum centum, quæ priſcis regionis incolis ſuperſuere. Poſterior hæc ratio in eam perſuaſionem inducere poſſet, Textum prioris capitis ita legendum eſſe, quemadmodum apud Septuaginta, ferentes, Tribum Juda urbes illas non ſubegiſſe. Utcumque res habeat ſeſe, Philiſtæorum Satrapæ in Hebræo appellantur סרנים *Seranim*, nec unquam מלכים *Malacim*, Regum, illis nomen adſcribitur. Unde conjectura ducitur, longe alium quam cæterarum Chanaanitidis gentium, Reipublicæ illorum ſtatum fuiſſe; & Satrapas illos Philiſtæorum vel *Seranim* non abſimiles fuiſſe Præfectis parvæ alicujus Provinciæ vel regionis, qui ſimul omnes unicam Rempublicam conflarent, in qua penes Satrapas eſſet prima dignitas, ita tamen ut totius Reipublicæ forma veluti ad Ariſtocraticam accederet. Locus eſt autem ſuſpicandi, utrum alii aliis parerent, an potius in unum commune imperium ſponte coaleſcerent. De *Seranim* Philiſtæorum vide quæ diſſeruimus in Commentario ad Joſue XIII.

Omnem Chananæum et Sidonium. Sub communi Chananæorum nomine cenſentur non raro gentes omnes, quæ regionem Chanaaniticam occupabant: peculiari autem ea appellatione innuebantur incolæ tractus mediterraneo adjacentis, & ad ſeptemtrionem ac meridiem Sidonis.

Hevæum qui habitabat in monte Libano, de monte Baal-Hermon, usque ad introitum Emath. *Baal-Hermon* non procul abfuiſſe neceſſe eſt a monte Hermon, & facile eadem eſt ac *Baal-Gad*, quæ ad radices hujus montis, ad Orientem fontium Jordanis, jacebat. Inferior erat, inter Libanum & Antilibanum, Introitus Emath.

℣. 7. Baalim et Astaroth. Hebræus *Baalim* & *Aſeroth*. Aſtaroth Dea nemorum erat. Vide Diſſertationem de Numinibus Phœnicum.

℣. 8. Tradidit eos in manus Chusan-Rasathaim Regis Mesopotamiæ. Hebræus (1): *In manus Chuſchan Riſchathaim, Regis Aram-Naharaim*. Nomen *Chuſchan* in eam nos opinionem ducit, Regem illum ſurculum fuiſſe e vetuſtis Scythis vel Chus, qui Meſopotamiam & Palæſtinam invaſere. Hanc ſubactam tributo obnoxiam fecit. Nomen *Raſathaim*, quod alteri *Chuſan* jungitur, facile indicat nomen loci, ubi reſidebat, vel provinciam ex qua originem referebat. Noſcitur in Armenia provincia Arſeta, & urbs Artaxata; & in Meſopotamia urbs *Riſin*, Ptolemæo Ρήσινα, vel Raſena, vel Rhaſina (2), & populi *Rhetani*. Regem hunc appellat Joſephus (3) Chuſartem Regem Aſſyriæ.

Servieruntque ei octo annis. Servitutem hanc ſubire potuerunt, etiamſi Princeps ille ſedem ſuam extra Palæſtinam habuerit, quemadmodum inferioribus ſæculis paruerunt Regibus Aſſyriæ & Chaldææ, quamquam a regione ſua remotiſſimis. Tota illa ſervitus in eo ſiſtebat, ut tributum ſolverent, ſive, ut Scripturæ phraſi loquamur, ut ferrent munera, & quædam ſervitia Regibus Meſopotamiæ præſtarent. Veteres in Oriente Principes a ſubditis ſuis nihil accipiebant, niſi e rebus certi generis tributa, vel operas quaſdam corporis famulatu exhibendas, ut alibi demonſtrabimus.

℣. 9. Liberavit eos Othoniel filius Cenez. Othoniel gener Calebi, unus erat e Senioribus illis, de quibus frequenter Scriptura. Si viro huic non contigit, ut Iſraelitas a ſuperſtitione Idolorum removeret, id ſaltem accidit illi glorioſum, ut ſervitute, cui Deus illos in pœnam criminum ſubjecerat, liberaret. Narratur infra, Othonielem hunc motis in Chuſan armis, Regem illum viciſſe: accuratam tamen hiſtoriam belli hujus, quod non leve utique reputandum eſt, utpote cum validiſſimo Principe, Scriptura non recitat.

℣. 10. Fuitque in eo Spiritus Domini; Prophetiæ ſpiritus, ex Chaldæo, & Joſepho, qui tradit, oraculi monitu ac Dei præcepto inductum fuiſſe Othonielem, ut bellum illud in Chuſan aggrederetur. Noluerim ego tamen Divini Spiritus afflatum in Othoniele ad illud definire, ut ſolummodo bellum in Chuſan moderaretur. Illi etiam Reipublicæ clavum moderanti adfuit: donatus eſt Othoniel intelligentia, robore, ſapientia, & ſcientia; virtutum illarum habitus omnes ſpiritus ſui largitione Deus menti illius infudit. His verbis innuiſſe videtur Scriptura ſingularem quamdam novamque vocationem, motionemque ſuperiorem, atque validam, qua ad ſuſcipiendum populi regimen, moliendamque ejus liberationem inductus eſt.

Judicavit Israel. Judicum Iſraelis authoritatem, & dignitatem in præfatione explicavimus. Eo evecti ſupremam anthoritatem obtinebant, Deo tamen ſubjecti, & intra Legum illius fines adſtricti. Ibi pariter expendimus, an Judicibus ſingulis totus late Iſrael pareret, an interdum omnis illorum poteſtas ad certas tantummodo Tribus eſſet; utrum ſolum ad bellum eligerentur, an etiam ad Iſraelitarum res componendas, ac definiendas.

℣. 11. Quievit terra quadraginta annis, initio ducto ab obitu Joſue: ideſt, ab ejus deceſſu adusque obitum Othonielis, ſpatium annorum quadraginta effluxit; quo temporis intervallo Palæſtina aliquandiu extero cuidam Principi ſubdita, priſtinæ libertati ab Othoniele reſtituta eſt. Uſſerii ſyſtemati inhæremus. Vide Præfationem, & Tabulam Chronologicam.

℣. 12. Confortavit adversum eos Eglon Regem Moab. Nomen *Eglon* ſonat vitulum. Hic Rex Moab fœdus junxerat cum Ammonitis & Amalecitis, movenſque ſubmiſit primum Iſraelitas Transjordanicos, ditioni ſuæ finitimos; tum cis amnem pergens, ditioni ſuæ adjecit Urbem Palmarum, quæ facile *En-Gaddi* cenſenda eſt; ibique conſidens, Iſraelem univerſum ſpatio annorum XVIII. ſub jugo habuit. Neque id ſuſius probandum cenſemus, Urbem Palmarum aliam eſſe ab Jerichunte (4), quæ tunc e ruinis ſuis emerſiſſe non poterat; fortaſſe tamen jacuit in agro Jerichuntis. Commodo eo ſitu uſus eſt Eglon, ut provinciam ſuam curaret, ſimulque non negligeret Iſraelitas, quos ſubmiſſos habebat, & tributo obnoxios.

℣. 13. Copulavit ei filios Ammon, et Amalec. Reddi poſſet Textus (5): *Eglon copulavit ſibi filios Ammon, & Amalec*. Fœdus cum illis compoſuit; quæ interpretatio eſt Septuaginta (6). Innuere videtur Vulgata, id potiſſimum voluiſſe Deum, ut muniret Regem Eglon in Iſraelitas, ſociaretque illi Ammonitas, & Amalecitas: ſed ejuſmodi phraſes indicant ſolummodo, Deum permiſiſſe, nec prohibuiſſe, ut Eglon validiorem ſe redderet, fœduſque cum aliis gentibus componeret. Eo Principe tanquam inſtrumento furoris ſui in populum uſus eſt.

℣. 15. Suscitavit Salvatorem vocabulo Aod, Filium Gera, filii Jemini. *Aod* vel *Ehud* אהוד uti pronunciant Judæi, vel Ἀώθ, *Aoth*, uti Codices quidam Septuaginta, vel Ἰούδης, *Judes*, uti legit Joſephus (7), ad Tribum Beniamin pertinebat; ejuſque pater erat, vel potius Author originis,

(1) וימכרם ביד כושן רשעתים מלך ארם נהרים (2) Plin. l. 5. cap. 24. (3) Joſeph. l. 5. cap. 3.
(4) Vide Judic. I. 16. (5) ויאסף אליו את בני עמון (6) Καὶ συνήγαγε πρὸς αὐτὸν πάντας τοὺς υἱοὺς Ἀμμών. (7) Joſeph. Antiquit. lib. 5. c. 5.

ginis, Gera, filius, vel nepos Beniamin (1). Jemini autem & Beniamin unus ſunt idemque vir, cujus alterum nomen ſonat filium dexteræ, & *Jemini*, manum meam dexteram. Sunt qui (2) diſtinguant Patriarcham Beniaminum, filium Jacobi, ab *Jemini*, quem unum e poſteris Beniamin reputant. In quam rem animadvertunt, Scripturam interdum duos hoſce inter ſe diſtinguere: *Numquid non filius Jemini ego ſum*, ait Saul (3), *& cognatio mea noviſſima inter omnes familias de Tribu Beniamin?* In Judicibus XIX. 14. *Gabaa, quæ eſt in Tribu Beniamin*; & infra ℣. 16. *Homines regionis illius erant filii Jemini*. Sed hæc argumenta contrariam potius ſententiam adſtruunt, cum in omnibus hiſce Textibus Beniamin, & Jemini non tanquam duorum hominum nomina, ſed tanquam ſynonyma unius, ejuſdemque ponantur.

Qui utraque manu pro dextera utebatur. Judæi, quique illos ad literam ſequuntur (4), reddunt Hebræum איש יטר יד ימינו *Aod, qui erat ſcævola, cui dextera manus erat ligata, capta, impedita*, vel tandem qui læva utebatur, qui dextera non ſatis commode valebat. Huic confirmandæ interpretationi ferunt, mancos audaciores eſſe, & paratiores ad omnia, aptioreſque quam cæteros ad facinora manu molienda (5): eorum ictus difficilius evitantur, ut vulgari parœmia uſurpatum ſit alicubi (6): Cavere a manco nemo poteſt, *On ne ſe peut garder d'un gaucher*.

Verum Septuaginta (7), Vulgata cum Græcis Latiniſque Patribus, atque Interpretum pluribus (8), aſſerunt, Aod ambidextrum fuiſſe, ut utraque manu expedite uteretur. Grandis olim laus erat militis ambidextri. Gloriabatur Hector exculrum ſe eſſe rebus bellicis, ac noſſe rationem tractandi expedite utraque manu clypeum (9); & Aſteropæus nomine laudatur ab Homero, quod duo eodem ictu ſpicula ejacularetur, utpote ambidexter (10). Optabat Plato (11), ut quicumque in re militari ſupra vulgares præſtare ſtuderent, cura, & exercitatione id eniterentur, ut fierent ambidextri; docetque Ariſtoteles (12) fieri optime poſſe, ut homines ambidextri naſcantur, manum vero dexteram ſemper eſſe robuſtiorem. Animadvertit Hippocrates (13), mulieres nunquam ambidextras naſci; additque Galenus, vidiſſe ſe quidem mares ambidextros, fœminas nunquam. Ab eodem Authore laudatus Hipponax de ſe jactat (14): *Ego ſum ambidexter, nec ictus mei unquam aberrant*. Meminit Scriptura, ſingulari quadam animadverſione, ſeptingentorum civium Gabaę (15), utraque utentium dextera, tantaque facilitate ejaculantium funda lapidem, ut vel unum capillum certo ictu ferirent. Eamdem laudem afferit ſtrenuis illis viris, qui Davidi in Siceleg ſeſe conjunxerunt (16).

Novum eſſet utique, ſi ad commendandum robur & induſtriam viri militaris, ſcęvam illum fuiſſe tantummodo expenderetur; & magis novum eſſet, ac rarum, ſi incolæ omnes unius urbis, ſeptingenti numero, eodem laborarent vitio, adhuc autem tanta ſtrenuitate, & induſtria, quanta Gabaitæ, præſtarent. Unica hæc ratio ſufficere ſola videtur ad evertendam opinionem, quæ Aodum ſcævam fuiſſe, & dextera manu captum defendit. Nec latere arbitror conſilium Scripturæ, ſedulo hic animadvertentis, Aodum ambidextrum fuiſſe; ita enim ab illo enſis vel gladius aptabatur ſub veſte, ut armatum ſe nemini proderet, omnemque auferret ſuſpicionem celandi ſe arma, & moliri aliquid in Regem, dum ſiniſtram manum ferebat ad eam partem, ad quam gladium ſuſpendere nemo conſuevit. Occulendus igitur fuerat gladius ad dextrum latus, educenduſque manu ſiniſtra (17), præter morem, gladio ſiniſtrum latus armandi, educendique illum dextera. Ignorare me fateor, utrum Codices Joſephi hic unquam interpolati fuerint (18): ferunt enim, Aodum plus valuiſſe dextera, quam ſiniſtra manu, totumque ejus robur in manu ejus ſiniſtra fuiſſe: quod ſententiam reddit turbatam. Id utique non legebat Ruſinus in ſuis Codicibus, vel ſaltem id in ſua verſione Joſephi non præfert.

Miserunt per illum munera Eglon. Ideſt, Aodum ad ferenda tributa deſtinarunt. Familiare eſt Scripturæ munera appellare id quod Principibus offerebatur, veluti ſcilicet odioſum tributi nomen evitet. Poſt electionem Saulis in Regem (19), *Filii Belial dixerunt: Num ſalvare nos poterit iſte? Et deſpexerunt illum, & non attulerunt ei munera*. Alibi (20) legimus: *Percuteret Moab, & fierent Moabitæ ſervi David, offerentes ei munera*. Reges in regione imperantes munera conferebant Salomoni (21), & Philiſtæi Regi Joſaphat (22). Apud Perſas nulla exigebantur vectigalia e ſubditis imperio gentibus, ante Regnum Darii filii Hyſtaſpis; tributorum enim loco erant munera, quæ Regi dabantur (23).

℣. 16. Qui fecit sibi gladium ancipitem. Fecit ſibi, vel conflari ſibi curavit; ſæpe enim factum a nobis aliquid dicitur, quod nobis fieri ab alio curamus. Porro turpe non erat ea ætate per ſe ea facere, quæ hodie per opifices nobis procuramus. Author Vulgatæ narrat, gladium vel pugionem vel enſem, uti appellat Hebræus, ancipitem fuiſſe, inſtructumque capulo palma manus oblongo: *Habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus*. Hebræus (24) fert tantum, enſi huic vel pugioni fuiſſe *duo ora* vel geminas acies, additque: *Cubitus longitudo ei*, vel palma manus, quæ menſura eſt quatuor digitorum pollicum. Certa ſignificatio Hebræi *Gomed* ignoratur; conſtat tamen, in lingua ſancta aliam eſſe vocem, qua ſignificetur cubitus, nullibi vero occurrere nomen *Gomed* pro menſura uſurpatum. Septuaginta legunt *Spithamam*, quæ menſura eſt duodecim digitorum, ſatis longa pro pugione.

Accinctus est eo subter sagum in dextro femore. *Sagum*, militaris veſtis. Septuaginta reddiderunt Hebręum *middo*, מתחת מדיו *manduam*, ὑπὸ τὸν μανδύαν, quæ & ipſa pariter eſt veſtis, Perſis in uſum

(1) Geneſ. XLVI. 21. (2) Vide Bonfr. hic. (3) 1. Reg. IX. 21. (4) Ita Jonath. Syr. Arab. Munſt. Montan. Pagn. Tigur. Vat. Piſc. Druſ. Rabb. alii plures. Joſeph. Antiq. Cleric. hic. (5) Malvenda. (6) Druſius. (7) Ἀνδρα ἀμφοτεροδέξιον. (8) Bonfr. Cornel. (9) Homer. Iliad. H.

Αὐτὰρ ἐγὼ εὖ οἶδα μαχάς τε, ἀνδροκτασίας τε,
Οἶδ' ἐπὶ δεξιά, οἶδ' ἐπ' ἀριστερὰ νωμῆσαι βῶν,

(10) Homer. Iliad. Φ.

. . . . ὁ δ' ἁμαρτῇ δούρασιν ἀμφὶς
Ἥρως Ἀστεροπαῖος, ἐπεὶ περιδέξιος ἦε.

(11) Ariſt. lib. 2. cap. 12. Politic. de Platone agens: Καὶ τὸν ἐν τοῖς πολεμικοῖς ἀσκεῖν, ὅπως ἀμφιδέξιος γίνηται κατὰ τὴν μελέτην. (12) Ethic. lib. 5. cap. 7. Φύσει γὰρ ἡ δεξιὰ κρείττων, καί τοι ἐνδέχεται πάντας ἀμφιδεξίους γίνεσθαι. (13) Γυνὴ ἀμφιδέξιος οὐ γίνεται. Hippocr. Aphor. 7. (14) Ἀμφιδέξιος γάρ εἰμι, καὶ οὐχ ἁμαρτάνω κόπτων. Vide Bonfr. hic. (15) Judic. XX. 16. *Septingenti erant viri fortiſſimi ita ſiniſtra, ut dextra præliantes; & ſic fundis lapides ad certum jacientes, ut capillum quoque poſſent percutere*. (16) 1. Par. XII. 2. (17) ℣. 16. & 21. infra. (18) Antiq. lib. 5. cap. 5. Τὴν χεῖρα τὴν ἀριστερὰν ἀμείνων, καὶ ἀπ' αὐτῆς τὴν πᾶσαν ἰσχὺν ἔχων. Gelen. ſic: *Utraque manu ex æquo promptus*. (19) 1. Reg. X. 27. (20) 1. Par. XVIII. 2. (21) 2. Par. IX. 24. (22) 2. Par. XVII. 11. Vide & Pſalm. LXVII. 30. & LXXI. 10. (23) Herodot. l. 3. c. 89. Ἐπὶ γὰρ Κύρου ἄρχοντος, καὶ αὖτις Καμβύσεω, ἦν κατεστηκὸς οὐδὲν φόρου πέρι, ἀλλὰ δῶρα ἀγίνεον. (24) חרב ולה שני פיות גמד ארכה S. Hieronymus legiſſe videtur gomer עומר, *pugillus*, *manipulus*, pro gomed גומד, *palmus*.

uſum belli familiaris (1). Quis tamen credat Aodum, ut Eglonem alloqueretur, militarem veſtem induiſſe? Nonne ſuſpicionem indidiſſet pravi cujus conſilii agitandi, idque ut exequeretur, opus illi fuiſſe cautionem hanc adhibere? Vox originalis ſignat veſtes ſolummodo, nec aliter ſane accipienda eſt.

Plus aliquid meretur id, quod additur hic in Scriptura, pugionem ſcilicet in dextero femore ſuccinxiſſe, id enim accurate animadvertere ideo cenſenda eſt, quod de more ad ſiniſtram enſis ſuſpenderetur, quæ gerendi id genus armorum ratio eſt pronior & conſueta. Dextera manus transferri ſolet ad lævam, ut enſis educatur, præſertim ſi ad femur pendens gladius conſtituatur, ex conſueto Hebræorum more (2). Veteres Europæ gentes, quæ Barbarorum nomine apud Romanos traducebantur, enſem in dextro femore geſtabant (3). Idem de Gallis tradit Diodorus Siculus libro v. & Strabo (4) de Germanis. Equites Romani enſem in dextro latere ſuſpendebant; pedites vero duplicem ferebant, alterum quidem longiorem ad ſiniſtram, breviorem alterum ad dexteram: brevior iſte menſuram palmarem non excedebat (5).

℣. 17. Crassus nimis. Hebræus איש בריח מאר *pinguis nimis*. Septuaginta: Ἀστεῖος σφόδρα, *Pulcher valde*, venuſtus; ubi Bonfrerius legendum putat ...., S. Auguſtinus in codicibus ſuis legebat (6): *Exilis nimis*; quod ille accipiendum merito credit per ironiam contrario ſenſu dictum.

℣. 18. Prosecutus est socios, qui cum eo venerant. Hebræus (7), Chaldæus & Septuaginta: *Dimiſit ferentes munera*. Venerat Aod cum comitatu eorum, qui tributa Regi ferebant: ille autem deſtinatus fuerat ceu turbæ illius princeps, ut omnium nomine oblata Regi exhiberet. Poſt debita urbanitatis officia comitatum omnem dimiſit, quin & ipſe pariter contulit ſeſe uſque Galgalam, ad locum, ubi Idola colebantur, & quaſi grave aliquid ab oraculo intellexiſſet, rediit ſtatim, ut Egloni renunciaret. Commode etiam Textus exponitur juxta aliam verſionem Hebræi ſequentis verſiculi, *Aod abſoluta oblatione munerum Egloni, dimiſit eos, qui ea tulerant* (8); *& cum regreſſus eſſet ex Idolis, quæ erant in Galgalis, dixit ad Regem: O Rex, arcanum habeo quod tibi revelem*. Aod facile ſedem habebat ſuam in Galgalis conſtitutam, unde paulo ante venerat: ſtatim igitur ac obtulit Regi tributa dimiſitque ſocios, admonuit Regem, habere ſe aliquid a Deo, vel a Diis, uti fert Hebræus, ſibi commiſſum, quod illi remotis arbitris revelaret; habere, inquam, aliquid commiſſum a Diis, idest, uti ego quidem arbitror, a *Peſilim*, vel Idolis exciſis, quæ colebantur in Galgalis.

Interpretum quidam (9) cenſent, *Peſilim*, de quibus hic, nihil fuiſſe aliud quam lapidicinas ſitas prope Galgalam; verum Septuaginta (10), Jonathan, aliique plures Interpretes acceperunt de Idolis ſculptis. Utitur eadem voce Scriptura, dum Idola fingi vetat (11). Opera facile Moabitarum conſecrata erant Idola illa, ut idem locus diuturna Arcæ Domini mora ſacer, ea profanatione violaretur; vel potius imagines erant ſuperſtitioſæ, Idolo Michæ, quod Iſraelitæ de rebus futuris conſuluerunt, perſimiles. Vide Judices xvii. 4. Conſtat autem ex Prophetis Oſee & Amos (12), Galgalam nunquam non fuiſſe locum Iſraelitis religioſum, & piis eorum peregrinationibus frequentatum. Ibi Iſraelitæ decem Tribuum colebant Idola; quod crimen graviſſimis verbis Prophetæ illis exprobrarunt. Euſebius (13), ætatis ſuæ teſtis, affirmat, Galgalam, quamvis deſerta ſqualeret, adhuc tamen ceu loci ſacri & venerabilis religionem apud gentes retinuiſſe.

℣. 19. Et ille imperavit silentium. Hebræus: ויאמר הס *Et dixit Eglon: Sile*. Tamdiu expecta, dum arbitri omnes removeantur, ut ſeorſum ab omnibus arcana tua exponas.

℣. 20. Sedebat autem in æstivo cænaculo. Hebræus (14): *Sedebat in ſuperiori cœnaculo refrigerii*. In ſuperiori ſcilicet domus parte verſabatur, in conclavi ad auram captandam. Quid eſſent cœnacula ad auras captandas parata, demonſtravimus in Diſſertatione de priſcis ædibus veterum Hebræorum. Cubiculi hujus æſtivi deſcriptiones habes apud Maillet in deſcript. Ægypti pag. 18. 19. Vide etiam Amos 3. 5. Reddi poſſe Textus videtur: *In aula Regia*, vel in qua conventus habebantur. Si ducas מקרה ex קרא vocare, *Mekerah* apertam habet affinitatem cum voce Latina *Camera*, & Græca Μέγαρον, ædificium.

Verbum Dei habeo ad te: qui statim surrexit. Hebræus דבר אלהים לי אליך *Res Dei mihi pro te, Rex*; grande aliquid & magni momenti: vel tantum: Habeo aliquid, quod tibi communicem Deorum nomine. Eo ſpectabat Aod, ut Eglonem ſurgere cogeret; ut via ad certum ictum pateret (15); vel forte habere ſe aliquid ex nomine Deorum revelandum admonuit, ut ad rem novam turbatus ſollicitudine Princeps, erectuſque in expectationem rei novæ, minus illud videret quod Aod ipſe moliebatur.

At num Aod citra mendacium hæc finxit? Virum ab omni mendacii culpa excuſantes S. Auguſtinus (16), & ex Patribus quidam, uſum illum dicunt calliditate quadam permiſſa, & ſtrategemate laudabili. Cenſet S. Auguſtinus, voce illa *verbum*, non verbum reipſa, ſed factum quoddam indicaſſe, cujus utique facti authorem habebat Deum, ut in hanc ſententiam loqueretur: Neci ego te juſſu Dei traditurus ſum. Ambigua quadam verborum circumlocutione uſum Aodum, decipiendi Eglonis cauſa, excuſari non poſſe a mendacio alii credunt; nec virorum ſanctorum geſta omnia a culpa purgare jubemur. Permittit ſæpe Deus, ut ſordem aliquam humanam vitæ illorum ſeries contrahat, in iis etiam, in quibus grande aliquid & heroicum moliuntur.

Statim surrexit de throno, ſignificatione obſequii, ob audiendas divinas juſſiones. Balacem Regem Moabitarum ſtare coram ſe jubebat Balaam; quamdiu Domini mandata referebat (17): *Sta Balac, & auſculta, audi fili Beor*. Moyſes & Joſue detractis calceis verba loquentis Dei audiunt (18). Dum recitatur Evangelium, ſtamus. In hiſtoria Romana legimus, eos, qui ad Cincinnatum Dictaturæ Magiſtratum detulere, nudum illum nactos admonuiſſe: *Vela corpus, ut proferam Senatus Populique Romani decreta* (19).

(1) Heſychius, Pollux & Suidas, &c. (2) Vide Pſalm. xliv. 4. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum*. Et Cantic. iii. 8. *Uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum*. Vide dicta ad Exod. xiii. 18. (3) Vide Lipſium in Tacit. (4) Strabo l. 4. μάχαιρα μακρὰ παρηρτημένη παρὰ τὸ δεξιὸν πλευρόν. (5) Joſeph. l. 3. c. 5. de Bello Jud. (6) Auguſt. quæſt. 21. in Joſue. (7) וישלח את העם נשאי המנחה (8) ℣. 19. והוא שב מן הפסלים אשר את הגלגל (9) Pagnin. Druſ. Vatab. Kimchi, Jun. Tremel. &c. (10) Καὶ ὑπέστρεψεν ἀπὸ τῶν γλυπτῶν μετὰ τῆς Γαλγάλ. (11) Vide Exod. xx. 4. Deut. vii. 5. 25. Judic. xviii. 14. Iſai. xlii. 8. & paſſim. (12) Oſee iv. 15. ix. 15. xii. 11. Amos iv. 4. 5. (13) Euſeb. locis Hebr. in Galgala. (14) והוא ישב בעלית המקרה אשר לו Septuag. ἐν τῷ ὑπερῴῳ τῷ θερινῷ. (15) Ita Joſeph. l. 5. c. 5. .... (16) Origen. homil. 4. Baſil. in Aſcetic. Anaſtaſ. Nicænus qu. 74. Aug. qu. 20. in Judic. Vide & Cornel. a Lapide ad ℣. 19. & Serar. qu. 3. (17) Num. xxiii. 18. (18) Exod. iii. 5. Joſue v. 16. (19) Vide Plin. xviii. c. 3. Perſ. Sat. 1. 8. *Unde Romæ, ſulcoque terens dentalia, Quinti, Quem trepida ante boves dictatorem induit uxor.*

℣. 22. Infixit in ventrem ejus tam valide, ut capulus ſequeretur ferrum. Ventris nomen uſurpant interdum Hebræi de corde, & partibus vitalibus, quidquid denique clauſum, tamquam in arca, continetur in alvo ſuperiori & inferiori. Hebræus ad literam (1): *Infixit eum* [gladium] *in ventrem, & rectum* [acies] *poſt flammam* [poſt cuſpidem]. Chaldæus (2): *Intravit haſtile poſt cuſpidem.*

Statimque per ſecreta naturæ alvi ſtercora proruperunt. Hebræum (3) *Parsedonah*, quod Author Vulgatæ reddidit hic *ſtercora*, nuſquam alibi in tota Scriptura recurrit, & forma eſt penitus irregularis, cum enim voces cæteræ Hebrææ nonniſi tres radicales literas contineant, hæc quinque complectitur. Nullo etiam ſatis apto argumento aſſerimus illi ea, quam in Vulgate præfert, ſignificatio; unica ferme Chaldæi authoritate fulcitur. Septuaginta (4), aliter ac Vulgata interpretati, reddunt: *Abiit in porticum*. Legerunt facile in Hebræo, *Proſtena*; uſi enim ſunt voce *Proſtada*, porticus, quæ cum illa plurimum habet affinitatis. Legi etiam poſſet in Hebræo *Periſtenæ*, quod forte poſitum eſt loco *Periſtylii*, quæ pariter voce porticus deſignatur. Si *Parſedonah* reddatur *ſtercora*, agnoſcenda eſt ſyntaxis irregularis in Textu; cum enim fœmineum ſit nomen, maſculino verbo reſpondet. Non immerito etiam reputamus, Gloſſam hanc eſſe ad illuſtrandum Textum ſuperadditam; una enim eademque res bis repetitur, ea phraſi quæ cum ſimplici narrandi genere, quo utitur Scriptura, minus cohærere videtur. [22] Aod ictum inflixit, *nec eduxit gladium e ventre, quo immerſus erat, ſtatimque egreſſus eſt in periſtylium.* [23] *Aod per veſtibulum egreſſus eſt, & clauſit diligentiſſime oſtia Cœnaculi, & obfirmavit ſera.* Cæterum non deſunt in Scriptura exempla vocum, quæ e Græco deductæ ſunt. Earum plures admiſerat vernaculus Chaldæorum & Syrorum ſermo circa tempus captivitatis Babylonicæ, & deinceps etiam plures in Textum Hebræum irrepſerunt. Quod hic legitur de excrementis per meatus naturæ egeſtis, in Textu non legitur: viſum eſt tamen hoc addere in verſione, ne cenſerentur per vulnus prorupiſſe, cujus hiatum adeps & infertus gladius claudebant. Si *periſtena*, porticus reddatur, difficultates omnes evaneſcunt.

℣. 23. Aod autem clauſis diligentiſſime oſtiis [℣. 24.] per poſticum egreſſus eſt. Loco *poſtici* Lyranus in Textu Vulgatæ legendum maluit *per porticum*. Hebræus (5): *Egreſſus eſt Aod per veſtibulum, & clauſit fores cœnaculi, ante eum* [ante Eglonem] *& ligavit illas, & egreſſus eſt.* Hebræum *Hammiſdronah* redditur veſtibulum, ex fide Chaldæi, vertentis אכסדרה *Exedra*, quæ Græca vox eſt, ſignificans porticum columnis & ſellis ornatam, ut olim mos erat præ foribus ædium virorum Principum. Eo conveniebant Reges & Viri a conſiliis, ut decernerent ac judicarent; Lege (6) deſcriptionem porticus Alcinoi Regis, & (7) porticus ædium Salomonis. Septuaginta (8): *Et tranſiit per medios obſervantes*; egreſſus eſt palam, non fugientis more, ne clam evadere tentaverit: exiit per veſtibulum, & per medios milites, qui præ foribus vigilabant. Scite animadvertit S. Auguſtinus (9), neglexiſſe Scripturam naturalem ordinem narrationis, cum prius per veſtibulum exiiſſe illum ferat, tum clauſiſſe fores conclavis; prius enim clauſerat fores, tum per porticum exiit.

Sed quomodo Aod conclavis hujus fores clauſit? Si obfirmavit ſera, cur clavem ſecum non abſtulit, vel ſaltem non occuluit, ne facile inveniretur? Nobis ea ſedet opinio, Aodum nulla clavi uſum fuiſſe in eam rem; olim enim claves uſui erant potiſſimum ad vincula quædam ſolvenda, quibus claudebantur fores & arcæ; ad claudendas vero fores & vincula illa neſtenda, clavium uſus erat nullus. Hinc Scriptura narrat ſolum: *Clauſit diligentiſſime oſtiis cœnaculi, ligavit ſeras.* Cum vero domeſtici Regis recludere fores voluiſſent, admovenda erat clavis, qua vincula reſolverentur. Seræ apud veteres Hebræos longe aliæ erant a noſtris: aliæ pariter & claves, multo enim craſſioribus utebantur, quas ſecum auferre, ſive occultare, incommodum accidiſſet Judici Hebræo: inſuper irrito labore id feciſſet, cum una eademque clavis variis januis recludendis apta eſſet, nec ſingulæ tunc pararentur ſingulis ſeris, uti noſtris moribus obtinet. Vide noſtram Diſſertationem de vetuſtis ædibus Hebræorum.

Gravior autem quæſtio ſuboritur, utrum ſcilicet Aod, nece illata Egloni, crimen omne vitaverit (10). Ille quidem tyrannus erat, & ut alieni juris uſurpator iniquus, premebat liberam nationem, quæ uni Deo obtemperabat. Religionem profitebatur aperte impiam, ejuſque pravum exemplum offendiculo eſſe poterat populo Domini, in cultum degenerem & ſuperſtitioſum. Ea impietate Princeps non aliter haberi poterat quam publicus hoſtis, in quem non publica tantum arma inferri poſſent, ſed privatorum ſingulis fas eſſet necem moliri, ut Rempublicam injuſta oppreſſione liberarent.

Sed hæ rationes axiomate ſunt apertiſſime falſa, pernicioſa, & peſſima, quibus extrema quæque in Rempublicam inducantur. Si populorum vexatio, ſi Religionis alterius profeſſio ſatis haberentur, ut crimen tentatæ in vitam Principum violentiæ excuſaretur, actum eſſet de eorum ſecuritate, præſertim cum privatorum judicio permittatur earum rerum examen, ac judicii executio. Ubinam gentium Reſpublica eſt, cujus regimen omnibus ſatisfaciat, in qua omnes populi eamdem cum Principe Religionem profiteantur? David, nemine ambigente, Rex erat Iſraelis, ex quo a Samuele juſſu Dei Regis unctionem accepit: quanta nihilo ſecius religione vitam & perſonam Saulis obſervavit, neglecta illius in ſe ſævitie, ac iniquiſſima perſecutione? Nonne idem parricidii & impietatis reum egit Amalecitam illum, qui manum inferre in Unctum Domini auſus, ea re tanquam inſigni aliquo facinore gloriabatur? Primorum ſeculorum Chriſtiani quanto obſequio & obedientia erga Paganos Principes oppreſſores ſuos atque inſectatores tenebantur? Principes, inquam, Paganos, moribus corruptiſſimos, & religionem apertiſſime impiam profitentes, quorum uſurpationem, & tyrannidem palam & in aperto omnes norant. An illi cæterorum defectiones ſecuti ſunt? an quidquam illis excidit ſeu verbo ſeu facto adverſus obſequium & obedientiam iis debitam, quibus Deus poteſtatis ſuæ aliquid communicaverat? Alte impreſſum animo gerebant dogma illud Apoſtoli (11), omnem ſcilicet poteſtatem Dei eſſe, & qui poteſtati a Deo conſtitutæ reſiſtit, *Dei ordinationi reſiſtere*. Ab hac doctrina nunquam receſſit Eccleſia, & in Concilio Conſtantienſi ſeſſione xv. propoſitionem hanc Joannis Hus anathemate confixit: *Quilibet tyrannus licite poteſt a quocumque ſubdito interfici.*

Quæ igitur ratio excuſandi factum Aodi? de quo tamen teſtatur Scriptura (12): *Suſcitavit eis Dominus Salvatorem, vocabulo Aod.* Hæc unica ſuccurrit ratio, qua amoveatur ab illo crimen parricidii. Deus vitæ hominum ſupremus arbiter, ſuo jure famulis ſuis necem hoſtium ſuorum imperare

(1) ויתקעה בבטנו ויבא גם הנצב אחר הלהב (2) ועאל אף דקתא בתר שננא (3) ויצא הפרשדנה. (4) Ἐξῆλθεν εἰς τὴν προστάδα. Aqu. [illegible]. Sym. τὰ [illegible]. (5) ויצא אהוד המסדרונה ויסגר דלתות העליה בעדו ונעל: ויצא (Chald.) בפרגודא והוא יצא (6) Homer. Odyſs. H. (7) 3. Reg. vii. 6. 7. (8) Ἐξῆλθεν Ἀὼδ [illegible] (9) Aug. q. 22. in Judic. (10) Vide Serar. hic. (11) Rom. xiii. 1. 2. (12) Judic. iii. 15.

perare poteſt. Porro Aod juſſione Numinis in Eglonem adminiſter & confector, ſingulari deſtinatione electus ut populo ſuo ſuccurreret, armis uti jure potuit in uſurpatorem, non privata quidem, ſed ſuprema & divina auctoritate inſtructus. Neque ſuo ille ductu in eam rem, ſed cœleſti agebatur; atque ita profecto agebatur, ut afflatus ille probandus fuerit, agnoſcendus admittenduſque a populo: quemadmodum & facinus illud approbatione populi ſaltem ſequuta factum, niſi potuit præcedenti, confirmandum fuit. Alioqui enim ſi fanatico cuique id ſemel detur, ut manus inferat in eos, quos Deus Principes nobis conſtituit, ſtatim ac in mentem induxerit, Divino ſe ſpiritu cieri, quantum malorum in Principes & in populos non inducatur? Itaque facinus illud Aodi, quamquam crimine penitus vacat, cum ex Dei juſſione commiſſum abunde excuſetur, adhuc tamen ſeu in conſequutionem deduci ſeu imitatione referri non decet. In cenſu eſt earum rerum, quæ cum a vulgaribus & communibus excedant, nec in legem nec in exemplum venire poſſunt.

℣. 24. Forsitan purgat alvum. Hebræus ad literam (1): *Tegit, vel tegit pedes ſuos*; qua verborum ambage res exprimitur, quam apertis verbis revelare ingenui hominis non eſſet.

Veteres, apud quos femoralium nullus erat uſus, cum naturæ indigentiæ ſatisfacerent, veſtibus ad terram uſque demiſſis ſe undique contegebant. Linguæ ſanctæ ſtylo, *pedes* appellantur ea quæ nomine exprimere pudor vetat: *aqua pedum* eſt urina. Joſephus (2) de Eſſenis ſcribit, die Sabbati non audere illos neceſſitati naturæ ſatisfacere; reliquis vero diebus ſeorſum in loca ſecreta divertentes, foſſam pede altam excavare inſtrumento, quod paratum ſemper apud ſe gerunt; tum demittentes ſeſe, ac undique ſeſe veſtibus contegentes, quaſi vereantur ne radiam lucem ſolis violent, alvum levare, ſtatimque foſſam replere reducta, quam effoderant, humo: eaque licet naturali re perfunctos, luſtrationem tamen, tanquam maculam eluturos, adhibere.

In æstivo cubiculo. Hebræus בחדר המקרה *In conclavi, ſeu in penetrali æſtivi conclavis*; vel in penitiori conclavi aulæ proximo. Septuaginta: Ἐν τῷ ἀποχωρήσει τοῦ κοιτῶνος; *In receſſu lecti*, in conclavi ubi cubatur. Syriacus: *Fortaſſis ad latrinam abivit per conclave cœnaculi*. Arabs: *Forſan egreſſus eſt ad latrinam, per januam interiorem*, vel ſecretam. Recepiſſe ſe Regem credebant in proximum aulæ penetrale.

℣. 25. Expectantes diu donec erubescerent. Septuaginta (3) & Interpretum plures Hebræum in eumdem ſenſum reddiderunt (4): ſed uſurpatur etiam interdum pro tardare, differre; merito reddi etiam poſſet: *Expectantes uſque ad differendum*; ideſt, diutius expectantes (5). Voces originales innuere videntur potiſſimum probrum negati ingreſſus, vel pudorem ſpei fruſtratæ. Familiares Eglonis tamdiu expectarunt, donec ulterioris moræ impatientes, nec ſperantes tandem reclusum iri fores, & expectatione ſua confuſi, expectatione, inquam, qua ſibi tamdiu blanditi fuerant, futurum ut Rex denique fores recluderet, clavem ipſi demum accepere, ſolutiſque vinculis, vectes ſeu peſſulum januæ alligantibus, fores recluſerunt.

℣. 26. Dum illi turbarentur. Hebræus עד התמהמהם *Dum illi differrent*. Satis ſpatii nactus eſt Aod, ut evaderet e diſcrimine, cum interim familiares Eglonis ante fores Regis præſtolabantur, vel pulſantes aperiri ſibi a Rege poſtulabant.

Venitque in Seirath. וימלט השעירתה Urbis hujus ſitus ignoratur. Euſebius & S. Hieronymus in Locis, ad *Seira*, animadvertunt, Joſue cepiſſe Urbem Seirath: ſed nihil tale nec in Hebræo, nec in Septuaginta legitur. Nota eſt ciſterna *Sira*, quo ex loco Joab Abnerum in Hebronem revocavit (6); & Urbs ejuſdem nominis, ubi Rex Joram improviſo adortus Idumæos vicit fugavitque (7): ſed utriuſque nomen aliter ac *Seirath* hujus loci ſcribitur. Ceterum autem nemo locorum peritus reputaverit, Aodum ſeſe recepiſſe in montes *Seirath* circa Idumæam; fugit enim ad montes Ephraim. Jacebat igitur Seirath ad ſeptentrionem agri Jerichuntini, montes Ephraim verſus. Viri quidam docti (8) putavere, Seirath ipſam eſſe provinciam *Syriada*, ubi, teſte Joſepho (9), viſebantur columnæ inſcriptæ characteribus, jam inde ante diluvium erectæ. Suſpicantur autem, eum Hiſtoricum accepiſſe *Peſilim* vel cælaturas, prope Galgalam, pro vetuſtis inſcriptionibus; eamdemque regionem olim appellatam fuiſſe *Syriath* vel *Syriada*. Vide quæ in eam rem diſſeruimus in Commentario in Geneſim vi. 23.

℣. 29. Omnes robustos et fortes viros. Hebræus ad literam (10): *Omnem adipem, & omnem virum virtutis*, vel locupletem; quidquid erat virorum locupletiſſimorum & robuſtorum inter Moabitas. Adeps enim uſurpatur pro delectu rerum omnium, & pro eo quod eſt optimum. In Pſalmis (11) *pingues terræ* ſunt divites, potentes, fortes.

℣. 30. Quievit terra octoginta annis, exordio ducto ab obitu Othonielis, aduſque deceſſum Aodi. Vide quæ diſſeruimus ad ℣. 11.

℣. 31. Post hunc fuit Samgar filius Anath. Veteres quidam (12) Samgar e cenſu Judicum Iſraelis expunxerunt, rati fortaſſe, vixiſſe illum, cum rerum potirentur Aod vel Barac; vel imperium breve adeo tenuiſſe, ut ejus nomen inter cæteros Judices Iſraelis adſcribendum non ſit. Nec ſane abs re erit animadvertere, nuſpiam in Scriptura legi, virum illum Judicem extitiſſe Iſraelis, nec regiminis illius annos exprimi; ac tandem in ℣. 1. ſequentis capitis, veluti ſi inter Aodum & Baracum nullus interceſſerit Judex alius, affirmat, Iſraelitas poſt deceſſum Aodi fræna iterum vitiis laxaſſe. Denique in capite v. 6. ita agitur de ætate Samgar, uti de ætate Jahelis, ideſt, tamquam privati alicujus viri, qui inſigni quopiam facinore hic narrato claruerit; quemadmodum inſigni eo facinore interfecti Siſaræ Jahel inclaruit.

Major tamen Recentiorum pars, cum veteribus ſane multis (13), Samgar inter cæteros Judices recenſent. In hanc ſententiam ita inclinat nos Scripturæ hujus loci Textus, ut opinandi oppoſitum poteſtatem nullam relinquat. *Poſt Aodum fuit Samgar, qui defendit*, vel juxta Hebræum (14), *ſervavit Iſrael*. Plenam ille quidem libertatem populo non contulit: ſatis eſt tamen, ſi præſidium aliquod ad tempus contulerit, & hoſtium ſaltem quorumdam moleſtiam ſubmoverit.

Vomere, vel juxta alios, *bovis ſtimulo* (15). Agricolam facile agebat Samgar, qui cum manu ſuo-

---

(1) [illegible] מסיך הוא את רגליו Septuag. Rom. [illegible] (2) Joſeph. lib. 2. de Bello c. 12. (3) ויחילו עד בוש Septuag. [illegible] (4) Vide Exod. xxxii. 1. *Vidit populus quod tardaret Moyſes*. Hebr. כי בשש משה (5) Chald. Syr. Arab. Pagnin. Vatab. Vide 3. Reg. ii. 17. (6) 2. Reg. iii. 26. מבור הסירה (7) 4. Reg. viii. 21. ויעבור צעירה (8) Voſſius, Huetius, Valeſius. (9) Joſeph. Antiq. l. 1. c. 3. (10) כל שמן וכל איש חיל (11) Pſalm. xxi. 30. & lxxvii. 31. *Et occidit pingues eorum*, &c. (12) Clemens Alexand. lib. 1. Strom. Euſeb. in Chronic. Beda, Iſidor. Vide Genebr. Chronic. & Serar. & Bonfr. hic. (13) Origen. homil. 4. Joſephus l. 5. c. 5. Aug. qu. 25: Rabb. &c. (14) ויושע גם הוא את ישראל (15) במלמד הבקר *Stimulus bovis*; ita Jonat. Syr. Pagn. Jun. Septuag. [illegible] Aug. qu. 26. in Judic. *Præter vitulos boum*. Septuag. Rom. [illegible] Legit מלבד *Milbad*, pro מלמד.

ſporum reſtitit Philiſtæis, per regionem ad prædam palantibus. Quod autem hic narratur, fregiſſe illum hoſtes agricolæ inſtrumento pro armis adhibito, indicat, ſubita potius rixa quam præſilio hoſtes cecidiſſe. Affirmat Maundrellus, agricolas in Palæſtina ſtimulo longe alio, quam noſtri utantur, boves urgere, haſta ſcilicet lignea octo pedibus oblonga, & altera quidem parte craſſitie octo pollicum in circuitum, altera in acutum cuſpidem deſinente: ubi vero ea craſſior eſt, aduncum, validum, compactumque bipalium habet, quo vomer humo purgatur. Perſimili forte ſtimulo Samgar palantem Philiſtæorum manum adortus eſt.

C A P U T IV.

Jabin ſubmittit Iſraelitas. Copiarum ejus ducem Siſaram Debora & Barac fundunt. Jahel uxor Haber Cinæi Siſaram, qui apud ſe diverterat, interficit.

℣. 1. ADdideruntque filii Iſrael facere malum in conſpectu Domini poſt mortem Aod. 2. Et tradidit illos Dominus in manus Jabin regis Chanaan, qui regnavit in Aſor: habuitque ducem exercitus ſui nomine Siſaram, ipſe autem habitabat in Haſoreth gentium. 3. Clamaveruntque filii Iſrael ad Dominum; nongentos enim habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppreſſerat eos. 4. Erat autem Debora propheteſſa axor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore. 5. Et ſedebat ſub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama, & Bethel, in monte Ephraim: aſcendebantque ad eam filii Iſrael in omne judicium. 6. Quæ miſit, & vocavit Barac filium Abinoem de Cedes Nephtali: dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Iſrael, vade, & duc exercitum in montem Thabor, tolleſque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephtali, & de filiis Zabulon: 7. Ego autem adducam ad te in loco torrentis Ciſon, Siſaram principem exercitus Jabin, & currus ejus, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua. 8. Dixitque ad eam Barac: Si venis mecum, vadam: ſi nolueris venire mecum, non pergam. 9. Quæ dixit ad eum: Ibo quidem tecum, ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara. Surrexit itaque Debora, & perrexit cum Barac in Cedes. 10. Qui, accitis Zabulon, & Nephtali, aſcendit cum decem millibus pugnatorum habens Deboram in comitatu ſuo. 11. Haber autem Cinæus receſſerat quondam a cæteris Cinæis fratribus ſuis filiis Hobab, cognati Moyſi: & tetenderat tabernacula uſque ad vallem, quæ vocatur Sennim, & erat juxta Cedes. 12. Nuntiatumque eſt Siſaræ, quod aſcendiſſet Barac filius Abinoem in montem Thabor: 13. Et congregavit nongentos falcatos currus, & omnem exercitum de Haſoreth gentium ad torrentem Ciſon. 14. Dixitque Debora ad Barac: Surge, hæc eſt enim dies, in qua tradidit Dominus Siſaram in manus tuas; en ipſe ductor eſt tuus. Deſcendit itaque Barac de monte Thabor, & decem millia pugnatorum cum eo. 15. Perterruitque Dominus Siſaram, & omnes currus ejus, univerſamque multitudinem in ore gladii, ad conſpectum Barac, in tantum, ut Siſara de curru deſiliens pedibus fugeret, 16. Et Barac perſequeretur fugientes currus, & exercitum, uſque ad Haroſeth gentium, & omnis hoſtium multitudo uſque ad internecionem caderet. 17. Siſara autem fugiens pervenit ad tentorium Jahel uxoris Haber Cinæi: erat enim pax inter Jabin regem Azor, & domum Haber Cinæi. 18. Egreſſa igitur Jahel in occurſum Siſaræ, dixit ad eum; intra ad me, domine mi: intra, ne timeas. Qui ingreſſus tabernaculum ejus, & opertus ab ea pallio, 19. Dixit ad eam: Da mihi, obſecro, paululum aquæ, quia ſitio valde. Quæ aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum. 20. Dixitque Siſara ad eam: Sta ante oſtium tabernaculi: & cum venerit aliquis interrogans te, & dicens: Numquid hic eſt aliquis? Reſpondebis: Nullus eſt. 21. Tulit itaque Jahel uxor Haber clavum tabernaculi, aſſumens pariter & malleum: & ingreſſa abſcondite, & cum ſilentio, poſuit ſupra tempus capitis ejus clavum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum uſque ad terram: qui ſoporem morti conſocians defecit, & mortuus eſt. 22. Et ecce Barac ſequens Siſaram veniebat: egreſſaque Jahel in occurſum ejus, dixit ei: Veni, & oſtendam tibi virum, quem quæris. Qui cum intraſſet ad eam, vidit Siſaram jacentem mortuum, & clavum infixum in tempore ejus. 23. Humiliavit ergo Deus in die illo Jabin regem Chanaan coram filiis Iſrael: 24. Qui creſcebant quotidie, & forti manu opprimebant Jabin regem Chanaan, donec delerent eum.

℣. 1. POST MORTEM AOD, & rerum potiente Samgar, qui imperium habuit non diuturnum, & authoritatem intra limites ſatis anguſtos definitam, non enim facile ultra Tribus Juda, Dan, & Simeonis, Philiſtæis vicinas, ferebatur. In capite ſequenti ℣. 6. 7. affirmat Debora, ſub eo Judice regionem vexatam fuiſſe, relicto viarum commeatu, cum nemo auderet niſi per ſecretos calles incedere, ne in latronum & hoſtium manus incideret. Virtutis ſuæ ſpecimen unicum exhibuit Samgar in manum quamdam Philiſtæorum, nec auſus eſt prælium inire cum Chananæis, Iſraelem trans torrentem Ciſon opprimentibus. Quare nihil mirum, ſi Princeps debili adeo imperio & authoritate præditus, nec vitium, nec ſuperſtitionem Iſraelitarum coercere potuit, præſertim in locis extra ditionem ſuam poſitis.

℣. TRADIDIT ILLOS IN MANUS JABIN REGIS CHANAAN, QUI REGNAVIT IN ASOR. Ex hiſtoria narrata in Joſue xi. 8, 10. didicimus, Jabin quemdam, Regem Aſor, victum fuiſſe, & neci traditum a Joſue, cujus urbs armis victoris everſa in cineres tandem redacta eſt, Ex poſteris illius Jabin hunc conſtituamus oportet, vel ſaltem aliquem reputemus e ſucceſſoribus alterius Regis ejuſdem nominis, qui collectis reliquiis copiarum ac ſubditarum Jabin gentium, urbe Aſor reſtituta, tam valide ibi ſe munierit, ut tandem victores Iſraelitas ſub jugum reducere, ditionemque illorum ſubmittere potuerit. Imperaſſe illum credo tantum Tribubus Nephtali, Zabulonis, & Iſſachari. Eodem ſimul tempore Debora judicabat in Ephraim, & Samgar in Juda, non prohibentibus Chananæis. Cujus potentiæ eſſet Jabin, infra patebit.

SISARAM; IPSE AUTEM HABITABAT IN HAROSETH GENTIUM. Ex ambiguis verbis Textus non ſatis intelligimus, uter eorum, Jabin ne an Siſara habitaret in Haroſeth Gentium. Docti plures Commentariorum Scriptores (1) cenſent, Jabin in Aſor minime regnaſſe; urbem illam everſam ſemel a Joſue, e ruinis ſuis nunquam caput extuliſſe; cum autem ℣. 2. legitur, Jabin in Aſor regnaſſe, hoc de illius majoribus accipiendum eſſe: regnum ibi tenuiſſe non ipſum per ſe quidem, ſed ut illum qui alterius Jabin præteriti perſonam exhiberet: denique nomen Aſor poſitum credunt pro agro & ditione ejuſdem urbis. Sed docti alii Interpretes (2) regnaſſe Jabin in Aſor, & Siſaram copiarum ipſius Imperatorem in Haroſeth Gentium habitaſſe credunt. Cui poſteriori ſententiæ favet plurimum verſiculus 13. ferens, Siſaram coegiſſe currus ſuos & milites ex Haroſeth Gentium, circa torrentem Ciſon; omnem belli apparatum ex ea urbe tranſtuliſſe ad eum torrentem, ad quem caſtra Baraci conſederant. Haroſeth Gentium conſtituendam cenſemus ad extremam oram ſeptemtrionalem Lacus Semechon.

Pro *Haroſeth Gentium*, Paganorum ſcilicet, vel Nationum, vertunt quidam (3): *In nemus gentium*; ibi enim conſitum fuiſſe lucum cenſent, quo fugerint Chananæi, cæſo Jabin, & Aſor everſa, atque ubi everſæ urbis reliquiæ collectas fuerint. Sed communis opinio fert, *Haroſeth* nomen eſſe urbis, non procul ab Aſor, cum eo convenerint currus & copiæ Jabin. Nomen *Haroſeth* derivandum cenſet Bonfrerius ex Hebræa voce, quæ ſonat officinam, quaſi urbs eſſet veluti commune regionis armamentarium, & ubi currus & arma Chananæorum fabricarentur. Idcirco autem *Haroſeth Gentium* הרשת הגוים dicta eſt, ſive quod incolis eſſet frequentiſſima, ſive quod collectas plurimas gentes contineret, ſive tandem quod ſedes eſſet Chananæorum & gentium Paganarum, ſive tandem quod in ditione Galilææ Gentium jaceret.

℣. 3. NONGENTOS FALCATOS CURRUS. Hebræus: *Nongentos ferreos currus*. Vide noſtram Diſſertationem de re militari Hebræorum, Libro Eſther præfixam.

℣. 4. DEBORA PROPHETIS, UXOR LAPIDOTH. Nomen *Debora* (4) ſonat *Apis*, & Lapidoth *Lampades*. Mos erat Hebræorum indere pueris nomina brutorum: ita *Rachel* eſt ovis, *Haſida* ciconia, *Nobeſta* coluber fœmina, *Caleb* canis, *Sephora* avis. Neque ab hoc more hodie pariter novi orbis incolæ receſſerunt. Ex nomine *Lapidoth*, quod lampades ſonat, variæ variorum conjecturę natæ ſunt, qui Lapidoth Deboræ virum conſtituant; quæ communior eſt opinio. Malunt alii, nomen id eſſe patriæ vel loci, ubi mulier hæc Prophetis habitabat; nec defuerunt qui cognomen *lampadum* ſuperadditum mulieri credant (5), quod ellychnia in uſum Candelabri Tabernaculi pararet. Hæc utique nonniſi Rabbinicis mentibus ſuccurrere potuerunt.

Debora Prophetidem agebat; quod minime rarum eſt in fœminis. Propheticæ ejuſdem dotis honore donatæ ſunt Maria ſoror Moyſis, Anna mater Samuelis, Holda, de qua in Libris Regum, Virgo ſanctiſſima, S. Eliſabeth, Anna vidua Phanuelis, Filiæ S. Philippi Diaconi, & alię quædam. Apud Paganos Prophetides viros Prophetas numero ſuperarunt. Celebre eſt inter illos nomen Sybillarum & mulierum ſacerdotio Apollinis fungentium. Dæmon, utique ſolus Author ſpiritus Prophetici apud Paganos, nactus videtur in ingenio debilioris ſexus plus habitudinis quam in mente virorum, quibus fallacias ſuas imprimeret: vividior ſexui huic eſt phantaſia, facilior intelligendi vis, & exprimendi ratio liberior. Avertat nos tamen Deus ab ea mente, ut inſtituta comparatione conferamus ſinceram Prophetiam mulierum ſanctiſſimarum utriuſque Teſtamenti cum illuſionibus & præſtigiis, quibus Spiritus pravus ſefellit incautas mulieres, quæ Prophetidem egerunt apud Paganos.

S. Ambroſius (6) Deboram hanc viduam fuiſſe credit, & matrem Baraci; S. Hieronymus (7) utrumque vel negat, vel ſaltem incertiſſimum eſſe affirmat: alii Deboram uxorem Lapidoth conſtituunt, quamquam diſcretis ſedibus, cum Prophetiæ ſanctitas, ut ſimul vir cum uxore jungerentur, non permitteret. Non deſunt (8) qui Barac & Lapidoth duo ejuſdam viri nomina credant. Hæc omnia nullis idoneis argumentis probantur. Docet Textus, Deboram uxorem fuiſſe Lapidoth: nihil ultra quærendum eſt.

QUÆ JUDICABAT POPULUM. Recentiores quidam Interpretes (9) cenſent, nomen Judicis hic minus late patere, quam cum traditur viris, ſpeciali Numinis deſtinatione electis, ut libertatem populo ſuo vindicarent. Munus Deboræ potiſſimum, ac forte unicum illud erat, ut diſſidentes inter ſe Hebræos conciliaret, latentia Dei conſilia panderet, monita daret hominibus, futura & occulta doceret: quæ omnia cum dote prophetiæ congruunt. Illam libenter conveniebant Hebræi, ſponte in illam judicia de rebus ſuis rejicientes, quod noſſent illi inſidere Divinum Spiritum & Sapientiam. Sed reſponſa ejus & judicia minorem utique habebant vim, quam ſententiæ prolatæ in judiciis publica authoritate conſtitutis, quibus vis erat condendi leges, & regulas in re forenſi conſtituendi. Acceptio populi ſponte ſe illi ſubmittentis, judiciis Deboræ authoritatem

unicn

(1) Theodoret. qu. xi. Druſ. Vatab. Jun. & Tremel. (2) Serar. Druſ. Bonfr. Cornel. (3) Rabb. apud Monſt. Vatabl. & 70. Codic. Reg. & Baſil. ad ℣. 16. ἕως δρυμοῦ τῶν ἐθνῶν. (4) ודבורה אשה נביאה אשת לפידות (5) Rabb. Salom. & David, in Lyr. & Serar. (6) Ambroſ. lib. de viduis. (7) Hieron. Ep. ad Furiam. (8) Rabb. David, Hugo a S. Victore, & alii plures. (9) Toſt. Geneb. Cajet. Serar. Cornel. alii.

unice conciliabat. Generalis ea regula penes omnes Hebræos conſtituta eſt, fœminas nec judicium agere, nec imperium in Iſraele. Athalia quidem ſpatio aliquo temporis clavum Regni Juda moderata eſt: ejus tamen regimen invaſio potius & tyrannica uſurpatio, quam juſtum imperium, reputandum eſt. Jus Romanum tum Orientale tum occidentale fœminas ab jure dicundo excludit.

Sed Textus Scripturæ, & Patrum unanimis conſenſus (1) eo nos ducunt, ut Deboræ tribuamus dignitatem Judicis Iſraelis, ſuis omnibus numeris abſolutam. Perſuaſum habemus, poſt relatam de Siſara victoriam, fœminam illam in ſuo munere, uti prius, perſeveraſſe; Iſraelitas ſemper illam tamquam ſpiritu Dei afflatam conſuluiſſe, & ejus judicio res graves detuliſſe. Diviſum cum illa judicandi munus & ſupremum imperium habebat Barac: ſed ditio ejus latius non porrigebatur facile quam ſuper Tribus, quas ab oppreſſione idem erexerat.

℣. 5. Sedebat sub palma, quæ nomine illius vocabatur; תחת תמר דבורה *ſub palma Deboræ*. Palma erat inter Ramam & Bethel, in montibus Ephraim, & in finibus geminæ Tribus Beniamini & Ephraimi. In eas Tribus potiſſimum authoritatem ſuam exercebat, & ex utraque ditione Iſraelitæ fœminam conſulturi veniebant. Bethel locus erat in ſolo Ephraimi, & Rama Beniamini. Palma autem Deboræ non unica forte arbor fuit, ſed plures in eodem loco. Hebræa vox reddi poteſt *Palmetum*. Cæterum ſcimus, ex unica palmæ arbore plures circum ſuccreſcere, quas ipſa per ſe arbor mater gignit, ſibique exiguum lucum, licet unica, parat (a). *Procerioribus* (palmis) *ſylva arbore ex ipſa, filiorum aculeo fruticante circa totas pectinatim.*

℣. 6. Vocavit Barac filium Abinoem, de Cedes Nephtali. De Baraco varias variorum conjecturas ſupra retulimus. Vir erat e Tribu Nephtali, ſedem habens in Cedes vel Cades, quæ Cedes Nephtali idcirco appellari ſolet, ut diſtinguatur a cæteris alibi urbibus ejuſdem nominis.

In monte Thabor. Celebris hic mons ſurgebat in ditione Zabulonis, ſeu potius in finibus duarum Tribuum, Zabulonis & Iſſachari. Occurrit Urbs Thabor (3) in cenſu Urbium Iſſachari, ſita vel ad radices vel in cacumine Thaboris: tribuitur Tribui Zabulonis, & inter Leviticas adſcribitur (4). Euſebius & S. Hieronymus montem Thaborem conſtituunt in campo x. m. paſſibus a Diocæſarea, orientem verſus. Affirmat Joſephus (5), montem hunc, quem *Itaburium* appellat, æqua ſpatii menſura a magno Campo & Scythopoli abſuiſſe. Tandem Euſebius & S. Hieronymus agentes de Nazareth, urbem hanc collocant prope montem Thaborem x. m. paſſibus a *Legione*, orientem verſus. Hæc tantum de ſitu Thaboris comperta ſunt.

Montem hunc celſo vertice ſurgere ferunt (6), in medio vaſti agri, figura ad circinum rotunda. Triginta altitudinis ſtadia (amplius ter mille paſſus, ſive leucam horariam ampliſſimam) vindicat illi Joſephus (7); & aſcenſum ejus ultra quindecim ſtadia dimetitur Polybius (8). Inacceſſus eſt a ſeptemtrione, ſummoque in vertice area porrigitur xxvi. ſtadiis, ideſt amplius ter mille paſſibus, patens. Spatium illud tutum erat olim additis propugnaculis: quin & urbem ibi conſediſſe, ex Polybio conſtat. Eum verticem occupavit Antiochus, ratus aptiſſimum eſſe copiis ſuis vallum, unde ad expeditiones in regionem ſubjectam mitterentur. Aream illam munimentis firmavit Joſephus Hiſtoricus (9), vel ſaltem vetera propugnacula reſtituit; & Veſpaſianus Gamalam obſidens, miſit Placidum, unum ex Ducibus copiarum ſuarum, ut eo ſe conferens occupantes locum illum hoſtes depelleret. Hiſce omnibus demonſtratur, quam opportune Barac cum agmine decem millium montis Thaboris perfugium quæſiverit.

Veteri traditione receptum tenetur, in monte Thabore Jeſum Chriſtum transfiguratam corporis ſui formam ſpectantibus tribus Diſcipulis exhibuiſſe. Nomen quidem hujus montis ſilet Evangelium (10); ſed veterum Patrum (11) una & Interpretum recentiorum ſententia id geſtum eſſe in monte Thabore docet. Ambigua ſunt tamen quædam, alibi perpendenda. Singularis hæc montis dignitas recentiorum Itinerantium oculos in ſe convertit (12): nec aliter Thaborem deſcribunt, quam inter cæteros per orbem montes amœniſſimum & lætiſſimum. Solitarius in medio vaſti agri ſurgit, rudera ſervans ejus, quam olim habuerat, civitatis (13). Urbs erat illa Epiſcopalis, quo tempore Cruce ſignati regionem tenebant, & per eam ætatem Monaſterium ibi Benedictinorum excitatum fuit: hodie penitus deſerta jacet.

Duc exercitum. Hebræus משכת בהר תבור *Trahe in montem Thabor, & capies tecum decem millia virorum*. Hebræorum ſermone *trahere* ſæpe valet *ducere*. In ſequenti verſiculo *tracturum* ſe ſpondet Deus *Siſaram* ad torrentem Ciſon. Sponſa in Cant. 1. 4. ita Sponſum affatur: *Trahe me poſt te*, deduc me, *in odorem unguentorum tuorum curremus*.

℣. 7. Adducam ad te in loco Torrentis Cison, Sisaram. Torrens Ciſon agrum amœniſſimum ad meridiem montis Thabor perluit: ibi Siſara copias omnes ſuas, & currus explicavit. Barac e ſuperiori monte per ſaxa, & dumeta præceps cum agmine decem millium in illum ruit, uti in ſequenti Capite narratum eſt, ℣. 15. *Qui quaſi in præceps ac baratrum ſe diſcriminis dedit.*

℣. 8. Si nolueris venire mecum, non pergam. Reum ne criminis conſtituit ſe Barac, parere recuſans mandatis Dei a Debora expoſitis? Numquid non tentare Deum videtur, poſtulans, ut Debora comes accedat in ea expeditione, velut pignus acceptæ a Deo promiſſionis? Nonne tandem diffidentis animi apertum exhibuit argumentum, quaſi ſcilicet ea, quam Deus ſpondebat, victoria non ab omnipotentis virtute, ſed a prudentia, & induſtria ejus fœminæ petenda eſſet? Quod tandem Debora Baraco denunciavit, futurum ſcilicet, ut victoria non ipſi, ſed fœminæ imputaretur, nonne argumento eſt apertiſſimo, ſeſe minus recte ea in re Baracum geſtiſſe?

Reſpondemus, fidem hujus Judicis Iſraelis commendaſſe Apoſtolum (14), nec diffidentiæ nota aliqua in Scriptura illum inuri; quare omnis ab eo culpa amovenda eſt, ejuſque ad Deboram verba prudentis hominis, non diffidentis eſſe dicendum eſt. Eo ſpectabat, ut fœminam illam vatem haberet expeditionis ſociam, quo pleniori fide juſſiones Domini explere poſſet, ac populo perſuadere, non privato conſilio ſe, præter omnes humanæ prudentiæ leges, tantum iniviſſe diſcriminis.

Se-

(1) Vide Clem. Alexand. Strom. Ambroſ. lib. de Viduis; Hieronym. ad Furiam, & alios apud Natal. Alex. Diſſert. 18. de Debora. (2) Plin. lib. xiii. c. 4. (3) Joſue xix. 22. (4) 1. Par. vi. 77. (5) Joſeph. l. 4. de Bello c. x. (6) Hieronym. in Oſee v. 1. & in locis. (7) Joſeph. loc. cit. (8) Polyb. l. 5. c. 70. [illegible], ὃ κεῖται ἐπὶ λόφῳ μαστοειδεῖ, τὴν δὲ πρόσβασιν ἔχει πλειόνων ἢ πεντεκαίδεκα σταδίων. Χρησάμενος δὲ κατὰ τὴν νύκτα τούτῳ ἐνέδρᾳ καὶ στρατηγήματι, κατέσχε τὴν πόλιν. (9) Joſeph. in vita ſua. (10) Matt. xvii. 1. Marc. 12. 1. Luc. ix. 28. 29. (11) Hieronym. Epiſt. ad Marcell. Et in Epitaphio Paulæ; Cyrill. Beda, &c. (12) Vide Adrichom. & Bonfr. hic; & Cotovic. & Radizvill. (13) Doubdan, Voyage de la Terre Sainte, chap. 58. Et Maundrel, Voyage de Jeruſalem. (14) Heb. 11. 32.

Septuaginta in Editionibus Romana & Baſileenſi (1), ac vetus Vulgata apud S. Auguſtinum (2) & S. Ambroſium (3), addunt hic aliquid, quod excuſando Baraco magis magiſque confert: *Si iveris mecum, ibo; & ſi non iveris, non ibo; quoniam neſcio diem, in qua diriget Dominus Angelum ſuum mecum.* Veluti ſi diceret: Libenti animo ac ſine examine aggrederer executionem juſſionum tuarum, ſi noſſem quo temporis articulo prælium ineundum eſſet cum hoſtibus: ſed cum nihil ea de re docueris, id ſaltem mihi indulgeas volo, ut mecum venias, quo accuratius juſſionem omnem Domini exponas, & tempus rei gerendæ indices.

℣. 9. Sed in hac vice victoria non reputabitur tibi. Hebræus (4): *Veruntamen non erit decor tuus ſuper via, qua tu ambulas.* Expeditionis a te ſuſceptæ honorem non referes: feliciter abſolvetur, ſed ejus abſolutæ gloriam ſibi fœmina vindicabit. Eſt autem mulier hæc Jahel, juxta nonnullos; & Debora, juxta alios. Jahel Ducem armorum Jabin, Siſaram interfecit; Debora vero expeditionem hanc omnem veluti direxit. Gloriam tamen confectæ rei Jaheli tribuere Textus videtur: *Victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara.*

Perrexit cum Barac in Cades. Ad eam urbem imperatæ fuerant copiæ Iſraelitarum e Tribubus Zabulonis & Nephtali collectæ: ibi vero deliberandum erat de jugo Regis Aſor excutiendo. E Cedes Barac & Debora recta ad montem Thaborem cum agmine decem millium profecti, in vertice ejus montis, atque in poſita ibi urbe Thabore conſtitere. Clam hæc omnia perfici non poterant, inſcio Jabin: quare ille miſit actutum Siſaram, ut caſtrametatos in monte hoſtes obſidione ſtringeret; alias ſimul copias in loca proxima Tenae & Merom miſit, quæ vada Ciſon occuparent. Vide Caput v. 18.

℣. 11. Haber Cinæus receſſerat quondam a cæteris Cinæis, Haber iſte ſeceſſionem a reliquis Cinæis feciſſe videtur, quo tempore illi regionem ſuam deſeruerunt, ad occidentem maris mortui verſus Engaddi, ſedes ſibi alias quæſituri (5). Recepit igitur ſeſe Haber in Tribum Nephtali, ſedeſque conſtituit ſuas in valle *Sennim*, prope Cades. Porro ea vallis, vel juxta Hebræum אלון בצענים ſaltus aut quercetum *Sennim*, locus eſt facile proximus urbi *Saananim*, quæ in Joſue xix. 33. inter urbs Nephtali recenſetur, צעננים.

℣. 13. Congregavit nongentos falcatos currus. Conſilia hoſtis intelligens Siſara, ſtatuit continuo arma in illum movere, malum in ipſo fonte præcluſurus. Quidquid igitur copiarum & curruum nactus eſt in Haſoreth, cogens, recta ſe contulit ad Thaborem. Exercitus hujus numerum auget Joſephus (6); recenſet enim peditum trecenta millia, equitum decem millia, & curruum tria millia. Plus etiam addit Pſeudo-Philo (7); in prælio enim cæſa affirmat nongenta & nonaginta ſeptem millia. Jonathan ad caput v. 8. hujus Libri, quadraginta millia gladio armatorum, ſexaginta millia haſtariorum, ſeptuaginta millia clypeatorum, octoginta millia ſagittariorum, & præter hæc, nongentos falcatos currus numerat. Scriptura tamen nullum certum numerum copiarum Siſaræ determinans, nongentorum ſolummodo ferreorum curruum meminit. De figura & uſu curruum ferreorum, vide noſtram Diſſertationem de Re militari veterum Hebræorum, Libro Eſther præfixam.

℣. 15. Perterruit Dominus Siſaram, et omnes currus ejus. Voces originalis (8) exprimunt terrorem ſubito quodam fragore, vel aſpectu rei terribilis partum, neque ex animo natum, terrorem aliquem panicum, & divinitus inditum. In ſequenti capite innuitur, Numen decertaſſe adverſus hoſtes procella aliqua in caput eorum excuſſa (9): *De Cœlo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo, adverſus Siſaram pugnaverunt.* Animum ac mentem omnino turbatum in Siſara intelligamus oportet, quippe qui ut melius fugeret, e curru deſiliit. Ita apud Homerum (10) miles quidam Trojanus pavens e curru ſuo deſilit, ut Diomedem fugiat: & alius Achillem declinaturus tantumdem præſtat (11); minus veloces, quam voluiſſet, equi currebant.

Vulgo creditur (12), eodem ſimul tempore, quo Barac cum agmine decem millium e ſuperiori monte ruebat in hoſtes, Deum pariter excuſſiſſe in hoſtium caput tonitrua, fulgura, ac pluviæ & grandinis procellam; quæ tantum terrorem ac pavorem in animos pugnantium injecerunt, ut neglecto certamine, nihil cogitarent præter fugam: quin & infeſta arma in ſuos convertiſſe videntur. Legimus enim inferius: *Dominus perterruit univerſam multitudinem ad os gladii, ad conſpectum Barac*: veluti ſcilicet mutua ſe cæde deleverint, Baraco inſpectante. Sed commode hanc etiam interpretationem Textus admitteret: *Dominus fudit*, delevit, confregit, *currus, & univerſam multitudinem in ore gladii, ad conſpectum Barac.* Delevit omnes ipſos eodem gladio Baraci. Poſterior hæc interpretatio veritati magis cohærere videtur: in verſiculis enim ſuccedentibus certamen tamquam ab Iſraelitis reipſa commiſſum deſcribitur.

℣. 17. Pervenit ad tentorium Jahel. Domi fuiſſe Haber Cinæus tunc temporis non videtur, nunquam enim in tota hac re paret: idcirco autem tentorium Jahelis appellatur, quod facile Jahel ſola ibi verſaretur; fœminæ enim tentoria ædeſque a viris diverſis habebant.

Erat pax inter Jabin et domum Haber. Nulla certa ſedes erat Haber, ſed in tentoriis & in agro verſabatur, paſcere greges ſuos contentus, eo vitæ genere, quod olim Patriarchæ in eadem regione egerant. Nihil de viro ſuſpicabantur Chananæi: quietum & liberum illum permiſerant, nec tributa, niſi ab Iſraelitis, optima terræ illius loca tenentibus, exigebant. Eo uſque Haber neutram partem ſecutus fuerat, nec Iſraelitis favens, nec fœdere cum Jabin ſe abdicans.

His ita conſtitutis, quid de facto hoc Jahelis judicandum eſt? Jahelis, inquam, quæ Siſaram ad tentorium ſuum invitatum, protecturam ſe illum ab hoſtibus ſpondens, dormientem proditione interfecit? Scriptores omnes commentariorum pluribus conantur inſignem hanc fœminam a crimine purgare: quam in rem animadvertunt, fœminæ illius virtutem in Scriptura commendari, quippe cui totum victoriæ hujus honorem deferendum cenſet (13). Ejus nomen mox inter fœminas omnes benedictionibus cumulandum fore, Debora prædicit (14). Divini Spiritus afflatu ea mens & virtus indita mulieri creditur; quare intime moventi ſpiritui reſiſtens, atque hoſti populi ſui parcens, criminis ſeſe ream conſtituiſſet. Siſara hoſtis erat publicus & declaratus, ut Debora & Barac Dei juſſu bellum illi indixerunt. Leges amicitiæ, pacis & fœderis inter domum Haber & Regem Aſor, tum ceſſarunt, cum Dominus decreta ſua in Chananæos manifeſtavit. Quamquam Cinæi alienam habebant a Judæis originem, rebus tamen illorum & juribus Reipublicæ communicabant: quare hoſtium loco habendi erant ab illis ii, qui populo

(1) Ὅτι οὐκ οἶδα τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ εὐοδοῖ κύριος τὸν ἄγγελον μετ' ἐμοῦ. (2) Auguſt. qu. 26. in Judic. *Quia neſcio diem, in qua proſperat Dominus Angelum meum.* (3) Ambroſ. lib. de Viduis: *Quia non novi diem, in qua diriget Dominus Angelum ſuum mecum.* (4) אפס כי לא תהיה תפארתך על הדרך אשר אתה הולך (5) Judic. i. 16. (6) Joſeph. Antiq. lib. 5. c. 6. (7) Vide Cornel. a Lapide. (8) ויהם יהוה את סיסרה לפי חרב לפני ברק (9) Judic. v. 20. (10) Homer. Iliad. v. (11) Idem Iliad. xx. (12) Joſeph. Lyran. Serar. Boaſr. &c. (13) Judic. v. 9. (14) Judic. v. 24.

pulo Dei adverſarentur, nec fœdus ſanciendum ſervandumque cum hoſtibus Hebræorum, rerum communium ejus gentis, cujus illi portio habebantur, detrimento.

Verum etſi debitis laudibus non fraudatur virtus Jahelis, conſilio ejus commendato, non eſt tamen cur diſſimuletur quidquid in re per eam geſta a recto deficiens & vitioſum deprehenditur. Mendacii igitur aliquid & doli mali admiſiſſe cenſenda eſt; quæ utique omnia etiam in bello & adverſus hoſtes amoveri oportet (1). Siſaram enim in tentorium ſuum vocavit, tuta illi omnia futura promittens. Sacra hoſpitalitatis jura, ut hoſtem falleret, violavit, quod nunquam culpa vacat; hoſpitalitas enim ſemper tamquam ſanctum aliquid & inviolabile reputata eſt. Denique, eſto Haber Cinæus communes habuerit res ſuas, religionem, fœdera cum Hebræis; adhuc tamen ambigendi ratio eſt, utrum jure meritoque frangere potuerit fœdus cum Jabin & Siſara compoſitum, ne monitis quidem, nec injuriæ quidquam inferentibus, qua ſibi tale quid promeruiſſent. Cum enim fœdus illud ſine Iſraelitis compoſuerint, ejus fœderis conditiones, quas privati illi ſubierunt, ſervandæ erant, niſi forte Jabin & Siſara antea illis defuiſſent: quod utique nuſpiam in Scriptura legitur. Si in fœdere illo inter Jabin & Haber ſanciendo ſacramenti religio intercesſit, uti rejpſa interceſſiſſe merito credimus, nova hæc ratio prohibebat ſacramenti illius violationem, ſpecioſa illa cauſatione belli, Chananæos inter & Hebræos moti.

In Jahele & Debora oculis Patrum (2) duæ imagines, altera quidem Eccleſiæ Chriſtianæ, altera Judaicæ, exhibentur. Debora Synagogam referens, prima omnium ſigna in Siſaram, qui typus eſt Dæmonis, erigit, hoſtem fugat, ejuſque copias diſſipat. Integra tamen certaminis hujus victoria alteri ſervatur; ejus enim honos Eccleſiæ Chriſti vindicandus eſt, cujus Eccleſiæ imago exprimitur in Jahele, aliena muliere, & viri alieni uxore, quæ ſane fœmina miſcetur, & veluti inſeritur populo Domini, tamquam oleaſter inſitione in bonam olivam admiſſus. Jahel arrepto clavo & malleo Siſaram interfecit: Eccleſia Chriſtiana, quam calamitates, & incurrentia mala exercuerunt, cruce Jeſu Chriſti armata, adverſarium populi Domini dejicit, & occidit.

℣. 18. Opertus ab ea pallio. Hebræa vox (3) redditur *culcitra*, vel *ſtragula villoſa*, vel *lacerna*, *pæula*, *amphitapa*, pannus ſcilicet utraque ſuperficie villoſus (4). Porro Hebræum *Schmicab* hic tantum ſemel occurrit.

℣. 19. Quæ aperuit utrem lactis, et dedit ei bibere. Genus hoc vaſorum ex corio ad liquida continenda, plurimo eſt uſui apud Orientales. Lac acidum oblatum fuiſſe in potum Siſaræ, Joſephus (5) cum Rabbinis affirmat; quod Orientalium moribus plane congruit, utuntur enim in potum lacte, quod arte quadam aceſcit, & lacte noſtratum craſſius eſt. Familiariter & tamquam potu delicatiſſimo eo uti Arabes Nomades, affirmat Strabo; & Petro *della valle* authore, hodie pariter Arabes plurimo lacte, acido potius quam dulci, potantur.

Legimus in ſequenti capite, ℣. 25. *Aquam petenti* (Siſaræ) *lac dedit*, *& phiala Principum* (digna viro Principe) *obtulit butyrum*. Hebræus præfert בספל, *In ſympula* obtulit butyrum: eſt autem ſympula vas anſa inſtructum, quo e vaſis cavis liquor hauritur, quin manus inficiatur. LXX. ἐν λεκάνῃ, in *pelvi*. Honoris gratia lac potius quam aquam fœmina obtulit; niſi forte reputaverit, liquoris illius hauſtum aptiorem eſſe homini recreando, vel ſopori inducendo, ſi jam necandi viri conſilium iniverat. Sunt (6) qui credant, abſtemios fuiſſe Cinæos, quod Rechabitæ, radicis illius ſurculi, vino abſtinerent, Jeremiæ quidem ætate (7), & diu etiam ante illum. Vix tamen mihi ſuadeatur, legem hanc communem fuiſſe omnibus Cinæis, uſumque illum jam inde ſub Haber increbuiſſe.

℣. 21. Tulit clavum tabernaculi יתד האהל LXX. πάσσαλον τῆς σκηνῆς, unum ſcilicet e clavis, qui ſolo infigebantur, ut pelles tentorii ſuſtinerent.

---

[1] Quintilian. *Sacra laus fidei inter hoſtes*. Ambroſ. de Offic. lib. 11. cap. 29. *Liquet etiam in bello fidem & juſtitiam ſervari oportere*. Auguſt. Ep. 1. ad Boniſac. *Fides quando promittitur, etiam hoſti ſervanda eſt*. Vide Grot. lib. 3. de jure belli & pac. cap. 19. [2] Origen. homil. 5. in Judic. Aug. contra Fauſt. lib. 12. cap. 32. Ambroſ. de Viduis; Petr. Damian. ſerm. 40. Vide Serar. ad cap. v. quæſt. 33. [3] בשמיכה השמיכה ἐπιβόλαιον. Symmach. καύσωμα. Theod. ἐν τῷ σαγῳ. Cod. Alex. δέῤῥει. Legerunt שמלה [4] Vide Druſ. hic. [5] Joſeph. l. 5. Antiq. c. 6. τοῦτο πιεῖν αὐτῷ γάλα δίδωσι διεφθορὸς ἤδη. Ita & Vatab. & Rab. David Kimchi. *Lac Butyri*, ideſt, ex quo expreſſum fuerat butyrum. [6] Serar. Bonfr. [7] Jerem. xxxv.

CAPUT V.

Canticum Deboræ & Baraci poſt victoriam de Siſara. Pax annorum quadraginta.

℣. 1. Cecineruntque Debora, & Barac filius Abinoem in illo die, dicentes: 2.
Qui ſponte obtuliſtis de Iſrael animas veſtras ad periculum, benedicite Do-
mino. 3. Audite reges, auribus percipite principes: Ego ſum, ego ſum, quæ Do-
mino canam, pſallam Domino Deo Iſrael. 4. Domine, cum exires de Seir, & tran-
ſires per regiones Edom, terra mota eſt, cœlique, ac nubes diſtillaverunt aquis. 5.
Montes fluxerunt a facie Domini, & Sinai a facie Domini Dei Iſrael. 6. In die-
bus Samgar filii Anath, in diebus Jahel, quieverunt ſemitæ: & qui ingrediebantur
per eas, ambulaverunt per calles devios. 7. Ceſſaverunt fortes in Iſrael, & quie-
verunt: donec ſurgeret mater in Iſrael. 8. Nova bella elegit Dominus, & portas
hoſtium ipſe ſubvertit: clypeus, & haſta ſi apparuerint in quadraginta millibus Iſ-
rael. 9. Cor meum diligit principes Iſrael: qui propria voluntate obtuliſtis vos diſ-
cri-

criminí, benedicite Domino. 10. Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos, & ſedetis in
judicio, & ambulatis in via, loquimini. 11. Ubi colliſi ſunt currus, & hoſtium
ſuffocatus eſt exercitus, ibi narrentur juſtitiæ Domini, & clementia in fortes Iſrael:
tunc deſcendit populus Domini ad portas, & obtinuit principatum. 12. Surge, ſur-
ge Debora, ſurge, ſurge, & loquere canticum: ſurge Barac, & apprehende captivos
tuos, fili Abinoem. 13. Salvatæ ſunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimica-
vit. 14. Ex Ephraim delevit eos in Amalec, & poſt eum ex Beniamin in populos
tuos, o Amalec: de Machir principes deſcenderunt, & de Zabulon, qui exercitum
ducerent ad bellandum. 15. Duces Iſſachar fuere cum Debora, & Barac veſtigia
ſunt ſecuti, qui quaſi in præceps, ac barathrum ſe diſcrimini dedit: diviſo contra
ſe Ruben, magnanimorum reperta eſt contentio. 16. Quare habitas inter duos ter-
minos, ut audias ſibilos gregum? diviſo contra ſe Ruben, magnanimorum reperta eſt
contentio. 17. Galaad trans Jordanem quieſcebat, & Dan vacabat navibus: Aſer
habitabat in littore maris, & in portubus morabatur. 18. Zabulon vero, & Neph-
tali obtulerunt animas ſuas morti in regione Merome. 19. Venerunt reges, & pu-
gnaverunt reges Chanaan in Thanach juxta aquas Mageddo, & tamen nihil tulere
prædantes. 20. De cœlo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine, &
curſu ſuo adverſus Siſaram pugnaverunt. 21. Torrens Ciſon traxit cadavera eorum,
torrens Cadumim, torrens Ciſon: conculca anima mea robuſtos. 22. Ungulæ equorum
ceciderunt, fugientibus impetu, & per præceps ruentibus fortiſſimis hoſtium. 23. Ma-
ledicite terræ Merotz, dicit Angelus Domini: maledicite habitatoribus ejus, quia non
venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium fortiſſimorum ejus. 24. Benedicta inter
mulieres Jahel uxor Haber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo ſuo. 25. Aquam pe-
tenti lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum. 26. Siniſtram manum miſit
ad clavum, & dexteram ad fabrorum malleos, percuſſitque Siſaram quærens in ca-
pite vulneri locum, & tempus valide perforans. 27. Inter pedes ejus ruit: defecit,
& mortuus eſt: volvebatur ante pedes ejus, & jacebat exanimis, & miſerabilis. 28.
Per feneſtram reſpiciens, ululabat mater ejus: & de cœnaculo loquebatur: Cur mo-
ratur regredi currus ejus? quare tardaverunt pedes quadrigarum illius? 29. Una ſa-
pientior cæteris uxoribus ejus, hæc ſocrui verba reſpondit: 30. Forſitan nunc divi-
dit ſpolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei: veſtes diverſorum colorum Siſaræ
traduntur in prædam, & ſupellex varia ad ornanda colla congeritur. 31. Sic pe-
reant omnes inimici tui, Domine; qui autem diligunt te, ſicut ſol in ortu ſuo ſplen-
det, ita rutilent. 32. Quievitque terra per quadraginta annos.

℣. 1. CECINERUNTQUE DEBORA ET BARAC. Vulgo creditur (1) Debora Canticum hoc ſcripſiſſe, quem deinde Baraco communicaverit. Cecinit illud Debora in choro fœminarum & puellarum, & Barac inter commilitones concinentes. Hebræus legit ותשר דברה *Cecinit Debora, & Barac filius Abinoem*. Eſt autem carmen iſtud, omnium quotquot recitantur in Scriptura, jucundiſſimum & maxime vividum. Debora nomine ſuo loquitur in verſiculis tertio & ſeptimo, quibus animadverſio noſtra confirmatur, totum ſcilicet carmen uni illi deberi oportere.

℣. 2. QUI SPONTE OBTULISTIS ANIMAS VESTRAS AD PERICULUM. Hebræus non uno ſenſu redditur (2): *Benedicite Dominum pro ultione exacta de hoſtibus Iſraelis, & pro virtute quam exhibuit in populo, qui ſponte ſe diſcrimini expoſuit*. Aliter: *Benedicite Dominum pro libertate, quam Iſraeli vindicavit, & pro ſincera illa voluntate, quam populus in hoc bello manifeſtavit*. Denique, eo nomine vos ad bene Domino precandum voco, quod jugum Chanaaniticum ex Iſraele excuſſit, quodque illuſtre adeo argumentum exhibuit populus ſinceræ voluntatis & liberalis animi in ſacrificiis, quæ ſponte Domino obtulit. Septuaginta, corrigente Theodotione (3): *Benedicite Dominum in Imperio Principum, & in bona voluntate populi*; vel juxta Editionem Romanam (4): *Revelata eſt revelatio in Iſrael, dum populus bonam voluntatem ſuam teſtatus eſt: benedicite Domino*. Hebræum *Parah*, quod Vulgata negligens in Textu omiſit, uſurpari ſolet pro detegere, revelare, negligere, aſſerere ſe in libertatem, ulciſci. Alterum vero, nempe *bitnadeb*, quod illa vertit, ſponte ſe offerre periculo, ſignificat generice offerre ſponte religioſum ſacrificium, voluntariam oblationem deferre, argumentum exhibere animi ſinceri & liberalis.

℣. 4. DOMINE CUM EXIRES DE SEIR, ET TRANSIRES PER REGIONES EDOM, TERRA MOTA EST. Magnitudinem tuam laudibus effero, Deus, qui ſpectandum te præbuiſti in montibus Seir, & regione Edom: qui totum majeſtatis tuæ apparatum expandiſti, cum Legem nobis traderes in monte Sinai, in regione Seir & Edom conſtituto (5). Exordium hoc plane emphaticum congruit omnino præcedenti illi invitationi, qua Principes & Reges ad laudes Domini concinendas hortatur. Sunt qui conſerri hic putent prodigia, quæ in victoria de Siſara interceſſerunt, cum prodigiis in bello adverſus Sehonem: tunc enim Dominus tamquam heros quidam in medio populi ſui e regione

[1] Ita Lyr. Cajet. Toſtat. Serar. Bonfr. alii paſſim. [2] בפרע פרעות בישראל בהתנדב עם ברכו יהוה
[3] Vide nov. edit. Hexapl. O. Θ. ἐν τῷ ἄρξασθαι ἀρχηγοὺς, ἐν ἑκουσιασμῷ λαοῦ. [4] ἀπεκαλύφθη ἀποκάλυμμα ἐν Ἰσραὴλ ἐν τῷ ἑκουσιασθῆναι λαὸν, εὐλογεῖτε κύριον. [5] Vide Deut. XXXIII. 2. *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis.*

Edom & montibus Seir veniens, præſentiæ ſuæ majeſtate terruit diſſipavitque copias Amorrhæorum, quæ terrorem vicinis gentibus omnibus late incuſſerant. Nullibi tamen in Moyſe legimus, Deum fulmina & tonitrua in exercitum Sehonis intorſiſſe: neque hic vel unico Textus verbo Sehon innuitur: quare priorem interpretationem retinendam cenſemus.

Terra mota est, Cœlique ac nubes distillaverunt aquis. Tota hæc deſcriptio allegoria & hyperbole redundat: terra movetur, Cœli liquantur in aquas, monteſque ad conſpectum Domini concepto terrore paveſcunt, & dilabuntur, veluti aquæ, cum ſcilicet Dei majeſtas paruit in Sinai, & cum Deus ipſe per deſertum comitem populo ſuo ſeſe addidit. Hæc autem omnia pingunt totum illum majeſtatis apparatum, quo Deus ſeſe ſpectantium oculis in Sinai & in toto itinere exhibuit. Terra, Cœli, montes, pro ſe quiſque gaudii ſui & terroris ſignificationes exhibuerunt: horridæ quæque ſolitudines amœniſſimam induerunt faciem: Cœlum, ardens licet atque aridum, aquas abunde ſufficiebat & rorem & mannam: montes, ſteriliſſimi licet, ad acceſſum Domini naturam & ingenium mutaſſe videbantur. Solidis quadraginta annis Iſrael, nullius rei indigus, iter habuit per deſertum. Perſimili verborum phraſi eamdem rem exprimit Pſalmiſta (1): *Terra mota eſt, etenim Cœli diſtillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Iſrael, Deus, cum egredereris in conſpectu populi tui, cum pertranſires in deſerto.*

℣. 6. In diebus Samgar, in diebus Jahel, quieverunt semitæ. Samgar, omni licet robore ſuo, Jahel, tota licet animi ſui ſtrenuitate, adnitentes, Chananæis reſiſtere non valuerunt. Rerum potientibus illis, itinera viarum deſerta erant, cum nemo illas terere auderet: commercia omnia ceſſarunt; libertatis ne tenuis quidem umbra ſupererat. Druſius Hebræas voces חדלו ארחות accipit de viatoribus ſeu de turmis iter habentium: *Ceſſaverunt viæ*, ſeu *viatores*: nulli tunc mercatores ultro citroque commeabant. Familiare eſt Scripturæ, ut inter mala regionis ab hoſtibus occupatæ (2) recenſeat itinera viarum præcluſa, & commercii libertatem prohibitam: id mali genus minitatur Deus populo ſuo, ſiquidem in oblivionem legum & Idololatriam devenerit. Triſtia oraculi hujus argumenta hodie pariter exhibet Palæſtina. Sunt qui credant, *Samgar* viri Judicis Iſraelis peculiare nomen non eſſe, ſed cognomen additum Habero Cinæo, viro Jahelis, qui שם גר *Samgar*, ideſt, *advena ibi*, ejus loci, idcirco appellatur, quia revera inquilinus erat ditionis Jabin. *Samgar* vel *Haber* argumenta primum exhibuit illuſtria virtutis ſuæ, inquiunt illi, in Philiſtæos (3); inde coactus fœdus compoſuit cum tyranno, & Judicis dignitate ſeſe abdicavit. De robore horum argumentorum & hypotheſis hujus veritate judicium eſto Lectori.

Qui ingrediebantur per eas, ambulaverunt per calles devios. Cum neceſſitas iter aliquod jubebat, devia ſectantes (4), ne in manus hoſtium inciderent, cavebant.

℣. 7. Cessaverunt fortes Israel, et quieverunt, donec surgeret Debora. Hebræus redditur (5): *Pagi*, loca non munita, *ceſſaverunt*; nemo in agro moram trahere audebat: agricultura ceſſavit, cum agricolæ eripere ſe e diſcrimine coacti, in loca tuta, deſertis habitationibus ſuis, effugiſſent. Retineri commode poteſt interpretatio Vulgatæ. *Pherazon* & *Pherazim* (6) uſurpantur ſæpe pro viris fortibus & ſtrenuis.

Donec surgeret mater in Israel. Hebræus (7): *Donec ſurrexi mater in Iſrael*. Suis laudibus hic indulget Debora; ille enim, quo afflabatur, Spiritus, ejus elogium ipſius mulieris ore prædicat. Donat ſe titulo *matris in Iſrael*, ex authoritate, quam ſibi conciliaverat pluribus ante annis oracula promens, & jus dicens univerſo populo: quibus laudibus tunc accedebat felix belli ſuſcepti eventus, cujus belli egregie confecti gloriam Barac & Debora inter ſe partiebantur. Matris nomen & titulus authoritatem, clementiam, charitatem & pietatem ſimul fert. Porro glorioſum titulum *matris patriæ* Deboræ conciliabant ea, quæ populo ſuo contulerat, beneficia.

℣. 8. Nova bella elegit Dominus, et portas hostium ipse subvertit. Nihil fuit adeo inſolitum, quam inita a Deo ratio delendi injuſtum Jabin imperium. Juſſiones Dei fœmina defert ad Baracum hic, eligit decem millia, fere inermia, cum ſtatim dicatur, quadraginta millia Iſraelitarum clypeo & haſta caruiſſe: *Clypeus & haſta ſi apparuerint in quadraginta millibus Iſrael*. Hæc igitur manus decem millium cum in montem ſeſe recepiſſet, continuo hoſtium immenſo plane exercitu obſidetur. Statim illi e ſuperiori monte ruunt in hoſtes: ſubitus terror hoſtes quatit; quibus fuga dilabentibus, Princeps ipſe, ut incognitus fugiat, e curru ſuo deſiliens, pedes elabitur. Nihil eſt utique magis novum & extraordinarium, quam ea belli gerendi ratio.

Hebræus longe aliter tonat (8): *Elegit Deos novos: tunc bellum in portis*; mendax haberi volo, *ſi apparuerit clypeus & lancea in quadraginta millibus in Iſrael*. Statim ac Hebræi de Numine deſerendo, ut dederent ſe Diis alienis, conſilium agitare cœperunt, in portis ſuis bellum conſpicati ſunt; jugum ſubierunt hoſtium duriſſimorum, grave adeo jugum, ut nullum penitus armorum uſum haberent in regione, ut per totam provinciam tantum armorum non ſuppeteret, quantum uni militi armando ſatis eſſet. Habes hic expreſſum quiddam de ſervitute Iſraelitica ſub Chananæis, quod alibi fruſtra quæras. Ex eo autem intelligere licet ſtatum regionis illius ſub infeſtis adeo hoſtibus, quod narratur proxime ante ſervitutem ſub Jabin, Samgar Judicem Iſraelem manum ſexcentorum Philiſtæorum, ſtimulo bovis gladii loco uſum, interfeciſſe. Juvat etiam in rem præſentem animadvertere (9), Philiſtæos eo redegiſſe filios Iſraelis poteſtati ſuæ ſubmiſſos, ut carerent fabris ferrariis, cogerenturque inſtrumenta colonica e Philiſtæis repetere, vel eorum ope reparare.

℣. 9. Cor meum diligit Principes Israel, qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino. Hebræus (10): *Cor meum ad Legiſlatores Iſrael: ſpontanei in populo vos benedicite Domino*. Alterum membrum hujus verſiculi artificioſa repetitio eſt eorum, quæ ſecundum verſiculum claudunt. Porro *Legiſlatores Iſrael* ſunt Principes, Judices, Capita, Optimates, qui novas Leges condebant, & priſcarum obedientiam exigebant. Debora ad illos converſo ſermone: *Cor meum ad vos*, toto corde vos invito ad laudes Domino concinendas. Septuaginta (11): *Cor meum eſt ad actem ordinatam Iſrael*: cor meum ſer-

(1) Pſal. LXVII. 8. (2) Iſai. XXXIII. 8. *Ceſſavit tranſiens per ſemitam*. Levit. XXVI. 22. *Deſertæque ſiant viæ veſtræ*. Jerem. Thren. I. 4. *Viæ Sion lugent, eo quod non ſint qui veniant ad ſolemnitatem*. (3) Judic. III. 31. (4) ארחות עקלקלות Septuag. ὁδοὺς διεστραμμένας. (5) חדלו פרזון בישראל (6) Vide Bonfr. hic. (7) שקמתי אם בישראל (8) יבחר אלהים חדשים אז לחם שערים מגן אם יראה ורמח בארבעים אלף בישראל Septuag. ᾑρέτισαν θεοὺς καινούς, τότε ἐπολέμησαν πόλεις ἀρχόντων. Quædam exemplaria habent θεὸς κενοὺς Deos inanes; idemque ſervant S. Auguſtin. & Theodoretus, ſed mendo apertiſſimo. (9) 1. Reg. XIII. 21. *Deſcendebat ergo omnis Iſrael ad Philiſthiim, ut exacueret unuſquiſque vomerem ſuum, & ligonem, & ſecurim, & ſarculum, &c.* (10) לבי לחוקקי ישראל (11) Ἡ καρδία μου ἐπὶ τὰ διατεταγμένα τῷ Ἰσραήλ, οἱ ἑκουσιαζόμενοι. Aq. Th. *In Legiſlatoribus*. Sym. εἰς τὰ προστάγματα, *In mandata*.

ſertur ad debitum illis laudum premium perſolvendum.

℣. 10. Qui ascenditis super nitentes asinos; ſuper aſinos fortes, & eximios. Hebræus (1). *Qui aſcenditis ſuper aſinos fulgentes*, vel coloribus variatos. Septuaginta: *Qui aſcenditis ſuper currus Lampenes*, vel aſinas nitentes. Veteres olim ad equitandum aſinas, mulas, & equas præferebant aſinis, mulis, vel equis. Nec niſi aſinis vehebantur in Palæſtina Judicea, & viri in tota regione ampliſſimi. Balaam aſina vehebatur, uti ex Scriptura notum eſt (2); aſina pariter Jeſus Chriſtus in ſolemni ingreſſu Jeroſolymam (3): Jair, qui habenas Imperii Iſraelitici, Judicis munere fungens, duobus & viginti annis moderatus eſt, triginta numerabat filios, qui totidem aſinis, ſive aſinabus ferebantur (4); Abdon (5), qui Iſraelem per annos octo judicavit, quadraginta habebat filios, & triginta nepotes, quorum ſingulis ſui erant aſini aſſignati. David mula vehi ſolebat (6); mula pariter nati ex illo Principes (7). Abſalom mulum aſcenderat (8), qua die interfectus eſt. Salomon equos adhibere cœpit (9). Hodie in Arabia viri principes aſinis tergo rubro colore infecto vehuntur (10). Obtinet apud Perſas (11), ut in hyeme equos ſuos tingant *henna*, quo pigmento viri pariter, & mulieres flavum ſibi colorem inducunt. Hebræum *Zeboroth* ſonat potius mixturam colorum albi, & rubri in aſinis, ut a Bocharto demonſtratur. Phraſis hæc, *Qui aſcenditis ſuper aſinas variegatas*, perinde hic valet ac, *Qui ſedetis in Judicio*. In Ægypto, & facile etiam in Palæſtina matronæ & viri etiam ingenui aſinis inequitant. Sunt vero illi ſpecie quidem pulchri, ingenio mites, ad curſum leves. Vide Maillet Deſcript. Ægypti part. 2. pag. 29. In Perſide etiam aſini communes ſunt, ſed graviores, & ad curſum tardiores, quam ubique alibi. Itiner. Moſchov. tom. 1. pag. 555.

Qui sedetis in judicio, et ambulatis in via, loquimini. Nomine eorum, qui ambulant in via, deſignari poſſunt viatores, homines negocioſi. Modo ſecuritas eſt viarum & commercii, hoſtium metu ſublato. Sunt qui reddant Hebræum (12): *Vos, qui commoramini in Middin, qui gradimini in via, contemplamini* beneficii granditatem, expendite. *Middin* autem urbs eſſe dicitur in Tribu Juda, de qua in Joſue xv. 61. Sed multo planius cum Vulgata vocem accipimus de judicio ſeu Tribunali. In hanc ſignificationem conceſſerunt Septuaginta (13), & optimi quique ex Interpretibus. Elici etiam poſſet hæc ſententia: *Et vos, Judices Iſraelis, qui aſcenditis nitentes aſinos, loquimini ad populum, ultro citroque per regionem diſcurrentes.*

℣. 11. Ubi collisi sunt currus, et hostium suffocatus est exercitus, ibi narrentur Justitiæ Domini. Hoc neque expoſitione, neque Commentario indiget: ſed Hebræi maxima eſt ambiguitas (14): *Loquimini*, palam dicite laudes Domini, *voce majori a voce ſagittariorum, inter eos qui hauriunt aquam; ibi different Juſtitias Domini*. Supplemus hic e verſiculo præcedenti verbum *loquimini*, vel *laudate*; verum ſequentium verborum ſignificatio non ſatis explorata eſt. Suſpicantur quidam, verbis hiſce eo a Debora ſpectari, quod cum antea ad hauriendas aquas ſe conferre tuto non liceret, poſthac loca illa læti, & præ gaudio clamantes incolæ frequentaturi eſſent; vel ſorte: *A voce ſagittariorum*, id eſt, *procul a tali voce* hoſtium clamantium, & irruentium in eos, qui ad hauriendas aquas ventitarent, *audietur vox laudis*. Septuaginta (15): *Elevabunt voces ſuas, canentes inſtrumentis in medio eorum, qui lætantur: ibi dabunt juſtitias Domino*; quæ poſtrema phraſis vulgaris eſt Hebraiſmus (16), uſurpans dare gloriam, dare magnitudinem, dare majeſtatem, juſtitiam Domino, pro celebrare ejus magnitudinem, majeſtatem, juſtitiam. Reddi poſſet Textus multo propius Vulgatam, neglecta punctorum Maſſoreticorum ſyntaxi: *Ad vocem eorum, qui transfodiuntur ſagittis, in medio eorum, qui hauriunt* (17), vel *qui merguntur in aquis, ibi palam facient Juſtitias Domini.*

Et clementia in fortes Israel. Reddi poſſet Hebræus (18): *Celebrabuntur juſtitiæ ejus in pagis Iſrael*; tranquilla pace, & abſoluta libertate fruentur tam pagi & loca aperta, quam urbes. Septuaginta: *Juſti communiti ſunt in Iſrael* (19). Hebræum alii reddunt: *Palam facient laudes fortium ejus* [Domini] *in Iſrael.*

Tunc descendit populus Domini ad portas, et obtinuit Principatum. Relata de hoſtibus Domini victoria, liberum eſt Hebræis conferre ſe ad portas ſuas, ubi ſupremam authoritatem in reddendis judiciis exerceant. Aliter: Poſt eam victoriam victor exercitus hoſtes vel in ſuis urbibus aggreſſus eſt proſpero & ſecundo prælio. Hebræus fert tantum (20): *Tunc deſcendet ad portas populus Domini*. Vel juxta Septuaginta (21): *Tunc deſcendet in Civitates ſuas populus Domini*; ad ſuas quiſque ſedes tuti regredientur; agricolæ quidem, diſperſi antea, palanteſque, uti ſupra ad ℣. 7. animadverſum eſt, ad propria remeabunt, intermiſſum agrorum cultum reſumentes. Hæc pronior interpretatio eſt.

℣. 12. Apprehende captivos tuos. Hebræus ad literam שְׁבֵה שֶׁבְיְךָ *Captiva captivitatem*. Redige in captivitatem eos, quos in bello cepiſti; vel, eos qui captivitate te olim premebant, captivitate preme.

℣. 13. Salvatæ sunt reliquiæ populi: Dominus in fortibus dimicavit. Iſraelitæ, qui duræ captivitati a Jabin impoſitæ non ſuccubuere, quique tot malis ſuperfuerunt, victoria tandem hac Baraci in libertatem & pacem feliciter traducti ſunt. Familiaris eſt Scripturæ phraſis: *Reliquiæ populi ſalvatæ ſunt*, cum poſt bellum aliquod vel captivitatem publicamque calamitatem Deus, populi ſui miſertus, illos in priſtinum ſtatum reſtituit. Sæpe etiam reliquiæ populi ſunt poſteri & ſucceſſores: ita e. g. legimus in quarto Regum x. 11. percuſſiſſe Jehu *omnes qui reliqui erant de domo Achab, & univerſos Optimates ejus, & notos & Sacerdotes, donec non remanerent ex eo reliquiæ*. Hebræus a Vulgata diſcrepat (22): *Tunc dominatus eſt ſuperſtes illuſtribus, populus Domini dominatus eſt fortibus*. Vel: *Tunc dominatus eſt ſuperſtes illuſtribus populi, Dominus dominatus eſt in fortibus*. Iſraelitæ, gens illa olim ingloria, reliquiæ deleti, oppreſſi, dejecti populi, hodie ſuper Principum cervices eriguntur: populus Domini, vel Dominus ipſe ſuperba illa hoſtium capita, qui totam ſpem ſuam in ſuis viribus collocabant, dejecit, atque contrivit. Linguæ Sanctæ ſtylo Principes & viri quique ampliſſimi ſignificantur nomine *magnificorum, illuſtrium, liberalium, beneficorum*. Animadvertit id Jeſus Chriſtus (23), & non uno

(1) רכבי אתונות צחרות Vide Bochart. de animal. ſacr. l. 2. c. 12. parte prima. Septuag. Λαμπήνων, λαμπήνας. (2) Num. xxii. 21. (3) Matt. xxi. 5. 7. (4) Judic. x. 4. (5) Judic. xii. 14. (6) 3. Reg. i. 33. 38. 44. (7) 2. Reg. xiii. 29. (8) 2. Reg. xviii. 9. (9) 3. Reg. iv. 26. 28. &c. (10) Tavernier tom. 1. l. 3. c. 5. & l. 4. c. 3. (11) Chardin voyage de Perſe tom. 2. p. 26. (12) ישבי על מדין והלכי על דרך שיחו (13) Καθήμενοι ἐπὶ κριτηρίου, καὶ πορευόμενοι ἐπὶ ὁδῶ. (14) מקול מחצצים בין משאבים שם יתנו צדקות יהוה (15) Φωνὴ ἀνακρουομένων, ἀναμέσον εὐφραινομένων, ἐκεῖ δώσουσι δικαιοσύνας κυρίῳ. (16) Pleriſque ducunt יתנו e תנה voce Caldæa: quid vero prohibet, ne ducatur ex נתן? (17) Septuag. Ὑδρευομένων Aq. κατεληγμένων, Sym. Συμφωνούντων. (18) צדקות פרזונו בישראל (19) Δίκαιοι ἐνίσχυσαν ἐν Ἰσραήλ. (20) אז ירדו לשערים עם יהוה (21) Τότε κατέβη εἰς τὰς πόλεις αὐτοῦ ὁ λαὸς κυρίου. (22) אז ירד שריד לאדירים עם יהוה ירד לי בגבורים (23) Luc. xxii. 25.

Digitized by Google

Scripturæ teſtimonio probatur, *Reges gentium*, ait Jeſus Chriſtus, *dominantur eorum* [populorum], *& qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur*.

Aliam plane ab hac noſtra interpretationem Hebræo tribuunt Septuaginta (1): *Tunc aucta fuit potentia ejus*, vel fortitudo: *Domine, humilia ſub pedibus meis*, ſubmitte mihi, *qui fortiores me ſunt*. Tunc novo ſe robore auctum ſenſit Barac; Domine, dejice hoſtes meos, & pedibus meis conterendos trade, qui cervicem erigere moliuntur ſuper me. Chaldæus: *Tunc deſcendit unus ex exercitu Iſrael, & fregit fortitudinem fortium gentium. Ecce non ex fortitudine manus eorum fuit hoc; ſed Dominus fregit ante populum ſuum fortitudinem virorum oſorum eorum*. Vocem *reliquiæ* interpretatus eſt germen, filium, unum e poſteris Iſraelis, ipſum ſcilicet Baracum.

℣. 14. Ex Ephraim delevit eos in Amalec, et post eum Beniamin populos tuos, o Amalec. Prior hic vir inclytus ex Ephraimo natus, ipſiſſimus creditur Joſue, qui Amalecitas paulo poſt exitum ab Ægypto, commiſſo in ſolitudine prælio, ſuperavit (2). Alter vero heros Beniamini ſurculus, num ipſe eſt Aod, qui Eglonem Regem Moabitarum, Ammonitis & Amalecitis fœderatum, interfecit (3)? *Confortavit adverſus eos Eglon Regem Moab .... & copulavit ei filios Ammon & Amalec*. Confert hic Debora inter ſe relatam a Baraco victoriam cum ſuperioribus præcedentium heroum, quaſi diceret: Inſignes quidem Imperatores dederunt Tribus Ephraim, & Beniamin. Grandia facta Joſue, & Aodi ubique reſonant; nec latet quantam ſibi nominis famam ſubacta Galaaditide comparaverint ſati e Machir Principes: *De Machir Principes deſcenderunt*. Zabulon ſtudio Scripturæ, vel uti fert Vulgata, inſignibus Ducibus editis claruit. Sed par eſt decus Tribubus Iſſachar & Nephtali hoc bello in Chananæos partum.

Hebræus ad literam ita ſonat (4): *De Ephraim delevit* [ad literam *eradicavit*] *illos in Amalec, poſt te Beniamin in populis tuis*. Filii Beniamin deleverunt hoſtes ſuos in Amalec, facile in monte Amalec, de quo inferius XII. 15. Sed latet nos penitus, filios Ephraim quidquam rei habuiſſe prope montem illum cum hoſtibus; & Beniamin per ſe pariter excidium intulit iis, qui in medio populi ſui verſabantur, hoſtibus, ideſt, Moabitis, qui ſedes in ditione ſua conſtituerant (5); ſeu potius: Beniamitæ fregerunt hoſtes ſuos in populo ſuo, ideſt, rem bene geſſere in fratres ſuos, a quibus indictum eſt in ipſos bellum, in ultionem probri, quo uxorem Levitæ affecerunt (6). Scelus illud patratum creditur poſt obitum Joſue, cum nullus Judex Iſraelitis præeſſet. Belli hujus toti Iſraeli, ac præſertim Tribui Beniamin, in quo Tribus illa Beniamin poſt exhibita miræ virtutis argumenta, prope deleta eſt, belli, inquam, hujus univerſo Iſraeli fatalis, appendix fuiſſe credenda eſt Moabitarum, Ammonitarum, & Amalecitarum in Regionem Beniamiticam irruptio.

In Septuaginta, & Theodotione nomen Amalec in toto hoc verſiculo deeſt (7): *Ephraim eradicavit eos in valle, & frater tuus Beniamin in populo tuo*. Quaſi ſcilicet ex geminæ Tribus Chananæorum audaciam repreſſerint, altera quidem in vallibus, vel in agro ditionis ſuæ, ubi olim Chananæi Iſraelitas militaribus curribus adeo terruerunt, ut de redigendis illis Ephraim pene deſperaret (8). In ditione ſua Beniamin pariter illos eo adegit, ut nulla ferme urbs reliqua Chananæorum imperio ſubdita ſuperfuerit. Totum hunc Textum de bello in Amalecitas Chaldæus interpretatur. Debora ſub oculos revocat duo, præteritum unum, bellum ſcilicet Joſue in Amalec, alterum vero futurum, bellum Saulis, viri e Tribu Beniamin, in eoſdem Amalecitas. In hanc interpretationem Commentariorum Scriptores frequentiſſimi concedunt (9). Maluerim ego tamen priorem dudum relatam præferre. Nullibi legimus, Tribus Ephraim, & Beniamin expeditionis hujus Baraci adverſus Chananæos in partem veniſſe.

De Machir principes descenderunt. Verti poſſet Hebræus (10): *E Machir orti ſunt Legiſlatores dominantes*. Machir Principes viros & Duces edidit. Ditio Machir trans Jordanem jacebat, ad radices montium Galaad. Qui ajunt, hic a Debora innui, Machir Baraco opem tuliſſe, aperte adverſarium habent ℣. 17. ubi conceptis verbis dicitur: *Galaad trans Jordanem quieſcebat*. Imperium Jabin eo uſque non porrigebatur; ac bellum inter Baracum & Siſaram cum ex improviſo natum geſtumque fuerit, nullas in eo partes habere Tribus remotiores potuerunt.

Et de Zabulon, qui exercitum ducerent ad bellandum. Hebræus ad literam (11): *Et de Zabulon trahentes in virga ſcribæ*; quod accipi ſolet de ſcriptoribus, qui pennam, vel calamum ſcriptorium pro veteri more tractant; ſeu potius de ſtylo, quo vel in ligno, vel in cera literæ imprimebantur. Sed nomen *Sopher* ad unos Scribas definitum non eſt; ſignificat enim pariter viros in Scripturis, & in Lege Domini peritos: quare hoc nomine *Sopher*, vel *Scribæ* donantur Eſdras, Saraias, Semeias, Baruc, & in Evangelio quicumque ſcientia Sacrarum Scripturarum præſtabant: communis eſt etiam titulus præfectorum Regis, qui rationes dati, & accepti exigebant, qui cenſibus præerant (12), munere perſimili fungentes ac apud nos Magiſtri ſcripturæ, Curatores rerum publicarum, Viri a Rege ſecundi. Præfecti autem illi non res tantum pacis, & domeſticas, ſed & bellicas etiam tractabant (13): iique frequentes ſub Regibus Juda occurrunt. Certam quamdam dignitatem deſignare voluerunt Septuaginta, cum reddant (14): *De Zabulon viri potentes, cum virga Scribarum*. Hebræum *Saphar*, unde *Sopher*, eſt ſuppotare, cenſere, referre, narrare, annunciare, ſcribere; ex quo factum eſt, ut communi eo nomine vel miniſtri plures, vel munera inter ſe varia cenſeantur.

Ferunt, Sopherim vel Scribas a Moyſe conſtitutos fuiſſe; cujus tamen rei nullum veſtigium in ejus Libris occurrit. Repetunt illos alii ab ætate Davidis, apud quem Scribas egerunt Saraias (15). Sira (16), & Semeias Levita (17), filius Nathanaelis, Jonathan patruus Davidis ſcriba erat (18) doctiſſimus. Poſt ætatem illam, Reges Juda Scribas inter Præfectos ſuos nunquam non habuerunt, eorumque nomina plura in Scriptura ſervantur.

Munns

[1] Τότε ἐμεγαλύνθη ἡ ἰσχὺς αὐτοῦ, Κύριε, ταπείνωσόν μοι τοὺς ἰσχυροτέρους μου. [2] Exod. XVII. 10. [3] Judic. III. 12. 13. [4] מני אפרים שרשם בעמלק אחריך בנימין בעממיך Sym. ἀκολουθήσω σοι, Βενιαμίν, μετὰ τῶν λαῶν τῶν περὶ σε. *Sequar te, Beniamin, cum populis qui tecum ſunt*. [5] Judic. III. 13. [6] Judic. XIX. XX. [7] Λαὸς Ἐφραὶμ ἐτιμωρήσατο αὐτοὺς ἐν κοιλάδι, Ἀδελφὸς σου Βενιαμὶν ἐν λαοῖς σου. Legunt עמק, *vallis*, pro *Amalec*, עמלק. Editio Romana legit *Amalec*; Ἐφραὶμ ἐξερρίζωσεν αὐτοὺς ἐν τῷ Ἀμαλήκ. [8] Vide Joſue XVII. 16. *Non poterimus ad montana aſcendere, cum ferreis curribus utantur Chananæi, qui habitant in terra campeſtri*. [9] Ita Rabb. Hugo a S. Vict. Lyran. Toſtat. Cajet. Arias, Vatab. Munſt. Druſ. & alii pene omnes. [10] מני מכיר ירדו מחקקים [11] ומזבלון משכים בשבט ספר [12] Vide 4. Reg. XII. 10. & 2. Paral. XXIV. 11. Iſai. XXXVII. 15. 2. Eſdr. XIII. 13. [13] 2. Paral. XXVI. 11. Jerem. LII. 25. 1. Macch. V. 42. [14] Καὶ ἐκ Ζαβουλὼν ἐνισχύοντες ἐν σκήπτρῳ γραμματέως. Sym. διδάσκοντες μετὰ ῥάβδου γράμμα, *Qui docent Scripturam virga*. Theod. ἐπισπώμενοι ἐν ῥάβδῳ διηγήσεως, *trahentes virga inſtructionis*. [15] 2. Reg. VIII. 17. [16] 2. Reg. XX. 25. [17] 1. Paral. XXIV. 6. [18] 1. Paral. XXVII. 32.

Digitized by Google

Munus Scribæ egerunt apud Salomonem *Azarias* filius Sadoc ſummi Sacerdotis, *Elihoreph*, & *Ahia* filius *Siſæ*, qui facile idem eſt ac *Sira*, Scriba olim ſub Davide. Sub Ezechia Scribæ munere fungebatur *Sobna* (1), ſub Joſia Saphan (2). Nec aliam facile dignitatem obtinebat ſub eodem Rege Gamarias filius Saphan, & Eliſama (3). Eodem titulo donantur Baruc (4) & Junathan, ejuſdem ætatis viri (5); quamquam Regios Scribas hi non agebant. Tradit Joſephus (6), Saulem admonitum a Scribis fuiſſe, populum immolare ſuper terram, & fundere ſanguinem, contra apertam Legis cautionem.

Perſarum Regibus ſuos fuiſſe in Aula Scribas, ex Libris Eſdræ & Eſtheris intelligimus: munus autem obibant ſcribendi literas, edicta & diplomata Regis ac Præfectorum, de Regis juſſione. Majori tamen authoritate præſtabant Scribę, qui in Provincias mittebantur. Legimus quemdam Samſai Scribam, qui una cum Reum-Belteem, aliiſque Regiis Præfectis in Regno Samarię verſantibus literas ad Artaxerſem dedit (7). Per Regios Scribas exarari juſſit Aman edictum de interficiendis delendiſque Judæis (8). Scribarum Regum Perſarum meminit Herodotus libro III. Q. Curtius (9) & Joſephus (10); cujus muneris quanta eſſet dignitas, ex Eccleſiaſtico x. 5. *In manu Dei proſperitas hominis, & ſuper faciem Scribæ imponet honorem ſuum*. Operę pretium duximus unius contextus ſerie referre hic omnia, quæ pertinent ad munus & dignitatem Scribarum, quorum nomen hic primum legitur, recurretque non ſemel in decurſu Commentarii.

Ut vero ad Textum noſtrum regrediatur oratio, altera illi interpretatio aptari poſſet: *Egreſſi ſunt e Zabulon Duces, qui copias ſuas deducunt ſceptro*, vel *virga Scribæ*. Ad literam, *trahentes in virga Scribæ*. Animadverſum eſt ſupra IV. 6. familiare eſſe Scripturæ, ut verbum trahere pro deducere copias uſurpet. Debora ad Barac: *Trahe* [Vulgata, *Duc*] *exercitum in montem Thabor*. Virga vel ſceptrum ſignum eſt poteſtatis, omnibus olim nationibus commune. Demonſtratum eſt, nomen Scribæ vel *Sopher* titulum eſſe Præfecti tam civilis, quam militaris. Illud igitur hic innui videtur, Zabulonem in expeditione adverſus Siſaram partes ſuas optime obiiſſe; quæ interpretatio ex verbis proxime ſuccedentibus ℣. 18. confirmatur: *Zabulon & Nephtali obtulerunt animas ſuas morti*.

℣. 15. Duces Issachar fuere cum Debora. Perſpicua eſt & prona ſententia Vulgatæ. Hebræus vero ita ſonat ad literam (11): *Et Principes in Iſſachar* fuerunt *cum Debora, & Iſſachar, ſicut Barac, in vallem miſſus eſt in pedibus ſuis*. Ex Thabore irruit cum peditibus ſuis in agrum, ubi prælium commiſſum eſt. Debora nos Iſſachari Principes commendat, quod fœminæ Dei nomine loquentis vocibus morem geſſerint, ſeſeque diſcrimini cum Baraco objecerint, ruentes quodammodo ex monte, ut cum Baraco hoſtem aggrederentur, quamquam equitatu ac peditatu inſtructiſſimum, cum interim Baraci copiæ peditum eſſent ac prope inermes.

Diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio. Prodigium victoriæ a Baraco relatæ Debora magis magiſque commendatura, tres tantum Tribus in partem illius veniſſe memorat, videlicet Nephtali, Iſſacharum & Zabulonem; cæteras nihil minus quam de armis cogitaſſe. Ruben domeſticis ſeditionibus ſeceſſerat in partes, & viri quique in ea Tribu ampliſſimi inter ſe committebantur. Hujus diſſidii cauſæ & argumentum latent. Sunt qui abitum in contrarias ſententias ob expeditionem Baraci autumaverint; aliis ſcilicet bellum ſuadentibus, improbantibus aliis (12). Sed huic expoſitioni quod faveat, in Textu nihil occurrit.

Hebræus varias interpretationes patitur (13). In *diviſionibus*, ſeu in familiis *Ruben viri ſunt abſolutiſſimæ prudentiæ*, viri politicæ rei peritiſſimi, vel Principes, Magiſtratus, Duces ſtrenui, *magni corde*. Ter Debora in hoc Cantico utitur Hebræo *Chokek*, vel *Mechokek*; primo quidem in ℣. 5. ut innuat Principes Iſraelis: *Cor meum diligit Principes Iſrael*; iterum vero ℣. 14. ubi Principes Machir vel Galaad indicat: *De Machir Principes deſcenderunt*. Hic denique vox illa adhibetur in laudem virorum ampliſſimorum Ruben, qui commendantur elogio Principum ſtrenuiſsimorum, ingenio & ſapientia præſtantium. Porro ſapientia, ſcientia, & militaris virtus vel robur, ſtylo Scripturæ, in corde conſtituuntur.

Commode etiam Textus ita redditur: *Ruben habitabat in ſua ſorte, a cæteris Iſraelitis medio Jordane ſeparatus: ea Tribus plena eſt Principibus ſapientibus rerumque peritis*. Cur igitur in auxilium fratrum veſtrorum non acceſſiſtis? *Cur maluiſtis habitare inter greges veſtros, quam adverſus communem hoſtem concurrere?* Bonfrerius ita ſententiam reddit. Contentio Tribus Ruben, quæ illam remorata eſt ne veniret in auxilium fratrum ſuorum, meditationum & ſermonum multiplicem materiam præbuit.

℣. 16. Quare habitas inter duos terminos, ut audias sibilos gregum? Maluit Ruben quietam & tranquillam in medio gregum ſuorum vitam agere, quam omnibus derelictis in partem periculi cum fratribus ſuis venire. Reddi etiam Hebræus poſſet (14): *Cur inter duas diviſiones habitaſtis* (15)? vel inter duo ſtabula, vel duos animalium ordines, ad audiendos gregum veſtrorum ſibilos. Vel juxta Græcum quemdam Interpretem (16): *Ad captandos auribus canentes tibia paſtores?* Hanc loquendi phraſim (17), *habitare inter duas diviſiones*, deſignare potiſſimum autumo regionem ſitu & natura tutam, ut quæ undique aquis ambitur, & montibus (18). Ditionem Ruben muniebant amnes; ad orientem ſcilicet & meridiem torrens Arnon, ad occidentem Jordanes, ad ſeptentrionem Jabok. Sunt qui vertant: *Cur habitatis inter duas ſarcinas?* velut aſellus duplici ſarcina onuſtus: verum hæc ſignificatio ægre ex Hebræo elicitur. Vide noſtrum Commentarium in Pſalmum LXVII. 13. 14. ubi hiſtoria hæc indicatur & exponitur.

℣. 17. Galaad trans Jordanem quiescebat. Galaad ponitur hic pro incolis & montibus Galaaditidis. Regionem hanc tenebant partim quidem dimidia Manaſſis, partim vero Gaditarum portio.

(1) 4. Reg. XIX. 2. Iſai. XXXVI. 3. (2) 4. Reg. XXII. 3. 8. & ſeq. & 2. Par. XXXIV. 15. (3) Vide Jerem. XXXVI. 10. & 12. & 20. (4) Ibidem ℣. 26. (5) Jerem. XXXVII. 19. 20. (6) Joſeph. Antiq. l. 6. c. 7. ἀπαγγέλλεται τῷ βασιλεῖ ὑπὸ τῶν γραμματέων ὅτι τὸ πλῆθος ἐπὶ τὸν Θεὸν ἐξαμαρτάνει. (7) 1. Eſdr. IV. 8. 9. (8) Eſther III. 12. (9) Q. Curt. Vide Briſſon. l. 1. pag. 180. de Reg. Perſ. (10) Joſeph. Antiq. l. XI. c. 6. (11) ושרי בישׂשכר עם דברה וישׂשכר כן ברק בעמק שלח ברגליו (12) Ita Menoch. Cornel. Vat. Piſc. &c. (13) בפלגות ראובן גדלים חקקי לב Septuag. ἐν διαιρέσεσι Ῥουβὴν μεγάλοι ἀκριβασμοὶ καρδίας. Aq. μεγάλοι ἀκριβολογίαι καρδίας. Sym. μεγάλοι ἐξιχνιασμοὶ καρδίας, *Ingenti cordis profunditate; ſapientia incredibili*. Vox פלגות ſumitur pro diviſionibus familiarum 2. Paral. XXXV. 5. 12. & 1. Eſd. VI. 18. Et פלג pro diviſione regionis. Geneſ. X. 25. (14) למה ישבת בין המשפתים לשמע שרקות עדרים (15) Aqu. ἀνὰ μέσον τῶν κλήρων. Sym. ἀνὰ μέσον τῶν μεθορίων, *in medio vicinorum*. (16) Τοῦ εἰσακούειν συρισμοὺς ποιμένων. Alius συριγμοὺς ποιμνίων, *ſibilos gregum*. Alius συριγμοὺς ἐξεγειρόντων, *ſibilum excitantium*. (17) Vide Geneſ. XLIX. 14. *Iſſachar, aſinus fortis, accubans inter terminos*. (18) Pſalm. LXVII. 14. *Si dormiatis inter medios cleros* בין שפתים

Porro illæ otiabantur in regione ſua, uti Ruben in ſuo ſolo.

DAN VACABAT NAVIBUS. Hæc Tribus ad Mediterraneum conſidens, portuoſa quædam loca tenebat, inter quæ & Joppe cenſebatur. Hebræus (1). *Dan ut quid excurrebat navibus?* Cur non potius arma cum fratribus ſociavit in Siſaram?

ASER HABITABAT IN LITORE MARIS, ET IN PORTUBUS MORABATUR. Scitum eſt, Aſer ditionem tenuiſſe in Phœnicia, & ad oras Mediterranei: quæ loci opportunitas ad maritima commercia & navigationes illum invitabat. Textus originalis ita commode redditur (2): *Aſer ſedit in litore maris, & ſuper fracturas ſuas habitat*. Talibus hæc loci ſitu opportuniſſima erat ad opem cæteris Tribubus conferendam, quippe quæ regionem poſſideret Nephtali & Zabuloni conjunctam; ſed in litore maris ſedens, commerciis ſuis tota occupabatur, maluitque in ruderibus ſuis & in urbibus ſemirutis habitare (3), quam in prælium adverſus hoſtes proficiſcens objicere ſe ſe diſcrimini cum fratribus ſuis. Septuaginta dictum accipere videntur de portubus maris, locisque vel ſcopulis præruptis (4): *Aſer ſedit ad litus maris, & tentoria ejus ſuper ejus abrupta*, vel ſuper latera ejus prærupta.

℣. 18. IN REGIONE MEROME. Reddi poteſt Hebræus על מרמי שדה *Excelſa agri*, vel *agri Merome*. Septuaginta (5): *Altitudines agri ſui*. Creditur Debora innuere hic agrum monti Thabori ſubjectum, ubi prælium cum Siſara commiſſum eſt. Nullibi apud Geographos occurrit *Terra Merome*; ſed in Joſue XI. 5. legas *Aquas Merom*, juxta quas Jabin aliique Chananæi Reges prælio a Joſue victi ſunt. Ejuſmodi Aquæ Merom idem putantur eſſe ab Interpretibus pleriſque ac Lacus Semechon, cui adjacebat Aſor, aliquo intervallo a fontibus Jordanis diſtans: quæ tamen ſententia nonniſi futilibus conjecturis probatur. Nos alia congeſſimus in commentario ad Joſue, ut probaremus, Merom ſtatuendum eſſe circa Thanac, & Mageddo.

Ut vero mentem Deboræ melius aſſequamur, ejuſque loquentis verba inter ſe cohæreant, duo prælia neceſſario diſtinguenda ſunt, vel ſi mavis plures armorum conflictus, in locis magno diſſitis intervallo. Decertatum eſt ad radices Thaboris, ad Mageddo, ad Thanac, ad Merom. Barac cum ſuis decem millibus ex Iſſacharo, e Thabore deſcendens, in Siſaram ruit, uti ℣. 15. narratur. Ex alia parte Zabulon & Nephtali Chananæos in Thanac, Mageddo & Merom aggreſſi ſunt. Varia ea loca Reges Chananæi, de quibus actum eſt in ℣. 19. occupaverant, prohibituri facile ne cæteræ Tribus trans Torrentem Ciſon habitantes, ſuppetias Iſſacharo, Zabuloni & Nephtali ferrent. Ita concilianda credimus verba Deboræ de cæſo exercitu Siſaræ a Baraco, decem tantummodo millibus peditum armato, ad radices Thaboris, cum iis, quæ ℣. 8. tradit de *quadraginta millibus Iſrael*; tum & aliis ℣. 18. 19. de Regibus Chanaan victis ad Merom, ad Mageddo, ad Thanac, armis Zabulonis, & Nephtali.

℣. 19. PUGNAVERUNT REGES CHANAAN IN THANACH, JUXTA AQUAS MAGEDDO, ET TAMEN NIHIL TULERE PRÆDANTES. Urbs Thanach ter mille paſſibus, vel unica leuca a Legione aberat (6); Mageddo jacebat pariter ad torrentem Ciſon: Merom meridionalior erat (7); neque enim niſi XII. M. paſſibus a Sebaſte diſtabat. Tres ex urbes quatuor vel quinque leucis a monte Thabore aberant, cum Legionem inter & Nazareth, Urbem juxta Thaborem ſitam (8) XV. M. paſſuum intercederent, atque urbes Thanach, Mageddo, & Merom circa Legionem occurrerent. Pro eo quod eſt in Vulgata, *Nihil tulere prædantes*, in Hebræo legitur: *Argenti quidquam non acceperunt* (9). Porro metallum illud redigebatur in virgas, vel in fruſtula; nec enim ſignandæ monetæ, qualis hodie, uſus tunc obtinebat. Reddunt alii: *Non talerunt ullum argenti commodum*. Exponunt id de Iſraelitis, qui nemini ex hoſtibus parcentes, oblatum ab illis pro redemptione ſua pretium recuſarunt, ditiſſimiſque relictis ſpoliis, urgendis hoſtibus inſtabant, vel tandem, prædam illam in oblationem Domino conſecrarunt.

℣. 20. STELLÆ MANENTES IN ORDINE ET CURSU SUO, ADVERSUS SISARAM PUGNAVERUNT. Exhibentur hic ſtellæ tanquam in aciem inſtructæ, quæ ordinem ſuum, gradumque tuentes pugnaverint in Siſaram. Sed quæ hujuſmodi pugna? adhuc enim in vehementiſſimis exaggerationibus veritatis aliquid ſubeſt. Putarunt quidam (10) ſidera noxiis influxibus ſuis gravia incubuiſſe capiti militum Siſaræ, faviſſe autem iiſdem influxibus agmini Baraci. Malunt alii (11) Angelos, a Debora hic ſideribus comparatos, quod natura inſtruantur ſpiritali & luminoſa, terrorem injeciſſe in caſtra hoſtium; pro Iſraelitis vero in Siſaram decertaſſe. Angeli quidem, & Sancti ſtellis interdum comparantur; nec ſemel beati illi ſpiritus adverſus hoſtes populi Dei dimicarunt (12).

Tradit Joſephus (13) Cœlum excuſſiſſe in Chananæos gravem nimbum aquarum, grandinis, & pluviæ, qui cum in ora hoſtium urgeretur, aſpectum Iſraelitarum illis impediebat, prohibebatque ne arcu, funda, & gladio uterentur. Contraria omnia accidebant Hebræis, quibus poſt tergum nimbus cadebat, quique eodem tanquam dato ſibi cœlitus auxilio utebantur. Stellas in ordine ſuo manſiſſe, & ſtatum curſum retinuiſſe, canit Debora (14), ut prodigium illud ab altero ſub Joſue diſtingueret (15); tunc enim aſtra curſum intermiſera, ſteteruntque non ſine prodigio Sol, & Luna, & ſtationem forte etiam imperarunt cæteris corporibus cœleſtibus, quorum motus ex illorum motu dependet.

℣. 21. TORRENS CISON TRAXIT CADAVERA EORUM; TORRENS CADUMIM, TORRENS CISON. CONCULCA, ANIMA MEA, ROBUSTOS. Cum prælium ad torrentem illum commiſſum fuiſſet, & hoſtes præcipiti ac tumultuaria fuga alveum ſubtiiſſent, fluenti vorticibus plures abſorpti ſunt: torrens iſte traxit, vel juxta vim Hebraici vocabuli (16), *everrit* eorum cadavera. Torrens Ciſon appellatur torrens *Cadumim*, ſive quod ex Oriente in Occidentem deflueret, *Kedem* enim non ſemel eſt Oriens; ſeu vetuſtatis ſuæ gratia, torrens vetus: ſed epithetum hoc putidum videretur in hoc Textu. Sunt qui credant, duos ibi fluxiſſe torrentes, quorum fontes circa montem Thaborem eſſent: ex his vero alter ex Occidente in Orientem delatus, influebat in Mare Tiberiadis, vel in Jordanem, hic autem eſt *Cadumim*. Torrens alter devolvebatur in Mediterraneum, ad montem Carmelum, innuiturque hic nomen Torrentis Ciſon. Sed hujus hypotheſis argumenta adhuc expectantur. Nihil occurrit ſive in Joſepho, ſive in Scriptura, quod

(1) דן למה יגור אניות (2) אשר ישב לחוף ימים ועל מפרציו ישכון (3) Ita Vatab. hic & Maſ. ad Joſue XIX. 31. (4) Ἀσὴρ παρῴκησε παρ᾽ αἰγιαλὸν θαλασσῶν καὶ ἐπὶ τὰς διακοπὰς αὐτοῦ κατασκηνώσει. Alius διακοπάς, ſeparationes. Alius διεξόδους, egreſſus. (5) Ἐπὶ ὕψη ἀγροῦ. Aq. ὕψη χώρας. Sym. ὑψηλῶν χώρων. (6) Euſeb. & Hieron. in locis. (7) Vide Joſue XI. 5. & Tabulam Geographicam, & Euſebium. (8) Euſeb. in Nazaret. (9) בצע כסף לא לקחו (10) Kimchi, Rabb. Salom. &c. apud Serar. qu. 12. (11) Ita Rupert. Grot. Vat. Mariana, Eſt. Valeſ. de Sacr. Philoſ. c. 31. (12) 2. Macch. X. 29. & XI. 8. (13) Joſeph. Antiq. l. 5. c. 6. (14) ממסלותם Ex via ſtata ſua. Septuag. Codic. Rom. ἐκ τῶν τρίβων αὐτῶν. (15) Lyran. Cajet. Bonfr. alii. (16) גרפם ἐξέβαλεν αὐτούς: *Ejecit eos*. Codex Rom. ἐξέωσεν, *tradidit eos*.

quod probet eſſe torrentem hunc Cadumim, qui in Mare Tiberiadis deſineret. In Libro Judith VII. 3. legitur locus quidam Cadmon, vel *Cedmon* appellatus, & circa eam plagam jacens. Vulgata legit *Chelmon*, Græcus *Cyamon*; verum Syriacus genuinam lectionem; nempe Cadmon, retinuit. Symmachus, & Theodotio, pro Cadumim legentes *Kadeſim*, ille quidem reddidit vallem ſanctam; hic vero torrentem *Cadeſim* (1). Pagum non modicum nominis Cammon Euſebius ad viam regiam ex mille paſſibus a Legione in ſeptentrionali ejus plaga conſtituit. Porro Cammon idem eſt locus ac Cadmon Judith 7. 3.

℣. 22. Ungulæ equorum ceciderunt. Nova recurrit exaggeratio, quam ad literam cave accipias. Hebræus (2): *Ungula equorum parem reddidit fragorem incudi malleo percuſſæ, præcipiti fortium fuga, qui eos ſtimulabant*. Idem hic canit Debora, quod & Virgilius:

Quadrapedante putrem ſonitu quatit ungula campum. Expendere juvat in Hebræo verbum *Dahar*, quod præcipitem curſum plane exprimit; ac perſimili vocabulo utimur vernaculo ſermone Gallorum, quo præcipitem curſum indicemus: uſurpamus enim: *Dare Dare*. Sunt qui reddant (3): *Tunc ungulæ equorum contritæ ſunt*, confractæ, *præcipiti fugientium curſu*. Nullo olim ferro muniebantur ungulæ equorum, uti Xenophontis non unico teſtimonio conſtat. Bucephalus Alexandri tritas maxime ex aſſiduitate currendi ungulas habebat. In ſtatuis, & cælaturis Veterum expreſſi equi ferratos pedes non exhibent. Contraria tamen exempla quædam ſuppetunt. Luculenter deſcribit Homerus (4) equos Græcorum, qui terram ære ſuo quatientes, ingenti fragore reſonabant; ære, inquam, ideſt, ait Euſtathius, ferreis ſemicirculis, inſtar cornutæ lunæ, quibus ungulæ pedum illorum muniebantur. Muli Neronis ſoleati erant argento (5); & Poppææ ejus uxoris auro. Tradit Nicetas (6), evertiſſe Latinos ſtatuam quamdam equeſtrem, quæ dicata credebatur Joſue filio Nun, vel Bellerophonti, cujus ſtatuæ ſub ferro pedem muniente, hominis figura reperta eſt. Sunt tamen hodie pariter in Arabia, & Tartaria equi eximii, nullo unquam ferro ſoleati (7).

℣. 23. Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini; maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini. Loci nomen eſſe Meroz, de cujus incolis hic ſermo eſt, ne ambigentes quidem credimus: reputandum eſt autem, cives illos præcepto aliquo juſſos fuiſſe ſuppetias exercitui Dei ferre; niſi enim id eſſet, maledictis hic minime devoverentur, quod venire recuſaſſent. Cum autem ſolis Iſraelitis imperatum id fuiſſet, recte inſeras, Terram Meroz ad Iſraelitas pertinuiſſe. Sed quæ regio hujus nominis? Nemini ad noſtram uſque ætatem ſatis adhuc explorata eſt. Euſebius unum eumdemque locum *Merom* & *Meroz* reputaſſe ideo viſus eſt, quod de Merom agens, ſcribat, occurrere Meroz XII. M. paſſibus a Sebaſte, prope Dothaim. Pagninus in Euſebii ſententiam conceſſit; nec ſane altera plauſibilior eſt, Merom Iſraelitis parebat, ejuſque urbis Cives detrectaſſe videntur arma in hac expeditione fratribus ſuis ſociare, vel forte ſufficere annonas, vel locum ad caſtra metanda, quamquam id poterant commode, nec diſcrimen fratrum ſuorum ignorabant. His enim omnibus de cauſis maledicta, de quibus hic, in caput ſuum inducere potuerunt.

Rabbinorum plerique (8), & poſt illos, Interpretum quidam *Meroz* nomen eſſe cenſent viri alicujus prope Ciſon, qui cum ſuppetias ferre Iſraelitis in expeditione Chanaanitica recuſaret, anathemate ad ſonitum quadringentarum buccinarum pronunciato, a Baraco inuſtus eſt: ipſum autem Baracum nomine Angeli Domini deſignatum hic autumant. Malunt alii Meroz interpretari de Angelo Chananæorum, vel de aſtro quod Siſaræ favebat, quod maledictis devotum eſt ab Angelo Domini, qui Iſraelitarum partibus adhærebat. Sed hæc omnia contemptu digniſſima ſunt. *Meroz* loci nomen erat.

Angelus hic Domini diras Meroz devovens, argumentum eſt diſſidiorum. Defendunt quidam (9), ipſiſſimum eſſe S. Michaelem Archangelum, qui tamquam ſupremus populi Dei Princeps expeditioni huic præfuit; alii accipiunt (10) de Baraco, vel de Summo Sacerdote, vel Propheta aliquo, vel Debora, vel Angelo Cœli. Singulis hiſce opinionibus ſua militant argumenta & defenſores; ſed certitudo æque omnibus deeſt. Vide ſupra II. 1.

℣. 24. Benedicatur in Tabernaculo suo. In tentorio ſuo ad agendas gratias conveniatur; egregium ejus factum, obtruncato Siſara, quem in tentorium ſuum excepit, commendetur. Ita pariter reddi poſſet totius hujus verſiculi Hebræus (11). *Jahel uxor Haber Cinæi benedicatur inter mulieres; benedicatur inter mulieres, quæ habitant in Tabernaculis*. Probæ fœminæ glorioſum epithetum additur: *Ea quæ manet in domo ſua*; quæ laus fœminis omnibus communis eſt (12): Benedicta ſit inter fœminas prudentes, quæ domos ſuas curant; laus illi ſit inter matronas maxime probas, & honeſtas.

℣. 25. Aquam petenti lac dedit, et in phiala Principum obtulit butyrum; vel lactis cremorem. In præcedenti Capite, in quo Hiſtorico magis ſtylo idem narratur, legimus, Siſaram frigidæ poculum poſtulaſſe, Jahelem vero obtuliſſe utrem, ſeu vas ex corio, lacte ſpumans: hic autem innui videtur, cum Siſaræ lac bibendum obtuliſſet, paviſſe illum pariter butyro, vel lactis cremore in expanſa lance. Ita exponunt Chaldæus, & Kimchi. Plerique oblatum a fœmina credunt lac pingue cum cremore; vel juxta alios, lac merum, ex quo butyrum expreſſum fuerat (13).

Hebræum *Sephel* (14), unde nomen *Sympula*, ex Hebræis communicatum eſt Lydiis: ex his tranſiit ad Etruſcos, ex Etruſcis ad Romanos (15). Eſt autem genus quoddam vaſis, quo vinum hauritur, coram Diis fundendum. Olim erant fictilia; quam rem de ſua etiam ætate affirmat Plinius (16): *In ſacris etiam inter has opes hodie non murrhinis, cryſtallinisve, ſed fictilibus prolibatur ſym-*

[1] נחל קדומים pro קדשים Sym. ἁγίων φάραγξ. Malo in editis αἰγῶν φάραγξ. Theod. Καδησίμ. [2] אז הלמו עקבי סוס מדהרות דהרות אביריו Verbum הלם est incudem percutere; & הלמות est malleus. Judic. v. 26. Pſalm. LXXIII. 6. Iſai. XLI. 7. [3] Septuag. τότε ἀπεκόπησαν πτέρναι ἵππων, *Tunc abſciſſæ ſunt ungulæ equorum*. Codex Rom. τότε ἐνεποδίσθησαν, *Tunc impeditæ ſunt*. Cod. Baſil. τότε ἐνευροκοπήθησαν, *Tunc ſubnervatæ ſunt*. [4] Homer. Iliad. Ψ. Ἐν πεδίῳ, τῶν ὀρτὰς ἐπέγδουπον πόδες ἵππων, χαλκῷ ἐπισσώτρῳ, &c. Euſtath. χαλκὸς δὲ νῦν λέγει τὰ ὑπὸ τοῖς ποσὶ τῶν ἵππων. [5] Suet. in Nerone c. 30. Plin. l. XXXIII. c. 11. *Noſtra quoque ætate Poppæa, conjux Neronis Principis, delicatioribus jumentis ſuis ſoleas ex auro quoque induere ſolebat*. [6] Nicetas Hiſtor. circa finem apud Panciroll. lib. 2. [7] Tavernier tome 1. l. 2. c. 5. [8] Gemar. Babylon. ad tit. Moed-caton cap. 3. Jarchi & Thalmudiſtæ. Vide Selden. l. 2. cap. 7. de Synedr. [9] Toſtat. [10] Chaldæus. Vide Serar. qu. 15. & 16. [11] תבורך מנשים יעל אשת חבר הקיני מנשים באהל תבורך [12] Vide Druſ. hic. [13] Vide Cap. IV. ℣. 19. [14] בספל אדירים הקריבה חמאה [15] Grot. hic. [16] Plin. l. 35. c. 53. Juvenal. Satyr. 6.

. . . . . Aut quis
Sympuvium ridere Numæ nigrumque Catinum,
Aut vaticanos fragiles de monte patellas
Auſus erat . . . . .

ſympuciis, vel *ſympulis*. Quæ tamen hodie in Muſeis ſervantur, ex ære ſunt. Hebræum *Sephel* reddiderunt Septuaginta *Leeanen*, quod vas patulum eſt, uti & *phiala*, quæ legitur in Vulgata. Totus proxime ſequens verſiculus Textus Originalis ita reddi poſſet: *Petenti aquam lac dedit, obtulit cremorem lactis in ſympula fortium*, virorum nempe Principum.

℣. 26. SINISTRAM MANUM MISIT AD CLAVUM, ET DEXTERAM AD FABRORUM MALLEOS. Textus Vulgatæ perſpicuam ſententiam reddit: ita vero Hebræus redditur (1): *Manum ſuam* [ſiniſtram] *miſit ad clavum; & dextera ejus ad malleum laborantium; contudit Siſaram malleo; transfixit caput ejus* (2) *transfixit illum, penetravit tempus ejus* clavo. Septuaginta (3): *Malleo terebravit Siſaram, perforavit caput ejus, perforavit tempus ejus.* Theodotion (4): *Præcidit caput ejus, fregit caput ejus, perforavit mandibulam ejus.* Symmachus (5): *Perforavit caput ejus clavo*, vel paxillo, quo tentoria erecta ſuſtinentur; *& fregit caput illius.*

℣. 27. INTER PEDES EJUS RUIT. Totus verſiculus in Hebræo ita ſonat ad literam (6): *Decubuit, cecidit, inter pedes ejus curvavit ſe; cecidit, inter pedes ejus curvavit ſe, mortuus cecidit*, oppreſſus victus [in eodem loco] *ubi decumbebat*. Jahelem exhibet Debora, Siſaram pedibus ſuis conterentem, & elato pede calcaturam ſe ventrem ejus minitantem, ſi quis in eo motus ſupereſſet. Quaſi vero unico verbo ſatis exprimere caſum infelicis Principis non poſſet, ter idem repetit. Cecidit, curvavit ſe, dejectus eſt, curvavit ſe inter pedes ejus, interiit, cecidit, expiravit: frigidus rigenſque ibi relictus eſt, ubi decumbebat.

℣. 28. PER FENESTRAM RESPICIENS ULULABAT MATER EJUS, ET DE CŒNACULO LOQUEBATUR. Conceptus hic & poetica exprimendi phraſis animum excitat, detinetque jucunde. Hebræus in eamdem ſententiam ſonat (7): *Per feneſtram reſpexit, & exclamavit mater Siſaræ per conclave*, ſeu potius *per cancellos feneſtræ*. Feneſtræ enim in Oriente, quæ præſertim in ædibus ſunt fœminarum, cancellis undique clauduntur. Conſtat autem ex Proverbiis VII. 6. ubi eadem Hebræa vox אשנב occurrit, deſignari illa cancellos: *De feneſtra domus meæ per cancellos proſpexi.*

℣. 29. UNA SAPIENTIOR CÆTERIS UXORIBUS EJUS, HÆC SOCRUI VERBA RESPONDIT. Matri Siſaræ hæc reſpondiſſe ejuſdem Principis uxorem, non exprimit Textus originalis; ita enim fert ad literam (8): *Sapientes Dominæ ejus reſpondebant ei, etiam ipſa convertebat dicta ſua ſibi*, ſeſe ſolatura. *Nonne invenient, divident ſpolium?* Ideſt, mater Siſaræ per feneſtræ ſuæ cancellos proſpiciens, quod expectantis eſt & inquieti animo, querebatur de longiore filii ſui mora: quæ vero illam comitabantur matronæ, querelas ſuas & ploratus querelis ejus & ploratibus miſcebant. Hæc familiaris eſt ſignificatio vocis *reſpondere* in his rerum articulis. Denique mater Siſaræ dejectum animum ſolabatur, blandiens ſibi, fortaſſe filium dividenda ex hoſte præda occupari. Congruunt hæc mirifice matri inter ſpem & metum fluctuanti.

℣. 30. FORSITAN NUNC DIVIDIT SPOLIA. Textus originalis ad literam ita redditur (9): *Nonne invenient, divident ſpolium, Amaſia vel Amaſiæ duæ capiti viri* unius, *ſpolium colorum*, variatum ſcilicet, *Siſaræ; ſpolium colorum recamatum, color, recamata duo collis ſpolii* [ſunt pro torque, pro ornamento ejus qui prædam retulit]. Mendum facile irrepſit in Textum Hebræum, ut pro *Amaſia* vel *Amaſiæ duæ* ad literam, *venter vel duo ventres*, quod nullibi occurrit, & pronum nullum ſenſum reddit, legendum ſit, *opera recamata*. Qua admiſſa Textus correctione hunc ſenſum eliceerem: *Forſitan retulerunt*, ad literam, *invenerunt, & occupati ſunt dividendis ſpoliis. Principi fortium aſſignatur inter opera Phrygia pulcherrimum*, ad literam, *opus recamatum recamatorum; ſpolia colorata Siſaræ, ſpolia colorata Phrygia, variata, Phrygia, ſunt in ornamentum colli victoris*; vel planius, juxta Vatablum, *ſunt pro collo*, vel pro Imperatore, pro eo qui ſpolia dividit, pro Siſara. Interpretatio hæc & ſenſus proni fluunt, totaque correctio in eo tantum verſatur, ut ſubſtituatur literula ejuſdem vel pene æqualis valoris & ſoni in locum alterius: vel tandem, *ſunt* pro ornamento *colli militum*, vel onus gratum colli victorum; colla onuſta ingenti præda milites ferent.

℣. 31. QUI AUTEM DILIGUNT TE, SICUT SOL IN ORTU SUO SPLENDET, ITA RUTILENT. Brevior eſt in Hebræo ſententia (10): *Diligentes eum ſecundum exire ſolis in fortitudine ſua*. Qui Dominum diligunt, ita ſe habeant, quomodo ſol exoriens; creſcant in dies gloria, quomodo ſol ſuper horizontem aſcendens, pari paſſu luce augetur. Vel potius: *Sint ſicut ſol, cum procedit in fortitudine ſua*, cum ſcilicet ab horizonte ſurgit, vel cum aſcendit diebus canicularibus, & tranquillo ſereno fulgentiſſimis. Juſtos non ſemel lumini auroræ & Solis (11) comparat Scriptura. Davidi ſpondet Deus futurum (12), ut clareſcat *ſicut lux auroræ, oriente ſole, mane abſque nubibus rutilat*. Et Sapiens de inclyta matrona agens, illam *ſoli orienti in mundo* (13) comparat.

℣. 32. QUIEVIT TERRA PER QUADRAGINTA ANNOS; ideſt, a deceſſu Aodi uſque ad obitum Baraci quadraginta annorum ſpatium interceſſit, duravit ſervitus annis ſaltem viginti (14); quare & pax a Baraco parta totidem annos non exceſſit. Fertur Barac ſepulturæ mandatus fuiſſe in Cades Nephtali, patria ſua, ubi ſepulchrum ejus ſe inviſiſſe, Beniamin Tudelenſis in ſuo Itinerario teſtatur.

(1) ידה ליתד תשלחנה וימינה להלמות עמלים והלמה סיסרא מחקה ראשו ומחצה וחלפה רקתו

(2) מחץ proprie eſt *transfodere caput*. Vide Pſalm. LXVII. 22. CIX. 6. Abacuc III. 13.

(3) Septuag. ἐσφύρησε Σισάρα, διήλωσε κεφαλὴν αὐτοῦ, καὶ συνέτριψε, διήλωσε κρόταφον αὐτοῦ.

(4) Th. ἀπέτεμε τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, καὶ ἔθλασε, καὶ διήλωσε τὴν γνάθον αὐτοῦ.

(5) Διήλωσε διὰ τοῦ κρόταφον τὸν πάσσαλον, καὶ ἔθλασε τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ.

(6) בין רגליה כרע נפל שכב בין רגליה כרע נפל באשר כרע שם נפל שדוד

(7) בעד האשנב Septuag. Cod. Reg. & Baſil. διὰ τῆς δικτυωτῆς, aliter ἐκτὸς τοῦ τοξικοῦ, *poſt feneſtram*, vel per rimam parietis, unde tela faciuntur.

(8) חכמות שרותיה תענינה אף היא תשיב אמריה לה

(9) הלא ימצאו יחלקו שלל רחם רחמתים לראש גבר שלל צבעים לסיסרא שלל צבעים רקמה צבע רקמתים לצוארי שלל Lego רקם רקם הים [uti habet paulo poſt Textus] רקמה רקמתים

(10) ואהביו כצאת השמש בגברתו

(11) Vide Eccli. XVII. 18. XXIII. 28. I. 7. Matth. XIII. 43.

(12) 2. Reg. XXIII. 5. Vide & Pſalm. LXXXVIII. 38.

(13) Eccli. XXVI. 21.

(14) Vide ſupra III. 5.

C A-

Digitized by Google

CAPUT VI.

Servitus Iſraelitarum ſub Madianitis, ad quam ſolvendam Gedeon a Deo ſeligitur. Is Aram Baalis evertit. Vellus rore perfuſum, arente circum area: tum vellus aret, area circum madente.

℣. 1. FEcerunt autem filii Iſrael malum in conſpectu Domini: qui tradidit illos in
manu Madian ſeptem annis, 2. Et oppreſſi ſunt valde ab eis. Fecerunt- Ab anno M. 2752. ad 2759.
que ſibi antra, & ſpeluncas in montibus, & munitiſſima ad repugnandum loca. 3.
Cumque ſeviſſet Iſrael, aſcendebat Madian, & Amalec, cæterique Orientalium natio-
num: 4. Et apud eos figentes tentoria, ſicut erant in herbis cuncta, vaſtabant uſ-
que ad introitum Gazæ: nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Iſrael,
non oves, non boves, non aſinos. 5. Ipſi enim, & univerſi greges eorum venie-
bant cum tabernaculis ſuis, & inſtar locuſtarum univerſa complebant, innumera mul-
titudo hominum & camelorum, quidquid tetigerant devaſtantes. 6. Humiliatuſque eſt
Iſrael valde in conſpectu Madian. 7. Et clamavit ad Dominum poſtulans auxilium
contra Madianitas. 8. Qui miſit ad eos virum prophetam, & locutus eſt: Hæc di-
cit Dominus Deus Iſrael: Ego vos feci conſcendere de Ægypto, & eduxi vos de
domo ſervitutis, 9. Et liberavi de manu Ægyptiorum, & omnium inimicorum, qui
affligebant vos: ejecique eos ad introitum veſtrum, & tradidi vobis terram eorum.
10. Et dixi: Ego Dominus Deus veſter, ne timeatis deos Amorrhæorum, in quorum
terra habitatis. Et noluiſtis audire vocem meam. 11. Venit autem Angelus Domi-
ni, & ſedit ſub quercu, quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Joas patrem familiæ A. M. 2759. ante J. C. 1245.
Ezri. Cumque Gedeon filius ejus excuteret, atque purgaret frumenta in torculari, ut
fugeret Madian, 12. Apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum, viro-
rum fortiſſime. 13. Dixitque ei Gedeon: Obſecro, mi domine, ſi dominus nobiſcum
eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia? ubi ſunt mirabilia ejus, quæ narraverunt
patres noſtri, atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos Dominus? nunc autem dereli-
quit nos Dominus, & tradidit in manu Madian. 14. Reſpexitque ad eum Dominus,
& ait: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſrael de manu Madian: ſcito, quod
miſerim te. 15. Qui reſpondens ait: Obſecro, mi domine, in quo liberabo Iſrael?
ecce familia mea infima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei. 16.
Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum, & percuties Madian quaſi unum virum. 17.
Et ille: Si inveni, inquit, gratiam coram te, da mihi ſignum, quod tu ſis, qui lo-
queris ad me. 18. Nec recedas hinc, donec revertar ad te portans ſacrificium, &
offerens tibi. Qui reſpondit: Ego præſtolabor adventum tuum, 19. Ingreſſus eſt ita-
que Gedeon, & coxit hædum, & de farinæ modio azymos panes: carneſque ponens
in caniſtro, & jus carnium mittens in ollam, tulit omnia ſub quercu, & obtulit ei.
20. Cui dixit Angelus Domini: Tolle carnes, & azymos panes, & pone ſupra pe-
tram illam, & jus deſuper funde: Cumque feciſſet ita, 21. Extendit Angelus Do-
mini ſummitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes, & panes azy-
mos: aſcenditque ignis de petra, & carnes, azymoſque panes conſumpſit: Angelus
autem Domini evanuit ex oculis ejus. 22. Videnſque Gedeon quod eſſet Angelus
Domini, ait: Heu mi, Domine Deus: quia vidi Angelum Domini facie ad faciem.
23. Dixitque ei Dominus: Pax tecum, ne timeas, non morieris. 24. Ædificavit er-
go ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud, Domini pax, uſque in præſentem
diem. Cumque adhuc eſſet in Ephra, quæ eſt familia Ezri, 25. Nocte illa dixit
Dominus ad eum: Tolle taurum patris tui, & alterum taurum annorum ſeptem, de-
ſtrueſque aram Baal, quæ eſt patris tui: & nemus, quod circa aram eſt, ſuccides;
26. Et ædificabis altare Domino Deo tuo in ſummitate petræ hujus, ſuper quam ante
ſacrificium poſuiſti: tolleſque taurum ſecundum, & offeres holocauſtum ſuper ſtruem
lignorum, quæ de nemore ſucciderіs. 27. Aſſumptis ergo Gedeon decem viris de
ſervis ſuis, fecit, ſicut præceperat ei Dominus. Timens autem domum patris ſui, &
homines illius civitatis, per diem noluit id facere, ſed omnia nocte complevit. 28.
Cumque ſurrexiſſent viri oppidi ejus mane, viderunt deſtructam aram Baal, lucum-
que ſucciſum, & taurum alterum impoſitum ſuper altare, quod tunc ædificatum erat.

29. Di-

29. Dixeruntque ad invicem: Quis hoc fecit? Cumque perquirerent auctorem facti,
dictum eſt: Gedeon filius Joas fecit hæc omnia. 30. Et dixerunt ad Joas: Produc
filium tuum huc, ut moriatur: quia deſtruxit aram Baal, & ſuccidit nemus. 31. Qui-
bus ille reſpondit: Numquid ultores eſtis Baal, ut pugnetis pro eo? qui adverſarius
eſt ejus, moriatur antequam lux craſtina veniat: ſi Deus eſt, vindicet ſe de eo, qui
ſuffodit aram ejus. 32. Ex illo die vocatus eſt Gedeon, Jerobaal, eo quod dixiſſet
Joas: Ulciſcatur ſe de eo Baal, qui ſuffodit aram ejus. 33. Igitur omnis Madian, &
Amalec, & Orientales populi congregati ſunt ſimul: & tranſeuntes Jordanem, caſtra-
metati ſunt in valle Jezrael. 34. Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens
buccina convocavit domum Abiezer, ut ſequeretur ſe. 35. Miſitque nuntios in uni-
verſum Manaſſen, qui & ipſe ſecutus eſt eum: & alios nuntios in Azer, & Zabulon,
& Nephthali, qui occurrerunt ei. 36. Dixitque Gedeon ad Deum: Si ſalvum facis
per manum meam Iſrael, ſicut locutus es, 37. Ponam hoc vellus lanæ in arca: ſi ros
in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam, quod per manum meam, ſicut
locutus es, liberabis Iſrael. 38. Factumque eſt ita. Et de nocte conſurgens expreſſo
vellere, concham rore implevit. 39. Dixitque rurſus ad Deum: Ne iraſcatur furor
tuus contra me, ſi adhuc ſemel tentavero, ſignum quærens in vellere. Oro, ut ſolum
vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens. 40. Fecitque Deus nocte illa, ut po-
ſtulaverat: & fuit ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni terra.

℣. 1. IN MANU MADIAN. Tenebat gens illa orientem maris mortui (1); cujus regionis Metropolis jacebat ad Arnon, in finibus regionis Moabiticæ. Sunt autem iidem Mianitæ, quorum Principes præliati ſunt in exercitu Sehonis adverſus Iſraelem (2), quorum filiæ cum puellis Moabiticis Dei populum in ſtuprum & Idololatriam pellexerunt (3). Injuriam ulturus Moyſes, cruento bello illos oppreſſit (4), ſed tandem ex oppreſſione ſua ſurgentes, junctoque fœdere cum Amalecitis cæteriſque orientalibus, Iſraelitas ſubmiſerunt, ea ſervitute, de qua hic.

℣. 2. FECERUNT SIBI ANTRA ET SPELUNCAS IN MONTIBUS, ET MUNITISSIMA AD REPUGNANDUM LOCA, minime auſi in aperto agro manere, ob frequentes hoſtium incurſiones: neque licebat illis frui partis labore manuum ſuarum fructibus, cum Madianitæ quotannis agros vaſtarent. Quare exciſis ſibi in monte antris & ſpeluncis, lociſque inacceſſis, perfugia hæc ſibi, uxoribus, filiis procurarunt, quo ſimul redigebant quæcumque ex agris ſuis colligerent, antequam hoſtes omnia raperent.

℣. 3. ASCENDEBAT MADIAN ET AMALEC, CÆTERIQUE ORIENTALIUM NATIONUM. Amalecitæ olim latiſſime ſeſe diffuderant, tenebantque varias Arabiæ Petrææ regiones. Animadvertere licuit in Exodo Amalecitas, qui Hebræos paulo poſt egreſſum ab Ægypto in Raphidim aggreſſi ſunt (5). Alii eorum pariter tenebant montes ad meridiem Palæſtinæ, in finibus Cades-barne & Arad (6). Ibi pariter conſidebant Cinæi, qui mixti cum Amalecitis habitabant, quo tempore Saul bellum Amaleco indixit (7). Amalecitarum meridionalium injuria, urbs Siceleg incendio vaſtata (8), & uxores Davidis captivæ abductæ ſunt.

Viciſſim autem Amalecitarum alii occurrebant ad orientem Chanaanitidis, circa regiones Madianitarum & Moabitarum. Balaam conſcenſo Moabitarum monte, jacentes non procul Amalecitas aſpexit (9). Porro hi Amalecitæ, ſociato fœdere cum Madianitis aliiſque vicinis gentibus, ditionem Iſraeliticam late vaſtarunt. Regionis Amalecitæ totum tractum aperte definit Scriptura, tradens (10), Saulem late fudiſſe gentes illas ab Hevila uſque ad deſertum Sur, Ægypto proximum. Hevila Euphratem verſus, & in Arabia Petræa, ac circa mare Rubrum jacebat. In regionem Amalecitarum *Sur* excurrebat David, quo tempore apud Achis Regem Geth verſabatur (11).

Orientales gentes, vel juxta phraſim Hebræam, *filii Orientis*, vel *Kedem*, de quibus in hoc capite, ipſi ſunt facile Arabiæ deſertæ incolæ, occupantes a regione Moabitarum & Ammonitarum ad uſque Euphratem. Meminit non ſemel Scriptura *filiorum Orientis*; quo communi nomine cenſet Moabitas, Ammonitas, Idumæos (12), Cedaræos (13), alioſque.

℣. 4. ET APUD EOS FIGENTES TENTORIA, SICUT ERANT IN HERBIS, CUNCTA VASTABANT USQUE AD INTROITUM GAZÆ. De vaſtatione hac meſſium, & herbarum nihil habet Textus originalis. Quod infra legitur de Gedeone, triticum in torculari excutiente, demonſtrat, hoſtes opportunum tempus, quo meſſes colligebantur, opperiri conſueviſſe, ut regionem excurrerent. Iſraelitarum labore proficiebant, & quæ ſecum rapere non poſſent, vaſtabant. Ita Textus (14) ad literam: *Caſtrametabantur ſuper eos, & corrumpebant productionem terræ uſque venire te in Gazam*. Id eſt, vaſtabant late regionem, porrectam ab Jordane aduſque oras Mediterranei, & uſque ad Gazam, in finibus regionis Philiſtæorum. Hæc gerendi belli ratio minus utique crudelis videtur, quam quæ hoſtilem ſanguinem fundit & captivos trahit: reipſa tamen duriore aliquo, & intolerabiliore jugo gens illa Iſraelitas opprimebat, quam ſi juſto bello & captivitate in illos pugnaſſet, cum in bello omnia brevi abſolvantur, ſive mors contingat, ſive victoria, ſive cædes; ſaltem captivis pax eſt & ſecuritas. Sed Hebræi ſimul omnibus deſtituebantur, pace, libertate, bonis ſuis, & vita etiam non raro; ſinguliſque recurrentibus annis mala ſua ſimul recurrentia cernebant; ærumnæ ex integro reparabantur, augebanturque, nec ulla exitus eorum

(1) Vide Exodum II. 15. (2) Joſue XIII. 21. (3) Num. XXV. 17. (4) Num. XXXI. 8. 10.
(5) Exod. XVII. 8. (6) Num. XIII. 3. (7) 1. Reg. XV. 6. (8) 1. Reg. XXXI. 1.
(9) Num. XXIV. 20. (10) 1 Reg. XV. 7. *Percuſſitque Saul Amalec, ab Hevila, donec venias ad Sur, quæ eſt e regione Ægypti.* (11) 1. Reg. XXVII. 8. *Aſcendit David & viri ejus, & agebant prædas de Geſſuri, & de Gerſi, & de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur, uſque ad terram Ægypti.*
(12) Iſai. XI. 14. *Prædabuntur filios orientis. Idumæa & Moab præceptum manus eorum, & filii Ammon obedientes erunt.* (13) Jerem. XLIX. 28. *Aſcendite ad Cedar & vaſtate filios orientis.* Vide & Ezechiel. XXV. 10. Ezech. VIII. 7. (14) ויחנו עליהם וישחיתו את יבול הארץ עד באך עזה

rum malorum ſpes affulgebat: ut enim vires hoſtium in dies creſcebant, ita ipſorum opes in dies dilabebantur.

NIHILQUE OMNINO AD VITAM PERTINENS RELINQUEBANT ISRAELITIS; nihil ſcilicet vivens. Reddi poſſet Hebræus (1): *Nihil vitæ ſervandæ aptum relinquebant;* ideſt, juxta Chaldæum, nihil quo Iſraelitæ & greges eorum alerentur. Septuaginta (2): *Non relinquebant ſubſtantiam vitæ in terra Iſrael, neque ovem, neque taurum & aſinum.* Demum fructus agri rapere, vel corrumpere non contenti, abducebant pariter quidquid gregis nanciſci poterant. Cum alias ſubiere ſervitutes Hebræi, nihil ultra tulerunt oneris, quam ut tributa penderent: hic autem privantur rebus ad vitam neceſſariis, & agrorum ſuorum proventibus.

℣. 5. INSTAR LOCUSTARUM UNIVERSA COMPLEBANT. Regionis illius locuſtæ turmatim volitant, ingenti adeo nube interdum, ut vel aerem obumbrent, & in quam regionem inciderint, eam penitus vaſtent. Miram plane volando & proficiſcendo diſciplinam ſervare feruntur, ut vivam exhibeant imaginem proficiſcentis, vel caſtra metantis exercitus. Cum primæ evolant, illas ceteræ ſequuntur; cum ſubſiſtunt, nubes ſeſe tota demittit. Fama eſt pariter, præmittere illas velites ſuos, quaſi ad agnoſcendam regionem, & paranda caſtrorum loca (3). Is locuſtarum mos ob oculos exhibet ritum, quo Madianitæ, & reliquæ fœderatæ gentes ditionem Iſraeliticam inundarunt.

℣. 8. MISIT AD EOS VIRUM PROPHETAM. Quem illum? Phineem, inquiunt Judæi. Malunt alii (4) Angelum, ſub exuviis mortalibus. Sed cur non prono & naturali ſenſu accipiatur Textus, nihil præferens, quod cogat nos ad tropos & figuras confugere? Hujus Prophetæ æque omnia latent, nomen, ætas, patria. Non raro Scriptura Prophetarum quorumdam ſermones recitat, nihil de ipſis Prophetis docens. Ita legimus ſermonem Angeli Dei, qui aſcendit in Galgala (5), ad *Locum Flentium*, qui ſane nonniſi Propheta aliquis fuiſſe videtur. Legimus pariter hominem illum Dei, qui Domini voluntatem ad Heli ſummum Sacerdotem detulit (6); tum & alterum, in Bethel miſſum, ut Jeroboamo impium cultum exprobraret (7): eum denique, qui ſermonem habens cum Achabo, certam illi ſpem de victoria Syrorum fecit (8). Singulos hoſce nonniſi ex una ea re novimus, quam de illis narrat Scriptura. Propheta, de quo hic, in generali aliquo populi conventu, quorum tres quotannis in majoribus Feſtis agebantur, ante Tabernaculum Domini ſermonem habuit.

℣. 10. NE TIMEATIS DEOS AMORRHÆORUM. Ne ſcilicet illos colatis, & ineſſe illis arbitremini quidquam majus natura & Divinum, ſive ut præmium, ſive ut pœnam inferant. Timor Domini ſæpe uſurpatur pro ejus cultu, Deus Jacobi indicatur nomine timoris Iſaaci (9). Porro ſuperſtitionis & Idololatriæ fons primus timor fuit (10).

Primus in orbe Deos fecit timor.

℣. 11. VENIT AUTEM ANGELUS DOMINI. Cum animos Iſraelitarum præparaſſet Deus ſermone Prophetæ, de quo ſupra, alteque mentibus pœnitentiam & ſuperſtitionis fugam inſinuaſſet, miſit Angelum ad Gedeonem, quem populi ſui liberatorem deſignaverat. Cenſuere quidam (11), Angelum hunc ipſum eſſe Prophetam, qui ad populum pro concione locutus eſt. Contendunt alii (12), ipſiſſimum fuiſſe Dei Filium, alicubi in Scriptura Angelum Domini appellatum, cui hic ℣. 14. nomen *Jehovah* tribuitur, cui tandem Gedeon ſacrificium operatus eſt. Sed planior ſententia docet, Angelum Domini a Deo in eam rem miſſum veniſſe (13). Nomen quidem *Jehovah* uni Deo convenit: cum tamen non raro qui per viſum apparuere Angeli, verba & perſonam Dei geſſerint; ita pariter & nomen & dotes Numinis illis tribuuntur. Id utique citra ullam dubitationem affirmandum eſt de Angelo, qui per viſum apparuit, & verba miſcuit frequenter cum Moyſe in deſerto. Quæ victima a Gedeone in ſacrificium Deo oblata eſt, primo quidem Gedeonis conſilio mactabatur, ut convivio exciperet Angelum, quem nonniſi hominem a Deo miſſum primo alloquio reputavit. Hæc omnia per quietem noctis acta cenſet Maimonides; cujus opinionem adoptaſſe Grotius videtur (14): ſed tota narrationis hujus ſeries plane exhibet hominem vigilantem, qui triticum excutit, parat convivium, &c.

IN EPHRA, ET PERTINEBAT AD JOAS PATREM FAMILIÆ EZRI. Urbs hæc Ephra jacebat in ditione dimidiæ Manaſſis, cis Jordanem, longe alia ab inclyta urbe Ephra, vel Ephrata, communi nomine *Bethlehem* appellata; & ab altera cognomine, in ſorte Beniamin (15). Joas pater Gedeonis princeps erat familiæ Ezer, vel poſterorum Ezer, qui in Ephra morabantur. Primas in urbe Ephra tenebat. Reddi poſſet Hebræus (16): Locus iſte pertinebat ad *Joas Abiezeritem*. Joas unus erat e poſteris Abiezeri, filius Ammolechet, ſororis Galaad, filii Machir, ut ex Genealogia deducta in Paralipomenis (17). Familia Abiezeri ſedem habebat in *Ephra* vel *Ophra*, ex quo nomen urbi *Ophræ Abiezer*, in verſiculis 26. & 32. Capitis VIII. Reſpondens etiam Gedeon jurgiis eorum, qui minime vocatos ſeſe ad expeditionem Madianiticam querebantur, ait (18): *Nonne melior eſt racemus Ephraim vindemiis Abiezer*, vel Abiezeritarum, Urbis Ephræ?

CUMQUE GEDEON EXCUTERET ATQUE PURGARET FRUMENTA IN TORCULARI, UT FUGERET MADIAN. Angelus Domini ſpectandum ſe præbuit ſub quercu Joas, in Urbe Ephra, vel forte in querceto, ubi erat torcular patris Gedeonis. Prohibitus Gedeon ne colligeret libere meſſes, excuteretque frumentum in agro, vel pedibus boum tereret, pro more ejus regionis (19), manipulos ſuos tulerat ad torcular, ut frumentum excuteret, ſtatimque cum frumento ſuo in ſpecum montis aufugeret, ut Madianitas accedere ad urbem ſentiret. Torcular illud minime intelligendum eſt fuiſſe ingentis operis machinam, cui æqua proportione ædificium accederet; humilis enim res erat adeo, ut ſub quercu contineri poſſet. Sunt qui deſignari hic aream ſolummodo, ubi excutitur frumentum, credant; ſed voce originali exprimi torcular, nemo dubitaverit.

Creditur Gedeon flagrum ad frumenta excutienda adhibuiſſe, vel manipulos excuſſiſſe bacillo, tenuiori quam flagrum. Verbum Hebræum, quod hic legitur, ſignificat etiam excutere ex arbore olivas (20), excutere minuta ſemina (21), quibus nec boves nec trahæ ferreæ adhibentur. Ruth, quas colle-

(1) ולא ישאירו מחיה בישראל (2) Οὐχ ὑπελείποντο ὑπόστασιν ζωῆς ἐν Ἰσραήλ, καὶ ποίμνιον, καὶ μόσχον καὶ ὄνον. (3) Vide Hieronym. In Joel. c. 2. Johan. Leon. l. 9. Damir, & alios apud Bochart. (4) Vide Auguſt. qu. 21. & Serar. & Druſ. (5) Judic. II. 1. (6) 1. Reg. II. 27. (7) 3. Reg. XIII. 1. (8) 3. Reg. XX. 13. (9) Geneſ. XXXI. 42. *Niſi terror Iſaac affuiſſet mihi.* (10) Horat. (11) Ita Rabb. qui Phineem eſſe volunt. Vide & Auguſt. qu. 31. in Judic. (12) Ita Jun. Petr. Martyr Brougton. Chytræus & Habichorſt. diſſert. de altari Gedeon, &c. (13) Ita Lyr. Menoch. Druſ. Bonfr. Serar. Grot. alii paſſim. (14) Vide Grot. ad ℣. 12. & 17. (15) Joſue XVIII. 23. (16) ליואש אבי העזרי (17) 1. Par. VII. 18. *Soror ejus* [Galaadi] *Regina*, [Heb. *Hammolecheth*] *peperit virum decorum, & Abiezer & Mohola.* (18) Judic. VIII. 2. (19) Deut. XXV. 4. *Non ligabis os bovis terentis fruges tuas in area.* (20) Deut. XXIV. 20. כי תחבט זיתך (21) Iſai. XXVIII. 27. *In virga excutietur Gith, & Cyminum in baculo*

collegerat ſpicas, ita excutiebat (1), uti frumentum ſuum Gedeon. Frumenti purgandi nulla in Hebræo mentio: hic enim fert tantum (2): *Gedeon excutiebat frumenta in torculari, ad fugiendum a faciebus Madian*. Sunt qui vertant: *Excutiebat prope torcular, ad alendam familiam nutriendamque in fuga*. Geſtum eſt hoc verna tempeſtate, quo tempore meſſes ab Iſraelitis colligebantur, paulo ante quam Madianitæ Jordanem tranſmitterent. Vide infra ℣. 33.

℣. 12. Dominus tecum, virorum fortissime. Prono & naturali ſenſu reddendum videbatur: *Dominus ſit tecum, virorum fortiſſime*: ſed datum a Gedeone reſponſum aliam interpretationem poſtulat; reſpondet enim: *Si Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia?* Hebræus aliter reddi poteſt (3): *Angelus ait illi: Dominus ſit tecum, vir ſtrenue. Dixitque ei Gedeon: Audi me, obſecro, Domine; eſt ne Dominus nobiſcum? & cur apprehenderunt nos hæc omnia?* Vel (4): *Si Dominus eſt nobiſcum, cur hæc omnia ceciderunt ſuper nos?* quaſi diceret: Quomodo, amabo te, Dominus eſt nobiſcum, & ſimul nos tot malis opprimimur? Si ita eſſet, num nos ad has rerum anguſtias redacti fuiſſemus?

℣. 14. Respexit ad eum Dominus. Septuaginta, & Chaldæus: *Reſpexit ad eum Angelus Domini, & dixit*. In eamdem verſionem optimi Interpretes conſentiunt (5). Hebræus tamen exhibet nomen *Jehova*.

℣. 15. Familia mea infima est in Manasse, et ego minimus in domo patris mei. Hebræus (6): *Chilias mea tenuis in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei*. Nomine *Chiliadis* deſignatur grandis familia, quæ in plures veluti rivulos diſtinguitur; vel Urbs ab una e magnis hiſce familiis frequentata. Ita in Michea v. 2. legimus: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus*, vel in chiliadibus *Juda*. Urbs Ephra, & in illa conſidens familia Abiezer, primas in Tribu Manaſſe non tenebant: itaque veritatis ſpecie aliqua affirmare poterat Gedeon, familiam ſuam e minimis fuiſſe in Manaſſe. Solet Deus pletumque, quæ oculis hominum humillima ſunt, & minus valida, ſeligere, quibus expleat conſilia ſua graviſſima, ne homo in ſuperbiam elatus, viribus ſuis glorietur. Forte etiam Gedeon hæc omnia modeſti animi demiſſione expreſſit, ut deprecaretur a ſe munus, quod vires & meritum ſuum excedere reputabat. Gedeonem comparat hic Grotius Cincinnato, qui ab aratro ad copiarum Romanarum imperium ac Dictaturam, cum nihil minus quam de ſuprema illa dignitate cogitaret, vocatus fuit.

℣. 17. Da mihi signum quod tu sis, qui loqueris ad me. Quiſque pro ſua hypotheſi vocem in Hebræo ſupplet (7): *Fac mihi ſignum quod tu ſis Deus*, vel, *quod tu ſis Angelus Domini, qui ad me loqueris*; vel quod tu par ſis implendis grandibus hiſce promiſſionibus tuis; ut certum habeam dictorum tuorum argumentum; ut intelligam, hæc non vana eſſe verba, non ludibrium, non phantaſma. Verti etiam poſſet: *Da mihi ſignum*, ut ſciam *quis ſis, qui ad me loqueris*; te mihi ſigno aliquo manifeſta.

℣. 18. Portans sacrificium, et offerens tibi. Reddi poſſet Hebræus (8): *Ut offeram tibi munus meum, & offeram coram te*. Vox *mincha* uſurpari ſolet pro oblationibus panis, vini, & ſimilium, quæ Domino ſiſtuntur; ſed accipitur etiam pro muneribus ultro citroque datis. Jacob munera [*mincha*] ad fratrem ſuum Eſau miſit (9); munera etiam ad filium ſuum Joſephum in Ægyptum (10). Aod munera contulit ad Eglonem (11); quare conſilium Gedeonis illud fuiſſe videtur, ut convivio exciperet hominem, ex quo lætum adeo nuncium acceperat. Dei perſonam utique in eo non agnoverat, territus enim eſt, cum ex ejus aſpectu Angelus evanuit. Gedeon inſuper Sacerdotio non fungebatur; ſacrificio ineptus erat locus: Altare, ignis, omnia aberant. Si ſacrificium offerre ſtatuiſſet, minime antea coxiſſet victimam in altari abſumendam. Quin nec Angelum e Cœlo miſſum eſſe duxit illum, quem coram ſe habebat; nec enim alioqui ille vel cibo ipſum reficere, vel oblatis ſacrificiis colere voluiſſet. Reputavit igitur, colloqui ſe cum Propheta, vel viro aliquo, quem Deus miſiſſet (12). Vide ſupra ℣. 11.

℣. 19. De farinæ modio azymos panes. Quæ hic redditur *modius* menſura, eſt *Epha*, capiens pintas novem & viginti & ſemis, cum hemiſextario, & hemiſextarii dimidio. Epha æquabat decem gomor vel aſſarones; erat autem aſſaron menſura mannæ, quam Deus ſingulis Iſraelitis in quotidianam annonam ſufficiebat. Itaque Gedeon tantum ſubegit panis, quantum una die hominibus decem alendis ſufficeret. Ex quibus omnibus facile intelligimus, tantum panis oblatum fuiſſe a Gedeone, quantum ſupra modum excederet, quidquid Angelus, & ipſe pariter Gedeon comedere poſſent uno convivio. Nec plus obtulit in menſa Abrabam tribus hoſpitibus Angelis (13). Jam alibi animadvertimus, conviviorum ſuorum lautitiam in eo poſuiſſe Veteres, ut perquam copioſas, non maxime varias, dapes ſufficerent. Liberalis animi ſpecimen exhibet hic Gedeon: hinc etiam argumentum capere licet ingenii & urbanitatis Hebræorum ejus ætatis. Statuit ille coram Angelo in caniſtro integrum hœdum elixatum, jus carnium in olla, & panis azymi copiam: menſa autem inſtruitur ſub quercu, & facile ſuper lapidem.

Jus carnium mittens in ollam. Septuaginta (14), Chaldæi, & Interpretes aſſentiuntur Vulgatæ; vertunt enim, jus carnium, in quo Gedeon hœdum coxerat. Verum Syriacus & Arabs interpretantur de *vino puro*, mero veteri, miſſo in lagenam.

℣. 21. Ascenditque ignis de petra. Percuſſa ab Angelo emiſit flammas, quibus carnes, panis & jus carnium, quæ Gedeon ſuper lapidem depoſuerat, vorata ſunt.

℣. 22. Heu mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem! vel juxta Hebr. *Quia idcirco vidi Angelum Domini*. Ac ſi diceret, ut mortis diſcrimen inirem, Angelum tuum per viſum mihi exhibuiſti. Hac enim perſuaſione tenebatur Gedeon, mortalium neminem intueri poſſe Deum, citra mortis diſcrimen: quæ pariter regnabat opinio inter veteres Patriarchas, etiam ante Legem, Dei ipſius verbis ad Moyſem confirmata (15): *Non videbit me homo & vivet*. Profanis etiam eadem ſedebat opinio (16):

. . . . Κρόνιοι δ' ὧδε λέγοντι νόμοι.
Ὅς κε τιν' ἀθανάτων, ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕληται,
Ἀθρήσῃ, μισθῷ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλῳ.

Saturni leges ſic ferunt: Qui aliquem immortalium, niſi

(1) Ruth. ii. 17. (2) וגדעון בנו חבט חטים בגת להניס מפני מדין (3) ויאמר אליו יהוה עמך גבור החיל: ויאמר אליו גדעון בי אדני ויש יהוה עמנו ולמה מצאתנו כל זאת (4) Κύριος μετὰ σοῦ δυνατὸς ἐν ἰσχύϊ. καὶ εἶπε πρὸς αὐτὸν Γεδεών· ἐν ἐμοί, κύριέ μου· καὶ εἰ ἔστι κύριος μεθ' ἡμῶν, καὶ ἱνατί εὗρεν ἡμᾶς ταῦτα πάντα; (5) Vide Bonfr. Cornel. Grot. Vatab. (6) הנה אלפי הדל במנשה ואנכי הצעיר בבית אבי Septuag. ἰδοὺ ἡ χιλιάς μου ταπεινοτέρα ἐν Μανασσῇ, καὶ ἐγώ εἰμι μικρότερος ἐν τῷ οἴκῳ πατρός μου. (7) ועשית לי אות שאתה מדבר עמי (8) והבאתי את מנחתי והנחתי לפניך καὶ οἴσω τὴν θυσίαν μου καὶ θήσω ἐνώπιόν σου. (9) Geneſ. xxxii. 13. (10) Geneſ. xliii. 14. (11) Judic. iii. 15. (12) Vide Eſt. Bonfr. Cornel. Menoch. (13) Geneſ. xviii. 6. (14) τὸν ζωμὸν ἐνέχεεν εἰς χύτραν. Hebr. המרק שם בפרור (15) Exod. xxxiii. 20. (16) Callimach. apud Grot.

niſi Deus ipſe velit, viderit, graves audaciæ ſuæ pœnas dabit. Odyſſ. 16. v. 179. Telemachus oculos ſuos avertit ab aſpectu parentis ſui Ulyſſis, quem numen aliquod rebatur.

℣. 23. Dixit ei Dominus. Quo tempore, & quomodo locutus? Verba hæc dediſſe credunt quidam, cum in aera tolleretur, cumque attonitus ad rei novitatem Gedeon exclamaret, actum eſſe de ſe, qui Deum oculis vidiſſet. Malunt alii, confirmatum fuiſſe animis per quietem ſequentis noctis, cum illi per viſum apparuit, uti ex verſu 25. conſtat: quæ poſterior ſententia veritati magis cohærere videtur.

℣. 24. Ædificavit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud, Domini pax, usque in præsentem diem. Lapidem in altaris formam redegit; vel lapidem illum, cui impoſuerat oblationes panis, & carnis, Domino in Altare deinceps deſtinavit. Lapidi autem nomen manſit, *Pax Domini*, vel Conſervatio Domini, memoria ſpei a Domino factæ Gedeoni, futurum ut etiam viſo immortali, ſuperſtes eſſet. Contendunt alii (1), idem eſſe altare, de quo actum eſt in ℣. 26. hic autem præcurſione quadam hoc referri; neque excitatum illud fuiſſe a Gedeone, niſi poſt acceptum a Deo imperium, de quo in ℣. 25. Tota hæc quæſtio Lectorum animos minus afficere videtur. Animadvertere hic juvat, Aram hanc adhuc perſeveraſſe, cum hic Judicum Liber ſcriberetur; neque uno Scripturæ Textu offerri Altaria extra Tabernaculum erecta, nunquam tamen non ex juſſu, vel ſaltem Dei permiſſione.

℣. 25. Nocte illa dixit Dominus ad eum. Hebræus ac Verſiones cæteræ legunt pariter, *nocte illa* (2); quibus confirmatur illud, quod ſupra animadvertimus, ea verba, *Pax tecum, ne timeas, non morieris*, eadem nocte data fuiſſe, qua juſſus eſt Gedeon Altare & lucum Baalis evertere.

Tolle taurum patris tui, et alterum taurum annorum septem, id eſt, taurum patris tui, taurum aratri ejus, & alterum taurum ſeptennem, quem ille cum priori ad jugum aptat. Brevioribus verbis imperare potuiſſet: Tolle duos tauros patris tui, vel duos tauros, qui eidem jugo ſubjiciuntur. Conſtat Heſiodi teſtimonio (3), libentius adhibitos fuiſſe tauros novennes ad arandum, quod tunc integro eſſent corporis robore, & mitiores, quam ætate minus gravi. Unde opinionem ſuam ducant Commentariorum Scriptores quidam (4), qui taurum hunc altilem fuiſſe ajunt, integro ſeptennio ſaginatum, ut opimum Baali ſacrificium exhiberet, ignoro.

Inquiritur hic, utrum duo hi tauri in ſacrificium revera immolati fuerint? Interpretum plures (5) unum taurum ſeptennem ſacrificium oblatum fuiſſe docent, cum de illo ſolummodo in Textu legatur; neque temere numerum victimarum eſſe multiplicandum; vertunt autem ℣. 25. *Tolle taurum patris tui, hunc taurum annorum ſeptem*. Nec niſi de uno illo loqui Deum ℣. 26. *Tolles taurum ſecundum, & offeres holocauſtum*, nulla prioris habita mentione; & in ℣. 28. ſecundus modo taurus Altaris igne abſumptus exhibetur. Malunt tamen alii (6), ſilentium Scripturæ in utroque hoc Textu nihil evincere adverſus apertum Textum ℣. 25. qui diſerte duos tauros exprimit, alterum in ſacrificium pacificum, alterum in holocauſtum deſtinatus.

Nemus quod circa aram est, succide. Reddi poſſet Hebræus (7): *Succide Idolum, quod ſuper aram eſt*; vel: *Confringe Aſera, quod eſt ſuper illud*. Eſt *Aſera* nomen nemoris, idem ac *Aſtarte* vel *Aſtaroth*. Ea vox ſonat & nemus, & idolum ibi cultum, uti in noſtra Diſſertatione de Diis Phœnicum demonſtravimus. Favent huic Verſioni Septuaginta (8), probantque illam aperţiſſime hic, & ℣. 26. Arabs & Syriacus.

℣. 26. In summitate petræ hujus, super quam ante sacrificium posuisti. Hebræus (9): *In ſummitate loci fortis*, vel prærupti, *in area*. Altare & lucus Baalis in edito loco pro conſueto more erant: in vertice autem loci hujus editi, ubi in aream patet, ſive in vertice lapidis aram excitari Deus jubet.

℣. 27. Timens domum patris sui. Propinquos ſcilicet, fratres, & gentiles urbis Ephræ, poſteros Abiezeri, uti ſupra, ℣. 11. demonſtratum eſt.

℣. 30. Dixerunt ad Joas: Produc filium tuum huc. Patrifamilias jus erat integrum cauſas domeſticorum judicandi, atque in filium judiciali ſententia animadvertendi. Cives Ephræ petunt ab Joas, uti ſibi tradat puniendum Gedeonem, ſiquidem pater ipſe exigere de illo pœnas nolit: nec enim aliter poſtulata eorum accipienda ſunt. Perſimili jure undecim Tribus petunt a filiis Beniamini, ut ſontes urbis Gabaæ ſibi tradantur (10); & Philiſthæi permitti ſibi Samſonem poſtulant (11). Cato tradendum Germanis Cæſarem, reum moti in illos belli temere & ſine cauſa, cenſuit. Poſtulabant Galli, ut ſibi daretur familia Fabiorum, qui arma in ſe moverant (12).

℣. 31. Qui adversarius est ejus, moriatur, antequam lux crastina veniat. Si Deus est, vindicet se. Hebræus (13): *Qui litigaverit ei, moriatur uſque mane. Si Deus ipſe, litiget ſibi*. Si quis in tantam devenerit audaciam, ut vel litigare audeat cum Baale, pereat, ante diei craſtinæ exortum. Si Baal Deus eſt, ipſe ſuam injuriam ulciſcatur: vel, ſi Deus eſt, defenſionem utique ſuam proſequi norit, non in eos modo qui aram ſuam dejecerint, ſed in eos pariter, qui ſibi obſiſtere præſumpſerint. Aliter: Si quis veſtrum ultionem Baalis aggreditur, ego neci illum tradam, antequam dies craſtina illuceſcat. Si Baal Deus eſt, ipſe ſe tueatur. *Deorum injuriæ Diis curæ*, ait Tacitus (14); & Livius (15): *Ad Deos id magis quam ad ſe pertinere: ipſos viſuros, ne ſacra ſua polluantur*. Poſteriorem hanc ſententiam pronam magis arbitramur. Phraſes Originalis exprimunt proprie patronum agere, & cauſam alicujus judicio tueri.

Ex hoc loco intelligimus, ſummam fuiſſe penes Joas in urbe authoritatem: conſtat autem ex ℣. 25. coluiſſe illum Baalem, cum Aram ejus Numinis poſſideret: ſed Gedeon facile Dei ad ſe datas juſſiones patri expoſuerat, & tenebras falſi cultus ab illo excuſſerat. Sed num Joas recte philoſophatur? Nonne ex ejus verbis id pariter conſequitur, nemini curæ eſſe oportere, ut injurias Numinis ulciſcatur? His admiſſis, blaſphema verba, profanationes, ſacrilegia, ſuperſtitio, crimina habenda eſſent, quæ hominum animadverſioni minime ſubjacerent, quorum ultio uni Deo relinquenda eſſet. Reſpondent, minus recte utique virum hunc philoſophatum eſſe, ſed commode eo uſum eſſe argumento Joas, & ad evincendos

(1) Serar. Bonfr. Menoch. Atiss. (2) ויהי בלילה ההוא (3) Heſiod. Opera & dies. . . . . . Βôε δ' ἐννεατήρω Ἄρσενε κεκτῆσθαι, τῶν γὰρ σθένος οὐκ ἀλαπαδνόν.

(4) Vide Tirin. Vatabl. Cornel. a Lap. Vide & 70. μόσχον ὁ ἑπταετῆ. (5) Cajet. Jun. & Tremel. Piſcat. Petr. Mart. (6) Vatab. Serar. Bonfr. (7) והאשרה אשר עליו תכרת (8) Καὶ τὸ ἄλσος τὸ ἐπ' αὐτοῦ ἐκκόψεις. (9) על ראש המעוז הזה במערכה Hebræa vox *Maoz* uſurpatur de arce, loco munito, loco edito. Hinc apud Danielem xi. 38. Deus Iſraelis, in Templo Jeroſolymitano cultus, dicitur *Deus Maozim*, Deus arcis. (10) Judic. xx. 13. (11) Judic. xv. 12. (12) Vide Grot. de jure Belli & Pac. lib. 2. cap. 21. paragr. 4. (13) אשר יריב לו יומת עד הבקר אם אלהים הוא ירב לו

(14) Tacit. Annal. l. 1. (15) T. Liv. Hiſt. l. x.

des cives Ephræ, qui in Numinibus ſuis idem ulciſcendi injurias ſtudium quod in mortalibus ; agnoſcebant , quaſi diceret : Cum veſtra opinione Baal ex iis ſit, qui illatis ſibi injuriis tanguntur, qui ad ultionem ſuam proſequendam nulla caret, re aut ope, ſeu voluntate : cur igitur invidetis illi gloriam ſeu voluptatem ultionis explere? An majori ſapientia , majori animi æſtu præditos , an dignitatis ſtudioſos magis vos eſſe , quam Numen ipſum , arbitramini?

Ferenda ſunt hæc, cum ſermo eſt ad Paganos, qui Deos ſuos doloris , ultionis & furoris æſtubus obnoxios faciunt. Nos vero aliter de Deo reputamus. Inacceſſus eſt intortis in ſe furioſa ſceleſtaque mortalium manu jaculis : nunquam non ſerenus, ſive ira ſive dolore moveri neſcius : ita punit , ut non commoveatur ; ita ultionem ſuam proſequitur , ut vulnus nullum animo ſentiat ; ita læditur , ut non doleat. Si quis hominum leges ejus violat , ſi myſteria profanat , ſi diris ſuum ipſius ſanctiſſimum nomen proſcindit, Deus nequitiæ hominum certos imponere fines novit , curſum ejus impedire , & crimina ulciſci , libero ſuæ voluntatis arbitrio , nec pœnam a ſonte vitari poſſe veretur : cum vero homines , quibus Deus inter homines authoritatis ſuæ partem aliquam communicavit , quos animi robore ac ſtudio juſtitiæ ſuæ inſtruxit , in ultionem injuriæ Domino illatæ inſurgunt, alia eſt utique illis mens, quam ut Numen imbecille & infirmum credant: ipſe tunc Deus eorum manibus ultionem ſuam exequitur , illiſque veluti inſtrumentis uſus , hoſtes ſuos in ordinem redigit. Tunc autem homines Dei juſtitiam exercent , atque ita velut aggerem opponunt pravis eorum exemplis , coercent impios metu ſuppliciorum , & animadverſione ſontium horrorem criminis & licentiæ , quo tenentur, luculenter oſtendunt.

℣. 32. Vocatus est Gedeon, Jerobaal, eo quod dixisset Joas : ulciscatur se de eo Baal . Jerubaal, vel Jerobaal, juxta nominis etymon in Hebræo expreſſum (1) , ſonat ad literam : *Litiget Baal in illum, qui ſe offendit*; jus ſuum defendat. David in Libris Regum vitaturus ne nomen Baal efferret, appellavit Gedeonem non Jerobaal, ſed *Jeruboſeth* (2) . Data opera nomen Baal corrupit; cum enim Baal ſonet falſum Numen vel Dominum , convertit in *Boſet* , quod eſt confuſio , probrum. Nec alia de cauſa nuncupatur in Scriptura *Isboſeth* filius ille Saulis , cujus genuinum nomen in 1. Paralipomenon IX. 39. expreſſum erat *Esbaal*; & *Miphiboſeth* dictus eſt, qui eodem in loco ℣. 40. eſt *Meribaal*. Nomen *Jerobaal*, inditum Gedeoni , viros plures doctos (3) in eam perſuaſionem induxit , ipſum eſſe *Jerombal Sacerdotem Dei Jao*, quem Sanchoniaton, hiſtoriæ Phœnicum vetus Scriptor , conſuluiſſe ſe de rebus vetuſtis regionis illius gloriatur (4) . Sanchoniaton Berytum habuit patriam, teſte Porphyrio, Euſebio & Theodoreto: florebat autem , ait Porphyrius, circa ætatem Semiramidis & belli Trojani. Philo Biblius Græce reddidit octo vel novem libros hiſtoriæ illius ſub Imperio Adriani. Octo illi Libros tribuit Porphyrius, ſed Euſebius novem commemorat.

Viri alii doctiſſimi (5) fallaciam eſſe clamitant illa omnia , quæ Porphyrius , & poſt illum Euſebius , Theodoretus aliique de Sanchoniatone tradunt . Author eſt ſuppoſitus , ab oſoribus nominis Chriſtiani obtruſus, qui inter rara quædam certæ & exploratæ veritatis , e libris Hebraicis & veteri hiſtoria hauſta , plurima ficta & mendaciſſima ingeſſit , Joſephus , qui ſummo ſtudio antiquitates Phœnicias inveſtigavit , nihil de Sanchoniatone novit ; cujus ne nomen quidem apud veteres alios occurrit . Porphyrius omnium primus Literario orbi vulgavit ; ac facile idem Porphyrius eam hiſtoriam cudit. Meminit ejus, ſub nomine *Suniaithonis* Athenæus (6) ; cujus ætate cœpit opus illud vulgari. Ejus hiſtoria , vel ſaltem quæ procuſa ſunt fragmenta , non enim integra prodiiſſe unquam videtur, mendis & rebus inter ſe pugnantibus ſcatet . Doctiſſimi plures Chronologi (7) , qui rejicere illam penitus auſi non ſunt , multo poſteriorem Trojano bello reputant . Denique nemo ferme hodie Eruditorum defendere hunc librum aggreditur : quare cave credas , conſultum ab illo fuiſſe Gedeonem , vel Jerobaalem ; eamque hiſtoriæ partem, ac reliquas omnes Sanchoniatonis, ſcripta ac commenta Porphyrii , rejicito . Mendacium eſt etiam quod aſſeritur de ſacerdotali dignitate Jerobaalis , cujus utique mendacii nemo niſi parum in rebus Judaicis inſtructus capax eſſet . Legerat Porphyrius , Gedeonem ſacrificium Deo Iſraeli operatum fuiſſe: hinc temere duxit, illum fuiſſe Sacerdotem, adeoque & rerum Phœniciarum peritiſſimum , quamquam res illas tunc Hebræi curaſſe minime omnium videntur.

℣. 33. Castrametati sunt in valle Jezrael. Jordanem tranſmiſiſſe gens illa in vado ad Bethſan videtur : prima autem venientibus ſeſe obtulit vallis Jezrael, quam propoſito aptiſſimam , utpote amœnam maxime & fertilem , agnoverunt , Fœnum ibi ad eam altitudinem provenit, ut hominem equo vectum occultet. Et teſtimonio Cap. VIII. conſtat, illos caſtrametatos eſſe circa montem Thaborem (8) : & in Pſal. LXXXII. 11. legimus , prælio victos fuiſſe in *Endor* , urbe ſita in valle Jezraelis, ſatis vicina Thabori.

℣. 34. Convocavit domum Abiezer . Primum hoc Gedeonis facinus , convocandi ſcilicet populum , argumentum eſt ſummæ poteſtatis ; quod in eam perſuaſionem inducere poteſt, omnia Dei mandata illum palam expoſuiſſe , acceptumque fuiſſe a populo in Judicem & Liberatorem Iſraelis . Domus & Familia Abiezer Ephram ejuſque agrum, uti ſupra animadverſum eſt, poſſidebat . Ex ea familia erat Gedeon ; convocavitque primo quidem fratres ſuos & neceſſarios , tum omnem circa populum ac nationem.

℣. 37. Si ros in solo vellere fuerit , et in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam liberabis Israel . Vox Originalis גזה deſignare poteſt vel ſine membrana lanam , vel membranam cum lana . Signum autem poſtulat hic Gedeon populo potius quam ſibi; illud enim poſcit , cum jam munus ſuum cœpiſſet , iniiſſetque maximum diſcrimen Altaris everſione , & luci Baal ſacri everſione . Coiverat populus , ad profectionem in hoſtes paratus : Imperator ut animos illis & virtutem adderet, Deum rogavit, ut certa militibus ſuis argumenta exhiberet , quibus demonſtraret & veritatem miſſionis ſuæ , & Divini auxilii ſecuritatem. Ambigere etiam poterat Gedeon , utrum factæ ſibi promiſſiones a conditione aliqua penderent, qua ſi vel ipſe vel milites deſtituerentur, a certa ſpe victoriæ caderent. Præter hæc quibus excuſari poteſt petitio prodigii per Gedeonem , luculento Scripturæ teſtimonio fidei viri hujus ſinceritas commendatur (9) : nec unquam vitio illi vertitur , quod fiduciæ in Deum

(1) ירבעל לאמר ירב בו הבעל (2) 2. Reg. 11. 21. ירבשת Vulg. Jerobaal. (3) Vide Bochart. Canaan lib. 2. cap. 17. Daniel. Huet. Demonſt. Evang. propoſit. 4. cap. 3. art. 2. (4) Porphyr. apud Euſeb. Præpar. Evangel. lib. 1. τὰ ὑπομνήματα παρὰ Ἱερομβάλου τοῦ ἱερέως τοῦ θεοῦ Ἰευώ. (5) Vide Dodwel. a Diſcourſe Concerning Sanchoniaton Phenici. Hiſt. Lond. 1681. Dupin , Bibl. des Aut. Eccleſ. Vandal. &c. (6) Athen. lib. 3. περὶ τῶν τὰ φοινικικὰ συγγεγραφότων Σουνιαίθωνος καὶ Μώχου. (7) Joſeph. Scaliger , Marſham. ſæcul. X. (8) Cap. VIII. 18. *Quales fuerunt viri, quos occidiſtis in Thabor?* (9) Hebr. XI. 32.

Deum deſuerit. Deus poſtulata omnia tanta facilitate concedit, ut vel ea abunde demonſtretur, nonniſi Divino afflatu & conſilio prodigium a Gedeone fuiſſe quæſitum. Denique factum Gedeonis purgatur exemplo Moyſis (1), Joſue (2), Manue (3) & SS. Virginis (4), qui Divinarum juſſionum nuncios ad ſe Angelos rogarunt, ut prodigii teſtimonio veritatem promiſſionum aſſererent.

Cæterum cum legimus, vellus maduiſſe rore, arente interim circum area, non ita de area illa putandum eſt, ut, quemadmodum apud nos, ſub tecto aliquo jaceret. Locus erat ſub dio, pluviæ & rori expoſitus, vel ſub arbore, paratus excutiendo frumento tritura boum, vel traha. Ubertimus autem eſt ros in Palæſtina: aſſeruntque Itineraria quædam (5), madere non minus eo imbre humum, ac ſi noctu pluiſſet, nec aliter quam ex lapſu pluviæ luto impediri vias, & lubricas effici viatoribus ac periculoſas.

Ⅴ. 38. CONCHAM AQUÆ IMPLEVIT. Hebræus (6) ספל מים *Sympulam aquæ*; Syriacus, *catinum*; Chaldæus לקנא מיא Septuaginta πλῆρες λεκάνην ὕδατος, *lekanen plenam aquæ* lancem, catinum. Ex *lekane* facile derivatum eſt Latinum *lagena*.

Sub hoc Gedeonis vellere ſublimia plura myſteria latere, Patres docuerunt. Expoſitionem veteris cujuſdam Doctoris refert Origenes (7), qui arentem aream, cum interim rore vellus maderet, accommodat Nationi Judaicæ, quam totam perfundebant ditiſſimo imbre Divina beneficia, cum interim reliquus orbis triſti ariditate tamquam a Deo derelictus langueret. Sed poſt adventum Chriſti, poſt ejus Reſurrectionem, lateque diffuſum Evangelium, prodigii ratio mutata eſt. Vellus, gens ſcilicet Judaica, ariditate & deſolatione ſqualluit, cum interim Gentes imbre & beneficiis cœleſtibus alluerentur. Agnoſcere etiam juvat in primo illo Gedeonis ſigno Incarnationem Chriſti in utero Virginis matris. Labitur e Cœlo Verbum, tamquam ros fœcundus totum perfundens vellus; labitur, inquam, in caſtiſſimum Virginis plane mirabilis uterum (8), ut cecinit Pſalmus LXXI. 6. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram*.

[1] Exod. IV. 1. 2. 3. [2] Joſue V. 13. 14. [3] Judic. XIII. 9. 12. [4] Luc. 1. 34. 35. [5] Eugene Roger l. 1. c. 2. Voyage de Syr. [6] Vide ſup. Judic. V. 25. [7] Origen. homil. 8. in Judic. Vide & Theodoret. qu. 14. in Judic. & Hieron. ad Paulin. &c. Auguſt. de unitate Eccleſ. c. 5. & in Pſalm. 45. & Ambroſ. proœmio in lib. 1. de Spiritu Sancto. [8] Vide Hieron. in Epitaphio Paulæ; Bern. ſerm. ſuper Miſſus eſt; & Serm. in Nativ. Beatæ Mariæ.

CAPUT VII.

Gedeon copiarum ſuarum partem dimittit; partem vero reliquam experimento aquæ hauſtæ probat: ſolos trecentos retinet, eoſque adverſus hoſtes ducit, cum & ipſe, & militum quiſque altera quidem manu tubam, altera lampadem ferrent. Victoria de Madianitis.

Ⅴ. 1. IGitur Jerobaal, qui & Gedeon, de nocte conſurgens, & omnis populus cum A. M. 2759.
eo, venit ad fontem, qui vocatur Harad. Erant autem caſtra Madian in ante Ch. 1245.
valle ad Septentrionalem plagam collis excelſi. 2. Dixitque Dominus ad Gedeon:
Multus tecum eſt populus, nec tradetur Madian in manus ejus: ne glorietur contra
me Iſrael, & dicat: Meis viribus liberatus ſum. 3. Loquere ad populum, & cun-
ctis audientibus prædica: Qui formidoloſus, & timidus eſt, revertatur. Receſſeruntque
de monte Galaad, & reverſi ſunt de populo viginti duo millia virorum, & tantum
decem millia remanſerunt. 4. Dixitque Dominus ad Gedeon: Adhuc populus mul-
tus eſt, duc eos ad aquas, & ibi probabo illos: & de quo dixero tibi, ut tecum va-
dat, ipſe pergat: quem ire prohibuero, revertatur. 5. Cumque deſcendiſſet populus
ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: Qui lingua lambuerint aquas, ſicut ſolent ca-
nes lambere, ſeparabis eos ſeorſum; qui autem curvatis genibus biberint, in altera
parte erunt. 6. Fuit itaque numerus eorum, qui manu ad os projiciente lambue-
rant aquas, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. 7.
Et ait Dominus ad Gedeon: in trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos,
& tradam in manu tua Madian: omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum
ſuum. 8. Sumptis itaque pro numero cibariis, & tubis, omnem reliquam multitu-
dinem abire præcepit ad tabernacula ſua: & ipſe cum trecentis viris ſe certamini de-
dit. Caſtra autem Madian erant ſubter in valle. 9. Eadem nocte dixit Dominus ad
eum: Surge, & deſcende in caſtra; quia tradidi eos in manu tua. 10. Sin autem
ſolus ire formidas, deſcendat tecum Phara puer tuus, 11. Et cum audieris, quid
loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, & ſecurior ad hoſtium caſtra deſcendes.
Deſcendit ergo ipſe, & Phara puer ejus in partem caſtrorum, ubi erant armatorum
vigiliæ. 12. Madian autem, & Amalec, & omnes Orientales populi fuſi jacebant
in valle, ut locuſtarum multitudo: cameli quoque innumerabiles erant, ſicut arena

quæ jacet in littore maris. 13. Cumque veniſſent Gedeon, narrabat aliquis ſomnium proximo ſuo: & in hunc modum referebat, quod viderat: Vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volvi, & in caſtra Madian deſcendere: cumque perveniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud, atque ſubvertit, & terræ funditus coæquavit. 14. Reſpondit is, cui loquebatur: Non eſt hoc aliud, niſi gladius Gedeonis filii Joas viri Iſraelitæ: tradidit enim Dominus in manus ejus Madian, & omnia caſtra ejus. 15. Cumque audiſſet Gedeon ſomnium, & interpretationem ejus, adoravit: & reverſus eſt ad caſtra Iſrael, & ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus noſtras caſtra Madian. 16. Diviſitque trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenaſque vacuas, ac lampades in medio lagenarum. 17. Et dixit ad eos: Quod me facere videritis, hoc facite: ingrediar partem caſtrorum, & quod fecero, ſectamini. 18. Quando perſonuerit tuba in manu mea, vos quoque per caſtrorum circuitum clangite, & conclamate, Domino, & Gedeoni. 19. Ingreſſuſque eſt Gedeon, & trecenti viri, qui erant cum eo, in partem caſtrorum, incipientibus vigiliis noctis mediæ, & cuſtodibus ſuſcitatis, cœperunt buccinis clangere, & complodere inter ſe lagenas. 20. Cumque per gyrum caſtrorum in tribus perſonarent locis, & hydrias confregiſſent, tenuerunt ſiniſtris manibus lampades, & dextris ſonantes tubas: clamaveruntque: Gladius Domini, & Gedeonis: 21. Stantes ſinguli in loco ſuo per circuitum caſtrorum hoſtilium. Omnia itaque caſtra turbata ſunt, & vociferantes, ululanteſque fugerunt: 22. Et nihilominus inſiſtebant trecenti viri buccinis perſonantes. Immiſitque Dominus gladium in omnibus caſtris, & mutua ſe cæde truncabant, 23. Fugientes uſque ad Bethſetta, & crepidinem Abelmehula in Tebbath. Conclamantes autem viri Iſrael de Nephtali, & Aſer, & omni Manaſſe, perſequebantur Madian. 24. Miſitque Gedeon nuncios in omnem montem Ephraim, dicens: Deſcendite in occurſum Madian, & occupate aquas uſque Bethbera, atque Jordanem. Clamavitque omnis Ephraim, & præoccupavit aquas, atque Jordanem uſque Bethbera. 25. Apprehenſoſque duos viros Madian, Oreb, & Zeb, interfecit Oreb in petra Oreb, Zeb vero in Torculari Zeb. Et perſecuti ſunt Madian, capita Oreb, & Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Jordanis,

℣. 1. VENIT AD FONTEM QUI VOCATUR ARAD. Hebræus על עין חרד *Ad En-charod*, vel, *Ad Fontem Charod*. Erat facile Charod pagus, cujus ſitus ignoratur. Sunt qui credant, fontem Jezrael, ubi caſtrametati ſunt Iſraelitæ cum Saule (1), hunc eſſe fontem Charod. Textus exponi poteſt ad literam, *Fons turbarum*, veluti ſi innueretur terror, quo ad Gedeonis acceſſum hoſtes turbati fuere.

ERANT CASTRA MADIAN IN VALLE AD SEPTENTRIONALEM PLAGAM COLLIS EXCELSI. Textus Originalis legit: *Madian erat Gedeoni ad Aquilonem a colle More in valle*. Quis *collis* hic *More* גבעת המורה fuerit, ignoratur. Convenit tamen inter omnes, ſeptentrionalem eſſe ſtatuendum valli Jezraelis, quæ inter montes Gelboe ad meridiem, & Hermonis ad ſeptentrionem, jacebat.

℣. 3. QUI FORMIDOLOSUS ET TIMIDUS EST, REVERTATUR. Lege conſtituerat Moyſes (2), ut antequam manus conſererentur, palam in fronte agminis ediceret præco: *Quis eſt homo formidoloſus & corde pavido? vadat, & revertatur in domum ſuam, ne pavere faciat corda fratrum ſuorum, ſicut ipſe timore perterritus eſt*. Legi huic morem geſturus Gedeon, formidoloſos, ſi qui eſſent in exercitu, dimittit. Scipio daturus ſe in viam, ut in Africam ad Carthaginem delendam veniret (3), certior factus eſt habere ſe in exercitu equites quoſdam Siculos, qui ejus expeditionis diſcrimen metuebant. Milites igitur pro concione monuit, ut ſi qui metu tenerentur, aperte ſibi imbecillitatem hanc ſuam indicarent: ſeſe illorum imbecillitatis rationem habiturum. Ex illis trecenti faſſi ſunt, ſe, ſiquidem id in ipſorum poteſtate eſſet, belli diſcrimen illud recuſaturos; ſtatimque illos dimiſit.

RECESSERUNT DE MONTE GALAAD. Niſi mendum irrepſit in Hebræum, ex quo Verſio hæc expreſſa eſt, agnoſcamus oportet geminos montes Galaad, alterum cis, alterum trans Jordanem (4); reputandumque, partem montis Gelboe, ad quem caſtra metati fuerant Iſraelitæ, nomine Galaad innotuiſſe. In Textu hoc & in reliqua orationis ſerie, nullus Iſraelita ditionis Galaaditicæ in exercitu Gedeonis occurrit; quare verti non poteſt: *Incolæ montis Galaad* (5) *receſſerunt*; ſed legi poſſet Gelboe pro Galaad, atque ita difficultas omnis tolleretur,

℣. 5. QUI LINGUA LAMBUERINT AQUAS, SICUT SOLENT CANES LAMBERE, SEPARABIS EOS. Latini plures Codices ferunt (6): *Qui lingua & manu lambuerint aquas*: ſed Hebræus (7), Chaldæus & Septuaginta tantummodo linguam habent, quamquam & ℣. 6. manus etiam meminerunt, qua hauſtam aquam milites ad os detulerunt, In Editione quidem Complutenſi in ℣. 6. deeſt *manus*; legitur tamen in Exemplaribus Græcis Romano & Baſileenſi, in Origene ac S. Auguſtino. Igitur trecenti illi Gedeonis milites, a Deo ſelecti, ut in fugam agerent Madianitas, minime flexo humi genu linguam, canum more, ad lambendas aquas porrexerunt, ſed inclinantes ſeſe ad aquas, hauſtum manu humorem ori admoverunt. Hinc factum eſt, ut Commentariorum Scriptores quidam cenſeant, canum ſimilitudinem inductam fuiſſe, potius ut exhiberetur celeritas atque aviditas, qua biberunt, quam ratio aquas ore lambendi.

Vetus

(1) 1. Reg. xxix. 1. (2) Deuteronom. xx. 8. (3) Livius l. 29. (4) Lyran. Toſt.
(5) Ita Serar. Menoch. (6) Robert. Stephani ann. 1546. Nivel 1573. & aliæ plures ex antiquioribus.
(7) כל אשר ילק בלשונו מן המים

Vetus eſt parœmia (1): *Canis bibit & fugit*; ſignificans hominem fugitantem, ne incidat in hoſtes; id autem deductum fertur e canibus Ægyptiis, qui currentes bibunt, metu ne incidant in fauces crocodilorum, quibus Nilus infeſtus redditur. Quare hinc ducendum eſſet, trecentos illos milites formidoloſiores cæteris fuiſſe (2).

Qui vero Deus, cum paulo ante dimitti juſſiſſet duas totius agminis partes, quod pavorem aliquem exhiberent, retinendos ſtatuit trecentos illos, qui eodem laborantes vitio dimitti, non ſecus ac illi, meruerant? Præſtat igitur reputemus, manum hanc virorum continentia hac ſua ſpecimen exhibuiſſe majoris virtutis, roboris & temperantiæ, quam qui totos ſe aquis immerſerunt, ut commodius biberent; quare trecenti illi cæteris prælati ſunt tamquam maxime laboris patientes, & aptiores ad incommoda expeditionis ſuſtinenda (3).

℣. 8. Sumptis pro numero cibariis et tubis, omnem reliquam multitudinem abire præcepit. Textus originalis (4): *Ceperunt eſcam populi in manu ſua, & tubas ſuas*. Tulerunt ſecum tubas omnes exercitus, & ex annona univerſo populo deſtinata, quantum ad iter ſufficeret: ſed hiſtoriæ ſeries demonſtrabit, commeatus illos nulli uſui fuiſſe, idcirco facile, quod in tentoriis illos reliquerint. Vide Caput viii. 5. 6.

℣. 9. Tradidi eos, tradam ſcilicet, vel manibus veſtris me traditurum ſpondeo.

℣. 11. In partem castrorum, ubi erant armatorum vigiliæ, Hebræus (5): *Deſcendit ad extremitatem militum armatorum, qui in caſtrametatione*. Eorum qui tranſmiſſo Jordane ditionem Iſraeliticam invaſerant, plerique diſciplinæ militaris leges plane negligebant. Cum enim prædatum ſolummodo ac vaſtatum regionem venirent, ac nemine reſiſtente late per agrum palantes decurrerent, ſub ſignis non habebant niſi eas copias, quæ palantibus ac diſperſis per agrum prædatoribus ſatis eſſent præſidio. Ad agmen illud armatorum ſe ſe contulit Gedeon, per ſe exploraturus rerum ſtatum & diſpoſitionem caſtrorum, & quid conſilii hoſtes molirentur. Milites hoſce appellat Scriptura *Chamiſchim*, viros ſcilicet in quinos diſtributi; quæ loquendi phraſis nos exercuit in Exodo xiii. 18. Quis eſſet numerus totius exercitus Madianitici & Fœderatorum, ignoratur; ſed ex ſequenti capite viii. 10. diſcimus, centum ac triginta millia *bellatorum educentium gladium* in exercitu Madianitarum militaſſe.

℣. 13. Quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, et in castra Madian descendere. Sunt qui Hebræum reddant (6): *Ecce tinnitus panis hordeacei, volventis ſe in caſtra Madian*. Tinnitus quidam inſonuiſſe auribus meis mihi viſus eſt, tamquam panis impetu in caſtra devoluti. *Ecce placenta panis hordeacei &c.* Sed plerique interpretationem Vulgatæ retinent.

℣. 14. Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis. Conſtat hinc, Madianitas explorata habuiſſe conſilia & apparatum expeditionis Iſraelitarum. Sed quæ ſimilitudinis proportio inter gladium Gedeonis, & panem, qui convolutus in caſtra, tentorium quoddam dejecit? Hebræa vox (7) deſignans panem, derivatur ex radice, quæ bellum gerere ſignificat. Adde, Hebræos perinde fuiſſe Madianitis ac panem, quem illi jam inde a ſeptem annis devorabant. Utitur non ſemel Scriptura hac phraſi, *Devorare aliquem ſicut panem*, ut innuat, bellum gerere in aliquem (8): *Sicut panem, ita poſſumus eos devorare*, ajebat de Chananæis agens Calebus. Denique, eſto, viri Madianitæ expoſitio nullo fundamento & ratione nitatur, quod utique non concedimus, cum totus ejus ſermo e præſenti rerum ſtatu penderet, ac peculiari Numinis providentia dirigeretur; Dei tamen conſiliis ſatis erat, ut verbis illis auditis Gedeon confirmaretur, intelligeretque, hoſtes ſui cauſa metuere, animoque fluctuare.

℣. 15. Somnium et interpretationem ejus. Hebræus: *Somnium & fractionem ejus* (9), tamquam panis qui frangitur ut comedatur, vel nux, qua fracta nucleus eruitur. Ex tota hac narratione probatur, Gedeonem gentis illius vernaculum ſermonem probe aſſequutum eſſe, adeoque & lingua uſos fuiſſe Madianitas vel Hebraica, vel ad Hebraicam proxime accedente.

℣. 16. Lagenas vacuas ac lampades in medio lagenarum. Tædæ erant (10) vel potius faces ligni pinguis, ad alteram oram incenſæ, quarum lumen intra vacuas lagenas condebatur, ut ſcilicet alliſis humi lagenis, ſubita lux ex improviſo apparens, eam hoſtibus perſuaſionem induceret, formidabilem aliquem exercitum in ſe irruiſſe. Inopinatus ille clangor trecentarum buccinarum, cum militum clamore, addito terrore quem tenebrarum horror per ſe parit, in eam conſternationem, quam quis mente aſſequi poteſt, agmen e variis diverſis gentibus coaleſcens injecit. Neque ego niſi naturales cauſas hujus terroris commemoro; adjecto enim divinitus tumultu mentiſque turbatione, adeo ſuſdeque eorum animus vertebatur, ut alter alterum non agnoſceret. Vetus quidam Author, ſub Tertulliani nomine (11), trecentis hiſce Gedeonis militibus equos tribuit, eoque trecentorum in numero detegit Crucis myſterium, in *Tau* expreſſum, quod Græcis valet tercentum.

In Inſula Melita familiari uſu obtinent lampades nonnullæ, quibus lampadibus hiſce ſacri ſcriptoris lux affundi poteſt. Cretaceæ ſunt more veteri formatæ. Flante vento clauduntur in vaſe quodam futili uno tantum latere aperto ne a vento lumen extinguatur. Aere tranquillo lucerna illa aſſurgenti cuidam veluti collo in ſuperiora vaſis prominenti imponitur.

℣. 17. Ingrediar partem castrorum, et quod fecero, sectamini. Hebræus (12) & Chaldæus: *Veniam in finibus caſtrorum*. Septuaginta (13): *In medium caſtrorum*. Antequam ad hoſtes perveniret Gedeon, agmen trifariam diviſit, centum militibus in ſingula tria minora agmina diſtributis, ac præcepit, ut diverſa caſtrorum loca ſeorſum aggrederentur, vel ſiſterent ſe tribus extremis oris caſtrorum hoſtilium, cum ipſe ſignum daret, lagenam, qua fax continebatur, frangens ac tuba canens. In caſtra autem non perruperunt, uti ex ℣. 21. probatur, ſed ante aditum conſtiterunt.

℣. 18. Conclamate: Domino et Gedeoni. Teſ-

(1) Macrob. l. 2. c. 2. *Poſt Mutinenſem fugam quærentibus quid ageret Antonius, reſpondiſſe familiaris ejus fertur: Quod canis in Ægypto: Bibit, & fugit: quoniam in illis regionibus conſtat, canes raptu crocodilorum exterritos currere & bibere.* (2) Ita Ioſeph. l. 5. Antiq. c. 8. Theodoret. qu. 15. Munſt. (3) Ita Serar. Bonfr. Lyr. Arias, &c. (4) ויקחו את צדה העם בידם ואת שופרותיהם (5) אל קצה החמשים אשר במחנה (6) הנה צליל לחם שערים מתהפך במחנה מדין Septuag. ἰδοὺ μαγὶς ἄρτου κριθίνου κυλιομένη ἐν τῇ παρεμβολῇ, &c. (7) לחם *panis*, בלחם *bellum gerere*. Apud Græcos frequenter uſurpatur, δεῖπνον ὁπλίζεσθαι, *prandium parare*, quamquam ὁπλίζεσθαι eſt *armari*. (8) Num. xiv. 9. (9) חלום ואת שברו (10) לפידים Septuag. λαμπάδας, *tædae, faces*. (11) Carmine adverſ. Marcion. l. 3.

Hoc etenim ſigno prædonum ſtravit acervos,
Congreſſus populo Chriſti, ſine milite multo,
Tercenteno equite, numerus Tau, littera græca,
Armatis facibuſque & cornibus ore canentum.

(12) אנכי בא בקצה המחנה Chald. בסיפי משריתא (13) Εἰς μέρος τῆς παρεμβολῆς.

ſera eſt, militibus data: *Vivat Dominus, vivat Gedeon*; ſeu: *Victoria Domino & Gedeoni*; vel potius: *Gladius Domini & Gedeonis*; quod perſpicue ſatis declaratum eſt infra ℣. 20. *Clamaverunt* omnes ſimul: *Gladius vel bellum Domini & Gedeonis*. Sub auſpiciis Domini & Gedeonis certamus. Chaldæus; *Bellum eſt bellum Domini, & victoria Gedeoni*.

℣. 19. Incipientibus vigiliis noctis mediæ. Hebræi olim tres noctis vigilias diſtinguebant. Prima legitur in Threnis Jeremiæ II. 19. ſub nomine ראש אשמורות *principii vigiliarum*; hic altera occurrit: tertiam habes in Exodo XIV. 24. אשמרת הבקר *vigilia matutina*. In Novo Teſtamento quatuor ſunt noctis vigiliæ (1), veteri more reformato, & Romanos uſus amplectentibus Judæis.

Et custodibus suscitatis ad tubarum ſtrepitum. Duplici interpretatione Textus redditur (2): I. Gedeon ſopitos cuſtodes nactus, ſuſcitavit ſtrepitu buccinarum, & confractarum lagenarum fragore: II. Reputari poſſet, perveniſſe illum in caſtra, quo tempore cuſtodes primæ vigiliæ recedentes, locum ſecundis cuſtodibus dabant, adſtititque improviſus cum facibus, ſublatoque clamore terrorem in cuſtodes primum, deinde per tota late caſtra injecit.

Perſimilia quædam Gedeonico huic in Madianitas ſtratagemata in Hiſtoria Romana exhibentur. Faliſci bellum cum Romanis gerentes, e militibus plures induerunt lugubribus veſtibus, datis in eorum manus facibus & anguibus. Ita vero perſonati coram Romanis copiis adſuere, quas improviſo terrore turbarunt. Vejentes ac Fidenates accenſas tædas manu tenentes paria tentarunt (3).

℣. 21. Stantes singuli in loco suo, Continuerunt ſe, ne ad medium uſque caſtrorum procederent, ut hoſtes arbitrarentur, tres hoſce hoſtium cuneos ſolos eſſe revera tibicines, qui cæteros milites excitarent, ac reliquo agmini facem præferrent; iidemque hoſtes certo crederent, ipſos jam in caſtra perrupiſſe; atque ita quoſcumque habebant obvios, illos eſſe hoſtes rati, indiſcriminatim cædebant, quidquid fugæ ſuæ opponebatur, ferientes.

℣. 23. Fugientes usque ad Bethsetta, et crepidinem Abelmehula in Tebbath. Urbs Bethſetta nullibi nota eſt in Scriptura; noſcitur tamen Beſech, proxima valli Jezrael. Abelmehula locus eſt celebris, ortu Eliſei Prophetæ (4); conſtituiturque a S. Hieronymo in magno campo X. M. paſſibus a Scythopoli. Tebbath nuſpiam alibi in ſacro Textu legitur; ſed nota eſt Urbs Thebes, in cujus obſidione Abimelech oppreſſus eſt lapſu molæ, quam fœmina e ſuperiore turri dejecit (5). Urbs hæc jacebat Neapolim inter & Scythopolim, e qua III. M. paſſibus diſtabat. Quo loco hic legitur, *Uſque ad crepidinem Abelmehula*; in Hebræo eſt (6), *Sararet uſque ad crepidinem Abelmehula*. Porro Sararet eamdem credit Junius ac *Sartan*, cujus meminit Liber III. Regum (7), jungiturque cum Bethſan, Jezrael, Abelmehula; quæ omnes urbes proxime jacebant locum, ubi Serarat vel Sararet conſtituenda eſt.

Conclamantes viri Israel. Conclamatum credimus a novem millibus ac ſeptingentis illis, quos Gedeon veſpere diei præcedentis remiſerat, quique felici eventu ſtratagematis Gedeonis intellecto, fugientes hoſtes inſecuti ſunt. Cum fama victoriæ illius ſtatim per totam illam regionem pervagata eſſet, continuo cieri Tribus omnes, ut reliquias fracti illius grandis exercitus delerent.

℣. 24. Occupate aquas usque Beth-bera. Occupate vada omnia Jordanis, a Bethſan, quæ eſt prope locum, ubi Jordanes e lacu Geneſareth expeditur, uſque ad Beth-beram, vel Beth-abaram, urbem ex Evangelio (8) notam, trans Jordanem ſitam, in loco, ubi Iſraelitæ amnem trajeciſſe ſub Joſue feruntur (9). Nullus Jordani impoſitus pons, quin neque ejus trajiciendi commodo lyntres ſeſe offerunt in Scriptura; ſed vada erant per intervalla, quæ tranſitum facile præbebant per æſtatem, cum amnis ille non maximus ſit; tempore vero meſſis, cum auctæ maxime aquæ turgent, tranſitus dabatur per camelos, quorum ingens erat copia in exercitu Madian, & Orientalium.

℣. 25. Interfecit Oreb in petra Oreb, et Zeb in torculari Zeb. Capti ſunt, & facile etiam interfecti gemini hi Principes Madianitarum, alter quidem in ſpecu rupis, alter in torculari quodam; quæ duo loca nomen adſciverunt ſingula e nomine Principis ibi interfecti. Hebræum *Jekeb* יקב, quod hic redditur torcular, non machinam illam deſignat, qua premuntur uvæ, ſed cella vinaria eſt, vel potius ſubterranea quædam ciſterna, ubi olim Veteres vina conſervabant, ex quo frequentes illæ in Scriptura phraſes: *Torcular extruxit* [effodit] *in ea* (10). *Plenum eſt torcular, exuberant torcularia* (11). *Vino torcularia tua redundabunt* (12). *Cum intraretis ad torcular, & exprimeretis quinquaginta lagenas* (13). Latebat igitur Zeb in quadam ex his cavernis ſubterraneis in rupe exciſis, quam forte vacuam nactus eſt.

Portantes ad Gedeon trans fluenta Jordanis. Qui abſciſſa hæc capita detulerunt, ii ſunt, qui ad vada Jordanis jurgati ſunt cum illo. Hanc autem cepit Gedeon occaſionem, ut ex hoc præclaro virtutis illorum ſpecimine bellicam eorum virtutem, & egregia facta, etiam ſupra relatæ a ſe victoriæ decus, ut infra patebit, commendaret.

[1] Matth. XIV. 25. Marc. VI. 48. [2] אך הקם הקימן בת השמרים [3] Vide Grot. hic, & Frontin. lib. 2. c. 4. Strateg. & Polyæn. l. 2. 37. [4] 3. Reg. XIX. 16. [5] Judic. IX. 50. 53. [6] צררתה עד שפת אבל מח לה [7] 3. Reg. IV. 12. Vide & Joſue III. 16. [8] Joan. I. 28. Ita Scalig. in Druſ. Bonfr. Jun. [9] Vide Hieronym. in locis, & Bonfr. hic. [10] Iſai. V. 2. [11] Joel. III. 18. [12] Prov. III. 10. [13] Agg. II. 17.

C A-

CAPUT VIII.

Gedeon placat Ephraimitas. Trajicit Jordanem: captos interficit Zebee, & Salmanam: punit cives Soccoth, & Phanuelis: Regiam dignitatem reſpuit; e manubiis hoſtium conficit ſibi Ephod. Moriens relinquit ſeptuaginta filios, præter Abimelechum. Iſraelitarum erga Deum & domum Gedeonis ingrati animi crimen.

℣. 1. DIxeruntque ad eum viri Ephraim: Quid eſt hoc, quod facere voluiſti, ut
nos non vocares, cum ad pugnam pergeres contra Madian? jurgantes for-
titer, & prope vim inferentes. 2. Quibus ille reſpondit: Quid enim tale facere po-
tui, quale vos feciſtis? nonne melior eſt racemus Ephraim vindemiis Abiezer? 3.
In manus veſtras Dominus tradidit principes Madian, Oreb, & Zeb: quid tale fa-
cere potui, quale vos feciſtis? Quod cum locutus eſſet, requievit ſpiritus eorum,
quo tumebant contra eum. 4. Cumque veniſſet Gedeon ad Jordanem, tranſivit eum
cum trecentis viris, qui ſecum erant, & præ laſſitudine fugientes perſequi non pote-
rant. 5. Dixitque ad viros Soccoth: Date, obſecro, panes populo, qui mecum eſt,
quia valde defecerunt, ut poſſimus perſequi Zebee, & Salmana reges Madian: 6.
Reſponderunt principes Soccoth: Forſitan palmæ manuum Zebee, & Salmana in ma-
nu tua ſunt, & ideirco poſtulas, ut demus exercitui tuo panes. 7. Quibus ille ait:
Cum ergo tradiderit Dominus Zebee, & Salmana in manus meas, conteram carnes
veſtras cum ſpinis, tribuliſque deſerti. 8. Et inde conſcendens, venit in Phanuel:
locutuſque eſt ad viros loci illius ſimilia. Cui & illi reſponderunt, ſicut reſponderant
viri Soccoth. 9. Dixit itaque & eis: Cum reverſus fuero victor in pace, deſtruam
turrim hanc. 10. Zebee autem, & Salmana requieſcebant cum omni exercitu ſuo.
Quindecim enim millia viri remanſerant ex omnibus turmis orientalium populorum,
cæſis centum viginti millibus bellatorum educentium gladium. 11. Aſcendenſque Ge-
deon per viam eorum, qui in tabernaculis morabantur, ad Orientalem partem No-
be, & Jegbaa, percuſſit caſtra hoſtium, qui ſecuri erant, & nihil adverſi ſuſpicaban-
tur. 12. Fugeruntque Zebee, & Salmana, quos perſequens Gedeon comprehendit,
turbato omni exercitu eorum. 13. Revertenſque de bello ante ſolis ortum, 14. Ap-
prehendit puerum de viris Soccoth: interrogavitque eum nomina principum, & ſe-
niorum Soccoth, & deſcripſit ſeptuaginta ſeptem viros. 15. Venitque ad Soccoth,
& dixit eis: En Zebee, & Salmana, ſuper quibus exprobraſtis mihi, dicentes: For-
ſitan manus Zebee, & Salmana in manibus tuis ſunt, & ideirco poſtulas, ut demus
viris, qui laſſi ſunt, & defecerunt panes. 16. Tulit ergo ſeniores civitatis, & ſpinas
deſerti, ac tribulos, & contrivit cum eis, atque comminuit viros Soccoth. 17. Tur-
rim quoque Phanuel ſubvertit, occiſis habitatoribus civitatis. 18. Dixitque ad Ze-
bee, & Salmana: Quales fuerunt viri, quos occidiſtis in Thabor? Qui reſponderunt:
Similes tui, & unus ex eis quaſi filius regis. 19. Quibus ille reſpondit: Fratres mei
fuerunt filii matris meæ. Vivit Dominus, quia ſi ſervaſſetis eos, non vos occiderem.
20. Dixitque Jether primogenito ſuo: Surge & interfice eos. Qui non eduxit gla-
dium: timebat enim, quia adhuc puer erat. 21. Dixerunt Zebee, & Salmana: Tu
ſurge, & irrue in nos: quia juxta ætatem robur eſt hominis. Surrexit Gedeon, &
interfecit Zebee, & Salmana, & tulit ornamenta ac bullas, quibus colla regalium
camelorum decorari ſolent. 22. Dixeruntque omnes viri Iſrael ad Gedeon: Domina-
re noſtri tu, & filius tuus, & filius filii tui; quia liberaſti nos de manu Madian.
23. Quibus ait: Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed do-
minabitur vobis Dominus. 24. Dixitque ad eos: unam petitionem poſtulo a vobis:
Date mihi inaures ex præda veſtra. Inaures enim aureas Iſmaelitæ habere conſueve-
rant. 25. Qui reſponderunt: Libentiſſime dabimus. Expandenteſque ſuper terram pal-
lium, projecerunt in eo inaures de præda: 26. Et fuit pondus poſtulatarum inau-
rium, mille ſeptingenti auri ſicli, abſque ornamentis, & monilibus, & veſte purpu-
rea, quibus reges Madian uti ſoliti erant, & præter torques aureas camelorum: 27.
Fecitque ex eo Gedeon Ephod, & poſuit illud in civitate ſua Ephra. Fornicatuſque
eſt omnis Iſrael in eo, & factum eſt Gedeon, & omni domui ejus in ruinam. 28.
Humiliatus eſt autem Madian coram filiis Iſrael, nec potuerunt ultra cervices elevare;
ſed

Digitized by Google

Ab anno M. 2719. ante J. C. 1241. ſed quievit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit. 29. Abiit itaque Jerobaal filius Joas, & habitavit in domo ſua: 30. Habuitque ſeptuaginta filios, qui egreſſi ſunt de femore ejus: eo quod plures haberet uxores. 31. Concubina autem illius, quam habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimelech. 32. Mortuuſque A. M. 2768. an. J. Chr. 1236. eſt Gedeon filius Joas in ſenectute bona, & ſepultus eſt in ſepulchro Joas patris ſui in Ephra de familia Ezri. 33. Poſtquam autem mortuus eſt Gedeon, averſi ſunt filii Iſrael, & fornicati ſunt cum Baalim. Percuſſeruntque cum Baal fœdus, ut eſſet eis in deum. 34. Nec recordati ſunt Domini Dei ſui, qui eruit eos de manibus inimicorum ſuorum omnium per circuitum: 35. Nec fecerunt miſericordiam cum domo Jerobaal Gedeon, juxta omnia bona, quæ fecerat Iſraeli.

℣. 1. DIXERUNT AD EUM VIRI EPHRAIM. Actum eſt hoc poſt reditum Gedeonis a Madianitarum cæde, cum adhuc trans Jordanem eſſet: conſtat enim infra, ex ℣. 4. amnem tranſmiſiſſe cum electa ſolummodo trecentorum manu: legiturque in præcedenti capite (1) filios Ephraim, qui acriter cum illo hic expoſtulant, detuliſſe ad ipſum capita Zeb & Oreb trans Jordanem. Agnoſcenda eſt igitur rerum ſeries hic turbata. Unica ſerie ſimul exhibentur omnia quæ pertinent ad victoriam Ephraimitarum de Oreb & Zeb: tum reſumitur hiſtoria Gedeonis & trecentorum electiſſimorum.

Conqueſti ſunt Ephraimitæ de Gedeone, quod in partem conſilii ipſius & juſſionis a Deo acceptæ, expeditionis ſcilicet in Madianitas ſuſcipiendæ, acciti non fuerint; vocatis interim Tribubus Zabulon, Aſer, & Nephtali (2), neglecta Tribu Ephraimi, quamquam propinquiori, magiſque conjuncta cum Manaſſe; ambæ enim ſimul ſortem ſuam receperant (3), & communem patrem Joſephum agnoſcebant. Nec ſane citra injuriam eos neglexiſſe videtur Gedeon, qui Ephraimum non admonuerit, niſi poſt fuſos hoſtes, & cum Jordanis vada obſidenda eſſent (4). Merito igitur Gedeon modeſtiſſime mitibuſque verbis querelas Ephraimi depellit; id ſapientia ſua efficiens, ut moleſtas ejus rei appendices tolleret, ſiquidem diſſidii aliquid inter Tribus ſubortum fuiſſet.

℣. 2. NONNE MELIOR EST RACEMUS EPHRAIM VINDEMIIS ABIEZER? Unica Tribus Ephraimi nonne pluris eſt quam univerſa familia Abiezer (5), ipſaque Tribu integra Manaſſe? Seu potius: Quæ a vobis egregie præſtita ſunt, facinus illud meum longe ſuperant. Ego bellum exorſus ſum, vos abſolviſtis. Hebræus ad literam (6): *Racemus Ephraim*, racemus ſcilicet e vindemia relictus, *præ tota vindemia Abiezer*. Quod a vobis geſtum eſt, captis interfectiſque Zeb & Oreb, magnopere ſuperat mearum copiarum molimina. Racemus veſter melior eſt vindemia mea. Facinus illud meum ſpecie quidem majus eſt veſtro facinore, revera minus, cujus veſtræ virtutis argumenta veſtris nunc in manibus exhibetis (7).

Telamon filius Æaci, in prima Trojæ obſidione, omnium primus evaſit in urbem. Relatum ex ea re decus ægre ferens Hercules, illum jam jam occiſurus erat; cum ille continuo ſtructu e lapidibus aggere, quid rei moliretur ab Hercule rogatus, Aram, inquit, Herculi victori ſtatuo. Placatus his verbis Hercules, in laudes Telamonis furorem convertit (8).

℣. 3. OREB ET ZEB. Nomen Oreb eſt *corvus*, & Zeb *lupus*. Porro id affectaſſe gentes illas, ut nomina e brutis adſciſcerent, jam alibi animadvertimus.

℣. 4. CUM VENISSET GEDEON AD JORDANEM, TRANSIVIT EUM CUM TRECENTIS VIRIS. Hiſtoriæ hujus ſeries demonſtrat trajeciſſe illos amnem ad Bethſan, infra eum locum, ubi Jordanes ex aquis Lacus Tiberiadis ſeſe expedit. E monte Thabore, cui Madianitarum caſtra adjacebant, ad uſque Bethſan vel Scythopolim, tractus eſt quinque vel ſex leucarum circiter. Cum ad Jordanem veniſſet Gedeon, certior factus eſt, Madianitarum vel Iſmaelitarum manum, cautione ſua, diſpoſitis ad ripas Jordanis cuſtodibus, eluſa, amnem tranſmiſiſſe: quare illos inſequutus eſt cum electa a Deo trecentorum manu.

℣. 5. DIXIT AD VIROS SOCCOTH: DATE, OBSECRO, PANES POPULO. Cum Gedeon ejuſque copiæ elapſam diem totamque ferme ſequentem noctem urgendo & clamando poſt fugientes hoſtes impendiſſent, nec improviſam hanc Madianitarum fugam prævidere potuiſſent, commeatus neglexerant, quare mane alterius diei animis viribuſque erant affecti. Cum, trajecto Jordane, pervenere ad Soccoth urbem ſatis proximam ripæ Jordanis, & torrenti Jaboc meridionalem. Miſſis igitur nunciis Gedeon *ad viros Soccoth*, annonam poſtulavit. Porro nuncii ad eos miſſi videntur, qui infra ℣. 14. appellantur *Principes & Seniores* Soccoth.

Sed quo jure annonam ex iis urbibus exigebat Gedeon, recuſantibuſque extrema omnia minitatur? Reſpondemus, ex bellicis legibus jus eſſe non poſtulandi modo, ſed & vi rapiendi adigendique, ut neceſſaria exercitui ſufficiantur: quin & recuſantes vi cogere in his rerum articulis illæ permittunt. Qui enim tum recuſat, perduellis quodammodo eſt in Rempublicam: negat neceſſaria iis, qui vitam pro Reipublicæ ſalute diſcrimini objiciunt. Quare peccat non in charitatem modo, humanitatem, & debitam beneficiorum cognitionem, ſed & in leges juſtitiæ, ſancientes, ut ii, qui Reipublicæ ſerviunt, Reipublicæ ſumptibus vivant; & cum res poſtulat, bonorum communitas redeat, doneturque liberali aliqua largitione continentia copiarum, quæ modeſte petant id, quod vi rapere & exigere poſſunt. Qui juſtis ejuſmodi petitionibus non acquieſcunt, merentur utique, ut hoſtium loco habiti, priventur bonis quibus abutuntur. Id agere David ſtatuerat in Nabalem (9), qui ad repulſæ injuriam exprobrationem adjecerat; non ſecus ac cives Soccoth & Phanuelis erga Gedeonem ſeſe gerunt.

℣. 7. CONTERAM CARNES VESTRAS CUM SPINIS TRIBULISQUE DESERTI. Proſcindam vos flagris, quæ deſerti veſtri ſpinis armabo (10): vel conteram vos pedibuſque contundam ſub ſpinis deſerti (11). Hebræus ad literam (12): *Triturabo carnem veſtram cum ſpinis deſerti, & cum tribulis*. Ideſt, conteram vos ſub beſtiarum pedibus, veluti cum triticum teritur; vel ſternam ſuper ventrem veſtrum deſerti ſpinas, tum vero ſuperinducam immania illa plauſtra ferro gravia, quemadmodum ſuper ſtratos manipulos, ut frumentum excutiatur.

(1) Judic. VIII. 25. *Capita Oreb & Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Jordanis.* (2) Vide cap. VI. 35. & VII. 23. (3) Joſue XVI. 1. (4) Sup. cap. VII. 24. (5) Ita Chald. Procop. Abul. (6) הלא טוב עללות אפרים מבציר אביעזר (7) Ita Vatab. Caſtal. Jun. Piſc. Cornel. Adag. 157. (8) Apollod. lib. 2. cap. 6. Biblioth. (9) 2. Reg. XXV. 10. 11. (10) Vat. Menoch. Cornel. Jun. (11) Druſ. (12) ודשתי את בשרכם את קוצי המדבר ואת הברקנים

tur. Perſimili ſupplicio David animadvertit in Ammonitas (1); ac de illo nos diſſeruimus in diſſertatione de ſuppliciis Hebræorum. Hebræum *Barkanim* reddidimus tribulos; qua in re optimi veteres recentioreſque Interpretes conſentiunt. Septuaginta ſervant nomen *Barkenim*; ſed Heſychius & Suidas docent, voces *Barcine* vel *Barcinis* tribulos ſignificare. In eamdem interpretationem conceſſerunt Aquila (2) & Symmachus (3). Sunt tamen e recentioribus quidam (4), qui velint, illud hic accipi oportere de machinis illis ferreis & dentatis, quibus teritur palea, & triticum excutitur. Vocem originalem nullibi in ſacris Libris, niſi hic tantum, legimus.

℣. 10. Zebee, et Salmana requiescebant cum omni exercitu suo. Hebræus (5): *Zebee & Salmana erant in Karkar*. *Karkar*, authore Bocharto, eſt, in quiete vel ſecuritate eſſe: quare Vulgatæ interpretatio retineri poteſt. Alii vero, ut Euſebius & S. Hieronymus (6), *Karkar* nomen eſſe certi alicujus loci tuentur; memorantque oppidum nomine *Carcariam*, diei unius itinere a Petra; forte tamen *Carcar* cum *Carca* miſcuere; nec Euſebius *Carcar* unquam, ſed *Carca* ſemper legit. Porro Carca, vel Carcaa, de qua Joſue xv, 3. diei itinere abeſſe poterat a Petra, Arabiæ Petrææ Metropoli. Sed *Carcar* eadem eſt facile ac urbs, de qua in Numeris xxiv. 17. *Conſurget virga de Iſrael, & percutiet Duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth*. Legit autem Hebræus: *Surget virga ex Iſrael, & perdet Principes Moab, & Carcar filiarum Seth*, vel *filiorum elevationis*, ſuperbiæ: quo nomine in Scriptura indicantur Moabitæ, quorum faſtum ſæpe reprehendit. Meminit etiam Jeremias xlviii. 45. *Kadkad*, vel forte *Carcar filiorum celſitudinis* (Vulgata *tumultus*) ideſt, Moabitarum. Apud Ptolemæum eſt *Carac-moba*, vel *Carac-moab*, quæ facile ipſa eſt *Carcar* hujus loci. Huc pariter referri poſſet *Characha* ſecundi Macchabæorum xii. 7. circa regionem Tob. Porro hæc urbs ſatis abeſſe non poterat a *Nobe* & *Jegbaa*, cum Gedeon ad Orientem utriuſque illius urbis tranſierit (7). Eſt autem *Nobe* facile eadem ac *Nophe*, de qua in Numeris xxi, 30. quæ jacuiſſe cenſenda eſt non procul a Medaba, inter Heſebonem & Ar Moabitarum; ſeu potius ipſa erat Nobe in dimidia Tribu Manaſſe, de qua in eodem Libro (8). Ad *Jegbaam* quod attinet, compertum eſt de illa tantummodo, jacuiſſe illam in Tribu Gad (9), & in via deducente ad regionem Arabum Scenitarum, vel Iſmaelitarum, qui ſub tentoriis degebant, denique ad Arabiam deſertam: [℣. 11.] *Per viam eorum, qui in tabernaculis morabantur*.

℣. 13. Revertensque de bello ante solis ortum. Ægre admodum intelligimus, Gedeonem aggreſſum hoſtes ineunte ſecunda vigilia noctis, ideſt, hora noctis quarta, ea anni tempeſtate, qua meſſes colligebantur, exeunte Aprili, vel ineunte Majo, inſequi fugientes potuiſſe a monte Thabore uſque Jegbaam circiter, quæ ſane urbs admoveri non poteſt propius, quam tribus leucis a Phanuele: fregiſſe illos, atque egiſſe in fugam quindecim millia Madianitarum, fugienteſque inſecutum eſſe, Regem illorum cepiſſe, caſtra diripuiſſe, tantaque hæc cum parva trecentorum manu; deinde vero ab ea expeditione regreſſum eſſe ad Soccoth & Phanuelem, ante exortum Solem, ideſt, poſt confectas decem, vel duodecim leucas itineris pedeſtris, continuatumque laborem ſpatio horarum ſeptem, vel octo circiter, atque hoſtem bis profligatum.

Ut difficultatem hanc tollant, quidam (10) reputant, Gedeonem inſtitiſſe fugientibus hoſtibus qua nocte certamen inivit, & ſequenti etiam die, cum altera ſuccedenti nocte, rediiſſe vero ad Soccoth mane, poſt ſecundam illam noctem, ante Solis exortum. Alii vero ita reddunt Hebræum: מלמעלה החרם, *Reverſus eſt ſublimi jam Sole*: cum jam altus in horizonte Sol emicaret; aliter: Ante occaſum Solis, Sole adhuc in horizonte conſpicuo. Varietas hæc ſententiarum demonſtrat ſive Textus ambiguitatem, ſive potius Interpretum ſolicitudinem, conantium præjudiciis ſuis ejuſdem Textus verba accommodare. Hebræus autem ad literam fert tantum: *Reverſus eſt Gedeon de bello, deſuper Sole*; vel *deſuper Harés*. Verſionem hanc, quam ſequuntur Septuaginta (11) & Theodotion, commodiſſimam reputaremus, ſiqua eſſet cognitio loci hujus *Hares*, quo Gedeon pervenit. Negationem hic addit Chaldæus (12): *Reverſus eſt Gedeon ex bello, uſque non intrare Solem*, vel non adhuc exorto Sole, quod in Vulgatæ interpretationem recidit. An non verti poſſet: *Reverſus eſt ex parte Orientis*? Jegbaa ad orientem Soccoth vel Phanuelis jacebat. Vel cum Symmacho (13) *Ab altitudine montium*.

℣. 14. Et descripsit septuaginta septem viros. Gedeon ne ipſe, an puer nomina hæc ſeptuaginta virorum deſcripſit? Sunt qui a Gedeone deſcripta, dictante puero, cenſeant, vertuntque Hebræum (14): *Deſcripſit ſibi* in ſuum uſum ac memoriam ſuam juvandam. Alii de puero explicant (15): *Deſcripſit illi*, nempe Gedeoni. Neutram interpretationem præfert Textus Hebræus; poſterior tamen proniorem ſenſum referre videtur.

℣. 16. Contrivit cum eis atque comminuit viros Soccoth. Vide quæ diſſeruimus ſupra ℣. 7. Hebræus hujus Textus corruptus videtur (16): *Et monſtravit* [docuit, correxit] *ſpinis viros Soccoth*. Septuaginta (17), & Vulgata verbum idem, quod in ℣. 7. hic pariter legerunt. Contrivit, contuditque viros Soccoth machinis frumentum terentibus. Vero ſimillimum eſt, ſæve adeo excepiſſe illos tantum ſeptuaginta ſeptem viros, ex quibus Senatus, vel Optimatum Soccoth cœtus coaleſcebat. Fruſtra enim interrogaſſet de nominibus Optimatum, ſiquidem omnes ſupplicio afficere voluiſſet. Paria viris Phanuelis feciſſe credendus eſt.

℣. 17. Turrim Phanuel. Nomen Phanuel inditum loco ſcimus ex Angelo, qui Jacobo adſtitit, quocum Jacob ad torrentem Jaboc luctatus eſt (18).

℣. 18. Quales fuerunt viri, quos occidistis in Thabor? Neceſſarii Gedeonis quidam ex incurſionibus, Madianitarum perfugium quærentes in montem Thaborem, ab hoſtibus neci ibi traditi fuerant. Rogat Gedeon Reges Zebee & Salmanam, qui fuerit corporis habitus eorum, qui comprehenſi fuerunt in eo monte, ut ſi vivi adhuc aliqui ſupereſſent, illos redimeret, facta duorum ejuſmodi Principum permutatione. Verum cum Zebee & Salmana reſpondiſſent, eos, quos captivos ceperant, ad formam Gedeonis accedere, ut filii Principis alicujus eſſe viderentur, vel elegantem illam corporis habitudinem, quam Gedeon ipſe, præ ſe ferre, omnes vero a ſe neci tra-

(1) 2. Reg. xii. ult. & 1. Par. xx. 3. (2) Aquil. ἀκάνθαις. (3) Symmach. τριβόλοις. (4) Vide Joan. H. Urſini Arboret. Bibl. c. 24. (5) בקרקר ומחניהם עמם (6) In locis. Καρκαρία φρούριον ἀπέχον πέτρας τῆς πόλεως μίαν ἡμέραν. (7) ℣. 11. *Aſcendens Gedeon . . . . ad orientalem partem Nobe & Jegbaa*. (8) Num. xxxii. ult. Vide & 1. Par. ii. 23. (9) Num. xxxii. 35. (10) Bonfr. ad ℣. 10. Vide & Clericum hic. (11) Ἀπὸ ἀναβάσεως Ἀρές. Ita & Piſc. (12) עד לא ביעל שמשא (13) Sym. ἀναβάσεως ὀρῶν. Vide Hieron. in locis Heb. in Hares. Aquil. ἀναβάσεως ἡλίου. (14) ויכתב אליו את שרי סכות (15) Vatab. Druſ. Septuag. Arab. &c. (16) וידע בהם את אנשי סכות (17) Septuag. In Alex. & Ald. Cod. Καὶ κατέξανεν ἐν αὐτοῖς. Legunt fortaſſe וירש pro וידע Complut. κατῆλόησε, *perſecutus eſt*. Rom. ἠλόησε, *contrivit*. (18) Geneſ. xxxii. 24. 31.

traditos fuiſſe: intellexit ſtatim Gedeon, fratres ſuos uterinos injuria hoſtium illorum interiiſſe; ſtatimque paria inferri geminis hiſce Madianitarum Principibus juſſit.

℣. 20. DIXIT JATHER PRIMOGENITO SUO: SURGE ET INTERFICE EOS. Nulla igitur lege interdictum erat Hebræis, captos in bello interficere. Belli leges occidi captivos permittebant, ſiquidem nec vendere, nec retinere illos in ſervos videretur. Inferendæ autem neci nullus carnifex exigebatur. Id muneris imponit hic Gedeon filio ſuo. Samuel manu ſua interficit Regem Agag (1), cui Saul pepercerat. Salomon mandat Banaiæ, ut ſtricto gladio irruat in Joabum (2). Saul cuſtodibus ſuis præcepit, ut trucidarent Principes, qui evaſioni Davidis imprudentes faverant (3). David ab uno e familiaribus ſuis transfodi jubet Amalecitam, glorіantem ſeſe manus in Saulem injeciſſe (4).

℣. 21. JUXTA ÆTATEM ROBUR EST HOMINIS. Gedeonem rogant miſeri Principes, ne pueri dexteræ necandi tradantur: puerili enim manu inflictum lethale vulnus & probroſum eſt magis & moleſtum, quia lentum. Animadvertit Tacitus lib. IV. Hiſtoriarum, de Civili: *Ferebatur Civilis parvulo filio quoſdam captivorum Romanorum ſagittis jaculiſque puerilibus figendos obtuliſſe.*

TULIT ORNAMENTA AC BULLAS, QUIBUS COLLA REGALIUM CAMELORUM DECORARI SOLENT. Interpretum plerique (5) reddunt hic lunulas (6), quod in Vulgata eſt *ornamenta ac bullas*; nec a vero abludit, colla camelorum ornata fuiſſe torquibus, vel inauribus (7), e quibus penderent lunulæ. Tota teſtante antiquitate ſcimus, inhæſiſſe Arabes & Iſmaelitas cultui Lunæ, Veneris cœleſtis, vel Alilat, quæ tria ſunt ejuſdem nomina. Porro lunulæ illæ, quæ e camelorum collo pendebant, argumenta erant cultus Lunæ impenſi (8); & quæ hodie pariter apud Turcas regnat ſuperſtitio erga Lunam, quam in vexillis ſuis pingunt, præfigunt turribus, atque Moſchæis, uti moris eſt Chriſtianorum de Cruce, veteris illius cultus appendix facile eſt ac veſtigium. Diſcimus autem ex ℣. 26. hujus Capitis, & ex teſtimonio Iſaiæ III. 18. viros pariter & fœminas uti conſueviſſe ornamentis ejuſdem nominis, quibus hic camelorum colla ornantur. Lunulæ autem iſtæ in viris & fœminis vel e collo pendebant, vel in fronte emicabant.

Cæterum hic mos pretioſo cultu ornandi equos & mulos, a vetuſtiſſima petitus ætate hodie pariter in nonnullis regionibus perſeverat. Virgilius VI. Æneidos, de equis Latini Regis:

Inſtratos auro alipedes, pictiſque tapetis.
Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent
Tecti auro, fulvum mandunt ſub dentibus aurum.

Non enim, inquit Apulejus, *in emendis equis phaleras conſideramus, & baltei molimina inſpicimus, & ornatiſſimæ cervicis divitias contemplamur: ſi ex argento & auro, gemmis, monilia variæ gazæ dependent, ſi plura artis ornamenta capiti & collo circumjacent, ſi fræna cælata, ſi ephippia fucata, cingula aureata ſint.* Affirmat Busbequius Epiſtola III. hodie pariter in Aſia bullarum pretioſa monilia e collo pullorum equinorum ſuſpendi. Gemmeo monili cum purpureis ſtragulis equum ſuum *Incitatum* decoravit Caligula, cui & adjecit domeſticos ac ſupellectilem; quin & ei conſulatum deſtinavit (9). Nunquam in publicum prodibat Nero ſine comitatu equorum exterorum, cum bullis & faſciis, mulaſque habebat ſemper argento ſoleatas (10). Hodie in Ægypto pinguntur interdum flavo cameli, quorum & cruribus & collo plurima tintinnabula adjiciuntur (11).

℣. 22. DIXERUNT OMNES VIRI ISRAEL AD GEDEON: DOMINARE NOSTRI. Geſſum eſt hoc, poſtquam Iſraelitæ omnes, qui in expeditionem Madianiticam venerant, collecti fuerunt ad Gedeonem, tum ut gratias agerent, cum ut dividerent hoſtis exuvias. Non eſt igitur ita reputandum, quaſi in communi totius gentis conſeſſu Regnum Gedeoni delatum fuerit. Illum enim popoſcerunt in Regem & copiæ ejus, & quicumque in partem ejus expeditionis venerant; ideſt, Tribus Ephraim, Manaſſe, Aſer, Nephtali, & Zabulon, & facile etiam Iſſachar. Nec Juda, nec Beniamin, nec Dan, neque Simeon, nec Tribus Transjordanicæ eo conveniſſe videntur. Solo exercitus ſui favore regnum Gedeoni collatum fuiſſe, illud nobis ſuadet, quod poſtulet ille pro ſua manubiarum portione captas inaures Iſmaelitarum, quos actutum impetrat.

DOMINARE NOSTRI TU ET FILIUS TUUS, ET FILIUS FILII TUI. Regnum illi & poſteris offerunt; vel fidem ſuam oppignorant, fore ut Judicis Iſraelitici dignitatem hæreditariam in ejus familia ſtatuant, cum eo uſque nemini jus eſſet ad illam, niſi viro quem Dominus ſelegiſſet, & ſuſcitaſſet. Sunt (12) qui putent, Gedeoni conſilium ſuum de abdicando ſe a dignitate Judicis Iſraelis palam aperienti, inſtitiſſe populum, ut illam retineret, conſervaretque in familia ſua in hæreditatem filii & nepotis. Ex hiſtoriæ tamen ſerie intelligimus, Gedeonem dignitatem hanc Judicis ad obitum uſque retinuiſſe, cum viciſſim quam populus tunc offerebat, recuſaverit: alia igitur dignitas erat, quæ a populo deferebatur, quam Judicis, quam jam antea poſſidebat, & ipſo Deo deferente acceperat: proinde diſtinguenda eſt a Regno, quod recuſavit (13); cujus recuſandi cauſam hanc habuit, quod ſervari dignitatem illam non poſſe crederet, minime læſa ſuprema authoritate, quam Deus in Iſraelem exercebat: *Non ego*, ait, *dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus; ſed dominabitur vobis Dominus.* Dum res Iſraelis ſoli Judices moderabantur, Deus unus Rex populi habebatur: Theocratiæ ſtatum Judicis authoritas non evellebat; cum enim Judices nonniſi a Deo miſſi eſſent, ut vicibus ſuis fungerentur, nec populi ſuffragio eligerentur, ſub eorum nomine & perſona Deus unus rebus præeſſe cenſebatur. Statim vero ac Iſraelitæ Regem poſtularunt, id in ſuam injuriam, & ſupremæ authoritatis contemptum accipiens Deus, *Non te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos*, reſpondit Samueli, cui Iſraelitæ conſilium ſuum de præficiendo ſibi Rege aperuerant (14).

℣. 24. UNAM PETITIONEM POSTULO A VOBIS: DATE MIHI INAURES EX PRÆDA VESTRA. Reddi poſſet Hebræus (15): *Date mihi quiſque inaurem unam e præda veſtra*, veluti ſi unicam inaurem a ſingulis militibus accipere ſatis haberet (16). Commode tamen accipi poſſet de inauribus in plurali, quæ eſt Vulgatæ interpretatio. Vox Originalis uſurpatur interdum de annulis, quos naribus ſuis fœminæ ſuſpendebant (17). Hic tamen veri ſpeciem habet maximam, accipiendam eſſe de ornamentis aurium; ſcimus enim viros apud Orientales

(1) 1. Reg. XV. 32. (2) 3. Reg. II. 25. (3) 1. Reg. XXIII. 17. (4) 2. Reg. I. 15.
(5) Ita Septuag. *μηνίσκους*, ductum ex meni, *Luna*. Syr. Arab. Piſc. Druſ. Grot. &c. Et Sym. *τὰ κόσμια*, ornamenta. (6) השהרנים אשר בצואר גמליהם (7) Infra ℣. 26. הענקות אשר בצוארי גמליהם
(8) Selden. de Diis Syr. Syntag. 2. c. 4. & Grot. hic. (9) Sveton. in Calig. c. 55. *Præter equile marmoreum, & præſepe eburneum; præter purpurea tegumenta ac monile e gemmis, domum etiam & familiam & ſupellectilem dedit . . . . Conſulatum quoque traditur ei deſtinaſſe.* (10) Sveton. in Nerone cap. 30.
(11) Vansleb, Voyage d'Egypte p. 346. 347. (12) Joseph. l. 5. Antiq. c. 8. Γεδεὼν δὲ τὸν ὄχλον ...θέντος, ... αὐτῶν ... ... (13) Menoch. Tirin. Serar. Bonfr. Cornel. Grot. &c. (14) 1. Reg. VIII. 7. (15) תנו לי איש נזם שללו Septuag. δότε μοι ἀνὴρ ἐνώτιον τῶν σκύλων αὐτοῦ. (16) Ita Serar. Mont. (17) Vide Geneſ. XXIV. 22.

Digitized by Google

tales inauribus uſi, non annulis ad nares, qui muliebris cultus ornamentum erant.

Inaures enim aureas Iſmaelitæ habere conſueverant. Iſmaelitarum nomen commune eſt hic gentibus omnibus, quæ agmen Gedeoni inimicum conſtituebant. Chaldæus & Syriacus acceperunt de Arabibus generatim. Apud Hebræos Iſmaelitarum nomen ſerme adeo late patebat, ac apud nos Arabum. Nec ornamentum illud inaurium familiare erat tantum Arabibus: apud Hebræos pariter qua viros, qua fœminas, qua pueros, obtinebat: *Tollite inaures aureas de uxorum filiorumque & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me*, ait Aaron ad Iſraelitas (1). Perſis etiam id erat commune: inaures in ſepulcrum Cyri illatæ ſunt (2). *Peroſes* Rex Perſidis grandi quadam margarita dexteram aurem ornabat (3). Lybes & Africani perforatis auribus inſerebant annulos, & inaures ſuſpendebant (4).

℣. 26. Absque ornamentis et monilibus et veste purpurea, quibus Reges Madian uti soliti erant. Collata jam fuerant Gedeoni, juxta morem beatæ illius ætatis, portio manubiarum ſelectiſſima & ſpecioſiſſima, quæ manubiæ captæ fuerant e Regibus Iſmaelitarum, vel Madianitarum. Cum vero populus ut acciperet Regnum, Gedeonem urgeret, ſignificavit ille, ſiquidem vellent amoris hujus ſui argumentum aliquod exhibere, darent ſibi inaures aureas, vel forte unam ſinguli inaurem auream e præda quæ ipſis contigerat: quod actutum ab univerſo exercitu conceſſum eſt. Neque probroſum erat, neque indecorum ea ætate munera vel poſtulare vel accipere.

Quæ hic appellat Vulgata *ornamenta & monilia*, ſunt, juxta plures Interpretes (5), *lunulæ & thecæ odoratæ, olfactoriola*. De lunulis vide quæ congeſſimus ſupra ℣. 21. Thecæ communes erant apud Orientales. Inter ſpolia Darii pretioſam quamdam thecam odoratam nactus Alexander, eam retinuit, aptum vas Homero ſuo continendo. Conſtat ex Iſaia III. 18. ornamenta hæc communia fuiſſe etiam fœminis, cum in mundo muliebri filiæ Sion illa recenſeat.

℣. 27. Fecit ex eo Gedeon Ephod. Ut perpetuum ſtaret monumentum victoriæ, a ſe de Regibus Madianitis, & Iſmaelitis relatæ, Gedeon pretioſi operis vittam vel Ephod ſibi conflari juſſit, quod in familia ſua conſervavit (6). Facile etiam eo uſus eſt in pompa dierum quorumdam feſtorum, non ut inſigne Sacerdotis, alienus enim erat a genere Levi, & familia Aaronis, ſed ut Judex & Princeps Iſraelis. Ita pariter & David Ephod interdum induebatur (7), & in Ægypto juris dicundi Summus Præſes collum ornabat grandi aurea catena vel torque, e qua pretioſa quædam dignitatis illius emblemata pendebant (8).

Ornamentum hoc primo inſtitutum in monumentum victoriæ & inſigne dignitatis, in argumentum criminis familiæ Gedeonis, & univerſi Iſraelis degeneravit: brevi ventum eſt in ſuperſtitionem, & facile etiam in Idololatriam. Rebatur populus, integrum ſibi eſſe adorare, & conſulere Deum ubique, ubi ornamentum nanciſceretur illi perſimile, quod Moyſes in uſum Summi Sacerdotis paraverat. Neglecto Tabernaculo, cultum ſibi quiſque ſuo arbitratu conſtituit. Conſule quæ diſſeruimus de Ephod Aaronis ad Exodi XXV. 7. & quæ infra XVII. 5. de Ephod Michæ agenda ſunt.

Fornicatus est omnis Israel in eo, et factum est Gedeoni et omni generationi ejus in ruinam. Reum offenſi Numinis, parato Ephod, Interpretum plures (9) Gedeonem accuſant; reum, inquam, primo, quod in domo ſua ſervarit ornamentum illud ſacrum, cujus uſus nonniſi in Tabernaculo permiſſus erat: ſecundo quod in eo illecebras & cauſas Idololatriæ populo exhibuerit: tertio, quod ſibi propria authoritate genus quoddam Religionis, & Templi ſeorſum a reliquis paraverit in Ephod, cui facile imagines aliquæ ſuperſtitioſæ acceſſerunt (10). Denique ipſa per ſe Scriptura ſatis aperte reum agit peccati Gedeonem, docens, Ephod illud exitio fuiſſe tum Gedeoni, tum ejus familiæ.

Verum in excuſationem tanti viri hæc offeruntur. I. Quæ ab illo parata fuit, res erat indifferens; quare reus criminis damnandus non eſt, niſi prius demonſtretur, interdici eam fuiſſe gravi aliqua ratione, vel pravo ejuſdem viri conſilio impium propoſitum habuiſſe: neutrum vero demonſtrabitur. II. Ajunt Ephod genus ornamenti ſacrum fuiſſe, quo indui uni Summo Sacerdoti liceret: id autem incertum eſt. Neque enim niſi Urim & Thummim, & duo illa panni fruſtula poſita ſuper utrumque humerum Ephod Aaronis, peculiaria erant Summi Sacerdotis: his amotis, Ephod imaginem quidem ſuam retinebat, & ipſis Laicis in uſu eſſe poterat: quod exemplo Samuelis, & Davidis conſtat. Ii mille & ſeptingenti ſicli aurei, quos Gedeon ornando Ephod ſuo erogavit, pretioſius quidem, & diutius illud efficiunt, non interdictum. III. Scriptura reum non agit Gedeonem inducti ſcelere ſuo populi in Idololatriam; quin & certo affirmari poteſt, nunquam in eam opinionem virum illum veniſſe, ut populo præberet criminis occaſionem. Nonniſi poſt ejus obitum mala illa proruperunt (11), ob quæ pronunciatum eſt, Ephod exitium intuliſſe Gedeoni, & ejus familiæ, ideſt filiis ejus & poſteris. Textus ad literam ita ſonat (12): *Fornicati ſunt omnis Iſrael* (13) אחריו *poſt eum* [*Gedeonem, poſt ejus obitum*] *ibi; fuitque Gedeon & domui ejus in laqueum*. IV. Denique Scriptura viri hujus fidem laudat (14), obitumque illius eo honoris elogio, quo cæterorum Sanctorum (15), commendat: *Mortuus eſt in ſenectute bona*.

Neque hic negligendam ducimus ſimilitudinem plurimam inter Gedeonem & Jeſum Chriſtum, verum illum populi Dei Liberatorem (16). Torcular, unde accitus Gedeon ad Judicis & Principis populi ſui dignitatem eductus, imago eſt duri illius atque neglecti vitæ generis, mortiſque probroſæ, quam Jeſus Chriſtus ſelegit. Vellus rore primum madens, tum areſcens madente circum area, exhibet Synagogam benedictionibus & beneficiis primo quidem redundantem, inde vero omni deſtitutam gratia, & a Deo derelictam. Trecenti illi ex pluribus ſelecti, brevem illam deſignant Apoſtolorum & ſacrorum præconum manum, quæ fulgore Evangelici luminis atque ſtrepitu vocis & prædicationis ſuæ in fugam agunt eos, qui Madianitarum typo exprimuntur, errorem & Dæmonem. Inſultantes cives Soccoth & Pha-

[1] Exod. XXXII. 2. & XXXV. 22. [2] Arrian. l. 7. [3] Procop. l. 1. de Bello Perſic. [4] Xenoph. l. 3. Ἀναβάσ. ἐμοὶ ἐγὼ αὐτὸν εἶδον ὥσπερ Λυδὸν, ἀμφότερα τὰ ὦτα τετρυπημένον. Vide & Macrob. l. 7. c. 3. Saturn. *Cum Octavius Ciceroni recitanti dixiſſet: Non audio quæ dicis, ille reſpondit: Certe ſolebas bene foratas habere aures.* [5] לבד מן השהרונים והנטיפות Jun. Munſt. Menoch. Bonfr. Serar. Septuag. τῶν μηνίσκων καὶ σφραγίδων. Alter: τῶν στρεπτῶν καὶ τῶν ὁρμίσκων. [6] Munſt. Vat. Grot. Jun. Druſ. R. Dav. Cajet. [7] 2. Reg. VI. 14. & 1. Paral. XV. 27. [8] Diodor. l. 1. c. 3. & Ælian. l. 14. c. 34. [9] Aug. quæſt. 41. in Judic. Montan. Eſt. Lyran. &c. [10] Procop. Abul. apud Bonfr. [11] Vide ℣. 33. [12] ויזנו כל ישראל אחריו שם ויהי לגדעון ולביתו למוקש [13] Iſa. Pagn. Arias, Jun. Menoch. Grot. Alii: *Fornicati ſunt poſt eum*; poſt Ephod. Ita Jonat. Druſ. Piſcat. Anglic. & Belgic. verſiones. Sic vulgo Scriptura, *fornicari poſt Deos alienos, fornicari poſt Baal*, vide hic ℣. 33. ויזנו אחרי הבעלים [14] Hebr. XI. 3. [15] Geneſ. XV. 15. XXV. 8. 1. Par. XXIX. 28. [16] Vide Ambroſ. proœmio in l. 1. de Spiritu Sancto. Item Aug. ſerm. 46. Appendic. tom. 5. nov. edit. Olim 108. de tempore.

& Phanuelis ; quid ſunt niſi Eccleſiam naſcentem perſequentes Judæi & Pagani ? ſed exacta de illis a Gedeone poſt victoriam ultio , exhibet quam duræ animadverſioni ſubjecturus ſit Deus in altera vita impios hoſce Eccleſiæ ſuæ contemptores . Ephraim invidens gloriæ a Gedeone relatæ , neglectum ſe movendis adverſus hoſtes armis queritur . Judæi primum ægre ferunt , Evangelium gentibus prædicari : ſed tandem argumentis SS. Petri , Pauli , & Apoſtolorum convicti , aſſentiuntur , voluntatem & gratiam Domini in vocatione gentium agnoſcentes . Denique florida illa Gedeonis poſteritas , quam delet atque exſcindit Abimelec filius hujus Judicis Iſraelis , revocat in mentem viros ſanctos ac fideles , quos nunquam non injuriis affligunt impii , intra Eccleſiam quidem degentes , ſed a ſpiritu charitatis & ſincera Jeſu Chriſti fide remoti.

℣. 31. Concubina illius. Legitima erat uxor , ſed ordine ſecunda a matronis , uti fuerunt olim Agar & Cethura erga Saram & Abrahamum . In capite proxime ſequenti ℣. 18. ancilla Gedeonis appellatur . Porro nati ex ejuſmodi uxoribus filii in hæreditatis paternæ ſucceſſionem non vocabantur . Hæc morabatur in Sichem , quod Gedeon eo frequenter ventitaret.

℣. 33. Postquam autem mortuus est Gedeon, aversi sunt filii Israel &c. Igitur in fide Domini ſtabiles perſeverarunt adusque obitum Ducis hujus Iſraelitici ; quæ omnium validiſſima eſt Apologia , ad aſſerendam viri illius pietatem & religionem.

Percusserunt cum Baal fœdus, ut esset eis in Deum . Obſequium ſuum falſo huic Numini ſacramento obligarunt . Hebræus (1) : *Poſuerunt ſibi Baal-berit , ut eſſet in Deum ſuum* . Sermo eſt inferius de Templo Baal-berit , in quo cives Sichem depoſitum locaverant , inde enim ſolvendas Abimelecho filio Gedeonis argenti libras ſeptuaginta eduxerunt . *Baal-berit* eſt *Deus fœderis* , vel *Dea fœderis ; Berit* enim fœmineum eſt nomen apud Hebræos.

Porro hoc Numen nuſpiam alibi notum eſt ; agiturque de illo tantum in Scriptura , cum Abimelechi geſta ſequenti capite narrantur . Quæ fœderibus præeſſent Numina , plura conſtituta erant apud Paganos . Arbitrio eorum , qui fœdus componebant , permiſſum fuiſſe videtur , ut eum , quem maxime vellent , Deum teſtem fidei mutuæ eligerent . Pleramque tamen Jupiter intercedebat , idcirco interdum appellatus Ζεὺς ὅρκιος , *Jupiter fœderis , Deus fidius , Piſtius Jupiter* , apud Græcos Romanoſque (2) . In urbe Olympia dedicatus erat Jupiter , cognomento *fœderis* (3) , qui utraque manu ſtringebat fulmen , & haſtam in eos vibrabat , qui datam fidem violaſſent . Romani interdum jurabant per *Jovem lapidem* : *Quid igitur jurabo ? Per Jovem lapidem , Romano vetuſtiſſimo more* (4) ; facile ob lapidem , quo victima ritu ſolemni in ſanciendo fœdere offerenda cædebatur (5).

Quærendum eſt autem hic nobis apud Orientales Numen *Berit* . Docet Philo Biblius (6) , *Elion & Beruth* duo fuiſſe Numina Phœnicum : prioris nomen eſt *Altiſſimus* ; nec ſemel in Scriptura id nominis vero Deo tribuitur . Alterum non obſcure congruit cum *Berit* , quod fœdus ſonat . Berythus Phœniciæ urbs nomen facile ſuum ex eo Numine acceperit . Occurrit etiam Deus *Briſſeus* & Dea *Brizo* (7) . Meminit Strabo libro XII. Templi *Baris* , in Armenia ; & Plinius libro XXXI. capite 1. Dei ſimul & Templi *Briazi* vel *Brietii* in Bithynia ; cujus Templi parietes lambebat amnis Olachas , *cujus gurgite perjuris notantur puti velut flammam urentem* . Numina hæc omnia ſatis proxime accedunt ad *Berit* vel *Beris* ; familiare enim eſt Orientalibus , ut literas *T* & *S* alteram pro altera uſurpent.

Cenſet Bochartus (8) , Deam *Berit* eamdem eſſe , quam Nonnus (9) *Beroen* appellans , Veneri , & Adonidi filiam tribuit : eamdemque alii e Thetide Oceano parentibus accerſunt . Ex illa nomen inditum fuiſſe urbi Berytho , ubi & cultum haberet ac religionem , idem Author affirmat.

Legit Chaldæus : *Erraverunt poſt Beel-kiam* . Sed quis iſte *Beel-kiam* ? Meminit Amos Propheta (10) *Tabernaculi Moloc* , *& imaginum Chiun* . An Deus iſte *Chiun* ipſe eſt *Beel-berit* , vel *Beel-kiam* ? Demonſtrare conatur Spencerus (11) , *Kiun* , Saturni Numen deſignare : Voſſius Lunam maluit (12).

℣. 35. Nec fecerunt misericordiam cum domo Jerobaal . Gratam beneficiorum memoriam erga filios Gedeonis non exhibuerunt . Nomen miſericordiæ uſurpatur interdum pro beneficio gratuito & ſpontaneo : hic autem valet beneficiorum agnitionem , & juſtitiam , qua reſpondendum eſt officiis a Principe in ſalutem patriæ impenſis.

---

(1) וישימו להם בעל ברית לאלהים Θέμενοι ἑαυτοῖς τῷ Βααλ διαθήκης , *fœdus cum Baale inierunt* . Alius Interpres , ἔθεντο τὸν Βααλ βερὶθ , *poſuerunt Baal-berith* . (2) Dionyſ. Halicarn. lib. 4. Laert. in Pythagora . (3) Vide Pauſan. in Eliac. (4) Apul. in lib. de Deo Socrat. (5) Vide Bonfr. hic , & Servium in Æneid. VIII.
Jovis ante aram . . . . cæſa jungebant fœdera porca .
(6) Philo Bibl. κατὰ τούτους γίνεταί τις Ἐλιοῦν καλούμενος , καὶ θήλεια καλουμένη Βηρὼθ . (7) Vide Clem. Alex. Exhort. ad Gentiles . (8) Bochart. Chanaan l. 2. c. 17. (9) Nonn. Dionyſiac. 41. 42. (10) Amos v. 26. *Portaſtis tabernaculum Moloc veſtro , & imaginem idolorum veſtrorum* . Heb *& Chiun imagines veſtras* .
(11) Spencer. de legib. Hebr. Ritual. l. 3. c. 5. ſect. 1. (12) Vide lib. 2. c. 23. de Idololatria .

CAPUT IX.

Abimelech filius Gedeonis , ſeptuaginta fratribus ſuis ſublatis , imperium invadit . Jonathan unus e fratribus exprobrat Sichemitis ingrati animi illorum vitium erga Gedeonem . Sichemitæ ab Abimelecho deſciſcunt : ille vero ipſos aggreditur . Gaal profligatur . Sichem capitur & evertitur . Abimelech in obſidione Thebes interficitur .

℣. 1. Abiit autem Abimelech filius Jerobaal in Sichem ad fratres matris ſuæ , & locutus eſt ad eos , & ad omnem cognationem domus patris matris ſuæ , dicens : 2. Loquimini ad omnes viros Sichem : Quid vobis eſt melius , ut dominentur veſtri ſeptuaginta viri omnes filii Jerobaal , an ut dominetur unus vir ? ſimulque conſiderate , quod os veſtrum , & caro veſtra ſum . 3. Locutique ſunt fratres matris ejus

de

de eo ad omnes viros Sichem univerſos ſermones iſtos, & inclinaverunt cor eorum poſt Abimelech, dicentes: Frater noſter eſt. 4. Dederuntque illi ſeptuaginta pondo argenti de fano Baalberit. Qui conduxit ſibi ex eo viros inopes, & vagos, ſecutique ſunt eum. 5. Et venit in domum patris ſui in Ephra, & occidit fratres ſuos filios Jerobaal ſeptuaginta viros, ſuper lapidem unum: remanſitque Joatham filius Jerobaal minimus, & abſconditus eſt. 6. Congregati ſunt autem omnes viri Sichem, & univerſæ familiæ urbis Mello; abieruntque, & conſtituerunt regem Abimelech, juxta quercum, quæ ſtabat in Sichem. A. M. 2768. ante Chr. 1236. 7. Quod cum nuntiatum eſſet Joatham, ivit, & ſtetit in vertice montis Garizim: elevataque voce, clamavit, & dixit: Audite me, viri Sichem, ita audiat vos Deus. 8. Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ſe regem: dixeruntque olivæ: Impera nobis, 9. Quæ reſpondit: Numquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & dii utuntur, & homines, & venire ut inter ligna promovear? 10. Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni, & ſuper nos regnum accipe. 11. Quæ reſpondit eis: Numquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructuſque ſuaviſſimos, & ire, ut inter cætera ligna promovear? 12. Locutaque ſont ligna ad vitem: Veni, & impera nobis. 13. Quæ reſpondit eis: Numquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum, & homines: & inter ligna cætera promoveri? 14. Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: Veni, & impera ſuper nos. 15. Quæ reſpondit eis: Si vere me regem vobis conſtituitis, venite, & ſub umbra mea requieſcite: ſi autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & devoret cedros Libani. 16. Nunc igitur, ſi recte, & abſque peccato conſtituiſtis ſuper vos regem Abimelech, & bene egiſtis cum Jerobaal, & cum domo ejus, & reddidiſtis vicem beneficiis ejus, qui pugnavit pro vobis, 17. Et animam ſuam dedit periculis, ut erueret vos de manu Madian, 18. Qui nunc ſurrexiſtis contra domum patris mei, & interfeciſtis filios ejus ſeptuaginta viros ſuper unum lapidem, & conſtituiſtis regem Abimelech filium ancillæ ejus ſuper habitatores Sichem, eo quod frater veſter ſit: 19. Si ergo recte, & abſque vitio egiſtis cum Jerobaal, & domo ejus, hodie lætamini in Abimelech, & ille lætetur in vobis. 20. Sin autem perverſe: egrediatur ignis ex eo, & conſumat habitatores Sichem, & oppidum Mello: egrediaturque ignis de viris Sichem, & de oppido Mello, & devoret Abimelech. 21. Quæ cum dixiſſet, fugit, & abiit in Bera: habitavitque ibi ob metum Abimelech fratris ſui. 22. Regnavit itaque Abimelech ſuper Iſrael tribus annis. Uſque ad annum M. 2771. ante Chriſt. 1233. 23. Miſitque Dominus ſpiritum peſſimum inter Abimelech, & habitatores Sichem, qui cœperunt eum deteſtari, 24. Et ſcelus interfectionis ſeptuaginta filiorum Jerobaal, & effuſionem ſanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem ſuum, & in cæteros Sichimorum principes, qui eum adjuverant. 25. Poſueruntque inſidias adverſus eum in ſummitate montium, & dum illius præſtolabantur adventum, exercebant latrocinia, agentes prædas de prætereuntibus: nuntiatumque eſt Abimelech. 26. Venit autem Gaal filius Obed cum fratribus ſuis, & tranſivit in Sichimam. Ad cujus adventum erecti habitatores Sichem, 27. Egreſſi ſunt in agros, vaſtantes vineas, uvaſque calcantes: & factis cantantium choris, ingreſſi ſunt fanum Dei ſui, & inter epulas, & pocula maledicebant Abimelech. 28. Clamante Gaal filio Obed: Quis eſt Abimelech, & quæ eſt Sichem, ut ſerviamus ei? numquid non eſt filius Jerobaal, & conſtituit principem Zebul ſervum ſuum ſuper viros Emor patris Sichem? Cur ergo ſerviemus ei? 29. Utinam daret aliquis populum iſtum ſub manu mea, ut auferrem de medio Abimelech. Dictumque eſt Abimelech. Congrega exercitus multitudinem, & veni. 30. Zebul enim princeps civitatis, auditis ſermonibus Gaal filii Obed, iratus eſt valde, 31. Et miſit clam ad Abimelech nuntios, dicens: Ecce, Gaal filius Obed, venit in Sichimam cum fratribus ſuis, & oppugnat adverſum te civitatem. 32. Surge itaque nocte cum populo, qui tecum eſt, & latita in agro: 33. Et primo mane oriente ſole, irrue ſuper civitatem: illo autem egrediente adverſum te cum populo ſuo: fac ei, quod potueris. 34. Surrexit itaque Abimelech cum omni exercitu ſuo nocte, & tetendit inſidias juxta Sichimam in quatuor locis. 35. Egreſſuſque eſt Gaal filius Obed, & ſtetit in introitu portæ civitatis. Surrexit autem Abimelech, & omnis exercitus cum eo de inſidiarum loco. 36. Cumque vidiſſet populum Gaal, dixit ad Zebul: Ecce de montibus multitudo deſcendit. Cui ille reſpondit: Umbras montium vides quaſi capita hominum, & hoc errore deciperis. 37. Rurſumque Gaal ait: Ecce populus de umbilico:

lico terræ deſcendit, & unus cuneus venit per viam, quæ reſpicit quercum. 38. Cui dixit Zebul: Ubi eſt nunc os tuum, quo loquebaris? Quis eſt Abimelech ut ſerviamus ei? Nonne hic populus eſt, quem deſpiciebas? Egredere, & pugna contra eum. 39. Abiit ergo Gaal, ſpectante Sichimorum populo, & pugnavit contra Abimelech, 40. Qui perſecutus eſt eum fugientem, & in urbem compulit; cecideruntque ex parte ejus plurimi, uſque ad portam civitatis: 41. Et Abimelech ſedit in Ruma: Zebul autem, Gaal & ſocios ejus expulit de urbe, nec in ea paſſus eſt commorari. 42. Sequenti ergo die egreſſus eſt populus in campum, Quod cum nuntiatum eſſet Abimelech, 43. Tulit exercitum ſuum, & diviſit in tres turmas tendens inſidias in agris. Videnſque quod egrederetur populus de civitate, ſurrexit, & irruit in eos. 44. Cum cuneo ſuo, oppugnans, & obſidens civitatem: duæ autem turmæ palantes per campum adverſarios perſequebantur. 45. Porro Abimelech omni die illo oppugnabat urbem: quam cepit, interfectis habitatoribus ejus, ipſaque deſtructa, ita ut ſal in ea diſpergeret. 46. Quod cum audiſſent, qui habitabant in turre Sichimorum, ingreſſi ſunt fanum dei ſui Berith, ubi fœdus cum eo pepigerant, & ex eo locus nomen acceperat, qui erat munitus valde. 47. Abimelech quoque audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos, 48. Aſcendit in montem Selmon cum omni populo ſuo: & arrepta ſecuri, præcidit arboris ramum, impoſitumque ferens humero, dixit ad ſocios: Quod me videtis facere, cito facite. 49. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, ſequebantur ducem. Qui circumdantes præſidium, ſuccenderunt: atque ita factum eſt, ut fumo, & igne mille homines necarentur, viri pariter, & mulieres, habitatorum turris Sichem. 50. Abimelech autem inde proficiſcens venit ad oppidum Thebes, quod circumdans obſidebat exercitu. 51. Erat autem turris excelſa in media civitate, ad quam confugerant ſimul viri, ac mulieres, & omnes principes civitatis, clauſa firmiſſime janua, & ſuper turris tectum ſtantes per propugnacula. 52. Accedenſque Abimelech juxta turrim, pugnabat fortiter: & appropinquans oſtio, ignem ſupponere nitebatur: 53. Et ecce una mulier fragmen molæ deſuper jaciens, illiſit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus. 54. Qui vocavit cito armigerum ſuum, & ait ad eum: Evagina gladium tuum, & percute me: ne forte dicatur, quod a fœmina interfectus ſim. Qui juſſa perficiens, interfecit eum. 55. Illoque mortuo, omnes, qui cum eo erant de Iſrael, reverſi ſunt in ſedes ſuas. 56. Et reddidit Deus malum, quod fecerat Abimelech contra patrem ſuum, interfectis ſeptuaginta fratribus ſuis. 57. Sichimitis quoque, quod operati erant, retributum eſt, & venit ſuper eos maledictio Joathan filii Jerobaal.

℣. 1. ABIIT ABIMELECH FILIUS JEROBAAL IN SICHEM. Statim poſt deceſſum Gedeonis, Abimelech ex ancilla hujus Judicis, in Sichem commorante, natus, eo ſe contulit ad matris ſuæ neceſſarios, ut precibus & ſuaſionibus illos induceret ad deferendam ſibi Regis vel Judicis, loco patris ſui, in ea regione dignitatem. Porro in eam mentem induxerat Abimelechum nimia illa Gedeonis filiorum copia, & leviſſima illa populi erga memoriam & familiam hujus Judicis ſolicitudo; diſſidia pariter inter ſeptuaginta fratres oritura, cum quiſque pro ſe ut eligeretur in Judicem certaturus eſſet: accedebat viri ingenium audax, paratum ad omnia, novandiſque rebus aptiſſimum. His ſtimulis ad opus inductus, ad tandem effecit, ut optata dignitate poziretur.

℣. 2. LOQUIMINI AD OMNES VIROS SICHEM. Hebræus בעלי שכם *Ad omnes dominos Sichem*, ad optimates & viros in urbe Principes, vel planius, juxta Vulgatam, ad omnes cives Sichem (1).

QUID VOBIS EST MELIUS, UT DOMINENTUR VESTRI SEPTUAGINTA VIRI? Has urgebat rationes Abimelech, ut viros Sichem ad deferendum ſibi Regnum impelleret: Incommodum accidere imperium, in quo plures dominantur (2); ceteris longe præſtare regimen Monarchicum: ſi filiis Gedeonis ſeptuaginta ſe dederent, caverent ne totidem tyrannos experirentur. Ita diviſum regimen infirmari adeo, ut exiſtere non poſſet; intelligerent denique, quæ futura eſſet in regione cædes, ſi Principes illi committentes ſeſe invicem, alter alterum bello laceſſeret. Adjecit, fraterno ſe cum illis vinculo conjungi: *Os veſtrum & caro veſtra ſum*. Præſtat utique ſemper Principi parere domeſtico quam extero, & neceſſario magis quam alteri, nulla ſanguinis cognatione propinquo. Orationem tandem ſuam claudens admonuit, ſe in Principem electum, unum Principem futurum, quippe qui ceteros fratres ſuos e medio ſublaturus eſſet; unum, inquam, principem, neceſſarium illorum, civem, amicum.

Sed facile harum rationum levitas ſentitur. Judicis Iſraelis dignitas hæreditaria non erat, quare Dei curæ futurum erat, ut ſucceſſorem Gedeoni daret: quamvis autem hæreditate tranſiſſet ad familiam jus illud, penes majorem natu tantum manſiſſet. Sed Gedeon ſucceſſionem hanc pro filiis ſuis rejecerat (3): quare nihil erat cur Abime-

(1) Vide Num. xxi. 28. Joſue xxiv. 11. & in hoc ix. cap. Judic. Sæpius ℣. 3. 4. 6. 7. 18. 20. 23. &c.

(2) Homer. Iliad. B. Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεὺς, ᾧ δῶκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
Σκῆπτρον . . . . . .

(3) Judic. VIII. 23. *Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus.*

melech diceret, ſeptuaginta illos filios Gedeonis Principatum affectaturos, regionem vero pro totidem Principibus totidem tyrannos toleraturam. Nec ſane ullo indicio demonſtrari queat, filios Gedeonis dignitatem illam invadere, & inter ſe regimen diſtribuere affectaſſe, multoque etiam minus cogitaſſe de invadendo armis vel conſervando principatu. Quæ igitur ſuſpiciones illæ & ſcrupuli Abimelechi? Petitæ vero a ſanguinis conjunctione rationes, quamquam valere aliquid poſſunt, dum aliis in contrarium validis non oppugnentur, hic tamen perſuadendi vim nullam habebant, cum filii Gedeonis æque omnes, utpote Iſraelitæ, ſanguinis & neceſſitudinis vinculo cum Sichemitis conjuncti, domeſtici haberi poſſent, non exteri atque alieni. In eo vero potiores erant Abimelecho, quod liberorum jure præſtarent, utpote e primariis uxoribus nati, & paternorum bonorum legitimi hæredes. Qua in re Abimelech multo illis inferior erat, nec turbare ordinem ſucceſſionis in regione conſtitutæ pro ſuo jure valebat.

Os vestrum, et caro vestra sum. Loquendi phraſes iſtæ, Hebræis familiares, neceſſitudinem & ſanguinis conjunctionem deſignant (1).

℣. 4. Dederunt illi septuaginta pondo argenti de fano Baal-Berit. De Baal-berit diſſeruimus in ℣. 33. Capitis præcedentis; ſeptuaginta argenti ſicli reddunt libras cxiii. circiter. Textus Hebræus legit tantum *ſeptuaginta argenteos*; ſuppleri tamen ſolet nomen *ſicli*. Sunt qui animadvertentes, ſummam hanc cxiii. ſiclorum minorem eſſe, quam pro ſumptibus ſcribendi alendique exercitus Abimelechi, pro ſiclis ſupplenda cenſuerint nomina librarum, vel talenti. Libra, juxta illos, æquabat quatuor & viginti ſiclos; talentum vero argenti ſiclos ter mille, ſed nullo Scripturæ exemplo ſupplentur nomina librarum, vel talenti, niſi cum antea in præcedenti aliquo Textu exprimantur: cum autem monetæ certum genus non indicatur in Textu, tunc ſiclus pro conſueto more additur. Hic autem quem dicunt Abimelechi exercitum, nihil fuiſſe aliud videtur, quam exulum manus ex Ephra ab eo accita, ut miniſtros haberet impii illius facinoris, quo ſeptuaginta Gedeonis filios neci tradidit. Cum autem per eam necem in poſſeſſionem totius hæreditatis Gedeonis venerit, ſatis tunc nactus eſt divitiarum, ut manum illam aleret augeretque: eamdem vero manum facile ſemper ſub ſignis apud ſe habere voluit.

Animadvertere hic juvat veterem morem ſervandi in Templis theſauros & ærarium publicum. Græcæ urbes fere omnes (2) ſuos habebant theſauros depoſiti loco in Templo Delphici Apollinis conſtitutos. Eo theſauros ſuos contulerant Sicyonii, Thebani, Athenienſes, Potidæatæ, Syracuſani. Eo pariter Romani & Maſſilienſes (3). Idem etiam ſervatum eſt in Urbe Elidis Olympia: ibi excisi in lapide loculi condebant depoſita, ac ſingulis ſuæ erant inſcriptiones, quibus theſaurorum domini indicabantur. Legebantur in hoc Templo nomina Sicyoniorum, Syracuſanorum, Sibaritarum, Epidamnenſium, Cyrenenſium, Selinuntinorum, Metapontinorum, Megaritarum, & Geloorum. Denique mos erat fere ubique obtinens, ait Scholiaſtes Thucydidis (4), argentum publicum Templorum religioni credere. Ærarium publicum Romæ in delubro Saturni conſtitutum erat.

Viros inopes et vagos. Hebræus (5): *Vacuos & leves*: quæ prima vox uſurpatur de egenis, omni cenſu & ope deſtitutis, vel pro deſtitutis ſenſu, virtute, agendique ratione; vel tandem pro ſegnibus, omnique munere & officio vacuis; altera vero pro vagis, certaque ac fixa ſede carentibus. Chaldæus (6): *Viros vacuos & quæritantes*; vel miſeros ac libertos, vel ex aliis Exemplaribus, inopes & deſpectos. Septuaginta (7): *Viros pauperes, & ſtupidos*. S. Auguſtinus legebat, *perturbatos*. Clericus, *Homines otioſos & petulantes*; Symmachus: *Homines otioſos & deſperatos*.

℣. 5. Occidit fratres suos . . . . septuaginta viros super lapidem unum. Novem tantummodo & ſexaginta interfecit; Joatham, junior inter cæteros, a furore ejus ſubductus eſt. Solemne eſt Scripturæ rotundum certumque numerum ponere pro incerto (8). Ipſe pariter Joatham ℣. 18. interfectus dicit ab Abimelecho ſeptuaginta e fratribus ſuis. Interfici autem juſſit ſuper lapidem unum, & coram ſe, veluti totidem ſævitiæ ſuæ victimas. Forte etiam judicialem aliquam ſolemnitatem ſervavit, necari illos jubens ſuper aliquem editum lapidem, ubi ſontes puniebantur (9): quemadmodum hodie pariter alicubi ſervatur. Suſpicantur quidam (10), ſceleſtum hunc fratrem ſpecioſam hanc cauſationem arripuiſſe, ulciſcendi ſcilicet honorem Baalis, cujus Gedeon & aram everterat, & cultum aboleverat: voluit autem ſupplicium illud inferri ſuper eumdem lapidem, ubi olim Gedeon taurum vero Deo immolaverat, poſtquam lucum Baalis ſucciſiſſet. Inficias utique nemo iverit, Abimelechum & Sichemitas ſtudioſos fuiſſe Idololatriæ, cum certum ſit, jurato fœdere obſtrinxiſſe ſeſe in Templo *Baal-berit*. Vide ℣. 46.

Perſimilis crudelitatis exempla omnium gentium hiſtoria ſuppeditat, crudelitatis, inquam, qua frater fratres e medio tollit, ut eorum loco regnet. Ochus Rex Perſidis avum ſuum cum centum vel octoginta ex ejus filiis ſuſtulit (11). Phraates filius Orodis, Regis Parthorum, e concubina ejus Principis natus, neci tradidit patrem ſuum cum liberis illius triginta (12). Turcarum hiſtoriæ ejus rei exempla utraque pagina offerunt; & mos enecandi, vel carcere clauſos retinendi fratres Sultani, hodie pariter obtinet apud gentes illas feras & ſuſpicioſas (13).

℣. 6. Universæ familiæ urbis Mello. Nominis Mello urbs nulla occurrit in adjacenti Sichem regione; Hebræus legit tantum: כל בית מלוא *Omnis domus Mello*; quod nonnulli interpretantur de domo urbis Sichem, quæ *Mello*, vel repleta, domus plenitudinis, idcirco appellatur, quod viris totius urbis principibus repleretur; eo enim publici cœtus coibant (14). Malunt alii, nomen id fuiſſe certi loci in urbe ita appellati, quod ibi vaſtus aliquis hiatus ſeu vallis aggeſta humo æquata eſſet, uti Jeroſolymæ in loco, *Mello* appellato, factum conſtat. Cenſet tandem Druſius, *Mello* nomen fuiſſe civis cujuſdam Sichem, cujus familia diſtingui in conſeſſu eo nomine familiæ Mello mereretur. Reputaverim ego, Mello appellatum fuiſſe patrem matris Abimelechi, cujus potiores fuerint partes in procurando erga Abimelechum favore populi, quo in Regem vel in Judicem juſſus eſt.

Constituerunt Regem Abimelech juxta quercum, quæ stabat in Sichem. Interpretum plerique eamdem hic quercum innui credunt, ſub qua (15) Joſue monumentum erexit, initi a ſe, antequam occumberet, cum Iſraelitis, Dei nomine, fœderis. Nec alia facile quercus recurrit infra ℣. 37. Textus Originalis exhibet עם אלון מצב *Juxta quer-*

(1) Vide Geneſ. II. 23. & XXXVII. 27. & 2. Reg. XIX. 13. & 1. Par. XI. 1. (2) Vide Herodot. l. 1. c. 14. Pauſan. in Atticis pag. 625. & in Eliac. p. 378. & alios apud Marsham. ſæcul. XVII. p. 501. (3) Appian. in Excerptis Vales p. 546. (4) Ἔθος τοῦ παλαιοῦ τὰ κοινὰ χρήματα ἐν τοῖς ἱεροῖς τιθέναι. (5) ריקים ופחזים (6) גברין ריקין ובקרין Alias, מסכנין viles, contemptos. (7) Ἄνδρας κενούς, καὶ θαμβουμένους. Alias, κενοὺς καὶ δειλούς. Sym. ἀργοὺς ἀπονενοημένους. (8) Vide Geneſ. XXXV. 26. & XLII. 13. & Joan. XX. 24. (9) Toſtat. (10) Petr. Mart. (11) Juſtin. l. X. Vide Valer. Max. l. 2. (12) Idem l. 42. (13) Vide Serar. in cap. IX. Judic. qu. 6. (14) Vatab. Mariſ. (15) Joſue XXIV. 26.

quercetum, ſeu *vallem ſtatuæ*, vel *monumenti*; quod utique deſignare poteſt, uti jam innuimus, erectum illud a Joſue monumentum. Aliter cum Septuaginta; Πρὸς τῇ βαλάνῳ τῆς στάσεως τῆς ἐν Σικίμοις, *Juxta quercum ſtationis*, vel *cœtus in Sichimis*, quod ſcilicet Sichimitæ ad deliberandum de publicis rebus ſub quercum illam convenire ſolerent.

Ỷ. 7. STETIT IN VERTICE MONTIS GARIZIM. Mons Garizim urbi huic Sichem proximus imminebat. Animadverſum eſt alibi, Hebal, & Garizim duos fuiſſe montes inter ſe proximos; Sichem vero ad radices utriuſque jacuiſſe, habuiſſeque montem Hebal ad meridiem, & Garizim ad ſeptemtrionem. Veriſimillimum eſt, Joatham opportunum tempus abſentiæ Abimelechi captaſſe; traditque Joſephus, occaſione Feſti cujuſdam a Sichemitis celebrati (1), communiſque totius gentis conceſſus, virum illum ea exprobraſſe, quæ mox recitantur.

AUDITE ME, VIRI SICHEM: ITA AUDIAT VOS DEUS. Hebræus: *Audite me viri Sichem, & audiet vos Deus*. Reddite vos dignos, quos audiat Deus, juſtis quetelis meis aures præbentes.

Ỷ. 8. IERUNT LIGNA, UT UNGERENT SUPER SE REGEM. Ut iniquitatem ſuam totam intelligerent Sichemitæ, non ſimplici & plana oratione, qua potius irritarentur, utendum ſibi Joatham cenſuit: ſimilitudine, vel ænigmate rem proponit, cujus artificio offenſionem evitans, egregie tamen auditores ſuos inſtruens, demonſtrat ad ſenſum, quam graviter in ea, quam tenuerunt, agendi via aberraverint. Illud vero fuit, quod cum apud ſe haberent quem ſeligerent inter filios Gedeonis, illum elegere, quem ortus obſcuritas rejiciendum ſuaderet. Prædicit futurum, ut tandem aliquando ſive ille, quem ſelegiſſent, Rex ad exitium ipſos propelleret, ſeu potius ipſi ſuo huic Regi exitio forent.

Porro comparationum ejuſmodi partes omnes perſequi par non eſt, cum ſemper non nihil claudicent. In hoc autem, ſi alias uſpiam, valet egregia illa regula Authoris Judæi, gravis doctique (2), quæ dotes ſunt in ea gente rariſſimæ: Ponendum eſſe ſcilicet tanquam principium, ut præcipuum parabolæ propoſitum teneatur, neque laborandum eſſe ut omnes ejus partes ac voces adamuſſim rei comparatæ congruant. Ita e. g. Joatham proponit hic arbores Regem ſibi perquirentes; neque tamen ſcimus Sichemitas, typo arborum hic expreſſos, ultro ſibi in Regem poſtulaſſe Abimelechum; quin nec videntur Sichemitæ honorem Regni obtuliſſe pluribus, a quibus omnibus repulſam paſſi fuerint. Sed hoc facile ſignificabat, Gedeone, cum viveret, Principatum recuſante, ejuſque filiis poſt obitum patris decretum apud ſe habentibus, ut dignitatem illam ſibi minime procurarent, Sichemitas e re eſſe cenſuiſſe, ut alium ſponte ſeſe offerentem acciperent. Joatham, qui de prava cordis illorum habitudine ex indicio actionum judicabat, niſus eſt demonſtrare, illam agendi rationem perinde deſtitui ſapientia, ac ſtulte egiſſent arbores, quæ Regiam dignitatem rubo omnium arbuſcularum viliſſimo contuliſſent.

Stylus Apologorum & ſimilitudinum, Orientalibus familiariſſimus, ſapiebat maxime Judæis. In ejuſmodi rebus uſi ſunt Veteres Sapientes non raro apologis. Menenius Agrippa (3) revocaturus populum Romanum, qui in montem Sacrum ſecerat ſeceſſionem, renuebatque parere Patribus & Senatui, recitavit apologum de membris corporis, in ventrem conjuratis, ne cibum illi præberent, querentibus illum laboris expertem, cæterorum membrorum laboribus frui. Apologus pro voto ſucceſſit, tantumque Auditorum animos movit, quantum ex Oratorum omnium elaboratis ſermonibus nunquam exſpectari potuiſſet.

UT UNGERENT SUPER SE REGEM, למשה עליהם מלך ut Regia unctione conſecrarent eum, quem ſibi elegiſſent. Ea phraſi innui videtur, ungendi Regis morem in ea regione ſolemnem fuiſſe: neque enim tunc ſuppetebant exempla Regum in Iſraele, qui unctione initiarentur. Valida eſt utique hæc ratio, ſi hic Liber ante ætatem Regum Iſraelis & Juda deſcriptus ſit: cadit autem, ſi poſt eam ætatem ſit exaratus; tunc enim ungere Regem, & conſtituere Regem duæ erant phraſes, idem ſenſus: ex quo pariter factum eſt, ut hæc vox uſurpetur etiam, cum de Regibus agitur cæterarum gentium, apud quas ritum ungendi Regem obtinuiſſe, nullo argumento demonſtratur. Ita Cyrus (4) *Unctus Domini* appellatur, quamquam apud Perſas Reges non ungebantur; & Jeſus Chriſtus *Unctus Domini* ſæpe appellatur (5), quamquam nulla exteriori unctione perfuſus, ſed tantum conſecratus unctione Spiritus Sancti, qua ſimul Rex, & ſupremus Dominus creaturarum omnium in Cœlo & in terra conſtitutus eſt: is rem accepit, cujus typus eſt & emblema unctio corporea & ſenſibilis.

Ỷ. 9. NUMQUID POSSUM DESERERE PINGUEDINEM MEAM, QUA ET DII UTUNTUR ET HOMINES? Numquid olea ad Regiam arborum dignitatem erecta oleum ac pinguedinem ſuam amitteret? Quid mali accidiſſet Gedeoni ex. gr. ſi oblatum Regnum accepiſſet? Num idcirco detrimentum paſſæ fuiſſent ejus divitiæ, tranquillitas, honor, commoda? Reſpondemus, fieri non poſſe, quin Rex, oleæ figura in hac parabola expreſſus, cum ſe totum impendere Reipublicæ, & populi ſui rebus debeat, e commodis ſuis, & quiete decedere nihil ſentiat, Solus ſuſtinet incumbens humeris grande illud pondus immenſarum graviſſimarumque curarum: ſolus diſtrahitur in negotia pene infinita; denique ita aliis vivere debet, ut ſibi ferme non vivat.

Dii & homines utuntur pinguedine olei, Hujus eſt uſus in Tabernaculo Domini in lampadum alimentum; ſubigebantur oleo placentæ quædam, oleo pariter aliæ irrigabantur: nullum holocauſtum, nullæ victimæ, niſi conſperſis oleo ſimilæ oblationibus. Eo conſecrantur Sacerdotes, & vaſa omnia Tabernaculi: oleo potiſſimum conſtabat thymiama coram Domino adolendum.

In Feſtis ſuis Profani lucernas in Deorum honorem accendebant (6).

Cuncta nitent, longos erexit janua ramos,
Et matutinis operatur feſta lucernis.

Oleum offerebant in vaſis, fundebantque coram ſacris Deorum ſimulachris (7):

Craterasque duos ſtatuam tibi pinguis olivi,

Oleo imagines illorum liniebantur (8):

Unguentoque lares humeſcere nigro.

Oleum affundebatur ſacris lapidibus (9): *Lapis unguine delibutus*, Oleo quandoque madebant aquilæ, Romanorum inſignia (10): *Aquilæ certe, ac ſigna pulverulenta illa, & cuſtodiis horrida, inunguntur feſtis diebus*.

Neque minori eſt uſui oleum ad commoda vitæ, quam ad cultum religioſum. Oleo utuntur homines ad cibum, ad medicinam, ad varia præſtanda. Oleum robur, lenimen, lumen præſtat: quid non? *Duo ſunt*, ait Plinius (11), *liquores corporibus humanis gratiſſimi, intus vini, foris olei*. Veriſſime igitur affirmatum eſt, Deorum & hominum uſibus oleum prodeſſe, vel, uti fert Hebræus (12): *Oleo honorificantur Dii & homines*; vel, *Dii & ho-*

(1) Joſeph. Antiq. l. 5. *c.* 9. (2) Moſ. Maimonid. in More Neboch. (3) Vide Liv. lib. 2. Dec. 1.
(4) Iſai. XLV. 1. (5) Pſalm. XLVIII 2. Iſai. LXI. 1. Dan. IX. 24. Luc. IV. 18. Act. IV. 27. (6) Juvenal. Satyr. 12. (7) Virgil. Eclog. v. (8) Prudent. l. 1. contr. Symmach. (9) Apul. l. 1. Florid. (10) Plin. l. XIII. c. 3. Vide Bonfr. hic. (11) Plin. l. XIV. c. 22. (12) אשר בי יכבדו אלהים ואנשים οἱ ἐμοὶ δοξάζουσι ὁ Θεὸς καὶ οἱ ἄνθρωποι, vel ᾗ ἐν ἐμοὶ δοξάσουσι τὸν Θεὸν ἄνδρες, *Qua homines Deum venerabuntur*.

& homines in eo glorificantur. Colitur enim Deus oblatione olei in Tabernaculo, lumine lampadum quod fovet, thymiamate quod adoletur: honore etiam homines afficiuntur, unctionibus ſcilicet, quibus Reges, Sacerdotes, & Prophetæ conſecrantur: unguentis pariter in commodum & voluptatem locupletum. Quo loco legitur, *Dii & homines*, reddi poſſet, *viri Principes, potentes, & homines*.

Et veniar ut intra ligna promovear. Verſionis hujus fidem tuentur Septuaginta, Chaldæus & Interpretum plures. Alii vero Hebræum reddunt (1): *Iboque me agitatum propter arbores?* me turbis & ſolicitudinibus pro illis committam?

℣. 11. Numquid possum deserere dulcedinem meam? Eſt ficus inter fructus dulciſſima (2), ut dulcedinis ſymbolum habeatur (3).

℣. 13. Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines? Deum lætificat vinum, eodem plane ſenſu, quo grate afficitur nidore victimarum, quo veſcitur earum carne, delectatur odore thymiamatis, quo pariter mens ejus excitatur ad cogitandum de populo ſuo. Phraſes ejuſmodi, per allegoriam uſurpatæ, nihil innuunt aliud, quam quod Deus hæc omnia a populo ſuo exigit tamquam infiniti Imperii ſui tributum, & tamquam figuras & argumenta illius animi præparationis, qua coram eo homines adeſſe par eſt. Vinum offerebatur Domino in Templo; affundebatur pariter in holocauſtis victimiſque pacificis, ceu condimentum quoddam additum dapibus, quæ in Altari, tamquam in menſa, apponebantur; hanc enim ideam ſubjicit de ſacrificiis Scriptura. Cum autem vinum anima ſit & hilaritas conviviorum, eodem ſenſu veriſſime affirmare potuit Joatham, vino exhilarari Deum, vel juxta vim originalis, Deos. Qua in re forte ſermonem ſuum accommodavit Joatham præjudiciis & menti Sichemitarum; rebantur enim Pagani, Deos vera voluptate affici ex nidore ſacrificiorum, odore ſuffitorum, & dulcedine liquorum; quare docebant, nectare & ambroſia illos nutriri. Denique cum vulgo homines ſolerent in Feſtis ſuis cœtibuſque religioſis largiore mero perfundi, cumque Diis tribueretur quidquid ſervari ſolebat in ſacris eorum feſtis, transferri in illos potuit hilaritas illa & voluptas, quæ in eorum cæremoniis vino intus agente proditur.

Vino homines exhilarari, res eſt quæ nulla indiget probatione: hunc enim eſſe vini effectum quis ignoret? Apertiſſime id demonſtrant experientia & authoritas omnium ſæculorum Scriptorumque omnium qua Sacrorum, qua Profanorum. *Vinum lætificat cor hominis*, ait Propheta (4). *Date vinum*, ait Salomon (5), *his, qui amaro ſunt animo*. Liber pater lætitiæ a Poetis appellatur (6). *Lætitiæ Bacchus dator*. Meri pariter virtuti tribuunt riſum, gaudium, malorum & ærumnarum vitæ hujus oblivionem. Ovidius:

Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit,
Tunc dolor & curæ rugaque frontis abit.

℣. 14. Dixerunt ad Rhamnum: veni et impera super nos. Quod ſpinarum vel rubi genus deſignet vox originalis אטד incertum eſt. Sunt qui rubum odoratum, ferentem roſas, Gallis *Eglantier* (7), credant; alii ſpinam albam, alii prunum ſylveſtrem, vel etiam carduum (8), vel denique ſpinam generatim malunt. Septuaginta & Vulgata dictum acceperunt de ſpina alba, quam Græci ῥάμνον *rhamnon* appellant (9).

℣. 15. Venite sub umbra mea, ſub fidem meam. Uſurpatur enim umbra pro ope, fide, tutela. *Sub umbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas*, ait Propheta (10). Exprobrat Iſaias xxx. 2. Judæis, ſpem illos ſuam in umbra Ægypti poſuiſſe; & capite LI. 16. protectum ſe ab umbra Dei tradit: *Sub umbra manus ſuæ protexit me*. Denique Baruc I. 12. Judæos captivos hortatur, ut vota offerant ac preces pro Nabuchodonoſore & Balthaſare Regibus Babylonis, *Ut vivamus*, ait, *ſub umbra Nabuchodonoſor, &c.*

Rhamnus, quem arbores eligunt ſibi in Regem, exprimit non obſcure Abimelechum, cui Sichemitæ ſupremam authoritatem detulerunt. Quam vero ille inops ac infirmus eſſet, ut ſubditos defenderet ac tueretur, indicat Joatham, rhamnum inducens vocantem cedros & arbores reliquas, ut ſub umbra ſua perfugium & quietem capiant: prædicit autem ingratorum hominum exitium, futurum nuncians, ut erumpens e rhamno ignis cedros Libani abſumat. Ignis emblema eſt belli (11). Diſcordia, & diviſio inter vos gliſcent: vos Abimelechi ejuſque regiminis tædebit. Illo in vos arma movente, *ignis de illo egredietur*, ille vos abſumet; viciſſim autem & vos illum abſumetis (12), atque ita veſtris manibus ulciſcemini illatam domui Gedeonis injuriam.

℣. 17. Animam suam dedit periculis. Hebræus (13): *Projecit animam ſuam eminus*; vel longe a ſe projecit, vel pro veſtra ſalute expoſuit. Miles quidam Cæſaris dicebat ad commilitones ſuos: *Projeci vitam, comites, totuſque futuræ mortis agor ſtimulis*.

℣. 18. Interfecistis filios ejus. Armaſtis furorem Abimelechi, qui neci illos tradidit. Reus eſt quiſque mali, quod ipſo authore commiſſum eſt; reus eſt pariter mali, quod cum poſſit, non impedit.

℣. 20. Et oppidum Mello. Hebr. בית מלוא *Et domum Mello*. Vide ſupra, ℣. 6.

℣. 21. Abiit in Bera. Euſebio & S. Hieronymo eſt *Bera* urbs VIII. M. paſſibus ab Eleutheropoli, ad ſeptemtrionem. Occurrit etiam urbs altera *Bera*, ſeptem vel octo leucis a Sichem, Jeroſolymam verſus (14).

℣. 22. Regnavit super Israel. Non ſuper omnes quidem Tribus, ſed tantum in Sichem, Thebes, Ephram, & forte etiam in alias Urbes, quæ vel ſponte, vel vi coactæ imperata faciebant. Legimus enim, Joathamum fratrem Abimelechi perfugium quæſiviſſe in Bera, quæ facile urbs Tribui Ephraim parebat, nec longe a Sichem aberat. Regnavit ille in Iſraele, eadem regiminis forma, qua & Judices: iis imperavit, a quibus electus fuerat & agnitus in Principem.

℣. 23. Misit Dominus spiritum pessimum. Diſcordiam inter illos gliſcere permiſit; liberam reliquit Dæmoni poteſtatem ſerendi odium, diffidentiam & tædium; perinde ac Judex quidam qui tortori ſontem tradens, liberam illi relinquit poteſtatem puniendi, atque necandi (15).

Qui opprerunt eum detestari [℣. 24.] et scelus interfectionis septuaginta filiorum Jerobaal. Hebræus (16): *Prævaricati ſunt in Abimelech, ad veniendum* [ut veniret] *injuria* [vel pœna injuriæ] *ſeptuaginta filiorum Jerobaal, & ad ponendum ſanguinem eorum ſuper Abimelech*. Sichimitarum defectionem hanc ex Abimelecho permiſit Deus, ut impius ille pœnam ferret criminis, nece fratrum ſuorum patrati. Eorum manibus puniendum tradidit Deus, qui cauſa criminis illius fuerant. Mala dominandi in Sichem libido eo crudelitatis hominem perduxit, ut nihil inhumanius excogitari queat. Malorum ejus

(1) והלכתי לנוע על העצים Ita Syr. Arab. Jun. &c. (2) οὐδὲ τῷ, οὐδὲν γλυκύτερον τῶν ἰσχάδων. Ariſtoph. (3) Vide Pier. Hieroglyph. & Bonfr. hic. (4) Pſal. CIII. 15. (5) Prov. XXXI. 6. (6) Virgil. Æneid. I. (7) Vatab. (8) Rab. Salo. Mont. (9) Druſ. hic. (10) Pſal. XVI. 8. & LVI. 2. (11) Vide Num. XXI. 28. (12) Infra ℣. 20. (13) וישלך את נפשו מנגד Septuag. ἔῤῥιψε ψυχὴν αὐτοῦ ἐξεναντίας. (14) Maundrel, Voyage d' Alep a Jeruſalem. (15) Vide Aug. qu. 45. & Serar. hic. (16) ויבגדו בעלי שכם באבימלך : לבוא חמס שבעים בני ירבעל ודמם לשום על אבימלך

omnium fons & origo hæc defectio Sichimitarum fuit.

ỷ. 25. Posueruntque insidias adversus eum in summitate montium. Sedem locaſſe videtur Abimelech non quidem in Sichem, ſed in Ephra, in paternis ædibus. Sichimam vero adminiſtrandam tradiderat Zebul, de quo inferius, ỷ. 28. Pertæſi Abimelechi Sichimitæ, milites diſpoſuerant in montibus, qua tranſitus illi in Sichem venienti futurus erat, ut interficeretur, antequam ad Urbem veniret. Interea cives liberos ſe jam tyranni metu cenſentes, ſpoliandis viatoribus tamquam in aperto bello incumbebant; atque inter inconditos clamores, quales edere ſolent vindemiatores, convenerunt in Templum Numinis ſui, ubi inter compotationes, & tripudia injurias & probra in Abimelechum abſentem effundebant. Feſto interfuit, inter cæteros, Gaal filius Obed, qui cum neceſſariis ſuis forte venerat in Sichem, & ambitioſis temerariiſque ſermonibus cæteros ſuperabat. Porro ille impudentiſſime offendit Zebulem, partium Abimelechi principem: actutum Zebul clam omnia renunciavit Abimelecho, narrans inſuper poſitas adverſus ipſum inſidias, & Sichimitarum defectionem. Abimelech raptim coacto exercitu, adverſus Sichem profectus eſt.

ỷ. 26. Venit autem Gaal filius Obed cum fratribus suis, et transivit in Sichimam. Ex ſubſequentibus patet, Gaal ad opem urbi ferendam defendendaſque ſeditioſorum partes adverſus Abimelechum in Sichem ſe contuliſſe. Unde venerit, ſiletur: vocatus tantum fuerat ad ſuppetias ferendas, non ad regendam urbem; vino enim incaleſcens gloriabatur, ỷ. 29. *Utinam daret aliquis populum iſtum ſub manu mea, ut auferrem de medio Abimelech!*

ỷ. 27. Vastavit vineas, uvasque calcantes. Hebræus fert tantum (1): *Egreſſi ſunt in agrum, & vindemiaverunt vineas eorum, & calcaverunt, & ſaltaverunt* (vel cecinere tibiis) *& egreſſi ſunt domum Deorum ſuorum, & comederunt & biberunt*, Chaldæus, & Septuaginta (2) in eamdem interpretationem conveniunt. Uſque ad adventum Gaalis, Sichimitæ diſſimulatione aliqua in Abimelechum uſi ſunt, contenti diſponere inſidias in montibus, ut redeuntem caperent; ut tamen Gaal urbem tenuit, ſtatim obvios quoſcumque ſpoliare, quin & juxta Interpretum quorumdam conjecturam (3), diripere vineas neceſſariorum, amicorum & fautorum Abimelechi. Vel, juxta Hebræum, cum in eas turbas inciderit apta vindemiis tempeſtas, in agrum ad vindemias ſe contulerunt, ea lætitiæ indicia per eam occaſionem conſueta non omittentes. De Feſtis vindemiarum agunt non ſemel Prophetæ. Moabitis minitatur Iſaias xvi. 10. futurum ut ſileant apud illos læti vindemiantium clamores, & voces calcantium uvas. Jerem. xlviii. *Ablata eſt lætitia, & exultatio de Carmelo, & de terra Moab, & vinum de torcularibus ſuſtuli: nequaquam calcator uvæ ſolitum celeuma cantabit.*

Ingressi sunt Fanum Dei sui, et inter epulas. Numinis ſui delubrum petierunt, gratias de excuſſo Abimelechi jugo acturi. Solemne erat Paganis, addere Sacrificiis epulas, & lætitiæ ſignificationes; cujus moris exemplum aliud ſuppetit inferius xvi. 24. in Hiſtoria Samſonis.

ỷ. 28. Numquid non est filius Jerobaal, et constituit Principem Zebul servum suum super viros Emor patris Sichem? Ita argumentatus eſt Gaal: Quis igitur eſt Abimelech, & quæ Sichem? An hac urbe majorem ſe eſſe arbitratur Abimelech? Num indignam reputat præſentia ſua, quam habitet, & quam per ſe moderetur? Cur præſidem illi conſtituit Zebulem, ejus generis virum? His ſermonibus irritati ſunt Sichimitæ, quaſi Abimelech cives urbemque ſuam contemnens, illam domo ac mora ſua indignam cenſeret, eamque haberet, cui per ſe leges dare probroſum ſibi eſſet.

Alium ſenſum admittere poteſt Hebræus (4): *Quis eſt Abimelech? Numquid non filius Jerobaal, & Zebul ejus procurator? Submittamus nos poſteris Hemor Patris*, vel conditoris *Sichem: cur aliis ſubjiciemur?* Si dominum nobis, & principem conſtituere volumus, cur quærimus in familia Jerobaalis, ac in ejuſmodi homine, uti Zebul? Præficiamus nobis civem aliquem Sichem, urbis vetuſtæ adeo, & nobilis, ab Hemor conditæ. Cur exteris ſerviemus? Innui videtur in Textu, cum Gaal ita de Hemor loquatur, ipſum Gaalem genere Chananæum fuiſſe; nec arduum arbitramur, ex incolis Sichem plures commune cum illo genus retuliſſe, uti non obſcure demonſtrat ſuperſtitio, quæ in Templo Baal-Berit exercebatur. Reddi tamen poſſet: Submittamus nos Principibus, & Magiſtratibus Sichem, locum nunc occupantibus Hemor, priſci urbis hujus conditoris. Hiſtoriam Sichem filii Hemor, ab Jacobi filiis interfecti, habes in Gen. xxxiv. 2. deſcriptam.

ỷ. 29. Utinam daret aliquis populum istum in manu mea! Tyrannidem non obſcure Gaal affectat, perſuadetque Sichimitis, ut Regnum ſibi deferant, ſpondens ſublaturum ſe e medio Abimelechum. Certo utique credendum eſt, Abimelechum ſuos habuiſſe in urbe fautores, duce Zebul; ſed manus erat imbecillior, & ipſe pariter Zebules in his rerum turbis, & motibus diſſimulabat, opperiens reditum Abimelechi, quem certiorem de omnibus faciebat.

ỷ. 31. Misit clam ad Abimelech nuntios. Hebræus (5): *Miſit nuntios ad Tarmach*; quem locum eumdem credunt quidam (6) ac Harmach verſiculi 41. Vertunt (7) alii: Miſit nuntios callide; artificio uſus eſt, ut urbis ſtatum nunciaret. Septuaginta (8): *Miſit nuncios cum muneribus*.

Oppugnat adversum te civitatem; civitatem tibi eripere ſibique obnoxiam facere conatur. Hebræus (9): *Ecce anguſtiant, obſident, civitatem ſuper te.* An vero qui urbem tenet, eam obſidere aggreditur? Nonne Gaal & Sichimitæ urbem habent in poteſtate? Reſpondemus, illos ſe in urbe adverſus conatus Abimelechi muniiſſe, ut aggredientem repellerent; vel forte vim intuliſſe fautoribus Abimelechi, prohibentes ne e civitate egreſſi illi ſeſe adjungerent (10). Interpretationes ejuſmodi plauſibiles quidem ſunt, minime tamen id efficiunt, quin novitatem hujus phraſis, obſidendi ſcilicet urbem quam quis poſſidet, admiremur. Quare vertere præſtat: *Ecce hoſtes in urbe*, vel *cum urbe adverſus te*. Hebræum *Zarim* frequentiſſime in Scriptura pro hoſtibus uſurpatur; & in eo rerum ſtatu aptiſſime affirmari poterat, urbem defeciſſe, ac refertam eſſe hoſtibus Abimelechi.

ỷ. 34. Tetendit insidias juxta Sichem in quatuor locis. Textus Originalis legit (11): *Inſidiati ſunt ſuper Sichem quatuor capita.* Ideſt, Abimelech exercitum ſuum quadrifariam diviſit, ſtatuitque ſingula hæc agmina in locis opportunis prope Sichem; vel copias ſuas regendas commiſit quatuor Ducibus, ſuum ſingulis agmen committens.

ỷ. 35. Egressusque est Gaal, et stetit in introitu portæ civitatis. Ex univerſa hujus ſermonis ſerie innui videtur, Gaal ſubodoratum fuiſſe ali-

---

(1) ויצאו השדה ויבצרו את כרמיהם וידרכו ויעשו הלולים וגו' (2) Theodor. ἐνάλει. 70. χόρους. (3) Toſtat. Cornel. (4) בן ירבעל וזבל פקידו עבדו את אנשי חמור אבי שכם ומדוע נעבדנו אנחנו (5) וישלח מלאכים אל אבימלך בתרמה (6) Jun. Druſ. (7) Munſt. Cajet. Vatab. Mont. &c. (8) ἀπέστειλεν ἀγγέλους πρὸς Ἀβιμέλεχ μετὰ δώρων. (9) והנם צרים את העיר עליך (10) Vatab. Druſ. (11) ויארבו על שכם ארבעה ראשים

aliquid de adventu Abimelechi, egreſſumque cum ſuis ex Urbe, venientem expectaſſe.

℣. 37. Ecce populus de umbilico terræ deſcendit. Hebræus (1): *Ecce populus deſcendens de tabor terræ*. Nomen *tabor*, uti hic ſcribitur, eſt umbilicus, vel editus locus. Eadem phraſi uſus eſt Ezechiel (2), innuendæ, uti creditur, Jeroſolymæ, quæ in editiſſimo loco conſidebat. Eodem pariter nomine deſignantur apud profanos loca quædam, quæ in centro, & in loco totius regionis editiſſimo conſtituta videntur. Lacum Cutiliæ in agro Reatino, Italiæ umbilicum appellat Varro (3), Maluit Cicero (4) umbilicum Siciliæ conſtituere in luco Ennæ; Græciæ vero in Ætolia collocat Livius (5).

Per viam, quæ reſpicit quercum. Hebræus (6): *De via quercus* [vel querceti] *Meonenim*. Nomen hoc *Meonenim* ſignificare poteſt ariolos, vel auguria obſervantes. Septuaginta: *Per viam eorum, qui reſpiciunt vel qui obſervant*. Ἀπὸ τῆς ὁδοῦ δρυὸς ἀποβλεπόντων. De *Meonenim* actum eſt in Paralipomenis (7): & de Maon in Capite ſequenti hujus Libri ℣. 12.

℣. 41. Abimelech sedit in Ruma. Idem facile locus, qui ſupra ℣. 31. *Tarma* appellatus eſt: diſtabat autem non procul a Sichem. Continuit ſe Abimelech, ne in urbem ea die irrumperet, ut forte ſpatium temporis daret populo reſipiſcendi & redeundi ad imperium.

Zebul autem Gaal et socios ejus expulit de Urbe. Cur Zebul, pulſo ex urbe Gaal cum ſuis, Abimelechum dominum ſuum intro non excipit? cur mane alterius diei Sichimitæ ſtant iterum in armis adverſus Abimelechum, qui prælio iis fuſis, urbem obſidione vallare cogitur? Quid tunc agebat Zebul? Non immerito reputamus, Zebul interfectum fuiſſe ab incolis, pulſo Gaale; nuſpiam enim uterque in hac Hiſtoria occurrit ulterius. Seu potius Zebul cum ſuis fores Urbis clauſit Gaali ejuſque fautoribus, qui cum a tergo urgerentur copiis Abimelechi, urbis ingreſſu prohibiti ſunt: minime tamen facere potuit Zebul, quin ſeditioſi, qui remanſerant in Sichem, mane alterius diei in Abimelechum erumperent. Sæpe excluſus vel pulſus dicitur, qui non admittitur.

℣. 45. Ita ut sal in ea disspergeret; argumentum odii & furoris æterni atque implacabilis. Sal enim emblema eſt rei ſolidæ atque æternæ: vel ſale conſperſa eſt ea urbs, ut ingratum & ſterile ſolum perpetuo redderetur, nec unquam frequentaretur cultoribus, perinde ac Sodoma & Gomorrha, quæ ex phraſi Moyſis (8), uſtæ ſunt ſulphure & ardore ſalis; adeo ut nihil ibi ſeri poſſit, nihil germinet, nihil fructum ferat. Denique eo redigi ſolum illud voluit, ut imaginem referret locorum Domino inviſorum, quæ nihil aſpectui exhibent, niſi *ſiccitatem ſpinarum, acervos ſalis, & deſertum uſque in æternum* (9); Telluris illius, quam deſertam, aridam & inhoſpitam efficit ſal, quo illa ſaturatur (10): *Habitabit in ſiccitate, in deſerto, in terra ſalſuginis, & inhabitabili*. Telluris, inquam, quæ ſalſa & amara, nullo unquam labore ferax redditur (11).

Salſa autem tellus, & quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix ea, nec manſueſcit arando.

Neqnaquam tamen hinc factum eſt, ut Sichem non reſtitueretur, priſtinamque fœcunditatem recuperaret. Sal, quo victores everſarum urbium ſolum conſperſerunt, argumentum erat potius ipſorum furoris, illiuſque, quo tenebantur deſiderii, ut, ſi fieri poſſet, humus illa interdicta ſemper & ſterilis habitatores omnes in perpetuum recuſaret.

Perſimilis ultionis exempla crebra in hiſtoria ſuppeditantur. Ferunt, urbem Mediolanum captam anno 1162. everſam & ſale conſperſam fuiſſe (12). Paria in quaſdam Hiſpaniæ Urbes illata affirmat Toſtatus (13). Tradit Brantomius, olim apud Gallos obtinuiſſe, ut ædes hominis in Regem perduellis ſale conſpergerentur; quod in ædes Admirallii Caſtellionæi illatum fuiſſe ſcimus (14).

℣. 46. Qui habitabant in turre Sichimorum. Turris hæc Sichem arx urbis erat, in loco reliqua urbe ſuperiori conſtituta, aptaque mille viris continendis. Porro qui in ea turre vel in hac urbis parte morabantur, omnes ſe contulerunt in Templum Berith, ſive quod religionem ſacri loci propugnaculo ſibi futuram a furore Abimelechi arbitrarentur, ſive quod Templum illud ſitum offerret magis quam turris defenſioni commodum.

Fanum Dei sui Berith, ubi fœdus cum eo pepigerant, et ex eo locus nomen acceperat, qui erat munitus valde. Addita ſunt hæc omnia expoſitionis gratia; Hebræus enim fert בית אל ברית *domum Dei Berith*, vel *Bethel-Berith*, Βαιθηλβερίθ.

℣. 48. Ascendit in montem Selmon. Hic urbi Sichem proximus imminebat. Occurrit idem pariter in Pſalmo LXVII. 15.

Præcidit arboris ramum. Hebræus & Græcus (15): *Ramum ligni*, vel ſarcinam lignorum. Joſephus *aridorum lignorum* addit.

℣. 49. Factum est, ut fumo et igne necarentur. Hebræus (16) & Septuaginta nihil habent de fumo, nec niſi mille viros circiter exhibent.

℣. 50. Ad Oppidum Thebes XIII. M. paſſibus a Sichem, Scythopolim verſus, ait Euſebius.

Circumdans obsidebat exercitu. Hebræus (17), Septuaginta, & Verſiones cæteræ ferunt, obſediſſe eam urbem & cepiſſe. Nec ſane, niſi capta urbe, cum ad turrim vel ad arcem acceſſiſſet oppreſſus eſt.

℣. 53. Una mulier fragmen molæ desuper jaciens. Receperant ſeſe cives in turrim, & in aream ejus ſuperiorem, quæ pro tecto erat totius ædificii, unde deturbabant in aggreſſores, quos eo collegerant, lapides. Forte quædam fœmina fragmen molæ e ſuperiori loco dejecit (18); id enim ſignificare Hebraicas voces ferunt. Eodem fato ac Abimelech, periit Rex Pyrrhus, oppreſſus ſcilicet fragmine tegulæ, quod mulier e ſuperiori tecto dejecit (19). Neque unicum illud eſt in hiſtoria exemplum (20). Lacedæmones milites apti non erant, qui mœnia aggrederentur, iis enim in congreſſibus fortiſſimus miles ab ignaviſſimo ſæpe interficitur (21).

℣. 54. Vocavit armigerum suum. Viri olim militares & Heroes armigeros præſto ſemper habebant, qui ſeſe in prælio comitarentur, & arma, cum certandum non eſſet, deferrent. Meminit Scriptura armigeri Saulis (22), Goliat (23), Jonathæ (24), & Joabi (25). Laudantur in Hiſtoria profana ſervi quidam, qui heros ſuos furori & injuriis hoſtium ſubducturi, opportunam ipſis heris mortem manu ſua intulerunt. Cajus Marius ſeſe

(1) הנה עם ירדים מעם טבור הארץ (2) Ezech. XXXVIII. 12. Vide & Joſeph. l. 4. de Bello c. 2. περὶ χῶρας ... ὀμφαλὸν τὸ ἄστυ τῆς χώρας ἐκάλεσαν. (3) Plin. l. 3. c. 12. *In agro Reatino Cutiliæ lacum .... Italiæ umbilicum eſſe, M. Varro tradit.* (4) Cicero in Verrem 6. (5) Tit. Liv. apud Bonfr. hic. (6) מדרך אלון מעוננים (7) 1. Par. IV. 41. & 2. Par. XXVI. 7. (8) Deut. XXIX. 23. (9) Sophon. II. 9. (10) Jerem. XVII. 6. (11) Virg. Georg. 2. (12) Sigon. de Regno Ital. l. 13. & 14. apud Serar. qu. 30. (13) Abul. qu. 45. (14) De hoc ritu vide Rochart. l. 3. c. 12. parte 1. (15) שוכת עצים φορτίον ξύλων, Compl. Ald. Alexand. Cod. ſed Rom. habet, κλάδον ξύλου. Joſeph. φάκελον ὕλης ξηρᾶς ... (16) באש ויבותו (17) ויחן בתבץ וילכדה (18) פלח רכב Syr. Vatab. Septuag. κλάσμα ἐπιμυλίου. (19) Plut. in Pyrrho. (20) Vide Serar. qu. 33. (21) Plut. in Sylla. (22) 1. Reg. XXXI. 4. (23) 1. Reg. XV. 1. (24) 1. Reg. XVII. 7. (25) 2. Reg. XVIII. 37.

ſeſe interficiendum ſervo tradidit: *Cujus*, inquit Hiſtoricus (1), *dexteræ tam opportunæ miniſterium nihil eorum pietati cedit, a quibus ſalus dominorum protecta eſt*. Alia utique opinio Davidi ſedebat; morte enim damnavit Amalecitam illum, qui id obſequii genus ſeſe reddidiſſe Sauli teſtatus eſt, ut illata volenti nece, ſuccurreret homini in extremis rerum anguſtiis laboranti. Damnat id Chriſtiana Religio, æque reum criminis pronuncians eum, qui manus infert in alium violentas, ſeu qui ut in ſe inferantur, impetrat.

Percute me, ne forte dicatur, quod a fœmina interfectus sum. Lacedæmones inviti admodum ad obſidionem Argos proficiſcebantur, quod intellexiſſent, fœminas ibi ſeſe propugnatoribus addere (2). Nihil dolebat magis Hercules, quam triſte fatum ſuum, ut iniquitate fœminæ interiret (3):

O turpe fatum! fœmina Herculeæ necis
Author feretur.

CAPUT X.

Thola & Jair Judices Iſraelis. Iſraelitæ ſub jugo Philiſtæorum & Ammonitarum, annis duodeviginti. Pœnitentia ducti, Numina abjiciunt, ac bellum in hoſtes parant.

℣. 1. POſt Abimelech ſurrexit dux in Iſrael Thola filius Phua patrui Abimelech,
Ab A.M. 2772 uſque ad an. 2794. vir de Iſſachar, qui habitavit in Samir montis Ephraim: 2. Et judicavit Iſraelem viginti, & tribus annis, mortuuſque eſt, ac ſepultus in Samir. 3. Huic
Ab A.M. 2794 uſque ad 2816 ſucceſſit Jair Galaadites, qui judicavit Iſraelem per viginti, & duos annos, 4. Habens triginta filios ſedentes ſuper triginta pullos aſinarum, & principes triginta civitatum: quæ ex nomine ejus ſunt appellatæ Havoth Jair, ideſt, oppida Jair, uſque in præſentem diem, in terra Galaad. 5. Mortuuſque eſt Jair, ac ſepultus in loco, cui eſt vocabulum Camon. 6. Filii autem Iſrael peccatis veteribus jungentes nova, fecerunt malum in conſpectu Domini, & ſervierunt idolis, Baalim, & Aſtaroth, & diis Syriæ, ac Sidonis, & Moab, & filiorum Ammon, & Philiſthiim: dimiſeruntque Dominum, & non coluerunt eum. 7. Contra quos Dominus iratus, tradidit eos in
Ab A.M. 2798 uſque ad ann. 2816. manus Philiſthiim, & filiorum Ammon. 8. Afflictique ſunt, & vehementer oppreſſi per annos decem & octo, omnes, qui habitabant trans Jordanem in terra Amorrhæi, qui eſt in Galaad: 9. In tantum, ut filii Ammon Jordane tranſmiſſo, vaſtarent Judam, & Beniamin, & Ephraim: afflictuſque eſt Iſrael nimis. 10. Et clamantes ad Dominum, dixerunt: Peccavimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum noſtrum, & ſervivimus Baalim. 11. Quibus locutus eſt Dominus: Numquid non Ægyptii, & Amorrhæi, filiique Ammon, & Philiſthiim, 12. Sidonii quoque, & Amalech, & Chanaan, oppreſſerunt vos, & clamaſtis ad me, & erui vos de manu eorum? 13. Et tamen reliquiſtis me, & coluiſtis deos alienos: idcirco non addam, ut ultra vos liberem: 14. Ite, & invocate deos, quos elegiſtis, ipſi vos liberent in tempore anguſtiæ. 15. Dixeruntque filii Iſrael ad Dominum: Peccavimus, redde tu nobis quidquid tibi placet: tantum nunc libera nos. 16. Quæ dicentes, omnia de finibus ſuis alienorum deorum idola projecerunt, & ſervierunt Domino Deo: qui doluit ſuper miſeriis eorum: 17. Itaque filii Ammon conclamantes in Galaad fixere tentoria: contra quos congregati filii Iſrael, in Maſpha caſtrametati ſunt. 18. Dixeruntque principes Galaad ſinguli ad proximos ſuos: Qui primus ex nobis contra filios Ammon cœperit dimicare, erit dux populi Galaad.

℣. 1. SUrrexit Dux in Israel, Thola. Hebræus (4): *Surrexit ad ſalvandum Iſrael*. Quæ vero ea ſalus, quam Iſraeli peperit? Silet Scriptura. Sunt qui pacatas ab ipſo credant turbas Abimelecho authore excitatas, judicaſſe populum, rexiſſe, atque in cultu Domini continuiſſe. Hæc illi per conjecturas.

Thola filius Phua, patrui Abimelech. Phua patruus Abimelechi, frater erat Gedeonis; idcirco autem facile ſelectus eſt, quod imbecilliori eſſet adhuc ætate Joatham, unicus, qui e filiis Gedeonis ſupereſſet, & omnium fratrum ſuorum minimus. Sanciverat Moyſes, ut cum legitimus hæres deficeret, ſucceſſio devolveretur ad fratres defuncti; quod ſi nulli fratres ſupereſſent, ad fratres patris tranſiret (5). Obſequio facile ejus legis, judicialis dignitas delata eſt ad Tholam, fratrem Gedeonis.

At enim ſi Phua frater erat Gedeonis, quo pacto e Tribu Iſſachar eſſe dicitur, cum Gedeon ad Manaſſe pertineret? Reſpondetur (6), Gedeon & Phua eadem forte matre natos fuiſſe, non eodem

[1] Valer. Max. l. 6. c. 8. exempl. 2. [2] Pauſan. l. 3. [3] Senec. Hercul. Oetæus.
[4] יקם להושיע את ישראל Septuag. τοῦ σῶσαι τὸν Ἰσραήλ. [5] Num. xxvii. 9. 10. *Si filiam non habueris, habebis ſucceſſores fratres ſuos; quod ſi & fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris ejus.*
[6] Auguſt. qu. 47. in Judic. & alii paſſim.

dem patre: hæc autem primo ſotte nupſit viro e Tribu Manaſſe, ex quo Gedeon natus eſt, dein vero alteri e Tribu Iſſachar, quo parente natus eſt Phua.

Septuaginta (1), & Chaldæus (2) legunt: *Thola filius Phua patrui ſui*. Qui vero fieri potuit, ut quis filius eſſet patrui ſui? Pugnant hæc inter ſe, ſi literali ſenſu accipiantur. Ut difficultas tollatur, ajunt fieri optime poſſe, ut patruus filium patris ſui adoptet: tunc autem veriſſime affirmari poteſt, Tholam filium Gedeonis a patruo ſuo Phua fratre Gedeonis adoptatum, illius filium haberi. Sunt qui dictum ita explicent: *Thola filius Phua*, qui Thola erat pariter *filius patrui Abimelech*; ita ut unus idemque Phua pater Tholæ & frater eſſet Gedeonis, & patruus Abimelechi.

Has difficultates induxit ambiguitas vocis Hebrææ *Dod*. Ita enim ſonat Textus ad literam תולע בן פואה בן דודו *Thola filius Phua, filii Dodo*. Poſtrema hæc vox uſurpari poteſt, ſeu pro nomine viri, ſeu pro voce generica. Qui priorem ſenſum præferunt (3), docent, Phuam, vel Tholam filios eſſe hominis, cui nomen Dodo. Alii explicant (4) de patruo Abimelechi vel Tholæ, uti jam animadvertimus.

Qui habitavit in Samia. Nihil mirum eſt, virum e Tribu Iſſachari in ſorte Ephraimi commorari. Nulla lege jubebantur Iſraelitæ in Tribu ſua ſedem ſervara; ſolos enim ſundos hominibus alterius Tribus perpetuo vendi neſas erat. Urbs Samir latet: hujus tamen nominis Urbs & mons in Tribu Juda occurrit (5).

℣. 3. Hujc successit Jair Galaadites. Alius creditur eſſe Jair hic ab altero viro cognomine, de quo in Numeris xxxii. 41. & in Deuteronomio iii. 14. Ille natus erat a Tribu Manaſſe, perinde atque hic, de quo loquimur, habebatque imperio ſuo ſubjectas Urbes plures in Galaaditide, quibus nomen indidit *Havoth Jair*; ſed longa ætate ante hunc Jairum vivebat. Potiebatur ille lx. Urbibus, cum tantummodo xxx. Judici huic Iſraelitico parerent. Jairum Judicem Iſraelis cenſent complures (6) in Libris Regum (7) *Bedan* appellari. Quo pacto ad Judicis Iſraelis dignitatem pervenerit, quid in populo egerit, non prodit Scriptura.

℣. 4. Habens triginta filios, sedentes supra triginta pullos asinarum. Nomen *pullorum aſinarum* non ſemper pullos reipſa, ſed aſinos interdum ſignificat. Porro in ea regione ſamiliares erant aſini ad vecturam; nec ejus ætatis mos apud Hebræos uſum equorum invexerat. Quin & interdictum illis lege, ne equos in eum uſum adhiberent, credit S. Hieronymus (8); quamquam nihil ſatis apertum ea da ra in Lege occurrit. Iiſdem moribus cenſebantur Ægyptii, eodem teſte (9): apud quos nonniſi de Regis ſacultate equo vehi licebat. Animadverſum eſt ſupra, ſignum fuiſſe dignitatis, ut quis aſino vectus incederet. Viri locupletes, Judices, Principes, ea ra a tenuioribus diſtinguebantur; vehebantur enim cultiſſimis aſinis (10): *Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos*. Septuaginta Editionis Romanæ & Baſileenſis pro triginta filiis, & totidam aſinabus, habent duos & triginta; quo authore, ignoramus.

Principes triginta civitatum, quæ ex nomine ejus appellatæ sunt Havoth-Jair. In eodem regionis tractu notæ ſunt pariter ſexaginta urbes (11) appellatæ *Havoth-Jair*, vel caſæ Jairi, nomen ex primo illo Jairo, filio Manaſſes, mutuatæ. Utrum hæ triginta villæ alterius Jairi aliæ fuerint ab Havoth prioris, an hic Judex Iſraelis confirmaverit tantum renovaveritque appellationem *Havoth-Jair* triginta illis vicis, quibus ab ætate majorum ſuorum idem nomen manebat, ignoramus. Putat Grotius, Jairo huic patrem Segub, de quo in Paralipomenis (12), fuiſſe, eumque hæreditarios a patre accepiſſe, tres & viginti vicos, vel Havoth in Galaaditide; qui ſane viginti tres una cum ſeptem aliis, ſorte ad ſe ex Eſdrone avo ſuo devolutis, numerum triginta explebant. Hæ omnes ambages evitantur, ſi ita Hebræus reddatur (13): *Habens triginta filios, ſedentes ſuper triginta aſinos, & filii illi Principes erant triginta civitatum, quæ appellantur Havoth-Jair uſque in præſentem diem*. Nomen iis pagis inditum fuiſſe ex hoc Judice Iſtaelis, litera Textus non exprimit: vetus erat nomen e vetuſtiore Jairo acceptum.

℣. 5. Camon. Adrichomio, & Bonfrerio hæc urbs jacet trans Jordanem in Galaaditide; & ptono animi judicio hic conſtituitur, cum Jair ejuſque familia ibi verſarentur. Sermo eſt apud Euſebium & S. Hieronymum de *Camon* in magno Campo vi. m. paſſibus a Legione ad ſeptentrionem Ptolemaidem verſus. De hac facile urbe ſcribit Polybius (14), captam fuiſſe ab Antiocho magno, poſtquam urbem Thabor in poteſtatem redegiſſet. Sed Camon Polybii eadem utique ac Camon, de qua modo, eſſe nequit. Pro *Camon* Septuaginta legunt *Rhamnon*. Eamdem credo cum Hamon, de qua in 1. Paralipomenon vi. 76. & Hammothdor, de qua Joſue xxi. 32.

℣. 6. Baalim et Astaroth, et Diis Syriæ ac Sidonis, et Moab, et filiorum Ammon, et Philistim. De Baale & Aſtaroth fuſius agemus in Diſſertatione de Numinibus Phœnicum: noſtram etiam de Diis Syris mentem aperuimus in Diſſertatione de Moloc Deo Ammonitarum; & Dii Moabitarum quinam cenſendi ſint, diximus in Diſſertatione de Chamos. De Diis Philiſtæorum ſermo erit, cum de Dagone agemus.

℣. 7. Tradidit nos in manus Philistiim et filiorum Ammon. Quod ex hac hiſtoria aſſequi licet, nunquam hiſce gentibus ſervierunt Iſraelitæ, ſed excurſionibus illarum & direptionibus erant obnoxii, cum armis tueri ſua non poſſent. Hoc veluti præludio animos præparat Hiſtoricus ad narrationem rerum geſtarum Jephte, Jairi, Abeſani, Ahialonis, & Abdonis, inter quos unus, nempe Jephte, moleſtia Ammonitarum Iſraelitas liberavit, alii vero a Philiſtæis turati ſunt.

℣. 8. Per annos decem et octo. Non ſatis certo conſtat, unde exordium hoc annorum ducendum ſit: claudi tamen hæc periodus creditur in victoria Jephte de Ammonitis. Porro hi anni ad ſpatium illud temporis ſpectant, quo Tribus Transjordanicæ Ammonitarum injuriis expoſitæ ſuere. Tempus illatæ a Philiſtæis in Iſraelitas moleſtiæ indicatur inferius xiii. 1. Textus Hebræus hujus loci difficilem exhibet ſententiam (15): *Afflicti ſunt in anno ipſo octo decem annis*. Quis hic annus? Componunt illum quidam cum obitu Jairi (16); alii (17) cum anno, quo deficere a Domino incepere. Vertendum ego maluerim, cum Septuaginta Romanis & Baſileenſibus: *In tempore illo*, indefinite, ideſt, ſub Judice Jairo, cum populus in Idololatriam declinaſſet, Deus in ipſos immiſit Ammonitas, hoſtes populo graves per duodeviginti ſupremos hujus Judicis annos (18). Vel ea

(1) Θωλὰ υἱὸς Φουὰ υἱὸς πατραδέλφου αὐτοῦ. (2) תלע בר פואה בר אחבוהי (3) Cajet. Pagn. Mont. Vatab. Rabb. &c. (4) Munſt. Bonf. Cornel. (5) Joſue xv. 48. (6) Serar. Uſſer. & alii. (7) 1. Reg. xii. 11. & 1. Par. vii. 17. (8) *Præceptum eſt in lege, ut non Hebræi habeant equos*. Hieron. in Pſalm. lxxv. Idem in Iſai. xxxi. 7. (9) Hieron. in Jerem. (10) Judic. v. 10. (11) 1. Paral. ii. 23. (12) 1. Paral. ii. 22. *Sed & Segub genuit Jair, & poſſedit viginti tres civitates in terra Galaad*. (13) שלשים בנים רכבים על שלשים עירים ושלשים עירים להם וקראו הות יאיר עד היום הזה (14) Polyb. lib. 6. c. 5. p. 414. (15) וירצצו בשנה ההיא שמנה עשרה שנה (16) Tigar. (17) Vatab. (18) Uſſer. Salian. Tornicl.

Digitized by Google

ga perjodus annorum referenda eſt ad tempus Judicum, qui Jairo ſucceſſerunt (1). Tollendæ hujus difficultatis nulla certa ratio ſuppetit in Textu.

OMNES QUI HABITABANT TRANS JORDANEM . . . . .

℣. 9. IN TANTUM UT FILII AMMON, JORDANE TRANSMISSO, VASTARENT JUDAM ET BENIAMIN ET EPHRAIM. Deſcribuntur hic mala quæ ab Ammonitis in Iſraelitas inducta ſunt, cum interim Philiſtæi ex altera parte urgerent. Direptiones igitur ſuas Ammonitæ in univerſa trans Jordanem regione, ac præſertim in Galaaditide exercuere. Deinde malum propagantes, tranſmiſſo Jordane, cladem late intulerunt in ditiones Judæ, Beniamini, & Ephraimi, eos agros ita infeſtos reddentes, quemadmodum a Madianitis hoſtibus habitas fuiſſe Tribum Manaſſe proximaſque regiones, dudum animadvertimus; nimirum omnia diripiebant atque vaſtabant. Illis quidem non parebant Iſraelitæ, ſed cum repugnando pares non eſſent, quieti hæc omnia pati cogebantur.

℣. 11. QUIBUS LOCUTUS EST DOMINUS. Ideſt, vel Angelus, vel Propheta, vel aliquis pius vir, ad hoc ſuſcitatus, ut populo ea exprobraret, quæ hic recitantur.

ÆGYPTII, AMORRHÆI &c. Hebræorum in Ægypto oppreſſionem exploratiſſimam habemus; nullibi tamen legimus, Amorrhæos injuriis ſuis Iſraelitas vexaſſe, niſi tamen Amorrhæorum nomine ſignificentur Chananæi, qui illos ſub Jabin Rege Aſor oppreſſerunt (2). Alii accipiunt de Og & Sehone, Regibus Amorrhæis, qui Iſraelitas & hoſtium loco habuerunt (3), & infeſtiſſime inſectati ſunt.

Ammonitæ tunc Iſraelitas affligebant, & jam olim arma in Hebræos conjunxerant cum Eglone Rege Moabitarum (4).

Philiſtæi tunc pariter bello premebant Iſraelitas; & Samgar (5) palantium in regione audaciam antea coercuerat.

Sidonii, utpote in Chananitide validiſſimi, vicinos Iſraelitas opprimere pro data occaſione utique non neglexerunt; nullam tamen illatam ab illis peculiarem moleſtiam narrat Scriptura. Illud generatim conſtat, Sidonios ex iis gentibus fuiſſe, quas Deus ad exercendam probandamque populi ſui fidem in regione reliquit (6); nec a vero abludit. Sidonios fœdere conjunctos fuiſſe cum Rege Aſor, qui adeo ſæviit in Iſraelitas.

Amalecitæ odium Hebræorum nunquam depoſuerunt: cum Eglone conjuncti illos inſectari ſunt (7); in ſervitute ſub Madianitis ſuas habuerunt partes, cum iis Orientalibus mixti, qui ditionem Iſraeliticam depopulabantur (8).

Denique Chananæi ubique per regionem & communi omnes ſtudio, & privatus quique, palam, aperta vi, & clam vel fraude, omni niſu & conatu Iſraelitas inſectabantur: corda menteſque illorum corrumpebant; & cum vicinæ gentes ceteræ nonniſi certo aliquo tempore plerumque aliqua de cauſa illos affligerent, Chananæi perpetuos ſe & aſſiduos hoſtes exhibuerunt. Perinde erant, ut phraſi Joſue utar, ac ſtimuli ad latera, & ſpinæ in oculis illorum (9), nullam miſeris requiem permittentes.

Pro Chanaan, quod legitur in Vulgata & in Græco Complutenſi & Aldino, Græcum Mſ. Alexandrini & Editionis Romanæ ferunt *Madian*. Hebræus vero habet *Maon* מעון: Chaldæus, *homo Maon*. Nulla profecto ſeu gens ſeu Princeps hujus nominis, qui ante eam ætatem oppreſſerit Iſraelitas, occurrit. Legitur in Paralipomenis (10) nomen *Maonim*; quod gentium eſt quarumdam ex Chamo ſatarum, eximiamque regionem olim poſſidentium, quam Tribus Simeonis occupavit. Gentem illam appellant Septuaginta *Minæos*. Hi vero Arabiæ populi ſunt, e Strabone (11) & Diodoro Siculo (12) noti; quare non immerito *Maonim* conjungas cum Madianitis, Amalecitis, cæteriſque Orientalibus, qui regionem Iſraeliticam ſpatio annorum complurium depopulati ſunt. Ex hoc populorum cenſu demonſtratur, multo longe plurimis malis Iſraelitas fuiſſe vexatos, quam quæ in hoc Libro narrantur.

℣. 13. NON ADDAM UT ULTRA VOS LIBERARERM, niſi aliam agendi rationem inivertis.

℣. 16. QUI DOLUIT SUPER MISERIIS EORUM, miſertus eſt eorum. Hebræus (13) *Abbreviata eſt*, anguſtiata eſt, *anima ejus in labore Iſrael*. Humano more loquitur Scriptura. Dilatari dicitur anima in gaudio, anguſtiari in mœrore. Uſurpatur etiam de viro æquanimo, qui non facile movetur, eum eſſe hominem grandi animo; ſicuti qui ſenſu doloris facile tangitur, & movetur, animo eſſe puſillo. Hebraica eſt phraſis quæ vim plurimam habet (14).

℣. 17. FILII AMMON CONCLAMANTES, IN GALAAD FIXERE TENTORIA. Ammonitæ ad arma conclamantes, convenerunt, caſtraque locaverunt prope urbem Galaad, regionis illius Metropolim, in ditione Gad, quam Ammonitæ juris eſſe ſui contendebant. Nomen Galaad latiſſime uſurpatur. Quorſum vero ii clamores, quorum peculiaris mentio hic fit? Accurrerunt more triumphantium, læto clamore, ſeque invicem ejuſmodi acclamationibus excitantes, uti ſolent milites, qui nihil metuunt, rerumque copia abundant. Vel, convenerunt magnis editis clamoribus, miſſis per regionem præconibus, qui clamando invitarent.

FILII ISRAEL IN MASPHA CASTRAMETATI SUNT, in Maſpha ſcilicet Galaad, ad fontes torrentis Jaboc, in medio ferme longitudinis montium Galaad. Urbis Maſphæ frequens mentio recurrit. Vide quæ de illa contulimus in Joſue XI. 3. & XIII. 26.

℣. 18. QUI PRIMUS EX NOBIS CONTRA FILIOS AMMON CŒPERIT DIMICARE, ERIT DUX POPULI GALAAD. Non honorem modo & dignitatem Ducis in eo bello, ſed principis etiam in univerſam gentem toto vitæ tempore offerunt viro, qui primus arma intulerit in Ammonitas; eodem ferme conſilio ac quo, poſt deceſſum Joſue, Dominum conſuluerunt univerſæ Tribus, quis primus bellum in Chananæos aggrederetur (15). In his expeditionibus maximum eſt diſcrimen illius, qui omnium primus hoſtes aggreditur, ſumma enim rerum ponitur in primo impetu, primoque ardore, quo quis in hoſtes invehitur; vel conſtantia, qua primus hoſtium impetus ſuſtinetur. Qui primus ſeſe offerebat, viam inſtruebat cæteris: ex eo proſper ſive infelix prælii eventus: prælia vero ut plurimum rem ſtatim decernebant; his enim bellis, de quibus in hoc Libro, breviſſima erat periodus, duorum vel trium dierum, interdum unius menſis; ſemper tamen intra breviſſimum temporis ſpatium, ſi cum iis compares, quæ ſuccedentia deinde tempora induxerunt. Plurima veritatis ſpecie judicamus, ex hiſce Principibus Galaadi neminem auſum fuiſſe primum manum conferere in Ammonitas, cum in capite ſequenti armorum imperium Jephte delatum narretur.

(1) Euſeb. Geneb. ex tradit. Heb. (2) Judic. IV. (3) Num. XXI. (4) Judic. III. 13. (5) Judic. III. 31. (6) Judic. III. 3. (7) Judic. III. 13. (8) Judic. V. 3. (9) Joſue XXIII. 13. (10) 1. Paral. IV. 40. 41. Vide & 2. Par. XXVI. 7. (11) Strab. l. 16. (12) Diod. l. 3. c. 42. (13) ותקצר נפשו בעמל ישראל Septuag. ὠλιγοψύχησεν ἐν τῷ κόπῳ Ἰσραήλ. (14) Vide Vatab. Druſ. &c. (15) Judic. I. 1.

CA-

CAPUT XI.

Jephte electus in Ducem Iſraelitarum, prælium init cum Ammonitis, quos vincit & fugat. Cum voto ſeſe obſtrinxiſſet, ſe Deo rem illam oblaturum, quæ prima e domo ſuà egrederetur, voti illius religionis obſtrictum ſe ad ſacrificandam filiam ſuam Domino judicat.

℣. 1. FUit illo tempore Jephte Galaadites vir fortiſſimus, atque pugnator, filius
mulieris meretricis, qui natus eſt de Galaad. 2. Habuit autem Galaad uxo-
rem, de qua ſuſcepit filios, qui poſtquam creverant, ejecerunt Jephte, dicentes: Hæ-
res in domo patris noſtri eſſe non poteris, quia de altera matre natus es. 3. Quos
ille fugiens, atque devitans, habitavit in Terra Tob: congregatique ſunt ad eum viri
inopes, & latrocinantes, & quaſi Principem ſequebantur. 4. In illis diebus pugna-
bant filii Ammon contra Iſrael. 5. Quibus acriter inſtantibus, perrexerunt majores
natu de Galaad, ut tollerent in auxilium ſui Jephte de Terra Tob: 6. Dixerunt-
que ad eum: Veni, & eſto princeps noſter, & pugna contra filios Ammon. 7. Qui-
bus ille reſpondit: Nonne vos eſtis, qui odiſtis me, & ejeciſtis de domo patris mei,
& nunc veniſtis ad me neceſſitate compulſi? 8. Dixeruntque principes Galaad ad Je-
phte: Ob hanc igitur cauſam nunc ad te venimus, ut proficiſcaris nobiſcum, & pu-
gnes contra filios Ammon, ſiſque dux omnium, qui habitant in Galaad. 9. Jephte
quoque dixit eis: Si vere veniſtis ad me, ut pugnem pro vobis contra filios Am-
mon, tradideritque eos Dominus in manus meas, ego ero veſter princeps? 10. Qui
reſponderunt ei: Dominus, qui hæc audit, ipſe mediator, ac teſtis eſt: quod noſtra
promiſſa faciemus. 11. Abiit itaque Jephte cum principibus Galaad, fecitque eum A. M. 2817. ante J. Ch. 1187.
omnis populus principem ſui. Locutuſque eſt Jephte omnes ſermones ſuos coram Do-
mino in Maſpha. 12. Et miſit nuntios ad regem filiorum Ammon, qui ex perſona
ſua dicerent: Quid mihi, & tibi eſt, quia veniſti contra me, ut vaſtares terram meam?
13. Quibus ille reſpondit: Quia tulit Iſrael terram meam, quando aſcendit de Ægy-
pto, a finibus Arnon, uſque Jeboc, atque Jordanem: nunc ergo cum pace redde mi-
hi eam. 14. Per quos rurſum mandavit Jephte, & imperavit eis, ut dicerent regi
Ammon: 15. Hæc dicit Jephte: Non tulit Iſrael Terram Moab, nec Terram filio-
rum Ammon: 16. Sed quando de Ægypto conſcenderunt, ambulavit per ſolitudi-
nem uſque ad Mare rubrum, & venit in Cades. 17. Miſitque nuntios ad regem
Edom, dicens: Dimitte me, ut tranſeam per terram tuam: qui noluit acquieſcere
precibus ejus. Miſit quoque ad regem Moab, qui & ipſe tranſitum præbere contem-
pſit. Manſit itaque in Cades. 18. Et circuivit ex latere Terram Edom, & Terram
Moab, venitque contra Orientalem plagam terræ Moab, & caſtrametatus eſt trans
Arnon: nec voluit intrare terminos Moab: Arnon quippe confinium eſt Terræ Moab.
19. Miſit itaque Iſrael nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in He-
ſebon, & dixerunt ei: Dimitte, ut tranſeam per terram tuam uſque ad fluvium.
20. Qui & ipſe Iſrael verba deſpiciens, non dimiſit eum tranſire per terminos ſuos:
ſed infinita multitudine congregata, egreſſus eſt contra eum in Jaſa, & fortiter reſi-
ſtebat. 21. Tradiditque eum Dominus in manu Iſrael cum omni exercitu ſuo, qui
percuſſit eum, & poſſedit omnem Terram Amorrhæi habitatoris regionis illius. 22.
Et univerſos fines ejus, de Arnon uſque Jaboc, & de ſolitudine uſque ad Jordanem.
23. Dominus ergo Deus Iſrael ſubvertit Amorrhæum pugnante contra illum populo
ſuo Iſrael, & tu nunc vis poſſidere terram ejus? 24. Nonne ea, quæ poſſidet Cha-
mos deus tuus, tibi jure debentur? Quæ autem Dominus Deus noſter victor obtinuit,
in noſtram cedent poſſeſſionem: 25. Niſi forte melior es Balac filio Sephor rege Moab;
aut docere potes, quod jurgatus ſit contra Iſrael, & pugnaverit contra eum, 26.
Quando habitavit in Heſebon, & viculis ejus, & in Aroer, & villis illius, vel in
cunctis civitatibus juxta Jordanem, per trecentos annos. Quare tanto tempore nihil
ſuper hac repetitione tentaſtis? 27. Igitur non ego pecco in te, ſed tu contra me
male agis, indicens mihi bella non juſta. Judicet Dominus arbiter hujus diei, inter
Iſrael, & inter filios Ammon. 28. Noluitque acquieſcere rex filiorum Ammon ver-
bis Jephte, quæ per nuntios mandaverat. 29. Factus eſt ergo ſuper Jephte Spiritus
Domi-

Domini, & circuiens Galaad, & Manaſſe, Maſpha quoque Galaad, & inde tranſiens
ad filios Ammon, 30. Votum vovit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in
manus meas, 31. Quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihi-
que occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Do-
mino. 32. Tranſivitque Jephte ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos: quos tra-
didit Dominus in manus ejus. 33. Percuſſitque ab Aroer uſque dum venias in Men-
nith, viginti civitates, & uſque ad Abel, quæ eſt vineis conſita, plaga magna ni-
mis, humiliatique ſunt filii Ammon a filiis Iſrael. 34. Revertente autem Jephte in
Maſpha domum ſuam, occurrit ei unigenita filia ſua cum tympanis, & choris: non
enim habebat alios liberos. 35. Qua viſa, ſcidit veſtimenta ſua, & ait: Heu me,
filia mea, decepiſti me, & ipſa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum,
& aliud facere non potero. 36. Cui illa reſpondit: Pater mi, ſi aperuiſti os tuum
ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, conceſſa tibi ultione atque victo-
riæ de hoſtibus tuis. 37. Dixitque ad patrem: Hoc ſolum mihi præſta, quod depre-
cor: Dimitte me, ut duobus menſibus circumeam montes, & plangam virginitatem
meam cum ſodalibus meis. 38. Cui ille reſpondit: Vade. Et dimiſit eam duobus
menſibus. Cumque abiiſſet cum ſociis, ac ſodalibus ſuis, flebat virginitatem ſuam in
montibus. 39. Expletiſque duobus menſibus, reverſa eſt ad patrem ſuum, & fecit
ei, ſicut voverat, quæ ignorabat, virum. Exinde mos increbuit in Iſrael, & conſue-
tudo ſervata eſt: 40. Ut poſt anni circulum conveniant in unum filiæ Iſrael, & plan-
gant filiam Jephte Galaaditæ diebus quatuor.

℣. 1. JEPHTE GALAADITES FILIUS MULIERIS MERETRICIS. In præcedenti capite peſſimus rerum Iſraeliticarum ſtatus in regione Galaaditica, expoſitus eſt. Ammonitæ in regionem irrumpentes, totam late depopulabantur: Iſraelitæ vero viribus & virtute deſtituti, reſiſtendo impares erant. Afflictis rebus relevandis, Deus excitat hic Liberatorem, nimirum inclytum Jephte, delatumque illi a populo imperium authoritate ſua comprobat. Originem referebat Jephte e Maſpha Galaad, patremque habuit virum Galaaditam, & fœminam concubinam (1), ideſt, juxta nonnullos, proſtitutam & meretricam; juxta alios vero (2), mulierem non ſolemni matrimonio ductam, abſque maritali ſyngrapha, abſque dote, adeoque præter conditionem tranſmittendi in filios hæreditatem. Malunt alii hanc alienam gente fuiſſe mulierem (3), ac ex illarum numero, quibuſcum inire connubia Hebræis interdictum erat. Hebræum *Zona* redditur plerumque a Chaldæo *cauponaria*; cenſetque Joſephus (4), exteram fuiſſe mulierem, quam Galaad in domum ſuam exceperit. Illud conſtat, matrem Jephte meretricium non exercuiſſe, morabatur enim in ædibus viri ſui, cum Jephte filio ſuo; idemque Jephte e domo patris ſui pulſus, de accepta hac injuria queritur. Pertinebat facile ad Tribum Manaſſe, ut inferius conſtabit. Regionem Galaaditicam frequentabat dimidia Tribus Manaſſe, transjordanica, & Tribus Gad.

Docent Hebræi (5), moribus ipſorum receptum fuiſſe, ut filii concubinæ, quæ legis jugum ſubiiſſet, quæque nec aliena eſſet, nec ancilla, in hæreditatem una cum cæteris fratribus venirent; ad filios vero ex aliena uxore, vel ex profana, vel ex fœmina alterius Tribus natos, paternam hæreditatem non pervenire: ſequi filios qualitatem & conditionem matrum, ac lege interdici, ne latifundia & hæreditates diverſarum Tribuum inter ſe miſceantur.

Rabbinicam hanc doctrinam evertere hæc potiſſimum exempla videntur. Abraham Dei juſſu Iſmaelem domo expulit, ac munera largitus eſt filiis Cethuræ. Filii Jacobi omnes, tum qui ex Lia & Rachele, tum qui ex ancillis nati ſunt, hæreditatis aſſem inter ſe ex æquo diſtribuerunt. Nulla peculiari lege decernit Moyſes de ſucceſſione filiorum, qui extra legitimum connubium nati ſunt; e ſcorto vero genitos ab Eccleſia Dei excludit (6). Querelæ Jephte in Principes Galaadi, qui ſe pulſum domo patris ſui non defenderunt, argumento ſunt non obſcuro, peccatum fuiſſe ea re adverſus commones regionis leges, nec jure denegari illi ſaltem potuiſſe ſufficientem vitæ alimoniam, quoadúſque ſibi neceſſaria comparare per ætatem poſſet (7). Nunquam dolet ille, quod ab hæreditate & ſucceſſione patris amotus ſit. Sæpe alias monuimus, ſuſpecta haberi oportere axiomata juriſprudentiæ Rabbinicæ, niſi legibus, vel exemplis Scripturæ fulciantur. Olim apud Græcos nati ex uxore alterius quam maritus urbis, minime legitimi habebantur (8).

℣. 3. HABITAVIT IN TERRA TOB. Terra Tob in plaga ſeptemtrionali Galaaditidis, cujus erat portio, jacebat, teſte Joſepho (9). Notiſſima eſt in Scriptura regio (10); appellaturque in Macchabæis *Tubim*, & incolæ illius Judæi *Tubianæi* (11).

CONGREGATIQUE SUNT AD EUM VIRI INOPES ET LATROCINANTES. Textus hic exhibet inopem principem latronum, rapto & præda viventium, viribuſque ſuis abutentium ad opprimendos imbecilles. Ita de Jephte ſentit vetus Scriptor (12). Conantur vero alii eam invidiam ab Jephte amoliri. Cenſent quidam, ejus aſſeclas primo quidem viarum graſſatores fuiſſe; ut vero illi ſeſe addixerunt, nonniſi juſto bello vires ſuas exercuiſſe. Animadvertunt alii, latronum nomen non ſemper eamdem ſubiiſſe invidiam, ac hodie apud nos. Id nominis uſurpabatur olim de militibus, iis præſertim, qui nomen ſuum dabant militiæ ea con-

(1) יפתח הגלעדי בן אשה זונה (2) Rab. David, Druſ. Munſt. Var. Cornel. (3) Ita Joſeph. Grot. alii, & infra, ℣. 2. *Quia de altera matre natus es.* (4) Joſeph. Antiquit. l. 5. c. 9. (5) Vide Druſ. hic, & Grot. & Selden. de ſucceſſ. in bona l. 1. c. 3. (6) Deut. xxiii. 2. *Non ingreditur Mamzer*, hoc eſt, de ſcorto natus, *in Eccleſiam Domini, uſque ad decimam generationem.* (7) Vide Serar. (8) Ariſtophan. in Avib. Grot. de jure Belli & Pac. l. 2. cap. 5. art. 15. (9) Lib. 5. Antiquit. c. 9. (10) 2. Reg. x. 6. (11) 1. Macc. v. 13. & 2. Macc. xii. 17. (12) Auth. quæſt. in Vetus Teſt. ſub nomine Auguſtini, qu. 41.

conditione ut viverent ex iis, quæ viribus ſuis raperent hoſti (1). *Latrocinatus annos decem mercedem accipio*, ait quidam. Et alibi: *Rex Seleucus me opere oravit maxumo, ut ſibi latrones cogerem & conſcriberem*.

Occurret inferius legentibus David (2) cum adjuncta manu hominum nihilo honeſtiorum, quam qui hic ſub Jephte merent. Nec Hebræus nec Septuaginta de latronibus quidquam habent. Ferunt tantum, Jephte collegiſſe ad ſe *homines vacuos*, *pauperes* vel *otioſos* (3) [eadem eſt vox, quam expoſuimus ſupra capite IX. 4. agentes de Abimelecho] & *homines illos egreſſos fuiſſe cum eo*. Sequebantur euntem illum, & ſub ejus ſignis militabant.

℣. 4. In illis diebus pugnabant filii Ammon contra Israel. Poſt exhibitum oculis Lectorum Jephte, revocat nos ſacer Hiſtoricus ad bellum Ammonitarum in Galaaditas; cujus narrationem in præcedenti Capite exorſus fuerat. Ammonitæ igitur invaſerant regionem Galaaditicam; & Iſraelitæ caſtra habebant ad Maſpham. Porro Iſraelitæ poſt tentatam fruſtra ambitionem virorum totius exercitus Principum, oblata ſuprema imperii dignitate illi, qui primus hoſtes aggrederetur, ſtatuerunt denique adſciſcere Jephte gentilem ſuum, cujus exploratam habebant virtutem, quique virorum audaciſſimorum manum apud ſe habebat.

℣. 5. Quibus acriter instantibus. Innui his verbis videtur, collatas fuiſſe utrimque manus, vel ſaltem Ammonitas inſtitiſſe adeo Iſraelitis, ut pugna vitari non poſſet. Sed Hebræus hujus verſiculi & præcedentis fert ſolum [℣. 4.]: *Et fuit poſt illud tempus, & pugnaverunt filii Ammon cum Iſrael*: [℣. 5.] *Et fuit cum pugnarent filii Ammon cum Iſrael, iverunt ſeniores Galaad ad capiendum Jephte de terra Tob*. Mox (4) patebit, Ammonitas hoſtilia tantum in regione exercuiſſe; nec facile hoc anno idem inferebant malum, quod annis ſuperioribus.

℣. 7. Nonne vos estis qui odistis me, et ejecistis de domo patris mei? Inter eos qui virum invitaturi venerant, fortaſſe aliquis fuit e fratribus Jephte, qui e paternis ædibus illum expulerant; licet vero nonnulli aliquis ex Optimatibus populi adfuiſſet, merito hæc Jephte exprobraſſet, cum eam injuriam ab eo non avertiſſent, quin & ſilentio ſuo, & forte etiam judiciali ſententia, comprobaſſent.

℣. 8. Ob hanc igitur causam, ut illata tibi injuria reparetur; ſeu potius, ut nos liberes oppreſſione ac vexatione Ammonitarum. Hebræus (5): *Idcirco nunc reverſi ſumus ad te, & ibis nobiſcum*.

℣. 11. Fecit eum omnis populus principem sui. Statim delatum eſt illi ſummum imperium in exercitum, & præſtita fides, ut poſt confectum feliciter bellum, in Principem ſeu Judicem agnoſcendus eſſet.

Locutusque est Jephte omnes sermones suos coram Domino in Maspha. Conditiones, quibus venerat, palam populo expoſuit; illorum ſervitio ſeſe addicens, ſecuritatis pignus ab eis exegit; optimam ſua ſententia abſolvendi belli rationem propoſuit: denique mentem aperuit ſuam in conſeſſu, in quo nomen Domini invocatum eſt; vel mutuam fidem obligarunt jurejurando, coram Deo teſte. Actum eſt hoc in Maſpha Galaadi, ubi Iſraelitarum caſtra conſediſſe, ex capite præcedenti ℣. 17. diſcimus.

℣. 12. Quid mihi et tibi est? Quid te movet ut in me arma moveas? Quæ tibi querelarum adverſus me cauſa eſt? Quid diſſidii inter nos? Rarum hic exhibet Jephte prudentiæ ſpecimen ac moderationis, majoris quam expectaretur ab homine, qui inter arma & bellicos tumultus educatus fuerit.

℣. 15. Non tulit Israel terram Moab, nec terram filiorum Ammon. Ammonitæ dato reſponſo accuſaverant Iſraelitas uſurpatæ totius regionis *a finibus Arnon uſque Jaboc atque Jordanem*, quo terrarum ſpatio continetur non regio Ammonitarum modo, ſed & Moabitarum: reſpondet igitur Jephte, nihil rapuiſſe Iſraelitas Ammonitis ſeu Moabitis. Urget autem potiſſimum ea, quæ de Moabitica regione objecta erant: quod cauſatio eſſet præcipua & prætextus hoſtium movendis armis. Quamquam, ut vera fateamur, aliena ſatis hæc videntur a præſenti quæſtione; Moabitarum enim ditio longe alia erat ab Ammonitide, nec Galaaditæ regiones occupabant, quæ olim Moabitis paruiſſent; illæ enim Rubenitis ceſſerant.

Veri tamen ſimillimum eſt, hoſtilem exercitum coaluiſſe ex Ammonitis & Moabitis, quæ duæ gentes fraterno inter ſe vinculo conjunctæ, communes fortaſſe habebant inter ſe res; quemadmodum Hebræi omnes Transjordanici uno erant inter ſe fœdere conjuncti, & alter alterius jura atque ditionem tuebantur. Nec ſatis etiam conſtat, utrum Moabitis tunc ſuus peculiaris Rex imperaret: poſt cladem Eglonis eorum Regis nuſpiam hæc gens inter hoſtes Hebræorum videtur; uni Ammonitæ commemorantur. E Regibus Moabitarum poſt Eglonem primus, quem legas, Davidis ætate vivebat; & Jephte infra ita agit cum Rege Ammonitarum, quaſi idem Rex eſſet Moab, & Balaci ſucceſſor (6). Non abs re igitur ſuſpicamur, Ammonitas, poſt obitum Eglonis Regis Moabitarum, regionem illam invaſiſſe, quam & tunc pariter poſſiderent, cum Jephte adverſarium ſenſerunt.

℣. 16. Ambulavit per solitudinem usque ad mare Rubrum. Non meminit hic primi illius adventus Iſraelitarum ad litus maris Rubri, quatriduo poſt exitum ab Ægypto, ſed profectionis illorum, recta contendentium ad fretum illud, ad Aſiongaber, poſt tentatum fruſtra aditum in Chanaanitidem per montes. Ex Aſiongaber regreſſi ſunt in Cadesbarne, unde Moyſes miſſis nunciis, petiit a Regibus Edom & Moabitarum tranſitum per ditionem utriuſque, a quibus repulſam paſſus eſt. Aperte quidem non narrat Moyſes legatos ad Regem Moab viros: ſatis tamen innuit, ſe tranſitum re ipſa a Moabitis petiiſſe, narrans acceptam a Deo juſſionem, ut a bello in Idumæos & Moabitas abſtineret (7). De his omnibus ita hic agit Jephte cum Ammonitis, tamquam de rebus unicuique compertis & exploratis.

℣. 20. Egressus est in Jasa. Urbs eſt Regni Sehonis, ad orientem Heſebonis, circa torrentem Arnon, ad quem Hebræorum caſtra conſederant.

℣. 22. De solitudine usque ad Jordanem. Ab Arabia deſerta ad orientem, adusque Jordanem, ad occidentem.

℣. 23. Deus Israel subvertit Amorrhæum, pugnante contra illum populo suo Israel: et tu nunc vis possidere terram ejus? idest, vel regionem Moabiticam, vel Sehonis, vel populi Iſraelis; unus enim eſt idemque terrarum tractus: hunc modo tenebant Iſraelitæ, qui juſto bello illum rapuerant Sehoni: antea vero Moabitis paruerat. Ammonitarum accuſationibus reſpondet, cauſantium Moyſem uſurpaſſe regiones ſuas, eaſdem nempe, quas tunc Iſraelitæ trans Jordanem poſſidebant: relataque vera hujus victoriæ narratione, Iſraelitis ſcilicet Deum interdixiſſe, ne arma in Moabitas vel Ammonitas ferrent, orationem denique eo ducit, ut probet, nullo jure A-

mor-

(1) Vide Plaut. in Milite. (2) 1. Reg. XXII. 2. *Convenerunt ad eum omnes qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno*. Vide & 1. Reg. XXVII. 8. 9. (3) אנשים ריקים ויצאו עמו Septuag. Alex. & Ald. ἄνδρες κενοί. Vatican. λιτοί. (4) ℣. 11. 12. 13. (5) לכן עתה שבנו אליך והלכת עמנו (6) ℣. 25. *Niſi forte melior es Balac filio Sephor Rege Moab*, &c. (7) Deut. II. 8. 9.

morrhæos repetere poſſe ex Hebræis, quæ illi juſto bello acquiſierant: id autem tribus argumentis evincit; primo, Iſraeliras juſto bello hæc ſibi vindicaſſe; ſecundo, tradente ſibi Deo hæc accepiſſe; tertio, jam inde a trecentis annis poſſidere. Singula hæc Jephte argumenta modo expendenda ſunt.

Convenit inter omnes, jus acquiſitionis in bello juſto titulum eſſe poſſidendi legitimum (1): *Quæ ex hoſtibus capiuntur, jure gentium ſtatim capientium fiunt* (2). Quare veriſſimum eſt illud Grotii: *Cepiſſe rem is intelligitur, qui ita retinet, ut recuperandi ſpem probabilem alter amiſerit*. Negotii tamen faceſſere poteſt nonnihil, ſi quid rapiatur ex uſurpatoris, non ex legitimi poſſeſſoris manibus. Num prædonibus erepta vindicare nobis poſſumus? An qui aliquid capit ex alio, plus ſibi juris in illud vindicat, quam alter, ex quo captum eſt? Religioni duxit Abraham (3) ea retinere, quæ ex Codorlahomore & fœderatis retulerant; erant enim præda Sodomitis rapta. Demoſthenes non obſcure definit (4), neminem defendere poſſe, jure ea poſſideri, quæ quis e manibus prædonum eripuit. Quomodo igitur Jephte jure poſſideri aſſerit ab Hebræis terras ex Sehone Rege Amorrhæorum captas, quas ille per injuriam Ammonitis ereptas uſurpaverat?

Reſpondemus, agi hic tantum de jure acquiſitionis, non rapinæ, non uſurpationis; atque contendimus, bellum, modo publicum & ſolemne & juxta leges indictum, ſatis inferre juris in victorem, ut exterius dominium imperiumque in rem acquiſitam exerceat: & ſi quis victorem hunc re acquiſita, indicto bello, ſpoliet, legitimum in eam imperium ad ſe transfert, nec prioribus dominis jus eſt ullum ea ſibi revendicandi, quæ olim tenuerant. Jus hoc gentium urget Jephte, omiſſo examine, utrum bellum illud Sehonis in Moabitas juſte an ſecus actum fuerit: id illi ſatis fuit, quod Sehon ea pacifica poſſeſſione, juſte bello parta, tenuerit, quo tempore Moyſes regionem illius aggreſſus eſt, ut Iſraelitis illam ſubmitteret. Iſraelitæ vero, juſto bello pugnantes, illum Regno ſuo ſpoliarunt, atque ad ſe tranſtulere, quin quicquam contra reponere Moabitæ poſſent. Eodem jure David retinuit prædam, quam rapuit Amalecitis (5), qui eamdem egerant e Palæſtina. Fas erat Abrahamo retinere partam e Codorlahomore prædam; eoque jure uſurum illum reputavit Rex Sodomæ, cum poſtulaverit tantum reductos ex hoſtibus captivos, cætera illi reliquerit (6). Crebra ſunt apud hiſtoricos exempla, quæ hoc jus victorum defendunt (7): quam in rem pariter ſententiæ & uſus Græcorum ac Romanorum conveniunt.

Alterum argumentum, quo Jephte tuetur poſſeſſionem regionis transjordanicæ, nullam patitur reſponſionem. Ducitur illud e ſupremo jure Dei in omnia mortalium bona: fas utique eſt Numini dominium & poſſeſſionem terrarum transferre ad arbitrium, atque alteri ablatum, alteri tradere, ut nulla ea de re querendi ratio ſuperſit.

Cum tamen Ammonitæ reſpondere potuiſſent, Deum Iſtaelitarum pro Numine a ſe non haberi, nullaque proinde religione teneri ſe, ut ſupremum jus decernendi de bonis ſuis in illo agnoſcerent; objectionem hanc ita occupat Jephte ℣. 24. *Nonne ea quæ poſſidet Chamos Deus tuus, tibi jure debentur? quæ autem Dominus Deus noſter victor obtinuit, in noſtram cedent poſſeſſionem.* Jus victoriæ juri alteri conceſſionis Domini ad abundantiam addit.

Tertium denique Jephte argumentum e præſcriptione & poſſeſſione per trecentos annos petitur. Ut juſta præſcriptionis cauſa conſtituatur, dolus malus abſit, & non interrupta vel turbata poſſeſſio adſit in eo, qui rem tenet, neceſſe eſt. Porro Iſraelitæ ſpatio trecentorum annorum regionem illam tenuerant, minime reluctantibus Amorrhæis, qui deleti fuerant, neque Moabitis, qui cum regionem illam coram ſe capi cernerent, quieti omnia ſpectarunt: nec Balac tunc apud Moabitas regnans, neque poſt illum Reges jus illud ſuum urgere unquam curarunt. Bona igitur & ſincera fide, ſi quis alius unquam, Hebræi poſſidebant. Nunquam finis ſtatueretur diſſidiis hominum, niſi diuturni temporis poſſeſſio juſtum titulum conſervandi bona ſua inferret. Porro hæc lex, qua tranquillitas familiarum in hæreditatibus ſuis aſſeritur, aſſerit pariter publicam pacem & quietem imperiis & nationibus (8).

℣. 24. Nonne ea quæ possidet Chamos Deus tuus, tibi jure debentur? Quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem. Textus Hebræus commode alium ſenſum admittit (9): *Nonne poſſidebis tu illum, quem Chamos Deus tuus e regione ſua depulerit; nos autem non poſſidebimus omnia, quæ Dominus Deus noſter depulit coram nobis?* Si vos Ammonitæ & Moabitæ jure poſſidere creditis regionem, e qua Deus veſter priſtinos habitatores expulit, ut vobis locum faceret; cur eodem privilegio nos uti poſſe negatis, ut poſſideamus regionem, cujus dominium Deus noſter nobis tradidit, deletis priſtinis ejus habitatoribus? Animadvertere hic juvat, Ammonitas & Moabitas hæreditatem Emæis hoſtibus ſuis ereptam ad ſe tranſtuliſſe, uti Moyſes non obſcure aſſerit in Deuteronomio (10). Accommodat ſe Jephte prejudiciis Ammonitarum, ſeu potius Moabitarum, aſſerens, regionem illam munere *Chamos* Dei ſui illos poſſidere; illum quidem Deum eſſe non credit, ſed ea ſermonis figura, quæ Conceſſio appellatur, id admittit, quod gens illa certum eſſe arbitratur. Eſt autem Chamos Deus Moabitarum, uti Scripturæ non unico teſtimonio comprobatur (11).

℣. 25. Aut docere potes, quod jurgatus sit contra Israel, et pugnaverit contra eum. Si Hebræi Amorrhæorum regionem invaſiſſent, inſciis vel abſentibus Moabitis, reponi forte potuiſſet, Moabitas, cum nihil de ejuſmodi Hebræorum victoria noſſent, vindicare ſibi non potuiſſe hæreditatem hanc ſuam, quam ſibi antea Sehon eripuerat. Sed Balac filius Sephor, Rex Moabitarum, teſtis adfuit bello Moyſis in Amorrhæos; quietus tamen omnia ſpectavit, nihil movit contra, continuit ſe ab armis, nec conqueſtus eſt unquam de facta per Moyſem diſtributione ejus regionis, quæ olim Moabitis paruerat. Audiendi ne igitur hodie ſunt Ammonitæ, poſtulantes reddi ſibi ab Jephte eam regionem, quam olim veteres Moabitæ deſeruerunt?

At enim quomodo Balac quietus ab armis in Iſraelitas ſe continuit, ſi in Joſue xxiv. 9. legimus: *Surrexit Balac filius Sephor; & pugnavit contra Iſraelem?* Reponimus, Balacum non cruento bello populum Dei invaſiſſe, ſed pugnaſſe odio, invidia, livore; accivit ad ſe Balaamum ariolum, ut diris Hebræos devoveret; ſtimulis quidem odii urgebatur ad inferenda in illos arma, ſed metu vi-

(1) Grot. de jure Belli & Pac. lib. 3. c. 6. art. 2. (2) Caj. Juriſconſul. apud eumdem. (3) Geneſ. xiv. 22. 23. (4) Demoſth. orat. de Haloneſo. Ὁ δὲ τὰς λῃστὰς τιμωρησάμενος καὶ κρατήσας, ἐκ ὧν δίκαια λέγει, εἰ φησὶν, ἃ ἐκεῖνοι ἀδίκως καὶ ἀλλότρια εἶχον, ταῦτα αὐτοῦ γίγνεσθαι. (5) 1. Reg. xxx. 20. (6) Geneſ. xiv. 21. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* (7) Vide Grot. lib. de jure Belli & Pac. lib. 3. cap. 6. art. 7. (8) Vide Grot. hic, & lib. 2. cap. 4. de jure Bel. & Pac. (9) הלא את אשר יורישך כמוש אלהיך אותו תירש ואת כל אשר הוריש יהוה אלהינו מפנינו אותו נירש (10) Deut. ii. 10. *Emim primi fuerunt habitatores ejus, populus magnus & validus.* (11) Num. xxi. 29. 3. Reg. xi. 7. 33. & 4. Reg. xxiii. 13. & Jerem. xlviii. 13. 46. &c.

virium hoſtilium coercebatur. Cauſa vero confugiendi ad artes Balaami non ea quidem fuit, ut hæreditatem ſuam e manibus Iſraelitarum eriperet, ſed potius quod metueret, ne verſis in ſe illorum armis, regione ſua ſpoliaretur. Ita enim mentem ſuam aperit Senioribus Madian (1): *Ita delebit hic populus omnes, qui in noſtris finibus commorantur, quomodo ſolet bos herbas uſque ad radices carpere.* Et ad Balaamum locutus, *Populus*, ait, *qui egreſſus eſt de Ægypto, operuit ſuperficiem terræ: veni & maledic ei*. Optime norat Balac, revera quidem Iſraelitas juſto bello arma in ſe movere potuiſſe; id enim ſibi promeruerat negato per ditionem ſuam tranſitu, atque optimum factu cenſuit, ut cautionibus ſe præmuniret in Hebræos, ſi forte aditum in ditionem ſuam tentarent: quare armavit copias, & ariolum accivit. Eo ſpectavit Joſue verbis illis: *Pugnavit contra Iſraelem.*

℣. 26. Per trecentos annos. Non una eſt ratio trecentos hoſce annos ſupputandi; nulla tamen rotundam trecentorum annorum periodum reddit. Numerant Hebræi (2) annos cccxciv. Qui ducendam hanc periodum credunt ab egreſſu de Ægypto, addunt quinque vel ſex annos ſupra trecentos. Quam ſequimur, ſupputatio reddit ducentos ſexaginta quatuor, vel ſexaginta quinque annos. Convenit inter eruditiſſimos (3). Jephte periodum hanc accurate non definiiſſe, ſed deſignare tantum voluiſſe ſpatium temporis circiter, quod a bello in Sehonem ad id uſque excurrerat.

℣. 27. Judicet Dominus arbiter hujus diei inter Israel, et inter filios Ammon. Hebræus (4): *Judicabit Dominus, judicabit hodie inter filios Iſrael, & inter filios Ammon.* Jephta juſtum Principem agens, nihil intentatum relinquit ad pacem componendam, antequam arma moveat, perſuaſus bellum ſuſcipi non oportere, niſi juſta de cauſa, atque ut graviora mala evitentur. Indicit Ammonitis Dei judicium, ſi ipſorum culpa ad bellum deveniatur.

℣. 29. Factus est super Jephte spiritus Domini. Afflavit illum ſpiritu ſapientiæ, fortitudinis, conſilii; addidit ſcientiam & gratiam muneri gerendo neceſſariam.

Circumiens Galaad et Manasse, Maspha quoque Galaad, et inde transiens ad filios Ammon. Jephte, ut copias colligeret, quibus ſe compararet ad arma in Ammonitas inferenda, excurrit provincias, quas cum perſecutionis onus magis premeret, e re pariter illarum magis erat ut hoſtes repellerent. Movens igitur a Maſpha Galaad, quo totius populi coetus convenerat, & ubi caſtra habebant Iſraelitæ (5), percurrit totam Tribum Gad, totamque ab ea poſſeſſam Galaaditidem: ad hæc, ditionem dimidiæ Tribus Manaſſe tranjordanicæ; quibus omnibus obitis, regreſſus eſt Maſpha, & prælium commiſit. Hunc ſenſum offert Hebræus (6): *Tranſivit ad Galaad & Manaſſe; & tranſivit ad Maſpha Galaad, & de Maſpha Galaad tranſivit ad filios Ammon.* Ex capite ſequenti patebit, ſuppetias pariter illum poſtulaſſe a Tribu Ephraim (7).

℣. 31. Quicumque primus egressus fuerit de foribus domus meæ ... eum holocaustum offeram Domino. Peculiari Diſſertatione de voto hoc Jephte quæſtionem excuſſimus, in fronte hujus Libri.

℣. 33. Percussit ab Aroer usque dum venias in Mennith. Collectas in Maſpha Galaad copias Jephte duxit in hoſtes ad Aroer, urbem Tribus Gad, ad Arnon; commiſſoque prælio, fudit fugavitque uſque Mennith, abſentem quater mille paſſibus ab Heſebone, Rabbath verſus filiorum Ammon, vel Philadelphiam, & e Rabbath inſtitit adhuc fugientibus uſque ad Abel, vel Abilam vinearum.

Viginti civitates usque ad Abel, quæ est vineis consita. Abel eximiis vineis celebratiſſima, ſtatuitur ab Joſepho & S. Hieronymo, xii. m. paſſibus a *Gadara*, ad orientem. Erat autem Gadara, ætate Joſephi (8), ex urbibus Decapoleos, & Metropolis Perææ, aberatque, eodem authore, ſexaginta ſtadiis a Tiberiade, & triginta ab Hippo. Quare putandum eſt, Jephte inſtitiſſe fugientibus Ammonitis ab Aroer uſque ad *Abel*, e meridie ad ſeptemtrionem, tractu itineris viginti leucarum circiter, & inter eundem viginti illorum urbes evertiſſe. Arbitratur Cellarius (9), urbem *Mennith* appellatam fuiſſe *Minnith viginti urbium*; quemadmodum e. g. dicitur Philadelphia Decapoleos. Per exaggerationem autem dictum credit, Jephte viginti hoſtiles urbes evertiſſe; quaſi neceſſe ſit reputare, hæc hoſtibus mala una die, ac non potius toto hujus belli tempore intuliſſe.

℣. 34. Occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis, et choris. Vero ſimillime cenſemus, votum hoc Jephte ſecretum fuiſſe; nulla enim cautio occupata eſt, ne quid illi occurreret, quod invitum cogere poſſet ad fidem ſuam exſolvendam. Nata ex eo filia, uti in his rebus accidit, obviam venit, cum ingenti fœminarum comitatu, canens choreaſque ducens ad concentum tympanorum, vel muſicorum quorumdam minorum tympanorum ex ære, eadem forma, ſed minori, ac noſtra crepitacula. His cum lætitiæ argumentis fœminæ & puellæ occurrerunt obviam Sauli ac Davidi poſt relatam de Philiſtæis & Goliath victoriam (10).

℣. 35. Heu me, filia mi! decepisti me, et ipsa decepta es! Quid neceſſe fuit, ut mihi obviam prima procurreres? Ego quidem expectatione mea deceptus ſum, tu vero gravius decepta es; triſte enim nuncium auditura es a me, nempe devotam te eſſe Domino. Hebræus varie redditur (11): *Dejeciſti me*, humiliaſti, evertiſti, *& tu pariter inter eos es, qui me turbarunt*. Victor ego ex hoſtibus meis regredior; ſimul tamen triſti meo fato, te primam obviam habens, vincor. Aliter: Tu me turbaſti, & quodammodo contra me cum meis hoſtibus te coordinaſti. Importuna veniſti, lætitiam victoriæ meæ turbans, ut nihil gravius ab hoſtibus paſſurus forem. Theodotion: *Strangulaſti me*. Septuaginta: *Perturbatione perturbaſti me.*

Filia mi! pro *filia mea* ponitur, quemadmodum apud Latinos Authores occurrit: *Mi anus, Domina mi* (12).

Aperui os meum ad Dominum, et aliud facere non potero. Votum Domino nuncupavi, & ſolvere me neque eo religione: ſpopondi me illi conſecraturum quodcumque primum venienti mihi occurriſſet. Reputandum eſt utique, votum hoc Jephte plus aliquid fuiſſe, quam votum ſimplex, quo promiſſa res certo pretio redimi poterat. Pro fœminæ devotæ libertate reginta ſicli

V 2 daban-

(1) Num. xxii. 4. 5. 6. 11. (2) Rabb. in Seder. Olam. (3) Serar. Menoch. Bonfr. Grot. Jun. (4) ישפט יהוה השפט היום (5) Supra c. x. 17. & xi. 11. (6) ויעבר את הגלעד ואת מנשה ויעבר את מצפה גלעד וממצפה גלעד עבר בני עמון (7) Judic. xii. 2. *Vocavique vos ut præberetis mihi auxilium, & facere noluiſtis.* (8) Joſeph. lib. 4. de Bello c. ... ἐλθόντος τὰ Γάδαρα μητρόπολιν τῆς Περαίας καρτεράν. (9) Cellar. l. 3. c. 14. p. 411. (10) 1. Reg. xviii. 6. *Egreſſæ ſunt mulieres de univerſis urbibus Iſrael, cantantes choroſque ducentes in occurſum Saul Regis in tympanis lætitiæ & in ſyſtris.* (11) הכרע הכרעתני ואת היית בעכרי Septuag. ταραχῇ ἐτάραξάς με. Th. κατάγχων κατῆγξάς με. *ſtrangulaſti me.* Aq. κάμψεως ἔκαμψάς με. *humiliaſti, dejeciſti me.* Sym. ὤκλασάς με. ... με. εἰς σκῶλον ἐγένου ἐν ὀφθαλμοῖς μου. *everſiſti me: lapis offenſionis fuiſti oculis meis.* (12) Vide Druſ. hic. Tibul. *Vivas diu, mi dulcis anus.* Salvian. lib. 3. Adverſ. avarit. *O Domina mi, Eccleſia Dei*, &c.

dabantur, decem pro puella viginti ætatis annis minori, & quinquennio majori (1). Votum Jephte anathematis religioni conjunctum erat, quo res devota nullo pretio redimebatur (2). Porro ſi vivum aliquid ea religione conſecratum fuiſſet, interficiebatur: ſi ager vel domus, perpetuo jure addicebatur Domino. Conſule noſtram diſſertationem, & quam ſcripſit de voto Jephte Ludovicus Capellius. Recentiores quidam docent, ita devotas puellas perpetuo ſervitio conſecratas fuiſſe Domino, cœlibatum ſervaſſe perpetuum & clauſas in Tabernaculo vel in templo ſe continuiſſe. Uxoras Davidis, quibus abuſus eſt Abſalon, perinde habitas deinceps cenſet Grotius, ac mulieres Domino devotas; in cuſtodiam enim datæ, perpetuo cuidam carceris generi addictæ, continentiam uſque ad obitum tenuerunt (3). Sed hæc omnia nullo Scripturæ fundamento innituntur.

℣. 37. DIMITTE ME, UT DUOBUS MENSIBUS CIRCUMEAM MONTES, ET PLANGAM VIRGINITATEM MEAM CUM SODALIBUS MEIS. Mos diſcurrendi per montes, cum luctus aliquis vel malum ingens mœſtos tenet, hic aperte producitur, & alibi interdum (4), præſertim in regionibus trans Jordanem. Filia Jephte devotam ſe morti, religione patris ſui, intelligens, in montem ſecedit, ploratura cum ſodalibus ſuis miſerum illud fatum, quod, nulla in Iſraele poſteritate relicta, eſſet interitura. Sterilitas probroſa eſt, & opprobrii nota apud eas gentes, quæ virginitatem & cœlibatum non modo honori non ducunt, ſed tamquam ſummum malorum & maledicti genus quoddam exhorrent. Textus Hebræus ad literam (5): *Ibo, & deſcendam ſuper montes, & flebo ſuper virginitatem meam, ego & ſociæ meæ.* Quomodo deſcendat quis in montes? nonne pugnant hæc verba? Conſtat utique, Hebræos uſurpare frequenter deſcendere & aſcendere, pro ire ſimpliciter: neque deſunt apud Sacros Libros loca quædam huic perſimilia, in quibus negligitur ſitus locorum, quoad uſum verborum deſcendendi & aſcendendi. In capite XV. 11. hujus Libri legit Hebræus: *Deſcenderunt ad ſummitatem petræ.* In Joſue VII. 24. Hebræus: *Aſcendere fecerunt eos in vallem Achor* (6). Igitur filia Jephte, deſcenſuram ſe in montes dicens, montes petituram ſe tantummodo ſignificat: vel ſi ponamus, urbem Maſpha in celſiſſimo Galaaditidis monte conſediſſe (7), uti revera conſidebat, deſcenſuram ſe in montes urbe illa humiliores æquiſſimo jure affirmavit.

℣. 39. FECIT EI SICUT VOVERAT: QUÆ IGNORABAT VIRUM. Voti ſui fidem liberaturus, filiam virginem & innuptam Domino immolavit.

CONSUETUDO SERVATA EST, [℣. 40.] UT POST ANNI CIRCULUM CONVENIANT IN UNUM FILIÆ ISRAEL, ET PLANGANT FILIAM JEPHTE. Quam longo annorum ſpatio conſuetudo hæc inter Iſraelitas Transjordanicos perſeveraverit, ignoretur: ſed ex S. Epiphanio diſcimus (8), in urbe Sameria & Sichem memoriam filiæ Jephte conſecratam fuiſſe inter Numina, cui & ſacrificia quotannis immolarentur. Sed hæc ardua ſunt quæ credantur. Kimchi vertit Hebræum (9): *Et hæc fuit lex in Iſraele: de anno in annum* [ad literam de diebus in dies] *ut filiæ Iſrael venirent ad loquendum*, vel ad conſolandum, cum *filia Jephte*. His autem verbis innui cenſet Rabbinus, cæremoniam hanc tamdiu perſeveraſſe, quamdiu puella vitam prorogavit, clauſa, ait ille, in conclavi prope Tabernaculum, vel in domo patris ſui: hanc autem adibant quotannis puellæ ejus regionis, & per quatriduum illam dulcibus colloquiis ſolabantur. Sed Interpretes plures aliter reddunt: *Filiæ Galaad ibant ſingulis anni ad publicandum*, commendandum fortis puellæ animum: coibant, ut ejus memoriam celebrarent, revocarentque in mentem glorioſum ejus interitum. Alii denique Vulgatæ & Septuaginta accedentes, vertunt: *Conveniebant ad plangendam virginitatem filiæ Jephte*, fatum ejus acerbum.

Hiſtoria hæc Jephte occaſionem præbuiſſe videtur Profanis, ut fabulam Idomenei procuderent. Hic e Trojano bello redux, in præſentiſſimo furentis procellæ diſcrimine conſtitutus, votum Neptuno nuncupavit, ſe illi ſacrificio immolaturum, quidquid ingredienti ſibi domum ſuam primum occurreret (10). Malo ſuo accidit ut filius venienti patri ſeſe primum offerret. Religionem voti ſeu ſolvere ſtatuit, ſeu reipſa exſolvit, ut aliqui volunt; cujus indignitate rei ſubditi illum fugâ ejecerunt, immanemque ſævitiam deteſtantes expulerunt. Auſæ ſunt etiam fabulæ adjuncta complure hiſtoriæ filiæ Jephte transferre in Iphigeniam (11), filiam Agamemnonis. Venerat ille cum reliquis Græcis in Aulidem, ubi ſecundum ventum opperiebantur, ut ad obſidionem Trojæ claſſis ſolveret. Caſu accidit, ut inter venandum cervam Dianæ interficeret. Furens Dea ventos continuit, & claſſem remorata eſt. Conſultus Calchas vates reſpondit, iratam Dianam placandam eſſe ſanguine Agamemnonis, ideſt Iphigeniam immolari oportere. Cum igitur Regiam puellam Ulyſſes ad immolandum duxiſſet, Dea miſerta, ejus loco ad ſacrificium cervam ſubſtituit. Iphigenia tranſlata in Tauricam, ibi Sacerdotio Dianæ Orthiæ, cui humanis victimis litabatur, functa eſt. Nomen *Iphigenia* ſignificare poteſt filiam *Jephi*, quod ſatis accedit ad *Jepte*, vel *Jephte*. Cerva Iphigeniæ loco ſubſtituta eſt immolanda: filia Jephte ſtatim quidem immolata non eſt, ſed tamquam cerva fugit in montes, ubi ſpatio duorum menſium virginitatem ſuam ploravit,

---

(1) Levit. XXVII. 4. 5. *Si mulier, triginta; a quinto autem anno, uſque ad viceſimum, maſculus dabit viginti ſiclos, femina decem.* (2) Ibid. ℣. 29. 30. *Omnis conſecratio quæ offertur ab homine, non redimetur, ſed morte morietur.* (3) 2. Reg. XX. 3. (4) Jerem. XXXI. 15. Iſai. XV. 2. (5) אלכה וירדתי על ההרים ואבכה על בתולי אנכי ורעיותי (6) יעלו אותם עמק עכור Vide Druſ. hic. (7) Cant. IV. 1. *Grex caprarum quæ aſcendunt de monte Galaad.* (8) Epiphan. Hæreſ. 55. quæ eſt Melchiſedechian. Ἐν δὲ τῇ Σεβαστῇ, τῇ ποτὲ Σαμαρείᾳ καλουμένῃ, τὴν θυγατέρα Ἰεφθάε θεοποιήσαντες, ἔτι τούτῳ πανήγυριν κατ᾽ ἔτος ἄγουσι. Et hæreſ. 78. quæ eſt Antidicomarian. Ἐν Σικίμοις θυσίας οἱ ἐπιχώριοι πλάσσι εἰς ὄνομα τῆς Κόρης, δῆθεν ἐν προφάσει τῆς θυγατρὸς Ἰεφθάε, τῆς ποτὲ προσενεχθείσης τῷ Θεῷ εἰς θυσίαν. (9) ותהי חק בישראל מימים ימימה תלכנה בנות ישראל לתנות לבת יפתח (10) Servius ad Æneid. III. (11) Idem ad Æneid. III. & Ovid. Metamorph. lib. XII.

CAPUT XII.

Bellum inter Galaaditas & Ephraimitas. Ephraimitæ, quibus arduum eſt efferre, Schibboleth, cæduntur ad vada Jordanis. Jephte obiit. Abeſan, Abialon & Abdon in regimine populi ſuccedunt.

℣. 1. ECce autem in Ephraim orta eſt ſeditio: nam tranſeuntes contra Aquilonem, dixerunt ad Jephte: Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon, vocare nos noluiſti, ut pergeremus tecum? Igitur incendemus domum tuam. 2. Quibus ille reſpondit: Diſceptatio erat mihi, & populo meo contra filios Ammon vehemens: vocavique vos, ut præberetis mihi auxilium, & facere noluiſtis: 3. Quod cernens poſui animam meam in manibus meis, tranſivique ad filios Ammon, & tradidit eos Dominus in manus meas. Quid commerui, ut adverſum me conſurgatis in prælium? 4. Vocatis itaque ad ſe cunctis viris Galaad, pugnabat contra Ephraim: percuſſeruntque viri Galaad Ephraim, quia dixerat: Fugitivus eſt Galaad de Ephraim, & habitat in medio Ephraim, & Manaſſe. 5. Occupaveruntque Galaaditæ vada Jordanis, per quæ Ephraim reverſurus erat. Cumque veniſſet ad ea de Ephraim numero fugiens, atque dixiſſet: Obſecro, ut me tranſire permittatis; dicebant ei Galaaditæ: Numquid Ephrathæus es? quo dicente: Non ſum: 6. Interrogabant eum: Dic ergo Scibboleth, quod interpretatur Spica. Qui reſpondebat, Sibboleth: eadem littera ſpicam exprimere non valens. Statimque apprehenſum jugulabant in ipſo Jordanis tranſitu. Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia: Ab A.M. 2817 uſque ad 2823 ante J. C. 1177.
7. Judicavit itaque Jephte Galaadites Iſrael ſex annis: & mortuus eſt, ac ſepultus in civitate ſua Galaad. 8. Poſt hunc judicavit Iſrael Abeſan de Bethlehem. 9. Qui habuit triginta filios, & totidem filias, quas emittens foras, maritis dedit, & ejuſdem numeri filiis ſuis accepit uxores, introducens in domum ſuam. Qui ſeptem annis judicavit Iſrael: Ab A.M. 2823 uſque ad 2830. ante J. C. 1170. 10. Mortuuſque eſt, ac ſepultus in Bethlehem. 11. Cui ſucceſſit Ahjalon Zabulonites: & judicavit Iſrael decem annis. Ab A.M. 2830 uſque ad ann. 2840. ante J. C. 1160. 12. Mortuuſque eſt, ac ſepultus in Zabulon. 13. Poſt hunc judicavit Iſrael Abdon, filius Illel, Pharathonites: 14. Qui habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes, aſcendentes ſuper ſeptuaginta pullos aſinarum, & judicavit Iſrael octo annis; Ab A. M. 2840 uſque ad ann. 2848 ante J. C. 1152. 15. Mortuuſque eſt, ac ſepultus in Pharathon terræ Ephraim, in monte Amalech.

℣. 1. ECCE AUTEM IN EPHRAIM ORTA EST SEDITIO. Tribus hæc viribus ſuis audax, & cæterarum Tribuum progreſſibus invidens, victoriam ab Jephte de Ammonitis relatam dolet. Queritur ergo, ſe in partem hujus expeditionis non fuiſſe vocatam, quemadmodum antea cum Gedeone conqueſta eſt, dolens ſe in expeditione Madianitica fuiſſe neglectam (1). Textus Hebræus majori vi, quam Vulgata, molimen hoc Ephraimitarum exprimit (2): *Et viri Ephraim clamaverunt, & tranſierunt ad ſeptemtrionem.* Conclamarunt ad arma, vel clamoribus ſeſe adverſus Jephte invicem excitarunt. Septuaginta (3): *Viri Ephraim clamarunt*; vel, juxta alium Interpretem; *Viri Ephraim congregati ſunt, & venerunt in Sephenam.* Sed Editiones cæteræ congruunt Hebræo. Porro bellum hoc Jephte in Ammonitas non alia ratione ad Ephraimum pertinebat, quam quod Ephraim frater eſſet Manaſſis, cujus media Tribus habitabat trans Jordanem in montibus Galaad. Queritur ergo Ephraim, quod tantæ molis expeditio ſe neglecto ſuſcepta fuerit a fratre ſuo Manaſſe, & dimidia Tribus Manaſſis alteram dimidiam Tribum, quæ cis Jordanem reſidebat, in auxilium belli non invitarit. Animadvertimus ſupra, Jephte ad Tribum Ephraimi pertinuiſſe.

TRANSEUNTES AD AQUILONEM. Nonniſi probabiliſſime arbitramur, conveniſſe illos Jephte verſantem adhuc circa *Abel vinearum*, & inſequentem Ammonitas, antequam in Maſpham reverteretur. Maſpha orientalis eſt potius, quam ſeptemtrionalis Ephraimo; ſed *Abel* vel *Abila* ad meridiem propius accedit. Septuaginta, quos laudavimus, nomen *Zephona*, quod ſeptemtrionem ſonat, pro certa loci appellatione acceperunt: qua in re ipſi alios Interpretes aſſeclas habent (4). Sermo eſt in Numeris de loco quodam Sephrona appellato, ad ſeptemtrionem Terræ Sanctæ; & in Joſue XIII. 27. occurrit *Saphon*, vel *Zephon* ad Jordanem.

IGITUR INCENDEMUS DOMUM TUAM. Hebræus ביתך נשרף עליך באש, *Domum tuam comburemus ſuper te*, vel tecum. Eodem igne te domumque tuam abſumemus.

℣. 2. DISCEPTATIO ERAT MIHI ET POPULO MEO. In præcedenti Capite ℣. 13. 14. & ſeqq. legimus argumenta, quæ uterque populus pro ſe objiceret; ex quibus inferre Lectoribus pronum erat, diſſidii hujus inter illos quanta eſſet gravitas. Hebræus ad literam (5): *Vir rixæ fui ego, & populus meus, & filii Ammon valde.* Hæc phraſis, *vir rixæ*, æque uſurpatur pro eo, qui movet litem (6), ac pro eo qui contra aliquem ſeſe tuetur (7). Non aggreſſor Jephte, ſed ſui ipſius defenſor fuit.

VOCAVIQUE VOS UT PRÆBERETIS MIHI AUXILIUM. Rogavit illos Jephte per nuncios, ut ſuppetias ferrent, cum interim ipſe ad cogendas copias omnem Ga-

(1) Judic. VIII. 1. (2) ויצעק איש אפרים ויעבר צפונה (3) Septuag. Καὶ συνεβόησεν ἀνὴρ Ἐφραίμ, καὶ ἦλθεν εἰς Σεφινά. Καὶ ἐβόησαν ἀνὴρ Ἐφραίμ. (4) Arias Montan. (5) איש ריב הייתי אני ועמי ובני עמון 70. ἀνὴρ ἀντιδικῶν ἤμην ἐγώ τε καὶ ὁ λαός μου, καὶ οἱ υἱοὶ Ἀμμών, (6) Iſai. XLI. 11. (7) Jerem. XV. 10.

Galaaditidem omnemque Manaſſem excurreret (1). Id quidem non exprimitur in Capite præcedenti; neque enim legitur, Jephte miſſis nunciis Ephraimitas invitaſſe; quin & nunquam ab eo id præſtitum ſuſpicatur Druſius: quæ enim ratio cæteroqui fuiſſet Ephraimo querendi? Hebræus: *Clamavi ad vos, & non ſervaſtis me e manu eorum. Et vidi, quod tu non ſalvans, & poſui animam meam in vola mea.* Quare negari utique non poteſt, Galaaditas, vel ipſum Jephte opem Ephraimitarum imploraſſe in iis, quibus premebantur, anguſtiis; quamquam forte ſupremo eo bello apertis verbis non invitarunt. Cum enim indolentiam ejus Tribus in aliis rebus experti fuiſſent, novæ repulſæ injuriam quærere noluerunt.

℣. 3. Posui animam meam in manibus meis, אשימה נפשי בכפי. Familiaris eſt loquendi phraſis in Scriptura, exprimens, objicere ſe diſcrimini, & vitæ periculum adire. Jonathas ſermonem habens de Davide ad Saulem (2). *Poſuit animam ſuam*, ait, *in manu ſua, & percuſſit Philiſtæum*, Pythuniſſa ad Saulem (3); *Poſui*, ait, *animam meam in manu mea*. Animam ſuam in manu ſua ſe ferre profeſſus eſt Job (4); idemque de ſe David affirmat (5). Unanimi autem Interpretum ſuffragio exponitur de diſcrimine, cui quis ſeſe exponit (6). De cauſa vero & origine hujus phraſis, non ſatis convenit inter omnes. Cenſent quidam, quemadmodum pretioſiſſima quæque, & quæ ſtudioſiſſime conſervare volumus, in manibus expoſita non tenemus; ita pariter, cum anima ponitur in manibus ſuis & palam exponitur, eo indiciu demonſtrari, parum eſſe nos de illa ſolicitos, ne rapiatur ab hoſtibus.

Commode etiam reputaveris, eam phraſim, ponere animam in manibus ſuis, proprie ad literam ſignificare, arma capere, & certare cum hoſtibus. Quicumque enim pugnæ ſeſe committit, animam & vitam ſuam gerit in manibus; quod enim illum a diſcrimine & morte tueatur, una eſt animi ſtrenuitas & robur, quo certat. Perſimili verborum tropo uſurpatur, conſtituere ſalutem ſuam in gladio ſuo, In manu ſua, in pedibus ſuis, in fuga. Fortis quidam vir apud Iſaiam gloriatur (7): *Circumſpexi, & non erat auxiliator: ſalvavit mihi brachium meum, & indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi.* Salomon de Sapiente ſcribit (8): *Cor Sapientis in dextera ejus, & cor ſtulti in ſiniſtra illius.* Quibus verbis facile innuit, Sapientem, qui vitam tanti, quanti par eſt, faciat, ſolertiſſime illam tamquam pretioſiſſimum aliquid conſervare, ut nihil idcirco negligat: viciſſim autem ſtultum perinde illam habere, ac rem minimi pretii, ut in ejus cuſtodiam nonniſi ſiniſtram adhibeat. Itaque cum Jephte poſuiſſe ſe animam in manu ſua affirmat, dicta ejus ita accipienda ſunt: Arma in defenſionem meam cepi, omnia diſcrimini objeci, ut ſalutem populi mei defenderem. De alio etiam loquentes uſurpamus (9): *Teneo animam ejus in manibus meis*, vitæ ejus dominus & arbiter ſum.

℣. 4. Percusseruntque viri Galaad Ephraim, quia dixerat: Fugitivus est Galaad de Ephraim, et habitat in medio Ephraim et Manasse. Quo pacto affirmari poteſt, Galaad habitare in medio Ephraim & Manaſſis, cum tanta locorum intercapedine, tota nempe ditione Gad & Ruben, atque interjecto Jordane diſtet? Qua etiam ratione Galaad tamquam fugitivus Ephraimi arguitur, cum e Manaſſe deſcenderet, nihilque unquam cum Ephraimo rei habuerit? Quamquam facile hæc nonniſi per calumniam ab Ephraimitis objecta ſunt, veritatis tamen colorem aliquem præ ſe tuliſſe credimus. Ad poſtremam igitur accuſationem quod attinet, idcirco facile Galaad *fugitivus Ephraim* dictus eſt, quod illi Galaad receſſiſſent quodammodo a fratribus ſuis Manaſſe & Ephraimo, occupata regione Galaaditica, & urbibus *Havothjair*: ea vero ſeceſſio genus eſt ſchiſmatis, quod Ephraimitæ illis, probroſa eorum felicitatis invidia perciti, exprobrant.

Quod vero primo loco ajebant, Galaad nempe inter Ephraimum & Manaſſem ſedea habere, illud optimi quique Commentariorum Scriptores deſerunt (10): imo aperta verba Textus nihil ejuſmodi præterunt, ita etiam ſonant ad literam (11): *Quia dicebant* [vel dixerunt] *evaſores Ephraim: vox Galaad in medio Ephraim, in medio Manaſſe.* Pertinere hæc videntur ad hiſtoriam, quæ deinceps recitatur, potiuſquam ad eam, de qua modo. Porro geminas in bello Ephraimitarum clades narrat hic ſacer Hiſtoricus; aliam quidem in bello adverſus Jephte, alteram ad vada Jordanis. Priori illi quidem cauſam dedit injuria, quam acceptam a ſe immerito dolebant Ephraimitæ, quod ſcilicet in expeditione Ammonitica ab Jephte neglecti fuerint: alteri vero cauſam dederunt inſultus Ephraimitarum in Galaaditas, qui poſt pugnam illis exprobrarunt, meros eſſe Galaaditas, non Ephraimitas, non ex Manaſſe, denique ad Joſephum non pertinere: quibus verbis alte offenſi Galaaditæ, exarſerunt adeo in irriſores ſuos, ut ne unum quidem incolumem evadere permiſerint eorum, qui e certamine ſervati fuerant. Id potiſſimum ſedulo narrare idcirco viſum eſt, quod cum Ephraimitæ fraterno vinculo conjungerentur cum Galaaditis & filiis Manaſſis, rei æquitas poſceret, ut liberi fugere permitterentur; quod utique ſervatum fuiſſet, niſi id in ſe verbis procacibus induxiſſent.

Ita ergo hic Textus redditur: Poſtquam Jephte belli Ephraimitici victor fuit, filii Ephraim, qui e certamine evaſerant, acerbitate atque dolore caſus ſui, quod ſcilicet in prælio victi eſſent ab iis, quos contemnebant, acerbitate, inquam, rei perciti exprobrare auſi ſunt victoribus: Vos meri putique Galaaditæ eſtis, gens nempe nihili, & a genere Iſraelis & Joſephi aliena. Vos nec Ephraimi genus eſtis, nec Manaſſis: minime vero quod ſedes haberent inter Ephraimum & Manaſſem medias, ſed quod neutra Tribus fratrum loco Galaaditas habere dignaretur. Quod autem probat, nonniſi poſt prælium Ephraimitas ita inſultaſſe Galaaditis, illud eſt, nimirum uſurpari hic in Textu eamdem vocem, quæ ponitur ℣. ſequenti, ut ii indicentur, qui ad Jordanis vada ſeſe ſiſtebant. Eæ voces, *In medio Ephraim, in medio Manaſſe*, nihil aliud exprimunt, niſi, Ad neutram Tribum vos pertinetis, ſeparaſtis vos ab utraque, ut tertium aliquem populum conſtituatis. *Medium* non raro ſignificat ſejunctionem, uti (12): *Firmamentum in medio aquarum; Pharao in medio fluminum* (13) *&c.*

Prælium inter Ephraimum & Galaaditas commiſſum circa locum *ſaltus Ephraim*, de quo alibi ſermo occurrit (14), conjectura creditur; neque enim in Hiſtoria alter eventus ſeſe offert, qui loco nomen indiderit. Mores, quos in tota hac re geſta exhibent Ephraimitæ, utique indicium ſunt animi levis, & indigno livore ægrotantis; nihilque iniquius eſt, quam bellum ab illis cum Jephte commiſſum.

℣. 6. Dic ergo Schibboleth, quod interpaetatur spica. Qui respondebat, Sibboleth. Nomen שבלת *Schibboleth*, cum *ſchin*, ſonat ſpicam, rivum, fluentum. *Sibboleth* סבלת cum *Samech*, ſignificare poteſt ſarcinam (15). Ephraimitæ impedimento linguæ pronunciare non valebant *Schin*, quod perinde valet, ac *Sch* apud Gallos; quare balbu-

(1) Vide Cap. xi. 29. (2) 1. Reg. xix. 5. (3) 1. Reg. xxviii. 21. (4) Job xiii. 14.
(5) Pſalm. cxviii. 109. (6) Vide Delrii Adag. 158. (7) Iſai. lxiii. 5. (8) Eccleſ. x. 2.
(9) Titus apud Joſeph. l. 7. de Bello Jud. c. 13. ἐν χερσὶ δὲ ταῖς ἐμαῖς ἔχειν τὰς ψυχάς. (10) Vide Bonfr. hic.
(11) כי אמרו פליטי אפרים אתם גלעד בתוך אפרים בתוך מנשה (12) Geneſ. 1. 6. (13) Ezech. xxix. 3.
(14) 2. Reg. xviii. 6. Vide Serar. qu. 2. (15) Vide Lyran. hic, & Druſ.

balbutientis more exprimebant S, ut qui apud nos efferunt e. g. *Sien* pro *Chien*, *Seval* pro *Cheval* &c. Eo indicio a Galaaditis deprehendebantur. Accidit autem frequentiſſime, ut unius ejuſdemque linguæ varia ſit pronunciandi ratio, pro regionis varietate. Jeſu Chriſti ætate, Galilæis pronunciandi ſonus erat peculiaris; quo indicio agnitus eſt S. Petrus in atrio Principis Sacerdotum (1). Galilæos etiam prodidit Apoſtolos pronunciatio linguarum, quas cœleſti dono edebant (2). Nonne etiam apud noſtros Gallos ſingulis provinciis ſuis & ſonus eſt & dialectus?

Sunt qui credant (3), *Schibboleth* teſſeram, ſeu ſignum fuiſſe belli conſtitutum ſive hoſtium, ſive Iſraelitarum. Cum quis ad Jordanis vada accedebat, ſignum rogabatur, quod ſtatim pronuncians alter, indicium ſui dabat e ſono: ſed hujus ſententia nulla firmitas eſt.

℣. 7. Sepultus in civitate sua Galaad. Ex Capite xi. ℣. 34. innui videtur, Jephte ſedem habuiſſe ſuam in Maſpha; quare *Galaad* hic non pro urbe, ſed pro regione, ubi ſepultus fuit, uſurpatur, Hebræus ויקבר בערי גלעד *Sepultus eſt in Civitatibus Galaad*; ideſt in una ex urbibus ejus regionis. Ita pariter de Loth ſcribitur (4): *Habitaverat in urbibus Pentapolis*; & de Jona (5): *Deſcendit ad latera navis*. Ut Textum hunc, nulla difficultate arduum, exponant, fabellas plures commenti ſunt Rabbini (6). Ex illis quidam affirmant, urbes Galaaditidis honoris gratia ſingulas ſibi rapere aliquam corporis illius partem ſtuduiſſe; atque ita per varias regionis urbes diſſipatum fuiſſe. Alii vero ſancte aſſerunt, Deum terribili morbo virum puniviſſe ob crimen filiæ immolatione patratum, membris enim ejus corporis ſponte ſeſe invicem ſeparantibus, eadem ſejuncta variis in Urbibus, ubi caſu defluxerant, ſepulturæ mandata fuere.

Ne quid vulgare de virtute ac perſona Jephte cogitemus, facit Apoſtolus (7), illum inter viros ſanctiſſimos Veteris Teſtamenti, fidei ſuæ virtute inſignes, accenſens. Spectare equidem licet in Jephte non virtutum modo politicarum bellicarumque, ſed & moralium majora quam in vulgo hominum, exempla. Sapientia, quam in Ammonitico bello exhibuit ſingularem; animi conſtantia, quam in Ephraimitas oſtendit; religio, qua ad implendam fidem voti ſui Ipſius filiæ immolatione inductus eſt, filiæ, inquam, immolatione, quæ omnem familiæ ſpem tuebatur [quamquam zelo ſecundum ſcientiam deſtitutus, rem egit pœnitentia expiandam] grandia hæc grandem ſummi viri animum, & ingenium viri longe conditione ſua & natalium obſcuritate ſuperius manifeſtant. Comparat illum Grotius Viriato, qui e paſtore venator fuit, dein latro, tandem Imperator validiſſimi exercitus, quo Luſitaniam ſubegit, M. Vitilium Prætorem Romanum prælio victum cepit, itemque Prætorem alterum C. Plautium fudit, tantumque urbi Romæ terrorem injecit, ut Conſul cum juſto exercitu in illum decretus fuerit.

Quod autem magis meditationes omnes noſtras in Jephte convertit, dotes viri ſunt, quibus in effigiem futuri Servatoris formatur. Natus e meretrice Jephte, qui ex ædibus patriis injuria fratrum ſuorum, totam ad ſe hæreditatem convertere cupientium, pellitur; typum exhibet Jeſu Chriſti (8), e Synagoga nati, matre ſcilicet frequentibus idololatriæ ſcortationibus proſtituta; pellitur autem Chriſtus domo & hæreditate patris ſui, e mediis Judæis fratribus, eorum ſcelere qui majore apud ſuos gratia valebant, & quibus maxime adnitendum erat, ut acciperetur. Recipit ſeſe Jephte in terram Tob, ubi prædonum manui ducem ſe præbet. Poſt reſurrectionem ſuam Chriſtus Princeps effectus eſt Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ e Paganis, Profanis, ſceleſtis, ad meliora converſis ſtudia, & criminibus expiatis, coaleſcit. Qui Jephte a ſe abjecerant, revocare illum, Principem eligere, & copiarum ſuarum Imperatorem creare coguntur. Frequenti numero Judæi, qui Jeſum inſectati fuerant, poſt ejus reſurrectionem jurant in ejus verba. Ephraim iniquo animo victoriæ Jephte gloriam ferens, innocentem inſectatur: Judæi infideles & pervicaces Eccleſiam vexant; ſed cæde ſua pœnas luunt, deleti a Romanis, alienis iis gentibus, quas odio prius & contemptu proſequebantur. Votum Jephte, quo unicam filiam Deo conſecrat, indicare poteſt conſilium illud Jeſu Chriſti, quo humanitatem ſuam juſtitiæ Dei Patri immolandam obtulit. Sive autem puella ſacrificium immolata abſolverit, uti Patribus ſane multis perſuaſum fuit, ſive Deo cœlibatum ſuum & continentiam perpetuo addixerit, ſemper tamen in ſe imaginem mortis & reſurrectionis Jeſu Chriſti expreſſam exhibet.

℣. 8. Post hunc judicavit Israel Abesan de Bethlehem. Docent Judæi (9), Abeſan eumdem eſſe virum ac Booz, virum Ruth; cujus ſententiæ fides petitur ex levi ſimilitudine nominis Abeſan & Booz, tum ex loco Bethlehem, ubi uterque habitabat. Sed viri quidam docti (10) contendunt, Abeſan conſediſſe in Urbe Bethleham Zabulonitica, non in Bethlehem Juda. Parum tamen noſtra id refert; etſi enim Abeſan in Urbe Juda conſtitueretur, imbecillius id eſſet argumentum, quam ut perſuaderet, unum eſſe eumdemque virum cum Booz.

℣. 11. Cui successit Ahialon Zabulonites. Codices Septuaginta, quibus utebatur Euſebius, pro Ahialon legebant *Adon*, cui ſucceſſorem addebant *Labdon* Hodie id nomen legimus in omnibus Editionibus Septuaginta.

℣. 13. Abdon filius Illel. Legit Joſephus (11), Ἄβδων [illegible], *Abdon filius Helonis*: hinc ducunt nonnulli (12), filium vel famulum Ahialonis aut Helonis eum ſtatui oportere; ſæpe enim in Scriptura nomen *puer* pro famulo uſurpatur. Sed has conjecturas evertit Textus Hebræi cum Vulgata conſenſus.

℣. 14. Qui habuit quadraginta filios, et triginta ex eis nepotes. Tam magnus filiorum numerus in regione, ubi polygamia regnat, nec novus eſt nec extraordinarius. Exempla ejus quædam ſufficit Scriptura & hiſtoria profana. Priamus liberos quinquaginta genuit. Apud Turcas adhuc parentes quidam liberorum quinquaginta vel ſexaginta divite corona cinguntur. Notat Scriptura, filios ac nepotes Abdonis vectos fuiſſe totidem aſinis vel aſinabus, quod tunc dignitatis erat (13), uti apud nos hodie curru vehi.

℣. 15. Sepultus in Pharaton terræ Ephraim, in monte Amalec. Hujus nominis urbs nuſpiam alibi occurrit; magiſque etiam latet mons Amalec. Sunt qui hujus montis Amalec ſermonem eſſe credant ſupra v. 14. *Ex Ephraim delevit eos in Amalec*. Sed Textum illum in alium ſenſum reddere nos conati ſumus. Cenſent alii, Amalecitas montem illum a ſe occupatum tenuiſſe aduſque ætatem Saulis, a quo deleti ſunt. Dionyſio Carthuſiano Amalec viri nomen eſt, montem hunc poſſidentis. Per conjecturam omnes. Illud tantummodo conſtat, monti huic nomen fuiſſe Amalec.

(1) Matth. xxvi. 23. (2) Act. ii. 8. 9. (3) Ita Septuag. in Codice Baſileenſi. Καὶ εἶπαν αὐτῷ· εἴπατε δὴ Σύνθημα. καὶ εἶπαν, Στάχυς. καὶ οὐ κατηύθυναν τοῦ λαλῆσαι οὕτως. (4) Geneſ. xix. 29. (5) Jonas i. 5. (6) Vide Munſter. & Serar. q. 4. (7) Heb. xi. 32. (8) Aug. qu. 49. in Judic. Vide Serar. qu. 26. (9) Vide Targum Ruth, Thalmud Jeroſol. Rabb. Salom. Kimchi, Rab. Levi filium David, Abrah. Zacch. & alios apud Munſt. & Serar. q. 5. (10) Maldonat in Matth. ii. 1. (11) Joſeph. l. 5. c. 9. (12) Toſtat. Vide Serar. qu. 7. (13) Vide Judic. v. 10. & x. 4.

CAPUT XIII.

Servitus Iſraelitarum ſub Philiſtais. Angelus per viſum apparens prius uxori Manue, dein Manue ipſi, filium utrique ſpondet. Samſon naſcitur.

A. M. 2848. ante J. Ch. 1172. ℣. 1. RUrſumque filii Iſrael fecerunt malum in conſpectu Domini, qui tradidit
eos in manus Philiſthinorum quadraginta annis.* 2. Erat autem quidam
vir de Saraa, & de ſtirpe Dan, nomine Manue, habens uxorem ſterilem. 3. Cui
apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam: Sterilis es, & abſque liberis: ſed con-
cipies, & paries filium: 4. Cave ergo, ne bibas vinum, ac ſiceram, nec immun-
dum quidquam comedas: 5. Quia concipies, & paries filium, cujus non tanget ca-
put novacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia ſua, & ex matris utero, & ipſe
incipiet liberare Iſrael de manu Philiſthinorum. 6. Quæ cum veniſſet ad maritum
ſuum, dixit ei: Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis.
Quem cum interrogaſſem, quis eſſet, & unde veniſſet, & quo nomine vocaretur,
noluit mihi dicere: 7. Sed hoc reſpondit: Ecce concipies, & paries filium: cave,
ne vinum bibas, nec ſiceram, & ne aliquo veſcaris immundo: erit enim puer Na-
zaræus Dei ab infantia ſua, ex utero matris ſuæ uſque ad diem mortis ſuæ. 8. Ora-
vit itaque Manue Dominum, & ait: Obſecro, Domine, ut vir Dei, quem miſiſti,
veniat iterum, & doceat nos, quid debeamus facere de puero, qui naſciturus eſt.
9. Exaudivitque Dominus deprecantem Manue, & apparuit rurſum Angelus Dei uxori
ejus ſedenti in agro. Manue autem maritus ejus non erat cum ea. Quæ cum vidiſſet
Angelum. 10. Feſtinavit, & cucurrit ad virum ſuum: nuntiavitque ei dicens: Ecce
apparuit mihi vir, quem ante videram. 11. Qui ſurrexit, & ſecutus eſt uxorem
ſuam: venienſque ad virum, dixit ei: Tu es, qui locutus es mulieri? Et ille reſpon-
dit: Ego ſum. 12. Cui Manue: Quando, inquit, ſermo tuus fuerit expletus, quid
vis, ut faciat puer? aut a quo ſe obſervare debebit? 13. Dixitque Angelus Domi-
ni ad Manue: Ab omnibus, quæ locutus ſum uxori tuæ abſtineat ſe. 14. Et quid-
quid ex vinea naſcitur, non comedat: vinum, & ſiceram non bibat, nullo veſcatur
immundo: & quod ei præcepi, impleat, atque cuſtodiat. 15. Dixitque Manue ad
Angelum Domini: obſecro te, ut acquieſcas precibus meis, & faciamus tibi hœdum
de capris. 16. Cui reſpondit Angelus: Si me cogis, non comedam panes tuos: ſi
autem vis holocauſtum facere, offer illud Domino. Et neſciebat Manue, quod Ange-
lus Domini eſſet. 17. Dixitque ad eum: Quod eſt tibi nomen, ut, ſi ſermo tuus
fuerit expletus, honoremus te? 18. Cui ille reſpondit: Cur quæris nomen meum,
quod eſt mirabile? 19. Tulit itaque Manue hœdum de capris, & libamenta, & po-
ſuit ſuper petram, offerens Domino, qui facit mirabilia, ipſe autem & uxor ejus in-
tuebantur. 20. Cumque aſcenderet flamma altaris in cœlum, angelus Domini pari-
ter in flamma aſcendit. Quod cum vidiſſent Manue, & uxor ejus, proni ceciderunt
in terram. 21. Et ultra eis non apparuit angelus Domini. Statimque intellexit Ma-
nue angelum Domini eſſe, 22. Et dixit ad uxorem ſuam: Morte moriemur, quia
vidimus Deum. 23. Cui reſpondit mulier: Si Dominus nos vellet occidere, de ma-
nibus noſtris holocauſtum, & libamenta non ſuſcepiſſet, nec oſtendiſſet nobis hæc om-
A. M. 2849. ante J. Chr. 1150. nia, neque ea, quæ ſunt ventura, dixiſſet. 24. Peperit itaque filium, & vocavit
nomen ejus Samſon. Crevitque puer, & benedixit ei Dominus. 25. Cœpitque Spi-
ritus Domini eſſe cum eo in caſtris Dan inter Saraa, & Eſthaol.

℣. 1. TRADIDIT EOS IN MANUS PHILISTINORUM, QUADRAGINTA ANNIS. Non ſatis inter Scriptores convenit de exordio hujus quadraginta annorum ſervitutis ſub Philiſtæis. Ducendum illud cenſet Uſſerius poſt ſeptimum menſem ab incepto regimine ſummi Sacerdotis Heli, qui populum judicavit quidem, ſed moleſtia Philiſtæorum non liberavit. Natus eſt Samſon initio hujus periodi quadraginta annorum: Liberatoris vero munus ætate duodeviginti annorum exorſus eſt. Tyrannidem Philiſtæorum repetit Marshamus (1) poſt tres menſes ob obitu Jairi, producitque uſque ad tertium annum Samuelis. Hoc premente ſervitutis jugo, ait idem Scriptor, Heli judicavit, Samſon levare oppreſſos cepit, Samuel grande opus abſolvit. Eodem temporis intervallo per varia Palæſtinæ loca Jephte, Abeſan, Helon, Abdon, judicabant filios Iſraelis, ſua ſinguli in regione, ubi electi

[1] Marsham. ſæcul. xi. pag. 293. edit. London.

electi fuerant. Servitus, de qua modo, una eſt eademque cum ſervitute, quæ innuitur cap. x. 7. Ita Marhamus. Quadraginta hoſce ſervitutis annos alii ita diſtribuunt (1): Samſon ſpatium tenet viginti annorum, totidem alios occupat Heli. Denique ſunt (2) qui periodum hanc ducant ab octavo anno Abeſani, abſolvant vero in Samſonis obitu. Perinde eſt, hanc ne an illam ex hiſce hypotheſibus ſeligas, cum nihil contrarium ſacro Textui inferant.

Porro hæc vexatio Philiſtæorum nec ſervitus fuit totius plane Iſraelis, nec omnium Tribuum cis Jordanem. Gravis potius habenda eſt moleſtia, quam Hebræi ferre coacti ſunt a Philiſtæis, ſive ditionem ſuam vaſtantibus, ſive ad anguſtias populum redigentibus, negata facultate latius ſeſe explicandi. Ex hiſtoria Samſonis patebit, Iſraelitas & Philiſtæos commercia inter ſe habuiſſe, nec ſupremam authoritatem Philiſtæos in Iſraelitas exercuiſſe. Ita ex. gr. Filii Juda interrogant Philiſtæos, cur ditionem ſuam invaſerint; reſpondentque Philiſtæi, uti ſe jure repetundarum, quippe qui malis plurimis a Samſone affecti eſſent (3). Oſtenduntur hinc veſtigia quædam libertatis in Iſraele.

ỳ. 2. Erat quidam vir de Saraa. Hæc urbs ceſſit primum filiis Juda, tum ad Danitas tranſiit. Jacebat, authore Euſebio, x. m. paſſibus ab Eleutheropoli, ad ſeptemtrionem, Nicopolim vel Emmaus verſus.

ỳ. 3. Cui apparuit Angelus Domini. Non Angelum hunc, ſed ſecundam in Trinitate Perſonam fuiſſe credunt quidam, quod *Jehovah* appellationem hic habeat (4). Contraria huic opinio docet, Angelum fuiſſe cœlitus miſſum, qui ſub hominis forma fœminæ ſeſe obtulerit. De nomine *Jehovah*, quod hic gerit, jam ſuperius vi. 11. in pari cauſa diſſeruimus.

ỳ. 4. Nec immundum quidquam comedas. Cur hoc imperatur matri Samſonis, cum Iſraelitis æque omnibus nefas ſit impurum aliquid deguſtare? Reſponderi poſſet (5), interdictum hoc nihil majus referre, quam frequentes in Scriptura adhortationes, ut legibus, quarum imperio obnoxii erant, ea obtemperarent. Adde, nomine rei immundæ innui ea potuiſſe, quæ Nazaræis interdicta erant uti uvas, vinum, ſimileſque vino liquores, quamquam reliquis Iſraelitis permittebantur. Denique, quod peculiare hic eſt, mater Samſonis jubebatur, dum uterum gravem ferret, ac toto etiam tempore quo Nazaræum infantem nutriebat, quam maxima fieri poterat cautione abſtinere ab omnibus, quæ filio legalis labis aliquid inferre potuiſſent. Quammaxima, inquam, fieri poſſet, cautione; quædam enim erant maculæ, quas evitare non poterat, uti quas inducebat puerperium, & menſtrua fœminarum incommoda; quæ neceſſario vitiabant Infantem ſuum, ab utero matris Nazaræum (6).

ỳ. 5. Erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, et ex matris utero. De Nazaræis actum eſt fuſius in Caput vi. Numerorum, ſed Nazaræatus Samſonis diverſa plane erat religio; inceptus enim ex utero matris, ad uſque obitum ipſius perſeverabat; nec ſponte in ſe conſecrationem illam admiſit, ſed deſtinatus a Deo, profeſſionem illam vitæ ſubivit. Legibus autem iiſdem, ac Nazaræi, ſubdebatur. Porro Nazaræis perpetuis vini & liquorum omnium ebrietatis authorum jugis abſtinentia ſervanda erat; cæſaries nunquam tondenda, vitandæ ſordes præſentia vel tactu cadaveris illatæ: cæterum nulli alteri peculiari præcepto obnoxii fuiſſe videntur, neque, ſi quam ex hiſce legibus violaſſent, ſtatim Nazaræatus religio ſolvi debuiſſe, cum enim perpetua eſſet vitæ profeſſio, nec exordium habebat, nec finem niſi cum vita. Neque inficiandum eſt, Samſonem in eas Leges non ſemel peccaſſe: munus ipſum Liberatoris Iſraelis virum eo ducebat, ut a bello cum Philiſtæis nunquam abſiſteret, quod utique munus exerceri non poterat niſi illata frequenter hominibus cæde, adeoque contracta ſæpius tactu cadaverum macula. Nullibi autem legimus, illum cæſariem totondiſſe, vel ſeſe Sacerdotibus obtuliſſe, ut ex integro novum Nazaræatum inſtitueret. Non immerito igitur reputaverimus, pro luſtratione & expiatione perpetuorum Nazaræorum ſuos fuiſſe deſtinatos ritus, quorum Lex non meminerit: nec maculas, quas forte quis contraherat, id genus Nazaræatus perpetuo aboleviſſe. Nec excidiſſe pariter Samſonem a Nazaræatu credimus, cum crines capitis præcidi paſſus eſt; perſeveravit enim pro viribus in propoſito ſervandi Leges omnes profeſſionis ſuæ; nec abraſionem illam crinium ſponte, ſed per injuriam tantum & invitus paſſus eſt.

Ipse incipiet liberare Israel. Cœpit quidem, ſed grande opus, liberandi ſcilicet penitus Iſraelitas Philiſtæorum manibus, non abſolvit, ejus enim perficiendi honor Samueli & Sauli debebatur. Philiſtæi validiores erant in regione toto Samſonis tempore; validiſſimi adhuc labentibus annis Heli Summi Sacerdotis, ut deinceps patebit. Diſcrimini ſe primus exponet, ut Iſraelem eximat a periculo. Confer Julium Cæſarem Comment. lib. 7. in principio: *Omnibus ſollicitationibus ac præmiis depoſcunt, qui belli initium faciant, & ſui capitis periculo Galliam in libertatem vindicent.*

ỳ. 6. Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis. Viſum a ſe non Angelum reputavit, ſed Prophetam (7), virum inſolitum, a Deo miſſum, majeſtate & aſpectu Divinum atque terribilem. Hebræus ad literam (8): *Vir Dei venit ad me, & aſpectus ejus tamquam aſpectus Angeli Dei, terribilis valde.*

Quem cum interrogassem, quis esset. Contrarium ſonat Hebræus (9): *Et non interrogavi eum, ubi, unde ipſe: & nomen ſuum non indicavit mihi.* Negantem etiam particulam legunt Septuaginta Editionis Romanæ: καὶ οὐκ ἠρώτων. Chaldæus etiam, Syriacus, & Arabs; minime vero Septuaginta Regiæ & Baſileenſis Editionis: καὶ ἠρώτων πόθεν ἐστί; tum & S. Auguſtinus, qui (10) negationis hujus neceſſitatem ſubodoratus, animadvertit primo, in Verſiculo præcedenti non legi, fœminam id quæſiviſſe ab Angelo; II. Incongruam videri hanc mulieris relationem; *quem cum interrogaſſem, unde eſſet, noluit mihi dicere nomen ſuum;* quaſi ſcilicet Angelo reſpondendum fuiſſet ad ea, de quibus non interrogabatur.

ỳ. 8. Oravit itaque Manue Dominum. Suſpicantur quidam (11), Manue ſtimulos aliquos naturalis ſuſpicionis de fide uxoris ſuæ expertum fuiſſe, cum audierit illam ſermonem habuiſſe cum viro alieno, a quo filii naſcituri ſpes facta eſſet. Apologiam tamen illius ſuſcipiens S. Ambroſius Epiſt. lxx. docet, ideo dignum ſe fieri aſpectu viri Dei optaſſe Manue, quod in communionem venire cuperet beneficii divinitus uxori ſuæ collati, expeteretque propius agnoſcere quæ Deus ſibi imperaret. Nec ſane congruum videtur, Dominum malam illam viri ſuſpicionem auferre prodigio voluiſſe, miſſo iterum in eam rem cœlitus Angelo.

ỳ. 12. Quid vis ut faciat Puer, aut a quo se

(1) Euſeb. Genebr. Lyr. Toſtat. &c. (2) Torniel. Salian. Bonfr. &c. (3) Judic. xv. 9. 10. (4) ỳ. 16. 21. (5) Vide Auguſt. qu. 50. & Serar. qu. 4. (6) Vide Bonfr. hic. (7) Junath. Vatab. Druſ. alii paſſim. (8) איש האלהים בא אלי ומראהו כמראה מלאך האלהים נורא מאד (9) ולא שאלתיהו אי מזה הוא ואת שמו לא הגיד לי (10) Qu. 51. in Judic. (11) Joſeph. l. 5. Antiq. c. 10. ὡς μανιώδης ὢν ἔρωτος ἐπὶ τῇ γυναικί, καὶ διὰ τοῦτο ζηλότυπος ὑπάρχων.

Digitized by Google

ſe observare debebit ? Hebræus (1) : *Quod erit jus pueri , & quod opus ejus ?* Nomen juris , vel judicii uſurpatur ſæpe pro more , uſu & ratione agendi.

℣. 13. Abstineat se. Ut hæc & quæ verſiculo ſequenti legimus, de fœmina exponantur, imperat Textus Hebræus.

℣. 15. Obsecro te , ut acquiescas precibus meis : ut faciamus tibi hœdum de capris. Hebræus ad literam (2): *Retineamus nunc te, & faciamus ad facies tuas hœdum caprarum*. Apud Hebræos, uti apud Latinos Græcoſque, verbum *facere* uſurpatur ſæpe pro, parare in cibum, vel offerre in ſacrificium (3). Angelum utique non agnoverat Manue, rogabatque ſolummodo, ut cibos ſibi inſtrui pateretur. Reſpondit Angelus, ſe quidem nihil de iis cibis guſtaturum ; pararet autem, ſiquidem vellet, holocauſtum Domino offerendum. Veterum guſtum quoad cibos hic expreſſum habemus : inter dapes omnes delicatiſſimum hœdum reputabant. Nihil ad excitandum guſtum Iſaaci aptius paraodum ſibi cenſuit Rebecca. Angelum a ſe viſum convivio excipiens Gedeon, hœdum appooit. Samſon, ut irritatum uxoris ſuæ animum ſibi conciliaret, hœdum munere attulit. Veteres, uti Ariſtophanes, Athenæus, Juvenalis, aliique, hœdum tamquam omnium ciborum, quibus convivia inſtruantur, delicatiſſimum laudant. Valetudini autem cooferre plurimum, Medicorum judicio ſcimus. Purro guſtus in dapibus alius nunc obtioet (4).

℣. 17. Ut honoremus te. Seu potius, ut grati animi noſtri ex accepto beneficio pignus aliquod vel mercedem accipias. Hoc ſenſu frequenter uſurpatur verbum *honorare*. *Qui bene præſunt Presbyteri , duplici honore* (duplici præmio , vel mercede) *digni habeantur* , ait Apoſtolus 1. ad Timoth. v. 17.

℣. 18. Cur quæris nomen meum , quod est mirabile ? Hebræus (5) : *Ut quid interrogas nomen meum ? illud eſt Peli*. Vox hæc *Peli* ſonat admirabile, myſteriis occultum , latens ; accipi etiam merito poteſt pro peculiari nomine Angeli cum Manue colloquentis. De ortu Meſſiæ agens Iſaias, futurum dicit, ut referat nomina *Pele*, vel *Pele*, id eſt, admirabilis , Conſiliarii , Dei fortis &c. Angelum Jacobi appellarunt Rabbini *Peli-El* (6). Sed vero ſimilius arbitramur, Angelum hunc nomen ſuum Manue tacuiſſe , virumque admonuiſſe ſolummodo , nomen eſſe homines celandum , tanquam quid occultum , myſteriis ſublime & incognitum . Ita explicant Chaldæus , Septuaginta , Vulgata , & Commentariorum Scriptores plerique.

Sunt (7) qui ſententiam hanc dividentes reddant : *Cur quæris nomen meum ?* Et Angelus *fuit admirabilis* . Demonſtravit , quis eſſet , indicio prodigiorum , quæ coram illis mox patravit ; demonſtravitque ſe rem eſſe plane *admirabilem* . Maluerim ego ad Deum referre, in hanc ſententiam : *Cur quæris nomen meum? Deus eſt unus admirabilis* ; ipſe ſolus obſequia tua , & grati animi ſignificationes meretur; quippe qui ſolus acturus eſt ea , quæ futura nuncio , prodigia . Huic expoſitioni favet ſeries narrationis ; ſtatim enim legimus, Manue obtuliſſe hœdum ſuum & liquores *Domino, qui facit mirabilia*. Nulla tamen neceſſitas cogit , Vulgatæ, & communem interpretationem deſerere.

Sciſcitandi ratio eſt hic , an Angelis ſua ſint nomina peculiaria , Author Libri *De mutatione nominum* , inter opera Philonis , vetat , ne inter naturas immortales quæramus nomina , quæ rerum creatarum ſigna ſunt, & indicia. Docet pariter Toſtatus , nulla eſſe Angelis peculiaria nomina ; neque enim iis indigent ſive ut ab aliis , ſive ut inter ſe cognoſcantur . Quid tamen prohibet, quin habeant nomina , ſingulorum dotes, munera & gradus indicantia ? Quis etiam nobis probibet , quin illis nomina imponamus , quibus ſignificentur dotes, quæ nobis revelatæ ſunt, ſeu effectus, quos ſpectantibus nobis producunt ? Unde igitur nomina Gabrielis, Raphaelis , Michaelis, nota adeo in Scriptura ? Equidem ſi Angelos ad Deum ac ſubſtantias ſpirituales referas , illi peculiaribus nominibus , quæ concepta voce exprimantur, carent ; minime tamen inde colligas, ſingulos beatos illos Spiritus , cum ſuas habeant peculiares, ac ſingulares dotes, a dotibus aliorum diſtinctas, per eas ſingulos Angelos deſignari non poſſe, ea plane diſtinguendi ratione, quam Deus optimam novit , cum uni illorum conſilia ſua manifeſtat ; & qua pariter Angeli ſe mutuo diſtinguunt , cum alter alteri intimos mentis ſuæ ſenſus pandunt.

℣. 19. Posuit super petram , offerens Domino , qui facit mirabilia . Hebræus ad literam (8) , *Poſuit ſuper petram Domino , & ei qui facit mirabilia* . Quod duplici ſenſu reddi poteſt : Obtulit victimas Domino , mira patranti ; vel obtulit Domino & Angelo , qui oomen ſibi eſſe admirabile revelaverat. Commode etiam redditur : *Obtulit illas Domino , & Angelus fecit mirabilia* , e lapide ignem educens . Poſtremum hoc tamen ſilet Scriptura , quamquam vulgo Commentariorum Scriptorea (9) admittunt . Aſſerit id apertiſſime Joſephus (10), tradens , Angelum extremitate virgæ , quam gerebat , tetigiſſe carnes , ſtatimque prorupiſſe e lapide flammam, quæ carnes & panes abſumpſit ; tum columna fumi , ex holocauſto illo ſeſe efferentis in Cœlum , veluti curru vectum Angelum ad ſuperos aſcendiſſe . Igitur non immerito affirmaverimus . Angelum ipſum per ſe ſacrificium obtuliſſe, munere Sacerdotis fungendo (11); ignem enim holocauſto ſubjecit, & in tota hac cæremonia Manue , impoſitis lapidi carnibus , pane & liquoribus , meram cum uxore ſpectatoris partes obivit. In his autem omnibus leges conſuetæ ſacrificiorum neglectæ ſunt; carnes enim coctæ & ſuper petram oblatæ ſunt : qui ignem holocauſto ſubjecerit , Angelus fuit , non Sacerdos . Inſueta ſunt hæc omnia & ſingularia ; ſed in his rebus , cum Deus prodigia ſua exerit , regulas plerumque communes & conſuetas tranſcendit.

℣. 22. Morte moriemur , quia vidimus Deum. Sæpe alibi animadvertere licuit , communi apud veteres opinione vulgatum eſſe , neminem , qui cœleſtem aliquam formam intuitus fuiſſet , vitam prorogare ulterius poſſe . Intellexit Manue , Angelum ſe habuiſſe in conſpectu , ut hic , ℣. 21. narratur, Vidiſſe tamen ſe Deum , nunquam credidiſſe videtur. Textus originalis legit (12): *Vidimus Elohim* ; quæ appellatio eſt communis Deo, Angelis , viris principibus, Judicibus, Regibus.

℣. 24. Vocavit nomen ejus Samson . Id nominis impoſuit mater, quod ſæpe alibi in Scriptura animadvertere licet (13) . Nomen *Samſon* derivatur

(1) מה יהיה משפט הנער ומעשהו 70. τί ἔσαι τὸ σύγκριμα τοῦ παιδαρίου, καὶ τὰ ἔργα αὐτοῦ. (2) נעצרה נא אותך ונעשה לפניך גדי עזים (3) Vide Exod. xxix. 36. & xii. 47. & Gen. xvii. 7. &c. Virgil. Eclog. iii. *Cras faciam vitula*. (4) Vide Boch. de anim. ſacr. par. 1. lib. 2. c. 52. (5) למה זה תשאל לשמי והוא פלאי (6) Vide Serar. qu. 15. & apud eum, Cabaliſtas. Item Leon. Caſtr. in Iſai. ix. apud eumdem qu. 17. (7) Jun. & Tremel. (8) ויעל על הצור ליהוה ומפליא לעשות (9) Vat. Druſ. Piſc. Kimchi , &c. (10) Joſeph. Antiq. l. 5. c. 10. Ἅπτεται τῇ ῥάβδῳ ἣν εἶχε τῶν κρεῶν. τὰ δὲ, λαμψάντος πυρὸς, ἅμα τοῖς ἄρτοις ἀνηλοῦτο, καὶ ὁ ἄγγελος διὰ τοῦ καπνοῦ ὥσπερ ὀχήματος ἀνιὼν εἰς οὐρανὸν, αὐτοῖς φανερὸς ἦν. (11) Ita Cajet. Menoch , Bonfr. (12) כי אלהים ראינו (13) Vide Gen. iv. 1. 25. & xxx. 7. 8. 11. 13. & xxxv. 18.

vatur ex radice, quæ Solem, vel ex alia, quæ gaudium ſignificat. Sunt qui virum hunc appellatum credant *Badan* in Libris Regum (1), idcirco ſcilicet, quod Samſon ad Danitas pertineret. Sed cujus eſſet Tribus Badan, ignoratur: ſucceſſit autem ille facile Gedeoni, poſt quem Samuel Badanum recenſet: Samſon vero diu poſt utrumque claruit.

Benedixit ei Dominus. Protectionis ſuæ argumenta illi exhibuit, cumulavitque beneficiis, comparavit ad grandia illa, ad quæ deſtinabatur, beneficiorum copia, & robore illo mirabili, quo virum inſtruxit.

℣. 25. Cœpitque spiritus Domini esse cum eo. Ille, qui virum afflabat, Spiritus ſpecimen ſui exhibuit, conſilium inſpitans procurandæ fratribus ſuis libertatis, & robur bellicumque ardorem communicans, ut argumentum jam tum capere liceret, quantus futurus eſſet in poſterum. Textur Hebræus varie redditur (2): *Spiritus Domini cœpit illum percutere*, ut in incudine ferrum tunditur. Septnaginta (3): *Spiritus Domini cœpit egredi cum eo*; dirigere illum & deducere. Jonathan: *Spiritus Domini cœpit illum ſanctificare*.

In castris Dan. In loco nempe Caſtra Dan appellato, quod Tribus illa hic conſtitiſſet, quo tempore fratres ejus ad ſuffurandum Idolum Michæ ſeſe contulerant, ut infra xviii. narratur. Locus erat habitationis Manue, patris Samſonis (4).

Saraa et Esthaol. Situm urbis Saraæ ſupra, ℣. 2. definivimus. Eſthaol locus erat *Saraæ* proximus, in Tribu Dan. Saram & Eſthaol x. m. paſſibus ab Eleutheropoli, ad ſeptemtrionem, Euſebius conſtituit.

[1] 1. Reg. xi. 11. *Miſit Dominus Jerobaal & Badan, & Jephte & Samuel.* [2] ותחל רוח יהוה לפעמו
[3] ἤρξατο πνεῦμα κυρίου συμπορεύεσθαι αὐτῷ. [4] Judic. xiii. 2.

CAPUT XIV.

Samſon uxorem Philiſtæam ducit; ænigma paranymphis proponit: illique, prodente uxore, arcanum pervadunt. Sponſa ſe abdicat, & in domum patris ſui redit.

℣. 1. Deſcendit ergo Samſon in Thamnatha, videnſque ibi mulierem de filiabus Philiſthiim, 2. Aſcendit, & nuntiavit patri ſuo, & matri ſuæ, dicens: A. M. 2867. ante J. C. 1137.
Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philiſthinorum: quam, quæſo, ut mihi accipiatis uxorem. 3. Cui dixerunt pater, & mater ſua: Numquid non eſt mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philiſthiim, qui incircumciſi ſunt? Dixitque Samſon ad patrem ſuum: Hanc mihi accipe: quia placuit oculis meis. 4. Parentes autem ejus neſciebant, quod res a Domino fieret, & quæreret occaſionem contra Philiſthiim, eo enim tempore Philiſthiim dominabantur Iſraeli. 5. Deſcendit itaque Samſon cum patre ſuo, & matre in Thamnata. Cumque veniſſent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis ſævus, & rugiens, & occurrit ei. 6. Irruit autem Spiritus Domini in Samſon, & dilaceravit leonem, quaſi hædum in fruſta diſcerpens, nihilque omnino habens in manu: & hoc patri, & matri noluit indicare. 7. Deſcenditque, & locutus eſt mulieri, quæ placuerat oculis ejus. 8. Et poſt aliquot dies revertens, ut acciperet eam, declinavit, ut videret cadaver leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat, ac favus mellis. 9. Quem cum ſumpſiſſet in manibus, comedebat in via, veniensque ad patrem ſuum, & matrem, dedit eis partem, qui & ipſi comederunt: nec tamen eis voluit indicare, quod mel de corpore leonis aſſumpſerat. 10. Deſcendit itaque pater ejus ad mulierem, & fecit filio ſuo Samſon convivium: ſic enim juvenes facere conſueverant. 11. Cum ergo cives loci illius vidiſſent eum, dederunt ei ſodales triginta, ut eſſent cum eo. 12. Quibus locutus eſt Samſon; Proponam vobis problema: quod ſi ſolveritis mihi intra ſeptem dies convivii, dabo vobis triginta ſindones, & totidem tunicas: 13. Sin autem non potueritis ſolvere, vos dabitis mihi triginta ſindones, & ejuſdem numeri tunicas. Qui reſponderunt ei: Propone problema, ut audiamus. 14. Dixitque eis: De comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo: nec potuerunt per tres dies propoſitionem ſolvere. 15. Cumque adeſſet dies ſeptimus, dixerunt ad uxorem Samſon: Blandire viro tuo, & ſuade ei, ut indicet tibi, quid ſignificet problema: quod ſi facere nolueris, incendemus te, & domum patris tui: an idcirco vocaſtis, nos ad nuptias, ut ſpoliaretis? 16. Quæ fundebat apud Samſon lacrymas, & querebatur dicens: Odiſti me, & non diligis: idcirco problema, quod propoſuiſti filiis populi mei, non vis mihi exponere. At ille reſpondit: Patri meo, & matri nolui dicere: & tibi indicare potero? 17. Septem igitur diebus

bus convivii flebat ante eum : tandemque die ſeptimo cum ei eſſet moleſta expoſuit. Quæ ſtatim indicavit civibus ſuis : 18. Et illi dixerunt ei die ſeptimo ante ſolis occubitum ? Quid dulcius melle, & quid fortius leone ? Qui ait ad eos : Si non araſſetis in vitula mea, non inveniſſetis propoſitionem meam. 19. Irruit itaque in eum ſpiritus Domini, deſcenditque Aſcalonem, & percuſſit ibi triginta viros, quorum ablatas veſtes dedit iis, qui problema ſolverant. Iratuſque nimis aſcendit in domum patris ſui : 20. Uxor autem ejus accepit maritum unum de amicis ejus, & pronubis.

℣. 2. VIDI MULIEREM IN THAMNATHA DE FILIABUS PHILISTINORUM, QUAM QUÆSO UT MIHI ACCIPIATIS UXOREM. Samſon ætatis mediæ inter annum decimum ſeptimum, & decimum octavum (1) Thamnatham ſe contulit ; cur vero, ignoramus. Forte in puellam quamdam Philiſtæam incidens, uxorem illam ſibi poſtulat. Jacebat Thamnatha in aditu ditionis Juda (2), tranſivitque deinceps ad Danitas (3) ; paruiſſe autem tunc temporis Philiſtæis, ex hac hiſtoria Samſonis conſtat. Eripuit illam Philiſtæis David, rurſus vero Philiſtæi redegerunt in poteſtatem ſub Regno Achaz (4). Toparchiæ & reguminis Thamnathæ meminit Joſephus (5) & Plinius (6). Jacuiſſe in finibus Liddæ vel Dioſpolis, Jeroſolymam verſus, ſcribit Euſebius.

℣. 3. QUIA VIS ACCIPERE UXOREM DE PHILISTHIM, QUI INCIRCUMCISI SUNT. Connubia cum exteris mulieribus (7) Lex interdicebat Hebræis, metu ſcilicet, ne ſeducti pellicerentur in Idololatriam. Nihilominus Samſon, quem Deus Liberatorem populi ſui deſtinabat, apertam Legis cautionem hanc violat, & uterque ejus parens, qui Dei conſilia non ignorabant, quique ſibi imperatum norant, ſedulo caverent ne quid maculæ ille contraheret, illi connubio aſſentiuntur mira facilitate, poſtquam frigide tantummodo admonuerunt : *Numquid non eſt mulier in filiabus fratrum tuorum, quia vis accipere uxorem de Philiſthiim, qui incircumciſi ſunt?*

Quid vero de hac actione Samſonis reputemus? Commentariorum Scriptores fere omnes illum excuſant (8), rati, peculiari mandato, vel ſaltem Numinis permiſſione id admiſiſſe, dictante inſuper atque impellente intus Numine, ut opportuna hæc præberetur occaſio belli atque diſſidii inter Hebræos ac Philiſtæos. An vero non præſtat cum Theodoreto (9) reum agere virum Legis apertiſſime violatæ ? Quamquam permiſit Deus, ut Samſon amore fœminarum non ſæpe caperetur, ut ea occaſione ad inferendam Philiſtæis injuriam armaretur ; non tamen recte hinc inferas, id malum fuiſſe a Deo comprobatum. In gloriam ſuam transfert Deus vel inſignes hominum lapſus, non tamen idcirco culpa abſolvit.

Quod comminiſcuntur Hebræi, uxorem hanc ſuam Samſonem ad Judæorum ſacra traduxiſſe, antequam connubia celebraret, nullo Hiſtoriæ fundamento nititur : quod vero hic, ℣. 4. legimus, *Parentes ejus neſciebant, quod res à Domino fieret*, illud a Domino probatum eſſe, & Spiritu intus agente factum eſſe non oſtendit. Conſilium quidem ulciſcendi fratres ſuos, bellique in Philiſtæos gerendi Dominus ſuggerere potuit ; ſed agendi contra Leges ſuas voluntatem inſpirare non potuit, cum præſertim aliæ plures rationes exequendi propoſitum Deo præſto ſint. Cum Rebecca induxit Jacobus, ut furtim benedictionem Iſaaco ſurriperet, id utique præſtitit agens in illa Dei Spiritus ; privato autem conſilio ſuo ſuggeſſit illa filio, ut mendacium in eam rem adhiberet. Uſurpat ſæpe Scriptura, Deum velle, Deum facere, quidquid Deus tantum permittit. Ita induratum dicitur a Deo cor Pharaonis (10) ; voluntatis fuiſſe Dei, ut Chananæi obdurarentur (11), nec pacem ſibi á filiis Iſraelis poſtularent, ut ſcilicet delerentur. S. Ambroſius (12) connubium illud Samſonis proponit in exemplum diſcriminis, in quod facile incurritur, cum connubia cum exteris conciliantur ; qua in re illum gratia, qua præſtabat, deſtitutum fuiſſe credit : *Et ipſe perditus eſt, & ipſe per mulierem non potuit ſuam tenere gratiam.* Totidem ferme verbis alibi idem repetit (13) : *Utinam tam cautus ad ſervandam gratiam, quam fortis ad ſuperandam beſtiam!*

℣. 4. NESCIEBANT, QUOD RES A DOMINO FIERET, ET QUÆRERET OCCASIONEM CONTRA PHILISTIIM. Hebræus ad literam (14) : *Non ſciebant, quod a Domino ipſa* res fieret, *quia occaſionem ipſe quæreret a Philiſtæis.* Quis belli hujus gerendi occaſionem a Philiſtæis datam quærebat ? Deus ne, an Samſon ? De Samſone fere omnes interpretantur, rati, præmeditato conſilio Philiſtæam conjugem duxiſſe, & ænigma propoſuiſſe juvenibus paranymphis. Septuaginta (15) : *Paria reddere ipſe quærit alienigenis.*

℣. 5. APPARUIT CATULUS LEONIS SÆVUS, AT RUGIENS. Docent Hebræi, vocem Originalis exprimere leonem ætate validum & roboris plenum, catulo quidem robuſtiorem, leone tamen adulto minorem. Hebræus ad literam (16) : *Catulus Leonis, filius leænarum.*

℣. 6. IRRUIT SPIRITUS DOMINI IN SAMSON. Inſolito robore & animi virtute auctum ſe ſentit. Hinc vides, robur illud Samſonis ſupernaturali & prodigioſo munere conceſſum fuiſſe, quippe quod Spiritus Dei inſpiraret. Donum erat permanens & perpetuum, Dei voluntate pendens ex coma viri, & profeſſione Nazaræatus.

℣. 7. DESCENDITQUE, ET LOCUTUS EST MULIERI. Exponunt hoc alii (17) de patre Samſonis, qui Thamnatham veniens, cum puella Philiſtæa de nuptiis cum Samſone egerit. Malunt alii (18), ipſum per ſe Samſonem omnia confeciſſe. Actum eſſe non cum puella, ſed cum ejus parentibus (19), quorum aſſenſus requireretur, Vatablus arbitratus eſt. Loqui ad mulierem eſt ſæpe proponere illi nuptias. *Quid faciemus ſorori noſtræ in die, quando alloquenda eſt?* ait Sponſus in Cantico (20).

℣. 8. POST ALIQUOT DIES REVERTENS UT ACCIPERET EAM. Hebræus ad literam (21) : *Reverſus eſt poſt*

[1] Uſſer. ſed Junius & Tremellius vix XII. annos illi tribuunt. Serarius XIV. Brougton XIX. [2] Joſue XV. 57. [3] Joſue XIX. 43. [4] 2. Par. XXVIII. 18. [5] Joſeph. l. 4. de Bello c. 26. [6] Plin. lib. 5. c. 14. [7] Exod. XXXIV. 12. Deut. VII. 3. [8] Lyr. Cajet. Arias, Jun. Petr. Mar. Serar. Cornel. Bonfr. & Grot. [9] Theodoret. qu. 21. in Judic. τὸ δὲ ... ὑγεῖν ποιεῖν, ἢ τὴν ἀπόφασιν τοῦ θείου, ἀλλὰ συγχώρησιν τὴν θείαν δηλοῖ. [10] Exod. IV. 21. VII. 3. &c. [11] Joſue XI. 20. [12] Ambroſ. Ep. 19. 1. Claſſ. nov. edit. [13] Idem in Prolog. l. 2. de Spiritu ſancto. [14] לא ידעו כי מיהוה היא כי תאנה הוא מבקש מפלשתים [15] 70. καὶ ἐγνώρισαν ὅτι παρὰ Κυρίου ἐστὶν ὅτι ἀνταπόδομα αὐτὸς ζητεῖ ἐκ τῶν ἀλλοφύλων. [16] כפיר אריות 70. σκύμνος λέοντος. [17] Jun. & Tremel. [18] Piſc. & alii plures. [19] וידבר לאשה *Verba habuit de muliere apud parentes illius.* Vat. [20] Cantic. VIII. 8. Vide Geneſ. XXIV. 57. [21] וישב מימים לקחתה

Digitized by Google

poſt dies ad accipiendum eam . Docent Rabbini (1) reditum ſuum diſtuliſſe Samſonem ad annum ; quod temporis ſpatium puellis concedi ſolet, ut ad nuptias ſe præparent. In hanc ſententiam concedunt Chaldæus, Arabs, Perſa, & eximii plures Scriptores (2) ; ſatiſque inter omnes convenit, *dies* uſurpari ſæpe pro *anno* (3). Inficiari utique non poſſumus , diuturnum temporis ſpatium inter ſponſalia & nuptias interceſſiſſe ; eo enim intervallo apes ſavum ſuum in cadavere leonis a Samſone interfecti confecerant. Quod utique fieri non poterat, niſi poſtquam ſanies cadaveris tota effluxiſſet , & caro tota penitus tabuiſſet . Ex Libro Eſther (4) conſtat , integro anno ſeſe comparaſſe puellas , quæ nuptiis Regis Perſarum deſtinabantur : quamquam autem nullo argumento demonſtrari poſſit, eum morem apud privatos etiam obtinuiſſe , ambigendum tamen non eſt , apud Hebræos longum temporis intervallum ſponſalia a nuptiis ſejungere.

ECCE EXAMEN APUM IN ORE LEONIS ERAT , AC FAVUS MELLIS . Examen hoc apum conſediſſe intra corpus leonis , ubi & mel erat , habet Textus Originalis (5) . Nec difficile intelligimus , examen aliquod apum calvariam leonis , vel nudorum oſſium compagem, poſt reſolutas carnes diſſipatamque ſaniem, ut jam animadvertimus , ſubiiſſe. Tradit Herodotus (6), apum examen recepiſſe ſe in arentem calvariam Oneſyli , Cypriorum tyranni , poſtquam reciſum ejus caput appenſum diu relictum fuerat . Scitum eſt , apes obſediſſe ſepulchrum Hippocratis, ibique diu perſeveraſſe (7). Conſtat inſuper, illas malum odorem fugere, nec unquam accedere ad putrida cadavera , ſive ad ſanguinem , aut morticina , vel adipem (8): *Nemo has vidit in carne, aut ſanguine , aut adipe* . Qua igitur ratione in leonis cadavere, cujus præ cæteris animalibus fœtidiſſima eſt corruptio ? Commentariorum Scriptores quidam (9) explicant hic non de apibus , ſed de veſpis, vel alio muſcarum genere , ex illis nempe, quæ ſaniem amant, ſive humi , ſive in locis aliis ſordidis nidificant. At num ejuſmodi muſcæ mellificant ? an appellantur unquam in Scriptura nomine *Deborim* , quod ita peculiare eſt apum , ut aliis nunquam conveniat?

Malunt alii (10) , apes, quæ in cadavere leonis mellificarunt, e ſanie ipſa cadaveris ebulliiſſe. Probant authoritate Veterum , e corruptis bovis carnibus gigni apes , uti veſpas ex equi (11) & ſcarabæos ex aſini , Artem qua novæ apes reparentur, extinctis veteribus, docet Virgil. (12).

Exiguus primum , atque ipſos contractus ad uſus
Eligitur locus : hunc anguſtique imbrice tecti,
Parietibuſque premunt altis : & quatuor addunt
Quatuor a ventis adverſa luce feneſtras.
Tum vitulus bima curvans jam cornua fronte
Quæritur : huic geminæ nares & ſpiritus oris
Multa reluctanti obſtruitur : plagiſque perempto
Tunſa per integram ſolvuntur viſcera pellem.
Sic poſitum in clauſo linquunt , & ramea coſtis
Subjiciunt fragmenta , thymum, caſiaſque recentes.
Hoc geritur Zephyris primum impellentibus undas,
Ante novis rubeant quam prata coloribus, ante
Garrula quam tignis nidum ſuſpendat hirundo.
Interea teneris tepefactus in oſſibus humor
Æſtuat : & viſenda modis animalia miris,
Trunca pedum primo, mox & ſtridentia pennis
Miſcentur, tenuemque magis magis aera carpunt.

Non abs re credimus , apes ebullientes e cadavere vituli ova prius fuiſſe, in herbis ab illo voratis latentia , quæ calore alvi & viſcerum fota , explicatint ſeſe in germina , cum vitalibus ſpiritibus pervia animal reddiderint , quod tandem ex ovo excluditur. Aluntur boves herbis floribuſque , unde apes mella ſugunt ; quare frequenter in iis ova deponunt. Forte etiam virentes rami, & ſuaveolentes herbæ , quibus cadaver mactati contuſique bovis operitur , invitant apes , quæ herbis virentibus gratoque herbarum odore delectantur: eo autem venientes, ova ibi relinquunt, quæ loci calore, & humore corporis fota, excluduntur; recentes vero apes nutriuntur aliquandiu iis carnibus, donec tandem adultæ auctæque viribus evolant.

Verum nec ratio , nec experientia ſimile quid de leone ſuppeditant . Samſon occiſum a ſe leonem laceraverat, nihil ſervarat eorum , quæ præſcribuntur ad apes e cadavere educendas, etſi ejus carnes in eam rem idoneæ reputarentur . Denique quamvis in leone omnia ad eam generationem apta conſtituantur , quæ in vitulo ſunt , quamvis leonis carnes aptiſſimæ cenſerentur ad producendas apes ; unde mel , quod ibi Samſon nactus eſt ? Apes , e cadavere occiſi leonis ebullientes, patrias haſce ſedes repetierunt, ut mella ſufficerent Samſoni , ejuſque parentibus , tum futuræ illius Sponſæ, ſiqua fides Joſepho (13) , & S. Ambroſio (14)? Præſtat igitur priore loco expoſitam ſententiam retinere ; Samſonem ſcilicet poſt aliquot menſes , & forte poſt annum ab obligata ſponſalibus fide, repetiiſſe Thamnatham , nactumque ibi fuiſſe in compage oſſium leonis favum mellis, apum eo collectarum munus.

℣. 10. DESCENDIT ITAQUE PATER EJUS AD MULIEREM , ET FECIT FILIO SUO SAMSON CONVIVIUM. Manue , pater Samſonis , una cum eodem filio & uxore , venit Thamnatham , connubium Samſonis cum Philiſtæa confecturus. Textus Hebræus prono ſatis ſenſu accipitur , veluti ſi Samſon ipſe convivium præpararit (15) ; quam interpretationem ſecuti ſunt Septuaginta (16), Chaldæus, & alii nonnulli. Optime autem cohæret verbis proxime ſuccedentibus , cum addat ſacer Textus : *Sic enim juvenes facere conſueverant.*

℣. 11. DEDERUNT EI SODALES TRIGINTA , UT ASSENT CUM EO. Cenſuere (17) quidam, cives Thamnathæ , cum de Samſone nonnihil vererentur , lateri ejus addidiſſe triginta juvenes, honoris quidem ſpecie, re tamen vera, ut virum ſedulo obſervarent . Satis tamen conſtat , Samſonem illos invitaſſe , uti ℣. 15. legimus : *An idcirco vocaſtis nos ad nuptias , ut nos ſpoliaretis?* Rogaſſe igitur videtur Urbis Optimates, ut comitatum ſibi aliquorum juvenum concederent , e quibus tricenos impetrarit . Exemplis in Scriptura frequentibus diſcimus, novos conjuges nuptialibus quidem diebus nunquam ad latus non habuiſſe amicos , &

[1] Kimchi, Rab. Sal. apud Serar. qu. 10. [2] Arias Mont. Scalig. lib. 4. de Emendat. Boch. de anim. ſacr. p. 2. lib. 4. cap. 9. [3] Vide Judic. XIX. 2. Levit. XXV. 29. Exod. XIII. 10 1. Reg. 1. 3. [4] Eſth. II. 12. *Expletis omnibus , quæ ad cultum muliebrem pertinebant , menſis duodecimus vertebatur.* [5] והנה עדת דברים בגוית האריה ודבש Joſeph. in pectore, ἐν σώματι. Amb. Ep. 19. in utero. [6] Herodot. lib. 5. c. 114. κρεμαμένης δὲ τῆς κεφαλῆς , καὶ ἤδη ἐούσης κοίλης , ἐσμὸς μελισσέων ἐσδὺς ἐς αὐτὴν , κηρίων μιν ἐνέπλησε. [7] Vide Vit. Hippocrat. [8] Varro , & Plin. lib. XI. c. XI. [9] Lyr. & Abul. qu. 13. [10] Vide Serar. qu. 10. Cornel. a Lapide hic , Bonfr. Boch. de animal. ſacr. parte 2. lib. 4. cap. 9. [11] ἵπποι μὲν σφηκῶν γενεά, μόσχοι δὲ μελισσῶν. Apud Varron. [12] Virgil. Georgic. lib. 4. Vide & Ovid. Faſt. lib. 1. & Metamorph. l. 15. Varro de re Ruſt. l. 2. c. 5. Columel. lib. 9. cap. 14. Plin. l. XI. c. 20 Suid. in Βουγενεῖς, &c. [13] Joſeph. l. 5. c. 10. [14] Ambr. Ep. 19. [15] ויעש שם שמשון משתה [16] Καὶ ἐποίησεν ἐκεῖ Σαμψὼν πότον. [17] Joſeph. lib. 5. c. 10. Menoch. Jun. Piſc. Grot. Cajet. Ita & Interpretes Græci : ἐν τῷ φοβεῖσθαι αὐτοὺς προσκατέστησαν αὐτῷ ἑταίρους τριάκοντα. Legit כיראם, *Cum timerent*, pro כראותם, *Cum viderent*.

pares ætate adoleſcentes, quas Scriptura appellat Amicos Sponſi, vel Pueros nuptiarum (1). Adoleſcentes autem illi nuptiali quidem tempore omnibus publicis oneribus vacaſſe feruntur (2).

Ỷ. 12. Proponam vobis problema. Voces Originalis (3) exprimunt genus omne quæſtionis obſcuræ, ænigmaticæ & ingenioſæ. Meminit Scriptura (4) ænigmatum, vel problematum, quæ Regina Saba Salomoni propoſuit. Joſephus in primo Libro contra Appionem, ex teſtimonio Dii, & Meoandri, tradit, Hiramum Regem Tyri, & Salomonem Regem Judæorum invicem ſe provocaſſe propoſitis ænigmatibus, Sapientia Ægyptiorum in hac ænigmatum philoſophia potiſſimum verſabatur: regnabat hæc in eorum Scholis, Religione, politica. Dogmata ſua nonniſi ſub ænigmatum ambagibus tradebant Pythagorici (5).

Olim apud Græcos (6) mos obtinebat in conviviis, ut *griphos*, γρίφους συμποτικούς, quæſtiones nempe obſcuras, curioſas, difficiles proferentes, explicationes elicerent; cui vero res ſucceſſiſſet, ille præmio donabatur, corona plerumque, ſeu cratere ſpumantis vini pleno; qui victus ceſſiſſet, cogebatur aut frigidæ, aut vini aqua marina diluti poculum uno hauſtu bibere. Interdum Numini, cujus celebrabatur Feſtum (7), offerebatur corona illi deſtinata, qui problema ſolviſſet, ſi nemo e convivis nodum explicaſſet: interdum vero præmium illi cedebat, qui ænigma propoſuerat. Ænigmatum ejuſmodi exempla habes apud Herodotum, & in convivio ſeptem ſapientum, inter opera Plutarchi, ac tandem in vita Æſopi.

Nonnulla hic recitabimus ex Athenæo (8), quæ affinitatis habent aliquid cum ænigmate Samſonis, & ingenium Veterum in ea re demonſtrant. Attulerat Simonides ad fabrum ferrarium ſecurim, quam in uſum Sacrificii Bacchi deſtinaverat: nactus autem fabrum illum dormientem, jacenteſque temere prope illum, cancrum & utrem, obverſa inter ſe anteriori parte, dormientem fabrum relinquens, ſecurim ſuam apud ſe retulit, propoſuitque ſodalibus ænigma: *Hædi varias mixtim herbas depaſcentis pater, & infelix piſcis, capitibus proxime admotis confixerunt: noctiſque deinde filio in palpebras recepto, Bacchi Regis boum interfectorem miniſtrum nutricari nolunt*. In hac vero quæſtione *pater hædi* eſt uter; *miſer piſcis*, cancer; *noctis filius*, ſomnus; *Bacchi miniſter boum interfector*, ſecuris. En alterum Theognidis griphum:

Ἤδη γάρ με κέκληκε θαλάσσιος οἴκαδε νεκρός,
Τεθνηκὼς ζωῷ φθεγγόμενος στόματι.

Jam me domum acceſſivit marinus defunctus,
Mortuus quidem, vivo tamen ore loquens.

Marinus defunctus, piſcis e teſtaceorum genere, cujus eſu Theognis delectabatur: *vivum os quo piſcis loquitur*, eſt concha, qua olim pro tuba utebantur. Virgilius:

Sed cum forte cava dum perſonat æquora concha.

Dabo vobis triginta sindones, et totidem tunicas. Hebræus (9): *Dabo vobis triginta ſedinim, & triginta mutatorias*. Prior vox idem ſonat ac Græca *Sindones*, uſurpaturque de lineis veſtibus cum fimbriis; earum autem uſus invaluiſſe potiſſimum apud Phœnices videtur. Martialis lib. iv.

Non ſic in Tyria ſindone tectus eris.

Mulier fortis Salomonis elaboratam a ſe ſindonem, & cingulum vendidit Phœnicibus (10); filias Jeruſalem id genus veſtium geſſiſſe indicat Iſaias (11); generatim vero conſtat, veſtes conſuetas Ægyptiorum, Hebræorum, & veterum Græcorum lineas fuiſſe; perſuaſumque mihi eſt, ſindonem, qua corporis nuda tegebantur, eamdem fuiſſe ac tunicam. S. Marcus in Hiſtoria Paſſionis meminit adoleſcentis, qui ſindone indutus ſuper nudum, cum a militibus teneretur, relicta in eorum manibus ſindone, nudus profugit (12).

Quid ſint *mutatoriæ veſtes*, ſatis exploratum non eſt. S. Hieronymus hic tunicas tantum reddidit; Septuaginta *ſtolas*, quæ veſtes erant prolixæ, viris æque ac fœminis in Oriente communes. Alii verterunt *veſtes novas & pretioſas*. Maluerim ego cum Syriaco reddere *par veſtium*, id eſt, tunicam & pallium (13). Daturum ſe ſpopondit *ſindonem*, id eſt, tunicam, addit & pallium, quod nomine *mutatoriæ veſtis* deſignat. Favet huic expoſitioni verſiculus 19. ubi Samſon fidem a ſe datam triginta hiſce juvenibus Philiſtæis liberaturus, triginta Philiſtæorum a ſe interfectorum exuvias illis diſtribuit, ſingulis ſcilicet ſingulas interfecti Philiſtæi veſtes: facile autem Philiſtæi pallio, & tunica, quemadmodum vicinæ gentes cæteræ, utebantur. Utramque igitur veſtem civibus Thamnathæis largitus eſt Samſon.

Mos largiendi veſtes, ſive muneris, ſive præmii loco, penes Priſcos ſe prodit. Legatos Principum ad ſe venientes Reges Perſarum veſtibus donabant (14). Cyrus minor viro Cilici largitur torquem aureum cum Perſica veſte (15). Decem veſtium paria diſtributa fuere ſingulis militibus, quos ſæva Perſarum crudelitas fœdis vulneribus deformaverat (16). Hodie pariter apud Turcarum Imperatorem munerum fere omnium loco ſunt veſtes: eo venientes Legati ad magnum ejus gentis Imperatorem, veſtes dono dant & accipiunt (17).

Veteri more apud Græcos uſitata erat veſtium largitio facta ſociis nuptialibus; quas veſtes ſponſam diſpertiiſſe indicat Homerus Odyſſ. 6. verſ. 27. 28.

Ỷ. 4. De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo; id eſt, de amaro egreſſa eſt dulcedo. Problematis partes perſpicuæ ſunt, cum hiſtoriam præcedentem norint Lectores; quam ſi quis ignoraverit, qui nodum hunc explicarit? Ænigmatum, quæ Veteres proponebant, ſolutio petebatur interdum e rebus quibuſdam geſtis, privatis ignotiſque, ut productis ſuperius, Ỷ. 12. exemplis demonſtratur. Qui ænigmata noſtra ætate procudunt, ægre admodum probarent veterem hunc morem, qui non ſatis cohærere videtur regulis hodie huic argumento propoſitis.

Hoc Samſonis problema myſtico ſenſu varie exponitur. Philiſtæi leonum more tunc voraturi Hebræos videbantur, ſed deinde viciſſim velut in cibum Hebræorum devenere; ipſaque eadem gens, cujus vires tunc adeo timebantur, quæque Iſraelitas dominico adeo & ſevero imperio premebat, futura erat denique victoriæ illorum jucundum æque, ac ditiſſimum ſpolium. S. Auguſtinus (19) rem totam interpretatur de Jeſu Chriſto,

(1) Vide Matt. ix. 15. Marc. ii. 19. Joan. iii. 29. (2) Arias Mont. (3) אחודה נא לכם חידה
(4) 3. Reg. x. 1. *Regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus.*
(5) Vide Clem. Alex. Stromat. l. 5. (6) Vide Ariſtoph. & Scholiaſt. in veſpis, initio. Et vitam Diodori, cognomento Cioni, apud Laert. Euſtat. in Odyſſ. x. Heſych. in γρῖφος. Phavorinus, Pollux &c. Vide Bonfr. hic. (7) Aul. Gell. l. 18. c. 2. (8) Athen. l. x. c. 22. pag. 456. (9) נתתי לכם שלשים סדינים ושלשים חליפות בגדים (10) Prov. xxxi. 24. *Sindonem fecit & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo.* סדין עשתה (11) Iſai. iii. 23. *Et ſpecula & ſindones & vittas.* (12) Marc. xiv. 51. 52. (13) Vide Geneſ. xlv. 22. (14) Ælian. var. hiſt. l. 1. c. 22. (15) Xenoph. l. 1. Expedit. Cyri. (16) Quint. Curt. l. 5. c. 6. (17) Pietro della Valle tom. 3. lett. 5. p. 128.
(18) מהאכל יצא מאכל ומעז יצא מתוק (19) Auguſt. ſerm. 364. de Temp. nov. edit.

ſto, qui in reſurrectione de ſinu mortis & ſepulchri effuſus eſt, tamquam vivens ac ſpiritualis cibus, & panis viventium; vitam nactus eſt inter eas res, quibus omnia vorantur atque abſumuntur. E corpore hujus Leonis in Paſſione laniati producitur mel beneficiorum & benedictionum cœleſtium; ex eoque ſcatet Eccleſia Chriſtiana, quæ tamquam examen apum per totum orbem volans diffunditur.

℣. 15. Cumque adesset dies septimus; die ſeptima, vel accedente die ſeptima. Sponſam initio Feſti nuptialis rogaverant juvenes, ut ſolutionem ænigmatis a ſponſo perquireret; accedente autem ſeptima die, obnixius rogaturi venerunt. Qui vero id cohæreat cum ℣. 14. narrante, paranymphos triduo laboraſſe, ut nodum extricarent; tum ſeptima die tentaſſe ſponſam Samſonis, ut e viro ſuo ſolutionem ænigmatis ſcrutaretur? Hæc ardua non una ratione ſuperantur. I. Samſon ænigma illud ſuum prima nuptiarum die propoſuit, cujus ſolutionem juvenes toto triduo fruſtra indagarunt; quare ſponſam flagitarunt, ut arcanum a marito exquireret. Nec illa defuit rogantibus, ſollicitavitque virum reliquo Feſti nuptialis tempore: minime autem impetranti fœminæ adoleſcentes minitati ſunt incendium, ſeptima nuptiarum die, niſi tandem ænigmatis ſolutionem aſſequeretur. Illa tunc precibus adjecit lacrymas, quarum importunitate victus Samſon denique arcanum patefecit. Cum legimus ploraſſe fœminam ſeptem diebus Feſti nuptialis, illud accipiendum non eſt de ſeptem integris diebus, ſed tantum de reliquis a quarta uſque ad ſeptimam.

Cenſent alii (1) ſeptimam diem hujus verſiculi non Feſti nuptialis ſeptimam fuiſſe, ſed hebdomadæ ſeptimam, diem Sabbati, quæ quarta erat Feſti nuptialis. Syriacus, Arabs, Septuaginta (2) legunt hic quartam diem pro ſeptima; qua expoſitione dubium omne tollitur.

Eadem hic animadvertere licet, quæ & alibi, in connubio Jacobi cum Lia, Feſtum ſcilicet nuptiarum ad ſeptem dies prorogari conſueviſſe; quin & hanc periodum duplicatam fuiſſe interdum, conſtat ex Tobia (3).

An ideo vocastis nos ad nuptias, ut spoliaretis (4)? Prodit ſeſe in Homero mos ſponſarum donandi veſtibus eos, a quibus ad maritum deducebantur. Minerva ita affatur Nauſicaam (5):

Σοὶ δὲ γάμος σχεδόν ἐστιν, ἵνα χρὴ καλὰ μὲν αὐτὴν
Ἕννυσθαι, τὰ δὲ τοῖσι παρασχεῖν, οἵ κέ σ᾽ ἄγωνται.

Tibi vero nuptiæ inſtant, ubi oportet puras te ipſam
Induere, alias vero illis præbere, qui te ducent.

Juvenes hi, pro recepto more, veſtibus donandi fuerant a ſponſa Samſonis, dolebantque ſe potius cogi dare Samſoni veſtes, ſiquidem ænigma non ſolverent.

℣. 18. Die septimo ante solis occubitum. Diei exordium, & finis apud eas gentes in Solis occaſu conſtituebatur; quare adoleſcentes ante exitum ſeptimæ diei, nondum ſcilicet occidente ſole, propoſiti ænigmatis ſolutionem daturi venerunt.

Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam. Proverbialis hæc loquendi phraſis, *laborare cum vitula alterius* (6) duplici interpretatione, in unum incidente ſenſum, redditur. I. Niſi uxoris meæ ope uſi fuiſtis, niſi illa vobis arcanum aperuiſſet, nunquam illud aſſequuti fuiſſetis (7). II. Niſi abuſi fuiſſetis uxore mea, niſi fidei connubii illa defuiſſet, nunquam commiſſum ſibi arcanum violaſſet. Perſimiles loquendi phraſes, quibus uxor adultera exprimitur, apud Authores Græcos æque & Latinos occurrunt (8).

℣. 19. Descendit Ascalonem, et percussit ibi triginta viros. Aſcalon, urbs Philiſtæorum, diſtabat decem, vel duodecim leucis a Thamnatha ad meridiem. Samſon cepit; interfecitque triginta viros facile ruſticos & e circumjacenti urbis agro, neque enim percrebuiſſe in vulgus fama ejus necis videtur. Porro ad eam rem inductus eſt agente intus Spiritu Sancto, uti ſatis aperte exprimitur initio hujus verſiculi: *Irruit in eum Spiritus Domini, deſcenditque Aſcalonem*. Porro Samſon non ut privatus vir jam tum habendus eſt, cui nullum fuerit jus gerendi belli, & in Reipublicæ adverſarios extremo ſupplicio animadvertendi: eam gerebat authoritatem, qua non modo fas, ſed nefas etiam erat non vexare hoſtes populi Dei, belloque illos ubicumque deprehenderet, exagitare.

℣. 20. Uxor ejus accepit maritum unum de amicis ejus; de ſodalibus ſcilicet, quibuſcum Feſtum nuptiale celebraverat. Hebræus: *Accepit maritum amicum Samſonis, qui ſocius fuerat ei*; inter ſodales, & amicos Samſonis intimum, qui in Evangelio appellatur *amicus Sponſi* (9); paranymphum, qui viro novam nuptam in domum ſuam ducenti comes aderat, vel qui jam nuptam (10) deducebat. Putavit mulier derelictam ſe a ſponſo nunquam poſtea redituro, nec expectandum ſibi cenſuit, ut libellus repudii ſolemni ritu mitteretur.

(1) Lyr. Toſt. Vat. Munſt. Caſtel. (2) Polyglotta Antuerpienſis habent *Septimam*; ſed Codices Romanus & Baſileenſis, *quartam*. (3) Tob. VIII. 23. *Adjuravit Raguel Tobiam, ut duas hebdomadas moraretur apud ſe*. Vide Serar. hic, & in Tob. x. (4) הלירשנו קראתם לנו 70. *ἦ πτωχεῦσαι ἐκαλέσατε ἡμᾶς; an ut pauperes fieremus, vocaſtis nos?* Aliter *ἐκβιάσαι, an ut vim inferretis, ut vi ſuperetis?* (5) Homer. Odyſſ. Z, initio. (6) 70. Th. *εἰ μὴ ἠροτριάσατε ἐν τῇ δαμάλει μου*. Alius, *εἰ μὴ κατεδυναστεύσατε τὴν δάμαλίν μου, niſi vitulam meam domuiſſetis*. (7) Ita Vatab. Druſ. Jun. Serar. Cornel. Bonfr. Delrio, &c. (8) Theognid. Sentent. 58.

Ἐχθαίρω δὲ γυναῖκα περίδρομον, ἄνδρα τε μάργον,
Ὃς τὴν ἀλλοτρίην βούλετ᾽ ἄρουραν ἀροῦν.

Plaut. *Fundum alienum arat, incultum familiarem deſerit.*
Martial. l. 7. *Milo domi non eſt, peregre at Milone profecto,*
Arva vacant, uxor non minus inde parit.

Vide Serar. qu. 15. & Boch. de animal. ſacr. p. 1. l. 2. c. 41. (9) Joan. III. 29. Septuaginta Baſileenſes & Antuerpienſes, *νυμφαγωγός*, & Joſeph. *συμπότης*. S. Ambroſ. paranympho. (10) Vide Heſych. & Bonfr. hic.

CAPUT XV.

Samſon trecentis vulpibus adhibitis, ignem in Philiſtæorum meſſes injicit. Mille Philiſtæorum manum interficit, uſus pro armis, mandibula aſini, in qua prompta aquarum vena ad ſitim ejus extinguendam aperitur.

℣. 1. POſt aliquantulum autem temporis cum dies triticeæ meſſis inſtarent, venit
A. M. 2868. ante J. Chr. 1136. Samſon, inviſere volens uxorem ſuam, & attulit ei hædum de capris. Cumque cubiculum ejus ſolito vellet intrare, prohibuit eum pater illius, dicens: 2. Putavi, quod odiſſes eam, & ideo tradidi illam amico tuo, ſed habet ſororem, quæ junior, & pulchrior illa eſt, ſit tibi pro ea uxor. 3. Cui Samſon reſpondit: Ab hac die non erit culpa in me contra Philiſthæos: faciam enim vobis mala. 4. Perrexitque, & cepit trecentas vulpes: caudaſque earum junxit ad caudas, & faces ligavit in medio: 5. Quas igne ſuccendens, dimiſit, ut huc illucque diſcurrerent. Quæ ſtatim perrexerunt in ſegetes Philiſthinorum. Quibus ſuccenſis, & comportatæ jam fruges, & adhuc ſtantes in ſtipula, concrematæ ſunt, in tantum, ut vineas quoque, & oliveta flamma conſumeret. 6. Dixeruntque Philiſthiim: Quis fecit hanc rem? Quibus dictum eſt: Samſon gener Thamnathæi: quia tulit uxorem ejus, & alteri tradidit, hæc operatus eſt. Aſcenderuntque Philiſthiim, & combuſſerunt tam mulierem, quam patrem ejus. 7. Quibus ait Samſon: Licet hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem, & tunc quieſcam. 8. Percuſſitque eos ingenti plaga, ita ut ſtupentes ſuram femori imponerent. Et deſcendens habitavit in ſpelunca petræ Etam. 9. Igitur aſcendentes Philiſthiim in terram Juda, caſtrametati ſunt in loco, qui poſtea vocatus eſt Lechi, id eſt, maxilla, ubi eorum effuſus eſt exercitus. 10. Dixeruntque ad eos de tribu Juda: Cur aſcendiſtis adverſum nos? Qui reſponderunt: ut ligemus Samſon, venimus, & reddamus ei, quæ in nos operatus eſt. 11. Deſcenderunt ergo tria millia virorum de Juda, ad ſpecum ſilicis Etam; dixeruntque ad Samſon: Neſcis, quod Philiſthiim imperent nobis? quare hoc facere voluiſti? Quibus ille ait; Sicut fecerunt mihi, ſic feci eis. 12. Ligare, inquiunt, te venimus, & tradere in manus Philiſthinorum: Quibus Samſon, Jurate, ait, & reſpondete mihi, quod non occidatis me. 13. Dixerunt: Non te occidemus, ſed vinctum trademus. Ligaveruntque eum duabus novis funibus, & tulerunt eum de petra Etam, 14. Qui cum veniſſet ad locum maxillæ, & Philiſthiim vociferantes occurriſſent ei, irruit Spiritus Domini in eum: & ſicut ſolent ad odorem ignis lina conſumi, ita vincula, quibus ligatus erat, diſſipata ſunt, & ſoluta. 15. Inventamque maxillam, id eſt, mandibulam aſini, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros. 16. Et ait: In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum, delevi eos, & percuſſi mille viros. 17. Cumque hæc verba canens compleſſet, projecit mandibulam de manu, & vocavit nomen loci illius Ramathlechi, quod interpretatur elevatio maxillæ. 18. Sitienſque valde, clamavit ad Dominum, & ait: Tu dediſti in manu ſervi tui ſalutem hanc maximam, atque victoriam: en ſiti morior, incidamque in manus incircumciſorum. 19. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ. Quibus hauſtis, refocillavit ſpiritum, & vires recepit. Idcirco appellatum eſt nomen loci illius, Fons invocantis de maxilla, uſque in præ-
Ab A.M. 2867 uſque ad ann. 2887. ante J. C. 1117. ſentem diem. 20. Judicavit Iſrael in diebus Philiſthiim viginti annis.

℣. 1. POST ALIQUANTULUM TEMPORIS CUM DIES TRITICEÆ MESSIS INSTARENT. Leguntur hic in Hebræo (1) eædem voces, quas in capite præcedenti ℣. 8. reddere viſum eſt *integro anno*. Contigiſſe hæc conſtat diutius poſt connubium Samſonis, neque enim ejus ſocer filiam ſuam alteri elocandam cogitaſſe videtur ſtatim poſtquam Samſon domum rediit, nec Samſon ipſe conceptam in uxorem ſuam indignationem ſtatim remiſiſſe credendus eſt. Ex ſequentibus autem diſcimus, ſincero animo illum rediiſſe.

ATTULIT EI HÆDUM DE CAPRIS; munus exiguum nec optimum pro noſtris moribus; ſapor autem erat longe diverſus antiquis, præſertim agricolis ejus ætatis, apud quos hœdus cupediæ erant delicatiſſimæ. Vide quæ contulimus ſupra XIII. 15.

℣. 2. HABET SOROREM . . . . SIT TIBI PRO EA UXOR. Connubia illa permiſſa erant apud Philiſtæos, quemadmodum & apud Orientales reliquos. Jacob geminas ſorores duxerat, unus duarum ſimul uxorum maritus; ſed Moyſes Lege interdixerat connubia cum duabus ſororibus, ſive al-

[1] ויהי מימים בימי קציר

ve altera poſt alteram, ſive utraque ſimul ducerentur (1).

℣. 3. AB HAC DIE NON ERIT CULPÆ IN ME CONTRA PHILISTÆOS: FACIAM ENIM VOBIS MALA. Injuria provocatus Samſon, Philiſtæis bellum indicit. Illud, quo fungebatur, munus Liberatoris, vel Judicis Iſraelis, certum illi jus aſſerebat tuendi populum, & vexandi Philiſtæos; cum tamen nullam Judicis in Samſone dignitatem agnoſcere poſſent eæ gentes, ulturum ſe profitetur privatas injurias, jure gentium utens, nulla data hoſtibus occaſione ſive querendi, ſive bello vel injuria gravieri opprimendi cæteros Iſraelitas. Probe norant Philiſtæi irrogatam illi injuriam, conciliato uxori illius altero viro: injuriam hanc inultam relinquerant; jus ergo ſibi datum cenſuit Samſon, ut animadverſionem de univerſa Philiſtæorum gente exigeret; univerſos enim offenſionem hanc ſuam probaſſe cenſebat (2).

Ultio privata authoritate, præſertim in exteros, a privatis exacta, in veteri Lege interdum permittebatur, in nova autem æque erga univerſos homines interdicitur. Certe ſi Judex hic Iſraelis tamquam privatus aliquis habeatur, fatendum eſt utique, irrogatas ſibi injurias ulciſci non potuiſſe, niſi poſt imploratam fruſtra Magiſtratuum Philiſtæorum authoritatem; quin neque tunc etiam excuſetur, quod pœnam criminis a ſocero & uxore ſua commiſſi, ex univerſa gente ſumpſerit. Si vero Samſon dignitatem gerens Judicis Iſraelis, & tamquam a Deo productus ut Iſraelem defenderet, habeatur, aliter de re colligendum erit. Illud erat Numinis conſilium, ut non omnes Philiſtæos irritaret, ne in apertum bellum adverſus Iſraelitas armarentur; at ſenſim potius vires eorum infirmaret, gereretque ſe potius ut privatum inimicum, quam ut Principem gentis ſuæ, arma gerentem in hoſtes. Ad hæc, Philiſtæi cum non ignorarent injuriam Samſoni a ſocero irrogatam, quippe qui uxorem illius alteri palam deſpondit, neque tamen authoritate ſua intercedi ſſent ne id fieret, conſcios ſe præbuerunt iniquitatis in ea re patratæ.

℣. 4. CEPIT TRECENTAS VULPES. Ægre fidem huic narrationi præſtet, qui ignoraverit quanta vulpium copia Palæſtinæ arva infeſtet. Itinerantes quidam (3) affirmant, ebullire ibi vulpes innumeras, ac frequentiſſima rudera vetera ædificiorum & dumeta obſidere. Frequens eſt pariter in ea regione animal quoddam ex lupo & vulpe; cujus generis beſtias gregatim incedentes, uſque ad ducentas occurrere interdum, affirmat Bellonius (4).

Meminit non ſemel Scriptura vulpium, tamquam in Palæſtina frequentiſſimarum. *Capite nobis vulpes, quæ demoliuntur vineas*, ait Sponſus in Cantico II. 15. Jeremias in Threnis V. 18. *Propter montem Sion, quia diſperiit, vulpes ambulaverunt in eo*. Tobias Ammanites de ridiculo traducens mœnia Jeroſolymæ, quæ poſt captivitatem excitata fuerant (5), *Si aſcenderit*, ait, *vulpes*, *tranſiliet murum eorum lapideum*. Agens Ezechiel XIII. 4. de ingenti Prophetarum Iſraelem decipientium colluvie, vulpibus deſerti comparat: *Quaſi vulpes in deſertis, Prophetæ tui, Iſrael, erant*. Denique animadvertere licet in Libris ſacris erebra locorum nomina e vulpibus accepta. Ita legas *Terram Sual* (6), ſeu vulpium, urbem *Hazer-Sual*, atrium vulpium, & urbem *Salabim* (7), cui pariter nomen e vulpibus inditum eſt.

Si quis velit exempla belluarum ferociſſimarum, & vulpibus rariorum, quæ in amphiteatrum Romanum producta ſunt, adeat Serarium & Cornelium a Lapide, narrantium de L. Sylla, qui coram populo Romano centum jubatos leones ſtatuit (8); de Pompejo, a quo in theatrum ſexcentæ ejus generis belluæ productæ ſunt, inter quas erant CCCXV. jubatæ: a Julius Cæſar quadringentos leones dedit. Probus Imperator (9) in theatro exhibuit mille ſtruthiones, totidem cervos, mille apros, mille damas, ac tandem alias beſtias prope innumeras. Num fidem magis illud ſuperat, quod Samſon brevi temporis ſpatio colligere ſive per ſe, ſive per alios trecentas vulpes in regione hujuſmodi belluis refertiſſima potuerit? Abs re igitur prodigium hic a nonnullis Scriptoribus agnoſcitur.

Cæterum nihil aptius ſuccurrere poterat Samſoni, ut conſilium ſuum exequeretur: ſimul enim regionem ſuam purgabat belluis hiſce immundis & moleſtis, ſimulque agebat in hoſtilem. Prolixa vulpium cauda aptiſſima eſt ad trahendas incenſas faces, quas jungere caudis meditabatur: eſt autem animal perniciſſimum, nunquam recta incedens, ſed huc illuc divertens: ignem maxime omnium timet, quare aptiſſimum erat præ cæteris ad ſerendum late incendium in meſſes agroſque Philiſtæorum, quo naturali ingenio agebatur, ac ſi inter meſſes ignis extinguendus eſſet, quem moleſtum comitem ſecum trahebat. Huic artificio alterum adjecit Samſon, binas ſcilicet ac binas vulpes jungens. Non omnes ſimul communi vinculo junxit, id enim turbas inter ipſas excitaſſet; non ſingulas immiſit, facile enim in latibula ſua aufugiſſent, ignemque extinxiſſent: binas junxit, ut naturalis fugiendi pernicitas cohiberetur dum ambæ niterentur in diverſa; atque ita retardato curſu, plus ſpatii daretur flammis, ut depaſcerent meſſes, lateque per agros ſerperent.

FACES LIGAVIT IN MEDIO. Ideſt, junxit faces ligni pinguis (10), ut olivæ, pinus, abietis, quæ facile ignem concipiunt, conceptumque ægre deponunt. Binæ vulpes jungebantur fune, quo caudæ vinciebantur, & in medio funis fax ſuſtinebatur. Creditur Samſon non omnes ſimul vulpes haſce uno eodemque loco dimiſiſſe, ſed per intervalla, ut ſcilicet vaſtitatem & cædem latius inferrent. Nec abs re putamus, uſum fuiſſe in eam rem plurium miniſterio, offerentibus ſe plurimis Hebræorum, cum præſertim ipſe in ſe omnem invidiam, & diſcrimen totius rei geſtæ derivaret.

Docti quidam Commentariorum Scriptores (11) hiſtoriam huic perſimilem in Faſtis Ovidii (12) ani-

(1) Levit. XVIII. 15. (2) Vide Grot. hic Pet. Mart. Eſt. &c. (3) Vide Morizon lib. 2. c. 31.
(4) Bellon. vide Boch. p. 1. l. 3. c. 13. (5) 2. Eſdr. IV. 3. (5) Joſue XV. 28. (7) Joſue XIX. 42.
(8) Plin. l. VIII. c. 16. (9) Apud Vopiſc. in Probo. (10) וישם לפיר אחר Septuag. ἔθηκε λαμπάδα μίαν,
(11) Vide Serar. qu. 7. Bonfr. hic. Boch. de anim. ſacr. p. 1. l. 3. c. 13. (12) Ovid. lib. 4. Faſt.

Cur igitur miſſæ vinctis ardentia tædis
Terga ferant vulpes, cauſa docenda mihi eſt.
. . . .
Filius hujus erat primo laſcivus in ævo,
Addideratque annos ad duo luſtra duos.
Is capit extremi vulpem ſub valle ſalicti:
Abſtulerat multas illa cohortis aves.
Captivam ſtipula fœnoque involvit, & ignes
Admovet: urentes effugit illa manus.
Qua fugit, incendit veſtitos meſſibus agros:
Damnoſis vires ignibus aura dabat.
Factum abiit; monumenta manent: nam vivere captam
Nunc quoque lex vulpem Carſeolana vetat.
Utque luat pœnas gens hæc, Cerealibus ardet:
Quoque modo ſegetes perdidit, illa perit.

animadverterunt. Vetus erat Romæ mos dimittendi in circo certam quamdam vulpium copiam, incenſas faces in dorſo ferentium. Huic autem ludo quædam Aprilis dies deſtinata erat: delectabantur Romani ſpectaculo vulpium huc illuc fugitantium, donec eo, quem ferebant, igne abſumerentur. Moris hujus originem didiciſſe ſe narrat Ovidius e ſene quodam Carſeolano, narrante, puerum quemdam urbis Carſeolorum cepiſſe vulpem, cui fœno obvolutæ, ignem injecit: ſed igne ambuſta bellua, fugit, ignemque in meſſes jam flaveſcentes tulit. In rei monumentum, addebat ſenex, igne damnantur vulpes in circo, ubi faces incenſas in dorſo gerentes dimiſſæ, iis demum abſumuntur.

Mendacii accuſant Ovidium de origine hujus ludi Serarius & Bochartus, contendentes, imitatione quadam rei a Samſone geſtæ in Philiſtæos hunc expreſſum fuiſſe. Ita rem totam narrabat ſenex Carſeolanus, ut fabulam ſuboleret; minoris enim momenti aliquid videbatur, quam ut ejus memoria tanto apparatu Romæ conſervanda eſſet. Tempus quo is ludus habebatur, minime congruit cum tempore, quo meſſes Romæ & in Italia colliguntur: omnino autem incidit in tempus meſſium in Palæſtina. Vulpes pueri hujus Carſeolani obvolvitur fœno, & caſu aufugiens ignem injicit in meſſes hujus urbis; quare nihil habet ſimile cum vulpibus in Circo dimiſſis, ardenteſque faces tergo gerentibus. Iiſdem vero Scriptoribus veriſimilius videtur, eum ludum ex Orientalibus ad Romanos tranſiſſe, quemadmodum & alii plures ritus, quos Romani ex Judæis adoptarunt. Quo tamen argumento demonſtrent, Orientales & Judæos cogitaſſe unquam de iis ludis in memoriam rei a Samſone geſtæ inſtituendis?

℣. 5. Comportatæ jam fruges, et adhuc stantes in stipula concrematæ sunt, in tantum, ut vineas quoque et oliveta flamma consumerat. Colligebantur fruges in areas ſub dio, ut pedibus boum vel ferreis plauſtris frumentum excutaretur. Id exprimunt eæ voces: *Comportatæ ſegetes*. Hebræus ad literam (1): *Succendit ab acervo uſque ad ſegetem ſub pedibus, & uſque ad vineam oleam*. Quod aliqui (2) exponunt de olea more vineæ conſita, deinde de olivetis. Quis vero hanc unquam phraſim audivit, *vinea olea*? Præſtat conjunctionem ſupplere in Textu cum optimis Interpretibus, ac lectionem Vulgatæ & Septuaginta ſequi, *vineas & oliveta*.

℣. 6. Combusserunt tam mulierem, quam patrem ejus. Optimates Philiſtæorum (3) cauſam Samſonis bonam eſſe agnoſcentes, in authores illatæ injuriæ animadvertunt; quibus jungere potuiſſent Magiſtratus Tamnathæ, qui crimen impune tulerant. Habes hic exemplum gravis illius horroris, quo ea gens adulterium deteſtabatur.

℣. 7. Licet hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem, et tunc quiescam. Ultione hac veſtra nondum contentus ſum: non deſiſtam quin pro maritis iterum puniam. Obſcurior eſt Hebræus (4): *Si feciſſetis, ſicut hoc* a principio, *ego contentus fuiſſem hac ultione*, & ceſſaſſem. Vel aliter: Ita ne? Habeat ego ignaviſſimus, niſi ulciſcar de vobis, & deinde ceſſabo. Sed Interpretes optimi plerique Vulgatæ interpretationem ſequuntur.

℣. 8. Percussit eos . . . . ita ut stupentes suram femori imponerent. Geſtus iſte corporis, ſuram nempe femori imponere, hominis eſſe fertur cogitantis, inquieti & ſtupentis. Alibi Scriptura ſtuporis indicium exhibet femoris percuſſionem (5). Hebræus hic legit (6): *Percuſſit eos femur cum ſura*, vel ſuram ſuper femur. Diſſident inter ſe in hoc Textu Interpretes. Vatablus proverbii loco dictum accipit, perinde ac ſcriberetur, Percuſſit tergo & ventre. Chaldæus: *Percuſſit equites ſuper pedites*. Paulus Burgenſis & Junius: Perinde illos habuit ac ignavos, & tamquam homines nihili, calce retro percutiens. Tandem exponi poteſt, Samſonem præcidiſſe illis ſuram & femur, vel ita percuſſiſſe, ut evitare diſcrimen non poſſent. Caſtalio Joſephum ſequitur (7); innui enim credit, Samſonem cecidiſſe Philiſtæos in variis regionis eorum locis. En alteram Textus hujus interpretationem: Samſon percuſſit Philiſtæos in femore & ſura. Femur indicat celeritatem, ſura robur. *Non in tibiis viri beneplacitum erit ei* [*Domino*], *nec in fortitudine equi voluntatem habebit* (8). *Quadrigæ* [Hebr. tibiæ] *colliſæ ſunt in plateis* (9); nemo fugere vel reſiſtere valebit. Ita ergo Samſon Philiſtæos percuſſit, ut veluti ſuccisis femore & cruribus nec fugere nec reſiſtere poſſent.

Habitavit in spelunca petræ Etam. Urbs erat *Etam* in Tribu Simeonis, Daniticæ proxima (10). Eadem creditur Urbs Etam, quam deinde munitionibus auxit Roboamus Rex (11), quo aufugiſſe creditur (12) Samſon, in ſpelunca latens. Hebræus (13): *Manſit in Seiph petræ Etam*, vel *in cacumine petræ Etam*, ſeu potius, *ſub ramis*, ad umbram, *petræ Etam*, ſub umbra arborum circa rupes Etam conſitarum. Nomen Seiph uſurpatur ſæpe de ramis (14).

℣. 12. Spondete mihi, quod non occidatis me. Textum hunc legentibus, ſuccurrit ſtatim J. C. qui permittit ſe manibus militum, ac vinciri ſe patitur ab Judæis, fratribus ſuis, quorum ſaluti conſulturus tradi ſe ſinit manibus hoſtium, ſua ſemper in poteſtate habens ſeu vitam retinere, ſeu ponere. Paciſcitur Samſon, ne proditione interimatur: cæterum nihil metuebat homines, qui ad ſe capiendum venerant.

℣. 13. Etham. Urbem hanc in ſorte Juda, non Simeonis jacuiſſe credo, Vide Dictionarium Biblicum verbo *Etham*.

℣. 14. Ad locum maxillæ; Hebræus והוא בא עד לחי *Ad Lechi*. Poſt hanc pugnam, ubi Samſon, utens pro telo mandibula aſini, mille Philiſtæos occidit, nomen mandibulæ loco manſit. Ferunt autem Lechi diſtare ab Aſcalone ſeptem leucis circiter, ad Orientem (15); nec multum abfuiſſe reputandum eſt rupes Etam, quo Samſon aufugerat.

Sicut solent ad odorem ignis lina consumi; id eſt, vix ignem ſentiunt. Hebræus: *Tamquam lina, quæ combuſta ſunt in igni*. Familiare eſt Vulgatæ hæc phraſis (16), odor ignis, ad exprimendam ignis aduſtionem. Septuaginta: ὡσεὶ στυππεῖον, ἡνίκα ἂν ὀσφρανθῇ πυρός, *Tamquam ſtupa, cum ſentit odorem ignis*.

℣. 15. Inventamque maxillam . . . . . asini, quæ jacebat, arripiens. Maxillam hanc recentem adhuc fuiſſe tradit Hebræus (17). Septuaginta: σιαγόνα ὄνου ἐῤῥιμμένην, *Maxillam aſini projectam*; quem pariter ſenſum retinuerunt Vulgata & Jo-

[1] ויבער מגדיש ועד קמה ועד כרם זית [2] Kimchi, Druſ. [3] Vide Joſeph. l. 5. c. 10. πέμψαντες τοὺς ἄρχοντας εἰς Θαμνά, τήν γεγαμημένην αὐτῷ γυναῖκα. καὶ τοὺς συγγενεῖς ζῶντας ἐνέπρησαν. [4] אם תעשון כזאת כי אם נקמתי בכם ואחר אחדל [5] Jerem. xxxi. 19. *Poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum*. [6] ויך אותם שוק על ירך Septuag. ἐπάταξεν αὐτοὺς κνήμην ἐπὶ μηρόν. [7] Joſeph. Antiq. l. 5. c. 10. πολλοὺς ἐν τῷ πεδίῳ τῶν παλαιστίνων ἀπέκτεινε. [8] Pſalm. cxlvi. 10. [9] Nahum II. 3. [10] 1. Paral. IV. 32. [11] 2. Paral. XI. 6. [12] Bonfr. hic. Cellar. l. 3. c. 13. pag. 355. [13] וישב בסעיף סלע עיטם [14] Vide Iſai. xvii. 6. xxvii. 10. & maxime Iſai. 5. תחת סעיפי הסלעים Ezech. xxxi. 6. & 8. [15] Terre ſainte d'Eugene Roger, Recollet c. 15. [16] Judic. xvi. 9. Dan. III. 94. [17] וימצא לחי חמור טריה וישלח ידו Vide & Munſt. Pagn. Vatab. Jun. Druſ. Syr. Bochart.

& Joſephus. Legunt hi מרוה, pro מריה nuſquam niſi quod hic & in Iſaia 1. 6. legitur מכה טריה. Inepte ſatis hic animadverri videtur, mandibulam hanc recentem fuiſſe, & carne adhuc indutam.

℣. 16. Et ait: In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum delevi eos. Novæ & inauditæ victoriæ epinicium canit hic Samſon. Interpretes plures vertunt hic Hebræum (1): *Cum mandibula aſini in duos acervos congi eos; cum mandibula aſini ego percuſſi mille* (2). Sed Caſtalio, Bonfrerius, aliique tuentur interpretationem Vulgatæ, redduntque Hebræum in hanc ſententiam: *In maxilla aſini, filii duarum aſinarum, in mandibula aſini delevi mille*. Inſiſtendum cenſuit in hac mandibula, qua ſcilicet victoriæ gloria magnopere augebatur; hanc autem maxillam eſſe grandioris aſini, aſini filii duarum aſinarum dicit; ſive quod os eſſet immane, vel ne ambiguitatis aliquid latere ſub nomine maxillæ aſini, homines ſuſpicarentur.

Servari poſſet verſio Septuaginta, ferens (3): *In maxilla aſini delens delevi eos; in maxilla aſini percuſſi mille viros*. In gratiam hujus Verſionis redderem ego Hebræum: *In maxilla aſini ego illos in ſanguinem verti*, vel *ego delevi; in maxilla aſini percuſſi mille viros*. Ludit hic Samſon in verbis, inter Hebræum *Chamor*, *aſinum*, & *Chamarti*, *ego delevi*, vel *cruentavi*. Illud autem incommodi accidit Verſioni, quæ vocem aſinæ conſervat in Textu, quod nimirum Samſon aſinum hunc filium duabus aſinabus tribuerit: quod utique ad literam retineri non poteſt.

℣. 17. Ramat-lechi, quod interpretatur, elevatio maxillæ. In Hebræo legitur tantum *Ramat-Lechi*. Interpretes Græci & Latini addidere, *Quod interpretatur*, *Elevatio maxillæ*: idque illis ſuccurrit, ſeu quia Samſon e terra ſuſtulerit, ſeu quia elevaverit in Philiſtæos mandibulam. Sed recentiores plerique Interpretes (4) reddunt Hebræum (5): *Projectio mandibulæ*; quod ſcilicet poſt victoriam inſtrumentum illud projecerit. Syriacus & Arabs ferunt, *Sanguinem maxillæ*; legerunt enim in Textu *Damath* pro *Ramath*.

℣. 18. Sitiensque valde clamavit ad Dominum. Cenſuerunt quidam (6), ſitim hanc Samſonis pœnam fuiſſe ſuperbiæ & gloriolæ, quam ſibi vindicavit in Cantico poſt victoriam recitato; quaſi ſcilicet virtute ſua & viribus inſignem hanc victoriam retuliſſet. *Inſolens rerum ſecundarum animus*, ait S. Ambroſius Epiſtole XIX. *qui debuit eventum pugnæ divino favori, & præſidio deferre, ſibi arrogavit dicens: In maxilla aſini delevi mille viros*. Alii vero Samſoni æquiores (7) partam hanc ſitim ajunt labore, æſtu, motu, & agitatione ejus diei. Æquos enim animi ſui ſenſus ſatis exprimit, precibus illis ad Deum latis: *Tu dediſti in manu ſervi tui ſalutem hanc maximam atque victoriam: en ſiti morior, incidamque in manus incircumciſorum*.

℣. 19. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, et egressæ sunt ex eo aquæ. Ex alveolo molaris hujus maxillæ emiſit Deus prodigio aquarum venam; hujus autem prodigii monumentum eſt loci illius appellatio, quæ ad ætatem uſque ſcripti hujus Libri erat, *Fons invocantis de maxilla*. Hunc ſenſum promum offerunt Textus Vulgatæ & Septuaginta (8), fulciuntque Interpretes compluriml (9). Ex his tamen alii (10) docent, fontem illum brevi temporia momento ceſſaſſe, tantumque ſuffeciſſe aquarum, quantum ſatis eſſet ad explendam laborantis ſitim. Malunt alii (11), aquam illam fluxiſſe quidem ex alveolo molaris hujus mandibulæ, cui tamen præberetur e ſolo, in quo mandibula jacebat.

Admittit quidem Serarius, aquas illas fluxiſſe primum ex alveolo mandibulæ; ſed ambigit, utrum deinceps, mota loco mandibula, aquarum vena perennis fuerit; an potius, poſtquam aliquo temporis ſpatio ex oſſe manavit, exſilierit deinde ex humo; an denique nomen, *Fons invocantis de maxilla*, ſervatum ſit ſolummodo in loco ejus prodigii, an maxillæ & fonti ſimul inhæſerit. De his omnibus nonniſi tenues conjecturæ ſuccurrunt. Profecto S. Hieronymi ætate (12) videbatur adhuc fons Samſonis; quin & adhuc perſeverabat ætate Glycæ, qui ſæculo undecimo floruit.

Verum ea, quæ de ſuperſtite hoc fonte narrantur, dubii nonnihil ex eo admittunt, quod fons idem in locis conſtituitur inter ſe maximo intervallo diſſitis. Glycas (13) fluere dicit in ſuburbiis Eleutheropolis; alii prope torrentem Cedron (14); alii (15) ſecus Tiberiadem. E Patribus nonnulli (16) putarunt, aquam illam egreſſam eſſe e mandibula, cum adhuc illa a Samſone teneretur; alii ex eadem ſed projecta, & jam humi jacente exſiluiſſe (17). Huic ſententiæ favet apertiſſime Verſiculus 17. ferens, Samſonem epinicium victoriæ ſuæ ceciniſſe, tum projeciſſe, quam tenebat, mandibulam, denique ſiti adactum a Deo opportunum aquarum laticem impetraſſe.

Alia etiam objiciuntur in ſenſum hujus Textus, ſi Hebræi lectionem ſequamur. Ita enim ſonat ad literam (18): *Deus rupit mortarium* [*vel molare*], *quod in Lechi, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ*. Mortarium eſſe fertur nomen rupis jacentis in loco appellato *Lechi*. Conſentalii, vocem *Machtes* (quę totum Textus hujus negotium faceſſit) ſignificare rupem, cui e forma inditum eſt nomen maxillę. Jonathan Paraphraſtes vertit (19): *Rupit Dominus rupem, quæ in maxilla, & exierunt ex ea aquæ*. Paria etiam legas apud Joſephum (20): *Copioſus fons ſubito e quadam petra exiliit*.

Porro hanc interpretationem multo proniorem, ſimpliciorem, magiſque ad literam reputamus, cui & minora ſint incommoda, quam quæ priores opiniones vitiant. Primo enim prodigiorum numerum non auget. An non ſatis grande prodigium eſt, e diſrupta ſtatim ſilice aquas educi? II. Commode exponitur quomodo vena illa ſpatio plurium ſæculorum perſeveraverit, nec facile hodie pariter aruerit. III. Textus innuere videtur diſruptum apertumque lapidem, ac rem aliquam jacentem in loco, appellato *Lechi*. IV. Fieri potuit, ut poſt rei eventum daretur nomen *dentis molaris* [Machtes], ſeu *alveoli dentis molaris*, rupi, unde aquę eductæ ſunt, quemadmodum maxillæ nomen inditum eſt loco, ubi Samſon mandibula aſini armatus,

Phili-

(1) בלחי החמור חמורתים בלחי החמור הכיתי אלף איש (2) Ita Jonat. Pagn. Mont. Jun. Vat. Munſt. Boch. Syr. Arab. &c. (3) Ἐν σιαγόνι ὄνου ἐξαλείφων ἐξήλειψα αὐτούς, ὅτι ἐν τῇ σιαγόνι ὄνου ἐπάταξα χιλίους ἄνδρας. Ducunt חמרתים ut primam perſonam חמר *Rubuit*, vel *Rubefecit*, vel ex Chaldæo, *deſtruxit*, *vaſtavit*. (4) Munſt. Jun. Boch. Chald. Kimchi. (5) רמת לחי Septuag. ἀναίρεσις σιαγόνος. *Quod vel elevationem, vel interfectionem maxillæ ſignificat*. Vide Ambroſ. Ep. 19. claſſ. 1. nov. edit. (6) Joſeph. Antiq. l. 5. cap. 10. μεῖζον ἢ χρὴ ἐπὶ τούτῳ φρονῶν, οὐ κατὰ Θεοῦ συνεργίαν ἔλεγε τοῦτο συμβῆναι, τὴν δὲ ἰδίαν ἀρετὴν ἐπεγράψατο τῷ γεγονότι. (7) Abul. Menoch. Serar. Cornel. Bonfr. (8) Καὶ ἔρρηξεν ὁ Θεὸς τὸ τραῦμα τῆς σιαγόνος, καὶ ἐξῆλθεν ἐξ αὐτοῦ ὕδατα. (9) Vatab. Jun. Druſ. Boch. de animal. ſacr. parte 1. l. 2. c. 15. Serar. quæſt. 15. & 16. Grot. Patres Græci & Latini apud Bonfr. hic. (10) Boch. loc. cit. (11) Bonfrer. hic. (12) Hieronym. in Epitaph. Paulæ. (13) Glycas Annal. p. 2. (14) Chaldæus apud Boch. loco cit. (15) Midras Hagadda. (16) Sulpit. l. 1. Hiſt. Chryſoſt. homil. 15. Ex variis in Matth. locis. (17) Greg. l. 13. Moral. c. 6. & Serar. hic. (18) ויבקע אלהים את המכתש אשר בלחי ויצאו ממנו מים Septuag. καὶ ἔρρηξεν ὁ Θεὸς τὸν λάκκον τὸν ἐν τῇ σιαγόνι. *Aperuit Deus lacum, qui erat in maxilla*. Sym. τὴν μύλην. *Dentem molarem*. Alii τὸν ὅλμον, *mortarium*. Alius: *Foramen vel plagam maxillæ*, τὸ τραῦμα τὸ ἐν τῇ σιαγόνι. (19) ובזע אלהים ית כיפא די בלועא (20) Joſeph. l. 5. Antiq. cap. 10. ὁ Θεὸς πηγὴν κατά τινος πέτρας ἀνίησιν ἡδεῖαν καὶ πολλήν.

Philiſtæos percuſſit. v. Qui fontem illum fluere adhuc in Palæſtina reputarunt, illis utique alia ſedebat opinio, quam quod aqua erumperet ex alveolo maxillæ aſini. vi. Textus Scripturæ non obſcure demonſtrat, venam hanc fluxiſſe in Lechi, eo nomine tamquam cujuſdam loci appellatione accepto, non tamquam voce maxillam ipſam ſignificante. *Rupit Deus Machtes* [petram hujus nominis] *quod erat in Lechi, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ, & bibit, & reverſus eſt ſpiritus ejus, & vixit* [affectus vires reparavit], *& idcirco vocavit nomen ejus: Fons invocantis, qui eſt in Lechi uſque in præſentem diem* (1). Poſtrema hæc verba aperte demonſtrare arbitror, Lechi cujuſdam loci appellationem fuiſſe. Familiare autem erat Hebræis *dentium* nomen præruptis rupibus dare; cujuſmodi nominum quædam occurrunt in Libris Regum (2) & alibi. Offert ſe in Sophonia vicus *Machtes*, forte conditus prope fontem Samſonis diu poſt hiſtoriæ hujus eventum (3). Nullibi quidem hæc vox legitur ætate Samſonem præcedente. vii. Denique in hanc ſententiam doctiſſimi Interpretes frequentes concedunt (4).

℣. 20. Judicavit Israel in diebus Philisthim viginti annis. Superius xiii. 1. animadvertimus, viginti hoſce regiminis Samſonis annos ducendos eſſe ab anno decimo octavo oppreſſionis Iſraeliticæ per Philiſtæos circiter. Conſtat inſuper, eoſdem annos contineri in ſpatio temporis, quo Heli ſummus Sacerdos rebus præfuit.

[1] על כן קרא שמה עין הקורא אשר בלחי עד היום הזה [2] 1. Reg. xiv. 4. *Eminentes petra ex utraque parte, & quaſi in modum dentium ſcopuli hinc & inde prærupti, nomen uni Boſes & nomen alteri Sene.* Vide & 1. Reg. vii. 12. *Inter Maſphat, & inter Sen, & Sen-ſenna, & Carine-ſenna.* Joſue xv. 31. & 45. Nomen *Sen* ſignificat dentem. [3] Sophon. 1. 11. *Ululate habitatores Pilæ.* Hebr. *Habitatores Machtes.* [4] Arias Montan. Druſ. Jun. Piſcat. Amama, Caſtel. Schmid. Cleric. alii.

CAPUT XVI.

Samſon revulſas fores Gazæ transfert. Dalila importunis precibus inſtans, aſſequitur tandem arcanum, qua in re robur ejus conſtitutum eſſet. Coma Samſonis ceditur; qui & capitur oculiſque orbatur a Philiſtæis. Philiſtæorum tria millia opprimuntur ſub ruinis Templi Dagonis, quod prodigio roboris ſui ſubvertit.

Ann. incerto. ℣. 1. Abiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingreſſuſque eſt ad eam. 2. Quod cum audiſſent Philiſthiim, & percrebuiſſent apud eos, intraſſe urbem Samſon, circumdederunt eum, poſitis in porta civitatis cuſtodibus: & ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantes, ut facto mane exeuntem occiderent. 3. Dormivit autem Samſon uſque ad medium noctis: & inde conſurgens, apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis, & ſera, impoſitaſque humeris ſuis portavit
A. M. 2887. ante J. Ch. 1117. ad verticem montis, qui reſpicit Hebron. 4. Poſt hæc amavit mulierem, quæ habitabat in Valle Sorec, & vocabatur Dalila. 5. Veneruntque ad eam principes Philiſthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, & diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodo eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere: quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli mille, & centum argenteos. 6. Locuta eſt ergo Dalila ad Samſon: Dic mihi, obſecro, in quo ſit tua maxima fortitudo, & quid ſit, quo ligatus erumpere nequeas? 7. Cui reſpondit Samſon: Si ſeptem nerviceis funibus, necdum ſiccis, & adhuc humentibus ligatus fuero, infirmus ero ut ceteri homines. 8. Attuleruntque ad eam ſatrapæ Philiſthinorum ſeptem funes, ut dixerat: quibus vinxit eum, 9. Latentibus apud ſe inſidiis, & in cubiculo finem rei expectantibus, clamavitque ad eum: Philiſthiim ſuper te, Samſon. Qui rupit vincula, quomodo ſi rumpat quis filum de ſtuppæ tortum putamine, cum odorem ignis acceperit: & non eſt cognitum, in quo eſſet fortitudo ejus. 10. Dixitque ad eum Dalila: Ecce illuſiſti mihi, & falſum locutus es: ſaltem nunc indica mihi, quo ligari debeas. 11. Cui ille reſpondit: Si ligatus fuero novis funibus, qui numquam fuerunt in opere, infirmus ero, & aliorum hominum ſimilis. 12. Quibus rurſum Dalila vinxit eum, & clamavit: Philiſthiim ſuper te, Samſon, in cubiculo inſidiis præparatis: Qui ita rupit vincula quaſi fila telarum. 13. Dixitque Dalila rurſum ad eum: Uſquequo decipis me, & falſum loqueris? oſtende, quo vinciri debeas. Cui reſpondit Samſon: Si ſeptem crines capitis mei cum licio plexueris, & clavum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero. 14. Quod cum feciſſet Dalila, dixit ad eum: Philiſthiim ſuper te, Samſon. Qui conſurgens de ſomno extraxit clavum cum crinibus, & licio. 15. Dixitque ad eum Dalila: Quomodo dicis, quod amas me, cum animus tuus non ſit mecum? Per tres vices mentitus es mihi? & noluiſti dicere, in quo ſit maxima fortitudo

titudo tua. 16. Cumque moleſta eſſet ei, & per multos dies jugiter adhæreret, ſpa-
tium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, & ad mortem uſque laſſata eſt.
17. Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam: Ferrum numquam aſcendit ſuper ca-
put meum, quia nazaræus, id eſt, conſecratus Deo ſum de utero matris meæ: ſi ra-
ſum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, & deficiam, eroque ſicut ce-
teri homines. 18. Videnſque illa, quod confeſſus ei eſſet omnem animum ſuum,
miſit ad Principes Philiſtinorum, ac mandavit: Aſcendite adhuc ſemel, quia nunc
mihi aperuit cor ſuum: Qui aſcenderunt, aſſumpta pecunia, quam promiſerant. 19.
At illa dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput. Vocavit-
que tonſorem, & raſit ſeptem crines ejus, & cœpit abigere eum, & a ſe repellere:
ſtatim enim ab eo fortitudo diſceſſit: 20. Dixitque: Philiſthiim ſuper te, Samſon.
Qui de ſomno conſurgens, dixit in animo ſuo: Egrediar ſicut ante feci, & me excu-
tiam, neſciens, quod receſſiſſet ab eo Dominus. 21. Quem cum apprehendiſſent Phi-
liſthiim, ſtatim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clau-
ſum in carcere molere fecerunt. 22. Jamque capilli ejus renaſci cœperant, 23. Et
principes Philiſthinorum convenerunt in unum, ut immolarent hoſtias magnificas Da-
gon deo ſuo; & epularentur, dicentes: Tradidit deus noſter inimicum noſtrum Sam-
ſon in manus noſtras. 24. Quod etiam populus videns, laudabat Deum ſuum, ea-
demque dicebat: Tradidit deus noſter adverſarium noſtrum in manus noſtras, qui de-
levit terram noſtram, & occidit plurimos. 25. Lætanteſque per convivia, ſumptis
jam epulis, præceperunt, ut vocarent Samſon, & ante eos luderet. Qui adductus de
carcere ludebat ante eos, feceruntque eum ſtare inter duas columnas. 26. Qui dixit
puero regenti greſſus ſuos: Dimitte me, ut tangam columnas, quibus omnis imminet
domus, & recliner ſuper eas, & paululum requieſcam. 27. Domus autem erat ple-
na virorum, ac mulierum, & erant omnes principes Philiſthinorum, ac de tecto, &
ſolario circiter tria millia utriuſque ſexus ſpectantes ludentem Samſon. 28. At ille
invocato Domino ait: Domine Deus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudi-
nem priſtinam, Deus meus, ut ulciſcar me de hoſtibus meis, & pro amiſſione duo-
rum luminum unam ultionem recipiam. 29. Et apprehendens ambas columnas, qui-
bus innitebatur domus, alteramque earum dextera, & alteram læva tenens, 30. Ait:
Moriatur anima mea cum Philiſthiim: concuſſiſque fortiter columnis, cecidit domus
ſuper omnes principes, & ceteram multitudinem, quæ ibi erat: multoque plures in-
terfecit moriens, quam ante vivus occiderat. 31. Deſcendentes autem fratres ejus, Ab A.M. 286,
& univerſa cognatio tulerunt corpus ejus, & ſepelierunt inter Saraa, & Eſthaol in uſque ad 2888.
ſepulchro patris ſui Manue; judicavitque Iſrael viginti annis.

℣. 1. ABIIT IN GAZAM, ET VIDIT IBI MULIEREM MERETRICEM, INGRESSUSQUE EST AD EAM. Urbs Gaza una erat inter potiſſimas Philiſtæorum, jacens non procul a Mediterraneo ad torrentem, qui e montibus Judææ devolvebatur. Urbs eſt inter maxime meridionales Palæſtinæ, in Scriptura æque celebris & apud Profanos, quorum nonnulli prepoſtere cenſuerunt, nomen urbi ex eo inditum fuiſſe, quod Cambyſes Rex Perſidis Regios ibi theſauros, *Gazam* Perſice appellatos (1), conſtituiſſet. Eo veniens Samſon, divertit apud fœminam meretricem, vel tantum cauponariam (2); Hebraica enim vox non ſemper in ſiniſtram partem uſurpari fertur. Eamdem vitæ profeſſionem exercebat ac Rahab, quæ Exploratores hoſpitio accepit Jerichunte. Eo in loco excuſſimus genuinam ſignificationem vocis Hebrææ *Zona* (3). Fœminæ hujus amoribus implicitum fuiſſe Samſonem, vel pravo conſilio ad eam divertiſſe, numquam aperte prodit Scriptura: egreſſus eſt media nocte, nihil minus quam hominem venereis rebus occupatum referens: imo Patres quidam (4), ac poſt illos Commentariorum Scriptores plures (5) cenſent, ad hoſpitium illud tamquam ad publicum diverſorium ſe contuliſſe, ut noctem ageret.

Alii vero, numero majores (6), ajunt, Samſonem illicito amore fœminam hanc meretricem deperiiſſe; quod ſatis aperte produnt verba illa: *Vidit ibi mulierem meretricem*; ingreſſumque eſſe ad illam, ut impuræ, qua agebatur, libidini ſatisfaceret: in quam ſignificationem uſurpatur non raro in Scriptura ea loquendi phraſis: *Ingredi ad fœminam*. Ædes matronæ honeſtæ in ea regione clauſæ erant omnibus, præterquam marito; & mulier, quæ viros indiſcriminatim omnes reciperet hoſpitio, perinde tunc habebatur ac infamem meretricis profeſſionem exercens. Hinc ambiguitas vocis *Zona*, quæ cauponariam & meretricem æque deſignat.

Reputabat facile Samſon, hominem eſſe ſe Gazæ ignotum: ſeu potius cauſam belli & diſſidii cum Philiſtæis quærebat, diſcurrens per urbes illorum validiſſimas, nihil ſibi metuens, ſive a multitudine hoſtium, ſive ab illorum furore.

℣. 2. CIRCUMDEDERUNT EUM POSITIS IN PORTA CIVITATIS CUSTODIBUS, ET IBI TOTA NOCTE CUM SILENTIO PRÆSTOLANTES. Hebræum (7): *Circumdederunt* facile in domo, quam intraverat, & *inſidiati ſunt ei tota nocte in porta urbis, & ſimulaverunt ſe mutos tota nocte dicendo: Uſque ad lucem matutinam &* acci-

[1] Mela l. 1. c. 11. [2] Vide Commentarium in Joſue 11. 1. [3] אִשָּׁה זוֹנָה וַיָּבֹא אֵלֶיהָ Vide Joſue 11. 1. [4] Auguſt. ſerm. 164. nov. edit. [5] Var. Rabb. Chytr. Vide Joſeph. l. 5. c. 10.
[6] Denſ. Jun. Piſc. Serar. Bonfr. &c. [7] וַיָּסֹבּוּ וַיֶּאֶרְבוּ לוֹ כָל הַלַּיְלָה בְּשַׁעַר הָעִיר וַיִּתְחָרְשׁוּ כָל הַלַּיְלָה

occidemus eum. Non legitur quidem in Textu, conſilium agitaſſe illos interficiendi virum cum foras prodiret; ſeries tamen hiſtoriæ ſatis demonſtrat id re ipſa ſibi propoſuiſſe. Verebantur illum aggredi aperta vi, vel in urbe ſua, timentes ne vir ſtrenuus egregie ſaluti ſuæ conſulens, totam cædibus impleret; ſed inſidias ſtruxerunt in portis, ut ſcilicet niſi reſiſtere ſeſe tuenti valerent, clauſis ſaltem foribus excluſum prohiberent, ne diutius ibi perſeveraret. Nec alia facile de cauſa abſtinuerunt, ne ignem ædibus injicerent. Silentes autem expectarunt, ne excitarent leonem, ac perniciem in univerſam urbem ſuam inducerent.

℣. 3. Apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus suis, et sera, tamquam inſultans iis Principibus, qui retinere illum ſe poſſe intra portas, adhibita ſuorum manu, ſperarant. Hebræus ad literam (1): *Apprehendit duas fores portæ Urbis, & duos poſtes*, ligneos facile, *& amovit eos cum vecte & vinculis, quæ vinciebant illum foribus*. Nihil hic de ſera: vectis tantum quibuſdam vinculis opponebatur, quæ vincula ſolvi non poterant, niſi intetuis, clavibus quibuſdam in eum uſum adhibitis. Vide noſtram diſſertationem de vetuſtis ædibus Hebræorum. Sanſon roboris ſibi cælitus conceſſi prodigio hæc omnia in humeros tollens, transfert in montem e regione Hebronis ſtantem. Diſtabat Hebron amplius duodecim leucis a Gaza; quare ſi mons, de quo hic, cis Hebronem duabus leucis conſtituatur, decem adhuc leucæ ſupererunt, longum nimis itineris ſpatium gravem illam ſarcinam vehenti. Sed iter habentibus per ea loca monſtratur mons prope Gazam, quo translatæ fores a Samſone feruntur. Porro fores privatæ domus, ad quam Samſon diverterat, translatas fuiſſe, opinari viſus eſt Joſephus (2); & affirmat aperiſſime S. Ambroſius (3). Quos illi conſulebant Scripturæ codices, legebant tantummodo *fores*, ſine addito *Urbis*, quod tamen occurrit in Hebræo & Septuaginta.

℣. 4. Post hæc, amavit mulierem, quæ habitabat in valle Sorec. Vallis Sorec, quam perluebat ejuſdem nominis torrens, & ubi pariter conſidebat urbs *Sephar-Sorec*, jacebat, authore Euſebio & S. Hieronymo, ad ſeptentrionem Eleutheropolis, proxime Saraam, patriam Sanſonis. Parebat facile Philiſtæis, cum Dalila, quæ ibi habitabat, Philiſtæa eſſet mulier, juxta Interpretum fere omnium opinionem: infamem vero profeſſionem exercuiſſe illam, non ſatis apud omnes conſtat. Veterum plures arbitrati ſunt, uxorem fuiſſe (4) legitimam Samſonis, quamquam inferiorem præcipuis uxoribus, quæ ritu ſolemni in ea regione ducebantur, quarum filiis jus dabatur ad paternæ hæreditatis ſucceſſionem. Eum uxorum ordinem tenebat facile Dalila apud Samſonem, quem Agar & Cethura penes Abrahamum.

Communior tamen opinio meretricium exercuiſſe fœminam illam docet, reputatque Samſonem in extrema illa mala incidiſſe, quod totum ſe permiſerit impudico amori alienæ (5) fœminæ & proſtitutæ. Hanc ſententiam tota hiſtoriæ hujus ſeries vindicat. Callidæ illæ nocendi prodendique artes, ſordida auri cupiditas, remiſſio illa animi erga procum, inſidiæ, quas domi ſovebat, inſcio Samſone, meretricem arguunt. An vero honeſtam fœminam tentare auſi fuiſſent Philiſtæi, ut maritum ſuum prodens hoſtium manibus traderet? An Samſon in medio Philiſtæorum habitaſſet cum uxore ſua, neque uxorem, inito connubio, in regionem ſuam traduxiſſet?

Sorech epitethum eſt vineis eximiis datum. Vide Concordantias Hebraicas. Equi etiam ſubrufi in flavum inclinantes Sorech appellantur Zach. I. 8. In Palæſtina vinum vel rubrum erat vel ſubflavum ceu Rhenanum, & Moſeſtanum. Vinum hoc ſubflavum præ oculis habuiſſe Jacob credo, dum ait, Geneſ. xlix. 2. Judam ſtolam ſuam vino loturum. Porro albentia vel ſubflava vina generoſiſſima ſunt in Palæſtina. Des Breves itiner. pag. 113.

℣. 5. Principes Philistinorum סרני פלשתים. Ut alibi animadvertimus, tota Philiſtæorum ditio in quinque Satrapias diſtinguebatur, & Principes quinque majorum urbium, Satrapæ, Hebraice *Seranim*, appellati, totam Rempublicam moderabantur. Hi ſive per ſe, ſive per nuncios venerunt ad Cephar-Sorec, ut detegerent, ſi fieri poſſet, ubi potiſſimum robur illud Samſonis conſtitueretur. Facile enim intelligebant, ſupra naturam id eſſe aliquid, rebanturque aliquo magicæ operationis artificio inſuetum robur viro acceſſiſſe; idemque ſe facile contrario magicarum operationum niſu amolituros; vel forte crediderent, invium eſſe vulneribus, uti Heroes illi Fabularum, nulli vulnerum generi obnoxii, niſi in quodam corporis loco, quemadmodum Achilles in talo, vel denique reputarunt, totum illud viri robur ab exercitio aliquo vel religioſo, vel ſuperſtitioſo pendere. Omnem autem dabant operam, ut certiores ea de re fierent, quo ſcilicet virum, quem aperta vi non poterant, per cuniculos, qua major patebat ictibus via, aggrederentur.

Mille et centum argenteos, ideſt, ſiclos, qui ſummam conficiunt mille & ſeptingentarum, & duarum ſupra octoginta librarum, & ſeptem decemque ſolidorum, ſolidis triginta duobus & denariis quinque in ſiclum computatis.

℣. 7. Si septem nerviceis funibus, necdum siccis, et adhuc humentibus, ligatus fuero. Opportuno mendacio Samſon Dalilæ moleſtiam a ſe amovet; nihil enim priſtini roboris ſibi ſuperfuturum aſſerit, ſi ſeptem nerviceis funibus humentibus & flexibilibus vinciatur. Id funium genus familiare erat apud Veteres, præſertim in uſum machinarum belli. Monet Vegetius libro iv. capite ix. *Nervorum copiam ſummo ſtudio expedit colligere, quia onagri vel baliſtæ cæteraque tormenta nihil proſunt, niſi funibus nerviceis intenta*. Nervi ſi deficerent, ſupplebant equi ſetæ vel mulierum comæ. Suadet Heron capite xviii. ut adhibeantur validiſſimorum animalium nervi, uti cervorum & boum; inter illos vero præferantur, e cervis quidem, nervi pedum & femorum, e bobus vero, dorſi. Hebræi nunquam non uſi ſunt nervis ad arcus intendendos (6); & adhuc apud Mexicanos obtinent in varios uſus funes nervicei (7). Cato cæterique Veteres rei agrariæ Scriptores, *loreos funes* frequentiſſime memorant.

Recentiores Interpretes fere omnes a Vulgata & Septuaginta hic recedunt; ita enim vertendum Hebræum cenſent (8): *Si ligatus fuero ſeptem funibus*, ſeu vinculis aut virgis, *virentibus & humentibus, ac necdum ſiccis, infirmus ero, evadens ut cæteri homines*. Exponit id Joſephus

(1) ויאחז בדלתות שער העיר ובשתי המזוזות ויסעם עם הבריח וישם על כתפיו ונו (2) Joſeph. l. 5. cap. 10. τὰς πύλας σὺν αὐταῖς τε θαλιοῖς καὶ μοχλοῖς, ὅσα τε ἄλλα περὶ αὐτὰς ἦν ξύλινα, ἀράμενος κατωμάδιος, &c.
(3) Ambroſ. Ep. 19. nov. edit. (4) Chryſoſt. homil. 17. ex variis in Matth. & in Philipp. hom. 12. & apud Anaſt. Antioch. quæſt. 63. & Ab. Joſeph. apud Caſſian. coll. 17. c. 20. Ephrem ſerm. adverſ. improb. mulier. & Peter. in Geneſ. & alii apud Serar. qu. 5. Hieronym. in Mich. vii. (5) Joſeph. loco citato: παρέβαινε δ' ἤδη τὰ πάτρια καὶ τὴν οἰκείαν δίαιταν παρεχάραττε ξενικῶν μιμήσει ἐθισμῶν. καὶ τοῦτ' ἀρχὴ αὐτῷ κακοῦ γίνεται. Ita & Ambroſ. Ep. ſupra citata; & Interp. paſſim. (6) Pſalm. x. 2. civ. 10. Job xxx. 11. in Hebr. (7) Relation de la nouvelle Eſpagne page 12. (8) אם יאסרני בשבעה יתרים לחים אשר לא חרבו Septuag. μὴ διεφθαρμέναις. Aliter, μὴ σεσηπυίαις, *non corruptis, non putrefactis*. Sym. μὴ ξηρανθείσαις, *non ſiccatis*.

phus (1) de ſarmentis virentibus; alii de viminculis ſeu virgis flexibilibus, veluti ſaliceis, & aliis id generis (2); alii de funibus ex arborum cortice plexis (3), uti ex tiliæ interiori cortice. Poſtremæ huic interpretationi favet maxime epithetum, funibus hiſce additum, virentium ſcilicet ac humidorum; quod ita arboribus vel corticibus peculiare eſt, ut præter ea nulli convenire videatur. Noluerim ego tamen deſerere verſiones veteres Græcas Latinaſque. Conſtat utique, Hebræum *Jeter* uſurpari ſæpe pro funibus nerviceis, veluti iis, quibus arcus intenduntur; nec male congruit epithetum *virens* per metaphoram nervis crudis & flexibilibus; quemadmodum eodem epitheto donantur in Scriptura, e. g. oculi Moyſis, quibus ad obitum uſque viror ſuus vel ardor manſit (4).

℣. 9. LATENTIBUS APUD SE INSIDIIS, ET IN CUBICULO REI FINEM EXPECTANTIBUS. In Hebræo legimus (5), in ſecreta domus parte latuiſſe inſidias: qui tamen inſidias illas ſtruebant, revelare ſeſe auſi non ſunt, cum Samſon vincula diſruperit ſtatim ac Dalila illum admonuit adeſſe hoſtes adverſus ipſum paratos. Nihil ille ſuſpicatus eſt, ratus agi omnia per ludum, tentante Dalila, ut locum, in quo potiſſimum vires ejus conſtituerentur, detegeret.

℣. 11. SI LIGATUS FUERO NOVIS FUNIBUS, QUI NUNQUAM FUERUNT IN OPERE. Hebræi & Interpretes recentiores docent, voces originales כעבותים חדשים deſignare funes craſſiores, vel rudente e plexu trium funium compoſitos. Sed futilis eſt animadverſio; eadem enim originalis vox poſita occurrit, ut aureæ cateaulæ Rationalis ſignificentur (6): alibi pro funibus ſimplicibus uſurpatur.

℣. 13. SI SEPTEM CRINES CAPITIS MEI CUM LICIO PLEXUERIS, ET CLAVUM HIS CIRCUMLIGATUM TERRÆ FIXERIS. Comam geſtaſſe videtur Samſon in ſeptem plexus crinium diſtributam (7); vel forte Dalila illam ita diviſit, ut plecteret cum licio telæ, quam paratam habebat in textrina [telas enim tunc temporis fœminæ texebant] infigeretque telluri clavo obvolutam. Cubabat facile Samſon humi, cum interim Dalila totam hanc fabulam luderet. Textus Hebræus negocium, & quidem grande, faceſſit (8): *Si texueris ſeptem cincinnos capitis mei cum velo, quod ordiris, & fixeris in clavo, infirmus ero, ut cæteri hominum.* Vertunt alii: Si plexueris crines capitis mei cum licio, quod eſt in textrina tua, itaut crines mei ſint tamquam ſubtemen, & filum tamquam ſtamen, & plexum crinem devinxeris rotundo huic ligno, circa quod tela, dum texitur, convolvi ſolet, ego viribus omnibus meis deſtituar. Alii denique ita vertendum cenſent: *Si plexueris crines meos cum licio, & percuſſeris cum inſtrumento illo veterum, quod appellant Spatham*, gladio ſcilicet vel enſe, quo ſubtemen ſtamini adſtringitur, *infirmus ero*.

In mentem hic revocandum eſt, textrinam olim alio artificio exercuiſſe Veteres, ac textores noſtrates. Texebant enim ſtantes, & circa textrinam gradiebantur, cum hodie texant ſedentes: cum vero inſtrumentum noſtrum, quo ſubtemen adſtringitur ſtamini, figuram exhibeat longioris pectinis, olim ejus vicibus fungebatur ligneum inſtrumentum in formam longioris gladii, qui in eoſdem uſus valebat in tela, cujus ſtamina ſurſum deorſum diſtenta penderent. Gladium hunc appellari hic clavum textorum, cenſet Brauntius (9), cujus tamen opinionem nihil certi habere puto. Maluerim enim ego clavum textorum accipere de clavis, qui textrinam ſuſtinebant. Nunquam legimus in Textu, Dalilam fixiſſe comam humi, ſed tantum vinxiſſe plexum e licio & crinibus, clavo textorum.

℣. 16. DEFECIT ANIMA EJUS, ET AD MORTEM USQUE LASSATA EST. Hebræus (10): *Anguſtiata eſt ad mortem anima ejus*: tædio affectus eſt, dejectus animo, & ad mortem uſque oppreſſus. Magis miramur in hac re animi Samſonis imbecillitatem, quam immane illius corporis robur.

℣. 17. SI RASUM FUERIT CAPUT MEUM, RECEDET A ME FORTITUDO MEA. Coma Samſonis utrum cauſa erat phyſica & vera roboris illius, an tantum moralis, & veluti pignus peculiaris providentiæ Numinis, huic viro tamdiu invigilantis, quamdiu in ſe præferret inſigne conſecrationis & Nazaræatus? Vulgo Patres (11) & Interpretes (12) putant cauſam hanc fuiſſe moralem virium, quibus excellebat, fidem ſuam obligante Deo vires illas conſervandi, ut ne dormiens quidem ſupernaturali illo munere deſtitueretur, dum tamen comam ſuam retineret, tamquam inſigne ſpecialis Domino conſecrationis.

Fabula crinis fatalis Niſi ex hac hiſtoria Samſonis expreſſa videtur. Niſus Megaræ Rex in ſummo capitis vertice purpureum crinem gerebat, unicum futurum momentum ad ipſius vitam Regnumque conſervandum; neque enim ſive Regno pelli, ſive ab hoſtibus vinci poterat, quamdiu fatalem illum crinem apud ſe haberet (13).

. . . . *Splendidus oſtro*
Inter honoratos medio de vertice canos,
Crinis inhærebat, magni fiducia Regni.

Scylla Niſi filia capta amore Minois, obſidione tunc Megaram ſtringentis, fatalem patris crinem ſeſe illi prodituram ſpopondit, nuptias cum eo paciſcens. Fidem illa liberavit, clam noctis ſilentio, in conclave dormientis patris ingreſſa, & crinem cædens.

Narrat Apollodorus (14) aliam fabulam Samſonicæ huic hiſtoriæ perſimilem. Cornetho Pterelai filia, amore Amphitryonis capta, præcidit crinem aureum patris ſui, unde illius mors & amiſſio Regni conſecuta eſt. Sed Amphitryon nunquam induci potuit, ut ſibi in conjugem jungeret filiam erga patrem ſuum impiam; quin & pro conjugio, criminis pœna ſceleſtam ſupplicio damnavit. Fruſtra hic demonſtraverimus, quanta ſit affinitas inter has fabulas, & Samſonis hiſtoriam.

℣. 19. VOCAVITQUE TONSOREM, ET RASIT SEPTEM CRINES EJUS. Novaculam tantum vel forfices tonſor ſuffecit; ipſa per ſe mulier comam abraſit. Legit Hebræus: *Vocavit virum, & illa raſit ſeptem cincinnos*, vel ſeptem plexus *crinium*. An tonſoribus uterentur Hebræi, ignoro: illud ſcimus, barbam non raſiſſe, & intonſam fere comam geſſiſſe. Raſionem quidem capitis in luctibus (15), uti & tonſionem Nazaræorum (16), exprimit interdum Scriptura iiſdem vocibus, ac quibus innuit ovium tonſionem; & apud Hebræos eodem inſtrumento, quo reformabatur barba, eodem coma cædebatur, ovesque tondebantur: quare nonniſi quoddam forficum genus eſſe poterat. Neque id mirum eſto, cum memoriæ proditum ſit, Romanos

(1) Joſeph. Antiq. l. 5. c. 10. ἐν κλήμασιν ἔτι δὲ ὑγροῖς ἀμπελίνοις. (2) Mont. Pagn. Fuller. Kimchi, Rabb. (3) Syr. Arab. Jonat. Munſt. Vat. (4) Deut. xxxiv. 7. *Nec dentes illius moti ſunt*. Heb. *Et non fugit vigor ejus (oculi)*. (5) והארב יֹשב לה בחדר (6) Exod. xxviii. 14. 24. (7) Vide ℣. 19. (8) אם תארגי את שבע מחלפות ראשי עם המסכת ותתקע ביתד (9) Vide Braun. de veſtitu Sacerd. l. 1. c. 16. art. 16. (10) ותקצר נפשו למות Septuag. ὠλιγοψύχησεν ἕως εἰς θάνατον. Aq. ἐκολοβώθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ. Alius ἐκολοβώθη. (11) Vide Ambroſ. l. 2. de Spiritu ſancto, in Prologo; & l. 2. Offic. c. 25. Author. de mirabil. Sacr. Scripr. lib. 2. cap. 6. Ephrem tom. 1. Paulin. Ep. 4. & Serar. quæſt. 54. (12) Serar. Menoch. Tirin. Cornel. Bonfrer. Grot. alii. (13) Ovid. Metamorph. l. 8. init. Vide & Pauſan. in Attic. (14) Apollodor. Biblior. l. 2. (15) Job 1. 20. *Tonſo capite, corruens in terram*. Heb. ויגז את ראשו (16) Jerem. VII. 29. *Tonde capillum tuum & projice*. Heb. *Tonde Nazaræatum tuum*.

nos quadringentis & quinquaginta quatuor annis caruiſſe tonſoribus (1); vetereſque Græci indignationem quamdam in eos profiterentur, qui primi raſuræ authores apud ipſos fuerant. Neque cultus erat delicatior Hebræis, quam priſcis Græcis Romaniſque. Hiſce omnibus perſuademur, Dalilam forficibus comam Samſonis præcidiſſe. Porro Samſon crines gerebat in ſeptem plexus diſtributos, uti ſupra animadverſum eſt. Fuerunt olim, & adhuc ſunt gentes, quæ elegantiam cultus in eo poſitam cenſent, ut comam in plexus diſtribuant.

Et cœpit abigere eum, et a se repellere: statim enim ab eo fortitudo discessit. Hebræus (2): *Cœpit humiliare eum, & receſſit fortitudo ejus deſuper eo*. Septuaginta: *Cœpit humiliari, & diſceſſit fortitudo ejus ab eo.*

℣. 20. Et me excutiam. Innuitur hic, Dalilam virum vinxiſſe, antequam clamaret: *Philiſtiim ſuper te Samſon*. Reddi etiam poſſet (3): Expediam me ab illis, in fugam uti prius dabo.

℣. 21. Vinctus catenis. Hebræus: *Vinctum duabus catenis æneis* (4). Interpretum quidam cenſent, id accipiendum eſſe de catenis ferreis (5), vel manicis e calybe: nobis tamen illud ſuadari non poteſt. Apud Veteres, familiarius obtinebat æs quam ferrum: ex ære conflabantur non raro catenæ, & inſtrumenta etiam colonica, vaſa ad continendos cibos, ſecures, gladii, & ferme omnia, quæ hodie e ferro vel calybe parantur.

Clausum in carcere molere fecerunt. Ante inventa piſtrina pneumatica, & aquaria, torquebantur olim molæ lacertis; quod hodie pariter pluribus per Orientem in locis, & apud Indos ſervatur. Adhibebantur huic miniſterio ſervi, qui immanibus molis triticum terebant; idemque laborioſum munus a Philiſtæis impoſitum fuit Samſoni, eumque viliſſimi mancipii loco habuerunt. Damnari ad piſtrinum vulgaris erat ſervorum poſt grave aliquod ſcelus pœna. Hinc familiare illud apud Comicos: *Dabo te in piſtrinum uſque ad necem*. Catenis vinciebantur, iiſque certum ſive in dies ſive in menſes ſingulos farinæ penſum imperabatur. Morem hunc obtinuiſſe apud Chaldæos, ex Iſaia XLVII. 2. & Jeremiæ Threnis v. 13. conſtat. Septuaginta in Jeremia LII. 9. ubi de Sedecia Rege, oculis orbato a Chaldæis, eumdem morem innuunt. Romanorum legibus (6) ad publica piſtrina urbis Romæ damnabantur ii, qui mortis ſupplicium meruiſſent: perinde enim erat hæc apud illos pœna, ac triremium apud nos.

Inſula eſt Archipelagi Melos, in qua piſtrina plura conficiuntur ſciti operis & ſolidiſſima, quæ inde in Ægyptum, Conſtantinopolim, Peloponneſum, Zacynthum, Cephaloniam, & ipſam pariter Anconam vehuntur. Piſtrina hæc conſtant ex duplici mola, plana & rotunda, duos circiter pedes diametro, quarum altera ſuper alteram torquetur ope vectis, qui manubrii loco eſt. In inferiorem molam cadit triticum per foramen ſuperioris molæ, quæ circulari motu triticum ſpargit ſuper inferiorem molam, tritumque redigit in farinam. Porro farina per extremos limbos molæ inferioris ejicitur in inferiorem tabulam, in quam colligitur. Confectus ex ea panis ſuavius ſapit, quam ſubactus e farina piſtrinis pneumaticis, vel aquariis trita: venduntur autem ea piſtrina pretio unius ſcutati, vel unius & ſemis.

Carcerem appellat Scriptura locum, in quam Samſon vinctus catenis detruſus eſt; Hebraice autem dicitur בית האסירים *Domus vinctorum*. Veterum moribus terebatur, neque adhuc deſiit in locis, ubi abundant mancipia, claudendi vel criminis alicujus reos, vel illos de quorum fuga timebatur, in ergaſtulis, ubi catenis vincti detinerentur (7). Servi in ergaſtulo ſquallentis imaginem hanc pingit Apulejus (8): *Quales ibi homunculi, vibicibus lividinis totam cutem depicti, dorſumque plagoſum ſciſſili centunculo magis inumbrati quam obtecti, nonnulli exiguo tegili tantummodo pubem intecti, cuncti tamen ſic tunicati, ut eſſent per pannulos manifeſti, frontem literati, & capillum ſemiraſi, & pedes annulati, cum luvore deformes, & fumoſis tenebris vaporoſæ caliginis palpebras adeſi, atque adeo male luminati, & in modum pugilum, qui pulviſculo perſperſi dimicant, farinulento cinere ſordide candidati.* Tradit Herodotus (9), Scytharum moribus obtinuiſſe, ut mancipia omnia luminibus orbarentur, ne circumeundo vertigini obnoxia eſſent; cogebantur enim agitare in vaſe lac, quo gentes illæ alebantur. In hanc miſeram conditionem Samſon redactus eſt.

Narrat S. Hieronymus (10) veterem quamdam Hebræorum traditionem, quam adhuc legimus penes Rabbinos & Thalmud, vocem ſcilicet *molere* uſurpari hic obſcœno ſenſu, cum Philiſtæi ſobolem ex Samſone referre vellent. Sed hujuſmodi expoſitionem rationi contrariam, nullaque veri ſpecie fultam, ſtomachantes rejicimus.

Molere aliquando obſcœnum quid ſignificat, ut apud Theocritum Idyll. 4. v. 58. Job XXXI. 10. *Scortum alterius ſit uxor mea*. Heb. *alteri molat uxor mea*. Sed molere ſemper activa ſumitur pro viro permolente uxorem. Itaque melius interpretantur qui ſic intelligunt, ſit viliſſimum mancipium alterius uxor mea, & illi ad molam vertendam inſerviat.

℣. 22. Jamque capilli ejus renasci cœperant. Hebræus (11): *Et cœpit pilus capitis ejus germinare*, creſcere, *ſicut quando eſt raſus*, pro tempore, quo abraſi fuerant; vel juxta nonnullos: Cœperunt renaſci, poſtquam reciſi fuerant; vel juxta Vatablum & Junium: In priſtinum ſtatum reſtituti fuerant. Si diu in carcere fuit, coma utique creſcere potuit, uti prius: ſed quamdiu ibi perſeveraverit, Scriptura non docet.

Ut vero creſcebant crines, ita reparabantur vires, non cauſa quidem materialis incrementi crinium, qui, uti docuimus, ſimbolum erant potius, pignus & indicium, quam vera roboris illius origo; ſed ideo quod in carcere reſipiſcens, & æquitatem judiciorum Dei agnoſcens, crimen ſuum lacrymis eluerat, tandem mærito pœnitentiæ id impetraverat, ut juri & dignitati Nazaræatus ſui reſtitueretur.

℣. 23. Ut immolarent hostias magnificas Dagon Deo suo, et epularentur. De Dagone fuſe egimus in Diſſertatione de Numinibus Philiſtæorum. Veri ſimillimum eſt hujus Numinis meminiſſe Diodorum Siculum (12), cum Numen Aſcalone cultum deſcribens, habuiſſe dicit caput fœminæ, inferiora piſcis. Derceto appellabatur a Profanis.

℣. 25. Qui adductus de carcere, ludebat ante eos. Inducere in animum non poſſumus, Samſonem ludicra, & mimica exercuiſſe ad recreandos Philiſtæos; ſed libentiſſime credimus, calonum lixarumque turbam circa illum conſertam indigna plu-

(1) Varro de Re ruſtic. l. 2. c. ult. Plin. l. 7. cap. 59. Vide Notas in eumdem loc. (2) ותחל לענותו ויסר כחו מעליו (3) ואנער Septuag. ἀποτινάξομαι. (4) ויאסרוהו בנחשתים καὶ ἔδησαν αὐτὸν ἐν πέδαις χαλκαῖς. (5) Vat. Jun. Boch. Phaleg l. 3. cap 12. (6) L. de Piſtrini pœna, Cod. Theod. tit. de pœnis. apud Cletic. (7) Vide Caſaubon. in Theocrit. cap. 27. Pignor. de ſervis pag. 9. 10. Clenard. Ep. l. 1. (8) Metamorph. l. 9. (9) Herodot. l. 4. c. 2. Τοὺς δὲ δούλους οἱ Σκύθαι πάντας τυφλοῦσι. (10) Hieronym. in Iſai. 47. *Ad molam eum* (Samſonem) *a Philiſtiim eſſe damnatum, hoc ſignificare volunt, quod pro ſobole robuſtiſſimorum virorum, hoc in Allophylas mulieres facere ſit compulſus*. Vide & Thalmud tract. ſutah c. 1. fol. 10. (11) ויחל שער ראשו לצמח כאשר גלח (12) Diodor. Sicul. l. 3. Τὸ μὲν πρόσωπον ἔχει γυναικὸς, τὸ δ' ἄλλο σῶμα πᾶν ἰχθύος. Vide & Lucian. de Dea Syr.

plurime viro ludentes irrogeſſe: Semſonem vero pluribus conantem, ut illos repellaret, ridendi materiem uberem ſpectatoribus exhibuiſſe (1). Septuaginta Editionis Romanæ ferunt, Philiſteos, ludibrio virum habentes, alapas impegiſſe (2).

Fecerunt eum stare inter duas columnas. Templorum Philiſtæorum perſimilis fuiſſe videtur ſtructura ac Ægyptiorum. Fani illius veſtibulum erant amplæ porticus, & quæ ædificii pars Templum proprie dicebatur, veſta erat aula duabus columnis facile ſuſtentata: tegebatur tecto in formam areæ pro more ejus regionis. Samſon ſpectaculum forte exhibuerat populo conferto in porticibus, & in ſuperiori ac inferiori aula, cæteriſque qui intus in Templo erant, nempe viris principibus Philiſtæorum, qui coram Diis ſuis pro recepto more (3) lætum convivium inſtituerant. Omnia igitur occupabantur ſpectatoribus; & facile quiſque intelligat, omnes eo convolaſſe, ut ſpectaculi novitatem intuerentur. Tunc Samſon, ſive exploratam habens peculiarem delubri illius ſtructuram, ſive intelligens, Templa omnia Philiſtæorum geminis columnis fulta eſſe, e duce ſuo impetravit, ut innitens aliquantulum iis columnis requieſcere permitteretur; ſtatimque concuſſis columnis, totum ædificium ea, quæ hic narratur, ratione dejecit.

Utrum peculiare id eſſet Templis Philiſtæorum, ut duabus columnis fulcirentur, ignoro; ſed eumdem columnarum numerum deprehendimus in laudatiſſimis Fanis Herculis Tyrii, & Lybici (4). Eas columnas inter ſe proximas fuiſſe neceſſe eſt; utramque enim duabus manibus Samſon contingebat: ligneas autem fuiſſe credimus. Magnificentiſſima enim ejus ætatis ejuſque regionis ædificia ex ligno fere omnia parabantur. Neque enim concipiendum eſt, Templum fuiſſe craſſum, concameratum, ampliſſimis lapidibus, vel marmoreis columnis fultum, uti noſtras majores Baſilicas. In medio tecti hiatum quemdam patuiſſe credunt Serarius & Bonfrerius, unde proſpectus eſſet in interiora Templi. Quicumque fidem ſuperare reputaverint, totum delubri ædificium inſidere potuiſſe duplici columnæ, illis conſiderandum proponimus theatrum Romæ uno cardine, & amphitheatrum duplici cardine ſuſtentatum: *Ecce populus Romanus univerſus duobus navigiis impoſitus, binis cardinibus ſuſtinetur* (5).

Templum Marnæ in Gaza rotundum erat porticibus undique columnis ſuffultis circumſeptum. In medio culminis ſuperioris os erat apertum unde fumus ſacrificiorum exhalaret. Eo deductus eſt Sanſon, ut Philiſtæis eſſet ſpectaculo; idemque ædificium concuſſis columnis dejecit. Vide D'Arvieux tom. 2. de ruina templi.

℣. 27. Ac de tecto et solario circiter tria millia. Non ſatis novimus ex Textu, utrum tria millia ſpectatorum, de quibus hic, alia eſſent ab iis, qui in Templo continebantur, an hic numerus trium millium ex iis, qui tum oppreſſi ſunt, conſtitueretur. Poſtremum hoc veritati magis cohærere arbitror.

℣. 28. Et pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam. Principis populi Dei perſonam agens Samſon rogat, ut ultio ſibi de hoſtibus concedatur. Quæ illi irrogata fuerat injuria, erutis oculis, in populum univerſum potius, quem in privatum hominem regerebatur (6). Prodigium vero, quo Deus illi favit, ſatis demonſtrat, gratam fuiſſe Numini viri petitionem. Recentiores quidam Interpretes (7) ita Hebræum vertunt (8): *Ulciſcar ultionem de uno ex duobus oculis meis*. Sed interpretatio communis æquior eſt & pronior. Septuaginta (9): *Ulciſcar ultionem pro oculis meis*.

℣. 29. Ambas columnas, quibus innitebatur domus. Hebræus (10): *Duas columnas medii*. Adjunctum hoc *medii*, in Vulgata & Septuaginta neglectum, demonſtrat, qui fieri potuerit, ut Samſon unica concuſſione totum ædificium dejiceret, & geminæ illæ columnæ corruentes totius Templi ruinam ſecum traherent.

℣. 30. Moriatur anima mea cum Philisthiim. An communem ſibi mortem cum hoſtibus, & necem ſibi ſpontaneam inferre fas erat Samſoni? Hac una ratione virum excuſat non ſemel S. Auguſtinus (11): *Hoc feciſſe Samſonem non humaniter deceptum, ſed divinitus juſſum, nec errantem, ſed obedientem; nec de eo nobis aliud fas eſt credere*. Addit: *Cum Deus jubet, ſeque jubere ſine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? quis obſequium pietatis accuſet?* In eamdem ſententiam vulgo Interpretes conceſſerunt.

Docet S. Bernardus (12), Samſonem, niſi peculiari divinæ voluntatis inſpiratione actum ſe in eam rem noſſet, nulla ratione excuſari poſſe e peccato. Sed ejus opinionem Doctores plurimi deſerunt (13), cum aſſerant, nullius criminis reum eſſe Samſonem, licet nulla privata revelatione edoctum; cum enim gereret perſonam Judicis & Liberatoris Iſraelis, exitium inferre hoſtibus populi ſui poterat, quamquam communi ſeſe cum illis fato obvolvendum noſſet. Unicum illi propoſitum erat in ea re, excidium hoſtium & gloria Dei, neque ſui necem niſi oblique ſpectabat, tamquam inevitabile medium, quo bonum & laudabile conſilium exequeretur. Primum viri propoſitum fuit ulciſcendi gloriam Dei; alterum vero, vitam ſuam in eam rem profundendi, quamquam ſervare illam optabat, ſi poſſet, illata hoſtibus ſuis nece.

Fas eſſe homini docent Hebræi, necem ſibi inferre, cum quis vitam ſibi ſervari non poſſe intelligit, niſi in ipſius Dei probrum, dataque oſoribus gloriæ ipſius Domini obtrectandi occaſione. Hac ratione excuſandos cenſent Samſonem, Saulem, Raziam, Jeroſolymæ Senatorem, cujus mortis hiſtoriam legimus in II. Machabæorum XIV. 37. In album ſanctarum Martyrum recenſet Eccleſia Romana Virgines, quæ virginitatis ſervandæ cauſa ſponte ſe aquis merſerunt (14). Sed peculiaria quædam ſuppetunt argumenta, quibus Samſon excuſetur, quæ in cæteris deſunt; docet enim Scriptura luculenter, illum antequam id conſilii impleret, precibus Deo ſupplicaſſe, ejuſque mortem appendicem fuiſſe opis prodigio præſtitæ a Deo, ut tantum facinus moliretur: denique S. Paulus Apoſtolus illum in Sanctorum cenſum refert (15); quod utique nec de Saule, nec de Razia affirmare poſſumus.

(1) Ambroſ. Ep. 19 nov. edit. *Gravibus in eum inſultabant conviciis, circumagebant ludibriis, quod durius & ultra ipſam captivitatis ſpeciem, viro ingenitæ virtutis conſcio tolerabatur.* (2) Καὶ ἐνέπαιζον ἐνώπιον ἡμῶν . . . . . καὶ ἐῤῥάπιζον αὐτόν. Rom. Codex. καὶ ἐνέπαιζον ἐνώπιον αὐτῶν, καὶ ἐῤῥάπιζον αὐτόν. Joſeph. Antiq. l. 5. cap. 10. [illegible] (3) Vide Judic. x. 27. Virgil. VII. Æneid.

. . . . . *Hoc illi curia Templum,*
Hæc ſacris ſedes epulis.

(4) Porphyr. l. 2. de Abſtin. p. 46. (5) Plin. lib. 36. cap. 15. (6) Vide Serar. & Bonfr. hic. (7) Mont. Vatab. (8) ונקמה נקם אחת משתי עיני (9) Septuag. ἐκδικήσω ἐκδίκησιν μίαν ἀντὶ τῶν δύο ὀφθαλμῶν μου. (10) את שני עמודי התוך Alii Interpr. præter Septuag. τοὺς δύο στύλους μέσους. (11) Auguſt. l. 1. de Civit. Dei cap. 21. & 26. & lib. 2. contra Gaudent. (12) Bern. de Præcepto & diſpenſat. c. 3. *Quod utique factum ſi defenditur non fuiſſe peccatum, privatum habuiſſe conſilium indubitanter credendus eſt.* Vide Not. fuſiores Mabillon. in eum locum. (13) Vide Cajet. hic. Toſtat. quæſt. 34. Leſſius l. 2. de Juſtitia c. 9. Franciſc. Victoria, ſelectione de homicidio ſub finem, Serarius qu. 31. Bonfr. hic. (14) Vide Grot. hic; & lib. 2. de jure Belli & Pacis c. 19. parag. 5. & Serar. qu. 32. (15) Heb. XI. 32.

Multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat. Quam multos Philiſtæos interfecerit Samſon, cum viveret, ignoramus. Numerum ſolummodo mille virorum, quos aſini mandibula interfecit, & triginta quos exſpoliavit Aſcalone, ſervavit Hiſtoria; ſed multo plures ſub ejus manu cecidiſſe, par eſt ut credamus; ſcriptumque legimus, poſtquam uxorem ſuam team prodiri arcani reliquit, illos cecidiſſe, tantaque affeciſſe clade ut ſtupidi hærerent, & immobilès (1). Pſeudo Philo affirmat (a), quadragintamillia interfeciſſe. Arbitratur Serarius, ſub everſi Templi ruinis viginti millia periiſſe; vix tamen probari poſſe credo, extinctorum numerum ea occaſione tria millia ſuperaſſe. Quod autem Philiſtæorum malum auget, illud eſt, nimirum ingenti numero Principes, & viros ampliſſimos communi cæterorum excidio ſublatos fuiſſe.

℣. 31. Judicavit Israel viginti annis. Jam Capite xv. 20. idem animadverſum eſt. Doctiſſimorum tamen Interpretum quidam ambigunt (3), utrum reipſa Iſraelem gubernaverit. Summus Sacerdos Heli per idem tempus Iſraelem judicabat fortaſſe tamen plures erant variis in locis Judices. Heli Religionis res curabat, Samſon bellicas. Veteres & recentiores fere omnes agnoſcunt Samſonem pro Judice, ideſt Principe, ac Liberatore populi Dei.

In Samſone rebuſque ab illo geſtis viva adeo veſtigia imaginis Jeſu Chriſti exhibentur, ut primo intuitu alterum in altero agnoſcere neceſſe ſit. Oriturum illum Angelus prænunciat; nomen *Samſon* Sol redditur; quis autem utroque non expreſſum ſentiat Jeſum Chriſtum, Solem Juſtitiæ, cujus ortum Angelus Gabriel Mariæ prænunciat? Cura Manue ob Angelum ab uxore ſua viſum, exhibet S. Joſephum, qui Sponſam ſuam Mariam gravidam eſſe intelligens, animo angitur. Nazaræatus Samſonis ſymbolum eſt Jeſu Chriſti, Nazaræi apud Prophetas appellati, quique & Nazaræus agnitus eſt vel ab iis, qui illum negabant, ignorabantque nominis hujus myſterium. Samſon Judicem agit, Principem, & Servatorem Iſraelis; Jeſus Chriſtus Eccleſiæ ſuæ Princeps, & omnium hominum Servator eſt, ſimulque viventium, & mortuorum Judex. Samſon alienigenam uxorem ducit, quemadmodum Jeſus Chriſtus amorem ſuum alienæ largitur, Eccleſiæ ſcilicet ex Gentibus conſtitutæ.

Samſon Philiſtæorum manibus per fratres ſuos traditur; ipſe tamen ab illis ſe ſtatim excutiens, hoſtes ſuos, mandibula aſini arrepta, fugat; ſiti adactus Deo ſupplicat; qui venam illi aquarum aperit. Jeſus Chriſtus Judæorum proditione in Romanorum poteſtatem venit, de hoſtibus ſuis eruce ſua, ac probris triumphat; in ipſo ſupplicio ſuo poſitus poculum petit, & crucem, uti Samſon columnas Templi Dagonis, complexus expirat. In ejus obitu terrarum Orbis concuſſionibus agitatur, & tenebris horreſcit. Hoſtes Samſonis ſub Templi ruinis oppreſſi exhibent Judæos, quos Urbis ſuæ & Templi ruinæ veluti ſepelierunt. Denique cadaver Samſonis ablatum a neceſſariis ſuis, & in patria ſua, nequidquam frendentibus Philiſtæis, ſepultum, imago eſt ſepulturæ Jeſu Chriſti, & Reſurrectionis ejus glorioſæ, per univerſum late Orbem promulgatæ & agnitæ, invitis licet, atque indignantibus inimicis.

Senſus allegoricos da Samſone legas in ſermone cccLxiv. S. Auguſtini *de Tempore*, qui inter dubios rejectus eſt. Vide epiſtolam decimam nonam S. Ambroſii, primæ Claſſis, in nova Editione; Epiſtolam quadrageſimam S. Paulini; Orationem S. Ephrem in mulieres improbas. Vide etiam Serarium in hoc Caput.

Cum Samſonis vita tot prodigiis referta ſit, nihil eſt, quod miremur, ſi antiquitas Profana e geſtis ejus glorioſa quædam in Heroum ſuorum decus tranſtulit. Geſtorum Herculis pars nonniſi in Samſone veritatem hiſtoricam habent; ut merito affirmari quodammodo poſſit, Herculem Samſonem eſſe perſonatum. Utriuſque hujus viri ætas ferme congruit; uterque enim bello Trojano proximus vixit: noſcitur Hercules Phœnicius, in eadem regione ſummo honore habitus; non procul inde Samſon florebat. Mirificum Herculis robur, eliſus faucibus Leo, ſervitus ſub Rege Euriſtheo, quæ mala perferre coactus eſt, ut ſeſe ab illa expediret, Samſonem pingunt, virum mirifice robuſtum, qui leonem manibus ſuis diſcerpit, Philiſtæorum manibus traditur, ſervitutem apud illos duriſſimam & probroſiſſimam patitur.

Infamis illa Samſonis animi infirmitas erga Dalilam, & Herculis erga Omphalen; duæ columnæ Herculis, & totidem Samſonis, utrique malorum finis, an ita adamuſſim caſu, neque præmeditato conſilio inter ſe congruant? Herculis nomen pro Sole interpretatur Macrobius (4): eadem eſt pariter interpretatio nominis Samſonis. Hercules nunquam uſus eſt enſe ſive lorica: nec de Samſonis armis quidquam unquam legimus.

Utrum & inter fabulas ex Samſone expreſſas recenſenda ſit hiſtoria ab Euſebio narrata (5) de Cleomede, ignoro. Hic damnatus mulcta quatuor talentorum, conceptum animi ſui furorem effudit in gymnaſium quoddam, cujus ædificium, ſubductis columnis illud ſuſtinentibus, dejecit, omnibus, qui intus verſabantur, ruina oppreſſis. Narrat Strabo (6), celebrem illum Milonem Crotoniatam, Pythagoræ diſcipulum, cum forte aliquando verſaretur in ludo Philoſophis pleno, videretque columnam labaſcere, ac ruinam ſtatim minitari, in locum nutantis illius fulcri ſucceſſiſſe, atque ita ædificium ſuſtentaſſe tamdiu, quamdiu Philoſophis ſatis ſpatii daretur, ut ſeſe e diſcrimine ſubducerent; quibus egreſſis & ipſe pariter ſeceſſit. Polydamas, celebris athleta Theſſaliæ, leonis in monte Olympo fauces eliſit: furentem taurum e ſolo elevabat: currum, equis licet robuſtiſſimis tractum retinebat: denique immanis cujuſdam rupis, quam ruentem remorari ſe poſſe ſperabat, pondere eliſus interiit.

(1) Judic. xv. 8. *Percuſſitque eos plaga magna, ita ut ſtupentes ſuram femori imponerent.* (2) Apud Cornel. a Lap. (3) Maſ. ad Joſue ult. ℣. 31. (4) Macrob. Saturn. l. 1. c. 20. *Revera Herculem ſolem eſſe, vel ex nomine patet. Heracles enim quid aliud eſt niſi eras*, [ideſt aeris] *cleos* [ideſt gloria] ? (5) Euſeb. Præp. l. 5. cap. 24. Vide & Pauſan. in Eliac. (a) Strabo lib. a.

C A-

CAPUT XVII.

Michas mille & centum ſiclos reſtituit matri: eam pecuniam mulier Deo conſecrans, impendit in ornamenta & in Idolum, eaque omnia in domo Michæ dedicat. Michas Sacerdotem conſtituit unum e filiis ſuis, deinde Levitam e Bethlehem, quem forte in domum ſuam excipit.

℣. 1. FUit eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Michas, 2. Qui Circ. an. M.
dixit matri ſuæ: Mille, & centum argenteos, quos ſeparaveras tibi, & ſu- 2553. ante J. C. 1451.
per quibus me audiente juraveras, ecce ego habeo, & apud me ſunt. Cui illa reſ-
pondit: Benedictus filius meus Domino. 3. Reddidit ergo eos matri ſuæ, quæ di-
xerat ei: Conſecravi, & vovi hoc argentum Domino, ut de manu mea ſuſcipiat fi-
lius meus, & faciat ſculptile, atque conflatile: & nunc trado illud tibi. 4. Reddi-
dit igitur eos matri ſuæ: quæ tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, ut
faceret ex eis ſculptile, atque conflatile, quod fuit in domo Michæ: 5. Qui ædicu-
lam quoque in ea Deo ſeparavit, & fecit ephod, theraphim, id eſt veſtem ſacerdo-
talem, & idola: implevitque unius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei ſacer-
dos. 6. In diebus illis non erat rex in Iſrael, ſed unuſquiſque, quod ſibi rectum
videbatur, hoc faciebat. 7. Fuit quoque alter adoleſcens de Bethlehem Juda, ex
cognatione ejus: eratque ipſe Levites; & habitabat ibi. 8. Egreſſuſque de civitate
Bethlehem, peregrinari voluit, ubicunque ſibi commodum repeririſſet. Cumque veniſ-
ſet in montem Ephraim, iter faciens, & declinaſſet parumper in domum Michæ, 9.
Interrogatus eſt ab eo, unde veniſſet. Qui reſpondit: Levita ſum de Bethlehem Ju-
da, & vado, ut habitem, ubi potuero, & utile mihi eſſe perſpexero. 10. Dixitque
Michas: Mane apud me, & eſto mihi parens, ac ſacerdos; daboque tibi per annos
ſingulos decem argenteos, ac veſtem duplicem, & quæ ad victum ſunt neceſſaria.
11. Acquievit, & manſit apud hominem, fuitque illi quaſi unus de filiis. 12. Im-
plevitque Michas manum ejus, & habuit puerum ſacerdotem apud ſe. 13. Nunc
ſcio, dicens, quod benefaciet mihi Deus habenti Levitici generis ſacerdotem.

℣. 1. FUIT EO TEMPORE VIR QUIDAM DE MONTE EPHRAIM, NOMINE MICHAS. Tres narrationes, quæ deinceps ab hoc capite uſque ad Libri exitum narrantur, hic extra ſuum locum ſunt. Teſtatur ſacer Hiſtoricus, has contigiſſe quo tempore Hebræorum Reſpublica Rege carebat. Hic profecto ea, ſicubi unquam, corruptiſſima & incompoſita apparet: deſtituta Principe, publicaque authoritate, ſubditorum obſequiis agnita, quæ Regimini populi atque provinciæ ſtudeat: Judex nullus, qui operam ſuam religioni conſervandæ, & coercendæ morum licentiæ navet.

Interpretum nonnulli (1) hæc omnia ad tempora poſt Joſue deceſſum referunt, vel ad labentes vitæ ipſius annos. Componunt alii (2) cum ætate Othonielis, vel cum tempore poſt obitum Seniorum qui Joſue ſucceſſerunt, vel cum Regno Chuſan Regis Meſopotamiæ. Alii denique (3) ſtatuunt poſt obitum Samſonis: in quam ſententiam nos utique duceret ſeries naturalis & ordo libri, niſi prohiberent hiſtoriarum hujuſmodi adjuncta, nulla ratione cum ea ætate cohærentia. Ita e. g. Levites ille Bethlemita, quem ut ſacerdotio apud ſe fungeretur, Michas conduxit, nepos erat Moyſis, ex filio illius Gerſam. Porro hic Levita decrepitam plus nimio ætatem acturus fuiſſet poſt obitum Samſonis: ille tamen juvenis infra, ℣. 7. appellatur.

Adde, quod hiſtoria filiorum Dan, quæ poſt hanc Michæ narratur, contigit facile paulo poſt obitum Joſue, cum in cap. 1. 34. hujus libri animadverſum ſit, eam Tribum nimis anguſtis finibus intra montes clauſam fuiſſe, prohibentibus Amorrhæis ne prorogaret in agro fines; adeo ut in c. XVIII. 1. hujus Libri aperte affirmetur, Danitas nullam adhuc ſoli portionem apud fratres ſuos obtinuiſſe. Quis autem credat, Danitas in eo rerum ſuarum ſtatu perſeveraſſe ab obitu Joſue uſque ad deceſſum Samſonis, ideſt, ſpatio annorum circiter CCCXVII. Denique vigeſimo capite demonſtrabitur, hiſtoriam uxoris Levitæ poſt tranſmigrationem Danitarum contigiſſe. Quare aptiſſimam earum rerum ætatem illam credimus, quæ poſt obitum Joſue & Seniorum conſecuta eſt.

Hiſtoria Michæ ita in hoc capite narratur, ut facti ſeries & ordo non facile intelligatur. Ita vero digerimus. Vidua quædam Ephraimitica, dives, ſuperſtitioſa, & adultorum complurium filiorum mater, pecuniæ ſummam mille centum ſiclorum argenteorum amiſit. Ægre adeo jacturam tulit, ut vel dira in furem imprecaretur. Ex filiis ejus Michas matri renunciavit, habere ſe pecuniam, quam amiſſam querebatur; ſimulque totam illi reſtituit. Eo nuncio læta mater filium benedictionibus cumulavit; ſimulque prodidit, ſe hanc pecuniam Deo conſecraſſe, ut in ornamenta Sacerdotalia impenderetur. Hæc autem conſecrare ſe velle in domo ejuſdem Michæ, ubi ſacellum domeſticum dedicaretur. Dictis ſtetit mulier: ex ea enim pecunia confectis Ephud aliiſque ornamentis, & imaginibus nonnullis e metallo conflatis, omnia in domo Michæ conſecravit. Ille maternæ religioni obſequens, primo quidem unum e filiis ſuis ſacerdotio initiavit; dein nactus juvenem Levitam, loco filii illum conſtituit ſacelli illius domeſtici ſacerdotem.

(1) Lyr. Toſt. Maſ. (2) Menoch. Jun. Bonfr. Cornel. (3) Grot. Petr. Martyr, Serar.

Committuntur inter ſe Scriptores tum de actione ipſa, cum de ipſius conſilio ac voluntate, quibus & mulier & Michas ejus filius religionem ſuam exhibuerunt. Quidam (1) utramque approbantes, omnia hæc in Dei honorem inſtituta fuiſſe credunt: cum enim ea ætate viverent, qua omnia turbata erant & confuſa, publicus Dei cultus vel penitus derelictus, vel ſumma incuria neglectus, conſecrandum cenſuerunt domeſticum ſacellum, ut, cum publicum non commode poſſent, privatum cultum Domino impenderent. Paratum illud Ephod velum, Theraphim, vel imagines, nihil aliud erant, quam eorum, quæ in Tabernaculo erant, imitatio. Ephod reſpondebat veſti ſummi Sacerdotis, Theraphim imaginibus Cherubim. Mater Michæ profitetur, pecuniam illam voviſſe ſe Domino *Jehovah*. Ratus autem Michas, miniſtrum non initiatum minus gratum obſequium exhibiturum Deo, quam virum Levitam, illum privati ſacelli ſui Sacerdotem creavit. Viri conſilium probaſſe Deus viſus eſt, per conſecratum ibi Sacerdotem oraculum reddens Danitis. His maxime argumentis Michas ejuſque parens defenduntur.

Qui utrumque damnant, urgent interdictum Legis, vetantis ne quam imaginem Iſraelitæ colendam ſibi conflarent (2); neve cultum ſibi religioſum, alium ab eo quem Dominus ſancivit, conſtituerent; ne res ſacras, ac cætera publici cultus obſequia extra Tabernaculum & locum deſtinatum præſtarent (3), denique ne alios haberent Sacerdotes quam Aaronicos, ad ſacrum miniſterium a Deo appellatos. In eas Leges omnes Michas ejuſque mater peccarunt. Id ſi admittatur, mulierem ſcilicet ejuſque filium Deum verum coluiſſe, cui ea pecunia addicta fuerit; ſi agnoſcatur, illos eo unice ſpectaſſe, ut colerent Deum Iſraelis ſedentem ſuper Cherubim, nunquam tamen crimine Idololatriæ excuſentur, quod ſibi Theraphim, & fuſas e metallo imagines conſecraverint.

Quod de illis minus invidioſum reputari poſſet, illud eſt, nimirum cultum Dei veri & Idolorum ſimul conciliaſſe: quod utique nulla morum regula probaverit. Huc accedit, quod verum non eſt, ætatis illius cultum penitus deſtitutum fuiſſe in Iſraele, facile enim tunc ſummus Sacerdos Phinees ſuperſtes erat, ſi banc hiſtoriam contigiſſe ponas poſt deceſſum Joſue & Seniorum; ſi vero rejicias ad ætatem poſt obitum Samſonis, Heli Summus Sacerdos & Arca in Silo reſidebant. Locorum diſtantia, atque itineris difficultas non ſatis erant utique, ut res purgaretur, cum domicilium urbi Silo proximum haberent. Silo enim jacebat in Tribu Ephraimi, & facile in iis montibus, ubi Michas ejuſque mater habitabant. Quæ denique ſententia utrumque criminis damnat, Interpretum fere omnium ſuffragio fulcitur.

Fuit eo tempora vir quidam. Neque Hebræus, neque Septuaginta legunt illud, *eo tempore*; quare ductum inde argumentum, quo hæc hiſtoria poſt obitum Samſonis conſignatur, ſponte corruit. Phraſis hæc, *In tempore illo*, *in die illa*, & aliæ perſimiles, non ſemper ad præcedens aliquod tempus referuntur, nec indicant continuationem temporis, cum rebus antea narratis; ſæpe enim nonniſi tempus ipſum, quo res geſta eſt, indicant.

℣. 2. Mille et centum argenteos, quos separaveras tibi, et super quibus me audiente juraveras, ecce ego habeo, et apud me sunt. Author Vulgatæ, uti ex Verſione tum hujus verſiculi, tum etiam verſiculi tertii, arguere licet, cenſuit, Micham ſeu depoſiti loco, ſive alio nomine eam accepiſſe a matre pecuniam, quam mulier ipſa, eodem filio præſente, voverat Domino. Illud *juraveras* ita accipit, tamquam æque ſonans ac ea verba, ℣. 3. *Conſecravi & vovi hoc argentum Domino*. Neque hanc interpretationem reſpuit Textus Originalis, quamquam exponi etiam poteſt ex data ſuperius interpretatione. Ita autem ſonat ad literam (4): *Mille centum argentum, quod captum eſt tibi, & tu adjuraſti, & etiam dixiſti in auribus meis, ecce argentum mecum, ego accepi illud*. Chaldæus & Septuaginta verba verbis reddunt. Mille & centum ſicli conficiunt 1782. libras, & 17. ſolidos.

Benedictus filius meus Domino. Laudat mater ſinceram filii confeſſionem, reparatque quodammodo benedictionibus quas imprecata fuerat maledictiones.

℣. 3. Reddidit eos matri suæ, quæ dixerat ei: Consecravi et vovi hoc argentum Domino. Putavit Interpres, uti ſupra monuimus, pecuniam antea voto conſecratam fuiſſe Domino. Malunt tamen alii, matrem ſinceritate filii excitatam, tum primum voto pecuniam conſecraſſe, cum ex Micha recipiebat; ac ſi diceret: Nolo ſiclos hoſce in meum uſum convertere, ſed in rem ſacram deſtinans, voti hujus mei executorem, & cuſtodem depoſiti hujus te conſtituo; tua enim in domo conſecrabo Ephod & ornamenta quæ ſpopondi. Totus hic verſiculus ita redditur ad literam: *Reddidit Michas mille & centum argenteos matri ſuæ, dixitque mater ejus: Conſecro hoc argentum de manu mea Domino pro filio meo, ad faciendum ſculptile & conflatile, & nunc reſtituam illud tibi*.

Et faciat sculptile atque conflatile. Quomodo una eademque imago ſculptilis eſſe ſimul poſſit & conflatilis? Parabatur primo imago e lapide vel ligno, tum obducebatur laminis e fuſo metallo: eaque vetuſtiſſima eſt ars & planiſſima imagines aureas argenteaſque conficiendi. Sculpendi cælandique metalla inventum recentius eſt, quam ſculptura ligni & lapidis. Ajunt quidam, Micham duplex paraſſe ſimulacrum, ſculptum alterum, alterum vero conflatum. Denique ſunt qui ſejungentem particulam addant, in hanc ſententiam: *Et faciat ſculptile, vel conflatile*: quæ poſterior opinio firmior videtur: verſiculo enim quarto veluti de unica imagine ſermo eſt: *Sculptile atque conflatile, quod fuit in domo Michæ*. Facile etiam occurrunt alia Scripturæ loca (5), in quibus *ſculptile atque conflatile* unam eamdemque rem ſignificant.

Minimi hæc negotii ſunt: plurimi vero refert ſcire, quo conſilio eæ imagines paratæ fuerint, & quid Numinis exhiberent. Jam ſuperius animadverſum eſt, viros quoſdam doctos putaſſe, nonniſi recta mente & conſilio mulierem paraſſe imagines Cherubim, iis perſimiles, quæ ſuper arcam fœderis ſtabant. Plerique tamen de effictis Numinibus accuſant: quem in ſenſum uſurpantur ſæpe voces Originalis פסל ומסכה & ℣. 5. ubi voti hujus ſolutio narratur, legimus conſecrata fuiſſe in domo Michæ Theraphim & Idola.

Fateor equidem, in Textu Hebræo non legi Idola, ſed ſolummodo Theraphim. Conſtat autem, eam vocem in deteriorem partem non ſemper uſurpari; atque ipſe S. Hieronymus (6) docere videtur, vocis Theraphim ſignificationem adeo late patere ac Cherubim; deſignari autem ea voce opera varii coloris & formæ. Quare *juxta hunc ſenſum & Micha cum veſte Sacerdotali cætera quoque, quæ ad Sacerdotalia pertinent ornamenta, per Theraphim feciſſe monſtratur*. Cenſet Grotius, ipſiſſimos eſſe Theraphim vel Cherubim, qui ℣. 5. appellantur

(1) Moncejus Vitulo Aureo, l. 2. c. 7. Grot. ad ℣. 4. Cajetan. Martyr, Chytræus, alii. (2) Vide Exod. xx. 4. & xxxiv. 17. & Deut. iv. 15. 16. & xxvii. 15. (3) Levit. xvii. 8. & Deut. xii. 14. & xv. 20. (4) אלף ומאה הכסף אשר לקח לך ואתי אלית וגם אמרת באזני הנה הכסף אתי (5) Vide 4. Reg. xxi. 7. collatum cum 2. Par. xxxiii. 7. & Iſai. xxx. 22. (6) Hieron. ad Marcellam de Ephod & Theraphim.

lantur *Elohim*; nomine vero ſculptilis & conflatilis indicari altaria, candelabra, & cætera Tabernaculi utenſilia, quæ minori forma inſtar majorum in Silo conſecratorum ſibi Michas, vel ejus mater pararunt. Nec mihi abſonum videtur, ſi reputaverim, Theraphim hujus Textus ipſiſſima eſſe Urim & Thummim Rationalis; utrumque autem exhibuiſſe facile hieroglyphica veritatis, & ſanctitatis (1): *ſculptile* vero & *conflatile* deſignare Cherubim; & nomine *Ephod* ornamenta omnia Summi Sacerdotis contineri. Attamen nihilominus num filius, ſeu mater excuſentur? Licebat ne illis privata religione Ephod & Cherubim ſibi parare?

Et nunc trado illud tibi; ſeu potius nunc deſtino & ſpondeo. Hebræus (2): *Et nunc reſtituam illud tibi*. Convertit pecuniam in ornamenta & imagines, quas illi tradidit cuſtodiendas.

℣. 4. Tulit ducentos argenteos, et dedit eos argentario. Hebræus (3): *Dedit fuſori*. Ducenti illi ſicli reddunt 329. libras, tres ſolidos, & denarios quatuor: id autem argentum impenſum fuit parandis Theraphim, vel Cherubim, quæ fuſiles erant imagines, ſenſu dudum ℣. 3. expoſito. Reliquum pecuniæ impenſum fuit in ornamenta Sacerdotalia & vaſa cætera Sacelli domeſtici Michæ, quod minoris Tabernaculi, Domino conſecrati, ſpeciem referebat.

℣. 5. Qui ædiculam quoque in ea Deo ſeparavit; vel, præparavit in domo ſua ædiculam Domino. Hebræus (4): *Et viro Michæ fuit domus Dei*, vel Deorum, *Elohim*. Itaque Michas vir privatus habuit apud ſe domum Dei, habuitque in ſua poteſtate parvum quoddam Templum. Septuaginta (5): *Et domus Michæ poſſedit domum Dei*.

Fecit Ephod et Theraphim, idest, vestem Sacerdotalem et Idola. Poſtrema hæc verba adjecit Interpres expoſitionis gratia. Hebræus legit tantummodo (6): *Fecit Ephod & Theraphim*. Dedimus ſuperius harum vocum interpretationem, & genuinam S. Hieronymi opinionem. Docti plures Interpretes (7) cenſent, Micham in Sacello domeſtico conſecraſſe ſibi Numina, iis ſimilia, quæ Pagani appellant *Lares & Penates*.

Implevit unius filiorum suorum manum, ideſt, conſecravit Sacerdotem. Animadverſum eſt alias, vulgarem hunc fuiſſe ritum conſecrandi Sacerdotes; impletis ſcilicet manibus eorum oblatione coram Domino ſtatuenda, cum primum profeſſionis ſuæ munus inibant (8). In apertas Dei ſanctiones peccat Michas, virum laicum & profanum conſecrans Sacerdotem (9).

℣. 6. In diebus illis non erat Rex in Israel. Occupat hic Scriptura admirationem, qua forte capi poſſent Lectores, ad tantam & gravis adeo momenti in religione mutationem privata authoritate inductam, quam totius gentis Princeps neque curat, neque cognoſcit. Regis nomine innui hic poteſt Judex (10), Præſes, ſeu Princeps, ſupremam authoritatem in Iſraele exercens. Hoc ſenſu Abimelech filius Gedeonis Rex appellatus eſt (11), ideſt, Judex & patris ſui Gedeonis ſucceſſor. Seu potius ille qui Librum hunc recenſuit, poſt conſtitutos in Iſraele Reges ſcribens, animadvertendum cenſuit, Reges tunc nullos fuiſſe, ut ſingulis regendi ſe ad arbitrium data eſſet poteſtas, quin cauſam cuiquam dicere cogerentur.

℣. 7. Fuit quoque alter adolescens de Bethlehem Juda ex cognatione ejus, eratque ipse Levites. Junior hic Levita ſequenti Capite ℣. 30. appellatur Jonathan, filius Gerſam, filii Moyſis. E Levi paternum genus referebat, natus facile e matre Tribus Juda, adeoque ad eam Tribum materno genere ſpectabat. Illud autem admonendum hic cenſuit Scriptor, ut cauſam aſſignaret, cur moram traheret in Bethlehem, quæ ſane Urbs inter Leviticas non recenſebatur. Scitum quidem eſt inter omnes, Levitis, quemadmodum & Iſraelitis cæteris, jus fuiſſe ducendi fœminas aliarum Tribuum, modo hæreditas ad illas non ſpectaret: hæredibus enim interdictum erat, niſi viris Tribus ſuæ, nubere. Hebræus hujus Textus ad literam: *Fuit puer de Bethlehem Juda, de familia Juda, & ipſe Levita, & ipſe peregrinabatur ibi*.

℣. 10. Esto mihi parens ac Sacerdos. Docebis me tamquam herus & parens, & fungeris munere Sacerdotali in domo mea. Seu potius: Honoraberis in domo mea tamquam parens & Domini Sacerdos. Nomen patris honoris eſt & dignitatis, quo titulo viros honore dignos Perſæ donare ſolebant. Aman ſub Aſſuero pater appellabatur (12). Simon Macchabæus, pater filiorum Matathiæ fratrum ſuorum nuncupatur (13). Razias Senator Jeroſolymitanus, pater Judæorum dictus eſt (14). Hiramus opifex celebris, ætate Salomonis, pater nuncupatus eſt (15) Hirami Regis Tyri.

Dabo per singulos annos decem argenteos, ac vestem duplicem. Hebræus ad literam (16): *Dabo tibi decem argenteos* nummos *in dies*, *& ordinem veſtimentorum*, vel par veſtium, vel juxta plures Interpretes (17), duas veſtes integras, hyemalem nempe & æſtivam; juxta alios, par veſtium, alteram quidem in uſus conſuetos, alteram in ſacrum miniſterium. Seu potius, par veſtium, tunicam & pallium, quas familiares fuiſſe Hebræis veſtes, ſæpe alias monuimus. Eædem facile ſunt, quæ interdum in Scriptura appellantur *mutatoriæ veſtes*. Ludovicus de Dieu reddit Textum, *Societas veſtium*, veſtem cum ſuis appendicibus, veſtem integram; quod congruit cum expoſitione, quæ reddit tunicam & pallium. Textus Hebræus non legit *per annos*, ſed *per dies*; ſed hæc phraſis ſæpius pro annis uſurpatur (18).

℣. 13. Nunc scio, quod bene faciat mihi Deus. Plaudit ſibi Michas, quod Sacerdotem habeat a ſe creatum, & e genere Levi; reputatque, religionem hanc ſuam gratiorem Deo futuram, & populum certiorem de eo factum, quod domeſtici illius Sacelli ſervitiis addictus fuerit vir Levites, majori fiducia eo deventurum, delaturumque libentius oblationes, ingenti rerum ſuarum commodo. Porro commodum hoc appellare hic videtur *Benedictionem Dei*. Qua in re habes imaginem avari ſuperſtitioſi, qui æque religionem cum ſordida auri cupiditate moderatur, reputatque, juxta phraſim Apoſtoli, *quæſtum* ſuum *eſſe pietatem* (19).

[1] Vide Commentarium in Geneſim xxxi. 19. & Exodum xxviii. 30. & Spencerum Diſſertat. de Urim. [2] ועתה אשיבנו לך [3] ויתנהו לצורף [4] והאיש מיכה לו בית אלהים [5] *Καὶ ὁ οἶκος Μιχα αὐτῷ οἶκος Θεοῦ*. [6] Aq. *ἐφουδὶμ καὶ μορφώματα*. Sym. *ἔνδυμα ἱερατικὸν καὶ εἴδωλα*, *Veſtem Sacerdotalem, & Idola*. [7] Vide Serar. quæſt. 6. Bonfr. Cornel. [8] Vide Exod. xxviii. 41. & alibi ſæpius. [9] Vide Num. iii. 10. & xvi. xvii. & Deut. xxi. 5. & Heb. v. 4. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron*. [10] Ita Vatab. Jun. Druſ. Grot. Piſc. &c. [11] Judic. ix. 6. *Conſtituerunt Regem Abimelec, juxta quercum quæ ſtabat in Sichem*. [12] Eſther xvi. 11. [13] 1. Macch. ii. 65. [14] 2. Macch. xiv. 37. [15] 2. Paral. ii. 13. [16] אתן לך עשרת כסף לימים וערך בגדים [17] Druſ. Cornel. Bonfr. &c. [18] Ita Vat. Piſc. Jun. Druſ. Munſt. [19] Timoth. vi. 5.

CAPUT XVIII.

Sexcenti viri e Tribu Dan locum quærunt ubi ſedem figant. Tranſeuntes abducunt Sacerdotem & imagines Michæ. Occupant Lais, ubi & domicilium ſtatuunt.

Circa A. M. 2591. ℣. 1. IN diebus illis non erat rex in Iſrael, & tribus Dan quærebat poſſeſſionem ſibi, ut habitaret in ea: uſque ad illum enim diem inter cæteras tribus ſortem non acceperat. 2. Miſerunt ergo filii Dan, ſtirpis, & familiæ ſuæ quinque viros fortiſſimos de Saraa, & Eſthaol, ut explorarent terram, & diligenter inſpicerent: dixeruntque eis: Ite, & conſiderate terram. Qui cum pergentes veniſſent in montem Ephraim, & intraſſent domum Michæ, requieverunt ibi; 3. Et agnoſcentes vocem adoleſcentis Levitæ, utenteſque illius diverſorio, dixerunt ad eum: Quis te huc adduxit, quid hic agis? quam ob cauſam huc venire voluiſti? 4. Qui reſpondit eis: Hæc, & hæc præſtitit mihi Michas, & me mercede conduxit, ut ſim ei ſacerdos. 5. Rogaverunt autem eum, ut conſuleret Dominum, ut ſcire poſſent, an proſpero itinere pergerent, & res haberet effectum. 6. Qui reſpondit eis: Ite in pace, Dominus reſpicit viam veſtram, & iter, quo pergitis. 7. Euntes igitur quinque viri venerunt Lais; videruntque populum habitantem in ea abſque ullo timore juxta conſuetudinem Sidoniorum, ſecurum, & quietum, nullo ei penitus reſiſtente, magnarumque opum, & procul a Sidone, atque a cunctis hominibus ſeparatum. 8. Reverſique ad fratres ſuos in Saraa, & Eſthaol, & quid egiſſent ſciſcitantibus reſponderunt; 9. Surgite, aſcendamus ad eos; vidimus enim Terram valde opulentam, & uberem; nolite negligere, nolite ceſſare, eamus, & poſſideamus eam, nullus erit labor. 10. Intrabimus ad ſecuros, in regionem latiſſimam, tradetque nobis Dominus locum, in quo nullius rei eſt penuria eorum, quæ gignuntur in terra. 11. Profecti igitur ſunt de cognatione Dan, id eſt, de Saraa, & Eſthaol, ſexcenti viri accincti armis bellicis. 12. Aſcendenteſque manſerunt in Cariathiarim Judæ, qui locus, ex eo tempore, Caſtrorum Dan nomen accepit, & eſt poſt tergum Cariathiarim. 13. Inde tranſierunt in montem Ephraim. Cumque veniſſent ad domum Michæ, 14. Dixerunt quinque viri, qui prius miſſi fuerant ad conſiderandam Terram Lais, cæteris fratribus ſuis; Noſtis, quod in domibus iſtis ſit ephod, & theraphim, & ſculptile, atque conflatile: videte, quid vobis placeat. 15. Et cum paululum declinaſſent, ingreſſi ſunt domum adoleſcentis Levitæ, qui erat in domo Michæ, ſalutaveruntque eum verbis pacificis. 16. Sexcenti autem viri ita ut erant armati, ſtabant ante oſtium. 17. At illi, qui ingreſſi fuerant domum juvenis, ſculptile, & ephod, & theraphim, atque conflatile tollere nitebantur, & ſacerdos ſtabat ante oſtium, ſexcentis viris fortiſſimis haud procul expectantibus. 18. Tulerunt igitur, qui intraverant, ſculptile, ephod, & idola, atque conflatile. Quibus dixit ſacerdos: Quid facitis? 19. Cui reſponderunt: Tace, & pone digitum ſuper os tuum, venique nobiſcum, ut habeamus patrem, ac ſacerdotem. Quid tibi melius eſt, ut ſis ſacerdos in domo unius viri, an in una tribu, & familia in Iſrael? 20. Quod cum audiſſet, acquievit ſermonibus eorum, & tulit ephod, & idola, ac ſculptile, & profectus eſt cum eis. 21. Qui cum pergerent, & ante ſe ire feciſſent parvulos, ac jumenta, & omne, quod erat pretioſum; 22. Et jam a domo Michæ eſſent procul, viri, qui habitabant in ædibus Michæ, conclamantes ſecuti ſunt, 23. Et poſt tergum clamare cœperunt. Qui cum reſpexiſſent, dixerunt ad Micham: Quid tibi vis? cur clamas? 24. Qui reſpondit: Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & ſacerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis: Quid tibi eſt? 25. Dixeruntque ei filii Dan: Cave, ne ultra loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipſe cum omni domo tua pereas. 26. Et ſic cœpto itinere perrexerunt. Videns autem Michas, quod fortiores ſe eſſent, reverſus eſt in domum ſuam. 27. Sexcenti autem viri tulerunt ſacerdotem, & quæ ſupra diximus; Veneruntque in Lais ad populum quieſcentem, atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladii: urbemque incendio tradiderunt. 28. Nullo penitus ferente præſidium, eo quod procul habitarent a Sidone, & cum nullo hominum haberent quidquam ſocietatis, ac negotii. Erat autem civitas ſita in regione Rohob: quam rurſum extruentes habitaverunt in ea, 29. Vocato nomine civitas Dan, juxta vocabulum

patris

patris ſui, quem genuerat Iſrael, quæ prius Lais dicebatur. 30. Poſueruntque ſibi ſculptile, & Jonatham filium Gerſan filii Moyſi, ac filios ejus ſacerdotes in tribu Dan, uſque ad diem captivitatis ſuæ. 31. Manſitque apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo: in diebus illis non erat rex in Iſrael.

℣. 1. TRIBUS DAN QUÆREBAT POSSESSIONEM SIBI; USQUE AD ILLUM ENIM DIEM INTER CÆTERAS TRIBUS SORTEM NON ACCEPERAT. In Capite XIX. Joſue animadverſum eſt, Danitas ſortem ſuam cum cæteris obtinuiſſe; ſed & animadverſum eſt pariter, Amorrhæos in anguſtias illos redegiſſe adeo atque intra montes, ut illos in agro prorogari non paterentur: quare coactos alias ſibi ſedes quærere, alio ſe contuliſſe. Id autem accuratius hic narratur. Itaque cum Scriptura narrat, Danitas ſortem non obtinuiſſe, illud accipiendum eſt de nonnullis familiis, quæ cum pellere Amorrhæos nequiiſſent, carebant ſedibus (1); vel de univerſa Tribu, quæ cum in arcto conſideret (2), colonias alio mittere coacta fuit. Acta ſunt hæc, uti jam monuimus, poſt deceſſum Joſue, in Anarchia illa, quæ obitum illius, & Seniorum Iſraelis conſecuta eſt. Deboræ ætate Danitæ navigationi operam dabant: *Dan vacabat navibus* (3). Sub Samſone res illius floruiſſe neceſſe eſt, cum hic Iſraelis Judex e Danitis eſſet. Latius explicaverat ſeſe, miſſa ea Colonia, de qua hic.

℣. 2. MISERUNT ERGO FILII DAN STIRPIS ET FAMILIÆ SUÆ QUINQUE VIROS FORTISSIMOS DE SARAA ET ESTHAOL. Hebræus ad literam (4): *Miſerunt filii Dan de familia ſua quinque viros, de finibus ſuis, viros filios virtutis*, fortes ſcilicet, vel locupletes. Verbis hiſce, *de finibus ſuis*, deſignari volunt Judæi aliquos e Danitis abſque delectu & diſcrimine. Malunt alii (5) miſſos fuiſſe viros e finibus Regionis Daniticæ; Ludovicus de Dieu miſſos fuiſſe contendit Optimates, viros rerum ſcientia peritiſſimos, & fortiſſimos inter ſuos (6). Caſtalio miſſos dicit deſpectiſſimos, quique oris aſpectu minus ſuſpicionis indere poſſent, ſeſe ad explorandam Regionem veniſſe. Primam interpretationem optimam judicamus.

℣. 3. ET AGNOSCENTES VOCEM ADOLESCENTIS LEVITÆ. Ex dialecto agnoverunt, virum eſſe a Tribu Ephraimi alienum; peculiari enim dialecto uſos eſſe a cæteris Ephraimitas, ſuperius XIII. 6. animadverſum eſt. Adoleſcens hic Levita in Bethlehem nutritus fuerat.

℣. 5. ROGAVERUNT EUM, UT CONSULERET DOMINUM. Uſi ſunt nomine *Elohim*, quod de fictis Numinibus interdum uſurpatur. Sed Levites reſpondet nomine Jehova; quod in eam perſuaſionem inducit, utroſque, tam conſulentes, quam reſpondentem, verum Deum coluiſſe, quamquam cultu ſuperſtitioſo, neque ſincero.

Surgit hic quæſtio, quis conſulenti Levitæ reſponderit, Deus ne an Dæmon, an callide reſponſum ipſe per ſe adoleſcens procuderit? Si ab eventu rei alicujus judicium petatur, Deo utique authore datum haberi poſſit Levitæ reſponſum, cum feliciter conſilium Danitis acciderit, nactis ea, quæ tam ſolicite requirebant. Scitum eſt tamen, inter ambigua ambiguum eſſe maxime judicium protectionis Dei, ex rei eventu petitum. Fieri utique potuit, ut Dæmon prædixerit eventum rei, cujus cauſas omnes paratas eſſe norat, utpote quem non latebat virtus & robur Danitarum, ac viciſſim ſegnities, nimiaque civium Laiſæ ſecuritas: id oraculum tuto etiam fudiſſet vir rerum ſcientia peritus. Nec ignoratur etiam, accidiſſe interdum, ut Idolorum Sacerdotes & Divini, quibus oracula commiſſa ſunt, oracula ipſa tamquam a Numine, & cœlitus data procuderint. Nihil autem horum probat, Levitam vel Dæmonem credulos decepiſſe: negotium ſemper faceſſit, utrum Michas verum Deum coluerit, & an rectum voluntatis ipſius ſcopum reſpiciens Deus, præſtitum ab illo cultum acceperit. Quibus admiſſis, cur verum oraculum ex ore Levitæ prolatum non credamus? Verum ſi Deus Michæ cultum illum reſpuebat; redditum a Levita oraculum perinde haberi debet ac Levitæ callidum commentum vel Dæmonis præſtigium: quæ poſterior ſententia communius apud Interpretes obtinet.

℣. 7. VENERUNT LAIS. *Leſem* appellatur in Joſue XIX. 47. Dan nuncupata eſt poſt eam, quam modo legimus expeditionem. Id quidem nominis *Dan* legitur in Geneſi XIV. 14.; ſed aliena manu additum fuiſſe Textui poſt Moyſem creditur. Appellatur quandoque (7) *Leſem-Dan*, vetus nomen cum recentiori, ex præſenti re nato, compoſitum. Euſebius & S. Hieronymus (8) illam conſtituunt quater mille paſſibus a Paneade Tyrum verſus, ibidemque, fontem Jordanis. Affirmat Joſephus (9), urbem hanc non longe a Libano & fontibus Jordanis abeſſe, & diei itinere ab agro Sidonis diſtare. Qui urbem hanc cum Paneade (10) confuderint apertiſſime falluntur; Euſebius enim alteram ab altera urbe non obſcure diſtinguit. Paneas jacebat ad Orientem Dan, & trans rivum Jordanis.

JUXTA CONSUETUDINEM SIDONIORUM, SECURUM ET QUIETUM, NULLO EIS PENITUS RESISTENTE, MAGNARUMQUE OPUM, ET PROCUL A SIDONE, ATQUE A CUNCTIS HOMINIBUS SEPARATUM. Nullo commentario indiget Textus; ſed negocium, & quidem grande, faceſſit Hebræus (11): *Juxta conſuetudinem Sidoniorum, quieſcentem & confidentem, & non ferens turbas in terra, nec poſſidens ſupremam authoritatem; longinqui ipſi a Sidoniis, & non verbum eis cum homine*. Qua in Verſione non omnes exhibuiſſe ſenſus, quibus ſubeſt Textus originalis, nobis blandimur, tot enim ſunt variæ interpretationes, quot Interpretes (12).

Verba illa, *Juxta conſuetudinem Sidoniorum*, deſignant, cives Laiſæ, utpote coloniam Sidoniorum, ibi in tranquillo pacis rerumque copia vixiſſe; vel forte, cives illos Laiſæ communes cum Sidoniis leges, mores & religionem habuiſſe. Quod additur, *Et non ferens turbas in terra, nec poſſidens ſupremam authoritatem*, varie reddi poteſt, e. g. nullum fuiſſe ſeu Regem ſeu Principem, ut quiſque viveret ex arbitrio abſque metu pœnæ vel redargutionis, ſeu forte omnes genio ſuo indulſiſſe nullo pudore vel fræno detentos. Reddi etiam poſſet Textus: *Nemo erat in terra qui turbaret*, qui moleſtia cives afficeret. Denique populus erat *magnarum opum* (13), opulentus, vel aliter: *Nemo erat in regione, cujus præſentiam metuerent*, nullus Rex, *nec ſucceſſor*, nec hæres *Regni*.

Proſequitur Textus: *Longinqui ipſi a Sidoniis*: id vero animos addebat Danitis, ut urbem invaderent; cum enim diei itinere a Sidoniis diſtarent (14), futurum putabant, ut prius ea urbs caperetur, quam auxilia opportuna ad illam venirent.

(1) Ludov. de Dieu. (2) Munſt. Vatab. Jun. Druſ. Grot. Cornel. Bonfr. alii paſſim. (3) Judic. v. 17. (4) וישלחו בני דן ממשפחתם חמשה אנשים מקצותם אנשים בני חיל (5) Serar. Jun. Pagn. Mont. (6) Vide dicta Geneſ. XVII. 2. (7) Joſue XIX. 47. (8) Euſeb. & Hieronym. in Dan, & in Laiſa. (9) Joſeph. l. 5. Antiq. c. 11. (10) Philoſtorg. Cornel. Bonfr. hic. Vide ejuſdem Onomaſtic. & Serar. (11) כמשפט צידנים שקט ובטח ואין מכלים דבר בארץ יורש עצר ורחקים המה מצידנים ודבר אין להם עם אדם (12) Vide ſi lubet, Ludov. de Dieu in hunc loc. (13) בצר vel יורש עצר (14) Joſeph. Antiq. lib. 5. cap. 2. Σιδῶνος πόλεως ὁδὸν ἡμέρας μιᾶς ἀφεστῶτες.

rant. Denique gens illa *verbum non habebat cum homine; quieti erant ſecretique*, ut phraſi utar Taciti de Cheruſcis, Germaniæ populis. Cum nullius rei ope ſe indigere arbitrarentur, nullo ſe fœdere, commercio, amicitiæ vinculo cum gentibus aliis conjunxerant: ſatis ſe tutos ſatiſque adverſus aliorum incurſiones ſecuros viribus ſuis rebantur. Septuaginta pro *Adam* legerunt *Aram* (1): *Non habebant verbum ad Syriam*, cujus erant in finibus, & cujus opem ſperare potuiſſent. Lectio eſt non ſpernenda.

℣. 9. Nullus erit labor. [℣. 10.] Intrabimus ad securos in regionem latissimam. Hebræus ad literam: *Secundum venire vos; intrabitis ad populum confidentem, & terram latam manibus*. Phraſis hæc, *lata manibus* רחבת ידים uſurpatur de patenti late regione (2), quæ naturali corporis geſtu dilatis manibus deſignatur. Sunt qui reddant *latam in ſpatia*, veluti ſi manus ſpatium deſignaret. Securitas & fiducia hujus gentis certum erant exitii futuri argumentum. *Nemo celerius opprimitur, quam qui nihil timet; & frequentiſſimum initium eſt calamitatis ſecuritas* (3).

℣. 11. Sexcenti viri, armati probe, præter fœminas, pueros, & reliqua impedimenta. Vide ℣. 21.

℣. 12. Manserunt in Cariathjarim Judæ; non in urbe, ſed in agro, & *poſt tergum* urbis (4), ideſt ad Occidentem, in loco deinde appellato *Caſtris Dan*.

℣. 13. Ad domum Michæ. Extra domum tunc verſabantur, neque unquam ingreſſi fuiſſe videntur. Reddi poſſet: *Cum veniſſent juxta domum Michæ*, prope ejus domum.

℣. 14. Videte quid vobis placeat. Videte an certum ſit vobis perſequi conſilium de abducendis Theraphim Michæ, & quam rationem ea de re inituri ſitis. Præmeditam conſilio hæc ſtatuiſſe illos demonſtrat narratio.

℣. 15. Cum paululum declinassent, ingressi sunt in domum adolescentis Levitæ. Levitæ huic forte ædes erant aliæ a domo Michæ, quibus facile conjunctum erat ſacellum, miniſterio illius creditum. Eo igitur venientes Danitæ, quinque e ſuis (5), qui prius ad inſpiciendam Laiſam venerant, quique cum Levita illo in priori itinere conſuetudinem aliquam habuerant, ad eum miſerunt. Horum alii virum ſermonibus detinebant, deducebantque ad reliquum agmen non procul poſitum, reliqui vero Sacellum ingreſſi, quidquid in eo nacti ſunt, abſtulerunt, redieruntque ad ſocios. Levita qui cum illis loquebatur, hærere primum, direptum ab illis ſacellum ſuum cernens; inde vero ecquid molirentur, & reliqua quæ hic recitantur, interrogavit.

℣. 17. At illi, qui ingressi fuerant. Textus Hebræus ad literam (6) exhibet, eos, qui in domum & in Sacellum Levitæ ingreſſi ſunt, ipſiſſimos fuiſſe quinque viros, qui regionem prius exploraverant, adoleſcentem vero Leviten præ foribus ſtetiſſe cum ſexcentis Danitis.

℣. 19. Tace et pone digitum tuum super os tuum. Hebræus (7): *Eſto mutus, pone manum tuam ſuper os tuum*. Familiaris hæc eſt ac proverbio ſimilis loquendi phraſis. Job (8): *Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo*. Et alibi (9): *Qui leviter locutus ſum, reſpondere quid poſſum? manum meam ponam ſuper os meum*. Sapiens (10): *Si intellexiſſet, ori ſuo impoſuiſſet manum*. Eccleſiaſticus v. 14. *Si eſt tibi intellectus, reſponde proximo; ſin autem, ſit manus tua ſuper os tuum, ne capiaris in verbo indiſciplinato & confundaris*. Apud Romanos ſilentii Dea Angenora pingebatur digito ori impoſito; quo etiam corporis geſtu exhibebatur apud Ægyptios Harpocrates, ſilentii Deus, de quo canit Ovidius (11);

Quique premit vocem, digitoque ſilentia ſuadet.

℣. 22. Viri qui habitabant in ædibus Michæ, conclamantes, secuti sunt. Hebræus: *Viri qui in domibus, qui cum domo Michæ, acciti ſunt magnis clamoribus, & aſſecuti ſunt filios Dan*. Clamoribus Michas accivit vicinos, qui inſecuti abeuntes, tandem ad Danitas iter ſuum proſequentes pervenerunt.

℣. 24. Tulistis omnia quæ habeo, et dicitis: Quid tibi est? Hebræus ad literam (12): *Et quid mihi remanet? & quid dicitis mihi: quid tibi?* Factum hoc Danitarum nullo pacto purgari a crimine poteſt: furtum eſt aperti ſſimum, & ſacrilegium, ſaltem ipſorum opinione, quippe qui res ſacras ſe abſtuliſſe rebantur.

℣. 25. Et veniant ad te viri animo concitati, et ipse cum omni domo tua pereas. Hebræus (13): *Ne forte occurrant in vos viri amari animo, & recolligas animam tuam, & animam domus tuæ*; ideſt, ne viri dolore & furore perciti in te ferantur, & in caput domumque tuam exitium provoces. Familiaris eſt Scripturæ, ad necem exprimendam, hæc phraſis (14), *colligere animam alicujus*. *Ne colligas* [Vulgata *Ne perdas*] *cum impiis, Deus, animam meam*; ne communi cum illis exitio me perdas, ne cum illis accenſeas me in altera vita. Legitur hic: *Ne recolligas animam tuam*; ideſt ne objicias te vitæ diſcrimini; ne in occaſionem necis te injicias; ne cauſam aliis præbeas te occidendi.

℣. 27. Urbem incendio tradiderunt, ut facilius in illam evaderent; alioqui enim e re illorum non fuiſſet, incendio Urbem tradere, quam incolere meditabantur, & quam reſtituere coacti ſunt, ut ſequenti Verſiculo narratur. Lais Chananæis incolis frequentabatur. Fas erat Iſraelitis arma in illos ferre, & Urbem occupare, niſi forte præcedente aliquo fœdere res compoſitæ fuiſſent inter Chananæos & Tribum, in cujus ditione Urbs continebatur. Rabbinorum quidam (15) cenſuere, Sidonem inter urbes Chananæas, quas Deus Hebræis permiſit, non referri; ex quo ducendum eſſet, Laiſam, utpote Sidoniorum Coloniam, eodem, quo Chananæi reliqui, anathemati ſubmiſſam non fuiſſe. Sed illorum ſententia nonniſi futilibus, & pravis Textuum interpretationibus fulcitur. Urbs Lais jacebat in forte Aſer; videtur tamen, Tribus forte ſua parum contentas, quæ ex Chananæis aliquid ſibi armis comparabant, quamquam in ſolo cæterarum Tribuum poſitum, quietas tamen vindicata ſibi loca retinuiſſe, a nemine unquam repetundarum accuſatas. Exempla hujus rei habes in Joſue xvii. 10. 11.

℣. 28. Erat autem Civitas sita in regione Rohob. Hebræus (16): *Erat Civitas in valle, quæ eſt in Beth-Rohob*. Rohob, vel *Beth-Rohob*, jacebat ad radices Libani, in forte Aſer (17), prope ingreſſum Hemath, uti ex Numeris xiii. 22. conſtat. Vallis hæc Rohob porrigebatur a meridie ad ſeptentrionem uſque Laiſam, per medium Libanum, ſpatio ſex vel ſeptem leucarum circiter.

℣. 29. Quæ prius Lais dicebatur. Hebræus (18): *Et Ulam Lais nomen Urbis in principio*. Vox *Ulam* eſt porticus, habitatio, & *Lais* Leo. Vocem hanc, tamquam proprium nomen, in Textu ſerva-

(1) Καὶ λόγος οὐκ ἦν αὐτοῖς μετὰ Συρίας. Ita Ald. Compl. Oxon. Cod. Alex. ſed edit. Rom. λόγος οὐκ ἔχων μετ' ἀνθρώπου. Sym. λόγος οὐκ ἦν αὐτοῖς. (2) Vide Geneſ. xxxiv. 21. Pſalm. ciii. 25. (3) Vellejus l. 2. (4) Sup. ℣. 12. *Et poſt tergum Cariathjarim*. (5) ℣. 17. ex Hebr. & Septuag. (6) Ibidem ex Hebr. (7) החרש שים ידך על פיך (8) Job xxix. 9. Vide xxi. (9) Ibid. c. xxxix. 34. (10) Prov. xxx. 32. (11) Ovid. Metamorph. lib. 9. (12) ומה לי עוד ומה זה תאמרו אלי מה לך (13) פן יפגעו בכם אנשים מרי נפש ואספתה נפשך ונפש ביתך (14) Pſalm. xxv. 9. (15) Vide Druſ. ad ℣. 7. (16) והיא בעמק אשר לבית רחוב (17) Joſue xix. 28. (18) ואולם ליש שם העיר לראשנה

ſervarunt Septuaginta (1). Interpretes alii (2): *Et quidem vetus nomen Dan erat Lais*. Urbs Dan celebris eſt in Scriptura; ſtatuiturque ſæpe tamquam alter e limitibus Terræ Sanctæ ad Septentrionem, oppoſitus Berſabee ad Meridiem: *A Dan uſque Berſabee*.

℣. 30. JONATHAN FILIUM GERSAM FILII MOYSI. Hebræus noſtræ ætatis, pro *filii Moyſis* legit *filii Manaſſe*. Accuſantur Judæi, quod locum hunc additione literulæ corruperint, ut Legiſlatorem ſuum probro liberarent, quod ex impietate nepotis in avi nomen induceretur. Literulam tamen hanc in ſeriem cæterarum reſerre non auſi, ita ſuſpenſam ſupra vocem *Moſe* מ̇שה appoſuerunt. Qui Hiſtoriam hanc conſignant poſt obitum Gedeonis (3), filium hunc Gerſam poſitum accipiunt pro nepote aliquo, vel uno e poſteris Gerſam.

USQUE AD DIEM CAPTIVITATIS SUÆ. [31.] MANSITQUE APUD EOS IDOLUM MICHÆ OMNI TEMPORE, QUO FUIT DOMUS DEI IN SILO. Poſteri Jonathan Sacerdotis munus in urbe Dan retinuerunt, quamdiu Idoli Michæ cultus ibi perſeveravit. Manſit autem ea religio tamdiu, quamdiu Domus Dei fuit in Silo; quare & filii Jonathan Sacerdotio functi ſunt uſque ad tempus tantummodo, quo capta eſt a Philiſtæis Arca, ſupremo anno Heli Summi Sacerdotis: deinceps enim Arca in Silo reſtituta non fuit. Aperta hæc ſunt.

Quod autem negotium faceſſit, illud eſt, quod hic animadvertitur de captivitate Dan, cujus epocha ignoratur. Commentatiorum Scriptores plerique (4) id explicant de ſervitute Iſraelitarum ſub Philiſtæis, poſt prælium illud, in quo Arca fœderis capta eſt. Tunc enim Arca e Silo amota eſt, & Danitæ, utpote omnium proximi Philiſtæis, graviori etiam malorum pondere oppreſſi ſunt, atque e ſuis complures facile in captivitatem redactos viderunt, quamquam ſatis aperte id non exprimit Scriptura. Ineunte regimen Samuele, qui in munere Judicis Heli ſucceſſit, Iſraelitæ (5) *abſtulerunt Baalim & Aſtaroth, & ſervierunt Deo ſoli*. Opportunam hanc occaſionem nacti videntur filii Dan, ut ſuperſtitione Michæ abdicata, Levitas e familia Jonathan remitterent.

Sed neque in hoc ſyſtemate plana ſunt omnia. Danitæ Philiſtæis vicini ſidam eſſe ponuntur cum civibus Dan, ad radices Libani, & prope rivum Jordanis. Fac igitur, Danitas, in veteri ſorte ejuſdem Tribus degentes, oppreſſos fuiſſe a Philiſtæis, & ex illis quoſdam abductos fuiſſe captivos; quid hæc ad Urbem Dan? Moleſtiam ſuam eo uſque plane non intulerunt Philiſtæi; atque ſi intuliſſent, civeſque omnes ejuſdem Urbis in captivitatem redegiſſent, numquid accurata eſſet loquendi phraſis ſi diceretur, contigiſſe tunc captivitatem regionis, vel ut habet Hebræus (6), *transſmigrationem terræ*? Cum inſuper narrat Scriptura, ſub Samuele abjectam fuiſſe Deorum exterorum ſuperſtitionem, quis recte inferat, deſiiſſe pariter cultus privatos & ſuperſtitioſos a Domino non probatos, & extra Tabernaculum impenſos, qualis cultus Idoli Michæ habebatur?

Si levem in Textu mutationem admittas, legaſque גאלת הארץ *Geulat harez*, pro גלות הארץ *Gelot harez*, reddere potes: *Poſuerunt Sacerdotes in Tribu Dan uſque ad tempus liberatæ regionis, & quamdiu Arca fuit in Silo*. Id autem commode exponas de liberatione regionis moleſtia & jugo Philiſtæorum ſub Samuele. Tunc, ait Scriptura (7), *humiliati ſunt Philiſthiim, nec appoſuerunt ultra ut venirent in terminos Iſrael . . . . & redditæ ſunt Urbes, quas tulerant Philiſthiim ab Iſrael, Iſraeli*. Per idem tempus Hebræi omni alieno cultu abdicato, bona fide ad Dominum regreſſi ſunt. Exemplum fratrum ſuorum ſecuti ſunt utique & cives Dan, cum judicante populum Samuele Iſrael univerſus Domino ſerviret. Sedulo expendenda eſt hic duarum epocharum hic expreſſarum inter ſe pugna, translationis nempe Tribuum in captivitatem Regum Aſſyriæ, & captæ Arcæ per Philiſtæos; quæ ſane utriuſque pugna conjecturam noſtram confirmat ſimul, & interpretationes alias rejiciendas ſuadet.

Si quis Hebræum nullo lenimine ſequi velit, ille plauſibilem hanc interpretationem præferat: tota autem in eo ſiſtit, ut duplex epocha, quæ hic plerumque jungitur, diſtinguatur. Primam exhibet mora Theraphim in Dan, vel Laiſa; alteram vero translatio poſterorum Jonathan. Theraphim Michæ tamdiu fuere in Urbe Dan, quamdiu Arca Dei manſit in Silo, quod perſpicue legimus ℣. 31. ideſt, uſque ad regimen Samuelis, uti animadvertimus. Poſteri vero Jonathan Sacerdotio in ea urbe functi ſunt uſque ad transmigrationem terræ, ideſt, cum functi fuiſſent munere Sacerdotis Theraphim Michæ uſque ad regimen Samuelis, novo ſe iterum addixerunt Sacerdotio vitulorum aureorum, quos ibi Jeroboamus conſecravit, perſeverarunt que profanis factis operantes, quoaduſque Teglatphalaſſar, vel Salmanaſſar illos una cum reliquis vicinis Tribubus captivos abduxit.

Unum eſt, quod huic opinioni objicias, quod in tertio Regum XII. 31. legitur: *Jeroboamus fecit Sacerdotes* vitulorum aureorum *de extremis populi*, de fæce populi, *qui non erat de filiis Levi*. Reponi tamen poteſt, illum quidem Sacerdotes e Levitis non conſtituiſſe, quamdiu nullos habuit in promptu: ſtatim vero ac aliquos in ſua ditione nactus eſt, qui in animum induxerunt ut cultui ſuperſtitioſo vitulorum aureorum ſeſe addicerent, quod admiſiſſe videntur poſteri hujus Levitæ, illos ſtatim admovit, ut ſacris operarentur; quemadmodum ſupra narratum eſt de Micha, qui cum prius filium ſuum habuiſſet Sacerdotem, deinde ut primum nactus eſt Levitam, graviſſimis licet conditionibus ſibi conduxit. Satis aperte docet Ezechiel XLIV. 10. Sacerdotes Aaronicos plures ad cultum & Sacerdotium vitulorum aureorum defeciſſe. Id ſi ponatur, ſtatuamus oportet, Librum hunc ſcriptum fuiſſe, vel ſaltem aliquibus additis interpolatum poſt captivitatem decem Tribuum. Neque id utique tamquam abſurdum aliquid rejiciendum habebimus, cum in ipſis Moſaicis Libris nonnulla occurrant, quæ diu poſt Moyſem acceſſiſſe Textui optimi Interpretes arbitrati ſunt.

(1) Ὑλὰμ Λαΐς. Edit. Reg. & Codex Alex. καὶ ἦν Λαῒς ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον. Vide Grot. hic, & nos ad Geneſ. XXVIII. 19. (2) Jonat. Pag. Mont. &c. (3) Grot. hic. (4) Munſt. Vat. Grot. Eſt. Serar. Cornel. Jun. Piſc. alii paſſim. (5) 1. Reg. VII. (6) עד יום גלות הארץ ἕως τῆς ἡμέρας τῆς μετοικεσίας τῆς γῆς. (7) 1. Reg. VII. 13. 14.

CAPUT XIX.

Levites uxorem ſuam e Bethlehem reducens, divertit Gabaam. Hujus loci incolæ injuriam viro inferre conantur; & pro ejus uxore abutuntur, quæ ante fores domus ſuæ corruit exanimis. Levites domum reverſus, cadaver uxoris in duodecim partes ſcindit, & ſingulas ad ſingulas duodecim Tribus mittit.

℣. 1. FUit quidam vir Levites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit
uxorem de Bethlehem Juda: 2. Quæ reliquit eum, & reverſa eſt in do-
mum patris ſui in Bethlehem, manſitque apud eum quatuor menſibus. 3. Secutuſ-
que eſt eam vir ſuus, volens reconciliari ei, atque blandiri, & ſecum reducere, ha-
bens in comitatu puerum, & duos aſinos, quæ ſuſcepit eum, & introduxit in do-
mum patris ſui. Quod cum audiſſet ſocer ejus, eumque vidiſſet, occurrit ei lætus,
4. Et amplexatus eſt hominem. Manſitque gener in domo ſoceri tribus diebus come-
dens cum eo, & bibens familiariter. 5. Die autem quarto de nocte conſurgens, pro-
ficiſci voluit, quem tenuit ſocer, & ait ad eum: Guſta prius pauxillum panis, &
conforta ſtomachum, & ſic proficiſceris. 6. Sederuntque ſimul, ac comederunt, &
biberunt. Dixitque pater puellæ ad generum ſuum: Quæſo te, ut hodie maneas, pa-
riterque lætemur. 7. At ille conſurgens, cepit velle proficiſci. Et nihilominus ob-
nixe eum ſocer tenuit, & apud ſe fecit manere. 8. Mane autem facto, parabat Le-
vites iter. Cui ſocer rurſum: Oro te, inquit, ut paululum cibi capias, & aſſumptis
viribus, donec increſcat dies, poſtea proficiſcaris. Comederunt ergo ſimul. 9. Sur-
rexitque adoleſcens, ut pergeret cum uxore ſua, & puero. Cui rurſum locutus eſt
ſocer: Conſidera, quod dies ad occaſum declivior ſit, & propinquat ad veſperum:
mane apud me etiam hodie, & duc lætum diem, & cras proficiſceris, ut vadas in
domum tuam. 10. Noluit gener acquieſcere ſermonibus ejus: ſed ſtatim perrexit, &
venit contra Jebus, quæ altero nomine vocatur Jeruſalem, ducens ſecum duos aſinos
onuſtos, & concubinam. 11. Jamque erant juxta Jebus, & dies mutabatur in no-
ctem, dixitque puer ad dominum ſuum: Veni, obſecro, declinemus ad urbem Jebu-
ſæorum, & maneamus in ea. 12. Cui reſpondit dominus: Non ingrediar oppidum
gentis alienæ, quæ non eſt de filiis Iſrael, ſed tranſibo uſque Gabaa: 13. Et cum
illuc pervenero, manebimus in ea, aut certe in urbe Rama. 14. Tranſierunt ergo
Jebus, & cœptum carpebant iter, occubuitque eis ſol juxta Gabaa, quæ eſt in tribu
Benjamin: 15. Diverteruntque ad eam, ut manerent ibi. Quo cum intraſſent, ſede-
bant in platea civitatis, & nullus eos recipere voluit hoſpitio. 16. Et ecce, appa-
ruit homo ſenex, revertens de agro, & de opere ſuo veſperi, qui & ipſe de monte
erat Ephraim, & peregrinus habitabat in Gabaa: homines autem regionis illius erant
filii Jemini. 17. Elevatiſque oculis, vidit ſenex ſedentem hominem cum ſarcinulis
ſuis in platea civitatis, & dixit ad eum: Unde venis? & quo vadis? 18. Qui re-
ſpondit ei: Profecti ſumus de Bethlehem Juda, & pergimus ad locum noſtrum, qui
eſt in latere montis Ephraim, unde ieramus in Bethlehem: & nunc vadimus ad do-
mum Dei, nulluſque ſub tectum ſuum nos vult recipere, 19. Habentes paleas, &
fœnum in aſinorum pabulum, & panem, ac vinum in meos, & ancillæ tuæ uſus,
& pueri, qui mecum eſt: nulla re indigemus niſi hoſpitio. 20. Cui reſpondit ſe-
nex: Pax tecum ſit, ego præbebo omnia, quæ neceſſaria ſunt: tantum, quæſo, ne in
platea maneas. 21. Introduxitque eum in domum ſuam, & pabulum aſinis præbuit:
ac poſtquam laverunt pedes ſuos, recepit eos in convivium. 22. Illis epulantibus,
& poſt laborem itineris, cibo, & potu reficientibus corpora, venerunt viri civitatis
illius, filii Belial (ideſt, abſque jugo) & circumdantes domum ſenis, fores pulſare
cœperunt, clamantes ad dominum domus, atque dicentes: Educ virum, qui ingreſ-
ſus eſt domum tuam, ut abutamur eo. 23. Egreſſuſque eſt ad eos ſenex, & ait:
Nolite, fratres, nolite facere malum hoc: quia ingreſſus eſt homo hoſpitium meum,
& ceſſate ab hac ſtultitia: 24. Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubi-
nam, educam eas ad vos, ut humilietis eas, & veſtram libidinem compleatis; tan-
tum, obſecro, ne ſcelus hoc contra naturam operemini in virum. 25. Nolebant ac-
quieſcere ſermonibus illius, quod cernens homo eduxit ad eos concubinam ſuam, &

eis

eis tradidit illudendam: qua cum tota nocte abuſi eſſent, dimiſerunt eam mane. 26
At mulier, recedentibus tenebris, venit ad oſtium domus, ubi manebat dominus ſuus,
& ibi corruit. 27. Mane facto, ſurrexit homo, & aperuit oſtium, ut cœptam ex-
pleret viam, & ecce concubina ejus jacebat ante oſtium ſparſis in limine manibus.
28. Cui ille, putans eam quieſcere, loquebatur: Surge, & ambulemus. Qua nihil
reſpondente, intelligens, quod erat mortua, tulit eam, & impoſuit aſino, reverſuſ-
que eſt in domum ſuam. 29. Quam cum eſſet ingreſſus, arripuit gladium, & cada-
ver uxoris cum oſſibus ſuis in duodecim partes, ac fruſta concidens, miſit in omnes
terminos Iſrael. 30. Quod cum vidiſſent ſinguli, conclamabant: Numquam res talis
facta eſt in Iſrael, ex eo die, quo aſcenderunt patres noſtri de Ægypto, uſque in
præſens tempus: ferte ſententiam, & in commune decernite, quid facto opus ſit.

℣. 1. VIR LEVITES HABITANS IN LATERE MONTIS EPHRAIM. Sunt qui credant, virum hunc ſedes habuiſſe fixas in Silo, ubi Tabernaculum Domini colebatur, in montibus Ephraim. Pandit ipſe interim ſeni, a quo hoſpitio receptus fuerat, pergere ſe ad domum Dei (1): numquid tamen non ire poterat religionis gratia? Textus Hebræus hujus capitis exorditur a verbis, quas Vulgata in fine capitis præcedentis recitat: *In diebus illis non erat Rex in Iſrael.* Hæc utique animadverſio æque congruit Hiſtoriæ Danitarum, qui ſedes occuparunt Laiſæ, & huic quæ in hoc capite & ſequentibus legitur; conſtat enim accidiſſe utraſque eo tempore, quo Iſraelitæ ad arbitrium, nemini obnoxii, vivebant. Supervacaneum tamen videtur bis idem repetere in eadem narrationis ſerie, & in eodem capite, uti eſt in Vulgata, in qua eadem verba recurrunt, ſemel quidem in principio, iterum vero in exitu capitis XVIII. utrobique enim legas, nullum tunc Iſraelitis Regem imperaſſe.

Diſſidium eſt de ætate hujus hiſtoriæ. Convenit inter omnes, Regem tunc nullum vel Judicem rebus Iſraelitarum præfuiſſe; omnia moderabatur cœtus populi, plebis ſuffragiis. Hebræorum tranquillitatem nulla alienorum bella turbabant, nulla inteſtina diſſidia, cum convenirent ſimul in Silo ante Arcam Domini, numero hominum quadringentorum millium. Phinees ſummum Sacerdotium gerebat, urbemque Jeruſalem tenebant Jebuſæi. Iſrael metum & religionem Domini conſervabat, quamquam morum corruptio late in privatos inundabat, uti exemplo Gabaitarum apertiſſime probatur. Congruunt hæc omnia cum tempore, quod poſt obitum Joſue & Seniorum ſucceſſit (2): hic autem optime in ſuo loco poſitam credimus, ſi geminas præcedentes narratione ſpectes.

℣. 2. QUÆ RELIQUIT EUM. Hebræus (3): *Fornicata eſt ſuper eum pellex ejus, & abiit ab eo.* Chaldæus (4): *Contempſit ſuper eum concubina ejus, & abiit ab eo.* Septuaginta (5): *Irritata eſt in eum*; vel juxta alios codices, *Abiit ab eo*: Joſephus (6): *Alieniorem geſſit ſeſe.* Conſtat utique, Septuaginta & Vulgatam, & facile etiam Chaldæum, paulo aliter ac nos Hebræum legiſſe, & melius quidem, ut vera fateamur, quam hodie in noſtris Bibliis. Quis enim in animum inducat, virum, cujus uxor fidem thori adulterio violarit, adeoque & a ſe abjecta fuerit, rurſum illam quæſitum veniſſe contra Legis voluntatem (7), interdicentis, ne reducatur fœmina repudiata; & contra ingenium ac mores Judæorum, quin & Profanorum, apud quos non modo invidioſum erat, ſed & probroſum ac infame retinere uxorem, de cujus licentia conſtaret?

Junius & Tremellius vertunt: *Scortata eſt cum eo*; pellicis loco, & non conjugis, primo illam habuit, tum patrem poſtulavit, ut obtineret in uxorem, de parentis ipſius aſſenſu. Difficultatem tollere quidem hæc interpretatio videtur, ſed Textus ſyntaxim offendit. Legendum enim fuiſſet in Textu, *Fornicata eſt cum illo*, cum tamen habeatur, *Fornicata eſt ab eo.*

Concubinæ nomen non eamdem apud Hebræos invidiam, quam apud nos, inferebat. Sonat enim apud illos uxorem ritu non ſolemni ductam, abſque maritali ſyngrapha, abſque dote (8). Hodie pariter apud Mahometanos *uxor juſta a concubina, ſola dote dignoſcitur; ſervarum nulla dos eſt*, ait Buſbequius (9). Cæterum par eſt utriuſque ſors, utraque appellatur uxor patris familias. Ita & apud Hebræos ſæpe idem ſunt nomina uxorum & concubinarum.

MANSIT APUD EUM QUATUOR MENSIBUS, apud patrem, antequam maritus ad eam requirendam veniret. Quatuor hoſce menſes egiſſe illam in domo mariti, cenſet Joſephus (10). Nonniſi quatuor menſibus cum viro fuit. Hebræus ad literam (11): *Fuit ibi dies quatuor menſium*, quatuor integris menſibus, vel tempore quatuor menſium.

℣. 3. VOLENS RECONCILIARI EI, ATQUE BLANDIRI, ET SECUM REDUCERE. De reconciliatione nihil eſt quidem in Hebræo; at ſubintelligendam docet ſeries narrationis. Ita ergo ad literam (12): *Ivit ad loquendum ſuper cor ejus, ad reducendum eam.* Animadvertimus in Geneſi (13), *loqui ad cor* perinde eſſe ac conſolari aliquem.

℣. 4. COMEDENS CUM EO ET BIBENS FAMILIARITER. Hebræus: *Comederunt, & biberunt, & pernoctarunt ibi.*

℣. 8. ET ASSUMPTIS CIBIS, DONEC INCRESCAT DIES, POSTEA PROFICISCARIS. Hebræus legit tantum (14): *Et tardaverunt uſque ad declinare diem.* Vel *remoratus eſt illum uſque ad declinantem diem* (15). Septuaginta (16): *Præpara te, & inſtrue, donec inclinet dies.* Hortatur ut meridiani Solis æſtum remitti ſinat, quo commodius iter veſpere habeat.

℣. 9. CONSIDERA QUOD DIES AD OCCASUM PROCLIVIOR SIT, ET PROPINQUAT AD VESPERUM. Turbata eſt magis ſententia in Hebræo (17): *Ecce nunc ſe remiſit dies ad veſperaſcendum: pernoctate, quæſo, ecce caſtrametari diem*, ideſt, caſtrametationem diei. Ecce diei exitum, tempus ad quietem invitans, quo milites & iter habentes explicant tentoria; vel tempus quo Sol ad caſtra ſua recedit.

(1) ℣. 18. Vide Munſt. Vatab. Druſ. Cornel. (2) Ita Joſeph. Lyran. Toſt. Genebr. Hebr. in Seder-Olam, Serar. qu. 6. (3) ותזנה עליו פילגשו (4) ובסרת עלוהי לחינתיה (5) Ὠργίσθη αὐτῷ, vel ἐπορεύθη ἀπ' αὐτοῦ. (6) Ἀλλοτρίως εἶχε. (7) Deuter. xxiv. 2. 3. 4. Vide & Jerem. iii. 1. & Prov. xviii. 22. (8) Vide Selden. l. 5. c. 7. de jure Nat. & Gent. & Grot. hic. (9) Buſbeq. Ep. 2. & 3. (10) Joſeph. Antiq. l. 5. c. 2. (11) ויהיו שם ימים ארבעה חדשים (12) לדבר על לבה להשיבה (13) Geneſ. xxxiv. 3. Hieronym. in Iſai. xl. *Qui mærenti loquitur, & blandiens conſolatur eſt, ad cor loqui dicitur?* (14) ויתמהמהו עד נטות היום (15) Ita Munſt. Pag. Vat. Jun. (16) Septuag. [illegible] ἕως κλίνει ἡ ἡμέρα. (17) הנה נא רפה היום לערב לינו נא הנה חנות היום

dit. Septuaginta (1): *Ecce jam firmata eſt dies in veſperam: maneto hic etiam hodie.*

℣. 10. VENIT CONTRA JEBUS. Vetus id nomen eſt Jeruſalem. Poſt obitum Joſue, filii Juda (2) urbem hanc, ſaltem aliqua ex parte, Jebuſæis eripuerunt; & Jebuſæi viciſſim brevi ad priſtinas ſedes regreſſi ſunt, quas ad uſque Davidis ætatem retinuerunt. Hac ætate, in qua verſamur, totam Jebuſæi habuiſſe videntur, ſive quod Tribus Juda nondum quidquam urbis occupaſſet, ſive quod ab Jebuſæis cedere loco coacta ſit. E Bethlehem ad Jebus iter eſt duarum circiter leucarum, eodemque ferme ſpatio Jebus abeſt a Gabaa, quo Levites iter ſuum direxerat.

℣. 15. NULLUS EOS RECIPERE VOLUIT HOSPITIO. Diverſorium forte non erat Gabaæ; rara autem erant Regionis illius diverſoria; nonnulla tamen occurriſſe conſtat, teſtibus iis quæ legimus de fratribus Joſephi (3), qui ex Ægypto reduces, & in diverſorium ingreſſi, in ore ſaccorum ſuorum pecuniam ſuam nacti ſunt. Domus Rahab (4), & ædes mulieris Gazæ (5), quas ingreſſus eſt Samſon, publica erant diverſoria.

℣. 16. PEREGRINUS HABITABAT IN GABAA. E Tribu Ephraim vir peregrinus erat in Gabaa, urbe Beniamitica.

FILII JEMINI, filii Beniamin. *Jemini* eſt dextera mea, *Beniamin*, filius dexteræ. Vide ſupra, III. 15.

℣. 17. VIDIT SENEX SEDENTEM HOMINEM. Hebræus (6): *Vidit virum iter facientem*, ſeu potius, *peregrinum hunc in platea.*

℣. 18. VIDIMUS AD DOMUM DEI. Ad Silo, ubi eſt Tabernaculum.

℣. 19. HABENTEM PALEAS, ET FŒNUM IN ASINORUM PABULUM. Vox Hebræa (7), quæ redditur *fœnum*, ſonat potius mixturam ſalis cum tritico; cujuſmodi facile in Iſaia (8) appellatur *Migma*, & apud Veteres Latinos *Farrago* (9). Habes hic veterem morem, ferendi in itinere commeatum ſibi, & jumentis. Rarum eſt adeo in Oriente fœnum, ut jumenta ali ſoleant palea, quod notum eſt tum Veterum (10) cum Recentiorum teſtimonio.

℣. 20. EGO PRÆBEBO OMNIA, QUÆ NECESSARIA SUNT. Hebr. (11): *Omnis defectus tuus ſuper me*; quæ tibi deerunt, neceſſaria omnia ſupplebo.

℣. 22. FILII BELIAL, IDEST, ABSQUE JUGO. Latinus Interpres addidit: *Id eſt, abſque jugo* gens nemini ſubdita, nulli Judici obnoxia, quam nec judiciorum Dei timor continet in officio, vitiis fræna laxans. Vertunt alii nomen *Belial*, gens nihili, ex qua nihil boni ſperetur. Hebr. (12): *Viri civitatis illius viri filii Belial*. Septuaginta (13): *Filii iniquorum*. Symmachus: *Sine diſciplina*, ſeu non liberaliter educati. Aquila. *Rebelles*, immorigeri.

℣. 24. EDUCAM EAS AD VOS. Simile quid oblatum legimus in hiſtoria Lotbi (14). Porro horrori eſt pater, qui filiæ ſuæ pudicitiam ſeſe expoſiturum pollicetur, & vir, qui plebis libidini uxorem ſuam permittit. Vulgo tamen Commentariorum Scriptores (15) excuſandum virum hunc ſuſcipiunt: primo quod fas eſſe dicant minus malum perſuadere illi, qui graviora molitur, uti & tolerare minus crimen, ut a majori quis avertatur. II. Quod tum hoſpes tum maritus officium ſuum in hac re tunc forte ignorarent: quæ utriuſque ignoratio & ſinceri cordis rectæque voluntatis habitudo ſatis ſuperque fuit, ut ambo crimine penitus abſolverentur.

His tamen facile reſpondetur, demonſtraturque, optionem a patre & Levita in ea re oblatam nulla ratione excuſari (16). Fatemur equidem, homini in duplex malum parato, minus poſſe ſuaderi; nunquam tamen minus illud malum jure ſuaderi poteſt, ut quis a voluntate majoris avertatur: id enim peccat contra doctrinam Apoſtoli (17), damnantis axioma illud. *Faciamus mala, ut veniant bona*. In præſenti autem re Gabaitæ nihil cogitabant neque de filia ſenis, nec de uxore Levitæ: quis igitur jure crimen illis aliquod ſuadeat, ut a majori in perſonam Levitæ removeat? Ignorantia vero rectæ mentis, & voluntatis ſinceritas utriuſque viri gravitatem utique criminis minuebant, ſed crimen non tollebant penitus; ut enim actio aliqua æqui rectique laudem mereatur, non recti modo cordis ſinceritas requiritur, ſed ut eadem actio æternæ Juſtitiæ divinæque Legis regulis cohæreat. Ignoratio autem in hac re cum inſuperabilis nulla ratione haberi poſſit, nulla pariter a crimine purgatur. Uterque enim vir ignorare non poterat, proſtitutionem filiæ vel uxoris crimina eſſe deteſtanda, neque liberæ ipſorum poteſtati unquam permiſſum fuiſſe, ut pro arbitrio de pudicitia & corpore mulierum ſibi ſubjectarum decernerent.

Illud plauſibilius pro ſene afferri poteſt, metum ſcilicet & tumultum, quos poſtulata Gabaitarum menti ejus injecerunt, tranquillitatem mentis illius adeo turbaſſe, ut non ſatis ea perpenderet quæ effutiebat; nec in mentem inducere potuiſſe, brutales illos homines aliter accepturos ea quæ proponebat, quam ut horrorem criminis conciperent. Num vero hæc utrumque excuſant? Levitam præſertim, qui eo impudentiæ devenit, ut non vereretur uxorem ſuam ludibrio exponere. Senex enim nunquam promiſſum ſuum de filia expleſſe videtur. Nullus vel diſcriminis, vel pœnæ metus tantum valere debet, ut abducat nos ab juſtitia, & ad peccatum cogat. Si quid timebat ſenex de Levita, minus utique juſte timebat; ſin Levita conatu niſuque ſuo nequicquam reſiſtens, coactus fuiſſet ſervire licentiæ Gabaitarum, nullam in ſe peccati labem accepiſſet: utrique autem viro potius objicienda erat diſcrimini vita, quam aſſentiendum proſtitutioni uxoris & filiæ. Si Levita moleſtiam ea in re ſuam, & probri notam evitare volebat, num hæc tanta erant, ut iniquitatem & crimen patrare tuto poſſet, bonum alterius perdens, ut ſuum tueretur? An minus debebat ſenex filiæ, quam hoſpiti? & Levitæ jus erat exponendi probro uxorem ſuam, ut illud a ſe amoveret? Docet apertiſſime Textus (18), invitam illam & reluctantem tradidiſſe manibus Gabaitarum. Hiſtoriam hanc mitigans Joſephus, ſcribit, Gabaitas pulchritudine uxoris Levitæ captos, illam poſtulaſſe, atque a viro per vim impetraſſe: cum Scriptura apertiſſime doceat, *injuriam inſerre illos in Levitam voluiſſe*.

℣. 25. QUA CUM TOTA NOCTE ABUSI ESSENT. Vocem Originalem deteſtabile quiddam & naturæ contrarium indicare, cenſent Interpretes (19).

℣. 26. ET IBI CORRUIT. Paulo poſt interiit, ſive dolo-

(1) Ἰδοὺ δὲ κέκλικεν ἡ ἡμέρα εἰς ἑσπέραν· κατάλυσον δὴ ὧδε ἔτι σήμερον. (2) Judic. I. 6. 7. 21. (3) Geneſ. XLIII. 27. (4) Joſue II. 1. (5) Judic. XVI. 1. (6) וירא את האיש הארח ברחוב העיר Septuag. εἶδε τὸν ἄνδρα ὁδοιπόρον, &c. (7) גם תבן גם מספוא (8) Iſai. XXX. 24. Vide & Geneſ. XXIV. 25. (9) Varro lib. I. cap. 23. de Re ruſtica. Plin. lib 18. cap. 16. (10) Hieron. in Iſai. lib. 8. cap. 25. *Moab contereretur, ut ſolet plauſtro palea conteri. Hoc juxta ritum loquitur Palæſtinæ, & multarum orientis provinciarum, quæ ob pratorum & fœni penuriam, paleas præparant uſui animantium.* (11) כל מחסורך עלי πᾶν τὸ ὑστέρημά σου ἐπ' ἐμέ. (12) אנשי בני בליעל (13) Ἄνδρες υἱοὶ παρανόμων. Sym. ἀπαίδευτοι. Aqu. ἀποστάται, Rebelles. (14) Geneſ. XIX. 8. (15) Cajet. Menoch. Serar. Cornel. alii. (16) Vide Toſt. Eſt. Bonfr. Petr. Martyr. (17) Rom. III. 8. & Gregor. Mag. *Minus peccatum committere, ut majus evitetur, eſt a ſcelere victimas offerre Deo.* (18) ויחזק האיש בפילגשו ויצא אלהם החוץ 70. ἐπελάβετο ὁ ἀνὴρ τῆς παλλακῆς. (19) ויתעללו בה ἐνέπαιξαν αὐτῇ.

dolore (1), ſive injuriæ ſibi illatæ mœrore; cum non ſatis haberet virium, quibus fores pulſaret.

Ỳ. 29. In duodecim partes, concidens, ad ſingulas duodecim Tribus ſingulas partes miſit. Sunt qui credant, nihil miſſum fuiſſe ad Beniamitas, utpote quorum in urbe crimen commiſſum fuerat: viciſſim autem geminas deſtinatas fuiſſe Tribui Manaſſe, quæ biſariam diviſa altera parte conſidebat cis, altera trans Jordanem: Sed cur & Beniamin ſuum non habuerit membrum, quo ad exigendam criminis, quod invidiam in omnem Tribum rejiciebat, ultionem excitaretur? Rerum Iſraeliticarum qui tunc erat ſtatus, ſine Rege & ſine Judice, permittebat Levitæ huic novam hanc inire rationem incendendi Tribus ad ultionem criminis atrociſſimi.

Ỳ. 30. Ferte sententiam. Hæc decernebantur in conſeſſu ſingularum Urbium: viſum eſt omnibus, ut in Silo publicus populi conventus fieret, ubi ea de re graviſſima deliberaretur.

(1) Herod. l. 8. c. 33. Καὶ γυναῖκάς τινας διέφθειραν μισγόμενοι, ὑπὸ πλήθεος. & Philetær. in venatrice, apud Athenæum l. 13. c. 4. οὐχὶ Λαῒς μὲν τελευτῶσ' ἀπέθανε βινουμένη. Grot. hic. Stupratarum ad mortem uſque exempla etiam in Moſcoviticarum & Turcarum hiſtoriis habemus.

C A P U T XX.

Concilium undecim Tribuum, in quo expeditio Beniamitica decernitur. Belli exordium Beniamitis ſecundum; denique omnes caeduntur, excepta manu ſexcentorum, quæ dilabitur in nemora.

Ỳ. 1. Egreſſi itaque ſunt omnes filii Iſrael, & pariter congregati, quaſi vir unus,
de Dan uſque Berſabee, & terra Galaad, ad Dominum in Maſpha: 2.
Omneſque anguli populorum, & cunctæ tribus Iſrael in eccleſiam populi Dei convenerunt, quadringenta millia peditum pugnatorum. 3. (Nec latuit filios Benjamin,
quod aſcendiſſent filii Iſrael in Maſpha.) Interrogatuſque Levita, maritus mulieris
interfectæ, quomodo tantum ſcelus perpetratum eſſet, 4. Reſpondit: Veni in Gabaa
Beniamin cum uxore mea, illucque diverti: 5. Et ecce homines civitatis illius circumdederunt nocte domum, in qua manebam, volentes me occidere, & uxorem meam
incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua eſt. 6. Quam arreptam, in fruſta concidi, miſique partes in omnes terminos poſſeſſionis veſtræ: quia numquam tantum nefas, & tam grande piaculum factum eſt in Iſrael. 7. Adeſtis omnes filii Iſrael, decernite, quid facere debeatis. 8. Stanſque omnis populus, quaſi unius hominis ſermone reſpondit: Non recedemus in tabernacula noſtra, nec ſuam quiſpiam
intrabit domum: 9. Sed hoc contra Gabaa in commune faciamus. 10. Decem viri
eligantur e centum ex omnibus tribubus Iſrael, & centum de mille, & mille de decem millibus, ut comportent exercitui cibaria, & poſſimus pugnare contra Gabaa
Beniamin, & reddere ei pro ſcelere, quod meretur. 11. Convenitque univerſus Iſrael ad civitatem, quaſi homo unus, eadem mente, unoque conſilio. 12. Et miſerunt nuntios ad omnem tribum Beniamin, qui dicerent: Cur tantum nefas in vobis
repertum eſt? 13. Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, ut
moriantur, & auferatur malum de Iſrael. Qui noluerunt fratrum ſuorum filiorum Iſrael audire mandatum: 14. Sed ex cunctis urbibus, quæ ſortis ſuæ erant, convenerunt in Gabaa, ut illis ferrent auxilium, & contra univerſum populum Iſrael dimicarent. 15. Inventique ſunt viginti quinque millia de Beniamin educentium gladium,
præter habitatores Gabaa, 16. Qui ſeptingenti erant viri fortiſſimi, ita ſiniſtra ut
dextera præliantes: & ſic fundis lapides ad certum jacientes, ut capillum quoque
poſſent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur. 17.
Virorum quoque Iſrael, abſque filiis Beniamin, inventa ſunt quadringenta millia educentium gladios, & paratorum ad pugnam. 18. Qui ſurgentes venerunt in domum
Dei, hoc eſt, in Silo: conſulueruntque Deum, atque dixerunt: Quis erit in exercitu noſtro princeps certaminis contra filios Beniamin? Quibus reſpondit Dominus: Juda ſit dux veſter. 19. Statimque filii Iſrael ſurgentes mane, caſtrametati ſunt juxta
Gabaa: 20. Et inde procedentes ad pugnam contra Beniamin, urbem oppugnare
cœperunt. 21. Egreſſique filii Beniamin de Gabaa, ceciderunt de filiis Iſrael die illo viginti duo millia virorum. 22. Rurſum filii Iſrael, & fortitudine, & numero confidentes, in eodem loco, in quo prius certaverant, aciem direxerunt. 23. Ita tamen,
ut prius aſcenderent, & flerent coram Domino uſque ad noctem: conſulerentque eum,

& dicerent: Debeo ultra procedere ad dimicandum contra filios Beniamin fratres meos, an non? Quibus ille reſpondit: Aſcendite ad eos, & inite certamen. 24. Cumque filii Iſrael altera die contra filios Beniamin ad prælium proceſſiſſent, 25. Eruperunt filii Beniamin de portis Gabaa: & occurrentes eis, tanta in illos cæde bacchati ſunt, ut decem, & octo millia virorum educentium gladium proſternerent. 26. Quamobrem omnes filii Iſrael venerunt in domum Dei, & ſedentes flebant coram Domino: jejunaveruntque die illo uſque ad veſperam, & obtulerunt ei holocauſta, atque pacificas victimas, 27. Et ſuper ſtatu ſuo interrogaverunt. Eo tempore ibi erat arca fœderis Dei, 28. Et Phinees filius Eleazari filii Aaron præpoſitus domus. Conſuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt: Exire ultra debemus ad pugnam contra filios Beniamin fratres noſtros, an quieſcere? Quibus ait Dominus: Aſcendite, cras enim tradam eos in manus veſtras. 29. Poſueruntque filii Iſrael inſidias per circuitum urbis Gabaa: 30. Et tertia vice, ſicut ſemel, & bis, contra Beniamin exercitum produxerunt. 31. Sed & filii Beniamin audacter eruperunt de civitate, & fugientes adverſarios longius perſecuti ſunt, ita ut vulnerarent ex eis ſicut primo die, & ſecundo, & cæderent per duas ſemitas vertentes terga, quarum una ferebatur in Bethel, & altera in Gabaa, atque proſternerent triginta circiter viros: 32. Putaverunt enim ſolito eos more cedere. Qui fugam arte ſimulantes, inierunt conſilium, ut abſtraherent eos de civitate, & quaſi fugientes ad ſupradictas ſemitas perducerent, 33. Omnes itaque filii Iſrael ſurgentes de ſedibus ſuis, tetenderunt aciem in loco, qui vocatur Baalthamar. Inſidiæ quoque, quæ circa urbem erant, paulatim ſe aperire cœperunt. 34. Et ab Occidentali urbis parte procedere, Sed & alia decem millia virorum de univerſo Iſrael, habitatores urbis ad certamina provocabant. Ingravatumque eſt bellum contra filios Beniamin; & non intellexerunt, quod ex omni parte illis inſtaret interitus. 35. Percuſſitque eos Dominus in conſpectu filiorum Iſrael; & interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia, & centum viros, omnes bellatores, & educentes gladium. 36. Filii autem Beniamin, cum ſe inferiores eſſe vidiſſent, cœperunt fugere. Quod cernentes filii Iſrael, dederunt eis ad fugiendum locum, ut ad præparatas inſidias devenirent, quas juxta urbem poſuerant. 37. Qui cum repente de latibulis ſurrexiſſent, & Beniamin terga cædentibus daret, ingreſſi ſunt civitatem, & percuſſerunt eam in ore gladii. 38. Signum autem dederant filii Iſrael his, quos in inſidiis collocaverant, ut poſtquam urbem cepiſſent, ignem accenderent: ut aſcendente in altum fumo, captam urbem demonſtrarent. 39. Quod cum cernerent filii Iſrael in ipſo certamine poſiti (putaverunt enim filii Beniamin eos fugere, & inſtantius perſequebantur, cæſis de exercitu eorum triginta viris) 40. Et viderent quaſi columnam fumi de civitate conſcendere; Beniamin quoque aſpiciens retro, cum captam cerneret civitatem, & flammas in ſublime ferri: 41. Qui prius ſimulaverant fugam, verſa facie fortius reſiſtebant: Quod cum vidiſſent filii Beniamin, in fugam verſi ſunt, 42. Et ad viam deſerti ire cœperunt, illuc quoque eos adverſariis perſequentibus: ſed & hi qui urbem ſuccenderant, occurrerunt eis. 43. Atque ita factum eſt, ut ex utraque parte ab hoſtibus cederentur, nec erat ulla requies morientium: Ceciderunt, atque proſtrati ſunt ad Orientalem plagam urbis Gabaa. 44. Fuerunt autem, qui in eodem loco interfecti ſunt, decem, & octo millia virorum, omnes robuſtiſſimi pugnatores. 45. Quod cum vidiſſent, qui remanſerant de Beniamin, fugerunt in ſolitudinem; & pergebant ad petram, cujus vocabulum eſt Remmon. In illa quoque fuga palantes, & in diverſa tendentes, occiderunt quinque millia virorum. Et cum ultra tenderent, perſecuti ſunt eos, & interfecerunt etiam alia duo millia. 46. Et ſic factum eſt, ut omnes, qui ceciderant de Beniamin in diverſis locis, eſſent viginti quinque millia pugnatores ad bella promptiſſimi, 47. Remanſerunt itaque de omni numero Beniamin, qui evadere, & fugere in ſolitudinem potuerunt, ſexcenti viri: ſederuntque in petra Remmon menſibus quatuor. 48. Regreſſi autem filii Iſrael, omnes reliquias civitatis, a viris uſque ad jumenta, gladio percuſſerunt, cunctaſque urbes, & viculos Beniamin vorax flamma conſumpſit.

ꝟ. 1. DE DAN USQUE BERSABEE. Ab utroque extremo termino regionis, ſeptemtrionali nempe in Dan, & meridionali in Berſabee. Phraſis hæc frequenter recurrit in ſequentibus libris, ac veluti proverbii loco obtinuit apud Hebræos, ex quo Danitæ occupatæ a ſe Urbi Laiſæ nomen Dan indiderunt.

IN MASPHA. Urbs erat in finibus Tribuum Ju-

da

da (1) & Beniamin (2); quare non raro in Scriptura alterutri indiſcriminatim adſcribitur. Ibi ſæpe Iſraelitarum conventus habitus eſt (3); legiturque in Libris Maccabæorum, locum hunc fuiſſe orationi conſtitutum (4). Creditur ibi pariter ſtetiſſe altare; idque ex iis confirmatur, quæ hic leguntur, populum ſcilicet converiſſe *ad Dominum*; nempe ad Dominum conſulendum in Maſpha. Quidam cenſuerunt (5), *Maſpha* hic editum locum deſignare, & poſitum eſſe pro Silo. Alii accipiunt de urbe Maſpha in Galaaditide, trans Jordanem. Sed cur priorem interpretationem deſeramus, nihil eſt.

℣. 2. Omnes anguli populorum, פנות כל העם omnes Principes populi; Principes enim perinde erant, ac lapides angulares, totum populi ædificium ſuſtinentes. In eamdem ſignificationem Sophonias III. 6. habet: *Diſperdidi gentes, & diſſipati ſunt anguli earum*. Commode etiam dictum accipitur de univerſo populo, ex omnibus regionis angulis coacto. Ita in primo Regum XIV. 38. *Applicate huc univerſos angulos populi, & ſcitote & videte per quem acciderit peccatum hoc*; ideſt, omnes ſiſtant ſeſe a noviſſimo uſque ad primum. Iſaias XIX, 13. *Emarcuerunt Principes Memphéos, deceperunt Ægyptum, angulum populorum ejus*; totam late regionem adusque angulum extremum. In hanc interpretationem conceſſerunt Septuaginta: τὸ κλίμα παντὸς τοῦ λαοῦ, *Omnis regio populi*. Syriacus & Arabs: *Familiæ univerſi populi*, vel omnes Tribus.

℣. 5. Volentes me occidere. Minitabantur mortem, ni concederem poſtulata. Auſi ſunt cogere me ad aliquid præſtandum, quo nonniſi cum periculo vitæ me liberaſſem. Vel, moliti ſunt injuriam mihi inferre, quam ipſa morte gravius tuliſſem.

℣. 6. Tantum nefas, et tam grande piaculum. Reddi poſſet Hebræus (6): *Perpetrarant crimen & ſtultitiam*; vel crimen, ſcelus & probrum.

℣. 9. Hoc contra Gabaa in commune faciamus. Hebræus (7): *Et nunc hoc verbum quod faciemus ipſi Gabaa, ſuper eam in ſorte*. Septuaginta (8): *Et nunc hoc eſt verbum, quod fiet ipſi Gabaa; aſcendemus ſuper eam in ſorte*. Cum vox aliqua in Textu ſupplenda ſit, reddi etiam poſſet: *Nunc hoc faciemus Gabaæ*: proficiſcamur *adverſus illam ſorte*. [10.] *Decem viri eligantur e centum*, ad annonam exercitui comportandam.

℣. 11. Quasi homo unus. Addit Vulgata, expoſitionis gratia, *Eadem mente, unoque conſilio*.

℣. 12. Miserunt nuntios ad omnem Tribum Beniamin, uti jus gentium & æquitatis leges poſcunt, jubentes prius præſtitæ injuriæ ſatisfactionem requiri, quam deveniatur ad hoſtilia & ad ultionem exigendam. Ita pariter & ſuperius animadvertimus, Philiſtæos poſtulaſſe a filiis Juda Samſonem, tamquam malorum omnium, de quibus querebantur, authorem (9). Æquum autem videbatur, ut Iſraelitæ primo omnium id exigerent, antequam ea decernerent, quæ in ſuperioribus verſiculis narrantur. Reputari tamen poſſet, eos nonniſi conditione aliqua decreviſſe, hæc non prius executioni mandanda, quam ſcirent ab univerſa Tribu ſcelus illud Gabaitarum defendi. Hebræus hujus Textus legit (10): *Miſerunt Tribus Iſrael viros in omnes Tribus Beniamin*; ſed nomen Tribuum hic pro Familiis accipiendum eſt. Tribus Beniamin in decem, vel duodecim majores Familias diſtinguebatur (11).

℣. 15. Viginti quinque millia. Septuaginta Editionis Romanæ legunt, viginti tria millia; & Textus Hebræus viginti ſex millia. Sed Vulgatæ numerum tuentur Septuaginta Baſileenſes, & Complutenſes, ac ceteræ Editiones; congruitque adamuſſim cum numero cæſorum, de quo inferius. Beniamitæ omnes, additis Gabaitis, exercitum explebant viginti quinque millium ac ſeptingentorum; e quibus viginti quinque millia & centum interfecti ſunt (12); manus ſexcentorum fuga ſe proripuit; quare numerus totius exercitus viginti quinque millia & ſeptingentos non excedebat. Qui veritatem Textus Hebraici tueri, & conciliare cum verſu 35. ſuſcipiunt, coguntur dicere, mille Beniamitas in duobus illis prioribus præliis, in quibus de ceteris Iſraelitis victoriam retulerunt, deſideratos fuiſſe (13).

℣. 16. Ita sinistra ut dextra præliantes. Vocem Hebraicam אטר יד ימינו reddunt Recentiores plerique *ſcævolas*, quibus inepta eſt ad uſum dextera. Superius III. 15. animadvertimus, reddendam eſſe *ambidextres*. Vulgata & Septuaginta putarunt, ſeptingentos hoſce ambidextros e Gabaitis fuiſſe ex univerſo populo, e toto ſcilicet exercitu Beniamitarum.

Et sic fundis lapidem ad certum jacientes, ut capillum quoque possent percutere. Hyperbolice hoc dici videretur, niſi exempla huic perſimilia, & certiſſima apud Hiſtoricos graviſſimos occurrerent. Teſte Philoſtorgio (14) Indi tam certa manu arcum dirigebant, ut vino epoto interdum exercentes ſeſe contra puerorum caput ſagittam emitterent, quæ ſummam tantummodo comam lambens, illæſos prætervolabat. Balearium peritia [incolæ ſunt Inſularum, quæ vulgari nomine appellantur *Majorica & Minorica*] jaciendæ funda plurimum apud veteres Scriptores (15) celebratur; de quibus id memorant incredibile, plumbeas pilas tantu impetu vibraſſe, ut diſploſæ per aerem liquarentur. Ovidius:

Non ſecus exarſit, quam cum Balearica plumbum
Funda jacit. Volat illud & incaleſcit eundo,
Et quos non habuit, ſub nubibus invenit ignes.

Neque Poetæ modo, ſed Philoſophi & Hiſtorici idem confirmant (16): *Liqueſcit excuſſa glans funda*, ait Seneca Philoſophus, *& attritu aeris velut igne diſtillat*. Plumbum in uſum fundæ nunquam exhibet Scriptura, ſed ſolos lapides; de lapidibus tamen mira narrantur. Baleares tanto impetu jaciebant lapides (17), quanto excuſſiſſent baliſtæ: nihil tam validum, ut illis reſiſteret, non galeæ, non clypei. Narrat Vegetius (18), funditores jacere ad ſcopum, ſexcentis paſſibus diſtantem, & raro ictum falli. Xenophon (19), Strabo (20), & Dio (21), tradunt, fundam longius ferire quam arcum & ſagittas. Porro ut tam valide ferrentur, ſatis grandes fuiſſe lapides neceſſe eſt. Funditorum Romanorum lapides libram æquabant. Scitum eſt, quanto ſucceſſu David in Goliath certaverit.

Nec de Sagittariis minora narrantur in Hiſtoria. *Soranus* quidam poſt excluſam in aera ſagittam, alteram ſtatim jaciebat, quæ priorem labentem in aere figebat (22). *Ilerdes*, de quo Silius Ita-

(1) Joſue XV. 38. (2) Joſue XVIII. 26. (3) 1. Reg. VII. 10. & Jerem. XL. 41. (4) 1. Macch. III. 46. (5) Maſ. ad Joſue XVIII. (6) עשו זמה ונבלה Septuag. ἐποίησαν. ἀσχημοσύνην ἐν Ἰσραήλ. Roman. Codex: ζέμα, καὶ ἀπόπτωμα. Primam Hebræi vocem ſervarunt זמה. (7) ועתה זה הדבר אשר נעשה לגבעה עליה בגורל (8) .... ἀναβησόμεθα ἐπ' αὐτὴν ἐν κλήρῳ. (9) Judic. XV. 9. 10. 11. (10) בכל שבטי בנימין (11) Vide quæ diximus in Geneſim XLVI. 21. & Num. XXVI. 38. & Kimchi apud Druſ. hic. (12) ℣. 35. *Interfecerunt ex eis in illo die, viginti quinque millia & centum viros*. (13) Druſ. Munſt. Grot. (14) In vita Apollonii l. 2. c. 12. Vide Serar. qu. 7. in cap. XIX. & Bonfr. hic, &c. (15) Strab. l. 3. Florus ib. 3. Diodor. Sicul. &c. (16) Senec. Natur. quæſt. 2. c. 56. (17) Diodor. Sicul. l. 5. (18) Veget. l. 2. c. 23. (19) Xenoph. Anabaſ. l. 5. (20) Strabo l. 8. (21) Dio l. 49. Vide Lipſ. l. 5. Dialog. ult. de Milit. Rom. (22) De Sorano ſic Imper. Hadrianus.

Emiſſumque arcu dum pendet in aere telum,
Ac redit, ex alio fixi fregique ſagitta.

Italicus (1), certo ictu petebat aves volantes, vel perniciſſimas quaſque belluas, dum aperto in campo fugerent. Domitianus Imperator (2) tempus fallebat geminas ſagittas in caput unius ejuſdemque animalis jaciens tanta arte, ut infixa fronti jacula ſpeciem præberent tamquam duplicis cornu; ſæpe etiam puerum conſtituebat, qui extenta manu ſtaret, ac digitis divaricatis, quorum per intervalla ſagittam innocuam jaculabatur. Memoriæ proditum eſt de Teucro, qui jactu ſagittarum alterum poſt alterum petebat crines, qui in galeæ criſta nutabant, & quos ſibi pro ſcopo præfixerat, præmio conſtituto ludens (3). Quod autem magis miremur in Gabaitis, de quibus Scriptura, illud eſt, nimirum incolas omnes ejuſdem Urbis ambidextros fuiſſe, & æque omnes fundæ ejaculandæ peritos. Veteres Palæſtini exercebant ſe plurimum funda; docetque Plinius (4), ab illis primum fundas, earumque uſum obtinuiſſe; nec Baleares in tantam fundæ peritiam deveniſſe ſcribit Strabo (5), niſi poſtquam Phœnices Inſulas illas invaſerunt. De Perſarum peritia in jaculis ex arcu emittendis, vide Iter Moſchov. tom. 2. p. 398. 399.

℣. 18. Venerunt in domum Dei; ideſt, in Silo, quod addendum hic cenſuit S. Hieronymus, quamquam deeſt in Textu Hebræo, ferente tantum, *in Bethel*. Septuaginta, Joſephus, Syriacus, Arabs, aliique nonnulli cenſuere, populum re ipſa in Bethel conveniſſe; ſed Interpretum plerique putant coiviſſe in Silo, ubi tunc Arca, & Tabernaculum Domini conſtituta erant, habitabatque Phinees Summus Sacerdos, qui de exitu expeditionis illius conſulendus erat. Capite ſequenti (6) *Bethel*, Domus Dei, ponitur tamquam æquivalens Silo.

Quis erit princeps certaminis? Hebræus: *Quis aſcendet nobis in initio ad bellum cum filiis Beniamin?* (7) Non interrogant hic Iſraelitæ Deum, utrum bellum illud in fratres ſuos probet: deliberaturi ea de re conveniunt, eunt in ſententiam, mittunt ad familias Beniamin, omnia hæc Domino inconſulto; ſibi de ope Divina præſumunt, ſpondentque ſibi de ejus voluntate in re, quam laudabilem exiſtimant, nec dubitant de eventu, freti viribus ſuis longe majoribus ac Beniamitarum: tota denique hac in re confidentis animi ac præſumentis argumenta offeruntur; ex quo fonte repetendus eſt malus exitus duplicis prioris prælii cum Beniamitis commiſſi. Quærunt hic non de Duce, ſingulis enim Tribubus ſui erant Duces, & Principes Tribuum, quibus accedebant Duces alii minores, ſed Deo provinciam relinquunt, ut Tribum decernat, quæ prior ventura eſſet ad manus. Vide quæ de hac re diſſeruimus in cap. I. 1. & cap. X. 18. hujus Libri.

℣. 21. Filii Beniamin occiderunt de Israel viginti duo millia. Mirum utique fuerit, tam infeliciter rem ceſſiſſe juſtum adeo bellum gerentibus, ac tantummodo ob vindicandum Dei honorem certantibus, ac denique exigentibus deteſtabilis adeo criminis pœnam. Sed æterni Numinis conſilia mentem hominum longe ſuperant, & quæ ſæpe nos capimus juſtiſſima conſilia, quæque rectiſſima mente ſtatuimus, expectatum tamen exitum non ſortiuntur: documentum mortalibus, ut faſtum deprimant, ac de viribus ſuis diffidant, ſpemque collocent ſuam non in cauſæ æquitate, neque in brachii ſui robore, ſed in Numinis ope, atque miſericordia.

℣. 23. Ita ut prius ascenderent. Arca fœderis e Silo tranſlata fuerat ad caſtra ſub Gabaa; vide inferius ℣. 27. E Silo ad Gabaam ſpatium erat decem leucis longius. Nec ſane tam cito eo venire potuiſſent, ut mane alterius diei parati eſſent ad novum certamen ad Gabaam. Solum igitur coram Arca adorarunt, quæ in tentorio intra caſtra, vel non procul a caſtris continebatur.

Ascendite ad eos, et inite certamen. Iratus Deus permittit Hebræis certamen cum filiis Beniamin, quod Hebræis infeliciter ceſſit. Num populum feſellit Deus, monens ut prælium committeretur? Minime omnium; ſed certari volebat, ut hoſtium manibus illi traderentur. Nullam opem a Deo poſtulant: viribus ſuis freti, certam ſibi victoriam ſpondent, nimiſque de ſe, ac de æquitate cauſæ ſuæ ſperantes, Divinam opem flagitare negligunt; permittit Deus, ut eorum ſuperbia deprimatur, eoque ducit, ut coram ſe provoluti infirmitatem ſuam fletibus, & ejulatibus fateantur. Denique poſtquam ad ſaniora traduxit, victoriam largitur, quam illis velut ſupremus Arbiter concedit: *Aſcendite; cras enim tradam eos in manus veſtras*. Nulla veri ſpecie affirmant Hebræi, Iſraelitarum caſum in pœnam Idololatriæ Michæ accidiſſe.

℣. 26. Jejunaverunt usque ad vesperam. In jejuniis ſuis Hebræi ſemel tantummodo, & poſt ſolis occaſum, cibos guſtabant. Nec ab eo more hodie pariter apud illos & Mahometanos ceſſatum eſt; quamquam Mahometanorum comeſſationes ſunt potius quam jejunia, cum poſt exactam ſtertando diem, noctem agant inter epulas & compotationes.

℣. 28. Phinees. Idem eſt celeberrimus Phinees, Aaronis ex filio Eleazaro Summo Sacerdote nepos, qui animi ſui ſpecimen exhibuit adverſus Zambri Principem Tribus Simeonis, qui ſeſe fœdis voluptatibus & cultui Phogor tradiderat (8). Præſens aderat caſtris, una cum Arca Domini ℣. 27.

℣. 30. Exercitum produxerunt. Exercitum ſuum triſariam diviſerunt Hebræi, partemque ſtatuerunt in inſidiis prope urbem Gabaam, juſſos urbem occupare ignique tradere, ut vacuam erumpentibus hoſtibus intelligerent. Alterum agmen conſtitutum fuit ante urbem, inſtructum in prælium; cui ad primum hoſtium impetum fuga ſimulanda erat, ut hoſtes in apertum agrum pertraheret. Porro agmen illud ex decem millibus coaluiſſe legimus ℣. 34. Denique reliquus exercitus latebat in Baal-Thamar, qui in apertum erupit, cum Beniamitæ longius ab urbe abducti, liberam permiſerunt urbem illis qui in inſidiis latebant, ut vacuam occupantes igni traderent. Tunc Beniamitæ ab hoſtibus undique circumſeſſi ſunt, tum ab exercitus Iſraelitici robore, tum a decem millibus, qui fugam ſimulaverant, tum denique ab inſidiis quæ tradita incendio urbe, fores obſederunt, ut ab ingreſſu hoſtes prohiberent.

℣. 33. Baal-Thamar, ideſt, Dominus palmarum. Paraphraſtes Chaldæus ſermonem hic eſſe credidit de agro Jerichuntino, palmarum feraciſſimo. Sed vero propius putamus, pagum eſſe quemdam prope Gabaam. Certe legas apud Euſebium & S. Hieronymum prope eam urbem parvum quemdam locum, *Beſthamar* appellatum.

℣. 33. Ab occidentali urbis parte. Recentiores plures Interpretes (9) Hebræum ממערה גבע reddunt, *E gramineto Gabaa*. Septuaginta, non minus ac Vulgata, in Hebræo legentes מערבה pro מערה, perinde ac illa, reddiderunt; *Ἀπὸ δυσμῶν τῆς Γαβαὰ, ab Occidente Gabaæ*. Chaldæus: *A planitie Gabaa*. Vertendum ego maluerim: *Eruperunt e ſpelunca Gabaa*. Latebant in inſidiis in ſpeluncis prope Gabaam; erupeeruntque ſtatim ac Beniamitas extra urbem nacti ſunt. *Ma-*

barab

(1) Sil. Italic. . . . *Volucreſque vagas deprendere nube Aſſuetus jaculis.*

(2) Sveton. in Domitiano c. 19. (3) Smirn. l. 4. (4) Plin. l. 7. c. 6. (5) Strabo l. 2.

(6) Confer. ℣. 2. cum ℣℣. 9. & 12. (7) מי יעלה לנו בתחלה למלחמה (8) Num. XXV. 7.

(9) Pagn. Mont. Druſ. Kimchi, Munſt. Vatab. &c.

harab ſonat ſpeluncam, uti convenit inter omnes: rari autem erant in Judæa montes, ubi nulli paterent & vaſtiſſimi interdum ſpecus. Gabaa conſidebat in monte.

℣. 36. FILII BENIAMIN. Pars ſcilicet Beniamitarum, uti narrationis ſeries demonſtrat: reliquus enim illorum exercitus pluribus præliis fuſus cæſuſque fuit.

DEDERUNT EIS AD FUGIENDUM LOCUM, UT AD PARATAS INSIDIAS DEVENIRENT. Paulo aliter Hebreus: *Dederunt viri Iſrael locum ipſi Beniamin, quia ſperaverunt ad inſidiatorem, quem poſuerunt ſuper Gabaa*. Cum certo noſſent, illos nequaquam evaſuros, neglexerunt fugientes adeo circumvenire, ut fuga in urbem præcluderetur.

℣. 37. INGRESSI SUNT CIVITATEM. Sunt qui reddant Hebræum (1): *Egreſſæ ſunt*, vel proceſſerunt *inſidiæ*. Alii (2): *Inſidiæ protraxerunt buccinæ ſonitum*; de quo forte ſigno convenerant.

℣. 38. SIGNUM AUTEM DEDERANT FILII ISRAEL HIS, QUOS IN INSIDIIS COLLOCAVERANT. Præſcriptum illis fuerat tempus & hora; eaque genuina eſſe fertur ſignificatio vocis Hebrææ (3) *Mohed*. Septuaginta (4): *Signum erat filiis Iſrael cum inſidiis, machæra*. Sed vero ſimillime credimus conveniſſe inter eos, ut ſublatus ex incenſa urbe fumus captæ urbis ſignum deret,

℣. 39. QUOD CUM CERNERENT FILII ISRAEL. Hebræus ad literam: *Iſrael vertit ſe in prælium, & Beniamin cœpit percutere vulneratos in viro Iſrael fere triginta viros; quia dixerunt: Profecto terga vertent ante nos, ſicut in prælio primo*. Columnam fumi ex urbe ſurgentem proſpicientes Hebræi, qua captæ illius argumentum certum habebant, verſo ore reſtiterunt. Beniamitæ autem ſtatum rerum ſuarum ignorantes, manus conſerebant cum Iſraelitis, e quibus triginta interſecerunt, ſperantes fore ut brevi reliqui in fugam agerentur.

℣. 40. CUM CAPTAM CERNERET CIVITATEM. Hebræus (5): *Reſpexit Beniamin poſt ſe; & ecce aſcendebat civitas ad Cœlum*, Tanta fumi moles efferebatur in Cœlum, ut ſpeciem exhiberet, quaſi tota urbs verſa eſſet in ignem & flammas.

℣. 42. QUI URBEM SUCCENDERANT, OCCURRERUNT EIS. E Gabaa proruperunt, ut fugientes ad urbem cæderent. Hebræus (6): *Qui egrediebantur ex urbibus, interficiebant illos in medio ejus*. E vicinis Urbibus Iſraelitæ paſſim cædebant eos, qui dilapſi fuerant ad ſe. Vel potius, Iſraelitarum inſidiæ paſſim cædebant Beniamitas, qui ex aliis urbibus opem laturi urbi Gabaæ venerant,

℣. 43. FACTUM EST UT EX UTRAQUE PARTE AB HOSTIBUS CÆDERENTUR, NEC ERAT ULLA REQUIES MORIENTIUM. Vox quædam legitur in Hebræo, quæ operoſam reddit Textus hujus interpretationem. Ita ergo reddi poteſt (7): *Exceperunt medium Beniamin, commode perſecuti ſunt illos* [vel a loco ubi morabantur] *conculcarunt pedibus*. Septuaginta (8): *Trucidarunt Beniamin, & perſecuti ſunt juxta pedem, & conculcarunt pedibus uſque contra Gabaa, ad ortum Solis*, Vertunt alii (9): *Ceciderunt & perſecuti ſunt eos a Nucha* [vel uſque ad Menucham] *uſque contra Gabaam, ad Orientem*. De *Menucha*, veluti de vico in Tribu Juda, ſive in proxima regione, ſermo eſt in Paralipomenis (10).

℣. 45. FUGA PALANTES . . . . OCCIDERUNT. Hebræus (11): *Racemaverunt in ſemitis quinque millia virorum; & inſequuti ſunt eos uſque Giddom, & percuſſerunt duo millia virorum*. Fracto cæſoque exercitus robore, palantes fuga per diverſa loca perquiſiere, uti ſolent qui poſt vindemiam racemantur. In hoc verſiculo quiddam omiſit Vulgata, cum nihil in ea legamus de Giddom. Septuaginta Editionis Romanæ habent *Gedan*; alii *Galaad*.

℣. 46. VIGINTI QUINQUE MILLIA. Negliguntur in hac ſupputatione ii centeni, qui præter rotundum hunc numerum ceciderunt. Porro in omnibus æque linguis & gentibus obtinet, ut in majoribus ſupputationibus minimus numerus, qui fractus dicitur, negligatur; quem morem hominibus familiarem retinendum cenſuerunt Sacri Scriptores, qui hominibus ſcribebant.

℣. 47. PETRA REMMON. Agit Euſebius de urbe Remmon, ad ſeptentrionem XV. M. paſſibus a Jeroſolyma; meminitque Zacharias XIV. 10. Petræ Remmon, quam prope Gabaam conſtituit. Occurrit in Joſue XV. 32. urbs Remmon, quæ Tribui Juda primum tradita, inde ad Simeonitas tranſivit (12). Sed Petram Remmon ad hanc urbem Remmon pertinere non credimus. *Remmon* Hebraice eſt malum punicum; Petra Remmon, *Petra mali punici*.

℣. 48. OMNES RELIQUIAS CIVITATIS, A VIRIS USQUE AD JUMENTA, GLADIO PERCUSSERUNT. Hebræus (13): *Percuſſerunt eos ad os gladii, a Civitate hominum uſque ad jumentum*. Vel potius: *Ab hominibus urbis, uſque ad jumenta* (14). Vertunt alii (15): *Percuſſerunt in ore gladii, ab urbis conſummatione, uſque ad pecora*, ideſt, nihil vivum reliquere, ſed totam late urbem vaſtarunt. Septuaginta (16): *Percuſſerunt eos in ore gladii, a civitate, excurrentes uſque ad jumentum*.

CUNCTASQUE URBES ET VICOS BENIAMIN VORAX FLAMMA CONSUMPSIT. Non omnino idem exprimit Hebræus: *Omnes etiam urbes inventas miſerunt in ignem*. Anathemati devoverunt urbes omnes Beniamiticas, ex lege Deuteronomii XIII. 12. & ſequentibus: *Si audieris in una urbium tuarum dicentes aliquos: Egreſſi ſunt filii Belial, & averterunt habitatores Urbis ſuæ atque dixerunt; Eamus & ſerviamus Diis alienis quos ignoramus; ſi inveneris certum eſſe quod dicitur, ſtatim percuties habitatores Urbis illius in ore gladii, & delebis eam, ac omnia quæ in illa ſunt, uſque ad pecora*.

Arbitrari ſunt Iſraelitæ, crimen illud violatæ uxoris Levitæ æque deteſtabile eſſe ac ſcelus Idololatriæ; cumque idem ſcelus tota Tribus defenderet, viſum eſt, totam eodem ſupplicio obvolvere, totamque anathemati devovere. Quod ſuccurrebat menti exemplum terribilis ultionis a Deo exactæ de urbibus Sodoma & Gomorrha, nefariis ejuſdem criminis reis, Iſraelitas induxit, ut puniendo eo Gabaitarum crimine nihil ſeveritatis remitterent. Utrum jure Hebræi ultionem ſuam erga fratres eo uſque provexerint, in Capite ſequenti expendemus.

---

[1] וימשך האורב καὶ ἐπορεύθη τὸ ἔνεδρον. [2] Pagn. Vat. Jun. Druſ. Piſc. &c. [3] והמועד היה . . . . . עם הארב הרב [4] Καὶ ἡ συνταγὴ ἦν ἀνδρὸς Ἰσραὴλ, πρὸς τὸ ἔνεδρον, μαχαίρα. Legerunt האורב חרב [5] והנה עלה כליל העיר השמימה [6] ואשר מהערים משחיתים אותו בתוכו [7] כתרו את בנימין הרדיפהו מנוחה הדריכהו עד נכח הגבעה [8] Καὶ κατέκοψαν τὸν Βενιαμὶν, καὶ ἐδίωξαν αὐτὸν ἀπὸ ποδὸς αὐτοῦ, καὶ κατεπάτησαν αὐτὸν ἕως ἀπέναντι τῆς Γαβαὰ ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου. [9] Forſter. Mercer. Munſt. Anglic. [10] 1. Paral. II. 52. & 54. VIII. 6. [11] ויעללהו במסלות חמשת אלפים איש Septuag. ἐκαλάμησαντο αὐτοὺς ἐν ταῖς ὁδοῖς. [12] Joſue XIX. 7. [13] ויכום לפי חרב מעיר מתים עד בהמה [14] Munſt. Vat. Jun. Druſ. Piſc. &c. [15] Montan. [16] Ἐπάταξαν αὐτοὺς ἐν στόματι ῥομφαίας, ἀπὸ πόλεως ἑξῆς ἕως κτήνους.

CAPUT XXI.

Iſraelitæ obſtringunt ſe jurejurando, filias ſuas connubio cum Beniamitis ſeſe non juncturos. Mœror illorum pro excidio unius Tribus Iſrael. Jabes Galaad evertitur, & incolæ omnes trucidantur, quod cœtui ad Maſpham & expeditioni in Beniamitas adeſſe recuſarint. Ex ea urbe quadringentæ puellæ totidem Beniamitis in uxorem traduntur; quibus etiam Beniamitis permiſſum eſt rapere ducentas ex urbe Silo.

℣. 1. JUraverunt filii Iſrael in Maſpha, & dixerunt: Nullus noſtrum dabit filiis Beniamin de filiabus ſuis uxorem. 2. Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo, & in conſpectu ejus ſedentes uſque ad veſperam, levaverunt vocem, & magno ululatu cœperunt flere, dicentes: 3. Quare, Domine Deus Iſrael, factum eſt hoc malum in populo tuo, ut hodie una tribus auſerretur ex nobis? 4. Altera autem die diluculo conſurgentes, extruxerunt altare: obtuleruntque ibi holocauſta, & pacificas victimas, & dixerunt: 5. Quis non aſcendit in exercitu Domini de univerſis tribubus Iſrael? Grandi enim juramento ſe conſtrinxerant, cum eſſent in Maſpha, interfici eos, qui defuiſſent. 6. Ductique pœnitentia filii Iſrael ſuper fratre ſuo Beniamin, cœperunt dicere: Ablata eſt tribus una de Iſrael, 7. Unde uxores accipient? omnes enim in commune juravimus, non daturos nos his filias noſtras. 8. Idcirco dixerunt: Quis eſt de univerſis tribubus Iſrael, qui non aſcendit ad Dominum in Maſpha? Et ecce inventi ſunt habitatores Jabes Galaad in illo exercitu non fuiſſe. 9. (Eo quoque tempore cum eſſent in Silo, nullo ex eis ibi repertus eſt.) 10. Miſerunt itaque decem millia viros robuſtiſſimos, & præceperunt eis: Ite & percutite habitatores Jabes Galaad in ore Gladii, tam uxores, quam parvulos eorum. 11. Et hoc erit, quod obſervare debebitis: Omne generis maſculini, & mulieres, quæ cognoverunt viros, interficite, virgines autem reſervate. 12. Inventæque ſunt de Jabes Galaad quadringentæ virgines, quæ neſcirent viri thorum, & adduxerunt eas ad caſtra in Silo, in terram Chanaan. 13. Miſeruntque nuntios ad filios Beniamin, qui erant in Petra Remmon, & præceperunt eis, ut eos ſuſciperent in pace. 14. Veneruntque filii Beniamin in illo tempore, & datæ ſunt eis uxores de filiabus Jabes Galaad: alias autem non repererunt, quas ſimili modo traderent. 15. Univerſuſque Iſrael valde doluit, & egit pœnitentiam ſuper interſectione unius tribus ex Iſrael. 16. Dixeruntque majores natu: Quid faciemus reliquis, qui non acceperunt uxores? omnes in Beniamin fœminæ conciderunt. 17. Et magna nobis cura, ingentique ſtudio providendum eſt, ne una tribus deleatur ex Iſrael: 18. Filias enim noſtras eis dare non poſſumus, conſtricti juramento, & maledictione, qua diximus: Maledictus qui dederit de filiabus ſuis uxorem Beniamin. 19. Ceperuntque conſilium, atque dixerunt: Ecce ſolemnitas Domini eſt in Silo anniverſaria, quæ ſita eſt ad Septemtrionalem urbis Bethel, & ad Orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam, & ad meridiem oppidi Lebona. 20. Præceperuntque filiis Beniamin, atque dixerunt: Ite, & latitate in vineis. 21. Cumque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repente de vineis, & rapite ex eis ſinguli uxores ſingulas, & pergite in terram Beniamin. 22. Cumque venerint patres earum, ac fratres, & adverſum vos queri cœperint, atque jurgari, dicemus eis: Miſeremini eorum, non enim rapuerunt eas jure bellantium, atque victorum, ſed rogantibus, ut acciperent, non dediſtis, & a veſtra parte peccatum eſt. 23. Feceruntque filii Beniamin, ut ſibi fuerat imperatum, & juxta numerum ſuum, rapuerunt ſibi de his, quæ ducebant choros, uxores ſingulas: abieruntque in poſſeſſionem ſuam, ædificantes urbes, & habitantes in eis. 24. Filii quoque Iſrael reverſi ſunt per tribus, & familias in tabernacula ſua: In diebus illis non erat rex in Iſrael: ſed unuſquiſque, quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.

℣. 1. JURAVERUNT FILII ISRAEL IN MASPHA, ne filias ſuas nuptui traderent Beniamitis. Juſjurandum hoc, temere ſatis & inconſulto Deo inductum, arctiſſimo utique religionis vinculo non obligabat jurantes; cum pravum aliquid & nefarium, ut infra demonſtrabimus, juraverint. Religione tamen aliqua tacti Principes Iſraelis, nefas eſſe ſibi duxerunt obligatam ſacramento fidem palam & in aperto violare: quare artem inire conati ſunt, qua & promiſſiones ſuas ſervarent, & ſimul etiam non penitus extinguerent Tribum Beniamin, quæ crimen ſuum belli illius pœna plus

nimio expiaverat. Prodit ſe non raro in Scripturarum Veterum obſequium religioſum erga præſtitam jurejurando fidem, qua ſemel data prærepram ſibi pariter cenſebant libertatem interpretandi mentem & voluntatem jurantis. Sacramenti illius verba prono, & naturali ſenſu accipientes, non aliter etiam executioni mandabant. Animadvertere licuit in Geneſi xxiv. 5. quam ſedulo Eliezer perquireret ex Abrahamo circumſtantias omnes rei ſibi, ſacramenti religione interpoſita, imperatæ. Animadverſum eſt etiam in Joſue ix. 15. quanta fide ille promiſſiones ſuas erga Gabaonitas impleverit. Eo devenit Saul, ut Jonatham filium ſuum neci traditurus eſſet (1), ne quid deeſſet ſacramento temere a ſe nuncupato, quod Jonathas imprudens violaverat.

Nullus nostrum dabit filiis Beniamin de filiabus suis uxorem. Æqua ne jurabant, & reos ſeſe juratæ promiſſionis conſtituebant? Serarius (2) & Bonfrerius (3) hic certant, jusjurandum hoc legitimum fuiſſe & honeſtum, ut religione obligaret Iſraelitas. Fidem enim obſtringebant ſuam de re non mala; nihilque prohibebat, quominus ſacramento obſtringerent ſeſe, vel ut eam præſtarent, vel ſecus. Ex neceſſaria quidem hujus jurisjurandi conſtitutione eo adigebantur Beniamitæ, ut connubia, ſive cum profanis alieniſque puellis jungerent, quod aperta legis ſanctione interdictum erat; ſive ut vitam agerent cœlibem, quod ſane ad exitum totam Tribum perduxiſſet; ſive ut raperent uxores, quod legibus æque omnibus vetitum eſt; ſive ut libidini fræna ſolverent, niſi continere ſe poſſent, quod mali genus eſt aliud, a quo fratres ſuos Iſraelitæ pro viribus avertere tenebantur. Hiſce tamen reſpondent ii Scriptores, mala hæc omnia aliena eſſe a propoſito, quo ſacramentum illud ſpectabat: quare nihil eſſe, cur ab eo præſtando removerentur. Addunt, reipſa quidem religione ſacramenti liberos fuiſſe illos, cum pernicioſa plurima ex eo induci intellexerunt: verum ſi, licet errantis, conſcientiæ dictamine reos eſſe ſui ſacramenti arbitrabantur, cogebantur pariter ab jurata promiſſione ſua ne latum quidem unguem recedere.

Cenſent alii (4) juſtitiam ab ea re omnem, & æquitatem abfuiſſe; nulla proinde religione coactos, datæ fidei ſtare. Rem promiſerant iniquam; neque profecto crimen Beniamitarum ita occupare debebat Iſraelitarum mentes, ut non proſpicerent pernicioſas ſacramenti illius temere nuncupati appendices. Pœnitudine erat illis eluendum ſacramentum temere nuncupatum; ſatisfaciendum erat Deo pro ultione, quam præter meritum inconſulti furoris impetus provexerat; quippe qui criminis pœnas exigentes, inter crimen & reos non ſatis diſtinxerant. His præmiſſis, præcluſa eo ſacramento via, ne uxores ex alienis Tribubus ducerent Beniamitæ, aperienda erat.

Inter ea, quæ jure naturali conceſſa ſunt, recenſet Grotius (5) libertatem connubiorum apud finitimos. Ex hoc autem principio ducit S. Auguſtinus (6), excuſari Romanos, cum Sabinas rapuere, dummodo poſt requiſita ab illarum parentibus connubia, repulſam paſſi, negatas injuria uxores ſibi rapuerint. *Alioquin enim fortaſſe jure belli injuſte negatas juſte victor auferret; nullo autem jure pacis, non datas rapuit.* Romani bellum indicere jure potuiſſent vicinis gentibus, ſi poſtulatas ab illis uxores non obtinuiſſent. Nihil ſuccurrit aliud, quo excuſentur Beniamitæ de ducentarum e Silo virginum raptu, niſi quod nunquam eas in uxores impetrare potuerint: *Nos accepimus unuſquiſque*, habet Textus Hebræus ℣. 22. *mulierem ſuam in bello: quia non vos dediſtis eis, juxta tempus, delictum in vos recidit.* Si igitur Iſraelitæ uxores inique negarunt fratribus ſuis, in eam quoque repulſam convenire ſimul non poterant ſacramenti religione: perinde enim tunc erat, ac ſi jurejurando ad iniquitatem abuterentur, adeoque in data fide nonniſi inique perſeveratum fuiſſet: alienum autem eſt a præſenti quæſtione expendere, utrum jusjurandum illud ex errantis conſcientiæ dictamine vim obligandi haberet. Poſtrema hæc opinio æquior, & melioribus fulta argumentis videtur.

℣. 2. Ad domum Dei in Silo. Illud, *in Silo*, deeſt in Hebræo, eſt autem additio Interpretis, tum hic, cum in capite præcedenti ℣. 18.

℣. 3. Quare factum est hoc malum in populo tuo? Non pœnitet illos belli in Beniamitas indicti, quod Deus, quod cauſæ æquitas probaverat. Verum Divinæ Legis ſtudium ultra metas provexerant: quæ conſequutura eſſent mala ex ea actione, non proſpexerant: eadem damnationis pœna reum æque & innocentem obvolverant. Fas non erat e. g. neci tradere fœminas & pueros, totamque late regionem Beniamiticam vaſtare? Neque contenti deleviſſe præſentes, conſilium etiam ineunt plane temerarium, Tribum æque univerſam tradendi exitio, prohibendique, ne ſi qui forte e diſcrimine elapſi fuiſſent, genus Beniamiticum per connubia propagarent. Exceſſus erat pœnitentia eluendus; neque aliud malum coram Deo plorant (7).

℣. 4. Extruxerunt altare, aliud ab altari Tabernaculi, ſive quod altare Tabernaculi impar eſſet copiæ victimarum, quæ tunc offerebantur (8), ſive quod Deus in ſingulari hoc eventu id conceſſerit, ſoluta genericæ a ſe conſtitutæ legis ſeveritate, vetantis, ne erigerentur altaria, præter illud quod coram Domino conſecratum erat (9). Pari in re Salomon novum altare erexit in atrio Tabernaculi, cum altare æneum ſatis amplum non eſſet ad innumeras victimas, quæ die ſolemni Dedicationis Templi immolabantur (10). Altare hoc Iſraelitarum in atrio Tabernaculi erectum fuiſſe, Commentariorum Scriptores quidam tuentur; Scriptura tamen ſilet. Continuiſſent ſe quidem Hebræi, ne accederent ad altare in Tabernaculo conſtructum, utpote adhuc ſanguine fratrum ſuorum polluti, cujuſmodi pollutum genus hominum aperto Legis edicto removendum erat per ſeptem dies poſt pugnam ab ingreſſu caſtrorum (11). An forte contrarium ex hoc probetur, prohibitos ſcilicet ea pollutione, ne atrium ingrederentur, & victimas ibi immolandas offerrent, ſignificatione quadam obſequii altare extra caſtra erexiſſe, in quo grati animi ſpecimen Domino exhibituri, ſacrificarent? Quæ lex illos e caſtris ſeptem diebus poſt prælium excludebat, aperte tamen non vetabat uſum rerum ſacrarum: quo certe uſu ſi caruiſſent, nunquam ad oblationem hoſtiarum pacificarum deveniſſent.

℣. 8. Inventi sunt habitatores Jabes-Galaad. Urbs Jabes in Galaaditide, monti inſidens, aberat vi. m. paſſibus a Pella ex parte Geraſæ (12). Quid cives illos induxerit, ne arma ſociarent in Tribum Beniamin, ignoratur. Trucidati ſunt omnes, ſeveram utique pœnam luentes ejus criminis, quod in ſocietatem fratrum ſuorum venire recuſaverint. Reſtituta fuit ea urbs ſub Saule, ut inferius (13).

℣. 10.

(1) 1. Reg. xiv. 24. 26. (2) Serar. qu. 3. art. 2. ad cap. 22. (3) Bonfr. ad ℣. 1. (4) Toſtat. ad hoc cap. 21. quæſt. 2. & ſequ. Petr. Martyr hic. (5) Grot. de jure Belli & Pacis lib. 2. cap. 2. art. 21. (6) Auguſt. lib. 2. de Civit. cap. 17. (7) Vide Toſtat. qu. 27. Suarez, de Fide, Spe & Charit. Diſput. de Bello ſect. 7. (8) Toſtat. Martyr, Jun. Cornel. a Lapide, Bonfr. (9) Deut. 12. 5. 11. 13. Levit. xvii. 8. 9. Vide Joſeph. l. 4. Antiq. c. 8. (10) 3. Reg. v. 11. 64. (11) Num. xxxi. 24. *Lavabitis veſtimenta veſtra die ſeptimo, & purificati poſtea caſtra intrabitis.* (12) Euſeb. & Hieron. in locis. (13) 1. Reg. xi.

Digitized by Google

℣. 10. Decem millia viros robustiſſimos. Hebræus, Chaldæus, Septuaginta, Joſephus legunt: *Duodecim millia virorum*.

Ite, et percutite habitatores Jabes. Iſraelitæ jurato teſtati fuerant in communi populi cœtu in Silo, fore ut omnes qui in expeditionis illius ſocietatem non venirent, neci traderentur. Sacramenti hujus rei, cives omnes Jabes trucidatum mittunt. Porro communi totius gentis expeditioni deeſſe non probri modo nota erat, ſed & crimen, & defectionis genus. Debora (1) maledicit terræ Meroz, quæ opem populo Dei non tulerat. Extremo ſupplicio puniebantur, ſive qui exercitum deſerebant, ſive qui militiam recuſabant.

℣. 11. Virgines autem reservate. Deſunt hæc in Hebræo & Septuaginta. Id tamen impetratum fuiſſe militibus, totius rei ſeries demonſtrat. Utrum puellæ omnes qua nubiles, qua ætate minores, ſervatæ fuerint, ambigitur (2); vero tamen propius putaverimus, puellas omnes cujuslibet ætatis, etiam infantes, commune fatum evaſiſſe; injunctum enim eſt militibus tantum ut viros & fœminas nuptas interficerent.

℣. 12. In Silo, in terram Chanaan, ut oppoſitam Galaaditidi, ubi jacebat urbs Jabes, quæ inter Chanaaniticas regiones non habebatur, quemadmodum nec eodem nomine tota regio transjordanica cenſebatur.

℣. 13. Præceperunt eis, ut eos susciperent in pace. Hebræus ad literam (3): *Vocaverunt eis pacem*. Septuaginta (4): *Vocaverunt eos in pace*; invitarunt, ut e rupe deſcenderent, amice excipiendi.

℣. 15. Universusque Israel valde doluit. Hebræus (5): *Univerſus populus conſolatus eſt Beniamin, quia fecit Dominus fracturam in Tribubus Iſrael*, ſciſſuram amplam, plagam, vulnus, & hiatum grandem.

℣. 17. Et magna nobis cura . . . providendum est, ne una tribus deleatur ex Israel. Hebræus ita ſonat ad literam (6): *Et dixerunt: Hæreditas* ſemper manebit *Beniamitis evaſionis* [qui evaſerunt], *& non deleatur Tribus de Iſrael*. Uno aſſenſu ſtatuimus, Tribui huic ſuam ſervandam ſedem & regionem: abſit, ut crimine noſtro una Tribu Iſrael minuatur. Septuaginta (7): *Hæreditas ſuperſtitum de Beniamin, & non delebitur Tribus de Iſrael*. Syriacus: *Dixerunt, conſervandum eſſe reliquum Beniamin*.

℣. 19. Ecce solemnitas Domini est in Silo. Quæ ſolemnitas, ignoratur. Sunt qui Paſcha cenſeant; ſunt qui Neomeniam, vel memoriam filiæ Jephte: alii dictum accipiunt de Feſto Expiationis ſolemnis; alii Tabernaculorum; alii demum de uno e Tribus Feſtis, quibus ex Legis præcepto tenebantur viri ex Iſraele ſiſtere ſe coram Domino (8). Tria illa, videlicet Paſcha, Pentecoſte, & Tabernacula, eo tempore celebrabantur, quo vineæ veſtitæ frondibus, tutas Beniamitis latebras præſtare poterant. Hebræus ad literam: *Ecce Feſtum Domini in Silo, a diebus in dies &c.* id eſt, de anno in annum celebrari ſolitum.

In Silo, quæ sita est ad septemtrionam urbis Bethel, ad orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam, et ad meridiem oppidi Lebona. Cur accurata hæc loci deſcriptio in loco, tempore & regione, quibus ſitum urbis ignorare nemo poterat, cum præſertim ſermo eſſet ad Beniamitas in Silo præſentes? Scite opinatus Vatablus, deſcriptionem hanc eſſe loci, ubi celebrandum erat Feſtum Silo, & quo puellæ urbis ad choreas ducendas convenire debebant. Interpretationem hanc commode admittit Textus (9): *Ecce ſolemnitas Domini*, quæ celebratur *in Silo quotannis, quæque* celebratur *ad ſeptemtrionem Bethel &c.* Feſtum illud extra urbem in loco hic deſignato agebatur; peculiare autem erat fortaſſe urbi, facile in monumentum diei, quo Arca primum eo tranſlata fuit. Cæterum urbs Silo occidentalis erat potius, quam ſeptemtrionalis urbi Bethel, nec niſi improprie conſtituitur ad orientem viæ e Bethel in Sichimam, ſi locorum ſitus aliunde nobis cogniti retineantur. Collocat S. Hieronymus x. m. paſſibus a Neapoli, vel Sichem, in Acrabatene: erat autem Acrabatene Sichimæ & Samariæ occidentalis. *Lebona* alia eſt plane a *Lebna*, urbe ad meridiem Judææ, & Eleutheropoli vicina; neque enim noſtra hæc longius a Silo removenda eſt. Nota eſt hodie pariter *Chanlebna*, quatuor circiter leucis ad meridiem Sichimæ (10).

℣. 21. Filias Silo ad ducendos choros ex more procedere. Putavit Joſephus (11), Beniamitas ducentas haſce puellas rapuiſſe, cum venirent ad Feſtum in Silo, in una e tribus ſolemnitatibus, quæ ibi ad Tabernaculum celebrabantur. Repugnat id Scripturæ, tradenti, puellas haſce e Silo exiiſſe, ingenti facile numero, & ſine comitibus, cum rapi potuerint ducentæ. Nec ſane inſolita ſunt in Feſtis religioſis choreæ & muſica inſtrumenta tum apud Hebræos, tum apud reliquas per orbem gentes. Therapeutæ (12), ſecta hominum inter veteres Judæos ſapientiſſima & graviſſima, quos priſci complures a primævis Eccleſiæ J. Chriſti fidelibus in Ægypto non diſtinxerunt, choreas ducebant in cœtibus ſuis modeſtiſſimas. Primo quidem in duos diviſi choros, tum juncti ſimul fœminæ & viri. Hodie pariter in Palæſtina coeuntes fœminæ ante ſepulcra propinquorum, lugubres choreas ducunt, miſerabiliter ejulantes, teſtibus Eugenio Rogerio, & D. Le Brun in itinerariis.

Rapite ex eis singuli uxores singulas. Hoc ſuadentes Iſraelitæ num adverſus ſacramenti ſui religionem non peccarunt? An non & criminis rei agendi ſunt Beniamitæ, puellas Siloniticas rapientes? Nonne dolo malo agebant Hebræi? non juratam fidem violabant, rationem ſuppeditantes Beniamitis, qua ſibi uxores procurarent contra voluntatis ſuæ propoſitum, & ſtatutum jurejurando conſilium? Si vero Beniamitæ nulla publica authoritate tantum facinus moliti ſunt, quid de re ab illis præſtita cenſendum eſt? Quis onerabitur invidia ejus criminis? Ille ne qui faciendum conſulit, an qui facit?

Reſpondetur (13), in rebus odioſis executionem promiſſorum & fidei ſacramento obligatæ urgendam non eſſe, præter id quod verba jurantis & promittentis exprimunt. Qui jurato negat, ſe filiam ſuam nuptum alicui non traditurum, nulla religione impedire jubetur, ne vir ille ſibi puellam rapiat, raptamque habeat loco uxoris: aliud enim eſt tradere aliquid, aliud, quod ab altero uſurpatum eſt, non repetere. Qui id conſilium ſuggerunt Beniamitis, illi forte criminis immunes non ſunt, quod callido eo artificio obligatam a ſe fidem ſacramento eluſerint: idque profecto ſinceritati repugnare videtur; cæteri vero, quibus con-

(1) Judic. v. 23. (2) Vide Serar. & Bonfr. hic. (3) ויקראו להם שלום (4) Καὶ ἐκάλεσαν αὐτοὺς εἰς εἰρήνην. (5) והעם נחם לבנימין כי עשה יהוה פרץ בשבטי ישראל (6) ויאמרו ירשת פליטה לבנימין ולא ימחה שבט מישראל (7) Κληρονομία, διασεσωσμένη τῷ Βενιαμὶν καὶ οὐ μὴ ἐξαλειφθῇ φυλὴ ἐξ Ἰσραήλ. Vide Joſeph. lib. 5. cap. 2. (8) Exod. xxiii. 17. (9) הנה חג יהוה בשלו מימים ימימה אשר מצפונה לבית אל וגו' (10) Maundrel pag. 105. (11) Antiq. lib. 5. c. 2. (12) Philo de vita contemplat. p. 903. (13) Vide Grot. hic, & lib. 2. de jure Belli & Pacis cap. 13. art. 5. Serar. quæſt. 4. Bonfr. hic, & Corn. a Lapide. Ambroſ. Ep. 6. 1. Claſſ. nov. edit. *Neque tamen contra ſacramentum videri, ſi prohibendum non putarent, quia ſacramento, neque cogendi, neque prohibendi neceſſitas impoſita videretur.* Pro ſententia contraria vide Toſtatum, & Petrum Martyrem.

Digitized by Google

conſilium illud tum primum innotuit, cum impletum fuit, illi utique nulla criminis culpa aſpergnntur, Beniamitæ vero conſilium ea in ſe ſequuti virorum ſpectatæ authoritatis & ſapientiæ, cum id agentes quod præſens res neceſſario plane exigebat, rem etiam animo volventes honeſtam & legitimam, immerito, mea quidem ſententia, de crimine raptus accuſentur. Rem illi egerunt invidiæ & culpæ raptus penitus immunem, utpote qui uxores ex aſſenſu ſaltem præſumpto parentum illarum, ſibi procurarunt. Cum autem Seniores populi polliciti fuiſſent ſe curaturos, ut aſſenſum hunc impetrarent, neque recuſaturas denique puellas ſperabant. Authoritate quadam publica utebantur, & ad agendum impulſi ſunt cauſis longe diverſis, quam quæ crimini dantur raptoribus.

℣. 22. Miseremini eorum; non enim rapuerunt jure bellantium. Textus Hebræus longe diverſus eſt a Vulgata: integrum verſiculum hic recimus (1): *Miſeremini noſtri pro iis* [vel date nobis veniam pro illis, indulgete eis noſtri gratia] *quia non accepimus unuſquiſque mulierem ſuam in bello: quia non vos dediſtis eis ad tempus, vos deliquiſtis*. Cum non ſatis multas fœminas rapuiſſent in Jabes, ut ſinguli uxorem ſuam haberent, veſtrum erat numerum illum implere, nec expectare, ut veſtras puellas raperent: veſtra culpa malum id accidit. Aliter: Permittite illis has puellas noſtri gratia; non enim nos juſſimus reſervari ſingulis illis ſingulas uxores in bello [Jabes, rati ſatis futuras puellas]. *Vos autem hodie non dediſtis eis* [ideſt, cum uxores vobis tradentibus illi non acceperint, ideo vos] *non peccaſtis*, (2) adverſus religionem ſacramenti. Legere tamen præſtat cum Septuaginta, Vulgata & Arabe (3): *Non rapuerunt eas jure bellantium*, tamquam hoſtes, qui mulieres rapiant captivas: adſciverunt ſibi in uxores ſinguli ſingulas. Eo redegit illos neceſſitas: vos coegiſtis, recuſantes connubia cum illis miſcere, & quod gravius eſt, jurejurando vos in eam rem obligantes: de veſtra igitur culpa vobis dolendum eſt.

---

(1) חננו אותם כי לא לקחנו איש אשתו במלחמה כי לא אתם נתתם להם כעת תאשמו (2) Junius & Glaſſius negationem ſupplent, ex membro præcedenti: *Non dediſtis eis, & non peccaſtis*. Clericus: *Non dediſtis eis; tunc enim peccaviſſetis*. (3) לקחנו pro לקחו

FINIS COMMENTARII IN JUDICES.

IN

IN LIBRUM RUTH
PROLEGOMENON.

Liber Ruth appendicis loco Libro Judicum accedit, ſimulque & præfatio quædam habenda eſt Libris Regum præpoſita. Judæi, teſte S. Hieronymo, *in Librum* (Judicum) *compingunt Ruth, quia in diebus Judicum facta narratur hiſtoria* (1). Plures inſuper Patres ſeptimum Sacrorum Librorum ſtatuunt Librum *Judicum & Ruth* (2), Sed Libri argumentum, ejuſque titulus diſtinctum & ſeparatum opus a Libris Judicum, & Regum, quamquam utrique connexione factorum, & rerum geſtarum ſerie conjunctum, demonſtrant. Veterum Librorum Sacræ Scripturæ ordinem recentiores Judæi turbarunt; quare ſtatim poſt Moyſem quinque Libros collocant, quos ipſi appellant חמש מגלות *quinque Megillot*, videlicet Canticum Canticorum, Ruth, Lamentationes Jeremiæ, Eccleſiaſtem, Eſther. Interdum tamen Ruth primus, interdum quintus ſtatuitur (3): omnia ex arbitrio.

In hac porro hiſtoria legimus, Elimelechum relicta patria ſua Bethlehem, in Moabitidem, una cum Noemi uxore & geminis filiis Mahalon, & Chelion, migraſſe, ut graſſantem in regione ſua famem declinaret. Elimelech in hac regione mortuus eſt: Noemi duas Moabitides geminis filiis copulavit; Mahalonem tradidit Ruth, & Chelionem Orphæ. Aliquanto poſt accidit, ut ambo fratres diem clauderent. Cum autem illa in patriam regreſſum ſtatuiſſet, nurus rogavit, quandoquidem ſocrum ſecuturæ videbantur, ut manerent. Roganti altera, ægre licet, acquievit; Ruth vero ſe ſocrum ſuam ſequi velle teſtata eſt. Ambæ igitur venerunt Bethlehem; ubi cum accidiſſet, ut Ruth captandis ſpicis in agro Booz, ex neceſſariis ſoceri ſui, occuparetur; Booz intellecta fœminæ conditione recreari illam cibo juſſit, monens inſuper ne alio carpendis ſpicis, quam apud ſe diverteret. Cum autem manipuli in area parati eſſent, Ruth, hortante Noemi, furtim ad pedes Booz noctu cubatum irrepſit. Senſit vir, eamque accuratius interrogatam, novit cognationis vinculo ad ſe pertinere; tum & Legis præcepto teneri ſe dixit ad ineundum cum illa conjugium. Verum, inquit, alter eſt vir jure cognationis propinquior: is ſi conjugium tecum inire noluerit, ego conditionem non recuſo. Mane igitur alterius diei Booz virum conveniens, interrogavit, num vellet Ruth in conjugem adſciſcere, an potius omne in ſucceſſionem Elimelechi jus a ſe abdicare? recuſavit ille conjugium ſolemni profeſſione ante fores Bethlehem; ſtatimque conjugium Ruth cum Booz initum eſt, ex quo natus Obed, pater Iſai, patris Davidis Regis.

Facile ſtudium Authoris, & conſilium in eo Libro ſcribendo intelligimus; quippe qui genealogiam Davidis deſcribere ſibi propoſuerit. Ex quo facilem ducimus conjecturam, eumdem Scriptorem eſſe, qui res geſtas ejuſdem Principis literis mandavit, ac qui parvum hoc Opuſculum digeſſit, tanquam ſupplementum eorum, quæ de Regia Judæ familia in Opere illo ſiluiſſet; cum omnia in Libris Regum proſequi, nimis a ſcopo, & a narrationis ſerie alienum videretur.

Sed quiſnam, rogo, Author iſte, & cujus ætatis? Nihil certi in ea re habemus. Sunt qui Samuelem, ſunt qui Ezechiam, qui Eſdram credant; vulgaris tamen & magis recepta opinio Samuelem præfert; nihil enim ab illo alienum. Mihi quidem in Opere duæ occurrunt loquendi phraſes ſingulares, fruſtra in præcedentibus Libris requirendæ, frequentes vero in Libris Regum. Prima eſt: *Hæc faciat mihi Deus & hæc addat*, quæ in Ruth I. 17. legitur, & in I. Reg. III. 16. & XIV. 44. & XXV. 22. & II. Reg. III. 9. 35. & XIX. 13. & III. Regum II. 23. & XIX. 2. & XX. 10. & IV. Regum VI. 21. recurrit. Altera eſt: *Revelavi auriculam*, pro te monui, tibi dixi; hæc autem ſeſe offert in Ruth IV. 4 iterum in Regum XX. 2. II. Regum VII. 27. Si igitur certo conſtaret, Samuelem ſcriptis mandaſſe priorem Librum Regum & partem ſecundi, certa etiam de Authore hujus Libri ſententia ferenda eſſet.

Tempus ſcripti Operis non magis quam Scriptor innoteſcit. Legimus quidem, hiſtoriam illam contigiſſe ſub Imperio Judicum: *In diebus unius Judicis, quando Judices præerant* (4). Porro ex exordio ſatis inſinuatur, ſcriptum eſſe Librum, poſtquam e Republica Judicum Imperium abrogatum eſt; quod etiam ex capite IV. 22. ejuſdem Libri confirmatur, ubi expreſſum Davidis nomen legitur.

Contendunt Rabbini, Booz ipſiſſimum eſſe Abeſan Judicem Iſraelis (5); & Joſephus (6) ſamem,

---

[1] Hieron. Prolog. Galeat. Vide Ruth I. 1. [2] Vide Hilar. Proleg. in Pſ. Euſ. ex Orig. lib. 6. Hiſt. cap. 25. Epiph. Hæreſ. 8. & l. 1. de pond. Damaſc. lib. 4. cap. 18. Fidei Orthod. S. Bened. Regul. c. 51. [3] Vide, ſi lubet, Serar. in Ruth, art. 6. Prolog. [4] Ruth. I. 1. [5] Judic. XII. [6] Antiq. lib. 5. cap. 11.

men, cujus is Liber meminit, ſub Sacerdotio Heli conſignat. Magnum Chronicon Judæorum totam eam hiſtoriam refert ad tempus Aodi, & ad captivitatem Iſraelitarum ſub Eglone Rege Moab. Alii malunt ſub Gedeone; alii ſub Baraco; alii ſub Abimelecho. Uſſerius, quem & nos ſequimur, ſub Samgar, nempe cxx. annis circiter poſt Joſue.

GENEALOGIA DAVID.

Natus anno 2249.	JUDA.
2288.	PHAREZ, & ZARA.
	ESRON filius Pharez.
	ARAM.
	AMINADAB.
	NAASSON.
Raab ducit 2553.	SALMON.
	BOOZ.
	OBED.
	JESSE, vel ISAI.
Natus anno 2919.	DAVID.

Inter conjugium Salmonis & Davidis ortum intercapedo eſt cccvi. annorum;

COM-

COMMENTARIUS LITERALIS IN LIBRUM RUTH.

CAPUT PRIMUM.

Elimelech fame adductus recipit ſeſe cum uxore & duobus filiis in regionem Moabiticam, ubi & ipſe & duo ejus filii conjugio copulati obeunt. Noemi vidua ejus uxor cum Ruth nuru ſua in Bethlehem regreditur.

Ṽ. 1. IN diebus unius judicis, quando Judices præerant, facta eſt fames in terra.
Abiitque homo de Bethlehem Juda, ut peregrinaretur in regione Moabiti-
de cum uxore ſua, ac duobus liberis. 2. Ipſe vocabatur Elimelech, & uxor ejus
Noemi: & duo filii, alter Mahalon, & alter Chelion, Ephrathæi de Bethlehem Ju-
da. Ingreſſique regionem Moabitidem, morabantur ibi. 3. Et mortuus eſt Elime-
lech maritus Noemi: remanſitque ipſa cum filiis. 4. Qui acceperunt uxores Moabi-
tidas, quarum una vocabatur Orpha, altera vero Ruth. Manſeruntque ibi decem an-
nis. 5. Et ambo mortui ſunt, Mahalon videlicet, & Chelion: remanſitque mulier
orbata duobus liberis, ac marito. 6. Et ſurrexit, ut in patriam pergeret cum utra-
que nuru ſua, de regione Moabitide: audierat enim, quod reſpexiſſet Dominus po-
pulum ſuum, & dediſſet eis eſcas. 7. Egreſſa eſt itaque de loco peregrinationis ſuæ
cum utraque nuru: & jam in via revertendi poſita in terram Juda, 8. Dixit ad eas:
Ite in domum matris veſtræ, faciat vobiſcum Dominus miſericordiam, ſicut feciſtis
cum mortuis, & mecum. 9. Det vobis invenire requiem in domibus virorum, quos
ſortituræ eſtis. Et oſculata eſt eas. Quæ, elevata voce, flere cœperunt, 10. Et di-
cere: Tecum pergemus ad populum tuum. 11. Quibus illa reſpondit: Revertimini,
filiæ meæ, cur venitis mecum? non ultra habeo filios in utero meo, ut viros ex me
ſperare poſſitis. 12. Revertimini filiæ meæ, & abite: jam enim ſenectute confecta
ſum, nec apta vinculo conjugali. Etiam ſi poſſem hac nocte concipere, & parere fi-
lios, 13. Si eos expectare velitis, donec creſcant, & annos pubertatis impleant,
ante eritis vetulæ, quam nubatis. Nolite, quæſo, filiæ meæ: quia veſtra anguſtia
magis me premit, & egreſſa eſt manus Domini contra me. 14. Elevata igitur vo-
ce, rurſum flere cœperunt: Orpha oſculata eſt ſocrum, ac reverſa eſt: Ruth adhæſit
ſocrui ſuæ. 15. Cui dixit Noemi: En reverſa eſt cognata tua ad populum ſuum,
& ad deos ſuos, vade cum ea. 16. Quæ reſpondit: Ne adverſeris mihi, ut relin-
quam te, & abeam: quocumque enim perrexeris, pergam: & ubi morata fueris, &
ego pariter morabor. Populus tuus populus meus. 17. Quæ te terra morientem ſu-
ſceperit, in ea moriar: ibique locum accipiam ſepulturæ. Hæc mihi faciat Dominus,
& hæc addat, ſi non ſola mors me, & te ſeparaverit. 18. Videns ergo Noemi,
quod obſtinato animo Ruth decreviſſet ſecum pergere, adverſari noluit, nec ad ſuos
ultra reditum perſuadere: 19. Profectæque ſunt ſimul, & venerunt in Bethlehem.
Quibus urbem ingreſſis, velox apud cunctos fama percrebuit: dicebantque mulieres:
Hæc eſt illa Noemi. 20. Quibus ait: Ne vocetis me Noemi (ideſt, pulchram)
ſed vocate me Mara (ideſt, amaram) quia amaritudine valde replevit me Omnipo-
tens. 21. Egreſſa ſum plena, & vacuam reduxit me Dominus. Cur ergo vocatis
me Noemi, quam Dominus humiliavit, & afflixit Omnipotens? 22. Venit ergo Noe-
mi cum Ruth Moabitide Nuru ſua, de terra peregrinationis ſuæ, ac reverſa eſt in
Bethlehem, quando primum hordea metebantur.

Ṽ. 1. In

℣. 1. IN DIEBUS UNIUS JUDICIS, QUANDO JUDICES PRÆERANT. Hebræus (1): *Et factum eſt in diebus, quibus Judices judicabant, & fuit in terra fames*. Conjunctio & in exordio hujus Libri connexionem argumenti, & narrationis cum precedentibus indicat. Narrata continenter hiſtoria Judicum Iſraelis, eorumque quæ geſta ſunt tempore Anarchiarum, ne ſeries nimis intermittatur, ſeorſum hic narratur ſingularis quædam hiſtoria, quæ licet parvi eſſe momenti videatur ad totius gentis ſtatum, adhuc tamen plura ſuppeditat non ſpernenda, quæ ad Reges Iſraelis pertinent, ac præſertim ad genus Davidicum, & Meſſiæ, quo Scripturæ univerſæ collimant. Libellus igitur Ruth perinde haberi poteſt ac præfatio quædam, Libris Regum & Paralipomenon præfixa. Præparantur hic Lectorum animi, atque intenti in meditationem ſtatus totius Reipublicæ Judaicæ, avocantur tamquam in contemplationem unius familiæ, nempe Davidicæ; ex qua veluti per gradus ad uſque Jeſum Chriſtum, qui complementum eſt Legis, deducuntur.

Quo ſub Judice hiſtoria hæc conſignetur, latet: varietatem in ea re ſententiarum in præfatione exhibuimus. Nec alibi in Scriptura legitur fames, qua cogente Elimelech patriam deſeruit. Itaque hæc omnia ſilentio præterire præſtat, neque magis immorandum cenſemus fabellis, comminiſcentibus, Elimelechum ſtationem Soli imperaſſe, ſtatimque poſt id prodigium ſæviiſſe famem, de qua hic (2). Traditioni huic favere videtur S. Hieronymus in Paralipomenis, vocem *Jokim*, quæ facile alterum eſt nomen Elimelechi, reddens: *Qui ſtare fecit ſolem*.

℣. 2. IPSE VOCABATUR ELIMELECH, ideſt, *Deus meus Rex*. Septuaginta Complutenſes, Joſephus, Theodoretus, & Zonaras male legunt *Abimelech*. Contendunt Rabbini (3), Elimelechum fratrem fuiſſe Salmonis, qui Raab duxit; Noemi vero uxorem illi & neptem ex fratre Salmone aſſignant. Quare Elimelech ſub Joſue conſtituendus eſſet. Sed Rabbinorum anthoritas minimi ſemper apud viros doctos fuit. Vide quæ de Elimelecho diſſeruimus ad Caput II. ℣. 1.

EPHRATÆI DE BETHLEHEM JUDA. Nomen *Ephratæus* valet interdum in Scriptura pro viro Ephraimita (4): hic autem uſurpatur pro incola urbis Bethlehem (5). Vetus nomen Bethlehem fuit Ephrata (6); occupataque ab Hebræis Chananitide, civibus ejus nomen Ephratæorum manſit; occurritque ſub nomine *Bethlehem Ephratæ* in Michæa v. 2. Diſtinguitur plerumque in Scriptura nomine Bethlehem Juda, utpote quæ alia eſt ab altera Bethlehem in Tribu Zabulonis. Quamquam autem hujus urbis modicæ per ſe res erant, ejus tamen nomen inter Urbes maxime inſignes celebratur, quod natale ſolum præbuerit Davidi, inclyto Regi, & Jeſu Chriſto Regi ac Domino univerſi. Diſtat ab Jeroſolyma duabus brevioribus leucis, ad meridiem.

℣. 4. QUI ACCEPERUNT UXORES MOABITIDAS. Mahalon & Chelion filii Elimelechi conjugio ſe copularunt in regione Moab, patre adhuc ſuperſtite, teſte Joſepho (7); vero tamen propius crediderim, conjuges accepiſſe poſt patris obitum, cum in Scriptura legamus, Noemi orbatam viro cum duobus filiis ſuis relictam fuiſſe; liberos vero illos uxores ſibi in regione Moab procuraſſe. Porro Mahalon & Chelion ipſiſſimi nec immerito creduntur, cum *Joas & Saraph*, qui in primo Paralipomenon IV. 22. appellantur *Securus & Incendens, qui Principes fuerunt in Moab, & qui reverſi ſunt in Labem*; quæ verba reddi poſſent, juxta Hebræum (8): *Joas & Saraph, qui uxores duxerunt in Moab, & qui habitarunt in Lebem*, vel in Bethlehem. Morabantur ibi, antequam tranſmigrarent in Moabitidem; habitaruntque ibi pariter in poſteris per Booz, qui viduam alterius uxorem duxit.

Mahalon duxit *Ruth* (9), & Chelion *Orpham*. Porro Ruth, juxta Rabbinos, Chaldæum, & Interpretes nonnullos (10), patrem habuit Eglonem, Regem Moabitarum, qui poſt oppreſſum duodeviginti annis Iſraelem, ab Aodo neci traditus fuit (11). Ea originem duxiſſe fertur e Petra Metropoli Arabiæ Petrææ (12), cujus portio erat ditio Moabitica. Orpha, iiſdem authoribus, genuit celebrem illum Gigantem Goliath, quem David interfecit. Futiles profecto traditiones, quas fulcit tantum levis quædam ſimilitudo vocum inter *Orpha & Arapha*, quod nomen erat matris ejuſdem Gigantis. De vetuſtate harum fabellarum inde capias argumentum, quod in carmine quodam Prudentii leguntur (13), neque ignorat Pſeudo-Philo. Fertur Orpha in Idololatria perſeveraſſe, Ruth vero ad Judæorum ſacra tranſiſſe; quod utique poſtremum certiſſime conſtat: mentem enim in hac re ſuam pia illa fœmina prodidit, ita (14) Noemi affata: *Populus tuus, populus meus, & Deus tuus, Deus meus*. De Orpha vero innuit Noemi, illam patris ſuperſtitionibus adhuc inhæſiſſe (15): *Reverſa eſt Orpha*, ait, *ad populum ſuum, & ad Deum ſuum*.

Paraphraſtes Jonathan graviſſimis verbis reprehendit conjugium Mahalonis & Chelionis cum duabus fœminis Moabiticis, cenſetque Deum acerba morte illos præripuiſſe in hujus prævaricationis pœnam, adverſus Legem Dei vetantem, ne Hebræi conjugia cum alienis fœminis componerent (16). Conjugia quidem Chananæorum ipſa Legis ſanctione interdicuntur: ſed facile intelligimus, Legislatoris conſilium illud fuiſſe, ut conjugia omnia cum alienis & profanis gentibus interdiceret, cum æque ab omnibus timeri poſſet, ne prava morum contagione conjugem corrumperent. Adde, Moyſem aperta Legis cautione Moabitas a ſocietate Iſraelitarum excluſiſſe (17); edixit enim: *Ammonites & Moabites etiam poſt decimam generationem non intrabunt in Eccleſiam Domini*. Denique ſub Eſdra (18) fœminæ Moabitides inter eas cenſentur, quarum conjugio Iſraelitæ prohibentur. Illud pro utroque eo viro afferri poſſet, verſantes illos in aliena regione & a fratribus ſuis remotos, neceſſitate quadam, ut majus incontinentiæ malum evitarent, coactos fuiſſe legum illarum ſanctioni non obtemperare: quod tamen ab illis præſtandum non erat, niſi poſt edoctas ſponſas ſuas veri Dei religionem, paratoſque earum animos, ut ejuratis ſuperſtitionibus ad verum cultum tranſirent.

℣. 8. ITE IN DOMUM MATRIS VESTRÆ. Verſabantur fœminæ in parte ædium ſeorſum a viris; filiæ vero cum matre habitabant.

℣. 11. NUM ULTRA HABEO FILIOS IN UTERO MEO, UT VIROS EX ME SPERARE POSSITIS? Docent Judæi, legem (1) mandantem fratribus, ut viduam fra-

(1) ויהי בימי שפט השפטים ויהי רעב בארץ (2) Vide Authorem tradit. Hebr. in Paralip. & Lyr. in 1. Par. IV. 22. *Et qui ſtare fecit ſolem*. Et Bonfr. hic. (3) Vide Druſ. hic, & Serar. q. 2. (4) Judic. XII. 5. 1. Reg. I. 2. 3. 3. Reg. XI. 26. (5) Hic, & 1. Reg. XVII. 12. (6) Geneſ. XXXV. 19. & XLVIII. 7. (7) Antiq. l. 5. c. 12. (8) יואש ושרף אשר בעלו למואב וישבי בלחם (9) Vide c. IV. 10. (10) Vide Munſt. Druſ. Serar. (11) Judic. III. 14. (12) Toſtat. Vat. Ariat. (13) Prudent. in Hamartigen.

. . . . Sed priſtinus Orpha
Fanorum ritus præputia barbara ſuaſit,
Malle & ſemiferi ſtirpem nutrire Goliæ.

(14) Hic ℣. 16. (15) ℣. 15. (16) Deut. VII. 3. *Neque ſociabis cum eis conjugia: filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo*. (17) Deuteron. XXIII. 3. (18) 1. Eſdr. IX. 1. 2. (19) Deuteron. XXV. 5.

tris ſui ſine liberis decedentis ducant, non pertinere ad fratres, qui poſt obitum illorum fratrum naſcuntur; uti neque fratres ex communi tantum uno parente natos. Sed contrarium Hiſtoriæ hujus documento monſtratur; innuit enim verbis hiſce Noemi, ſi filios parere alios poſſet, ſperandum nuribus ſuis fore, nuptias tandem cum illis ſeſe celebraturas. Qui vero Rabbinorum doctrinam ſequuntur (1), dictum hoc mulieris ita exponunt: Si liberos edere alios poſſem, veſtra erga me fides & amor promererentur, ut non alias illis uxores quærerem, quamquam naſcituri ex me liberi immunes eſſent eo legis præcepto, quo ſuperſtites fratres ducere jubentur viduam uxorem fratris ſui, ſine liberis decedentis. Sed hæc torquent Textum, non exponunt.

℣. 12. Etiamsi possam hac nocte concipere, et parere filios. Hebræus (2): *Quia dixi: eſt mihi ſpes ducendi virum hac nocte, & pariendi filios.* Vel potius: *An dicere ego poſſum: Eſt mihi ſpes concipiendi hac nocte, & pariendi filios?* Chaldæus; *Quia dixi: utinam ego puella, & mihi expectatio nubendi! Profecto fui maritata, & profecto fui pariens filios,*

℣. 13. Si eos expectare velitis, donec creſcant, et annos pubertatis impleant, ante eritis vetulæ, quam nubatis. Hebræus (3): *Numquid ergo eos expectabitis, donec grandeſcant? numquid ergo privabitis vos connubio,* & manebitis innuptæ clauſæque? Septuaginta (4): *Numquid ipſos expectabitis, donec adoleverint? expectabitis ad virum ducendum?*

℣. 15. En reversa est cognata tua ad populum suum, et ad Deos suos. Creditur Orpha nulla ſanguinis affinitate, ſed tantum amicitiæ vinculo conjuncta fuiſſe Ruth. Hebr. vox יבמתך quæ in Vulgata redditur *cognata*, deſignare fertur tantum fratris mariti uxorem; quod apud Septuaginta eſt σύννυμφος. Ex hoc autem Textu inferunt plerique, Orpham Numinum ſuorum cultum vel nunquam deſeruiſſe, vel ſaltem deſerta vera religione ad illum rediiſſe. Reddi quidem poſſet Textus ואל אלהיה: *Regreſſa eſt ad Deum ſuum*; ſed quem alium Deum nanciſci poterat in Moab, præter Chamos, Numen in tota ea regione cultum?

℣. 16. Ne adverseris mihi. Hebræus varie reddi poſſet: אל תפגעי כי: *Ne accurras in me, ne adverſeris mihi in itinere meo*; vel: *Ne hæc ſuadeas*; ne me de his roges.

℣. 17. Hæc mihi faciat Deus, et hæc addat; ideſt omni juſtitiæ ſuæ rigore me puniat Deus. Expreſſit facile mulier pœnam, quam ſibi ominabatur, ſiquidem id committeret, ut ſocrum ſuam dêſereret; ex. gr. imprecata eſt ſibi morbum, vel ingens aliquod malum (5). Hæc autem dira verbis exprimere, e re eſſe non duxit Sacer Hiſtoricus, pro more Veterum, qui ab odioſis hiſce & funeſtis abſtinebant, malo id omini eſſe exiſtimantes. Sunt qui credant, Ruth nullum mali genus expreſſiſſe, ſed totam ſe permiſiſſe Numini puniendam, ut æquum ille judicaret, ſiquidem datæ fidei deficeret. Eamdem formulam in ſacramentis ſuis uſurpabant Pagani (6): *Hæc mihi faciant Dii, & hæc addant, niſi hac hora cras poſuero animam tuam, ſicut animam unius ex illis*, teſtata eſt Jezabel Eliæ, qui Prophetas Baalis trucidaverat,

℣. 21. Quam Dominus humiliavit, et afflixit omnipotens. Hebræus: *Quam Dominus* (Jehovah) *afflixit* (vel humiliavit) *& Omnipotens* (Sadai, qui ſibi ſufficit) *oppreſſit malis.*

℣. 22. Quando primum hordea metebantur. Primo vere meſſis hordeacea inibat, ſtatim poſt celebratum Paſcha; id autem Feſtum incidebat in diem xvi. Niſan, qui noſtro Martio fere congruit.

---

(1) Grot. ad ℣. 11. (2) כי אמרתי יש לי תקוה גם הייתי הלילה לאיש וגם ילדתי בנים ὅτι εἶπα ἔστι μοι ὑπόστασις τοῦ γενηθῆναί με ἀνδρὶ καὶ τέξομαι υἱούς. (3) הלהן תשברנה עד אשר יגדלו הלהן תעגנה לבלתי היות לאיש (4) Μὴ αὐτοῖς προσδέξεσθε, ἕως οὗ ἁδρυνθῶσιν; ἢ αὐτοῖς κατασχεθήσεσθε, τοῦ μὴ γενέσθαι ἀνδρί. (5) Grot. Vatab. (6) 3. Reg. xix. 2. Vide & 4. Reg. xx. 10.

CAPUT II.

Ruth ſpicas legit in agro Booz, qui humaniſſime illam excipit. Veſpere ad ſocrum ſuam regreſſa, intelligit, eum virum neceſſitudine ſecum eſſe conjunctum.

℣. 1. Erat autem viro Elimelech conſanguineus, homo potens, & magnarum opum, nomine Booz. 2. Dixitque Ruth Moabitis ad ſocrum ſuam: Si jubes, vadam in agrum, & colligam ſpicas, quæ fugerint manus metentium, ubicumque clementis in me patrisfamilias reperero gratiam. Cui illa reſpondit: Vade, filia mea. 3. Abiit itaque, & colligebat ſpicas poſt terga metentium. Accidit autem, ut ager ille haberet dominum nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech. 4. Et ecce, ipſe veniebat de Bethlehem, dixitque meſſoribus: Dominus vobiſcum. Qui reſponderunt ei: Benedicat tibi Dominus. 5. Dixitque Booz juveni, qui meſſoribus præerat: Cujus eſt hæc puella? 6. Cui reſpondit: Hæc eſt Moabitis, quæ venit cum Noemi, de regione Moabitide. 7. Et rogavit, ut ſpicas colligeret remanentes, ſequens meſſorum veſtigia: & de mane uſque nunc ſtat in agro, & ne ad momentum quidem domum reverſa eſt. 8. Et ait Booz ad Ruth: Audi, filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco: ſed jungere puellis meis, 9. Et ubi meſſuerint, ſequere. Mandavi enim pueris meis, ut nemo moleſtus ſit tibi, ſed etiam ſi ſitieris, vade ad ſarcinulas, & bibe aquas, de quibus & pueri bibunt. 10. Quæ cadens in faciem ſuam, & adorans ſuper terram, dixit ad eum: Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, & noſſe me digna-

gnareris peregrinam mulierem? 11. Cui ille reſpondit: Nuntiata ſunt mihi omnia,
quæ feceris ſocrui tuæ poſt mortem viri tui: & quod reliqueris parentes tuos, &
terram, in qua nata es, & veneris ad populum, quem antea neſciebas. 12. Reddat
tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias a Domino Deo Iſrael,
ad quem veniſti, & ſub cujus confugiſti alas. 13. Quæ ait: inveni gratiam apud
oculos tuos, domine mi, qui conſolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ,
quæ non ſum ſimilis unius puellarum tuarum. 14. Dixitque ad eam Booz: Quando
hora veſcendi fuerit, veni huc, & comede panem, & intinge buccellam tuam in
aceto. Sedit itaque ad meſſorum latus, & congeſſit polentam ſibi, comeditque, &
ſaturata eſt, & tulit reliquias. 15. Atque inde ſurrexit, ut ſpicas ex more colligeret.
Præcepit autem Booz pueris ſuis, dicens: Etiamſi vobiſcum metere voluerit, ne
prohibeatis eam: 16. Et de veſtris quoque manipulis projicite de induſtria, & remanere
permittite, ut abſque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat. 17.
Collegit ergo in agro uſque ad veſperam: & quæ collegerat virga cædens, & excutiens,
invenit hordei quaſi ephi menſuram, id eſt, tres modios. 18. Quos portans
reverſa eſt in civitatem, & oſtendit ſocrui ſuæ: inſuper protulit, & dedit ei de reliquiis
cibi ſui, quo ſaturata fuerat. 19. Dixitque ei ſocrus ſua: Ubi hodie collegiſti,
& ubi feciſti opus? ſit benedictus, qui miſertus eſt tui. Indicavitque ei, apud
quem fuiſſet operata: & nomen dixit viri, quod Booz vocaretur. 20. Cui reſpondit
Noemi: Benedictus ſit a Domino: quoniam eamdem gratiam, quam præbuerat vivis,
ſervavit & mortuis. Rurſumque ait: Propinquus noſter eſt homo. 21. Et Ruth,
Hoc quoque, inquit, præcepit mihi, ut tamdiu meſſoribus ejus jungerer, donec
omnes ſegetes meterentur. 22. Cui dixit ſocrus: Melius eſt, filia mea, ut cum puellis
ejus exeas ad metendum, ne in alieno agro quiſpiam reſiſtat tibi. 23. Juncta
eſt itaque puellis Booz: & tamdiu cum eis meſſuit, donec hordea, & triticum in
horreis conderentur.

℣. 1. ERAT AUTEM VIRO ELIMELECH CONSANGUINEUS, HOMO POTENS ET MAGNARUM OPUM, NOMINE Booz. Hebræus ad literam (1): *Et ipſius Noemi notus viro ejus vir potens divitiis, e familia Elimelech, & nomen ejus Booz*. Hoc verborum circuitu, *vir notus viro ſuo*, neceſſitudinem quamdam, vel ſocietatem exprimi, accipiendum eſt, quod Latini faciunt nomine *cognatus*. Jam alibi animadvertimus, quam temere Hebræi virum hunc Booz ab Abeſane judice Iſraelis non diſtinguant. Legimus inferius IV. 20. Booz patrem habuiſſe Salmonem, & avum Nahaſſonem. Dubitant tamen quidam, an ille proxime ex patre Salmone natus ſit, rati, generationes aliquas medias, in Textu omiſſas, interceſſiſſe. Nimio etenim temporis ſpatio abfuiſſe credunt inter ſe Salmonem virum Rahab, & Booz patrem Obed, avum Jeſſe, ut inter medios illos una tantum generatio ſtatuatur.

Ab ingreſſu Iſraelitarum in Chanaanitidem uſque ad ortum Davidem, ſpatium eſt annorum trecentorum ſexaginta ſex. Quo igitur pacto totum illud repleant quatuor ii, Salmon, Booz, Obed, Jeſſe, vel Iſai, pater Davidis? Si quis ejuſmodi ſyſtema ſequatur, ſingulis iſtis viris nonniſi ſenibus, & jam effœta ætate genitos liberos tribuat, quorum & vitam proroget ultra centum annos: quod utique ea ætate novum erat & extraordinarium, præſertim inter viros unius familiæ, quorum alter alteri ſucceſſerit. His perſuaſi quidam (2) agnoſcunt tres viros communi nomine Booz appellatos, quorum alterum ſtatuunt filium Salmonis, & patrem alterius Booz, qui tertium hunc, de quo modo, genuerit.

Verum cum nullo fundamento fulciatur opinio, quæ tres Booz in genealogia Davidis conſtituit, ita pariter & nulla vera neceſſitate inducta eſt. Convenit quidem inter omnes, rarum eſſe modo, & forte etiam tunc, minus tamen quam noſtra ætate inſuetum, ut una eademque familia quatuor invicem ſuccedentes homines diuturnam vitæ ætatem ferentes exhibeat; nemo tamen id fieri poſſe neget. Salmon ætate centum & ſex annorum generare potuit Booz, ſex & ſexaginta circiter annis, poſtquam Iſraelitæ in terram promiſſionis ingreſſi ſunt. Booz, centum forte annorum ſenex, genuit Obed; qui pari ferme vel paulo minori ætate genuit Iſai: denique Iſai centum & ipſe pariter annos implens, Davidem dedit. Porro ſexaginta & ſex anni Salmonis, & centeni illi anni trium ſuccedentium virorum, Booz, Obed, & Iſai, numerum reddunt trecentorum & ſexaginta ſex annorum, quot ab ingreſſu Iſraelitarum in Chanaanitidem uſque ad ortum Davidem ſupputantur.

Elimelech neceſſarius erat Booz (3); ſed quo neceſſitudinis gradu ad illum pertineret, ignoratur. Sunt qui fratres credant, quod minime probabile eſſe cenſemus, ſilente Scriptura, licet non ſemel per totum hunc Librum occaſio id narrandi recurrat: ſcimus inſuper, virum Ruth alterum habuiſſe neceſſarium propinquiorem quam Booz: nemo autem neceſſarius eſt fratre propinquior. Statuunt alii (4) Elimelechum fratrem Salmonis, adeoque patruum Booz, ſed non unicum, inferius enim alter commemoratur neceſſarius propinquior; hunc autem propinquiorem fuiſſe ajunt Tob, fratrem natu majorem Elimelechi, cujus nomen legitur infra III. 13. Sed hoc fundamento nihil magis eſt ruinoſum, ut alibi demonſtrabitur.

℣. 2. COLLIGAM SPICAS UBICUMQUE CLEMENTIS IN ME PATRISFAMILIAS REPERERO GRATIAM. Legis Moſaicæ ſanctione ſpicilegium relinquebatur viduæ, advenæ & pauperi (5): vetuit Deus, ne dominus

[1] ולנעמי מידע לאישה איש גבור חיל ממשפחת אלימלך ושמו בועז. Καὶ τῇ Νωεμὶ ἀνὴρ γνώριμος τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς.
[2] Lyr. in c. 2. & 4. & in Matt. 2. Quidam in Jarchio, Catharin. l. contra Cajet. &c. [3] Cap. III. 2.
[4] Rab. Joſue apud Serar. quæſt. 3. & Grot. ad ℣. 20. item Bonfr. hic. [5] Deut. XXIV. 19. & Levit. XIX. 9. & XXIII. 22.

agri colligeret ſpicas, quæ forte excidebant meſſoribus, neque ſedulo perquirerentur eæ, quas imprudentes neglexerant. Cedebant hæ in partes advenæ & egeni. Vereri tamen hic videtur Ruth, ne quem offendat; a quo facultate hac ſpicas legendi privetur; monetque illam ſocrus, ℣. 22. ut redeat ad agrum Booz, ne forte alio divertens, moleſtiam a quoquam patiatur. Denique ℣. 7. rogat præfectum meſſorum Booz, ut ſibi detur copia ſequendi retro meſſores, & ſpicas poſt illos colligendi. Reputandum eſt, fœminam illam, utpote alienam, officio quodam & modeſtia poſtulaſſe, quod certe jure exigere potuiſſet.

℣. 4. Dixit messoribus: Dominus vobiscum. Obtinebat id meſſis tempore, ut bene precarentur laborantibus in agro (1): *Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam evellatur, exaruit; de quo non implevit manum ſuam qui metit, & ſinum ſuum qui manipulos colligit: & non dixerunt qui præteribant: Benedictio Domini ſuper vos; benediximus vobis in nomine Domini.*

℣. 5. Dixit Booz juveni qui messoribus præerat. Famulus erat fidelis, qui abſente domino ſuo Booz meſſoribus præerat. Deſcribit Homerus (2) Præfectum, vel *Regem, qui inter meſſores in ſilentio ſtabat, ſceptrum tenens, ad ſulcum, lætus corde*, ob meſſem. Veterum morem hic habes, apud quos agricultura, & campeſtris œconomia erat in pretio.

℣. 7. De mane usque nunc stat in agro, et ne ad momentum quidem domum reversa est. Hebræus ad literam (3): *Et venit, & ſtetit a tunc mane, & uſque nunc, & ſeſſio ejus domi paululum.* Quaſi ſcilicet Ruth producto labore a primo mane aduſque horam adventus Booz, recepiſſet ſeſe paululum ad umbram, ut requieſceret in domo, quo meſſores convenire ſolebant ad cibum capiendum, nolens ſola in agro manere abſentibus meſſoribus, ne quid ſuſpicionis de ſe daret. Superveniens inter hæc Booz, & alienam hanc puellam intuitus, interrogat de illa famulum ſuum, a quo certior de omnibus factus, accedere peregrinam illam jubet, ac cibum capere cum ſuis; ita enim exponendus eſt verſiculus 14. *Quando hora veſcendi fuerit, veni huc, & comede cum meſſoribus.*

Alii aliter reddunt Hebræum: *Stetit hic de mane uſque nunc, & ſeſſio ejus in domo parva.* Ex eo intelliges, parum illam domi ſuæ manere, nec vitam agere otioſam. Minus prona hæc mihi interpretatio videtur: planiorem, & æquiorem primam cenſeo. Porro tunc meſſores Booz cibum capturi fuiſſe videntur: Ruth vero una cum illis ingreſſa erat in domum, ne ſub dio maneret.

℣. 8. Jungere puellis meis; ℣. 9. et ubi messuerint sequere. Puellæ, ſeu ancillæ Booz metebant frumentum; ſervi vero demeſſas ſegetes colligebant, ligabantque in manipulos, alioqui Ruth ſequi non potuiſſet metentes puellas, neque enim agitur ſpicilegium, niſi poſt redactas in manipulum ſegetes. Ita Homerus, in carmine recitato, deſcribit meſſores cum falcibus, & retro ſequentes tres homines, qui ut metebantur ſegetes, alligabant in faſciculos, ac pueros qui colligebant manipulos.

℣. 9. Si sitieris, vade ad sarcinulas, et bibe aquas, de quibus et pueri bibunt. Non levem rem largiebatur hic Booz pro ea regione, in qua aquæ plane non abundant, & tempore, quo æſtus maxime fervet. In Hebræo nihil de aquis; fert enim (4): *Sities, & bibes de his, quæ bibunt pueri.* Sed Chaldæus, Septuaginta (5), & Interpretes exponunt de aqua, quæ in utribus hircinis, vel lagenis continebatur, in uſum meſſorum.

℣. 10. Et nosse me dignareris; res meas cognoſcere, ſeu amice mecum agere, tamquam cum familiari, voluiſti. In eamdem ſententiam David affatus eſt Dominum (6): *Quid eſt homo, quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam viſitas eum?*

℣. 12. Sub cujus confugisti alas; *quia veniſti ad proſelytandam*, ait Chaldæus. Familiaris eſt Scripturæ phraſis, confugere ſub alas Domini, nempe auxilium ejus, opem, & protectionem quærere. *Filii hominum*, ait Propheta (7), *in tegmine alarum tuarum ſperabunt.* Et alibi (8): *Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis ejus ſperabis.* Jeſus Chriſtus (9): *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat ſub alas, & noluiſti?*

℣. 13. Qui consolatus es me, et locutus es ad cor ancillæ tuæ. Duæ ſunt phraſes idem ſignificantes: loqui ad cor, blandis verbis conſolari; id autem alias animadvertimus (10).

℣. 14. Intinge buccellam tuam in aceto. Aceto utebantur meſſores (11), quo panem tingerent, quod ſcilicet *aceto ſumma vis ſit in refrigerando* (12). Chaldæus ita exponit: *Intingito panem tuum in pulmento, quod coctum eſt in aceto.* Alii exponunt (13) de vino diluto, cujuſmodi Latini appellant *loram*, vel *poſcam*: familiaris autem eſt adhuc ejus uſus in Italia & in Hiſpania, dum ſegetes metuntur. Vinum eſt confectum ex expreſſis acinorum folliculis, qui injecta aqua diluti, fervere aliquantulum permittuntur, antequam prælo iterum premendi ſubjiciantur. Familiare eſt in navigationibus aceti genus, potioni admixtum, ut ingrato aquæ odori medeatur. Vinum hoc potabant Romani milites, de quibus apud Spartianum (14): *Peſcennius juſſit vinum in expeditionem neminem bibere; ſed aceto univerſos eſſe contentos.* Nec aliud oblatum poculum Jeſu Chriſto in crucem pendenti quam vinum hoc, acetum ab Evangeliſta appellatum, quidam ſuſpicantur. Nihil denique frequentius apud Poetas, quam acetum in prandiis vulgaribus & agreſtium conviviarum. Id condimenti genus dapibus ſuis addere ſolebant. Plautus in Rudente: *Sed hic Rex cum aceto pranſurus eſt & ſale.* Jubet Cato (15) dari domeſticis genus quoddam condimenti ſeu aceti, *halecem* aut *acetum*, cum oleæ defierint.

Congessit polentam. Hebræum reddunt plerique יצבט לה קלי *Appoſuit illi polentam.* Booz, juxta Septuaginta (16), ſuis manibus cibum porrexit; juxta alios vero (17), e præfectis quidam eo munere functus eſt, & fortaſſe ille, qui operibus præerat. Putant quidam, oblatam fuiſſe mulieri farinam ſeu furfur in ſartagine frixum, & oleo irrigatum; malunt alii, appoſitum fuiſſe triticum frixum vel toſtas igne ſpicas. Homerus in

mox

[1] Pſalm. cxxviii. 5. 7. [2] Iliad Σ, verſ. 556.
Βασιλεὺς δ' ἐν τοῖσι σιωπῇ.
Σκῆπτρον ἔχων ἑστήκει ἐπ' ὄγμου γηθόσυνος κῆρ.
[3] ותבוא ותעמוד מאז הבוקר ועד עתה זה שבתה הבית מעט [4] וצמת והלכת אל הכלים ושתית מאשר ישאבון הנערים [5] Septuag. καὶ πίεσαι ὅθεν ἂν ὑδρεύωνται τὰ παιδάρια. [6] Pſalm. viii. 5. & cxliii. 3. & Job. vii. 17. [7] Pſalm. xxxv. 8. [8] Pſal. xc. 4. Vide & Pſalm. xvi. 8. lvi. 2. lx. 5. lxii. 8. [9] Matt. xxiii. 37. [10] Vide Geneſ. xxxiv. 3. Judic. xix. 3. Iſai. xl. 2. Oſee ii. 14. [11] Abenezra, Lyran. Munſt. Vatab. Druſ. [12] Plin. lib. xxiii. cap. 1. [13] Grot. hic. Vide & Serar. qu. 24. & Cornel. a Lapide hic, & Columell. l. 12. de Re ruſtic. c. 54. *Expreſſi acinorum folliculi, in dolia conjiciuntur, eoque aqua additur. Ea vocatur Lora, quod lota acina, ac pro vino operariis datur hieme.* Vide eumdem l. 12. c. 40. [14] Vide Lipſium l. 5. de Milit. Rom. Dialog. 15. [15] Cato de Re ruſtic. c. 57. [16] Καὶ ἐβούνισεν αὐτῇ Βοὸζ ἄλφιτον. [17] Vatab. Tigur.

mox recitata (1) meſſis deſcriptione exhibet fœminas cibum parantes meſſoribus, *miſcentes*, vel ſpargentea *farinas multas*, Epulæ erant familiariſſimæ agreſtibus, uti non uno hujus Poetæ teſtimonio probatur. Id genus oblationis in Templo Domini pariter exhibitum fuiſſe, legimus in Levitico *II.* 14. Maluerim ego tamen accipere de farre toſto. Far toſtum & contuſum attulit David ad fratres ſuos in exercitu Saulis (2); attulit pariter magna copia Abigail ad Davidem (3), & bonus ille Berzellai, aliique amicorum fugienti eidem Davidi Abſalomum filium ſuum occurrerunt, far toſtum cum aliis pluribus neceſſariis ſuppeditantes (4). Profecto ſi pulmentum ante ſe poſitum habuiſſet Ruth, quomodo ejus reliquias ad ſocrum ſuam detuliſſet? Iter habentes per Æthiopiam nullum ferme alium commeatum ſibi comparant, quam hordeum toſtum (5). De arte torrendi triandique frumentum, in annonam laborantium in agro, agit Varro (6).

℣. 15. Etiamsi vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam. Si ſpicilegii pertæſa, plenos ſegetum manipulos referre voluerit, ne prohibeatis. Hebræus (7): *Etiam inter manipulos colligat, & non pudore afficiatis eam*; ideſt, ne objurgetis, ne pudore illam ſuffundatis, quamvis vel inter medios illos, qui manipulos ligant, proceſſerit ad ſpicas colligendas. Scitum eſt, familiari Hebræorum phraſi, pudore aliquem afficere, uſurpari pro repellere, prohibere, reprehendere. Job XIX. 3. *Decies confudiſtis me*, ideſt, me reprehendiſtis. Pſalmus XLIII. 10. *Numquid autem repuliſti & confudiſti nos*, rejeciſti, nec precantes nos exaudiſti?

℣. 17. Quæ collegerat, virga cædens. Apud Hebræos, ſegetes excutiendi non una erat ratio. Adhibebantur in eam rem boves, & graves quædam ligneæ machinæ, quæ ſuper ſtratos manipulos inducebantur. Quæ vero ſegetes cædendo excuti facile poterant, præſertim ſi rari eſſent manipuli, bacillis tundebantur (8), Gedeon virga excutiebat frumentum ſuum in torculari (9); nec facile hordeum niſi bacillis excutiebatur: tempus autem tunc meſſis hordeaceæ occurrebat. Flagra nullæ obtinent in ferventibus regionibus, uti ex Itinerantium narratione diſcimus.

Quasi Ephi mensuram, idest, tres modios. Additum eſt ab Interprete, explicationis gratia, illud, *tres modios*. Porro Ephi continebat pintas novem & viginti cum dimidia, addito hemiſextario cum quarta pintæ parte, & aliquid amplius.

℣. 20. Benedictus sit a Domino. Hebræus (10): *Benedictus Domino*; benedictionibus cumuletur. *Benedictus Domino* ſignificare poteſt benedictionum Divinarum immenſam & redundantem copiam, uti magnus Domino, fortis Domino ſignificat magnitudinem & fortitudinem vulgari majorem.

Eamdem gratiam, quam præbuerat vivis, servavit et mortuis. Oſtendit hic apertiſſime Booz, quanto erga maritum meum, & filios teneretur ſtudio, cum tantum tibi & mihi amoris exhibeat. Hebræus (11): *Non reliquit miſericordiam ſuam cum viventibus, nec cum mortuis*, Liberalitatem ſuam non deſiniit in viro meo & filiis, qui jam fatis ceſſerunt: perſeverat adhuc erga me & te.

Propinquus noster est homo. Hebræus (12): *Propinquus nobis vir, de redemptoribus noſtris vir.* Poſtrema hæc verba deſignant virum, cui jus eſt redimendi agrum hominis e familia ſua, qui patrimonium ſuum diſtraxit, vel libertatem ſuam vendidit; virum pariter, cui imperatur ultio ſanguinis, & necis propinquo ſuo illatæ vindicta. Denique uſurpatur de viro, qui ex more ſeu lege tenetur ducere uxorem viduam ex fratre ſuo, vel ex propinquo ſine liberis relictam. Hunc autem virum non redemptorem eſſe dicit Noemi; ſed unum ex *redemptoribus* familiæ ſuæ, eo ſenſu quem expoſuimus. Animadverſum eſt, optimos Interpretes virum hunc Booz Elimelecho ex fratre nepotem tribuiſſe.

℣. 23. Donec hordea et triticum in horreis conderentur. Hebræus & Septuaginta: *Uſque conſummare meſſem hordeorum, & meſſem triticorum*, Quod magis literale eſſe cenſemus, cum triticum nonniſi poſt aliquod a meſſe tempus in horreis condatur; & hordeum Booz adhuc jaceret in area, cum Ruth in illius uxorem accepta eſt, uti ex Capite ſequenti patebit. Hinc tamen oritur difficultas: quomodo enim comes eſſe potuit Ruth meſſoribus Booz uſque ad finem meſſis triticeæ, cum ſatis conſtet, triticum in Palæſtina non colligi niſi poſt menſem, vel ſex hebdomadas a meſſe hordei; exeunte vero meſſe hordeacea connubium cum Booz conciliavit? Ita ergo reddendum eſt Hebræum cum Syriaco & Arabico ℣. 22. *Beata es, filia mea, ſi adhæſeris puellis ejus; & nemo lædet te in agro ejus, qui non cognoſcit te.* ℣. 23. *Sed juncta es puellis Booz ad faciendum ſpicilegium, donec abſolvatur meſſis hordeorum & triticorum.* Id conſilii dederat Noemi, fecit tamen Deus, ut nuberet Booz, antequam meſſis frumenti iniret.

(1) Homer, Iliad. Σ. ...... Αἱ δὲ γυναῖκες
Δεῖπνον ἐρίθοισιν, λεῦκ' ἄλφιτα πολλὰ πάλυνον.
Vide & Odyſſ. ξ. (2) 1. Reg. XVII. 18 (3) 1. Reg. XXV. 18. (4) 2. Reg. XXVII. 28. (5) Relation de la haute Ethiopie p. 5. (6) Varro de Re ruſtic. l. 1. c. 63. & 69. (7) גם בין העמרים תלקט ולא תכלימוה (8) Vide Iſai. XXVIII. 27. (9) Judic. VI. 11. (10) ברוך הוא ליהוה (11) לא עזב חסדו את החיים ואת המתים (12) קרוב לנו האיש מגאלנו הוא Septuag. ἐγγίζει ἡμῖν ὁ ἀνήρ, ἐκ τῶν ἀγχιστευόντων ἡμῖν ἐστι.

CAPUT III.

Ruth ex conſilio Noemi decumbit ad pedes Booz dormientis in area. Booz conjugium illi promittit, niſi propinquior alter has nuptias popoſcerit. Ruth ad ſocrum regreditur, ſex menſuris hordei onuſta.

℣. 1. Poſtquam autem reverſa eſt ad ſocrum ſuam, audivit ab ea: Filia mea, quæram tibi requiem, & providebo, ut bene ſit tibi. 2. Booz iſte, cujus puellis in agro juncta es, propinquus noſter eſt, & hac nocte aream hordei ventilat:
3. Lavare igitur, & ungere, & induere cultioribus veſtimentis, & deſcende in aream.

Non te videat homo, donec eſum, potumque finierit. 4. Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum, in quo dormiat: veniesque, & diſcooperies pallium, quo operitur a parte pedum, & projicies te, & ibi jacebis: ipſe autem dicet tibi quid agere debeas. 5. Quæ reſpondit: Quidquid præceperis, faciam. 6. Deſcenditque in aream, & fecit omnia, quæ ſibi imperaverat ſocrus. 7. Cumque comediſſet Booz, & bibiſſet, & factus eſſet hilarior, iſſetque ad dormiendum juxta acervum manipulorum, venit abſcondite, & diſcooperto pallio a pedibus ejus, ſe projecit. 8. Et ecce, nocte jam media expavit homo, & conturbatus eſt: viditque mulierem jacentem ad pedes ſuos. 9. Et ait illi: Quæ es? Illaque reſpondit: Ego ſum Ruth ancilla tua: expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es. 10. Et ille, Benedicta, inquit, es a Domino, filia, & priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti: quia non es ſecuta juvenes, pauperes, ſive divites. 11. Noli ergo metuere, ſed quidquid dixeris mihi, faciam tibi. Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te eſſe virtutis. 12. Nec abnuo me propinquum, ſed eſt alius me propinquior. 13. Quieſce hac nocte: & facto mane, ſi te voluerit propinquitatis jure retinere, bene res acta eſt: ſin autem ille noluerit, ego te abſque ulla dubitatione ſuſcipiam, vivit Dominus: dormi uſque mane. 14. Dormivit itaque ad pedes ejus uſque ad noctis abſceſſum. Surrexit itaque, antequam homines ſe cognoſcerent mutuo, & dixit Booz: Cave, ne quis noverit, quod huc veneris. 15. Et rurſum, Expande, inquit, pallium tuum, quo operiris, & tene utraque manu. Quo extendente, & tenente, menſus eſt ſex modios hordei, & poſuit ſuper eam. Quæ portans ingreſſa eſt civitatem, 16. Et venit ad ſocrum ſuam. Quæ dixit ei: Quid egiſti, filia? Narravitque ei omnia, quæ ſibi feciſſet homo. 17. Et ait: Ecce ſex modios hordei dedit mihi, & ait: Nolo vacuam te reverti ad ſocrum tuam, 18. Dixitque Noemi: Expecta, filia, donec videamus, quem res exitum habeat, Neque enim ceſſabit homo, niſi compleverit, quod locutus eſt.

℣. 1. POſquam reverſa eſt ad ſocrum. Verba hæc recitat Hebræus in fine Capitis præcedentis; reddi autem poteſt Textus (1): *Ruth ſedit cum ſocru ſua*. Capite III. *Dixitque ei Noemi ſocrus ſua: Filia mea &c.*

Quæram tibi requiem, et providebo ut bene ſit tibi. Hebræus (2): *Quæram tibi requiem, quæ tibi ſatisfaciat*, quæ bonis cumulet. Eamdem phraſim ſuperius I. 9. uſurpavit ut connubium innueret: *Det vobis Dominus invenire requiem in domibus virorum, quos ſortituræ eſtis*. Connubio utique puellæ ſtatus determinatur, quies illi certaque ſedes conſtituitur.

℣. 2. Hac nocte aream hordei ventilat. Communis ratio purgandi triticum, hodie pariter in Italia & in ferventibus regionibus obtinens, ea eſt, ut excuſſum frumentum, & a ſtipulis non expurgatum ventiletur: in eam autem rem opperiuntur lenem aliquem ventum æquabili flatu ſpirantem, qui paleas exſufflet, cum interim triticum proprio pondere in aream recidit. Si forte ventus opportunus non exſurgat, adhibendos in eam rem cenſet Columella (3) vannos; metu ne forte dum opportunum tempus expectatur, ſuperveniens imber totius anni laborem perdat. In Palæſtina cæteriſque omnibus mari vicinis regionibus quotidie in veſperis aura quædam e mari flat, cujus beneficio Booz frumentum ſuum purgaturus erat. Quod autem id ab illo præſtitum fuiſſe ineunte nocte demonſtrat, illud eſt, quod nimirum ſex hordei menſuras ille tradiderit Ruth, antequam illa domum regrederetur. Ibi pariter in area jacebant alii manipuli, nondum excuſſi, ut infra patebit. Juxta manipulos illus ſtravit ſeſe Booz, ut dormiret. Geſta vero hæc omnia credimus in eodem agro, in quo Ruth antea ſpicilegium habuerat. In ferventibus regionibus, ubi areæ jacent ſub dio, locus erat plerumque paratus, quo recipientes ſeſe meſſores, meridianum æſtum declinabant (4).

℣. 4. Diſcooperies pallium, quo operitur a parte pedum. Jacebat facile Booz humi, quod familiare eſt in iis regionibus, & culcitra tegebatur. Monet autem nurum ſuam Noemi, ut leniter accedens ante pedes dormientis decumbat, ſeſeque tegat ea culcitræ parte, quæ pedes illius operiat; ſeu potius *a parte pedum* illum detegat. Ferunt, Orientales fœminas eo obſequio in viros detineri, ut in thorum viri non ingrediantur, niſi illis jam decumbentibus, aſcendere vero ab inferiori parte, remota modeſte culcitra, tamquam obſequii ſui argumentum exhibentes.

Porro ſi rationem hanc Ruth & conſilium Noemi humanis oculis, & ex concupiſcentiæ legibus intueamur, atque expendamus, horrore ſtatim quodam & pudore ſuffundimur, uti S. Ambroſius (5) animadvertit: *Si ſecundum literam ſenſum torqueamus, prope quidem pudor & horror in verbo eſt, ſi ad commixtionis corporeæ ſententiam intellectumque referamus*. Si vero inſpiciantur propoſitum, cauſa, circumſtantiæ, & abditus in ea re ſenſus, æquiora ſtatim ſuccurrent. Jus erat Ruth expetendi connubium Booz, quem Noemi inter neceſſarios maxime propinquum reputare viſa eſt. Rationem autem inire voluit quam honeſtiorem aperiendi juſtum illud, quo tenebatur, deſiderium jure ſuo denique potiundi: perſpectam habebat juſtitiam, probitatem atque ætatem Booz, certamque

(1) ותשב את חמותה (2) אבקש לך מנוח אשר ייטב לך (3) Columel. lib. 1. cap. 21. *Ubi paleis immixta ſunt frumenta, vento ſeparentur . . . . . At ſi pluribus diebus ſilebit aura, vannis expurgentur, ne poſt nimiam ventorum ſegnitiem, vaſta tempeſtas irritum faciat totius anni laborem.* (4) Columel. lib. 2. cap. 21. *Ubi area reſecta, & loca calida, prope aream faciendum umbraculum quo ſuccedant homines in æſtu meridiano, &c.* Lib. 1. cap. 7. *Huic autem* [areæ] *nubilarium applicari debet . . . . . quo collecta ſemitrita frumenta protegantur, ſi ſubitaneus imber intervenerit.* (5) Ambroſ. lib. 3. de Fide cap. 10. nov. edit. Vide Serar. quæſt. 9. & 10.

que apud ſe decreverat, ex Dei ope, cujus opis pignus habebat obedientiam, quam Noemi inviolatam præſtabat, decreverat, inquam, nulli unquam rei aſſenſum præbere, quæ pudori præter leges honeſti connubii, adverſaretur (1). Ducebatur autem facile ſuperiori ſpiritu (2), qui cœpto illius felicem exitum conciliavit, quique animum Booz flexit; ut id haberet tanquam effectum virtutis, & deſiderii, quo tenebatur, ut veluti fidelis mulier Iſraelitica daret marito ſuo filios, quibus defuncti nomen perennaretur. Hinc Booz eximia ea laude fœminam proſecutus eſt: *Benedicta es a Domino, filia, & priorem miſericordiam* [marito defuncto ejuſque familiæ impenſam] *poſteriore ſuperaſti, quia non es ſecuta juvenes pauperes, ſive divites*. Si voluptatis amore egiſſet Ruth, juniores utique prætuliſſet; at ſeni adhærens, quem patris loco habere poterat, cum filia ejus hic appelletur, ſanctitatem conſilii ſui ſatis demonſtravit.

Fatendum tamen eſt, factum hoc mulieris nemini imitandum eſſe, ac plenum diſcriminis conſilium cepiſſe Noemi, cum nurum ſuam ludibrio Booz expoſuit, apud quem ſuſpicionem procacis fœminæ incurrere poterat, niſi pejus aliquid favens occaſio ſuaſiſſet. Certum equidem fuiſſe opus eſt Noemi de virtute utriuſque, ut gravi adeo diſcrimini virum & mulierem tuto exponeret; ſeu potius Spiritu Sancto agente in eam rem dirigebatur.

Ruth ad pedes Booz jacens, poſtulanſque honeſtis verborum ambagibus nuptias, figura (3) eſt Gentilitatis. Peregrina illa licet Judæis, peregrina Chriſto, qui miſſum ſe potiſſimum ad oves domus Iſraelis profitetur, arcto tamen connubii fœdere eidem Chriſto jungitur, cujus eſt & creatura & opificium. Non aperta quidem verborum poſtulatione eligi ſe in ſponſam rogat Gentilitas; ſed ſtatus ille paupertatis, viduitatis, longa peregrinatio a patria, ſatis indicant, quanto teneatur deſiderio quietem in eo aſſequendi, qui ſolus veram animi & mentis tranquillitatem offert. Booz ſociam thalami Ruth non prius adſciſcit, quam negatis illi a neceſſario propinquiore nuptiis: Jeſus Chriſtus ejuſque Apoſtoli non prius diverterunt ad gentes, exceperuntque illas in Eccleſiam, quam poſt repulſam & pervicaciam Judæorum; quorum fatum optime exprimunt ea, quæ neceſſario huic Ruth acciderunt, cui ſcilicet ex Legis præcepto (4) calceus detrahendus erat, expuendum in faciem, domus denique in Iſrael inſcribenda, *Domus excalceati*.

℣. 7. Cumque comediſſet Booz et bibiſſet, et factus eſſet hilarior. Tempus meſſis gaudii eſſe ſolebat & oblectationis (5), Iſaias ix. 3. *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe*. Per ea tempora Profani convivia inſtruebant meſſoribus, Jovi & Cereri ſacra. Inibantur meſſes ſacrificiis & feſtis, iiſdemque abſolvebantur (6). Deus Iſraelis ſancivit pariter, ut ante & poſt meſſem primitiæ in Templo offerrentur, adderenturque læta convivia coram Numine celebranda (7).

Iſſetque ad dormiendum juxta acervum manipulorum. Hebræus (8): *In extremitate acervi*. Septuaginta (9): *In parte acervi*. Stravit ſe humi, vel ſuper paleam in area ſua. Vox, quam uſurpant Septuaginta, ſonat herbam vel paleam, quæ ſubſternitur cubanti. Arabes & vicinæ gentes malunt cubare humi, veſtibus tecti.

℣. 8. Expavit homo, et conturbatus eſt, viditque mulierem jacentem ad pedes ſuos. Reddi poſſet etiam Hebræus (10) *Et Booz expavit, palpavitque, & ecce mulier ad pedes ejus*; vel: *Conturbatus eſt, vertitque ſe, & ecce mulier ad pedes ejus*. Aliter: *Expavit, & receſſit*; vel denique, *expavit & miratus eſt, videns ante pedes ſuos mulierem*. Vis Hebrææ vocis, quam & Septuaginta & Vulgata reddunt, *conturbatus eſt*, ignoratur. Chaldæus vertit: *Mollificata eſt, ſicut rapum, caro ejus*.

℣. 9. Expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es. Hebræus (11): *Quia redemptor es*, ideſt, protector, ultor & familiæ noſtræ fulcrum: tibi res noſtras cordi eſſe decet, & curare ut reſtituas nomen viri mei, qui ſine liberis deceſſit. Porro adducta hæc ratio, adjunctum temporis ac conſilii Ruth & Noemi, in certam perſuaſionem nos ducunt, phraſim hanc, *Expande pallium tuum ſuper famulam tuam*, ſignificare, Accipe me uxorem. Huic perſimilis altera legitur in Ezechiele xvi. 8. *Expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuam. Et juravi tibi, & ingreſſus ſum pactum tecum, & facta es mihi ſponſa*. Idem pariter apud Profanos. Euripides (12): *Cum ingreſſa fueris ſub veſtem boneſti viri*. Eo etiam ſpectat Moyſes, cum inceſta commercia interdicens, legem hanc his verbis expreſſit (13): *Non revelabit homo operimentum patris ſui*. Potuiſſet utique jam tum Booz, omni ritu ſolemni omiſſo, eam conjugem ſibi adſciſcere (14); mutuus enim partium conſenſus ſatis erat ad connubium, cum præſertim neceſſitudinis vinculo cum illa conjunctus, Legis præcepto ad nuptias illas adigeretur, niſi propinquior alter e cognatis fuiſſet, qui eo Legis præcepto arctius afficeretur.

Interpretum complures docent (15), Ruth ſolummodo poſtulare viri patrocinium, perinde ac diceret: Fove me ſub alis tuis, uti gallina pullos; eodem ſenſu, quo ſuperius II. 12. Booz dicebat ad Ruth: *Veniſti ad Dominum Deum Iſrael, & ſub ejus confugiſti alas*. Congruunt his verba Iſaiæ II. 2. *Apprehendent ſeptem mulieres virum unum, dicentes: Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur: tantummodo invocetur nomen tuum ſuper nos* [uxores tuæ appellemur]. *Aufer opprobrium noſtrum*. Hinc denique acceptum ferunt morem, niſi forte jam tunc obtinuerat, ut in cæremonia nuptiali ſponſus veſtis ſuæ limbum extendit ſuper ſponſam, in fidem ſuam & patrocinium excipere ſe illam ſignificans. Sed his argumentis a noſtra ſententia non abducimur.

℣. 10. Priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti. Conjugalis ille amor, quem erga vivum maritum tuum exhibuiſti, fides, qua ſocrui tuæ poſt viri mortem adhæſiſti, argumenta ſunt quidem laudis digniſſima; deſiderium tamen, quo teneris, excitandi memoriam & nomen viri tui, conjugem te permittens uni ex ejus neceſſariis, grandius eſt documentum amoris tui nobilis atque conſtantis; neque enim tenero quodam & juvenili igne raperis in amorem juvenum, ſive divitum, ſive pauperum, ſive regionis tuæ, ſive alienæ.

℣. 11. Mulierem te eſſe virtutis. Nomen *virtus* (16) non indicat hic oppoſitam aliquam vitio qualitatem, ſed fortis nobiliſque animi ſpecimen atque gloriam. Eo nomine laudans Salomon (17) inſi-

(1) Theodoret. qu. 2. (2) Autor operis imperfecti in Matt. *Quod proſperatus fuerat Deus actum ipſius, ſciens conſcientiam ſuam: Quia non libido ad hoc impulerat, ſed Religio erat hortata.* (3) Vide Ambroſ. loco citato; Theodoret. qu. 2. Chryſoſt. homil. 3. in Matt. (4) Deut. xxv. 9. 10. (5) Pſal. cxxv. 5. 6. (6) Vide Caton. c. 131. & Philochor. & Varron. l. 1. de Re ruſtic. & Virgil. Georgic. 1. (7) Vide Levit. xxiii. 10. Et Deut. xxvi. 21. &c. (8) ויבא לשכב בקצה הערמה (9) Septuag. ἐν μερίδι τῆς στοιβῆς. (10) ויחרד האיש וילפת והנה אשה שכבת מרגלותיו Septuag. ἐξέστη ὁ ἀνὴρ καὶ ἐταράχθη. (11) כי גאל אתה Septuag. ὅτι ἀγχιστεὺς εἶ σύ. (12) Ὅταν δ' ὑπ' [illegible] χλαῖναν ἀνδρὸς [illegible]. Euripid. apud Grot. hic. (13) Deut. xxii. 30. & xxvii. 20. (14) Vide Serar. quæſt. 7. & Bonfr. hic. (15) Lyr. Tirin. Grot. Vatab. Jun. Piſcat. Munſter. alii. (16) אשת חיל את γυνὴ δυνάμεως εἶ σύ. (17) Prov. xxxi. 12.

inſignem mulierem, appellat *fœminam fortem*; quod idem valet ac in præſenti, *mulierem virtutis*.

℣. 12. Est alius me propinquior. Innui hic credunt Judæi fratrem quemdam Elimelechi, cum Booz nepotis tantum gradu ad Elimelechum accederet, uti nos ſupra expoſuimus. Booz, & hic propinquior eodem neceſſitudinis gradu forte accedebant ad Mahalonem, virum Ruth, ſed alter alterum ætate ſuperabat: quare jus redimendi, & præceptum ducendi uxorem defuncti ſeniori incumbebat; eoque recuſante totum onus ad juniorem devolvebatur. Hebræus legit hic (1): *Vere redemptor ego, & eſt etiam redemptor propinquus præ me.*

℣. 13. Si te voluerit propinquitatis jure retinere, bene res acta est. Hebræum ita vertunt Rabbini ad literam (2): *Si Tob redemerit te, redimat*; ſi uxorem te ducere non detrectat, jure neceſſitudinis propinquioris, per me licet. Statuunt illi, *Tob* unum fuiſſe e fratribus Salmonis, & patruum Mahalonis viri Ruth: ſed hanc ſententiam Interpretes fere omnes deſerunt. Si Libri hujus Author exprimere hic voluiſſet nomen viri illius, an hic ſemel tantummodo illud exhibuiſſet, ac nuſpiam alibi in tota narratione cauſæ ſeu cæremoniæ, quæ acta eſt in foribus Bethlehem, ubi non aliter illum nuncupat, quam *Ploni*, ideſt *quemdam*? quæ vox tunc uſurpatur, ſive cum ignoratur perſona, de qua agendum eſt, ſive cum nomen ejus proprium non exprimendum eſſe cenſetur. Præſtat igitur inhærere Vulgatæ, quæ Chaldæo & Septuaginta congruit.

℣. 15. Expande pallium tuum, quo operiris. Interpretum quidam cenſent, originali voce (3) deſignari ſuccinctorium [*tablier*] ſeu veſtem muliebrem ſuperiorem [*iuppe*] (4). Maluerim ego accipere de amplio eo velo candido atque carbaſino, quo prodeuntes domo fœminæ Arabum & & Syrorum totas ſe obnubunt, ut nihil ſive e corpore, ſive e veſtibus appareat. Eſt autem perpetuum e lino velamen, nulla futura deforme, cui Ruth commode committere poterat totam illam frumenti copiam, & ſimul ſe totam occulere. Radix, e qua vox hæc Hebræa derivatur, ſonat tegere, obvolvere.

Mensus est sex medios hordei. Hebræus (5): *Sex hordei*; menſuræ genus non exprimit: omittunt & Septuaginta. Plerique tamen ſubſtituendum credunt *Ephi*; & S. Hieronymus, qui hic, & ℣. 17. capitis 11. reddidit *modium*, putavit, Booz dediſſe mulieri duo Ephi, ideſt, ipſius ſententia, modios ſex. Si quis velit largitum fuiſſe virum ſex Ephi, ille certe graviorem ſarcinam conſtituet; redderet enim amplius centum & octoginta pintas hordei, quæ totidem libras frumenti exhibent: onus profecto multo gravius quam pro fœmina. Bonfrerius ſubſtituendum cenſet gomor, quæ menſura decimam partem ephi continet, quaſi tres circiter pintas. Itaque ſex menſuræ hordei non ſuperaſſent duodeviginti pintas; modicum ſane donum, & indignum quod fœminæ non vulgari Ruth offeratur. Retineri poſſunt ſex menſuræ vel duo ephi S. Hieronymi, quæ libras ſexaginta circiter dabunt.

Quæ portans ingressa est civitatem, [℣. 16.] et venit ad socrum. Hebræus (6): *Et venit ad civitatem, & intravit ad ſocrum ſuam*. Quaſi in priori membro hujus verſiculi ſermo eſſet de Booz. Sed vero propius arbitramur, corruptum eſſe hic Textum, dictumque accipi oportere de Ruth, quæ ad civitatem regreſſa, venit ad ſocrum ſuam.

℣. 16. Quid egisti filia? Hebræus מי את בתי, *Quæ tu es filia?* In obſcura adhuc noctis nondum abeuntis caligine, notam faciem non agnoverat. Septuaginta: Τί σὺ θύγατερ; *Quid tu, filia*, dicis, vel feciſti? Quis itineris tui exitus?

[1] כי אם גאל אנכי וגם יש גאל קרוב ממני [2] אם יגאלך טוב יגאל [3] הבי המטפחת אשר עליך
[4] Jun. & Tremel. Druſ. Bonfr. [5] וימד שש שעורים [6] ויבא העיר : ותבוא אל חמותה

C A P U T IV.

Booz ceſſione neceſſarii, propinquioris Noemi, ius obtinet poſſeſſionis in hæreditatem Elimelechi, ducitque Ruth Moabitidem, quæ effecta eſt mater Obed avi Davidis.

℣. 1. ASCendit ergo Booz ad portam, & ſedit ibi: Cumque vidiſſet propinquum
præterire, de quo prius ſermo habitus eſt, dixit ad eum: Declina pau-
liſper, & ſede hic: vocans eum nomine ſuo. Qui divertit, & ſedit. 2. Tollens au-
tem Booz decem viros de ſenioribus civitatis, dixit ad eos: Sedete hic. 3. Quibus
ſedentibus, locutus eſt ad propinquum: Partem agri fratris noſtri Elimelech vendet
Noemi, quæ reverſa eſt de regione Moabitide: 4. Quod audire te volui, & tibi di-
cere coram cunctis ſedentibus, & majoribus natu de populo meo. Si vis poſſidere
jure propinquitatis: eme, & poſſide. Sin autem diſplicet tibi, hoc ipſum indica mi-
hi, ut ſciam, quid facere debeam, nullus enim eſt propinquus, excepto te, qui prior
es; & me, qui ſecundus ſum. At ille reſpondit: ego agrum emam. 5. Cui dixit
Booz: Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quæ uxor
defuncti fuit, debes accipere: ut ſuſcites nomen propinqui tui in hæreditate ſua. 6.
Qui reſpondit: Cedo juri propinquitatis: neque enim poſteritatem familiæ meæ delere
debeo. Tu meo utere privilegio, quo me libenter carere profiteor. 7. Hic autem
erat mos antiquus in Iſrael inter propinquos, ut ſi quando alter alteri ſuo juri cede-
bat, ut eſſet firma conceſſio, ſolvebat homo calceamentum ſuum, & dabat proximo
ſuo. Hoc erat teſtimonium ceſſionis in Iſrael. 8. Dixit ergo propinquo ſuo Booz:
Tolle calceamentum tuum. Quod ſtatim ſolvit de pede ſuo. 9. At ille majoribus
natu,

natu, & univerſo populo, Teſtes vos, inquit, eſtis hodie, quod poſſederim omnia,
quæ fuerunt Elimelech, & Chelion, & Mahalon, tradente Noemi: 10. *Et Ruth Moa-*
bitidem, uxorem Mahalon, in conjugium ſumpſerim, ut ſuſcitem nomen defuncti in
hæreditate ſua, ne vocabulum ejus de familia ſua, ac fratribus, & populo deleatur.
Vos, inquam, hujus rei teſtes eſtis. 11. *Reſpondit omnis populus, qui erat in porta,*
& majores natu: Nos teſtes ſumus: faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur
domum tuam, ſicut Rachel, & Liam, quæ ædificaverunt domum Iſrael; ut ſit exem-
plum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethlehem: 12. *Fiatque domus*
tua ſicut domus Phares, quem Thamar peperit Judæ, de ſemine, quod tibi dederit Do-
minus ex hac puella. 13. *Tulit itaque Booz Ruth, & accepit uxorem: ingreſſuſque*
eſt ad eam, & dedit illi Dominus ut conciperet, & pareret filium. 14. *Dixeruntque*
mulieres ad Noemi: Benedictus Dominus, qui non eſt paſſus, ut deficeret ſucceſſor fa-
miliæ tuæ, & vocaretur nomen ejus in Iſrael. 15. *Et habeas, qui conſoletur animam*
tuam, & enutriat ſenectutem. De nuru enim tua natus eſt, quæ te diligit: & multo
tibi melior eſt, quam ſi ſeptem haberes filios. 16. *Suſceptumque Noemi puerum,*
poſuit in ſinu ſuo, & nutricis, ac gerulæ fungebatur officio. 17. *Vicinæ autem mu-*
lieres congratulantes ei, & dicentes: Natus eſt filius Noemi; vocaverunt nomen ejus
Obed: hic eſt pater Iſai, patris David. 18. *Hæ ſunt generationes Phares: Phares ge-*
nuit Eſron, 19. *Eſron genuit Aram, Aram genuit Aminadab,* 20. *Aminadab genuit*
Nahaſſon, Nahaſſon genuit Salmon, 21. *Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed,* 22.
Obed genuit Iſai, Iſai genuit David.

℣. 1. ASCENDIT ERGO BOOZ AD PORTAM, ET SEDIT IBI. Singularum urbium porta erat quædam juri dicundo deſtinata, agendiſque cauſis coram Judicibus & Senioribus, frequenti teſtium numero adhibito.

DECLINA PAULISPER, ET SEDE HIC, VOCANS EUM NOMINE SUO. Is erat ætatis illius ritus judicialis, Solemnis forma nulla, ſed partes tantum coram Judicibus, vel coram cœtu ſeſe ſiſtebant: diſceptabatur autem ſine ſcriptis, abſque ſignificationibus, ex tempore. Virum hunc nomine ſuo appellavit Booz, ſed ab Authore ſacro nomen ſiletur, ſive quod ignoraret, inquiunt Bonfrerius *hic*, & Druſius in Caput III. 13. eum ſibi a Deo revelatum non fuerit; ſive quod optimum factu idem Author occulta aliqua de cauſa duxerit, ut illud non proderet. Hebræus legit (1): *Dixit: Declina, hic, ſede, Peloni Almoni.* Quæ duæ poſtremæ voces uſurpari ſolent, ut indicetur ſive homo, ſive locus, cujus vel ignoratur, vel ſiletur nomen (2); quod Gallice effamur; *Il lui dit: un tel venez ici*; Italice *Gli diſſe: O tale venite quà.*

Acta hæc omnia creduntur mane, quo tempore egredientes ex urbe homines, ſeſe conferunt ad agreſtes exercitationes, vel circa meridiem, cum a labore redeunt. Circa meridiem, ait Joſephus; affirmatque Maimonides, in privatis urbibus ſediſſe Judices a mane uſque ad meridiem.

℣. 2. DECEM VIROS DE SENIORIBUS CIVITATIS. Decem hi ſenes non Judicum, ſed teſtium loco eliguntur; nec minorem teſtium numerum adhibendum fuiſſe tradunt in rebus gravioribus, uti connubiis, divortiis, ceſſionibus, aliiſque id generis (3).

℣. 3. PARTEM AGRI FRATRIS NOSTRI ELIMELECH VENDET NOEMI. Latini quidam codices legunt: *Vendit*, aut *vendidit*; Hiſtoriæ tamen ſeries demonſtrat, vendere tantum agrum illum ſuum Noemi conſtituiſſe. Sed qua ratione Noemi & Ruth agrum Elimelechi poſſidebant, cum fœminæ ab hereditate mariti ſui in Iſraele excluderentur? Reſpondemus; Ruth in jura Mahalonis filii Elimelechi ſucceſſiſſe; cumque firma animi voluntate ſtatuiſſet nomen viri ſui excitare, nuptiiſcum maxime propinquo conciliatis, privari minime potuiſſe bonis mariti ſui, niſi e familia Elimelechi abiens, alterius familiæ viro nupſiſſet.

At enim quid juris erat Noemi in agrum Elimelechi? Negotium in ea re non leve ſit Interpretibus. Arbitratur Lyranus, morem fuiſſe, ut viduis concederetur uſusfructus ex portione fundorum, quos maritus reliquerat: ſed hujus moris nihil ſive in lege, ſive in conſuetudine Judæorum deprehendimus. Qua etiam admiſſa interpretatione, num integrum erat Noemi uſum fructum, qui ſibi ex eo agro cedebat, vendere? Arbitratur Seldenus (4), Elimelechum, & Mahalonem per ſe ſingulos donatione abſoluta, & pura fundos ſuos in uxores tranſtuliſſe; eaque in re nihil peccatum fuiſſe in Leges, permittentes maxime propinquo e neceſſariis fundos fratrum ſuorum redimere. Alio quidem nomine aſſeri non poſſe Noemi & Ruth jus merum & abſolutum agri, quem vendendum exponebant, videtur Seldeno. Joſephus ita rem eſſe credidit (5): Neceſſarius ille Elimelechi, cujus ignoratur nomen, revera tunc poſſidebat bona Elimelechi, jure propinquitatis: hunc igitur virum conveniens Booz, admonuit, cum bona defuncti poſſideret, ducendam illi eſſe pariter Ruth viduam ex Mahalone relictam. Excepit neceſſarius, habere ſe & uxorem, & filios, nec alterum connubium ſe inire ſeu velle, ſeu poſſe: liberum ergo relinquere Booz, ut uxorem & hæreditatem adiret.

Hæc tamen narratio Textui Sacri Scriptoris aperte repugnat. Itaque arbitramur, Noemi nullum habuiſſe per ſe jus in fundos viri ſui, vel filiorum, eoſque Ruth pleno dominio poſſediſſe; dum illa ſtatuiſſet revocare nomen viri ſui, nuptiis cum viro ejus familiæ conciliatis. Verum cum Ruth mulier eſſet peregrina, & cum Noemi ac ſub ejus cuſtodia habitaret, ſocrus ita ſe gerebat tamquam dominam agri, a nuru ſua poſſeſſi, ea tamen, quam indicavimus, conditione. Itaque cum Scriptura narrat hic, Noemi vendere agrum Elimelechi decreviſſe, illud ita accipi oportet, jungere illam connubio voluiſſe nurum ſuam propinquo ſuo, viro illi, penes quem jus eſſet emen-
di

[1] ויאמר סורה שבה פה פלני אלמני [2] Vide 1. Reg. xxi. 2. & 4. Reg. vi. 8. & Dan. viii. 13. & ſi Jubet, Matth. xxvi. 18. [3] Grot. hic. [4] Selden. de Succeſs. in bona cap. 13. Ita & Grot. ex Hebr. [5] Joſeph. Antiq. l. 5. c. 11.

di agrum Elimelechi: agrum denique & puellam vendere decreviſſe. Solemne eſt hodie pariter in ea regione, ot viri emant ſibi uxores. Vide ℣. 5.

℣. 4. Aᴜᴅɪʀᴇ ᴛᴇ ᴠᴏʟᴜɪ. Hebræus (1): *Et dixi ego: Revelabo aurem tuam*; quæ phraſis familiaris eſt in Libris Regum (2), & Job (3), ſignificans, admonere aliquem, docere, certiorem facere. Neque phraſis eſt inuſitata Latinis (4):

> . . . . . . *Cinthius aurem*
> *Vellit, & admonuit* . . . . . .

Et alibi (5): *Mors aurem vellens, vivite, ait, venio.*

℣. 5. Qᴜᴀɴᴅᴏ ᴇᴍᴇʀɪꜱ ᴀɢʀᴜᴍ ᴅᴇ ᴍᴀɴᴜ ᴍᴜʟɪᴇʀɪꜱ, Rᴜᴛʜ ǫᴜᴏǫᴜᴇ Mᴏᴀʙɪᴛɪᴅᴇᴍ . . . . ᴅᴇʙᴇꜱ ᴀᴄᴄɪᴘᴇʀᴇ. Hebræus (6): *Et dixit Booz: In die, qua acquirens agrum de manu Noemi, & a Ruth Moabitide, & uxorem mortui acquires, ad ſuſcitandum nomen mortui ſuper hæreditate ejus.* Innuit his verbis videtur, Noemi una cum Ruth hæreditatem vendidiſſe, ea tantum conditione, ſi emptor agrum & viduam pariter defuncti uxorem acciperet. Ea ſolum lege abdicare a ſe fundum ſuum poterant mulieres, nec ementi aliter acquirere fas erat. Habes hic duarum legum expletionem, alterius quidem (7) vetantis, ne hæreditates extra familias devolvantur; alterius vero (8) ſancientis, ut vidua ex defuncto ſine liberis viro ducatur a fratre ſeu maxime propinquo defuncti neceſſario.

℣. 6. Neque ᴇɴɪᴍ ᴘᴏꜱᴛᴇʀɪᴛᴀᴛᴇᴍ ꜰᴀᴍɪʟɪæ ᴍᴇæ ᴅᴇʟᴇʀᴇ ᴅᴇʙᴇᴏ. Hunc Textum paraphraſtice ita vertit Chaldæus: *Uti iſto colore* [jure] *non ego poſſum, ad redimendum mihi, ſuper quod* [nam] *eſt mihi uxor, non eſt mihi facultas ad accipiendum aliam ſuper eam: fortaſſe erit ad contentionem in domo mea, ero corrumpens poſſeſſionem meam: redime tibi tu, quia non eſt tibi uxor, quoniam non ego potero ad redimendam.* Alii vero ita exponere malunt: Nequeo ego aliam uxorem ducere; vereor enim, ne hæreditatem meam inter plures filios dividere cogar; vel, malo accipere aliam uxorem, ut hæredes mei non alterius, ſed meum nomen perennent. Miſer ille Onan filius Judæ (9), noluit uxorem fratris ſui Thamarem fœtam reddere, *ſciens non ſibi naſci liberos &c.* Hebræus ad literam (10): *Ne corrumpam hæreditatem meam*: nolo onus hoc novum ſubire; ne veterem hæreditatem meam in plura diſtractus negligere cogar.

℣. 7. Sᴏʟᴠᴇʙᴀᴛ ʜᴏᴍᴏ ᴄᴀʟᴄᴇᴀᴍᴇɴᴛᴜᴍ ꜱᴜᴜᴍ, ᴇᴛ ᴅᴀʙᴀᴛ ᴘʀᴏxɪᴍᴏ ꜱᴜᴏ. Hᴏᴄ ᴇʀᴀᴛ ᴛᴇꜱᴛɪᴍᴏɴɪᴜᴍ ᴄᴇꜱꜱɪᴏɴɪꜱ ɪɴ Iꜱʀᴀᴇʟ. Hebræus legit tantum (11): *Hoc erat teſtimonium in Iſrael*; ſignum nempe translatæ ab altero in alterum hæreditatis. Porro hic ritus longe ab eo differt, qui præcipitur in Lege (12), dum recuſatur connubium viduæ ex fratre ſine liberis defuncto. Viduæ enim erat detrahere calceos viri, qui nuptias recuſabat, ac expuere in os illius, exprobrata remiſſione illa ſtudii erga fratris ſui memoriam: hic autem vir idem, qui juri ſuo cedit, quique hæreditatem neceſſarii ſui repudiat, calceum ſibi detrahens tradit Booz (13); quæ utique nulla eſt ignominiæ nota. Mos facile in ea re variaverat, eidemque lex ceſſerat. Porro in hac re detrahere ſibi calceos, ſymbolum erat jure ſuo ſe abdicandi. Sedulo inquirunt Hebræi (14), uter calceum ſuum ſibi detrahens alteri daret, ille ne qui juri cedebat, an qui accipiebat. Narrationis hujus ſeries indicat, neceſſarium Booz calceos ſibi ſuos detraxiſſe. Joſephus cenſuit (15), omnes hic ſolemnes formulas ſervatas fuiſſe; formulas, inquam, præſcriptas in lege, cum frater alterius fratris defuncti viduam recuſabat. Præſentem Ruth ſtatuit, quæ calceum neceſſarii ſui detraxerit, os percuſſerit, ſeu potius in os expuerit &c. Sed hoc in Textu nullibi legitur. Interpretes quidam (16) defendunt nullos hic hominis calceos detractos fuiſſe, ſed ipſum chirothecam ſuam manu detractam dediſſe Booz. Hunc autem ritum innuit voce נרתקא *nartheka* credunt a Chaldæo: ſed Chaldæus morem ſui temporis potius quam apertam literam Textus hic ſpectavit.

℣. 9. Qᴜᴏᴅ ᴘᴏꜱꜱᴇᴅᴇʀɪᴍ ᴏᴍɴɪᴀ ǫᴜæ ꜰᴜᴇʀᴜɴᴛ Eʟɪᴍᴇʟᴇᴄʜ, Cʜᴇʟɪᴏɴ ᴇᴛ Mᴀʜᴀʟᴏɴ. Superſtitis adhuc uxoris Chelionis nulla habita eſt ratio in diviſione hæreditatis viri ipſius. Cum enim perſeveraſſet illa in regione Moab, putabatur ad ſecundas nuptias tranſiiſſe, vel ceſſiſſe juri in hæreditatem Elimelechi; quod utique illi manſiſſet integrum, ſi Ruth imitata mariti ſui neceſſario nupſiſſet.

℣. 10. Rᴜᴛʜ Mᴏᴀʙɪᴛɪᴅᴇᴍ ɪɴ ᴄᴏɴᴊᴜɢɪᴜᴍ ꜱᴜᴍᴘꜱᴇʀɪᴍ. Salva ne Lege fas erat Booz fœminam Moabitidem ducere? Animadvertimus ſupra, filios Elimelechi nulla excuſari ratione poſſe, quod connubia illa miſcuerint, niſi forte neceſſitate, qua tenebantur ducendi uxores peregrinas in ea, in qua verſabantur, regione. Nulla ſimili neceſſitate Booz cogebatur, fateor; ſed altera neceſſitas ſucceſſerat, implendæ ſcilicet legis Moſaicæ, imperantis, ut neceſſarius maxime propinquus duceret viduam neceſſarii ſui abſque liberis mortui. Addunt Interpretes, ſanctionem, qua Moabitæ ab Eccleſia populi Dei uſque ad decimam generationem excludebantur (17), viros tantum afficere, non fœminas (18), eas præſertim, quæ patria ſuperſtitione abjecta, tranſibant ad Judæos, uti a Ruth præſtitum fuiſſe conſtat. Si Rabbinorum doctrinam admittamus, *Obed* filius Ruth Moabita eſſe cenſendus erit, utpote natus e matre Moabitide; docent enim, filium matris conditionem ſequi. Sed quis graves horumce Doctorum definitiones temere admittat?

Nᴇ ᴠᴏᴄᴀʙᴜʟᴜᴍ ᴇᴊᴜꜱ ᴅᴇ ꜰᴀᴍɪʟɪᴀ ꜱᴜᴀ ᴀᴄ ꜰʀᴀᴛʀɪʙᴜꜱ ᴇᴛ ᴘᴏᴘᴜʟᴏ ᴅᴇʟᴇᴀᴛᴜʀ. Hebræus (19): *Et non excidatur nomen mortui inter fratres ſuos, & a porta loci ſui*; ideſt, urbis ſuæ. Naſcituri ex eo connubio filii in cœtu populi perſonam Mahalonis geſturi erant, & in porta urbis ſuæ filiorum Mahalonis nomen ſervaturi; minime tamen id prohibebat, quin & privatum nomen ſuum retinerent, haberenturque ſimul filii Booz, ex naturali ordine, præſertim ſi Booz alii non eſſent liberi, uti non temere arbitramur.

℣. 11. Rᴀᴄʜᴇʟ ᴇᴛ Lɪᴀᴍ, ǫᴜæ æᴅɪꜰɪᴄᴀᴠᴇʀᴜɴᴛ ᴅᴏᴍᴜᴍ Iꜱʀᴀᴇʟ. In Exodo 1. 21. animadvertimus, hac phraſi, *conſtituere*, ſeu *ædificare domum*, indicari ſæpe *parere liberos*. Hoc ſenſu Rachel & Lia (20) ædificaverunt domum Jacobi, cui florentem poſteritatem dederunt. Perſimili phraſi uſus eſt Plautus in Moſtellaria.

> *Ut homines ædium eſſe ſimiles arbitremini:*
> *Primum dum parentes fabri liberum ſunt,*
> *Et fundamentum ſubſtruunt liberorum.*

Sɪᴛ ᴇxᴇᴍᴘʟᴜᴍ ᴠɪʀᴛᴜᴛɪꜱ ɪɴ Eᴘʜʀᴀᴛᴀ. Hebræus hæc verba refert ad Booz (21): *Fac virtutem*

Ephra-

[1] ואני אמרתי אגלה אזנך [2] 3. Reg. xx. 2. & 2. Reg. vii. 27. [3] Job xxxvi. 10. [4] Virgil. in Sileno. [5] Idem in fragmentis. [6] ויאמר בעז ביום קנותך השדה מיד נעמי ומאת רות המואביה אשת המת קניתי להקים שם המת על נחלתו [7] Levit. xxv. 10. [8] Deuteronom. xxv. 5. [9] Geneſ. xxxviii. 9. [10] פן אשחית את נחלתי [11] וזאת התעודה בישראל [12] Deut. xxv. 7. [13] Ita Serar. Menoch. Piſcat. [14] Vide apud Druſ. qu. Hebr. De hac re conſule Selden. Uxor. Hebraic. & lib. de Succeſſ. in bona. [15] Antiq. l. 5. c. 11. τύπτειν εἰς τὸ πρόσωπον. Legendum πτύειν, exſpuere. [16] Vide Quinquarbor. in Ruth, & Delrio Adag. 173. [17] Deuteron. xxiii. 3. [18] Auguſt. quæſtion. in Deut. Serar. Bonfr. [19] ולא יכרת שם המת מעם אחיו ומשער מקומו [20] אשר בנו שתיהם את בית ישראל [21] ועשה חיל באפרתה וקרא שם בבית לחם

Ephrata, & voca nomen in Bethlehem. Verba hæc, *fac virtutem*, ſignificare poſſunt, compara divitias, vel gere te ſtrenue.

℣. 14. Qui non est passus ut deficeret successor familiæ tuæ, et vocaretur nomen ejus in Israel. Interpretationem aliam exigit Hebræus (1): *Benedictus Dominus, qui non ceſſare fecit tibi vindicem hodie in Iſrael; & nomen ejus celebretur; agnoſcatur in Iſrael*. Laudabant illæ Deum non ideo proprie, quod natus eſſet Obed, ſed potius quod Noemi obtinuerit propinquum, a quo ejus familia in Iſraele celebris fieret: imprecabantur ipſi Booz illuſtre nomen in regione. Vel potius innuere volebant, Deum non permiſiſſe, ut Noemi defereretur, ut ſcilicet Dominus ipſe agnoſceretur laudareturque in Iſraele.

℣. 15. Qui consoletur animam tuam. Hebræus ad literam (2): *Reducentem animam tuam*; qui in vitam revocet, gaudio & conſolatione repleat.

℣. 18. Hæ sunt generationes Phares, poſteri ſcilicet. Hinc intelligimus, potiſſimum authoris Libri hujus propoſitum illud fuiſſe, ut traderet Davidis genealogiam, ac memoriam conſervaret rei inſignis, quæ propriam ſedem commode in libro Judicum obtinere non poterat.

℣. 19. Esron genuit Aram. Aram appellatur tantum *Ram* in Hebræo hujus Textus, & in 1. Paralipomenon 11. 9.

℣. 20. Salmon. In Hebræo hujus Verſiculi appellatur *Salma*, & in ſequenti Verſiculo *Salmon*.

---

(1) ברוך יהוה אשר לא השבית לך גאל היום ויקרא שמו בישראל

(2) והיה לך למשיב נפש

FINIS COMMENTARII IN LIBRUM RUTH.

IN

IN DUOS PRIORES

LIBROS REGUM

PROLEGOMENON.

GEmini hi Libri in unum olim in Bibliis Hebraicis continuabantur. Unam textus ſeriem conſtituebant in Verſione S. Hieronymi ex Hebræo (1), hinc fit, ut in veteribus ejuſdem Exemplaribus titulorum omnium utriuſque Libri capitum indiculus priori Libro præfixus legatur: tum & marginales numeri, varia textus membra diſtinguentes, perpetuo ductu uſque ad calcem ſecundi libri regnent. Sed brevi in Exemplaribus Latinis vetus ordo, bipartiti ſcilicet Operis, rediit, manente cæterum Verſione S. Hieronymi.

Primus Liber hiſtoriam complectitur ab orto Samuele uſque ad Sacerdotium Heli. Philiſthæi prælio victis Iſraelitis, cum ſibi in præmium victoriæ obtigiſſet Arca Domini, nobile trophæum in Templo Dagonis collocandum duxerunt. Dominus vero hanc ex illis injuriam ulciſcens, gravis adeo in Ipſos Deumque eorum factus eſt, ut Arcam coacti, nec indonatam illam, dimiſerint. Samuel longo temporis experimento vir probatus, gubernandum populum aſſumens, prudentia & pietate ſingulari, Philiſthæos bello fregit. Sed liberorum ipſius ſcelera gravius ferens populus, randem ad Regem ſibi depoſcendum devenit. Deus Saulem elegit, cum Saul ipſe deperditas patris ſui aſinas quæritans, pro aſinis inſperato Regnum invenit. Sed novo honore plus nimio elatus, cum Dei juſſionibus acquieſcere recuſaſſet, brevi id commiſit, ut David in Regem inungeretur. Porro David relata ex Goliat victoria inſignis, eo præclaro facinore & apud populum gloriam, & apud Saulem invidiam in ſe comparavit. Quare a Rege in necem conquiſitus, ut ſe præſentiſſimo periculo liberaret, modo apud Moabitas, modo apud Philiſthæos, modo ad ſpeluncas in montibus Juda fugitabat, & cum ſemper ad latera haberet inſequentem Saulem, ſemper tamen expertus eſt præſentiſſima providentia Deum protectorem. Tandem Saul a Philiſthæis hoſtibus laceſſitus in prælium, cum demeruiſſe ſe Dei auxilium intelligeret, ad Magorum opem confugiens, evocari ſibi animam Samuelis voluit. Sed fruſtra omnia; nam prælio victus, in ultima rerum deſperatione ipſe ſibi necem in montibus Gelboe intulit. Hæc in primo Regum.

Secundus hiſtoriam fuſe proſequitur initi a Davide Regni, quem Tribus Juda primum, deinde poſt necem Isboſethi filii Saulis, Iſrael univerſus ſalutavit in Regem. Urbem Jeroſolymam a ſe captam, & Regni & Arcæ Fœderis ſedem conſtituit; ubi & Templum excitare decreverat, niſi honorem illum filio reſervari ex Nathano Propheta didiciſſet. Nihil huic viro ad felicitatem, & ad victorias in hoſtes erat reliquum; cum ex crimine in Bethſabeam & Uriam commiſſo tanta rerum mutatio orta eſt, ut omnium mortalium infeliciſſimus haberetur. Ammon enim ejus filius commiſſo in Thamarem ex patre ſororem inceſtu, fratrem ſuum ex patre, & Thamaris germanum, Abſalomum in ſe animavit. Hinc Ammonis cædes: tum & conjuratio Abſalomi in patrem, qui fuga ſeſe ſubducere a furore filii coactus, randem verſis in illum armis victoriam quidem e prælio retulit, ſed nimium patri ex filii nece funeſtam. Tot afflictum malis dira etiam lues, quæ miſere in Iſraele graſſata eſt, in ultionem cenſus invito Deo in populum indicti, oppreſſit. Hæc ſumma ſecundi Libri Regum, ſive Samuelis.

Nomen Samuelis, tamquam Authoris Operis in fronte utriuſque Libri in Hebræis Exemplaribus apparet. Sed eum titulum in ſuis Exemplaribus non legiſſe Græcos Interpretes ſuſpicamur; apud quos conſtanter inſcribuntur *Libri Regum*, ſeu porius *Regnorum*. Judæi Authores (2) ſcripſiſſe tantum Samuelem produnt XXVII. priora capita; totam nempe hiſtoriam geſtarum a ſe rerum, tum adminiſtrationis ſuæ, & eorum omnium, quorum ſub Davide & Saule ipſe, dum eſſet in vivis, notitiam comparavit; reliqua proſecutos Prophetas Gadum, & Nathanum putant. Laudant in eam rem hunc locum (3): *Geſta autem David Regis priora, & noviſſima ſcripta ſunt in Libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gad Videntis*. Hæc ſane opinio vulgo atriſit (4), ſed ſuas patitur difficultates, ut infra. Alii vero recentiorem his omnibus Prophetis Authorem Operis (5) credunt; quamquam digeſtum illud ſuſpicantur ex Ephemeridibus ab illis Prophetis relictis. Sed quis eſt Author? Grotius prodit, ab Judæorum doctiſſimis Jeremiam credi, cujus ſe ſtylum in opere ſubdoratos confidunt; ejuſque nomine laudari teſtimonia in Concilio Francfordienſi (6). Idem etiam Author alibi obſervat (7), menſium nomina, quæ in Libris Regum legun-

(1) Vide, ſi placet, Prologum Galeat. & nov. edit. S. Hieron. (2) Thalmud. & Kimchi. (3) 1. Paral. XXIX. 29. (4) Vide Iſid. Orig. lib. 6. cap. 11. Procopius Toſt. Caj. Lyr. Serar. Mendoza, Cornel. Vatabl. &c. (5) Theodoret. Præf. in Libb. Reg. Theodor. Tarſenſ. Gregor. Magn. Sanct. Mart. &c. (6) Nihil tale inveni in geminis Conciliis Francfordienſibus. (7) Grot. in 3. Reg. VI. 1.

æguntur, Authoris recentiorem ætatem prodere; quippe quæ recentiora ſint nomina illa apud Hebræos. Suſpicantur alii, Davidem, ſeu Regem Ezechiam Operis Authores fuiſſe; vel ſaltem recenſuiſſe illud Eſdram Scribam e captivitate reſtitutum. Sed futiles horum omnium ſunt conjecturæ; quin & totum Opus unius eſſe Authoris creditur, non quidem coævi, ſed qui relictis aliorum Commentariis uſus fuerit, ita tamen ut iis in unum corpus digeſtis, nihil addiderit niſi latiores quaſdam explicationes, de reliquo vel ipſis primigeniis vocibus ſervatis.

Conſtans ubique ſtylus, elogia Samuelis, rerum connexio atque perpetua ſeries, teſtimonia quædam aliorum laudata, annotationes hiſtoriis quibuſdam adjectæ, apertiſſima ſunt hujus rei argumenta: ſæpe phraſes quædam occurrunt, quæ Authorem coævum produnt, aliæ vero quæ recentiorem. Ita (1) legitur ſub Heli Summo Sacerdote: *Sermo Domini erat pretioſus in diebus illis, & non erat viſio manifeſta*. Qua igitur ætate Scriptor Operis vivebat, Prophetiæ donum erat frequentius; quemadmodum frequentiſſimum fuit poſt Samuelem ſub Davide cæteriſque deinde Regibus. Ejuſdem Hiſtorici ætate, urbi *Bethel* nomen erat *Bethaven* (2), ſeu domus iniquitatis, quod Urbi nomen inditum eſt per contemptum, poſt conſtitutum in illa a Jeroboamo vitulum aureum. Tandem narrans Author, excurriſſe Davidem regionem Geſſur & Gerſe, notat (3) *Hi pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur uſque in terram Ægypti*. Ex quo intelligimus, diu ante Authoris ætatem totam illam regionem everſam in ſolitudinem redactam fuiſſe.

Alibi etiam (4) prodit, Arcam Domini ad ætatem uſque ſuam manſiſſe in agro Joſue Bethſamitæ; & paulo infra de Samuele loquitur tamquam de viro fatis functo (5), cujus ipſe laudes in regimine Iſraelis proſequitur (6). Quis autem in animum induxerit talia de ſe Samuelem ſcribere vel cogitaſſe, vel potuiſſe? Hæc plane ſunt, quæ Authorem coævum, quæve recentiorem produnt. Alibi inſuper narrat (7), urbem Siceleg ſemper in poteſtate Regum Juda manſiſſe, ex quo, munere Achis Regis Philiſthæorum, David urbem illam in ſedem obtinuerat: quæ Scriptoris obſervatio ſatis inſinuat, inductam jam inter Regna Juda, & Iſraelis diviſionem; & quamquam Tribus Simeonis Regno Iſraelis accenſeretur, urbem tamen Siceleg in ea Tribu ſitam ad Reges Juda pertinuiſſe.

Paria etiam animadvertere licet, (8) cum, narrata Davidis lege, qua æquam prædæ portionem conſtituerat militibus, qui ad impedimenta remanſerant, cæteriſque qui in prælio decertarant, tandem concluditur: *Factum eſt hoc ex illa die, & deinceps . . . quaſi lex in Iſrael, uſque in diem hanc*. Hæc plane nec Samueli, per hæc tempora jam vita functo, nec Nathano, & Gado, ſub Davide viventibus, conveniunt. Notat etiam idem Scriptor, Dagonis Sacerdotes, ne ambulent in limine Templi, religione prohiberi, memores quid idolo acciderit coram Arca Domini conſtituto: id autem, inquit, ſervant Sacerdotes illi *uſque in hodiernam diem* (9). Scribebat igitur diu poſt eam ætatem. Addit (10) *Olim in Iſrael ſic loquebatur unuſquiſque . . . Venite & eamus ad Videntem; qui enim Propheta* (Hebr. *Nabi*) *dicitur hodie, vocabatur olim Videns*. Porro Videntes appellabantur Prophetæ, Saulis & Samuelis ætate; utitur autem Scriptor altero, quod ipſe Samuelis ætate recentius nomen agnoſcit, nempe *Nabi*, ſive *Propheta*. Erat igitur Scriptor Samuele recentior. Tandem *Librum Juſtorum* laudat (11); ita enim de Davide habet: *Et præcipit ut docerent filios Juda arcum*, (Cantici funebris titulus erat pro Saulis nece a Davide exarati.) *Sicut ſcriptum eſt in Libro Juſtorum*. Quis, rogo, coævus Author ſynchronum Opus teſtem laudaret; cum maxime Opus illud, neque majorem quam ipſe Author habere poſſet authoritatem, neque res illas magis haberet exploratas?

His ita conſtitutis, tria colligere poſſe videmus: I. Ambos hoſce libros ex originalibus authenticis, & coævis monumentis fuiſſe digeſtos. II. Operis Authorem coævum quidem non eſſe, ac ſerius, incertum tamen quo tempore, ſcripſiſſe. III. Quis potiſſimum Author ille fuerit, latere.

Hujus ſcribendi Operis conſilium tum Authori, cum cæteris, quorum Commentariis ipſe profecit, non illud fuiſſe cenſendum eſt, ut Hiſtoriam civilem & politicam intexerent, neque ut res præclare geſtas a viris illuſtribus pro merito efferrent; ſed illud ſibi propoſitum præſtituerant, ut Hiſtoriam plane ſanctam darent, qua Deus ſummus Reipublicæ adminiſtrator rerumque arbiter exhiberetur. Uno verbo denique, nunquam oculos avertit Scriptor a Deo Iſraelis, ipſiuſque Lege, Religione, Virtute, Juſtitia. Nec minus ſtudet Davidi ac Regiæ ipſius familiæ; totum enim priorem Librum geſtis ab illo rebus conſecrat, ne verbo quidem ferme de XL. annis regni Saulis facto, niſi cum res Davidis una implicitæ eſſent. Nihil habet antiquius, quam ut ea commemoret, quæ ad Arcam Domini, Tabernaculum, Sacroſque Miniſtros ſpectant; eos ſive laudans ſive vituperans, qui pro ſuo in Legem ſtudio & contemptu laudes vel ſecus meruiſſent. Nec injuria prorſus, cum ea unica ſit & vera ratio Sacrum Hiſtoricum ſibi promerendi, ſi quis pietatis & religionis curas habeat potiſſimas.

Hoc ſane, ſupra cæteras omnes Hiſtorias noſtri Operis meritum efferret; in Profanis enim pinguntur hominum vitia, libidines, ambitio, ſævitia, injuſtitia; in hac Deus nunquam non juſtus apparet, nunquam non ſapiens, nihil negligens, omnia dirigens atque diſponens, vel ipſis hominum vitiis ad ſua conſilia & judicia implenda uſus. Hoc, fateor, in omnibus æque profanis hiſtoriis ultro ſpectatur; ſed illud nihilo ſecius diſcrimen inter ſacram & profanam hiſtoriam inter-

(1) 1. Reg. III. 1. (2) Ibid. XIII. 5. *Caſtrametati ſunt in Machmas, ad Orientem Bethaven.* (3) Ibid. XXVII. 8. (4) 1. Reg. VI. 18. (5) 1. Reg. VII. 15. *Judicabat quoque Samuel Iſraelem cunctis diebus vitæ ſuæ, & ibat per ſingulos annos circumiens Bethel, & Galgala . . . . & revertebatur in Ramatha, ibi enim erat domus ejus.* (6) Ibid. II. 26. *Puer Samuel proficiebat atque creſcebat, & placebat tum Domino, quam hominibus.* Ibid. III. 19. &c. (7) 1. Reg. XXVII. 6. (8) 1. Reg. XXX. 24. 25. (9) 1. Reg. V. 5. (10) 1. Reg. IX. 9. (11) 2. Reg. I. 18.

cedit, quod illa quidem ſemper ad Deum revocet, ejuſque Providentiam nunquam ſubducat oculis, victricem in omnibus Divinam Sapientiam & Virtutem demonſtret; cui perpetuæ contemplationi intenti Lectores vix poſſunt alio mentis oculos avertere, fortuitis cauſis tribuentes ea, quæ Deus, ſecreta quidem, ſed mira providentia, in certos fines diſponit. Nihil in hac Hiſtoria Scriptoris arbitrio relictum eſt, ut dictorum veritati explorandæ, Scriptoris prius indolem indagari oporteat. Unus eſt Spiritus Sanctus, qui rerum narrationem proſequitur, veritatem puram putamque ſecernit; Scriptoris tantum humani miniſterio uſus, ipſe cæteroqui unus hiſtoriæ, ejuſque dirigendæ Author.

Contraria omnia in cæteris Hiſtoricis: quantocumque enim veritatis amore teneantur, quantam adhibeant cautionem, ne ſplendidis mendaciis decipiantur, aganturque in tranſverſum; aguntur nihilominus non raro, inviti licet, & imprudentes. Rerum ignoratione, præjudiciis, alta earumdem rerum caligine, tum ab antiquitate offuſa, cum ab initio hominum latendi atque occultandi ſua, ſi quæ maxime probro ſibi fuerint, ingenio, illud non raro committitur, ut tot involucris obducta veritas vix pateat. Volenti, ſive nolenti Hiſtorico plura excident, quibus ipſe deceptus Lectores decipiet. Abſunt hæc omnia a ſacris Hiſtoriis, nihil enim hic ſive de fide Scriptoris, ſive de veritate hiſtoriæ timendum, cum potiſſimus ejus Operis Author, ſcilicet Sanctus Spiritus, ipſe ſit Veritatis, & Sapientiæ fons: huic fidem unice habentes, excuſſo omni timore pari voluptate ac ſecuritate ſacros Libros percurrimus. De ſingulis, quæ inter legendum offendimus, rerum eventibus tutum proferimus certumque judicium; quippe qui Sancti Spiritus teſtimonio fulcimur, pro ſingulorum merito laudes, ſeu vituperationes impertientis. Nihil hic ſceleribus Principum parcitur, nihil detrahitur de laudibus piorum; quamquam & laudes non homini, ſed ejus tantum virtutibus tribuuntur. Abuſus omnis abeſt, excuſandi ſcilicet vitia glorioſi tituli adulatione, aſperumque ulcus blando verborum lenimine molliendi. Peccat David; ejus crimen vividis atriſque coloribus depingitur: a ſcelere reſipiſcit, commiſſumque peccatum pœnitudine eluit, meritis laudibus non fraudatur.

Neque Divinis hiſce Scripturis mores tantummodo inſtruuntur iis, quas ad literam exhibent, rerum geſtarum narrationibus, non enim fidem modo & pium Samuelis ſtudium, non ſolum clementiam, & reſipiſcentiam Davidis admiramur: altius eſt aliquid, atque auguſtius, quod nos detinet. Siquidem in hiſtoriis, rerumque geſtarum narrationibus, futurorum quædam oracula ſpectamus, vera adeo & accurata, ut nulla ſit major Propheticorum verborum fides. Deus enim humanorum omnium arbiter, non factorum minus, quam verborum doctrina nos inſtruit; eaque diſpoſuit omnes rerum geſtarum ſeries providentia, & conſilio, ut ad Religionis Chriſtianæ myſteria, ſimulque res a Chriſto Jeſu, & in Eccleſia gerendas præluderent. Ita ſub eo aſpectu conſiderata Regum hiſtoria, fuſam quamdam parabolam exhibet, ex hiſtoriæ veritate repetitam.

Iſraelitarum conſilium de petendo Rege a Samuele Judice, Reipublicæ ſtatum ſummopere turbavit, novamque politiam in Regnum invexit. Rerum ad id uſque arbitri fuerant Judices a Deo conſtituti; populus ſuo plerumque regebatur arbitrio; eamque perpetuam ſervaſſet libertatem ſi maximè voluiſſet: nihil illi fuiſſet ad felicitatem præ reliquis totius Orbis gentibus reliquum, ſiquidem Deo parere, ejuſque Legi morem gerere non renuiſſet. Sed humani ingenii inconſtantia, quæ felicitatis quandoque ſuæ prolixitatem faſtidit, & finitimarum gentium, quæ deſpotico Regum imperio parebant, exemplum eo impulit Iſraelitas, ut ſimile politiæ genus expoſcerent. Deus irrogari ſibi injuriam eo populi conſilio queſtus eſt, atque læſæ majeſtatis ſuæ reis Saulem in Regem conſtituit (1); quo ſemel ad Iſraelis Thronum evecto, experimento didicit populus, victoriam & quietem Regni non a Principe, ſed a Deo unice expectandam.

Cum autem Deus Regem Iſraelitis daret, id maxime voluit, ut juſſionum ſuarum miniſtrum traderet, qui nomine ſuo jus diceret, ſimulque Rempublicam adminiſtraret (2). Princeps Hebræorum exercitum ducens, vice Domini imperabat, prælia Domini gerebat, ejus nutu expeditiones ſuſcipiebat; nonniſi conſulto Oraculo inibat prælium, expletiſque Divinis juſſionibus, reducebat exercitum. Cæterum communes habens Rex ille cum cæteris e vulgo natales, communes Leges, & Religionem, nullo externarum copiarum robore fultus, duo ſimul & ſemel referebat, nempe Unctum Domini ejuſque Miniſtrum, & ſubjectarum ſibi gentiom fratrem, Ducem copiarum & Judicem Iſraelis, tum Iſraelitarum civem atque domeſticum. Sed officiorum immemor Saul, cum deſpotico imperio jura ſubjecto ſibi populo dare voluiſſet, & faſtu inſoleſceret intolerabili, jure meritoque Deum habuit depreſſorem, quem olim ex humili loco ad Thronum Iſraelis aſcendendi authorem habuerat.

Rex David feliciores auras expertus eſt, modeſto Princeps animo, & religioſo. Ante illum, Reges populi ſuffragio eligebantur; ſed virtutum ipſius merito factum eſt, ut ſucceſſione in ejus familia Regnum Deo volente aſſereretur. Ad id uſque rari fuerant in Iſraele Prophetæ, nec de ſingularibus rerum eventibus, niſi Summus Sacerdos per Urim & Thummim conſulebatur; nec David ipſe aliquod temporis ſpatio aliter Divinam voluntatem exploravit: exinde conſuli Prophetæ cœperunt. Nulla majoris momenti res inconſultis Prophetis ſuſcepta, ſive quid facto opus eſſet ſuadentibus, ſive reprehenſione digna caſtigantibus: Reges ipſi dicto erant audientes.

Quatuor Libri Regum hiſtoriam continent Judæorum DLXXI. annorum, nempe ab orto Samuele, A. M. 2849. uſque ad tranſmigrationem Juda, A. 3420.

Primus Liber hiſtoriam complectitur 100. annorum, ab A. 2849. uſque ad obitum Saul A. 2949. Secundus Liber excurrit 40. annos Regni Davidis, nempe ab A. 2949. uſque ad 2989.

---

(1) Oſee XIII. 10. 11. *Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.* (2) 1. Reg. XXV. 28. *Prælia Domini, Domine mi, tu præliaris.*

T A-

TABULA CHRONOLOGICA
IN DUOS PRIORES LIBROS REGUM.

2849 SAmuel naſcitur. 1. *Reg.* I. 20. altero anno Regiminis Heli.
2861 Heli infortunium Samueli revelatur. 1. *Reg.* III. 4. &c.
2888 Bellum Philiſtæorum in Iſraelitas. 1. *Reg.* IV. 1.
Capitur Arca: Heli moritur: Samuel regimen init.
Arca reducitur: victoria de Philiſtæis. 1. *Reg.* VI. VII.
2908 Samuel liberos ſuos pro ſe Judices creat. 1. *Reg.* VIII.
2909 Populus de iis queritur. *Ibid.*
2909 Saul eligitur conſecraturque. 1. *Reg.* IX. X.
2909 Bellum Ammonitarum in incolas Jabes. Saulis victoria de Ammonitis. Regnum Sauli con-
firmatur. 1. *Reg.* XI.
2909 Samuel populum arguit. *Ibid.* XII.
2911 Philiſthæi reparatis viribus Saulem bello laceſſunt. Saulis inobedientia. Victoria de Phili-
vel ſthæis per Jonatham 1. *Reg.* XIII. XIV.
2912 Alia Saulis bella in Moabitas, Ammonitas, Idumæos; Syros, Philiſthæos, Amalecitas. 1.
Ab A. *Reg.* XIV. 47. &c.
2912 Bellum in Amalec. Saul reprobatur. 1. *Reg.* XV.
uſq. ad David ungitur. 1. *Reg.* XVI. natus anno 3919.
2930 Bellum Philiſthæorum in Saulem. 1. *Reg.* XVII.
circit. Victoria Davidis de Goliath. *Ibid.* XVII. XVIII.
2930 Ejus gratia apud Saulem. Michole m ducit. *Ibid.*
2934 Alterum bellum Philiſthæorum. 1. *Reg.* XIX. 8.
2943 David gratia Saulis cadit. Fugit Ramatham. *Ibid.*
2944 Davidis cum Jonatha fœdus. David in Nobe ſecedit. *Ibid.* XX. & XXI.
2945 In antrum Odollam recipitur. 1. *Reg.* XXII. & 1. *Par.* XII.
2945 David Ceilam a Philiſthæis obſeſſam ſolvit. 1. *Reg.* XXIII. & 1. *Par.* XII.
Saulem ſeſe inſequentem experitur ad Ziph & Maon.
2946 David in Engaddi confugit. Sauli parcit. 1. *Reg.* XXIV.
2947 Mors Samuelis. 1. *Reg.* XXV. Hiſtoria Nabalis Carmeli. *Ibid.*
2947 David a Ziphæis proditur. 1. *Reg.* XXVI.
2947 Apud Achis recipitur. Sedem in Siceleg ſtatuit. 1. *Reg.* XXVII. & 1. *Par.* XII. 1.
2949 Bellum Philiſthæorum in Saulem. David pollicetur, ſe ſe cum Rege Geth eo profecturum
&c. XXVIII.
Saul Pythoniſſam conſulit. Prælio invaditur: ſeſe interficit. David in Siceleg revertitur &c.
Ibid. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. & 1. *Par.* XII.

TABULA CHRONOLOGICA
IN ALTERUM LIBRUM REGUM.

2949 DAvid, mortuo Saule, Hebronem redit.
Ab A. Isboſeth Sauli ſuccedit, & in Mahanaim regnat. 2. *Reg.* II.
2951 Bella inter Iſboſethum & Davidem. *Ibid.* II. III.
uſq; ad Abner ad partes Davidis tranſit. *Ibid.* III.
2956 Isboſethi mors. 2. *Reg.* IV.
2956 Altera Davidis Unctio. 2. *Reg.* V. 1. & 1. *Par.* XI.
2956 Jeruſalem ex Jabuſæis capta.
2957 Bellum Philiſtæorum in Davidem. 2. *Reg.* V. & 1. *Par.* XI.
2958 David Arcem Davidis muro cingit. 2. *Reg.* V. 1. *Par.* XI. XIV.
2959 Arca transfertur a Cariath-jarim in Sion, in domum Obededom. 2. *Reg.* VI. & 1. *Par.*
XIII. XV. XVI.
Inde in Tabernaculum a Davide erectum. *Ibid.*
2960 David conſilium agitat Templi conſtruendi. 2. *Reg.* VII. & 1. *Par.* XVII.
2960 Davidis victoriæ de Philiſtæis, Ammonitis, Syris, Idumæis. 2. *Reg.* VIII. & 1. *Par.* XVIII.
Bella in Adarezerum. 2. *Reg.* X. & 1. *Par.* XIX.
2965 David Miphiboſethum bonis cumulat. 2. *Reg.* IX.
2967 Legati Davidis ludibrio & probro afficiuntur ab Hanone Ammonitarum Rege. 2. *Reg.* X.
& 1. *Par.* XIX.
2969 Bellum in Ammonitas. David cum Berſabee peccat, &c. 2. *Reg.* XI. XII. & 1. *Par.* XX.
2970 David de crimine arguitur per Nathanum. 2. *Reg.* XII.
2971 Salomon naſcitur. 2. *Reg.* XII. 21.
2972 Amnonis cum Thamare inceſtus. 2. *Reg.* XIII.
2974 Abſalom Amnonem fratrem interficit. *Ibid.*
2977 Abſalom revocatur. 1. Reg. XIV.
2979 David Abſalumo aditum ad ſe concedit. *Ibid.*
2984 Aſalomi in patrem conjuratio.
2984 David Jeroſolymis fugit. 2. *Reg.* XV. XVI.
2984 Hiſtoria Sibæ, Semei, Achitophelis. XV. XVII.
2985 Abſalom victus interfectuſque ab Joabo. 2. *Reg.* XVIII.
David Jeroſolymam revertitur. XIX.
Abela per Joabem obſeſſa. Mors Sebæ. XX.
2985 Fames in pœnam iniquitatis per Saulem in Gabaonitas patratæ. *Ibid.* XXI.
2986 Quatuor bella in Philiſtæos. 2. *Reg.* XXI. & 1. *Par.* XX.
2987 Populi cenſus a Davide imperatus. Ejus curioſitatis pœna. 2. *Reg.* XXIV. & 1. *Par.* XXI.
2988 David omnia parat, quibus Templo ædificando opus eſt. Salomonem Regem deſignat. 1.
Par. XXII. XXIII.
Claſſes & munera Levitarum ordinat. *Ibid.* XXIV. V. VI. VII.

DISSERTATIO
DE ORIGINE ET NUMINIBUS
PHILISTHÆORUM.

PHiliſthæorum origo Criticos in varias diſtraxit ſententias. Convenit inter omnes, illos alienos Palæſtinæ fuiſſe; quos Prophetæ ex inſula Caphtor deducunt (1). Sed quænam hæc Inſula, apud Veteres novoſque Geographos æque incognita? In noſtro Commentario in Gen. x. 14. conjecturas pro Inſula Cypri congeſſimus. Sed ut ingenue fateamur, adductæ alias conjecturæ modo diſplicent; quippe qui originem Numinum Philiſthæorum ſcrutantes, veram ſimul ejuſque gentis patriam in Inſula Cretæ inveniſſe nobis blandimur. Quæ nos in eam opinionem adducunt, rationes in medium proferentes, Eruditorum cenſuræ & judicio relinquimus.

Philiſthim פלִיתּתִים nomen alienigenas ſonat; quod Septuaginta reddere conſueverunt Ἀλλόφυλοι *Allophyli*, gens quæ ex alia in aliam regionem tranſmigravit, Genuinum illius populi nomen erat *Cerethim*; quemadmodum ex teſtimoniis Ezechielis, Sophoniæ, aliiſque colligimus. Legimus (2) Amalecitas irrupiſſe in plagam meridionalem regionis *Cerethim*, nempe Philiſthæorum, uti ex hiſtoria conſtat; cepiſſe inſuper, & vaſtaſſe Siceleg, Urbem in plaga meridionali Philiſthæorum, Davidi ſedem ab Achis Rege conceſſam. David, cæterique poſt ipſum Reges Juda, corporis cuſtodes habuerunt milites alienigenas, *Cerethim* & *Phelethim*, qui e numero erant Philiſthæorum (3), Davidis partes ſecuti, cum perſequentem Saulem in regionem Philiſthæam declinavit. Ezechiel xxv. 16. ita Philiſthæos alloquitur: *Ecce ego extendam manum meam ſuper Philiſthæos, & interficiam interfectores* (Hebr. *Cerethim*), *& perdam reliquias maritimæ regionis*. Sophonias II. 5. ita in eoſdem populos invehitur: *Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum* (*gens Cerethim*). Unus igitur idemque populus habendi ſunt Philiſthæi & Cerethim; illud populum alienigenam deſignat, hoc patriam. Primum nomen per contemptum genti manſit; alterum avitum eſt, & genuinum.

Septuaginta (4) reddunt nomen *Cerethim*, *Cretenſes*, & *Ceroth*, *Cretam*. Theodoretus in Sophoniam partem Philiſthæorum ex Inſula Creta non invitum accerſere ſe ſignificat. Sed plerique Interpretum derivare gentem ex Cappadocia malunt, ubi Inſula Caphtor ſtatuitur, e qua Moyſes, Amos, & Jeremias Philiſthæos deducunt. Moyſes enim liquido prodit (5), Mizraim inter cæteros filios etiam Caphtorim habuiſſe, *de quibus*, inquit, *egreſſi ſunt Philiſthiim*. Jer. XLVII. 4. *Depopulatus eſt Dominus Palæſtinos, reliquias Inſulæ Cappadociæ* (Hebraice Caphtor). Amos IX. 7. *Numquid non Iſrael aſcendere feci de terra Ægypti, & Palæſtinos de Cappadocia, & Syros de Cyrene?* (Hebraice *Philiſthæos de Caphtor, & Aramæos de Kir*). Sed qui Cappadocia, quæ regio eſt continentis, Inſula vocaretur? Ideo forte, inquiunt illi, quod ex uno latere Mari Nigro, ſive Ponto Euxino alluatur; poſitum eſt autem in moribus apud Hebræos, ut Regiones omnes maritimæ indiſcriminatim Inſulæ appellentur. Sed hæc quam facile dicuntur, non tam facile adductis rationibus probantur; hoc enim ſenſu etiam Palæſtina, Phœnicia, Arabia, Ægyptus Inſulæ appellarentur. Ne autem in hæc incidamus abſurda, dicamus oportet, diſſitas quidem a Palæſtina regiones, unde non facile niſi mari iter eſt, Inſulas ab Hebræis, rerum Geometricarum imperitis, haberi ſimul & vocari. Sed hoc nulli minus, quam Cappadociæ convenit, Quærenda eſt Inſula Caphtor in Mediterraneo, non in Oceano, ubi rariſſima erat navigatio, quo tempore Philiſthæi in Palæſtinam migrarunt. Inter cæteras vero Mediterranei Inſulas nulli magis, quam Inſulæ Cretæ ea quæ dicta ſunt, omnia congruunt.

Quærenda eſt nempe Inſula Palæſtinis pervia, ampla, populorum numero florens, incolas habens vetuſtiſſimos, atque mittendis alio frequentibus coloniis aptos, ſermone vero parum a Phœnicio abhortente, conſonis Philiſtinorum moribus, legibus, religione, cujus tandem nomen ad *Cerethim*, *Ceroth*, *Caphtor* reducatur. Hæc autem omnia in Inſula Cretæ ultro ſe offerunt. Urbs eſt ibi vetuſtiſſima, & inclyta *Aphtera* (6), cujus portus *Siſamus*. Notæ ſunt etiam in eadem Inſula Urbes *Teraphnæ*, *Tharra*, *Mons Tityrus*, & Satyri. Caphtor in Hebræo ſonat pomum, ſive malum granatum, atque malum vulgo *cotonium*, Græce *cydonium* appellatur. Porro populi *Cydonii*, & Urbs *Cydonia*, in eadem Inſula celebres, amplum ejus regionis tractum occupabant. Facile Græci *Cydones* ſeu *Cydonios* appellarunt, quos Hebræi *Caphtorim*. Cupreſſus arbor eſt frequens in ea Inſula, & tamquam ejus ſoli avitam arborem deſcribunt Veteres (7): hanc Græci appellant *Kuparisson*; quod ſatis accedit ad *Caphtor*. Sed melius nominis *Cerethim* veſtigia in ipſo Cretæ nomine ſervantur; quæ ſane Inſula nonniſi ſub eo nomine Græcis innotuit. Primum tamen ejus nomen fuiſſe *Aeriam* Plinius (8) refert; deinde *Curetim*. Populi *Curetes* tota profana antiquitate celebrantur, quod Jovem in ſpecu montis Idæ nutrierint. Ex eodem fonte derivantur Urbs *Gortyna*, & amnis *Kærathus* (9), in quibus plane omnibus veſtigia deprehenduntur nominis *Ceret*, *Ceroth*, *Cerethim*.

Inſula Cretæ florentiſſima olim & numero Urbium, & populorum habebatur. *Ingens, & centum quondam Urbibus habitatu Crete* (10). Et Virgilius (11).

Centum urbes habitant magnas, uberrima Regna.

Homerus in catalogo navium eam appellat Inſulam centum urbium; quamquam alibi xc. tantummodo

---

(1) Amos IX. 7. Jerem. XLVII. 4. (2) 1. Reg. xxx. 14. (3) 2. Reg. xv. 18. *Legiones Cerethi & Phelethi, & omnes Gethæi, qui ſecuti eum fuerant Geth*. Vide Hebræum, & noſtrum Commentarium in hunc locum. (4) Ezechia xxv. 16. ἐξολοθρεύσω Κρῆτας. Hebr. והכרתי את כרתים Sophon. II. 5. οὐαὶ οἱ κατοικοῦντες τὸ σχοίνισμα τῆς θαλάσσης, πάροικοι Κρητῶν . . . . . ℣. 6. Καὶ ἔσται Κρήτη νομὴ ποιμνίων. הוי ישבי חבל הים גוי כרתים ℣. 6. והיתה חבל הים נות כרת רעים (5) Gen. x. 14. (6) Strabo l. 10. pag. 330. Plin. Apteron. Ptolemæus. Ἄπτερα. (7) Plin. l. 16. c. 33. *Cupreſſus .... huic patria Inſula Creta.* (8) Plin. lib. 4. cap. 12. (9) Callimach. Hymn. in Dia. Καίρατος ἠδὲ Κουρήτων ποταμοῖο μέγα. (10) Mela lib. 2. cap. 7. (11) Æneid. l. 3. v. 104.

modo agnoſcit (1). Primi omnium maris imperium habuiſſe creduntur (2), omniumque fere Numinum matrem fuiſſe regionem, hiſtoriæ veteres habent, uti Cereris, Veneris, Dianæ, Apollinis, Jovis, Bacchi, Herculis. Cretenſes ſub Rege Minoe, & deinde ſub Rhadamantho, longe lateque imperium ſuum ad Inſulas Ægæi, & ad continentem prorogarunt (3); uti & plures in varia loca miſerunt colonias. Inter has merito Cerethim, & Phelethim recenſemus. Sane nominis Cerethim in eadem Inſula veſtigia deprehendimus non obſcura, ſicut clara apparent nominis Phelethim in *Pleto* ſive *Pluto*, quem virum hiſtoriæ Tripoli in Creta (4) ortum ferunt, quod etiam nomen ſonat in urbe Phalaſarno.

Urbem Gazam in Palæſtina *Minoam* olim appellatam tradit Stephanus (5), quod ſcilicet Minos Rex Cretæ, una cum fratribus Eaco, & Rhadamantho, in Palæſtinam veniens, nomen Urbi ſuum reliquiſſet *Minoam*, ac ſi diceretur Urbs Minois. Hæc in remotiſſima ætate veſtigia ſuperſunt deductæ ex Cretenſibus Philiſthæorum originis. Aptera urbs in Creta veſtigia adhuc quædam nominis *Caphtor* retinet. Ex Rege quodam cognomine appellationem hanc urbi datam Euſebius teſtatur. Haud prope ab ea urbe Sirenæ ad muſicum quoddam certamen provocatæ victæ atque alis expoliatæ ſuis abierunt. Vide Suidam, Stephanum, Ethymolog magn. Quam in rem animadverſione dignum eſt Philiſthæorum Satrapas *Sureni* vel Saranimos olim appellatos fuiſſe lib. 19. Cretam inſulam crebro habitatore frequentari, urbeſque ad nonaginta continere, & ex varii generis incolis varia ibi variarum gentium idiomata inſonare, Homero authore Odyſſ. 19. v. 572. diſcimus. Sunt ibi Achæi, Cretenſes indigenæ, Cydonii, Dorii qui tres urbes implent, & Pelaſgi. Incolæ Cretenſes facile utebantur lingua ad Hebraicam proxime accedente. Pelaſgos ipſos eſſe Philiſtæos ſuadet eadem nominis ſignificatio. Cernere licet Pelaſgos, non per inſulam tantum diffuſos, ſed & per Aſiam, Græciam, & Italiam. In exercitu Græcorum Trojam obſidentium Pelaſgi arma ferebant.

Jupiter in Caſio monte, in finibus Ægypti & Palæſtinæ cultus, malum punicum (quem Hebr. *Caphtor*, Græci *Rhoian* appellant) gerens exprimebatur (6).

Porro Cretenſes gens ſunt omnium, quas quidem novérimus, vetuſtiſſima (7): primitus eam regionem tenuerunt, *Eteo-Cretes*, dicti etiam *Autochtones* ideſt e terra nati, quippe quorum origo lateret. Succeſſerunt Pelaſgi; deinde Dores, quos exceperunt Barbaræ gentes variæ (8). Numero incolarum, & potentia florebant plurimum, tempore belli Trojani, uti ſuperius obſervavimus. Facile etiam conjicimus, veterem gentis linguam Phœniciam fuiſſe, vel ſaltem ad illam acceſſiſſe plurimum, quemadmodum ex nomine urbium, & locorum intelligi poteſt. In iis enim Phœnicia origo facile deprehenditur, qua de re Bochartus. Porro Philiſthæorum lingua Hebræa erat, ſive Phœnicia, & cæterarum gentium ejus tractus, & Inſularum Mediterranei fere omnium. Herodotus (9) teſtatur, Cretenſes omnes origine Barbaros eſſe, non Græcos. De Creta Homerus (10): *In ipſa quidem Achivi, in ea autem Eteocretes, Cydones, Doienſeſque, Tricaices, divinique Pelaſgi.* Pelaſgorum nomine deſignari Philiſthæos idcirco ſuſpicamur, quod duorum ejuſmodi nominum ſonus non abſimilis, eadem ferme ſignificatio habeatur, ſonant enim advenas, errantes. Porro in Græcia, Italia, Aſia, Creta, obſidione Trojæ, non deerant Pelaſgi. Vernacula *Eteocretum*, ſeu Cretenſium genuinorum, uti & Pelaſgorum lingua, non multum ab Hebræa abhorrebat, & conſueto Hebræorum ſermone qui Philiſthæi, ipſi pariter Cerethim, Cretenſes, & Phelethim appellabantur.

Quamquam autem de Philiſthæorum moribus, & Religione pauca memoriæ commiſſa ſuperſunt, quæ tamen reſtant ſatis ſuperque conſenſum produnt cum legibus & cultu Cretenſium. De Cretenſibus memoriæ proditum eſt viros fuiſſe bellicoſos, laborum belli jam inde ab ineunte ætate patientes (11). Arcu, & jaculis utebantur: Rempublicam adminiſtrabant ſex Principes, & in rebus majoris momenti Senatum ea de re collectum conſulebant. In connubiis Lacedæmonum leges ſervabant: adoleſcentes in claſſes diviſi victum habebant & vitam communem; quod ſane cum hiſtoria Samſonis congruit, ad cujus pompam connubii Philiſthæi triginta adoleſcentes aſſignarunt. Principes Cretenſes populi ſuffragiis electi, Philiſthæorum Satrapas ſatis referunt; ac bellicoſa hujus populi indoles in Libris Sacris ultro ſe prodit. Cretenſium pronum ad vitia, mendacia potiſſimum & ignaviam, ingenium quis neſciat? Paria Philiſthæis exprobraremus, conſultis unius hiſtoriæ Sanctæ Libris. Celebrantur apud Profanos Cretenſes, & Dactyli montis Idæ, tamquam viri corporis robore, & ſtrenuitate præſtantes; nec deerant in Inſula Cretæ Gigantes, quibuſcum Jupiter manus conſeruit (12). Scitum eſt autem, e Philiſthæis plures prodiiſſe Gigantes; & plerique milites e turma *Cerethi & Phelethi*, Davidis partes ſequuti, viri erant rerum ſtrenue geſtarum fama præſtantes. Ex prælio autem Gelboe intelligimus, arcu & ſagittis certaſſe Philiſthæos (13).

Quinque Philiſthæorum Numina occurrunt. I. Dagon, Deus in urbibus Gaza (14) & Azotho (15), & alibi cultus; novimus enim (16) duas urbes *Bet-Dagon*, id eſt, Templum Dagonis. II. *Beel-ſebub*, Deus muſcarum, in Accaron venerationi expoſitus (17). III. *Aſtaroth*, facile idem ac *Venus Cœleſtis*, Templo Aſcalonis celebri (18). IV. *Marnas*, Idolum quidem Scriptura ignotum, ſed apud alios tanquam peculiare Gazæ Numen celebratum (19). V. *Berith* ſive *Baal-Berith*. Porro hæc omnia Numina, ſi veteribus Scriptoribus fides, originem referunt ex Inſula Cretæ. Dagon Philiſthæorum ipſa eſt Dea *Dictynna* Cretenſium, quæ ſane *Dic-tinna* eadem eſt ac *Dig-tin* ſive *Dag-tan*; *Dag & Dagon* in Hebræo ſunt *Piſcis*; *Than* ſive *Thannim*, magnus piſcis ceraceus. Tradunt Cretenſes Dictynnæ nomen Dianam retuliſſe (20), quod inſequentem Minoem fugitans cum in pelagum ſe projeciſſet, ſubjectis piſcantium retibus excepta fuit (21). *Beel-ſebub* facile ſub muſcæ ſimulacro effingebatur, in memoriam nutriti Jovis in Monte Ida inter medias apes: cum autem apes illæ atram haberent muſcarum formam, Deus in præmium accepti ab illis officii pullum colorem in aureum mutavit. Officii, inquam, accepti, cum illæ nutriendo puero mel-

(1) Odyſſ. T, v. 174. (2) Diod. lib. 5 pag. 218. Καὶ πρῶτον (Μίνω) τῶν Ἑλλήνων θαλαττοκρατῆσαι. Vide & Strab. l. 10. pag. 331. (3) Vida Diod. ibid. & Herod. lib. 1. cap. 137. (4) Diod. ibid. pag. 236. 237. (5) Steph. in Gaza. (6) Achill. Tat. lib. 3. Περιβέβληται δὲ τὴν χεῖρα, καὶ ῥοιὰν ἐν αὐτῇ. (7) Diod. Sic. l. 5. pag. 230. (8) Ibid. pag. 238. (9) Harod. lib. 1. c. 173. (10) Odyſſ. T, v. 175. (11) Strab. l. 10. p. 332. &c. (12) Diod. l. 5. pag. 234. ὅτι δὲ φασὶν αὐτὸν καὶ τοὺς γίγαντας ἀνελεῖν. (13) 1. Reg. xxxi. 3. *Conſequuti ſunt eum viri ſagittarii.* (14) Judic. xvi. 22. 23. (15) 1. Reg. 1. &c. (16) Joſue xv. 41. & xix. 27. (17) 4. Reg. 1. 2. &c. (18) Herodot. l. 1. c. 105. Palæſ. Incredibil. de fabul. Pherecy. Καλοῦσι τὴν Ἄρτεμιν Θρᾷκες Βενδεῖαν, Κρῆτες Δίκτυνναν, Λακεδαιμόνιοι δὲ Ὦπιν. (19) Hieron. ad Lætam. (20) Dicæarch. in Creta, Ἱερὸν Ἀρτέμιδος ἅγιον, ἣν καλοῦσι τὴν θεὸν Δίκτυναν. (21) Vide Diod. l. 5. pag. 236. 237.

la Nymphis ſufficerent (1). Cum autem mons Ida celſiſſimo ſit vertice, ventiſque validiſſimis concuſſus, tum & ſæviſſimo frigori ſubjectus, alterum acceſſit e Jove illis beneficium, nempe ut reſiſtendi ventis haberent vim, tum & frigoris omnem ſenſum abſtulit, ut dulcem in monte trahere moram poſſent. Si Aſtaroth Venus eſt, & Cretenſes, avitum eſſe Numen illud rati, ſumma ſemper religione domeſticam Deam coluerunt (2); mirum non eſt, ſi a Philiſthæis, quæ colonia eſt Cretenſium, coleretur. Tandem Stephanus Geographus teſtatur, Marnam Gazæ ipſum eſſe Jovem Cretenſium.

Ex his omnibus facile colligimus, Philiſthæorum originem a Creta repetendam eſſe, quemadmodum ex nomine, moribus, armis, legibus, politia, lingua, religione utriuſque gentis probatur. Supereſt modo, ut fuſius de ſingulis Numinibus Philiſthæorum diſſeramus.

Noſtram hanc de origine Philiſthæorum ſententiam Criticorum nonnulli improbant (3), quibuſcum contentioſum trahere funem in re adeo obſcura & problematice in utramque partem agitanda recuſamus. Quæ tamen afferunt adverſus nos rationum pondera, non ea plane cenſenda ſunt, quæ in aliam nos ſententiam pertrahant.

Obſervant igitur I. Seſoſtrim Ægypti Regem, tot inſignium expeditionum gloria clarum, exagitare omnium primum Hebræos cœpiſſe, non diu ante natum Moyſem (4). Obiit ille poſt LIX. regni annos, quem Rameſſes ejus filius excipiens, LXVI. annis regnavit. Sub Amenophi, qui poſt Rameſſem Ægypto præfuit, Hebræi regionem illam deſeruerunt. Chronologicum hoc ſyſtema placet iis, quibus noſtra diſplicent; neque nos refutandum ſuſcipiemus, quamdiu illi non ut certam Chronologiæ hypotheſim, ſed ut probabilem tantummodo invexerint.

II. Authoritate Herodoti, ſtatuunt Ægyptiorum coloniam a Seſoſtri in Colchide relictam (5); ipſamque coloniam a Moyſe nomine Casluhim deſignatam. Ex his deducti Caphtorim, in vicinam Colchidi Cappadociam, ac maxime in *Sidem* vel *Sidenen*, Cappadociæ parvam regionem, migrarunt. Probatur nomine *Side*, quod Græcis eſt malum punicum, ut *Caphtor* Hebræis.

III. Quæ deinde regio, inquiunt illi, Chanaan & Judæa dicta eſt, appellabatur olim Palæſtina; quod in prima terrarum Orbis diviſione Aſiam ab Africa, portionem Cham a portione Sem diſterminaret. Poſt Chananæorum invaſionem, vetus Palæſtinæ nomen finitimæ Ægypto regioni manſit; quam ſane regionem ætate Abraham & Iſaac tenebant Principes Hevæi ſub Philiſthæorum nomine in Geneſi XX. XXVI. deſignati.

IV. Addunt, Caphtorim, qua ductos ratione ignoro, relicta Cappadocia, irrupiſſe in Hevæos, iiſque pulſis ejectiſque, totam illam regionem, neque regionem tantum, ſed & nomen Philiſthæorum [Hevæis peculiare] uſurpaſſe, ea plane ratione, inquiunt illi, qua Gothi, domita Hiſpanie, nomen ſibi a devicta regione adſciverunt.

V. Ad *Cerethim*, vel *Cretim*, a Scriptura interdum Philiſtæos appellatos, quod attinet, nomen illi deducunt ſive ex colonia Cretenſium in Palæſtinam tranſlata, ſive e ſingulari Philiſthæorum jaculandi peritia, ſive tandem ex Philiſthæorum colonia in Cretam deducta, unde facile morum illa & Numinum utriuſque gentis affinitas.

Antequam in hanc ſententiam quidquam moveamus, animadvertere juvat, omnia hæc meram eſſe putamque hypotheſim, non hiſtoriam rei, cujus ulla ſuppetant monumenta. Nec quidquam moveor Herodoti authoritate de Ægyptiorum coloniæ a Seſoſtri in Colchide relicta, poſt ea maxime, quæ nos in Geneſim X. 14. obſervavimus, & quæ pariter adverſus hanc Herodoti hiſtoriam congeſſit Bochartus. Cum enim Seſoſtris prælio victus eſſet a Colchis, coloniam in ea regione ſtatuiſſe ſuam quis credat? Fac autem reliquerit, an illa ex Casluhim conſtabat? An illi nomen Colchidi ſuum commodarunt? Scitum eſt, Colchidis nomen ante Seſoſtrim regioni fuiſſe. Quo inſuper argumento evincitur, Caphtorim relicta Colchide in Sidenen, inde in Palæſtinam, brevi centum annorum ſpatio, migraſſe? Neque enim poſt ortum Moyſem, quem ſub Seſoſtri natum ſtatuunt, uſque ad Hebræorum ex Ægypto ſeceſſione, niſi LXXX. annorum ſpatium intercedit; & poſt XL. annos Philiſthæi, è Caphtorim deducti, in Palæſtina florebant.

Tandem Jeremias XLVII. 4. & Amos IX. 7. Philiſthæos ex Inſula Caphtor acceſſunt. Quis, rogo, unquam Cappadociam Inſulæ nomine appellavit? Solemne eſt quidem Hebræis, Inſulæ nomen regionibus tranſmarinis, locis quæ mari alluuntur, peninſulis, & regionibus nonniſi maritimo itinere a Judæa petendis tribuere. Ita de Jonia, Macedonia, Græcia, & Aſia minori conſtat; nemo tamen aſſerat, omnibus maritimis regionibus commune Inſularum nomen ab illis inditum. Ita enim Judæa, Ægyptus, Arabia, inſulæ dici potuiſſent, quod nemini adhuc venit in mentem. Nemo unus, qui linguam & ſtylum Hebræorum calleat, regiones omnes maritimas a Judæis communi Inſularum nomine appellari affirmet.

Tenuis eſt prorſus, atque homine cordato indigna, conjecture, quæ ex Græca ſignificatione nominis *Side* deducitur, ad probandam Caphtorim e Palæſtinis originem. Potuit enim Urbi nomen indidiſſe ſive ferax malorum punicorum tellus, ſive urbis forma: quin etiam etymon aliunde fortaſſe quam ex Græco derivatur. Res enim dubitatione non vacat, Moyſis ne vel Seſoſtris & Rameſſis ætate Græcus vernaculus ſermo in ea regione obtineret. Corruit autem illico tota adverſariorum fabrica, ſi nomen *Side* aliunde quam ex Caphtorim deductum eſt.

At enim Septuaginta, & poſt illos Interpretum turba, *Caphtorim* reddunt Cappadoces, quos ſane viros de origine Caphtorim inſtructos probe credere par eſt.

Hiſce ego repono. I. Septuaginta ipſis Septuaginta opponens, nempe Interpretes Græcos Pentateuchi Interpretibus Ezechielis XXV. 16. & Sophoniæ II. 5. qui ſane poſteriores nomen Cerethim [Philiſtæis ſynonymum] reddunt Cretenſes. II. Joſephus (6) Cappadoces ducit ex *Moſoch* filio Japheti, cum interim Caphtorim & Casluhim ſolo nomine notos eſſe teſtatur. III. Aquila, origine Judæus, & clariſſimus Scripturæ interpres, nomen Caphtor, & Caphtorim in Textu ſervavit. IV. Tandem Bochartus (7) Scriptores Judæos inter ſe non convenire demonſtrat, ut Cappadoces pro Caphtorim conſtanter uſurpent.

Quæ vero eſt adverſariorum perſuaſio, Philiſthæos conſtituens primos Palæſtinæ incolas ante Chananæos, tamquam Scripturæ repugnans, prorſus abjicitur. Acceſſit enim Scriptura (8) Philiſthæos ex Caphtorim, Inſulæ Caphtor incolis (9), & pulſi quoque ſedibus Hevæi a Philiſthæis produntur (10). Legimus etiam decies, Hevæos populos eſſe Chananæos. Ex quibus omnibus tria deducuntur: I. Vetuſtiſſimos omnium Palæſtinæ incolas haberi Chananæos. II. Priores illos terræ cultores excepiſſe Philiſthæorum coloniam. III. Hanc ex Inſula Caphtor & e populis Caphtorim ducendam eſſe.

Num-

(1) Idem pag. 233. (2) Diod. l. 5. pag. 234. (3) Journal de Trevoux mois d'Aout 1722. pag. 1376. (4) Vide P. Tournemine Differt. contr. Marsham Avril 1702. (5) Herodot. lib. 2. cap. 103. 104. (6) Antiquit. lib. 1. cap. 6. (7) Chanaan l. 4. c. 38. (8) Geneſ. x. 14. (9) Amos IX. 7. Jerem. XLVI. 4. (10) Deut. II. 23.

Nunquam evicerunt, neque evincent adverſarii, primigenium Chananææ nomen *Palæſtinam* fuiſſe. Nihil enim tale produnt Herodotus, Plinius, Mela, Ptolemæus, in hanc ſententiam laudati: & ſi illud proderent, eos teſtes rerum, quas minime norant, abjicimus. Nunquam non inſinuat Scriptura, Chananæos vetuſtiſſimos eſſe regionis incolas. Docet Moyſes (1), Moabitas a ſedibus ſuis *Emim* expuliſſe; Ammonitas *Zonzommim* (2); Idumæos regionem *Horræorum* uſurpaſſe (3), ac tandem Caphtorim occupaſſe Hevæorum regionem. Moyſes pariter Deut. 11. 23. tradit, Caphtorim, e Caphtor ſatos, expuliſſe Hevæos tractum tenentes totum ab Hazerim uſque Gazam, ſedeſque ibi ſuas collocaſſe. In noſtro Dictionario biblico quædam attulimus ad demonſtrandum Casluin primo conſediſſe in Lybia & in Cyrenaica, ex quo demum tranſiiſſe in Inſulam Cretam e regione ſitam. Quæ omnia operæ pretium Sacro Scriptori viſum eſt animadvertere, ut Hebræis ad occupandam Chananitidem, promiſſam ſibi a Deo regionem, animos adderet. Res ergo poſcebat, ut ſimul & ſemel demonſtraret, a Chananæis ipſis veteres Philiſthæos e ſedibus ſuis fuiſſe pulſos; nec tamen ea de re quidquam prodit.

Accuratiſſimus Chronologiæ calculus nullam gentem Chananæis vetuſtiorem in Palæſtina conſtitui patitur. Chanaan, quo authore gens prodiit, non diu poſt diluvium natus eſt, quippe qui ætate eſſet jam grandior, ut maledictionem in ſe avi mereretur; cum avus ipſe Noe vineam ſevit (4). Ex Chanaan undecim filii nati ſunt (5). Quæ in conſtructione turris Babelicæ diviſio accidit, ad CCL. ſive CCC. poſt diluvium annum conſignatur. Jam tum autem florentiſſimam totius Orbis gentem Chananæam credi par eſt; quam alias habuiſſe ſedes præter Palæſtinam nullibi legimus. Abrahami ætate CCL. annis circiter poſt turrim Babelicam, Chananæi jamdiu a pluribus annis quietam habebant regionis illius poſſeſſionem. Indicent ergo adverſarii, quando venerint, & quos regionis incolas depulerint.

Philiſthæi jam ab ætate Abrahami potentiſſima erant natio, quibus nec innumeræ deerant urbes, nec Reges; vetereſque regionis incolas Hevæos jam depulerant. Erant ergo Hevæi, gens ex Chananæis referens originem, primigenii Palæſtinæ incolæ: quare vetuſtate ſuperant illam, ab adverſariis invectam, Casluchim e Seſoſtri in Colchidem miſſam coloniam, adeoque & multo præcedunt tempore Caphtorim e Cappadocia deductos. Atenim Philiſthæi illi Abrahamo, & Iſaaco coævi, ipſiſſimi ſunt Hevæi, poſteri Chanaan, qui *Philiſthæi*, nempe *ſegregatores*, ideo appellabantur, quod portiones Cham & Sem medii diſtinguerent ſegregarentque. Bella ratiocinatio! I. Cur inter ſe miſceantur, quos Moyſes accuratiſſime diſtinguit? Cur Philiſthæi ſimul cum Chananæis admiſceantur, cum Scriptura ſolerter admoneat, Philiſthæos ſecundos ab Hevæis incolas in regionem veniſſe? II. Philiſthæorum nomen, quo ſenſu ab adverſariis uſurpatur, fruſtra in vetuſtis tum ſacris tum profanis monumentis quæras. Gratis invehunt adverſarii, quin & contra omnem veri ſpeciem, cuſtodiam illam finium regionis Cham & Sem, tum & nomen *Philiſthæi*, datum populis regionem tenentibus in Africa & Aſia inter Cham & Sem, quicumque demum populi illi eſſent, ſive Chananæi ſive Caphtorim origine.

Nihil moror, ſi quis cum Theodoreto ſuſpicetur (6), Cretenſium coloniam latera Mediterranei, & Palæſtinam frequentaſſe, ſive forte Philiſthæos quoſdam in Cretam migraſſe; ac tandem *Cerethim*, ſive *Cretim* deſignare viros jaculandi peritiſſimos. Hæc enim nobis militant potius quam contra nos; cum in eam deducant ſententiam, Philiſthæos Cretenſes eſſe origine, & Inſulam Caphtor cum Inſula Creta confundendam, quod tota hac Diſſertatione noſtra probavimus. Id ſolum mearum eſſe partium duco, ut quatuor adverſariorum aſſerta falſi convincam; videlicet Inſulam Caphtor in Cappadocia ſitam eſſe, Philiſthæos ex Caphtoritis *Sidenes* in Cappadocia deducendos; coloniam Ægyptiorum a Seſoſtride in Colchide relictam monumentum eſſe hiſtoricum ſatis aſſertum; ac tandem Palæſtinam ante tenuiſſe Philiſthæos, quam e Caphtorim & Chananæis occuparetur; Hevæoſque Abrahamo coævos ipſos eſſe Philiſthæos, vetuſtiſſimos regionis incolas. Quatuor hæc ſimul mera aſſis commenta cum veritate nunquam componenda contendo.

Aſſeruerunt etiam contra meam ſententiam, cultum Beelzebub Dei muſcarum ex Colchide in Sueciam deveniſſe; quod probant ex hiſtoria muſcarum, unde ſuperſtitiones ſuas ducunt Suecorum Magi, teſte Rudbekio. Ingentem illi captivam Dæmonum turbam, muſcarum ſub forma aratis alis inſtructarum ſuper humeros geſtant, quas illi prodigium aliquod operaturi, juſſionum ſuarum miniſtras miſſitant. Affirmant, Dæmonem, quem ſub nomine *Thor* colunt, ſummum habere in Dæmones muſcas imperium. Porro hunc muſcam Dæmonem e Suecia in Palæſtinam cum Suecorum colonia deducit Rudbekius. Malunt tamen noſtræ ſententiæ impugnatores ſuperſtitionem ex Colchide in Sueciam per virum quemdam, Odinum nomine, paulo Jeſu Chriſti adventu antiquiorem, tranſmittere.

Quid inde illi? An demonſtraſſe ſibi perſuadent, muſcarum cultum e Suecia in Palæſtinam, vel potius e Colchide in Sueciam migraſſe? Mihi ſane ad propoſitum evincendum luculentiora deſiderantur argumenta; & otioſi eſſe hominis puto diutius in hypotheſi hac ſubvertenda immorari. Quo argumento probatur, muſcarum ſuperſtitionem ſive in Suecia, ſive in Colchide unquam obtinuiſſe? Veneficorum Suecorum hiſtoria cultumne a Suecis Dæmoni impenſum demonſtrat? Dæmoni, inquam, quem ita tenebant captivum, ut ad ſuum arbitrium, ſuiſque imperiis dimitterent? Ea ne ſunt cultus atque obſequii argumenta? Quid inſuper hæc ad Philiſthæos, Babylonica captivitate, ipſoque adeo Jeſu Chriſti adventu vetuſtiores, & cultui Beelſebub addictos? Nihil igitur hiſce in contrarium adductis argumentis e veteri ſententia retrahimur; ratumque manet apud nos, Philiſthæos ex Inſula Creta in Palæſtinam migraſſe.

Accuratius modo de Numinibus Philiſthæorum diſſerendum.

PHILISTHÆORUM NUMINA.

INſita quadam Religione Philiſthæos cultui ſuorum Numinum vehementer addictos fuiſſe, ex ipſo Scripturæ teſtimonio intelligimus. In expeditionibus ſuſcipiendis nihil habebant antiquius, quam ut ſecum Idola ferrent, vana ſpe ducti, non parum ſibi momenti ex ipſorum ope in hoſtes futurum. Capta olim a Davide nonnulla ex iis Idolia igni tradita ſunt (7). Poſt devictum in prælio Gelboe extinctumque Saulem, victores Philiſtæi *miſerunt in terram Philiſthinorum per circuitum, ut annuntiaretur in Templo Idolorum & in populis* (8). Cum Samſon in eorum manus incidiſſet, in carcere detentus aliquandiu, deinde in Templum Dagon (9) in actionem gratiarum Diis ejuſdem gentis productus fuit: cum eo ſimul aſpectu vellent præſentem in Templo turbam delectare, adverſarium maxime terrificum intuentem, a quo nihil ſibi ultra timendum haberet. Arca Do-

(1) Deut. XI. 10.
(2) Deut. II. 20.
(3) Deut. II. 22.
(4) Geneſ. IX. 25. 26.
(5) Geneſ. X. 15. &c.
(6) In Sophon. II.
(7) Vide 2. Reg. V. 21. & 1. Paralip. XIV. 12.
(8) 1. Reg. XXXI. 9.
(9) Judic. XVI. 23. 24.

Domini in prælio ſub Heli Summo Sacerdote capta, in Templo Dagon depoſita eſt (1); ſicut & ibi ſuſpenſum Saulis caput, arma vero ipſius Regia in Templo Aſtaroth (2) trophæum exhibuerunt. Hæc ſuperſtitionis, & religionis Philiſthæorum monumenta ſunt apertiſsima.

DAGON.

Celebratiſsimum Philiſthæorum Numen, cujus auguſtiſsimum erat Samſonis ætate Gazæ Templum; ille enim, eo quo præſtabat corporis robore, dejecta ædificii mole, amplius ter mille hoſtes, partim ſuper tectum, partim in Templo ſtantes, oppreſsit (3). Huic nihilo inferius alterum Fanum Azothi excitatum erat, ubi Arca Domini depoſita tantam prodigiorum procellam in Idolum excuſsit, ut confractum ſimulacrum coram illa conciderit, & Numinis caput manuſque in limine Templi projecta jacuerint; quod deinde ad limen accedentes Philiſthæi religioſe cavebant, ne conculcantes tangerent, ſed ſaltu tranſilirent (4). Diu ſuperſtitio illa manſit, cum Philiſtheos eo indicio innuat Sophonias 1. 9. *Viſitabo ſuper omnem qui arroganter ingreditur* [tranſilit] *ſuper limen*. Extabat adhuc Templum Dagonis Azothi ſub Macchabæis; direptum enim combuſtumque a Jonatha legimus 1. *Macch.* x. 83. 84.

Qua potiſsimum forma Idolum exhiberetur, id diu multumque Interpretes torſit. Judæorum Doctores de hoc argumento ſcribentes adeo inter ſe variant, ut temere & ad arbitrium ſcripſiſſe ſtatim intelligantur. Sunt qui ſuperiora hominis, inferiora piſcis habuiſſe dicant (5); alii ordine inverſo piſcem ſtatuunt in ſuperioribus, infra vero a femore hominem (6). Alii homine excluſo piſcem omnino (7), alii viciſsim nihil non humanum conſtituunt (8). Id conſtat, nec manus, nec caput Numini defuiſſe: Scriptura enim narrat (9): *Caput Dagon & duæ palmæ ejus abſciſſæ erant ſuper limen. Porro Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo:* Septuaginta, pedes quoque una cum manibus & capite projectos habent (10). Nos igitur non inviti ſuſpicamur, Deum [carent enim Hebræi fœminino nomine, Deabus deſignandis] ipſiſsimum eſſe Ægyptium Numen, quod Vaillantius (11) ex Nummo Urbis Menelai exhibuit. Refert autem fœminam media corporis parte expreſſam, quæ copiæ cornu tenet, inferiora habet piſcis, cauda in dorſum retorta, pedibuſque a piſce non abludentibus, veluti crocodili, ſeu vituli marini. Plures compoſitæ formæ Deos, cujuſmodi arbitramur Dagonem fuiſſe, colebant Ægyptii. *Habitus* (12) *illis hominum, ferarumque & piſcium. Quidam vero mixtos ex diverſis corporibus inducunt. Numina vocant, quæ ſi ſpiritu accepto ſubito occurrerent, monſtra haberentur.* Veneris Numen ſub piſcis formam coluerunt Ægyptii; quod in prælio Typhoeos cum Diis *Piſce Venus latuit* (13). Porro nomen דגון *Dagon*, ſive דג *Dag*, Hebraice ſonat piſcem, quod ſane animalium genus Syri, Phœnices, Perſæ, Ægyptii, Cretenſes ſumma veneratione colentes, Deos Deaſque ſuas in piſcem non raro transformabant. Hunc igitur finitimarum gentium ritum tenuiſſe etiam Philiſthæos, facile credimus. Cur enim piſcis nomen Deo ſuo tribuiſſent, ſi cæteris circa ſe populis Numinum ſuorum ſub piſcium forma exhibentibus ſimulacra, uni piſcem non adorarent? Diodorus Siculus (14) tradit, Aſcalone, quæ Urbs erat florentiſsima Philiſtæorum, Deam coli *Derceto* ſive *Atergatin*, cujus ſimulacrum, vultum habens fœminæ, in piſcem deſinebat; addit inſuper non longe ab Urbe altum eſſe lacum piſcibus refertiſsimum, quos ſacros habent Incolæ, intactoſque ſervant, rati Venerem, cum in eum lacum ſe projeciſſet, quondam in piſcem tranſiſſe.

Nomen *Derceto*, ſive *Atergatis*, ex *Dag* & *Adir* derivatum, eſt *piſcis magnificus*. Libenter autem profani elogium illud *magnifici* addunt Diis & Regibus: ita Deus Sepharvaim appellatus eſt *Adramelech*, ſeu *Adar-melech*, Rex magnificus (15); Philiſtæi, audito nuncio deductæ in caſtra Hebræorum Arcæ Domini, exclamarunt (16): *Quis nos ſalvabit de manu Regum ſublimium iſtorum?* Verum Deum ſæpe hoc eodem titulo inſigniunt Hebræi (17). Lucianus, qui Deam Syriam oculatus teſtis inſpexit (18), ſimulacrum pingit mulieris in piſcem deſinentis; quemadmodum & Nereides apud Poetas deſcribi conſueverunt. Deam Eurynomen filiam Oceani colebant Arcades in Templo in urbe Phygala erecto, quod ſemel tantum per annum recludi conſueviſſe ferunt. Numinis ſimulacrum aureis devinctum catenis in Templo velut in carcere detinebatur. A capite ad imum uſque pectus venuſtam referebat puellam, inferiora deſinebant in piſcem. Porro Numen illud e Creta in Peloponneſum facile tranſiit.

Abſtinuiſſe Syros a piſcibus quibuſdam, ſatis ex Veterum teſtimonio conſtat, ſive indignum ratos ea in cibum adhibere, quæ in Altaribus Numina colebant, uti Xenophon (19) Diodorus Siculus, S. Clemens Alexandrinus, aliique nonnulli putant; ſive Gatis vel Atergatis Reginæ edicto abſterritos, quippe quæ piſcium avidiſſima, omnes ſibi ſervari, vetito cæteris illorum uſu, conſtituit, quod malunt Antipater Tharſenſis, & Mnaſeas ab Athenæo laudati (20). Mos inde obtinuit, de quo Athenæus ipſe (21), aureos & argenteos piſces in ejus Templa inferendi, ut perpetua eſſent religionis monumenta; uti & ex piſcibus aſſatis elixatiſque menſas in ejus aris inſtruendi, quos poſtea ſibi rapiebant Sacerdotes. Malunt alii, ſacros fuiſſe Derceto piſces (22), quod Deam in aquas prolapſam a præſentiſſimo periculo liberarint. Similem habuiſſe de Dictynna, Dea ſua, opinionem Cretenſes, ex teſtimonio Diodori ſupra laudato videntur; quam eductam e mari piſcatoriis retibus narrabant. Alii tamen contendunt, abſtinendi a piſcibus in cauſa Syris fuiſſe, quod (23) tormina ſibi quædam viſcerum & jecoris, & ulcera crurium, totiuſque corporis metuerent a Derceto infligenda in pœnam, quod ſacros Deæ piſces violaſſent (24):

. . . . Genus hoc imponere menſis
Ne violent timidi piſcibus ora Syri.

Manilius (25) aliique plores autumant injuriam Veneri irrogari, ſi piſces in cibum adhibeantur.

Scilicet in piſcem ſeſe Cytheræa novavit,
Cum Babylonicas ſubmerſa profugit in undas,
Inſeruitque ſuos ſquammoſis piſcibus ignes.

Sed quæcumque demum fuerit Syriacæ ſuperſtitionis cauſa, extra controverſiam eſt, conſecraſſe illos

(1) 1. Reg. v. 2. (2) 1. Reg. xxxi. 10. & 1. Par. ix. 10. (3) Judic. xvi. 27. (4) 1. Reg. v. 5.
(5) Kimchi. (6) Abarbanel. (7) Rab. Salomon. (8) Rab. Levi. Vide, ſi lubet, Andr. Rever addit. ad Seld. de Diis Syr. (9) 1. Reg. v. 4. (10) Septuaginta ibid. ἀμφότερα τὰ ἴχνη τῶν ποδῶν αὐτοῦ ἀφῃρημένα. (11) Append. Hiſt. Ptolem. (12) Senec. apud D. Auguſt. de Civ. l. 16. 10.
(13) Ovid. Metamorph. l. v. fab. 5. (14) Lib. 2. pag. 65. ſive 92. (15) 4. Reg. xvii. 31.
(16) 1. Reg. iv. 8. מיד האלהים האדירים האלה (17) Vide Exod. xv. 11. Pſ. viii. 2. 10. & lxxv. 5. &c.
(18) De Dea Syria. (19) Xenoph. Expedit. Cyri min. Clem. in Protrept. Diod. l. 2. p. 65. (20) Athen. Dipnoſoph. lib. 8. c. 8. (21) Ibid. (22) Theod. in Orat. Vide Selden. de Diis Syr. Syntag. 2. c. 3.
(23) Menander apud Porphyr. l. 4. de Abſtin. Παράδειγμα τοὺς Σύρους λάβε, ὅταν φάγωσ᾽ ἰχθῦς ἐκεῖνοι, διά τινα αὑτῶν ἀκρασίαν τοὺς πόδας, καὶ γαστέρ᾽ οἰδοῦσι. Vide & Plutarch. de ſuperſtit. (24) Ovid. Faſt. lib. 2.
(25) Aſtronomic. l. 4.

illos in Altaribus piſces, & Deam Derceto fœminam quidem in ſuperioribus, inferioribus vero piſcem exhibuiſſe; ipſam autem eſſe credimus Dagonem in Libris Sacris celebratiſſimum. Porro Numen illud, quod mulierem effingebant Syri, & Cretenſes, maſculino Dei nomine Perſæ venerabantur. De *Oanne* Numine Babylonis, Derceto non abſimili, ſermo eſt apud Beroſum (1). Capite enim erat & pedibus humanis; infra vero humanam altera aſſurgebat piſcea cervix; pedes autem hominis prodibant ex ampliſſima piſcis cauda, quæ in dorſum revolvebatur. Mira jactitabant de monſtro: mane de mari Rubro vel Sinu Perſico emergere, & poſt actam Babylone totam diem, ſub veſperas iterum aquis mergi. Amphibium erat humanoque ſermone inſtructum. Plurimarum, nec inutilium quidem ad vitam, rerum primus author ferebatur, uti ſcribendi, ædificandi, agroſque colendi, &c. Quatuor ejuſdem figuræ & nominis Deos Apollodorus recenſet, omnes mari Rubro emergentes (2); addit inſuper, nonnullis ante diluvium ſæculis novum aliud monſtrum cæteris non diſſimile ex eodem loco prodiiſſe, nomine *Odacon*. Quis nominis *Dagonis* veſtigia non agnoſcat? Neque Septuaginta Numen illud ignoraſſe videntur, quippe qui *Nebo* Deum Babyloniorum Dagonem reddiderunt in Iſaiæ XLVI. 1. Quod autem vix fidem extorquet, atque Religionis, & Theologiæ Paganæ abſurdum omne demonſtrat, illud eſt, nimirum eamdem Dianam, quam Cretenſes *Dictyanæ* nomine colebant, cultum apud Perſas, cæteraſque barbaras gentes obtinuiſſe ſub nomine *Dianæ Perſicæ* (3). Manilius ubi ſupra, Venerem in piſcem tranſmutata teſtatur.

Cum Babylonicas ſubmerſa profugit in undas,

Merſam in Euphrate, Palæſtinæ, ut ipſe quidem putaſſe creditur, amne, habet Ovidius (4)

Venit ad Euphratem comitata Cupidine parvo,
Inque Palæſtinæ margine ſedit aquæ.

Et alibi (5) repetit verſam illam in piſcem, vel ſaltem ita ferri apud Babylonios, & perſuaſum eſſe Palæſtinis:

De te Babylonia narrat
Derceti, quam verſa ſquammis velantibus artus
Stagna Palæſtini credunt celuiſſe figura.

Fieri utique potuit, ut apud Babylonios, cultus *Derceto*, *Dianæ*, ſive *Dagoni*, ſub piſcis ſimulacro impenderetur.

A vero pariter non abeſt, Deam Hierapolis in Syria, de qua plura Lucianus, eamdem eſſe quæ Diana Perſica, ipſam denique Derceto, ſeu Dagonem, ſeu Dictynnam, aut Dianam. Lucianus (6) narrat, non defuiſſe, qui ædificati Templi Deæ Syriæ honorem tribuerent Reginæ Semiramidi; ſcilicet parenti ſuæ Derceto Fanum illud erexerit; populus vero urbis a columbis abſtinuiſſe, quod aves eſſent Semiramidi ſacræ, & a piſcibus, quod Derceto dicati haberentur. Strabo (7) non obſcure tradit, coli Hierapoli Deam *Atergatim*. Plinius paria refert (8): *Ibi prodigioſa Atergatis, Græcis autem Derceto dicta, colitur.* Et quod maxime ad rem facit, Aſcalonitæ cultui Derceto addictiſſimi, columbas ſummopere obſervabant, eas aves ſanctas & ſacras habentes, quas ſi quis forte in cibum adhiberet, is Deos ſuos vorandi diſcrimen ſubire credebatur (9)

Quid referam ut volitet crebras intacta per Urbes
Alba Palæſtino ſancta columba Syro?

Vidiſſe etiam ſe teſtatur Philo (10), cum Aſcalone eſſet, infinitum propemodum harum avium numerum, quas ſumma diligentia & obſequio alebant.

A S T A R O T H.

ALterum erat Philiſthæorum Numen, cui Regia Saulis arma in trophæum ſuſpenderunt: *Poſuerunt arma ejus in Templo Aſtaroth, corpus vero ejus ſuſpenderunt in muro Betſam* (11). Incertum tamen qua potiſſimum in urbe coleretur, niſi forte Aſcalon credamus, ubi Veneris Cœleſtis Templum, omnium eiuſdem Deæ vetuſtiſſimum habitum, teſte Herodoto (12), ſpectabatur. Cypri & Cytheræ incolæ, Veneri devota gens, religionem ſuam Aſcalonitis debent. Sed quænam hæc Dea Aſtaroth? Nos confundendam credimus cum Derceto, Atergati, Venere Cœleſti, uno verbo, cum Dagone, Diana, Athara, Dea nemorum, de qua ſæpe in Scriptura (13). Fuſius nobis de hoc argumento agendum eſt in diſſertatione de Numinibus Phœnicum; hic tamen duas vel tres conjecturas afferendas cenſemus. Strabo de corruptis nominibus barbaris agens, obſervat (14), ex *Atergata* factum *Athara*, quam Cteſias appellat Derceto. Tradit Artemidorus, Syros a piſcibus non abſtinere, exceptis quibuſdam paucis Deam Aſtartem colentibus (15); ex quo confuſas intelligimus ab eodem Scriptore geminas illas Deas, Aſtartem, & Derceto, cum alteri tribuant, quod ad priorem tantum referendum eſt. Tandem in Macchabæis (16) ſermo eſt de *Aſtaroth Carnaim* urbe transjordanica, ubi Templum Ἀτεργατεῖον *Atergatæ* fuiſſe perhibetur.

Quamquam autem ea, quæ hucuſque digeſſimus de Dagone & Derceto, veri aliquam ſpeciem habere videntur, ſuis tamen obnoxia ſunt difficultatibus, imo & prorſus repellenda ſint, ſi teſtimonium Sanchoniatonis, Authoris Phœnicii ante bellum Trojanum, admittatur. Scriptor enim ille, qui patriam religionem noſſe debuerat præ Luciano, Diodoro, aliiſque plane recentioribus Græcis & Latinis, eo maxime tempore florentibus, quo Græci totam Orientalium Theologiam Diis Græcorum invectis turbaverant, Scriptor, inquam, ille tradit (17), Cęlum pluribus editis filiis, inter cæteros Dagonem habuiſſe, cujus nomen ex Phœnicio *Dagan*, *frumentum*, derivatur; cum autem, addit, hic aratri & frumenti uſum inveniſſet, nomen obtinuit *Jovis Agricolæ*, ſive *Jovis ad aratrum*. Saturnus uxorem tradidit Dagoni unam ex uxoribus Cęli, quam ipſe Saturnus in bello a ſe in Cęlum illato captivam habuerat. Hęc Sanchoniaro, omnia huc uſque ſtatuta a nobis anthoritate ſua evertens. Singula hæc probaſſe Bochartus viſus eſt; ea vero rejicit omnia, quæ de Simulacro Dagonis Rabbini comminiſcuntur (18).

Sed duo hæc Sanchoniatoni reponenda. I. Hiſtoriæ falſitas; II. nomen Dagon ex Phœnicio Dagan, frumentum, derivatum negari. Sanchoniatonis nomine inſcriptum Opus, fabella eſt ad arbitrium ſuppoſita, ſive fraude Porphyrii, qui detrahendi Sacris Libris conſilio [ita erat in Chriſtianos animatus] omnia ex Theologia Phœnicum ſuffuratos fuiſſe Sacros Authores demonſtraturus, Libellum facile procudit. Nemo certe ante Euſebium, nec poſt illum aliquis, hujus Authoris Scriptum vidit unquam. Quin nec ipſe Euſebius

(1) Apud Euſeb. Τὸ μὲν ὅλον σῶμα εἶχε ἰχθύος, ὑπὸ δὲ τὴν κεφαλὴν παραπεφυκυῖαν, ἄλλην κεφαλὴν ὑποκάτω τῆς τοῦ ἰχθύος κεφαλῆς, καὶ πόδας ὁμοίως ἀνθρώπου παραπεφυκότας ἐκ τῆς οὐρᾶς τοῦ ἰχθύος· εἶναι δὲ αὐτῷ φωνὴν ἀνθρώπου. τὴν δὲ εἰκόνα αὐτοῦ ἔτι καὶ νῦν διαφυλάττεσθαι. (2) Vide Selden. de Diis Syris Syntagma 2. cap. 3. (3) Diod. lib. 5. pag. 217. Τιμᾶται δὲ καὶ ὑπὸ τῶν Περσῶν ἡ Θεὸς αὕτη διαφερόντως, καὶ μυστήρια ποιοῦσιν οἱ βάρβαροι τὰ περὶ ταύτην συντελοῦντες μέχρι τῶν νῦν χρόνων Ἀρτέμιδι Περσία. (4) Faſt. l. 2. v. 460. (5) Metamorph. l. 4. fab. 3. (6) De Dea Syr. (7) Strab. l. XVI. (8) Lib. V. c. 23. (9) Tibullus. (10) Apud Euſeb. Præpar. (11) 1. Reg. XXXI. 10. (12) Herod. l. 1. cap. 105. (13) אשרה *Aſera* 4. Reg. XXI. 7. & XXIII. 4. 6. & Paralip. XXXIII. 3. (14) Lib. 16. verſ. fin. (15) Onirocrit. l. 1. c. 9. ἰχθῦς πάντες ἐσθίουσι, πλὴν σύρων τινῶν, τὴν Ἀστάρτην σεβομένων. (16) 2. Macch. XII. 26. (17) Apud Euſeb. Præp. l. 1. cap. ult. (18) De Anim. ſacr. p. 1. l. 1. c. 16.

ſebius integrum illius Opus legiſſe videtur ; ſed quæ apud Porphyrium extabant fragmenta, in ſuum Opus tranſtulit, cum forte nec ipſe Porphyrius integrum Opus ſupponere auſus, quædam tantum fragmenta ſuo Libro inſeruerit ; fraude non plane felici, cum ipſe ſe vicies prodat, omniaque inſerſerit abſurdis adeo putidiſque erratis & fabellis, ut vulgo hujus ætatis Eruditos præſtitæ olim hiſce fragmentis fidei pudeat. Nominis etymologia ex *Dagan* probari utique poſſet, ſi alicujus Hiſtoriæ vel probati Scriptoris auctoritate fulciretur. Sed quis, rogo, Deus Jupiter iſte Agricola? ubi locorum cultus? quod ejus Numinis Templum? cultoreſque quales? Fragmenta illa procudenti præ oculis erant Libri Sacri, ex quibus nomina propria colligens, ad literam tranſlata, in certas genealogias, obtruſis fabellis ſervientes, digerebat. Ita cum inter legendum offendiſſet *Sadai*, Deum agrorum vertit, quod ſcilicet *Sade* ad literam ſonet *agros*. Sed Hebræi, qui plane vocabulorum ſuorum vim norant, vocem illam reddunt : *Deus qui ſibi ſufficit*. Sed fuſius de Theologia Sanchoniatonis recurret ſermo, cum de Numinibus Phœniciis, ſive Chananæis agemus.

B E E L - S E B U B.

BEel-ſebub בעל זבוב id eſt, *Deus Muſcarum*, ſive Deus Muſcæ, Philiſthæos habuit cultores, & Templum celeberrimum Accarone, ubi & oracula reddebantur. Ochozias Rex Iſraelis lapſus e tecto domus in cœnaculum, gravi vulnere affectus, conſultum de valetudine ſua Beelſebub Deum, Accaronem miſit. Euntibus Regis legatis occurrens juſſu Domini Elias, gravioribus verbis ita (1) increpavit : *Nunquid non eſt Deus in Iſrael, ut eatis ad conſulendum Beelſebub Deum Accaron? Quam ob rem hæc dicit Dominus : De lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes.* In Novo Teſtamento Beel-ſebub Princeps Dæmonum appellatur. Phariſæi de Jeſu: *In Beel-ſebub principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia* (2) ; alii inſuper de eodem Jeſu (3) *Dicebant quoniam Beel-ſebub habet, & quia in principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia.*

Sed quale hujus Numinis ſimulacrum? Inter varias variorum, tres opiniones referemus. Prima nomen Beel-ſebub inditum Numini per contemptum opinatur; cujus genuina eſſet appellatio *Beel-ſamin*, Deus Cœli. Secunda cenſet, Numen fuiſſe tutelare Philiſthæis, cujus potiſſimum opem adverſus muſcas implorarent, quemadmodum & Græci colebant Herculem, muſcarum venatorem. Tertia contendit, conſectatas fuiſſe a Philiſthæis muſcas, quarum erectum in altaribus colerent ſimulacrum. Quæ pro ſingulis hiſce ſententiis aſſeruntur, momenta promamus.

Obtinuiſſe apud Hebræos morem externorum Deorum nomina corrumpendi, ex Sacris Libris intelligimus. Quod enim horrore Numina illa proſequebantur, eodem & nomina deteſtantes, ne proferre quidem illa vel innuere ſuſtinebant. Urbs *Bethel*, quæ vox *Domum Dei* ſonat, non raro mutato nomine *Bethaven*, domus iniquitatis, vanitatis, nihili, appellatur, ex quo aurei vituli ab Jeroboamo conflatis ſedes effecta eſt (4). Monti Olivarum montis offenſionis nomen (5) acceſſit, cum erecti ibidem Fani ſedes effectus eſt. Valli Heliopolis in Cœleſyria, Templo Solis ſive Baalis infami, nomen vallis iniquitatis ab Amos tribuitur (6). Isbaal, Miphibaal, filii Saulis, variato nomine in Scriptura *Iſboſeth & Miphiboſeth*, id eſt, vir confuſionis, os confuſionis, ut profanum nomen Baalis vitetur. Dominus (7) profitetur commiſſurum ſe, ne ultra nomen Baalis in ore populi ſui verſetur, ut nec uxor quidem cum viro ſuo familiarius loquens, illud uſurpare audeat : neque enim, inquit, ultra appellabit conjux virum ſuum *Baali*, id eſt, *Dominum meum*, ſed *Iſchi*, *virum meum*, ſponſum meum. Non abs re igitur ſuſpicamur, Hebræos recepto more nomen *Beel-ſamin*, Deum Cœli, reddidiſſe *Beel-ſebub*, Deum Muſcam, vel *Beel-ſebu*, Deum ſordium, quemadmodum legunt pleraque Græca Exemplaria & Veteres Interpretes.

Sed cur nomen *Beel-ſamin* in *Beel-ſebub* convertere maluerunt? Ideo, inquiunt, quod victimarum cruore aſperſum ſimulacrum muſcas accerſeret, quibus etiam ebulliebat Templum, invitante odore carnium & ſanguine hoſtiarum. A Templo Salomonis, ſi Rabbinis fides, muſcæ omnes Divino prodigio exulabant. Sed hæc frivola ſunt, neque majorem merentur fidem, quæ de Templo Salomonis muſcis immuni jactitant. Quin & ex Textu quarti Regum mox recitato ſatis intelligimus, nomen illud peculiare fuiſſe, non deridiculo impoſitum ; neque enim Ochozias, Numinis opem imploraturus, eo nomine Deum illum compellaſſet.

Altera proxime ſuccedens ſententia, muſcarum aucupio occupatum id numen reputans, nihilo melioris eſt fidei. Tota enim innititur futilibus, & longe deductis conjecturis, quæ ſpecie quidem aliquid, re tamen nihil probant. Adducunt Jovem, muſcarum aucupem, ab Elæis cultum, uti apud Romanos Hercules item auceps muſcarum notus erat (8). Plinius narrat (9), in Olympiæ ſacris tauro litari Numini, aucupi muſcarum ; quo ſacrificio vix oblato, inquit, ſtatim abactæ muſcæ extra territorium turmatim evolant. Horum author ſacrorum Hercules habetur, qui cum Olympiam veniſſet, & ſacrum Jovi paraſſet, ut moleſto muſcarum tædio liberaretur, Jovi muſcarum aucupi litavit : ſtatimque moleſtorum inſectorum examina faceſſere loco, & trans Alpheum avolare viſa ſunt. Paria apud Arcades ſacrificia narrat Pauſanias libro VIII. In Fano Apollinis ad Actium eidem incommodo occurrebatur, mactato muſcis tauro illiſque ſanguine relicto ; ſtatim enim veluti ſacrificio contentæ abibant (10). Præſentiſſimum etiam habebatur Herculis Numen culices ; unde nomen indictum Deo *Conopion*.

Cyrenaici (11) *Achorem Deum invocant, muſcarum multitudine peſtilentiam afferente : quæ protinus intereunt, poſtquam litatum eſt illi Deo.* Porro Deum *Achorem* ſive *Accaronem* ipſum eſſe Beel-ſebub, non inviti ſuſpicaremur ; quamquam de re prorſus incognita [neque enim aliud de illo memoriæ proditum eſt] melius judicium omne ſuſpenditur. Illud tantummodo addimus, vix poſſe in animum noſtrum induci, ſolam, quæ huic Deo tribuitur, muſcas pellendi virtutem, in cauſa fuiſſe, cur *Beel-ſebub* appellaretur ; ſcimus enim Jovem, & Herculem, qui eadem virtute pollebant, tantæ virtutis merito ſolum nomen ſibi promeruiſſe aucupis muſcarum. Ita plane, cujus Numen præſentiſſimum ſentitur in mures, & angues, non continuo *Deus mus*, & *Deus Anguis* nuncupatur. Quæ tandem ratio ſuadet *Beel-ſebub* Numen fuiſſe in muſcas prodigioſum? Nihil ea de re in Sacra Hiſtoria, & ne verbum quidem in profana. Scitum eſt, tantummodo Oraculum ejus Accarone reddendis futurorum oraculis celebratum fuiſſe : quare Ochozias non impetrandæ vale-

(1) 4. Reg. I. 2. &c. (2) Matth. XII. 24. Luc. XI. 15. (3) Marc. III. 22. (4) 1. Reg. XII. 5. & XIV. 23. Oſee IV. 15. & V. 8. & X. 5. (5) 4. Reg. XIII 3. (6) Amos I. 5. *Habitatorem de campo Idoli* מבקעת און (7) Oſee II. 16. 17. (8) Clem. Alex. in Protrept. Ἀπομυίῳ Διὶ θύουσιν Ἠλεῖοι. Ῥωμαῖοι δὲ ἀπομυίῳ Ἡρακλεῖ. (9) Plin. l. 29. cap. 6. *Olympiæ ſacro certamine, nubes muſcarum, immolato tauro, Deo quem Myiodem vocant, extra territorium id abire.* (10) Clemens in Protrept. pag. 25. Vide Rhodigin. Alex. Dalecamp. in Plin. lib. 29. cap. ult. (11) Plin. lib. X. cap. 27.

valetudini, ſed de morbi eventu conſulturus Legatos eo miſit.

Tertia tandem ſententia ex Numine muſcam facit, Divinis honoribus ab Accaronitis cultam, vel hominem cui muſca ſive in manu, ſive in capite, ſive ad latus ſederet. Scitum eſt enim, obtinuiſſe apud Profanos, ac maxime Ægyptios, moram, ut vera animalia conſecrarentur, uti taurus, aries, hircus, crocodilus, vel ſaltem eorum ſimulacra aurea, argentea, lignea, ænea imponerentur Aris. Sæpe tamen Numinibus bruti ipſis conſecrati aliquam partem coagmentabant; uti Iſidi caput felis aptatum eſt, Anubi caninus vertex, Derceto cauda piſcis, Ammoni cornua arietis, & ſic de ſingulis. Tandem capiti ſive manibus Numinum bruta animalia imponebantur, virtutis ſingulorum hieroglyphica; uti piſcis, accipiter, cervus. Vide hac de re Nummos Ægyptios, & tabulam Iſiacam. Apes in veteri ſimulacro Dianæ Epheſinæ inſculptas licet ſpectare in Muſæo Farneſiano Romæ (1).

Porro muſcis non minus plane erat meritum, quam felibus, lupis, crocodilis, anguibus, ibicibus, formicis, muribus (2), febri, tempeſtati, cepis, porris, quæ omnia veſana Gentilitas Aris impoſita conſecraverat. Author Sapientiæ XII. 8, immiſſas narrans a Deo in Amorrhæos & Chananæos veſpas & muſcas, a quibus paulatim ſedibus illi ſuis pellerentur, addit ibidem ℣. 13. 14. illas habuiſſe adverſarias, quibus divinos honores impenderant. Colebant ergo muſcas vel ſaltem muſcarum ſimulacra. Teſtimonium Diodori Libro V, de repenſis a Jove beneficiis in muſcas, ſive apes, infantiæ ſuæ in monte Ida beneficas altrices, ſupra retulimus. Beneficii memor aureum æneo mixtum colorem largitus eſt, ſimulque conceſſit, ut pernicioſiſſimo morſu ſe ipſas defenderent. Genus autem illud muſcarum diu in eo monte perſeveravit, teſte Æliano (3), qui cantharides ſpectaſſe creditur. Ælianus & Diodorus ita ea inſecta deſcribunt, ut cantharidas pinxiſſe videantur; illis enim venenatus morſus, illis aureus color congruunt. Plerique tamen eos Scriptores interpretantur de apibus. Dignius etiam aliquid munificentiæ ſuæ donum liberaliſſimus Jupiter muſcis contulit; ut *haberent liberos* (4) *ſine ullo concubitu*. Virgilius narrat non defuiſſe, qui viſo ordine atque politia apum, anima illas, intellectu, & portione Divinitatis quadam præditas fuiſſe ſuſpicarentur (5).

His quidam ſignis, atque hæc exempla ſecuti,
Eſſe apibus partem Divinæ mentis, & hauſtus
Æthereos dixere.

Symbolum habebantur immortalitatis, quippe quæ ſibi ipſis poſt interitum vitam reddunt, neque gignendis & reparandis apibus commixtione utriuſque ſexus *opus habeant*. Idem;

Illum adeo placuiſſe apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent &c.
Verum ipſæ foliis natos, & ſuavibus herbis
Ore legunt.

Didymus (6) narrat, Meliſſo Regi Cretæ geminas fuiſſe filias, Amaltheam, & Meliſſam, quarum illa lacte, altera melle infantem Jovem paverit. Fabula hiſtoriæ accedens, ex *Amalthea* capellam, ubera puero præbentem fecit, ex *Meliſſa* apem, mellis ſui dulcedine infanti blandiente: illi in præmium officii Divini honores ceſſerunt; cur vero eodem præmio altera fraudetur?

Scarabæus, quem merito in muſcarum cenſu habemus, inter Deos etiam ab Ægyptiis agnoſcebatur (7). Probrum hoc depulſurus a gente ſua Appio Grammaticus, obſervat, ſcarabæum Solis opera æmulari, quippe qui ſtercoreum globum vertens, ſeipſum producit, nam poſt depoſitum in globo illo ſemen, utrumque humo celat, donec ſoto jam ſemine novus ſurgat in auras ſcarabæus. Tantum erat olim inſecti illius apud Ægyptios milites obſequium, ut in annulis ſculptum geſtarent (8). In tabulis Iſiacis ſcarabæus & alterius etiam generis muſcæ non raro ſpectantur; varia enim muſcarum genera colebant Ægyptii. Non eſt igitur, cur Philiſthæi ſimiles honores muſcæ ejus generis, vel ſimili denegaverint. Ita plane ſententiam de hoc Numine ſuam ferunt Septuaginta (9), & Patrum Græcorum bene multi (10): & vir quidam Eruditus (11) muſcam in veteri nummo Phœnicio obſervavit. Quin & muſcæ cultum diutius etiam poſt invectam Chriſtianam Religionem, Accarone manſiſſe Philaſtrius inſinuare videtur, cum de hæreſi Judæorum muſcas colentium in Accaron agit, *hæreſ* XIII.

Jeſus Chriſtus (12) Beel-ſebub Principem Dæmoniorum nominavit: unde conjectura facilis deducitur, inſinuari eo nomine Jovem, in cætera Profanorum Numina, tanquam omnium Principem, regnantem. Poteſt autem non temere Jovi nomen *Baal Muſcarum* aptari, ea ſcilicet ratione, quam ſupra innuimus, quippe qui muſcas Idæas & aureo colore & mira quadam virginea fœcunditate donarit. Vatis titulo ideo gaudere poteſt Jupiter, quod oraculum haberet Accarone. *Ita Beel-ſebub* ipſe eſt *Jupiter Idæus* ſive *Dictæus*, muſcarum ſatellitio ſtipatus (13).

. . . . Apes
Curetum ſonitum crepitantiaque æra ſecutæ,
Dictæo Cœli Regem pavere ſub antro.

Apes peculiari religione Dianæ conſecrabantur. Franciſcus Ubaldinus & Lucas Holſtenius celebrarunt Apes, Stemma familiæ Barbarinæ, quam in rem admonent Apes olim in ſtatuis Dianæ ſive in cippis illi dicatis Inſculpi; inſculptas pariter cerni in nummis urbium Epheſi, Meſſanæ, Metaponti, Delphi & Syriæ. Vix tamen in animum inducerem alibi cultu religioſo veneratas fuiſſe præter quam apud Philiſtæos, & forte etiam in Ægypto. Apud Ægyptios Scarabæus ceu ſolis emblema in Ægypto colebatur, ait Porphyrius de abſtin. lib. 4. art. 9.

Profecto ſi in Profanorum Theologia ſuus fuit cultus corvis, capellis, pſittacis, quæ a deceptoribus doctæ ſua edebant reſponſa, & Oracula (14); cur non idem honor fuerit muſcis, Jovi dicatis?

M A R N A S.

NIhil de Marna in Scriptura, quod ſane Numen cultum Gazæ, urbe Philiſthæorum, tradunt S. Hieronymus, & Profanorum nonnulli. Servantur etiam nummi, in quibus Gaza titulo *Marna* inſignitur (15). De Numinis illius Templo ita S. Hieronymus (16): *Marnas Gazæ luget incluſus, & everſionem Templi pertimeſcit.* Legimus in vita S. Hilarionis, ludos, & curriculorum agitationes in ejus honorem fuiſſe inſtitutas. Stephanus Geographus (17) ait, *Marnam* eumdem eſſe ac Jovem Cretenſem. Marna Syriace, qui vernaculus erat in Palæſtina ſermo, poſt captivi-

(1) Vide Antiq. Græc. Grev. & Gronnv. t. 7. pag. 382. 383. (2) Clemens in Protrept. ad Græc. pag. 25. (3) Hiſt. animal. l. 17. c. 35. (4) Serv. in Virg. Georg. l. 4. (5) Virg. Georg. l. 4. (6) Apud Lactant. de falſa relig. l. 1. c. 22. (7) Plin. l. 30. c. 11. *Propter hoc Ægypti magna pars ſcarabæos inter Numina colit &c.* Vide & Plutarch. Sympoſiac. l. 4. c. 5. & Pierii Hieroglyph. lib. 8. c. 14. (8) Ælian. Hiſt. Anim. lib. 19. cap. 15. (9) 4. Reg. 1. 2. Δεῦτε καὶ ἐπιζητήσατε ἐν τῷ Βάαλ μυῖαν Θεὸν Ἀκκαρών. (10) Greg. Nazianz. Orat. 2. contra Julian. Theodoret. qu. 1. in 4. Reg. Procop. Gazæus. (11) Joan. Erneſt. Gerard. Analect. ad Matth. XII. 24. p. 621. (12) Matth. XII. 24. Luc. XI. 15. Marc. III. 22. (13) Georg. lib. 4. (14) Clem. Alex. ad Gentes p. 9. (15) Apud Spanhem. p. 669. ΓΑΖΑ-ΜΑΡΝΑ ΔΠΡ. (16) Epiſt. ad Let. (17) In Gaza. Ἔνθεν καὶ τὸ τοῦ κρηταίου Διὸς παρ᾽ αὐτοῖς εἶναι ὃ καθ᾽ ἡμᾶς καλοῦσι Μαρνᾶν.

ptivitatem Babylonicam, vel ſaltem poſt Macchabæos, eſt *Dominus*, quod Jovi optime convenit, Sed nec immerito eodem innui *Solem*, vel Apollinem, maximum totius Orientis Numen, ſuſpicamur. Templum Apollonis Gazæ, ſenatui cogendo deſtinatum, legimus apud Joſephum (1), Neque Cretenſibus ignotum erat nomen *Maran* & Marna, cum puellæ apud eas gentes *Marnæ* titulo, ac ſi diceretur *Domina*, decorarentur. Ejuſdem veſtigia in eadem Inſula deprehendas non obſcura, ut in *Marathuſa*, Marathi, &c.

BERITH SIVE BAAL-BERITH,

NUmen eſt ex Libro tantum Judicum notum, ubi narrato Gedeonis obitu (2) legimus, Iſraelitas relicto Domino coram Baal ſupplices ſeſe provolviſſe: *Et poſuerunt ſibi Baal-Berith in Deum* (3). Templum erat ejus Numinis celebre Sichimis, unde eductam pecuniam Sichimitæ Abimelecho filio Gedeonis penderunt (4): eo etiam confugerunt poſt negatam Abimelecho obedientiam (5): ibi tandem Abimelechus ipſe mola macinaria eliſus interiit. Noſtras de illo conjecturas jam dedimus (6); quibus has etiam addendas cenſemus, probantes, Numen illud e Philiſthæis, vel Cretenſibus deductum, ipſum eſſe Dagonem, vel Derceto. Diodorus Siculus (7) tradit, Cretenſes religioſo cultu Deam *Britomartim* adoraſſe, quam ſane natam dicit e Jove & Carme; cognomento autem appellatam *Dictynnam*, quod inventrix haberetur venatorii retis, ſive quod Neptunum procacem amatorem fugiens, cum ſe in pelagum projeciſſet, ſubjectis piſcatoriis retibus excepta fuerit. *Dic-tynnæ* verum etymon ex Hebræo *Dagtannim*, magnus piſcis, ducendum jam demonſtravimus: nec *Britomartis* nomen aliunde repetendum eſt, quam ex *Berith* & *Maruth*, Dea fœderis. Author mox laudatus, & Solinus eamdem eſſe Dianam cenſent: quod nobis etiam probatur, cum Dic-tynna, Derceto, & Atergaris nihil ſint aliud quam Luna, ſub Dianæ nomine a Græcis culta. Sermo eſt apud Macrobium (8) de Baccho ſive Libero *Briſſæo*, non alio ſane quam Sole, cujus pariter nomen ducitur ex *Berith* ſive *Beris*, juxta Chaldæam pronunciandi rationem. Ita Deus ſive Dea Berith, cui Templum Sichimitæ dedicaverant, ex vicinis Philiſthæis accitum erat Numen; origine vero a Creta, quemadmodum & cætera ejuſdem gentis, derivatum,

DISSERTATIO
DE SAMUELE PER VISUM SAULI
Objecto ad 1. Reg. XXVIII. 11. 12.

JAM inde a primis Eccleſiæ ſæculis quæſtio de Samuele per viſum ſpectato viros doctos in partes diſtraxit. Inter maximos Doctores, & ſapientiſſimos Patres non ſatis ea de re unquam convenit, & Eccleſia, ea qua præſtat ſapientia, & hodie uſque tolerat varias in hoc argumento & diſcrepantes opiniones, quæ alioqui nullum inferant vitium unitati charitatis, fidei, morumque, Sunt qui contendant, fraude mulieris Pythoniſſæ factum eſſe, ut loqui ſecum Samuelem Saul opinaretur, ejuſque ante ſe aſpectum habere perſuaderet; quamvis revera nihil ante ſe haberet, nec reſpondentem audiret. Alii malunt, Samuelem vere Sauli ſpectandum ſeſe præbuiſſe.

Quamquam nec inter patronos hujus opinionis ſatis convenit. Plerique enim contendunt, non vi quidem præſtigiarum, nec magicorum carminum deductum e Cœlo Prophetam ſtetiſſe coram Rege; ſed, inquiunt, Dei permiſſione factum eſt, ut, neque voluntate veneficæ mulieris, neque magicorum carminum vi ſpectata, Propheta in conſpectum Saulis veniret, ejuſque oraculo impius Rex diſceret, quantum malorum in caput ſuum ex denegata Deo obedientia evocaſſet. Alii vero aſſerere non dubitarunt, quandoquidem Sanctorum Animæ, quemadmodum & impiorum, nondum obtenta per Jeſum Chriſtum libertate, ſub Principis tenebrarum poteſtate eſſent, ejus imperio coactum fuiſſe Samuelem, ut magicorum carminum invitationibus pareret.

Tertia de hac re ſententia docet, Dæmonem ipſum, cum ſeſe Sauli & veneficæ videndum obtuliſſet, utrumque feſelliſſe. Alii denique ajunt, neque Dæmonem fuiſse, neque Samuelem, ſed Samuelis phantaſma & imaginem, quam Deus vel per Angelos, vel ſua ipſius virtute exhibuerit.

Nec, ſi Eccleſiæ Patres diſſident, Rabbini magis conveniunt inter ſe. Ludibrium eſſe & merum Pythoniſſæ fallendi artificium, docet R. Samuel Hophni. Cum enim reprobatum a Deo Regem, tum & inunctum a Samuele Davidem mulier vaſerrima noſſet, nihil ſe tamen ſcire, ne vultum quidem Regis agnoſcere ſimulavit; & ſuppoſito callide viro, antea probe edoctum, totum rei eventum, qualem jam putabat futurum, trepidanti Regi, ac Samuelem ſe audire arbitranti, nunciavit.

Saadias Gaon, & R. Hai docent, fieri nunquam potuiſſe, ut Pythoniſſæ virtute, niſi a Deo ipſo ad vivos revocatus, Samuel videndum ſeſe præberet. Quis autem credat, addunt illi, Deum Saulis gratia Prophetam revocaſſe ad vitam; Deum, inquam, qui conſulenti per Urim & Thummim [præſcripto nempe conſulendi Deum ritu] nihil reponere unquam voluit?

Levi Ben-Gerſon omnia errantis phantaſiæ ludibrio acta eſſe in mente Regis pertendit. Minas enim Samuelis, de removendo ſcilicet a ſe Regno, mente verſans Saul, earum terrore alte menti impreſſo factum eſt, ut verſari ſibi ante oculos Samuelem ipſum & dura minitantem crederet.

Abarbanel perſuaſum habet, Dæmonem ſub ementitis Prophetæ ſpoliis hæc omnia Sauli prædixiſſe, quæ eventura conjectando aſſequebatur. Omnes æque ſententias illas reprobat Menaſſe Ben-Iſrael (9), ſed Libri Zohar opinionem adoptans, putat ſpiritus eſſe quoſdam, quibus mira vis

(1) Antiq. l. 13. c. 21. (2) Judic. VIII. 33. *Averſi ſunt filii Iſrael, & fornicati ſunt cum Baalim, percuſſeruntque cum Baal fœdus, ut eſſet eis in Deum.* (3) וישימו לחם בעל ברית לאלהים (4) Judic. IX. 4. (5) Ibid. 46. (6) Vide Comment. noſtr. in Judic. VIII. 33. (7) Diod. Sicul. l. V. pag. 232. ſeu 342. (8) Satur. l. 1. cap. 18. (9) De Reſurrect. mortuor. lib. 2. cap. 6.

vis eſt in animas mortuorum, ut ad arbitrium illis utantur, cogantque quodcumque juſſerint corpus animare. Hoc tamen ea tantum conditione agere permittuntur, ſi primus a morte annus nondum exierit; quo ſcilicet temporis ſpatio nondum penitus friguiſſe animarum in corpora amorem: ita docent Rabbini, ut ſepius inviſere illa atque ſovere, uno verbo, non penitus deſeruiſſe corpus videantur. Eo igitur temporis ſpatio licet animabus cogari, ut iterum in corpora regrediantur, eaque iterum animent. Id vero artibus ſuis preſtitit Pythoniſſa, ut Samuelis anima a Dæmone coacta in corpus reverteretur, Saulem alloquutura. Certum igitur tenet Rabbinus, primum a morte Samuelis annum exiiſſe; quod noſtre Chronologie, biennium ab ejuſdem Prophete obitu ſtatuenti, repugnat.

Tertia tandem opinio docet, Demonem ſub ementitis Prophete ſpoliis, & Saulem & Pythoniſſam decepiſſe. Sunt tandem qui malint, nec Samuelis nec Demonis quidquam Regi objectum, ſed ejus loco ſpectrum aliquod ſive figuram ejuſdem Prophete, Angelorum miniſterio, ſive ab ipſo per ſe Deo exhibitam.

Agitata jam latiſſime hac queſtione a viris Doctiſſimis, vix quidquam novi eſt, quod nobis dicendum ſuperſit. Singularum igitur opinionum rationes potiſſimas deducere contenti, que maxime nobis probatur, opinio ſeligetur, nulla aliorum ſententiam, quam Eccleſia tolerandam duxerit, notantes cenſura.

Eorum, qui evocatum magicorum carminum vi Prophetam aſſeruerunt, agmen ducit Origenes, quippe qui, licet opinionem non primus invexerit, authoritate tamen ſua valde promovit atque commendavit. Ante Origenem enim laudatur S. Juſtinus Martyr (1), qui ſcriptis tradiderat, Dæmonum poteſtatem ſuam in animas etiam Juſtorum & Prophetarum exercuiſſe, quas interdum evocationibus Magicis parere jubebat. Is tamen non aſſeruiſſe data opera opinionem, ſed tantum tranſeundo propoſuiſſe videtur, cum Origenes prudens ſciensque illam ſæpius inculcans pervicaciter defenderit. Quod ſane nobis inſinuatur ab Euſtathii Antiocheni de Engaſtrimytho Diſſertatione, qui vitio Origeni opinionem illam vertit, quæ modo e ſcriptis ipſius eraſa nuſpiam apparet (2). Ita hanc ſententiam ex Origene præfert Euſtathius. *Origenes dixit, Dæmonem non animam tantum Prophetæ reduxiſſe, ſed eduxiſſe pariter (ex Inferis) alias Sanctorum Prophetarum animas.* Quamquam in loco ubi Origenes eam tractat quæſtionem, hæc tantum hodie leguntur (3): *Si ergo talis tantúſque vir erat ſub terra, & a Pythoniſſa evocatus eſt; fateamur oportet, Dæmonem poteſtatem in Prophetæ animam obtinuiſſe.* Deinde orationem ſuam promovens, addit, quandoquidem Scriptura, ſeu Spiritus Sanctus Scripturæ Author, evocatum a Pythoniſſa Samuelem aſſerit, nullum ſupereſſe de rei veritate ambigendi locum. Mirum autem nemini jure videri poſſe, ſi apud inferos anima Samuelis aliorumque Prophetarum conſtituta dicatur, cum eo deſcendiſſe Chriſtum legamus (4).

Origeni geminus accedit Anaſtaſius Antiochenus, contendens (5): *Sanctorum pariter & impiorum animæ in manum Dæmonis erant, antequam Dominus ad inferna deſcendens exire inde juſtos præciperet.* Et S. Auguſtinus, a Simpliciano ea de re conſultus (6), reſcribens, nihil ſe magis admirari, ait, potuiſſe Dæmonem Samuelis animam coram Saule ſtatuere, quam Satanam colloquia cum Domino miſcuiſſe, facultatem petiiſſe ab illo manum in Jobum injiciendi, ac tandem ipſum Chriſtum abreptum in pinnaculum Templi elevaſſe. In his autem omnibus Scriptura res geſtas ſolum docet, non cauſas & modum. Si Chriſtus, citra diſpendium majeſtatis & potentiæ ſuæ, Diabolum tentantem ſuſtinuit; ſi Judæos ignominiam vinculorum & Crucis inferentes toleravit; quid ſane nequiverit ſecreto providentiæ & ſapientiæ ſuæ conſilio committere, ut magicis evocationibus anima Prophetæ pareret? *Cur enim*, proſequitur, *anima boni hominis, malis viris evocata ſi venerit, amittere videatur dignitatem ſuam, cum & viri plerumque boni vocati ad malos veniant... ſervato atque inconcuſſo decore virtutis ſuæ?* Sed alibi (7) agnoſcit Auguſtinus, Samuelis animam reapſe in conſpectum Saulis veniſſe.

Rationes eorum, qui Samuelem vere Regi apparuiſſe negant, hæ potiſſimum adducuntur. I. Cum Dæmon nihil in animas Juſtorum poſſit, quid ſane valuerit in Samuelem Pythoniſſa? Quamquam igitur contrariæ ſententiæ favere creditur litera Textus, ita tamen exponenda videtur, ut non Samuel, ſed ſpectrum aliquod, Prophetæ ſimile, ad Regem verba feciſſe atque minis terruiſſe intelligatur. Neque Scriptoribus Sacris raro accidit, ut de rebus loquantur non ad veritatem, ſed ad ſpeciem (8). Ita de Magis Pharaonis ſcriptum legimus, produxiſſe illos, Moyſis prodigia æmulatos, angues, ranas, ſanguinem, ſcyniphes &c. An forte reipſa Dæmon hæc omnia produxit, non ſecus ac Moyſes? Minime ille quidem, neque enim Divina Moyſis prodigia pari cum præſtigiis Magorum paſſu proceſſiſſe credenda ſunt. Porro humano modo locuti SS. Scriptores rem narrarunt.

II. Vix animum inducimus, Deum, rejecto jam olim Saule, negatiſque ipſi oraculis ſive per Prophetas, ſive per ſomnia (9), acquieviſſe tandem ut Samuelem concederet, cum maxime per crimen, nempe conſultis Magis (quod antea ejuſdem Saulis edicto vetitum erat) peteretur. Igitur ſi neque Deus Prophetam emiſiſſe creditur, neque Dæmon quidquam ea in re poterat, supereſt ut ipſe ſe Propheta ultro coram Rege conſtituerit; vel ſaltem, quod malumus, Prophetæ ſpectrum credulo Sauli illuſerit. Siquidem, ſi veniſſe dicitur, vel invitus & magicis incantationibus deſcendit, vel ſponte, vel ſaltem Divinis juſſionibus morem gerens. Nihil horum admittitur; ſolum ergo pro Samuele ſpectrum Regi exhibitum eſt.

III. Si Samuel coram Rege ſtetit, vel corpore cinctus venit, vel ſpiritalem tantum animam ſtitit. Si corpore; cur ſola Pythoniſſa notum Sauli cæteriſque virum agnovit? Si nudus ſpiritus venit; quo privilegio mulier ſpiritum vidit, adſtantibus omnibus inviſibilem? Cur autem deſcendiſſet Propheta, ſi aſpectum ſuum illi denegabat, cujus gratia accitus venerat? Si inviſibilis adfuit fruſtra ille quidem veniſſet; ſi viſibilis, par erat, ut Saul virum noſſet & audiſſet citius, quam fœmina præſtigiatrix, cui nihil erat rei cum Samuele.

IV. In rei geſtæ hiſtoria, hic deſcripta, ſatis habemus argumenti, ut ſive fraudi mulieris, ſive ſpectro alicui a Dæmone objecto res tota deputetur. Nam Sacer Hiſtoricus ſermonem Prophetæ, quidquid tandem vir ille eſſet, referens, ſatis demonſtrat, aliud plane eſſe, quod loquebatur, quam Prophetam, cujus alioqui perſonam gerebat. Ut quid enim Propheta hæc verba loquens

[1] In Dialogo cum Tryphone. [2] [illegible] [3] Origen. in 1. Reg. c. 28. [4] Vide eumdem tom. 27. in Joannem. [5] Anaſtaſ. Antioch. in Ὁδηγ. qu. 12. [6] Aug. l. 2. de Diverſ. quæſt. qu. 3. Vide eumdem ad Dulcitium qu. 6. & l. 2. de Doctrina Chriſt. c. 2. [7] Lib. de Cura pro mortuis c. 15. [8] Vide Euſtath. Antioch. de Engaſtrimytho, & Nyſſeni Ep. ad Theodoſ. piſc. Vide Natal. Alex. diſſert. 23. de Samuelis apparit. [9] 1. Reg. xxviii. 6.

induceretur (1)? *Quare inquietaſti me, ut ſuſcitarer?* Quaſi ſcilicet Prophetæ quies magicis evocationibus turbari potuiſſet, atque invitus ſomno excitari. Viventium ſcelera, malaque Dæmonum conſilia nunquam committent, ut tranquillum in altera vita juſtorum ſtatum conturbent. Falſum igitur præſeferebant aliquid verba illa, quaſi invitus Samuel e ſinu Abrahæ eo deductus fuiſſet. Ubi autem Prophetæ religio, cum adorantem ſe Saulem ſuſtinuit? *Inclinavit ſe Saul ſuper faciem ſuam in terram, & adoravit* (2). Egregius iſte Propheta, diſſimulato viri facinore, de conſultis nempe Dæmonibus, atque de obfirmato in impietate animo, omiſſis inſuper opportunis monitis, ut ad Deum tandem regrederetur, miſero potius inſultat, atque in ultimam deſperationem deducens, edicit nihil manere illi a Deo auxilii, necemque ipſi filiiſque & exercitui univerſo imminere. Hiſcene indiciis Divinus Spiritus agnoſcitur, atque pietas Viri, qui, teſte Scriptura, Saulem vel ab ipſo Deum reprobatum deflere non deſtitit (3)? Inſuper ſi impetrari illud potuiſſet, ut vi carminum magicorum Samuel evocaretur, nonne id fuiſſet Necromantiam commendare, atque homines in illam pronos magis magiſque invitare? Fruſtra autem reponitur, non id factum eſſe magicorum carminum vi; populus enim non factum ipſum, ſed quod maxime factum apparet, obſervat. Non abs re igitur credimus, alterum plane a Samuele evocanti Regi adſtitiſſe; præcavente Deo, ne hoc exemplo pietas & fides populi ſui in diſcrimen veniret.

Fruſtra autem opponuntur futurorum oracula, ab illo, quicumque tandem eſſet, ſive ſpectro, ſive Propheta, pronunciata. Quod enim ab illo pandebatur, ſive mendacium erat, ſive incertum, ſive aliunde cognitum; nihil autem ſuperabat ſive Dæmonis, ſive etiam fœminæ Pythoniſſæ ſcientiam. Saulis reprobatio, Davidis ſubſtitutio res erant in toto late Iſraele notiſſimæ; quin & partim jam impletæ, partim vero jam perficiendæ expectabantur. Afflictæ Saulis res, deſpondentes militum animi, ipſe Rex ad ultimam deſperationem adductus; hæc, inquam, omnia latere neminem poterant. Has animi ſui anguſtias, ſummumque rerum ſuarum diſcrimen Saul ipſe cum fœmina collocutus prodidit. Poſt hæc autem omnia, mirum fuerit, ſi de ſiniſtro belli eventu certum oraculum pronunciavit? Sunt etiam, qui in ejus verbis mendacium agnoſcant; quippe quæ mane alterius diei patrem cum filiis occidendos prædixerit; ajunt enim, prælium ad tertiam diem dilatum fuiſſe. Quomodo autem addere poterat oraculum, Saulem ejuſdem filios mane alterius diei futuros cum Samuele? Scimus enim Saulem obfirmato in impietate animo diem clauſiſſe, adeoque æternis ſuppliciis fuiſſe damnatum; cum interim Samuel requie juſtorum frueretur, penes quem appoſitus etiam Jonathas, filius Saulis, & amicus Davidis pie creditur. Sed fac ea omnia veritati congruerent: an igitur a Samuele pronunciata credenda ſunt (4)? Nonne accidit ſæpe, ut Angelus tenebrarum in Angelum lucis transformetur, & Satan mendacii pater vera pronunciet? Nonne ejus ſunt elogia de Jeſu Chriſto (5) pronunciata? An non idem (6) de Paulo & Sila: *Iſti homines ſervi Dei Excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis?*

Favent huic opinioni PP. plurimi, & Interpretes non rari. Euſtathius Antiochenus Diſſertationem de hoc argumento in Origenem adornavit, nihil in ea hiſtoria niſi dolum, atque illuſionem Pythoniſſæ agnoſcens. Pſeudo-Juſtinus (7), apparuiſſe negat verum Samuelem Regi expectanti; ſed falſo præſtigio, inquit, Dæmon, perſona Prophetæ aſſumpta, præſentibus impoſuit, permiſſuſque a Deo, contra inſitam ad mendacium indolem, vera prodidit. S. Pionius Martyr (8), Tertullianus (9), S. Baſilius Magnus (10), S. Gregor. Nyſſenus (11) paria tuentur. Quin & S. Nyſſenus autumat, Dæmonem ſub Prophetæ ſpecie, ſatellitio aliorum Dæmonum ſtipatum, videndum ſe præbuiſſe, ex quo factum, ut Maga (12) clamitans diceret: *Deos vidi aſcendentes de terra*. S. Hieronymus (13) ita mentem ſuam prodit: *Saul per incantationes & artes magicas viſus eſt ſuſcitaſſe Samuelem*. Et in Matt. VI. *In Samuelis phantaſmate Pythoniſſa loquitur ad Saulem*. Fruſtra autem in hanc rem congeramus non diſſimiles ſententias S. Cyrilli Alexandrini (14), Authoris quæſtionum in Vetus Novumque Teſtamentum, *quæſtione* XXVI. Pſeudo-Auguſtini de Mirabilibus Sacræ Scripturæ *Libro* II. *cap.* XI. aliorumque plurium, ex priſcis, recentibuſque Interpretibus (15).

Sed inter fautores hujus ſententiæ, quidam indignum rati, Dæmonem vim habuiſſe efformandi ſpectri, ſimilitudinem Prophetæ referentis, Deus, inquiunt, ſive ipſe per ſe, ſive Angelorum miniſterio compactum phantaſma coram Saule ſtatuit, eoque divinitus loquente, futurorum eventus Rex miſer audivit. Hæc opinio tam alte ſedit Theodoreto, ut adverſæ ſententiæ patronos ſtultitiæ arguat (16); nam, ait, eo deducuntur, ut Dæmonem juſſa Dei exponentem Sauli inducant; quod ſane repugnat illi, I. Paralipom. X. 13. juxta Septuaginta: *Mortuus eſt Saul in ſuis iniquitatibus, quibus injuſte egit Deo, ſuper verbum Domini, quoniam non obſervavit; quia interrogavit Saul in ventriloquo ad quærendum, & reſpondit ei Samuel Propheta*. Leo Patricius, Præfectus Caricles, apud Allatium (17), aliique nonnulli eamdem ſententiam tuentur.

At ſane incongruum videtur, ea omnia, quæ Samueli in Scriptura tribuuntur, Dæmonis tantum operationi referri, ne præmonitis quidem de fraude ſubdoli artificii Lectoribus; cum maxime ratum habere videatur ac firmum, eum, qui cum Saule ſermones miſcuit, ac futurorum oracula aperuit, vel ipſum fuiſſe Samuelem, vel ſaltem ſpectrum ipſius, ejus ſpiritu & nomine, non ſine Dei jubentis voluntate, agens. Ad mendacia, & abſurda in eo oraculo ab aliquibus animadverſa quod ſpectat, facile demonſtratur, quemadmodum & in Commentario notavimus, nihil contra veritatem, verumque Samuelis characterem, neque contra rerum geſtarum eventus, pronunciatum fuiſſe.

Duplicis tantum mendacii reus ſermo ille arguitur; I. quod committendum prænunciaverit prælium mane alterius diei: II. quod Saul, ejuſque Filii apponendi eſſent cum Samuele. Primum duplici ratione excuſamus: vox illa *cras*, non ſemper certum aliquem temporis articulum deſignat, ſed non raro pro futuro incertoque uſurpatur: ita in Exodo XIII. 14. illud: *Cum interrogaverit te filius tuus cras*. Eſto autem pro certo tempore uſurpetur; nihil contra veritatem hiſtoriæ inde oritur. Saul poſt exactam cum Pythoniſſa

poſtis

---

[1] I. Reg. XXVIII. 15. [2] Ibid. ℣. 14. [3] I. Reg. XV. 35. [4] Vide Auguſt. l. 2. ad Simplician. qu. 4. [5] Marc. III. 11. & Luc. IV. 41. [6] Act. XVI. 16. 17. [7] Juſtin. ſeu quiſpiam alius ad Orthodox. qu. 52. [8] In Actis illius ap. Metaphr. [9] De Anim. c. 57. [10] In Iſa. VIII. [11] Epiſt. ad Theod. Epiſc. [12] I. Reg. XXVIII. 13. [13] In cap. VII. Iſai. Et in c. XIII. Ezech. Qualis fuit illa, quæ viſa eſt ſuſcitaſſe animam Samuelis. [14] De Ador. in Spir. & Verit. l. 5. [15] Vide & Method. Patar. adverſ. Orig. de Python. Philaſtr. de Hæreſ. cap. 26. Syncel. Chronic. Procopii Gazæum, Rupert. lib. 2. in I. Reg. XVII. & alios plures apud Allatium de Engaſtrimy. c. 23. Ita & Vat. Grot. Jan. Cleric. & alii. [16] Quæſt. 63. in I. Reg. [17] De Engaſtr. c. 9. Vide & Procop. Gaz. in 28. Reg. Anaſt. Antioch.

Digitized by Google

noctis partem ſortaſſe caſtris, non longe ab Endor poſitis, ſe reſtituit; eademque die Philiſthęi pręlium commiſere. Fuſo ſuorum exercitu, Rex ad ultimam deſperationem adductus, gladio ſe confodit. Quid hic non commodiſſum?

Alterum mendacium in verbis Samuelis verſatur: *Cras tu & filii tui mecum eritis*; quæ ſane verba vel reddi poſſunt: cras inter mortuos vos, ſicut & ego ſum, referemini; vel, vos mecum eritis in ſinu Abrahami. Cum autem poſtrema hæc interpretatio impium aliquid præſeferat, ut ſcilicet vir impius & in ſcelere obſirmatus, ſuique ipſius homicida, æquo ſit jure cum Juſtis, & Prophetis; ideo prior ſententia præferenda eſt, ut verba Prophetæ *non ad æqualitatem felicitatis, ſed ad parem conditionem mortis referantur* (1).

Adde, opinionem illam, quæ Diabolico præſtigio factum deputat, nihil habere ſolidi in S. Scriptura. Ne vocula quidem ea de re in Textu animadvertitur: & ſi quid minus congruum apparet in hac Hiſtoria, id facile ſtatim e medio ſubducitur, quin hac ſolutione utamur. Nihil nos ad eas anguſtias cogit, ut evocatum vi magicorum carminum Prophetam, atque authoritatem ſuam Dæmonem in animas Sanctorum exercuiſſe fateamur. Deus occulto providentiæ & ſapientiæ ſuæ conſilio poterat eo temporis articulo ſtatuere coram Rege Prophetam nulla habita vel Dæmonis vel Pythoniſſæ ratione, quemadmodum & a Balaamo Pſeudo-Propheta, vel ipſo Rege Balac invito, vera futurorum oracula expreſſit (2); & Caiphæ verba in Chriſtum prolata, ad oraculum, invito Caipha, detorſit (3). Ita plane ea occaſione ſervatum: Deus magicas artes præveniens, Prophetam ſuſcitavit, antequam Pythoniſſa excantationes ſuas expleret, ut e Scriptura conſtat; ea plane ratione qua Elias Propheta (4), viros a rege Ochozia miſſos ad conſulendum Beel-zebub Deum Accaronis præoccupans, quæ a Numine audituri veniebant, expoſuit: *Nunquid non eſt Deus in Iſrael, ut eatis ad conſulendum Beel-zebub Deum Accaron? Quam ob rem hæc dicit Dominus: De lectulo ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes.*

Hæc plane omnia in Scriptura apertiſſime innuuntur, cum Pythoniſſa inhorruiſſe legatur ad Samuelis aſpectum (5): *Cum vidiſſet mulier Samuelem, exclamavit voce magna, & dixit ad Saul: Quare impoſuiſti mihi? Tu enim Saul. Dixitque ei Rex: Noli timere: quid vidiſti? Et ait ad Saul: Deos vidi aſcendentes de terra.* Cur pavet mulier, niſi inſuetæ viſionis horrore? Illa Dæmones impiorumque animas magicis incantationibus evocatas ſpectare aſſueta, novum plane aliquid, nempe auguſtum & divinum quiddam ſpirans Samuelis os intuita, ferre non potuit. Samuel inexpectatus ſeſe obtulit, ante peractas mulieris excantationes; unde facilis conjectura ducitur, alterius carminum virtute factum eſſe, ut Samuel coram Rege ſtatueretur: inde terror, inde clamores Veneficæ.

Rejecerat quidem Saulem Deus, conſultuſque nihil ſive per ſomnia ſive per Prophetas reſpondit: ſed quæ huc uſque denegaverat, tunc ſaltem potuit concedere. Nonne iratus aliqua interdum permittit, quæ olim indulgens negavit? Poſt tolerata diu crimina, tandem iram ſuam in eos exerit, qui diuturno beneficiorum abuſu ſceleris ſui menſuram impleverunt. Queritur enim Saule Samuel: *Quare inquietaſti me?* Quæ humanis moribus uſitata dicendi formula eſt, ſevere non expendenda.

Regi ne vero an Pythoniſſæ ſpectandum ſe præbuerit Samuel, nihil ad rem, cum ad exploranda Regis crimina ſolummodo venerit, atque imminentem a Deo ultionem prænunciandam: quod quidem ſive ſuis, ſive aliorum verbis præſtiterit, perinde omnino eſt. Imo ad Prophetæ dignitatem conducebat magis, ut aliorum miniſterio uſus, nolle ſe, ne verbo quidem, impium Regem alloqui demonſtraverit. Quod vero addunt, alienum fuiſſe ab ingenio Samuelis, ut miſero adeo acriter inſultaret, ne pateretur, ut a Rege Divini ſibi honores impenderentur; ad illud reponimus, I. Profunda quidem ſalutatione venientem Prophetam ſalutaſſe Regem, qua in re non cultum aliquem impendit; adoratio civilis erat, non religioſa. II. Conceſſo pœnitentiæ tempore cum Saul abuſus fuiſſet, reliquum erat, ut miſericordia depoſita, Propheta ſeveritate & acrimonia armaretur in virum pervicacem, qui veteribus criminibus immane illud addiderat, ut Magos & Ariolos conſuleret.

His refutatis rationibus, cæteræ minoris ſane roboris vel victæ ſe ultro tradunt, vel argumentis infra addendis conficientur.

Si autem neque Spiritus aliquis nequam, neque ſpectrum aliquod a Dęmone ſuppoſitum in ſcenam prodivit, fateamur oportet, ipſum per ſe Samuelem deſcendiſſe; ejus verba pura fuiſſe oracula, atque Textum Scripturæ prono & maxime literali ſenſu accipiendum eſſe. Quod poſtremo dictum, fuſius jam demonſtrandum ſuſcipimus.

Res eſt omnium confeſſione exploratiſſima, in expoſitione Sacrarum Scripturarum, ſimplici ac maxime prono literæ ſenſui ſemper eſſe inhęrendum, niſi quid fidei vel pietati abſonum ex eo referatur. Nihil eſt autem Fidei & pietati repugnans in hac hiſtoria, niſi quod Dæmoni, atque magicis carminibus vis tribuatur in animas Juſtorum & Sanctos. Hoc uno excepto, quidquid ad Fidem & pietatem ſpectat, integrum eſt. Porro tria eſſe quæ difficultatem illam tollunt, ſupra innuimus: I. Si Deum magicas evocationes præveniſſe, oblato Propheta coram Rege ante completum impium a Pythoniſſa ritum, dixerimus, II. Si eo temporis articulo excitaverit Deus Prophetam ſuo uſus arbitrio, non magicis evocationibus ſervire coactum. III. Si Deus, vel Angelus, ejus juſſu, phantaſma aliquod pro Samuele exhibuerit. Poſtremam S. Auguſtino debemus: quæcumque autem ex hiſce tribus eligatur, æque omnia tuetur, neque a litera Textus divertere quidquam cogit. Nam & mulier intenta operi nefario, & Samuel, vel ejus umbra cum Rege colloquia miſcens, omnia tamen Dei juſſu peragi ponuntur.

Atqui umbra Samuelis nunquam verus Samuel dici poteſt. Vel admiſſa phantaſtica ejuſdem prophetæ viſione, actum eſt de veritate Textus Sacri, in quo non ſemel viſus Samuel, ac cum Rege colloquia miſcuiſſe legitur. Hæc objicientibus reponimus, moribus uſurpari, ut viſo nummo, ſive imagine picta, vel phantaſmate Cæſaris, aut Virgilii, ipſe conſpectus Cæſar Virgiliuſque dicatur; quemadmodum viſo per quietem homine, conſpectus homo dicitur. Ita plane viſum phantaſma Samuelis a Rege, tanquam verus Samuel haberi poteſt, ac de Propheta uſurpari, quod ejus umbrę debetur.

Eſt igitur cur a litera Scripturę, appoſita quam ſupra adduximus cautione, non recedamus. Spiritus eſt Divinus, qui Opus dictavit, ejuſque veritatem authoritate ſua confirmat: nunquam autem ille contra veritatem literalem cautos nos facit. Si ergo reliqua hiſtoria ad literam accipienda eſt; cur hæc tantummodo portio alio ſenſu detorquenda? Legat quivis eam hiſtoriam: primo certe intuitu nunquam legenti ſuccurret, niſi vera Prophetę viſio. Nonniſi longa ejus hiſtorię meditatio, metuſque ne quid concederetur necromantię, atque Dęmonis in animas Juſtorum authoritati, Authores quoſdam in alia conſilia deduxit.

(1) Aug. ad Simplician. l. 2. p. 44. (2) Num. xxiii. 7. (3) Joa. xi. 51. (4) 4. Reg. 1. 3. 4.
(5) 1. Reg. xxviii. 12.

Facile etiam pruritus contradicendi Origeni, ejuſque ſententiam, abſonam alioqui & erroneam, confutandi, in contrarium plane ſtudium pertraxit. Sane ſi fas eſſet Scripturę ſenſum torquere, atque adeo violenta ratione diſtrahere, ſiquid obſcurum in illa deprehendatur, actum eſſet de oarrationibus ſanctiſsimis totius Scripturę. Hic Samuel in Dęmonem transformatur, Propheta in Angelum tenebrarum, ejus oracula in mendacia; ſermoni ipſius abſurda quędam & incongrua appinguntur. O miram ſane metamorphoſim! Porro ad eas anguſtias in explicatione Scripturę nonniſi ſumma neceſsitate cogente adducamur oportet; agitur enim de Scriptura Divinitus inſpirata, cujus veritas ceteras humanas veritates longe antecellit. Tandem Prophetę vices Diabolo demandare, nunquam citra injuriam Prophetę permiſſum eſt. Ludibrio quin etiam audacium ingeniorum exponitur veritas, & authoritas Divinarum Scripturarum, ſi ad ſenſum detorqueantur plane literę repugnantem.

Fatemur quidem, pluribus inter veteres Patres eam opinionem arriſiſſe; quos tamen ab impiis ejuſdem ſententię conſecutionibus longe abſuiſſe, ne dubitamus quidem. Videntur illi plane non ſatis animadvertiſſe Taxtum Eccleſiaſtici XLVI. 23. qui de tota quęſtione ſententiam ferre pro vera & minime fucata viſione Prophetica videtur. Potuit ſcribentibus is locus menti non occurrere, vel ſaltem ea non erat Eccleſiaſtici tum temporis authoritas, qualem noſtra demum ætate obtinuit. Illud conſtat, illum nunquam apud eos in hac re laudari, ut Allatius obſervavit (1). En igitur locum Eccleſiaſtici: *Poſt hoc dormivit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltavit vocem ſuam de terra in prophetia, delere impietatem gentis.*

Nemo ſane dicet, Scriptorem de objecto ſub ſpecie Samuelis Diabolo egiſſe, illumque exprimere rem ad ſpeciem tantum, non ad veritatem voluiſſe. Fieri ne unquam potuiſſet, ut recurrente toties in Scriptura ejuſdem hiſtorię mentione, nuſpiam tamen ne verbulum occurreret, pręſtigium Dęmonis inſinuans? Eſt ne plane certum, Dęmoni ipſi tantam ineſſe poteſtatem, ut ipſe per ſe viſibilem ſpeciem viri ſanctiſſimi poſſit exhibere? In Paralipomenis (2) ubi eadem hiſtoria compendio refertur, nihil æque ac in Eccleſiaſtico occurrit, quod non verum Samuelem loquentem, & ſeſe exhibentem prodat: *Mortuus eſt ergo Saul propter iniquitates ſuas, eo quod prævaricatus ſit mandatum Domini, quod præceperat, & non cuſtodierit illud, ſed inſuper etiam Pythoniſſam conſuluerit, nec ſperaverit in Domino.* Septuaginta habent, uti ex Theodoreto ſupra obſervavimus: *Quia interrogavit Saul in ventriloqua, ut exquireret. Et reſpondit ei Samuel Propheta: & non exquiſivit in Domino, & occidit eum.*

Sola literæ inſpectio adeo veritatem Propheticæ viſionis Veteribus fere omnibus perſuaſit, ut aliquos in eos errores quondam pertraxerit, quos vitarę nos omnino volumus. Faſſi enim Samuelem reipſa coram Rege ſtetiſſe, Dæmonis, & magicorum carminum vim plus nimio extulerunt. Laudantur in eam ſententiam S. Juſtinus Martyr, Origenes, & Anaſtaſius Antiochenus. Verum S. Auguſtinus poſt libratas judicii lance varias de hoc argumento ſententias, in eam tandem inclinatur, quæ Propheticæ viſionis veritati favet (3); & S. Ambroſius in Lucam I. *Samuel*, ait, *poſt mortem, ſecundum Scripturæ teſtimonium, futura non tacuit.* Author carminis in Marcionem libro III.

Mirificus Samuel, cui Reges ungere primum,
Talibus in vitæ ſpatio laudabilis erit,
Ut quoque poſt requiem Prophetica jura teneret.

Zeno Epiſcopus Veronenſis (4) ait, Samuelem poſt obitum non modo coram Saule ſtetiſſe, ſed colloquia miſcuiſſe cum illo, liberius poſt obitum arguens, quam vivus fecerat. S. Thomas (5), ab Auguſtino magiſtro nunquam recedens, & ab Eccleſiaſtici textu perſuaſus ſcribit, Samuelis animam de belli eventu ſibi a Deo revelato, certiorem Regem feciſſe: addit, oraculum illud vere Propheticum habendum eſſe, cum Samuel ad ſtatum beatitudinis æternæ nondum perveniſſet. His jungimus Severum Sulpicium (6), Rabanum Maurum (7), Theodoretum (8), Bedam (9), Iſidorum Hiſpalenſem, Eucherium, Anſelmum Monachum, alioſque, qui S. Auguſtinum exſcripſerunt. Paria tradunt, duce Joſepho Hebræo, omnes ferme Rabbini (10), & Interpretes Catholici plerique, Lyranus, Dionyſius Carthuſianus, Cajetanus, Sanctius, Steuchus, Bellarminus, Salianus, Serarius, Eſtius, Coccius, Caſtro, Galatinus, Soto, Franciſcus Valeſius, & alii ſexcenti (11).

Sola Authoris Sacri lectio ſententiæ hujus veritatem perſuadet. Vix Pythoniſſa evocare cœperat poſtulatum a Rege Samuelem, cum ſubito & inſperato obvium habens virum gravem, exclamavit, & dixit Sauli: *Quare impoſuiſti mihi? tu es enim Saul.* Quantum porro ingenium, & verba Textus torquenda ſunt, ut ſenſus exprimatur plane verbis contrarius, objectum nempe ſub aſpectu Prophetæ Dæmonem fœminam terruiſſe? Rogata a Rege, quid ſibi monſtri occurrerit, reſpondit: *Deos vidi aſcendentes de terra*, nempe Judicem, Principem, Magiſtratum: *Vir ſenex, amictus pallio.* Actutum Rex eo indicio Samuelem agnoſcens, pronus in terram, anguſtias, quibus tenebatur, expoſuit. Cui Propheta: *Quid interrogas me, cum Dominus receſſerit a te, & tranſierit ad æmulum tuum? Faciet enim tibi Dominus ſicut locutus eſt in manu mea, & dabit illud proximo tuo David.... Et dabit Dominus etiam Iſraęl tecum in manus Philiſthiim. Cras autem tu, & filii tui mecum eritis.* Ita Scriptura, quæ loquentem Samuelem, non Sagam inducit. Si quis reponat, fœminam ut credulum Regem falleret, Propheticam vocem ſimulaſſe, cur rogo, infauſta omnia prædixit, futura ſibi fortaſſe diſcrimini, quorum incertus erat eventus? Nonne veriſimilius eſt ſubdolam mulierem eam occaſionem captaturam fuiſſe, ut Regi aſſentaretur, eumque deſpondentem animi ſacta proſperi eventus ſpe relevaret? An illa Principum ingenium ignorabat, qui graves, & inviſas veritates iniquis auribus excipiunt? An forte cum Rege impio, & furibundo agere ſe non intelligebat? Ceterum vix eſt ut credamus, adeo potuiſſe fœminam vocem ſuam transformare, ut neque Saul, neque præſentium quiſpiam dolum ſubodoraretur.

Dicat pro arbitrio quiſpiam, potuiſſe Dæmonem præſtigiis ſuis & præſentes omnes, & mulierem fallere. Fateor eſſe hanc Demoni poteſtatem, ut falſa prodigia operetur: ſed quis, rogo, facile crediderit, ſpiritum hunc nequam tam ſæpe atque impune Domini nomen uſurpare potuiſſe (12); nomen, inquam, illud ſanctum & terribile, cujus unica pronunciatione terretur? Quis Divini obſequii ſtudio perpetuum illum Dei adverſa-

(1) In Euſtat. de Engaſtrimytho cap. 24. (2) 1. Paral. x. 13. (3) Auguſt. de Cura pro mortuis cap. 15. *Nam Samuel Propheta defunctus vivo Sauli etiam Regi futura prædixit.* (4) Serm. de Reſurr. (5) Secunda ſecundæ quæſt. 174. art. 5. ad 4. Vide eumdem 1. p. quæſt. 89. art. 8. ad 2. (6) Hiſt. Sacr. l. 1. (7) In Eccli. lib. x. c. 12. (8) Quæſt. 63. in 1. Reg. (9) Lib. 4. in Reg. (10) Joſeph. Antiq. lib. 6. cap. 15. (11) Vide, ſi lubet apud Allat. cap. 22. in Euſtat. de Engaſtr. (12) Nomen *Jehovah* ſexies legitur uſurpatum in eo colloquio a Samuele, 1. Reg. XXVIII. 15. 16. 17. 18.

verſarium actum putet, ea crimina Sauli exprobraviſſe, quæ ipſo authore commiſerat? Tandem vix fieri potuiſſe credimus, ut pater ille mendacii tam certa atque aſſerta futuri eventus oracula proderet. Eſto; noverit ille & Saulis reprobationem, & Davidis electionem, quarum longe lateque ſeſe fama diffuderat; ſed infauſtum eventum prælii, mane alterius diei committendi, quonam revelante norat? Quid etiam in ea rerum conſtitutione magis incertum, quam prælii eventus, atque Saulis totiuſque Regiæ familiæ interitus? Poterat ſane Rex caſtris exui, non vita; poterat ipſe eodem cum prælio caſu obvolvi, familia interim ea die incolumi. Abſonum etiam videbatur, Saulem, de imminenti ſibi ſuiſque copiis fato præmonitum, nulla ratione ſuæ cæterorumque ſaluti conſuluiſſe. Solus igitur rerum arbiter & moderator poterat certa ratione futuros rerum eventus dignoſcere, rata futurorum oracula promens.

Dæmonem futuros rerum eventus latere, eoſque nonnisi per conjecturas augurari, nemo eſt qui ignoret. Nunc autem is, qui Samuelis perſonam induit, non per conjecturas loquitur, ſed ex certa ſcientia, ut tempus ipſum atque adjuncta implendi oraculi deſignet. Nullus igitur eſt ambigendi locus, quin vera ſit Sauli deputanda colloquii cum Saule hiſtoria, an vero *ſive in corpore, ſive extra corpus* Regi ſeſe obtulerit, neſcire nos fatemur. Quocumque autem habitu adſuerit, nunquam tamen Dæmonis vel Pythoniſſæ præſtigiis rem eſſe deputandam, ſed potius omnia Deo vivorum & mortuorum Domino referenda certiſſime conſtat.

Digitized by Google

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN I. LIBRUM REGUM.

CAPUT PRIMUM.

Elcana ad Tabernaculum Domini proficiſcitur una cum duabus uxoribus ſuis Anna & Phenenna. Anna ab æmula irriſa Domino ſupplicat, a quo impetrat filium, cui Samuelis nomen inditum eſt. Puerum ducit in Silo, & Domino conſecrat.

℣. 1. FUit vir unus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim, & nomen ejus
Elcana, filius Jeroham, filii Eliu, filii Thohu, filii Suph, Ephratæus. 2.
Et habuit duas uxores, nomen uni Anna, & nomen ſecundæ Phenenna. Fueruntque
Phenennæ filii: Annæ autem non erant liberi. 3. Et aſcendebat vir ille de civitate
ſua ſtatutis diebus, ut adoraret, & ſacrificaret Domino exercituum in Silo. Erant au-
tem ibi duo filii Heli, Ophni, & Phinees, ſacerdotes Domini. 4. Venit ergo dies,
& immolavit Elcana, deditque Phenennæ uxori ſuæ, & cunctis filiis ejus, & filia-
bus partes: 5. Annæ autem dedit partem unam triſtis, quia Annam diligebat. Do-
minus autem concluſerat vulvam ejus. 6. Affligebat quoque eam æmula ejus, &
vehementer augebat, in tantum, ut exprobraret, quod Dominus concluſiſſet vulvam
ejus. 7. Sicque faciebat per ſingulos annos, cum redeunte tempore aſcenderent ad
templum Domini: & ſic provocabat eam: porro illa flebat, & non capiebat cibum.
8. Dixit ergo ei Elcana vir ſuus: Anna, cur fles? & quare non comedis? & quam
ob rem affligitur cor tuum? numquid non ego melior tibi ſum, quam decem filii?
9. Surrexit autem Anna, poſtquam comederat, & biberat in Silo. Et Heli ſacerdote
ſedente ſuper ſellam ante poſtes templi Domini. 10. Cum eſſet Anna amaro ani-
mo, oravit ad Dominum, flens lagiter, 11. Et votum vovit, dicens: Domine exer-
cituum, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec
oblitus ancillæ tuæ, dederiſque ſervæ tuæ ſexum virilem: dabo eum Domino omni-
bus diebus vitæ ejus, & novacula non aſcendet ſuper caput ejus. 12. Factum eſt
autem, cum illa multiplicaret preces coram Domino, ut Heli obſervaret os ejus.
13. Porro Anna loquebatur in corde ſuo, tantumque labia illius movebantur, & vox
penitus non audiebatur. Æſtimavit ergo eam Heli temulentam, 14. Dixitque ei:
Uſquequo ebria eris? digere pauliſper vinum, quo mades. 15. Reſpondens Anna:
Nequaquam, inquit, domine mi: nam mulier inſelix nimis ego ſum, vinumque, &
omne, quod inebriare poteſt, non bibi, ſed effudi animam meam in conſpectu Do-
mini, 16. Ne reputes ancillam tuam quaſi unam de filiabus Belial: quia ex multi-
tudine doloris, & mœroris mei, locuta ſum uſque in præſens. 17. Tunc Heli ait
ei: Vade in pace; & Deus Iſrael det tibi petitionem tuam, quam rogaſti eum. 18.
Et illa dixit: Utinam inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et abiit mulier in
viam ſuam, & comedit, vultuſque illius non ſunt amplius in diverſa mutati. 19.
Et ſurrexerunt mane, & adoraverunt coram Domino: reverſique ſunt, & venerunt
in domum ſuam Ramatha. Cognovit autem Elcana Annam uxorem ſuam: & recor-
datus eſt ejus Dominus. 20. Et factum eſt poſt circulum dierum, concepit Anna,
& peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel; eo quod a Domino poſtulaſſet
eum. 21. Aſcendit autem vir ejus Elcana, & omnis domus ejus, ut immolaret Do-
mino hoſtiam ſolemnem, & votum ſuum. 22. Et Anna non aſcendit: dixit enim

viro ſuo . Non vadam , donec ablactetur infans , & ducam eum , ut appareat ante
conſpectum Domini , & maneat ibi jugiter . 23. Et ait ei Elcana vir ſuus : Fac ,
quod bonum tibi videtur, & mane, donec ablactes eum: precorque, ut impleat Do-
minus verbum ſuum. Manſit ergo mulier , & lactavit filium ſuum , donec amoveret
eum a lacte. 24. Et adduxit eum ſecum, poſtquam ablactaverat, in vitulis tribus,
& tribus modiis farinæ , & amphora vini , & adduxit eum ad domum Domini in
Silo. Puer autem erat adhuc infantulus. 25. Et immolaverunt vitulum, & obtule-
runt puerum Heli. 26. Et ait Anna: Obſecro, mi domine, vivit anima tua , do-
mine: ego ſum illa mulier, quæ ſteti coram te hic orans Dominum. 27. Pro pue-
ro iſto oravi, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam poſtulavi eum. 28.
Idcirco, & ego commodavi eum Domino , cunctis diebus , quibus fuerit commoda-
tus Domino. Et adoraverunt ibi Dominum. Et oravit Anna, & ait:

℣. 1. FUIT VIR UNUS DE RAMATHAIM SOPHIM . Textus Hebræus (1) , Septuaginta & Chaldæus ferunt : *Et fuit vir unus* , quaſi ſcilicet continuatio hæc eſſet præcedentis Hiſtoriæ . Librorum Hiſtoricorum S. Scripturæ plerique invicem perſimili ratione conjuncti ſunt , ſine inſcriptione, ſine tranſitione. Porro Sacri Scriptores a Sancto Spiritu intus edocti, Divinis hiſce Scriptis narrant connexam ſeriem geſtorum quæ Dei conſiliis ſervierunt; minime vero curandum ſibi cenſuerunt , ut hominum nomina , & certam , qua vixerunt, ætatem , pluraque alia docerent , quæ gravia quidem nobis videntur , ſed conſilio , & propoſito Scriptorum ſunt aliena . Nihil autem eſt, quod magis oſtendat tum ſapientiam illorum, tum etiam animum prorſus ab inani hominum curioſitate alienum. A re in rem ita ducitur Lector , ut ad alia non diſtrahatur , nec diſcendo laboret: nihil oſtentationis & ſtudii in eorum ſtylo: neque hominem neque ſcriptorem vides: aperta ſolummodo ſemper hiſtoria & ſimplex veritas ſub oculis. Deſcriptiones , characteres , imagines genuinæ ſemper & naturales , quæ nihil fuci ab arte vel humanis coloribus mutuantur . Arrecta meos in admirationem genuinæ hujus neque fucatæ ſimplicitatis exuitur facile ea diffidentia , quæ Lectores ſuſpicioſos ſemper detinet , ne ſe totos addicant rebus , in quibus ſe videre putant affectationis aliquid , & artificii , ut extorqueatur aſſenſus.

Cum Samuel Propheta , in Hiſtoria Regum partes non infirmas habuerit , ut mox patebit , par erat utique , ut originem ſuam poſteros doceret. Ad hæc, prodigium illud ortus ipſius majus erat, quam ut ſilentio premeretur. Idem inter Judices Iſraelis poſtremus fuit ; atque ſi ante obitum ſuum illud calamitatis ferre coactus eſt , ut videret Saulem primum Hebræorum Regem a Domino reprobatum , ingenti etiam altero ſolamine recreatus eſt , cum conſecraverit Davidem, virum illum ſecundum cor Dei , eumdemque Regem Iſraelis deſignaverit.

Ex Levitico genere natus Samuel (2) , ad Familiam Caath pertinebat : alienus erat ab jure Sacerdotali , utpote quod in ſola Aaronica Familia contineretur . Patriam habuit Ramatham , vel Ramathaim: hoc vero poſterius nomen, cum duale ſit, ſuſpicioni locum facit (3), utrum Ramatha in geminas urbes diviſa fuerit: ſed occurrunt alibi nomina urbium pluralia , ſeu dualia , quas tamen urbes in duas vel in plures diviſas fuiſſe , nullo argumento demonſtratur . Hæc appellatur tantum Ramatha infra , ℣. 19. & alibi (4) tantum *Ramah*. Ex nomine ſatis indicatur , in edito aliquo loco conſediſſe, ſcilicet in montibus Ephraimi. Ceſſiſſe Levitis nuſpiam legimus; quamquam incolas habebat Levitas poſteros Zoph, vel Zuph, vel Zophi, e genere Caath (5): hinc nomen Urbi inditum *Ramath Zophim* , ſeu filiorum Zoph. Ægre divinamus, qua ratione & cauſa ea Levitarum familia illuc migraverit . Totam illam regionem appellatam pariter fuiſſe terram *Zuph* , infra patebit (6) . Vitæ ſuæ annos pleroſque egit Samuel in Ramatha ; ex quo ſcilicet Judex Iſraelis renunciatus fuit. Licet Domini obſequio matris religione conſecratus , minime tamen idcirco ſedem habere perpetuam debebat in Silo, unde alio accitus eſt a munere, quod ſibi imperatum a Deo gerebat . Plures erant in Judæa urbes *Rama* , vel *Ramatha* appellatæ. Urbis hujus ſitus , teſte Scriptura , in montibus Ephraim conſtitutus, argumento eſſe poteſt, aliam fuiſſe urbem , quæ a Geographis ponitur inter Lyddam & Jeroſolymam , in via ex Joppe Jeroſolymam. Ramatha Samuelis propius ad ſeptemtrionem collocanda eſt . Occurrit hodie pariter inter Gabaan & Bethel in via e Samaria Jeroſolymam urbs *Rama* , cujus nomen in Hiſtoria maxime celebratur , quam Samuelis patriam agnoſcendam eſſe, minime ambigens affirmo.

EPHRATÆUS , e Tribu Ephraim . Elcana pater Samuelis ad Tribum Ephraimi domicilio pertinebat , non origine ; Levitam enim fuiſſe , jam demonſtratum eſt.

℣. 2. ET HABUIT DUAS UXORES. Ex recepto inter Iſraelitas more, qui exemplo Patriarcharum, & Legis indulgentia freti , nulla religione a polygamia abſterrebantur . Moyſes quidem nulla aperta lege ſeu permiſit ſeu vetuit polygamiam ; quamquam in Legibus ſuis non obſcure illam agnoſcit.

℣. 3. ASCENDEBAT DE CIVITATE SUA STATUTIS DIEBUS . Aderat Tabernaculo Domini tribus maximis anni Feſtis , nempe Paſchate , Pentecoſte , & Feſto Tabernaculorum, ex Domini præcepto. Porro viris tantummodo id imperatur in Lege (7); ſed pluribus exemplis demonſtratur, fœminis pariter & pueris permiſſum fuiſſe ut venirent, eoſque hujuſmodi religioni non defuiſſe . Elcana omnem familiam ſecum duxit (8), uxores geminas, & filios Phenenæ. Innuere videtur alicubi Moyſes (9) , ipſos utriuſque ſexus ſervos (Hebræos) eo pariter conveniſſe; ſed præceptum nullum datum erat fœminis, pueris, & ſervis.

UT ADORARET , ET SACRIFICARET DOMINO EXERCITUUM IN SILO . Jam inde ab ætate Joſue (10) Arca & Tabernaculum reſidebant in Silo , quo Elcana , non minus quam reliqui Iſraelitæ , ſe conferebat , ut tributum & cultum Domino Exercituum redderet . Hic primum occurrit nomen יהוה

(1) ויהי איש 70. Καὶ ἐγένετο ἄνθρωπος, &c. (2) Vide 1. Par. vi. 29. (3) Vide Munſt. Vatab. Druſ. ex Hebræis. (4) 1. Reg. xii. 19. in Hebræo. (5) 1. Par. vi. 26. (6) 1. Reg. ix. 5. *Cum autem veniſſent in terram Suph.* (7) Exod. xxiii. 17. & Deut. xvi. 16. (8) 1. Reg. 1. 21. (9) Deuteron. xvi. 11. *Epulaberis . . . . . . tu, filius tuus , & filia tua , ſervus tuus , & ancilla tua .* (10) Joſue xviii. 1.

יהוה צבאות *Jehova-Zebaoth*, vel Dominus exercituum; quod Caſtalio reddit *Jehovah Bellipotens*. Maluerim ego, vulgarem Interpretationem ſequens, exponere de exercitibus Cœli, de Angelis vel aſtris, quibus imperat Dominus; vel de exercitibus Iſraelis, quorum ille Princeps erat ac Imperator. Ex hoc *Jehovah Sabaoth* expreſſerunt Profani ſuum illum *Jovem Sabazium*.

Ỳ. 4. Elcana dedit Phenennæ uxori suæ .... partes. Hoſtiæ erant in eam rem ſaginatæ, ut ad Templum ductæ, dignas hoſtias pacificas exhiberent. Illarum cruor fundebatur ad baſim Altaris, adeps ſacro igne adolebatur: Sacerdotibus vero cedebat pectuſculum, & armus dexter; reliqua domino victimæ reſtituta, impendebantur in religioſa convivia, ad quæ Deus ſæpe adeo vocari jubet Levitam, egenum, viduam, & orphanum (2). Author traditionum Hebraicarum in Reges ſcribit, *partes* haſce fuiſſe veſtes, quas paterfamilias largiebatur uxoribus ſuis, filiis, & famulis, cum Feſta illa celebrarentur.

Ỳ. 5. Annæ autem dedit partem unam tristis. Textus Hebræus obſcuriſſimus ita ſonat ad literam (3); *Et dedit Annæ diſtributionem unam facierum* vel *iræ*; quæ enim vox faciem, eadem interdum & iram ſignificat. Utraque tamen interpretatio parum congruit cum re præſenti. Paraphraſtes Jonathan, quem ducem Interpretes plures ſequuntur, explicat de *parte una electa*, qua Elcana privilegio ſingularis amoris Annam cariſſimam uxorem ſuam donavit. Alii (4) reddunt partem duplo majorem, quaſi diceretur, partem duplici facie. Novam quamdam conjecturam ſubjicit Grotius, reddens datam Annæ *maxillam unam victimæ*, cum altera Sacerdoti ceſſiſſet; quaſi ſcilicet innuat litera: *Dedit unam partem faciei ſuæ*. Sed quonam Scripturæ teſtimonio docemur, Sacerdotes pro ſuo jure hoſtiæ maxillam ſibi vindicaſſe? Legimus in Hebræo Capitis XVIII. 3. Deuteronomii, Sacerdotum partes fuiſſe *brachium, & maxillas, & ventriculum boum, & ovium, quæ immolabantur*. Quamvis autem fateremur, dicta hæc accipi oportere de conſuetis ſacrificiis, non obſcure tamen exprimit Textus, utramque maxillam (5), vel ſi mavis, mandibulam fuiſſe Sacerdotis; nulliſque argumentis demonſtrabitur, alteram ex illis in poteſtatem illius veniſſe, qui victimam dabat. Adde, *facies* nullibi maxillas ſignificare.

Qui Textum Originalem reddunt, *Dedit partem unam iræ*, reputant, Elcanam, cum ægre ferret quod ab ea uxore liberos non ſuſcepiſſet, unica tantum victimæ parte illam donaſſe, cum Phenennæ plures dederit, quas ſuis illa manibus in filios diſtribuerit. Malunt alii, portionem Annæ *unam partem iræ* appellatam fuiſſe, quod illam maritus Annæ dederit, ut ejus dolorem leniret, iramque compeſceret: ſed expoſitio eſt nimium violenta. Reddi etiam poſſet: *Dedit illi portionem unam coram ſe, quia Annam diligebat*. Ut eo ſpeciali privilegio amatam uxorem diſtingueret, Elcana e dapibus coram ſe appoſitis portionem ſelegit eximiam & majorem, quam illi elargitus eſt. Selecta hæc portio appellatur *pars faciei*, eodem plane ſenſu, quo panes menſæ aureæ coram Domino appoſiti, dicti ſunt *panes faciei* (6), & *Angelus faciei Domini* (7) ille eſt, qui coram Domino ſtat, vel ab eo mittitur; *Salus faciei ejus* (8), auxilium eſt, quo aliquem Deus tuetur. Seu planius; Dedit Annæ partem coram illa, ſeorſum ab aliis. *Pars facierum* uſurpari poteſt pro ea, quæ coram nobis apponitur. Perſimilem phraſim animadvertere licet in Hebræo Geneſis XLIII. 33. *Dona tulit a faciebus ſuis*. Sermo eſt hic de Joſepho, qui ex epulis portiones ſingulas dividebat fratribus convivio a ſe exceptis. Ex appoſitis coram ſe dapibus portiones ſingulis dividebat. Porro ciborum portionem diſtribuere convivis, ad patrem familias olim pertinebat. Omnia coram illo apponebantur. Neque ab hoc more receſſiſſe adhuc Orientales nonnullos, Chardinus affirmat (9). In Perſide nemo loco movetur, ut menſæ aſſideat (10), ad ſingulos enim quo loco forte conſtiterint, eo dapes mittuntur: quod æque ſervatur in domibus vulgarium ac nobilium. Ita pariter Elcana dedit, ſeu miſit Annæ ad locum, quem forte tenebat, ingentem e dapibus coram ſe appoſitis portionem.

Dominus autem concluserat vulvam ejus. Deo authori fœcunditatem æque & ſterilitatem tribuens Scriptura, illam quidem ceu largientis Numinis beneficium, hanc vero ceu ulciſcentis, vel obliviſcentis maledictionem agnoſcit. Idcirco Anna infra Ỳ. 11. & 19. rogat obſecratque Deum, ut ſui denique meminerit; utque voti compos facta eſt, Dominum ancillæ ſuæ meminiſſe ait. Non ſemel in Scriptura Numinis vis eo nomine commendatur, quod ſterili vulvæ fœtum concedat (11); neque ſemel etiam velut irati Numinis ultio ſterilitas exhibetur.

Ỳ. 6. Affligebat eam æmula ejus, et vehementer angebat, in tantum ut exprobraret &c. Hebræus (12): *Et adverſaria*, inimica, *ejus irritabat eam, ita ut fremere faceret eam, quia Dominus concluſerat vulvam*; vel potius: *Anguſtiabat ut murmurare eam faceret*, vel, ut queri cogeret, obloqui, ægre ferre. Septuaginta (13): *Irritabat eam æmula ejus, quia illam deſpiciebat*.

Ỳ. 8. Melior tibi sum, quam decem filii, ſeu quam plures filii. *Decem* hic uſurpatur pro numero incerto & indefinito, uti alibi ſcribitur (14): *Tentaverunt me per decem vices*.

Ỳ. 9. Ante postes Templi. Hebræus ad literam (15): *Heli Sacerdos ſedens ſuper ſolium ſuper poſtes Templi Domini*. Sedebat Heli facile extra & præ foribus atrii, neque Anna ulterius quam ad primam illam portam proceſſerat, ut oraret. Quin & ignoro, an fœminis datum eſſet, ut ulterius intra Tabernaculi atrium ferrentur. Porro nomen Templi datur hic Tabernaculo Silo, quamquam nullum ibi erat ædificium, niſi forte (16) ſepium murorum, loco aſſerum, quos Moyſes conſtituerat. Hiſtoriæ hujus Author ſpectavit ætatis ſuæ mores, cum ſcilicet jam Templum ſtabat; vel loquendi tropum vulgarem uſurpavit, quo tentorium, domus appellatur, & tentorium Regis, Regia domus dicitur: ubi Deus colitur, ibi ejus Templum eſt. In hunc ſenſum Jacob dedit Bethel nomen *domus* vel Templi *Domini, & portæ Cœli* (17). Perſimilis phraſis crebra ſunt, & præſertim in Pſalmis Davidicis exempla, ubi appellatur *Templum*, & *domus Dei* & *mons ſanctus*, mons ille Sion, ubi conſidebat Arca & Tabernaculum, quamquam nullum ibi adhuc Templum excitatum erat. J. Chriſtus (18) appellat *domum Dei* Tabernaculum illud Silo, ex quo David accepit panes propoſitionis, & enſem Goliath.

Ỳ. 11. Votum vovit; ea lege, ſi Elcana aſſentiretur, quo inſcio, nullum ab ea nuncupatum votum expleri potuiſſet (19). Nec de viro magis

quam

(2) Deut. XVI. 11. (3) ולחנה יתן מנה אחת אפים כי את חנה אהב (4) Syr. Arab. Lyr. Jun. Tremell. Sanct. & Autor tradit. Heb. in Reg. (5) הלחיים Vide Commentarium in Deut. XVIII. 3. (6) Exod. XXV. 30. (7) Exod. XXIII. 20. Iſai. LXIII. 9. (8) Pſal. XLI. 6. 2. (9) Chardin, Voyage de Perſe par la Colchide p. 81. (10) Idem Voyage de Perſe t. 2. p. 62. (11) Geneſ. XXVIII. 13. 14. 1. Reg. II. 5. Pſalm. CXII. 9. (12) וכעסתה צרתה גם כעס בעבור הרעמה כי סגר יהוה (13) Παρώργιζεν αὐτὴν ἡ ἀντίζηλος αὐτῆς, καί γε παροργισμῷ, διὰ τὸ ἐξουθενεῖν αὐτήν. (14) Num. XIV. 22. Vide & Geneſ. XXXI. 7. 41. (15) ישב על הכסא על מזוזת היכל יהוה (16) Vide quæ diximus in Joſue XVIII. 1. (17) Geneſ. XXVIII. 17. (18) Matth. XII. 4. (19) Num. XXX. 7. 8. 9.

quam par erat, ſibi pollicebatur, rata non defuturum ut obſecundaret promiſſioni ſuæ, quæ non viro minus quam ſibi conducebat.

Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, et novacula non aſcendet super caput ejus. In Judicum xvi. 19. animadvertimus, novaculę uſum apud Hebręos nullis argumentis facile demonſtrari poſſe: utebantur illi potius ſorfice ad tondendas comas. Hebręum *Morah* (2) redditur a Chaldæo (3) *terror*. Verum quis ſententiæ hujus ſenſus eſſet? *Terror hominis non erit ſuper caput ejus*. Legunt Septuaginta (4): *Ferrum non aſcendet ſuper caput ejus*. In nonnullis codicibus additur: *Vinum & inebriamentum non bibet*. Vulgatam nos quidem retinemus, quam fulcit aliorum Textuum collatio, in quibus *Morah* uſurpatur pro novacula vel ſorfice (5).

Samuel, vir Levitici generis, ſpeciali titulo ad Dominum pertinebat, cogebaturque in Tabernaculo in ſuam vicem ſervire, ab anno ętatis quinto & vigeſimo vel trigeſimo uſque ad quinquageſimum (6). Servituti huic Anna novam addit, conſecraturam ſe filium ſuum Deo ſpondens, ut ſerviat ejus Tabernaculo toto vitæ ſuæ tempore, ut primum per ætatem licuerit: cumulat hæc omnia voto Nazaræatus perpetui, quo ille ab omnibus legalibus maculis removetur, præſertim ex pręſentia funerum contrahendis; a vino pariter omnibuſque vini ſimilibus liquoribus, ac tandem a crinium raſione. De Nazaręis perpetuis nihil aperte ſancitum eſt in Lege; neque enim legimus niſi de Nazaræis, qui certa ad tempus conſecratione initiabantur (7). Sed moris hujus exemplum ſunt Samſon, Samuel, & S. Joannes Baptiſta. Veteres quidam (8) arbitrati ſunt, Samuelem leges omnes Nazaręatus ſervaſſe, ſeſeque perpetuo a vino continuiſſe, quamquam id nec Textus Hebręus nec Vulgata exprimunt. Series hiſtoriæ demonſtrat, potius Samuelem exemptum ſe cenſuiſſe ab onere ſerviendi Tabernaculo, cum Propheta & Judex populi renunciatus fuit. Poſtrema hæc dignitas non ferebat utique onus aſſidui ſamulatus, Altari & Tabernaculo Domini præſtiti.

℣. 12. Cum illa multiplicaret preces . . . ut Heli observaret os ejus. Seu potius animum adverterit ad verba mulieris; ſed murmur quidem non verba audiverit; nihil enim conceptis verbis illa edens, ſuſpiria tantum & tacita ex imo corde vota ad Deum dirigebat, Jeſus Chriſtus (9) vitii arguere videtur preces prolixas Scribarum, & Phariſæorum: *Væ vobis, Scribæ & Phariſæi, orationes longas orantes*; item & Paganorum (10): *Orantes nolite multum loqui, ſicut Ethnici, putant enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur*. Damnari his verbis videntur longius protractæ ſanctæ hujus fœminæ preces. Hanc tamen longam Annæ orationem exprimebat animi fervor, votaque orantis formabat in ejus animo Spiritus, qui intus in illa orabat, neque fundebat ſe in verba vanaſque ac inutiles commentationes; denique aliter precabatur, ac Phariſæi & Profani, quos Chriſtus reprehendit. Precabantur Phariſæi oſtentationis & ſordidæ cupiditatis gratia; Profani vero ſuperſtitione tantum, nullo Spiritus ardore ducti. Nec prolixas preces omnes æque damnat Jeſus, cum idem ipſe longioris temporis moram orando protraxerit (11), egerit orando noctes (12), ac mandet ut jugiter & conſtanter oremus (13). De Heli vide quæ diſſeremus capite II. 30. & IV. 18.

℣. 15. Mulier infelix. Hebræus (14): *Mulier dura ſpiritu*, animo dolore oppreſſo. Vox *durus* uſurpatur ſępe pro tędio, dolore, moleſtia. Dura erat ſervitus Iſraelitarum in Ægypto (15); jubet (16) Deus referri ad Moyſem *quidquid gravius* [durum] *eſt*; *Dura eſt, ſicut infernus æmulatio* (17); Elias ad Eliſæum rogantem, ut quo tempore in Cœlum rapiebatur, ſe illi non abſconderet, repoſuit (18): *Rem difficilem* [duram] *poſtulaſti*.

℣. 16. Quasi unam de filiabus Belial, malam fœminam; impiam, corruptam, effrænem; fœminam ſtultam, & pravi exempli. Septuaginta ad literam, *fœminam peſtilentem* (19). Hebręus (20): *Ne dederis ancillam tuam ad facies filiæ Belial*; ne me compares, neve miſceas cum filiabus Belial. Poſtrema hæc vox proprie ſonat quidquid nihili eſt, inutile, vel etiam perniciosum (21). Gręci reddunt interdum ſtultum, hebetem; interdum vero perniciosum, peſtilentem, impium. Vide Commentarium in Deuteronomii XIII. 13.

Ex multitudine doloris, et mœroris. Hebręus (22): *Ex multitudine meditationis meæ & indignationis meæ*. Senſa, quibus animus meus opprimitur, ac dolorem, quo angor, coram Domino effundo.

℣. 18. Utinam inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis, ut ſcilicet pro me miſera ores, vel malam de me ſuſpicionem deponas; vel tandem merear honorem amicitiæ tuæ, & vaticiniorum tuorum, quibus mihi faviſti, complementum.

Vultus illius non sunt amplius in diversa mutati. Hebręus (23): *Facies ejus non fuerunt altra ei*; ſeu non mœſto & dejecto vultu, uti prius, ſeſe prodidit. Septuaginta (24): *Facies ejus non concidit ultra*; non ultra exhibuit tetram illam & ſquallidam oris imaginem. Utitur Scriptura hac phraſi: *Cur concidit facies tua?* agens de Caino (25), mala animi ęmulatione in Abelem irritato. Interpretes quidam (26) Textum originalem reddunt: *Iram depoſuit*; ab iracundia in Phenennam convaluit. Apud Hebręum facies uſurpatur ſæpe pro ira (27); *Vultus Domini ſuper facientes mala*.

℣. 20. Post circulum dierum. Hebręus (28): *In revolutionibus dierum concepit, & peperit filium*. Periodo hac dierum evoluta annum deſignari credimus, quo elapſo, Anna filium edidit. Animadvertere alias licuit, inter conceptionem, & diem Natalem Veteres intervallum anni unius conſtituiſſe, uti in Geneſim XVIII. 10. obſervatum eſt.

Vocavit nomen ejus Samuel. Nomen mater impoſuit: imponebat interdum & pater, more in ea re vario. Nomen autem Samuel redditur, *poſtulatus a Domino*. Eliſio eſt quędam literarum, ut lenior ſit pronunciatio; vis enim etymologiæ ferret שאול מאל *Saul-meel*.

℣. 21. Ut immolaret Domino hostiam solemnem, et votum suum. Hebræus (29): *Hoſtiam dierum, & votum ſuam*. Sacrificium dierum illud eſt, quod ſingulis diebus ſolemnibus ſpontanea religio-

(2) ומורה לא יעלה על ראשו (3) ומרות אנש לא תהא עלוהי (4) Καὶ σίδηρος οὐκ ἀναβήσεται ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, οἶνον καὶ μέθυσμα οὐ πίεται. (5) Vide Judic. XIII. 5. XVI. 17. (6) Num. IV. 2. & VIII. 24. (7) Num. VI. 3. 4. 5. (8) Philo de Temulentia, Chryſoſt. homil. 1. de Anna, & homil. 79. ad popul. Baſil. hom. 2. de Jejunio. Theodoret. quæſt. 5. Tertull. adverſus Pſychicos cap. 7. Hieron. lib. 2. adverſus Jovini. Vide Mendoz. Annotat. 9. ſ. 12. (9) Matth. XXIII. 14. Marc. XII. 40. Luc. XX. 47. (10) Matth. VI. 7. (11) Luc. XXI. 43. (12) Luc. VI. 12. (13) Luc. XVIII. 1. & Paul. 1. Theſſal. V. 17. (14) אשה קשת רוח אנכי (15) Exod. I. 14. VI. 9. (16) Exod. XVIII. 26. & Deut. I. 17. (17) Cant. VIII. 6. (18) 4. Reg. II. 10. (19) Μὴ δῷς τὴν δούλην σου εἰς πρόσωπον εἰς θυγατέρα λοιμήν. (20) אל תתן את אמתך לפני בת בליעל (21) Septuag. Ὡς θυγατέρα λοιμήν. Ut filiam perniciosam, quaſi peſtem. Th. Ὡς μίαν τῶν ἀπαιδεύτων. Ut unam ex indiſciplinatis, effrænem. (22) כי מרב שיחי וכעסי Aq. Ἐκ πλήθους ἀδολεσχίας μου. Ita 70. (23) ופניה לא היו לה עוד (24) Καὶ τὸ πρόσωπον αὐτῆς οὐ συνέπεσεν ἔτι. (25) Geneſ. IV. 6. (26) Pagn. Piſcat. Mendoz. Mar. (27) Pſalm. XXXIII. 17. (28) ויהי לתקפות הימים (29) ואת זבח הימים ואת נדרו

ligione offerebatur; nullum enim ſolemnium dierum peculiare ſacrificium a Lege imperatum eſt: mandat tantum, ne quis ad Templum vacuis manibus accedat (1). Victima Paſchalis Legali præcepto imperabatur; aliæ item quædam victimæ & oblationes, quæ ſiſtebantur Domino, & quibus pia quædam convivia (2) inſtruebantur. Has facile hoſtias innuit Scriptura nomine *hoſtiarum dierum*: forte etiam id Sacrificium nihil eſt aliud, quam quod offerebatur pro redimendis majoribus natu (3), & expiandis fœminis poſt puerperium. Samuel facile Tabernaculo offerri a matre non potuit, quare penſum illud ſuſcepit Elcana.

De voto Elcanæ nihil niſi divinando afferri poteſt; neque enim niſi obiter, & hic tantum, ejus meminit Scriptura; certo tamen creditur, occaſione nati filii nuncupatum fuiſſe.

℣. 22. Non vadam, donec ablactetur infans. Non ergo eo ſe contuliſſe videtur ad eluendas puerperii maculas; eximebant enim illam a Lege tum itineris incommodum, & matris filiique infirmitas, cum locorum diſtantia. Quæritur hic quo ætatis anno infantes ablactarentur? Varias ea de re Scriptorum ſententias dedimus in Geneſim xxi. 8. ubi de Iſaaco. Eadem ſententiarum diſcrepantia hic recurrit; alii enim quinquennem ablactatum ab Anna cenſent; alii ætate trium, alii duorum annorum; idque biennii tempus naturam maxime expoſcere pro ablactatione infantium, docet Avicenna (4). Triennii ætati favet Galenus (5); cujus ſententiam fulciunt verba matris illius, quæ in II. Macchabæorum vii. 27. teſtatur, lacte ſe filium per triennium paviſſe. R. Salomon duos & viginti menſes aſſignat. Tremellius ut nodum uno ictu præcidat, Hebræo *Gamal* ſignificationem aliam vindicat; cum enim uſurpetur frequenter pro alere, nutrire, reddendum cenſet Textum: *Donec nutriatur infans*; donec ſcilicet adoleſcat, ut Tabernaculi Domini ſervitiis per ſe præſtandis par ſit.

Verum hoc ſpatium temporis plus nimio extendi non poteſt, ut cohæreat cum iis, quæ ℣. 24. legimus: *Puer erat adhuc infantulus*, Hebræus, *Puer erat puer*, cum in Tabernaculo a matre oblatus eſt.

℣. 23. Precor ut impleat Dominus verbum suum. Nonne Dominus fidem verbi ſui, & promiſſionis Heli Summi Sacerdotis liberaverat, cum filium Annæ largitus eſt? Optabat facile Elcana, ut Deus incolumem vitam Samueli conſervaret, ut conditionem illam, qua Anna filium a Domino impetraverat, impleret. Creſceret filius, eamque aſſequeretur ætatem, qua offerri Domino poſſet, ut perpetuo ſacrum miniſterium obiret, juxta nuncupatum votum, & Domini promiſſionem. Reddi etiam poteſt *verbum* pro re (6): *Dominus exequatur*, impleat, efficiat, ut opus, totumque hoc in ejus gloriam directum fiat.

℣. 24. In vitulis tribus. Alii, uti Septuaginta (7), & Patres (8), qui duces illos ſequuntur, Syriacus & Arabs legunt: *Cum juvenco trienni*; & inferius ℣. 25. unicus tantum vitulus exhibetur: *Et immolaverunt vitulum*. In eumdem ſenſum reddi poteſt Hebræus, mutata paululum ratione legendi Maſſoretica (9). Sæpe autem ſeligebantur offerendi Domino vituli, ſeu vitulæ triennes (10). Abrabam triennes victimas deſtinavit in ſacrificium Domino, pro fœdere, quod cum illo compoſuit. In expiationem cædis occultæ, vitula ejuſdem ætatis abſumi debebat (11).

Tribus modiis farinæ. Hebræus: *Tribus Epha farinæ*. Epha ſeu bathus reddebat pintas novem & viginti, cum dimidio pintæ, ſemiſextario, quarta pintæ parte, & aliquanto amplius.

Amphora vini. Hebræus ונבל יין *Nebel vini*. *Nebel* menſura erat amplior, continens bathos tres, vel pintas ſeptem & octoginta cum ſemipinta, ſemiſextario, duobus pollicibus cubicis, & aliquanto amplius.

℣. 26. Vivit anima tua, Domine, ego sum illa mulier. Verum eſt, Domine, uti verum eſt te vivere, me eamdem eſſe mulierem. Alii interpretantur: Vive diu ac vale, Domine, ego ſum illa mulier. Hoc optantis voto verba cum Regibus Babyloniæ facturi ſermonem ſuum exordiebantur: *Rex in æternum vive*, uti ex Libro Eſdræ (12) & Danielis (13) conſtat. Genus hoc eſſe juratæ formulæ accipiunt: Per vitam tuam, Domine, ego ſum illa mulier. Eſt autem id frequentiſſimum in Scriptura; e. g. (14): *Vivit anima tua, Rex, ſi novi*, per vitam tuam, Rex, id ego ignoro. *Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia uno tantum gradu ego morſque dividimur* (15); per Deum, & per vitam tuam, ego in ipſo mortis limine ſum conſtitutus.

℣. 28. Idcirco et ego commodavi eum Domino. Ad literam (16): *Ego commodo Domino omnibus diebus, quibus fuerit ipſe commodatus*; offero illum ea oblatione, ut permittam Domino quamdiu ipſum retinere opportunum Deo videbitur. Cum uſum rei alicujus alteri quis permittit, tamdiu retinendum quamdiu accipienti placuerit, toto eo tempore abdicat a ſe jus utendi ea re, cujus dominium in alterum remittit. Agnoſcit Anna, habere ſe filium e manu Domini, atque acceptum reſtituit, quamdiu ſuis obſequiis illum retinere voluerit. Non toto quidem vitæ ſuæ tempore Samuel in Tabernaculo fuit; ut enim ad munus Judicis Iſraelis evectus fuit, ſedem habuit in Ramatha (17). Deus ſimul illum Judicem deſtinaverat, & ſimul pariter exemerat a ſervitute in Tabernaculo per ſe exhibenda.

Fateor ego tamen, hanc phraſim, *commodare Domino*, non ſatis, quantum aſſequor, congruere matri Samuelis. Filium illa ſuum, antequam naſceretur, devoverat, voto abſoluto & perfecto, nulla reſtitutionis conditione: cum vero ſermo eſt de voti fide implenda, commodato tantum filius conceditur, quod retenti dominii & proprietatis indicium aliquod exhibet. Igitur Textum Hebræum ita reddere maluerim, verſiculo hoc cum præcedenti conjuncto: *Pro puero iſto oravi Dominum, & dedit mihi petitionem meam, quam poſtulavi eum*. (℣. 28.) *Idcirco ego commodatum tantum habeo*. Ipſe eſt *Dominus cunctis diebus, quibus fuerit*. *Res eſt commodata, quæ Domini eſt*. Ultro agnoſco, rem eſſe Domini, non meam: juris eſt illius, mihi commodata; quare reſtitutum illam venio: depoſitum reſtituo. Summus Sacerdos Heli ſequenti capite his verbis Annæ reſpondens, ita affatur Elcanam: *Reddat tibi Dominus ſemen de muliere hac pro fœnore* (pro petitione, quam illa habuit ad Dominum) *quod commodaſti Domino*. Dominus reddat tibi filium alterum pro eo quem Anna petiit, ut Domino conſecraret.

(1) Exod. xxiii. 15. & xiv. 20. &c. (2) Deut. xiv. 22. 23. & ſequ. (3) Exod. xiii. 13. & Levit. xii. 6. (4) Avicenna apud Duſium. (5) Vide Valeſ. de Sacra Philoſoph. cap. 83. (6) יקם יהוה את דברו (7) Ἐν μόσχῳ τριετίζοντι. (8) Chryſoſt. Theodoret. (9) בפרי משלשה pro בפרים שלשה (10) Geneſ. xv. 9. (11) Deut. xxi. 3. (12) 2. Eſdr. ii. 3. (13) Dan. iii. 9. v. 10. vi. 6. 21. &c. (14) 1. Reg. xvii. 55. (15) 1. Reg. xx. 3. (16) וגם אנכי השאלתיהו ליהוה כל הימים אשר היה הוא שאול ליהוה (17) 1. Reg. vii. 15.

CAPUT II.

Canticum gratiarum, Annæ matris Samuelis; quæ tres adhuc filios & duas filias genuit. Filii Heli frena laxant vitiis. Summum hunc Sacerdotem vir Dei ab eodem Deo miſſus admonet de futuro domus ejus exitio, & ſacerdotii extra ejus familiam tranſlationem.

℣. 1. EXultavit cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo.
dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos: quia lætata ſum in ſalutari
tuo. 2. Non eſt ſanctus, ut eſt Dominus; neque enim eſt alius extra te, & non eſt
fortis ſicut Deus noſter. 3. Nolite multiplicare loqui ſublimia, glorIantes: recedant
vetera de ore veſtro: quia Deus ſcientiarum, Dominus eſt, & ipſi præparantur cogi-
tationes. 4. Arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore. 5. Repleti
prius, pro panibus ſe locaverunt: & famelici ſaturati ſunt, donec ſterilis peperit plu-
rimos: & quæ multos habebat filios, infirmata eſt. 6. Dominus mortificat, & vivi-
ficat, deducit ad inferos, & reducit. 7. Dominus pauperem facit, & ditat, humi-
liat, & ſublevat. 8. Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem:
ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat. Domini enim ſunt cardines ter-
ræ, & poſuit ſuper eos orbem. 9. Pedes ſanctorum ſuorum ſervabit, & impii in
tenebris conticeſcent: quia non in fortitudine ſua roborabitur vir. 10. Dominum for-
midabunt adverſarii ejus: & ſuper ipſos in cœlis tonabit: Dominus judicabit fines
terræ, & dabit imperium regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui. 11. Et abiit El-
cana Ramatha, in domum ſuam, puer autem erat miniſter in conſpectu Domini an-
te faciem Heli ſacerdotis. 12. Porro filii Heli, filii Belial, neſcientes Dominum,
13. Neque officium ſacerdotum ad populum: ſed quicumque immolaſſet victimam,
veniebat puer ſacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuſcinulam tridentem
in manu ſua, 14. Et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam,
ſive in cacabum, & omne, quod levabat fuſcinula, tollebat Sacerdos ſibi. Sic facie-
bant univerſo Iſraeli venientium in Silo. 15. Etiam antequam adolerent adipem,
veniebat puer ſacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem, ut coquam Sacer-
doti: non enim accipiam a te carnem coctam, ſed crudam. 16. Dicebatque illi im-
molans: Incendatur primum juxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantumcumque
deſiderat anima tua. Qui reſpondens ajebat ei: Nequaquam: nunc enim dabis, alio-
quin tollam vi. 17. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino:
quia retrahebant homines a ſacrificio Domini. 18. Samuel autem miniſtrabat ante
faciem Domini, puer, accinctus ephod lineo. 19. Et tunicam parvam faciebat ei
mater ſua, quam afferebat ſtatutis diebus, aſcendens cum viro ſuo, ut immolaret ho-
ſtiam ſolemnem. 20. Et benedixit Heli Elcanæ, & uxori ejus: dixitque ei: Reddat
tibi Dominus ſemen de muliere hac, pro fœnore, quod commodaſti Domino. Et
abierunt in locum ſuum. 21. Viſitavit ergo Dominus Annam, & concepit, & pe-
perit tres filios, & duas filias: & magnificatus eſt puer Samuel apud Dominum. 22.
Heli autem erat ſenex valde, & audiit omnia, quæ faciebant filii ſui univerſo Iſrae-
li: & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obſervabant ad oſtium tabernaculi:
23. Et dixit eis: Quare facitis res hujuſcemodi, quas ego audio, res peſſimas, ab
omni populo? 24. Nolite, filii mei: non enim eſt bona fama, quam ego audio, ut
tranſgredi faciatis populum Domini. 25. Si peccaverit vir in virum, placari ei po-
teſt Deus: ſi autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Et non audie-
runt vocem patris ſui: quia voluit Dominus occidere eos. 26. Puer autem Samuel
proficiebat, atque creſcebat, & placebat tam Domino, quam hominibus. 27. Venit
autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Numquid non aperte
revelatus ſum domui patris tui, cum eſſent in Ægypto in domo Pharaonis? 28. Et
elegi eum ex omnibus tribubus Iſrael mihi in ſacerdotem, ut aſcenderet ad altare
meum, & adoleret mihi incenſum: & portaret ephod coram me: & dedi domui pa-
tris tui omnia de ſacrificiis filiorum Iſrael? 29. Quare calce abjeciſtis victimam
meam, & munera mea, quæ præcepi, ut offerrentur in templo: & magis honoraſti
filios tuos quam me, ut comederetis primitias omnis ſacrificii Iſrael populi mei?
30. Propterea ait Dominus Deus Iſrael: Loquens locutus ſum, ut domus tua, & do-
mus

mus patris tui miniſtraret in conſpectu meo, uſque in ſempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Abſit hoc a me: ſed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. 31. Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, ut non ſit ſenex in domo tua. 32. Et videbis æmulum tuum in templo in univerſis proſperis Iſrael: & non erit ſenex in domo tua omnibus diebus. 33. Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: ſed ut deficiant oculi tui, & tabeſcat anima tua: & pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit. 34. Hoc autem erit tibi ſignum, quod venturum eſt duobus filiis tuis, Ophni, & Phinees. In die uno morientur ambo. 35. Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, & animam meam faciet: & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Chriſto meo cunctis diebus. 36. Futurum eſt autem, ut quicumque remanſerit in domo tua, veniat, ut oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortam panis, dicatque: Dimitte me obſecro ad unam partem ſacerdotalem, ut comedam buccellam panis.

℣. 1. EXULTAVIT COR MEUM IN DOMINO. De tempore, quo Anna Canticum hoc compoſuit, diſſidium eſt ſententiarum. Sunt qui ſtatim poſt ortum Samuelem, ſunt qui poſt oblationem pueri ſervitiis Domini exaratum credant. Quam poſteriorem ſententiam præferre videtur hiſtoriæ hujus ſeries. Sancta hæc mulier hilaris erga Dominum, atque agnitione beneficiorum ejus occupata, unicum illum authorem gloriæ & felicitatis ſuæ fatetur. Divinus Spiritus qui canticum intus in corde dictabat, e privato illo beneficio, quod a Domino acceperat, mentem ejus ad majora & altiora erigebat. Futurum Meſſiæ Regnum & Eccleſiæ illius gloriam vaticinando prædicit (1). Quo loco legimus, *Exultavit cor meum in Domino*, habent Septuaginta (2): *Confirmatum eſt cor meum in Domino*; ſpem meam & robur in Domino conſtitui, Chaldæus (3): *Valuit cor meum* (prævaluit vel confirmavit ſeſe) *in parte, quam dedit mihi Dominus*.

EXALTATUM EST CORNU MEUM IN DEO MEO; gloria me cumulavit Deus. Cornua innuunt hic imperium, robur, gloriam. Deus opplevit me viribus, gloria; incedere me juſſit erecta cervice, ut robuſta illa animalia & cornuta, quæ aggredi ſemper & tueri ſeſe ab aliorum aggreſſionibus parata ſunt. Felicem hunc ſtatum opponit alteri opprobrii, dejectionis, infirmitatis, quo olim ſquallebat, antequam Deus opprobrium ſuum, conceſſo filio Samuele, abſtergeret. Cornua eadem ſignificatione uſurpantur etiam apud Profanos (4).

Tu ſpem reducis mentibus anxiis,
Vireſque & addis cornua pauperi.

DILATATUM EST OS MEUM SUPER INIMICOS MEOS. Hæc ſpectare videntur Phenennam æmulam ſuam, quæ ſterilitati Annæ antea inſultabat. Ego quidem prius os aperire pro me non audebam: hodie vero inſultationes regerere valeo. Phraſis hæc, *aperire os*, uſurpatur ſæpe pro injuriis, quæ in hoſtes inferuntur. *Dilataverunt ſuper me os ſuum, dixerunt: Euge euge, viderunt oculi noſtri* (5). Iſai. LVII. 4. *Super quem dilataſti os, & ejeciſti linguam?* Perſimilem ſignificationem ſecegit Chaldæus: *Aperui os meum, ad loquendum magnalia in authores inimicitiæ meæ.*

℣. 2. NON EST SANCTUS, UT EST DOMINUS. Vox *ſanctus* ponitur non raro, ut innuatur Deus: ita ut reddi Textus merito poſſit: *Non eſt Deus, uti eſt Dominus; neque eſt Deus extra te.* Porro nomen *Sancti*, ſine addito, pro Deo uſurpatum, familiares hæ Scripturæ phraſes exprimunt: *Sanctus Iſrael* (6). Iſaias v. 19. *Veniat conſilium Sancti Iſrael, & ſciemus illud*; & paulo inferius, ℣. 24. *Abjecerunt legem Domini exercituum, & eloquium Sancti Iſrael blaſphemaverunt.* Inſita naturæ ſanctitas dos eſt Dei peculiaris: ſanctitatem ille plenam abſolutamque continet, cujus participatio eſt tantum & fluxus, quæ in viris ſanctiſſimis emicat ſanctitas.

NON EST FORTIS SICUT DEUS NOSTER. Hebræus, ואין צור כאלהינו *Non eſt petra, ſicut Deus noſter*, robur nullum & auxilium extra Deum eſt. Petræ nomen frequenter in Scriptura Deo tribuitur (7). Montes Palæſtinæ plerique frequentiſſimos exhibebant ſpecus in rupe exciſos, tutum ab irruptionibus hoſtilibus perfugium. Itaque familiari Hebræorum ſermone, deductæ e rupe ſimilitudines nobiliſſimæ ſunt, perinde ac diceres arcem, munimentum, aggerem.

NOLITE MULTIPLICARE LOQUI SUBLIMIA; nolite cum faſtu & audacia loqui. Homer. Odyſſ. Δ, v. 505.

Τῷ δὲ Ποσειδάων μεγάλ' ἔκλυεν αὐδήσαντος
Hunc Neptunus magnifica audivit jactantem.

Forte etiam reddi poteſt: nolite clamoroſe loqui.

℣. 3. RECEDANT VETERA DE ORE VESTRO; ſileat inſultantis atque obloquentis vox. Chaldæus: *Non exibunt blaſphemiæ de ore veſtro.* Septuaginta (8): *Non procedat magniloquentia de ore veſtro.* Hebr. reddunt quidam יצא עתק מפיכם *Ne egrediatur durum*, vel, *dura egrediantur de ore veſtro*, ulterius non reditura. Nulla eſt negatio in Hebræo, quemadmodum nec in Vulgata; ſed Interpretum plerique ſupplendam cenſent e membro præcedenti: reipſa tamen omnes in eamdem ſignificationem conveniunt.

DEUS SCIENTIARUM DOMINUS EST, ET IPSI PRÆPARANTUR COGITATIONES. Ita omnia habet explorata, ut ſcientiarum omnium author ſit & origo, lumen, & veritas univerſalis, quæ lucem mentibus omnibus affundit: nihil illum fugit. Hebræus ad literam (9): *Deus ſcientiarum Dominus, & actiones vel cogitationes non firmabuntur.* Negationem pariter hic legit Symmachus (10): *Non ſunt apud eum cauſationes*, non is eſt Dominus, cui quidquam vanis ſimulatum prætextibus fucum faciat. Maluerim ego tamen, ad interrogationem Textum convertens, cum interpretatione Vulgatæ conciliare: *Deus ſcientiarum Dominus eſt; & cogitationes vel actiones nonne in illo fundantur?* Quæ molitur, nonne opere complebit? Conſilia ejus ata non

(1) Vide Auguſt. lib. 17. de Civit. Dei, cap. 4. *Iſtane vero verba hæc unius putabuntur eſſe mulierculæ, de nato ſibi filio gratulantis?* &c. (2) Hebr. עלץ לבי ביהוה Ἐστερεώθη ἡ καρδία μου ἐν κυρίῳ. (3) תקף לבי בחולקא דיהב לי יי (4) Horat. lib. 3. Ode 21. ad Amphoram. (5) Pſalm. XXXIV. 21. & XXI. 14. (6) Iſai. I. 4. V. 19. & 20. XII. 6. XVII. 7. & paſſim. (7) Vide Deut. XXXII. 4. Pſalm. XVII. & LXXI. 26. & 2. Reg. XXII [illegible] (8) Καὶ μὴ ἐξελθέτω μεγαλοῤῥημοσύνη ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν. (9) כי אל דעות יהוה ולא נתכנו עללות (10) Καὶ οὐκ ἔστι παρ' αὐτῷ προφάσεις.

non executioni mandabuntur? Septuaginta (1): *Deus ſcientiarum Dominus eſt, & diſponens cogitationes ſuas*. In eumdem ſenſum dictum accipit Chaldæus: *Deus fecit omnia judicio ſuo*, ſapientiſſime. Syriacus & Arabs: *Nec proſunt artes coram eo*. Intima cordis ſcrutatur Deus, nec ullo artificio deluditur; non fallitur vana rerum ſpecie.

℣. 5. FAMELICI SATURATI SUNT, DONEC STERILIS PEPERIT PLURIMOS, Hebræus ad literam (2): *Famelici deſierunt; quin & ſterilis peperit ſeptem*. Numerus *ſeptem* ponitur ſæpe pro numero indefinito, uti (3): *Septies in diem* (ſæpius) *cadit juſtus*. Anna quæ acceperat a Deo fœcunditatem hic celebrat, ſex tantummodo libaros genuit (4). Septuaginta reddunt (5): *Eſurientes transferunt in terram alienigenam*; ſive, juxta Interpretem Origenis: *Deducti ſunt in captivitatem, & quia ſterilis peperit ſeptem filios*.

QUÆ MULTOS HABEBAT FILIOS, INFIRMATA EST. Judæi & illos ſecuti Interpretes plures (6), dictum hoc de Phenenna accipientes, docent, non ceſſaſſe tantum illam parere, ut Samuel natus eſt, ſed & genitis antea liberis orbatam fuiſſe ſenſim, eo paſſu, quo Anna novos & novos gignebat. Sed nihil tale exhibet Textus; indicatque ad ſummum, Phenennam nullos poſtea liberos genuiſſe. Exhibent hæc vivam imaginem Synagogæ cum Eccleſia comparatæ; illius nempe ſterilitatem, hujus fœcunditatem (7).

℣. 6. DOMINUS MORTIFICAT, ET VIVIFICAT, DEDUCIT AD INFEROS, ET REDUCIT. Ad literam omnino hæc intelligi poſſunt: Deus vitæ & mortis eſt arbiter, cui æque facile eſt vitam adimere viventibus, ac reddere mortuis. Sed Interpretum plures (8) in aliam ſignificationem abierunt: mors, ſepulchrum vel infernus ſignificant morbos, ærumnas, mala: vita & reſurrectio, felicitatem, proſperitatem, quæ maxime poſt adverſa, acerboſque caſus ſuccedunt. Perſimiles loquendi phraſes occurrunt apud Profanos. Vivere in gemitu mors eſt potius, quam vita, ait Seneca Tragicus, in Hercule Oetæo.

. . . . *Mortis habet vices,*
Lente cum trahitur vita gemitibus.

Uſurpari ſolet de homine quocumque, quem iterum viſuros eſſe non ſperabamus; uſurpari, inquam, ſolet, ſi forte oculis noſtris inſperato ſeſe offerat, illum caput erexiſſe e ſepulchro (9). *Velut ab inferis poſtliminio domum retulit*, ait Apulejus. Rogat Deum Propheta (10), ut ſibi vitam largiatur; rogat ut educat e ſepulchro (11); eductuſque gratias agit (12), deſcendiſſe ſe ait in ſepulchrum (13), & in cenſum mortuorum relatum fuiſſe: quibus certe phraſibus nihil aliud innuit, quam mala quibus oppreſſus, & quibus a Deo levatus fuit. De filio prodigo legimus (14): *Mortuus erat & revixit*; innuiturque ejus in domum paternam reditus, poſtquam plurimum aberravit.

℣. 7. DOMINUS PAUPEREM FACIT ET DITAT. Congerit hic Anna roboris & juſtitiæ Dei plures effectus. De Jove tonante paria ferme uſurpat Heſiodus (15).

Facile enim extollit, facile etiam elatum deprimit:
Facile præclarum minuit, & obſcurum auget.
Faciléque corrigit pravum, & ſuperbum attenuat
Jupiter altitonans, qui ſupremas ædes incolit.

℣. 8. DOMINI ENIM SUNT CARDINES TERRÆ. Mundum ſibi finxiſſe videntur Hebræi perinde ac immenſæ molis globum, [*corrige hæc, nam Hebræi non rotundam, ſed planam eſſe terram opinabantur*] cardinibus ſuis, vel polis incumbentem, ſuper quos torqueretur. Porro hic Deus Dominus eſſe dicitur cardinum mundi; & omnia, quæ in eo geruntur, pro arbitrio moderari. Interpretum plures reddunt Hebræum (16): *Domini ſunt columnæ* vel *fundamenta terræ, & poſuit ſuper ea mundum*. Recurrunt ſæpe in Scriptura phraſes indicantes Hebræorum mentem, ita orbem hunc ſibi fingentium, ut vaſtum aliquod ædificium columnis fultum, & validiſſimis fundamentis innixum. Pſalm. CIII. 5. *Dominus fundavit terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi*. Sapientia in Proverb. VIII. 25. *Cum eo eram, necdum montes gravi mole conſtiterant, ante colles, adhuc terram non fecerat & flumina, & cardines orbis terræ; aderam quando appendebat fundamenta terræ*. Voces Originales indicare hic videntur potiſſimum columnas vel baſes e fuſo metallo. Allegorice etiam reddi poſſet Textus in hanc ſententiam: *Dominus e pulvere erigit pauperem, ut ad ſolium imperii elevet*; quoniam ipſe Dominus eſt Poteſtatum, quæ ſunt veluti fundamenta & columnæ univerſi, ſuper quæ Deus terram poſuit, regimine & imperio illis commiſſo. Porro columnæ terræ appellantur interdum in Scriptura viri Principes, quos Deus rebus præfecit. Deus Jeremiam Cap. I. 18. affatus, *Ego*, ait, *dedi te hodie . . . in columnam ferream, & in murum æreum*. Apocalypſis III. 12. *Qui vicerit, faciam eum columnam in Templo Dei mei*. Textum alii reddunt: *Deus ipſe eſt Dominus eorum, qui affliguntur in terra*; ultor ſcilicet & defenſor.

℣. 9. PEDES SANCTORUM SUORUM SERVABIT; greſſus eorum reget, conſiliis favebit, vitæ agendi rationem rectam inſtituet, a laqueis tuebitur. Hebræus ad literam: *Pedes piorum ſuorum ſervabit*; hominum miſericordiæ, & pietatis amicorum.

IMPII IN TENEBRIS CONTICESCENT. Confuſio & deſperatio adigent ad ſilentium, cogentque in tenebras, ut ſe oculis adverſariorum ſubducant. Silentium uſurpatur ſæpe pro virium infirmitate, & excidio. Moyſes de Ægyptiis mari Rubro merſis (17): *Fiant immobiles quaſi lapis*. Iſai. XV. 1. *Nocte vaſtata eſt Ar, Moab conticuit*. Infernus locus eſt ſilentii & terræ noctis (18).

Et Chaos & Phlegeton loca nocte ſilentia late.

Defunctorum Manes animæ ſilentes appellatæ ſunt (19). *Mox etiam Lemures animas dixere ſilentes*. Septuaginta Aldinæ & Romanæ Editionis, & Ms. Alexandrinum addunt hic: *Dominus infirmum faciet adverſarium ſuum, Dominus ſcit, quia non glorietur prudens in prudentia ſua, & non glorietur potens in potentia, & non glorietur dives in divitiis ſuis; ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, intelligere, & ſcire Dominum, & facere judicium & juſtitiam in medio terræ*; quod deductum videtur ex Jerem. IX. 23.

℣. 10. DOMINUM FORMIDABUNT ADVERSARII EJUS.

(1) Θεὸς γνώσεων κύριος, καὶ Θεὸς ἑτοιμάζων ἐπιτηδεύματα αὐτοῦ. Legunt Septuag. אל pro לא: Sed S. Hieronymus cum Hebræis, & Interpretibus, legit לו. (2) ורעבים חדלו עד עקרה ילדה שבעה (3) Prov. XXIV. 16. Vide & Pſalm. CXVIII. 164. Levit. XXVI. 18. &c. (4) Vide ℣. 21. (5) Οἱ πεινῶντες παρῆκαν γῆν, &c. (6) Vide Origen. homil. unica in Lib. Reg. Autor. tradit. Hebr. in Libb. Reg. Lyr. Toſt. Mendoz. (7) Vide Aug. de Civit. lib. 17. c. 4. (8) Sanct. Druſ. Grot. &c. (9) Artemidor. [illegible] φαμὲν ἐξ ᾅδου ἀναβεβηκέναι. (10) Pſalm. CXVIII. 17. 25. 107. & paſſim XXX. 20. (11) Pſalm. LXXXVII. 7. (12) Pſalm. XXIX. 4. XXXIX. 3. (13) Pſalm. LXXXVII. 5. 7. XXVII. 1. (14) Luc. XV. 24. (15) Heſiod. Oper. & dies.

Ῥέα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει,
Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει,
Ῥεῖα δέ τ' ἰθύνει σκολιὸν, καὶ ἀγήνορα κάρφει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει.

(16) ליהוה מצקי ארץ וישת עליהם תבל (17) Exod. XV. 16. (18) Virgil. 6. Æneid. (19) Ovid. Faſt. 5.

Hebræus (1): *Dominus deſtruet adverſarios ſuos*, qui ſibi reſiſtunt. Septuaginta (2): *Dominus infirmum faciet adverſarium ſuum*. Haberi id poteſt tamquam vaticinium exitii hoſtium Domini. Philiſtæorum ſcilicet, opprimentium tunc Iſraelitas, quos Samuel fudit (3). Quæ ſequuntur, adamuſſim in illos impleta ſunt: *Super ipſos in Cœlis tonabit*. Vide infra VII. 10. *Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſthim*. Verum nihil prohibet, quin ampliori ſignificatione dictum extendatur ad opem Dei, qua juſtis adeſt. Terror, qui hoſtibus incutitur, tonitru appellatur: ita & David allegorice exprimens opem ſibi a Deo exhibitam, ait (4): *Commota eſt, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata ſunt & commota ſunt. Præ fulgore in conſpectu ejus nubes tranſierunt; intonuit de Cœlo Dominus, Altiſſimus dedit vocem ſuam*.

Dabit imperium Regi suo, et sublimabit cornu Christi sui; gloria illum, & ſuprema poteſtate cumulabit; vel planius: Imperium illi ſupremamque authoritatem, figura cornu deſignatam, conſtituet. Danieli per viſum oſtendit Deus magna Imperia ſub emblemate cornuum expreſſa (5). Chaldæus Paraphraſtes, & optimi quique Interpretes accipiunt de Meſſia & imperio ejus in Eccleſiam: *Dabit fortitudinem Regi ſuo*, ait Jonathan, *& multiplicabit Regnum Meſſiæ ſui*. Exponitur etiam de Davide, una e præcipuis Jeſu Chriſti imaginibus. Anna, ſeu potius S. Spiritus, grandia hæc uno ſimul intuitu reſpicere poterat, mutationem ſcilicet præſentis ſtatus Hebræorum, ex Ariſtocratico in Monarchicum, & Meſſiæ Regnum glorioſum. Hunc Textum præ oculis habuiſſe videtur Zacharias pater S. Joannis Baptiſtæ, cum cecinit (6): *Erexit cornu ſalutis nobis in domo David pueri ſui, ſicut locutus eſt per os Sanctorum, qui a ſæculo ſunt, Prophetarum ejus*.

℣. 12. Filii Belial. Vide quæ diſſeruimus ſupra I. 16.

Nescientes Dominum; contemnebant, ſcilicet ludibrio habebant, perinde ac Deum peregrinum & incognitum, atque ita ſe gerebant, tamquam Atheos & ſceleſtos. Deum utique norant, cum & Sacerdotes eſſent, & Legis ejus periti; ſed ſpeculativa tantum & ſterili cognitione; fidem, quæ menti inſidebat, operibus abdicabant. *Confitentur ſe noſſe Deum*, ait Apoſtolus de oſoribus veritatis (7), *factis autem negant; cum ſint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi*.

℣. 13. Nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum. Officium ſuum neque Deo, neque populo reddebant. Ignorare aliquid dicimur, cum ita agimus perinde ac reipſa aliquid ignoraremus. Imperat Moyſes (8), *Ne Judices agnoſcant eos*, quos coram ſe habent judicandos; ideſt, ne perſonam, ſed tantum cauſæ meritum ſpectent. Senſus alter longe diverſus a Vulgata, tribui poſſet Hebræo (9): *Neſcientes Dominum*, (13) *& hoc officium illorum ad populum*, eos qui immolabant victimas. *Puer*, vel *famulus Sacerdotis habebat fuſcinulam tridentem in manu ſua*. Vel aliter: *Et jus Sacerdotum ad populum hoc erat*; hoc ſibi juris uſurpabant. Poſterior hæc interpretatio placet multis; ſed & interpretatio Vulgatæ, quæ membri præcedentis negationem repetit, æque literæ cohæret.

Puer Sacerdotis, vel ejus filius, vel ipſi per ſe Ophni & Phinees, qui filii Heli Summi Sacerdotis appellantur.

℣. 14. In lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, sive in cacabum. Quatuor etiam voces exhibentur in Textu Originali (10); hæc autem vaſa diſtinguebantur facile inter ſe vel figura, vel uſu, vel materie; ſed diſcrimen illud accurate definiri vix ac ne vix quidem poſſet. Ex his autem intelligimus, moris fuiſſe apud Hebræos, ut carnes hoſtiæ pacificorum ex aqua coquerentur; quod non obtinebat apud Græcos aureis ſæculis, uti Athenæus animadvertit (11). *Homerus immolans boves, nec juſcula parat, nec elixat carnes aut cerebrum, ſed inteſtina ventreſque aſſat: adeo priſci moris tenax fuit*. Et Servius ad illud Virgilii, Æneidos I. *Littore ahena locant alii*, ſcribit, ahena non ad uſum elixandi carnes, ſed pedes lavandi, deſtinata fuiſſe: addit vero: *Heroicis enim temporibus carne non veſcebantur elixa*. Contrarium innuere videtur Heſiodus (12), vetans ne carnes ſumantur nondum ſanctificatæ ex aheno.

℣. 15. Da mihi carnem ut coquam Sacerdoti. Animadverſum eſt Capite præcedenti, peccatum Sacerdotum, qui e lebete partem carnis, quam eximiam judicabant, vel quam forte apprehendere poterant fuſcinula, extrahebant, neglecta Legis ſanctione, quæ Sacerdoti nonniſi armum & pectuſculum hoſtiæ pacificæ concedebat. Gemina pariter alia crimina in hoc verſiculo ſpectare licet; alterum, quod Sacerdotes portionem ſuam exigerent, antequam adipes Altaris igne cremarentur, id quod repugnabat præſcripto Legis, jubentis primum omnium offerri Domino ea, quæ offerenda præcipiebantur (13): alterum, quod Sacerdos crudam ſibi carnem ſumeret, cum tamen antea coquenda eſſet. Nihil quidem ea in re præſcripſit Moyſes, ſed veteri more obtinuiſſe neceſſe eſt, ut coctæ portiones darentur Sacerdotibus, quo expeditiora illis eſſent omnia, neque ab Altaris miniſterio cura parandi ſibi cibos averterentur. Filii Summi Sacerdotis Heli morem hunc neglexerunt, ut dapes ſibi ad guſtum pararent.

Non accipiam a te carnem coctam, sed crudam. Hebræus ad literam (14): *Non accipiet a te carnem coctam, quinimmo vivam*. Caro viva dicitur, quemadmodum aqua viva, vinum vivum, terra viva, tempus vivum (15), tempus ſcilicet præſens. Opponitur autem hic caro viva carni coctæ, & elixatæ. Alibi vero Moyſes opponit *carnem vivam* (16) vel ſanam, carni corruptæ & lepra infectæ.

℣. 17. Erat peccatum puerorum grande nimis. Dei in populum ſuum furentis ultio illa habetur graviſſima, qua miniſtros Eccleſiæ ſuæ in crimina, malo exemplo cæteris futura, ruere patitur. Nihil eſt autem quod religioni magis detrahat, quam prava illorum vita, qui in vaſa honoris, & morum ædificationem conſtituti ſunt; nemo eſt pariter, qui graviori animadverſione a Deo puniatur. *Horrendum penitus ſacrilegium, quod & ipſorum videtur excedere facinus, qui Domino majeſtatis manus ſacrilegas injecerunt*, ait S. Bernardus (17) de iis, qui pravo exemplo imbecillioribus offendiculo ſunt, eoſque a Domino ſeducunt.

Retrahebat homines a sacrificio Domini. Codices Mſſ. editiones latinæ, & nova editio S. Hierony-

(1) יהוה יחתו מריביו עליו (2) Κύριος ἀσθενῆ ποιήσει ἀντίδικον αὐτοῦ. (3) I. Reg. VII. 13. (4) Pſal. XVII. 8. 14. (5) Dan. VII. & VIII. (6) Luc. I. 69. 70. (7) Tit. I. 16. (8) Deuter. I. 17. לא תכירו פנים במשפט Item Deuteronom. XVI. 19. (9) לא ידעו את יהוה: ומשפט הכהנים את העם (10) בכיור או בדוד או בקלחת או בפרור (11) Athen. l. I. cap. 10. ex Antiphane. Ὅμηρος δὲ οὐκ ἐποίησε θύοντας βοῦς, οὐδ᾽ ἕψει κρέα, οὐδ᾽ ἐγκέφαλον, ὀπτᾷ δὲ καὶ τὰς κοιλίας. οὕτω σφόδρα ἦν ἀρχαῖος. (12) Heſiod. opera & dies V. 748.

Μηδ᾽ ἀπὸ χυτροπόδων ἀνεπιῤῥέκτων ἀνελόντα ἔσθειν:

(13) Vide Levit. VII. 31. 33. (14) לא יקח ממך בשר מבשל כי אם חי (15) Sophocles χρόνος ζῶν. (16) Levit. XIII. 15. (17) Bernard. ſerm. I. de Converſ. S. Pauli.

ronymi ferunt : *detrahebant ſacrificio Domini*. Eadem eſt Hebræi ſententia : contemnebant viri ſacrificium. Dicterit populi cauſam filii Heli præbebant. Landinus, qui impreſſioni Vaticanæ præſidebat, Morellum impreſtorem Antuerpienſem per literas datas die poſtrema Julii anno 1604. admonuit, hoc mendum, *retrahebant* pro *detrahebant* irrepſiſſe primo in editionem Sixti ; tum in aliam Clementis VIII. atque ita demum in omnes alias poſteriores Latinas Bibliorum editiones derivatum.

℣. 18. Accinctus Ephod lineo. Zona erat, quæ ex humeris demiſſa, adſtringebat tunicam lineam, conſuetam Sacerdotum & Levitarum veſtem. Ex lena potiſſimum parabatur ; at Sacerdotum Ephod erat lineum, ditiorique ſtamine texebatur Ephod ſummi Sacerdotis. De tunica nibil hic Scripture, de veſte nempe, qua carnis nuda reguntur. Vulgo Iſraelitæ & Ægyptii lineis veſtiebantur ; nec Samuel aliter amiciebatur. Superfluum autem hic videtur animadvertere illud, quod commune erat non modo Sacerdotibus, & Levitis, ſed & reliquo populo. Ephod veſtis erat communis, non Sacerdotibus peculiaris, cum Samuel, merus Levita, & David, laicus bomo (1), Ephod induerentur.

℣. 19. Tunicam parvam faciebat ei mater sua. Hebræum *Mehil* (2) ſignificat potius pallium, ſeu veſtem ſuperiorem : hanc autem veſtem parabat filio mater, deferebatque, cum diebus feſtis veniret in Silo. Rabbinorum quidam puatilem hanc animadverſionem formant in Textu (3) ; cenſent enim, matrem Samuelis parvum hoc pallium apud ſe retinuiſſa, utpote quod pretioſiſſimum fuiſſe putant, nee eo tuliſſe niſi diebus Feſtis, cum ſcilicet filio pretioſa ea veſte utendum eſſet, ſtatimque ſecum retuliſſe. Contraria omnia opinatur Druſius, ratus ſingulas novas veſtes ſingulis ſolemnibus Feſtis a matre allaras fuiſſe. Quorſum hæc? Nonne ſatis erat veſtes pro neceſſitate maxrem ſufficere? An non hanc ſignificationem prona Textus litera admittit? Hinc autem demonſtratur, parentus puerorum Domini ſervitiis dicatorum neceſſarias ſaltem veſtes illis tamdiu ſuppeditaſſe, quamdiu ſervire Tabernaculo per ætatem non valerent ; alioqui etenim conſecratio puerorum ejus ætatis Sacerdoti & Tabernaculo gravis fuiſſet.

℣. 20. Benedixit Heli Elcanæ. Referenda ſunt hæc ſupra poſt finem Cantici Annæ inter verſiculum 11. & 12. Poſt oblationem Samuelis, Heli utrique parenti benedixit, qui ad propria remearunt.

Pro fœnore quod commodasti. Relegendus eſt poſtremus verſiculus Capitis præcedentis, ut ſenſus horum verborum ettingatur. Anna ſummum Sacerdotum affata dicebat : *Pro puero iſto oravi, & dedit mibi Dominus petitionem meam ; idcirco & ego commodavi eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino*. Reſpondet hie Heli, ſermonem ſuum ad Elcanam convertens : *Reddat tibi Dominus ſemen de muliere hac pro fœnore, quod commodaſti Domino*. Aliam interpretationem hujus Textus dedimus in hunc locum, ad verſiculum quem mox innuimus.

℣. 21. Magnificatus est puer Samuel apud Dominum. Hebræus : יגדל עם יהוה : *Grandis evaſit cum Domino*, ope & auxilio Dei ; vel ætate pariter, & merito creſcebat, gratia Dei præveniente & juvante ; vel denique magnum ſe præſtitit, & commendabilem ſervitio quod Domino præſtabat.

℣. 22. Dormiebant cum mulieribus, quæ observabant ad ostium Tabernaculi. Hebreus (4) ; *Cum mulieribus exercitum facientibus ad oſtium Tabernaculi*. De mulieribus excubias agentibus ad oſtium Tabernaculi fuſa egimus in Exod. xxxviii. 8. cum de mulieribus, quæ ſpecula ſua ænea obtulerunt, conflando labro in uſum lotionum Sacerdotalium. Hebræi (5), fœcundi rerum inventores, docent, ipſiſſimas has eſſe mulieres, quæ puerperii maculas loturæ, juxta legis præſcriptum conferebant ſeſe ad Tabernaculum ; crimen vero filiorum Heli non illud fuiſſe, quod vitioſo commercio illas corrumperent, ſed illud potiſſimum, quod remitterent ad maritos ante tempus e Moyſe præſcriptum, ea data maritis illarum occaſione, ut ad non purgatas uxores accederent.

℣. 23. Quare facitis res hujuscemodi? Patres & Interpretes una voce indignam hanc Hali in filios indulgentiam reprehendunt. Satis ne erat leniter monere, vel tantummodo reprehendere etiam acriter gravia adeo crimina, qualia Ophni & Phinees admittebant? Viro ejus ætatis, gravitatis, authoritatis, dignitatis adhibenda erant extrema remedia, ut malo exemplo & crimini curſum impediret (6).

℣. 25. Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus : si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Omnia quidem crimina juſtitiam, ſanctitatem, & veritatem Dei lædunt ; ex illis tamen quædam minus oblique Numen feriunt, gravius offendunt, adeoque & difficilius veniam promerentur. Hujus eutem generis ee ſunt crimina, quibus cultui & veræ religionis exercitio vitium infertur. Ægre enim fit, ut in gratiam Numinis redeamus, cum media omnia ejus comparandæ conculcamus. Viciſſim eutem ea, quæ in proximum committuntur delicta, facilius veniam impetrant, magis enim oblique Deum lædunt, & qua eſt clementia Deus, rationes nobis ſuppeditavit, ut mutuis inter nos opibus conemur avertere a nobis ultionem, & mutuo veniam impetrare. Mandavit enim, ut pro fratribus preces ſibi offeramus ; mutuis aurem hiſce precibus, charitate comite, gratiam ſuam veluti alligavit. Pronum eſt, hominem læſo homini ſatisfacere : conditionis æqualitas facilem efficit reconciliationam ; Deus autem flecti ſe ſinit, ut offenſionibus noſtris indulgeat, poſtquam illeta fratribus noſtris injurie reparata eſt. Juvat etiam commendare ſe precibus ſacrorum Miniſtrorum, quæ ad reconciliandum hominem cum Deo plurimum conferunt. Si vero in ipſum Deum cervicem ereximus, ſi nominis ejus ſanctitatem violavimus, myſteria ſacre profanavimus, contemptui expoſuimus ejus religionem & ritus, quis erit pro nobis apud Deum offenſum patronus & advocatus? Quid ultionem ejus avertere valebit? Quæ inter Deum & homines diſparitas eſt, plane infinita, officit ne Deus cum homine reconcilietur : unus eſt tantum Divinus mediator J. Chriſtus, qui medium hunc parietem ſuffodiens, gratia & merito virtutum ſuarum facile reddat, quod ſolius hominis viribus fieri non poteſt.

In alium etiam ſenſum reddi poſſet Hebræus (7) ; *Si peccaverit bomo in hominem, Dominus judicabit ; verum ſi bomo peccat in Deum, quis judicabit?* Chaldæus aliam interpretationem ſubdit : *Si peccaverit vir viro, an non ibunt ante judicem, & audiet loquelas eorum, & exquiret inter eos? Et ſi ante Dominum peccaverit vir, a quo orabit, & remittetur ei?* In hanc ſententiam docti plures Interpretes conceſſerunt. Hebræum *Elohim* uſurpatur ſæpe pro Judicibus.

Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos. Deus ſibi ipſis ſceleſtos permittit, ſubducit illis fortia & victricia gratiæ ſuæ auxilia, quibus duri cordis pervicaciam ſuperarent, niſi merito criminum ſuorum ſeſe illis

[1] 2. Reg. vi. 14. *Porro David erat accinctus Ephod lineo.* [2] ומעיל קטן תעשה לו אמו Septuag. διπλοΐδα. Sym. ἐφεστρίδα. Th. ἐπενδύτην μικρόν. [3] Rab. D. Kimchi. [4] את הנשים הצבאות פתח אהל מועד [5] Rabb. & Author. tradit. Heb. in Reg. Rupert. Angelom. Hugo, &c. [6] Vide Grot. hic, & a Lapide. [7] אם יחטא איש לאיש ופללו אלהים ואם ליהוה יחטא איש מי יתפלל לו

iis indignos exhiberent. Criminnm ſuorum menſuram expleverant: quare Deus exequi in illos voluit omnem juſtitiæ ſuæ ſeveritatem, ejuſque illuſtre documentum exhibere. Peccantium mortem Deus quidem non vult (1); ſed mortem nequitia ſua in ſe impius provocat, & duri cordis merito theſauros ſibi indignationis cumulat (2).

Ut ſententiæ hujus, quæ legentes primo intuitu offendit, aſperitas leniatur, cum videatur Deus impiis gratiam ſuam denegare, ut perdantur, reddi poſſet Hebræus (3): *Non audierunt vocem patris ſui, ideo ſtatuit Deus illos occidere* (4). Plura occurrunt exempla particulæ *Ki*, uſurpatæ pro *idcirco*. *Remittantur* (5) *ei peccata multa, quoniam dileæit multum* [ideo dilexit multum]. Et in Oſee (6): *Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia* [idcirco] *ibi exoſos habui eos*. Sebaſtianus Schmidius vertendum noſtrum hunc Teætum mavult: *Non audierunt vocem patris ſui* [monentis] *Deum velle ipſos occidere*; vel qui indignationem Dei minitabatur. In his expoſitionibus improbari nihil poteſt: nihil hic quod juſtitiam, & clementiam Numinis minuat.

℣. 27. Venit vir Dei ad Heli. Quis iſte? Silente Scriptura, nihil habemus niſi conjecturas. Sunt qui Phineem credant (7): quem tamen diu ante obiiſſe neceſſe eſt. Alii malunt Elcanam patrem Samuelis; quem nunquam Prophetam egiſſe ſcimus. Alii Angelum e Cœlo ſuſpicantur; alii Samuelem ipſum ad Heli deputatum. Sed præſtat in re obſcura ſilere, vel reputare, unum aliquem fuiſſe e Prophetis, nobis incognitum, uti nec plura ſcimus de viro illo, de quo in Libro Judicum ii. 1. & vi. 8.

Numquid non aperte revelatus ſum domui patris tui, cum eſſent in Ægypto? Hæc Deus exprobrat Heli: Numquid non latentia conſilia mea revelavi Aaroni, generis veſtri Principi, cum in Ægypto una cum ceteris Iſraelitis a Pharaone oppreſſis verſaretur? Numquid non propoſitum illi meum aperui, liberandi populum meum? quod etiam negotium conficiendum, grande ſane & inſigne munus, illi commiſi.

℣. 28. Ut portaret Ephod. Agit hic de Ephod Summi Sacerdotis, cujus figura erat & materies longe alia ab Ephod vulgari laicorum.

Dedi omnia de sacrificiis. Vox Hebræa כל אשי בני ישראל ſignificat totum id quod igne abſumitur in honorem Domini tam e cruentis victimis, quam oblationibus frumenti, liquorum & farinæ. Harum omnium oblationum pars Sacerdotum erat, uti in Levitico demonſtravimus.

℣. 29. Quare calce abjecistis. Conculcaſtis ſcilicet, vel potius recalcitraſtis adverſus meas haſce oblationes, tamquam ſaginatus bos, qui pedibus conculcat faſtiditque paſcua: *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit*, ait Moyſes de Iſraelitis. Jungenda hic credo priora hæc verba: *Cur calcitraſtis in ſacrificium meum*, verbis ejuſdem verſiculi, *Ut comederetis primitias omnis ſacrificii*, vel juxta Hebræum, *Ut impinguaremini*, vel poſtquam impinguati fuiſtis, *de iis quæ eximia ſunt in oblationibus univerſi Iſrael*. Inſultaſtis & contempſiſtis eos, qui oblationes ſuas, & ſacrificia Domino oblaturi veniebant; poſtquam vos iiſdem oblationibus meis late ſaturati fuiſtis.

Commode etiam in aliam ſententiam Textus redditur (8): *Quare calce abjeciſtis eos, qui oblationes meas in Tabernaculo daturi veniebant? Quare reſpexiſti filios tuos magis, quam me, ſaturans te primitiis meis & oblationibus?* vel denique, ut pinguis fieri pergeres meis oblationibus? Maluiſti profanare ſacrificia mea & oblationes potius, quam abjicere filios tuos a ſacro miniſterio, quo turpiter adeo abutebantur; idque, ne careres tu filiique tui iis proventibus, quibus pingueſcitis. Septuaginta (9): *Ut quid reſpexiſti impudenti oculo in incenſum meum, & in ſacrificium meum? & glorificaſti filios tuos ſuper me, benedicere de primordio omnis Sacrificii Iſrael in conſpectu meo?*

Loquens locutus sum, ut domus tua . . . . . ministraret in conspectu meo usque in sempiternum. Deus perpetuum Sacerdotium ſtatuit Familiæ Aaronicæ, promiſſione abſoluta & irrevocabili (10); datamque fidem ſuam planiſſime liberavit. Perpetuum etiam Sacerdotium promiſerat Familiæ Eleazari in præmium ſtudii Phineis (11); ſacra nihilominus dignitas e Familia Eleazari translata fuit ad genus Ithamari fratris ipſius, unde Heli originem referebat. Porro translationis hujus nec tempus; nec cauſam docet Scriptura, uti neque recitat promiſſionem ſeu decretum Dei, de quo hic, aſſerentis Sacerdotium perpetuum in Familia Heli. Denique ne ambigentes quidem credimus, fidem hanc Ithamari Familiæ obligatam, conditione aliqua adſtrictam fuiſſe. Sunt etiam qui credant (12), nunquam hoc Dei decretum aperta revelatione ſive Heli ſive alteri hominum innotuiſſe; ſed permiſiſſe tantummodo Deum, ut ſuprema hæc dignitas in domum Heli migraret; eodemque veluti pignore fidem ſuam obligaſſe, nunquam ſe abdicaturum a Sacerdotio eam Familiam, niſi eam dignitatem Heli nimia ipſe indulgentia, filii vero deteſtabili illa licentia demereri voluiſſent. Communis tamen opinio docet, Deum conſilium hoc ſuum de Heli aperuiſſe; in quam ſententiam Hiſtoriæ hujus ſeries nos deducit.

Damus hic ſeriem Pontificum ab Aarone. Aaron, Eleazar, Phinees, Abiſue, Bocci, Ozi (13), omnes e familia Eleazari; poſt Ozi, translatum in familiam Ithamari Sacerdotium, ad Heli delatum eſt. Hic autem utroque filio, Ophni & Phinee, eadem die orbatus, ſucceſſorem habuit Achitobum, ex filiis tertium, quem excepit Achias, tum Achimelech, tum Abiathar, poſtremus e familia Heli Summus Sacerdos. Ex Abiatharo devolutum eſt Sacerdotium ad Sadocum e Familia Eleazari, regnante Salomone. Vide noſtram Diſſertationem de ſucceſſione Summorum Sacerdotum Hebræorum.

De modo translati Sacerdotii in Heli, variæ afferuntur conjecturæ. Sunt qui privata authoritate uſurpatum ab illo credant (14); alii (15) commiſſam illi volunt eam dignitatem, quod e Familia Eleazari Sacerdotes vel ſegniores eſſent vel ſceleſti. Bertramo (16) hæc ſedit opinio, Heli a Deo in Judicem Iſraelis deſtinato, viſum fuiſſe populo deferendam eſſe illi Sacram dignitatem, quo tempore turbata erant omnia, & nemo melius graviſſimum illud munus obiiſſet. Sed an integrum erat populo ita transferre ex una familia in alteram Sacerdotium, quod a Deo unice pendebat, & quod ſolemni adeo deſtinatione uni familiæ Eleazari addictum fuerat (17)? Reputandum eſt igitur, ſive Deum mentem ſuam non obſcure pro Heli declaraſſe, vel e Familia Eleazari neminem tunc

[1] Ezech. xviii. 23. *Non eſt voluntatis meæ mors impii.* Et xxxiii. 11. [2] Rom. ii. 5. & Jacobi v. 3. [3] Vide Sanct. Mendoz. Glaſs. Grammat. Nold. Concord. particul. Hebr. [4] כי חפץ יהוה להמיתם [5] Luc. vii. 47. [6] Oſee ix. 15. Vide & Geneſ. xxii. 17. & xxxi. 32. & Pſalm. lxvi. 10 & Jerem. xxix. 16. & Joan. Cleric. hic. [7] Ita Hebræi. [8] למה תבעטו בזבחי ובמנחתי Vide Vatab. [9] *Ἱνατί ἐπέβλεψας ἐπὶ τὸ θυμίαμά μου, καὶ εἰς τὴν θυσίαν μου ἀναιδεῖ ὀφθαλμῷ; καὶ ἐδόξασας τοὺς υἱούς σου ὑπὲρ ἐμὲ, εὐλογεῖν ἀπαρχῆς πάσης θυσίας Ἰσραήλ.* Legunt הבריך, pro הבריאכם [10] Exod. xl. 13. Levit. xxi. 17. Num. iii. 10. xxv. 13. [11] Num. xxv. 13. *Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipſi, quam ſemini ejus, pactum Sacerdotii ſempiternum.* [12] Vide Vatab. Toſt. Grot. Eſt. [13] 1. Par. vi. 3. 4. 5. & Joſeph. Antiq. l. 5. c. ult. [14] Ludov. Capell. Chronol. Sacræ p. 381. [15] Conſtant. l'Empereur. In Not. ad lib. Bertram. de Rep. Heb. [16] Bert. de Repub. Heb. c. 15. [17] Num. xxv. 13.

tunc fuiſſe, qui gerendo Sacerdotio per ætatem par eſſet; quæ etiam poſtrema ratio minor erat, quam ut a Sacerdotio perpetuo ea Familia excluderetur, & alia Familia Heli ac ſucceſſorum eveheretur. Duo igitur neceſſario agnoſcenda ſunt, quæ nonniſi obiter innuit Scriptura; primum, quod juſſione Dei manifeſta Heli accitus fuerit ad Summum Sacerdotium, alterum, quod Deus hanc illi & ſucceſſoribus dignitatem conceſſerit, ea perpetuo fruituris, niſi fidei in Dominum defuiſſent.

℣. 31. Præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui. Perdam duos filios tuos (1), quibus veluti brachiis uteris; tempus adarit, cum deſtruam omnes poſteros tuos (2), qui perinde ſunt ac brachia familiæ patris tui, ſpem enim ejus omnem, & robur conſtituunt. Ego ſaltem illos exauctorabo ſacerdotio, quod jure natalium poſſident; eſt autem ea exauctoratio veluti civilis quædam mors, & omnium malorum maximum. Nomine *brachii* indicatam credunt alii Arcam Domini, robur & gloriam domus Heli.

Ut non sit senex in domo tua. Nemo ad ſenium perveniat. Ophni & Phinees acerbo fato interierunt; Achitob, & Achias vitam diutius non prorogarunt, cum regnante Saule (3), annis abhinc LVI. circiter, Achimelech ſacram dignitatem jam obtineret; & poſt LIV. ab eo tempore annos, Regnum ineunte Salomone, Abiathar ſucceſſor Achimelechi a ſacra illa dignitate amotus fuerit. Alii (4) explicant de ſenectute non ætatis, ſed dignitatis, de ſapiente, de Senatore. Convenit inter omnes, nomen ſenis dignitatis eſſe frequenter, non ætatis.

℣. 32. Videbis æmulum tuum in Templo. Videbis æmulum tuum cum eo dignitatis gradu, unde tu deturbatus fueris. Familia Eleazari dignitatem recuperabit, qua ſpoliata fuerat, ut tibi deferretur. Oculis quidem ſuis hæc ſpectare non potuit Heli, cum pluribus poſt ejus obitum annis contigerint; ſed ipſe in perſona filiorum ſuorum intuitus eſt. Reddi poſſet Hebræus (5): *Videbis oppreſſionem domus Dei, in medio bonorum, quæ Dominus faciet Iſraeli*. Totum malorum pondus in te, & in domum Domini, quam filii tui profanarunt, recidet. Sermo eſt hic de captivitate Arcæ, & de interitu Ophni & Phineis, cum Deus permiſerit, ut captivitas illa Arcæ Domini in probrum Philiſtæorum, & felicitatem Iſraelitarum verteretur (6): Alii ita reddunt: *Videbis calamitatem domus Dei pro bonis, quibus* Deus *illam cumulaturus fuiſſet*, niſi eam bonorum largitarem crimina veſtra prohibuiſſent. Chaldæus aliter: *Eris contemplans & videns in calamitata, quæ erit ſuper hominem domus tuæ in peccatis, quibus peccavit in domo ſanctuarii mei, & poſt hæc, venire faciam bonum ſuper Iſrael*. Symmachus (7): *Videbit afflictionem habitationis in omni bono, quod accidet Iſraeli*. Septuaginta locum hunc omiſerunt. Theodotion quid ſibi valit, nemo aſſequatur (8): *Videbis fortitudinem Maon in omni bono, quod faciet Iſraeli*. Interpretatio Vulgatæ omnium maxime prona eſt & perſpicua.

℣. 33. Non auferam penitus virum ex te ab altari. Genus Heli ſummum Sacerdotium adusque Salomonem obtinuit; ac tum pariter cum ea dignitas in aliam Familiam tranſlata eſt, Deus genus Heli ſervavit non ad felicitatem, ſed ad pœnam, intueri coactum æmuli ſui proſperitatem, ſe vero in contemptu & abjectione poſitum. Demonſtratur hic profunditas judiciorum Dei, & juſtitię illius ſeveritas, quæ ultionem ſuam uſque ad ſeram poſteritatem prorogat; quæ vitam peccatorum perinde ac mortem in ſupplicium vertit, punitque ſontes tum malis propriis, tum adverſariorum felicitate: *Non perit, ut poſſit ſæpe perire*.

Morietur cum ad virilem ætatem venerit. Hebræus (9): *Morientur viri*, in ipſo ætatis flore, non pueri, non ſenes. Aliter: *Omnis multitudo domus tuæ*, viri omnes morientur. Septuaginta (10): *Omnis qui ſupererit domus tuæ, decidet in gladio virorum*.

℣. 34. In die uno morientur ambo. Dei illa fatali, qua Iſraelitę in fugam acti ſunt a Philiſtęis, & Arca Domini in hoſtium manus cecidit (11).

℣. 35. Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem. Sacerdos ille eſt Sadoc. Nomen autem *fidelis* (12) non ſemper innuit eum, qui integræ eſt fidei, qui in Deum credit, cui tuto fidem habeas, qui veritatem, & æquitatem amat; ſæpe enim eſt quiddam perſeverans, quod non deficit; hinc aquæ perpetuo fluentes (13) fideles appellatæ ſunt; & infra, domus perſeveratura diu appellatur *domus fidelis*: ita pariter & *Sacerdos fidelis* deſignabit tantum Sacerdotem, qui eam dignitatem ſibi & familiæ ſuæ perpetuo poſſidebit. Sacerdos hic fidelis typo quodam Prophetico eſt Sacerdotium Chriſtianum, ut hiſtoriæ ſeries demonſtrat.

Ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. Sadoc munus illud ſacrum geſſit coram Salomone uncto, & Rege a Domino conſtituto. Sublimiori alio ſenſu Sacerdotibus Eccleſiæ Chriſtianæ ambulandum eſt ſemper coram Chriſto ſuo, exercendumque ſacrum munus, digna Deo ratione, atque perſonæ, quam gerunt, ſanctitate, utpote qui æternum Sacerdotium ipſius ejuſdemque Jeſu Chriſti exerceant.

℣. 36. Veniat ut oretur pro eo, et offerat unum argenteum et tortam panis. Rejectus ad claſſem vulgarium Iſraelitarum, exauctoratuſque dignitate Sacerdotii, veniet, oblaturus munera ſua, obſecraturuſque Sacerdotem, ut pro ſe & expiatione criminum ſuorum oret; non bovem offeret, non vitulum, non ovem, ſed tortam panis, quæ tenuiſſimorum oblatio erat, vel obolum, quem injiciet in gazophylacium, uti vidua illa Evangelii (14). Reddi etiam poſſet Hebræus (15): *Veniet ut proſternat ſe coram Sacerdote, pro pretio oboli, vel tortæ panis*. Obſecrabit ſupplex Sacerdotes reliquos, ut in claſſem ipſorum excipiatur, admittaturque ad munera illa Sacerdotalia, quo ſibi lucretur nummulum argenteum, vel tortam panis. Congruit hæc interpretatio cum iis, quæ ſequuntur. Vox *Agorat*, quam S. Hieronymus reddit *nummum argenteum*, & Septuaginta *obolum*, nihil aliud facile deſignat, quam *Gerah*, qui viliſſimus eſt Judæorum nummus, valore circiter unius ſolidi, & ſeptem denariorum, & aliquanto amplius. Uſurpari etiam poteſt generico ſenſu pro mercede diurna opificis & mercenarii (16). *Agar* Chaldaice, Syriace, & Arabice eſt locare, conducere vel accipere pignoris loco; ex quo Græcum *agorazo*, emere.

Torta panis. Vide Exodum XXVI. 23. Hebręus ככר לחם *fruſtum panis*. Septuaginta legunt ſolum: ἐν ἄρτῳ ἑνί, in *pane uno*, vel pane ſimpliciter.

Dimitte me ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis. Sacerdotes omnes in claſſes tres diſtinctos fuiſſe, neminem ignorare arbitror. David in ordines quatuor & viginti, ſibi invicem alterum poſt alterum ſuccedentes, diſtribuerat (17): parebant hiſce ordinibus Levitæ in ſuas pariter diſtributi claſſes, & Sacerdotibus

(1) 1. Reg. IV. (2) 1. Reg. XXII. 16. (3) Vide 2. Reg. XXII. 9. 10. (4) Menoch. Grot. Druſ. (5) והבטת צר מעון בכל אשר ייטיב את ישראל (6) Vide Grot. Jun. Tremel. Piſc. (7) Καὶ ὄψει θλῖψιν κατοικήσεως ἐν παντὶ ᾧ ἀγαθυνθήσεται τῷ Ἰσραήλ. (8) Καὶ ἐπιβλέψῃ τὸ κραταίωμα Μαὼν, ἐν πᾶσιν οἷς ἀγαθύνει τὸν Ἰσραήλ. (9) כל מרבית ביתך ימותו אנשים (10) Πᾶς ὁ περισσεύων τοῦ οἴκου σου πεσοῦνται ἐν ῥομφαίᾳ ἀνδρῶν. (11) 1. Reg. IV. 11. (12) כהן נאמן (13) Iſai. XXXIII. 16. Vide & Iſai. I. 21. XVII. 17. *Plantationem fidelem* XXI. 23. *In loco fideli* LV. 3. *Miſericordias David fideles*, &c. (14) Marc. XII. 42. Luc. XXI. 2. (15) יבוא להשתחות לו לאגורת כסף וככר לחם (16) אגר Chald. אגר (17) 1. Par. XXIV.

in Templo miniſtrantes. Juxta has leges, nunquam locus inter Sacerdotes defuturus erat poſteris e familia Heli, quibus etiam ſua proventuum communium portio reſponderet: ſed Deus abdito Providentiæ ſuæ conſilio effecturus erat, ut non prius admitterentur inter claſſes Sacerdotales, recenſerenturque inter Miniſtros Templi, quam poſt obſecratos ſupplicum habitu Sacerdotes e familia Eleazari, qui in locum amotæ familiæ Heli ſubſtituendi erant, ut ſacris præeſſent. Sive id erat communi lege conſtitutum, ut inferiores Sacerdotes in miniſterium non admitterentur, niſi ſummi Sacerdotis beneficio; ſive genus Abiathari, utpote quod e Regis gratia & a ſupremo Sacerdotio exciderat, ad claſſem Levitarum rejectus fuerat, vel damnatus ad conditionem eorum Sacerdotum (1), qui cum ſacris operati in editis locis fuiſſent, e ſacro miniſterio excluſi fuerant, redactique ad *comedendam azyma in medio fratrum ſuorum*, ideſt, ad vitam tolerandam ex panibus & offis azymis in Templo oblatis. Vel denique Sacerdotes poſteri Heli a ſacro munere penitus excluſi fuerunt, ut illi apud Ezechielem (2), qui cum Idolis ſacrificia immolaſſent, amoti a Sanctuario & ab Altari, rejecti fuerunt in ordinem janitorum Templi, ut probri ſui notam ferrent immortalem. Id tamen quod ab Ezechiele narratum eſt, ad tempus poſt captivitatem Babylonicam ſpectat.

[1] 4. Reg. xxiii. 9. [2] Ezech. xliv. 10. *Levitæ qui longe receſſerunt a me. . . . & erraverunt a me poſt idola ſua . . . . erunt in Sanctuario meo æditui & janitores, &c.*

CAPUT III.

Deus prophetico ſpiritu afflare Samuelem incipit: cui & revelat ultionem ſuam in Heli ejuſque familiam. Heli ſtatim ſeſe animadverſioni ſubmittit. Samuel palam per Iſraelem agnoſcitur in Prophetam.

A. M. 2861. ante J. Chr. 1143.

℣. 1. PUer autem Samuel miniſtrabat Domino coram Heli, & ſermo Domini erat
pretioſus in diebus illis, non erat viſio manifeſta. 2. Factum eſt ergo
in die quadam, Heli jacebat in loco ſuo, & oculi ejus caligaverunt, nec poterat vi-
dere. 3. Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domi-
ni, ubi erat Arca Dei. 4. Et vocavit Dominus Samuel: Qui reſpondens, ait: Ec-
ce ego. 5. Et cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego: vocaſti enim me. Qui dixit:
non vocavi: revertere, & dormi. Et abiit, & dormivit. 6. Et adjecit Dominus rur-
ſum vocare Samuelem. Conſurgenſque Samuel; abiit ad Heli, & dixit: Ecce ego:
quia vocaſti me. Qui reſpondit: Non vocavi te, fili mi: revertere, & dormi. 7.
Porro Samuel necdum ſciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei ſermo Domini.
8. Et adjecit Dominus, & vocavit adhuc Samuelem tertio. Qui conſurgens abiit ad
Heli, 9. Et ait: Ecce ego: quia vocaſti me. Intellexit ergo Heli, quia Dominus
vocaret puerum: & ait ad Samuelem: Vade, & dormi: & ſi deinceps vocaverit te,
dices: Loquere, Domine, quia audit ſervus tuus. Abiit ergo Samuel, & dormivit in
loco ſuo. 10. Et venit Dominus, & ſtetit: & vocavit, ſicut vocaverat ſecundo, Sa-
muel, Samuel. Et ait Samuel: Loquere, Domine, quia audit ſervus tuus. 11. Et
dixit Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Iſrael: quod quicunque au-
dierit, tinnient ambæ aures ejus. 12. In die illa ſuſcitabo adverſum Heli omnia,
quæ locutus ſum ſuper domum ejus: incipiam, & complebo. 13. Prædixi enim ei,
quod judicaturus eſſem domum ejus in æternum propter iniquitatem, eo quod nove-
rat indigne agere filios ſuos, & non corripuerit eos. 14. Idcirco juravi domui He-
li, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis, & muneribus uſque in æter-
num. 15. Dormivit autem Samuel uſque mane, aperuitque oſtia domus Domini.
Et Samuel timebat indicare viſionem Heli. 16. Vocavit ergo Heli Samuelem, &
dixit: Samuel fili mi? Qui reſpondens, ait: Præſto ſum. 17. Et interrogavit eum:
Quis eſt ſermo, quem locutus eſt Dominus ad te? oro te, ne celaveris me. Hæc
faciat tibi Deus, & hæc addat, ſi abſconderis a me ſermonem ex omnibus verbis,
quæ dicta ſunt tibi. 18. Indicavit itaque ei Samuel univerſos ſermones, & non ab-
ſcondit ab eo. Et ille reſpondit: Dominus eſt: quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat.
19. Crevit autem Samuel, & Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis
ejus in terram. 20. Et cognovit univerſus Iſrael, a Dan uſque Berſabee, quod fi-
delis Samuel propheta eſſet Domini. 21. Et addidit Dominus, ut appareret in Si-
lo, quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli in Silo, juxta verbum Domini. Et
evenit ſermo Samuelis univerſo Iſraeli.

℣. 1. Mi-

℣. 1. Miniſtrabat Domino coram Heli, ad ejus nutum, ſub ejus diſciplina. Chaldæus: *In vita Heli*. Samuel hæſerat Heli, quamquam Summus hic Sacerdos, grandævæ ætatis & caligantium oculorum impedimento a ſacro munere per ſe obeundo prohibebatur. Porro adoleſcens hic Levites in eodem facile cum Heli conclavi, ut prompto illius miniſterio ſuccurreret, cubabat.

Sermo Domini erat pretioſus (1). Rariſſimi tunc erant in Iſraele Prophetæ; non tamen Deus penitus tunc Spiritum prophetiæ in populo ſuo extinxerat, cum in præcedenti capite ℣. 27. exhibeatur vir quidam Propheta, qui & minitatus eſt & exprobravit Heli ſummo Sacerdoti ipſa eadem, quæ Samuel hic repetit. Sub Judicibus etiam (2) legitur Angelus ſive Dei ſervus, qui graviſſimis verbis populi vitia caſtigat. Denique nota eſt Debora Propheτiſſa, uxor Lapidot (3), & vir alius Propheta, paulo ante Gedeonem (4). Hi tamen omnes Prophetæ ex longa jam ætate obierant, itaut quo tempore Samuel nomen dedit inter Prophetas, eodem Prophetæ nomine in toto Iſraele nemo appellaretur. Prophetarum catalogum a Samuele orditur S. Petrus Apoſtolus (5). Author hujus Libri ea facile ætate florebat, qua crebri erant Prophetæ, uti frequentiſſimos fuiſſe conſtat a Samuele uſque poſt captivitatem Babylonicam.

Non erat viſio manifeſta. Deus non manifeſto ſeſe exhibebat per viſum hominibus: prophetia publica, & communis nulla erat, nullus a populo agnitus Propheta, quem populus vulgo conſuleret, cujuſmodi poſterior ætas plures tulit. Samuel tamquam novum quoddam aſtrum emicuit. Hebræum אין חזון נפרץ ita reddunt quidam: *Non erat prophetia multiplicata*, diffuſa, copioſa. Septuaginta (6): *Non erat viſio diſtinguens*, ſeu dividens, fortaſſe *florens*.

℣. 3. Lucerna Dei, antequam extingueretur. Hebræi olim diem per horas non ſupputabant, ſed noctem in vigilias tres diſtinguebant: deſignatur hic hora viſi a Samuele Dei ex tempore, quo lucernæ aurei candelabri, poſiti in Sancto, nondum fuerant extinctæ, ideſt, ante exitum noctis, & ſub crepuſculum (7): extinguebantur enim eæ lucernæ circa ſolis exortum. Latini quidam Codices verſiculum hunc cum præcedenti ita jungunt: *Non poterat* Heli *videre lucernam Dei, antequam extingueretur* (8).

Samuel autem dormiebat in Templo Domini, ubi erat Arca Dei. Non dormiebat ille quidem in Sanctuario, ubi reſidebat Arca, & quo pedem inferre nonniſi ſemel quotannis ſummo Sacerdoti licebat, ſed cubabat facile in conclavi, quod Templo & Sanctuario, ubi erat Arca, jungebatur: cubabat autem juxta Heli ſummum Sacerdotem, uti inferius patebit, & juxta Sanctuarium, unde data fuiſſe creditur vox, quæ ejus auribus inſonuit. Statim quidem ille eam vocem ita accepit, tamquam a Summo Sacerdote datam, quippe quæ ex ea parte, ubi Sacerdos cubabat, emiſſa fuerat. Arbitramur autem, conſtructam fuiſſe in commodum Heli cellulam Tabernaculo proximam, cujuſmodi plures erant in Templo Salomonis, circa Sanctum & Sanctuarium diſpoſitæ (9). Filii Summi Sacerdotis, & Levitæ cubilia ſua habebant, facile poſita ſive extra ſive in veſtibulo atrii, ubi crimina cum fœminis excubias agentibus (10) patrabantur. Unus facile Heli intus in atrio quieſcebat cum Samuele & Sacerdotibus, pro vice ſua miniſtrantibus. Cum Arca diutius in Silo perſeveraverit, ædificia quædam illi adjecta fuiſſe non inviti credimus. Jam alibi animadvertimus, pro ſepto ex aſſeribus, clauſtro murorum concluſum fuiſſe Sanctum & Sanctuarium.

Interpretum quidam (11) cenſent, in Textu hujus verſiculi turbatas eſſe aliquas voces, quas corrigi oporteat. Aures illorum offendit ea phraſis: *Samuel dormiebat in Templo ubi erat Arca*, legunt enim: *Et cum lucernæ, quæ erant in Templo Domini, ubi erat Arca Dei, necdum extinctæ eſſent, & Samuel adhuc dormiret, tunc vocavit Dominus Samuelem*. Utrum vero hæc turbatio Textus neceſſario inducta ſit, ambigo. Non equidem ignoramus, Levitas pro conſueto more tam prope Tabernaculum non cubuiſſe; nihil tamen prohibet, quin id Samueli conceſſum fuerit, ut ſervitiis Heli adeſſet paratior: hoc enim, utpote extraordinarium, communi legi non officiebat. Textus eſt profecto nimis perſpicuus, & quæ proponitur inverſio, ardua nimis & violenta. Satis eſt utique, ex noſtra expoſitione, ſi ſtatuantur Heli & Samuel cubantes in conclavi, quod Templo contiguum erat, ut veritas dicto conſtet: *Dormiebat in Templo Domini, ubi erat Arca Dei* (12).

℣. 7. Samuel necdum ſciebat Dominum, neque revelatus ei fuerat ſermo Domini. Cum primam hanc Dei vocem inſonantem auribus ſuis excepiſſet adoleſcens, inter Dei & hominis loquentis voces adhuc ambiguus erat. *Necdum ſciebat Dominum*, ſcientia illa experimentali, quam deinceps aſſequutus eſt (13). Hinc autem intelligimus, ſigna quædam fuiſſe, quibus agnoſcerent Prophetæ vocem & præſentiam Numinis: his indiciis ipſi primum Prophetæ certiores fiebant, afflari ſe ſpiritu ſuperiori; quare & merito affirmabant, Deo intus agente ſe loqui; neque temere populus ſeſe cuicumque credebat: opus erat, ut quis agnoſceretur, uti de Samuele legimus, *Propheta fidelis Domini, nec cecidiſſet ex omnibus verbis ejus in terram*, vacuum ſcilicet eventu.

℣. 10. Sicut vocaverat ſecundo, Samuel, Samuel. Illud, *Vocaverat ſecundo*, ad literam innuere videtur, Deum ſecundo tunc vocaſſe Samuelem, cum tamen revera tertio jam vocaret: ſed jungendum eſt illud *ſecundo*, verbis ſuccedentibus, ut ſit ſenſus: *Vocavit, uti jam vocaverat, bis inclamans, Samuel Samuel*; vel ſequi præſtat Hebræum, ferentem (14): *Vocavit ſicut ſemel & iterum*. Septuaginta: Ὡς ἅπαξ καὶ ἅπαξ, *Sicut ſemel & ſemel*.

℣. 11. Quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus. Proverbio ſimilis loquendi phraſis, frequens in Scriptura (15), innuenſque rem, quæ attonitos reddet, horrore corripiet, veluti ſubitus fragor aures obtundens, atque animum ſimul mentemque terrore concutiens. Latinum *attonitus*, & Gallicum *etonné*, idem ferme, quod hic, explicant; attonitus enim eſt homo, quem tonitrui fragor corripuit.

℣. 12. Omnia quæ locutus ſum ſuper domum ejus. Spectant hæc ad minas antea ingeſtas a viro illo Dei, cujus verba legimus ſuperius II. 27. &c.

Incipiam et complebo. Inceptum ſemel opus urgebo, donec abſolvam. Non terreo vanis minis, & eventu vacuis. Sunt qui reddant Hebræum החל וכלה *Proſequar & complebo*. Chaldæus: *Conficiam & conſummabo*: rem totam conficiam.

℣. 13. Quod judicaturus eſſem domum ejus, quod ultionem meam in ejus domum exerturus eſſem.

---

[1] יקר Septuag. τίμιος, *pretioſus*. Sym. τίμιος, *rarus*. [2] Judic. II. 1. [3] Judic. IV. 4. [4] Judic. VI. 8. [5] Act. III. 24. [6] Οὐκ ἦν ὅρασις διαστέλλουσα, forte διαθάλλουσα. [7] Vide Exod. XXVII. 20. 21. *Ut uſque mane luceat coram Domino*. Levit. XXIV. 3. *Ponet eas a veſpere uſque ad mane*. [8] Ita legunt Eucher. Angelom. Raban. Dionyſ. Bibl. Antuerp. & nova editio Canon. Hebr. Hieronymi. [9] 3. Reg. VI. 5. [10] 1. Reg. II. 22. [11] Vatab. Druſ. [12] Vide Sanct. & Menoch. [13] Vatab. Sanct. Mendoz. Piſc. &c. [14] יקרא כפעם בפעם שמואל שמואל [15] Vide 4. Reg. XXI. 12. & Jerem. XIX. 3.

eſſem. Judicare & judicium ſæpe eſt damnare, ulciſci, punire (1).

Noverat indigne agere filios suos, et non corripuit eos; ſeu potius non meliores effecit: corripuiſſe enim peccantes illos ſcimus, ſed mitius quam par erat. Neque enim ſatis eſt ſi arguat moneatque peccantem ille, qui regimini præeſt: gravius punienda ſunt ſcelera, tanta præſertim, quanta a Sacerdotibus illis committebantur. Scriptura tamen in Textu originali utitur verbo corripiendi, ſed ea ſermonis figura, qua non factum dicimus quod peſtime factum eſt, ut non exceptos Legatos, qui male excepti ſunt. Hebræus ad literam (2): *Noverat quia filii ſui vilipendebantur, nec iniquiorem faciem illis exhibuit*; frontem non corrugavit in eos; horrorem & triſtitiam nullam prætulit. Septuaginta (3): *Quoniam maledicentes*, vel contemnentes *Deum filii ejus, & non monebat eos*. Chaldæus: *Quoniam provocantes* [Deum] *ſibi filii ejus, & non indignatus eſt in eis*. Vox Hebræa, quam Septuaginta & Vulgata reddiderunt, *corripuit*, uſurpari ſolet de oculis ſenum langueſcentibus & declinantibus in tenebras. Utitur illa Jobus, ut oculorum ſuorum hebetudinem ex ira & furore partam innuat (4). Facile etiam reddi Textus poſſet: Videns eorum ſcelera, non ea proſequutus eſt, qua par erat, indignatione, cum horrore illos reſpiciens, & oculos tamquam a re abominabili avertens; quin potius hæc omnia ipſo præſente & ſpectante commiſſa ſunt.

℣. 14. Juravi quod non expietur iniquitas domum ejus victimis et muneribus usque in æternum. Nullibi quidem legimus, Deum conceptis verbis fidem ſuam hoc ſacramento obligaſſe: ſed ſuperius II. 25. narratum eſt, ſtatuiſſe illos perdere, quippe quos noſſet obfirmatos eſſe in malo, & patris monita contemnere. Eodem cum familia ſua exitio Heli pariter obvolutus eſt, quamquam nullum illi crimen vitio datur, niſi mitior filiorum animadverſio. At enim ſcelera Ophni & Phineis nulla erant venia dimittenda, cum Deus ob eorum expiationem inutilia fore dixerit ſacrificia & oblationes? Reponimus (5), nomen criminis uſurpari hic, ut & alibi ſæpe in Scriptura (6), pro punitione. Statuit Deus ulciſci malum exemplum a familia Heli exhibitum, atque juſtitiæ ſuæ terribile exemplum in illa conſtituere. Concepta quidem intus in corde crimina horum Sacerdotum graviſſima erant; verum ſi denique reſipuiſſent, & maculam eluiſſent pœnitudine, animum flexiſſent ad pietatem, ad veniam illos utique admiſiſſet. Profitetur non ſemel in Scriptura Deus, nolle ſe hominum exitium: præſto nunquam ſe non exhibere ad eos excipiendos, qui ſincero animo ad ſeſe regrediuntur. Qui autem cordis penetralia ſcrutatur Deus, malas cordium ſceleſtorum horum virorum habitudines exploratas habebat: norat, illorum nequitiam ſupremum iniquitatis apicem attigiſſe: quæ futura illos manebant, pandit; ſed fieri etiam poſſe contrarium, non negat.

Quod autem innui hic videtur, de ſacrificiis ſcilicet veteris Legis, tanta pollentibus virtute, ut dimittere poſſent peccata, illud ita accipiendum eſt, ſi ſacrificiis conjungeretur habitudo humilis & contriti cordis, perfecta charitas, & dolor gravitati criminis reſpondens. Plus aliquid inerat ſacrificiis hiſce virtutis, ut ſenſibiles ac temporaneas pœnas remitteret, quæ crimina conſequebantur: ne tamen vacua eſſent ac inania, neceſſe erat ſacra illa offerre animo pio ac religioſo; quem utique fruſtra quæras in iis hominibus, quales Ophni & Phinees exhibet Scriptura.

℣. 15. Dormivit. Seu potius, iterum (7) dormiturus ſeſe reclinavit; in lecto perſeveravit; qui enim tranquilla caperetur quies, animo nunciis ejuſmodi atque adeo horrendis conturbato (8)?

Aperuit ostia domus. Quis aperuit, & quæ oſtia? Atrium quidem claudebant in deſerto & Moyſis ætate velamina oppanſa. Facile tamen ſepto murorum clauſum eſt, adjectis foribus, ut Tabernaculum in certa ſede conſtitutum eſt. Nihil prohibet, quin Samuel oſtia recluſerit. Accipi etiam poteſt de Templo proprie dicto, de Sancto, quod Moyſis quidem ætate ab atrio diſtinguebatur medio velamine, tunc vero fortaſſe foribus ſeriſque muniebatur. Claves januæ apud ſe facile Heli cuſtodiebat, ſiquidem cenſemus obtinuiſſe tunc uſum clavium, quibus fores intus panderentur. Sed tunc vix credimus iis recludendis miſſum fuiſſe Samuelem, cum munus id fuiſſe videatur ſummo Sacerdoti vel Sacerdoti pro vice ſua miniſtranti reſervatum.

℣. 17. Hæc faciat tibi Deus, et hæc addat, si absconderis a me sermonem. Quibus verbis adjuraverit Heli Samuelem, ut ea panderet, quæ Deo revelante didicerat, non exprimit Scriptura: qua reticendi figura utitur frequenter in rebus odioſis & moleſtis. Deus te puniat hoc ſupplicio, hoc tibi malum addat, ſi me deceperis. Simili cautione utebantur Profani, ne quid triſte & mali ominis efferrent. Neque revera quidquam expreſſum fuiſſe in execrationibus vel imprecationibus id generis, cenſent quidam (9): vero tamen propius credimus reipſa pronunciari conſueviſſe aliquid, quod Scripturæ reticere viſum eſt (10).

℣. 18. Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat. Verba hæc duplicem ſenſum admittere poſſunt. Ita enim accipiuntur a Patribus nonnullis (11), tamquam ſi ab animi imbecillitate huic Sacerdoti inſita profecta eſſent, in hanc ſententiam: Deo ſumma poteſtas eſt puniendi me pro arbitrio: ego autem in animum inducere non poſſum, ut graviorem moleſtiam filiis meis inferam. Non ſincera humilitate, ait S. Gregorius, hæc expreſſit Sacerdos; ſi enim revera humilis fuiſſet, præſto ſeſe obtuliſſet ad crimen reparandum, ſed *potius elegit minarum Dei cauſas incurrere, quam de perpetratis iniquitatibus filios condemnare*. Sed Patrum atque Interpretum plerique (12) æquiorem expoſitionem admittunt. Heli gravitatem criminis ſui & filiorum agnoſcens, ſubmittit ſeſe ſtatim Judicis ſui ſententiæ, qua re animæ ſuæ ſalutem promeruit, cum interim ultio Domini ſeveræ animadverſioni & corpus ipſius & univerſam ejus familiam ſubjiceret.

℣. 19. Et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram. Sua fides verbis illius conſtitit eventu. Dictum etiam accipi poteſt de Deo: *Quidquid Deus prædixit, impletum eſt*. Nihil ad id uſque loquutus fuerat Samuel. Hebræus ad literam (13): *Neque cadere fecit ex omnibus verbis ejus in terram*.

℣. 20. A Dan usque Bersabee. Ab extrema ora ſeptentrionali, ubi jacebat Dan, ad uſque Berſabee, per totam longitudinem Chananitidis.

Quod

(1) Prov. xix. 29. & 2. Paralipom. xx. 9. & Joan. III. 18. & XVI. 11. & 1. Cor. XI. 29. & Hebr. XIII. 4. & paſſim. (2) אשר ידע כי מקללים להם בניו ולא כהה בם (3) Ἔγνω ὅτι κακολογοῦντες οἱ Θεὸν υἱοὶ αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἐνουθέτει αὐτούς. Leguot מקללים לאלהים Alius καταρώμενοι, *maledicentes*. (4) Job. XVII. 7. *Caligavit ab indignatione oculus meus*. Hebr. ותכה מכעש עיני Aq. Th. hic: Οὐκ ἠμαύρωσεν αὐτοῖς. *Non obſcuravit in eis*. (5) Mendoz. Eſt. alii. (6) Vide Geneſ. xv. 16. Levit. XXIV. 15. Pſalm. VII. 15. Zach. XIV. 19. Malach. II. 16. (7) ישכב Septuag. Κοιμᾶται. (8) Menoch. Sanct. Mend. (9) Piſc. Jun. Cornel. Vide in Ruth I. 17. (10) Ita Grot. in loco citato Ruth I. Toſt. qu. 5. Sanctius hic. (11) Greg. in Libb. Reg. Ephrem, Apolog. Heli, Rupert. (12) Chryſoſtom. lib. 3. contra Vitup. vit. Monaſt. Theodoret hic, Procop. Lyr. Toſt. Cajet. Serar. Mendoza, Cornel. a Lap. Sanct. Grotius. (13) ולא הפיל מכל דבריו ארצה

Quod fidelis Samuel Propheta eſſet Domini. Hebræus ad literam (1): *Quod fidelis* (Hebræus *Neeman*) *Samuel* deſtinatus eſſet *in Prophetam Domino*. Demonſtratum eſt alibi, *Neeman* titulum fuiſſe dignitatis in Aula Principis apud Hebræos. Palam factum eſt, Samuelem virum eſſe familiarem Domini, cui & ſpiritum Propheticum ille communicavit. Vertunt alii (2): *Quod Samuel conſtitutus eſſet Propheta Domini*. Non Propheta pro tempore, ad biduum vel triduum, ſed Propheta firmius & perpetuus. De miſſione atque dotibus Prophetiæ, quæ Samueli ineſſet, fides certa non prius conſtitit, quam poſtquam impleta eſt oraculorum ipſius fides, ac palam omnibus factum eſt, quod *non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram* (3).

℣. 21. Et addidit Dominus ut appareret in Silo, quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli in Silo juxta verbum Domini. Ex quo ſemel cœpit Deus revelare ſe Samueli in Silo, nunquam deſtitit, pergens arcana ſua & verba illi eodem in loco aperire. Hebræus (4): *Manifeſtavit ſe in Silo in verbo Domini*; ſeu per verbum ſuum revelavit ſeſe Samueli, ſermonem cum illo habuit, verba ſua in ejus aures dedit.

Et evenit ſermo Samuelis univerſo Iſraeli. Verba hæc in exordio ſequentis capitis leguntur in Hebræo. Conjuncta vero cum iis quæ ſequuntur, exponi poſſunt in hanc ſententiam: *Et Samuel locutus eſt* Dei nomine *univerſo Iſraeli, & populus convenit in pugnam cum Philiſtiim*, quaſi bellum, de quo inferius, de conſilio Samuelis ſuſceptum fuerit (5). Sed illud conſilium minus utique valuiſſet nominis famam viro conciliare, quippe cui eventus plane infauſtus reſpondit. Igitur ita exponere maluerim: Deus perſeveravit manifeſtare ſeſe Prophetæ, cujus proinde fama late ſe per univerſum Iſraelem diffudit (6).

(1) כי נאמן שמואל לנביא ליהוה (2) Jun. & Tremell. Belg. & Anglic. Verſ. Deuſ. (3) Mendoza.
(4) נגלה . . . . בשלו בדבר (5) Hebr. in Vatab. & Munſt. (6) ויהי דבר שמואל לכל ישראל

CAPUT IV.

Bellum Philiſtæorum in Iſraelitas; in quo Iſraelitæ fugantur. Arca fœderis ad caſtra defertur. Altero prælio cæduntur, & Arca capitur. Moriuntur Heli, Ophni, Phinees, & uxor Phineis.

℣. 1. ET factum eſt in diebus illis, convenerunt Philiſthiim in pugnam: & egreſ- A. M. 2888.
ſus eſt Iſrael obviam Philiſthiim in prælium, & caſtrametatus eſt juxta ante J. C. 1116.
lapidem adjutorii. Porro Philiſthiim venerunt in Aphec; 2. Et inſtruxerunt aciem
contra Iſrael. Inito autem certamine, terga vertit Iſrael Philiſthæis: & cæſa ſunt in
illo certamine paſſim per agros, quaſi quatuor millia virorum. 3. Et reverſus eſt
populus ad caſtra: dixeruntque majores natu de Iſrael: Quare percuſſit nos Dominus
hodie coram Philiſthiim? Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini, & ve-
niat in medium noſtri, ut ſalvet nos de manu inimicorum noſtrorum. 4. Miſit ergo
populus in Silo, & tulerunt inde Arcam fœderis Domini exercituum ſedentis ſuper
Cherubim: erantque duo filii Heli cum Arca fœderis Dei, Ophni & Phinees. 5.
Cumque veniſſet Arca fœderis Domini in caſtra, vociferatus eſt omnis Iſrael clamo-
re grandi, & perſonuit terra. 6. Et audierunt Philiſthiim vocem clamoris, dixerunt-
que: Quænam eſt hæc vox clamoris magni in caſtris Hebræorum? Et cognoverunt
quod Arca Domini veniſſet in caſtra. 7. Timueruntque Philiſthiim, dicentes: Venit
Deus in caſtra. Et ingemuerunt, dicentes: 8. Væ nobis: non enim fuit tanta exul-
tatio heri & nudiuſtertius: væ nobis. Quis nos ſalvabit de manu Deorum ſublimium
iſtorum? Hi ſunt Dii, qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga, in deſerto. 9. Con-
fortamini, & eſtote viri, Philiſthiim: ne ſerviatis Hebræis, ſicut & illi ſervierunt vo-
bis: confortamini, & bellate. 10. Pugnaverunt ergo Philiſthiim, & cæſus eſt Iſrael,
& fugit unuſquiſque in tabernaculum ſuum: & facta eſt plaga magna nimis: & ce-
ciderunt de Iſrael triginta millia peditum. 11. Et Arca Dei capta eſt; duo quoque
filii Heli mortui ſunt, Ophni & Phinees. 12. Currens autem vir de Beniamin ex
acie, venit in Silo in die illa, ſciſſa veſte, & conſperſus pulvere caput. 13. Cum-
que ille veniſſet, Heli ſedebat ſuper ſellam contra viam ſpectans. Erat enim cor ejus
pavens pro Arca Dei. Vir autem ille poſtquam ingreſſus eſt, nuntiavit urbi, & ulu-
lavit omnis civitas. 14. Et audivit Heli ſonitum clamoris, dixitque: Quis eſt hic
ſonitus tumultus hujus? At ille feſtinavit, & venit, & nuntiavit Heli. 15. Heli au-
tem erat nonaginta & octo annorum, & oculi ejus caligaverant, & videre non po-
terat. 16. Et dixit ad Heli: Ego ſum qui veni de prælio, & ego qui de acie fugi
hodie. Cui ille ait: Quid actum eſt, fili mi? 17. Reſpondens autem ille, qui nun-
tiabat, Fugit, inquit, Iſrael coram Philiſthiim, & ruina magna facta eſt in populo;

inſu-

inſuper & duo filii tui mortui ſunt Ophni & Phinees: & Arca Dei capta eſt. 18,
Cumque ille nominaſſet Arcam Dei, cecidit de ſella retrorſum juxta oſtium, & fra-
ctis cervicibus mortuus eſt. Senex enim erat vir & grandævus: & ipſe judicavit Iſ-
rael quadraginta annis. 19. Nurus autem ejus, uxor Phinees, prægnans erat, vici-
naque partui: & audito nuntio quod capta eſſet Arca Dei, & mortuus eſſet ſocer
ſuus & vir ſuus, incurvavit ſe, & peperit: irruerant enim in eam dolores ſubiti.
20. In ipſo autem momento mortis ejus dixerunt ei quæ ſtabant circa eam: Ne ti-
meas, quia filium peperiſti. Quæ non reſpondit eis, neque animadvertit. 21. Et
vocavit puerum, Ichabod, dicens: Tranſlata eſt gloria de Iſrael, quia capta eſt Ar-
ca Dei, & pro ſocero ſuo, & pro viro ſuo: 22. Et ait: Tranſlata eſt gloria ab
Iſrael, eo quod capta eſſet Arca Dei.

℣. 1. EGRESSUS EST ISRAEL OBVIAM PHILISTIIM IN PRÆLIO, ſeu potius, ut ſe ab illis defenderet; Philiſtæos enim primos moviſſe arma videtur. Belli hujus cauſa ignoratur: conſtat tamen, Philiſtæorum gentem ea ætate validiſſimam fuiſſe, & poſt Samſonem nunquam ceſſaſſe gravi jugo Hebræos premere, donec plenam libertatem Hebræi acceperunt a Samuele, cum primum rebus præfectus eſt. Sunt qui bellum hoc conſtituant (1) ſtatim poſt minas, quas Deus verbis Samuelis adverſus Heli protulit; ſed doctiſſimis Chronologis (2) conſtituendum videtur ſeptem & viginti vel duo de triginta annis ſerius.

JUXTA LAPIDEM ADJUTORII. Hebraice עלהאבן העזר *Eben-Heſer*. Huic loco id nominis primo datum eſt uno & viginti circiter annis poſt id bellum, cum erecto ibi a ſe monumento Samuel nomen dederit, *Lapis adjutorii*, in memoriam victoriæ ibi de Philiſtæis relatæ (3). Lapis hic adjutorii ſitus erat inter *Maſpham & Sen*.

IN APHEC. Urbs erat e Tribu Juda, non longe conſtituenda ab *Eben-Heſer*, & a Maſpha; ſed quo potiſſimum in loco, ignoratur.

℣. 2. INSTAURERUNT ACIEM &c. Hebræus (4): *Et ordinaverunt ſe Philiſtiim in occurſum Iſrael, & diffuſus eſt exercitus*, vel diſſipatus ſolutuſque eſt, *& cæſus eſt Iſrael &c.* Quam diſciplinam agmine inſtruendo tenerent copiarum Iſraeliticarum Imperatores, ignoramus; ſed inſtruxiſſe illos agmina, & bellum arte aliqua geſſiſſe conſtat. Vide noſtram diſſertationem de re militari Hebræorum. Septuaginta: *Et inclinavit prælium*, populus pedem retraxit, ac ſe diſſipavit.

IN ILLO CERTAMINE PASSIM PER AGROS. Ex Textu Vulgatæ innui videtur, Iſraelitas vix expectaſſe hoſtes, actiſque illis in fugam per agros, interfecta fuiſſe circiter quatuor millia. Sed alium ſenſum reddit Hebræus (5): *Et percuſſerunt in ordine*, ſeu inſtructo agmine, *in agro ferme quatuor millia*. In ipſo prælio cæſa ſunt fere quatuor millia (6).

℣. 3. DIXERUNTQUE MAJORES NATU. Nemo tunc ſupremus Dux exercitui univerſo imperabat. Seniores Iſraelis ſuæ ſinguli Tribui præerant: quamquam autem Heli Judex Iſraelis habebatur, effœta nihilominus viri ætas & oculorum cæcitas prohibebant, ne ipſe per ſe præeſſet ac duceret copias.

AFFERAMUS AD NOS DE SILO ARCAM FŒDERIS DOMINI. Gentibus omnibus id inſitum eſt, ut exteriora Religionis indicia plurimi faciant. Arcam fœderis habebant, neque immerito, Hebræi, tamquam certum quoddam pignus Divinæ præſentiæ ac protectionis: experti norant, victorias ſeſe Arca præſente retuliſſe; amiſiſſe autem, cum ſe ab illa removerunt: id animo reputantes, eo præſentiæ Numinis argumento invictos ſeſe fore rebantur. Occurrebat menti, Patres ſuos olim actos fuiſſe in fugam, quod Moyſem cum Arca in caſtris deſeruiſſent, cum arma ferre in Chananæos ſoli per ſe auſi fuerunt (7). Meminerant pariter eorum, quæ in obſidione Jerichuntis (8) exhibita fuerunt prodigia, cum mœnia urbis Arca præſente corruerunt. Nec ignorabant relatas a Joſue victorias; quibus ſimul omnibus accedebat inſita menti perſuaſio, Deum ipſum inter victos referendum fore, ſiquidem contingeret, ut Philiſtæi Arca præſente vincerent: quare & gloriam ipſam Dei in diſcrimen venire, ac deinde populi opprobrium in Numinis contumeliam ceſſurum. Eunt ergo in ſententiam, rem propius non conſiderantes, & Arcam in auxilium ſuum adſciſcunt.

Sed temere blandiebantur ſibi de ope, qua ſe indignos præbuerant: & præcedentis prælii cædes nonniſi continuatio erat ultionis, quam perfidia ſua in ſeſe provocaverant. Perſuadere illos ſibi par erat futurum, ut quamdiu prava illa cauſa ſubſiſteret, nunquam melior ſibi eventus cederet: eumdem ipſum Deum, qui opem & victoriam ſpoponderat, ſiquidem permanerent in obſequio, extrema etiam omnia minitatum fuiſſe, ſiquidem recederent a fide, idem vero Numen probe noſſe artem qua gloriam ſuam ſartam tectam tueretur, & obſequium ſibi ab exteris gentibus procuraret, permiſſa etiam fuga populi impii & perverſi. Minus etiam cum Numinis majeſtate congruere, ſi opem præſtaret impiis & protervis, quam ſi rerum etiam ſanctiſſimarum profanationem pateretur. Illæ enim apud Deum priſtinam omnem ſanctitatem retinent: & ſi forte Deus interdum permittit profanationem pignorum ſanctiſſimorum fœderis ſui & amoris erga homines, id utique ab illo permittitur, ut mortalibus majora exhibeat indignationis ſuæ argumenta, & altum imprimat mentibus criminis horrorem.

Cæterum uſus ferendi in caſtra ſymbola religionis ſanctiſſima, apud gentes fere omnes obtinuit. Perſæ (9) ſolemni ritu ignem ſacrum ferebant in caſtra, uti & Jovis ſui ſacrum currum deferebant (10). Ante agmen Indorum ferebatur Herculis ſimulachrum (11): quod ſi quis deſeruiſſet, infamiæ notam æternam, quin & capitis pœnam incurrebat. Signa ſua militaria tamquam Numen aliquod ſuſpexiſſe Romanos, tam certum eſt, quam quid aliud (12). De Germanis hæc Tacitus (13): *Effigies & ſigna quædam detracta lucis, in præ-*

[1] Toſt. Serar. [2] Uſſer. & alii. [3] 1. Reg. VII. 12. [4] ויערכו לקראת ישראל ותטש המלחמה וינגף ישראל 70. Καὶ ἔκλινεν ὁ πόλεμος. [5] ויכו במערכה בשרה 70. Καὶ ἐπάταξαν Ἰσραὴλ... ἐν τῇ παρατάξει ἐν τῷ πεδίῳ. [6] Ita Interpp. paſſim. [7] Num. XIV. 44. 45. *Illi contenebrati aſcenderunt in verticem montis: Arca autem teſtamenti Domini & Moyſes non receſſerunt de caſtris.* [8] Joſue VI. 4. [9] Q. Curt. l. 3. *Ignis, quem ipſi ſacrum & æternum vocabant, argenteis altaribus præferebatur.* [10] Herodot. lib. 7. Ὄπισθε δὲ τούτων τῶν δέκα ἵππων, ἅρμα Διὸς ἱρὸν ὑπεπίτακτο, τὸ ἵππους μὲν εἷλκον λευκοὶ ὀκτώ. [11] Q. Curt. l. 8. [12] Dionyſ. Halicarn. l. 6. Τιμιώτατα Ῥωμαίων ... καὶ σημεῖα, ὥσπερ ἱδρύματα Θεῶν ἱερὰ νομίζοντες. [13] Tacit. de Morib. German.

prælium ferunt. Idola ſua in caſtra detuliſſe Philiſtæos, inferius V. 21. narratur; uti & idem ſervaſſe videtur Jeroboamus, Vitulos ſuos aureos ſecum habens in exercitu (1).

Nominum ſuorum imagines Pagani olim ſecum ferebant in bellicas expeditiones. Ita & Hebræi Arcam, Turcæ Alcoranum non ſine magno apparatu, & omni honoris ſignificamento. Vide D'Arvieux *Memoir. tom. IV. pag. 527. 557.*

℣. 4. Tulerunt inde Arcam foederis Domini exercituum, sedentis super Cherubim. Facile impetratus eſt ab Heli aſſenſus, ut Arca in iis rerum anguſtiis amoveretur, cum id præſertim totius gentis principes rogarent. Cum autem ille oculis captus eſſet, veriſimilliſmum eſt, Ophni & Phineem præter conſuetum morem in Sanctuarium ingreſſos, Arcam eduxiſſe. Quæ tunc ſervatæ fuerint cæremoniæ, ignoratur: ſilet etiam Scriptura, geminos filios Heli tunc patris munus geſſiſſe, ut Summi Sacerdotis munia obirent: neque docemur, illud ne munus alter ex iis, an alternatim ambo complerent.

Deſignat hic Scriptura Deum Iſraelis gemino epitheto, *Domini exercituum*, & *ſedentis ſuper Cherubim*. Primum expoſuimus ſupra I. 3. alter vero recurrit ſæpe in Libris ſacris, & phraſis erat Hebræis perfamiliaris; Deum enim exhibebant ſibi tamquam habitantem in Tabernaculo ſuo, inſidentemque ſuper alas Cherubim, qui Arcam fœderis protegebant (2). Facile etiam hæc dicta ſunt ut ad noſtram intelligendi rationem accederent, qui Deum in Cœlo aſſidentem nobis fingimus in magnifico ſolio, inferioribus Cherubim, quam longiſſime eminentem, Cherubim, inquam, vel ſolio circumfuſis, vel ad ejus pedes provolutis: vel denique vectum curru, quem Cherubim vel Angeli, formæ omnino novæ & inuſitatæ, trahunt. Deum in opem ſui accurrantem ita exhibet David (3): *Aſcendit ſuper Cherubim & volavit; volavit ſuper pennas ventorum*. Oculis Prophetæ Ezechielis obverſabatur Numen igneo curru, trahentibus Cherubim vectum (4). Ex univerſa Scriptura ſatis conſtat, vulgo Judæos corpora Angelis affinxiſſe; ut vero ea corpora, quæ figuræ erant non ſatis cognitæ & diſtinctæ, exprimerent, nomen illis Cherubim, quod figuram ſonat e pluribus compoſitam, & extraordinariam, tribuebant.

℣. 7. Venit Deus in castra. Minime ambigebant alienæ gentes, Dominum in medio populi ſui habitare; præſentiſque Numinis ſignum eſſe Arcam rebantur. Cum igitur Arcam in caſtra veniſſe compertum habuerunt, ipſum pariter Deum ad Hebræos veniſſe affirmarunt. Hebræus & Septuaginta (5) legunt in plurali: *Hi Dii venerunt in caſtra*. Aſſueti pluribus Diis Philiſtæi, ex ſuis præjudiciis loquuntur.

℣. 8. Quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum? De uno Deo pro ſuo more & præjudiciis loquuntur Philiſtæi, ſermonem de pluribus Diis habentes, quaſi Iſraelitæ plures noſſent Deos, partientes inter ſe Cœli, terræ, maris & inferorum imperium. Reddi poteſt Hebræus (6); *Quis nos ſalvabit de manu Dei magnifici hujus?* Ita etiam Chaldæus & Arabs reddiderunt; ſed pluralem retinent Septuaginta (7), Vulgata, & Commentariorum Scriptores plerique. Nomen *ſublimis*, quod Deo Iſraelis additur in Textu, elogium eſt, quo Philiſthæi Numina ſua donare ſolebant. Appellabatur Numen ejus gentis *Atergatne*, quod Numen inferius ſub nomine Dagonis occurret. Eſt autem *Atergatis* idem facile ac *Adir* vel *Adir-Dag*, *piſcis magnificus*.

Hi sunt Dii, qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto. Innuunt facile Ægyptiorum caſum, quos recurrentis Erythræi [mare eſt lucis undique cinctum] fluctus demerſerunt (8); vel Ægyptum ipſam, ſed turbata vitioſaque loquendi ratione, utpote gens aliena, rerum alienarum rudis (9). Supplent alii conjunctionem *&*, in hanc ſententiam (10): *Hic eſt Deus qui percuſſit Ægyptum omni plaga, & populum ſuum in deſerto*. Sed temeraria plane eſt additio.

℣. 10. Unusquisque in Tabernaculum suum, איש לאהליו ſive in domum ſuam; non raro enim Scriptura utitur voce *tentorium* pro domo & ædibus. Nec res patitur, ut de tentoriis militaribus dictum accipiamus.

Triginta millia peditum. Equites in exercitu Iſraelitarum, ante Salomonem quidem nulli, & poſt illum rari. Vide noſtram Diſſertationem de re militari Hebræorum.

℣. 11. Mortui sunt Ophni et Phinees. Cum forte humeris impoſitam geſtarent Arcam fœderis, cujus ſanctitatem licentiæ ſuæ & ſcelerum exemplo violaverant, Divino conſilio factum eſt, ut qui indignos ſeſe præbuerant ſacro miniſterio, in ipſo ejus exercitio interficerentur.

℣. 12. Scissa veste et conspersus pulvere caput. Indicia ſunt luctus gentibus æque omnibus communia (11).

At pius Æneas humeris abſcindere veſtem.

Et Catullus:

Canitiem terra, atque infuſo pulvere fœdans.

Et Virgilius:

. . . . . . *It ſciſſa veſte Latinus,*
Canitiem immundo perfuſam pulvere turpans.

℣. 13. Heli sedebat super sellam, contra viam spectans. Codices quidam legunt, *expectans*, vel *auſcultans*, pro *ſpectans*, quod ſcilicet Heli, uti ſupra narratum eſt, lucis uſura careret. Litera Originalis habet מצפה (12) *conſiderans*: dictum tamen ita accipi poſſet, tamquam ſi os haberet ad eam partem obverſum, habitu hominis qui tranſeuntes ſpectet. Sed quem potiſſimum locum ſedens tenebat? Ex ℣. 18. diſcimus, ſediſſe illum *juxta oſtium*, facile Tabernaculi, in eadem ſella, quam occupabat, cum Anna mater Samuelis oratum venit ad Templum (13). Septuaginta (14) & Chaldæus legunt: *Ad oſtium Civitatis*. Sed narrationis ſeries demonſtrat, juvenem illum, qui triſte de eventu belli nuncium deferebat, per mediam Silo tranſiſſe, antequam perveniret ad Heli, qui in Tabernaculo Domini habitabat. Solebat autem ſenex hic Sacerdos agere ante fores Tabernaculi, auditurus eos, qui ad cauſas agendas veniebant; & ipſum facile ejus Tribunal ſellæ nomine hic indicatur. Vox originalis כסא uſurpari ſolet pro ſolio, vel Regis ſive Judicis tribunali.

℣. 18. Cecidit de sella retrorsum, juxta ostium. Vel ſella hæc dorſo carebat, vel una cum ſella ſupinus cecidit (15): triſte audiens de capta Arca nuncium, ægritudine animi defecit; cumque nemo adeſſet qui deficienti ſuccurreret: cecidit ſupinus; additque opportune Scriptura: *Senex enim erat vir & grandævus*. Hebræus (16): *Senex vir & gravis*; quæ non minima ejus lapſus cauſa fuit.

Diem

(1) 2. Par. XIII. 8. *Habebis grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos.* (2) Exod. XXV. 22. *Loquar ad te ſupra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt ſuper Arcam teſtimonii*. Vide & Num. VIII. 89. (3) Pſalm. XVII. 10. (4) Ezech. X. 1. 2. 5. & ſeq. & Eccli. XLIX. 10. (5) בא אלהים אל המחנה Septuag. Οὗτοι οἱ Θεοὶ ἥκασι πρὸς αὐτούς. Alius, Οὗτος ὁ Θεός. (6) מי יצילנו מיד האלהים האדירים האלה (7) Τίς ἐξελεῖται ἡμᾶς ἐκ χειρὸς τῶν Θεῶν τῶν στερεῶν τούτων. (8) Vatab. Deuſ. Mend. (9) Sanct. (10) Ita Septuag. Syr. Vat. Glaſſ. (11) Vide Herodot. lib. 2. & 8. Virgil. lib. 5. Catull. Nupt. Pelei & Thetid. Sueton. in Nerone c. 42. *Poſtquam Galbam & Hiſpaniam deſciviſſe cognovit . . . veſte diſciſſa, capite converberato actum de ſe pronunciavit*. Homer. Iliad. Σ. Et Odyſſ. Ω. (12) Septuag. Σκοπεύων. (13) 1. Reg. 1. 9. (14) Παρὰ τὴν πύλην σκοπεύων τὴν ὁδόν. (15) Mendoz. (16) זקן האיש וכבד Septuag. Πρεσβύτης ἦν ὁ ἄνθρωπος καὶ βαρύς.

Diem eſurialem in memoriam captivitatis Arcæ & mortis Heli conſtituerunt, ſed non ab ita veteri ætate, Judæi.

Judicavit Israel quadraginta annis. Septuaginta, & vetera quædam manuſcripta (1), & Patres nonnulli (2), qui ita legerunt in Septuaginta, habent viginti annos. Ut hos cum Hebræo conciliarent, reputarunt nonnulli, Summo Sacerdoti ſocium acceſſiſſe Samſonem in munere Judicis Iſraelis ſpatio viginti priorum annorum; vel forte Sacerdotem illum filios ſuos in partem dignitatis adſciviſſe viginti annis vitæ ſuæ ſupremis. Sed quæ neceſſitas laborandi ut ea difficultas tollatur, quæ nonniſi mendo debetur, in Textum Septuaginta inducto? Veteres Interpretes legerunt quadraginta, ut in Hebræo.

Diſſident Scriptores, quod judicium de Heli ejuſque æterna ſalute ferendum ſit. Patres & Interpretes, intuentes hinc quidem gravem illam animadverſionem, cui ſubmiſſus eſt, & quanta animi moderatione tum denunciata ſibi ore Samuelis Providentiæ conſilia, cum etiam expleta tulerit; quanto animi dolore exceperit nuncium de captivitate Arcæ fœderis, quam egerit vitam ſemper omni crimine vacuam: inde vero ſpectantes indignationem Dei, quæ graves adeo pœnas in eum omnemque ejus familiam cumulavit, ſegnitiem illam animi in corrigendis filiorum ſuorum criminibus, quæ ſane non latebant patrem, ea de re monitum per virum a Deo miſſum; quæ ſane crimina facillime reparare potuiſſet longo eo temporis intervallo, quod a prima illa Prophetæ, tum denuo a Samuele iterata admonitione, & prælium de quo hic, fluxit: ſilentium Scripturæ, ne verbo quidem reſipiſcentiam patris, & filiorum correctionem indicantis; varia hæc & inter ſe pugnantia, quibus veluti ſpiſſa caligine ipſa Heli perſona obvolvitur, expendentes, veritatis aſpectum & faciem ſatis videre non poſſe ſibi videntur. Iidem Patres (3), qui mortem viri exhibent tamquam reprobationis illius & damnationis argumentum (4), *Apud diſtrictum judicem ſemetipſum cum filiis crudeli damnatione percuſſit*; quique affirmare non dubitant, periiſſe illum una cum filiis in pœnam animi remiſſionis ac indolentiæ (5); iidem, inquam, Patres de ſanctitate Viri & vita ad recti normam traducta judicium ferunt apertiſſimum: *Propria vita juſtus, ſed authoritate paſtorali remiſſus*, ait S. Gregorius Magnus (6), qui & paulo inferius ſubdit: *Pro diſſolutione percuſſus, ſed pro præterita converſatione reſpectus*, S. Chryſoſtomus non ſemel (7) admirabilem ſenem & vitæ ſanctitate irreprehenſibilem appellat.

S. Cæſarius Arelatenſis (8) hominem non ambigua ſententia damnat: *Quia illos* [filios] *non cum grandi ſeveritate diſtrinxit . . . . nomen ejus de libro vitæ deletum eſt*. Petrus Damiani (9) duo in hominem damnationem induxiſſe tradit, & nimiam lenis animi remiſſionem, & crimina filiorum. Denique S. Ephrem in Libro inſcripto, Apologia Heli, acriter hunc Sacerdotem arguit, damnatque de neglecto ſtudio cultus & honoris Dei, quippe qui præpoſteram illam in filios indulgentiam non exuerit, atque peccantes illos reprehenderit, potius ut furenti in illos populo faceret ſatis, quam ut horrore ſcelerum ageretur; ſe denique incorrigibilem præſtiterit poſt minas, quibus a Deo ore Samuelis territus fuit. His addi poſſent S. Baſilius, S. Hieronymus, S. Eucherius, Venerabilis Beda, Rupertus Abbas, & ex Recentioribus alii (10), Sacerdotem hunc perinde habentes ac reprobum & impium, cujus vitæ impœnitenti par exitus reſponderit.

Sed ex recentioribus Commentariorum Scriptoribus plerique æquiora de viro judicantes cenſent, nonniſi per injuriam, nimiamque animi ſeveritatem damnari hominem poſſe. Lyranus, Dionyſius Carthuſianus, Toſtatus, Cajetanus, Serrarius, Sanctius, Mendoza, Cornelius a Lapide, Petrus Martyr, Uvilletus, aliique nonnulli, morte viri & pœnis, quas a Deo paſſus eſt, præteritæ vitæ crimina expiata fuiſſe docent, ac morte juſti functum, æterna Juſtorum corona donari. In rem præſentem expenditur viri pro Arca Domini ſtudium, & pro capta mœſti ejus cordis anguſtiæ: additur illa Divinis juſſionibus mira ſubmiſſio: laudatur viri ſilentium, quo duriſſimas minas atque exprobrationes ſine querela vel excuſatione accepit. Nec æque tulit nec probavit rationem vitæ a filiis ſuis actæ: in partem ſceleris illorum non venit, quin & horruit illorum crimina, verbiſque caſtigavit; mitius quidem quam res poſceret, ſed præpoſteræ indulgentiæ dignas pœnas morte ſua & filiorum luit. In denſa hac variarum opinionum ſylva, in re adeo obſcura hic ſubſiſtere præſtat, atque officioſo ſilentio latentia Dei judicia venerari.

℣. 19. Incurvavit se et peperit. Interpretes quidam (11): *Gemuit & peperit*. Septuaginta: *Ploravit & peperit*. Sed Vulgatæ interpretatio cæteris præſtat.

℣. 20. Non respondit eis, neque animadvertit. Verbis loquentium non intendit, vel ſpeciem non audientis exhibuit (12): ſtatim illa tamen filio ſuo nomen impoſuit *Icabod* אי כבוד, quod argumentum eſt doloris illius, & animi ob gravem jacturam totius Iſraelis, & privatam familiæ ſuæ percuſſi. Nomen *Icabod* אי כבוד ſignificare poteſt ad literam, *Ubi eſt gloria* (13)? Vel, *Non eſt gloria* (14); vel denique (15): *Væ gloriæ*. Porro gloriæ nomine innuit mulier Arcam fœderis, in Scriptura interdum appellatam gloriam Iſraelis, ut (16): *Domus ſanctificationis noſtræ, & gloriæ noſtræ, ubi laudaverunt te patres noſtri*. Et (17): *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*.

℣. 21. Et pro socero suo, et pro viro suo, qui ambo privata erant mulieris illius gloria, uti Arca communis totius Iſraelis, & privata familiæ ipſius. Nomen autem *Icabod*, *Ubi gloria?* filio ſuo tribuens, indicat & privatam ſuam & publicam totius gentis in captivitate Arcæ jacturam.

(1) Vide edit. Nobilii. (2) Lucifer, Euſeb. in Chronico, Chryſoſt. Sulpic. Sever. Procop. Vide Mendoz. (3) Greg. Mag. lib. 2. in Reg. cap. 4. *Quem* [Heli] *omnipotens Deus ſui examinis tanta diſtrictione reprobavit*. (4) Idem, Paſtoral. 3. part. cap. 11. (5) Chryſoſt. lib. 3. contra Vituperatores vitæ Mon. (6) Greg. lib. 5. in Reg. cap. 14. (7) Chryſoſt. homil. 17. in Matth. & homil. 28. ad popul. & lib. 3. apud Vitup. vitæ Mon. (8) Homil. 15. in Bibl. PP. (9) Petr. Damian. Opuſc. 8. (10) Vide Mendoz. in hunc loc. num. 18. ſect. 3. & autores ab eo citatos. Item Cornel. a Lapid. (11) ותכרע Septuag. Ἔκλαυσε. Alius. Ἐστέναξε. Aq. Ἐκάμφθη. Sym. Ὤκλασε. Inclinavit ſe. (12) Vatab. Piſc. (13) Ubi אי Var. Druſ. Munſt. Piſc. (14) אי pro אין non. (15) אי Væ Eccle. x. 16. Ita Mendoz. (16) Iſai. lxiv, 11. (17) Pſalm. xxv. 8.

CAPUT V.

Arca Domini in Templo Dagonis conſtituitur, cujus Idolum dejicitur conteriturque coram illa. Philiſthæi fœdo morbo multati, Arcam remittere coguntur.

V. 1. PHiliſthiim autem tulerunt arcam Di, & aſportaverunt eam a Lapide adjutorii
in Azotum. 2. Tuleruntque Philiſthiim arcam Dei, & intulerunt eam in
templum Dagon, & ſtatuerunt eam juxta Dagon. 3. Cumque ſurrexiſſent diluculo A-
zotii altera die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini: & tulerunt
Dagon, & reſtituerunt eum in locum ſuum. 4. Rurſumque mane die altera conſur-
gentes, invenerunt Dagon jacentem ſuper faciem ſuam in terra coram arca Domini:
caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ ſunt ſuper limen: 5. Porro
Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo. Propter hanc cauſam non calcant ſacerdo-
tes Dagon, & omnes, qui ingrediuntur templum ejus, ſuper limen Dagon in Azoto,
uſque in hodiernum diem. 6. Aggravata eſt autem manus Domini ſuper Azotios &
demolitus eſt eos: & percuſſit in ſecretiori parte natium Azotum, & fines ejus. Et e-
bullierunt villæ, & agri in medio regionis illius, & nati ſunt mures, & facta eſt con-
fuſio mortis magnæ in civitate. 7. Videntes autem viri Azotii hujuſcemodi plagam,
dixerunt: Non maneat arca Dei Iſrael apud nos; quoniam dura eſt manus ejus ſuper
nos, & ſuper Dagon deum noſtrum. 8. Et mittentes congregaverunt omnes ſatrapas
Philiſthinorum ad ſe, & dixerunt: Quid faciemus de arca Dei Iſrael? Reſponderuntque
Gethæi: Circumducatur arca Dei Iſrael. Et circumduxerunt arcam Dei Iſrael. 9. Il-
lis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per ſingulas civitates interſe-
ctionis magnæ nimis: & percutiebat viros uniuſcujuſque urbis, a parvo uſque ad ma-
jorem, & computreſcebant prominentes extales eorum. Inieruntque Gethæi conſilium,
& fecerunt ſibi ſedes pelliceas. 10. Miſerunt ergo arcam Dei in Accaron. Cumque
veniſſet arca Dei in Accaron, exclamaverunt Accaronitæ, dicentes, Adduxerunt ad
nos arcam Dei Iſrael, ut interficiat nos, & populum noſtrum. 11. Miſerunt itaque,
& congregaverunt omnes ſatrapas Philiſthinorum: qui dixerunt: Dimittite arcam Dei
Iſrael, & revertatur in locum ſuum, & non interficiat nos cum populo noſtro. 12.
Fiebat enim pavor mortis in ſingulis urbibus, & graviſſima valde manus Dei: viri
quoque qui mortui non fuerant, percutiebantur in ſecretiori parte natium: & aſcende-
bat ululatus uniuſcujuſque civitatis in cœlum.

V. 1. PHILISTHIIM TULERUNT ARCAM DEI, Mirari ſubit, cur Deus qui tanto ſtudio gloriam ſuam tuetur, quique olim graviter adeo multaverat Ozam (1), auſum tangere Arcam, quæ lapſum minitabatur, & Bethſamitas (2), qui nudam illam aſpicere præſumpſerant; quique etiam capitali lege vetuerat (3), ne Levitæ contingerent vaſa ſacra, antequam velaminibus ſuis tegerentur, cur, inquam, Deus paſſus ſit, ut ſacrum illud depoſitum in Philiſthæorum manus deveniret, ab illis tangeretur, & tamquam ſpolia triumphi in regionem ipſorum transferretur. Sed duo hic animadvertenda ſunt; I. interdictum tangendi Arcam ad Philiſthæos non pertinere; nihil eſt igitur mirum, ſi Deus nulla pœna affecit violatores legis, quam ſive ignorabant, ſive cui non ſubdebantur. II. Profanationem quam Deus punivit in Iſraelitis, tangentibus ſive audaci oculo Arcam Dei ſui aſpicientibus, nullam eſſe penes eos, qui nec in eamdem cum Iſraelitis fidem conveniebant, neque idem de Numine Iſraelitarum ſentiebant. Deum hunc reſpiciebant Philiſtei perinde ac cæterarum gentium Numina, rati, nullam habere authoritatem niſi in populum ſuum, quem tum tueretur ac defenderet, cum a validiori Numine non prohiberetur, ſive ab iis non provocaretur, qui cultum ſuum profitebantur. Addi poſſet, victoriam a Deo Philiſtæis conceſſam argumentum eſſe roboris ejus Numinis potius quam imbecillitatis; atque ſi Arca ſua privari Hebræos in pœnam criminis paſſus eſt, demonſtravit tamen Philiſtæis, habere ſe æque in manu & victores & victos, Hebræos & Philiſtæos, ac Philiſtæorum quæ vocabant Numina: quare ea captivitas gloriam ejuſdem Numinis æque apud utrumque populum auxit.

A LAPIDE ADJUTORII IN AZOTUM. Jam (4) animadvertimus, caſtra Iſraelitarum ad Lapidem adjutorii poſita fuiſſe: quare neceſſe eſt, Philiſteos Arcam inveniſſe in caſtris poſt cladem fugamque Iſraelitarum, & Sacerdotes Ophni ac Phineem poſt prælium eo ſeceſſiſſe: niſi malueris, capta Arca prope caſtra, locum hujus capturæ deſignatum fuiſſe ex altero loco maxime omnium propinquo (5). Azotus ex urbibus præcipuis Philiſtæorum eſt, quam ſtatuunt alii quidem inter Gazam & Aſcalonem, alii inter Aſcalonem & Accaronem: adeo parum notus eſt ſitus certus veterum Urbium Palæſtinæ.

V. 2. INTULERUNT EAM IN TEMPLUM DAGON. In Diſſertatione de Numinibus Philiſtæorum demonſtrare conati ſumus, Dagonem idem eſſe Numen ac Derceto, Atergatim; Venerem Aſcaloniticam, & Lunam, quæ alibi a nobis dicta, putide hic repeteremus. Diſſident Interpretes, dum quærunt, cur Philiſtei Arcam in Templo Dagonis collocarint.

(1) 2. Reg. VI. 7. 8. (2) 1. Reg. VI. 19. (3) Num. IV. 18. (4) 1. Reg. IV. 1. (5) Mendoz.

Sunt qui (1) in probrum Dei Iſraelis id ab hoſtibus commiſſum arbitrentur, quaſi ſcilicet Deum illum captivum deduxerint coram Dagone triumphante, Deum nempe imbecilliorem coram validiore: ſtatuunt illi Arcam veluti trophæum victoriæ ſuæ, quemadmodum alibi oblata eidem Numini legimus ſacrificia in gratiarum actionem, ob traditum manibus ſuis Samſonem captivum (2): uti perſimili exemplo arma Saulis in Templo Aſtaroth (3) ſuſpenſa ſunt, ut perpetuum eſſent monumentum cum virtutis ejus gentis, tum præſtiti a Diis auxilii. Nemo equidem ignorat, omnem antiquitatem conſecraſſe Diis ſuis ſpolia ex hoſtibus relata: in Templa inferebantur arma devictorum, ſuſpendebantur foribus & in atriis Numinum. Neque idem mos latuit Palæſtinos; David enim appendit in Tabernaculo Domini gladium Giganti Goliath a ſe detractum.

Docent alii (4), Philiſthæos plenos obſequio rei ſanctiſſimæ, nullum illi digniorem locum conſtituere ſe poſſe ratos, Templum illi decreviſſe, quin & Aram ipſam & parem gradum cum Dagone. Terror ille, qui animos illorum inceſſerat, ut adventum Arcæ in caſtra Iſraelis audierunt, ſatis demonſtrat, qua tenerentur Numinis Hebræorum opinione. Profecto ſi nihil aliud conſilii habuiſſent, quam Arcam tamquam unum e vulgaribus monumentis in Templo ſuo conſtituere, cur illi honeſtum adeo locum ad latus Dagonis conſtituiſſent?

℣. 3. Cumque surrexissent diluculo . . . Ecce Dagon jacebat pronus. Quod legimus, Azotios ſummo mane ſurrexiſſe, id citra omne myſterium credimus; eſt enim hæc familiaris Scripturæ phraſis, ut indicet ea, quæ mane alterius diei acciderunt. Dagon proſtratus, ac more ſupplicis victique, prono in terram ore, ſatis eo habitu demonſtrabat populis ſupremam Dei Iſraelis in ſeſe poteſtatem,

℣. 4. Rursumque mane die altera. Veteres quidam (5) putarunt, per plures ſuccedentes dies Dagonem coram Arca dejectum occurriſſe ingredientibus; Scripturam vero nonniſi primum illum diem & poſtremum expreſſiſſe, utpote quod major ſolito tunc dejectio appareret. Quod tamen huic interpretationi faveat, in Textu nihil occurrit.

℣. 5. Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Simulacbri hujus corpus perſeverabat ſuper baſim; caput & brachia a reliquo corpore avulſa jacebant ſuper limen. Pedes & reliqua corporis extrema humi projecta jacuiſſe ferunt Septuaginta (6): ſed Hebræus ſilet; id autem ſi admittamus, quomodo Dagon ſuper baſim ſuam perſeveravit? Hinc nihilominus oſtenditur, eos Interpretes ita ſibi exhibuiſſe Dagonem, tamquam Numen pedibus manibuſque inſtructum; quare ſi piſcis figuram referebat, eorum piſcium formam retuliſſe neceſſe eſt, qui pedibus utuntur, uti phocarum:

Definat in piſcem mulier formoſa ſuperne (7).

Textus Hebræus ad literam (8): *Dagon tantum remanſerat ſuper illum*, vel ſuper ſe; vel nominis Dagon literali ſignificatione accepta, *Piſcis tantum remanſerat ſuper eum*. Nihil illi remanſerat, niſi piſcis imago, avulſo capite & manibus; quæ poſterior ſententia frequentes habet authores (9). Alii ita accipiunt: Dagon inventus eſt humi, uti diebus precedentibus, dejectus coram Arca, hoc tamen cum diſcrimine, quod caput & manus haberet longe a corpore & ſuper limen projectas (10).

Propter hanc causam non calcant Sacerdotes Dagon . . . . super limen Dagon. Permittit Deus, ut Philiſthæi proprio conſilio ſtatuant ritum, qui imbecillitatem Numinis ſui perenni monumento teſtetur (11); cum naturali ratione ducere deberent, Dagonem Numen eſſe futile & inane, in errore ſuo & ſuperſtitione perſeverarunt. Judæi quidam ſuperſtitione Philiſthæorum infecti, vel ipſa Sophoniæ ætate, id ſervabant, ne calcarent limen Templi Dagonis; ita enim exponuntur verba illa Prophetæ 1. 9. *Viſitabo in die illa ſuper omnem qui ingreditur ſuper limen*. Vel, juxta Hebræum: *Viſitabo ſuper omnem tranſilientem ſuper limen*. Nec a limine tantum hujus Numinis continebant ſe Veteres Pagani: eodem etiam obſequii genere aliorum Templorum limina obſervabant; quin & oſculis illa & cultu proſequebantur: *Tarpeium limen adora*, ait Juvenalis Satyra VI. & Tibullus (12):

Non ego, ſi merui, dubitem procumbere Templis,
Et dare ſacratis oſcula liminibus,

Veteres Chriſtiani oſcula imprimebant liminibus ſacrarum Apoſtolis & martyribus (13) Eccleſiarum. Limina forium Veſtæ ſacra erant apud Romanos: hujus Numinis tantum erat obſequium, ut nova nupta ad mariti ædes ſe primum conferens, limen ædium contingere non permitteretur (14):

Tranſlata vetuit contingere limina planta.

Porro nonniſi per ſummum nefas limen tunc tactum fuiſſet, violata ſanctitate Numinis, quod caſtitatem amare quam maxime credebatur: *Ne a ſacrilegio conjugium inchoaret, ſi calcaret limen, Veſtæ Numini caſtiſſimo conſecratum* (15). Perſæ hodie pariter pedibus tangere verentur limina quarumdam Moſchæarum, quæ argento plerumque veſtiuntur (16). Nefas eſt apud illos nonniſi graviſſimis pœnis expiandum, limina illa contingere. Si quis a Rege beneficio aliquo extraordinario donatus fuerit, ſtatim ad Aulam ſe confert, & niſi Regem nactus fuerit, oſculum figit limini ædium, quod totum conſtat ex ingenti lapide porphyretico viridi, quem calcare pedibus nemo audet (17).

Usque in hodiernum diem; uſque ad tempus, quo Author hujus libri ſcribebat; nec tamen hoc indicio tempus illud magis noſcimus: id tantum indicari videtur, ſcripſiſſe illum ætate poſt rem hanc geſtam ſatis remota. Si Textum illum Sophoniæ, quem recitavimus, Philiſthæorum mores arguere certum eſſet, ſuperſtitionem illam ad Regnum uſque Joſiæ perſeveraſſe conſtaret. Sed alias conjecturas in eumdem Textum dedimus.

℣. 6. Percussit in secretiori parte natium. Diſſidium eſt ingens de genuina ſignificatione vocum originalium ויך אתם בעפלים. Plerique cum Septuaginta (18) & Vulgata dictum explicant de morbo quodam in natibus. Innuit eum morbum non obſcure Pſalmus LXXVII. 66. *Percuſſit inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit eis*. Sed morbum hunc alii quidam exponunt de morbo hæmorrhoidali (19); alii (20) de dyſenteria; alii de fico, qui caruncula eſt excreſcens ad anum; alii tandem de fiſtula. Sunt qui (21)

morbi

(1) Lyr. Tirin. Cornel. a Lapid. Procop. Martyr, Menoch. (2) Judic. XVI. 23. (3) 1. Reg. XXXI. 10. (4) Mendoza, Sanctius, &c. (5) Joſeph. Antiq. l. 6. c. 1. Πεσόντα δὲ εὑρόντες τὸν Δαγὼν, καὶ καταλαμβάνοντες ὅμοιον ὄντι τῷ προσκυνοῦντι τὴν κιβωτὸν σχήματι κείμενον, &c. Theodor. orat. 1. in Daniel. (6) Καὶ ἡ κεφαλὴ Δαγὼν, καὶ ἀμφότερα τὰ ἴχνη τῶν ποδῶν αὐτοῦ ἀφῃρημένα. (7) Horat. de Art. Poet. initio. (8) רק דגון נשאר עליו (9) Manſt. Jun. Vat. (10) Sanct. Tirin. (11) Grot. (12) Tibul. lib. 1. Eleg. 2. Vide Mendoz. hic. (13) Prudent. Hym. de ſancto Romano. (14) Lucan. lib. 2. (15) Varro. (16) Tavernier, Voyage de Perſe liv. 1. c. 5. p. 35. & liv. 2. c. 5. p. 270. (17) Chardin, Gouvernement des Perſes c. 3. p. 220. (18) Septuag. Καὶ ἐπάταξεν αὐτοὺς εἰς τὰς ἕδρας αὐτῶν. (19) Jun. Grot. Diuſ. Heb. pleriquc. (20) Arab. Jon. in Gros. Lyr. Joſeph. lib. 6. c. 1. Τὸ τῆς δυσεντερίας πάθος. Ita nos. cod. Reg. in nov. edit. Hexapl. Ἀκύλας ἐξέδωκε, καὶ ἐσαπρύνθησαν αὐτῶν αἱ ἕδραι. Ἀνέπεσον δὲ ἐπὶ δυσεντερίαις, ὑπόστασιν ποιήματι λύσαν γαστρὸς, ὅσα ἀκατασχέτως ἔχει. (21) Symmach. Παρέλυσε τὰς ἕδρας. Vat. Boch. Caſtal.

Digitized by Google

morbi genus hoc appellent cendyloma, quo podex procidens, loco ſuo dimovetur. Malunt quidam exponere de cancro vel lue venerea (1). Id quodcumque eſt morbi, ortum in Philiſthæis credit Euſebius (2) ex probroſa voluptate, atque neſando ejus membri abuſu. Conſtat utique, violentum fuiſſe morbum, cum dolores adeo intolerabiles pareret, ut miſeros homines alte ejulare (3), quin & mori tandem cogeret. Viri quidam docti cenſent, Philiſthæos a Deo ſuo inflictum morbum cenſuiſſe, quem morbum hic exhibet Scriptura velut a Deo in pœnam detentæ Arcæ immiſſum. Equidem Herodotus (4) narrat, Scythas reos direpti Templi Aſcalonis, pœnas ab irato Numine luiſſe, relato in ſe & ad poſteros tranſmiſſo morbo, qui hæmorrhoidum fuiſſe creditur. Tradit Ariſtophanes (5), myſteria Bacchi ad ſe primum delata minus religioſe excepiſſe Athenienſes, ſtatimque ſceleris dediſſe pœnam fœdo morbo multatos, quo nunquam convaluere, niſi formatis ſibi ex Oraculi admonitu obſcœnis quibuſdam imaginibus, quas & conſecrarunt & in honorem Bacchi circumtulerunt.

Et ebullierunt villæ et agri, et nati sunt mures. Verba hæc & ſequentia deſunt in Hebræo, Chaldæo, editionibus Septuaginta Polyglottorum Complutenſium & Pariſienſium, denique in Verſionibus Syriacis & Arabicis. Fruſtra etiam quæras in pluribus Codicibus Latinis. Robertus quidem Stephanus, & Theologi Lovanienſes retinuerunt in ſuis editionibus, ſed notarunt obelo, veluti Textus additamenta. P. Martianæus, author novæ Editionis S. Hieronymi, ex fide plurium veterum & Optimorum manuſcriptorum, expunxit e Canone Hebraicæ veritatis. Docet inſuper, in pluribus recentioribus Codicibus verſionis S. Hieronymi, Textum hunc legi integrum, a reliquo Textu nulla diſtinctionis nota ſejunctum; ſed in aliis Codicibus vetuſtioribus id plerumque ſervatum eſſe, ut ſive demerentur ea quæ deerant in Hebræo, vel diſtinguerentur obelo, monente, aliena hæc eſſe & addita Textui. Denique Codices pletique Septuaginta & Vulgatæ omnes hæc totidem verbis referunt, nec ſane dubitari poteſt, quin congruant adamuſſim cum hiſtoriæ veritate: ſequenti enim capite ℣. 4. 5. legimus, Philiſtheos, ut ſe tuerentur ab infeſtatione murium, omnem regionem vaſtantium, aureas murium imagines ad latera Arcæ condidiſſe.

Cæterum infeſtationem hanc murium non una Philiſthæorum regio paſſa eſt (6). Murium turmæ Hiſpaniæ regiones vaſtarunt, & aerem interdum corrupere. Romani olim Cantabriæ domini quodam præmio donabant eos, qui certum murium numerum attuliſſent. Fama eſt (7), incolas Inſulæ Gyari, quæ una ex Cycladibus eſt, ac gentes nonnullas Troadis atque Italiæ, coactas olim fuiſſe regionem ſuam deſerere, quam ingens murium exercitus infeſtabat. Verum ne a Philiſthæis recedamus, narrat Bellonius (8), inter Gazam primam Palæſtinæ Urbem, & Belbam, Ægypti poſtremam, integra ſibi arva occurriſſe, quæ ingens murium copia penitus vaſtaverat, atque habitatoribus viduarat: & niſi conſuluiſſet opportune natura, quaſdam in regionibus illis aves creans, *Boudrès* appellant, quæ bello mures petunt, vix nata ſemina illi ſtatim vorarent.

℣. 8. Omnes Satrapas. Hebræus כל סרני פלשתים *Omnes Sarenim*, quibus idem eſt nomen, ac Surenis, dignitatis apud Perſas appellationi. Vide Judices III. 3.

Responderunt Gethæi: Circumducatur Arca Dei. Ex hoc Textu quidam (9) colligunt, urbem Geth inter Philiſtæas primum locum obtinuiſſe: ſed collectionis hujus vim plane non percipio, neque enim conſtat, urbem hanc primam omnium ſententiam ſuam de re propoſita tuliſſe; idque ſi conſtaret, an princeps idcirco dicenda eſſet? Reddi poſſet Hebræus (10) alio ſenſu, longe diverſo a Vulgata: *Reſponderunt: Ducatur in Geth Arca Dei Iſrael* (11). In hanc interpretationem conceſſerunt Septuaginta (12): *Tranſeat Arca Dei: & tranſiit Arca Dei in Geth*. Sed Vulgatæ expoſitio pronior videtur; non enim ſatis luculenter exprimit Textus, Arcam in Geth conſtitutam fuiſſe. Theodoretus (13) & Procopius animadvertunt, Philiſtæis facile primum in mentem veniſſe, mala hæc ſibi e naturalibus cauſis, puta e corrupto aere, inducta fuiſſe; idque ut perſuaderent Azotiis, ſtatuiſſe Arcam per Urbes Provinciæ circumducere.

℣. 9. Computrescebant prominentes extales. Idem eſt morbus, de quo ſupra ℣. 6. Hebræus legit (14): *Et abſconditus erat anus eorum*. Affecti ſunt morbo hæmorrhoidum, intimo & latenti (15), ex quo utique dolor major & gravior pernicies. Aliter: *Et morbus iſte latebat illos* (16). Nihil tale unquam experti fuerant, cui remedium nullum erat adhuc ſive ab arte, ſive ab experientia.

Et fecerunt sibi sedes pelliceas, ut mollius ſedentes, moleſtiam utcumque levarent. Veteres minus quam nos delicati, & minus in commoda ingenioſi, nihil habebant mollius, ubi ſederent, quam pelles hœdorum vel boum, ſuper ſedilia lapidea vel lignea ſtratas. Vulgo autem ſedebant ſuper nudum lapidem vel lignum: honoris vero vel mollius ſedendi gratia, interdum ſedili imponebatur linea veſtis vel pellis. Procos Penelopes (17) exhibet Homerus dum talis ludunt, ſedentes ſuper pelles boum, quos ipſi per ſe mactaverant. Piſiſtratus (18) filius Neſtoris, ſedere jubet Telemachum ſuper pelles ovium: & Penelope (19) menſæ aſſidet in ſella, tecta lineo mundo, & ſcite elaborato. Cæterum hic locus non legitur niſi in Vulgata nonnulliſque editionibus Septuaginta (20); deeſt enim in Hebræo, Chaldæo & Editionibus Septuaginta Antuerpienſi & Pariſienſi. Occurrunt in Libris Regum loca non rara, quæ e Textu Græco in Vulgatam tranſlata ſunt.

℣. 10. Accaron una erat e maximis urbibus Philiſtæorum, ſita ad Mediterraneum, inter Azotum & Jamniam.

Exclamaverunt Accaronitæ, facile Principes, & Magiſtratus, queruntur enim: *Adduxerunt ad nos Arcam Dei Iſrael, ut interficiat nos & populum noſtrum.*

(1) Vide Cornel. a Lapide hic. Aquil. Τὸ τῆς φαγεδαίνης ἕλκος. (2) Euſeb. in Pſalm. LXXVII. 66. Ὄνειδος γὰρ ἦν τι τοιοῦτον εἶδος πληγῆς αὐτοῖς, οἱ τὸ ἀσελγαίνοντες ἐν ἐκείνοις τοῖς μέρεσι. (3) ℣. 12. *Aſcendebat ululatus uniuſcujuſque civitatis in cœlum.* (4) Herodot. l. 1. c. 105. Τοῖσι δὲ τῶν Σκυθέων . . . . καὶ τοῖσι τούτων αἰεὶ ἐγγόνοισι ἐνέσκηψε ὁ Θεὸς θήλεαν νοῦσον. (5) Ariſtophan. Acharn. act. 2. ſcen. 6. (6) Strabo lib. 3. pag. 165. (7) Plin. lib. 8. cap. 29. Ælian. lib. 17. c. 4. Diodor. Sicul. Rutil. Ruf.

Dicuntur cives quondam migrare coacti
Muribus infeſtos deſeruiſſe Lares.

(8) Bellon. Obſerv. l. 2. c. 75. (9) Mendoz. (10) ויאמרו גת יסב ארון אלהי (11) Vat. Druſ. Mont. Syr. &c. (12) Μετελθέτω δὲ ἡ κιβωτὸς τοῦ Θεοῦ. καὶ μετῆλθεν ἡ κιβωτὸς τοῦ Θεοῦ Ἰσραὴλ εἰς Γέθ. (13) Theodoret. qu. 10. (14) וישתרו להם עפלים (15) Vat. Druſ. Boch. &c. (16) Grot. hic.

(17) Odyſſ. A. Ἥμενοι ἐν ῥινοῖσι βοῶν οὓς ἔκτανον αὐτοί.
(18) Odyſſ. Γ. . . . . . . Καὶ ἵδρυσεν παρὰ δαιτὶ
Κώεσιν ἐν μαλακοῖσιν, ἐπὶ ψαμάθοις ἁλίῃσι.
(19) Odyſſ. A. Αὐτὴν δ᾽ ἐς θρόνον εἷσεν ἄγων, ὑπὸ λῖτα πετάσσας
Καλὸν, δαιδάλεον . . . . . .
(20) Edit. Rom. Ἕδρας. Theodnt. Ἕδρας χηρῶν.

CAPUT VI.

Arca, additis muneribus, a Philiſthais remittitur. Pervenit in agrum Bethſamiticum. Coram illa Holocauſta Deo offeruntur. Bethſamitæ plures, curioſius inſpecta Arca, interficiuntur. Bethſamitæ rogant cives Cariath-Jarim, ut Arcam ad ſe transferant.

℣. 1. FUit ergo arca Domini in regione Philiſthinorum ſeptem menſibus. 2. Et vocaverunt Philiſthiim ſacerdotes, & divinos, dicentes: Quid faciemus de arca Domini? indicate nobis, quomodo remittamus eam in locum ſuum. Qui dixerunt: 3. Si remittitis arcam Dei Iſrael, nolite dimittere eam vacuam, ſed quod debetis, reddite ei pro peccato, & tunc curabimini, & ſcietis, quare non recedat manus ejus a vobis. 4. Qui dixerunt: Quid eſt, quod pro delicto reddere debeamus ei? Reſponderuntque illi: 5. Juxta numerum provinciarum Philiſthinorum, quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos: quia plaga una fuit omnibus vobis, & ſatrapis veſtris. Facietiſque ſimilitudinem anorum veſtrorum, & ſimilitudines murium, qui demoliti ſunt terram, & dabitis Deo Iſrael gloriam: ſi forte relevet manum ſuam a vobis, & a diis veſtris, & a terra veſtra. 6. Quare aggravatis corda veſtra, ſicut aggravavit Ægyptus, & Pharao cor ſuum? nonne poſtquam percuſſus eſt, tunc dimiſit eos, & abierunt? 7. Nunc ergo arripite, & facite plauſtrum novum unum: & duas vaccas fœtas, quibus non eſt impoſitum jugum, jungite in plauſtro, & recludite vitulos earum domi. 8. Tolletiſque arcam Domini, & ponetis in plauſtro, & vaſa aurea, quæ exſolviſtis ei pro delicto, ponetis in capſellam ad latus ejus: & dimittite eam, ut vadat. 9. Et aſpicietis: & ſiquidem per viam finium ſuorum aſcenderit contra Bethſames, ipſe fecit nobis hoc malum grande: ſin autem, minime: ſciemus, quia nequaquam manus ejus tetigit nos, ſed caſu accidit. 10. Fecerunt ergo illi hoc modo: & tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, junxerunt ad plauſtrum, vituloſque earum concluſerunt domi. 11. Et poſuerunt arcam Dei ſuper plauſtrum, & capſellam, quæ habebat mures aureos, & ſimilitudinem anorum. 12. Ibant autem in directum vaccæ, per viam, quæ ducit Bethſames, & itinere uno gradiebantur, pergentes, & mugientes: & non declinabant, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram: ſed & ſatrapæ Philiſtiim ſequebantur uſque ad terminos Bethſames. 13. Porro Bethſamitæ metebant triticum in valle: & elevantes oculos ſuos, viderunt arcam, & gaviſi ſunt, cum vidiſſent. 14. Et plauſtrum venit in agrum Joſue Bethſamitæ, & ſtetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plauſtri, vaccaſque impoſuerunt ſuper ea holocauſtum Domino. 15. Levitæ autem depoſuerunt arcam Dei, & capſellam, quæ erat juxta eam, in qua erant vaſa aurea, & poſuerunt ſuper lapidem grandem. Viri autem Bethſamitæ obtulerunt holocauſta, & immolaverunt victimas in die illa Domino. 16. Et quinque ſatrapæ Philiſthinorum viderunt, & reverſi ſunt in Accaron in die illa. 17. Hi ſunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philiſthiim pro delicto Domino: Azotus unum, Gaza unum, Aſcalon unum, Geth unum, Accaron unum. 18. Et mures aureos ſecundum numerum urbium Philiſthiim, quinque provinciarum, ab urbe murata uſque ad villam, quæ erat abſque muro, & uſque ad Abel magnum, ſuper quem poſuerunt arcam Domini, quæ erat uſque in illum diem in agro Joſue Bethſamitis. 19. Percuſſit autem de viris Bethſamitibus, eo quod vidiſſent arcam Domini: & percuſſit de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Luxitque populus, eo quod Dominus percuſſiſſet plebem plaga magna. 20. Et dixerunt viri Bethſamitæ: Quis poterit ſtare in conſpectu Domini Dei ſancti hujus? & ad quem aſcendet a nobis? 21. Miſeruntque nuntios ad habitatores Cariathiarim, dicentes: Reduxerunt Philiſthiim arcam Domini, deſcendite, & reducite eam ad vos.

℣. 1. VOCAVERUNT SACERDOTES ET DIVINOS כהנים וקסמים. Divinatio & auguria familiariſſima erant apud omnes Orientales; hanc autem ſuperſtitionem ex Ægyptiis facile acceperant Philiſthæi. Non ſatis aperte definiri poteſt, utrum Sacerdotes apud illos artem divinandi, ac futura prædicendi profiterentur: id tamen non ſine veri ſpecie reputaverimus, eum idem mos apud omnes fere gentes obtineret. Hanc artis profeſſionem agebant Sacerdotes, cum magica & ſuperſtitioſa callerent.

℣. 3. NOLITE DIMITTERE EAM VACUAM. Non conſulunt Sacerdotes, utrum Arca remittenda ſit; id enim conſilii per ſe ipſos jam ceperant (1); ſed petunt, a

(1) Cap. præced. ℣. 11. *Dimittite Arcam Dei Iſrael, & revertatur in locum ſuum.*

petiine, quomodo id perficiendum eſſet, integra religione. Conſtat autem ex Hiſtoria, conſilium remittendæ Arcæ non ita certum ſediſſe illorum mentibus, ut omnem abjeciſſent dubitationem, ex ſe plagæ naturali cauſa inductæ fuiſſent. Porro Sacerdotes & Magi utrique difficultati reſpondent. Priori quidem, Arcam indonatam remitti non oportere, ſed additis muneribus, quæ expiationis loco eſſent, ſi quid peccatum in ejus ſanctitatem fuiſſet toto eo tempore, quo ſacrum Depoſitum in regione perſeveravit. Alteri vero, hæc omnia a Deo vindice immiſſa procul dubio eſſe: quod ſi adhuc ea de re dubitarent, facile amoveri eam dubitationem poſſe, junctis ſub eodem plauſtro, cui Arca imponenda erat, duabus vaccis, quæ ſi recta currum traherent in ditionem Iſraeliticam, neglectis vitulis ſuis, in aliqua Urbe Philiſthæorum detentis, illud prodigium apertiſſimum veritatis argumentum haberetur.

Sed cur additis muneribus Arca remittenda erat? Communis eſt gentibus omnibus opinio, ſupremum Numen noſtri penitus non indigere, adhuc tamen noſtra omnia exigere. Quæ ratio probat ſupremam ac abſolutam illius authoritatem infinitam, ipſumque ſibi ſufficere: probat pariter, ſubjectionem noſtram atque neceſſitatem, ſervitutem hanc agnoſcendi oblatione rerum, quibus veluti tributis ejus Imperium agnoſcamus. Hæc autem validius impreſſa erant apud gentes, aſſuetas nunquam ſiſtere ſe coram Deo vel Rege, manibus munere vel oblatione vacuis. Huic populorum ſeu mori, ſeu perſuaſioni accommodare ſe idem Iſraelis Deus voluit, ſtatuens (1): *Non apparebis in conſpectu meo vacuus.*

℣. 5. JUXTA NUMERUM PROVINCIARUM &c. QUINQUE ANOS AUREOS. Philiſthæorum ditio in quinque Provincias utique non diſtinguebatur; tota enim intra modicum terrarum ſpatium comprehenſa; nihil magis quam unicam juſtam Provinciam reddebat. Sed quinque in ea erant urbes majores, ſingulis Satrapis, vel Principibus ſubditæ: quare Textus Hebræus fere tantum מספר סרני פלשתים *Juxta numerum Satrapum Philiſthæorum.* Quinque igitur imagines anorum, & totidem murium aureorum formatæ ſunt; quæ omnia condidere in arcula poſita ad latus Arcæ fœderis, ut eſſent veluti monumentum, quo agnoſcere ſe profiterentur, plagas illas, quibus infecti ſunt, a Deo ſeſe excepiſſe, nec ab alio morbi remedium ſperare. Hæc maxime communis (2) & vera opinio.

Neque hæc ſatis quibuſdam fuere. Interpretes aliqui (3) cenſuerunt, quinque urbes ſuas ſingularum imagines, quæ vel urbem vel urbis emblema referrent, exhibuiſſe. Affirmarunt alii (4), formatas fuiſſe imagines hominum eo corporis habitu, qui indicaret incommodum illud, de quo in Scriptura. Tradit Joſephus (5), data fuiſſe quinque aurea ſimulacra, quæ urbibus quinque reſponderent. Inter eos vero, qui crediderunt, Philiſthæos Deo Iſraelitarum conſecraſſe imagines membrorum, quæ morbo affecta fuerant, alii quidem cenſent, monumenta hæc fuiſſe receptæ valetudinis, iis perſimilia, de quibus Scholiaſtes Ariſtophanis (6). Fama eſt, populos Atticæ fœdo quodam morbo affectos, remediis omnibus contumaci, Oraculum conſuluiſſe; a quo reſponſum tulere, ut omni, qua poſſent, ratione Deum colerent. Ut Oraculo parerent, privatus quiſque, & in communi urbes ſingulæ pararunt imagines, exprimentes membrum morbo affectum, quas, beneficii memores, Numini obtulerunt. Non abſimili etiam ſuperſtitione conſecrabatur in Myſteriis Oſiridis, & Bacchi membrum illud, in quo Adonis ab apro vulneratus eſt. Qui morbo quopiam convaluiſſent, nautæ a diſcrimine naufragii liberati, ſervi manumiſſi, milites poſt certamen, Diis ſuis in Templis beneficii monumenta conſecrabant: quod etiam translatum eſt ad Chriſtianos, quos ætatis ſuæ teſtis Theodoretus narrat (7), ſuſpendere conſueviſſe ad Martyrum ſepulchra imagines oculorum, manuum, & membrorum, quæ reddita valetudini Martyrum beneficio credebantur.

Recepta vero apud alios (8) perſuaſio tenet, imagines haſce a Philiſthæis conſecratas Taliſmannicum quid fuiſſe, vel figuras certo alicui ſideri additas, occulta arte paratas, & ad certum quemdam aſtrorum aſpectum vel corporum cœleſtium influxum formatas. Porro de Taliſmannicis hiſce figuris mira prædicantur. Lapis imagine ſcorpii inſculptus, quo tempore luna ſignum ſcorpii tenet, præſentiſſimus eſt adverſus pernicioſos belluæ hujus ictus amuletum. Fama eſt, Apollonium Tyaneum prohibuiſſe muſcas ne Antiochiam, & ciconias ne Bizantium ingrederentur, ſyderatis eorumdem animalium figuris in eam rem adhibitis. Æneus ſcorpius ſuper columnam in medio Antiochiæ erectus, ex univerſa ea regione ſcorpios abegit. Plumbeus crocodilus eas belluas a Cairo longi temporis ſpatio arcuit. Sed cur tamdiu immoremur in ſententia, quæ argumentis omnibus & rationibus deſtituitur? Si Philiſthæi artem Taliſmannicam norant, cur non illa uſi ſunt in mures & morbos toto ſeptem menſium ſpatio, quo Arcam penes ſe habuerunt? Cur extra regionem ſuam Taliſmannos miſere, ſeque illis ante receptam valetudinem privarunt? Neque enim convaluerant adhuc, cum Arcam remiſerunt, quam nonniſi poſt tentata omnia ad valetudinem recipiendam, hoſtibus reſtituere.

ET SIMILITUDINES MURIUM. Nulla veri ſpecie affirmant Rabbini, mures hoſce, poſt depaſta Philiſthæorum viſcera, e ſecretiori parte natium prodiiſſe. Fert non obſcure Textus (9), animalia illa omnem eorum regionem vaſtaſſe. In Textu Hebræo nunquam antea de muribus agitur.

DABITIS DEO ISRAEL GLORIAM. Potentiam ejus agnoſcetis, illatam Arcæ injuriam reparantes: reos vos profitebimini, & Numini exhibitis muneribus honorem impendetis.

SI FORTE RELEVET MANUM SUAM A VOBIS, ET A DIIS VESTRIS. Hinc collectum eſt, non Dagonem modo, ſed cætera etiam Philiſthæorum Numina gravem in ſe Dei Iſraelis manum ſenſiſſe. Verum ſæpe alibi animadverſum eſt, vocem Hebræam *Elohim*, uſurpari pro unico Deo, & pro pluribus, pro Angelis, pro Magiſtratibus. Reddi itaque Textus poſſet: *A vobis, a Deo veſtro*, vel *a Principibus veſtris.*

℣. 6. QUARE AGGRAVASTIS CORDA VESTRA? Ita eos arguebant, qui cum in mentem inducere non poſſent, morbum illum ab irato Numine inductum fuiſſe, in ſententiam illorum, qui Arcam remittendam cenſebant, venire non poterant.

NONNE POSTQUAM PERCUSSUS EST, TUNC DIMISIT EOS, ET ABIERUNT? Volentes nolenteſque, tandem ad hæc extrema cogemini. Hebræus (10): *Nonne Ægyptii dimiſerunt eos, quando* [Deus] *illuſit in eos?* vel poſtquam illos oppreſſit? Sunt qui aliter accipiant: Ægyptii & Pharao nonne remiſerunt illos, poſtquam ipſos percuſſiſſent? Nonne coacti ſunt tandem remittere Hebræos, poſtquam longo adeo temporis tractu illos oppreſſiſſent? Ex his omnibus intelligimus, hiſtoriam liberati populi ex Ægypto gentes illas non latuiſſe.

[1] Exod. xxiii. 15. [2] Sanct. Mendoz. Jun. Cornel. & cæteri paſſim. [3] Anton. Sabellic. apud Mendoz. [4] Hugo Card. Dionyſ. Carth. Nauclet. [5] Lib. 6. c. 1. [illegible] ὑπὲρ [illegible] πόλεων. [6] Scholiaſt. Ariſtoph. ad Acharnenſ. apud Grot. hic. [illegible] Ἀθηναῖοι, [illegible] τοῦ Θεοῦ, [illegible] [7] Theodoret. de Græc. affect. curatione l. 8. [8] Greg. nat. & obſerv. c. 8. Et Maimonid. more Nebochim par. 1. c. 1. [9] אולי יקל את ידו מעליכם ומעל אלהיכם [10] הלא כאשר התעלל בהם וישלחום

℣. 7. Facite plauſtrum novum. Minus utique decuiſſet in rem præſentem plauſtrum in alios uſus jam adhibitum; novum purius eſt & dignius & ſplendidius; novo plauſtro tunc pariter Arca impoſita fuit, cum juſſu Davidis e domo Abinadabi in domum Obededom (1) tranſlata fuit.

Vaccas fœtas. Latinum *fœta* eſt vacca prægnans, & quæ paulo ante peperit. Reddi poſſet Hebræus; *Vaccas lactantes* (2). Quæ cauſa fuerit vaccas haſce ſeligendi, infra patebit. *Vaccas fœtas*. 2. Reg. vi. & 1. Par. xiii. 4. *Bos quippe laſciviens*. Varia hæc loca ſimul collata demonſtrant Hebræos olim ad trahendas ſarcinas & ad equitandum boves & vaccas familiari uſu adhibuiſſe, cum præſertim regio illa equis ferme careret. Itineraria quædam notant eſſe apud Indos Boves adeo celeres & agiles ad curſum, ut equis optimis non cedant; illis vero uti in iis regionibus ad currus trahendos. Mandorlus Itin. ad Indos tom. 2. pag. 133. & 227. Vide inferius 2. Reg. vi. 6.

Quibus non est impositum jugum. Vaccas indomitas, adeoque minus tractabiles, quas nemo prudens dixerit, ſignaturas eſſe viam jam ſibi tritam, laturaſque onus, cui aſſueverint.

Recludite vitulos earum domi. Hebræus (3): *Reducetis filios earum poſt eas ad domum*. Reducite vitulos, & a vaccis illos ſeparate, cum ambæ ſub jugum miſſæ tracturæ ſunt plauſtrum: quæ ſane diſceſſio inquietum matrum ingenium, & ferociam indomitorum animalium novis ſtimulis exagitabit.

℣. 8. Ponetis in capsellam ad latus ejus. Interpretes quidam cenſent, Hebræum (4) *argaz*, quod hic redditur in Vulgata *capſella*, exprimere ſacculum vel caniſtrum (5): ſed major numerus *capſellam* tuetur. In tota hiſtoria Judæorum nuſpiam alibi de muneribus hiſce Philiſtæorum ſermo recurrit: ſervata nihilominus creduntur in Sanctuario, & prope Arcam, adusque captivitatem Babylonicam, & everſionem Templi per Nabuchodonoſorem.

℣. 9. Siquidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames. Ajunt (6), eas vaccas conſtitutas fuiſſe in trivio, cujus altera via duceret in Bethſames, altera Accaronem, unde venerant, & quo pariter reducti ſunt vaccarum vituli. Urbs Bethſames aberat forraſſe ab Accarone ſeptem leucis. Porro hoc indicium exhibent augures, Deo ne vindice multati fuerint Philiſtæi, ſi nimirum vaccæ per viam Bethſamiticam pergant, per quam ſane gradiendum illis prono & naturali motu non erat. Oraculo autem ſua fides ita conſtitit, ut nihilo melius vero Prophetæ vaticinanti ceſſurum fuiſſet. An igitur hinc recte colligas, reos non fuiſſe illos tentati Numinis, ipſumque Deum id conſilii illis indidiſſe, cui tam proſperum exitum conceſſerit? Id utique Interpretes traxit in partes. Ajunt quidam (7), in hac re divinum quoddam & ſupernum lumen iis affulxiſſe, quemadmodum & Balaamo & Caiphæ, viris, ſi quis unquam, ſceleſtiſſimis: adeo verum eſt, Deum prophetiæ donum merito perſonæ non addixiſſe. Verum contraria opinio ſedit pleriſque (8), ratis, propriu ductu locutos homines nihil propoſuiſſe, niſi quæ ſuggerebat ſive ars ſuperſtitioſa, ſive mentis conjectura: neque enim affinitas eſt ulla naturalis inter effectum, quem propoſuerunt, cauſamque aſſignatam. Succedens pro voto eventus ineptum eſt argumentum, ut aſſeratur, Deum conſilii hujus authorem fuiſſe; ſæpe enim Deus gloriæ ſuæ conſulens, permittit, ut quæ etiam peſſime ſtatuimus, felici eventu impleantur; permittit impiorum felicitatem, & proborum infortunia: Sole ſuo ſuper impios æque ac pios fulget. Num igitur recte affirmes, rem aliquam ab altera præcedenti ideo induci, quod prior præceſſerit, hæc ſubſequatur? *Poſt hoc, ergo propter hoc*, inepta collectio. Nonne inſuper conſtat, Dæmones & Pſeudo Prophetas vera interdum nunciare? Tunc autem merito colligendum eſt, nihil illos de futuris eventibus prædicere poſſe, ſine Numinis permiſſione, quamquam Deus oraculorum illorum cauſa non eſt.

℣. 12. Ibant autem in directum. Hebr. (9): *Et direxerunt vaccæ in via*; quaſi ſcilicet ita de induſtria poſitæ, ut terga verterent regioni Iſraeliticæ, ore converſo, ſeſe dederint in viam eo deducentem (10). Sed his pariter omiſſis, illud ſane animadvertendum ſuccurrit, quod, cum in trivio conſtitutæ eſſent impaſtæ & indomitæ, inſuper vitulis ſuis in ſtabulo clauſis avulſæ, rectam nihilominus viam ſignabant. Hæc utique nonniſi inviſibili ac ſuperiori manui, qua dirigente viam carperent, tribuantur.

℣. 14. In agrum Josue Bethsamitæ. Nomen erat viri privati incolæ Bethſames, Joſue enim populi Dei Imperator, & Moyſis in regimine Iſraelis ſucceſſor, Bethſamites utique appellari nequit, cum in ea urbe nunquam moram traxerit.

Conciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea. Plauſtrum illud, quod Arcæ ſervierat, in alios profanos uſus adhiberi religio fuit: quare illud aptiſſimum ſuccurrit, ut Altaris igne abſumeretur. Vaccæ pariter quoddam ſanctitatis genus retuliſſe creditæ ſunt, qua cæteris omnibus uſibus, præter quam ſacrificio, indignæ videbantur; quas nefas eſſet in aliud ſervile opus adhibere. Cum autem Philiſthæi una cum plauſtro illas dimiſiſſent, non immerito credebantur ita deſeruiſſe illas, ut ſibi habere ultra nollent, eaſque deſtinaſſe in ſacrificium Domino. Sunt etiam ex Interpretibus quidam (11), qui putent, Philiſthæos Arcam ſequentes plauſtrum igni tradidiſſe, & vaccas mactaſſe. Ut conjecturæ huic veritatis colorem aliquem tribuant, animadvertunt 1. Hebræis nullum fuiſſe jus ſive in vaccas ſive in plauſtrum; nemini autem fas eſſe e rebus alienis dare ſacrificia: 11. vaccas in holocauſtum offerri Legis ſanctione non permitti (12), ſed tantum ex alterius ſexus animalibus id ſancitum eſſe, 111. vetare apertiſſime Moyſem, ne offerantur ſacrificia extra Tabernaculum fœderis (13), ac niſi per Sacerdotes: hic autem nunquam occurrere Sacerdotes.

Malunt alii, ſacrificia hæc immolaſſe Iſraelitas Bethſamiticos; cujus etiam ſententiæ authores inter ſe committuntur: ajunt enim quidam (14), Bethſamitas ea in re peccaſſe; alii (15) a peccato illos abſolvunt. Porro ad primum, quod afferunt, ut probent, Philiſthæos ſacrificium obtuliſſe, reponitur, nulla veri ſpecie reputari, gentem illam repetiiſſe plauſtrum & vaccas, quas dimiſerant. Utraque procul dubio conſecraverant Deo Iſraelitarum, quemadmodum & imagines anorum & mures aureos. Quid autem prohibebat Iſraelitas, ne per ſe ſacrificarent eam, quæ ad Deum ſuum pertinere arbitrabantur? Alteri vero argumento

[1] 2. Reg. 6. 5. [2] פרות עלות 70. Πρωτοτοκούσας. Aqu. Λοχευομένας. Sym. Γαλακτούσας. [3] והשיבתם בניהם מאחריהם הביתה [4] תשימו בארגז 70. Θέσετε ἐν θέματι. Theodoretus ait, id vas appellari apud LXX. Βερζεχ. Joſephus Γλωσσόκομον; Aquila ἐν ὄψει χαίτας, in texto coma vel lana. Vide Druſ. & Buxtorf. Vindic. 219. Et Clericum. Symm. ἐν λάρνακι, in arcula, Aquila: ἐν ὄψει κουρᾶς, in texto tonſura, in faſce ex villis, vel crinibus. Vide novam Edit. Hexapl. in Notis. [5] Malvend. & Lud. de Dieu. [6] Joſeph. Antiqu. lib. 6. cap. 1. Ἐκέλευσε δὲ ἐξελάσαντας .... ἐπὶ τριόδου καταλιπεῖν. Theodoret. qu. 10. Mendoz. Toſt. [7] Vide Eſt. ad ℣. 11. [8] Vide Mendoz. & Mont. hic. [9] וישרנה הפרות Septuag. Καὶ κατεύθυναν αἱ βόες. [10] Mendoz. [11] Ita Veter. Heb. Salian. Mariana. [12] Levit. 1. 3. & xxII. 19. [13] Levit. xvII. 4. [14] Lyr. Toſt. [15] Mendoz. Jun. Menoch. Sanct. Tir.

mento reponitur, in hac re inſolita & ſingulari, cum Providentia vaccas haſce veluti in manus populi tradidiſſet, merito ſolvi potuiſſe communes leges, quæ boves mares imperabant; cum præſertim res eſſet de ſacrificio, quod neque in Tabernaculo, neque in erecto ibi Altari offerendum eſſet. Tertia ratio ita diluitur. Cum urbs Bethſames Sacerdotalis eſſet (1), e Sacerdotibus aliquem, qui ſacrificio offerendo aptus eſſet, adfuiſſe reputandum eſſe. Id autem ſatis innuere videtur Textus, exhibens ℣. 15. Levitas Arcam e plauſtro deponentes. Conſtat autem, in ſimilibus rerum eventibus oblatas fuiſſe interdum hoſtias extra Tabernaculum; quod ſæpe alibi in hac hiſtoria patebit; tunc autem non ſatis ſolicite Sacerdotes in rem ſacram quærebantur. Samuel & Elias Sacerdotes utique non erant, neque tamen abſtinuerunt manus a ſacrificio, communi lege partim ſoluta. Denique ad crimen illud Bethſamitarum quod attinet, nihil legitur in Scriptura, quod reos illos peccati arguat. Fatemur utique, ex ſilentio Spiritus Sancti non ſatis validum duci argumentum, ut homines crimine purgentur; ex eo tamen revocatur in dubium mens, ne prona ſit ad judicandum, cum res eſt de peccato neque ſatis explorato, neque ſatis aperto.

℣. 16. Viderunt et reversi sunt in Accaron in die illa. Oculati teſtes fuerunt adventus Arcæ & Sacrificii; tum ad propria remearunt. Commode autem eadem die regredi potuerunt, cum Bethſames ab Accarone non diſtet amplius ſex vel ſeptem leucas. Sunt qui credant, rediiſſe illos ad propria, poſtquam vaccas recto tramite ad Bethſames pergere viderunt, nec longius iter ſuum eſſe proſecutos.

℣. 18. Mures aureos, secundum numerum urbium Philistiim &c. Jam ſupra ℣. 5. narratum eſt, Augures id tantum dediſſe conſilii, ut fingerentur quinque mures aurei pro totidem urbibus Philiſthæorum; ſed neque id ſatis fuit. Aliæ pariter urbes & oppida, quæ mures infeſtos ſenſerant, ſive quæ luem illam in agris ſuis metuebant, e re ſua eſſe cenſuerunt, ut ad luem averruncandam aureas imagines pararent. Nec tamen idem præſtitiſſe illæ de imaginibus anorum videntur, ideo facile quod quinque tantummodo majores urbes, per quas Arca circumducta fuerat, morbo illo hæmorrhoidum affectæ fuiſſent. Hæc nos probabiliora cenſemus (2). Cenſuit Clarius, ſingulas quaſque urbes & oppida pariter ſingula ſuos aureos mures, & ſuas anorum imagines exhibuiſſe; eaque in re privatæ religionis vel terroris, quo intus agebantur, ductum, ſeu potius juſſionem vel conſilium Augurum ſecuta eſſe.

Vulgo tamen commentariorum Scriptores (3) docent, nonniſi quinque anos, & totidem mures aureos datos fuiſſe; Textum vero in hunc ſenſum reddunt: Quinque majores Philiſthæorum urbes communi totius gentis ſumptu obtulerant quinque anos & totidem mures aureos: in partem autem ejus ſumptus venerunt ſingulæ urbes & oppida, *ab urbe nimirum murata uſque ad villam, quæ erat abſque muro*. Ut hæc ſententia eliciatur, commodandum eſt aliquid Textui; quamquam opinio hæc ideo inducta videtur, ut apparens diſſidium concilietur inter ℣. 5. & 18.

Et usque ad Abel magnum, uſque ad lapidem appellatum *Abel magnum*, vel magnum luctum. Nomen *Abel*, vel luctus, inditum videtur magno illi lapidi, ſuper quem ſtetit Arca; inditum, inquam, videtur primo poſt ingentem illam Bethſamitarum necem, de qua inferius. Luditur hic inter *Aben*, quod lapidem ſonat, & *Abel*, quod luctum. Septuaginta (4) legerunt in Textu *Aben*; verterunt enim: *Uſque ad lapidem magnum*. Omnia loca ditionis Philiſthæorum, per totum late regionis illorum tractum, uſque ad magnum lapidem, dederunt ſingula murem ſuum aureum, vel in ſumptus quinque murium, qui oblati ſunt, aliquid contulerunt.

Quæ erant usque in illum diem in agro Josue. Sintaxis naturalis Textus Hebræi (5) exigeret, Arcam tamdiu ſtetiſſe in agro Joſue Bethſamitæ, & in lapide ejuſdem agri uſque ad illud tempus, quo Hiſtoria hæc ſcriptis redigebatur: id autem fieri optime potuiſſe intelliges, 1. Si Hiſtoriæ hujus Authorem cenſeas Ephemerides ſuas deſcripſiſſe cum eſſet in locis præſens; hæc autem adnotaſſe poſt paucos dies ab adventu Arcæ: 11. Arcam aliquo temporis ſpatio ibidem detentam fuiſſe, quin & ſuccurriſſe ſtatim Iſraelitis, ut certum ibi locum illi aſſignarent; quod utique impletum fuiſſet, niſi funeſta mors, quæ Bethſamitas magno numero abſtulit, longe a ſe removere illam coegiſſet. Conſidebat igitur Arca in agro Joſue, cum harum ephemeridum primus Author ſcribebat. Interpretatio hæc ſatis prona & ſimplex videtur.

Vulgo tamen Commentariorum Scriptores, cum in animum inducere non poſſint, Arcam aliquo temporis ſpatio ſub dio & nudo lapidi impoſitam manſiſſe, alias ſibi interpretationes inſtruunt. Ex illis quidam (6) Textum, aliquid ſupplentes, ita reddunt: Poſuerunt Arcam ſuper lapidem appellatum, *Magnum Luctum*, qui lapis hodie pariter in agro Joſue viſitur. Alii (7): Manſit Arca ſuper lapidem hunc, donec in urbem, digniori in loco collocanda, transferretur. Malunt alii (8), conſtitutæ Arcæ ſuper eumdem lapidem *memoriam* permanſiſſe uſque ad illud tempus, quo Author ſcribebat. Alii cenſent, mures & anos aureos, in Arca vel prope Arcam conſtitutos, in eodem loco manſiſſe adhuc, cum Hiſtoriæ hujus Author ſcriberet.

℣. 19. Percussit . . . eo quod vidissent Arcam Domini. Quod curioſius & audacius illam conſideraſſent; neque enim crimen pœna luendum id fuiſſe videtur, quod venientem illam aſpexerint, obviam venerint, & officioſe coluerint: id enim officii potius erat, cui ſine crimine non defuiſſent. Hebræus aliter reddi poteſt כי ראו בארון יהוה *Eo quod aſpexiſſent in Arca Domini*. Fatendum eſt tamen, phraſi Linguæ Sanctæ (9) *videre in aliquo* uſurpari pro aſpicere, niſi contextus ſermonis aliter exigat, *Malam diem præcave*; Hebræus: *In die mala vide*; ideſt, futura mala conſidera. *Qui conſiderat nubes, nunquam metet* (10); Hebræus: *Videns in nubibus, non metet*; ideſt qui aeris aſpectum obſervat, nunquam meſſes ſuas colliget. Non igitur accuſarim cum vulgo Interpretum (11) Bethſamitas, quod intra Arcam aſpicientes, juſtam in ſe divinam hanc ultionem provocaverint. Satis enim eſt, ſi rei agantur propioris ad Arcam acceſſus, & inofficioſæ contemplationis, ut pœnam illam merito ſubiiſſe cenſeantur. Scitum eſt, interdictum fuiſſe Levitis, ne accederent ad Arcam ac vaſa ſacra, ne illa tangerent vel nuda reſpicerent; quæ omnia capitalia erant tranſgreſſoribus (12). Si Philiſthæi leges haſce utique non edocti, earumque præcepto minime ſubditi, ſeveræ adeo animadverſioni obnoxii fuerunt, quod minus religioſe Arcam excepiſſent, quid ejuſdem criminis reis Iſraelitis timendum non fuerat? Ipſi etiam Profani myſteria ſua ſollicita religione celantes, graviſſimas ſtatuerunt pœnas in eos, qui profana revelatione ſanctitatem illorum violaſſent. Alcibiadis hiſtoriam habes apud Plutarchum.

Et

(1) Joſue xxi. 16. (2) Ita Cajet. hic. (3) Jun. Menoch. Malv. Mendoz. Sanctius, Tir. alii.
(4) Ἕως λίθου τοῦ μεγάλου. Legerunt על אבן הגדולה pro אבל. (5) עד היום הזה Septuag. Ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης. *Uſque in diem hanc*. Ita Syr. Arab. Interpp. plerique. (6) Vatab. Jun. & Tremel. Cajet. Mart. &c.
(7) Mendoza. (8) Malvenda. (9) Eccleſ. vii. 15. (10) Eccleſ. xi. 4. (11) Mont. Jun. Druſ. Vatab. Menoch. Sanct. Cornel. (12) Num. iv. 15. *Non tangent vaſa ſanctuarii ne moriantur*. Et ℣. 20. *Alii nulla curioſitate videant quæ ſunt in Sanctuario, priuſquam involvantur, alioquin morientur*.

Et percuſſit de populo ſeptuaginta viros, et quinquaginta millia plebis. Nonne expeditior eſſet & brevior ſententia, ſi ita redderetur; *Percuſſit quinquaginta millia, & ſeptuaginta viros de plebe?* An diſcriminis eſt aliquid inter plebem & populum? Sunt qui (1) cecidiſſe credant ex optimatibus ſeptuaginta, & de reliqua plebe quinquaginta millia. Tradit Joſephus (2), Bethſamitas, accurrentes ut Arcam intuerentur, audenteſque manum admovere, ut e plauſtro illam deponerent, quamquam Sacerdotali munere non fungebantur, Deum fulmine feriiſſe, quo ſeptuaginta viri periere. Sed hac narratione ſua bis repugnat Scripturæ. I, Eo quod aſſerit, populum depoſuiſſe Arcam e plauſtro, quod ſibi munus ſuſcepiſſe Levitas conſtat ex ℣. 15. II, eo quod ſeptuaginta tantum viros interfectos dicat, adverſus apertum teſtimonium Textus Hebraici & Septuaginta Complutenſium. Sed, poſtremam hanc rem non hic Hiſtoricus modo, ſed ex Interpretibus alii complures affirmant (3), majorem cæſorum numerum non agnoſcentes. Docent autem, interfeciſſe Deum viros ſeptuaginta, qui merito & dignitate ſua pro quinquaginta millibus valebant: erant enim Patres vel Aſſeſſores Sanhedrii. Ita duplicem Scripturæ ſupputationem ſe conciliaſſe cenſent: quam feliciter, Lectores viderint.

Alii vero aliter (4) nodum expediunt: Interfecit Deus ſeptuaginta viros coram quinquaginta millibus e populo, vel e quinquaginta millibus, ante Arcam collectis, ſeptuaginta necavit. Bochartus (5) aliter reddit: *Percuſſit Deus ſeptuaginta viros e quinquaginta millibus plebis*. Pro tota multitudine ſatis habuit pœnas ſumere e ſeptuaginta viris, ideſt, vigeſimam partem totius abſumpſit. Totus cœtus facile e mille & quadringentis conſtabat: ex his autem ſeptuaginta tantum ſublati ſunt. Aliam etiam interpretationem exhibent Syriacus & Arabs; legunt enim *quinque millia & ſeptuaginta viros*, pro quinquaginta millibus & ſeptuaginta. Ad varias haſce interpretationes confirmandas, animadvertunt Scriptores, ægre admodum in animum induci, unicam urbem Bethſamea, ejuſque agrum exhibere potuiſſe virorum quinquaginta millia & ſeptuaginta: tam multos autem viros coactos fuiſſe e vicinia tam cito circa Arcam, quis facile intelligat? Denique non ſatis noſci, cur ſeveram adeo animadverſionem Deus exegerit e populo, in quo tantum inerat pietatis, ſtudii, & obſequii, in Arca Domini excipienda.

Hiſce omnibus non ægre reſpondemus, I. Non ſatis aperte exprimi in Textu, univerſum hunc populum e Bethſamitis collectum fuiſſe. Ita enim redditur ad literam (6): *Et percuſſit in viris Bethſames, quia viderunt in Arca Domini; & percuſſit in populo ſeptuaginta viros, quinquaginta millia virorum*. Commode itaque diſtinguimus Textum in hanc ſententiam. Percuſſit ſeptuaginta viros Bethſamitas, eo quod Arcam aſpexiſſent, & præterea quinquaginta millia virorum e populo; vel juxta Chaldæum, interfecit e Senioribus ſeptuaginta; e reliquo populo Iſraelis quinquaginta millia. II. Cædem hanc unica die accidiſſe ſtatuunt: nulla autem neceſſitate in hanc ſententiam adducimur. Arca longioris temporis ſpatio perſeveravit in agro Joſue, uti ſuperius ℣. 18. diximus, & populus undique ad illam confluebat; e quibus plures eodem curioſitatis pruritu, ac Bethſamitæ, incitati, eadem cum illis pœna obvoluti ſunt. III. Gravis illa ultio in tantam hominum multitudinem nimia illis tantummodo videbitur, qui non ſatis intellexerunt, quantum exigeret Deus e populo ſuo timoris & obſequii, quique Dei conſilia & decreta ad humanas rationes expendunt. Denique in re, quam nemo fieri potuiſſe negat, nemo æquitati Dei contrariam cenſet, cur aperta Textus verba alio detorqueantur? Hebræus, Septuaginta, Vulgata, Chaldæus, legerunt uno aſſenſu quinquaginta millia & ſeptuaginta viros: cur igitur litera Textus non retineatur?

Codices quidam Græci initio hujus verſiculi hæc addunt: *Et non ſunt delectati filii Jechoniæ in viris Bethſam, qui viderant Arcam Domini. Et percuſſit in eis ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia virorum*. Id autem exponit Theodoretus (7), docens, filios Jechoniæ punitos fuiſſe merito impietatis ſuæ, & quod ægre tuliſſent reſtitutionem Arcæ: addit autem, populum eidem ultioni obnoxium fuiſſe, quod ne minimum quidem diſcrimen adire voluiſſet, ut Arcam ex hoſtium manibus eriperet. Sed huic de filiis Jechoniæ narrationi fides minima adhibenda eſt, utpote quam fulcit unicus e Textibus Septuaginta minus accuratus & correctus. Reddi etiam poſſet in alium ſenſum, ſcilicet filios Jechoniæ viros fuiſſe pietate & ſapientia præſtantes, qui libertatem Bethſamitarum in contemplanda Arca Domini increpuerint; quæ ſane libertas ſeptuaginta e Bethſamitis capitalis fuit &c.

℣. 20. Quis poterit stare in conspectu Domini? Hæc accipi commode poſſunt tamquam populi querelæ de nimia Dei ſeveritate; quaſi ſcilicet populus nihil curans inquirere de cauſa provocati in ſe Numinis, ut eam auferre ſtudens, Deum placaret, mallet Deum illum tamquam difficilem & pernicioſum e regione ſua amovere. Vel aliter hæc dicta accipi poſſunt de ingenua confeſſione populi, agnoſcentis graviter ſe quidem ab æquiſſimo Judice, at ſine exceſſu, puniri; nulla enim eſt proportio inter Deum læſum, & a ſimplici creatura exhibitam, quæcumque hæc fuerit, ſatisfactionem.

℣. 21. Miserunt nuntios ad habitatores Cariath-jarim. Cur ad hanc urbem præ cæteris? Cur non potius ad Silo, ubi diutius Arca ſubſtiterat, & adhuc Tabernaculum ejus ſtabat? Denique cur hæc ad cives Cariath-jarim renunciantur? *Deſcendite & reducite eam ad vos*: quaſi ſcilicet antea Arcam apud ſe habuiſſent. Sed Hebræus legit tantum (8): *Deſcendite, & aſcendere facite eam ad vos*. Fatendum eſt utique, cauſam ignorare nos, cur Bethſamitæ potius cives Cariath-jarim, quam alios quoslibet convenerint; niſi forte id reputemus, urbem hanc fuiſſe vicinam & ſitu munitam, ubi tutius, quam in Bethſames, Arca detineretur; erat enim Bethſames anguſtus locus, Arcæ majeſtate plane indignus. Manſit autem Arca in agro Joſue Bethſamitæ uſque ad ejus tranſlationem in Cariath-jarim. Vero propius arbitramur, Tabernaculum & reliqua vaſa ſacris miniſteriis deſtinata perſeveraſſe in Silo (9), donec ad Nobe deducta non ſunt, ubi Saulis ætate ſervabantur (10).

Cariath-jarim, *Cariath-Baal*, Joſue xv. 60. *Baala* ibidem ℣. 9. *Baalim-Juda* II. Regum vi. 2. *Sedei-jarim* in Pſalmo xxxi. 6. varia ſunt ejuſdem urbis nomina. Cariath-jarim, Gabaa, & Nobe urbes erant inter ſe propinquæ, & Cariath-jarim nonniſi x. M. paſſibus, vel tribus leucis & ſemis circiter, aberat ab Jeroſolyma. Silo multo ſeptemtrionalior erat in Tribu Ephraimi.

(1) Gregor. Magn. hic; Beda lib. 1. 30. quæſt. in Libb. Reg. quæſt. 3. Euch. Angelom. apud Mendozam. (2) Joſeph. Antiq. lib. 6. c. 2. Ὡς ἑβδομήκοντα τοὺς ἐκ τῆς Βεθσάμης κώμης, οἳ οὐκ ὄντες ἄξιοι ἅψασθαι τῆς κιβωτοῦ, ἱερεῖς γὰρ οὐκ ἦσαν, καὶ προσελθόντες αὐτῇ θεὸς ἀπέκτεινε. (3) Ita Autor quæſt. Heb. in lib. Reg. Rupert. Lyran. Abul. Clarius, Dionyſ. Carth. Sa, ex Hebræis. (4) Sanct. Serar. Tirin. Sa. Vide Cleric. hic. (5) Boch. de animal. Sacr. part. 1. lib. 2. cap. 36. (6) ויך באנשי בית שמש כי ראו בארון יהוה ויך בעם שבעים איש חמשים אלף איש (7) Theodoret. quæſt. 11. Procop. hic, & edit. Sixt. Οὐκ εὐφράνθησαν οἱ υἱοὶ Ἰεχονίου ἐν τοῖς ἀνδράσι Βαιθσαμῦς ὅτι εἶδον τὴν κιβωτὸν τοῦ κυρίου. καὶ ἐπάταξεν ἐν αὐτοῖς ἑβδομήκοντα ἄνδρας, καὶ πεντήκοντα χιλιάδας ἀνδρῶν ἐκ τοῦ λαοῦ. (8) רדו העלו אתו אליכם (9) Judic. xviii. 31. collatum cum 1. Reg. xiv. 3. (10) Vide 1. Reg. xxi. 1.

CAPUT VII.

Tranſlatio Arcæ in Cariath-Jarim, ubi viginti annis fuit. Samuel populum hortatur, ut reſtituat ſe Domino: conventus populi in Maſphath. Philiſthæi illatis in Iſraelitas armis, orante Samuele, aguntur in fugam.

℣. 1. VEnerunt ergo viri Cariathiarim, & reduxerunt arcam Domini, & intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa: Eleazarum autem filium ejus
ſanctificaverunt, ut cuſtodiret arcam Domini. 2. Et factum eſt, ex qua die manſit
arca Domini in Cariathiarim, multiplicati ſunt dies (erat quippe jam annus vigeſimus) & requievit omnis domus Iſrael poſt Dominum. 3. Ait autem Samuel ad
univerſam domum Iſrael, dicens: Si in toto corde veſtro revertimini ad Dominum,
auferte deos alienos de medio veſtri, Baalim, & Aſtaroth: & præparate corda veſtra
Domino, & ſervite ei ſoli, & eruet vos de manu Philiſthiim. 4. Abſtulerunt ergo
filii Iſrael Baalim, & Aſtaroth, & ſervierunt Domino ſoli. 5. Dixit autem Samuel:
Congregate univerſum Iſrael in Maſphath, ut orem pro vobis Dominum. 6. Et
convenerunt in Maſphath: hauſeruntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini,
& jejunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccavimus Domino. Judicavit Samuel filios Iſrael in Maſphath. 7. Et audierunt Philiſthiim, quod congregati eſſent
filii Iſrael in Maſphath, & aſcenderunt ſatrapæ Philiſthinorum ad Iſrael. Quod cum
audiſſent filii Iſrael, timuerunt a facie Philiſthinorum. 8. Dixeruntque ad Samuelem: Ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum, ut ſalvet nos de
manu Philiſthinorum. 9. Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, & obtulit
illum holocauſtum integrum Domino: clamavit Samuel ad Dominum pro Iſrael, &
exaudivit eum Dominus. 10. Factum eſt autem, cum Samuel offerret holocauſtum,
Philiſthiim iniere prælium contra Iſrael: intonuit autem Dominus fragore magno in
die illa ſuper Philiſthiim, & exterruit eos, & cæſi ſunt a facie Iſrael. 11. Egreſſique viri Iſrael de Maſphath, perſecuti ſunt Philiſthæos, & percuſſerunt eos, uſque
ad locum, qui erat ſubter Bethchar. 12. Tulit autem Samuel lapidem unum, & poſuit eum inter Maſphath, & inter Sen: & vocavit nomen loci illius, Lapis adjutorii. Dixitque: Hucuſque auxiliatus eſt nobis Dominus. 13. Et humiliati ſunt Philiſthiim, nec appoſuerunt ultra, ut venirent in terminos Iſrael. Facta eſt itaque manus Domini ſuper Philiſthæos, cunctis diebus Samuelis. 14. Et redditæ ſunt urbes,
quas tulerant Philiſthiim ab Iſrael, Iſraeli, ab Accaron uſque Geth, & terminos ſuos;
liberavitque Iſrael de manu Philiſthinorum, eratque pax inter Iſrael, & Amorrhæum.
15. Judicabat quoque Samuel Iſraelem cunctis diebus vitæ ſuæ: 16. Et ibat per ſingulos annos circujens Bethel, & Galgala, & Maſphath, & judicabat Iſraelem in ſupradictis locis. 17. Revertebaturque in Ramatha; ibi enim erat domus ejus, & ibi
judicabat Iſraelem; ædificavit etiam ibi altare Domino.

℣. 1. REDUXERUNT ARCAM DOMINI. Hebræus: *Aſcendere fecerunt Arcam Domini*: deduxerunt in urbem ſuam, quæ in loco editiori quam Bethſames conſidebat. Qui vero excipere illam in urbem ſuam auſi ſunt, edocti experientia ſeveræ illius animadverſionis, quam Deus exegit de Philiſthæis, & cædis in tantam hominum multitudinem in agro Joſue Bethſamitæ illatæ? Norant profecto illi tot malorum cauſam, quæ mala facile evitaſſent, ſi majori cautione & obſequio, quam quod impenſum fuerat a Bethſamitis, venientem illam excepiſſent. Merito reputamus, Samuelem in hac re conſultum fuiſſe; uti & conveniſſe ad ritum ſolemnem univerſum populum, ut nihil deeſſet ad pompam & rectum apparatus ordinem: denique in hoc populi cœtu agnitum fuiſſe Samuelem in Judicem & Principem gentis. Deinceps enim ea præditum dignitate ſe prodit; nec æquum eſt reputemus, hanc ſibi authoritatem abſque Dei juſſu & conſenſu populi uſurpaſſe. Uſus eſt autem opportuna hac occaſione reditus Arcæ, ut ad abjiciendam Idololatriam, quam ex illis plures admiſerant, Iſraelitas adhortaretur. Admonuit, ut de libertate ſibi procuranda cogitarent; indixitque conventum populi cum armis in Maſphath, ubi ſcilicet neceſſaria omnia ad optimum populi regimen ſtatuerent. Hæc omnia in tota ſerie hujus Capitis ita narrantur, ut conciſæ nimium narrationi plurima ſupplenda ſint. Porro narrationis ejuſdem & eventuum ſeries, ita rem totam actam fuiſſe, quemadmodum hic commenti ſumus, demonſtrat. Samuel, qui primas ſaltem ſchedas, unde hi Libri expreſſi ſunt, exhibuiſſe creditur, plura de ſe modeſtiſſime tacuit, quæ in nimiam ſui gloriam conceſſiſſet; qua viri modeſtia uti nos in morum ædificationem S. Spiritus voluit.

IN DOMUM ABINADAB IN GABAA. Ut ſibi conſtet Scriptura, reputandum eſt, Gabaam ipſam eſſe eamdemque urbem, vel partem aliquam urbis Cariath-jarim. Hebræum *Gabaa* eſt celſitudo; creditur autem domus Aminadabi, utpote quæ in celſiore urbis parte eminebat, aptiſſima fuiſſe præ cæteris, quæ in ſedem Arcæ Domini deſtinaretur.

Digitized by Google

retur. Id enim apud Veteres generatim omnes menti inſedit, Templa & loca Deo vel Numinibus ſacra in editis locis erigi oportere. Septuaginta (1) cum Interpretibus pleriſque (2) nomen *Gabaa* in ſenſu appellativo pro loco edito uſurparunt. Mirari ſubit, cur Arcam in Tabernaculum ad Silo non retulerint. Vide ℣. poſtremum Capitis præcedentis, & primum hujus.

Eleazarum sanctificaverunt. Certa cauſa, cur Eleazarus prælatus fuerit Aminadabo patri ſuo, in conſecratione & dignitate cuſtodis Arcæ Domini, divinari utique non poteſt. Non temere tamen reputaverim, Abinadabum jam tum deceſſiſſe, ejuſque nomen manſiſſe domui, quam coluerat, ſive quod illam ædificaſſet, ſive quod ejus familia ibidem verſaretur. Eleazaro duo erant fratres *Ahio* & *Oza*, qui eidem ſucceſſiſſe creduntur in dignitate cuſtodis ſacri depoſiti. De Eleazaro nuſpiam ulterius ſermo occurrit in pompa translatæ Arcę ſub Davide: ibi enim ſolum leguntur Ahio, & Oza, filii vel poſteri Abinadabi. Cariath-jarim inter Leviticas urbes non recenſebatur; ſed Abinadab ad Tribum Levi pertinuiſſe creditur (3). Ejus tamen nomen non legitur in cenſu hujus familiæ, ſive quod altero etiam nomine appellaretur; ſive quod remotior eſſet a fonte, ut venire non poſſet in genealogias, quæ ſane non longe in Scriptura deducuntur.

Quid eſſet ea conſecratio, vel ſanctificatio Eleazari in cuſtodem Arcæ, ignoratur. Sunt qui (4) unctum, vel initiatum Sacerdotem credant; quę utique opinio e familia Aaronis Eleazarum temere prorſus accerſit. Malunt alii (5) conſecrationem fuiſſe Leviticam, qua Eleazarus deſtinaretur miniſterio Levitarum, ſolemnibus iis cęremoniis, quę in Numer. VIII. 7. deſcribuntur. Alii denique (6) Hebręam vocem reddunt (7): *Præpararunt*, vel imperarunt ut pararet ſe ad excipiendam domi ſuę Arcam, ſanctificans ſeſe, abſtinens ab exterioribus maculis, a voluptatibus ſenſuum, & lotione veſtium rite: denique nihil omitteret luſtrationum in ſimili rerum articulo preſcriptarum. Poſtrema hęc opinio planior eſt & melior; vox enim Originalis, quę redditur *ſanctificare*, valet etiam ſępe *præparare*.

℣. 2. Et factum est, ex qua die mansit Arca Domini in Carath-jarim, multiplicati sunt dies: erat quippe jam annus vigesimus, et requievit omnis domus Israel post Dominum. Ex hoc Textu Interpretes plures repetunt eorum omnium, quę hic deinceps referuntur, epocham. Qui vero credibile eſt, Samuelem tamdiu populum monere ceſſaſſe, ut derelictis Numinibus ad Dominum reverteretur? Quo autem pacto hęc hypotheſis cohęreat cum iis, quę leguntur infra, ℣. 13. *Facta eſt manus Domini ſuper Philiſthæos cunctis diebus Samuelis?* Conſtat enim, Prophetam hunc rebus nonniſi vicennio pręfuiſſe. Hinc igitur colligandum eſſet, nunquam ſub eo Judice populum tranquillitate pacis frui potuiſſe, ſi quidem reputandum ſit, Philiſthęorum res minui cœpiſſe poſt viginti demum annos a conſtituta in Cariath-jarim Arca, cœptoque a Samuele Iſraelis regimine.

Pręſtat igitur totum hunc verſiculum intra parentheſim claudere, tanquam penitus avulſum ab iis, quę proxime ſequuntur. Monet nos tantummodo Sacer Hiſtoricus, poſt adventum Arcę in Cariath-jarim, vicennalem pacem conſecutam eſſe in Iſraele, manente populo ad obſequium Domini; quę utique felicitas toto tempore regiminis Samuelis perſeveravit. Statimque poſt hęc narrat Scriptor res primitus geſtas a Samuele ad clavum Iſraelis admoto, qua ratione procuraverit ille populo longam illam vicennalem pacem, quam ante innuerat. Ita ergo Textum Hebręum reddere maluerim (8): *Et factum eſt, ex qua die manſit Arca in Cariath-jarim, longum tempus effluxit, ſpatium ſcilicet viginti annorum, quibus domus Iſrael requievit in pace poſt Dominum.* Poſtrema hęc verba, quę Vulgata reddit, *Requievit poſt Dominum*, alii Interpretes aliter vertunt. Sanctius: *Domus Iſrael, quæ lubrico vacillabat veſtigio, tandem mutato animo, & meliori ſtudio unum elegit Deum, cujus adhæreret auſpiciis, & mandata compleret*. Alii: *Convenerunt ad Dominum*; vel (9): *Fleverunt eiulaventque ad Dominum*. Septuaginta (10): *Reverſi ſunt ad Dominum*; in quam etiam interpretationem Syriacus & Arabs conceſſerunt.

℣. 3. Ait autem ad universam domum israel. Verba illum feciſſe credimus ad cœtum populi; qui ad cęremoniam translationis Arcę in urbem Cariath-jarim convenerat, ibidemque illum in ducem populi renunciatum fuiſſe arbitramur.

Baalim et Astaroth. Vide noſtram Diſſertationem de Numinibus Phœnicum vel Chananæorum. Aquila: *Statuas Aſtartes*. Septuaginta: *Lucos Aſtaroth*.

Præparate corda vestra. Monet nos Deus, ut reſipiſcamus, & corda præparemus; nos autem viciſſim illum rogamus, ut reſipiſcere nos faciat, ablatoque a nobis corde lapideo, ejus loco carneum ſufficiat. Primo docemur, liberos eſſe nos homines, monemurque, quid poſſimus, & quid a nobis præſtandum ſit; altero agnoſcimus, ab illo dari nobis ut velimus, & faciamus: hinc quidem profitemur vivere nos ejus arbitrio ſubditos, ac nunquam non indigere gratia illius, ut bonum præſtemus; inde vero intelligimus noſtram libertatem, & in noſtra poſitam eſſe poteſtate, comite Dei gratia & ope, ut ad Deum convertamur. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis* (11).

℣. 5. Congregate universum Israel in Masphat. Ex univerſa hiſtoriæ hujus ſerie conſtat, cœtum hunc non religionis modo, vel ad deliberandum de rebus totius gentis indictum fuiſſe: armatus coivit populus, aderatque Samuel; Philiſthæi vero ea de re admoniti, eo procurrerunt ad prælium. Maſphath urbs pluribus populi conventibus inclyta, adjacebat viæ Eleutheropoli Jeroſolymam, in Tribu Juda.

℣. 6. Hauserunt aquam, et effuderunt in conspectu Domini. Hoc loco Interpretes liberum ſibi datum philoſophandi aditum credunt. Paraphraſtes Chaldæus dictum accipit de rivulis lacrymarum, manantibus ex oculis Iſraelitarum, coram Domino plorantium. Iſta ne vero literalis habenda eſt expoſitio, ac non potius ad eludendas melius quam tollendas difficultates excogitata? Nonne aptius cum doctis Interpretibus arbitramur (12), effuſam fuiſſe revera aquam, tamquam ſymbolum lacrymarum, quas effundere optabant, & reipſa coram Domino effundebant? Alii effuſam hanc aquam typum eſſe docent animi demiſſi, & humilis, juxta illud Pſal. XXI. 15. *Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea*, vel in argumentum expiationis, juxta illud Jobi XI. 16. *Miſeriæ obliviſceris, & quaſi aquarum quæ prætereunt, recordaberis*. Vel typum fuiſſe volunt effuſi inter precandum cordis, ut in Threnis II. 19. *Effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum*

(1) בגבעה 70. Ἐν τῷ βουνῷ. (2) Pag. Vat. Jun. Kimchi, &c. (3) Joſeph. lib. 6. Antiq. c. 2.
(4) Hugo Card. Dionyſ. Carthuſ. Mendoz. Cornel. a Lap. (5) Cajet. & alii. (6) Heb. in Druſ.
(7) קדשו לשמר את ארון יהוה (8) ויהי מיום שבת הארון בקרית יערים וירבו הימים ויהיו עשרים שנה וינהו כל בית ישראל אחרי יהוה (9) Pagn. Mont. Cajet. Jun. Oſiand. &c. (10) Καὶ ἐπέβλεψε πᾶς οἶκος Ἰσραὴλ ὀπίσω κυρίου. (11) Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 11. Vide & Aug. de Nat. & Grat. c. 43. Concil. Arauſic. II. c. 25. (12) Grot. Jun. Tirin. Sanct.

ſpectum Domini: leva ad eum manus tuas. Vel denique ritus erat jurantium, quaſi ſcilicet ea laticis effuſione coram Domino ita profiterentur: Pereamus & diſſipemur ſicut aqua, ſi obligatæ hodie ſidei defuerimus.

Alii, omni myſterio in ea re ſepoſito, credunt, effuſam fuiſſe aquam veluti libationem quamdam, & ſacrificium coram Domino. Ut hanc ſententiam fulciant, animadvertunt, communiter olim aquæ libationes obtinuiſſe. Theophraſtus apud Porphyrium (1) tradit, olim ab exordio libationes aquæ obtinuiſſe, poſt illas ſucceſſiſſe ex melle, & poſtremas omnium meri libationes. Veterem hunc morem demonſtrat ex columnis in Inſula Creta, deſcriptos ferentibus veteres ritus Corybantum. Narrat idem Porphyrius (2), apud Ægyptios cantorem effundere aquas, atque ignis flammam excitare in Templo, Deo præſide invocato. Morem fundendi aquas lacus Averni, vel illis deficientibus aliunde hauſtas, memorat Virgilius Æneidos IV.

Sparſerat & latices ſimulatos fontis Averni.

Docet Homerus, ſocios Ulyſſis vini defectum ſupplevisſe aquæ libatione in eo, quod offerebant Diis, ſacrificio (3). Fudiſſe aquam in libationem Domino Davidem, ignorat nemo (4); quam aquam tres illi viri exercitus ejus fortiſſimi e ciſterna Bethlehem ingenti vitæ diſcrimine hauſerant. Poſtrema Feſti Tabernaculorum die moris erat apud Judæos (5) inſigni acclamationum & rituum pompa ad hauriendas aquas fontis Siloes proficiſci, ſacrificio offerendas in Templo coram Domino. Eo ſpectaſſe creditur Jeſus Chriſtus, cum poſtrema Feſti die ſtans clamabat (6): *Si quis ſitit, veniat ad me.* Nullæ quidem aquarum libationes præſcribuntur in lege; ſed neque interdicuntur: cur igitur interdum ſingularis ille ritus exhiberi non potuerit? Nonne Samuel holocauſta extra Tabernaculum obtulit, quamquam id aperta Legis ſanctione interdicebatur? Hæc ſuccurrunt in patrocinium hujus ſententiæ: cæterum non magnopere refert quid quiſque pro arbitrio philoſophetur de hac cæremonia: hujus expoſitio obſcura ſemper & in incerto verſabitur. Sunt qui credant, populum eluiſſe ſeſe balneo, eluiſſe pariter & veſtes, quemadmodum & alias uſu obtinuiſſe conſtat (7).

Judicavit filios Israel in Masphath. Judicis Iſraelis dignitatem adivit; ab univerſo populo agnitus eſt, & primum dignitatis illius munus in Maſphath exercuit (8).

℣. 7. Ascenderunt Satrapæ Philistinorum. Certiores facti de conventu illo populi, lectoque in principem Samuele, intellexerunt, Iſraelitas reditu Arcæ audaciores, tamquam ſpondentes ſibi conciliatum Numinis favorem, fultoſque conſiliis ac precibus viri Prophetæ, cujus nomen celebre jam eſſet, non defuturos, quin omni conatu pro libertate ſibi vindicanda pugnarent: quare prævenire illos opus eſſe cenſuerunt. Animadverſum eſt ſupra, reputari omnino oportere, Iſraelitas conveniſſe armatos; ſtatim enim in prælium eunt, hoſtes fugant, & inſignem de illis victoriam referunt.

℣. 9. Tulit agnum lactentem unum, et obtulit illum holocaustum integrum Domino. Tres hic difficultates expendendæ ſunt. Prima, cur Samuel lactentem agnum obtulerit, vetante lege (9), ne coquatur hœdus in lacte matris ſuæ, ideſt, ne lactens adhuc in ſacrificium immoletur. Altera, cur Samuel non Sacerdos ſacrificium offerre auſus fuerit. Tertia, cur obtulerit extra Templum vel Tabernaculum, contra apertam legis ſanctionem. Tria hæc ita ſolvuntur. Cautio ne coquatur hœdus in lacte matris ſuæ, definienda eſt ad hœdum vel agnum paſchalem, qui anniculus, ideſt, aliquantulum adultus imperatur: de cæteris autem victimis nihil interdictum erat; modo tamen per ſeptem dies lactaſſent (10): *Septem diebus erunt ſub ubere matris ſuæ; die autem octavo & deinceps offerri poterunt Domino.* Ad alterum quod objiciunt, reponimus, non ſatis conſtare, utrum Samuel per ſe an ſacerdotis alicujus miniſterio ſacrum operatus fuerit. Familiare enim eſt, ut a nobis factum dicamus, quod ab alio nobis curantibus præſtatur. Quamvis vero fateremur, Prophetam obtuliſſe ſacrificium, fieri potuit, ut peculiari Dei revelatione a communi lege in hac re eximeretur. Ad tertium dicimus, apud Moyſem ſermonem eſſe tantummodo de rebus conſuetis, deque vulgaribus Iſraelitis, quibus vetitum eſt ſacrificia alibi quam in Tabernaculo offerre. Singulares rerum eventus, & neceſſitas leges communes prævertunt; ac Prophetæ, utpote Divinæ voluntatis Interpretes, norunt quando leges ſervandæ ſint, quando ſolvendæ.

Holocaustum integrum. Quid ſibi vult hoc עולה כליל? An holocauſta non integra a quoquam offerebantur? *Integrum* holocauſtum obtulit Samuel, ideſt, perfectum omni macula & defectu carens (11); vel integrum obtulit, cum ſatis temporis illi non fuerit, ut in fruſta concideret, ex Lege (12). Denique obtulit *integre* victimam in holocauſtum: additur illud *integre* ex pleonaſmo, ut commode etiam omitti poſſit. Septuaginta (13): *Obtulit cum univerſo populo.*

℣. 10. Cæsi sunt a facie Israel. Quam plena & quanti momenti victoria relata ſit, hiſtoriæ hujus ſeries demonſtrat. Modeſtiſſime de illa quidem agit Samuel, ſive alius Libri hujus Scriptor; ſed quæ ex ea provenerint Iſraelitis commoda, pro occaſione lectoribus demonſtrat. Proſtrati Philiſtæi cervicem erigere ſolidis viginti annis auſi non ſunt: reſtituta eſt Iſraelitis libertas, uſurpatæ ab hoſtibus urbes ad Hebræos veteres dominos redierunt. Clades hæc ex graviſſimis eſt, & victoria inter maximas, quæ in Scriptura narrantur. Tunc autem Deus Iſraelitarum partes defendit, hoſtes tonitru concuſſit, dejecit fulminibus, procella diſſipavit. Porro hoſtium exercitus non ſolis conſtabat principibus & militibus Philiſteis, ſed auxiliaribus etiam Tyriis augebatur, uti docet Author Eccleſiaſtici (14). Hæc omnia victoriæ hujus magnitudinem oſtendunt.

℣. 11. Bethchar בית כר. Sonat id nomen, *domus agni*, vel *ovile*. De urbis hujus ſitu inter Geographos non convenit. Sunt qui (15) eumdem eſſe locum credant cum *Sen*, de quo infra ℣. 12. Cenſet Bonfrerius, Bethcar non longe abfuiſſe ab Aphec & Bethſames, adeoque ad Tribum Juda pertinuiſſe (16). Occurrit *Betakar* inter Jezrael & Samariam (17). Urbs Ceila, alio etiam nomine Bethſacat appellata eſt.

℣. 12.

---

[1] Porphyr. de abſtin. lib. 2. Τὰ μὲν ἀρχαῖα τῶν ἱερῶν νηφάλια τοῖς πολλοῖς ἦν. νηφάλια δὲ ἐστὶ ὑδρόσπονδα.
[2] Idem lib. 4. p. 175. Edit. Lugd. an. 1610. Ἀνάπτοντα τὰ ὑπερῷα τὸ ὕδωρ καὶ τὸ πῦρ φαίνοντες . . . . . ἐγείροντι τὸν Θεόν.
[3] Homer. Odyſſ. M.

Οὐδ' εἶχον μέθυ λεῖψαι ἐπ' αἰθομένοισ' ἱεροῖσιν,
Ἀλλ' ὕδατι σπένδοντες.

[4] 2. Reg. XXIII. 16. *At ille bibere noluit, ſed libavit eam Domino.*
[5] Vide Outram. de ſacrific. l. 1. c. 8. ad fin. Et Saubert. de ſacrif. c. 24. 25. Lamy Introduction.
[6] Joan. VII. 24.
[7] Geneſ. XXXV. 2. Exod. XIX. 24.
[8] Serar. Cajet.
[9] Exod. XXIII. 9. *Non coques hœdum in lacte matris ſuæ.*
[10] Levit. XXII. 27.
[11] Eccli. XLVI. 19. *In oblatione agni inviolati.*
[12] Levit. I. 12.
[13] Ἀνήνεγκεν αὐτὸν ὁλοκαύτωσιν τῷ κυρίῳ σὺν παντὶ τῷ λαῷ.
[14] Eccli. XLVI. 21. *Contrivit Principes Tyriorum, & omnes duces Philiſthiim.*
[15] Jun. Malv. Piſc.
[16] Bonfr. Onomaſt.
[17] 4. Reg. X. 12.

℣. 12. Inter Masphath et inter Sen. Reddi poteſt Hebræus (1): *Inter Maſphath & Dentem*, ideſt, lapidem illum præruptum, cui ex figura nomen dentis inditum eſt. Interdum Hebræi rupes nomine dentium appellant. Hunc locum vocat Chaldæus, *Sina*; Syriacus & Arabs, *Beth-Jaſan*.

Lapis adjutorii. Ipſa eſt *Aben-Ezer*, de qua actum eſt (2). Monumentum hoc victoriæ ſuæ Samuel una cum populo victore ponit: ſimul autem omnes agnoſcunt, grande illud beneficium accepiſſe ſe ope Domini exercituum. Erecto hoc monumento inſculpta fuiſſe creditur hæc ſententia: עד הנה עזרנו יהוה *Huc uſque auxiliatus eſt nobis Dominus*: huc uſque Domino opem ferente hoſtes inſecuti ſumus. At licitum ne erat monumenta in Iſraele erigere? Nonne hæc interdixerat Deus aperta legis ſanctione (3)? *Non erigetis titulos, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum.* Interdicta erant equidem monumenta, ſive quæ colerentur, ſive quæ in diſcrimen idololatriæ adducerent. Quæ vero in Dei honorem ita erigebantur, ut memoria tantum extaret inſignis alicujus eventus, nec Lege ulla prohibebantur, nec exemplis in Iſraele frequentibus carent. Viri etiam ſanctiſſimi nulla religione ab ea re abſterrebantur, adhibitis tamen neceſſariis ad impediendam ſuperſtitionem cautionibus. Id autem aliis permiſſum, multo etiam æquius ſibi arrogabat Samuel, qui nihil præſtitiſſe creditur inconſulto eo, quo afflante loquebantur, Spiritu.

℣. 13. Nec apposuerunt ultra, ut venirent in terminos Israel. Continuerunt ſeſe ab ea ditione, quamdiu Samuel rebus præfuit: ſed regnum ineunte Saule (4), iterum in eam perruperunt. Hanc autem exceptionem Textus ipſe ſufficit, ſubdens: *Facta eſt manus Domini ſuper Philiſtæos cunctis diebus Samuelis*. Cæterum etiam conſtat, perſimiles loquendi phraſes, *non apponere ultra*, nihil aliud innuere quam longi temporis intermiſſionem. Ita Deus urbibus Tyri (5), Sidonis (6), aliiſque denunciat futurum, ut non ultra reſtituantur, quamquam conſtat, etiam poſt impleta oracula illa Prophetarum, priſtinæ gloriæ aliquid illas recuperaſſe. Ita pariter cum Deus ſpopondit Davidi futurum, ut ejus populus nulla ulterius moleſtia turbaretur (7), indicabat ſolummodo, populum diuturna pace fruiturum. Cum etiam Scriptura tradit, latrunculos Syriæ non ultra rediiſſe in ditionem Iſraelis (8), ac paulo poſt narrat Syrorum in regionem Iſraeliticam irruptionem, nihil ſibi contrarium affirmat; ſecunda enim hæc Syrorum incurſio diu poſt primam contigit (9).

Facta est manus Domini super Philisthæos. Gravis facta eſt ſuper illos; duræ animadverſioni ſubjecit. Hæc phraſis deſignat interdum opem & protectionem Dei, uti (10): *In Juda facta eſt manus Domini, ut daret eis cor unum*, ideſt, perfecta charitate illos conjunxit. Sæpe manus Domini eſt Spiritus S. in Prophetam operatio (11): *Manus Domini facta eſt ſuper Eliam, & currebat ante Achab, donec veniret in Jezrahel.*

℣. 14. Redditæ sunt Urbes . . . ab Accaron usque Geth. Accaron & Geth Philiſtæis parebant; ſed inter utramque mediæ erant urbes quædam Daniticæ, quæ ad eam Tribum redierunt. Hinc autem illud illuſtratur, quod in Libro Judicum xviii. 1. legitur, Danitas ſcilicet cum Urbes ditionis ſuæ ſubigere non poſſent, coactos fuiſſe alias ſibi procurare ſedes; habuiſſe autem ſibi in Urbe Laiſa, quam occupaverant ad radicem Libani, Idolum Michæ, *omni tempore quo fuit domus Dei in Silo*, ideſt, uſque ad initum a Samuele regimen, cum Arca in Cariath-jarim locata eſt, ac Philiſtæi ſecedere ab iis Danitarum urbibus, quas occupabant, coacti ſunt. Vide quæ diſſeruimus in Judices xviii. 30. 31.

Liberavitque Israel de manu Philistinorum. Jam inde a quadraginta annis (12) Philiſtæi arma exercuerant in Iſraelem, ac miſeros Hebræos omni moleſtiæ genere oppreſſerant: nec ſervitus iſta quidem fuit, nec apertum ſemper bellum: ſed Philiſtæi viribus ſuperiores, perpetuo infeſtabant Iſraelitas. Samſon quidem moleſtias illis graves intulerat; ſed ita in ordinem redigere non potuit, ut Iſraelitas eorum moleſtia liberaret. Legimus ſuperius bellum, quod Iſraelitis intulerunt, cum Arca in eorum manus incidit: proſpero illo eventu ſuperbientes, rem iterum cum populo Dei tentarunt: at Samuel remota cauſa, quæ mala illa in Iſraelem provocaverat, fregit Philiſtæos, coegitque ea remittere, quæ ex Iſraelitis uſurpaverant. Hic finis ſervitutis quadraginta annorum ſub Philiſtæis.

Textus Hebræus ita pariter redditur: Reſtitutæ ſunt Iſraeli urbes, quas Philiſtæi occupaverant ab Accaron uſque Geth (13), *& liberavit earum terminum Iſrael*, ideſt, adjacentem urbibus hiſce Iſraelitarum uſurpatis regionem, *e manibus Philiſtæorum*. Non modo coacti ſunt Philiſtæi reddere urbes, ſed & ab illarum finibus longius remoti ſunt, ut plena libertas regimini pareretur.

Eratque pax inter Israel et Amorrhæum, ideſt, reliquias Chananæorum, veterum incolarum regionis, qui ſub Amorrhæorum nomine non raro cenſentur. Quieti autem illi vivebant, & Hebræis ſubditi: hos vero Samuel toto regiminis ſui tempore in ordine continuit.

℣. 15. Judicavit Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ. Samueli centum annorum circiter vita tribuitur: agebat quadraginta ferme annos, cum rebus præfectus eſt (14): opus eſt igitur, ut Iſraeli ſexaginta circiter annis præfuerit. Quo autem pacto iſta cohæreant cum Regno Saulis, cujus exordium cum vigeſimo regiminis Samuelis componitur? An Samuel munus Judicis retinuit per totum Saulis Regnum? Reſponderi poſſet, Samuelem omni vitæ ſuæ tempore authoritatem obtinuiſſe ſummam tum in reliquum populum, tum in Saulem, non modo in cauſis Religionis, ſed in privatis etiam Iſraelitarum (15); cujus authoritatis exempla plura in hac hiſtoria ſeſe offerent. Ita in bello Ammonitico Saul edixit, eum qui ſeſe & Samuelem non ſequeretur, paſſurum in bobus ſuis, quod tunc propriis ipſe Rex bobus faceret: ſtatimque illos in fruſta concidit. Cum Philiſtæi aggreſſi ſunt Iſraelem, Saul rebus ſacris operatus eſt, non expectato Samuele; in cujus rei pœnam a Deo reprobatus eſt. Samuel juſſu Dei denunciat bellum in Amalecitas, ejuſque gentis Regem, cui Saul pepercerat, manu ſua interficit. Mortuum Samuelem, tamquam Principem ſuum luxit populus. Saulis authoritas minor tum fuit apud populum, cum aperuit Propheta, reprobatum eſſe illum a Deo, ejuſque loco ſubſtitutum eſſe alterum ex Dei voluntate, cumque Davidis electio palam facta eſt. Qui per intervalla Regem invadebat furor; ineptum illum juri dicundo ad populum reddebat; ejuſque authoritas tota ad res bellicas redigebatur. Samuel ſemper unus habitus fuit oraculum Iſraelis, & gentis ſuæ unicus conſul. Sunt qui (16) verba illa, *Cunctis diebus vitæ ſuæ*, definiant ad viginti annos, qui Saulis Re-

---

[1] בין המצפה ובין השן [2] 1. Reg. iv. 1. ℣. 1. [3] Levit. xxvi. 1. [4] 1. Reg. xiii. 5. . . . . 17. [5] Iſai. xxiii. 12. *Non adjicies ultra ut glorieris.* Et ℣. 15. *In oblivione eris, o Tyre, ſeptuaginta annis.* [6] Jerem. xlvii. 4. Ezech. xxviii. 24. [7] 2. Reg. vii. 10. [8] 4. Reg. vi. 23. [9] Vide Mendoz. Sanct. [10] 2. Paral. xxx. 12. [11] 3. Reg. xviii. 46. [12] Vide Judic. xiii. 1. *Tradidit eos in manus Philiſthiim quadraginta annis.* [13] ואת גבולן הציל ישראל מיד פלשתים Septuag. Καὶ τὸ ὅριον αὐτῶν ἀφείλαντο Ἰσραὴλ ἐκ χειρὸς τῶν ἀλλοφύλων. [14] Vide Tabulam Chronologicam. [15] Cajet. Jun. Piſc. Malv. Cornel. Serar. alii. [16] Mendoza.

Regnum præceſſerunt; poſitumque id cenſent in exemplum numeri indefiniti pro numero certo. Hæc vero expoſitio violenta nimis eſſe videtur.

℣. 16. Circuiens Bethel, et Galgala, et Masphath, ut facilis acceſſus pateret populo, qui cauſas dicturus veniebat. Facilis enim erat ex tota Tribu Ephraimi aliiſque ſeptemtrionalibus regionis partibus via in Bethel; ex Tribubus Beniamini & Transjordanicis, in Galgalam; ex Juda, Simeone & Gad, in Maſphath. Deinde Propheta filios ſuos conſtituit in Berſabee, quæ regio erat ad extremam oram meridionalem regionis, Ægyptum verſus. Sunt qui credant (1), Bethel hic poſitum eſſe pro *Domo Domini*, ideſt, Cariath-jarim, ubi Arca tunc conſidebat. Pro *in ſupradictis locis*, legunt Septuaginta: *In omnibus ſanctificatis his locis*; alii: *In omnibus locis, ubi aliquis ſanctorum erat*.

℣. 17. Revertebatur in Ramatha. Subſtiterat eo uſque Samuel in Silo, miniſterio Tabernaculi addictus, uſque ad captam Arcam, & obitum Heli. Voto a matre nuncupato, conſecratus erat Domino devotione perpetua (2): *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ſuæ*. Ut vero renunciatus eſt Judex Iſraelis, cujus munera aſſiduum Tabernaculi miniſterium non ferebant, ſedem in Ramatha patria ſua locavit.

Ædificavit ibi altare Domino, ex privata religione ſua, & ad communem populi religionem fovendam, populi, inquam, confluentis in Ramatham, vel ut conſuleret Prophetam, vel ut cauſas diceret. Cæterum hoc viri factum, erigendi ſcilicet altare extra Tabernaculum, haud aliter accipiendum eſt, quam ut ſolutio quædam communium legum, id non obſcure vetantium (3). Secutus eſt autem ea in re majus illud humano, quod ſibi affulgebat, lumen; neque id exempli in cæteris excuſari potuiſſet, niſi in Propheta ejus ſanctimoniæ, & erga Divinas leges obſequentis adeo & religioſi.

(1) Jun. Piſc. Malv. Glaſſ. (2) 1. Reg. 1. 11. & 28. (3) Deut. XII. 3. 4. 5. & ſequ.

CAPUT VIII.

Filii Samuelis avaritia ſe corrumpi ſinunt. Pertæſus populus regiminis Judicum, Regem ſibi poſtulat. Samuel exhibet pro concione jus Regium, & populus in ſententia perſeverat.

℣. 1. FActum eſt autem, cum ſenuiſſet Samuel, poſuit filios ſuos judices in Iſrael. A. M. 2908. ante J. Chr. 1096.
2. Fuitque nomen filii ejus primogeniti Joel: & nomen ſecundi Abia, judi-
cum in Berſabee. 3. Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus: ſed declinaverunt
poſt avaritiam, acceperuntque munera, & perverterunt judicium. 4. Congregati ergo
univerſi majores natu Iſrael, venerunt ad Samuelem in Ramatha. 5. Dixeruntque ei:
Ecce tu ſenuiſti, & filii tui non ambulant in viis tuis: conſtitue nobis regem, ut ju-
dicet nos, ſicut & univerſæ habent nationes. 6. Diſplicuit ſermo in oculis Samuelis,
eo quod dixiſſent: Da nobis regem, ut judicet nos. Et oravit Samuel ad Dominum.
7. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus, quæ loquun-
tur tibi: non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. 8. Juxta omnia
opera ſua, quæ fecerunt a die, qua eduxi eos de Ægypto uſque ad diem hanc: ſicut
dereliquerunt me, & ſervierunt diis alienis, ſic faciunt etiam tibi. 9. Nunc ergo vo-
cem eorum audi: verumtamen conteſtare eos, & prædic eis jus regis, qui regnatu-
rus eſt ſuper eos. 10. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui
petierat a ſe regem, 11. Et ait: Hoc erit jus regis, qui imperaturus eſt vobis: Fi-
lios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores
quadrigarum ſuarum, 12. Et conſtituet ſibi tribunos, & centuriones, & aratores a-
grorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum, & curruum ſuorum, 13.
Filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias, & panificas: 14. Agros
quoque veſtros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis. 15. Sed &
ſegetes veſtras, & vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis, & famulis ſuis.
16. Servos etiam veſtros, & ancillas, & juvenes optimos, & aſinos auferet, & po-
net in opere ſuo. 17. Greges quoque veſtros addecimabit, voſque eritis ei ſervi.
18. Et clamabitis in die illa a facie regis veſtri, quem elegiſtis vobis: & non exau-
diet vos Dominus in die illa, quia petiſtis vobis regem. 19. Noluit autem popu-
lus audire vocem Samuelis: ſed dixerunt: Nequaquam: Rex enim erit ſuper nos,
20. Et erimus nos quoque ſicut omnes gentes: & judicabit nos rex noſter, & egre-
dietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis. 21. Et audivit Samuel omnia
verba populi, & locutus eſt ea in auribus Domini: 22. Dixit autem Dominus ad
Samuelem: Audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos regem. Et ait Samuel ad vi-
ros Iſrael: Vadat unuſquiſque in civitatem ſuam.

℣. 1. CUM SENUISSET SAMUEL. Agebat Samuel ætatis annos circiter ſexaginta, cum filios ſuos Judices conſtituit, quorum brevi poſt initum munus mores pravi in apertum prodierunt; neque regimen niſi unico anno vel per biennium tenuere. Porro authoritatem illis contulit Samuel non deſpoticam, neque enim a dignitate Judicis ipſe ſe abdicavit. *Judicavit* ille *Iſraelem cunctis diebus vitæ ſuæ*, uti legimus in capite præcedenti. Recenſetur autem ſemper Judicum Iſraelitarum poſtremus, cum filii ejus vicariam & minorem ſub illo gererent poteſtatem.

℣. 2. JUDICUM IN BERSABEE. Berſabee urbs eſt inter remotiſſimas & maxime meridionales Chanaanitidis: nec ſatis intelligimus, cur Samuel ibi filios ſuos ſtatuerit, ut vicariam pro ſe gererent poteſtatem. Tradit Joſephus (1), ex his unum collocaſſe in Bethel, alterum in Berſabee; qua in re ducem illum Interpretum plures ſequuntur. Alii ita vertunt Hebræum (2): *Poſuit illos Judices uſque ad Berſabee*, in univerſam regionem, uſque ad Berſabee, vel a Dan uſque ad Berſabee; vel denique a Ramatha, ubi ipſe conſidebat, uſque ad eam urbem, quæ remotiſſima erat in Palæſtina, ad meridiem (3). Suppetunt exempla complura, in quibus præpoſitio *In* uſurpatur pro *uſque*. *Non accedet ad te* [Hebræus *in te*] *malum* (4), ideſt, uſque ad te.

℣. 3. PERVERTERUNT JUDICIUM, inique judicarunt: ad literam יטו משפט, reddiderunt judicium ſiniſtrum. Parem loquendi phraſim habes apud Homerum (5). Animadverſione digniſſimum judicamus, e viris ſummis, in ſacra & profana hiſtoria notis, pleroſque habuiſſe liberos a parentum virtute plane degeneres (6). Legimus ſuperius filios Heli, qui ſub ipſis patris oculis in vitium fræna laxarunt. Hic autem filii Samuelis ſanctitati parentis nihilo melius quam illi reſpondent. Hujus ne rei cauſa referenda in illud fuerit, quod viri illi ſummi rebus publicis occupati, minus quam par erat, ſolicitudinis impendere poſſent filiorum educationi; an vero quod liberi proſpera fortuna & honore familiæ ſuæ contenti, gloriam ſibi virtutibus comparare neglexerint, quaſi patris virtus ſatis ſuperque ſibi meriti loco eſſet?

℣. 5. CONSTITUE NOBIS REGEM UT JUDICET NOS, qui nos moderatur, & regat; *judicare* enim interdum pro univerſa ratione dominandi uſurpatur (7). Si enim Judicem ſibi tantummodo, qualem eo uſque habuerant, petiiſſent, nihil cauſæ fuiſſet, cur hoc poſtularent; voti enim compotes fuiſſent, modo rogaſſent Samuelem, ut filios exauctoraret, vel ut ipſe ſe a dignitate Judicis non abdicaret, ita tamen ut per varias regionis urbes non diſcurreret quemadmodum eo uſque præſtiterat, itineris enim labores gravis viri ætas non ferebat. Regem optantes, ut petitionis hujus invidiam vel tollant vel leniant, ita illam temperant: *Ut judicet nos*. Cauſam prætexunt ab affecta Samuelis ætate, ac filiorum ipſius malitia, ut a regimine amoveant, ſingulari plane ingrati animi crimine, ſapientiſſimum ſenem & ſanctiſſimum Prophetam, cui omnia debent. Impuliſſe illos in eam petitionem videtur etiam metus Naas Regis Ammonitarum, qui urbi Jabes Galaad minitabatur.

SICUT ET UNIVERSÆ HABENT NATIONES. Vicinæ omnes gentes Regibus ſuis parent. Eſt autem Monarchiæ ſtatus omnium in Oriente vetuſtiſſimus: *Suetus Regibus Oriens* (8). *Principia rerum, gentium, nationumque imperium penes Reges erat* (9).

℣. 6. DISPLICUIT SERMO IN OCULIS SAMUELIS. Nihil utique gravius eſſe poterat Samueli: ut enim prætereamus inſignem injuriam, & perſonæ illius & familiæ illatam, qui ferre poterat ingrati animi vitium Iſraelitarum erga Deum, & populi in malum ſuum ruentis cæcitatem? Adde peſſimum illud conſilium quod inivit populus. Iſrael, natio inter omnes glorioſiſſima & clariſſima, quippe quam Deus a cæteris diſtinxerat, optabat fieri ſe cæteris omnibus ſimilem, & quaſi Deus vel ipſe per ſe vel per conſtitutum a ſe Judicem illos e manibus hoſtium eruere non valeret, poſtulabant ſibi Regem, cujus ductu & ſententiis regerentur. Subduci ſcilicet volebant Dei manibus, ut manui hominum traderentur, & pro Reipublicæ ſtatu plane Divino, ac regimine Theocratico, monarchicum imperium eligebant, durum & abſolutum, cervicibus illorum graviſſimi jugi loco futurum.

ORAVIT SAMUEL. Tradit Joſephus (10), totam noctem egiſſe inſomnem, & inquieto animo agitantem ea quæ a populo audierat: in hac autem animi procella verſanti Deum per viſum apparuiſſe.

℣. 7. AUDI VOCEM POPULI. Poſtulata ejus concede. Iratus Deus id concedit quæ miſertus negaret: in ira ſua largitur ea quæ nos poſtulamus, cum ſcilicet ea petimus, quæ ſane petenda non eſſent, & deſideramus quæ amanda non forent: *Iratus Deus dat amanti quod male amat*, ait S. Auguſtinus. Aſſentitur Deus poſtulatis illorum: fieri patitur, ſed facienda non præcipit. Ajunt Hebræi (11), Deum tradidiſſe Saulem Iſraelitis eo ſolum conſilio, ut eos puniret; norat enim ſævum & impotens ejus Principis ingenium. Docet S. Hieronymus, in Oſee VII. *Non ex voluntate Dei, ſed ex populi errore* [Saul] *Rex factus eſt*.

℣. 9. PRÆDICERIS JUS REGIS. Lis eſt inter eruditos de ſenſu horum verborum. Sunt qui credant imperatum fuiſſe Samueli, ut populo exponeret jura, juſtaque commoda, quæ Reges ſibi eſſent vindicaturi, omnique ex populo exacturi. Opinionem hanc valide tuetur Grotius (12), docens, plus ineſſe Principi juris in bona privatorum ad communem utilitatem, quam privatorum in res ipſas ſuas; uti & privatis præceptum gravius imponi, ut ſuccurrant indigentiæ Reipublicæ, quam ut æs alienum ſolvant. Sed Interpretum plerique (13) tuentur, Prophetam expoſuiſſe tantummodo quæ futura prævidebat, quæ tamen authoritate ſua neque probaret neque tueretur; quin potius eo illum ſpectaſſe, ut a temerario conſilio populum removeret. Quæ ſane æquitas ineſſe poterat iis, quæ pro concione dicebat Samuel, Regem nempe in Præfectos ſuos derivaturum agros, vineas & oliveta ſubditorum? Jure ne Achab vineam Naboti exigebat? Hebræa vox משפט המלך ſonans jus vel judicium, ſignificat etiam morem, uſum, conſuetudinem. Juxta hunc ſenſum, jus Regium illud dicitur, quod ſibi permiſſum Rex arbitraturus eſſet, quod facturus impune, leges denique, quibus Regnum moderaturus foret.

Sed pro contraria huic ſententia reponi poſſet, Reges Orientis, qui ſubditas ſibi gentes perinde habebant ac ſervos, regnum habuiſſe conjunctum cum poteſtate omnia ad arbitrium præſtandi, ut nemini contra excipere fas eſſet. Is mos, ſive juſtus ſive injuſtus, tranſiverat in legem, & Regii juris partem quamdam apud cæteras quidem gentes, non tamen apud Hebræos, conſtituebat. Regibus longe alias ab iis, quæ hic exponuntur, & quas ſibi uſurparunt Regum Juda plerique, leges Moyſes dedit (14): *Cum Rex fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægy-*

---

[1] Joſeph. Antiq. lib. 6. c. 3. Ita & Hiſt. Schol. Raban. Dionyſ. Carth. alii. [2] שמים בבאר שבע
[3] Vide Jun. Malv. Glaſſ. Piſcat. [4] Pſalm. xc. 10. [5] Iliad. Π.
Οἱ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας.
[6] Vide Grot. ℣. 12. c. 11. [7] Vide 4. Reg. xv. 5. J. 4. [8] Tacit. l. 4. Hiſt. [9] Juſtin. l. 1.
[10] Joſeph. Antiqu. lib. 6. cap. 4. [11] Vide Cunæum de Republ. Hebr. & Schicard. jus Regium c. 1.
[12] Grot. de jure Belli & Pacis lib. 1. c. 1. & cap. 4. art. 3. & 4. [13] Cajet. Toſt. Mendoz. Menoc. Sanct. Mart. Tirin. Cornel. a Lap. Vat. Cleric. &c. [14] Deut. xvii. 14. & ſequ.

Digitized by Google

Ægyptum, equitatus numero ſublevatus. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus; neque argenti & auri immenſa pondera. Poſtquam autem ſederit in ſolio Regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium in volumen, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leviticæ Tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & cæremonias ejus, quæ in lege præcepta ſunt. Nec elevetur cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos. Neque declinet in partem dexteram vel ſiniſtram, ut longo tempore regnet ipſe & filii ejus ſuper Iſrael. Jubet Tacitus: *Quomodo ſterilitatem aut nimios imbres & cætera naturæ mala, ita luxum & avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt donec homines; ſed neque hæc continua, & meliorum interventu penſantur.*

℣. 11. Ponet in curribus ſuis. Aſſumet ad ducendos militares currus ſuos, vel e curru præliari coget. Raro curribus utebantur Hebræi; id vero quod fieri poterat ut eveniret, pro concione Samuel denunciabat.

Facietque ſibi equites. Hæc cum præcedentibus conjungit Hebræus (1): *Ponet ſibi in curru ſuo, & in equitibus ſuis*, ſeu potius in equis, vel ſuper equos ſuos. Ex veſtris aliquos aſſumet Rex, ut militares currus ſuos aſcendant, aurigæ & equorum ductores. Hebræum *Paraſch* ſonat equum pariter & equitem (2). De militaribus curribus vide quæ diſſeruimus in diſſertatione de re militari Hebræorum.

Præcursores quadrigarum. Sermo eſt de cuſtodibus, Principes honoris gratia præcedentibus. Hebræus (3): *Current ad facies currus ejus*. Proficiſcentem Cyrum Regem Perſidis exhibet Xenophon curru vectum, cui quatuor millia clypeatorum præcedunt, currum vero ſtipantur lanceariorum duo millia. Vide infra XXII. 17. quæ de curſoribus diſſeremus.

℣. 12. Constituet ſibi Tribunos et Centuriones. Hebræus: *Ponet ſibi Principes mille, & Principes quinquaginta*. Munera ſunt hæc, iis quidem, a quibus geruntur, honorifica: ſed eo ſpectat Propheta, ut illa populus gravia ſibi futura intelligat; ingens enim Præfectorum copia auget ſumptus Principis, adeoque & vectigalia ſubditorum. Oneri etiam & incommodo eſſe poterant iis, a quibus eadem munera gerenda erant, cum inviti ex curis domeſticis & colonicis ad munera militaria vocandi forent.

℣. 14. Agros veſtros . . . . tollet, uti Achabus, qui Naboti vineam uſurpavit (4); ſed Reges æquitatem amantes ab iis privatorum injuriis ſe continent. David ſoluto pretio emit aream Areunæ (5), ut aram Domino ibidem excitaret. Ipſe pariter Achabus vendi ſibi a Naboto vineam ſuam primum petiit.

℣. 15. Vinearum redditus addecimabit. Deus, tamquam Rex Iſraelis ſupremus, ſibi elegit omnium fructuum agri Iſraelitarum decimas, quas ille conceſſit Sacerdotibus & Levitis, tamquam familiaribus ſuis: at ſecundam aliam decimam in ſe derivaturi erant Reges, quam tamen exegiſſe Reges Juda vel Iſraelis, nunquam ſatis aperte prodit Scriptura. Si autem reipſa exegiſſent, nihil in ea re præſtitiſſent aliud, quam quod plures alii Reges faciebant (6). Scitum eſt, Joſephum quintam partem fructuum omnium Ægypti Pharaoni addixiſſe.

Ut det Eunuchis, Præfectis ſuis. Hebræum *Saris* non ſemper verum eunuchum, re ipſa talem, ſignificat; plerumque enim uſurpatur de Aulæ Regiæ Præfecto. Nemo quidem ex Iſraelitis caſtrabatur: ſed ex alienigenis eunuchos habere nulla lege interdictum erat (7).

℣. 16. Juvenes optimos ponet in opere ſuo. En jus addicendi ſubditos ad opera; cujus juris executio ſub Davide & Salomone ſeſe prodit. Salomon enim ædificiis ſuis populum deſtinavit; & Davidi Præfectus erat ſuper opera colonica (8). Septuaginta, Hebræum paulo aliter ac nos legentes, reddunt (9): *Addecimabit gregem boum veſtrorum*.

℣. 17. Vosque eritis ei ſervi. Orientales populi Principibus ſuis ita ſubduntur, tamquam heris mancipia. Is erat Perſarum & Ægyptiorum ſtatus erga Principes ſuos; de Ægyptiis docet apertiſſime Geneſis capite XLVII. Tradit Herodotus (10), viros a conſiliis Cambyſis Regis Perſidis, interrogatos de connubio quod ille cum ſorore ſua conciliare volebat, reſpondiſſe, nullam ſe quidem legem noſſe, inceſta illa connubia permittentem; unam tamen occurrere, quæ Perſarum Regibus liberam daret facultatem gerendi omnia ad arbitrium. Viri quique Principes ſervorum Regis titulo gloriabantur, nec meliorem quam ſervorum conditionem ſubibant. Satrapæ toti imperio præfecti, ipſi Regis fratres, *ſervi magni Regis* appellabantur (11). Inter Orientales omnes nemo liberior erat quam Hebræi; quorum tamen Regibus ſuis ſubjectionem non aliter quam nomine ſervitutis indicat Scriptura. *Numquid non vos ſervi Saul?* exprobrat Goliath Iſraelitis (12). Et paulo inferius: *Si percuſſerit me, erimus vobis ſervi*. Syriam (13), Moabitidem (14), & Idumæam (15) Davidi ſerviſſe legimus. Earum regionum incolæ eidem ſervituti obnoxii erant, ac olim ſervi apud Germanos. *Apud illos* (16) *ſuam quiſque ſedem, ſuos penates regit. Frumenti modum dominus aut pecoris aut veſtis ut colono injungit; & ſervus hactenus paret*. Ita ſerviebant Hebræi, addita tamen obligatione proficiſcendi in prælium ad nutum Principis.

℣. 18. Et clamabitis in die illa. Rei eventus oraculi hujus veritatem plus nimio probavit. Regum Juda & Iſraelis plerique, tyrannico potius quam juſto imperio populos regebant. Oppreſſerunt illos tributis, funeſtis bellis implicarunt; quodque gravius eſt, in Idololatriam pertraxere: in caput denique populi eam provocarunt e Cœlo ultionem, quæ illos una cum Regno adverſariis potentiſſimis & infeſtiſſimis permiſit.

℣. 20. Erimus nos quoque ſicut omnes gentes. Nec iniquior nec æquior eſt noſtra quam illorum conditio. Si malum eſt Regi parere, illud ne pejus nobis quam cæteris aliis gentibus accidet? Si bonum, cur eo careamus? Miram ſane populi amentiam! qui in ſtatu rerum feliciſſimo vivere abnuens, felicitati huic & gloriæ ſuæ vale dicit, ut in ſervitutem & indigentiam ruat; Deum abjiciens, ut homini ſerviat.

(1) וישם לו במרכבתו ובפרשיו (2) Vide Lud. de Dieu, & Boch. de anim. ſacr. p. 1. lib. 2. cap. 6. (3) ורצו לפני מרכבתו (4) 3. Reg. XXI. 16. (5) 2. Reg. XXIV. 21. (6) Vide noſtr. Comment. in Levit. XXVII. 30. (7) Geneſ. XLVII. 24. (8) 1. Par. XXVII. 26. (9) Τὰ βουκόλια ὑμῶν τὰ ἀγαθὰ . . . . ἀποδεκατώσει. Legunt עשר בקריכם pro עשה . . . . בחוריכם (10) Herodot. lib. 3. cap. 31. Ἄλλον μέντοι ἐξευρηκέναι νόμον, τῷ βασιλεύοντι Περσέων ἐξεῖναι ποιέειν τὰ ἂν βούληται. (11) Ariſtot. lib. de Mundo. Στρατηγοὶ καὶ Σατράπαι δοῦλοι τοῦ μεγάλου Βασιλέως. (12) 1. Reg. XVII. 8. 9. (13) 2. Reg. VIII. 6. (14) Ibid. ℣. 2. (15) Ibid. ℣. 4. (16) Tacit. German.

CAPUT IX.

Saul filius Cis conſulturus Samuelem de aſinabus a patre ſuo amiſſis venit. Illum excipiens Propheta, certiorem facit de Regno Iſraelitico ipſi divinitus decreto.

℣. 1. ET erat vir de Beniamin nomine Cis, filius Abiel, filii Seror, filii Bechorath, filii Aphia, filii viri Jemini, fortis robore. 2. Et erat ei filius vocabulo Saul, electus & bonus: & non erat vir de filiis Iſrael melior illo: ab humero, & ſurſum eminebat ſuper omnem populum. 3. Perierant autem aſinæ Cis patris Saul: & dixit Cis ad Saul filium ſuum: Tolle tecum unum de pueris, & conſurgens vade, & quære aſinas. Qui cum tranſiſſent per montem Ephraim, 4. Et per terram Saliſa, & non inveniſſent, tranſierunt etiam per terram Salim, & non erant: ſed & per terram Jemini, & minime repererunt. 5. Cum autem veniſſent in terram Suph, dixit Saul ad puerum, qui erat cum eo: Veni, & revertamur, ne forte dimiſerit pater meus aſinas, & ſollicitus ſit pro nobis. 6. Qui ait ei: Ecce vir Dei eſt in civitate hac; vir nobilis: omne, quod loquitur, ſine ambiguitate venit: nunc ergo eamus illuc, ſi forte indicet nobis de via noſtra, propter quam venimus. 7. Dixitque Saul ad puerum ſuum: Ecce ibimus: quid feremus ad virum Dei? panis defecit in ſitarciis noſtris: & ſportulam non habemus, ut demus homini Dei, nec quidquam aliud. 8. Rurſum puer reſpondit Sauli, & ait: Ecce inventa eſt in manu mea quarta pars ſtateris argenti: demus homini Dei, ut indicet nobis viam noſtram. 9. (Olim in Iſrael ſic loquebatur unuſquiſque vadens conſulere Deum: Venite, & eamus ad Videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.) 10. Et dixit Saul ad puerum ſuum: Optimus ſermo tuus. Veni, eamus. Et ierunt in civitatem, in qua erat vir Dei. 11. Cumque aſcenderent clivum civitatis, invenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerunt eis: Num hic eſt Videns? 12. Quæ reſpondentes, dixerunt illis: Hic eſt: ecce ante te, feſtina nunc: hodie enim venit in civitatem, quia ſacrificium eſt hodie populo in excelſo. 13. Ingredientes urbem, ſtatim invenietis eum, antequam aſcendat excelſum ad veſcendum; neque enim comeſurus eſt populus, donec ille veniat: quia ipſe benedicit hoſtiæ, & deinceps comedunt, qui vocati ſunt. Nunc ergo conſcendite, quia hodie reperietis eum. 14. Et aſcenderunt in civitatem. Cumque illi ambularent in medio urbis, apparuit Samuel egrediens obviam eis, ut aſcenderet in excelſum. 15. Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis ante unam diem, quam veniret Saul, dicens: 16. Hac ipſa hora, quæ nunc eſt, cras mittam virum ad te de terra Beniamin, & unges eum ducem ſuper populum meum Iſrael: & ſalvabit populum meum de manu Philiſthinorum: quia reſpexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me. 17. Cumque aſpexiſſet Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir, quem dixeram tibi, iſte dominabitur populo meo. 18. Acceſſit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, & ait: Indica, oro, mihi, ubi eſt domus Videntis? 19. Et reſpondit Samuel Sauli dicens: Ego ſum Videns, aſcende ante me in excelſum, ut comedatis mecum hodie, & dimittam te mane, & omnia, quæ ſunt in corde tuo, indicabo tibi. 20. Et de aſinis, quas nudiuſtertius perdidiſti, ne ſollicitus ſis, quia inventæ ſunt. Et cujus erunt optima quæque Iſrael? nonne tibi, & omni domui patris tui? 21. Reſpondens autem Saul ait: Numquid non filius Jemini ego ſum, de minima tribu Iſrael, & cognatio mea noviſſima inter omnes familias de tribu Beniamin? Quare ergo locutus es mihi ſermonem iſtum? 22. Aſſumens itaque Samuel Saulem, & puerum ejus, introduxit eos in triclinium, & dedit eis locum in capite eorum, qui fuerant invitati: erant enim quaſi triginta viri. 23. Dixitque Samuel coco: Da partem, quam dedi tibi, & præcepi, ut reponeres ſeorſum apud te. 24. Levavit autem cocus armum, & poſuit ante Saul. Dixitque Samuel: Ecce quod remanſit, pone ante te, & comede: quia de induſtria ſervatum eſt tibi, quando populum vocavi. Et comedit Saul cum Samuele in die illa. 25. Et deſcenderunt de excelſo in oppidum, & locutus eſt cum Saule in ſolario: ſtravitque Saul in ſolario, & dormivit. 26. Cumque mane ſurrexiſſent, & jam eluceſceret, vocavit Samuel Saulem in ſolario, dicens: Surge, & dimittam te. Et ſurrexit Saul: egreſſique ſunt ambo, ipſe videlicet, & Samuel. 27. Cumque deſcenderent in extrema parte civitatis, Samuel dixit ad Saul: Dic puero, ut antecedat nos, & tranſeat: tu autem ſubſiſte pauliſper, ut indicem tibi verbum Domini.

℣. 1. Cis

Digitized by Google

℣. 1. CIS filius Abiel. Legimus in Paralipomenis (1), Cis patrem habuiſſe Ner: quo igitur pacto iſta cohæreant? Reponitur (2), ipſi Ner duplex nomen fuiſſe, ut idem & *Ner* & *Abiel* appellaretur: vel forte Ner & Abiel duo ſunt fratres, quorum uterque apud ipſum Cis nomen patris promeritus fuit, quod alter illum genuerit, alter educaverit (3).

Fortis robore. Hebræus (4): *Vir fortis*, vel robuſtus; ſeu *vir locuples*, potens.

℣. 2. Electus et bonus, et non erat melior illo; vir erat corpore elegantiſſimo, ut illo pulchrior eſſet nemo. Hebræus quidem ad literam verbis Vulgatæ omnino congruit (5). *Electus & bonus, & non vir de filiis Iſrael bonus præ illo*. Conſtat tamen, eamdem vocem, quæ *bonum*, *pulchrum* etiam deſignare: ita legimus de filiabus hominum, puellas fuiſſe *bonas* (6); contra vero de vaccis, quas ſecundo loco vidit per ſomnium Pharao, fuiſſe *malas* (7). Paria interdum uſurpat Homerus, pro *pulchro & magno* habens *bonum & magnum* (8).

Ab humero et sursum eminebat super omnem populum. Corpore erat procero, & Rege digno. Porro nobis illa corporis majeſtas venerationem & obſequium conciliat, & in Principibus ſuis nunquam non optarunt populi, ut eleganti corporis ſtructura commendarentur. Qui corporis majeſtate præſtabant, illos etiam ad ſumma munera vocabant Æthiopes (9); ac memoriæ proditum eſt, Regi cuidam Lacedæmonum indictam fuiſſe mulctam, quod humilem ſtatura uxorem accepiſſet, ea qua nonniſi humili pariter corporis ſpecie Reges poſſent procreari (10). Exhibent Poetæ Deos ſuos & Heroas ſtatura corporis cæteris præſtantiores. Virgilius de Diana: *Gradienſque Deas ſupereminet omnes*: & de Turno (11): *Et toto vertice ſupra eſt*.

℣. 3. Vana, quære asinas. In univerſa hac Hiſtoria lineamenta quædam apparent priſci moris, & primævæ ſimplicitatis. Tunc enim viri Principes, Heroes, non ſecus ac privati quique, agriculturæ & gregibus alendis vacabant; quemadmodum hodie viri Principes & ingenui, venationem & bellum amant, & alia id generis ardua ac laborioſa. Abraham, Patriarchæ & Judices Iſraelis, quos ſane nec vulgaris ingenii homines nec humiles paſtores haberi par eſt, potiſſimas tamen vitæ occupationes in alendis gregibus, colendiſque agris ponebant. Huic vitæ generi ſtudebant Arabes, Idumæi, Moabitæ, & alii plures; nec eamdem vitæ profeſſionem a dignitate ſua alienam ducebant Dii, Heroes, & Principum liberi (12). Paſcere aſinas, & amiſſas illas quærere, probroſum & vulgare tunc non erat apud homines, cum mortales æque omnes eamdem ſimplicitatem profiterentur, & omnes pariter eidem vitæ exercitio ſeſe addixiſſent. Notus eſt in Scriptura (13) quidam e poſteris Eſau, qui Provinciæ & regionis Princeps, aſinos tamen patris ſui curabat. Aſinis in Palæſtina vehi ſolebant Principes, & viri ampliſſimi. Principes Iſraelis verbis hiſce deſignat Debora (14): *Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos*.

℣. 4. Per terram Salisa. Creditur *Saliſa* vel *Saliſſa*, vel *Baal-Saliſa* ipſa eſſe *Segor*, urbs celebris ſeceſſu Lothi, Sodoma fugientis. Ex Judæorum traditione ajunt (15), eam urbem appellari *Saliſſam*, vel *vitulam trimulam* in Prophetis Iſaia (16), & Jeremia (17). Chaldæus vertit: *In terra auſtrali*, ſeu meridionali. Equidem Saliſa vel Segor jacebat ad extremam oram meridionalem maris mortui, Orientem verſus, ſed Euſebio, & S. Hieronymo *Baal-Saliſa* eſt urbs in regione Dioſpolitica XIII. M. paſſibus a Dioſpoli ad ſeptentrionem Jeroſolymæ & in regione Thamna: id autem nos certiſſimum eſſe judicamus. Saul Gabaa digreſſus, montibuſque Ephraim perrexit Baal-Saliſa ad ſeptentrionem, tum pervenit Salim ad Orientem, ut ſe reduceret in regionem Beniamin ad meridiem; dein contendit in regionem Zuph, ubi jacebat Ramatha, quo in loco Samuel verſabatur.

Terram Salim. Cenſuerunt quidam, ipſam eſſe eamdemque ac *Salim* prope Aennon, de qua in Joanne III, 23. Ita vero nomen *Salim* hic ſcribitur שעלים, ut non temere ſuſpicemur, indicare *Sual*, quæ recurrit infra XIII. 17. jacebatque ad Jordanem non longe a Galgalis (18).

Terram Jemini, vel regionem Beniamin. Innui hic facile poteſt Jeruſalem; ut primum e Gabaa ad occidentem, Saliſam urbem Daniticam verſus profectus fuerit, tum vero petierit *Salim* vel Jeruſalem, tandem percurrerit Tribum Beniamin, quæ ubi huic Orientalis erat. Flexo denique ad Gabaam itinere, tranſeuntes per terram Suph, ubi jacebat Ramatha patria Samuelis, ad conſulendum Prophetam venire ſtatuerunt. Id ſi ponatur, tribus diebus itineris viginti quinque leucas confeciſſe illos cenſendum erit.

℣. 5. In terram Suph. In agrum Ramathæ, patriæ Samuelis, quam poſteri Suph frequentabant. Vide quæ diſſeruimus Capite I. 1.

Ne forte dimiserit asinas, et sollicitus sit pro nobis; ne majori pro nobis, quam pro aſinabus, ſollicitudine teneatur.

℣. 6. Vir Dei . . . . . vir nobilis. Hebræus: איש אלהים . . . איש נכבד: *Vir Dei*, *vir glorioſus*, illuſtris, venerabilis. Ita & LXX. Ἄνθρωπος Θεοῦ . . ἄνθρωπος ἔνδοξος.

℣. 7. Quid feremus ad virum Dei? An ignorare poterant Saul ejuſque puer ea quæ apud Iſraelem univerſum increbuerant, Samuelem ſcilicet animum gerere cupiditate habendi vacuum? An perſuadere ſibi potuere, Samuelem communi ariolorum vitio laborare, ut oracula ſua pretio venderet? Minime quidem; ſed ex univerſa Scriptura conſtat, nunquam adiri conſueviſſe Prophetas, quin ferrentur munera in obſequii & grati animi ſignificationem. Qua in re alia erant Veterum ac præſentium noſtrorum ſtudia. Vetuit Deus, ne quis ſe coram Numine vacuis manibus ſiſteret: idem ferme a ſubditis Reges & Principes exigebant, neque hodie pariter ab eo more ceſſatum eſt apud Syros: nemo enim amicus amicum ſine munere viſit; idque ſi quis negligat, ille inofficioſus habetur, & inurbanus (19). Quamquam nihil exigebant Prophetæ, inſitum tamen erga illos obſequium non permittebat, ut ſine munere adirentur. Tributi id erat genus; & vacuas gerere manus a munere, inurbanum erat. Balaam munera & præmia ab iis accipiebat, a quibus conſulebatur (20). Cum Abias filius Regis Jeroboami morbo decumberet, Jeroboamus uxorem ſuam miſit ad Ahiam Prophetam, atque euntem admonuit, ut ſeſe celaret, ne uxor Jeroboami agnoſceretur. Adjecit, ut decem panes, placentas, & favum mellis acciperet, atque ita Prophetam conſuleret (21). Paria item munera Eliſæus accepit. Vir quidam e *Baal-Saliſa* ad Eliſæum viginti panes ex hordeo novoque frumento, veluti primitias, attulit. Naaman, accepta valetudine, ditiſſima mune-

(1) 1. Paralipom. VIII. 33. & IX. 39. (2) Cajet. Mend. (3) Aut. tradit. in R[illegible] Hug. Lyr. &c. (4) גבור חיל ἀνὴρ δυνατὸς ἐν ἰσχύϊ. (5) בחור וטוב ואין איש טוב ממנו [illegible] neſ. VI. 1. Quod eſſent pulchræ. Heb. Bonæ. (7) Geneſ. XLI. 3. (8) Ilia[illegible]
(9) Herodot. lib. 3. cap. 20. (10) Ariſtot. Politic. 4. c. 4. apud Grot. & Cler. [illegible]
(12) Vide Homer. Iliad. A, & paſſim. (13) Geneſ. XXX. 24. (14) Judic. [illegible] tradit. Hebr. in Geneſ. (16) Iſai. XV. 5. *Vectes ejus uſque ad Segor v[illegible] con[illegible]* rem. XLVIII. 34. *A Segor uſque ad Oronaim, vitula conternante.* [illegible] M. de Chaſteuil c. 17. (20) Num. XXII. 7. 17. (21) 3. [illegible]

Et percuſſit de populo ſeptuaginta viros, et quinquaginta millia plebis. Nonne expeditior eſſet & brevior ſententia, ſi ita redderetur: *Percuſſit quinquaginta millia, & ſeptuaginta viros de plebe?* An diſcriminis eſt aliquid inter plebem & populum? Sunt qui (1) cecidiſſe credant ex optimatibus ſeptuaginta, & de reliqua plebe quinquaginta millia. Tradit Joſephus (2), Bethſamitas, accurrentes ut Arcam intuerentur, audenteſque manum admovere, ut e plauſtro illam deponerent, quamquam Sacerdotali munere non fungebantur, Deum fulmine feriiſſe, quo ſeptuaginta viri periere. Sed hac narratione ſua bis repugnat Scripturæ. I. Eo quod aſſerit, populum depoſuiſſe Arcam e plauſtro, quod ſibi munus ſuſcepiſſe Levitas conſtat ex ℣. 15. II. eo quod ſeptuaginta tantum viros interfectos dicat, adverſus apertum teſtimonium Textus Hebraici & Septuaginta Complutenſium. Sed poſtremam hanc rem non hic Hiſtoricus modo, ſed ex Interpretibus alii complures affirmant (3), majorem cæſorum numerum non agnoſcentes. Docent autem, interfeciſſe Deum viros ſeptuaginta, qui merito & dignitate ſua pro quinquaginta millibus valebant: erant enim Patres vel Aſſeſſores Sanhedrii. Ita duplicem Scripturæ ſupputationem ſe conciliaſſe cenſent: quam feliciter, Lectores viderint.

Alii vero aliter (4) nodum expediunt: Interfecit Deus ſeptuaginta viros coram quinquaginta millibus e populo, vel e quinquaginta millibus, ante Arcam collectis, ſeptuaginta necavit. Bochartus (5) aliter reddit: *Percuſſit Deus ſeptuaginta viros e quinquaginta millibus plebis.* Pro tota multitudine ſatis habuit pœnas ſumere e ſeptuaginta viris, ideſt, vigeſimam partem totius abſumpſit. Totus cœtus facile e mille & quadringentis conſtabat: ex his autem ſeptuaginta tantum ſublati ſunt. Aliam etiam interpretationem exhibent Syriacus & Arabs; legunt enim *quinque millia & ſeptuaginta viros*, pro quinquaginta millibus & ſeptuaginta. Ad varias haſce interpretationes confirmandas, animadvertunt Scriptores, ægre admodum in animum induci, unicam urbem Bethſames, ejuſque agrum exhibere potuiſſe virorum quinquaginta millia & ſeptuaginta: tam multos autem viros coactos fuiſſe e vicinia tam cito circa Arcam, quis facile intelligat? Denique non ſatis noſci, cur ſevaram adeo animadverſionem Deus exegerit e populo, in quo tantum inerat pietatis, ſtudii, & obſequii, in Arca Domini excipienda.

Hiſce omnibus non ægre reſpondemus, I. Non ſatis aperte exprimi in Textu, univerſum hunc populum e Bethſamitis collectum fuiſſe. Ita enim redditur ad literam (6): *Et percuſſit in viris Bethſames, quia viderunt in Arca Domini; & percuſſit in populo ſeptuaginta viros, quinquaginta millia virorum.* Commode itaque diſtinguimus Textum in hanc ſententiam. Percuſſit ſeptuaginta viros Bethſamitas, eo quod Arcam aſpexiſſent, & præterea quinquaginta millia virorum e populo; vel juxta Chaldæum, interfecit e Senioribus ſeptuaginta; e reliquo populo Iſraelis quinquaginta millia. II. Cædem hanc unica die accidiſſe ſtatuunt: nulla autem neceſſitate in hanc ſententiam adducimur. Arca longioris temporis ſpatio perſeveravit in agro Joſue, uti ſuperius ℣. 18. diximus, & populus undique ad illam confluebat; e quibus plures eodem curioſitatis pruritu, ac Bethſamitæ, incitati, eadem cum illis pœna obvoluti ſunt, III. Gravis illa ultio in tantam hominum multitudinem nimia illis tantummodo videbitur, qui non ſatis intelligunt, quantum exigeret Deus e populo ſuo timoris & obſequii, quique Dei conſilia & decreta ad humanas rationes expendunt. Denique in re, quam nemo fieri potuiſſe negat, nemo æquitati Dei contrariam cenſet, cur aperta Textus verba alio detorqueantur? Hebræus, Septuaginta, Vulgata, Chaldæus, legerunt uno aſſenſu quinquaginta millia & ſeptuaginta viros: cur igitur litera Textus non retineatur?

Codices quidam Græci initio hujus verſiculi hæc addunt: *Et non ſunt delectati filii Jechoniæ in viris Bethſam, qui viderant Arcam Domini. Et percuſſit in eis ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia virorum.* Id autem exponit Theodoretus (7), docens, filios Jechoniæ punitos fuiſſe merito impietatis ſuæ, & quod ægre tuliſſent reſtitutionem Arcæ: addit autem, populum eidem ultioni obnoxium fuiſſe, quod ne minimum quidem diſcrimen adire voluiſſet, ut Arcam ex hoſtium manibus eriperet. Sed huic de filiis Jechoniæ narrationi fides minima adhibenda eſt, utpote quam fulcit unicus e Textibus Septuaginta minus accuratus & correctus. Reddi etiam poſſet in alium ſenſum, ſcilicet filios Jechoniæ viros fuiſſe pietate & ſapientia præſtantes, qui libertatem Bethſamitarum in contemplanda Arca Domini increpuerint; quæ ſane libertas ſeptuaginta e Bethſamitis capitalis fuit &c.

℣. 20. Quis poterit stare in conspectu Domini? Hæc accipi commode poſſunt tamquam populi querelæ de nimia Dei ſeveritate; quaſi ſcilicet populus nihil curans inquirere de cauſa provocati in ſe Numinis, ut eam auferre ſtudens, Deum placaret, mallet Deum illum tamquam difficilem & pernicioſum a regione ſua amovere. Vel aliter hæc dicta accipi poſſunt de ingenua confeſſione populi, agnoſcentis graviter ſe quidem ab æquiſſimo Judice, at ſine exceſſu, puniri; nulla enim eſt proportio inter Deum læſum, & a ſimplici creatura exhibitam, quæcumque hæc fuerit, ſatisfactionem.

℣. 21. Miserunt nuntios ad habitatores Cariath-jarim. Cur ad hanc urbem præ cæteris? Cur non potius ad Silo, ubi diutius Arca ſubſtiterat, & adhuc Tabernaculum ejus ſtabat? Denique cur hæc ad cives Cariath-jarim renunciantur? *Deſcendite & reducite eam ad vos:* quaſi ſcilicet antea Arcam apud ſe habuiſſent. Sed Hebræus legit tantum (8): *Deſcendite, & aſcendere facite eam ad vos.* Fatendum eſt utique, cauſam ignorare nos, cur Bethſamitæ potius cives Cariath-jarim, quam alios quoslibet convenerint; niſi forte id reputemus, urbem hanc fuiſſe vicinam & ſitu munitam, ubi tutius, quam in Bethſames, Arca detineretur; erat enim Bethſames anguſtus locus, Arcæ majeſtate plane indignus. Manſit autem Arca in agro Joſue Bethſamitæ uſque ad ejus translationem in Cariath-jarim. Vero propius arbitramur, Tabernaculum & reliqua vaſa ſacris miniſteriis deſtinata perſeveraſſe in Silo (9), donec ad Nobe deducta non ſunt, ubi Saulis ætate ſervabantur (10).

Cariath-jarim, *Cariath-Baal*, Joſue xv. 60. *Baala* ibidem ℣. 9. *Baalim-Juda* II. Regum vi. 2. *Sedei-jarim* in Pſalmo xxxi. 6. varia ſunt ejuſdem urbis nomina. Cariath-jarim, Gabaa, & Nobe urbes erant inter ſe propinquæ, & Cariath-jarim nonniſi x. M. paſſibus, vel tribus leucis & ſemis circiter, aberat ab Jeroſolyma. Silo multo ſeptemtrionalior erat in Tribu Ephraimi.

(1) Gregor. Magn. hic; Beda lib. 1. 10. quæſt. in libb. Reg. quæſt. 3. Euch. Angelom. apud Mendozam. (2) Joſeph. Antiq. lib. 6. c. 2. Ὥςτε ἑβδομήκοντα τῶν ἐκ τῆς Βεθσάμης κώμης, οἳ οὐκ ὄντες ἄξιοι ἅψασθαι τῆς κιβωτοῦ, ἱερεῖς γὰρ οὐκ ὄντες καὶ προσελθόντες αὐτῇ, σκηπτῷ ἀπώλοντο. (3) Ita Autor quæſt. Heb. in lib. Reg. Rupert. Lyran. Abul. Clarius, Dionyſ. Carth. Sa, ex Hebræis. (4) Sanct. Serar. Tirin. Sa. Vide Cleric. hic. (5) Boch. de animal. Sacr. part. 1, lib. 2. cap. 36. (6) ויך באנשי בית שמש כי ראו בארון יהוה ויך בעם שבעים איש חמשים אלף איש (7) Theodoret. quæſt. 11. Procop. hic, & edit. Sixt. Οὐκ ἠσμένισαν οἱ υἱοὶ Ἰεχονίου ἐν τοῖς ἀνδράσι Βαιθσαμὺς ὅτι εἶδον τὴν κιβωτὸν τοῦ κυρίου. καὶ ἐπάταξεν ἐν αὐτοῖς ἑβδομήκοντα ἄνδρας, καὶ πεντήκοντα χιλιάδας ἀνδρῶν ἐκ τοῦ λαοῦ. (8) רדו והעלו אתו אליכם (9) Judic. xviii. 31. collatum cum I. Reg. xiv. 3. (10) Vide I. Reg. xxi. 1.

CAPUT VII.

Tranſlatio Arcæ in Cariath-Jarim, ubi viginti annis fuit. Samuel populum hortatur, ut reſtituat ſe Domino: conventus populi in Maſphath. Philiſthæi illatis in Iſraelitas armis, orante Samuele, aguntur in fugam.

℣. 1. VEnerunt ergo viri Cariathiarim, & reduxerunt arcam Domini, & intule-
runt eam in domum Abinadab in Gabaa: Eleazarum autem filium ejus
ſanctificaverunt, ut cuſtodiret arcam Domini. 2. Et factum eſt, ex qua die manſit
arca Domini in Cariathiarim, multiplicati ſunt dies (erat quippe jam annus vige-
ſimus) & requievit omnis domus Iſrael poſt Dominum. 3. Ait autem Samuel ad
univerſam domum Iſrael, dicens: Si in toto corde veſtro revertimini ad Dominum,
auferte deos alienos de medio veſtri, Baalim, & Aſtaroth: & præparate corda veſtra
Domino, & ſervite ei ſoli, & eruet vos de manu Philiſthiim. 4. Abſtulerunt ergo
filii Iſrael Baalim, & Aſtaroth, & ſervierunt Domino ſoli. 5. Dixit autem Samuel:
Congregate univerſum Iſrael in Maſphath, ut orem pro vobis Dominum. 6. Et
convenerunt in Maſphath: hauſeruntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini,
& jejunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccavimus Domino. Judicavit Sa-
muel filios Iſrael in Maſphath. 7. Et audierunt Philiſthiim, quod congregati eſſent
filii Iſrael in Maſphath, & aſcenderunt ſatrapæ Philiſthinorum ad Iſrael. Quod cum
audiſſent filii Iſrael, timuerunt a facie Philiſthinorum. 8. Dixeruntque ad Samue-
lem: Ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum, ut ſalvet nos de
manu Philiſthinorum. 9. Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, & obtulit
illum holocauſtum integrum Domino: clamavit Samuel ad Dominum pro Iſrael, &
exaudivit eum Dominus. 10. Factum eſt autem, cum Samuel offerret holocauſtum,
Philiſthiim iniere prælium contra Iſrael: intonuit autem Dominus fragore magno in
die illa ſuper Philiſthiim, & exterruit eos, & cæſi ſunt a facie Iſrael. 11. Egreſſi-
que viri Iſrael de Maſphath, perſecuti ſunt Philiſthæos, & percuſſerunt eos, uſque
ad locum, qui erat ſubter Bethchar. 12. Tulit autem Samuel lapidem unum, & po-
ſuit eum inter Maſphath, & inter Sen: & vocavit nomen loci illius, Lapis adjuto-
rii. Dixitque: Hucuſque auxiliatus eſt nobis Dominus. 13. Et humiliati ſunt Phili-
ſthiim, nec appoſuerunt ultra, ut venirent in terminos Iſrael. Facta eſt itaque ma-
nus Domini ſuper Philiſthæos, cunctis diebus Samuelis. 14. Et redditæ ſunt urbes,
quas tulerant Philiſthiim ab Iſrael, Iſraeli, ab Accaron uſque Geth, & terminos ſuos:
liberavitque Iſrael de manu Philiſthinorum, eratque pax inter Iſrael, & Amorrhæum.
15. Judicabat quoque Samuel Iſraelem cunctis diebus vitæ ſuæ: 16. Et ibat per ſin-
gulos annos circuiens Bethel, & Galgala, & Maſphath, & judicabat Iſraelem in ſu-
pradictis locis. 17. Revertebaturque in Ramatha: ibi enim erat domus ejus, & ibi
judicabat Iſraelem; ædificavit etiam ibi altare Domino.

℣. 1. REDUXERUNT ARCAM DOMINI. Hebræus: *Aſcendere fecerunt Arcam Domini*: deduxerunt in urbem ſuam, quæ in loco editiori quam Bethſames conſidebat. Qui vero excipere illam in urbem ſuam auſi ſunt, edocti experientia ſeveræ illius animadverſionis, quam Deus exegit de Philiſthæis, & cædis in tantam hominum multitudinem in agro Joſue Bethſamitæ illatæ? Norant profacto illi tot malorum cauſam, quæ mala facile evitaſſent, ſi majori cautione & obſequio, quam quod impenſum fuerat a Bethſamitis, venientem illam excepiſſent. Merito reputamus, Samuelem in hac re conſultum fuiſſe; uti & conveniſſe ad ritum ſolemnem univerſum populum, ut nihil deeſſet ad pompam & rectum apparatus ordinem: denique in hoc populi cœtu agnitum fuiſſe Samuelem in Judicem & Principem gentis. Deinceps enim ea præditum dignitate ſe prodit; nec æquum eſt reputemus, hanc ſibi authoritatem abſque Dei juſſu & conſenſu populi uſurpaſſe. Uſus eſt autem opportuna hac occaſione reditus Arcæ, ut ad abjiciendam Idololatriam, quam ex illis plures admiſerant, Iſraelitas adhortaretur. Admonuit, ut de libertate ſibi procuranda cogitarent; indixitque conventum populi cum armis in Maſphath, ubi ſcilicet neceſſaria omnia ad optimum populi regimen ſtatuerent. Hæc omnia in tota ſerie hujus Capitis ita narrantur, ut conciſæ nimium narrationi plurima ſupplenda ſint. Porro narrationis ejuſdem & eventuum ſeries, ita rem totam actam fuiſſe, quemadmodum hic commenti ſumus, demonſtrat. Samuel, qui primas ſaltem ſchedas, unde hi Libri expreſſi ſunt, exhibuiſſe creditur, plura de ſe modeſtiſſime tacuit, quæ in nimiam ſui gloriam conceſſiſſet; qua viri modeſtia uti nos in morum ædificationem S. Spiritus voluit.

IN DOMUM ABINADAB IN GABAA. Ut ſibi conſtet Scriptura, reputandum eſt, Gabaam ipſam eſſe eamdemque urbem, vel partem aliquam urbis Cariath-jarim. Hebræum *Gabaa* eſt celſitudo; creditur autem domus Aminadabi, utpote quæ in celſiore urbis parte eminebat, aptiſſima fuiſſe præ cæteris, quæ in ſedem Arcæ Domini deſtinaretur.

retur. Id enim apud Veteres generatim omnes menti inſedit, Templa & loca Deo vel Numinibus ſacra in editis locis erigi oportere. Septuaginta (1) cum Interpretibus pleriſque (2) nomen *Gabaa* in ſenſu appellativo pro loco edito uſurparunt. Mirari ſubit, cur Arcam in Tabernaculum ad Silo non retulerint. Vide ℣. poſtremum Capitis præcedentis, & primum hujus.

Eleazarum sanctificaverunt. Certa cauſa, cur Eleazarus prælatus fuerit Aminadabo patri ſuo, in conſecratione & dignitate cuſtodis Arcæ Domini, divinari utique non poteſt. Non temere tamen reputaverim, Abinadabum jam tum deceſſiſſe, ejuſque nomen manſiſſe domui, quam coluerat, five quod illam ædificaſſet, ſive quod ejus familia ibidem verſaretur. Eleazaro duo erant fratres *Ahio* & *Oza*, qui eidem ſucceſſiſſe creduntur in dignitate cuſtodis ſacri depoſiti. De Eleazaro nuſpiam alterius ſermo occurrit in pompa translatæ Arcę ſub Davide: ibi enim ſolum leguntur Ahio, & Oza, filii vel poſteri Abinadabi. Cariath-jarim inter Leviticas urbes non recenſebatur; ſed Abinadab ad Tribum Levi pertinuiſſe creditur (3). Ejus tamen nomen non legitur in cenſu hujus familiæ, ſive quod altero etiam nomine appellaretur, ſive quod remotior eſſet a fonte, ut venire non poſſet in genealogias, quæ ſane non longe in Scriptura deducuntur.

Quid eſſet ea conſecratio, vel ſanctificatio Eleazari in cuſtodem Arcæ, ignoratur. Sunt qui (4) unctum, vel initiatum Sacerdotem credant; quę utique opinio e familia Aaronis Eleazarum temere prorſus accerſit. Malunt alii (5) conſecrationem fuiſſe Leviticam, qua Eleazarus deſtinaretur miniſterio Levitarum, ſolemnibus iis cęremoniis, quę in Numer. VIII. 7. deſcribuntur. Alii denique (6) Hebręam vocem reddunt (7): *Præpararunt*, vel imperarunt ut pararet ſe ad excipiendam domi ſuę Arcam, ſanctificans ſeſe, abſtinens ab exterioribus maculis, a voluptatibus ſenſuum, & lotione veſtium rite: denique nihil omitteret luſtrationum in ſimili rerum articulo præſcriptarum. Poſtrema hęc opinio planior eſt & melior; vox enim Originalis, quę redditur *ſanctificare*, valet etiam ſępe *præparare*.

℣. 2. Et factum est, ex qua die mansit Arca Domini in Cariath-jarim, multiplicati sunt dies: erat quippe jam annus vigesimus, et requievit omnis domus Israel post Dominum. Ex hoc Textu Interpretes plures repetunt eorum omnium, quę hic deinceps referuntur, epocham. Qui vero credibile eſt, Samuelem tamdiu populum monere ceſſaſſe, ut derelictis Numinibus ad Dominum reverteretur? Quo autem pacto hęc hypotheſis cohęreat cum iis, quę leguntur infra, ℣. 13. *Facta eſt manus Domini ſuper Philiſthæos cunctis diebus Samuelis?* Conſtat enim, Prophetam hunc rebus nonniſi vicennio pręfuiſſe. Hinc igitur colligendum eſſet, nunquam ſub eo Judice populum tranquillitate pacis frui potuiſſe, ſi quidem reputandum ſit, Philiſthęorum res minui cœpiſſe poſt viginti demum annos a conſtituta in Cariath-jarim Arca, cœptoque a Samuele Iſraelis regimine.

Pręſtat igitur totum hunc verſiculum intra parentheſim claudere, tanquam penitus avulſum ab iis, quę proxime ſequuntur. Monet nos tantummodo Sacer Hiſtoricus, poſt adventum Arcę in Cariath-jarim, vicennalem pacem conſecutam eſſe in Iſraele, manente populo ad obſequium Domini; quę utique felicitas toto tempore regiminis Samuelis perſeveravit. Statimque poſt hęc narrat Scriptor res primitus geſtas a Samuele ad clavum Iſraelis admoto, qua ratione procuraverit ille populo longam illam vicennalem pacem, quam ante innuerat. Ita ergo Textum Hebręum reddere maluerim (8): *Et factum eſt, ex qua die manſit Arca in Cariath-jarim, longum tempus effluxit, ſpatium ſcilicet viginti annorum, quibus domus Iſrael requievit in pace poſt Dominum.* Poſtrema hęc verba, quę Vulgata reddit, *Requievit poſt Dominum*, alii Interpretes aliter vertunt. Sanctius: *Domus Iſrael, quæ lubrico vacillabat veſtigio, tandem mutato animo, & meliori ſtudio unum elegit Deum, cujus adhæreret auſpiciis, & mandata compleret*. Alii: *Convenerunt ad Dominum*; vel (9): *Fleverunt ejularuntque ad Dominum*. Septuaginta (10): *Reverſi ſunt ad Dominum*; in quam etiam interpretationem Syriacus & Arabs conceſſerunt.

℣. 3. Ait autem ad universam domum Israel. Verba illum feciſſe credimus ad cœtum populi; qui ad cęremoniam translationis Arcę in urbem Cariath-jarim convenerat, ibidemque illum ducem populi renunciatum fuiſſe arbitramur.

Baalim et Astaroth. Vide noſtram Diſſertationem de Numinibus Phœnicum vel Chananæorum. Aquila: *Statuas Aſtartes*. Septuaginta: *Lucos Aſtaroth*.

Præparate corda vestra. Monet nos Deus, ut reſipiſcamus, & corda præparemus; nos autem viciſſim illum rogamus, ut reſipiſcere nos faciat, ablatoque a nobis corde lapideo, ejus loco carneum ſufficiat. Primo docemur, liberos eſſe nos homines, monemurque, quid poſſimus, & quid a nobis præſtandum ſit; altero agnoſcimus, ab illo dari nobis ut velimus, & faciamus: hinc quidem profitemur vivere nos ejus arbitrio ſubditos, ac nunquam non indigere gratia illius, ut bonum præſtemus; inde vero intelligimus noſtram libertatem, & in noſtra poſitam eſſe poteſtate, comite Dei gratia & ope, ut ad Deum convertamur. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis* (11).

℣. 5. Congregate universum Israel in Masphat. Ex univerſa hiſtoriæ hujus ſerie conſtat, cœtum hunc non religionis modo, vel ad deliberandum de rebus totius gentis indictum fuiſſe; armatus coivit populus, aderatque Samuel; Philiſthæi vero ea de re admoniti, eo procurrerunt ad prælium. Maſphath urbs pluribus populi conventibus inclyta, adjacebat viæ Eleutheropoli Jeroſolymam, in Tribu Juda.

℣. 6. Hauserunt aquam, et effuderunt in conspectu Domini. Hoc loco Interpretes liberum ſibi datum philoſophandi aditum credunt. Paraphraſtes Chaldæus dictum accipit de rivulis lacrymarum, manantibus ex oculis Iſraelitarum, coram Domino plorantium. Iſta ne vero literalis habenda eſt expoſitio, ac non potius ad eludendas melius quam tollendas difficultates excogitata? Nonne aptius cum doctis Interpretibus arbitramur (12), effuſam fuiſſe revera aquam, tamquam ſymbolum lacrymarum, quas effundere optabant, & reipſa coram Domino effundebant? Alii effuſam hanc aquam typum eſſe docent animi demiſſi, & humilis, juxta illud Pſal. XXI. 15. *Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea*, vel in argumentum expiationis, juxta illud Jobi XI. 16. *Miſeriæ oblivifceris, & quaſi aquarum quæ prætereunt, recordaberis*. Vel typum fuiſſe volunt effuſi inter precandum cordis, ut in Threnis II. 19. *Effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum*

(1) בגבעה 70. Ἐν τῷ βουνῷ. (2) Pag. Vat. Jun. Kimchi, &c. (3) Joſeph. lib. 6. Antiq. c. 2.
(4) Hugo Card. Dionyſ. Carthuſ. Mendoz. Cornel. a Lap. (5) Cajet. & alii. (6) Heb. in Druſ.
(7) קדשו לשמר את ארון יהוה (8) ויהי מיום שבת הארון בקרית יערים וירבו הימים ויהיו עשרים שנה וינהו כל בית ישראל אחרי יהוה (9) Pagn. Mont. Cajet. Jun. Oſiand. &c. (10) Καὶ ἐπέστρεψε πᾶς οἶκος Ἰσραὴλ ὀπίσω κυρίου.
(11) Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 11. Vide & Aug. de Nat. & Grat. c. 43. Concil. Arauſic. II. c. 25. (12) Grot. Jun. Tirin. Sanct.

ſpectam Domini: leva ad eum manus tuas. Vel denique ritus erat jurantium, quaſi ſcilicet ea laticis effuſione coram Domino ita profiterentur: Pereamus & diſſipemur ſicut aqua, ſi obligatæ hodie ſidei defuerimus.

Alii, omni myſterio in ea re ſepoſito, credunt, effuſam fuiſſe aquam veluti libationem quamdam, & ſacrificium coram Domino. Ut hanc ſententiam fulciant, animadvertunt, communiter olim aquæ libationes obtinuiſſe. Theophraſtus apud Porphyrium (1) tradit, olim ab exordio libationes aquæ obtinuiſſe, poſt illas ſucceſſiſſe ex melle, & poſtremas omnium meri libationes. Veterem hunc morem demonſtrat ex columnis in Inſula Creta, deſcriptos ferentibus veteres ritus Corybantum. Narrat idem Porphyrius (2), apud Ægyptios cantorem effundere aquas, atque ignis flammam excitare in Templo, Deo præſide invocato. Morem fundendi aquas lacus Averni, vel illis deficientibus aliunde hauſtas, memorat Virgilius Æneidos IV.

Sparſerat & latices ſimulatos fontis Averni.

Docet Homerus, ſocios Ulyſſis vini defectum ſuppleviſſe aquæ libatione in eo, quod offerebant Diis, ſacrificio (3). Fudiſſe aquam in libationem Domino Davidem, ignorat nemo (4); quam aquam tres illi viri exercitus ejus fortiſſimi e ciſterna Bethlehem ingenti vitæ diſcrimine hauſerant. Poſtrema Feſti Tabernaculorum die moris erat apud Judæos (5) inſigni acclamationum & rituum pompa ad hauriendas aquas fontis Siloes proficiſci, ſacrificio offerendas in Templo coram Domino. Eo ſpectaſſe creditur Jeſus Chriſtus, cum poſtrema Feſti die ſtans clamabat (6): *Si quis ſitit, veniat ad me*. Nullæ quidem aquarum libationes præſcribuntur in lege; ſed neque interdicuntur: cur igitur interdum ſingularis ille ritus exhiberi non potuerit? Nonne Samuel holocauſta extra Tabernaculum obtulit, quamquam id aperta Legis ſanctione interdicebatur? Hæc ſuccurrunt in patrocinium hujus ſententiæ: cæterum non magnopere refert quid quiſque pro arbitrio philoſophetur de hac cæremonia: hujus expoſitio obſcura ſemper & in incerto verſabitur. Sunt qui credant, populum eluiſſe ſeſe balneo, eluiſſe pariter & veſtes, quemadmodum & alias uſu obtinuiſſe conſtat (7).

JUDICAVIT FILIOS ISRAEL IN MASPHATH. Judicis Iſraelis dignitatem adivit; ab univerſo populo agnitus eſt, & primum dignitatis illius munus in Maſphath exercuit (8).

℣. 7. ASCENDERUNT SATRAPÆ PHILISTINORUM. Certiores facti de conventu illo populi, lectoque in principem Samuele, intellexerunt, Iſraelitas reditu Arcæ audaciores, tamquam ſpondentes ſibi conciliatum Numinis favorem, fultoſque conſiliis ac precibus viri Prophetæ, cujus nomen celebre jam eſſet, non defuturos, quin omni conatu pro libertate ſibi vindicanda pugnarent: quare prævenire illos opus eſſe cenſuerunt. Animadverſum eſt ſupra, reputari omnino oportere, Iſraelitas conveniſſe armatos; ſtatim enim in prælium eunt, hoſtes fugant, & inſignem de illis victoriam referunt.

℣. 9. TULIT AGNUM LACTENTEM UNUM, ET OBTULIT ILLUM HOLOCAUSTUM INTEGRUM DOMINO. Tres hic difficultates expendendæ ſunt. Prima, cur Samuel lactentem agnum obtulerit, vetante lege (9), ne coquatur hœdus in lacte matris ſuæ, ideſt, ne lactens adhuc in ſacrificium immoletur. Altera, cur Samuel non Sacerdos ſacrificium offerre auſus fuerit. Tertia, cur obtulerit extra Templum vel Tabernaculum, contra apertam legis ſanctionem. Tria hæc ita ſolvuntur. Cautio ne coquatur hœdus in lacte matris ſuæ, definienda eſt ad hœdum vel agnum paſchalem, qui anniculus, ideſt, aliquantulum adultus imperatur: de cæteris autem victimis nihil interdictum erat; modo tamen per ſeptem dies lactaſſent (10): *Septem diebus erunt ſub ubere matris ſuæ; die autem octavo & deinceps offerri poterunt Domino*. Ad alterum quod objiciunt, reponimus, non ſatis conſtare, utrum Samuel per ſe an ſacerdotis alicujus miniſterio ſacrum operatus fuerit. Familiare enim eſt, ut a nobis factum dicamus, quod ab alio nobis curantibus præſtatur. Quamvis vero fateremur, Prophetam obtuliſſe ſacrificium, fieri potuit, ut peculiari Dei revelatione a communi lege in hac re eximeretur. Ad tertium dicimus, apud Moyſem ſermonem eſſe tantummodo de rebus conſuetis, deque vulgaribus Iſraelitis, quibus vetitum eſt ſacrificia alibi quam in Tabernaculo offerre. Singulares rerum eventus, & neceſſitas leges communes prævertunt; ac Prophetæ, utpote Divinæ voluntatis Interpretes, norunt quando leges ſervandæ ſint, quando ſolvendæ.

HOLOCAUSTUM INTEGRUM. Quid ſibi vult hoc עולה כליל? An holocauſta non integra a quoquam offerebantur? *Integrum* holocauſtum obtulit Samuel, ideſt, perfectum omni macula & defectu carens (11); vel integrum obtulit, cum ſatis temporis illi non fuerit, ut in fruſta concideret, ex Lege (12). Denique obtulit *integre* victimam in holocauſtum: additur illud *integre* ex pleonaſmo, ut commode etiam omitti poſſit. Septuaginta (13): *Obtulit cum univerſo populo*.

℣. 10. CÆSI SUNT A FACIE ISRAEL. Quam plena & quanti momenti victoria relata ſit, hiſtoriæ hujus ſeries demonſtrat. Modeſtiſſime de illa quidem agit Samuel, ſive alius Libri hujus Scriptor: ſed quæ ex ea provenerint Iſraelitis commoda, pro occaſione lectoribus demonſtrat. Proſtrati Philiſtæi cervicem erigere ſolidis viginti annis auſi non ſunt: reſtituta eſt Iſraelitis libertas, uſurpatæ ab hoſtibus urbes ad Hebræos veteres dominos redierunt. Clades hæc ex graviſſimis eſt, & victoria inter maximas, quæ in Scriptura narrantur. Tunc autem Deus Iſraelitarum partes defendit, hoſtes tonitru concuſſit, dejecit fulminibus, procella diſſipavit. Porro hoſtium exercitus non ſolis conſtabat principibus & militibus Philiſtæis, ſed auxiliaribus etiam Tyriis augebatur, uti docet Author Eccleſiaſtici (14). Hæc omnia victoriæ hujus magnitudinem oſtendunt.

℣. 11. BETHCHAR בית כר. Sonat id nomen, *domus agni*, vel *ovile*. De urbis hujus ſitu inter Geographos non convenit. Sunt qui (15) eumdem eſſe locum credant cum *Sen*, de quo infra ℣. 12. Cenſet Bonfrerius, Bethcar non longe abfuiſſe ab Aphec & Bethſames, adeoque ad Tribum Juda pertinuiſſe (16). Occurrit *Betakar* inter Jezrael & Samariam (17). Urbs Ceila, alio etiam nomine Bethſacar appellata eſt.

℣. 12.

[1] Porphyr. de abſtin. lib. 2. Τὰ μὲν ἀρχαῖα τῶν ἱερῶν νηφάλια παρὰ πολλοῖς ἦν. νηφάλια δὲ ἐστὶν ὑδρόσπονδα. [2] Idem lib. 4. p. 375. Edit. Lugd. an. 1610. Λείβοντος τὰ ὑμνῳδοῦ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ πῦρ φαίνοντος . . . . . ἐγείρει τὸν Θεόν. [3] Homer. Odyſſ. M.

Οὐδ' εἶχον μέθυ λεῖψαι ἐπ' αἰθομένοις ἱεροῖσιν,
Ἀλλ' ὕδατι σπένδοντες.

[4] 2. Reg. XXIII. 16. *At ille bibere noluit, ſed libavit eam Domino*. [5] Vide Outram. de ſacrific. l. 1. c. 8. ad fin. Et Sauberr. de ſacrif. c. 24. 25. Lamy Introduction. [6] Joan. VII. 24. [7] Geneſ. XXXV. 2. Exod. XIX. 24. [8] Serar. Cajet. [9] Exod. XXIII. 9. *Non coques hœdum in lacte matris ſuæ*. [10] Levit. XXII. 27. [11] Eccli. XLVI. 19. *In oblatione agni inviolati*. [12] Levit. I. 12. [13] Ἀνήνεγκεν αὐτὸν ὁλοκαύτωμα τῷ κυρίῳ σὺν παντὶ τῷ λαῷ. [14] Eccli. XLVI. 21. *Contrivit Principes Tyriorum, & omnes duces Philiſthiim*. [15] Jun. Malv. Piſc. [16] Bonfr. Onomaſt. [17] 4. Reg. X. 12.

℣. 12. Inter Maſphath et inter Sen. Reddi poteſt Hebræus (1): *Inter Maſphath & Dentem*, ideſt, lapidem illum preruptum, cui ex figura nomen dentis inditum eſt. Interdum Hebrei rupes nomine dentium appellant. Hunc locum vocat Chaldæus, *Sina*; Syriacus & Arabs, *Beth-Jaſan*.

Lapis adjutorii. Ipſa eſt *Aben-Ezer*, de qua actum eſt (2). Monumentum hoc victoriæ ſuę Samuel una cum populo victore ponit: ſimul autem omnes agnoſcunt, grande illud beneficium accepiſſe ſe ope Domini exercituum. Erecto hoc monumento inſculpta fuiſſe creditur hęc ſententia: עד הנה עזרנו יהוה *Huc uſque auxiliatus eſt nobis Dominus*: huc uſque Dominu opem ferente hoſtes inſecuti ſumus. At licitum ne erat monumenta in Iſraele erigere? Nonne hęc interdixerat Deus aperta legis ſanctione (3)? *Non erigetis titulos, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum.* Interdicta erant equidem monumenta, ſive quæ colerentur, ſive quę in diſcrimen Idololatrię adducerent. Quę vero in Dei honorem ita erigebantur, ut memoria tantum extaret inſignis alicujus eventus, nec Lege ulla prohibebantur, nec exemplis in Iſraele frequentibus carent. Viri etiam ſanctiſſimi nulla religione ab ea re abſterrebantur, adhibitis tamen neceſſariis ad impediendam ſuperſtitionem cautionibus. Id autem aliis permiſſum, multo etiam æquius ſibi arrogabat Samuel, qui nihil preſtitiſſe creditur inconſulto eo, quo afflante loquebantur, Spiritu.

℣. 13. Nec apposuerunt ultra, ut venirent in terminos Israel. Continuerunt ſeſe ab ea ditione, quamdiu Samuel rebus preſuit: ſed regnum ineunte Saule (4), iterum in eam perruperunt. Hanc autem exceptionem Textus ipſe ſufficit, ſubdens: *Facta eſt manus Domini ſuper Philiſtæos cunctis diebus Samuelis.* Cæterum etiam cunſtat, perſimiles loquendi phraſes, *non apponere ultra*, nihil aliud innuere quam longi temporis intermiſſionem. Ita Deus urbibus Tyri (5), Sidonis (6), aliiſque denunciat futurum, ut non ultra reſtituantur, quamquam conſtat, etiam poſt impleta oracula illa Prophetarum, priſtinæ gloriæ aliquid illas recuperaſſe. Ita pariter cum Deus ſpopondit Davidi futurum, ut ejus populus nulla ulterius moleſtia turbaretur (7), indicabat ſolummodo, populum diuturna pace fruiturum. Cum etiam Scriptura tradit, latrunculos Syriæ non ultra rediiſſe in ditionem Iſraelis (8), ac paulo poſt narrat Syrorum in regionem Iſraeliticam irruptionem, nihil ſibi contrarium affirmat; ſecunda enim hæc Syrorum incurſio diu poſt primam contigit (9).

Facta est manus Domini super Philisthæos. Gravis facta eſt ſuper illos; duræ animadverſioni ſubjecit. Hæc phraſis deſignat interdum opem & protectionem Dei, uti (10): *In Juda facta eſt manus Domini, ut daret eis cor unum*, ideſt, perfecta charitate illos conjunxit. Sæpe manus Domini eſt Spiritus S. in Prophetam operatio (11): *Manus Domini facta eſt ſuper Eliam, & currebat ante Achab, donec veniret in Jezrabel.*

℣. 14. Redditæ sunt Urbes . . . ab Accaron usque Geth. Accaron & Geth Philiſtæis parebant; ſed inter utramque mediæ erant urbes quædam Daniticæ, quæ ad eam Tribum redierunt. Hinc autem illud illuſtratur, quod in Libro Judicum XVIII. 1. legitur, Danitas ſcilicet cum Urbes ditionis ſuæ ſubigere non poſſent, coactos fuiſſe alias ſibi procurare ſedes; habuiſſe autem ſibi in Urbe Laiſa, quam occupaverant ad radicem Libani, Idolum Michæ, *omni tempore quo fuit domus Dei in Silo*, ideſt, uſque ad initum a Samuele regimen, cum Arca in Cariath-jarim locata eſt, ac Philiſtæi ſecedere ab iis Danitarum urbibus, quas occupabant, coacti ſunt. Vide quæ diſſeruimus in Judices XVIII. 30. 31.

Liberavitque Israel de manu Philistinorum. Jam inde a quadraginta annis (12) Philiſtæi arma exercuerant in Iſraelem, ac miſeros Hebręos omni moleſtiæ genere oppreſſerant: nec ſervitus iſta quidem fuit, nec apertum ſemper bellum: ſed Philiſtæi viribus ſuperiores, perpetuo infeſtabant Iſraelitas. Samſon quidem moleſtias illis graves intulerat; ſed ita in ordinem redigere non potuit, ut Iſraelitas eorum moleſtia liberaret. Legimus ſuperius bellum, quod Iſraelitis intulerunt, cum Arca in eorum manus incidit: proſpero illo eventu ſuperbientes, rem iterum cum populo Dei tentarunt: at Samuel remota cauſa, quæ mala illa in Iſraelem provocaverat, fregit Philiſtæos, coegitque ea remittere, quæ ex Iſraelitis uſurpaverant. Hic finis ſervitutis quadraginta annorum ſub Philiſtæis.

Textus Hebręus ita pariter redditur: Reſtitutę ſunt Iſraeli urbes, quas Philiſtęi occupaverant ab Accaron uſque Geth (13), *& liberavit earum terminum Iſrael*, ideſt, adjacentem urbibus hiſce Iſraelitarum uſurpatis regionem, *e manibus Philiſtæorum*. Non modu coacti ſunt Philiſtęi reddere urbes, ſed & ab illarum finibus longius remotī ſunt, ut plena libertas regioni pareretur.

Eratque pax inter Israel et Amorrhæum, ideſt, reliquias Chananęorum, veterum incolarum regionis, qui ſub Amorrhęorum nomine non raro cenſentur. Quieti autem illi vivebant, & Hebręis ſubditi: hos vero Samuel toto regiminis ſuī tempore in ordine continuit.

℣. 15. Judicavit Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ. Samueli centum annorum circiter vita tribuitur: agebat quadraginta ferme annos, cum rebus præfectus eſt (14): opus eſt igitur, ut Iſraeli ſexaginta circiter annis præfuerit. Quo autem pacto iſta cohæreant cum Regno Saulis, cujus exordium cum vigeſimo regiminis Samuelis componitur? An Samuel munus Judicis retinuit per totum Saulis Regnum? Reſponderi poſſet, Samuelem omni vitæ ſuæ tempore authoritatem obtinuiſſe ſummam tum in reliquum populum, tum in Saulem, non modo in cauſis Religionis, ſed in privatis etiam Iſraelitarum (15); cujus authoritatis exempla plura in hac hiſtoria ſeſe offerent. Ita in bello Ammonitico Saul edixit, eum qui ſe & Samuelem non ſequeretur, paſſurum in bobus ſuis, quod tunc propriis ipſe Rex bobus faceret: ſtatimque illos in fruſta concidit. Cum Philiſtæi aggreſſi ſunt Iſraelem, Saul rebus ſacris operatus eſt, non expectato Samuele; in cujus rei pœnam a Deo reprobatus eſt. Samuel juſſu Dei denunciat bellum in Amalecitas, ejuſque gentis Regem, cui Saul pepercerat, manu ſua interficit. Mortuum Samuelem, tamquam Principem ſuum luxit populus. Saulis authoritas minor tum fuit apud populum, cum aperuit Propheta, reprobatum eſſe illum a Deo, ejuſque loco ſubſtitutum eſſe alterum ex Dei voluntate, cumque Davidis electio palam facta eſt. Qui per intervalla Regem invadebat furor, ineptum illum juri dicundo ad populum reddebat; ejuſque authoritas tota ad res bellicas redigebatur. Samuel ſemper unus habitus fuit oraculum Iſraelis, & gentis ſuæ unicus conſul. Sunt qui (16) verba illa, *Cunctis diebus vitæ ſuæ*, definiant ad viginti annos, qui Saulis Re-

[1] בין המצפה ובין השן [2] 1. Reg. IV. 1. V. 1. [3] Levit. XXVI. 1. [4] 1. Reg. XIII. 5. . . . . 17. [5] Iſai. XXIII. 12. *Non adjicies ultra ut glorieris.* Et ℣. 15. *In oblivione eris, o Tyre, ſeptuaginta annis.* [6] Jerem. XLVII. 4. Ezech. XXVIII. 24. [7] 2. Reg. VII. 10. [8] 4. Reg. VI. 23. [9] Vide Mendoz. Sanct. [10] 2. Paral. XXX. 12. [11] 3. Reg. XVIII. 46. [12] Vide Judic. XIII. 1. *Tradidit eos in manus Philiſthiim quadraginta annis.* [13] ואת גבולן הציל ישראל מיד פלשתים Septuag. Καὶ τὰ ὅρια ἀφείλοντο Ἰσραὴλ ἐκ χειρὸς τῶν ἀλλοφύλων. [14] Vide Tabulam Chronologicam. [15] Cajet. Jun. Piſc. Malv. Cornel. Serar. alii. [16] Mendoza.

Regnum præceſſerunt ; poſitumque id cenſent in exemplum numeri indefiniti pro numero certo. Hæc vero expoſitio violenta nimis eſſe videtur.

Ỳ. 16. Circuiens Bethel, et Galgala, et Masphath, ut facilis acceſſus pateret populo, qui cauſas dicturus veniebat. Facilis enim erat ex tota Tribu Ephraimi aliiſque ſeptemtrionalibus regionis partibus via in Bethel ; ex Tribubus Beniamini & Transjordanicis, in Galgalam ; ex Juda, Simeone & Gad, in Maſphath. Deinde Propheta filios ſuos conſtituit in Berſabee , quæ regio erat ad extremam oram meridionalem regionis, Ægyptum verſus. Sunt qui credant (1), Bethel hic poſitum eſſe pro *Domo Domini*, ideſt, Cariath-jarim, ubi Arca tunc conſidebat. Pro *in ſupradictis locis*, legunt Septuaginta : *In omnibus ſanctificatis his locis* ; alii : *In omnibus locis, ubi aliquis ſanctorum erat.*

Ỳ. 17. Revertebatur in Ramatha. Subſtiterat eo uſque Samuel in Silo, miniſterio Tabernaculi addictus, uſque ad captam Arcam, & obitum Heli. Voto a matre nuncupato, conſecratus erat Domino devotione perpetua (2): *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ſuæ*. Ut vero renunciatus eſt Judex Iſraelis, cujus munera aſſiduum Tabernaculi miniſterium non ferebant, ſedem in Ramatha patria ſua locavit.

Ædificavit ibi altare Domino, ex privata religione ſua, & ad communem populi religionem fovendam, populi, inquam, confluentis in Ramatham, vel ut conſuleret Prophetam, vel ut cauſas diceret. Cæterum hoc viri factum, erigendi ſcilicet altare extra Tabernaculum, haud aliter accipiendum eſt, quam ut ſolutin quædam communium legum, id non obſcure vetantinm (3). Secutus eſt autem ea in re majus illud humano, quod ſibi affulgebat, lumen; neque id exempli in cæteris excuſari potuiſſet, niſi in Propheta ejus ſanctimoniæ, & erga Divinas leges obſequentis adeo & religinſi.

(1) Jun. Piſc. Malv. Glaſſ. (2) 1. Reg. 1. 11. & 28. (3) Deut. XIII. 3. 4. 5. & ſequ.

CAPUT VIII.

Filii Samuelis avaritia ſe corrumpi ſinunt. Pertæſus populus regiminis Judicum, Regem ſibi poſtulat. Samuel exhibet pro concione jus Regium, & populus in ſententia perſeverat.

Ỳ. 1. FActum eſt autem, cum ſenuiſſet Samuel, poſuit filios ſuos judices in Iſrael. A. M. 2908.
2. Fuitque nnmen filii ejus primogeniti Joel: & nomen ſecundi Abia, judi- ante J. Chr. 1096.
cum in Berſabee. 3. Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus: ſed declinaverunt
poſt avaritiam, acceperuntque munera, & perverterunt judicium. 4. Congregati ergo
univerſi majores natu Iſrael, venerunt ad Samuelem in Ramatha. 5. Dixeruntque ei:
Ecce tu ſenuiſti, & filii tui non ambulant in viis tuis: conſtitue nobis regem, ut ju-
dicet nos, ſicut & univerſæ habent nationes. 6. Diſplicuit ſermo in oculis Samuelis,
eo quod dixiſſent: Da nobis regem, ut judicet nos. Et oravit Samuel ad Dominum.
7. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus, quæ loquun-
tur tibi: non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. 8. Juxta omnia
opera ſua, quæ fecerunt a die, qua eduxi eos de Ægypto uſque ad diem hanc: ſicut
dereliquerunt me, & ſervierunt diis alienis, ſic faciunt etiam tibi. 9. Nunc ergo vo-
cem eorum audi: verumtamen conteſtare eos, & prædic eis jus regis, qui regnatu-
rus eſt ſuper eos. 10. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui
petierat a ſe regem, 11. Et ait: Hoc erit jus regis, qui imperaturus eſt vobis: Fi-
lios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores
quadrigarum ſuarum, 12. Et conſtituet ſibi tribunos, & centuriones, & aratores a-
grorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum, & curruum ſuorum, 13.
Filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias, & panificas: 14. Agros
quoque veſtros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis. 15. Sed &
ſegetes veſtras, & vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis, & famulis ſuis.
16. Servos etiam veſtros, & ancillas, & juvenes optimos, & aſinos auferet, & po-
net in opere ſuo. 17. Greges quoque veſtros addecimabit, voſque eritis ei ſervi.
18. Et clamabitis in die illa a facie regis veſtri, quem elegiſtis vobis: & non exau-
diet vos Dominus in die illa, quia petiſtis vobis regem. 19. Noluit autem popu-
lus audire vocem Samuelis: ſed dixerunt: Nequaquam: Rex enim erit ſuper nos,
20. Et erimus nos quoque ſicut omnes gentes: & judicabit nos rex noſter, & egre-
dietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis. 21. Et audivit Samuel omnia
verba populi, & locutus eſt ea in auribus Domini: 22. Dixit autem Dominus ad
Samuelem: Audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos regem. Et ait Samuel ad vi-
ros Iſrael: Vadat unuſquiſque in civitatem ſuam.

℣. 1. Cum senuiſſet Samuel. Agebat Samuel ætatis annos circiter ſexaginta, cum filios ſuos Judices conſtituit, quorum brevi poſt initium munus mores pravi in apertum prodierunt; neque regimen niſi unico anno vel per biennium tenuere. Porro authoritatem illis contulit Samuel nos deſpoticam, neque enim a dignitate Judicis ipſe ſe abdicavit. *Judicavit* ille *Iſraelem cunctis diebus vitæ ſuæ*, uti legimus in capite præcedenti. Recenſetur autem ſemper Judicum Iſraelitarum poſtremus, cum filii ejus vicariam & minorem ſub illo gererent poteſtatem.

℣. 2. Judicum in Bersabee. Berſabee urbs eſt inter remotiſſimas & maxime meridionales Chanaanitidis: nec ſatis intelligimus, cur Samuel ibi filios ſuos ſtatuerit, ut vicariam pro ſe gererent poteſtatem. Tradit Joſephus (1), ex his unum collocaſſe in Bethel, alterum in Berſabee; qua in re ducem illum Interpretum plures ſequuntur. Alii ita vertunt Hebræum (2): *Poſuit illos Judices uſque ad Berſabee*, in univerſam regionem, uſque ad Berſabee, vel a Dan uſque ad Berſabee; vel denique a Ramatha, ubi ipſe conſidebat, uſque ad eam urbem, quæ remotiſſima erat in Palæſtina, ad meridiem (3). Suppetunt exempla complura, in quibus præpoſitio *In* uſurpatur pro *uſque*. *Non accedet ad te* [Hebræus *in te*] *malum* (4), ideſt, uſque ad te.

℣. 3. Perverterunt judicium, inique judicarunt: ad literam יטו משפט, reddiderunt judicium ſiniſtrum. Parem loquendi phraſim habes apud Homerum (5). Animadverſione digniſſimum judicamus, e viris ſummis, in ſacra & profana hiſtoria notis, pleroſque habuiſſe liberos a parentum virtute plane degeneres (6). Legimus ſuperius filios Heli, qui ſub ipſis patris oculis in vitium fræna laxarunt. Hic autem filii Samuelis ſanctitati parentis nihilo melius quam illi reſpondent. Hujus ne rei cauſa referenda in illud fuerit, quod viri illi ſummi rebus publicis occupati, minus quam par erat, ſolicitudinis impendere poſſent filiorum educationi; an vero quod liberi proſpera fortuna & honore familiæ ſuæ contenti, gloriam ſibi virtutibus comparare neglexerint, quaſi patris virtus ſatis ſuperque ſibi meriti loco aſſet?

℣. 5. Constitue nobis Regem ut judicet nos, qui nos tueatur, & regat; *judicare* enim interdum pro univerſa ratione dominandi uſurpatur (7). Si enim Judicem ſibi tantummodo, qualem eo uſque habuerant, petiiſſent, nihil cauſæ fuiſſet, cur hoc poſtularent; voti enim compotes fuiſſent, modo rogaſſent Samuelem, ut filios exauctoraret, vel ut ipſe ſe a dignitate Judicis non abdicaret, ita tamen ne per varias regionis urbes non diſcurreret quemadmodum eo uſque præſtiterat, itineris enim labores gravis viri ætas non ferebat. Regem optantes, ut petitionis hujus invidiam vel tollant vel leniant, ita illam temperant: *Ut judicet nos*. Cauſam prætexunt ab affecta Samuelis ætate, ac filiorum ipſius malitia, ut a regimine amoveant, ſingulari plane ingrati animi crimine, ſapientiſſimum ſenem & ſanctiſſimum Prophetam, cui omnia debent. Impuliſſe illos in eam petitionem videtur etiam metus Naas Regis Ammonitarum, qui urbi Jabes Galaad minitabatur.

Sicut et universæ habent nationes. Vicinæ omnes gentes Regibus ſuis parent. Eſt autem Monarchiæ ſtatus omnium in Oriente vetuſtiſſimus: *Suetus Regibus Oriens* (8). *Principio rerum, gentium, nationumque imperium penes Reges erat* (9).

℣. 6. Displicuit sermo in oculis Samuelis. Nihil utique gravius eſſe poterat Samueli: ut enim prætereamus inſignem injuriam, & perſonæ illius & familiæ illatam, qui ferre poterat ingrati animi vitium Iſraelitarum erga Deum, & populi in malum ſuum ruentis cæcitatem? Adde peſſimum illud conſilium quod inivit populus. Iſrael, natio inter omnes glorioſiſſima & clariſſima, quippe quam Deus a cæteris diſtinxerat, optabat fieri ſe cæteris omnibus ſimilem, & quaſi Deus vel ipſe per ſe vel per conſtitutum a ſe Judicem illos e manibus hoſtium eruere non valeret, poſtulabant ſibi Regem, cujus ductu & ſententiis regerentur. Subduci ſcilicet volebant Dei manibus, ut manui hominum traderentur, & pro Reipublicæ ſtatu plane Divino, ac regimine Theocratico, monarchicum imperium eligebant, durum & abſolutum, cervicibus illorum graviſſimi jugi loco futurum.

Oravit Samuel. Tradit Joſephus (10), totam noctem egiſſe inſomnem, & inquieto animo agitantem ea quæ a populo audierat: in hac autem animi procella verſanti Deum per viſum apparuiſſe.

℣. 7. Audi vocem populi. Poſtulata ejus concede. Iratus Deus id concedit quæ miſertus negaret: in ira ſua largitur ea quæ nos poſtulamus, cum ſcilicet ea petimus, quæ ſane petenda non eſſent, & deſideramus quæ amanda non forent; *Iratus Deus dat amanti quod male amat*, ait S. Auguſtinus. Aſſentitur Deus poſtulatis illorum: fieri patitur, ſed facienda non præcipit. Ajunt Hebræi (11), Deum tradidiſſe Saulem Iſraelitis eo ſolum conſilio, ut eos puniret; norat enim ſævum & impotens ejus Principis ingenium. Docet S. Hieronymus, in Oſee VII. *Non ex voluntate Dei, ſed ex populi errore* [Saul] *Rex factus eſt*.

℣. 9. Prædic eis jus Regis. Lis eſt inter eruditos de ſenſu horum verborum. Sunt qui credant imperatum fuiſſe Samueli, ut populo exponeret jura, juſtaque commoda, quæ Reges ſibi eſſent vindicaturi, omnique ex populo exacturi. Opinionem hanc valide tuetur Grotius (12), docens, plus ineſſe Principi juris in bona privatorum ad communem utilitatem, quam privatorum in res ipſas ſuas; uti & privatis præceptum gravius imponi, ut ſuccurrant indigentiæ Reipublicæ, quam ut æs alienum ſolvant. Sed Interpretum plerique (13) tuentur, Prophetam expoſuiſſe tantummodo quæ futura prævidebat, quæ tamen authoritate ſua neque probaret neque tueretur; quin potius eo illum ſpectaſſe, ut a temerario conſilio populum removeret. Quæ ſane æquitas ineſſe poterat iis, quæ pro concione dicebat Samuel, Regem nempe in Præfectos ſuos derivaturum agros, vineas & oliveta ſubditorum? Jure ne Achab vineam Naboti exigebat? Hebræa vox משפט המלך ſonans jus vel judicium, ſignificat etiam morem, uſum, conſuetudinem. Juxta hunc ſenſum, jus Regium illud dicitur, quod ſibi permiſſum Rex arbitraturus eſſet; quod facturus impune, leges denique, quibus Regnum moderaturus foret.

Sed pro contraria huic ſententia reponi poſſet, Reges Orientis, qui ſubditas ſibi gentes perinde habebant ac ſervos, regnum habuiſſe conjunctum cum poteſtate omnia ad arbitrium præſtandi, ut nemini contra excipere fas eſſet. Is mos, ſive juſtus ſive injuſtus, tranſiverat in legem, & Regii juris partem quamdam apud cæteras quidem gentes, non tamen apud Hebræos, conſtituebat. Regibus longe alias ab iis, quæ hic exponuntur, & quas ſibi uſurparunt Regum Juda plerique, leges Moyſes dedit (14): *Cum Rex fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægy-*

[1] Joſeph. Antiq. lib. 6. c. 3. Ita & Hiſt. Schol. Raban. Dionyſ. Carth. alii. [2] שׂמים בבאר שבע
[3] Vide Jun. Malv. Glaſſ. Piſcat. [4] Pſalm. xc. 10. [5] Iliad. Π.
Οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας.
[6] Vide Grot. ℣. 12. c. 11. [7] Vide 2. Reg. xv. 2. 3. 4. [8] Tacit. l. 4. Hiſt. [9] Juſtin. l. 1.
[10] Joſeph. Antiqu. lib. 6. cap. 4. [11] Vide Cunæum de Republ. Hebr. & Schicard. jus Regium c. 1.
[12] Grot. de jure Belli & Pacis lib. 1. c. 1. & cap. 4. art. 3. & 4. [13] Cajet. Toſt. Mendoz. Menoc. Sanct. Matt. Tirin. Cornel. a Lap. Vat. Cleric. &c. [14] Deut. xvii. 14. & ſequ.

Ægyptum, equitatus numero ſublevatus. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus; neque argenti & auri immenſa pondera. Poſtquam autem ſederit in ſolio Regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium in volumen, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leviticæ Tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & cæremonias ejus, quæ in lege præcepta ſunt. Nec elevetur cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, Neque declinet in partem dexteram vel ſiniſtram, ut longo tempore regnet ipſe & filii ejus ſuper Iſrael. Jubet Tacitus: *Quomodo ſterilitatem aut nimios imbres & cætera naturæ mala, ita luxum & avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt donec homines; ſed neque hæc continua, & meliorum interventu penſantur.*

℣. 11. Ponet in curribus suis. Aſſumet ad ducendos militares currus ſuos, vel e curru præliari coget. Raro curribus utebantur Hebræi; id vero quod fieri poterat ut eveniret, pro concione Samuel denunciabat.

Facietque sibi equites. Hæc cum præcedentibus conjungit Hebræus (1): *Ponet ſibi in curru ſuo, & in equitibus ſuis*, ſeu potius in equis, vel ſuper equos ſuos. Ex veſtris aliquos aſſumet Rex, ut militares currus ſuos aſcendant, auriga & equorum ductores. Hebræum *Paraſch* ſonat equum pariter & equitem (2). De militaribus curribus vide quæ diſſeruimus in diſſertatione de re militari Hebræorum.

Præcursores quadrigarum. Sermo eſt de cuſtodibus, Principes honoris gratia præcedentibus. Hebræus (3): *Current ad facies currus ejus.* Proficiſcentem Cyrum Regem Perſidis exhibet Xenophon curru vectum, cui quatuor millia clypeatorum præcedunt, currum vero ſtipantur lanceariorum duo millia. Vide infra xxii. 17. quæ de curſoribus diſſeremus.

℣. 12. Constituet sibi Tribunos et Centuriones. Hebræus: *Ponet ſibi Principes mille, & Principes quinquaginta.* Munera ſunt hæc, iis quidem, a quibus geruntur, honorifica: ſed eo ſpectat Propheta, ut illa populus gravia ſibi futura intelligat; ingens enim Præfectorum copia auget ſumptus Principis, adeoque & vectigalia ſubditorum. Oneri etiam & incommodo eſſe poterant iis, a quibus eadem munera gerenda erant, cum inviti ex curis domeſticis & colonicis ad munera militaria vocandi forent.

℣. 14. Agros vestros . . . . tollet, uti Achabus, qui Naboti vineam uſurpavit (4); ſed Reges æquitatem amantes ab iis privatorum injuriis ſe continent. David ſoluto pretio emit aream Areunæ (5), ut aram Domino ibidem excitaret. Ipſe pariter Achabus vendi ſibi a Naboto vineam ſuam primum petiit.

℣. 15. Vinearum redditus addecimabit. Deus, tamquam Rex Iſraelis ſupremus, ſibi elegit omnium fructuum agri Iſraelitarum decimas, quas ille conceſſit Sacerdotibus & Levitis, tamquam familiaribus ſuis: at ſecundam aliam decimam in ſe derivaturi erant Reges, quam tamen exegiſſe Reges Juda vel Iſraelis, nunquam ſatis aperte prodit Scriptura. Si autem reipſa exegiſſent, nihil in ea re præſtitiſſent aliud, quam quod plures alii Reges faciebant (6). Scitum eſt, Joſephum quintam partem fructuum omnium Ægypti Pharaoni addixiſſe.

Ut det Eunuchis, Præfectis ſuis. Hebræum *Saris* non ſemper verum eunuchum, re ipſa talem, ſignificat; plerumque enim uſurpatur de Aulæ Regiæ Præfecto. Nemo quidem ex Iſraelitis caſtrabatur: ſed ex alienigenis eunuchos habere nulla lege interdictum erat (7).

℣. 16. Juvenes optimos ponet in opere suo. En jus addicendi ſubditos ad opera; cujus juris executio ſub Davide & Salomone ſeſe prodit. Salomon enim ædificiis ſuis populum deſtinavit; & Davidi Præfectus erat ſuper opera colonica (8). Septuaginta, Hebræum paulo aliter ac nos legentes, reddunt (9): *Addecimabit gregem boum veſtrorum.*

℣. 17. Vosque eritis ei servi. Orientales populi Principibus ſuis ita ſubduntur, tamquam heris mancipia. Is erat Perſarum & Ægyptiorum ſtatus erga Principes ſuos; de Ægyptiis docet apertiſſime Geneſis capite xlvii. Tradit Herodotus (10), viros a conſiliis Cambyſis Regis Perſidis, interrogatos de connubio quod ille cum ſorore ſua conciliare volebat, reſpondiſſe, nullam ſe quidem legem noſſe, inceſta illa connubia permittentem; unam tamen occurrere, quæ Perſarum Regibus liberam daret facultatem gerendi omnia ad arbitrium. Viri quique Principes ſervorum Regis titulo gloriabantur, nec meliorem quam ſervorum conditionem ſubibant. Satrapæ toti imperio præfecti, ipſi Regis fratres, *ſervi magni Regis* appellabantur (11). Inter Orientales omnes nemo liberior erat quam Hebræi; quorum tamen Regibus ſuis ſubjectionem non aliter quam nomine ſervitutis indicat Scriptura. *Numquid non vos ſervi Saul?* exprobrat Goliath Iſraelitis (12). Et paulo inferius: *Si percuſſerit me, erimus vobis ſervi.* Syriam (13), Moabitidem (14), & Idumæam (15) Davidi ſerviſſe legimus. Earum regionum incolæ eidem ſervituti obnoxii erant, ac olim ſervi apud Germanos. *Apud illos* (16) *ſuam quiſque ſedem, ſuos penates regit. Frumenti modum dominus aut pecoris aut veſtis ut colono injungit; & ſervus hactenus paret.* Ita ſerviebant Hebræi, addita tamen obligatione proficiſcendi in prælium ad nutum Principis.

℣. 18. Et clamabitis in die illa. Rei eventus oraculi hujus veritatem plus nimio probavit. Regum Juda & Iſraelis plerique, tyrannico potius quam juſto imperio populos regebant. Oppreſſerunt illos tributis, funeſtis bellis implicarunt; quodque gravius eſt, in Idololatriam pertraxere: in caput denique populi eam provocarunt e Cœlo ultionem, quæ illos una cum Regno adverſariis potentiſſimis & infeſtiſſimis permiſit.

℣. 20. Erimus nos quoque sicut omnes gentes. Nec iniquior nec æquior eſt noſtra quam illorum conditio. Si malum eſt Regi parere, illud ne pejus nobis quam cæteris aliis gentibus accidet? Si bonum, cur eo careamus? Miram ſane populi amentiam! qui in ſtatu rerum feliciſſimo vivere abnuens, felicitati huic & gloriæ ſuæ vale dicit, ut in ſervitutem & indigentiam ruat; Deum abjiciens, ut homini ſerviat.

(1) וישם לו במרכבתו ובפרשיו (2) Vide Lud. de Dieu, & Boch. de anim. ſacr. p. 1. lib. 2. cap. 6. (3) ורצו לפני מרכבתו (4) 3. Reg. xxi. 16. (5) 2. Reg. xxiv. 21. (6) Vide noſtr. Comment. in Levit. xxvii. 30. (7) Geneſ. xlvii. 24. (8) 1. Par. xxvii. 26. (9) Τὰ βουκόλια ὑμῶν τὰ ἀγαθὰ . . . . ἀποδεκατώσει. Legunt עשר בקריכם pro עשה . . . . בחוריכם (10) Herodot. lib. 3. cap. 31. Α'λλον μέντοι ἐξευρηκέναι νόμον, τῷ Βασιλεύοντι Περσέων ἐξεῖναι ποιέειν τὰ ἂν βούληται. (11) Ariſtot. lib. de Mundo. Σρατηγοὶ καὶ Σατράπαι δοῦλοι τοῦ μεγάλου Βασιλέως. (12) 1. Reg. xvii. 8. 9. (13) 2. Reg. viii. 6. (14) Ibid. ℣. 2. (15) Ibid. ℣. 4. (16) Tacit. German.

CAPUT IX.

Saul filius Cis conſulturus Samuelem de aſinabus a patre ſuo amiſſis venit. Illum excipiens Propheta, certiorem facit de Regno Iſraelitico ipſi divinitus decreto.

℣. 1. ET erat vir de Beniamin nomine Cis, filius Abiel, filii Seror, filii Bechorath,
filii Aphia, filii viri Jemini, fortis robore. 2. Et erat ei filius vocabulo
Saul, electus & bonus: & non erat vir de filiis Iſrael melior illo: ab humero, & ſur-
ſum eminebat ſuper omnem populum. 3. Perierant autem aſinæ Cis patris Saul: &
dixit Cis ad Saul filium ſuum: Tolle tecum unum de pueris, & conſurgens vade, &
quære aſinas. Qui cum tranſiſſent per montem Ephraim, 4. Et per terram Saliſa, &
non inveniſſent, tranſierunt etiam per terram Salim, & non erant: ſed & per terram
Jemini, & minime repererunt. 5. Cum autem veniſſent in terram Suph, dixit Saul
ad puerum, qui erat cum eo: Veni, & revertamur, ne forte dimiſerit pater meus aſi-
nas, & ſollicitus ſit pro nobis. 6. Qui ait ei: Ecce vir Dei eſt in civitate hac; vir
nobilis: omne, quod loquitur, ſine ambiguitate venit: nunc ergo eamus illuc, ſi forte
indicet nobis de via noſtra, propter quam venimus. 7. Dixitque Saul ad puerum
ſuum: Ecce ibimus: quid feremus ad virum Dei? panis defecit in ſitarciis noſtris: &
ſportulam non habemus, ut demus homini Dei, nec quidquam aliud. 8. Rurſum puer
reſpondit Sauli, & ait: Ecce inventa eſt in manu mea quarta pars ſtateris argenti: de-
mus homini Dei, ut indicet nobis viam noſtram. 9. (Olim in Iſrael ſic loquebatur
unuſquiſque vadens conſulere Deum: Venite, & eamus ad Videntem, Qui enim Pro-
pheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.) 10. Et dixit Saul ad puerum ſuum:
Optimus ſermo tuus. Veni, eamus. Et ierunt in civitatem, in qua erat vir Dei. 11.
Cumque aſcenderent clivum civitatis, invenerunt puellas egredientes ad hauriendam
aquam, & dixerunt eis: Num hic eſt Videns? 12. Quæ reſpondentes, dixerunt illis:
Hic eſt: ecce ante te, feſtina nunc: hodie enim venit in civitatem, quia ſacrificium eſt
hodie populo in excelſo. 13. Ingredientes urbem, ſtatim invenietis eum, antequam
aſcendat excelſum ad veſcendum; neque enim comeſurus eſt populus, donec ille veniat:
quia ipſe benedicit hoſtiæ, & deinceps comedunt, qui vocati ſunt. Nunc ergo conſcen-
dite, quia hodie reperietis eum. 14. Et aſcenderunt in civitatem. Cumque illi ambu-
larent in medio urbis, apparuit Samuel egrediens obviam eis, ut aſcenderet in excel-
ſum. 15. Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis ante unam diem, quam ve-
niret Saul, dicens: 16. Hac ipſa hora, quæ nunc eſt, cras mittam virum ad te de
terra Beniamin, & unges eum ducem ſuper populum meum Iſrael: & ſalvabit popu-
lum meum de manu Philiſthinorum: quia reſpexi populum meum, venit enim clamor
eorum ad me. 17. Cumque aſpexiſſet Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir,
quem dixeram tibi, iſte dominabitur populo meo. 18. Acceſſit autem Saul ad Samue-
lem in medio portæ, & ait: Indica, oro, mihi, ubi eſt domus Videntis? 19. Et re-
ſpondit Samuel Sauli dicens: Ego ſum Videns, aſcende ante me in excelſum, ut come-
datis mecum hodie, & dimittam te mane, & omnia, quæ ſunt in corde tuo, indicabo
tibi. 20. Et de aſinis, quas nudiuſtertius perdidiſti, ne ſollicitus ſis, quia inventæ
ſunt. Et cujus erunt optima quæque Iſrael? nonne tibi, & omni domui patris tui?
21. Reſpondens autem Saul ait: Numquid non filius Jemini ego ſum, de minima tri-
bu Iſrael, & cognatio mea noviſſima inter omnes familias de tribu Beniamin? Quare
ergo locutus es mihi ſermonem iſtum? 22. Aſſumens itaque Samuel Saulem, & pue-
rum ejus, introduxit eos in triclinium, & dedit eis locum in capite eorum, qui fuerant
invitati: erant enim quaſi triginta viri. 23. Dixitque Samuel coco: Da partem, quam
dedi tibi, & præcepi, ut reponeres ſeorſum apud te. 24. Levavit autem cocus ar-
mum, & poſuit ante Saul. Dixitque Samuel: Ecce quod remanſit, pone ante te, &
comede: quia de induſtria ſervatum eſt tibi, quando populum vocavi. Et comedit Saul
cum Samuele in die illa. 25. Et deſcenderunt de excelſo in oppidum, & locutus eſt
cum Saule in ſolario: ſtravitque Saul in ſolario, & dormivit. 26. Cumque mane ſur-
rexiſſent, & jam eluceſceret, vocavit Samuel Saulem in ſolario, dicens: Surge, & di-
mittam te. Et ſurrexit Saul: egreſſique ſunt ambo, ipſe videlicet, & Samuel. 27. Cum-
que deſcenderent in extrema parte civitatis, Samuel dixit ad Saul: Dic puero, ut an-
tecedat nos, & tranſeat: tu autem ſubſiſte pauliſper, ut indicem tibi verbum Domini.

℣. 1. Cis

℣. 1. CIS FILIUS ABIEL. Legimus in Paralipomenis (1), Cis patrem habuiſſe Ner: quo igitur pacto iſta cohæreant? Reponitur (2), ipſi Ner duplex nomen fuiſſe, ut idem & *Ner* & *Abiel* appellaretur: vel forte Ner & Abiel duo ſunt fratres, quorum uterque apud ipſum Cis nomen patris promeritus fuit, quod alter illum genuerit, alter educaverit (3).

FORTIS ROBORE. Hebræus (4): *Vir fortis*, vel robuſtus; ſeu *vir locuples*, potens.

℣. 2. ELECTUS ET BONUS, ET NON ERAT MELIOR ILLO; vir erat corpore elegantiſſimo, ut illo pulchrior eſſet nemo. Hebræus quidem ad literam verbis Vulgatæ omnino congruit (5). *Electus & bonus, & non vir de filiis Iſrael bonus præ illo.* Conſtat tamen, eamdem vocem, quæ *bonum*, *pulchrum* etiam deſignare: ita legimus de filiabus hominum, puellas fuiſſe *bonas* (6); contra vero de vaccis, quas ſecundo loco vidit per ſomnium Pharao, fuiſſe *malas* (7). Paria interdum uſurpat Homerus, pro *pulchro* & *magno* habens *bonum & magnum* (8).

AB HUMERO ET SURSUM EMINEBAT SUPER OMNEM POPULUM. Corpore erat procero, & Rege digno. Porro nobis illa corporis majeſtas venerationem & obſequium conciliat; & in Principibus ſuis nunquam non optarunt populi, ut eleganti corporis ſtructura commendarentur. Qui corporis majeſtate præſtabant, illos etiam ad ſumma munera vocabant Æthiopes (9); ac memoriæ proditum eſt, Regi cuidam Lacedæmonum indictam fuiſſe multam, quod humilem ſtatura uxorem accepiſſet, ex qua nonniſi humili pariter corporis ſpecie Reges poſſent procreari (10). Exhibent Poetæ Deos ſuos & Heroas ſtatura corporis cæteris præſtantiores. Virgilius de Diana: *Gradienſque Deas ſupereminet omnes*; & de Turno (11): *Et toto vertice ſupra eſt.*

℣. 3. VADE, QUÆRE ASINAS. In univerſa hac Hiſtoria lineamenta quædam apparent priſci moris, & primævæ ſimplicitatis. Tunc enim viri Principes, Heroes, non ſecus ac privati quique, agriculturæ & gregibus alendis vacabant; quemadmodum hodie viri Principes & ingenui, venationem & bellum amant, & alia id generis ardua ac laborioſa. Abraham, Patriarchæ & Judices Iſraelis, quos ſane nec vulgaris ingenii homines nec humiles paſtores haberi par eſt, potiſſimas tamen vitæ occupationes in alendis gregibus, colendiſque agris ponebant. Huic vitæ generi ſtudebant Arabes, Idumæi, Moabitæ, & alii plures; nec eamdem vitæ profeſſionem a dignitate ſua alienam ducebant Dii, Heroes, & Principum liberi (12). Paſcere aſinas, & amiſſas illas quærere, probroſum & vulgare tunc non erat apud homines, cum mortales æque omnes eamdem ſimplicitatem profiterentur, & omnes pariter eidem vitæ exercitio ſeſe addixiſſent. Notus eſt in Scriptura (13) quidam e poſteris Eſau, qui Provinciæ & regionis Princeps, aſinos tamen patris ſui curabat. Aſinis in Palæſtina vehi ſolebant Principes, & viri ampliſſimi. Principes Iſraelis verbis hiſce deſignat Debora (14): *Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos.*

℣. 4. PER TERRAM SALISA. Creditur *Saliſa* vel *Saliſſa*, vel *Baal-Saliſa* ipſa eſſe *Segor*, urbs celebris receſſu Lothi, Sodoma fugientis. Ex Judæorum traditione ajunt (15), eam urbem appellari *Saliſſam*, vel *vitulam trimulam* in Prophetis Iſaia (16), & Jeremia (17). Chaldæus vertit: *In terra auſtrali*, ſeu meridionali. Equidem Saliſa vel Segor jacebat ad extremam oram meridionalem maris mortui, Orientem verſus, ſed Euſebio, & S. Hieronymo *Baal-Saliſa* eſt urbs in regione Dioſpolitica XIII. M. paſſibus a Dioſpoli ad ſeptentrionem Jeroſolymæ & in regione Thamna: id autem nos certiſſimum eſſe judicamus. Saul Gabaa digreſſus, montibuſque Ephraim peragrati Baal-Saliſa ad ſeptentrionem, tum pervenit Salim ad Orientem, ut ſe reduceret in regionem Beniamin ad meridiem; dein contendit in regionem Zuph, ubi jacebat Ramatha, quo in loco Samuel verſabatur.

TERRAM SALIM. Cenſuerunt quidam, ipſam eſſe eamdemque ac *Salim* prope Aennon, de qua in Joanne III, 23. Ita vero nomen *Salim* hic ſcribitur שַׁעֲלִים, ut non temere ſuſpicemur, indicare *Sual*, quæ recurrit infra XIII. 17. jacebatque ad Jordanem non longe a Galgalis (18).

TERRAM JEMINI, vel regionem Beniamin. Innui hic facile poteſt Jeruſalem; ut primum e Gabaa ad occidentem, Saliſam urbem Daniticam verſus profectus fuerit, tum vero petierit *Salim* vel Jeruſalem, tandem percurrerit Tribum Beniamin, quæ urbi huic Orientalis erat. Flexo denique ad Gabaam itinere, tranſeuntes per terram Suph, ubi jacebat Ramatha patria Samuelis, ad conſulendum Prophetam venire ſtatuerunt. Id ſi ponatur, tribus diebus itineris viginti quinque leucas confeciſſe illos cenſendum erit.

℣. 5. IN TERRAM SUPH. In agrum Ramathæ, patriæ Samuelis, quam poſteri Suph frequentabant. Vide quæ diſſeruimus Capite I. 1.

NE FORTE DIMISERIT ASINAS, ET SOLLICITUS SIT PRO NOBIS; ne majori pro nobis, quam pro aſinabus, ſollicitudine teneatur.

℣. 6. VIR DEI . . . . . VIR NOBILIS. Hebræus: איש אלהים . . . איש נכבר: *Vir Dei, vir glorioſus*, illuſtris, venerabilis. Ita & LXX. Ἄνθρωπος Θεοῦ . . ἄνθρωπος ἔνδοξος.

℣. 7. QUID FEREMUS AD VIRUM DEI? An ignorare poterant Saul ejuſque puer ea quæ apud Iſraelem univerſum increbuerant, Samuelem ſcilicet animum gerere cupiditate habendi vacuum? An perſuadere ſibi poterant, Samuelem communi ariolorum vitio laborare, ut oracula ſua pretio venderet? Minime quidem; ſed ex univerſa Scriptura conſtat, nunquam adiri conſueviſſe Prophetas, quin ferrentur munera in obſequii & grati animi ſignificationem. Qua in re alia erant Veterum ac præſentium noſtrorum ſtudia. Vetuit Deus, ne quis ſe coram Numine vacuis manibus ſiſteret: idem ferme a ſubditis Reges & Principes exigebant, neque hodie pariter ab eo more ceſſatum eſt apud Syros: nemo enim amicus amicum ſine munere inviſit; idque ſi quis negligat, ille inofficioſus habetur, & inurbanus (19). Quamquam nihil exigebant Prophetæ, inſitum tamen erga illos obſequium non permittebat, ut ſine munere adirentur. Tributi id erat genus; & vacuas gerere manus a munere, inurbanum erat. Balaam munera & præmia ab iis accipiebat, a quibus conſulebatur (20). Cum Abias filius Regis Jeroboami morbo decumberet, Jeroboamus uxorem ſuam miſit ad Ahiam Prophetam, atque euntem admonuit, ut ſeſe celaret, ne uxor Jeroboami agnoſceretur. Adjecit, ut decem panes, placentas, & favum mellis acciperet, atque ita Prophetam conſuleret (21). Paria item munera Eliſæus accepit. Vir quidam e *Baal-Saliſa* ad Eliſæum viginti panes ex hordeo novoque frumento, veluti primitias, attulit. Naaman, accepta valetudine, ditiſſima

Ff 3 mune-

(1) 1. Paralipom. VIII. 33. & IX. 39. (2) Cajet. Mend. (3) Aut. tradit. in Reg. & Par. Hug. Lyr. &c. (4) גבור חיל ἀνὴρ δυνατὸς ἐν ἰσχύϊ. (5) בחור וטוב ואין איש טוב ממנו (6) Geneſ. VI. 1. Quod eſſent pulchræ. Heb. Bonæ. (7) Geneſ. XLI. 3. (8) Iliad. B. Ἠΰτε μέγας . . . (9) Herodot. lib. 3. cap. 20. (10) Ariſtot. Politic. 4. c. 4. Apud Grot. & Cler. (11) Æneid. 7. (12) Vide Homer. Iliad. A, & paſſim. (13) Geneſ. XXX. 24. (14) Judic. V. 10. (15) Hieron. tradit. Hebr. in Geneſ. (16) Iſai. XV. 5. *Vectis ejus uſque ad Segor vitulam conternantem.* (17) Jerem. XLVIII. 34. *A Segor uſque ad Oronaim, vitula conternante.* (18) Ita Jun. Piſc. (19) Vie de M. de Chaſteuil c. 17. (20) Num. XXII. 7. 17. (21) 3. Reg. XIV. 1. 2. 3.

Digitized by Google

munera obtulit, quæ tamen Propheta recuſavit. Queritur Deus ore Prophetarum (1): *Prophetæ ejus in pecunia divinabant.*

Panis deficit in sistarciis nostris. Commeatus ferri ſolebant in itinere; nullæ enim tunc tabernæ erant diverſoriæ, ubi iter habentibus commeatus præſto eſſent. Panes obtuliſſet Saul Prophetæ, ſi quid panis in ſacculis remanſiſſet. Neque enim indignum id erat tanto viro munus. Ipſe pariter Saul duos panes accepit a viris, quibus in via occurrit, cum receſſit a Samuele (2). Sarcinam panis adduxit David ad Saulem ipſum, jam Regio munere ornatum (3). Ejuſmodi munera communia ſunt in Scriptura, quæ beatam ſimplicitatem ſeculi illius docent.

Sportulam non habemus, ut demus homini Dei. Reddi etiam poteſt Hebræus (4): *Nullum eſt nobis munus viro Dei offerendum; & quid eſt apud nos?* Seu potius, juxta Septuaginta (5): *Plus non eſt nobiſcum ad afferendum homini Dei, quam hoc parum, quod ſupereſt nobis.* Vel denique: Nihil remanet, quod offeramus homini Dei; quid enim reliqui eſt apud nos? Syriacus: *Nec adeſt viaticum &c.*

℣. 8. Quarta pars stateris argenti. Quadrans ſicli æquabat octo ſolidos, denarium & plus aliquid.

℣. 9. Olim in Israel sic loquebatur .... Venite, et eamus ad videntem. Planum profecto eſt, Authorem qui hæc ſcribebat, alia vixiſſe ætate, quam qua hæc geſta ſunt: qui enim divinare potuiſſet, communem hanc ætate ſua phraſim in alteram deinceps eſſe mutandam, quæ pro vetere apud Judæos obtineret? Itaque Interpretes plerique verba hæc acceſſiſſe Textui diu poſt Samuelem, opera Eſdræ vel alterius Prophetæ, qui hæc ſcripta recenſuerit, arbitrantur. Malunt alii, Samuelem iſta quidem per ſe ſcripſiſſe, ſed prope exitum vitæ, quo tempore in locum obſoleti nominis *Videns*, ſucceſſerat *Propheta* (6). Quamquam eſto, Samuelis ætate nomen Prophetæ obtinuerit; diu tamen poſt ipſum Prophetæ Videntium nomine appellari non deſierunt. Ita ſub Davide (7) legimus: *O videns, revertere in civitatem in pace.* Gad appellatur (8) *Videns David*; & in Paralipomenis (9): *In viſione Addo Videntis.* Rex Aſa compedes injecit (10) *Hanani Videnti*, quippe qui pro voto ſibi non vaticinaretur.

Cæterum nomen *Videns* pro divino & Propheta, & videre pro vaticinari uſurpatum, etiam apud Profanos obtinuit. Balaam hanc dignitatem ſibi vindicat (11): *Qui viſione Omnipotentis intuitus eſt.* Jeremias xiv. 14. de Pſeudo Prophetis: *Vident viſiones mendacii*; additque, vaticinari illos ex arbitrio. Ægyptii *Videntes Deorum* appellabant eos, quibus divina oracula reſerari cenſebant (12). Arioli cum prophetico œſtro furebant, futurorum arcana reſerari ſibi ante oculos jactitabant. Virgilius de Sybilla, Æneidos vi.

. . . . *Bella, horrida bella,*
Et Tyberim multo ſpumantem ſanguine cerno.

℣. 12. Quæ dixerunt illis: Hic est. Ecce ante te; festina nunc, hodie enim venit in civitatem. Ut omnia quæ hic leguntur, perſpicua ſint, animadvertere juvat, Samuelem, licet domicilium haberet in urbe Ramatha, adhuc tamen moram trahere conſueviſſe in agro, in loco, qui appellabatur *Najot*, una cum aliis Prophetis, quos diſciplina ſua inſtruebat: id inferius patebit (13). Accidit fortaſſe, ut Samuel in Urbem veniſſet, ſacrificio & convivio cum Optimatibus populi adfuturus. Puellæ a Saule interrogatæ de viro, reſpondent: *Ecce ante te:* indicantque aſcendentem ad urbem, ac præcedentem. Vix equidem Samuel urbem ingreſſus, verſo ad portam ore, intuitus eſt Saulem cum famulo ſeſe quærentem. Simul autem revelante Deo intellexit, virum illum a Deo in Regem populi deſtinari; ſtatimque obviam occurrens, excepit venientes, uti mox narrabitur. Animadverte puellas ad hauriendas aquas egreſſas; vetus enim mos erat, aperte in Scriptura (14), & apud Profanos expreſſus. Narrat Fabius Pictor, *Rheam* pro puellarum more, quæ aquas in uſum ſacrificiorum hauriebant deferebantque, ſeſe ad fontem in luco Martis ſitum contuliſſe.

Sacrificium est hodie populi in excelso. Pluribus deinceps exemplis conſtabit, nulla religione abſterritos fuiſſe Hebræos, toto eo tempore, quo nulla certa ſedes conſtituta erat Tabernaculo, quin ſacrificia in editis locis offerrent (15). Samuel aram erexerat in crepidine quadam Ramathæ imminenti; ibi vero ſacrificium, de quo hic, offerendum erat, addito pariter convivio cum Optimatibus ejus loci ac Samuele, dapibus immolatis inſtruendum; pacificum enim ſacrificium erat immolandum. Sunt qui credant (16), nomen *ſacrificii* de convivio hic uſurpari. Conſtat utique non ſemel, ſacrificare poſitum eſſe tantum pro mactare victimas in uſum convivii (17). Sed hiſtoriæ hujus ſeries demonſtrat, ſermonem hic eſſe de ſacrificio, cui accederet parandum *in excelſo loco* (18), ubi ſacrificium oblatum erat, convivium religioſum.

℣. 13. Quia ipse benedicit hostiæ; preces & benedictiones conſuetas recitabit. Convivæ ſeniori & honeſtiſſimo deferebatur munus benedicendi dapibus, totique cœtui præeundi precibus votiſque, ineunte & exeunte convivio. Idem mos ubique per Scripturam ſe prodit.

Quia hodie reperietis eum. Hebræus (19): *Quia, ſicut hodie, reperietis eum.* Hodie certiſſime virum nanciſcemini, quacumque illum adiveritis hora. Denique tam certe illum reperietis, uti certo conſtat diem fulgere (20).

℣. 14. Cum ambularent in medio urbis; cum procederent. Hebræus (21): *Ingredientibus illis in mediam civitatis*; ideſt, in urbem. Phraſis enim *in medio* uſurpatur ſæpe pro *intus*, ſive multum, quis, ſive parum intus proceſſerit (22). Ex ℣. 18. innui videtur, in limine adhuc illos fuiſſe, cum eos Samuel aſſecutus eſt.

Samuel egrediens obviam eis. Non ita reputandum eſt, quaſi Samuel domo egreſſus obviam illis proceſſerit; verſo enim ore illos intuitus eſt, atque obviam venientibus ivit. Proceſſit & ſalutavit.

℣. 15. Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis. Familiaris hæc eſt Hebræorum phraſis, indicans loqui ſecreto, & ad aures.

℣. 16. Unges eum ducem. Hebræum *Nagid* (23) ſonat ad literam eum qui præcedit, vel graditur in fronte aciei. Septuaginta (24), *Principem*; Chaldæus, *Regem*. Hebræi dicebant Samueli (25): *Judicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit.* Principem decet eſſe & Regem optimum, & ſtrenuum militem; quod

cum

(1) Vide Mich. iii. 11. & Ezech. xxii. 25. (2) 1. Reg. x. 4. (3) 1. Reg. xvi. 10. (4) חשורה אין להביא לאיש האלהים מה אתנו (5) Septuag. Πλεῖον οὐκ ἔστι μεθ' ἡμῶν τοῦ εἰσενεγκεῖν τῷ ἀνθρώπῳ τοῦ Θεοῦ, ἢ τοῦτο τὸ ὑπάρχον ἡμῖν. Alius: ὑστέρηται οὐκ ἔχομεν. (6) Vide Druſ. Sanct. Mendoz. (7) 2. Reg. xv. 27. (8) 1. Par. xxi. 9. (9) 2. Par. ix. 29. (10) 2. Par. xvi. 10. (11) Num. xxiv. 4. 16. (12) Vide Maneth. apud Joſeph. lib. 1. contr. Appion. (13) 1. Reg. xix. 19. (14) Geneſ. xxiv. 11. (15) Vide Grot. Sanct. (16) Rupert. Hugo, pleriique apud Malv. Vide Jun. Ser. Hebræos. (17) Vide Geneſ. xxxi. 54. & xliii. 16. 1. Reg. xxviii. 24. & 3. Reg. xix. 21. (18) Vide ℣. 12. 19. 23. (19) כי אתו כהיום תמצאון אתו (20) Cajet. Toſt. Druſ. Mend. (21) המה באים בתוך העיר (22) Vide Iſai. vi. 5. Jerem. 1. 8. Mich. iii. 3. (23) משחתו לנגיד (24) Χρίσεις αὐτὸν εἰς ἄρχοντα. (25) 1. Reg. viii. 20.

cum dixiſſet Homerus (1), maxime omnium eam ſententiam, tamquam ejus ſapientiſſimi Poetæ præclariſſimam, Alexander Magnus ſuſpiciebat (2). Regi Iſraelis gerenda erant prælia Domini, & arma in hoſtes Dei ferenda: illud potiſſimum erat Regis illius munus.

Salvabit populum. Regni initio, Saul fractis Philiſtæis non levia commoda Reipublicæ contulit (3): hoſtes cohibuit, & otium peperit Iſraelitis; ſecundis etiam prælijs fregit Ammonitas, Amalecitas, Idumæos, Moabitas, Syros. Singula hæc bella Scriptura quidem non proſequitur: affirmat tamen generatim, Saulem, *confirmato Regno ſuo pugnaſſe per circuitum adverſus omnes inimicos Iſrael, contra Moab & filios Ammon & Edom & Reges Soba & Philiſtæos*. Nec prætereundum eſt, ab exordio Samuelis, & ab ingenti illa victoria, ſuperius capite VII. narrata, vicennalem pacem redditam fuiſſe Provinciæ uſque ad Regnum Saulis. Pax erat tamen omni moleſtia minime vacans; caput enim paulatim erexerant Philiſtæi, Iſraelitas armis nudaverant, omnibuſque fabris ferrarijs, ut apud Philiſtæos quærere cogerentur Iſraelitæ vel opifices inſtrumentorum colonicorum, *& uſque ad ſtimulum corrigendum*. Copias habebant *in colle Dei* (4) conſtitutas, & in Gabaa (5), cum Saul Regnum iniit: quare miſerabilis adeo erat Iſraelitarum conditio, ut clamare cogerentur, quemadmodum inferius narratur: nec alia fortaſſe de cauſa Regem poſtularunt.

℣. 18. In medio portæ. Cum Saul adhuc in limine ſtaret, ſive in foro, in ipſo urbis aditu, ubi cœtus habebantur, Samuel venienti obviam occurrit: quem Saul de Vidente, ubi eſſet, interrogavit. Septuaginta (6): *In medium urbis*. Chaldæus, *intra portam*.

℣. 19. Ascende ante me. Ad eum locum, ubi cœtus habendus erat, venire adhuc Samuel nolebat; juſſitque Saulem eo venientem præcedere. Cum enim tunc primum ad urbem perveniſſet, domi ſuæ aliquandiu ſubſtitit.

℣. 20. Cujus erunt optima quæque Israel? Obſcuris hiſce verbis innuit Regnum, quod ſcopus erat & votorum & ambitionis univerſi Iſraelis, habebaturque ceu bonorum & gloriæ vertex. Hebræus (7): *Cui omne deſiderium Iſrael?* Deſiderium hic ponitur pro re maxime optabili & feliciſſima. Meſſias appellatur *Deſideratus cunctis gentibus* (8); Daniel (9) *Vir deſideriorum*. Sponſus (10) *totus deſiderabilis*. Septuaginta (11): *Et cui ſpecioſa Iſrael?*

℣. 21. Filius Jemini; ideſt, e Tribu Beniamin. *Jemini* eſt *dextera mea*; *Beniamin filius dexteræ*. Tribus Beniamin ex minimis erat totius Iſraelis, cujus etiam res in deterius lapſæ ſunt ex bello, quod adverſus cæteras Tribus geſſit (12). Videtur autem ſapientiſſimo conſilio Deus omnem malarum ſuſpicionum cauſam e Tribubus Iſraelis amovere voluiſſe, Regem ſeligens ex ea Tribu, quæ nihil metus inferre aliis poſſet.

Et cognatio mea novissima. Quamquam Iſraelitæ omnes avita ingenuitate ex æquo fruerentur, eadem ſimul omnes potirentur libertate, familiæ tamen erant inter illos quædam cæteris clariores, & merito ſuo ab aliis inferioribus diſtinctæ; ſive illud privilegii commodior ſubſtantia, ſive hominum numerus major, ſive munera, quæ illarum Principes gerebant, digniora contulerint. Cæterum nihil pulchrius eſt, nihilque magis in admirationem ſui rapit, quam modeſta Saulis demiſſio.

℣. 22. Dedit eis locum in capite convivarum. Septuaginta (13): *Poſuit eis ibi locum in primis vocatorum*. Sed Hebræus, Chaldæus, & Vulgata poſitos illos ferunt in capite omnium. Nec a Saule puerum ſegregavit, fortaſſe quod familiaris eſſet, non ſervus, non alienus, ſed Iſraelita, domeſticus Cis, cui ille libertatem ſuam ad tempus mancipaverat. Honeſtiſſimus in conviviis Hebræorum locus erat in capite; quod non ex hoc loco tantum probatur, ſed ex parabola etiam Jeſu Chriſti (14) monentis, ne prima ſubſellia in convivio occupemus, ne forte ad inferiora dejiciamur. Saul jam Regia dignitate auctus, menſæ cum familia aſſidens, locum tenebat ad parietem, vel in capite triclinii; ejuſque lateri aſſidebant Abner & David. Apud Græcos honeſtiſſimus convivarum ſedebat e regione (15) vel contra parietem. Apud Perſas, Regis, in capite conſtituti, latera utrimque ſtipabant convivæ, ordine dignitatis ſuccedentes; ita tamen ut ii, quibus maxime Rex fidebat, lateri ejus ſiniſtro aſſiderent (16), poſt illos locus eſſet ad dexteram viro dignitate præſtantiſſimo. Textus Hebræus & Vulgata convivas illos circiter triginta recenſent; Septuaginta Editionis Romanæ, & Joſephus legunt ſeptuaginta convivas.

℣. 23. Da partem quam dedi tibi. Samuel, qui in eo convivio partes agebat, cæteriſque prærogativa dignitatis ſuæ, Judicis nempe, atque ſenilis ætatis privilegio præſidebat, juſſerat dapes illas in partes dividi, tum coco mandaverat, ut armum ſervaret, inſolitis convivis apponendum. Statim igitur ac menſæ aſſedit, & pro more veterum princeps convivii portiones cæteris convivis diſtribuit (17), Samuel admonuit cocum, ut armum, quem ſervari juſſerat, Sauli apponeret: quod peractum eſt. Sunt qui credant, armum hunc ipſam fuiſſe ſacrificii portionem, quæ Samueli ſacrificanti ceſſerat; conſtat tamen inter omnes, Samuelem Sacerdotem non egiſſe: quare ea opinio penitus ruit. Adde, quod interdictum erat Laicis, adeoque & Sauli, de portione Sacerdotum deguſtare. Denique nullibi prodit Scriptura, armum hunc dexterum fuiſſe, quæ portio erat Sacerdotalis.

℣. 24. Levavit autem cocus armum, et posuit ante Saul. Hebræus (18): *Levavit armum & quod ſuper eum, & poſuit ante Saul*. Mos apponendi viris principibus & honeſtiſſimis inter convivas amplas aſſatæ carnis portiones, e Scriptura (19) æque & ex profanis notus eſt. Obtinuit inter Græcos, Gallos (20), Ægyptios, Hebræos: Ajaci poſt certamen cum Hectore apponi jubet Agamemnon magnam e bovis tergore portionem; quod pariter cum Telemacho præſtitit Menelaus (21). Utraque Homeri pagina id generis exempla offert. *Armus & quod ſuper eum*, ſignificat integræ victimæ quartam partem. Septuaginta, Aquila, & alii ex Interpretibus reddunt τὴν κωλῆν *pernam* vel κνήμην, *tibiam* pro *armo*.

Ecce quod remansit. Hebræum ita vertendum

X malim

(1) Iliad. Γ. Ἀμφότερον, Βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.
(2) Plut. Libel. de fort. Alex. (3) 1. Reg. XIII. XIV. (4) 1. Reg. X. 5. (5) 1. Reg. XIII. 3. (6) Εἰς μέσον τῆς πόλεως. Hebr. בתוך השער (7) למי כל חמדת ישראל (8) Agg. II. 8. (9) Dan. IX. 23. X. 11. & 19. (10) Cant. V. 16. (11) Καὶ τίνι τὰ ὡραῖα τοῦ Ἰσραήλ. (12) Judic. XX. (13) Ἔταξεν αὐτοῖς τόπον ἐν πρώτοις τῶν κεκλημένων. (14) Luc. XIV. 8. (15) Iliad. Ω. de Achille;

Ἕζετο δ' ἐν κλισμῷ πολυδαιδάλῳ, ἔνθεν ἀνέστη,
Τοίχου τοῦ ἑτέρου.

Et alibi:

Αὐτὸς δ' ἀντίον ἷζεν Ὀδυσσῆος θείοιο,
Τοίχου τοῦ ἑτέρου.

(16) Xenophon lib. 7. Cyrop. Vide & Plutarch. qu. Convival. lib. 1. c. 3. (17) Homer. Iliad. Ω.

.... Ἀτὰρ κρέα νεῖμεν Ἀχιλλεύς.

(18) וירם את השוק והעליה (19) Vide noſtrum Commentarium in Gen. XVIII. 6. (20) Vide Diodor. Sicul. l. 5. (21) Vide Athen. l. 1. c. 8.

malim (1): *Ecce quod ſervatum eſt*; ex Vulgata enim innui videtur, portiooem hanc eſſe e præcedenti convivio reſiduam.

Quia de industria servatum est tibi quando populum vocavi. Locus hic perſpicuus eſt; Hebræus obſcurior (2): *Quoniam ad tempus hoc* [ſeu ad hoc Textum] *ſervatum eſt tibi, dicendo: Populum vocavi*, vel invitavi compiures. Portio iſta, me jubente, ad hoc ſervata eſt: admonui enim, me plures invitaſſe, præter cœtum huoc triginta (3). Vel aliter: Ego ſervari juſſi haoc portionem in feſtum hoc, quo viris hiſce triginta convivium parari juſſi. Septuaginta (4): *Portio hæc teſtimonium eſt poſitum tibi a populo: carpe*. Deſtinata eſt tibi, tamquam digniſſimo cæterorum.

℣. 25. Locutus est cum Saule in solario, quo illum duxerat ad cubandum. Quid autem cum eo locutus ſit Samuel, ignoratur; docuiſſe tamen illum ea, quæ Deus de ipſo ſtatuerat, & monita in eam rem plura dediſſe, certo credimus.

Stravitque Saul in solario, et dormivit. Deſunt hæc in Hebræo, & in pluribus Latinis codicibus, neque leguntur in nova editione S. Hieronymi. Deducta ſunt autem ex Septuaginta (5), qui in hunc ſenſum reddiderunt ea, quæ S. Hieronymus ex Hebræi fide vertit: *Locutus eſt cum Saule in ſolario*. Sed nulla erat neceſſitas, geminas haſce interpretatiooes transferendi in Vulgatam. Aoimadvertere hic juvat morem ejus regionis, ut hoſpitibus ſuper tectum domus, vel in ſuperiori ſolario lectus ad cubandum ſternatur. Id autem legitur etiam de exploratoribus a Rahab in domum ſuam exceptis, quos mulier tranſtulit in ſolarium ſuperius, ut cubarent (6). Simile exemplum videas in Abſalomo, qui in tecto Regiarum ædium explicari juſſit tentoria ad cubandum (7). Hodieoum in Syria & Palæſtina mos obtinet cubandi ſuper domorum tecta, ut frigus in ſuperiori domus parte captent. Pauperes & e vulgo homines pulvinaria ſibi ſuper ſtoreas ſternunt, ſeſeque linea vel xylina veſte noctu operiuot. Apud Homerum hoſpitibus cubandi locus datur porticus ante domum, qoibus ſuper nudam humum lectus ſimplici apparatu ſternitur. Græcorum mos cubandi interdum ſuper tecta domorum, apud Ariſtophanem legitur (8). In toto Oriente, pro lecto eſt unicum pulvinar ſuper ſtrato tapete explicatum, cum noctu cubaodum eſt: interdiu vero pulvinar tapete obvolvitur (9). Cum æſtas fervet, ſæpe in aperto aere ſuper tecta domorum, vel in agro, ſtrata ſuper nudam humum ſtorea, dormiunt.

---

(1) הנה הנשאר Septuag. Ἰδοὺ τὸ ὑπόλειμμα. Symm. ὑπελείφθη. (2) כי למועד שמור לך לאמר העם קראתי (3) Vide Lud. de Dieu, Var. Cajet. (4) Ὅτι εἰς μαρτύριον τέθειταί σοι παρὰ τῶν λαῶν· ἀπόκνιζε. (5) Septuag. Edit. Rom. Καὶ διέστρωσαν τῷ Σαοὺλ ἐπὶ τῷ δώματι. (6) Joſue 11. 6. (7) 2. Reg. XVI. 22. (8) Ariſtoph. in Veſpis act. 1.

Ἔστι γὰρ ἡμῖν δεσπότης ἐκεινοσί,
Ἄνω καθεύδων, ὁ μέγας ἐπὶ τοῦ τέγους.

(9) Vide Tavernier, Voyage de Perſe chap. 4. aliosque.

CAPUT X.

Unctio Saulis in Regem Iſraelis. Signa Sauli data a Samuele, electionem confirmantia. Cœtus populi in Maſphath, ubi Saul ſortito eligitur. Deducitur in cœtum populi. Tum vero recipit ſeſe Gabaam, copiarum parte Regem ſequente.

℣. 1. Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus, & deoſculatus eſt eum, & ait: Ecce, unxit te Dominus ſuper hæreditatem
ſuam in principem, & liberabis populum ſuum de manibus inimicorum ejus, qui
in circuitu ejus ſunt. Et hoc tibi ſignum, quia unxit te Deus in principem. 2. Cum
abieris hodie a me, invenies duos viros juxta ſepulchrum Rachel in finibus Beniamin, in Meridie, dicentque tibi: Inventæ ſunt aſinæ, ad quas ieras perquirendas:
& intermiſſis pater tuus aſinis, ſolicitus eſt pro vobis, & dicit: Quid faciam de filio
meo? 3. Cumque abieris inde, & ultra tranſieris, & veneris ad quercum Thabor,
invenient te ibi tres viri aſcendentes ad Deum in Bethel, unus portans tres hœdos,
& alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini. 4. Cumque te ſalutaverint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum. 5. Poſt hæc venies in
collem Dei, ubi eſt ſtatio Philiſthinorum: & cum ingreſſus fueris ibi urbem, obvium
habebis gregem prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium, &
tympanum, & tibiam, & citharam, ipſoſque prophetantes. 6. Et inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium. 7. Quando
ergo evenerint ſigna hæc omnia tibi, fac quæcumque invenerit manus tua, quia Dominus tecum eſt. 8. Et deſcendes ante me in Galgala (ego quippe deſcendam ad
te) ut offeras oblationem, & immoles victimas pacificas: ſeptem diebus expectabis,
donec veniam ad te, & oſtendam tibi, quid facias. 9. Itaque cum avertiſſet humerum ſuum, ut abiret a Samuele, immutavit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia ſigna hæc in die illa. 10. Veneruntque ad prædictum collem, & ecce cuneus
prophetarum obvius ei; & inſiluit ſuper eum Spiritus Domini, & prophetavit in

me-

medio eorum. 11. Videntes autem omnes, qui noverant eum heri, & nudiuſtertius,
quod eſſet cum prophetis, & prophetaret, dixerunt ad invicem: Quænam res acci-
dit filio Cis? num & Saul inter prophetas? 12. Reſponditque alius ad alterum, di-
cens: Et quis pater eorum? Propterea verſum eſt in proverbium: Num & Saul in-
ter prophetas? 13. Ceſſavit autem prophetare, & venit ad excelſum. 14. Dixit-
que patruus Saul ad eum, & ad puerum ejus: Quo abiſtis? Qui reſponderunt: Quæ-
rere aſinas: quas cum non reperiſſemus, venimus ad Samuelem. 15. Et dixit ei pa-
truus ſuus: Indica mihi, quid dixerit tibi Samuel. 16. Et ait Saul ad patruum ſuum:
Indicavit nobis, quia inventæ eſſent aſinæ. De ſermone autem regni non indicavit
ei, quem locutus fuerat ei Samuel. 17. Et convocavit Samuel populum ad Domi-
num in Maſpha: 18. Et ait ad filios Iſrael: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ego
eduxi Iſrael de Ægypto, & erui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium
regum, qui affligebant vos. 19. Vos autem hodie projeciſtis Deum veſtrum, qui
ſolus ſalvavit vos de univerſis malis, & tribulationibus veſtris: & dixiſtis: Nequa-
quam: ſed regem conſtitue ſuper nos. Nunc ergo ſtate coram Domino per tribus ve-
ſtras, & per familias. 20. Et applicuit Samuel omnes tribus Iſrael, & cecidit ſors
tribus Beniamin. 21. Et applicuit tribum Beniamin, & cognationes ejus, & ceci-
dit cognatio Metri, & pervenit uſque ad Saul filium Cis. Quæſierunt ergo eum, &
non eſt inventus. 22. Et conſuluerunt poſt hæc Dominum, utrumnam venturus eſ-
ſet illuc? Reſponditque Dominus: Ecce abſconditus eſt domi. 23. Cucurrerunt ita-
que, & tulerunt eum inde: ſtetitque in medio populi, & altior fuit univerſo popu-
lo ab humero & ſurſum. 24. Et ait Samuel ad omnem populum: Certe videtis,
quem elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo. Et clamavit
omnis populus, & ait: Vivat Rex. 25. Locutus eſt autem Samuel ad populum le-
gem regni, & ſcripſit in libro, & repoſuit coram Domino: & dimiſit Samuel om-
nem populum, ſingulos in domum ſuam. 26. Sed & Saul abiit in domum ſuam
in Gabaa: & abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda. 27. Filii
vero Belial dixerunt: Num ſalvare nos poterit iſte? Et deſpexerunt eum, & non at-
tulerunt ei munera: ille vero diſſimulabat ſe audire.

℣. 1. TULIT SAMUEL LENTICULAM OLEI, ET EFFUDIT SUPER CAPUT EJUS. Hebræum (1) *Phac* uſurpari ſolet (2) pro urceo; ex qua pariter radice deductum videtur Græcum *Phake*, & *Phakos*, ſignificans lentem, ſeu vas in lentis formam. Erant etiam Latinis phialæ quædam patulæ & rotundæ, figuram lenti perſimilem referentes, quas & *lenticulas* (3) appellabant. Sunt qui coraea fuiſſe vaſa hæc arbitrentur (4); ſed figlina potius maluerim.

Mos ungendi Reges peculiaris erat Iſraelitis, ut S. Auguſtinus animadvertit (5); id agente Deo, ut populum ſuum vaticinii genere quodam doceret de Chriſto & Uncto ſuo, in quo uno tria hæc conciliavit, Regem, Prophetam, Sacerdotem: quæ tres erant ex omnibus dignitates, olei unctione delatæ. Moris hujus vetuſtas ex Libro Judicum probatur (6); ibi enim ſcriptum legimus, arbores de Rege ſibi eligendo cogitaſſe; ad literam: *Iverunt ligna ad ungendum ſuper ſe Regem; dixeruntque olivæ: Impera nobis.* Id autem hic & in Davide ſervatum eſſe conſtat. Porro David non ſemel modo, ſed ter unctus eſt. Primo ſcilicet per Samuelem (7); iterum Hebrone, cum a Tribu Juda Rex ſalutatus fuit (8): & ibi demum tertia unctione delibutus eſt, cum univerſæ Tribus Iſraelis ipſum Regem ſalutavere (9). Succeſſores tamen Davidis nulla unctione initiari conſueviſſe creduntur, niſi æmulos competitoreſque habuiſſent. Ita Salomon unctus eſt per Sadocum (10), quia cum David, ejus gratia, naturalis ſucceſſionis, qua natu major ad Regnum vocabatur, jura ſolviſſet, de hac Regis voluntate certiorem fieri populum neceſſe erat ſolemni adeo initiatione, unctione ſcilicet ſolemni Salomonis, per quam Adoniæ potens tum factio penitus dejiceretur. Joas filius Ochoziæ (11), & Joachaz filius Joſiæ (12) in poſſeſſionem Regni per unctionem immiſſi ſunt, primus ſcilicet, quod Athalia Regnum ejus uſurpaſſet; alter vero, quod aſſumptus fuiſſet a populo, minime petito Nechai Regis Ægypti aſſenſu, qui poſt tres Regni menſes illum exauctoravit; nec requiſita pariter, inquiunt Rabbini, voluntate Senatus, ac denique excluſo Joakimo, fratre natu majori. Nihil autem tale ſervatum fuiſſe legimus cum aliis Principibus, qui repugnante nemine, & jure ſucceſſionis Regno potiti ſunt.

Non ſatis conſtat, utrum mos initiandi Reges unctione, in Regno Iſraelis, quemadmodum in Juda, obtineret. Illud ſolum ſcimus, Deum, cum Regnum transferre e domo Achabi in Jehu ſtatuiſſet, imperaſſe Prophetæ cuidam, ut illum in Ramoth Galaad verſantem ungeret (13). Cum tamen nullius alterius Regis in Iſraele unctio ſeſe offerat in Scriptura, vero propius arbitramur, ritum hunc minime ibi fuiſſe communem. Affirmant Judæi (14), neque Saulem, nec Regum Iſraelis quemquam ſacro oleo (15), quo conſecrabantur Sacerdotes & Reges Juda, unquam initiatos fuiſſe; ſed ejus loco adhibitum ferunt oleum e balſamo expreſſum. Sed quæ opinionis hujus momenta? Notum ne erat balſami oleum in Ju-
dæa

(1) פך השמן 70. Τὸν φακὸν τοῦ ἐλαίου. (2) 4. Reg. xi. 1. 3. (3) Plin. l. 18. c. 12. *Lenti ſuam eſſe figuram, unde vario uſu translatum eſt in lenticulas nomen.* (4) Schikard. jus Reg. cap. 1. Theor. 4. (5) Aug. in Pſal. 44. (6) Judic. ix. 8. (7) 1. Reg. xvi. 13. (8) 2. Reg. ii. 4. (9) 2. Reg. v. 3. (10) 3. Reg. 1. 39. (11) 4. Reg. xi. 12. & 2. Par. xxiii. 11. (12) 4. Reg. xxiii. 30. (13) 4. Reg. ix. 6. (14) Vide Schikard. jus Reg. c. 1. & Hebræos. (15) Exod. xxx. 25.

dea ante Regnum Salomonis, & Reginæ Sabæ adventum? Quorſum autem hæ cautiones? Saul & David nonniſi oleo communi conſecrati fuiſſe videntur, quemadmodum Hazael Rex Syriæ (1), & Jehu Rex Iſraelis. Familiare id erat in ea regione, ut unctio in gaudio & conviviis adhiberetur (2): a communi ea unctione hanc Regum unctionem nonniſi propoſitum & ſolemnitas diſtinguebant. Non ita vero de unctione Sacerdotum dicendum eſt: illam enim præſcripſerat Deus, & Moyſes docuit artem ſacrum hoc oleum conficiendi. Reges vero ne verbo quidem Moyſes innuit: quin & capitali ſanctione vetat, ne oleum illud in alios uſus transferatur (3). Quis igitur aſſerat adhibitum fuiſſe in unctione Regum, qui laicorum ordinem tenebant? An legimus, Samuelem accepiſſe oleum e Tabernaculo, ut Davidem conſecraret? Nonne eo indicio noviſſet Saul aliquid eorum, quæ Deus latere illum volebat, ideſt electionem, & conſecrationem ſucceſſoris? Deſumptum equidem fuit e Tabernaculo oleum (4) pro Salomonis conſecratione: at illud ſemel tantummodo præſtitum eſt; ejuſque rei cauſa illud in Scriptura de Salomone animadverti credimus, cum nihil tale de aliis innuatur, quod cum illis eamdem unctionem ſervatam fuiſſe doceat.

Docent pariter Judæi (5), inungi Reges conſueviſſe in ſuperiori capitis vertice, quem oleo in coronæ formam circumliniebant. Id vero incertiſſimum eſt: atque ego non temere aſſeruerim, infundi conſueviſſe oleum capiti, quemadmodum in cæteris unctionibus. E capite autem quamplurimum fluebat oleum per capillos, ut vel in ipſas veſtes non raro manaret. Quod autem diſtinguit balſamum Judææ a cæteris unguentis, quæ in unctionibus conſuetis adhibebantur, illud eſt, quod balſamum veſtes non macularet (6): unguentum igitur e capite interdum in veſtes defluebat.

Poſt captivitatem nulla ſuppetunt exempla Regiæ unctionis; docentque Rabbini, oleum illud ſacrum, quo eo uſque conſecrati fuerant Sacerdotes, vaſa ſacra Templi, & Reges Juda nonnulli, ad Regem uſque Joſiam tantummodo perſeveraſſe. Quod enim tunc ſupererat olei, Principem illum ſub monte Templi condidiſſe tradunt. Idem autem erat oleum, quod Moyſes paraverat, & uſque ad id tempus permanſerat. Hæc Rabbini, dicto ſuo fidem nonniſi traditionibus ſuis conciliantes.

De unctione hac Regia diſſidium eſt inter Patres. Hanc alii (7) diſtinguunt ab oleo ſacro, quo initiabantur Sacerdotes; plerique tamen (8) miſcere videntur; ac fere omnes conveniunt, ritum hunc ungendi Sacerdotes, & Reges apud Judæos non ceſſaſſe, niſi poſt obitum J. Chriſti, qui verus eſt Rex, & Propheta Domini. Neceſſitatem unctionis in Principibus agnoſcens Tryphon Judeus, docet, Meſſiam ab Elia Propheta ungendum fore; ejuſdemque unctionis neceſſitatem, in Judæos ſcribens, Tertullianus plurimum urget. Cum autem in re facti verſemur, ingenue farendum eſt, nullo certo argumento morem illum doceri, ut nulla ratione ejus uſus demonſtrari, vel negari queat; niſi forte illum neges ob Scripturæ ſilentium; cujuſmodi tamen argumenti genus infirmius eſt utique, quam ut perſuadeat. Animadvertere tantummodo in rem præſentem juvat, Cyrum appellari *Unctum Domini*, & Jeſum ac Zorobabelem *filios olei*. Forte tamen ea appellatio ſpectat potius morem, qui olim apud Judæos obtinuerat, quam ejus uſum apud Perſas, vel conſuetudinem quæ poſt reditum e Babylonia apud Judæos viguerit.

Mos conſecrandi Reges unctione, ex Judæis translatus eſt ad Chriſtianos, ita tamen, ut non ubique neque eodem ritu obtineat. Innocentius I. Pontifex (9) jubet ſacros Antiſtites ungi in vertice, Reges in humeris & brachiis, quod hodie pariter in conſecrandis Regibus Galliæ ſervatur. Hiſpaniæ Reges olim ungebantur in vertice (10).

Cum Reges Juda ſolemni pompa coronabantur, Legis volumen manibus eorum & capiti imponebatur (11). Samuel, fuſo ſuper caput Saulis oleo, illum oſculatus eſt: id tamen exemplum deinceps perſeveraſſe non credimus; nihil enim ſatis apertum ea de re in Scriptura. Hæc in rem præſentem animadverſione digna cenſuimus, quæ ſimul hic colligere viſum eſt, ut moleſtæ repetitiones vitentur.

Deosculatus est eum. Ritus hic obſequii genus eſſe creditur, quo Samuel Principem populi ſui Saulem agnoverit. Ferunt autem, in Oriente novos Reges eodem ritu ſalutari, atque agnoſci conſueviſſe. Vide Pſalmum II. 12. *Apprehendite diſciplinam*: Hebræus: *Oſculamini filium*.

Liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus sunt; et hoc tibi signum, quia unxit te Deus in Principem. Hæc omnia uſque ad exitum verſiculi primi, deſunt in Hebræo, Septuaginta Complutenſibus, & Latinis nonnullis Editionibus. Leguntur in Græco Editionis Romanæ. Saul populum ſuum ab hoſtibus ita liberavit, quemadmodum narratum eſt ſupra IX. 16.

℣. 2. Juxta sepulchrum Rachel. Sepulchrum illud ſatis proximum Bethlehem jacebat. Vide Geneſim XXXV. 16.

In meridie. Originalis vox לצלצח ignotiſſima eſt. Septuaginta reddunt: *Μεσημβρίας ἁλλομένους μεγάλα, circa meridianum tempus ſalientes & ludentes.* Vocem tamen originalem *Zelzelach* nomen certi loci eſſe, cenſent plerique: *Invenies duos viros juxta ſepulchrum Rachel, in Zelzelach.* Seu potius, hinc egreſſus, ut redeas in Gabaam, incides in duos viros e Zelzelach, juxta ſepulchrum Rachel, a quibus de inventis a patre tuo aſinabus certior fies.

Dictum hoc acceperunt Septuaginta, veluti ſi ii viri iter habentes viæ faſtidium ſaltando lenirent. Conſtat equidem, *Zalzelim* ſignificare tympana vel cymbala, vel forte etiam ſyſtra, quæ inſtrumenta ſunt earum regionum familiariſſima. Obtinebant autem in profectionibus, & cum lætum tempus traducebatur: peregrini pergentes ad Templum vel Tabernaculum, feſtum potius agitare quam iter habere videbantur. Legimus in hoc capite chorum quemdam Prophetarum, e colle canentibus muſicis inſtrumentis deſcendentium. Veteres quidam codices legunt (12): *Salientes magnas foveas*; quaſi ſcilicet duo ii viri, exercendi ſeſe fallendique temporis gratia, foveas ſaltu tranſilirent. Textus quidem Septuaginta hanc ſignificationem admittere poſſit: ſed unde ex Hebræo petatur, nihil occurrit. Qui reddiderunt *Meridiem*, ſpectarunt facile literam Hebræi, quæ ſonat *ad umbram claram*, velut indicans tempus, quo umbra ab æſtu meridiano quæritur.

Saulis e Ramatha in Gabaam proficiſcentis viam tranſiſſe juxta ſepulchrum Rachelis ad Bethlehem, non ſatis aſſequor, niſi tabulas omnes Geographicas conſentire in noſtram deceptionem cenſuerimus. Opus eſt enim, Ramatham Samuelis meridionaliorem fuiſſe quam quod conſtitui ſoleat: exploratior eſt enim ſitus Gabaæ & Bethlehem, quam

(1) 3. Reg. XIX. 15. (2) Marc. XIV. 3. Luc. VII. 37. (3) Exod. XXX. 23. (4) 3. Reg. I. 39. *Sumpſitque Sadoc Sacerdos cornu olei de Tabernaculo, & unxit Salomonem.* (5) Rabb. Salom. Lyr. alii. (6) Plin. l. 12. c. 25. *Summa probatio eſt, ut in veſte maculas non faciat.* (7) Vide Hilar. in Pſalm. XLIV. & Hieron. in Pſalm. CXXXII. (8) Vide Clem. Recognit. l. 1. Tertull. adverſ. Jud. Cypr. ſeu alium Serm. de unct. Chryſm. Lact. l. 4. Inſt. Chryſoſt. &c. (9) Cap. 1. de ſacra unctione. (10) Julian. Tolet. in Chronico. (11) 4. Reg. XI. 12. 2. Paral. XXIII. 11. (12) De Greg. Magn. in lib. Reg. D. Bonavent. in lament. Jerem. ſub initium. Hugo Card. Dionyſ. Carth. apud Mend.

quam ut loco moveri poſſint. Quomodo autem Ramatha ulterius ad meridiem promoveatur, ſi in montibus Ephraimi conſidebat, uti in exordio hujus Libri traditur? Ut hæc eviteatur incommoda, nihil aptius occurrit, quam ut reddatur Hebræus (1): *Invenies duos viros e Zelzelach, loco ſito juxta ſepulchrum Rachel, in finibus Beniamin, dicentque tibi: Inventæ ſunt aſinæ.*

℣. 3. Ad quercum Thabor. Reddi poteſt עד אלון תבור, *ad quercetum*, vel ad nemus, vel ad agrum Thabor. Alius eſt autem locus a monte Thabore, a quo ingenti ſpatio abeſt.

Ascendentes ad Deum in Bethel. Poſt myſticam illam ſcalam, quæ Jacobo per viſum apparuit in Bethel (2), plurima ſemper religio ſacro illi loco manſit. Peregrinationes ad illum frequentes, quin & ſacrificia ibi facile oblata ſunt (3), quo tempore nulla certa ſedes Arcæ & Tabernaculo erat, neque Dominus adhuc locum determinaverat, ubi Tabernaculum ſuum conſtitueretur. E monte Ephraimi in Gabaam proficiſcens Saul, obvios facile habere poterat peregrinos, euntes in Bethel, quæ ad Orientem Gabaæ & ad meridiem montium Ephraimi jacebat.

Tres tortas panis, oblationem Domino, vel munus Sacerdotum res ſacras miniſtrantium in Bethel; ideſt offerentium ſacrificia in altari, quod erectum olim a Jacobo, deinde ab ejus filiis reparatum eſt: vel denique offerentium tantummodo preces pro iis qui munera deferentes precabantur, ut pro ſe Deo ſupplicaretur. Hebræus legit שלשים ככרות לחם, *Tria fruſtula*, vel tres portiones panis, uno verbo, tres panes. Septuaginta: Τρία ἀγγεῖα ἄρτων, *Tria vaſa panis*, tres caniſtros panis plenos. Deferebant autem hœdos ad ſacrificium, panes in oblationem, & vinum ad libamina. Ex his rebus portio quædam offerenda erat Deo, alia tradenda Sacerdoti, reliquum vero ad læta coram Domino convivia celebranda.

℣. 4. Dabunt tibi duos panes. Opportunum utique munus iter habentibus, quibus pecunia deficiebat & commeatus. Comparaturos ſeſe facile alios panes in Bethel, vel alibi in itinere, arbitrabantur.

℣. 5. Venies in collem Dei (4), ubi est statio Philisthinorum. *Collis* hic *Dei* in Gabaa, patria Saulis erat, imminebatque urbi, quemadmodum *excelſus locus*, ubi præſens convivium agitatum eſt, Ramathæ imminebat, in totam ſcilicet urbem dominabatur. Ibi vero Philiſtæi ſuos milites conſtituerunt, ut ſubjectam omnem regionem in obſequio continerent. *Collis Dei* idcirco appellatur, ſive quod ibi fortaſſe Altare erectum ſtaret, ſive quod Prophetæ eo ſæpe venirent, ut Religionis exercitiis operam darent. Illud animadverſione dignum eſt, Philiſtæos, infeſtiſſimos licet Hebræorum hoſtes, nihil tamen moleſtiæ intuliſſe Prophetis eo venientibus, ubi milites illorum conſtituti erant. Privilegium illud datum eſt apud omnes æque gentes hominibus Divino cultui peculiariter addictis, exercentibuſque eam vitæ profeſſionem, quæ ab armis & bello illos arcet, ut nihil ab hoſtibus metuant (5). Saul in eum collem non aſcendit; ſed urbem ingreſſus, & collem jamjam aſcenſurus, occurrit Prophetis deſcendentibus, iiſque junctus eſt.

Gregem Prophetarum. Nunc primum in Scriptura occurrunt Prophetarum cœtus, quorum plura deinde ſeſe offerent exempla. De vitæ genere eorum Prophetarum non ſatis convenit inter doctos. Sunt qui (6) conſtitutas a Samuele credant Academias Prophetarum, ubi ſive Prophetiam, ſive vaticiniorum interpretationem docerentur. Malunt alii, eos viros omnes Divino afflatos ſpiritu oracula fudiſſe: egiſſe autem in communi vitam, tamquam ſub Prælato ſuo Monachos; pleroſque etiam vitam agentes cœlibem, quoſdam etiam uxoribus junctos, ut illum, cujus uxor opem Eliſæi imploratura venit (7). Ejuſmodi Prophetarum Academiæ occurrunt Jerichunte ad Jordanem, Najot, Bethel, & facile etiam erectæ erant in Carmelo: ſed multo plures conſtitutas fuiſſe docent Judæi, adeo ut omnibus ferme regionis ſuæ Urbibus Academiam ſuam tribuant. Veri ſimillimum eſt, e Prophetis hiſce plures ab agente intus Spiritu cieri non conſueviſſe, niſi ut laudes Domini canerent, ſive hymnos exararent; neque Deum omnibus ſemper occulta reſeraſſe, id enim privilegii ſervatum fuiſſe videtur viris inter Prophetas principibus. Forte etiam non afflabantur, niſi ad tempus, & inſperato, quemadmodum Sauli contigit. Prophetæ illi, de quibus hic, deſcendebant e colle Gabaæ inter harmonicos inſtrumentorum muſicorum concentus; & facile eo aſcenderant, ut Feſtum aliquod celebrarent; quo abſoluto, ac religioſo convivio peracto, domum, ſive ad locum, ubi in communi vitam agebant, revertebantur.

℣. 6. Mutaberis in virum alterum. Prophetam ages, & ea præſtabis, quæ alias nunquam. Jam non Saul eris, filius ille Cis, homo rudis, ſimplex, indoctus; repente enim in virum plenum virtute, robore, magnanimitate, & Regiis omnibus virtutibus inſignem mutaberis. *Cape Regis animum, & in iſtam fortunam, qua dignus es, iſtam continentiam profer* (8), monebant Abdalonymum nuncii ab Alexandro miſſi, ut illi Regnum deferrent.

℣. 7. Fac quæcumque invenerit manus tua. Poſt hæc, agentem intus bonum ſpiritum ſequere; bonum, inquam, ſpiritum, qui te afflabit, cujus operatione in felicem illam metamorphoſim devenies. Ne timeas res arduas moliri, ope Dei fretus: certo animo eo te confer, quo pro re nata vocaberis.

℣. 8. Descendes ante me in Galgala, Quo tempore Saul, juſſioni huic obſecuturus, deſcenderit in Galgalam, diſſidium eſt ſententiarum. Bis enim re gravi poſcente, eo ſe contulit Saul: I. Poſt bellum Ammoniticum (9), cum Rex Iſraelis confirmatus fuit; II. Ante bellum in Philiſtæos ſuſceptum (10), ubi expectato Samuelis per ſeptem dies adventu, ac dilabi copias ſuas cernens, ita ut pene ſolus remaneret, Sacrificium ante ejus adventum obtulit. Sunt qui de primo adventu hic agi aſſerant, ſunt qui de altero. Ea circumſtantia ſeptem dierum, hic expreſſa, plurimum favet iis, qui dictum volunt de bello in Philiſtæos; quam pariter ſententiam nos veriorem eſſe judicamus. Sunt (11) qui, ut concilient diſſidia, cenſeant, Samuelem imperaſſe Sauli, ut cum diſcriminis aliquid immineret, ſtatim ſeſe conferret in Galgalam, quo ſe venturum ſemper ſpopondit poſt ſeptem dies, ut Numinis voluntatem in re præſenti aperiret. Reddunt alii (12) Textum: *Ego deſcendam tecum in Galgalam, & ibi offeremus ſacrificia ſeptem diebus.*

℣. 11. Num et Saul inter Prophetas? Proverbii loco id obtinuit, inquit Sacer Hiſtoricus: ſi quæ inſolita mutatio forte contingeret, ut e privata conditione quis in virum Deo afflatum tranſiret, illud uſurpabatur: *Num & Saul inter Prophetas?* Proverbium autem illud tunc magis magiſque confirmatum eſt, cum Saul in Najot profici-

(1) מצאת שני אנשים עם קבורת רחל Ac ſi legeretur כעם קברת (2) Geneſ. xxviii. 19. (3) Var. Munſt. Menoch. Sanct. Mendoz. Cornel. (4) גבעת האלהים Septuag. Βουνὸς τοῦ Θεοῦ. Sym. Τόπον ὑψηλόν, *Locum excelſum*. Ac ſi Dei nomen nonniſi loci celſitudinem exaggeraret. (5) Grot. de Jure Belli & Pac. l. 3. cap. 11. art. 10. (6) Vide Baſnage Hiſtoire des Juifs liv. 5. ch. 5. art. 2. 3. (7) 4. Reg. iv. 1. (8) Quint. Curt. lib. 4. (9) 1. Reg. xi. 14. (10) 1. Reg. xiii. 8, 9. (11) Serar. Lyr. Toſt. (12) Joan. Cleric. hic.

ficiſcens eo conſilio, ut Samuelem interficeret, ſtatim S. Spiritus afflatu abreptus, cum cæteris Prophetis, qui medium exceperant Samuelem, ipſe pariter prophetavit (1). Idem autem proverbium non uno ſenſu redditur: cum quis rebus a ſua profeſſione alienis immiſcetur, vel munus quærit conditioni ſuæ minime conveniens, vel repente ad dignitatem aliquam, vel honorem erigitur; ſeu denique cum infuſa & ſupernaturali ſcientia perfunditur, veluti cum Apoſtoli repente diſertos ſeſe experti ſunt, ut palam alloquerentur populum, plures linguas callerent, abdita Scripturarum myſteria exponerent: opportune tunc ingeri potuiſſet. *Num & Saul inter Prophetas* (2)? Veri ſimillimum eſt, authorem hujus animadverſionis diutiſſime poſt tempus hujus rei geſtæ, cum proverbium hoc late obtineret, floruiſſe.

℣. 12. Et quis pater eorum? An melioris ſunt conditionis quam Saul? An Prophetarum iſtorum parentes ingenuam magis conditionem jactant, majores ſunt Prophetæ, quam Cis pater Saulis (3): Aliter: *Num Saul inter Prophetas? Et quis pater ejus & quis pater pueri ejus* (4)? An Propheticam ſtirpem referunt? vel potius: Quis eſt Dominus Prophetarum (5)? Id reſponſi datur iis, qui Prophetam agere Saulem mirantur. Quis docuit cæteros Prophetiam niſi unus Deus? An non Spiritus Sanctus, quos maxime voluerit, afflat (6)? Cur igitur & idem concedere Sauli, non potuit? Vel denique: Quis eſt pater & dominus Prophetarum? nonne Saul? Quomodo repente eo evaſit ut Prophetam agat, & Prophetarum principem? Conſtat utique, nomen *Pater* uſurpari ſæpe pro Domino. Septuaginta: *Ecquis pater ejus?* Codices quidam addunt (7): *Nonne Cis?*

℣. 13. Cessavit prophetare, et venit ad excelsum. Occurrit Saul Prophetis deſcendentibus e colle Gabaæ, addiderat ſe illis, redibatque cum illis in urbem, agente intus, quo afflabatur, Spiritu. Cum autem prophetarum cœtus ſolutus fuit, ſingulis ad ſua ſeſe recipientibus, Saul a Spiritu deſtitutus, aſcendit ad patrem ſuum, qui facile ædes habebat in vertice collis. Neceſſarii ejus omnes rei novitate, quæ illi contigerat, & curioſitate ſciendi eventum itineris ejuſdem viri, eo convenerunt. Cum autem adeſſet ſimul patruus, qui viſum ab illo Samuelem didicerat, quæ dixiſſet Propheta, illum interrogavit; ſuſpicabatur enim novi aliquid nunciaſſe. Saul tamen prudenti cautione ſiluit, quæ ad Regiam dignitatem pertinebant.

℣. 17. Convocavit Samuel populum ad Dominum in Masphath. Urbs eſt Maſphath apud Scripturam inclyta, ex conventibus populi ibi frequenter habitis. Porro Samuel eo convocavit populum *ad Dominum*, ideſt, ut ſiſterent ſe coram Arca Fœderis, eo transferenda (8), ut coram illa & coram ſummo Sacerdote, Rationali induto, Rex totius gentis per ſortes eligeretur. Interpretum quidam contendunt (9), Arcam eo translatam non fuiſſe; verbis autem illis, *Convocavit ad Dominum*, innui tantum, eo conveniſſe populum, Dei nomine & juſſu, ut ſub ejus auſpiciis Rex eligeretur. Conventus erat populi Domini, cui Deus ipſe præerat, vel indictus, ut arbitrium ſortis teneretur; quæ ſcilicet ſortes a Deo directæ cenſebantur.

℣. 19. Per Tribus vestras et per familias. Hebræus (10). *Ad tribus veſtras, & ad millia veſtra.* Singulæ Tribus ſeorſum, & ſingulæ etiam ſeorſum majores familiæ. Porro duodecim Tribus diſtinguebantur in majores familias, proxime e filiis viri Principis Tribus derivatas. Majores autem familiæ in plures minores ſcindebantur. Jactæ ſunt ſemel, iterum, & ſæpius ſortes, donec ad Saulem deveniretur: primo enim ſortes jactæ ſunt in duodecim Tribus, tum in majores familias Beniamini, deinde in familias privatas domus Metri, denique in ſingula capita domus Cis.

℣. 21. Cecidit cognatio Metri. Nemo hujus nominis legitur in Genealogia Metri, deducta in 1. Paralipom. VIII. 1. & ſeqq. Creditur tamen iſte Metri duplici nomine inſtructus fuiſſe; nomenque illud Metri non appellationem fuiſſe potius quam cognomen, deductum ex peritia jaculandi; *Metri* enim מטרי eſt jaculator. Septuag. Α᾽ματτερί.

℣. 22. Utrumnam venturus esset illuc. Utrum expectandus eſſet, an venturus ad cœtum. Hebræus ad literam (11): *An venturus eſſet adhuc illuc vir*; an viæ ſe dediſſet, ſeu venire ſtatuiſſet.

Ecce absconditus est domi. Hebræus (12): *Ecce ipſe latet ad vaſa*; inter ſarcinas. Porro Saul, quemadmodum cæteri omnes, in Maſphath ſeſe contulerat: celaverat ſeſe tamen inter eos, qui ad cuſtodiendas totius cœtus ſarcinas ſtabant: in loco aliquo occulto, obſcuro, & remoto a turba ſeſe abdiderat; quod utique viri eſt modeſti, & metuentis dignitatem, qua ſe indignum arbitratur.

℣. 23. Altior fuit universo populo ab humero et sursum. Non abs re hoc animadverſum eſt, indulgendum enim in ea re cenſuit ingenio populi, Regem illi conſtituens corporis ſtatura præſtantem, quæ ſupremæ illi dignitati reſponderet (13). Agnoſcit Ariſtoteles (14), ſi forte viri occurrant ſtructura corporis ita elegantes, ut ſimulachra Deorum eſſe videantur, hos ad imperium natos omnium aſſenſu reputari oportere. Idem pariter narrat (15), Æthiopes & Indos, cum ſupremam authoritatem deferrent, ſtaturæ proceritatem & corporis elegantiam maxime omnium ſpectaſſe. Docet Q. Curtius libro VI. *Plurimis gentibus in corporis majeſtate venerationem eſſe, magnorumque operum non alios capaces exiſtimare, quam quos eximia ſpecie donare natura dignata eſt.*

℣. 25. Locutus est Samuel ad populum legem regni, et scripsit in libro, et reposuit coram Domino. Lex illa Regni ſatis explorata non eſt, cum ſcriptum illud, quod exaratum fuit, interciderit, nihilque ſuperſit, niſi quod Moyſes pro Regibus ſtatuit in Deuteronom. XVII. 16. & quæ Samuel ſupra cap. VIII. expoſuit, quæ conjecturas noſtras exercere poſſint. Niſi forte reputaverimus, novas leges fuiſſe, quas Samuel dictavit ad optimum regimen Monarchiæ (16), longe alias ab iis rebus, quas antea pro concione recenſuerat, quæque minæ ſunt potius ſeu vaticinia malorum imminentium ex Regibus authoritate ſua abutentibus. Tradit Joſephus (17), Samuelem literis mandaſſe mala quæ Iſraeli imminebant, inde vero ſcripturam legiſſe coram Saule ac univerſo populo, eamque condidiſſe in Tabernaculo, ut vaticiniorum ſuorum veritas in ſæcula futura conſtaret. Cenſent quidam (18), dicta hæc omnia accipi poſſe de tabulis ſolemnibus electionis Saulis in Regem, quas a ſe ſcriptas, Samuel in Tabernaculo vel juxta Arcam conſtituerit. Innui his videtur, hæc omnia coram Arca Domini geſta fuiſſe.

℣. 26. Abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda. Quos verba Samuelis moverant, quique in his omnibus agnoverant Divini conſilii indicia, illi Saulem ad uſque domum ipſius, honoris gratia, proſequuti ſunt; redieruntque

(1) 1. Reg. XIX. ult. (2) Vide Adagial. Delrii, Adag. 175. (3) Vat. Mend. Menoc. Cornel. &c. (4) Cajet. Hug. Titin. (5) Jonath. in Vat. Vide Jun. Piſc. Malv. (6) Joan. III. 8. (7) Ita Septuag. Edit. Ald. Baſileenſ. & mſſ. Alexandrin. Καὶ τίς πατὴρ αὐτοῦ; ὁ Κίς. (8) Jun. Piſc. Malv. (9) Toſt. Menoc. Cornel. Mendoz. Vide ℣. 25. (10) לשבטיכם ולאלפיכם Septuag. Κατὰ τὰς φυλὰς ὑμῶν, καὶ τὰς χιλιάδας ὑμῶν. (11) הבא עוד הלום איש (12) הנה הוא נחבא אל הכלים Septuag. Κέκρυπται ἐν τοῖς σκεύεσι. (13) Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Eurip. (14) Ariſtot. Politic. 1. (15) Idem ibid. lib. 4. & 7. (16) Eſt. Grot. Vat. (17) Joſeph. Antiq. lib. 6. cap. 5. Τὰ μέλλοντα συμβήσεσθαι κακὰ γράψας αὐτοῖς ὁ Προφήτης, ἀνέγνω τοῦ βασιλέως ἀκροωμένου. (18) Menoch.

que deinde ad propria, uti & Saul, qui colonicas occupationes denuo ſumpſit, uti inferius narrabitur. Exercitus, de quo hic, ipſe eſt populi cœtus, & qui ex populo militarem ætatem attigerant. Sæpe cœtus populi Iſraelitarum exercitus appellatur (1); omneſque juvenes ad prælium apti aderant in ſolemnibus hiſce conventibus ſub ducibus ſuis, proficiſci in prælium parati.

℣. 27. Filii Belial..... non attulerunt ei munera. Qui ſint filii Belial, alibi demonſtravimus (2), homines ſcilicet nihili & ſeditioſi. Ferre munera, ſubjectionis argumentum erat. Aod nunquam ſine munere Eglonem adibat (3): David vacuis manibus nunquam obtulit ſeſe coram Saule (4): Regina Saba munera Salomoni offert (5); & idem Salomon plures habebat gentes tributarias, quæ, ex phraſi Scripturæ, munera ad illum deferebant (6). Subditi Regibus Perſarum, Thraciæ (7), & aliis pluribus populi, nunquam coram Principibus ſuis ſine muneribus veniebant. Noſtra adhuc ætate idem mos regnat in Oriente: ſi Legati quilibet ad illos ſine muneribus veniant, contemptui habentur (8). Herodotus (9), recenſitis proventibus Regni Darii filii Hyſtaſpis, qui e tributis colligebantur, affirmat, Perſidem tributo quidem minime obnoxiam fuiſſe, ſed quotannis ſolviſſe Regi munera, uti pariter & Æthiopes, Ægypto proximos, incolas Niſæ, & Colchos; munera autem erant certa & imperata, non ſponte & ex arbitrio offerenda.

CAPUT XI.

Bellum Ammonitarum in Jabes Galaad. Saul ad eam urbem defendendam veniens, hoſtes fundit fugatque. Regnum illi in Galgalis confirmatur.

℣. 1. ET factum eſt quaſi poſt menſem, aſcendit Naas Ammonites, & pugnare
cœpit adverſum Jabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Jabes ad Naas:
Habeto nos fœderatos, & ſerviemus tibi. 2. Et reſpondit ad eos Naas Ammonites:
In hoc feriam vobiſcum fœdus, ut eruam omnium veſtrum oculos dextros, ponam-
que vos opprobrium in univerſo Iſrael. 3. Et dixerunt ad eum ſeniores Jabes: Con-
cede nobis ſeptem dies, ut mittamus nuncios ad univerſos terminos Iſrael: & ſi non
fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te. 4. Venerunt ergo nuntii in Gabaa Sau-
lis: & locuti ſunt verba hæc audiente populo; & levavit omnis populus vocem ſuam,
& flevit. 5. Et ecce Saul veniebat, ſequens boves de agro, & ait: Quid habet
populus, quod plorat? Et narraverunt ei verba virorum Jabes. 6. Et inſiluit Spi-
ritus Domini in Saul, cum audiſſet verba hæc, & iratus eſt furor ejus nimis. 7.
Et aſſumens utrumque bovem, concidit in fruſta, miſitque in omnes terminos Iſrael
per manum nuntiorum, dicens: Quicumque non exierit, & ſecutus fuerit Saul, &
Samuel, ſic fiet bobus ejus. Invaſit ergo timor Domini populum, & egreſſi ſunt
quaſi vir unus. 8. Et recenſuit eos in Bezech: fueruntque filiorum Iſrael trecenta
millia. 9. Et dixerunt nuntiis, qui venerant: Sic dicetis viris, qui ſunt in Jabes
Galaad: Cras erit vobis ſalus, cum incaluerit ſol. Venerunt ergo nuntii, & annun-
tiaverunt viris Jabes, qui lætati ſunt. 10. Et dixerunt: Mane exibimus ad vos: &
facietis nobis omne, quod placuerit vobis. 11. Et factum eſt, cum dies craſtinus
veniſſet, conſtituit Saul populum in tres partes: & ingreſſus eſt media caſtra in vi-
gilia matutina, & percuſſit Ammon, uſque dum incaleſceret dies: reliqui autem diſ-
perſi ſunt, ita ut non relinquerentur in eis duo pariter. 12. Et ait populus ad Sa-
muelem: Quis eſt iſte, qui dixit: Saul non regnabit ſuper nos? Date viros, & in-
terficiemus eos. 13. Et ait Saul: Non occidetur quiſpiam in die hac, quia hodie
fecit Dominus ſalutem in Iſrael. 14. Dixit autem Samuel ad populum: Venite, &
eamus in Galgala, & innovemus ibi regnum. 15. Et perrexit omnis populus in
Galgala, & fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala, & immolaverunt ibi
victimas pacificas coram Domino. Et lætatus eſt ibi Saul, & cuncti viri Iſrael nimis.

℣. 1. ET factum est quasi post mensem. Deſunt hæc verba in Hebræo, Verſionibus Orientalibus, Septuaginta Complutenſibus, & vetuſtis manuſcriptis Latinis pluribus (10), leguntur in Editione Romanâ & Joſepho (11). Electionem Saulis in Maſphath non omnes uno aſſenſu Iſraelitæ agnoverant: aſſuetus populus ſuis præjudiciis omnia metiri, id ſibi perſuaſerat, Saulem obſcu-

ra fa-

[1] Exod. vi. 26. xii. 51. Num. i. 3. 51. Deut. xx. 9. xxiv. 5. [2] Vide Deut. xiii. 13. 1. Reg. i. 16. [3] Judic. iii. 15. [4] 1. Reg. xvi. 20. [5] 3. Reg. x. 2. [6] 3. Reg. iv. 21. [7] Xenophon. lib. 7. Anabaſ. Cyri Jun. [8] Vide Petr. Martyr. Legat. Babyl. lib. 2. *Indignantur & ſe negligi ac flocci fieri arbitrantur, ſi audeat ulla potentia oratores ad eos ſine opimis muneribus deſtinare.* [9] Herodot. lib. 3. cap. 97. 98. [10] Vide nov. Edit. Oper. Hieron. & Mend. hic. [11] Antiq. lib. 6. cap. 5. Μηνὶ δὲ ὕστερον. Septuag. ὡς μετὰ μῆνα.

ra familia ortum, ineptum fore ad commoda & defenſionem gentis ſuſcipiendam. Urbem Jabes ſtringebant Ammonitæ: obſeſſi cives nihil de Saule cogitantes, oratores ſuos per Iſraelem mittunt; quique ex illis in Galgalam venerunt, non Saulem, ſed urbis cives adiere, Saulis electio perinde tunc habita fuiſſe videtur, ac ſi nondum accidiſſet. Samuel ſequenti Capite ℣. 12. palam expoſuit Iſraelitis, populum, cum urgeri ſe armis Naas Regis Ammonitarum ſentiret, a Propheta petiiſſe: *Rex imperabit nobis*; quaſi ſcilicet nullus certus Princeps adhuc datus fuiſſet, ac priſtinus adhuc Reipublicæ ſtatus maneret, ſine Rege ac ſine Principe. Nonniſi poſt bellum Ammoniticum primo factum eſt, ut Saul in Regem certa deſtinatione ab univerſo Iſraele in Galgalis agnoſceretur.

Naas Ammonites. *Naas* eſt *anguis*. Ejuſdem nominis & regionis Rex ſub Davide legitur (1). Illud autem ſæpe alibi animadverti potuit, Reges ejus provinciæ affectaſſe nomina ferarum, uti lupi, anguis, corvi &c. Porro Ammonitæ jus ſibi jam a veteri ætate in Regionem Galaad vindicabant. Sub Jephte (2) bellum jam indixerant Iſraelitis transjordanicis, ac poſt pacem tunc illis a Jephte comparatam, nihil de rebus ejuſdem regionis legimus in Scriptura, uſque ad tempus, de quo modo, ideſt, ſpatio annorum circiter nonaginta.

℣. 2. Ut eruam omnium veſtrum oculos. Dura propoſitio. Commentariorum Scriptores plerique (3) cenſent, conſilium agitaſſe Naas non modo exponendi miſeros hoſce ludibrio totius Iſraelis, quemadmodum hic exponitur, ſed & dextro oculo privatos, ineptos illos uſibus bellicis reddendi. Porro dexter oculus multo magis neceſſarius erat quam ſiniſter ad prælium; ſiniſter enim a clypeo impediebatur. Forte etiam ne tractarent arcum prohibere volebat, quod armorum genus erat in ea regione familiariſſimum, ejus enim in uſu, clauſo ſiniſtro oculo, dextero tantum aperto, ſcopus ſpectatur. Cavebat autem, ne utroque oculo orbaret, ne ſervitiis & tributis, quæ ab illis ſperabat, ineptos redderet.

℣. 3. Concede nobis ſeptem dies. Suppetunt vetuſta quædam exempla non diſſimilium promiſſionum, deditionem ſcilicet faciendi, ſi intra certum temporis ſpatium ſperata auxilia defeciſſent (4); id autem dictum ita accipi oportet, ſi auxilia illa ventura tanta eſſent, quæ diſcrimine urbem liberare poſſent. Hæc niſi ſatis eſſent, obligata fides nonniſi facta deditione ſolvebatur.

℣. 5. Ecce Saul veniebat ſequens boves de agro. De Regia majeſtate & viro Principe dignis occupationibus aliter Hebræi ac nos ſentiebant. Porro Saul terram arat, poſtquam etiam Rex ſalutatus fuit, perinde ac prius, cum privatæ erat conditionis. David greges ſuos curat poſt Regalem unctionem per Samuelem, non ſecus ac prius, cum in nullam adhuc ſpem Regni veniſſet. Abſalom ejus filius, una cum cæteris fratribus ſuis, ad tondendas oves ſuas venit. David ad Regnum evectus, plures habebat Præfectos ſuper greges ſuos ovium, aſinorum, & camelorum conſtitutos; & arborum culturam ſolicite curabat. Quorſum autem exempla ex antiquitate, quæ rudis creditur & ruſtica, ut voluptates vitæ mollioris ignoraſſe potius quam contempſiſſe videatur? Apud ipſos pariter Græcos Romanoſque, cum res illorum florerent, divitiæ ac vitæ cultus abundarent, Principes & viri quique ampliſſimi tam longe aberant ab agriculturæ occupationibus ſpernendis & tamquam ſe ſe indignis abjiciendis, ut vel libros ea de re ſcriberent (5). Reges Hieron, Philometor, Attalus, Archelaus, clara ſunt ea in re nomina. Imperatores copiarum Xenophon & Mago Carthaginienſis curas ſuas ejus generis libris exarandis contulerunt. Magonis certe opera tanti æſtimaſſe Romanos tradit Plinius, ut captæ Carthaginis Bibliothecas cæteras Principibus ejuſdem regionis permiſerint, ſervarint ſibi tantummodo octo & viginti volumina Magonis de agricultura, quæ Latinis literis tradi curavere. Superſunt adhuc ſcripta de hoc argumento, Catonis, Varronis (6) & Columellæ. His Scriptoribus vetuſtior Syllanus, e clariſſima familia, eamdem provinciam ſumma cum laude occupaverat. Igitur non apud Hebræos tantum occurrunt illuſtres agrorum cultores, Jair, Samgar, Saul, David; ſed inter alias gentes in eumdem cenſum clara nomina referuntur, Marius, Curius, Serranus, Cincinnatus, Cajus, Attilius, aliique ſexcenti Romanorum nobiliſſimi (7).

Jura dabat populis poſito modo Prætor aratro,
Paſcebatque ſuas ipſe Senator oves.

℣. 7. Assumens utrumque bovem, concidit in fruſta. Ejus generis exempla aptiora ſunt movendis animis, quam data verbis præcepta & minæ. Eamdem ſæpe rationem inierant Prophetæ, ut verba ſua altius animis imprimerent. Jeremias vincula mittit ad Principes (8), ut eo emblemate intelligant futuram captivitatem ſuam ſub Regibus Babylonis. Sedecias Pſeudo-Propheta (9) cornua ſibi ferrea aptavit, ut animos faceret Regi Iſraelis, ita fore ab illo Syriam diſſipandam, uti taurus glebas cornibus ſuis petit ac ventis diſſipat. Agabus (10) cingulo S. Pauli manus ſuas vinxit, prædicens futurum, ut brevi idem Apoſtolus in carcere vinciretur. Levita, cujus uxor inſigni probro affecta fuit in Gabaa, cadaver mulieris in duodecim partes ſcidit, e quibus ad ſingulas Tribus Iſraelis ſuam tranſmiſit (11). Saul quamquam regia præſtans dignitate vomere terram ſcindebat. Ita pariter apud Homerum Ulyſſes rex Ithacæ gloriatur ſe optimum eſſe operarium, agricolam, militem, Odyſſ. 18. v. 365. 366.

Per manum nuntiorum. Seu per legatos ipſos Jabes, ſeu per viros ad id miſſos: neque enim oratores Jabes tam multi erant, ut in rem præſentem ſufficerent.

Timor Domini, ſeu potius timor ingens & terror inſolitus, Dei nomen additur rebus grandibus, ut earum magnitudo exaggeretur.

℣. 8. Recensuit eos in Bezech. Urbs erat xvii. m. paſſibus a Sichem, Scythopolim verſus; ad eum ferme locum, ubi erant vada Jordanis euntibus in Jabes. Porro Jabes aberat decem leucis circiter a Jordane. *Bezech* accipiunt Rabbini pro lapide (12); traduntque, nunquam permiſſum fuiſſe Judæis per capita ſuos recenſere, ſed tantum per res, quæ ad ſingulos pertinerent, uti per lapides, per annulos, quos ferebant: hoc igitur tempore ſinguli milites projecere lapidem in ſtruem, deinde lapidum numerus ductus eſt. Fabulæ!

Trecenta millia. Joſephus (13) numerat Iſraelitarum ſeptingenta millia, & militum e Tribu Juda ſeptuaginta millia.

℣. 9. Dixerunt Nuntiis: Cras erit vobis ſalus; cum incaluerit ſol. Nonniſi in cœtu populi ad Bezech ſpem factam credimus Oratoribus Jabitarum fore, ut mane alterius diei auxiliares copias obtinerent. Cum igitur Oratores ad ſuos rediiſſent, cives Jabes Naas Regi Ammonitarum renunciarunt, mane alterius diei ſeſe ad illum proceſſuros, ipſumque ſibi quid voluerit, facturum. Ita conſilium ab ipſis agitatum celabant, irruptionem nempe faciendi in hoſtes, quo tempore Saul cum

(1) 2. Reg. x. 2. (2) Judic. xi. (3) Theodoret. Lyr. Tir. Menoc. Eſt. Grot. Sanct. (4) Vide Grot. de jure bell. & pac. lib. 3. cap. 23. art. 14. Vide & Notas in eumd. lib. (5) Plin. lib. 18. cap. 3. (6) Vide Varron. lib. 2. initio; & Columel. Præfation. in lib. de Re Ruſt. (7) Ovid. Faſt. lib. 1. (8) Jerem. xxvii. 9. (9) 3. Reg. xxii. 11. (10) Act. xxi. 10. (11) Judic. xix. 29. (12) Vide Selden. de Synedr. lib. 3. cap. 11. art. 5. (13) Joseph. Antiq. lib. 6. cap. 6.

eum copiis impetum in eoſdem hoſtes faceret. Porro Saul veſpere caſtra movens, Jordanem tranſmiſit, magniſque per totam noctem itineribus, mane diliculo, *in vigilia matutina*, inexpectatus improviſuſque ad caſtra hoſtium pervenit. Quartus erat is facile dies induciarum Jabitis conceſſarum ad auxilia expectanda.

Cum incaluerit sol. Mane alterius diei, antequam ſol medium ſui curſum emenſus ſit, metu hoſtium liberabimini.

℣. 10. Mane exibimus. Non mendax dictum eſt, ſed ironicum, ambiguum, vel ſi mavis, bellicum ſtratagema.

℣. 11. Ingressus est media castra. Ad medium uſque caſtrorum proceſsit. Vel potius, triſariam diviſo exercitu, tribus locis aggreſſus eſt Ammonitas; ipſe vero mediam aciem aggreſſus eſt. Caſtra erant hæc minime munita. Hebræi, finitimæque illis gentes caſtra ſua non muniiſſe videntur, ſed vigiles tantum ad capita viarum conſtituiſſe,

Vigilia matutina. Moris erat apud Veteres noctem in tres vigilias, vel triſariam partiri. Vigilia matutina tertiam noctis partem complectens, uſque ad exortum ſolem producebatur.

℣. 14. Innovemus ibi Regnum. Cum ea, quæ in Maſphath ſtatuta fuerant, non omnes æque probaſſent, ad alteram electionem, quæ priorem illam confirmaret, deveniendum erat, ut Saul ab univerſo Iſraele agnoſceretur. Porro ea cæremonia acta eſt *coram Domino*, ſive coram Arca eo translata, accitiſque Sacerdotibus qui victimas immolarent: ſive coram cœtu, Dei nomine coacto, cui Propheta aliquis præerat. Accedebat & Regia unctio, quæ ibi deferenda erat, confirmata ſacramentis Dei nomine nuncupatis. Hæc omnia merito appellantur cœtus Domini, vel coram Domino celebratus. Septuaginta & Joſephus habent hic: *Unxit Samuel ibi Saul*; cum in Hebreo (1), & in Vulgata legatur: *Fecerunt ibi Regem Saul coram Domino*.

[1] וימליכו שם את שאול לפני יהוה Septuag. *Καὶ ἔχρισεν ἐκεῖ Σαμουὴλ τὸν Σαοὺλ εἰς βασιλέα ἐνώπιον Κυρίου.*

CAPUT XII.

Samuel exigit a populo, ut æquitatem atque innocentiam regiminis ſui agnoſcat; exprobrat autem illi vitium ingrati animi erga Deum, hortatur ut in fide Dei perſeveret, ſpondetque nunquam ſe a precibus pro populo ceſſaturum.

℣. 1. Dixit autem Samuel ad univerſum Iſrael: Ecce audivi vocem veſtram, juxta omnia, quæ locuti eſtis ad me, & conſtitui ſuper vos regem. 2.
Et nunc rex graditur ante vos: ego autem ſenui, & incanui: porro filii mei vobiſcum ſunt: itaque converſatus coram vobis ab adoleſcentia mea uſque ad hanc diem, ecce præſto ſum. 3. Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto ejus, utrum bovem cujuſquam tulerim, aut aſinum: ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cujuſquam munus accepi: & contemnam illud hodie, reſtituamque vobis. 4. Et dixerunt: Non es calumniatus nos, neque oppreſſiſti, neque tuliſti de manu alicujus quippiam. 5. Dixitque ad eos: Teſtis eſt Dominus adverſum vos, teſtis Chriſtus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Teſtis. 6. Et ait Samuel ad populum: Dominus, qui fecit Moyſen, & Aaron, & eduxit patres noſtros de terra Ægypti. 7. Nunc ergo ſtate, ut judicio contendam adverſum vos coram Domino, de omnibus miſericordiis Domini, quas fecit vobiſcum, & cum patribus veſtris: 8. Quo modo Jacob ingreſſus eſt in Ægyptum, & clamaverunt patres veſtri ad Dominum: & miſit Dominus Moyſen, & Aaron: & eduxit patres veſtros de Ægypto: & collocavit eos in loco hoc. 9. Qui obliti ſunt Domini Dei ſui, & tradidit eos in manu Siſaræ magiſtri militiæ Haſor, & in manu Philiſthinorum, & in manu regis Moab, & pugnaverunt adverſum eos: 10. Poſtea autem clamaverunt ad Dominum, & dixerunt: Peccavimus, quia dereliquimus Dominum, & ſervivimus Baalim, & Aſtaroth; nunc ergo erue nos de manu inimicorum noſtrorum, & ſerviemus tibi. 11. Et miſit Dominus Jerobaal, & Badan, & Jephte, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum veſtrorum per circuitum, & habitaſtis confidenter. 12. Videntes autem, quod Naas rex filiorum Ammon veniſſet adverſum vos, dixiſtis mihi: Nequaquam, ſed rex imperabit nobis: cum Dominus Deus veſter regnaret in vobis. 13. Nunc ergo præſto eſt rex veſter, quem elegiſtis, & petiſtis: ecce dedit vobis Dominus regem. 14. Si timueritis Dominum, & ſervieritis ei, & audieritis vocem ejus, & non exaſperaveritis os Domini: eritis & vos, & rex, qui imperat vobis, ſequentes Dominum Deum veſtrum. 15. Si autem non audieritis vocem Domini, ſed exaſperaveritis ſermones ejus, erit manus Domini ſuper vos, & ſuper patres veſtros. 16. Sed & nunc ſtate, & videte rem iſtam grandem, quam facturus eſt Dominus in conſpectu veſtro. 17. Numquid non meſſis tritici eſt hodie?

invocabo Dominum, & dabit voces, & pluvias: & ſcietis, & videbitis quia grande
malum feceritis vobis in conſpectu Domini, petentes ſuper vos regem. 18. Et cla-
mavit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces, & pluvias in illa die. 19. Et
timuit omnis populus nimis Dominum, & Samuelem, & dixit univerſus populus ad
Samuelem: Ora pro ſervis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur: addi-
dimus enim univerſis peccatis noſtris malum, ut peteremus nobis regem. 20. Dixit
autem Samuel ad populum: Nolite timere, vos feciſtis univerſum malum hoc: ve-
runtamen nolite recedere a tergo Domini, ſed ſervite Domino in omni corde veſtro.
21. Et nolite declinare poſt vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos,
quia vana ſunt. 22. Et non derelinquet Dominus populum ſuum propter nomen
ſuum magnum: quia juravit Dominus facere vos ſibi populum. 23. Abſit autem a
me hoc peccatum in Dominum, ut ceſſem orare pro vobis, & docebo vos viam bo-
nam, & rectam. 24. Igitur timete Dominum, & ſervite ei in veritate, & ex toto
corde veſtro; vidiſtis enim magnifica, quæ in vobis geſſerit. 25. Quod ſi perſevera-
veritis in malitia: & vos, & rex veſter pariter peribitis.

℣. 1. Ecce audivi vocem vestram. Poſt confirmarum Sauli Regnum, & antequam conventus in Galgalis dimitteretur, de innocentia ſua ſecurus Propheta, judicio totius Populi & Regis ſeſe exponit: probata vero ab omnibus ſua ipſius æquitate, exprobrat populo inconſtantiam & perfidiam, agitque in ea re non ut homo, ſed ut Propheta, tota ſcilicet ea authoritate, quæ virum a Deo miſſum decebat.

℣. 2. Nunc Rex graditur ante vos. Votorum veſtrorum compotes eſtis: poſcebatis vobis virum, qui vobis præeſſet, ante vos graderetur, in bellum vos duceret, ac moderaretur: en habetis.

Ego senui, et incanui. Hebreus (1): *Ego ſenui, & ſedi*. Senui ego, & agendo ſum impar; at Verſionem Vulgatæ ſequuntur Aquila (2), Symmachus, & docti plures Interpretes.

Porro filii mei vobiscum sunt. De ratione agendi filiorum meorum vobis querentibus, ego illos exauctoravi, redegique in cenſum noviſſimorum e populo; nec vobis eſt æqua ratio querendi de me, quaſi ſcilicet illis indulſerim, vel illorum crimen probaverim (3). Si cui veſtrum eſt de illis querela, habetis illos in veſtro cœtu. Facile eſt unicuique reos illos apud Regem agere.

℣. 3. Loquimini de me coram Domino, et coram Christo ejus, coram Rege ſcilicet, chriſmate conſecrato. Nomen *Chriſtus*, e Græco *Chriſtos* deductum, ſonat eum qui unctione initiatus eſt. Id autem nominis potiſſimum tribuitur Regibus; ac eamdem plane ſignificationis latitudinem habet in Hebræo *Meſſiach*. Id cognominis Chriſti & Meſſiæ tribuimus nos Jeſu filio Dei, tamquam vero ſæculorum & gentium omnium Regi, ac Pontifici æterno, juxta ordinem Melchiſedechi. Chriſmate ille quidem nullo manu Pontificum delibutus eſt, ſed ejus defectum abunde ſupplevit ubertas gratiarum Patris Divini, quam typo quodam, & figura unctio Veterum Regum Juda deſignabat.

Ad id uſque temporis Samuel unicum populi Dei caput agnitus fuerat. Geſtorum ſuorum rationem uni Deo reddere tenebatur; ut vero Saul in Regem Iſraelis ſalutatus eſt; authoritati ejus ſeſe ſubmiſit, nec Judicem vitæ a ſe actæ illum accipere recuſavit. Hebræus הנני ענו בי: *Ecce ego, reſpondete mihi*, vel (4) in me, *coram Domino, & coram uncto ejus*. Cauſa eſt mihi vobiſcum: ante noſtrum Judicem ſtamus utrique: en accuſationum mearum capita; reſpondete. Vel; Præſto ſum: cauſam in me dicite.

Si quemquam calumniatus sum, si oppressi aliquem. Reddi poſſet Textus (5); *Si vim alicui intuli, ſi percuſſi*, vel (6): *Si quem vi, vel inique oppreſſi*; vel denique: Si fraude, & calumnia quempiam rebus ſuis ſpoliavi; vel ſi amicitia, & indulgentia in aliquem ad Juſtitiæ Leges violandas adduci paſſus ſum (7).

Si de manu cujuspiam munus accepi, ad oppreſſionem innocentis, vel ſontis abſolutionem, denique ad jus inique reddendum. Accipiebat facile Samuel munera quædam, quæ officium alicuius in ſe, amorem, ac beneficiorum agnitionem teſtarentur; nunquam tamen habendi cupiditate rapi ſe & corrumpi paſſus eſt. Originalis verba, quæ in fine hujus Textus leguntur, ita reddi poſſunt (8): *Cujus e manu ego munus accepi, & reſtituam?* Siquid muneris accepiſſe convincar, volo meum ferre probrum, ſtatimque omnia reſtituere. Aliter; *Si ego munus accepi, & clauſi oculos*, ut cauſam illius, qui munus obtulit, negligerem, *ego illud reſtituam*. Vel potius (9): *Si munus acceperim, & defixus in eo ſit oculus meus*; ſi lumina eo converti, ſi munera oblata me delectarunt. Septuaginta aliter ac nos in Textu Hebræo legerunt: (10) *Si de manu alicujus cœpi quodcumque munus* [ad literam quod ad placandum & reconciliandum valet] *vel calceamentum, reſpondete coram me, & reddam vobis*. Priorem interpretationem pronam magis, magiſque cohærentem ingenio & ſyntaxi originalis judicamus. Cum rubore perfundimur, os oculoſque operimus. Author Vulgatæ aliam interpretationem, quæ in hunc ſenſum trahi poteſt, ſecutus eſt: *Si de manu cujuſquam munus accepi, contemnam illud hodie, reſtituamque vobis*; oculos meos claudam ne illud videam, ne aſpiciam quidem, reſtituam non invitus.

℣. 6. Dominus, qui fecit Moysen et Aaron; qui eos ſublimes fecit, elegit, miſit, docuit, formavit, a quo, quidquid habent, referunt, cui gloriam ſuam omnem debent. Septuaginta (11): *Teſtis Dominus, qui fecit Moyſen, & Aaron*. Codices quidam Latini legunt, *adeſt*, Deus ſcilicet: ſed in Hebreo, Vulgata, & Chaldæo, præpoſitio ſine verbo relinquitur ſuſpenſa. *Facere* uſurpatur interdum pro eligere, in munere aliquo conſtituere (12).

℣. 7. State ut judicio contendam adversum vos. Reddi poteſt Textus (13): *Venite hodie, & ſiſtite*

(1) זקנתי ושבתי Septuag. Γεγήρακα καὶ καθήσομαι. Alius, Πεπολίωμαι, καὶ καθήσομαι. (2) Aqu. Sym. Γεγήρακα καὶ πεπολίωμαι. (3) Jun. Menoch. Malv. Piſc. (4) Septuag. Ἀποκρίθητε κατ᾽ ἐμοῦ. (5) את מי עשקתי את מי רצותי (6) Septuag. Ἢ τίνα ὑμῶν κατεδυνάστευσα, ἢ τίνα ἐξεπίεσα ὑμῶν. (7) Cajet. Malv. (8) מיד מי לקחתי כפר ואעלים עיני בו ואשיב לכם (9) Syr. Arab. (10) Ἢ ἐκ χειρὸς τίνος ὑμῶν εἴληφα ἐξίλασμα, ἢ ὑπόδημα, εἴπατε κατ᾽ ἐμοῦ, καὶ ἀποδώσω ὑμῖν. Legunt נעלים pro אעלים (11) Μάρτυς Κύριος ὁ ποιήσας τὸν Μωσῆν καὶ τὸν Ἀαρών. (12) Vide Jerem. xxxvii. 15. Cleric. hic. (13) ועתה התיצבו ואשפטה אתכם לפני יהוה

ſiſtite vos, & ego judicabor vobiſcum coram Domino. Venite, ut una mecum judicium Domini ſubeatis. Judicialis vocandi formula eſt ad commune judicium: Diem vobis dico apud Dominum.

De omnibus misericordiis Domini. Hebræus (1): *De omnibus juſtitiis Domini*. Septuaginta (2): *Annuntiabo vobis omnem juſtitiam Domini*. Symmachus reddidit, uti & Vulgata, *miſericordiis*, Hebræam illam vocem, quæ reddi quidem ſolet *miſericordiæ*. Revocabo vobis in mentem omnia a Deo vobis præſtita, tum quæ in veſtrum commodum, cum etiam quæ ob crimina veſtra punienda geſſit. Suſcipit Samuel defendere cauſam Dei adverſus populum, juſtitiam Domini aſſerere, & populi iniquitatem aperire.

ỽ. 9. Tradidit eos in manu Sisaræ. Siſara, copiarum Regis Haſor domini ſui authoritate abuſus, ſubditos Domino Iſraelitas oppreſſit. Celebris eſt victoria a Barako, & Debora de illo relata (3).

In manu Regis Moab. Forte Eglonis Regis Moabitarum, qui Iſraelitas duodeviginti annis oppreſſit (4). Forte etiam innuit ſervitutem Ammoniticam, quam Jephte ſolvit (5). Hanc ſententiam duplex hoc argumentum propugnat. I. Quod Jephte, de quo in ſequenti verſiculo, deſtinatus fuit a Deo, ut Iſraelem ab hoſtili ſervitute liberaret; II. Quod Samuel ſervitutis Moabiticæ non meminit niſi narratis aliis, quas populus e Chananæis, & Philiſtæis ſubiit. Denique conſtat ex Hiſtoria Jephte, Reges Ammonitarum Moabitis pariter imperaſſe, & res utriuſque populi in unam eamdemque coaluiſſe (6).

ỽ. 11. Jerobaal, et Badan. Jerobaal eſt Gedeon, qui Madianitas ſuperavit. Nomen Badan nullibi in Hiſtoria Judicum occurrit. Septuaginta legunt *Barac*, qui Siſaram & exercitum Regis Haſor fudit. Ajunt alii (7), *Badan* ipſiſſimum eſſe Jairum e Tribu Manaſſe, qui Iſraelem tribus & viginti annis judicavit (8). Notus eſt *Badan* abnepos Machir (9); erat autem Jair ex eadem familia, ex filia Machir prognatus (10). Sed Commentariorum Scriptores plerique (11) aſſerunt, Badan Samſonem e Tribu Dan deſignare; quam opinionem, nullis idoneis argumentis fultam, authoritate ſua commendarunt Paraphraſtes Chaldæus, & Judei, leviſſimæ fidei authores. Maluerim ego intelligere de Jairo, uti ſupra expoſuimus; neque in Scriptura novum eſt, ut uni eidemque viro plura nomina tribuantur. Caret autem exemplo, & univerſæ analogiæ Linguæ ſanctæ repugnat, virum Danitam appellari *Be-Dan*, quemadmodum nunquam auditum eſt, virum ex Juda & ex Ephraimo nuncupari *Be-Juda*, *Be-Ephraim*.

Et Samuel. De ſe, tamquam de tertio quodam, loquitur Samuel. Neque ſane hoc tempore, cum res & Dei gloria defendendæ erant, importuna modeſtia diſſimulanda erant grandia illa, quæ Reipublicæ ipſe contulerat beneficia, quæque univerſus ille populi cœtus comperta habebat ac explorata.

ỽ. 12. Videntes autem quod Naas ... venisset adversum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed Rex imperabit nobis. Ex hoc loco colligi poſſe videtur, bellum Ammoniticum ante aliquod tempus cœpiſſe, ejuſque cauſa inductos fuiſſe Iſraelitas, ut Regem a Samuele peterent, quemadmodum narratum eſt (12). Qua hypotheſi conſtituta, reputari etiam poſſet, Ammonitas audita electione Regis totius gentis, hoſtilia in Iſraelitas Transjordanicos exercere aliquandiu ceſſaſſe: ſed elapſo menſe, cum intelligerent, electionem Saulis Iſraelitis æque omnibus probatam non eſſe, renovato bello ſtrinxiſſe armis Jabes, urbem ejus regionis munitiſſimam.

Sed hac etiam interpretatione rejecta, reputari poſſet, in conventu in Galgalis habito, ac nondum ſoluto, Samuelem, antequam ad novam electionem, ſeu potius ad prioris illius in Maſphath peractæ confirmationem deveniretur, exprobraſſe iterum injuriam Domino illatam, & mala quæ in eorum caput imminerent, ſiquidem perſeverarent in ſententia habendi Regem; populum tamen, blandiente ſibi proſpero exitu expeditionis a Saule in Naas confectæ, inhæſiſſe priori conſilio de Rege ſibi conſtituendo. Reddi igitur poſſet Textus (13): *Sed videntes, quod Naas Rex Ammonitarum veniſſet adverſum vos*, & receſſiſſet victus, *dixiſtis mihi: Nequaquam, ſed Rex imperabit nobis*; vel perſiſtimus in ſententia habendi Regem. Innuit hic Samuel, ſi populus a ſententia recederet, rediretque in obſequium Domini, futurum ut præcedens Saulis electio nihil officeret.

ỽ. 13. Præsto est Rex quem elegistis. Electione veſtra confirmatis virum, quem ſors vobis obtulit. In his verbis ironicum quid & mordax ſentit S. Auguſtinus: Regem habetis qualem voluiſtis: quid vobis eventurum ſit in poſterum, experiemini.

ỽ. 14. Et non exasperaveritis os Domini; neque perduelles vos exhibueritis Domino; non coegeritis Dominum, irato & minaci vultu vos intueri (14), vel ne cogatur (15) ſevere vobiſcum & iracunde loqui (16): Non ſparſeritis amaritudinem in os ejus, non irritaveritis, nec ſuccenderitis. Indicatur his verbis bilis, quæ in os refunditur ejus qui irritatur.

ỽ. 15. Super vos et super patres vestros. Ne ſuper vos, ut olim ſuper patres veſtros, ſæviat (17). Septuaginta (18): *Super vos & ſuper Regem veſtrum*. Reges, Principes ac domini appellantur non raro *Patres populi*.

ỽ. 17. Numquid non messis tritici est hodie? Meſſis frumenti in Palæſtina inibat, uti animadvertit S. Hieronymus (19), circa exitum Junii vel exordium Julii; imbres & tonitrua ea quidem anni tempeſtate nulla timenda erant; plurimum autem verno & autumnali tempore, quo uno pluviæ in ea regione cadebant. Amos IV. 7. *Ego prohibui a vobis imbrem, cum adhuc tres menſes ſupereſſent uſque ad meſſem*, ideſt, quo tempore æ quæ ſunt frequentiſsimæ, ſub initium veris. Hac utitur prævia oratione Samuel, ut prodigii, quod exhibere decrevit, magnitudinem ſentiant.

Dabit voces, ideſt, tonitrua, quæ non raro in Scriptura vocum nomine deſignantur (20): *Dominus dedit vocem ſuam*, tonitru ſuo inſonuit auribus.

ỽ. 21. Nolite declinare post vana. Hebræus ad literam (21): *Non declinetis, quia eſt poſt nihil*, ſeu rem vacuam, inanem, inutilem (22). Satis conſtat, innui hic Idola, quę nomine *Tohu* appellantur; vocem autem illam in exordio Geneſeos redditur materia ante rerum creationem intra chaos contentam.

Quæ non proderunt vobis. Nec ſervare vos, nec liberare e manibus hoſtium valebunt. Seu potius, quibus extrema omnia in vos provocabuntur. In eamdem ſententiam Moyſes prędicit (23): *Non habebit inſontem Dominus eum qui aſſumpſerit*

(1) את כל צדקות יהוה (2) Καὶ ἀπαγγελῶ ὑμῖν πᾶσαν τὴν δικαιοσύνην κυρίου. (3) Judic. IV. V. (4) Judic. III. 14. (5) Judic. X. XI. (6) Vide Judic. XI. 15. & 25. (7) Jun. Piſc. (8) Judic. X. 3. (9) I. Paral. VII. 17. (10) I. Paral. II. 21. 22. (11) Lyran. Menoch. Tir. Eſt. Cornel. Sanct. alii paſſim. (12) I. Reg. VIII. 4. 5. X. 1. 2. & ſeq. (13) ותראו כי נחש מלך בני עמון בא עליכם ותאמרו לי לאכי מלך ימלך עלינו (14) Menoch. Cornel. a Lap. (15) Sanct. (16) ולא תמרו את פי יהוה (17) Jonat. Syr. Arab. Jun. Vat. Druſ. alii paſſim. (18) Καὶ ἔσται χεὶρ κυρίου ἐφ' ὑμᾶς, καὶ ἐπὶ τὸν βασιλέα ὑμῶν. Ita & Mendoz. (19) Hieron. in Amos IV. *Nunquam enim in fine menſis Junii, ſive in menſe Julio, in his Provinciis, maximeque in Judæa pluvias vidimus.* (20) Pſ. XVII. 14. (21) ולא תסורו כי אחרי התהו אשר לא יועילו (22) I. Cor. VIII. 4. *Idolum nihil eſt in mundo.* (23) Exod. XX. 7.

nomen Domini Dei ſui fruſtra; ideſt, tamquam graviſſimi criminis reum puniet. Et alibi (1) neci traditos Nadabum & Abiu ſcribit, quod thus profano igni impoſitum obtulerint, *quod eis præceptum non erat*; ideſt, quod ſeveriſſime interdictum fuerat. Denique Veteres in ſuis edictis addere conſueverant: Ne hoc vel illud præſtiteritis (2), *neque enim hoc melius eſt*, ſcilicet peſſime factum eſt.

℣. 22. Non derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnum. Hac ratione ſæpe Deus inducitur ut populum tueatur (3): nominis ac gloriȩ ſuȩ ſtudioſiſſimus ubique exhibetur, ubique ſolicitus eſt, ne alienȩ gentes ſui pariter ipſius & populi hoſtes exprobrare ſibi unquam ſive imbecillitatem ſive inconſtantiam poſſint, quaſi impar fuerit amovendis e cervice Iſraelitarum malis, quæ iratȩ fortunȩ Profani tribuunt: vel quaſi pertȩſus patrocinium ſelectȩ a ſe genti exhibere, amorem ſuum & curas ad alios converterit. Nunquam non id ſtudet in Scriptura Deus, ut ſenſus dejecti animi nobis inſinuet, demonſtret imbecillitatem noſtram ac ſubjectionem: viciſſim autem infinitam majeſtatem ſuam, poteſtatem, authoritatem ſupremam elevet, probetque ad ſenſum, omnia a ſe tamquam ad finem ultimum referri. *Propter nomen ſuum magnum*, merito ſuo, non noſtro.

℣. 23. Doceбо vos viam bonam et rectam. Nunquam deſinam inſtituere ac deducere populum in iis, quæ ad munus meum pertinent. Donec Samuel vixit, nunquam Iſraelitas monere ceſſavit, ac nemo illo magis contulit ad cultum Domini ſub Regno Saulis conſervandum.

℣. 24. Servire et in veritate, ſincere, integra fide, omni amota Idololatria, ſuperſtitione cultu impio & hypocrito.

[1] Levit. x. 1. [2] Ου γὰρ ἄμεινον. Vide Heſiod. opera & dies v. 750. & Not. Heinſ. [1] Vide Exod. xxxii. 12. Num. xiv. 13. Joſue vii. 8. 9. Pſalm. lxviii. 9. 10. & cxiii. 2.

CAPUT XIII.

Bellum Philiſtæos inter & Iſraelitas. Jonathas præſidium Gabaa cædit. Philiſtæi exercitum cogunt. Iſraelitæ, qui Galgalam cum Saule convenerant, territi fugiunt ad latebras. Artificium Philiſtæorum, ut Hebræos armis ſpolient.

A. M. 2911. ante J. C. 1093. ℣. 1. Filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpiſſet, duobus autem annis regna-
vit ſuper Iſrael. 2. Et elegit ſibi Saul tria millia dȩ Iſrael: & erant cum
Saul duo millia in Machmas, & in monte Bethel: mille autem cum Jonatha in Ga-
baa Beniamin; porro cæterum populum remiſit, unumquemque in tabernacula ſua.
3. Et percuſſit Jonathas ſtationem Philiſthinorum, quæ erat in Gabaa. Quod cum au-
diſſent Philiſthiim, Saul cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant Hebræi. 4.
Et univerſus Iſrael audivit hujuſcemodi famam: Percuſſit Saul ſtationem Philiſthino-
rum; & erexit ſe Iſrael adverſus Philiſthiim. Clamavit ergo populus poſt Saul in
Galgala. 5. Et Philiſthiim congregati ſunt ad præliandum contra Iſrael, triginta mil-
lia curruum, & ſex millia equitum, & reliquum vulgus, ſicut arena, quæ eſt in lit-
tore maris plurima. Et aſcendentes caſtrametati ſunt in Machmas ad Orientem Betha-
ven. 6. Quod cum vidiſſent viri Iſrael ſe in arcto poſitos (afflictus enim erat po-
pulus) abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in abditis, in petris quoque, & in antris,
& in ciſternis. 7. Hebræi autem tranſierunt Jordanem in Terram Gad, & Galaad.
Cumque adhuc eſſet Saul in Galgala, univerſus populus perterritus eſt, qui ſequeba-
tur eum. 8. Et expectavit ſeptem diebus juxta placitum Samuelis, & non venit Sa-
muel in Galgala, dilapſuſque eſt populus ab eo. 9. Ait ergo Saul: Afferte mihi ho-
locauſtum, & pacifica. Et obtulit holocauſtum. 10. Cumque compleſſet offerens ho-
locauſtum, ecce Samuel veniebat; & egreſſus eſt Saul obviam ei, ut ſalutaret eum.
11. Locutuſque eſt ad eum Samuel: Quid feciſti? Reſpondit Saul; Quia vidi, quod
populus dilaberetur a me, & tu non veneras juxta placitos dies, porro Philiſthiim
congregati fuerant in Machmas, 12. Dixi; Nunc deſcendent Philiſtiim ad me in Gal-
gala, & faciem Domini non placavi. Neceſſitate compulſus, obtuli holocauſtum. 13.
Dixitque Samuel ad Saul; Stulte egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ
præcepit tibi. Quod ſi non feciſſes, jam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſu-
per Iſrael in ſempiternum. 14. Sed nequaquam regnum tuum ultra conſurget. Quæ-
ſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum: & præcepit ei Dominus, ut eſſet dux ſu-
per populum ſuum, eo quod non ſervaveris, quæ præcepit Dominus. 15. Surrexit
autem Samuel, & aſcendit de Galgalis in Gabaa Beniamin. Et reliqui populi aſcen-
derunt poſt Saul obviam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Ga-
baa, in colle Beniamin. Et recenſuit Saul populum, qui inventi fuerant cum eo,

quaſi

Digitized by Google

quaſi ſexcentos viros. 16. Et Saul, & Jonathas filius ejus, populuſque, qui inven-
tus fuerat cum eis, erat in Gabaa Beniamin; porro Philiſthiim conſederant in Mach-
mas. 17. Et egreſſi ſunt ad præliandum de caſtris Philiſthinorum tres cunei. Unus
cuneus pergebat contra viam Ephra ad terram Saul. 18. Porro alius ingrediebatur
per viam Beth-horon, tertius autem verterat ſe ad iter termini imminentis valli Se-
boim contra deſertum. 19. Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Iſ-
rael; caverant enim Philiſthiim, ne forte facerent Hebræi gladium, aut lanceam.
20. Deſcendebat ergo omnis Iſrael ad Philiſthiim, ut exacueret unuſquiſque vome-
rem ſuum, & ligonem, & ſecurim, & ſarculum. 21. Retuſæ itaque erant acies vo-
merum, & ligonum, & tridentum, & ſecurium, uſque ad ſtimulum corrigendum.
22. Cumque veniſſet dies prælii, non eſt inventus enſis, & lancea in manu totius
populi, qui erat cum Saule, & Jonatha, excepto Saul, & Jonatha filio ejus. 23.
Egreſſa eſt autem ſtatio Philiſthiim, ut tranſcenderet in Machmas.

℣. 1. FILIUS UNIUS ANNI ERAT SAUL CUM REGNARE CŒPISSET, DUOBUS AUTEM ANNIS REGNAVIT SUPER ISRAEL. Deſunt hæc in Græco Editionis Romanæ & Aldinæ, & in Manuſcripto Alexandrino: leguntur in Hebræo, & in reliquis omnibus Verſionibus ac Editionibus. Locus vero eſt inter obſcura totius Scripturæ obſcuriſſimus; uti ex varietate interpretationum, quibus lucem illi affundere conati ſunt Scriptores, apertiſſimo argumento probatur. Sunt qui literulam, qua Saulis ætas indicetur, in Hebræo deeſſe putent; ut reddi Textus debeat (1): *Saul natus erat annis . . . cum regnare cœpiſſet; duobus autem annis regnavit ſuper Iſrael* (2), vel potius eorum annorum numerum ſupplendum cenſent ſic: *Saul natus erat annis triginta vel quadraginta &c.* Vetus quidam Interpres reddiderat; *Saul erat triginta annorum, cum regnare cœpiſſet.*

Veterum & Recentiorum Interpretum plerique (3) literam tenent, exponentes, Saulem, cum Regnum inivit, ſimplicitate, morum innocentia & modeſtia perinde fuiſſe ac puerum: *Ut filius unius anni*, ait Symmachus (4); biennio autem tantum in ea vitæ ſanctitate perſeveravit, brevique degeneravit moribus & diſciplina. Hæc vero expoſitio moralis eſt potius quam literalis, adeoque neque nodum ſolvit, non enim docet quomodo literæ, ferentis, Saulem unius anni puerum Regnum iniviſſe, cui biennio tantum præfuerit, veritas conſtet; ſenſui allegorico prior eſt ſenſus literalis. Modeſtiam & innocentiam Saulis phraſis hujus cauſam eſſe qui reputaverit, ille utique Sacrum Hiſtoricum pro Lectorum capacitate loquentem non inducet, cum ex plana & naturali hiſtoriæ narratione ſtatim illum ad figuratam & metaphoricam dicendi phraſim transferat.

Malunt alii (5) Hebræum reddere: *Saul filium genuit anno primo cum regnare cœpit; & cum duobus annis regnaſſet ſuper Iſrael, elegit ſibi tria millia.* Equidem Isboſeth filius Saulis Regnum inivit, ætatem agens annorum quadraginta; conſtat autem, patrem ejus quadraginta pariter annis regnaſſe (6): primo igitur Regni Saulis anno Isboſeth natus eſt. Sed quæ affinitas ioter natalitia Isboſeth cum hiſtoriæ hic narratæ rebus? Adde, ſyntaxim neque Hebræi, neque Vulgatæ, huic expoſitioni naturaliter congruere.

Latiori, quam cæteri omnes Interpretes, ſenſu Syriacus & Arabs Textum reddiderunt: *Cum anno uno vel duobus regnaſſet Saul in Regno ſuo ſuper Iſraelem, elegit ſibi tria millia virorum*; quaſi ſacer Scriptor, negligens certam epocham belli Philiſtæorum indicare, ſatis habuerit generatim innuere, id bellum geſtum fuiſſe ſub primos Regni Saulis annos. Hebræi (7), quos duces Chronologorum & Scriptorum (8) frequens turba ſequitur, ajunt, revera Saulem biennio tantum regnaſſe, ut litera Textus docet; ſed biennium hoc alii aliter exponunt. Sunt qui ab exordio, ſunt qui ab exitu Regni Saulis ducant. Regnavit biennio legitimo jure, antequam a Deo reprobaretur, ejuſque loco ſubſtitueretur alter: vel, regnavit biennio ſolus poſt obitum Samuelis. Poſt reprobationem ſuam nullum retinuit jus in Regnum, ut deinceps non juſtum Regem ageret ſed tyrannum: Samuel manus iterum ad clavum regiminis admovit, neque deſtitit uſque ad biennium ante obitum Saulis. Poſt mortem Samuelis, Saul iterum habenas reſumpſit, & biennio adhuc regnavit. Hæ: ſententiæ hujus patroni.

Cenſet Uſſerius (9), Saulem renunciatum fuiſſe Regem poſt annum a reſtituta Iſraelitis per Samnelem libertate. Iſraelis res otioſæ adhuc ad biennium ſub eo Rege manſerunt: inde exarſit iterum bellum, Iſraelitas inter & Philiſtæos (10). Philiſtæi potiores Iſraelitas oppreſſerunt; atque interim Saul nullam Regis authoritatem exercebat, ut revera eo uſque non niſi biennio regnaverit; ſed excuſſo denique Philiſtæorum jugo, abſoluta authoritate ad obitum uſque imperavit. Eſt utique hæc interpretatio minus prona nimiſque violenta. Sunt qui (11) nodum ita præcidant: Saul omnium primus in Iſraele regnavit, primus Regis nomen geſſit, primuſque inter Reges fuit, cujus de nomine epochæ ſignarentur: ſub eo Regium regimen cœpit, ac mos ex Principum annis geſta enumerandi. Ducta eſt igitur ſupputatio annorum per Regnum Saulis per duos annos; ſed populus audita reprobatione Saulis, deinde neglexit ejus nomen addere in actis publicis: atque ita factum eſt, ut Saul *duobus annis regnaverit*; neque enim poſt illam Regis loco deinceps habitus eſt. Hæc tamen expoſitio difficultatem hujus Textus non removet. An prona ſatis & naturali verborum phraſi uſurpaverimus, *Saul filius erat anni*, ut indicemus ab eo primum cœpiſſe morem tempora per annos Regum ſupputandi?

Hanc igitur æquiorem ac proniorem interpretationem difficillimi hujus loci arbitramur (12), Ita-

(1) בן שנה שאול במלכו ושתי שנים מלך על ישראל (2) Ita Scalig. & Canus lib. xi. cap. 3. de Loc. Theol. Caſtal. (3) Theodoret. qu. 28. Greg. Mag. lib. 5. cap. 3. in 1. Reg. Procop. Lyr. Damian. Rupert. Toſt. & recentes paſſim. (4) Schol. Cod. Reg. Σύμμαχος, υἱὸς ὡς ἐνιαύσιος Σαούλ. Δηλοῖ δὲ τοῦτο τὴν ἁπλότητα τῆς ψυχῆς Σαούλ, ἣν εἶχε βασιλεὺς χειροτονούμενος. Ταῦτα δὲ οὐκ ἐπὶ πλεῖστον ἐχρήσατο. Ὅθεν προστίθησι, καὶ δύο ἔτη ἐβασίλευσεν ἐπὶ τὸν Ἰσραήλ, μετὰ τῆς ἁπλότητος δηλαδή. (5) Raban. & Strabus, & Serar. (6) Act. xiii. 20. (7) Hebræi in Seder-Olam. (8) Montan. Mercat. .Agnon. alii. (9) Uſſer. ad an. mundi 2909. (10) 1. Reg. xiv. (11) Harduinus, Chronol. Vet. Teſt. (12) Vid. de Vatab. Grot. Druſ. Munſt. Cornel. a Lapid. Cleric.

Itaque perinde habendum credimus ac epilogum præcedentis capitis, & prœmium, vel, ſi mavis, epocham eorum quæ ſequuntur. *Saul filius erat anni Regni ſui*, quo anno in conventu populi in Galgalis renunciatus fuit in Regem: porro cœtus ille primo, quo electus eſt, anno habitus fuit; & *altero anno Regni ſui elegit ſibi tria millia*. Scitum eſt, Hebræos, ut primum vel ſecundum annum dicant, uſurpare unum vel duos annos: altero igitur regnantis Saulis anno bellum illud, quod narrandum ſuſcipitur, geri cœpit. *Filius anni* innuit illum qui natus eſt, vel qui cœpit eodem, de quo agitur, anno. Exordium Regni perinde habebatur ac dies natalis Regum; epocha annorum inde ducebatur, eademque dies natalis illorum appellabatur, uti alibi animadvertere Lectoribus pronum eſt (1). Eodem ſenſu Saul filius anni nuncupatur, ideſt, Rex eo anno renunciatus.

℣. 2. ELEGIT SIBI SAUL TRIA MILLIA. Acta hæc fuiſſe in communi populi conventu, hiſtoriæ hujus ſeries luculenter oſtendit: quo tamen in conventu? Si enim conventum in Galgalis fuiſſe dicamus, conventum, inquam, in quo Saul confirmatus, & quodammodo iterum electus fuit, tunc utique reputandum erit, bellum Ammoniticum nonniſi in ſecundum vel tertium annum Regni Saulis incidiſſe, ac deinde bellum cum Philiſtæis geſtum, ſtatim conſecutum fuiſſe: quod repugnat I. Textui capitis XII. 1. ferenti, poſt evolutum ab electione Saulis menſem, Naas arma intuliſſe in Urbem Jabes. Repugnat II. Textui hujus capitis XIII. ex ſenſu noſtræ interpretationis, qua ſignificatur, Saulem *filium fuiſſe anni*, vel Regem unius anni, cum bellum illud cœptum eſt. III. denique hæc hypotheſis pugnantia inter ſe continet; qui enim Saul primum Regni ſui annum, & ſimul etiam ſecundum agebat, cum hæc tria millia ſelegit? Diſtinguendus eſt igitur conventus populi in Galgalis, ubi ab univerſo Iſraele in Regem ſalutatus eſt, a conventu altero, de quo modo, in quo Saul tria millia ſelectiſſimorum aſſumpſit, ut bellum in Philiſtæos aggrederetur. Ex re autem fortaſſe judicatum non eſt, ut totus ſimul exercitus in hoſtes primo duceretur; opportunius enim eſſe cenſuerunt, ut prius expelleretur præſidium Philiſtæorum in Gabaa, in Machmas & in Bethel. Tria igitur hæc loca diverſis agminibus petita ſunt. Jonathas aggreſſionem munimenti Gabaæ ſuſcepit, confecitque, pulſis Philiſtæis. Inſignis hujus expeditionis, quæ ad reliquum bellum maximi fuit momenti, hiſtoriam ſilet Scriptura.

℣. 3. SAUL CECINIT BUCCINA IN OMNI TERRA, DICENS: AUDIANT HEBRÆI. Animadverti alias potuit, exemplo Aodi, poſt mortem Eglonis Regis Moabitarum (2), Hebræos in ſimilibus rerum articulis ad arma totam regionem buccina clangente evocare conſueviſſe. Ad primum tubæ ſignum vicina omnia loca tuba reſonabant, atque ita brevi temporis ſpatio per totam late regionem nuncium diffundebatur. Indictus autem erat militibus in Galgala conventus, ſive quod Saul per miſſos a ſe viros ita denunciaſſet, ſive quod ita conventum antea fuiſſet, ut eum primum tuba increpuiſſet, omnes eo coirent. *Audiant Hebræi*. Sunt qui credant (3), denunciatum id potiſſimum eſſe Iſraelitis transjordanicis, qui eodem nomine appellantur pariter inferius. ℣. 7. *Hebræi*, juxta vocis originalis vim, ſunt ii *qui trans habitant*: quare Abraham *Hebræus* appellatus eſt, quod e regione tranſeuphratæa veniſſet. Promptum illud auxilium, quod Cives Jabes Galaad a Saule in bello Ammonitico ſenſere, alacriores utique eoſdem Hebræos ad opem fratribus ſuis ferendam facit. Itaque ſtatim illos trajeciſſe Jordanem & inter primos adiviſſe Galgala, legimus. Septuaginta Hebræum ita verterunt (4): *Spreverunt ſervi*; quaſi hoc eſſet ſignum in arma ruendi. Hæc tamen Verſio nonniſi ex incuria Amanuenſium petitur, quemadmodum ſimili de cauſa vertit Aquila (5): *Audiant ſervi*.

℣. 4. EREXIT SE ISRAEL ADVERSUS PHILISTHIIM. Erigere cervicem cœpere Iſraelitæ adverſus Philiſtæos, tamquam mancipia, quæ jugum excutiunt, ac vinculis ſolvi conantur. Hebræus (6): *Fœtuit Iſrael Philiſtiim*. Tamquam a re tabida & purulenta Philiſtæi ab illis abhorruerunt; horrori illos habuerunt. Eodem ſenſu Hebræi in Ægypto exprobrabant Moyſi (7): *Fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſervis ejus*; nos minime patiuntur. Septuaginta (8): *Iſrael nihili fecit alienigenas*. Syriacus, & Arabs; *Vicit Iſrael Philiſtæos*. Jonathan: *Animatus*, concitatus, *eſt Iſrael in Philiſtæos*.

CLAMAVIT POPULUS POST SAUL IN GALGALA. Sive: Populus venit in Galgala, magnis clamoribus petens, ut Saul veniret ac populum duceret in hoſtes. Sunt qui clamaſſe populum adverſus Saulem credant (9); quod irritaſſet temere Philiſtæos, & bellum illis indixiſſet.

℣. 5. TRIGINTA MILLIA CURRUUM, ET SEX MILLIA EQUITUM. Ingens iſte curruum militarium numerus incredibilis non uni Interpretum videtur. Sane tanta curruum multitudo nunquam coacta eſt. Pharao Rex Ægypti, collectis totius regionis ſuæ curribus, ut fugientem Iſraelem inſequeretur, nonniſi ſexcentos habuit (10), vel ſaltem nonniſi eum numerum exhibet Scriptura. Jabin Rex Aſor (11) nongentos non ſuperabat: Salomon quadringentos (12); Seſac Rex Ægypti ducentos (13); Zara Rex Æthiopiæ, qui decies centena millia armaverat, currus tamen nonniſi trecentos habebat (14). Adarezer Rex Syriæ mille curribus & ſeptem millibus equitum exercitum ſuum fulcivit (15). Antiochus Eupator trecentos falcatos currus trahebat, equos quinquies mille, & centum decem millia peditum (16). Sed triginta hæc millia curruum apud Philiſtæos, qui cum iis Principibus comparati brevis erant hominum manus, fidem utique ſuperant. Adde, hunc numerum curruum non ſatis cohærere cum equitibus, qui ſex millia non excedebant. Syriacus & Arabs pro triginta millibus legunt tria millia, & Criticorum doctiſſimi (17) eum numerum retinendum cenſent, corrupto facile Textu Originali, duplicis literulæ additione (18).

Collectis variis Scripturæ Textibus, in quibus ſermo eſt de curribus, quatuor hæc animadverri; I. Curruum nomen non de curru tantum, ſed etiam de iis, qui curru vehuntur, de auriga, & de iis, qui currum comitantur, uſurpari. II. Currus binis equis plerumque trahi conſueviſſe. III. Unicum tantummodo hominem currum aſcendiſſe, addito auriga qui equos moderaretur. IV. In præliis currui comites acceſſiſſe milites nonnullos, adeo ut pro ſingulis curribus decem homines numerari poſſint. His indiciis nonnulla Scripturæ loca

[1] Matth. xiv. 2. [2] Judic. iii. 27. *Et ſtatim inſonuit buccina in monte Ephraim, deſcenderuntque cum eo filii Iſrael.* [3] Oſiand. Symm. Ἀπεστάτουν ἐν τῷ πέραν. [4] Ἐξετίναξαν οἱ δοῦλοι. Legunt העבדים pro העברים [5] Aqu. Ἀκουσάτωσαν οἱ δοῦλοι. [6] גם נבאש ישראל בפלשתים
[7] Exod. v. 21. *Fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſervis ejus.* [8] Καὶ ἐξουδένωσεν Ἰσραὴλ τοὺς ἀλλοφύλους. Aliter, ᾐσχύνθησαν Ἰσραὴλ ἐν τοῖς ἀλλοφύλοις. *Iſraelem puduit alienigenarum.* [9] Oſiand.
[10] Exod. xiv. 7. *Tulit ſexcentos currus electos, & quicquid in Ægypto curruum fuit.* [11] Judic. iv. 3.
[12] 3. Reg. x. 26. [13] 2. Par. xii. 3. [14] 2. Par. xiv. 9. [15] 1. Par. xviii. 4.
[16] 2. Macc. xiii. 2. [17] Boch. de animal. ſacr. part. 1. lib. 9. cap. 9. Grot. hic; Capell. Critic.
[18] Legendum שלשת אלף רכב pro שלשים

loca conciliantur, quæ nondum exponi poſſe viſa ſunt, ſummamque indicant affinitatem inter currus Philiſtæorum, Syrorum, & Chananæorum, eoſque, quibus Heroes utebantur in bello Trojano, qui utique omnium apud profanos Scriptores vetuſtiſſimi ſunt. Falcati etiam currus erant, alii plane ab iis, de quibus in præſenti. Vide noſtram Diſſertationem de Re militari veterum Hebræorum.

Legimus in II. Reg. x. 18. Davidem *occidiſſe de Syris ſeptingentos currus*; & in eodem Libro VIII. 4. ex Hebræo, *ſubnervaſſe centum currus*: quæ ſane phraſes ad literam accipi nequeunt, niſi exponantur de curribus ſimul & hominibus qui illis vehebantur, de equis trahentibus, ac de militibus comitantibus. Sed difficultatem auget Textus parallelus I. Par. XIX. 18. ferens: *Interfecit de Syris ſeptem millia curruum*. Porro inter ſeptingentos, & ſeptem millia diſcrimen eſt ingens: ſed utrumque conciliatur, ſi pro quolibet curru decem homines conſtituantur, ex quibus unus currum aſcendit, alter ducit, octo comitantur. Qui ſcandit, appellatur in Scriptura Princeps decem, cæteri manipulum ejus conſtituunt. In hoc Textu Regum, quem verſamus, eadem animadvertere juvat. Habebant in exercitu Philiſtæi tria millia curruum, quorum ſingulos decem homines comitabantur; quare tria hæc millia curruum reddebant triginta millia virorum, adeoque veriſſime affirmari potuit, exercitum hoſtium habuiſſe triginta millia curruum, currus nomine deſignatis iis, qui currum aſcendebant, & comitabantur. In II. Reg. VIII. 4. de Davide dicitur: *Subnervavit mille ſeptingentos equos*; & in Textu parallelo I. Paral. XVIII. 4. *Cepit mille quadrigas & ſeptem millia equitum*. Numeratis autem ſimul quadrigis & viris, oritur numerus decem millium, oppoſitus plane alteri mille & ſeptingentorum. Qua igitur ratione pugnantia hæc concilientur? Salva ſunt omnia beneficio ejuſdem ſupputationis ſuperius ductæ; ſi enim mille & ſeptingentis curribus tribuantur decem homines in ſingulos, ii numerum ſeptem & decem millium conficient.

Nunquam in Scriptura niſi unus & ſingularis miles quadrigarum bellicarum aſcenſor legitur. Siſara (1) ſolus currum occupat: ſoli etiam Roboamus (2), Achab (3), Naaman (4), Jehu (5), Joram & Ochozias (6). Achab vulneratum ſe ſentiens, aurigæ imperat, ut verſis habenis currum e prælio reducat. Equi vero ab aliis quatuor, ab aliis bini tribuuntur. Binos indicare videtur Iſaias (7): *Vidit currum duorum equitum, aſcenſorem aſini & aſcenſorem cameli*. (Hebræus: *currum aſini & currum cameli*). Sed quadrigam Domini, Ezechieli per viſum oblatam, quatuor equi trahebant (8). Eadem ferme ambiguitas de Veterum quadrigis animos impendit. Achillis currum trahebant bini equi (9); Hectoris currum quatuor traxiſſe videntur (10); quatuor etiam Neptuni currum (11). Vide noſtram Diſſertationem de re militari veterum Hebræorum.

CASTRAMETATI SUNT IN MACHMAS, AD ORIENTEM BETHAVEN. *Bethaven* ipſa eſt Bethel, cui nomen *Bethaven*, vel *domus iniquitatis*, primo inditum eſt, cum Jeroboamus vitulos aureos ibi conſecravit, a ſubditis colendos. Neque tamen inde probatur, primum libri hujus Authorem vixiſſe poſt ſchiſma decem Tribuum; qui enim hoc Opus recenſuerunt, ii fortaſſe pro voce *Bethel*, quæ ſonat Domum Dei, Bethaven adſcripſere. Ex Capite ſequenti, ℣. 5. conſtat, Machmas ad ſeptemtrionem Gabaæ jacuiſſe. Euſebius, & S. Hieronymus affirmant, Machmas IX. M. paſſibus, vel tribus leucis ab Jeroſolyma Ramam verſus abfuiſſe: neceſſe tamen eſt, illam multo propius ad ſeptemtrionem acceſſiſſe; atque hinc in eam perſuaſionem inducimur, Bethel orientalem fuiſſe potius urbi Machmas, quam Machmas Bethel, uti ferre videtur Textus. Igitur vertendum cenſemus (12): *Caſtrametati ſunt in Machmas, Bethaven habentes ad orientem*. Eumdem occuparunt locum, quem Saul ante ceperat *in Machmas & in monte Bethel*, Vide ſupra, ℣. 2. Editiones Septuaginta Romana & Aldina, ac Manuſcriptum Alexandrinum legunt *Bethoron* pro *Bethaven*; quod multo probabilius judicamus.

℣. 6. QUOD CUM VIDISSENT FILII ISRAEL SE IN ARCTO POSITOS. Cum Saul recepiſſet ſeſe in Galgala, ejus exercitus in arctum conſtringi ſeſe a Philiſtæis, caſtra habentibus in Machmas, ſenſit. Longe non aberant Machmas & Bethel a Galgalis; & exercitus Philiſtæorum viribus & numero ingens reditum omnem claudebat Tribubus ſeptemtrionalibus Palæſtinæ, prohibebatque, ne e ſua regione deducerent ſibi commeatus, ſeſeque ab excurſionibus, & rapinis hoſtium tuerentur. Inter eas anguſtias magnus Iſraelitas terror cepit, coegitque montium latebras quærere. Compertum eſt omnibus, frequentes in ea regione ſpecus fuiſſe, tutum populo in turbis & bellis Provinciæ perfugium.

IN SPELUNCIS ET IN ABDITIS, IN PETRIS QUOQUE ET IN ANTRIS ET IN CISTERNIS. Eadem res ter hic repetita videtur: *In ſpeluncis, in antris, in cavernis*. Hebræus ad literam (13): *In ſpeluncis, in ſpinis* (vel in locis incultis & ſylveſtribus) *in petris, in turribus, & in ciſternis*. Chaldæus: *Abſconditi ſunt populus in ſpeluncis, in munitionibus, in foraminibus petrarum, in ſpeluncis rupium, & in foveis*. Septuaginta (14): *Occultavit ſe populus in ſpeluncis, & in ſtabulis* (vel in vivariis, aut in ſaltibus, quo ſe feræ recipiunt) *& in petris, & in foveis, & in ciſternis*.

℣. 7. HEBRÆI AUTEM TRANSIERUNT JORDANEM IN TERRAM GAD ET GALAAD. Senſum longe alium reddit Hebræus (15): *Hebræi tranſierunt Jordanem, terram Gad, & Galaad*. Hebræi Transjordanici, Gaditæ, & Galaaditæ, tranſmiſſo amne, opem fratribus laturi venerunt (16). Eamdem interpretationem, ac S. Hieronymus, ſecuti videntur Septuaginta (17): *Tranſitores tranſierunt Jordanem in terram Gad, & Galaad*; ad propria remearunt. Commode tamen Hebræus ad interpretationem Vulgatæ accommodari poteſt.

℣. 8. EXPECTAVIT SEPTEM DIEBUS, uti Samuel monuerat, vel uti inter eos convenerat. Porro Samuel cum primum Saulem allocutus fuerat (18), mandaverat, ut adventum ſuum ſeptem diebus opperiretur in Galgalis; id vero triennio ante contigerat; quare vel iterum eadem imperaſſe neceſſe eſt, vel univerſali lege præſcriptum fuiſſe, ne Rex quicquam, niſi expectato prius per ſeptem dies adventu Prophetæ, ſuſciperet. Feſtinavit autem facile Saul ſacrificium ante evolutum ſeptimum diem abſolvere (19); ſi enim totum

tum

(1) Judic. IV. 15. (2) 3. Reg. XII. 18. (3) 3. Reg. XVIII. 45. & XXII. 34. 35. (4) 4. Reg. V. 21.
(5) 4. Reg. IX. 16. (6) 4. Reg. XXI. (7) Iſai. XXI. 7. וראה רכב צמד פרשים רכב חמור רכב גמל
(8) Ezech. I. 5. (9) Iliad. Π.
Ξάνθον καὶ Βαλίον τὼ ἅμα πνοιῇσι πετέσθην.
(10) Iliad. Θ. Ξάνθε τε καὶ σὺ Πόδαργε καὶ Αἴθων, Λάμπε τε δῖε.
(11) Orpheus de Neptuno .... τετράορον ἅρμα διώκων. (12) ויחנו במכמש קדמת בית און (13) ויתחבאו העם במערות ובחוחים ובסלעים ובצרחים ובברות (14) Ἐκρύβη ὁ λαὸς ἐν τοῖς σπηλαίοις, καὶ ἐν ταῖς μάνδραις, καὶ ἐν ταῖς πέτραις, καὶ ἐν τοῖς βόθροις, καὶ ἐν τοῖς λάκκοις. (15) ועברים עברו את הירדן ארץ גד וגלעד
(16) Nobil. Tigur. Sanct. (17) Καὶ οἱ διαβαίνοντες διέβησαν τὸν Ἰορδάνην εἰς γῆν Γὰδ καὶ Γαλαάδ.
(18) 1. Reg. X. 8. (19) Gregor. Mag. Lyr. Menoc. Eſt. Cornel. Tirin. alii.

tum illud tempus expectaſſet, nimiam feſtinationem exprobrare illi merito Samuel nequiiſſet; quin potius ipſe ſe reum conſtituiſſet rei nimium dilatæ in gravi adeo & neceſſaria temporis circumſtantia. Nihilo tamen ſecius perſpicua videntur Textus verba, ut Saul excuſetur; ferunt enim apertiſſime: *Expectavit ſeptem diebus, juxta placitum Samuelis*; & infra ℣. 11. Saul purgans ſeſe apud Prophetam, ait: *Quia vidi, quod tu non veneras, juxta placitos dies*. Ut pugnantia hæc concilientur, reponi poſſet, Saulem expectaſſe quidem uſque ad exitum ſeptimæ diei, & uſque ad horam, qua venturus Propheta minime omnium videbatur. Profecto venit Propheta, quo tempore Saul Sacrificium ſuum abſolverat. Porro is defectus perfectiſſimæ obedientiæ in re, quæ leviſſima videtur, iiſque in circumſtantiis, quæ violationem ſpecioſo colore excuſare videbantur, prima fuit reprobationis illius cauſa, atque origo. O inſcrutabilia Dei judicia! Quam religioſam juſſionibus ſuis obedientiam exigit Deus!

℣. 12. Faciem Domini non placavi. Reddi poteſt Hebræus: ופני יהוה לא חלותי *Et faciem Domini non rogavi*; ejus opem ſacrificiis non imploravi.

Necessitate compulsus. Hebræus: ואתאפק ואעלה *Feci mihi vim, & immolavi*, vel in arctum redigi me ſenſi; & ſacrificium immolare auſus ſum: vacat lege neceſſitas. Quæſtio hic, utrum Saul ipſe per ſe, an per Sacerdotem immolaverit? Vero propius credimus, manibus ſuis ſacrificaſſe, quod aperta Textus verba perſpicue docent. Samuel etiam per ſe non ſemel obtulit ſacrificia, quamquam nullo magis peculiari charactere, quam Saul, in eam rem electus fuiſſet. Sacrificavit in Maſphath (1), in Ramatha (2), in Bethlehem (3). Elias pariter ſacra operatus eſt in monte Carmelo (4); ſacra obtulit & David in pompa tranſlationis Arcæ (5), & in area Areunæ (6). Salomon initio Regni ſui, ejuſque populus in editis locis ſacrificabant (7). Traditur non obſcure in II. Paralipom. 1. 5. ipſe Salomon aſcendiſſe ad altare æneum Gabaonis, atque ibi hoſtias obtuliſſe. Igitur ſi, Deo licet vetante, permiſſa tamen facultas cenſebatur erigendi aras, & offerendi ſacrificia extra Tabernaculum, quo tempore Deus nullam adhuc Tabernaculo ſuo certam ſedem conſtituerat; cur non etiam ſolvi quandoque poſſe cenſenda erat lex, cæremoniam præſcribens certe non graviorem, quam quæ modo expreſſæ ſunt? Interdum igitur datum ſibi eſſe Laici arbitrabantur, ut ſacrificia manibus ſuis offerrent. De ejus Legis violatione nunquam ipſe ſe, nec alius quiſquam Saulem redarguit. Ipſe etiam Samuel Saulem alias admonuit (8), ut ſacrificia in Galgalis offerret. Narrat Scriptura ſequenti capite (9), Saulem relata de Philiſteis victoria, aram primum excitaſſe: quibus verbis veluti innuitur, alias etiam poſtea ædificaſſe aras; niſi malueris, ea tacita reprehenſione illum argui, quod non citius altare conſtruxerit. Poſt Amaleciticam expeditionem, obtulit pariter holocauſta. Viri quidam doctiſſimi ajunt, Davidem non ſemel (10) Ephod ſacerdotale geſſiſſe, & ſacra illa veſte amictum conſuluiſſe Dominum de rebus ſuſcipiendis. Ipſe pariter David ſolemnem benedictionem populo impertitur (11); impartitur & Salomon (12). Hebræorum Reges nunquam tranſgredi ſe fines poteſtati ſuæ præſcriptos arbitrati ſunt, hæc agentes, quæ Sacerdotalia videbantur, tunc præſertim cum nullum adhuc Templum ſtaret; eo enim erecto, cautius ſeſe continuerunt: ſcitumque eſt inter omnes, quam gravi animadverſione ſubjectus fuerit Aſa, manum extendere ad thuribulum auſus (13).

Veteres etiam Profanorum Reges nunquam non ſacrificia offerebant, cum dignitati ſuæ Sacerdotale privilegium conjunctum haberent. Cujus veteris moris ut umbra quædam ſervaretur, creari ſolebat Rex ſacrificulus (14), qui nonniſi ex clariſſimis ſeligebatur; ejuſque conjugem, quæ nomine Reginæ ſacrorum donabatur, civem eſſe, vitamque puram agere, neque alteri prius nuptam fuiſſe oportebat.

℣. 14. Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum. Conſtat inter omnes, virum hunc juxta cor Dei Davidem eſſe, cujus hiſtoria inferius recitabitur. Formidamus certe ac miramur ſeveritatem Divinæ ſententiæ in Saulem latæ. Crimen enim commiſerat, noſtra quidem opinione, venia digniſſimum: ab hoſtibus undique cinctus, deſertus a ſuis, de adventu Samuelis deſperans, actionem præſtat per ſe quidem laude digniſſimam, pietate & religione plenam; neceſſitate coactus ſacrificat: nihilo tamen ſecius, quod eidem ſacrificio deſit præſentia Prophetæ, qui expectari adventum ſuum juſſerat, idcirco Saul rejicitur, Regnum ejus poſteritati ereptum in alteram familiam transfertur. Niſi alta mentibus noſtris inſideret de Numinis æquitate opinio, reputandum eſſet, vel Saulem occultorum criminum merito in caput ſuum tantum malorum provocaſſe, vel Deum ſævitiæ accuſari oporteret, quod majora inferret, quam pro criminis gravitate, ſupplicia. Sed judiciorum Dei abyſſum ſcrutari nefas eſt mortali; & temporales omnes pœnæ gravitatem criminis in Deum commiſſi non æquant. Deus, qua eſt ſapientia, gravem exigere ſolet pœnam de primis Legis ſuæ violatoribus (15). Suppetunt exempla Nadabi & Abiud, Iſraelitæ ligna die Sabbati colligentis, hominis in deſerto blaſphemi, Achani ſubducentis aliquid ex anathemate Jerichuntino, Ananiæ, & Saphiræ in Actis Apoſtolorum. Inſuper animadvertunt quidam (16), Samuelem hæc nonniſi minitando prædixiſſe. Saul majori obedientia ſententiæ hujus revocationem promereri potuiſſet: quod autem exitium illius complevit atque abſolvit, illud fuit, quod in expeditione Amalecitica gravioris peccati reum ſeſe conſtituit. Adhuc ſententia veluti in ſuſpenſo detenta erat; ſed poſt eam perfidiam mandavit Deus Samueli, ut Davidem conſecraret, & ſpiritum ſuum e Saule recepit.

℣. 15. Surrexit autem Samuel, et ascendit de Galgalis in Gabaa. Comitatus eſt Saulem cum paucis illis, qui e copiis remanſerant, omneſque ſimul venerunt Gabaam, ubi exercitus ſtetit aliquandiu, uſque ſcilicet ad rem quæ capite ſequenti narrabitur. Suſpicatur Piſcator, nomen Samuelis irrepſiſſe hic in Textum pro Saule; de Samuele nuſpiam in decurſu hujus belli ſermo incidit, nec illum Saul conſuluit: quod utique non neglexiſſet, ſi præſens adfuiſſet in Gabaa. Hæc tamen argumenta, ducta ex veriſimili conjectura, adeo valere non debent, ut Textum ab omnibus Verſionibus confirmatum deſeramus.

Reliqui populi ascenderunt post Saul obviam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa, in colle Beniamin. Deſunt hæc omnia in Hebræo, Chaldæo, pluribus Codicibus Septuaginta, vetuſtis manuſcriptis verſionibus S. Hieronymi, vel ſi leguntur, præfiguntur obelo, velu-

[1] 1. Reg. VII. 9. [2] Ibid. IX. 12. [3] Ibid. XVI. 6. [4] 4. Reg. XVIII. 33. [5] 2. Reg. VI. 13. [6] 2. Reg. XXIV. 24. [7] 3. Reg. III. 2. 3. 4. [8] 1. Reg. X. 8. [9] 1 Reg. XIV. 35. *Ædificavit Saul altare Domino, tuncque primum cœpit ædificare altare Domino.* [10] Vide 1. Reg. XVIII. 9. & XXX. 7. [11] 2. Reg. VI. 18. [12] 3. Reg. VIII. 55. 56. [13] 4. Reg. XV. 5. & 2. Par. XXVI. 19. [14] Demoſth. in Neær. Τὰς δὲ θυσίας ἁπάσας ὁ Βασιλεὺς ἔθυε, καὶ τὰς σεμνοτάτας καὶ ἀῤῥήτους ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἐποίει, εἰκότως βασίλιννα οὖσα. Ἐπειδὴ δὲ Θησεὺς συνῴκισεν αὐτούς . . . . . οὐδὲν ἧττον ὁ δῆμος ᾑρεῖτο ἐκ προκρίτων κατ᾽ ἀνδραγαθίαν χειροτονῶν. [15] Iſidor. Peluſ. Ep. 151. Menoch. & Tirin. Sanct. [16] Toſt. Sanct. Menoch.

veluti ſi Textus additamentum eſſent. Porro additio hæc ſupervacanea in præſenti videtur; nec ſatis aſſequor, quid ſit collis iſte Beniamin, niſi forte indicet *Gabaam e Tribu Beniamin*; Gabaa enim ſonat collem.

℣. 17. Et egressi sunt ad prædandum. Intelligentes Philiſtæi, Iſraelitas certamen detrectare, copias ſuas in varia tria loca ad regionem diripiendam miſerunt. Jonathas opportunitate abſentiæ triplicis hujus manus utens, reliquum exercitus caſtrametatum ad Machmas, uti ex capite ſequenti conſtabit, aggreſſus eſt.

Contra viam Ephra ad terram Sual. Ephra patria eſt Gedeonis, ſita in dimidia Tribu Manaſſe cis Jordanica. *Terra Sual*, vel terra Vulpis, longius hinc removenda non eſt; certus tamen ejus ſitus ignoratur.

℣. 18. Beth-horon. Ipſa creditur *Beth-horon* inferior, ad occidentem & ſeptemtrionem Gabaæ, ubi erat Saul.

Ad iter termini imminentis Valli Seboim, contra desertum. Seboim una erat ex urbibus cœleſti igne cum Sodoma & Gomorrha abſumptis. Vallem igitur Seboim excurriſſe opus eſt circa tractum maris mortui: ſed ubi potiſſimum, ignoratur. Sunt qui Seboim הצבעים generico ſenſu accipiant: *In valle baſiliſcorum* (1), *in valle hyænarum* (2), vel *damarum* (3).

℣. 19. Faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel. Qui cohæreant iſta cum pace, qua Iſraelitæ fruebantur ſub regimine Samuelis, & cum eo Scripturæ loco, capite VII. 13. *Facta eſt manus Domini ſuper Philiſtæos cunctis diebus Samuelis*? Si hæc revoces ad ætatem Samgar, qui ſexcentos Philiſtæos vomere armatus interfecit, vel ad Samſonem, qui bello afflixit Philiſtæos, omnibus licet armis & ferro deſtitutis, nimiam Scripturæ vim inferas. Si vero illud affirmes, Samuelem in pace Iſraelitas ita conſervaſſe, ut novo illos jugo a Philiſtæis opprimi paſſus non ſit (4), non tamen veteri penitus liberarit, cujus veteris jugi pars erat duriſſima hoc armorum interdictum; perinde eſſet, quantum capio, ac ſi aperto Scripturæ teſtimonio repugnares: diſerte enim Scriptura affirmat, abſoluta libertate donatos fuiſſe Iſraelitas ſub Samuele. Præſtat igitur reputemus, Philiſtæos uſum armorum interdixiſſe Hebræis jam inde ab ætate Heli, caviſſe etiam, ne in regione ſua ex fabris ferrariis quempiam haberent; hiſce autem carentes Iſraelitas, toto illo viginti annorum ſpatio, quibus Samuel imperavit, jacturam ſuam reparare neglexiſſe, eoque, quo fruebantur, otio contentos, in regionem ſuam armorum fabros invitare non curaſſe, uti neque fabros inſtrumentorum colonicorum, cum longa habitudine aſſueti eſſent, ea ſibi e Philiſteis comparare. Non temere etiam aſſeruerimus, labente Regno Samuelis, & ineunte Saule, Philiſteos ſuperiores viribus evaſiſſe, ac vetuiſſe ne Iſraelitæ arma cuderent, neve armis uterentur.

At enim quomodo Saul fudit Ammonitas & Jonathas Philiſtæos? Quibus armis illa tria millia a Saule delecta, de quibus in exordio hujus Capitis, inſtruebantur? An ad literam intelligatur id quod inferius legitur, ex omnibus ſcilicet militibus Saulem tantummodo & Jonatham lancea & gladio armatos fuiſſe? Unde illorum milites arma ſumpſerunt ut Philiſtæos cæderent, quemadmodum Capite ſequenti narratur? Merito igitur arbitramur, exaggerationis ineſſe aliquid in iis, quæ hic de Saule & Jonatha narrantur. Nec prætereundum eſt, Iſraelitas uti tunc familiarius conſueviſſe arcu & funda, quo armorum genere plurimum valebant; quo fiebat, ut cæteris ad præliandum armis non magnopere indigerent, cum illa nonniſi cominus certantibus ſint uſui. Scitum eſt, qua ratione Tribus Beniamin, ope potiſſimum funditorum, ſola ſe adverſus univerſum Iſraelem defenderit; nec ignoratur celebris illa Davidis de Goliath victoria, in qua Gigas armis omnis generis protectus, Davidis funda, a cæteris armis nudi, interfectus eſt. Adde, quod Hebræis præſto erant inſtrumenta colonica, ſecures, ſtimuli, vomer, quibus aptiſſime uti poterant in prælio pro enſe & lancea. Denique in tota antiquitate celebrantur bella acerrima, & maxime cruenta inter barbaros & agricolas, armatos fuſtibus ligneis igne obduratis, & in extrema ora adultis (5).

. . . . . *Non jam certamine agreſti*
Stipitibus duris agitur, ſudibuſque præuſtis.

Viri illi fortiſſimi, de quibus in Paralipomenis (6), quique Davidem a Saule fugientem convenerunt, nonniſi ex peritia jaculandi, ac torquendi utraque manu fundam commendantur. In celebri illa victoria de Siſara (7), inter quadraginta Iſraelitarum millia nemo unus gladio vel lancea inſtruebatur.

Cæterum hæc cautio Philiſtæorum, adimendi omnem armorum uſum Hebræis, prohibendique, ne quem in regione ſua fabrum ferrarium haberent, nec nova eſt, nec extraordinaria; ſed primum eſt exemplum duræ adeo ſervitutis, quod Hiſtoria poſteris commendaverit. Iſraelitæ, quamquam ab Ægyptiis vexati, tamen armati, & in aciem diſpoſiti egreſſi ſunt (8). Sed Chaldæi, Judæa ſub Nabuchodonoſore potiti, Opifices omnes ejus regionis in Babyloniam tranſtulerunt (9). Porſenna pacem Romanis concedens vetuit (10), *de ferro niſi in agricultura uterentur*. Cyrus, redactis in poteſtatem Lydis, metuenſque defectionem, uſum omnem armorum illis ademit, coegitque ex aſpera bellicis laboribus vita in mollem & commodam tranſire (11): *Et ſic gens induſtria quondam potens & manu ſtrenua, effœminata mollitie luxuriaque, virtutem priſtinam perdidit* (12). Servis neque in bellum proficiſci, neque arma ferre concedebatur; ac memoriæ proditum eſt in Hiſtoria, veluti argumentum ſummæ illius anguſtiæ, qua ſtringebatur Romana Reſpublica in ſecundo bello Punico, ſervos compedibus & catenis liberatos, adjunctos fuiſſe veteranis militibus, ut hoſtibus opponerentur. Militiæ dignitati tanta ſolicitudine conſulebant Romani, ut vel in exercitum admittere recuſarent hominem e vulgo, quamquam liberæ conditionis, cum pauperior eſſet cenſu, quam ut onera Reipublicæ ſuſtinere poſſet (13).

℣. 20. Descendebat ad Philisthiim. Ægre admodum id intelligendum eſt de univerſis Judæis trans & citra amnem; vero enim ſimillimum eſſe arbitramur, imperium Philiſtæorum trans amnem ſeſe non porrexiſſe, neque forte etiam ad loca maxime ſeptentrionalia regionis, Phœniciam verſus, excurriſſe. Illud tamen conſtat, Tribus Juda, Simeonis, Dan, Beniamin, & Manaſſe in eas anguſtias redactas fuiſſe, ut cogerentur migrare in regionem Philiſtæorum, vel ſaltem in loca, quæ præſidio illorum tenebantur, veluti Machmas, Bethel, Gabaam (14).

Ut

[1] Chald. לחילת אמצעי Ita Heb. Vat. [2] Forte Aquil. apud Druſ. Ἐν φάραγγι τῶν ὑαινῶν. [3] Theodot. & Aq. apud Theodoret. Ἐν τῇ κοιλάδι τῶν δορκάδων. Legebant fortaſſe צבאים [4] Mendoz. Menoch. [5] Virgil. Æneid. 7. [6] 1. Paral. XII. 2. *Viri fortiſſimi & egregii pugnatores, tendentes arcum, & utraque manu fundis ſaxa jacientes, & dirigentes ſagittas.* [7] Judic. V. 8. *Clypeus & haſta ſi apparuerint in quadraginta millibus Iſrael.* [8] Exod. XIII. 18. [9] 4. Reg. XXIV. 14. & Jerem. XXIV. 1. & XXIX. 2. החרש והמסגר [10] Plin. lib. XXXIV. c. 14. [11] Herodot. lib. 1. cap. 155. Ἀπειπὲ μέν σφι πέμψας ὅπλα ἀρήια μὴ ἐκτῆσθαι, &c. [12] Juſtin. l. 1. c. 7. [13] *Quæ civium ad id tempus ingenua quoque originis capite cenſos habere milites faſtidierat, eadem collis ſervilibus extracta corpora . . . exercitus ſuo adjecit.* Valer. Maxim. lib. 7. c. 6. art. 1. [14] Menoch. Sanct.

Ut exacueret vomerem unuſquiſque ſuum. Hebræa vox (1) ſignificare poteſt quodvis inſtrumentorum, vel utenſilium genus, fabros lignarios, lapidarios, & metallorum fuſores, Syriacus, Arabs, & Septuaginta (2) explicant de falce; ſed commode exponi poteſt de inſtrumentis colonicis & vomere.

Ligonem. Hebræa vox אתו proprie eſſe creditur ferrum illud acutum, quod in vomere terram ſcindit. Septuaginta Τὸ σκεῦος αὐτοῦ, *vas ſuum*. Apud Prophetas non raro legitur (3), fore ut tempore pacis ac felicitatis Iſraelitæ reforment gladios ſuos in vomeres; ac viciſſim belli tempore vomeres in gladios redigant (4).

Et securim. Syriacus: *Rutrum ſuum*. Plerique tamen favent *ſecuri* (5).

Et sarculum. Septuaginta: Τὸ δρέπανον, *falcem*. Eadem eſt in Hebræo vox מחרשתו, quæ ſupra verſa eſt vomer. Vox eſt autem generica, uti ſupra animadvertimus.

℣. 21. Retusæ erant acies vomerum. Hebræus varie redditur (6): Inſtrumenta colonica erant veluti in modum ſerræ; eorum acies retuſa, dentata erat veluti ſerra. Vel, coacti erant uti lima ad acuendas acies vomerum, niſi quis vellet ad Philiſtæos proficiſci. Syriacus. *Lima utebantur in falcem*; recidit id in priorem interpretationem. Falces eorum & colonica inſtrumenta nihilo melius quam limæ apta erant ad ſcindendum. Septuaginta (7): *Erat vindemia parata ad metendum*, Scholiaſtes (8): *Lima habebat ora vomerum*, acies habebant hebetatas.

Et tridentum, et securim, usque ad stimulum corrigendum. Reddi poteſt Hebræus (9): *Furcæ eorum tridentes, ſecures, & ad cuſpidem præfigendam ſtimulo boum*.

℣. 23. Egressa est statio Philisthiim, ut transcenderet in Machmas. Nonne ibi antea conſederat? Vide ſupra ℣. 6. 11. 16. Apertior Hebræus: *Profectus eſt Philiſthiim ad tranſitum Machmas*; obſederat fauces inter Machmas & Gabaam, ubi Saul tunc conſidebat.

(1) ללטוש איש את מחרשתו (2) Χαλκεύειν εἰς ἕκαστος τὸ θέριστρον αὐτοῦ, (3) Iſai. II. 4. Mich. IV. 3. (4) Joel. III. 15. (5) קרד מו Septuag. ἀξίνην. Jonat. כולביה (6) והיתה הפצירה פים למחרשות (7) Καὶ ἦν ὁ τρυγητὸς ἕτοιμος τοῦ θερίζειν. (8) Scholiaſt. apud Druſ. Καὶ ἠμβλύνθη ἡ προσβλέψεις σώματα τοῖς ἀρότροις, (9) ולשלש קלשון ולהקרדמים ולהציב הדרבן

CAPUT XIV.

Terror panicus tota late Philiſtæorum caſtra invadit. Saul illos aduſque veſperam perſequitur. Jonathas vita diſcrimen ſubit, quod edictum patris imprudens violaverit: liberatur a populo. Saulis de variis gentibus victoriæ.

℣. 1. Et accidit quadam die, ut diceret Jonathas filius Saul ad adoleſcentem armigerum ſuum: Veni, & tranſeamus ad ſtationem Philiſthinorum, quæ eſt trans locum illum. Patri autem ſuo hoc ipſum non indicavit. 2. Porro Saul morabatur in extrema parte Gabaa, ſub malogranato, quæ erat in Magron: & erat populus cum eo quaſi ſexcentorum virorum. 3. Et Achias filius Achitob fratris Ichabod filii Phinees, qui ortus fuerat ex Heli ſacerdote Domini in Silo, portabat ephod. Sed & populus ignorabat, quo iſſet Jonathas. 4. Erant autem inter aſcenſus, per quos nitebatur Jonathas tranſire ad ſtationem Philiſthinorum, eminentes petræ ex utraque parte, & quaſi in modum dentium ſcopuli hinc & inde prærupti, nomen uni Boſes, & nomen alteri Sene: 5. Unus ſcopulus prominens ad Aquilonem ex adverſo Machmas, & alter ad meridiem contra Gabaa. 6. Dixit autem Jonathas ad adoleſcentem armigerum ſuum: Veni, tranſeamus ad ſtationem incircumciſorum horum, ſi forte faciat Dominus pro nobis: quia non eſt Domino difficile ſalvare vel in multis, vel in paucis. 7. Dixitque ei armiger ſuus: Fac omnia, quæ placent animo tuo: perge, quo cupis, & ero tecum, ubicumque volueris. 8. Et ait Jonathas: Ecce nos tranſimus ad viros iſtos. Cumque apparuerimus eis, 9. Si taliter locuti fuerint ad nos, Manete, donec veniamus ad vos: ſtemus in loco noſtro, nec aſcendamus ad eos. 10. Si autem dixerint: Aſcendite ad nos: aſcendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus noſtris: hoc erit nobis ſignum. 11. Apparuit igitur uterque ſtationi Philiſthinorum: dixeruntque Philiſthiim: En Hebræi egrediuntur de cavernis, in quibus abſconditi fuerant. 12. Et locuti ſunt viri de ſtatione ad Jonatham, & ad armigerum ejus, dixeruntque: Aſcendite ad nos, & oſtendemus vobis rem. Et ait Jonathas ad armigerum ſuum: Aſcendamus, ſequere me: tradidit enim Dominus eos in manu Iſrael. 13. Aſcendit autem Jonathas manibus, & pedibus reptans, & armiger ejus poſt eum. Itaque alii cadebant ante Jonatham, alios armiger ejus interficiebat ſequens eum. 14. Et facta eſt plaga prima, qua percuſſit Jonathas, & armiger ejus, quaſi viginti virorum, in media parte jugeri, quam par boum in die arare conſuevit. 15. Et factum eſt miraculum in caſtris per agros: ſed & omnis populus ſtationis eorum, qui ierant ad prædandum, obſtupuit, & conturbata eſt terra:

& ac-

& accidit quaſi miraculum a Deo. 16. Et reſpexerunt ſpeculatores Saul, qui erant in Gabaa Beniamin, & ecce multitudo proſtrata, & huc, illucque diffugiens. 17. Et ait Saul populo, qui erat cum eo: Requirite, & videte, quis abierit ex nobis. Cumque requiſiſſent, repertum eſt non adeſſe Jonathan, & armigerum ejus. 18. Et ait Saul ad Achiam: Applica arcam Dei. (Erat enim ibi arca Dei in die illa cum filiis Iſrael) 19. Cumque loqueretur Saul ad ſacerdotem, tumultus magnus exortus eſt in caſtris Philiſthinorum: creſcebatque paulatim, & clarius reſonabat. Et ait Saul ad ſacerdotem: Contrahe manum tuam. 20. Conclamavit ergo Saul, & omnis populus qui erat cum eo, & venerunt uſque ad locum certaminis: & ecce verſus fuerat gladius uniuſcujuſque ad proximum ſuum, & cædes magna nimis. 21. Sed & Hebræi, qui fuerant cum Philiſthiim heri, & nudiuſtertius, aſcenderantque cum eis in caſtris, reverſi ſunt, ut eſſent cum Iſrael, qui erant cum Saul, & Jonatha. 22. Omnes quoque Iſraelitæ, qui ſe abſconderant in monte Ephraim, audientes, quod fugiſſent Philiſthæi, ſociaverunt ſe cum ſuis in prælio. Et erant cum Saul quaſi decem millia virorum. 23. Et ſalvavit Dominus in die illa Iſrael: pugna autem pervenit uſque ad Bethaven. 24. Et viri Iſrael ſociati ſunt ſibi in die illa: adjuravit autem Saul populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem uſque ad veſperam, donec ulciſcar de inimicis meis. Et non manducavit univerſus populus panem: 25. Omneque terræ vulgus venit in ſaltum, in quo erat mel ſuper faciem agri. 26. Ingreſſus eſt itaque populus ſaltum, & apparuit fluens mel, nulluſque applicuit manum ad os ſuum: timebat enim populus juramentum. 27. Porro Jonathas non audierat, cum adjuraret pater ejus populum: extenditque ſummitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis: & convertit manum ſuam ad os ſuum, & illuminati ſunt oculi ejus. 28. Reſpondenſque unus de populo, ait: Jurejurando conſtrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem hodie (defecerat autem populus.) 29. Dixitque Jonathas: Turbavit pater meus terram: vidiſtis ipſi, quia illuminati ſunt oculi mei, eo quod guſtaverim paululum de melle iſto: 30. Quanto magis ſi comediſſet populus de præda inimicorum ſuorum, quam reperit? nonne major plaga facta fuiſſet in Philiſthiim? 31. Percuſſerunt ergo in die illa Philiſthæos a Machmis uſque in Ajalon. Defatigatus eſt autem populus nimis. 32. Et verſus ad prædam, tulit oves, & boves, & vitulos, & mactaverunt in terra: comeditque populus cum ſanguine. 33. Nuntiaverunt autem Sauli dicentes, quod populus peccaſſet Domino, comedens cum ſanguine. Qui ait: Prævaricati eſtis: volvite ad me jam nunc ſaxum grande. 34. Et dixit Saul: Diſpergimini in vulgus, & dicite eis, ut adducat ad me unuſquiſque bovem ſuum, & arietem, & occidite ſuper iſtud, & veſcimini, & non peccabitis Domino comedentes cum ſanguine. Adduxit itaque omnis populus, unuſquiſque bovem in manu ſua uſque ad noctem: & occiderunt ibi. 35. Ædificavit autem Saul altare Domino, tuncque primum cœpit ædificare altare Domino. 36. Et dixit Saul: Irruamus ſuper Philiſthæos nocte, & vaſtemus eos uſque dum illuceſcat mane, nec relinquamus ex eis virum. Dixitque populus: Omne, quod bonum videtur in oculis tuis, fac. Et ait ſacerdos: Accedamus huc ad Deum. 37. Et conſuluit Saul Dominum: Num perſequar Philiſthiim? ſi trades eos in manus Iſrael? Et non reſpondit ei in die illa. 38. Dixitque Saul: Applicate huc univerſos angulos populi: & ſcitote, & videte, per quem acciderit peccatum hoc hodie. 39. Vivit Dominus ſalvator Iſrael, quia ſi per Jonathan filium meum factum eſt, abſque retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo. 40. Et ait ad univerſum Iſrael; Separamini vos in partem unam, & ego cum Jonatha filio meo ero in parte altera. Reſponditque populus ad Saul: Quod bonum videtur in oculis tuis, fac. 41. Et dixit Saul ad Dominum Deum Iſrael: Domine Deus Iſrael, da indicium: quid eſt, quod non reſponderis ſervo tuo hodie? Si in me, aut in Jonatha filio meo eſt iniquitas hæc, da oſtenſionem: aut ſi hæc iniquitas eſt in populo tuo, da ſanctitatem. Et deprehenſus eſt Jonathas, & Saul, populus autem exivit. 42. Et ait Saul: Mittite ſortem inter me, & inter Jonatham filium meum. Et captus eſt Jonathas. 43. Dixit autem Saul ad Jonatham: Indica mihi, quid feceris? Et indicavit ei Jonathas, & ait: Guſtans guſtavi in ſummitate virgæ, quæ erat in manu mea paululum mellis, & ecce ego morior. 44. Et ait Saul: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris, Jonatha. 45. Dixitque populus ad Saul: Ergone Jonathas morietur, qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſrael?

Digitized by Google

hoc nefas eſt: vivit Dominus, ſi ceciderit capillus de capite ejus in terram, quia
cum Deo operatus eſt hodie. Liberavit ergo populus Jonatham, ut non moreretur.
46. Receſſitque Saul, nec perſecutus eſt Philiſthiim: porro Philiſthiim abierunt in lo-
ca ſua. 47. Et Saul, confirmato regno ſuper Iſrael, pugnabat per circuitum adver-
ſus omnes inimicos ejus, contra Moab, & filios Ammon, & Edom, & reges Soba,
& Philiſthæos: & quocumque ſe verterat, ſuperabat. 48. Congregatoque exercitu,
percuſſit Amalec, & eruit Iſrael de manu vaſtatorum ejus. 49. Fuerunt autem filii
Saul, Jonathas, & Jeſſui, & Melchiſua: & nomina duarum filiarum ejus, nomen pri-
mogenitæ Merob, & nomen minoris Michol. 50. Et nomen uxoris Saul, Achinoam
filia Achimmaas; & nomen principis militiæ ejus Abner, filius Ner, patruelis Saul.
51. Porro Cis fuit pater Saul, & Ner pater Abner, filius Abiel. 52. Erat autem
bellum potens adverſum Philiſthæos omnibus diebus Saul. Nam quemque viderat Saul
virum fortem, & aptum ad prælium, ſociabat eum ſibi.

℣. 1. TRANSEAMUS AD STATIONEM PHILISTHINORUM. Molimen hoc Jonathæ ſi per ſe ſolum ſpectetur, temeritatis habet plurimum, & peccat in Leges bellicas, interdicentes militibus, ne vel certamen, vel quidquam aliud grave injuſſu ducis aggrediantur. Creditur tamen Jonathas (1) animi ſui ductum in ea re ſecutus non fuiſſe: & conſilii cœlitus inſpirati argumentum aperiſſimum eſt exitus ille prodigioſus, quem Deus rem aggredienti conceſſit.

℣. 2. SUB MALOGRANATO QUÆ ERAT IN MAGRON. Magron vicus erat facile ſatis proximus Machmas & Gabaæ; quod & verbis Iſaiæ innuitur (2). Septuaginta pro *Magron* legerant *Magdon*. Ita vero reddi poteſt Hebræus (3): *Saul morabatur in finibus Gabaa, ſub Rimmon, quæ erat in Magron.* Nomen *Rimmon* ſonat malum punicum. Sed & rupes illa, quo Beniamitæ poſt cladem ſeſe receperunt, eodem nomine Remmon appellabatur; vulgo autem creditur (4) in rupis ejuſdem ſpeluncis Saul cum ſuis ſeſe abdidiſſe. Qui enim manus ſexcentorum ſub malo punico conſideret? Rupes autem Remmon pari olim numero Beniamitas eo confugientes excepit (5). Locus erat aggreſſoribus invius, frequentibuſque ſpecubus ampliſſimis diſſeminabatur, ut totam illam manum continerent. Porro conſtituenda eſt hæc rupes prope Magronem, & in agro ipſiua.

℣. 3. ACHIAS FILIUS ACHITOB, FRATRIS ICHABOD, FILII PHINEES. Phinees, filius Heli ſummi Sacerdotis, filios habuit duos, Achitobum & Ichabodum: hic ex natali ſuo noſcitur, qui in idem temporis punctum, quo nuncium de capta Arca relatum eſt, incidit. Achias patre Achitobo natus eſt: idem vero Achias appellatur etiam *Achimelec* (6) in capite XXII. 9. De illo tradit Scriptura: *Portabat Ephod*; ideſt, munus ſummi Sacerdotis gerebat: quod pariter docet ℣. 18. ex quo Arcam adfuiſſe caſtris intelligimus.

℣. 4. ERANT INTER ASCENSUS . . . . EMINENTES PETRÆ, ideſt, anguſtiæ ac fauces inter duas ſtantes rupes ſurgebant. Hanc ſententiam ferunt verba, ad literam ſonantia: Duæ rupes erant in aſcenſu. Porro inverſæ hujus ſyntaxeos crebra ſuppetunt exempla; uti (7): *Annuntiabitur Domino generatio ventura*; inferius ℣. 18. *Applica Arcam*; & in Judicibus 1. 8. *Civitatem miſerunt in ignem.* Virgilius *Æneidos* VIII.

. . . . *Onerantque canistris*
Dona laboratæ Cereris.

Aſcenſus iſte, idem eſt Aſcenſus Machmas, de quo in Hebræo capitis XIII. 23.

BOSES, ſonat *lubricum*; SENE, *ſpinas*. Prior lapis jacebat ad ſeptentrionem, alter ad meridiem aſcenſus. *Per Sene* Jonathas in caſtra hoſtium penetravit.

℣. 6. AD STATIONEM INCIRCUMCISORUM HORUM. Incircumciſas gentes ſummo contemptui habebant Hebræi, uti Scriptura pene univerſa probat: abhorrebant ab illis perinde ac a profanis & immundis. Viciſſim autem Pagani Hebreos, uti gentem ſuperſtitioſam & riſu dignam habebant; *Recutitos*, *Verpas*, *Apellas*.

SI FORTE FACIAT DOMINUS PRO NOBIS. Si nobis faveat, opem præſtet & juvet. In his omnibus tentare Deum Jonathas videtur: ambigens loquitur: *Si forte faciat Dominus pro nobis.* Sed phraſis hæc non ſemper ambiguitatem mentis ſignificat: indicat enim tantummodo, rem quæ petitur, & quam quis molitur, vires ejus ſuperare; a Deo pendere; quam proinde non e viribus ac meritis ſuis expectat. Satis ex eventu intelligimus, Jonatham nihil præſciviſſe, non rationem rei agendæ, non tempus, non circumſtantias, non exitum ejus, ad quod impelli ſeſe intus ſentiebat. Ambiguitatem hanc ſuam hic exprimit. Cum autem inferius præſcribere Deo videtur ſignum, vel indicium voluntatis illius, merito reputaverimus, eundem ſpiritum, qui conſilium & rationem illius implendi dictaverat, tacite pariter inſpiraſſe ea quæ a Deo poſtularet. Perinde autem verba ejus hic recitata accipienda ſunt, veluti oblatæ Deo preces, ut rationem aperiat, qua ſibi agendum eſſe velit: quemadmodum Eliezer Abrahami ſervus (8) Dominum rogabat, ut ſigno aliquo ſibi indicaret ſponſam, quam Iſaaco deſtinaverat: & Gedeoni (9) poſtulavit a Deo certa miſſionis ſuæ documenta. Si quis in ea re Jonatham reum agat, damnet pariter neceſſe eſt Moyſem, qui prodigia (10), antequam pergeret in Ægyptum, poſtulavit.

℣. 12. ASCENDITE AD NOS, ET OSTENDEMUS VOBIS REM. Excubias illas, quæ Jonatham proſpexerunt, opus eſt in rupe ſeptemtrionali fuiſſe conſtitutas: Jonatham enim, ut aſcenderet, invitarunt, illi quiddam oſtenſuræ, ideſt, facturæ, ut malo ſuo intelligeret, quid temeritate ſua profeciſſet; vel forte ſpoponderunt ſe cum illo aliquid locuturas: quod ab illis dictum eſt vel ut viro illuderent, vel ut ad ſe evocarent. Narrat Herodotus (11) hiſtoriam noſtræ huic perſimilem. Pæones, indicto Perinthiis bello, juſſi ſunt ab oraculo hoſtes non aggredi, ſed expectare, ut ab illis provocarentur, & cavere ne ante provocationem manum conſererent. Agmina in conſpectum venere: dilatum eſt aliquandiu certamen, donec Perin-

[1] Toſt. Cajet. Cornel. Mendoz. Mari. [2] Iſai. X. 28. *Veniet in Ajath, tranſibit in Magron, apud Machmas commendabit vaſa ſua.* [3] ושאול יושב בקצה הגבעה תחת הרמון אשר במגרון [4] Menoch. Tir. Sanct. Jun. Piſc. [5] Judic. XX. 47. [6] Ita Eſt. Menoch. Mendoz. Sanct. alii. [7] Pſal. XXI. 32. [8] Geneſ. XXIV. 12. [9] Judic. VI. 15. 36. 37. 38. 39. [10] Exod. IV. 1. 2. 3. [11] Herodot. lib. 5. initio.

Digitized by Google

rinthii hoſtes invitarunt ad prælium : ſtatim illi certamen accepere, conſertiſque manibus victoriam retulere.

℣. 14. In media parte jugeri, quam par boum in die arare conſuevit. Jam alibi (1) animadverſum eſt, veteres olim regionum longitudinem dimetiri interdum conſueviſſe ab extenſione agri, quam par boum unica die arat. Porro ſulci menſuram extendunt Varro (2), Plinius (3), & Feſtus ad pedes centum & viginti; Columella vero definit ad ſeptuaginta (4). Si primam menſuram teneamus, Jonathas & armiger viginti milites interfecerunt intra ſpatium ſexaginta pedum; ſi vero præferatur Columella, totus ille tractus intra pedes quinque & triginta continebitur. Ludovicus de Dieu, recedens hic a cæteris Interpretibus, opinionem illorum nonniſi ex conjecturis peti contendit. Textum igitur ita reddendum cenſet (5): *Interfecerunt viginti homines in media ferme longitudine ſulci, & in latitudine quanta continetur inter duos ſulcos agri.* Adeo ut hoſtes tam conferti alter alteri eſſent, ut opem ſibi ferre invicem facillime poſſent. Si vero communem interpretationem teneamus, quid eſt mirum, duos viros viginti homines ſpatio ſexaginta, vel quinque & triginta pedum longitudinis interfeciſſe? Textus ad literam: *Quaſi in medio ſulci paris agrorum.* Quod vix aliter accipiendum eſt, quam de longitudine ſulci ducti ab uno jugo boum in agro arantium. Perſuaſum igitur habeo, Sacrum Scriptorem ſpectaſſe tantummodo longitudinem ſulci, non latitudinem agri, uti mallet Ludovicus de Dieu.

℣. 15. Factum eſt miraculum in caſtris per agros. Hebræus (6): *Fuit trepidatio*, vel ſtupor, *in caſtris, in terra, & in omni populo.* Stragis hujus tumor panicum terrorem, ſpiritum vertiginis & confuſionis per tota late hoſtium caſtra diffudit, pervaſitque vicinas terras, quin terroris hujus & turbarum cauſam quiſquam noſſet. Falſo ſibi perſuaſerant Philiſtæi, univerſum Iſraelitarum exercitum in caſtra ſua perrupiſſe.

Sed et omnis populus eorum, qui ierant ad prædandum, obſtupuit, et conturbata eſt terra, et accidit quaſi miraculum a Deo. Hebræus ad literam: *Et pavor fuit in præſidio*, quod tenebat Machmas, *& in parte exercitus quæ iverat ad prædandum; & commota eſt terra, & fuit in trepidationem Dei*; ideſt, inſueta trepidatio, & terror ingens, vel terror panicus a Deo miſſus, omnes tenuit. Ἐν γὰρ δαιμονίοισι φόβοις, ait Pindarus in Nemæis, φεύγοντι καὶ παῖδες θεῶν, *In terroribus enim cœlitus miſſis, vel Deorum liberi fugiunt.* Sunt qui credant, in hac re terrorem hoſtibus injeciſſe terræ concuſſionem: *Conturbata eſt terra.*

℣. 16. Speculatores Saul, qui erant in Gabaa. Quomodo hi ſpeculatores in Gabaa, cum interim Saul ejuſque copiæ continerent ſe in petra Remmon prope Magronem, uti ſupra legimus? Opus eſt, Speculatores habuerit Saul in ſpecula Gabaæ, qui ſigno aliquo indicarent omnia, quæ in caſtra hoſtium agerentur, vel per nuntios de fuga hoſtium Saulem monuerint. Ægre admodum difficultates omnes diluuntur, tum quod certus locorum ſitus ignoretur, cum etiam quod hiſtoria hæc breviſſima narratione abſolvatur.

Ecce multitudo proſtrata eſt, huc illucque diffugiens. Hebræus ad literam (7): *Ecce multitudo ſine corde abibat, & quaſſabatur.* Solutæ animo & viribus copiæ, præcipites ſe in fugam dederunt, & alter alterum pede terebat.

℣. 18. Applica Arcam. Applica te Arcæ, ad conſulendum Dominum. Septuaginta (8): *Affer Ephod*; induere veſte ſancta, ut conſulas Dominum. Spencerus (9) cum Rabbinis explicat de arcula, in qua conditum fuiſſe credit Ephod, & Rationale, cum transferrentur ad exercitum: Affer Arcam continentem Ephod. Sed quorſum ejuſmodi explicatio?

℣. 19. Contrahe manum tuam. Indutus Ephod Sacerdos, ſtantibus protenſiſque manibus orabat. Intelligens Saul, rei opportunitatem adeſſe, ac circumſtantia illa ſatis indicaſſe Deum propenſam erga populum voluntatem, rei vero conſtitutionem poſcere, ut omni deliberandi mora ſublata, ſtatim res conficeretur, ceſſare Sacerdotem juſſit. Pro rebus ambiguis ſunt Oracula (10), ait Cato:

Sortilegis egeant dubii, ſemperque futuris
Caſibus ancipites.

Quidam alius Romanus aſſerere non dubitabat (11), *optimis auſpiciis ea geri, quæ pro Reipublicæ ſalute fierent.* Bene ac ſapienter Polydamanti reſpondit Hector (12), præſagium omnium optimum eſſe, pro patria præliari.

℣. 21. Sed et Hebræi, qui fuerant cum Philiſthiim, qui pro illis pugnaverant, eorum copiis ſeſe adjunxerant. Philiſtæi regioni imperantes, ſubditos habebant Iſraelitas: hi verò tempori ſervientes, inter extremas illas neceſſitatis anguſtias, in caſtris Philiſtæorum ſive ut transfugæ, ſive ut ſervi permanſerunt. In Hebræo legimus (13), *aſcendiſſe* illos *cum eis in caſtrametationem circum*; quibus verbis veluti innuitur, continuiſſe ſe circa caſtra ad ſarcinas (14); ſeu potius, ex omnibus circumjacentibus regionibus conveniſſe ad caſtra, vitaturi extremum exitium ab iis, qui regionem diripiebant, ſubjundum utique, ſi domi manſiſſent.

℣. 22. Et erant cum Saul quaſi decem millia virorum, qui ad tumorem terroris hoſtium acceſſerant: antea enim nonniſi ſexcentorum manus adhærebat illi, continenti ſe in petra Remmon (15). Porro de hiſce denis millibus nihil hic legimus in Hebræo, Chaldæo, & Septuaginta; ſed apud Septuaginta, non vero apud Hebræum, leguntur inferius ℣. 24.

℣. 22. Pugna pervenit uſque ad Bethaven. Philiſtæi mutuam cædem ignari proſequuntur uſque Bethaven. Caſtra illorum porrigebantur verſus Machmas. Ex Hiſtoriæ hujus ſerie ℣. 31. innui videtur, agmen Philiſtæorum dilapſum fuiſſe ex parte Ajalonis, plane oppoſita Bethaven, ideſt, regionem ſuam verſus iter ſuſcepiſſe illos, quo & fugitivos Iſraelitæ inſequebantur. Itaque hic Textus non ita accipiendus eſt, quaſi Hebræorum in Philiſtæos prælium porrexerit ſeſe uſque Bethaven; ſed commode exponitur de ſparſo adusque Bethaven ſtragis hujus rumore.

℣. 24. Et viri Iſrael ſociati ſunt . . . adjuravit autem Saul populum. Sunt qui Hebræum ita reddant (16): *Iſraelitæ arctati ſunt die illa*; populi ardorem inconſulto reprimens Saul, ipſe victoriæ ſuæ fuit impedimento. *Adjuravit populum.* Vel, Iſraelitæ acceſſerunt, & Saul e re eſſe cenſuit pro concione munere populum. Sed interpretatio Vulgatæ meliorem exhibet ſenſum. Septuaginta ſic reddunt: *Omnis populus erat cum Saul, circiter decem millia virorum; & erat prælium diſperſum in totam civitatem in monte Ephraim; &*

(1) Geneſ. xxxv. 16.
(2) Varro lib. 1. de Re ruſt. c. 10.
(3) Plin. lib. 18. c. 3.
(4) Columel. de Re ruſt. l. 2. c. 2. *Sulcum ducere longiorem quam pedum LXX. contrarium pecori eſt.*
(5) כבחצי מענה צמד שדה
(6) ותהי חרדה במחנה בשדה Septuag. Καὶ ἐγένετο ἔκστασις ἐν τῇ παρεμβολῇ, καὶ ἐν τῷ ἀγρῷ.
(7) הנה ההמון נמוג וילך והלם
(8) הגישה ארון Προσάγαγε τὸ ἐφούδ. Ita Abarban. R. Salom. & Kimchi. Vide, ſi lubet, Buxtorf. hiſt. Arcæ fœderis c. 3.
(9) Spencer. lib. 3. Diſſert. 7.
(10) Lucan. Pharſal. lib. 9.
(11) Q. Fabius Max. apud Tull. lib. de Senect.
(12) Homer. Iliad. M. Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.
(13) עלו עמם במחנה סביב
(14) Piſc. Mall.
(15) Supr. ℣. 2. *Erat populus cum eo quaſi ſexcentorum virorum.*
(16) ואיש ישראל נגש ביום ההוא ויאל שאול את העם

Saul ignoravit ignorantiam magnam in die illa, & maledicto obſtrinxit populum, dicens: Maledictus homo, qui comederit panem uſque ad veſperam. Præcipiti utique & temerario jurejurando obſtrinxit ſeſe tunc Rex Iſraelis. Nimio ſe capi animi ardore paſſus eſt, neque intellexit, temeraria adeo juſſione ſuas ipſum res infirmare, idque potiſſimum, quod habebat, propoſitum, copias ſuas eo adigens, ut perſequi hoſtes non poſſent. Neque ex eventu recte inferas, Deum ſive facinus, ſive perſonam Saulis probaſſe. Mentibus ſubditorum altius imprimenda erat debita Principi ſuo obedientia, removendum erat pravum a Jonatha, licet imprudente, exemplum in perniciem populi datum; meruit etiam Saul ut de jurejurando, quo ſe nimis temere obſtrinxerat, puniretur. Denique indigebat populus eo documento, ut diſceret non contemnere ſacramenta, & dira, Divini nominis interventu expreſſa, ab iis præſertim, qui ſupremam authoritatem gerebant.

℣. 25. Venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri. Nihil eſt hic exaggerationi datum, cum mel familiariſſimum ſit in Palæſtina: hodie pariter, ut Itinerariorum Scriptores affirmant, alicubi per eam regionem odor mellis & ceræ ita nares afflat, veluti ſi propius quis ad alveare accedat (1). Rara ſunt convivia, rara ciborum condimenta abſque melle. Saltus obſidentur apibus, in cavis arborum truncis, in rupibus, & humi conſidentibus (2). Eo igitur in ſaltu, qua Iſraelitæ tranſibant, mel frequens ſuper humum fluebat. Affirmat Sanctius, in Hiſpania loca quædam ſylveſtria apum examinibus obſideri, rivoſque mellis humi fluere. Vidiſſe etiam ſe teſtatur Maldonatus pauperes agricolas in Bætica melle e ſaltibus caviſque arborum truncis colligendo vendendoque quæſtum factitare. Ubertatem hanc mellis in Palæſtina, & alibi, ſæpe ſpectat Scriptura, unde phraſes illæ petuntur (3): *Terram fluentem lac & mel*; & (4): *De petra melle ſaturavit eos*; & (5): *Conſtituit eum ſuper excelſam terram, ut ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo.* Et (6): *Impius non videat rivulos fluminis, torrentes mellis & butyri.* Apud Profanos (7):

Mella fluant illi, ferat & rubus aſper amomum.

℣. 27. Et illuminati sunt oculi ejus. Ut labor, & fames oculorum aciem hebetant, ita cibum & requies acuunt & reparant. Viſum a ſe hominem affirmat Sanctius, cui inedia viſum oculorum ademerat, & cibus lucis uſuram reſtituit. Effectum hunc famis indicat Jerem. xiv. 6. *Onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ventum, quaſi dracones; defecerunt oculi eorum, quia non erat herba.* Animadvertit Hippocrates (8), eos, qui certis quibuſdam horis cibo indigent, ſi differant pauliſper, viribus exhauriri, palleſcere oculis, & ſtupore, ac vertigine labaſcere. Naturali ex cauſa hæc omnia inducta ſunt: labor, fames, ſitis ſpiritus & humores exhauriunt, nervos remittunt, diſſipant humorem, quo cornea madeſcit, dilatant nervos opticos, atque ita organi hujus œconomia turbata, acies oculorum debilitatur.

℣. 29. Turbavit pater meus terram; turbavit omnes, injuriam intulit regioni irreparabilem. Sinceros animi ſenſus exprimit Jonathas; cui tamen patris nomen ac dignitas, Regaliſque authoritas verenda erat. Juſſiones Principis palam arguere non licet.

℣. 31. A Machmis usque in Ajalon. Ajalon ſita erat in Tribu Dan, circa fines Philiſtæorum: abeſſe autem poterat ac Machmis, tribus vel quatuor leucis.

℣. 32. Comedit populus cum sanguine. Jam inde ante Legem interdictum comedendi ſanguinem invaluerat (9): ſolebant autem Hebræi ſanguinem victimis omnibus haurire, eaſque ſuſpendere, ut totus ſanguis efflueret, quem humo ingeſta tegebant (10). In re præſenti populus fame adactus victimas feſtinanter mactavit, nec ſatis expectavit, ut totus ſanguis hauriretur, hauſtuſque humo tegeretur.

℣. 35. Tunc primum cœpit ædificare altare Domino. Eo uſque altaria, cum res poſceret, Samuel erexerat; modo vero Saul authoritate ſua actum hunc Religionis exercere cœpit, qui nonniſi Prophetæ, vel Summo Sacerdoti convenit. Privilegium id eſſe Regis cenſuit, conſecrandumque ſtatuit relatæ a ſe victoriæ monumentum Domino exercituum. Altare vero erectum fertur (11) ſuper eumdem lapidem, ſuper quem populus victimas ſuas mactaverat. In quam interpretationem commode reddi poſſet Hebræus (12): *Ædificavit Altare Domino, cœpit erigere lapidem hunc in Altare Domino.*

℣. 36. Accedamus huc ad Deum. Adeamus Arcam, antequam quidquam aggrediamur; vel, conſulamus Oraculum ad Altare Domini.

℣. 38. Applicate huc universos angulos populi; univerſam multitudinem populi. Vertunt alii (13): *Vocate optimates omnes populi.* Vide quæ diſſeruimus in Judicibus xviii. 9. & xx. 2.

℣. 39. Ab quod nullus contradixit ei de populo. Sive obſequio in Regem, ſive quod nunquam putaverint, ea quæ a Jonatha geſta fuerant, indignationem Numinis provocaſſe. Specimen hic novum exhibet Saul animi nimis temere jurejurando ſe ſe obſtringentis; & populus ſilentio ſuo probat ea omnia quæ Rex pronuntiat, atque ad pronunciatam ab ipſo Legem ſubeundam ſe obſtringit. Hinc nuncupatum a Rege ſacramentum commune univerſo populo redditur.

℣. 40. Ego cum Jonatha filio meo ero in parte altera. Saul privilegio juris eximere ſe & filium ſuum poterat a diſcrimine ſortis. Cautio enim ab ipſo lata ut abſtinerent a cibo; nonniſi exercitum obligabat. Subjici ſe communi Legi voluit, ſive in exemplum cæterorum, ſive zeli exceſſu.

℣. 41. Domine Deus Israel da judicium. Hebræus ad literam הבה תמים, *Da puritatem* vel integritatem. Exere hic æquitatem judiciorum tuorum, effice, ut diſtinguamus omnia, ſine favore, & acceptione perſonarum, ſontem ab inſonti. Aliter: Pande nobis quis ſit innocens, ſive quæ tua ſit ſanctitas. Septuaginta (14) legiſſe videntur *Tummim* pro *Tammim*; innuuntque, conſultum fuiſſe Urim & Thummim.

℣. 42. Captus est Jonathas. Punire Deus voluit Saulem, temere nuncupati ſacramenti reum, permittens ut Jonathas, inſons licet, præſentiſſimum vitæ diſcrimen ſubiret. Documentum id datum eſt Sauli, ne temere juraret, & populo, ne Principis ſui edicta contemneret.

℣. 44.

(1) Vide Maundrel, Voyage de Jeruſalem pag. 110. & 144. (2) Virgil. Georgic. 4.

Sæpe etiam effoſſis [ſi vera eſt fama] latebris
Sub terra fodere larem, penituſque repertæ
Pumicibuſque cavis exeſæque arboris antro.

(3) Exod. iii. 8. xiii. 5. xxxiii. 3. Levit. xx. 24. & paſſim. (4) Pſalm. lxxx. 17. (5) Deut. xxxii. 13. (6) Job. xx. 17. Vide, ſi lubet, Boch. de anim. ſacr. part. 4. lib. 2. cap. 12. (7) Virgil. Eclog. iii. (8) Hippocrat. lib. de priſca Medicina. (9) Geneſ. ix. 4. Levit. xvii. 14. Deut. xii. 16. (10) Vide Levit. xvii. 13. (11) Rab. Levi apud Druſ. Malv. quidam in Vat. (12) ויבן שאול מזבח ליהוה אתו החל לבנות מזבח ליהוה (13) גשו הלם כל פנות העם Sym. Τοὺς μεγάλους, *Magnates populi* Septuag. & Aqu. Τὰς [illegible], *angulos*. Alius, Τὰς φυλάς, *Tribus*. (14) Δὸς δήλους. Vertunt Urim Thummim, per δήλωσιν, καὶ ἀλήθειαν. Exod. xxviii. 30. Alius Interpres Δὸς δήλωσιν.

℣. 44. Morte morieris, Jonatha. Duo ſunt hic animadverſione digniſſima: I. Obſequium veterum erga ſacramenti religionem, & fides præſtandis promiſſis nulla mitigatione ſeu intetpteratione. II. Cæcitas & pervicacia Saulis, damnantis Jonatham tanta judicii feſtinatione, quanta nuncupaverat ſacramentum, reputandiſque, plurimum ſe honori Numinis & religioni daturum, ſi filium ſuum interficeret. Rei utique gravitas poſcebat, ut Dominus iterum conſuleretur, utrum filius morte damnandus eſſet. Id egerat Jonathas, quod nullam intulerat criminis culpam: ſilentium Domini & fortium eventus tantæ res non erant, ut eum morte dignum probarent. Si Saul perſpicacior fuiſſet mente, & animo demiſſior, collegiſſet utique, Dei furorem in ſe potius quam in Jonatham exarſiſſe.

℣. 45. Cum Deo operatus est hodie. Ejus conſilia nimis feliciter implevit Deus: nimis proſpero eventu res illi ſucceſſit, quam ut perſuadeamut, ſine Deo hæc molitum illum fuiſſe. Septuaginta (1): *Fecit hodie miſericordiam Dei*, ideſt, *magnam*; nimis ad ſenſum patet, inſtrumentum fuiſſe, quo Deus nos periculo eripuit.

Liberavit ergo populus Jonathan. Obtinuit ab Rege, ut a morte eximeretur; populo intercedente vixit. Nec ſane ut impleretur Regis ſacramentum permittendum fuerat, cum facinus atrox & inſigniter iniquum inferret (2).

℣. 47. Confirmato Regno (3) . . . . pugnabat contra Moab, aliosque populos finitimos. Bellorum omnium, quæ ſane Saulis arma diutius exercuiſſe neceſſe eſt, circumſtantias ignoramus. Favore autem ſuo Deus cœptis hujus Principis adfuit, documentum mortalibus, ne ex felici exitu, quo favere Deus cœptis videtur, de hominum merito judicium certiſſimum ferant.

Reges Soba. Regio Soba in Scriptura ſub nomine *Aram-Zoba*, Syriæ bellicæ, noſcitur: excurrebatque ad ſeptentrionem Terræ Sanctæ, Emath magnæ proxima (4). Adarezer Rex Soba bellum gerebat cum Rege Emath; & Reges Rohob, Damaſci & Machæ fœdus cum Rege Soba adverſus Davidem compoſuerunt (5). Regio Soba æris dives erat, cujus metalli plurimum retulit David poſt victum Adarezerum (6). Ibi vero ſitas perhibet Scriptura Berbe & Beroth, de quibus in Libris Regum, & Thebath & Cun, de quibus in Paralipomenis (7): in eodem etiam tractu jacebat Aphec (8). Hæc omnia in eam nos perſuaſionem inducunt, Sytiam Soba continuiſſe portionem Cœle-Syriæ, ejuſque alteram partem Rohob occupaſſe. Potro Rohob multo propior erat meridiei & propinquior Chanaanitidi, quam ad ſeptentrionem definiebat urbs & regio Rohob (9); & Aram-Soba longius excurrebat, Emath vel Emeſam verſus. Urbs *Cun*, de qua in Paralipomenis, eadem eſt apertiſſime cum *Cunna* in Itinerario Antonini, in via e Damaſco ad Emeſam, & inter Eleutheropolim ac Laodiceam, æquis intervallis, ab utraque ſeilicet urbe XXXII. M. paſſibus. Aphec ſita erat inter Heliopolim & Biblon, in montibus Libani (10). Fallitur Joſephus immaniſſime, Sytiam Soba conſtituens in Sephene, trans Euphratem, in Meſopotamia (11). Arbitratur Cellarius, Syriam Soba in hoc tractu circa Euphratem jacuiſſe, contentamque in ejus finium Palmyram (12); in quam ſententiam ne deſcendamus, vetant ea, quæ huc uſque diſſeruimus.

℣. 48. Percussit Amalec. Belli hujus circumſtantias in ſequenti capite deſcriptas legimus.

℣. 49. Filii Saul. Nihil hic de Isboſeth, quod facile nimis juvenili adhuc eſſet ætate: neque hic recenſentur niſi nomina filiorum, qui cum Saule in bellis hiſce militarunt.

Jessui. *Abinadab* appellatur in 1. Paralipomenon VIII. 33.

(1) כי עם אלהים עשה היום Septuag. Ό'τι ἔλεος Θεȣ̃ ἐποίησεν ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ. (2) Grot. hic, & lib. 2. cap. 13. art. 6. de Jure Belli & Pac. (3) Hebræus ad literam: *Accepit Regnum*. Septuag. *Accepit Regnum fortiter*. Alius Interpres: *Habuit opus in fortem ſuam*, vel *accepit opus fortiter* לכד המלוכה Septuag. E'λαβε τὴν βασιλείαν. Alius, Κατακληρȣ̃ται ἔργȣ. Alius, Τὸ ἔργον τȣ̃ βασιλέως. (4) 1. Paral. XVIII. 3. *Percuſſit David etiam Adarezer Regem Soba, regionis Emath*. (5) 2. Reg. X. 6. & 8. (6) 2. Reg. VIII. 8. (7) 1. Paral. XVIII. 8. (8) 3. Reg. XX. 26. 4. Reg. XIII. 17. (9) Vide Num. XIII. 22. Joſue XIX. 30. & 2. Reg. X. 6. 8. (10) Zozim. lib. 1. c. 58. (11) Joſeph. Antiqu. lib. 7. c. 5. (12) Cellarius lib. 3. c. 12. pag. 280.

CAPUT XV.

Bellum Amaleciticum: hoſtes fundit Saul; ſed Regem gentis Agagum & plurimum prædæ ſervat. Quam ob rem Saulem reum violatæ legis agit Samuel, atque rejectum eſſe a Deo, ne regnet denunciat. Samuel reſtituit ſe Galgalis, nec deinceps uſque ad mortem adhæret Sauli.

℣. 1. ET dixit Samuel ad Saul: Me miſit Dominus, ut ungerem te in regem ſu- a. M. 2930. ante J. C. 1074.
per populum ejus Iſrael: nunc ergo audi vocem Domini: 2. Hæc dicit
Dominus exercituum: Recenſui quæcumque fecit Amalec Iſraeli, quomodo reſtitit ei
in viam, cum aſcenderet de Ægypto. 3. Nunc ergo vade, & percute Amalec, &
demolire univerſa ejus: non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid:
ſed interfice a viro uſque ad mulierem, & parvulum, atque lactentem, bovem, &
ovem, camelum, & aſinum. 4. Præcepit itaque Saul populo, & recenſuit eos quaſi
agnos: ducenta millia peditum, & decem millia virorum Juda. 5. Cumque veniſſet
uſque ad civitatem Amalec, tetendit inſidias in torrente. 6. Dixitque Saul Cinæo:
Abite, recedite, atque deſcendite ab Amalec ne forte involvam te cum eo: tu enim
feciſti miſericordiam cum omnibus filiis Iſrael, cum aſcenderent de Ægypto. Et receſſit Cinæus de medio Amalec. 7. Percuſſitque Saul Amalec, ab Hevila, donec ve-

nias ad Sur, quæ eſt e regione Ægypti. 8. Et apprehendit Agag regem Amalec vivum: omne autem vulgus interfecit in ore gladii. 9. Et pepercit Saul, & populus, Agag, & optimis gregibus ovium, & armentorum, & veſtibus, & arietibus, & univerſis, quæ pulchra erant, nec voluerunt diſperdere ea: quidquid vero vile fuit, & reprobum, hoc demoliti ſunt. 10. Factum eſt autem verbum Domini ad Samuel, dicens: 11. Pœnitet me, quod conſtituerim Saul regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non implevit. Contriſtatuſque eſt Samuel, & clamavit ad Dominum tota nocte. 12. Cumque de nocte ſurrexiſſet Samuel, ut iret ad Saul mane, nuntiatum eſt Samueli, eo quod veniſſet Saul in Carmelum, & erexiſſet ſibi fornicem triumphalem, & reverſus tranſiſſet, deſcendiſſetque in Galgala: Venit ergo Samuel, & Saul offerebat holocauſtum Domino, de initiis prædarum, quæ attulerat ex Amalec. 13. Et cum veniſſet Samuel ad Saul, dixit ei Saul: Benedictus tu Domino, implevi verbum Domini. 14. Dixitque Samuel: Et quæ eſt hæc vox gregum, quæ reſonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio? 15. Et ait Saul: De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ovibus, & armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo, reliqua vero occidimus. 16. Ait autem Samuel ad Saul: Sine me, & indicabo tibi, quæ locutus ſit Dominus ad me nocte. Dixitque ei: Loquere. 17. Et ait Samuel: Nonne cum parvulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es? unxitque te Dominus regem ſuper Iſrael, 18. Et miſit te Dominus in viam, & ait; Vade, & interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos uſque ad internecionem eorum. 19. Quare ergo non audiſti vocem Domini: ſed verſus ad prædam es, & feciſti malum in oculis Domini? 20. Et ait Saul ad Samuelem: immo audivi vocem Domini, & ambulavi in via, per quam miſit me Dominus, & adduxi Agag regem Amalec, & Amalec interfeci. 21. Tulit autem de præda populus oves, & boves primitias eorum, quæ cæſa ſunt, ut immolet Domino Deo ſuo in Galgalis. 22. Et ait Samuel: Numqid vult Dominus holocauſta, & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia, quam victimæ: & auſcultare magis quam offerre adipem arietum. 23. Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Pro eo ergo quod abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Dominus, ne ſis rex. 24. Dixitque Saul ad Samuelem: Peccavi, quia prævaricatus ſum ſermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum. 25. Sed nunc porta, quæſo, peccatum meum, & revertere mecum, ut adorem Dominum. 26. Et ait Samuel ad Saul: Non revertar tecum, quia projeciſti ſermonem Domini, & projecit te Dominus, ne ſis rex ſuper Iſrael. 27. Et converſus eſt Samuel, ut abiret: Ille autem apprehendit ſummitatem pallii ejus, quæ & ſciſſa eſt. 28. Et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus regnum Iſrael a te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. 29. Porro Triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo eſt, ut agat pœnitentiam. 30. At ille ait: Peccavi: ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei, & coram Iſrael, & revertere mecum, ut adorem Dominum Deum tuum. 31. Reverſus ergo Samuel ſecutus eſt Saulem: & adoravit Saul Dominum: 32. Dixitque Samuel: Adducite ad me Agag regem Amalec. Et oblatus eſt ei Agag pinguiſſimus, & tremens. Et dixit Agag: Siccine ſeparat amara mors? 33. Et ait Samuel: Sicut fecit abſque liberis mulieres gladius tuus, ſic abſque liberis erit mater tua. Et in fruſta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis. 34. Abiit autem Samuel in Ramatha: Saul vero aſcendit in domum ſuam in Gabaa. 35. Et non vidit Samuel ultra Saul uſque ad diem mortis ſuæ: verumtamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat, quod conſtituiſſet eum regem ſuper Iſrael.

℣. 1. ME MISIT DOMINUS UT UNGEREM TE. Mihi olim præcepit Dominus ut te conſecrarem: hodie vero ab eo mittor, ut ejus nomine tibi indicem, ut nomen Amaleci deleas. Revocat hic Samuel in memoriam Saulis unctionem ejus, & delectum, ut Iſraelitis præficeretur, quo virum inducat ad præſtandam Domino obedientiam, addicendamque iidem iis, quæ ejus juſſu renunciat.

℣. 2. RECENSUI QUÆCUMQUE FECIT AMALEC ISRAELI. Amalecitæ gens erant Arabiæ Petrææ, in finibus Ægypti & Palæſtinæ. Notus eſt Amalec, inter poſteros Eſau; ſed ambigitur, utrum hunc patrem referat populus numero jam & viribus florens, cum Iſraelitæ ex Ægypto pedem retulerunt. Amalecitæ, de quibus modo, alterum vetuſtiorem Amalecum authorem ſuum agnoſcunt. Humanæ loquendi phraſi accommodat ſe Dominus, cum ait, *Recenſui*, ſeu in memoriam meam revocavi, veluti commentariis inſpectis (1), cognovi iterum quanta olim ſævitie uſi ſint Amalecitæ

[1] פקדתי את אשר עשה עמלק

citæ in Iſraelitas, quos ab Ægypto egredientes, animis & viribus dejectos (1), armis infeſtis aggreſſi ſunt, ac miſere trucidarunt eos, qui cum reliquum exercitus ex laſſitudine ſequi non poſſent, retro a cæteris divulſi veniebant. Porro excidii illorum ſententia jam tunc lata fuerat; ſed ejus executionem ad uſque Saulis ætatem, ideſt poſt amplius quadringentos annos, Divinus Judex diſtulerat. Dei ultio ſera eſt quidem & tarda: quo tamen ſegnior, eo magis terribilis eſt & inevitabilis.

Quomodo restitit. Hebræus (2): *Quid poſuit illi in via, in aſcendendo ex Ægypto*; velut hoſtis, tendens inſidias (3). Septuaginta (4). *Ut occurrit ei in via, aſcendente eo ex Ægypto*. Armis illum aggreſſus eſt, ſed more potius callidi & proditoris hoſtis, quam aperta vi; neque enim Amalecitæ infeſtis armis petierunt niſi eos, qui a reliquo exercitu diviſi, a tergo ſequebantur.

℣. 3. Demolire universa ejus. Hebræus (5): *Anathematizabis omnia quæ ei*. Septuaginta (6): *Exterminabis illum, & omnia quæ ejus*. Scitum eſt, urbem, regionem, gentem anathemati ſubditam ſupremo excidio deleri: anathemate inuſta, igne ferroque vaſtabantur, incendio & cæde complebantur omnia, niſi Deus vel ultionem temperaret, vel aliquid exciperet. Porro Deus omnes una hic damnatione obvolvit, vel infantes ipſos ab ubere, & bruta. Ejus juſſioni adamuſſim, nihil examinantes, parcentes nemini, obtemperare debebant Iſraelitæ, quibus Deus nihil niſi obedientiæ meritum relinquebat. Abſolutus vitæ rerumque omnium noſtrarum Arbiter ita præcipiebat; ejuſque juſſiones nihil niſi ſanctum juſtumque continebant.

Non concupiscas ex eaeus ipsius aliquid. Deſunt hæc in Hebræo & Septuaginta, atque obelo prænotuntur in vetuſtis Latinis Codicibus.

℣. 4. Recensuit eos quasi agnos. Comparant ſæpe Hebræi exercitus ſuos gregibus arietum. Eadem vox *Zabaot*, ſonans exercitus, exprimit etiam greges caprarum: nihil autem eſt Scripturæ familiarius, quam ut comparet populum Iſraelis gregi ſub Deo paſtore (7). Plerique tamen recentiores Interpretes aliter accipiunt Hebræum ויפקדם בטלאים *Recenſuit eos in Telaim*, quod nomen eſſe loci cujuſdam ajunt, ejuſdem facile ac *Telem*, de quo Joſue xv. 24. Septuaginta (8): *Recenſet eos in Galgalis*. Profecto ſi quis locus, ubi exercitus recenſeretur, ſeligendus fuiſſet, id potius in Galgalis quam alibi præſtari par erat. Sub Regno Saulis, Galgala nunquam non locus fuere populi conventibus deſtinatus; eodemque loci confecta hac expeditione convenerunt. Syriacus legit *Telia*; Arabs, *Tarvilla*; & Chaldæus ſervat ſignificationem *Telaim*, quæ procul dubio eſt *agni*: arbitratus eſt autem, Hebræos non per capita cenſos fuiſſe, quod nefas eſſe docent Rabbini, ſed per agnos, quos ſinguli attulere, vel quos in Feſto Paſchatis obtularunt; ea ferme ratione, qua diu poſt eam ætatem Sacerdotas Templi ſupputarunt, quam frequens hominum numerus Jeroſolymam ad Feſtum Paſchatis conveniſſent, ex hoſtiarum numero, quas obtulerunt. Hanc interpretationem ſecuti ſunt Hebræi, & Commentariorum Scriptores nonnulli (9): tota autem ex inani principio ducitur. David ob recenſitum populum pœnas (10) nonniſi ea de cauſa dedit, quod cenſum illum quadam ſuperbia, a Deo utique improbanda, indixit: ſed quis unquam intellexit, Divinam ultionem ſæviiſſe in exercitus Imperatorem, qui copias ſuas recenſeat? Præſtat igitur legere in Hebræo *Ketelaim*, uti & S. Hieronymus legit, quam *Betelaim*, ut noſtra ætate Textus Originalis.

Ducenta millia peditum. Septuaginta Editionis Romanæ (11): *Quadringenta millia ordinum*, vel *manipulorum*. Manuſcriptum Alexandrinum: *Dena millia*; Editio Aldina & Complutenſis, *ducenta millia manipulorum*, vel *ordinum*; Joſephus, *quadriagenta millia hominum*, Tribu Juda non numerata.

℣. 5. Ad Civitatem Amalec. Nulla Arabiæ urbs Amalec appellata occurrit: nec a vero abludit, authorem ſacrum eo nomine urbem Metropolim Amalecitarum ſuo nomine deſignare voluiſſe. Forte etiam urbs metropolis nulla inter eos erat: gens enim erat Amalecitæ erratica, quæ certo in loco non conſidebat: urbs autem Metropolis, unica forte urbs erat in tota regione, atque huc illucque transferebantur, pro Regum arbitrio, in varia loca migrantium, vel tentoria ſua, quibus vaga hæc urbs conſtituebatur, in variis ſedibus explicantium. Fama eſt, hodie pariter in Æthiopia nullas eſſe revera urbes (12); ſed locum, ubi Princeps caſtra metatur, totius regionis metropolim eſſe, caſtra vero frequenter mutari.

Tetendit insidias in torrente; vel ſi mavis, *in valle*, vox enim Hebræa נחל utrumque ſignificat. Saul igitur noctis beneficio exercitum ſuum circa urbem in alveo torrentis arido collocavit, ac militari ſtratagemate in urbem evaſit. Stratagematis hujus artem divinare, ſilente Scriptura, non poſſumus.

℣. 6. Dixit Saul Cinæo: Abite. Amoris & amicitiæ plurimum in Iſraelitas exhibuerant Cinæi. Jethro ſocer Moyſis, Cinæus erat; ejuſque filius Jobab ducem ſe populo in itinere per deſertum præbuit. Cinæis poſteris Jethro portio quædam Terræ ſanctæ circa urbem Arad tradita eſt (13); locique propinquitas coegit res cum Amalecitis miſcere. Saul Cinæos monuit, alam facile & occulto, ut ſubducerent ſeſe ab Amalecitis, quos delere juſſus fuerat.

℣. 7. Ab Hevila donec venias ad Sur. Vide quæ diſſeruimus in Geneſim xxv. 18. & Exodum xv. 22.

℣. 9. Et vestibus. Hebræam vocem המשנים Interpretes quidam (14) reddunt, *pinguia pecora*, quaſi השמנים. S. Hieronymus accepit pro veſte mutatoria, ſeu veſtium pari. Alii (15) de bobus bimulis, vel de pecoribus quibuſque pinguiſſimis & eximiis (16): *Secundarios*. Septuaginta: Ἐδεσμάτων, *cibis*.

℣. 11. Pœnitet me quod constituerim Saul. Fieri nequit ut Deus malum agat, & temeraria capeſſat conſilia, quorum pœnitere illum opus ſit. Nec ſententiam mutare poteſt, nec e malo in bonum tranſire: ſcientiam habet, quæ nec incrementum, nec detrimentum ſentiat. Homo qua pollet libertate, ſtatutam a Deo œconomiam turbare nunquam valet, nihil producere quod ſive novum ſive improviſum Deo ſit. Quare Deum revera pœnitere dicendum non eſt. Accidit autem ſæpe, ut Deus beneficiis ſuis eos proſequi ceſſet; quos peculiari munere inter amicos exceperat, ſelegerat, largiſque promiſſionibus donaverat;

(1) Vide Exod. xvii. 14. & Deut. xxv. 17. (2) אשר שם לו בדרך בעלותו ממצרים (3) Ita Chaldæus. (4) Ὡς ἀπήντησεν αὐτῷ ἐν τῇ ὁδῷ ἀναβαίνοντι ἐξ Αἰγύπτου. (5) והחרמתם את כל אשר לו (6) Ἐξολοθρεύσεις αὐτὸν, καὶ πάντα τὰ αὐτοῦ. (7) Pſal. lxxvii. 52. Iſai. xl. 11. Jerem. xiii. 17. Ezech. xxxiv. 2. & alibi paſſim. (8) Ἐπισκέπτεται αὐτοὺς ἐν Γαλγάλοις. Alius, Ἐν ἅρμασι, *in curribus*. (9) Vide Munſt. Deuſ. Vat. Boch. de anim. ſacr. par. 1. lib. 2. cap. 43. (10) 2. Reg. xxiv. 10. 11. 12. (11) Τετρακοσίας χιλιάδας ταγμάτων, καὶ τὸν Ἰούδαν τριάκοντα χιλιάδας ταγμάτων. Τάγμα quandoque apud lxx. eſt vexillum. Num. ii. 17. iii. 10. 18. 25. (12) Vide Relationes virorum e Miſſionibus Æthiopiæ. (13) Vide Num. xxiv. 21. & Judic. i. 16. (14) Ita Jonas. Pag. Mont. Syr. Vat. (15) Malv. (16) Jun.

verat : idcirco autem ceſſat , quod illi beneficiis Dei merito criminum ſuorum indignos ſeſe præbuerint, ipſique prius Dei ſamulatum abjecerint. Illorum inconſtantia varia in Deo ſpecie tenus conſilia exigit: id autem in Scriptura plerumque innuitur nomine pœnitentiæ (1).

Contristatus est Samuel. Hebr. יחר לשמואל *Iratus eſt Samuel* (2) : Ad literam , ejus vultus vel nares inflammatæ ſunt . Chaldæus : *Durum fuit Samueli*; moleſtum illi accidit.

℣. 12. Quod cum venisset Saul in Carmelum, et erexisset sibi fornicem triumphalem . Vides hic, honoribus mores mutari , & ſupremam poteſtatem palam omnibus exponere, quæ ſit hominis indoles & natura (3) . Saul , vir antea demiſſo animo, & ſibi ipſi minimus, adeo perſtringitur ſulgore victoriæ, quam Deo largiente obtinuit , ut ſuperbiæ ſuæ triumphale monumentum erigat . Hebræus & Septuaginta ferunt (4) : *Venit Saul in Carmelum , & ecce conſtituit ſibi manum* , vel monumentum . Eodem nomine manus appellatur monumentum , ab Abſalomo erectum in valle Regis prope Jeroſolymam (5) . Vertunt alii: *Fecit ſibi ſpatium*, locum nempe liberum & ſpatioſum , ut prædam inter ſuos diſtribueret , ait Jonathan (6) . Conſtat utique , in Hebræo manum uſurpari frequenter de loco ſpatioſo, uti in Pſal. CIII. 25. *Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus*. Denique reddi poſſet: *Fuit in Carmelo; & ecce ibi conſtituit præſidium pro ea regione* , ſeu pro eo ſpatio regionis . Carmelus hic alius eſt a celebri illo monte , ſecus Mediterraneum. Locus erat in plaga meridionali Tribus Juda , finibus ſatis proximus: ibi vero Nabal vir Abigailis greges ſuos habebat (7).

Auctor traditionum Hebraicarum in lib. Reg. tradit fornicem hunc triumphalem contextum fuiſſe ex myrtho, palmarum & olivarum ramis, quod ex traditionibus Hebræorum petitum eſſe non dubito.

℣. 15. Pepercit populus melioribus ovibus... ut immolarentur Domino . Criminis ſui culpam regerere conatur Saul in populum , quaſi ſcilicet populus id , Rege invito , commiſiſſet. Idem diſertius repetit ℣. 21. & 24. ac denique rei veritate coactus ſatetur ſe peccaſſe nimia in populum conniventia : *Timens populum & obediens voci eorum* . Quaſi ſcilicet Princeps reus non eſſet criminis a populo patrati , quod ipſe impedire potuiſſet & debuiſſet. Quid cauſationis pro ſe afferat Rex, ſi voluntate populi ſui eo ſeſe pertractum dicat , ut apertis Dei juſſionibus repugnet?

℣. 18. Interfice peccatores Amalec. Hebræus (8) : *Anathematizabis* , delebis , *peccatores iſtos , Amalec iſtum*. Septuaginta (9) : *Extermina Amalec , qui peccaverunt in me*.

℣. 20. Immo audivi vocem Domini. Septuaginta : *Audivi vocem populi*.

℣. 21. Tulit populus primitias eorum , quæ cæsa sunt. Hebræus ראשית החרם *Initium anathematis* , quidquid pulcherrimum & optimum eorum, quæ interficienda fuerant.

℣. 22. Numquid vult Dominus holocausta , cum ſcilicet de obedientia ſibi præſtanda res eſt, & cum velle ſe aliud aperte manifeſtavit ? Optima ſunt ſacrificia & oblationes , obſequii noſtri & tributi erga Deum argumentum ; ſed , quam debemus Numini , obedientia , jure naturali, quod cæteras leges & ſacrificia ſuperat, imperatur.

℣. 23. Quasi peccatum ariolandi est repugnare , et quasi scelus Idololatriæ nolle acquiescere. Hebræus ad literam (10) : *Rebellio* , contumacia, inobedientia , eſt *peccatum divinationis* , vel magiæ ; *& reſiſtentia* vel oppoſitio , *ſunt vanitas & Theraphim*. Juxta Symmachum (11) : *Irritatio Dei eſt peccatum, & inobedientia eſt injuſtitia Idolorum* . Magia , Idololatria , cultus impius & ſuperſtitioſus, Theraphim , inviſa ſunt & maxime omnium Deo odioſa. Nihilo tamen ſecius inobedientia , & veſtra erga juſſiones Domini pervicacia, eorum criminum iniquitatem ſuperat. Hebræum *Keſem* uſurpari poteſt de Magiæ , divinationis & ſortilegiorum quolibet genere . *Vanitas* eſt Idololatria , cultus vanus & fallax creaturarum. *Theraphim* Idola ſunt , vel imagines magicæ & ſuperſtitioſa arte paratæ (12).

Theraphim genus fuiſſe Idoli , origine Chaldæi, arbitramur. Theraphim Labani (13) & Nabuchodonoſoris (14) , nomen Theraphim quod ex eadem radice derivari poteſt ac Seraphim in Hebræo , ſonatque ardentes , ignem & Solem , Numen a Perſis cultum ; hæc utique omnia noſtram conjecturam juvant atque confirmant. Oraculorum reſponſa ipſis Theraphim tribuuntur (15): ſed ipſorum figura ignoratur . Tradit Maimonides (16), Zabiis fuiſſe imagines aureas Solis, & argenteas Lunæ , quæ in loculis conſtitutæ vim futura pandendi ex occulto aſtrorum influxu habuiſſe dicuntur. Rabbinorum plerique Theraphim a Taliſmanicis & ſideratis imaginibus non diſtinguunt. Interpres Perſa Theraphim reddidit Aſtrolabium; & R. Moſes Nachman, ſignificari putat genus quoddam horologii , quo ſimul & horæ & futuri eventus monſtrabantur. Ludovicus de Dieu cenſet , Deos fuiſſe Penates , qui ob incrementum & conſervationem rerum familiarium colerentur. Acceſſit autem nomen Theraphim e *Taraph* , quod Arabice & Æthiopice eſt copioſum reddere . Rachel ea quidem ratione Theraphim Labani patris ſui ſurripuit , quia felicitatem omnem domus ad ſe ita translaturam putabat : quæ forte perſuaſio Labanum ſollicitavit , ut amiſſos Deos quæreret diligentius . Pererius (17) , Bonfrerius , Rivetus (18) , aliique plures cenſent , eo nomine innui frequenter Idola, vel imaginum quodlibet genus: quam nos æquiorem ſententiam eſſe arbitramur.

℣. 25. Porta peccatum meum. Vertunt alii (19): *Aufer peccatum meum* . Deum roga , ut deleat , remittat peccatum meum . Veniam pro delicto meo impetra , vel tu ipſe mihi veniam indulgeto; diſſimula illud; priſtinam erga me agendi rationem exterius ne mutes.

Revertere mecum ; ſeu potius : *Veni mecum* . Nondum enim Samuel venerat e Galgalis; ſed eo Saul regrediebatur; quare hæc illius verba perinde valent ac , Regrediamur ſimul in Galgala.

Ut adorem Dominum. Sacrificia illi te præſente offeram , ut exercitus univerſus intelligat , te a me non diſceſſiſſe . *Adorare* uſurpatur hic pro ſacrificare, uti & inſerius, ℣. 31.

℣. 29. Porro triumphator in Israel non parcet . Deus qui omnia poteſt , Dominus victoriarum , delictum hoc tibi non condonabit ; neque enim perinde ac homo recedere poteſt a ſententia , & illum cœpti conſilii pœnitere . Sive his ad Saulem relatis: Princeps tanta gloria & triumphis clarus , qualem te celebras , qui ſibi triumphales arcus ſtatuit , neque a ſententia recedet , nec pœnitudine ſe demittet ; non enim ſicut homines

[1] Vide Juſtin. Mart. ad Græc. pag. 22. 23. [2] 70. Ἠθύμησε Σαμουὴλ. [3] Ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσι, Pittacus apud Laert. [4] בא שאול הכרמלה והנה מציב לו יד [5] 2. Reg. XVIII. 18. *Abſalom erexerat ſibi, cum adhuc viveret, titulum, qui eſt in valle Regis*. Hebræus, *Manum*. [6] Ita & Kimchi in Munſt. Vat. [7] 2. Reg. XXV. 2. [8] והחרמתה את החטאים את עמלק [9] Ἐξολόθρευσον τὸν Ἀμαλὴκ, τοὺς ἁμαρτάνοντας εἰς ἐμέ. [10] כי חטאת קסם מרי ואון ותרפים הפצר [11] Ἁμαρτία τῆς μαντείας τὸ παροξῦναι. ἡ δὲ ἀνομία τῶν εἰδώλων τὸ ἀπειθεῖν. [12] Gen. XXXI. 19. [13] Ibid. XXXI. 30. [14] Ezech. XXI. 21. [15] Judic. XVII. 5. & XVIII. 5. & Zach. X. 2. [16] More Neboch, p. 3. c. 29. [17] Vide in Geneſ. XXXI. 19. [18] In Oſee III. [19] שא נא את חטאתי

Digitized by Google

mines cæteri, eo induci poterit, ut errorem ſuom fateatur, ejuſque veniam flagitet. Alte ſauciatus Saul his Prophetæ verbis repoſuit: *Peccavi; ſed nunc bonora me coram ſenioribus populi*. Hebræus (1): *Victor in Iſraele non mentietur* (vel mendacem ſeſe non exhibebit, datæ fidei ſtabit, noo recedet a ſententia) *& non pœnitebit; quia non bomo ipſe ad pœnitendum*. Longe aliter Septuaginta (2): *Dividetur Iſrael in duo; & Sanctus Iſrael non revertetur, neque pœnitebit eum; quoniam non eſt ſicut bomo, ut pœniteat*. Poſtrema hæc ſententia in reprobationem Saulis lata, irrevocabilis fuit, & effectu noo caruit. Samuelis lacrymæ veniam, & reconciliationem Domini cum Principe reprobato impetrare noo valuerunt.

℣. 32. Agag pinguissimus et tremens. Reddi poſſet Hebræus (3): *Agag in deliciis*. Ad literam, *Agag deliciarum*, delicatus, & io deliciis nutritus. Aliter: Agag in vinculis (4). Trementem non legimus in Textu; & Interpretes quidam cenſent oblatum fuiſſe victori, Regio apparatu & ore aodaci atque ſecuro ſoperbum (5). Septuaginta ferunt tantummodo: Ἀγὰγ τρέμων, *Agag tremens*.

Siccine separat amara mors? Nihil eſt triſtius, nihil voluptuoſum hominem, ſuaſque delicias hic habentem terret magis quam mors, quæ uno velut ictu illum ſeparat ab omnibus, quibus vitæ amore tenetur (6). *O mors quam amara eſt memoria tua bomini pacem babenti in ſubſtantiis ſuis, viro quieto, & cujus viæ directæ ſunt in omnibus* (7). Hebræus (8): *Vere receſſit amaritudo mortis*; quaſi Agag inepte jactabundus teſtaretur, mortem ſibi eſſe nec terribilem oec amaram: ſeu potius, blandiens ſibi, fore ut a Samuele ſibi vita permitteretur, ulterius non timere ſe mortem dixit. Sunt qui reddant: *Amaritudo mortis tota in caput meum effuſa eſt*. Septuaginta (9): *Si ſic amara mors*. Chaldæus: *Obſecro, Domine mi, quæ eſt amaritudo mortis?*

℣. 33. In frusta concidit eum Samuel (10). Zelus quo animabatur Samuel, gladio illum armavit, quo Domini gloriam ulciſceretur, & Sauli exprobraret, qui importuna indulgentia Agago pepercerat. Creditur in eam rem agente iotus Spiritu Sancto inductus fuiſſe, imitarus Levitarum ardorem in ea, qua de cultoribus aurei vituli exegerant, ultionem (11); & quem exhibuit Phinees, cum Zambri transfodit (12). Mortem Agagi apertiſſimo oraculo ante quadringentos amplius annos prædixerat Ariolus Balaam iis ad Regem Moab verbis (13): *Tolletur propter Agag Rex ejus, & auferetur Regnum illius*.

℣. 35. Non vidit Samuel ultra Saul: nullam habuit ultra cum illo conſuetudinem, amoris & obſequii ſignificationem nullam palam Sauli exhibuit. Charitatem quidem intus & in animo, quantam erga proximum decet, ſervavit, illumque reliquo deinceps vitæ ſuæ ſpatio ploravit: ſed conſuetudinem cum illo omnem abrupit. Legimus inferius xix, 19. Saulem ad Najot Ramathæ, ubi Samuel cum cæteris Prophetis verſabatur, perrexiſſe, ibique Samuelem vidiſſe: id tamen cum iis, quæ hic legimus, non pugnat. Samuel & Saul ulterius ſe ſe ut amicos non viderunt, eamdem conſuetudinem oon habentes, qua prius ante bellum hoc Ammoniticum invicem utebantur.

[1] וגם נצח ישראל לא ישקר ולא ינחם כי לא אדם הוא להנחם [2] Καὶ σχισθήσεται Ἰσραὴλ εἰς δύο καὶ οὐκ ἐπιστρέψει, οὐδὲ μετανοήσει ὁ ἅγιος τοῦ Ἰσραήλ, ὅτι οὐχ ὡς ἄνθρωπός ἐστι τοῦ μετανοῆσαι. Alius; Καὶ σχισθήσεται, καὶ οὐκ ἐπιστρέψει, οὐδὲ μετανοήσει ὁ ἅγιος τοῦ Ἰσραήλ, *Separabitur, non revertetur, neque pænitebit Sanctum Iſrael*. [3] אגג מעדנות Aqu. Ἀγὰγ ἀπὸ τρυφερίας. Sym. Ἀγὰγ ἁβρός. [4] Ita Kimchi & Cajet. Vide Job xxxviii. 31. [5] Vide Vatab. Munſt. [6] Ariſt. Ethic. ad Nicomac. lib. 3. cap. 6. φοβερώτατον δὲ ὁ θάνατος, πέρας γάρ. [7] Eccli. xli. 1. 2. [8] אכן סר מר המות [9] Εἰ οὕτω πικρὸς ὁ θάνατος. [10] וישסף 70. Ἔσφαξε, *jugulavit*, Aqu. Sym. Διέσπασε, *Diſcerpſit*. Th. Ἐξετάνισε, *extruciavit* [11] Exod. xxxii. 27. [12] Num. xxv. 8. [13] Num. xxiv. 7. [14] 1. Reg. xix. 19.

CAPUT XVI.

Samuel mittitur a Deo in Bethlehem ut Davidem conſecret. Saul malo ſpiritu intus ciente agitatus, Davidem ad ſe vocat, ut pulſu muſici inſtrumenti ſolatium aliquod ſibi afferat.

℣. 1. Dixitque Dominus ad Samuelem: Uſquequo tu luges Saul, cum ego proje- A. M. 2914.
cerim eum, ne regnet ſuper Iſrael? Imple cornu tuum oleo, & veni, ante J. C. 1070.
ut mittam te ad Iſai Bethlehemitem: providi enim in filiis ejus mihi regem. 2. Et
ait Samuel: Quomodo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me. Et ait Dominus:
Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum Domino veni.
3. Et vocabis Iſai ad victimam, & ego oſtendam tibi, quid facias, & unges, quem-
cumque monſtravero tibi. 4. Fecit ergo Samuel, ſicut locutus eſt ei Dominus. Ve-
nitque in Bethlehem: & admirati ſunt ſeniores civitatis, occurrentes ei, dixeruntque:
Pacificuſne eſt ingreſſus tuus? 5. Et ait: Pacificus: ad immolandum Domino veni,
ſanctificamini, & venite mecum, ut immolem. Sanctificavit ergo Iſai, & filios ejus,
& vocavit eos ad ſacrificium. 6. Cumque ingreſſi eſſent, vidit Eliab, & ait: Num
coram Domino eſt Chriſtus ejus? 7. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne reſpicias
vultum ejus, neque altitudinem ſtaturæ ejus: quoniam abjeci eum, nec juxta intui-
tum hominis ego judico: homo enim videt ea, quæ parent, Dominus autem intue-
tur cor. 8. Et vocavit Iſai Abinadab, & adduxit eum coram Samuele. Qui dixit:
Nec hunc elegit Dominus. 9. Adduxit autem Iſai Samma, de quo ait: Etiam hunc

non

non elegit Dominus. 10. Adduxit itaque Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele: & ait Samuel ad Iſai: Non elegit Dominus ex iſtis. 11. Dixitque Samuel ad Iſai: Numquid jam completi ſunt filii? qui reſpondit: Adhuc reliquus eſt parvulus, & paſcit oves. Et ait Samuel ad Iſai; Mitte, & adduc eum; nec enim diſcumbemus prius, quam huc ille veniat. 12. Miſit ergo, & adduxit eum. Erat autem rufus, & pulcher aſpectu, decoraque facie. Et ait Dominus; Surge, unge eum, ipſe eſt enim. 13. Tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus; & directus eſt Spiritus Domini a die illa in David, & deinceps: Surgenſque Samuel abiit in Ramatha. 14. Spiritus autem Domini receſſit a Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam a Domino. 15. Dixeruntque ſervi Saul ad eum: Ecce ſpiritus Dei malus exagitat te. 16. Jubeat Dominus noſter, & ſervi tui, qui coram te ſunt, quærent hominem ſcientem pſallere cithara, ut quando arripuerit te ſpiritus Domini malus, pſallat manu ſua, & levius feras. 17. Et ait Saul ad ſervos ſuos: Providete ergo mihi aliquem bene pſallentem, & adducite eum ad me. 18. Et reſpondens unus de pueris, ait: Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum: & Dominus eſt cum eo. 19. Miſit ergo Saul nuntios ad Iſai, dicens: Mitte ad me David filium tuum, qui eſt in paſcuis. 20. Tulit itaque Iſai aſinum plenum panibus, & lagenam vini, & hœdum de capris unum, & miſit per manum David filii ſui Sauli. 21. Et venit David ad Saul, & ſtetit coram eo: at ille dilexit eum nimis, & factus eſt ejus armiger. 22. Miſitque Saul ad Iſai dicens: Stet David in conſpectu meo: invenit enim gratiam in oculis meis. 23. Igitur quandocumque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & levius habebat. Recedebat enim ab eo ſpiritus malus.

℣. 1. Usquequo tu luges Saul? Samuel, qua erat charitate erga Saulem conſtantiſſima, nunquam viri exitium deflere ceſſavit, ac veniam pro ejus crimine flagitare, donec Deo revelante palam intellexit, fruſtra rogare ſe, certoque decreto conſtitutam fuiſſe translationem Regni ad alterum; quod utique non minitando Deus ſed certiſſima ſententia judicando pronunciaverat. Qua de re ne ambigat, mittit Prophetam Deus in Bethlehem ad Saulis ſucceſſorem conſecrandum.

Imple cornu tuum. Veteribus olim plurimo uſui erant cornua, ſive ſcilicet liquoribus continendis, ſive pro poculis. Oleum ſacrum Tabernaculi in cornu ſervabatur (1): *Sumpſit Sadoc Sacerdos cornu olei de Tabernaculo, & unxit Salomonem.* Tradit Galenus (2), corneis pellucidis vaſis, duarum vel trium librarum capacibus, metiri conſueviſſe Romanos oleum, vinum, mel, acetum. Horatius diſertiſſime (3):

. . . Cornu ipſe bilibri
Caulibus inſtillat, veteris non parcus aceti.

Vaſa potatoria ſeu cornua erant e cornu, ſeu e metallo in formam cornu. De incolis Sylvæ Hercini æ hæc Julius Cæſar (4): *Hæc* (cornua Uri) *ſtudioſe conquiſita, a labris argento circumcludunt, atque in ampliſſimis epulis pro poculis utuntur.* Idem affirmat Plinius (5) de barbaris ſeptemtrionalibus: *Urorum cornibus barbari ſeptemtrionales potant, urniſque bina capitis unius cornua implent.* Hic mos diu in iis regionibus viguit; affirmat enim Bartholinus, in Dania vel ipſos ſacros Calices, uti cetera potatoria vaſa, corneos fuiſſe. Idem & de Thracibus Aſiæ atque Europæ, tum & de Paphlagonibus docet Xenophon (6). Ferunt, primum Bacchi calicem corneum fuiſſe (7). Poetæ veteres Pindarus, Æſchylus, Sophocles, Hermippus viros heroas cornibus potantes exhibent. Philippus Rex amicos ſuos convivio excipiens, bibebat in cornu. Reges Pæoniæ boves alebant, cornibus inſtructos adeo immanibus, ut ex illis unum tres vel quatuor congios æquaret. Vaſorum illorum labia argento ornabant, utebanturque illis ad potum. Scyphi veteres Athenienſium, argenteorum cornuum inſtar erant, uti plurium Scriptorum teſtimonio probat Athenæus (8). Porro cornibus hodie pariter in eamdem rem utuntur Georgiani (9), cornibus, inquam, variæ magnitudinis, plerumque tamen octo pollicum altitudine, & duorum latitudine, ubi latiſſima ſunt, nigerrimis & expolitiſſimis. Vulgaria e bove & ariete parantur. Sunt etiam quædam e Rhinocerote aliiſque belluis: ornantur auro argentoque, quin & inſertis etiam gemmis diſtinguuntur. Nihil eſt igitur, cur non ad literam accipiatur, quod hic legitur de cornu olei a Samuele delato in Bethlehem, ut Davidem conſecraret. Vide etiam 3. Reg. 1. 39. Tartari in vaccarum cornibus bibunt. Itin. Moſch. tom. 1. pag. 562.

℣. 2. Vitulum de armento tolles in manu tua. Ad literam, juxta Hebræum (10): *Vitulam boum capies in manu tua.* Victimam manu tua deduces, more hominis, qui ſacrificaturus venit. Hoſtiæ pacificæ mares vel fœmellæ dari poterant (11). Samuel vitulam deducit.

Ad immolandum Domino veni. Itineris ſui in Bethlehem rationes alias exponit, ſilet potiſſimam. Sacrificaturus Samuel contendit in Bethlehem, quamquam minime ibi erat ſive Arca, ſive Tabernaculum; quod tamen per eam ætatem permiſſum fuiſſe videtur. Cæterum Samuel Dei juſſionibus obſequens, legibus omnibus ritualibus multo ſuperior eſt. *Authoritas Prophetæ facit, ut ſacrificium, ubicumque is adeſt & imperat, rite fiat,* Sub-

[1] 3. Reg. 1. 39. [2] Galen. l. 1. de compoſit. medicament. ſecunda ſpeculatione. [3] Horat. Serm. lib. 2. Satyr. 2. [4] Jul. Cæſar. lib. 6. de bello Gallico. [5] Plin. lib. xi. cap. 37. [6] Xenophon. Anabaſ. Cyri junioris, lib. 6. & 7. [7] Nonnus Dionyſiac. 12. [8] Vide Athenæum l. xi. c. 7. pag. 476. [9] Chardin Voyage de Perſe p. 238. [10] עגלת בקר תקח בידך 70. Λάβε ἐν τῇ χειρί σου δάμαλιν βοῶν. [11] Levit. III. 1. *Quod ſi hoſtia pacificorum fuerit ejus oblatio, & de bobus voluerit offerre, marem ſive fœminam, immaculata offeret.*

Digitized by Google

Subſunt enim Prophetæ imperio Leges rituales, fatentibus Hebræis. Ita Grotius hic.

℣. 5. Vocabis Isai ad victimam. In Sacrificiis pacificis potjor victimæ pars comedebatur cum amicis; ita tamen ut carnes omnes vel eadem Sacrificii vel altera die abſumerentur. Si quid ſupererat in tertiam diem, igni tradendum erat (1).

℣. 4. Admirati sunt. Veniſſe illum mirati ſunt, adventus cauſam ignorantes. Hebræus (2): *Contremuerunt*, trementes ad illum venerunt, metuentes, ne ſiniſtri quid viro accidiſſet, quo urgente perfugium apud ſeſe quærere coactus fuiſſet; vel ne triſte aliquod nuncium allaturus veniret. Poſtquam Saul rebus præfectus eſt, parum ſe publico Samuel permittebat.

℣. 5. Sanctificamini, et venite mecum. Si quis veſtrum labem aliquam ferat, eluat ſeſe, veſtem mutet, ſeque purum ſervet, ut e Sacrificio quod ego oblaturus ſum, comedat. Addit Scriptura, Samuelem ſanctificaſſe eos, ideſt, mandaſſe ut eluerent ſeſe (3), vel aſperſionibus quibuſdam maculas præſentium quorumdam deterſiſſe. Cenſent quidam (4) Prophetam ſub veſperum perveniſſe, nec niſi altera die obtuliſſe ſacrificium; quare a nocturnis potiſsimum maculis continerent ſe, illos monuiſſe, Purum ſe quiſque veſtrum hac nocte ſervet. Vox *ſanctificare* uſurpatur ſæpe pro parare. Corporis ſanctitas & continentia (5) præparationes erant omnibus communes, ut ad res ſacras ſeſe præpararent.

℣. 6. Num coram Domino est Christus ejus? Hebræus (6): *Certe coram Domino Unctus ejus*. De merito juvenis ex optima corporis habitudine argumentum capiens Samuel, intra ſe ajebat: Hunc certe Deus ad Regnum deſtinavit. Propria ex ſententia loquebatur & cogitabat Propheta; neque enim tunc cœlitus afflabatur. Tota hæc collocutio, in hoc & ſequenti verſiculo recitata, clam acta eſt inter Iſai & Samuelem.

℣. 10. Adduxit Isai septem filios coram Samuele. Inter ſeptem hoſce David non recenſebatur. Fuerunt ergo Iſai octo liberi, ut ipſe non obſcure capite ſequenti ℣. 12. teſtatur. In cenſu tamen primi Paralipomenon 11. 13. nonniſi ſeptem, Davide etiam numerato, recitantur. Reputandum eſt igitur, vel Iſai coram Propheta aliquem e nepotibus ſtatuiſſe, vel e fratribus Davidis aliquem in cenſu Paralipomenon omitti.

℣. 11. Adhuc Relictus est parvulus, vel natu minimus. Agebat tunc David ætatis annos circiter quindecim, & inter fratres ſuos erat natu minimus.

℣. 12. Erat rufus et pulcher aspectu. Id vel de vivo, ardenti, & roſeo atque ignito oris colore, vel de coma rufa flavaque intellige. Hebræus legit (7): *Ipſe rubens, ſimul pulcher oculis*. Ferunt, Alexandrum Magnum cæſarie flava & criſpa inſtructum fuiſſe (8). Contendit Bochartus Davidem fuiſſe rufum (9). Dilectum ſuum exhiber Sponſa (10) *candidum & rubicundum*, vel *album & rubrum*, ut hic David exhibetur. Rufos homines Perſæ ferre non poſſunt. Itiner. Moſch. t. 1. p. 562.

V. 13. Unxit eum in medio fratrum ejus, coram univerſa familia cæteriſque ad eam cæremoniam & ſacrificium quod præceſſerat, invitatis. Prius tamen neceſſarias cautiones occupaſſe videtur, ne ejus rei quidquam revelaretur, exitio familiæ Iſai futurum, ſi quid de illa Saul ſubodoratus fuiſſet. Cum autem unctio illa ſolemnis eſſet, ex qua totum Davidis jus in Regnum petebatur, res utique poſcebat, ut coram multis teſtibus fieret: nec alii quidem ſeligendi erant, quam quorum maximopere intereſſet arcanum celare, tum & opportune detegere, cum de iure illi aſſerendo agendum eſſet; nemo, inquam, ſeligi in eam rem aptior poterat, quam e familia & gentilibus Davidis. Cæterum unctio, qua hic David initiatur, jus illi, non poſſeſsionem Regni Iſraelis conferebat: jus autem illud velut in ſuſpenſo uſque ad obitum Saulis futurum erat. Perinde tunc David habebatur ac filius, qui patris ſui res tamquam hæreditate ſibi debitas agnoſcit, quarum tamen neque imperio neque uſu gaudet.

Sunt qui ea verba, *Unxit eum in medio fratrum ejus*, perinde accipiant ac ſi diceret: Selegit e medio fratrum ejus, ut ſeorſum & coram uno patre ungeret; vel, ſi unxit quidem coram fratribus, celaſſe tamen illos cenſent ejus unctionis myſterium (11), conſiliumque Dei, qui Davidem in Regem elegerat. Verba hæc in aures Iſai inſuſurraſſe Samuelem, cenſet Joſephus (12). In univerſa hujus hiſtoriæ ſerie David inter cæteros fratres nulla majori dignitate diſtinguitur, nec unquam ſuſpicitur a fratribus tamquam Rex deſignatus. Quin & ajunt nonnulli, Davidem ipſum nihil de myſterio unctionis illius intellexiſſe, eumque ſuam ad Regnum deſtinationem penitus ignoraſſe.

Directus est spiritus Domini in David. Reddi poſſet Hebræus (13): *Spiritus Domini venit cum proſperitate*, ſe affluenter, *ſuper David*; vel: *Inſiluit*, cum impetu (14) ac vi in illum venit. Largitus eſt illi Deus ſpiritum fortitudinis, conſilii, ſapientiæ, prudentiæ, magnanimitatis, liberalitatis: infudit illi denique dotes omnes corporis & animi, quæ Regem decent.

℣. 14. Exagitabat eum spiritus nequam a Domino. Reddi poteſt (15): *Turbabat*, inflabat, ſuffocabat eum (16) ſpiritus nequam. Quis vero ſpiritus iſte nequam a Domino miſſus? Plerique ex Patribus (17) & Commentariorum Scriptoribus ajunt, Dæmonem Sauli reipſa inſediſſe. Joſephus (18) cenſet correptum fuiſſe violenta morbi vi a Dæmone cauſati, qui ſane morbus adeo hominem ſuffocabat, ut nullum aptius remedium ſuccurreret Medicis quam excantare miſerum, vel pulſu ſuavium inſtrumentorum mulcere. In ea perſuaſione certe fuit Joſephus, eo morbi genere laboraſſe Saulem, quod Veteres pelli cenſebant excantationibus & muſica. Affirmat Homerus (19), filios Autolyei fluentem e vulnere Ulyſſis ſanguinem inhibuiſſe carminibus. Ferunt (20), iſchiadicum

---

(1) Levit. VII. 16. 17. 18. (2) ויחרדו Septuag. Καὶ ἐξέστησαν. (3) Vatab. Vide Levit. XIII. 11. (4) Sanct. Lyran. Tir. Cornel. (5) Vide Exod. XIX. 14. 15. (6) אך נגד יהוה משיחו (7) והוא אדמוני עם יפה עינים Septuag. Καὶ αὐτὸς πυῤῥάκης μετὰ κάλλους ὀφθαλμῶν. (8) Vide Freinshem. lib. 1. Addit. ad Q. Curt. (9) Bochar. de animal. ſacr. p. 1. lib. 2. c. 34. (10) Cant. V. 10. *Dilectus meus candidus, & rubicundus*, Heb. צח ואדום (11) Vide Cajet. Menoch. Sanct. Mariyr. (12) Joſeph. lib. 6. Antiq. c. 9. Οὕτως ἐστὶ, αὐτοῦ ἡσυχῇ πρὸς αὐτὸν Σαμουῆλος, ὁ βασιλεύειν ᾑρέτισε τῷ Θεῷ. (13) ותצלח רוח יהוה אל דוד (14) Septuag. Ἐφήλατο πνεῦμα Κυρίου ἐπὶ Δαυίδ. (15) בעתתו רוח רעה מאת יהוה (16) Septuag. Ἔπνιγεν αὐτὸν πνεῦμα πονηρόν. Aqu. Ἐθάμβει. *Stupidum, hebetem faciebat*. Sym. Συνεῖχεν αὐτόν, *invadebat, obſidebat*. (17) Theodoret. qu. 35. Gregor. lib. 2. Moral. Iſidor. in libb. Reg. Rupert. lib. 2. in cap. 1. Reg. ibid. Eucherius hic, Lyr. Toſt. Dionyſ. Hugo, Menoch. Sanct. Tir. Serar. alii. (18) Joſeph. lib. 6. Antiq. cap. 9. Τὸν Σαοῦλον δὲ περιήρχετο πάθη δεινὰ, καὶ δαιμόνια, πνιγμοὺς αὐτῷ, καὶ στραγγάλας ἐπιφέροντα, ὡς τοὺς ἰατροὺς ἄλλην μὴ ἐξευρεῖν αὐτῷ θεραπείαν ἢ ἐπιτάξαι, εἴ τις ἐστὶν ἐξᾴδειν δυνάμενος, καὶ ψάλλειν ἐπὶ κινύρᾳ, &c. (19) Homerus Odyſſ. T.

Ὠτειλὴν δ' Ὀδυσῆος ἀμύμονος ἀντιθέοιο
Δῆσαν ἐπισταμένως· ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν
Ἔσχεθον.

(20) Theophr. apud Plin. l. 28. cap. 2. & Athen. lib. 14. c. 5. pag. 624. Ὅτι δὲ καὶ νόσους ἰᾶται μουσικὴ Θεόφραστος ἱστόρησεν ἐν τῷ περὶ ἐνθουσιασμοῦ, ἰσχιακοὺς φάσκων ἀνόσους διατελεῖν, εἰ καταυλήσειέ τις τοῦ τόπου τῇ φρυγιστὶ ἁρμονίᾳ.

eum morbum tibiæ ſonitu ad certum modum canentis curari. Vim levandi dolores morbi articularis, carminibus tribuit Varro. Sed hæc omnia inter magiæ effectus, ſeveriſsimis Hebræorum legibus interdictæ, recenſenda ſunt.

Judæi Doctores (1), quos duces Chriſtiani Scriptores plures (2) ſequuntur, hunc Saulis morbum melancholiæ & atro bilis inflammatæ humori tribuunt: quare atra bili & mania potius quam a Dæmone agebatur. Morbi hujus acceſſus frequentes, quæque ipſum comitabantur ſymptomata, & remedium, quo omnia compeſcebantur, argumenta ſunt opinionis hujus validiſſima. Neminem latet quid valeat mania, quoſve in exceſſus morbo illo laborantes ſæpe inducantur: cum enim originem referant ex humore atrabiliari nimis efferveſcenti, ac per ſanguinem diffuſo, tum ex vaporibus melancholicis, qui a bili ad cerebrum propelluntur, quique omne humorum æquilibrium turbant; facile intelligimus, lætitiam & muſica inſtrumenta aptiſſima eſſe, quibus pravi humores diſſipentur, ſuaque temperies ac motus æqualis naturaliſque humoribus & ſanguini reſtituatur. Tribuit non ſemel Scriptura Deo effectus, qui rei ſupernaturalis indolem quamdam præferunt, & e cauſis occultis obſcuriſque petuntur: quare agi Saulem ſpiritu Dei nequam affirmat. Incommodum illud promovebat utique naturale Principis hujus temperamentum; nunquam enim non ſe prodit inſpicioſum, diffidentem, pronum ad vindictam, ſævum, violentum; quæ ſane omnia dominantem humorem atrabiliarem, cui ſe totum permiſerit, produnt atque demonſtrant. Criminis autem conſcientia intus torquens, minæ Samuelis, abdicatio Dei, perpetuus timor, ne Regno ſpolietur, redigaturque ad privatam conditionem, vel neci tradatur ab æmulo, augent promoventque malas in morbum habitudines. De Saulis morbo agens S. Chryſoſtomus (3), maniam appellat, videturque ſolamen illi a Davide, muſicis inſtrumentis ludente, procuratum, Davidis peritiæ adſcribere.

Ajunt quidam (4), ſpiritum, quo Saul torquebatur, Angelum fuiſſe a Deo miſſum, qui Saulem ea pœna afficeret (5). Conſtat utique, Deum frequenter uti Angelis in impiorum ultionem. In Exodo XI. 4. animadvertere licuit, plurium Patrum ſententia doceri, Ægypti plagas Angelos a Deo miſſos inflixiſſe. Vox tamen hic quædam occurrit, qua ab ea opinione retrahimur; hic enim ſpiritus nunquam non appellatur רוח רעה מאת יהוה *Spiritus nequam*. Reddi quidem poſſet Textus: *Spiritus mali*, afflictionis, ſpiritus ultor; quo ſenſu nihil obſtaret, quominus explicari poſſet de Angelo, ultionis Dei in Saulem executore. Verum nihil eſt, cur a communi interpretatione recedamus.

℣. 17. PROVIDETE MIHI ALIQUEM BENE PSALLENTEM. Mira profecto ſunt, quæ de effectibus muſices a Veteribus traduntur. Equidem ſi unum hoc præſens exemplum ſuppeteret, iis fides non ſatis certa haberi potuiſſet, cum viri plures doctiſſimi (6) totum hoc ſolatium Sauli a Davide lyram pulſante procuratum, ſupernaturali cauſæ & prodigio tribuant. Sed muſicæ ſummam hanc vim ineſſe, alia e Scriptura argumenta probant. Veniens in Gabaam Saul, incidit in chorum Prophetarum, muſicis inſtrumentis ludentium; ſtatimque novo & inſueto afflatus œſtro (7), motus, enthuſiaſmum Prophetarum ita imitatus eſt, ut admirationis totius Urbis argumentum fuerit. Rogatus ab Joſaphato Eliſæus, ut futurum exitum expeditionis Moabiticæ revelaret, præcepit (8): *Adducite mihi pſalten. Cumque caneret pſaltes, facta eſt ſuper eum manus Domini*. Ex his utique non recte colligas, donum prophetiæ naturalem muſicæ effectum eſſe; ſed muſica illa harmonia parabantur organa, humores, ſanguis, ac denique totus Prophetæ animus, ut ſupernaturali impreſſioni excipiendæ par eſſet. Si enim naturali cauſa id ab inſtrumentis canentibus inductum fuit, cur non præſentes omnes ſimili prophetiæ œſtro afflati ſunt?

Lacedæmones (9), bellicam virtutem excitaturi, muſicis inſtrumentis canentibus in prælium proficiſcebantur. Pythagorici cum violento animi æſtu vel ſe vel alios agi intelligerent, tibiæ vel citharæ ſonitu intimum diſſidium compeſcebant. *Pythagoram*, ait Quintilianus, *accepimus, concitatos ad vim pudicæ domui afferendam juvenes, juſſa mutare in ſpondæum modos tibicina, compoſuiſſe*. Timotheus celebris cytharedus, tanta arte & facilitate animum ciebat, ut quondam canente illo coram Alexandro Magno, ille ſtatim ad arma procurreret. Terpander (10) lyram pulſans, ſeditionem Lacedæmonum compeſcuit. Empedocles Pythagoræ diſcipulus adoleſcenti occurrens, qui ſtricto jam gladio alteri necem jamjam inferebat, opportune adeo ac prompte furorem ejus mitigavit, ut ne injuriam urgeret, impedierit. Fertur, Xenocrates actos in furorem homines ſanitati hac eadem arte reſtituiſſe. Agnoſcit Theophraſtus (11), muſicos modos præſentiſſimum eſſe pharmacum pluribus corporis atque animi morbis, uti deliquiis, terroribus, deſtitutioni ſpiritus; muſicæ denique tribuitur virtus in epilepſiam & morbum iſchiadicum. Agit etiam alicubi Galenus de muſica vel excantationibus, quorum uſus eſt ad vulnera obducenda (12): affirmatque Apollonius, ſua adhuc ætate apud Thebanos id remedii genus obtinuiſſe.

Henricus Stephanus (13) in Anglia verſans tentare voluit cum amicis quibuſdam, utrum verum eſſet, quod de leone narratur, illum ſcilicet muſicis numeris tangi. Accivit igitur juvenem muſico inſtrumento ludentem: utque ille cœpit, ſtatim leo, in cavea clauſus, & omnium confeſſione efferatiſſimus, carnem, quam vorabat, deſeruit, arrectiſque auribus captabat concentum: denique ſeſe movebat agitabatque in omnem partem, quaſi choreas duceret. Ceſſante muſico, ſtatim bellua ad carnem, eamdemque rurſus abjiciebat, cum alter inſtrumentum pulſaret. Idem experimentum poſt aliquos dies innovavit Stephanus, pari eventu, ſed minori admiratione, cum leo, uti prius, vorandis carnibus non occuparetur. Conſule Bochartum (14) & Commentarium Clerici in hunc locum.

Poſt hæc omnia, an incredibile videatur quod de Saule dicitur, quem lyræ concentus mitigaret? Sive enim morbum induceret intus agens Dæmon, ſive teter melancholiæ humor, recreari utique poterat muſica muſiciſque inſtrumentis. Muſici enim modi animum demulcent, leniter cient humores, animi æſtus compeſcunt: quare & melancholiam diſſipant, ac tetros triſteſque humores, e quibus vapo-

(1) Apud Geneb. Chronic. an. 3066. (2) Cajet. Cornel. Sanct. &c. (3) Chryſoſt. homil. 1. de Davide & Saule pag. 1014. Ἀπελαύνει Δαυὶδ ἐπιχειρεῖ. Καὶ τί ποιεῖ; ψάλλοντα καὶ κατακηλοῦντα αὐτοῦ τὴν μανίαν. (4) Quidam apud Sanct. & Cornel. a Lap. (5) Hieronym. in Pſalm. LXXV. 12. *Suffocabat eum ſpiritus Dei malus: ergo malum habet ſpiritum Deus? Nequaquam. Sed ideo receſſerat Spiritus Dei, ut poſtea ſuffocaret eum ſpiritus malus.* (6) Vide Theodoret. qu. 39. Lyran. Serar. Vide & Bochart. de anim. ſacr. par. 1. l. 2. cap. 44. (7) 1. Reg. X. 10. (8) 4. Reg. III. 15. (9) Vide Hermogen. Περὶ ἰδεῶν. Apud Caſaub. in Athen. l. 14. c. 5. (10) Plut. lib. de Muſica. (11) Theophr. apud Apollon. in Hiſt. de Mirabilib. cap. 48. Τὴν μουσικὴν πολλὰ τῶν περὶ ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα γιγνομένων παθῶν ἰατρεύειν. Οἷον λειποθυμίας, φόβους καὶ τὰς ἐπὶ μακρὸν γιγνομένας τῆς διανοίας ἐκστάσεις. Ἰᾶται γὰρ, φησὶν, ἡ καταύλησις καὶ ἰσχιάδα, καὶ ἐπιληψίαν. (12) Κατεπᾴδειν τὰ τραύματα. (13) Vide Præfat. in Poetar. Princip. apud Theodor. Janſon. ab Almeloveen. de Vitis Stephanorum pag. 65. (14) Boch. de animal. ſacr. part. 1. l. 2. c. 44.

vapores protruduntur ad cerebrum, & cordi tædium atque dolor affertur. Inſtrumentorum quidem concentus nihil per ſe poteſt in Dæmones, ſed in illos agit oblique, malas corporis & humorum habitudines, quibus ille abutitur, corrigens. Itaque nulla nos neceſſitas cogit miraculo ea tribuere, quæ Sauli acciderunt. Illud tantummodo animadvertendum eſt, vel Veteres magis quam nos muſica delectatos, ſive illorum muſicam magis quam noſtram, animos menteſque tetigiſſe: ægre enim hodie ſimilia muſicæ exempla proferri poſſent. Fortaſſe tamen nos hodie majori ſtudio in animi noſtri motus vigilamus, noſque minus dolore & gaudio rapi ſinimus, quam Veteres paterentur: quam maturrime aſſueſcimus externos corporis geſtus, animi indices, occultare & moderari.

℣. 18. Vidi filium Isai scientem psallere. Docent Judæi (1), Doegum Idumæum, de quo inferius, indicaſſo Sauli, ut ad ſe Davidem acciret, malo illum perdendi conſilio, privataſque in illum inimicitias ulciſcendi. Id vero nonniſi ex incertis traditionibus petitur. Difficultatis nonnihil ineſt quærendo, utrum David ante an poſt relatam de Goliath victoriam ad Regem accitus venerit. Hiſtoriam hanc recitans hoc loco Scriptura, Interpretibus pluribus (2) perſuaſit, ante victoriam de Goliath, de qua nihil huc uſque, eſſe conſtituendam. Neque enim ab ordine Textus, niſi cogente neceſſitate, recedendum eſt; & Scriptura ſequenti capite ℣. 15. affirmat: *Abiit David & reverſus eſt a Saul, ut paſceret greges patris ſui*. Agnoſcendum eſt igitur, bellum Philiſtæorum, & victoriam Davidis de Goliath, electionem ejus in armigerum Regis conſecutam fuiſſe.

Sed adverſus eam ſententiam argumenta quædam non ſpernenda opponuntur: I. cum David ad Saulem venit, certamen cum Philiſtæo initurus, Saul illum veluti ignotum habuit, & cujus filius eſſet, interrogavit (3). Quomodo Saul ignorare potuit nomen, patriam & notum ſibi vultum, ſi coram ſe ludentem ſæpius cithara viderat, atque armigerum ſuum renunciarat. II. Unde petitur elogium, quo Saulis familiares hic Davidem proſequuntur, *Virum eſſe fortiſſimum robore, bellicoſum, prudentem in verbis, pulchrum, & Dominum eſſe cum eo*, ſi nunquam e Bethlehem egreſſus fuerat, & nulla virtutis bellicæ ſpecimina coram domeſticis Regis exhibuerat (4)?

Verum hiſce reponimus, Davidem ea tunc ætate fuiſſe, qua vultus lineamenta formantur, altiuſque imprimuntur: genæ lanugine veſtiuntur: quare nec novum eſt, nec extraordinarium, ſi tot curis Saul occupatus, juvenem primo aſpectu minime novit. Unius anni abſentia ſufficit, ut oris aſpectus immutetur, atque alia prorſus imago atque habitudo corporis adoleſcentis oriatur. Adde, Davidem antea Sauli ſeſe obtuliſſe indutum veſte, qualis muſicum decebat: hic autem paſtoritio amictu velatur. Denique Saul magnis gravibuſque diſtractus, infirmatus etiam frequenti acceſſu maniæ, qua identidem afficiebatur, Davidem vultu agnoſcere facile non potuit. Ad alterum argumentum quod attinet, non ægre in mentem inducimus, Davidem viginti annorum ætate ſatis in regione, & inter paſtores, qua ſtrenuitate ſua, qua ſapientia claruiſſe, præſertim poſt regiam unctionem, qua per Samuelem initiatus fuit, Divinique Spiritus infuſionem, qui cum e Saule in ipſum tranſmigraſſet, una ſecum attulit gratiarum ubertatem, & naturales acquiſitaſque dotes amplificavit.

℣. 20. Tulit Isai asinum plenum panibus. Hebræus ad literam חמור לחם *Aſinum panis*; uti uſurpare ſolemus ſaccum panis, phialam vini. Perſimili loquendi phraſi uſus eſt Soſibius Poeta (5): *Comedit tres aſinos panis*. Septuaginta (6): *Sumſit Iſai aſinum, & impoſuit ei gomor panis*. Scitum eſt, gomor menſuram trium circiter pintarum retuliſſe. Sed multo verius reputaverim, eos Interpretes legiſſe in Hebræo *Chomer*, quod menſuræ nomen eſt, pro *Chamor*, quod aſinum ſonat. *Chomer* æquat 298. pintas, hemi-pintam, atque hemi-ſextarium; quod longe aliud eſt ac gomor Septuaginta. Hic pariter ſeſe offert ſpectanda indoles Veterum, & uſus nunquam Reges ſine munere adeondi. Sed tale munus, quale hic David offert, profecto a nullo noſtræ ætatis Principe libenter exciperetur.

Lagenam vini. Hebræus (7): *Utrem vini*; ſaccum e pelle hircina conſutum, paratumque vino continendo, quem in uſum Orientales familiariſſime adhibent. Apud Hiſpanos vinum in utribus hodie pariter vehitur.

℣. 21. Factus est ejus armiger. Arma Regis ferebat. Munus id erat inter ampliſſima. Cyrus antequam ad Imperium aſcenderet, armigerum apud Aſtyagem avum ſuum agebat (8).

℣. 22. Misit Saul ad Isai. Verti poſſet: *Miſit ad quærendum David*, ut innuatur, initio, & ante nuptias Micholis, Davidem non ſemper apud Regem vixiſſe, ſed eo accitum fuiſſe cum identidem Rex morbo opprimeretur.

(1) Hebræi apud Sanct. hic. (2) Vide Grot. Vatab. Tir. Cornel. Sanct. (3) Cap. XVII. 55. *Ait ad Abner: De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens? Dixitque Abner: Vivit anima tua, Rex, ſi novi.* (4) Vide Jun. Piſc. Malv. hic, & in cap. XVII. 2. (5) Soſib. apud Caſaub. in Notis Character. Theophraſt. Ἔφαγεν μετ᾽ ἄρτον τρεῖς ὄνους κανθηλίους. (6) Ἔλαβεν Ἰεσσαὶ ὄνον, καὶ ἐπέθηκεν αὐτῷ γόμορ ἄρτων. (7) נאד יין Septuag. Ἀσκὸν οἴνου. (8) Athen. lib. 14. Dipnoſ. ex Dinone.

CAPUT XVII.

Bellum Philiſtæos inter, & Iſraelitas. Goliath agmini Iſraelitarum inſultat; David mittitur in caſtra: ictu fundæ Gigantem dejicit.

℣. 1. Congregantes autem Philiſthiim agmina ſua in prælium, convenerunt in Socho Judæ: & caſtrametati ſunt inter Socho, & Azeca, in finibus Dommim.
2. Porro Saul, & filii Iſrael congregati venerunt in Vallem terebinthi, & direxerunt aciem ad pugnandum contra Philiſthiim.
3. Et Philiſthiim ſtabant ſuper montem ex parte hac, & Iſrael ſtabat ſuper montem ex altera parte: valliſque erat inter eos.
4. Et egreſſus eſt vir ſpurius de caſtris Philiſthinorum, nomine Goliath, de Geth, altitudinis ſex cubitorum, & palmi:
5. Et caſſis ærea ſuper caput ejus, & lori-

lorica ſquammata induebatur. Porro pondus loricæ ejus, quinque millia ſiclorum æris erat: *6.* Et ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros ejus. *7.* Haſtile autem haſtæ ejus erat quaſi liciatorium texentium. Ipſum autem ferrum haſtæ ejus ſexcentos ſiclos habebat ferri: & armiger ejus antecedebat eum. 8. Stanſque clamabat adverſum phalangas Iſrael, & dicebat eis: Quare veniſtis parati ad prælium? Numquid ego non ſum Philiſthæus, & vos ſervi Saul? Eligite ex vobis virum, & deſcendat ad ſingulare certamen. *9.* Si quiverit pugnare mecum, & percuſſerit me, erimus vobis ſervi: ſi autem ego prævaluero, & percuſſero eum, vos ſervi eritis, & ſervietis nobis. 10. Et ajebat Philiſthæus: Ego exprobravi agminibus Iſrael hodie: Date mihi virum, & ineat mecum ſingulare certamen. 11. Audiens autem Saul, & omnes Iſraelitæ, ſermones Philiſtæi hujuſcemodi, ſtupebant, & metuebant nimis. 12. David autem erat filius viri Ephratæi, de quo ſupra dictum eſt, de Bethlehem Juda: cui nomen erat Iſai, qui habebat octo filios, & erat vir in diebus Saul ſenex, & grandævus inter viros. 13. Abierunt autem tres filii ejus majores poſt Saul in prælium; & nomina trium filiorum ejus, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, & ſecundus Abinadab, tertiuſque Samma. 14. David autem erat minimus. Tribus ergo majoribus ſecutis Saulem, 15. Abiit David, & reverſus eſt a Saul, ut paſceret gregem patris ſui in Bethlehem. 16. Procedebat vero Philiſthæus mane, & veſpere, & ſtabat quadraginta diebus. 17. Dixit autem Iſai ad David filium ſuum: Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes iſtos, & curre in caſtra ad fratres tuos, 18. Et decem formellas caſei has deferes ad tribunum: & fratres tuos viſitabis, ſi recte agant, & cum quibus ordinati ſunt, diſce. 19. Saul autem, & illi, & omnes filii Iſrael in Valle terebinthi pugnabant adverſum Philiſthiim. 20. Surrexit itaque David mane, & commendavit gregem cuſtodi: & onuſtus abiit, ſicut præceperat ei Iſai. Et venit ad locum Magala, & ad exercitum, qui egreſſus ad pugnam vociferatus erat in certamine. 21. Direxerat enim aciem Iſrael, ſed & Philiſthiim ex adverſo fuerant præparati. 22. Derelinquens ergo David vaſa, quæ attulerat, ſub manu cuſtodis ad ſarcinas, cucurrit ad locum certaminis, & interrogabat, ſi omnia recte agerentur erga fratres ſuos. 23. Cumque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille ſpurius aſcendens, Goliath nomine, Philiſthæus, de Geth, de caſtris Philiſthinorum; & loquente eo hæc eadem verba audivit David. 24. Omnes autem Iſraelitæ, cum vidiſſent virum, fugerunt a facie ejus, timentes eum valde. 25. Et dixit unus quiſpiam de Iſrael: Num vidiſtis virum hunc, qui aſcendit? ad exprobrandum enim Iſraeli aſcendit. Virum ergo, qui percuſſerit eum, ditabit rex divitiis magnis, & filiam ſuam dabit ei: & domum patris ejus faciet abſque tributo in Iſrael. 26. Et ait David ad viros, qui ſtabant ſecum, dicens: Quid dabitur viro, qui percuſſerit Philiſthæum hunc, & tulerit opprobrium de Iſrael? quis enim eſt hic Philiſthæus incircumciſus, qui exprobravit acies Dei viventis? 27. Referebat autem ei populus eundem ſermonem, dicens: Hæc dabuntur viro, qui percuſſerit eum. 28. Quod cum audiſſet Eliab frater ejus major, loquente eo cum aliis, iratus eſt contra David, & ait: Quare veniſti, & quare dereliquiſti pauculas oves illas in deſerto? ego novi ſuperbiam tuam, & nequitiam cordis tui: quia, ut videres prælium, deſcendiſti. 29. Et dixit David: Quid feci? numquid non verbum eſt? 30. Et declinavit paululum ab eo ad alium, dixitque eundem ſermonem. Et reſpondit ei populus verbum ſicut prius. 31. Audita ſunt autem verba, quæ locutus eſt David, & annuntiata in conſpectu Saul. 32. Ad quem cum fuiſſet adductus, locutus eſt ei: non concidat cor cujuſquam in eo: ego ſervus tuus vadam, & pugnabo adverſus Philiſthæum. 33. Et ait Saul ad David: Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, nec pugnare adverſus eum: quia puer es, hic autem vir bellator eſt ab adoleſcentia ſua. 34. Dixitque David ad Saul: Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis: 35. Et perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi conſurgebant adverſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos. 36. Nam & leonem, & urſum interfeci ego ſervus tuus: erit igitur & Philiſthæus hic incircumciſus, quaſi unus ex eis. Nunc vadam, & auferam opprobrium populi: quoniam quis eſt iſte Philiſthæus incircumciſus, qui auſus eſt maledicere exercitui Dei viventis? 37. Et ait David: Dominus, qui eripuit me de manu leonis, & de manu urſi, ipſe me liberabit de manu Philiſthæi hujus. Dixit au-

tem

Digitized by Google

tem Saul ad David: Vade, & Dominus tecum ſit. 38. Et induit Saul David veſti-
mentis ſuis, & impoſuit galeam æream ſuper caput ejus, & veſtivit eum lorica. 39.
Accinctus ergo David gladio ejus ſuper veſtem ſuam, cœpit tentare ſi armatus poſſet
incedere: non enim habebat conſuetudinem. Dixitque David ad Saul: Non poſſum ſic
incedere, quia uſum non habeo. Et depoſuit ea, 40. Et tulit baculum ſuum, quem
ſemper habebat in manibus: & elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente,
& miſit eos in peram paſtoralem, quam habebat ſecum, & fundam manu tulit; &
proceſſit adverſum Philiſthæum. 41. Ibat autem Philiſthæus incedens, & appropin-
quans adverſum David, & armiger ejus ante eum. 42. Cumque inſpexiſſet Philiſthæus,
& vidiſſet David, deſpexit eum. Erat enim adoleſcens, rufus, & pulcher aſpectu.
43. Et dixit Philiſthæus ad David: Numquid ego canis ſum, quod tu venis ad me
cum baculo? Et maledixit Philiſthæus David in diis ſuis. 44. Dixitque ad David:
Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cœli, & beſtiis terræ. 45. Dixit au-
tem David ad Philiſthæum: Tu venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo: ego
autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſrael, quibus ex-
probraſti 46. Hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auſe-
ram caput tuum a te: & dabo cadavera caſtrorum Philiſthiim hodie volatilibus cœli,
& beſtiis terræ: ut ſciat omnis terra, quia eſt Deus in Iſrael, 47. Et noverit uni-
verſa eccleſia hæc, quia non in gladio, nec in haſta ſalvat Dominus. Ipſius enim
eſt bellum, & tradet vos in manus noſtras. 48. Cum ergo ſurrexiſſet Philiſthæus, &
veniret, & appropinquaret contra David, feſtinavit David, & cucurrit ad pugnam ex
adverſo Philiſthæi. 49. Et miſit manum ſuam in peram, tulitque unum lapidem, &
funda jecit, & circumducens percuſſit Philiſthæum in fronte; & infixus eſt lapis in fron-
te ejus, & cecidit in faciem ſuam ſuper terram. 50. Prævaluitque David adverſum
Philiſthæum in funda, & lapide, percuſſumque Philiſthæum interfecit. Cumque gla-
dium non haberet in manu David, 51. Cucurrit, & ſtetit ſuper Philiſthæum, & tu-
lit gladium ejus, & eduxit eum de vagina ſua; & interfecit eum, præciditque caput
ejus. Videntes autem Philiſthiim, quod mortuus eſſet fortiſſimus eorum, fugerunt.
52. Et conſurgentes viri Iſrael, & Juda vociferati ſunt, & perſecuti ſunt Philiſthæos
uſque dum venirent in vallem, & uſque ad portas Accaron, cecideruntque vulnerati
de Philiſthiim in via Saraim, & uſque ad Geth, & uſque ad Accaron. 53. Et re-
vertentes filii Iſrael poſtquam perſecuti fuerant Philiſthæos, invaſerunt caſtra eorum.
54. Aſſumens autem David caput Philiſthæi, attulit illud in Jeruſalem: arma vero
ejus poſuit in tabernaculo ſuo. 55. Eo autem tempore, quo viderat Saul David
egredientem contra Philiſthæum, ait ad Abner principem militiæ: De qua ſtirpe de-
ſcendit hic adoleſcens, Abner? Dixitque Abner: Vivit anima tua, rex, ſi novi. 56.
Et ait rex. Interroga tu, cujus filius ſit iſte puer. 57. Cumque regreſſus eſſet Da-
vid, percuſſo Philiſthæo, tulit eum Abner, & introduxit coram Saule, caput Phili-
ſthæi habentem in manu. 58. Et ait ad eum Saul: De qua progenie es, o adole-
ſcens? Dixitque David: filius ſervi tui Iſai Bethlehemitæ ego ſum.

℣. 1. Congregantes Philisthiim agmina sua. Bellum hoc cœpit octo circiter annis poſt Davidis unctionem, & duodecim poſt expeditionem Amaleciticam. Admonuit ſuperius Scriptura (1) toto regni Saulis tempore, Philiſtæos arma in Iſraelitas exercuiſſe; quare novam hujus belli cauſam hic fruſtra quæras.

Inter Socho et Azeca, in finibus Dommim. *Socho & Azeca* jacebant ad meridiem Jeroſolymæ, & ad occidentem Bethlehem, aberantque a Bethlehem quatuor circiter leucis, & quinque ab Jeroſolymis. Certus ſitus *Dommim* ignoratur: pertinebat certe ad Tribum Juda, ſatiſque prope Socho, & Azecam jacebat. Occurrit in eadem Tribu *Dimona* (2), quæ ad *Dommim* nominis affinitate accedit. Septuaginta legunt hic *Aphes-Dommim*, & Textus Hebræus ac Vulgata in I. Paralipom. xi. 13. legunt *Pheſdommim*: unde argumentum capere licet, *Aphes-dommim*, vel *Pheſdommim* genuinum eſſe hujus loci nomen. His tamen argumentis melius de certo ejus ſitu non inſtruimur.

℣. 2. In vallem Terebinthi. Vallem hanc conſtituunt Recentiora Itineraria (3) unica leuca, vel iii. m. paſſibus ab Jeroſolymis, Emmaus verſus. Sed eorum teſtimonio parum in re præſenti credendum eſt. Jacuiſſe vallem opus eſt inter Socho, & Azecam, ad meridiem, & ſatis remotam ab Jeroſolymis. Reddi poſſet Hebræus (4), *vallem Quercus* (5). Symmachus, *valle Ela*.

℣. 3. Philisthiim stabant super montem ex parte hac, et Israel stabat supra montem ex altera parte. Media igitur inter utrumque montem excurrebat vallis Terebinthi, & torrens, ex quo David quinque illos lapides elegit. In hanc vallem deſcendit uterque exercitus, ut ſe ad prælium pararet (6), obtulitque ſeſe Goliath, ut ho-

(1) 1. Reg. xiv. 52. *Erat bellum potens adverſus Philiſtæos omnibus diebus Saul.* (2) Joſue xv. 22. (3) Doubdan chap. 7. (4) עמק האלה Aq. Th. Ἐν τῇ κοιλάδι τῆς δρυός, In valle quercus. (5) Ita Aquil. & Theodot. apud Euſeb. in locis. (6) ℣. 19.

ſtium aliquem ad ſingulare certamen invitaret. Eidem loco nomen *Magala* dare videtur S. Hieronymus in ℣. 20. quod ibi in examen revocabimus.

℣. 4. Egressus est vir spurius de castris Philisthinorum: Hanc interpretationem docti quidam defendunt; ſed alii impugnant, atque in diverſas ſententias abeunt. Hebræus ad literam (1): *Egreſſus eſt de caſtris Philiſtæorum vir duarum filiorum*, vel *unus ex filiis*, homo originis obſcuræ, & incertæ (2); aliter: *Vir e duobus*, natus e duplici, vel ex incognito patre (3). Patris Goliath nunquam meminit Scriptura, ſed tantum matris: *De genere Arapha*; præſtat tamen aliter, quam de patre & matre accipiamus; illud enim, *De genere Arapha*, ſignificat ſolum (4), Goliath cæteroſque gigantes, qui ſub Davide inter Philiſtæos paruerunt, genus retuliſſe e vetuſtis Raphaim, celeberrimis ejus Regionis gigantibus. Cenſet Sanctius, nomen illud *Spurius* idem deſignare ac *gigas*, quod Gigantes appellentur *filii terræ*, quemadmodum de ſpuriis uſurpatum eſt (5):

...... *Præſto es mihi manius hæres,*
Progenies terræ.

Argumentum utique non magnopere convincit. Caſtalio: *Vir filiorum*, vir magnus, eximius, qui pro multis valet, vir inter Philiſtæos diſtinctus. Junius, aliique nonnulli: *Vir vocans in certamen*, vel qui ad certamen provocat. Hebræi, atque Interpretum plerique (6), *Vir medius*, qui ſcilicet medium ſe inter utramque aciem conſtituit, cui a ſuis imperatur, ut bellum cum altero abſolvat, commiſſo ſingulari inter duos certamine. Ita olim Gallus ille proceſſit obviam Romanis, ad certamen hoſtes provocans; ſed audacem ſtravit Manlius Torquatus. Chaldæus (7): *Exiit vir de inter illos ex caſtris Philiſtæorum, Goliath nomen ejus*, Septuaginta (8): *Exiit vir potens ex mediis ordinibus Philiſtæorum; Goliath nomen ei.*

Altitudinis sex cubitorum, et palmi. Palmus [Hebraice Gazeth] eſt media pars cubiti, ſive tres palmi noſtrates, quare Goliath pedibus undecim uno pollice, & quarta ejus parte aſſurgebat. Qui nullos fuiſſe uſquam Gigantes ajunt, nihil utique habebunt, ut arbitror, quod aperto huic Scripturæ teſtimonio opponant. Vide quæ de Gigantibus diſſeruimus in Geneſim vi. 4. Septuaginta hic non legunt niſi quinque, vel etiam quatuor cubitos (9).

℣. 5. Cassis ærea super caput ejus. Veterem uſum armorum æreorum demonſtravimus in Diſſertatione de Re militari veterum Hebræorum, ante Librum Eſther.

Lorica squamata induebatur. Latini quidam codices vertunt cum Septuaginta (10): *Loricam hamatam*. Sed Hebræa vox (11) ſonat ſquamas piſcis. Loricæ hujus pondus erat *quinque millium ſiclorum*, id eſt, librarum centum quinquaginta cum quadrante, hemiuncia in ſiclo, & unciis ſexdecimum in libram aſſignatis. Tantum utique pondus incredibile videretur, niſi Goliath paribus corporis viribus valuiſſet. Loricas quadraginta librarum veluti inſolitas raraſque Plutarchus deſcribit in vita Demetrii: Θώρακας δύο σιδηρᾶς ἑκατέρου ταλαντιαίους. Singulos tamen viginti libris majores non fuiſſe, putat Lipſius.

℣. 6. Ocreas æreas habebat in cruribus. Reddi poſſet Hebræus (12): *Frontale æneum ſuper pedes*. Non hic agitur de ocreis anterius e lorica pendentibus ad femora, ſed de ærea quadam lamina partem anteriorem crurium tegente, & a genibus ad pedes uſque porrecta. Juſtus Lipſius (13) exhibuit, deductos e vetuſtis monumentis, Romanos milites, hoc armorum genere protectos; obſervat autem, uno tantum crure ocreatos fuiſſe. Vegetius (14): *Pedites ſcutati etiam ferreas ocreas in dextris cruribus cogebantur accipere*. De Samnitibus ſcribit Livius, ocreas geſſiſſe in ſiniſtro crure; quod & de Sabinis affirmat Silius.

Vertice & implumes, & lævi tegmine cruris
Ibant.

Hæc autem omnia longe alia erant ab ocreis e metallo, Græcorum Trojam obſidentium (15), quorum pariter exempla occurrunt plura in tota antiquitate; longe etiam ſunt alia ab illis, quæ Galli noſtrates appellant *greves*.

Clypeus æreus tegebat humeros ejus. Clypeos ſuos ita geſtaſſe Veteres, in Diſſertatione de Re militari veterum Hebræorum a nobis demonſtratum eſt. Docent Rabbini (16), vocem originalem (17) deſignare quoddam armorum genus, quo humeri protegebantur. Sed quæ cautionis hujus neceſſitas ei eſſe poterat, qui ænea lorica induebatur? Bochartus explicat de ſpiculo, vel jaculo minus longo, quam haſta ejus, vel lancea. Caſtalio reddit lanceam; alii clavam, vel gladium. Verum nihil eſt, quo cogamur deſerere Septuaginta, & Vulgatam, exponentes de clypeo. Vide quæ diſſeruimus in Joſue viii. 18.

℣. 7. Hastile hastæ ejus erat quasi liciatorium texentium, cui circumvolvitur ſtamen in uſum texendi. Hebræus (18): *Haſtile lanceæ ejus tamquam jugum texentium*. Vel: *Sagitta lanceæ ejus, tamquam liciatorium texentium*. Explicant alii de jugo, circa quod tela volvitur; alii vero de jugo, circa quod torquetur ſtamen (19). Porro lignum, vel haſta lanceæ craſſitiem trabis illius æquabat; longitudinem vero plurimum ſuperabat. Aquila & Theodotion: Ὡς ἱστὸς, *tamquam malum navis*. Symmachus: Ὡς ἱστίον, *tanquam velum navis*. Porro de craſſitie, & longitudine hujus haſtæ argumentum capi non poteſt ex inſtrumentis textrinæ hujus ætatis: aliud erat veterum textorum artificium.

Ferrum hastæ ejus sexcentos siclos habebat ferri. Ideſt, fere libras viginti. Hebræus (20): *Flamma* [cuſpis] *lanceæ ejus erat ſexcentorum ſiclorum*. Scriptor quidam (21) accurate ſcrutatus pondus armorum Goliath, dato ſingulis partibus illa componentibus æquo pondere, colligit, æquaſſe ducentas ſeptuaginta duas libras, & uncias tredecim. Porro in ferrum lanceæ impendit libras xviii. cum tribus quadrantibus; haſtili, cujus longitudo minor quam pedum xxvi. eſſe non poterat, tribuit tantundem ſaltem ponderis, quod ferro, quo armabatur: caſſidi libras quindecim, clypeo triginta, enſi quatuor & dimidiam; loricæ centum & quinquaginta ſex cum quadrante. Adde ocreas æneas, quæ immania crura tuebantur, & clypeum, vel lanceam, quam ferebat armiger, & quæſitum pondus habes. Docet Plutarchus (22), conſuetum pondus armorum unius militis

fuiſſe

(1) ויצא איש הבנים ממחנות פלשתים (2) Ita Grot. (3) Cornel. a Lap. (4) 2. Reg. xxi. 16. (5) Perſ. Satyr. 6. (6) Kimchi in Munſt. Vat. Glaſſ. Cleric. (7) נפק גברא ביניהון (8) Καὶ ἐξῆλθεν ἀνὴρ δυνατὸς ἐκ τῆς παρατάξεως τῶν ἀλλοφύλων. (9) Septuag. Rom. quatuor, criſtia. quinque. (10) Θώρακα ἁλυσιδωτὸν αὐτὸς ἐνδεδυκώς. (11) שריון קשקשים (12) ומצחת נחשת על רגליו (13) Vide Analect. ad Milit. Rom. lib. 3. cap. 1. (14) Lib. 1. cap. 15. apud Lipſ. lib. 3. Dialog. 7. de Milit. Rom. (15) Homer. Χαλκοκνήμιδες Ἀχαιοί, paſſim. (16) Rabb. Salom. Kim. & Levi, apud Boch. de animal. ſacr. part. 1. lib. 2. c. 28. (17) וכידון נחשת בין כתפיו (18) ועץ חניתו כמנור ארגים Septuag. Ὁ κοντὸς τοῦ δόρατος αὐτοῦ ὡσεὶ μεσάντιον, Alias, μέσαυλον, ſeu μεσαυλον, ſeu μέσακλις ὑφαινόντων. Quædam exemplaria ferunt עץ, haſtam lanceæ, quam lectionem vulgo ſequuntur. (19) Vide Braun. lib. 1. cap. 16. art. 8. de Veſtitu Sacerd. Hebr. (20) ולהב חניתו שש מאות שקלים (21) Hoſtius in Hiſtor. Monomach. c. 5. (22) Plutarch. in Demetrio, Ἄλκιμος ὁ Ἠπειρώτης, ἀνὴρ ῥωμαλεώτατος, ὃς μόνος ἐχρῆτο διταλάντῳ πανοπλίᾳ, τῶν ἄλλων χρωμένων ταλαντιαίᾳ.

fuiſſe unius talenti, vel librarum ſexaginta; & prodigio ſimilem fuiſſe Alcinum quemdam in exercitu Demetrii, qui duplo majus armorum pondus, nempe centum & viginti librarum, ſeu duplicis talenti, ſuſtinebat.

Et armiger ejus antecedebat eum. Hebræus (1): *Et ſcutum ferens vadens ad faciem ejus*. Clypeum tegentem humeros Goliath, jam vidimus: alter autem, de quo hic, alio nomine appellatur: deſignari autem credimus unum e magnis vaſtiſque illis clypeis, quibus ſeſe milites aliquo in loco conſiſtentes prælianteſque, totos protegebant. Simile clypei genus innuitur illis Scripturæ verbis (2): *Domine, ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos* (cinxiſti nos). Apud Homerum Ajax exhibetur (3) *ferens ſcutum inſtar turris, æreum, ſeptuplici bubulo corio protectum*. Non diſſimilem clypeum geſtaſſe credimus armigerum Goliath. Gigas iſte alterum minorem æneum humeris ferebat. Niſi malueris, Scripturam appellare *ferentem ſcutum* eum ſervum, qui gigantem præcedebat, non quod tunc clypeum ferret, ſed quod ferendi ſive clypeum ſive alia heri arma illi munus incumberet. Profecto vix in animum inducimus, Goliath duplici clypeo in certamine inſtructum fuiſſe. Verum in Pſalmo xxxiv. 2. David rogat Dominum, ut ſumat ſcutum & clypeum החזק מגן וצנה.

℣. 8. Eligite ex vobis virum, et deſcendat mecum ad ſingulare certamen. Certaminum ſingularium hoc genus Priſcis familiariſſimum erat. Apud Homerum Paris & Menelaus (4), deinde Hector & Ajax (5), ſpectante utroque hoſtium agmine, ad ſingularem pugnam veniunt, ut victoria vel morte alterutrius bellum dirimatur. Othryadæ ætate idem pariter ſpectatum eſt inter Argivos & Lacedæmones; ac deinde apud Romanos, inter Horatios & Curiatios (6).

℣. 9. Si percuſſerit me, erimus vobis ſervi. Conditio hæc utrinque accepta non fuiſſe videtur. Philiſtæi, interfecto Goliath, conditioni minime ſteterunt; & Hebræi armis illos inſecuti, ſuderunt, nihil ea curantes quæ Gigas propoſuerat (7). Thraſonica fuerat forte militis glorioſi jactantia, vel ſimplex propoſitio, cui neutra pars aſſenſit. Porro ſervitus & ſubjectio conſueta erat victarum gentium conditio.

℣. 12. Qui habebat octo filios. Vide quæ diſſeruimus ſupra xvi. 10.

Senex et grandævus inter viros. Hebræus. זקן בא באנשים *Senex, veniens inter homines, diebus Saul*: dies inter homines viderat multos, ætatem ſuam exegerat. Septuaginta (8): *Vir erat ſenex & annis provectus*. Chaldæus: *Senex numeratus in juvenibus*, vel *inter ſelectos*:

Jam ſenior, ſed cruda ſeni viridiſque ſenectus.

℣. 13. Abierunt tres filii ejus majores poſt Saul in prælium. In ejuſmodi expeditionibus nemo ad arma idoneus, nonniſi per ſummam neceſſitatem, bello abſtinebat.

℣. 15. David reverſus eſt a Saul, ut paſceret gregem patris ſui. Ante bellum hoc, David apud Regem non vivebat, niſi cum identidem Rex novo morbi acceſſu torqueretur. Mitigata morbi vi, David ad priſtinam vitæ profeſſionem redibat. Quam vero exercebat, ars paſtoritia non unam præbebat occaſionem virtutis ſuæ exercendæ in urſos ac leones; eoque veluti tyrocinio aſſueſcebat bello, quo deinde claruit. Quanti olim facerent Veteres paſtoritiam, jam alibi innuimus. Viri e tota antiquitate clariſſimi munus illud a ſe alienum non reputarunt, teſte Varrone (9): *Ex antiquis illuſtriſſimus quiſque paſtor erat*.

℣. 17. Accipe fratribus tuis ephi polentæ. Continebat ephi novem & viginti pintas, hemipintam, hemiſextarium, & octavam pintæ partem. Polenta (10), quam Iſai ad filios ſuos mittit, frumentum erat potius contuſum & friatum, vel farina ex hordeo madefacto, deinde ſiccato ac toſto, tum mola contuſo, quo parabatur pulmentum affuſo lacte, vel oleo, vel melle. Cibus erat ea ætate, agreſtibus præſertim, familiariſſimus, cujus uſus in vetuſtis Græcis Scriptoribus ſeſe prodit. Milites ſuos nulla mercede vel annona Saul conducebat. Hebræi privatis ſumptibus bellum diu, & forte etiam ſemper geſſerunt. Vectigalia quædam exigebat Princeps a ſuis (11), ſed minora quam ut ingentibus copiis ſufficerent:

℣. 18. Decem formellas caſei; caſeum recentem. Interpretes quidam reddunt Hebræum (12): *Caſeos lactis*. Septuaginta (13): *Decem fruſta lactis*, vel, decem formas caſei mollis. Vox Hebræa *Chariz* de caſeo uſurpata hic tantum ſemel legitur. Munus autem id erat *Tribuno*, Hebræus, *Principi mille*.

Et cum quibus ordinati ſunt, diſce. Quos habeant ſocios. Hebræus ad literam (14): *Diſce eorum mixtionem*, eorum manipulum vel cohortem. Septuaginta, Symmachus, & Theodotion (15): *Diſce quorum indigeant*. Juxta alios, Symmachus vertit: *Recipies eorum pretium* (16), mercedem illorum. Aquila: *Videbis*. Syriacus & Arabs legunt tantum: *Affer nuncium eorum*. Ac ſi diceret: Collige omnia quæ ad illos pertinent, ea omnia miſce, & ad me refer. Vertunt alii (17): *Pignus eorum tolles*; ſi quid cuiquam in pignus dederint, redimes. Vel juxta Hebræos: *Referes ad me pignora eorum*, vel divortii literas, ut ſcilicet uxoribus eorum libera ſit facultas poſt triennium alia ſibi quærendi conjugia, ſiquidem illi captivi in hoſtium manus deveniant. Id enim, ex illis, moris erat inter Iſraelitas (18), ut proficiſcentes ad bellum divortii literas uxoribus ſuis relinquerent. Chaldæus: *Bonitatem eorum afferes*; bonum de illis nuncium ad me referes.

℣. 20. Venit ad locum Magala. Locus eſt inter ignota ignotiſſimus. Hebræum (19) reddunt plerique caſtra vel exercitum: *Venit ad caſtra*; vel, ad locum ubi impedimenta relicta fuerant. Ad literam: Venit ad plauſtra vel ad circulum; quam poſteriorem interpretationem Septuaginta ſecuti ſunt (20), quaſi caſtra vel ſaltem impedimenta in circulum diſpoſita fuiſſent, ut facilius defenderentur. Hunc pariter diſponendi tentoria ordinem ſervare Arabes, cum alicubi conſtiterint, narrant.

℣. 23. De caſtris Philiſtinorum. Hebr. (21): *De agmine*. Ex ordinibus ſuis procedens, conſtituit ſe medium inter utrumque agmen.

℣. 25. Domum patris ejus faciet abſque tributo.

[1] ונשא הצנה הלך לפניו Septuag. Αἴρων τὰ ὅπλα αὐτοῦ, &c. [2] Pſalm. v. 13. כצנה רצון תעטרנו
[3] Vide Homer. Iliad. H:

Αἴας δ' ἐγγύθεν ἦλθε, φέρων σάκος ἠΰτε πύργον,
Χάλκεον, ἑπταβόειον,

[4] Iliad. Γ. [5] Iliad. H. [6] Livius l. 1. c. 23. [7] Vide Eſt. [8] Ὁ ἀνὴρ πρεσβύτης ἐληλυθὼς ἐν ἔτεσι. [9] Varro l. 2. de Re Ruſt. c. 1. [10] איפת הקליא [11] Vide infra ℣. 25. [12] עשרת חרצי החלב [13] Τὰς δέκα τρυφαλίδας τοῦ γάλακτος. Vide Heſych. &c. [14] ואת ערבתם תקח Aqu. Τὴν συμμιξιν αὐτῶν λήψῃ. [15] Καὶ ὅσα ἂν χρήζωσι γνώσῃ. [16] Sym. Τὴν μισθοφορίαν αὐτῶν λήψῃ. Aqu. Ex quibuſdam: Τὸ ἐνεχ., vel potius, ἐνέχυρα αὐτῶν λήψῃ. Scilicet, ex Scholiaſtis: Τὴν ἀναφορὰν αὐτῶν ἀπαγγελεῖς μοι, καὶ τί δέονται πάντως; *Narrabis mihi quid faciant, quid rerum agant.* [17] Jun. Piſc. Caſt. Vatab. Hebræi. Vide & Cleric. hic. [18] Vide tradit. Heb. in 1. Reg. hic. [19] ויבא המעגלה Quid Interp. Εἰς τὴν παρεμβολὴν, *Ad caſtra*. [20] Ἦλθον εἰς τὴν στρογγύλωσιν. [21] ממערכות Ἐκ τῆς παρατάξεως.

buto, Eximet a communibus oneribus. Porro ea exemptio non tributis modo, ſed cæteris etiam oneribus abſolvebat.

℣. 28. Novi superbiam tuam. Profecto, ſi judicium ab externa rerum ſpecie petatur, David in ea re extra metam ferebatur a militari illo, quo ardebat, ſpiritu. Sed & Eliab, frater ejus natu major, minus quam par erat, obſervavit fratrem, quem regia unctione initiatum colere tenebatur.

℣. 29. Numquid non verbum est? Quid peccavi? Verbum protuli, quod momenti habet nihil. An non licet animi ſui ſenſus exprimere?

℣. 33. Quia puer es. Annos ætatis duos vel tres & viginti agebat. Nunquam bello interfuerat.

℣. 34. Veniebat leo et ursus. Duo complectitur David, quæ ſibi acciderant, & quorum fiducia certamen cum Goliath aggredi non detrectabat. Tyrocinium ſuum in rebus bellicis poſuerat paſtoritiam agens, atque ibi pariter quod eſſet Principis munus, didicerat (1).

℣. 36. Nunc vadam et auferam opprobrium populi: Quoniam quis est iste Philistæus incircumcisus? Deſunt hæc in Hebræo & Septuaginta, & tamquam additamentum in vetuſtis manuſcriptis notantur.

℣. 39. Cœpit tentare si armatus posset incedere. Hebræus (2): *Voluit ire, quia non expertus erat*. Symmachus & vetus alius Interpres; *Claudicabat incedens, quia non habebat conſuetudinem*. Septuaginta: *Laboravit, cum ambulaſſet ſemel & bis &c.*

℣. 40. Quinque limpidissimos lapides, Hebr. *Quinque læves lapides*. Læves lapides validius propelluntur, & velocius e ſunda ruunt. Cum enim ſuperficiem ferant minime aſperam, aeris incurſum vim ſuam temorantis non timent. Contraria omnia placent Ludovico de Dieu; cenſet enim ad propoſitum Davidis aptiores fuiſſe lapides rudes atque aſperos: validiore illi impetu feriunt, & facilius ſeſe inſinuant, quam teretes. Reddit ille Hebræum (3): *Quinque fruſta lapidum*, quinque fragmenta lapidis confracti. Sane hunc ſenſum commode admittit Textus Originalis, punctis Maſſoretarum neglectis.

Misit eos in peram pastoralem. Funditores peram lapidibus gravem ſemper apud ſe geſtaſſe feruntur (4).

℣. 44. Veni ad me, et dabo carnes tuas volatilibus cœli. Colloquium hoc Davidem inter & Goliath, Davidis religionem Thraſonicæ Goliath jactantiæ oppoſitam, ſpem Divinæ opis ſolam opponentis, illuſtrat, atque commendat: id obtinebat apud veteres Heroas (5), ut ante certamen paucis verbis grandes minas in adverſarios jactarent, & militaria facinora ſua oſtentarent. Alius placet uſus hac ætate; neque enim ultionem ſuam eo feret quiſquam, ut adverſarii cadaver exponat prædam canum & avium. Modeſtius ſentimus, ſaltem ſpecie tenus.

℣. 47. Ipsius enim est bellum. Ipſe eſt belli arbiter. Vel: Bellum hoc Dei eſt; & felix hujus exitus e re ipſius eſſe debet. Probris hiſce tuis Deum aggrederis, atque illatas ſibi injurias ipſe ulciſcetur. Denique, Deus noſter Deus eſt exercituum & belli, qui pro arbitrio victoriam elargitur.

℣. 48. Cum surrexisset Philisthæus. An adverſarium ſedens opperiebatur, ut in Textu innuitur? Mos iſte apud Veteres ſeſe prodit. Galli, & e Romanis militibus, qui *Triarii* appellabantur, certamen ſedentes expectabant. Hirtius lib. 8. de bello Gallico. *Faſces, ubi conſederant; nam in acie ſedere Gallos conſueviſſe ſuperioribus commentariis declaratum eſt.*

℣. 49. Infixus est lapis in fronte ejus. Veterum funditorum peritia Scripturæ & Profanorum teſtimonio probatur. Eo præliandi genere cæteris omnibus præſtabant Baleares; tanta enim peritia jaculabantur, ut nunquam a ſcopo aberrarent, ut *non ſolum capita hoſtium vulnerarent, ſed quem locum deſtinaſſent oris* (6). Hoc armorum genere David gigantem dejecit,

Et media adverſi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.

Juvenem hunc Heroem præfixiſſe ſibi cenſet Chaldæus hiatum illum, unde demiſſa ori galea lucem oculis tranſmittebat: hac enim via lapis caput Gigantis feriit. Sed Scriptura non obſcure vulneratum in fronte virum docet: neque torquendum eſt ingenium, ut explicetur, qua ratione emiſſus e ſunda lapis per galeam ferire frontem potuerit, cum id aliis exemplis fieri poſſe demonſtretur. Diodorus Siculus (7) luculentiſſime affirmat, nec clypeum, nec galeam, nec armorum genus quodcumque reſiſtere poſſe vi lapidis e funda vibrati; tam valide enim funda lapides propelli, quam catapulta, & id generis bellicis machinis (8). Tradunt etiam, plumbeas glandes tam valido motu rapi, ut ſæpe in aere liqueſcant.

. . . . Plumbea vero
Glans etiam longo curſu volvendo liqueſcit.

Forte tamen negocium nobis abs re faceſſimus; incertum enim eſt, utrum demiſſas ori galeas Veteres gererent. Nihil tale legitur apud Homerum. Sæpe caſſis erat e corio (9). Tunc autem ad os uſque protegendum demiſſa non fuiſſe, ſatis convenit. Hector galeam habebat æneam, uti de Goliath hic legimus, ſed anterius minime clauſam. Aſtyanax filius Hectoris, e ſinu nutricis pendens, perſtrictus fulgore caſſidis æneæ, & motu criſtæ e ſetis equinis, nutantis in galeæ vertice (10) territus patrem averſabatur, nec prius illum amplexus eſt, quam ille galeam exuerit.

℣. 52. In via Saraim, et usque ad Geth, et usque ad Accaron. Urbs Saraim inter urbes Tribus Juda recenſetur apud Joſue xv. 36. Quamquam autem certus ejus ſitus ignoretur, jacuiſſe tamen neceſſe eſt inter vallem Terebinthi, Geth, & Accaronem. Neque alia fortaſſe fuit a Saraa, de qua apud Joſue xv. 33. Geth, & Accaron duæ ſunt urbes Philiſtæorum celebres, quarum prior meridionalior eſt altera. Geth inter urbes Philiſtæas maxime meridionalem fuiſſe, alibi demonſtravimus.

℣. 54. Caput Philistæi attulit in Jerusalem. Quomodo hæc, Jeroſolymam adhuc tenentibus Jebuſæis? Reponimus, inferiorem partem urbis paruiſſe Tribubus Juda, & Benjamin; ſeu potius caput Goliath conſtitutum in ea urbe primum fuiſſe, cum ſubacta eſt a Davide, & Arca Domini eo ab eodem Principe tranſlata. Ita Textum exponunt Docti plures Interpretes (11), rati *Tabernaculum David*, de quo hic, ipſum eſſe Tabernaculum, Domino a Davide Jeroſolymæ conſecratum.

Arma

[1] Philo de Vita Moſ. Ποιμενικὴ μελέτη καὶ προγύμνασμα βασιλείας τῷ μέλλοντι τῆς ἡμερωτάτης τῶν ἀνθρώπων ἐπιστατεῖν ἀγέλης, καθάπερ καὶ τοῖς πολεμικοῖς τὰς φύσεις τὰ κυνηγέσια. [2] ויאל ללכת כי לא נסה Sym. Καὶ ἐσκάζεν, ἄπειρος ὤν. Alius. Καὶ ἐχώλανεν ἐν τῷ βαδίζειν. 70. Καὶ ἐκοπίασε περιπατήσας, &c. [3] חמשה חלקי אבנים [4] Xenophon. lib. 5. Anabaſ. Παρήγγειλε τοὺς γυμνῆτας λίθους ἔχειν μεστὰς τὰς διφθέρας. [5] Vide Homerum ſæpiſſime. [6] Livius Decad. 2. l. 5. cap. 4. [7] Diodor. Sicul. lib. 5. cap. 207. Τούς τε θυρεοὺς καὶ τὰ κράνη, καὶ πᾶν σκεπαστήριον ὅπλον συντρίβουσι. [8] Idem ibid. Βάλλουσι λίθους πολὺ μείζους τῶν ἄλλων οὕτως εὐτόνως, ὥστε δοκεῖν τὸ βληθὲν ἀπό τινος καταπέλτου φέρεσθαι. [9] Vide Homer. I. [10] Iliad. Z.

Ταρβήσας χαλκόν τε ἰδὲ λόφον ἱππιοχαίτην
Δεινὸν ἀπ᾽ ἀκροτάτης κόρυθος νεύοντα νοήσας.

[11] Jun. Piſc. alii, teſte Malvenda.

Arma vero ejus posuit in Tabernaculo suo, vel in tentorio fratrum ſuorum, vel in Tabernaculo Jeroſolymæ erecto. Conſtat utique, poſt aliquot annos gladium Goliath repertum fuiſſe in Nobe in Tabernaculo. Intueri hic licet veterem antreæ ætatis morem, conſecrandi ſcilicet arma ex hoſtibus capta in Templis Deorum, quorum opem victoriam ſibi dediſſe arbitrabantur (1). Nechos Rex Ægypti, poſt victoriam de Joſia Rege Judæorum, veſtem, qua in prælio induebatur, miſit ad Branchidas Mileſiorum, munus Apollini conſecrandum (2).

℣. 55. De qua stirpe descendit hic adolescens? Mirari ſubit, cur Saul viſam ſibi frequenter Davidis faciem non agnoverit. Vide quæ diſſeruimus ſupra xvi. 18. Porro Saulis eo magis intererat ſcire adoleſcentis hujus familiam, quod fidem ſuam obligaſſet, fore ut filiam illi nuptum daret, qui Gigantem ſuperaſſet.

Quinque poſtremi verſiculi hujus Capitis deſunt in Septuaginta, ac leguntur tantum in unico Manuſcripto Græco Alexandrino; ſunt tamen in Hebræo, Chaldæo, Syriaco, Arabico, Latinis omnibus Codicibus, ac legiſſe pariter in Codicibus Græcis Theodoretum, conſtat ex ejus Quæſtione xliii. in hunc Librum. Denique apud alios Græcos Codices extat in calce hujus Capitis longa quædam additio, ſeu repetitio certaminis Davidis cum Gigante. Vide Adnotationes in Editionem Romanam, & novam editionem Hexaplorum.

(1) Homer. Iliad. H. Τεύχεα συλήσας, οἴσω ποτὶ Ἴλιον ἱρὴν,
Καὶ κρεμόω ποτὶ νηὸν Ἀπόλλωνος ἑκάτοιο.

(2) Vide Herodot. lib. 2. c. 159.

C A P U T XVIII.

Jonathas, & David amicitiam jungunt. Invidia Saulis; qui Davidem jaculo configere tentat. Contra fidem a ſe datam, Merobam filiam ſuam natu majorem nuptum dat Hadrieli. David ducit conjugem Michølem, quam ſibi emit pretio ducentorum præputiorum, quæ Philiſtæis abſcidit.

℣. 1. Et factum eſt, cum compleſſet loqui ad Saul, anima Jonathæ conglutinata
eſt animæ David, & dilexit eum Jonathas quaſi animam ſuam. 2. Tulit-
que eum Saul in die illa, & non conceſſit ei, ut reverteretur in domum patris ſui.
3. Inierunt autem David, & Jonathas fœdus: diligebat enim eum quaſi animam ſuam.
4. Nam expoliavit ſe Jonathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam David, & re-
liqua veſtimenta ſua, uſque ad gladium, & arcum ſuum, & uſque ad baltheum. 5.
Egrediebatur quoque David ad omnia, quæcumque miſiſſet eum Saul, & prudenter
ſe agebat: poſuitque eum Saul ſuper viros belli, & acceptus erat in oculis univerſi
populi, maximeque in conſpectu famulorum Saul. 6. Porro cum reverteretur percuſ-
ſo Philiſthæo David, egreſſæ ſunt mulieres de univerſis urbibus Iſrael, cantantes, cho-
roſque ducentes in occurſum Saul regis, in tympanis lætitiæ, & in ſiſtris. 7. Et præ-
cinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percuſſit Saul mille, & David decem mil-
lia. 8. Iratus eſt autem Saul nimis, & diſplicuit in oculis ejus ſermo iſte, dixitque:
Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei ſupereſt niſi ſolum
regnum? 9. Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat David a die illa, & deinceps.
10. Poſt diem autem alteram, invaſit ſpiritus Dei malus Saul, & prophetabat in me-
dio domus ſuæ: David autem pſallebat manu ſua, ſicut per ſingulos dies, tenebatque
Saul lanceam, 11. Et miſit eam, putans quod configere poſſet David cum pariete:
& declinavit David a facie ejus ſecundo. 12. Et timuit Saul David, eo quod Do-
minus eſſet cum eo, & a ſe receſſiſſet. 13. Amovit ergo eum Saul a ſe, & fecit
eum tribunum ſuper mille viros: & egrediebatur, & intrabat in conſpectu populi.
14. In omnibus quoque viis ſuis David prudenter agebat, & Dominus erat cum eo.
15. Vidit itaque Saul, quod prudens eſſet nimis, & cœpit cavere eum. 16. Omnis
autem Iſrael, & Juda diligebat David: ipſe enim ingrediebatur, & egrediebatur an-
te eos. 17. Dixitque Saul ad David: Ecce filia mea major Merob, ipſam dabo tibi
uxorem: tantummodo eſto vir fortis, & præliare bella Domini. Saul autem reputabat,
dicens: Non ſit manus mea in eum, ſed ſit ſuper eum manus Philiſthinorum. 18.
Ait autem David ad Saul: Quis ego ſum, aut quæ eſt vita mea, aut cognatio patris
mei in Iſrael, ut fiam gener regis? 19. Factum eſt autem tempus, cum deberet dari
Merob filia Saul David, data eſt Hadrieli Molathitæ uxor. 20. Dilexit autem Da-
vid Michol filia Saul altera. Et nuntiatum eſt Saul, & placuit ei. 21. Dixitque Saul:
Dabo eam illi, ut fiat ei in ſcandalum, & ſit ſuper eum manus Philiſthinorum. Di-
xitque

xitque Saul ad David: in duabus rebus gener meus eris hodie. 22. Et mandavit Saul ſervis ſuis: Loquimini ad David clam me, dicentes: Ecce places regi, & omnes ſervi ejus diligunt te. Nunc ergo eſto gener regis. 23. Et locuti ſunt ſervi Saul in auribus David omnia verba hæc. Et ait David: Non parum videtur vobis, generum eſſe regis? Ego ſum vir pauper, & tenuis. 24. Et renuntiaverunt ſervi Saul, dicentes: Hujuſcemodi verba locutus eſt David. 25. Dixit autem Saul: Sic loquimini ad David: non habet rex ſponſalia neceſſe, niſi tantum centum præputia Philiſthinorum, ut fiat ultio de inimicis regis. Porro Saul cogitabat tradere David in manu Philiſthinorum. 26. Cumque renunciaſſent ſervi ejus David verba, quæ dixerat Saul, placuit ſermo in oculis David, ut fieret gener regis. 27. Et poſt paucos dies ſurgens David, abiit cum viris, qui ſub eo erant. Et percuſſit ex Philiſthiim ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumeravit ea regi, ut eſſet gener ejus. Dedit itaque Saul ei Michol filiam ſuam uxorem. 28. Et vidit Saul, & intellexit, quod Dominus eſſet cum David. Michol autem filia Saul diligebat eum. 29. Et Saul magis cœpit timere David, factuſque eſt Saul inimicus David cunctis diebus: 30. Et egreſſi ſunt principes Philiſthinorum. A principio autem egreſſionis eorum, prudentius ſe gerebat David quam omnes ſervi Saul, & celebre factum eſt nomen ejus nimis.

℣. 1. ANIMA JONATHÆ CONGLUTINATA EST ANIMÆ DAVID; adhæſit arctiſsime Davidi. Hebræus: *Ligata eſt cum illa*. Vetuſtiſsimum eſt effatum, Amicitiam eſſe duplicis corporis unam animam, & amicum eſſe alterum ſeipſum (1). Voluntatis & conſiliorum conſenſio nodum hunc nexuit, quem validius etiam adſtrinxit mutua perſuaſio virtutis utriuſque amici, Jonathæ ſcilicet, & Davidis; ex quo factum eſt, ut alter ab altero nulla ratione divelli potuerit. Ægre invenias duos amicos, vel nobiliores, vel magis amantes, magiſve liberales. In Jonatha nunquam non videas ingentem erga Davidem magnanimitatem, conſtantiam, & amoris ſinceritatem, cui par ex Hiſtoria Profana exemplum nullum exhibeatur. Tullius de off. lib. 1. n. 17. *In quibus eadem ſtudia ſunt, eædemque voluntates; in his fit, ut æque quiſque altero delectetur, ac ſeipſo; efficitur id, quod Pythagora ultimum in amicitia putavit, ut unus fiat e pluribus.*

℣. 2. TULIT EUM SAUL IN DIE ILLA. Eo uſque Davidem non vocabat Saul, niſi cum novo morbi acceſſu laboraret; ſed poſt victoriam de Gigante, Davidem Rex apud ſe retinuit.

℣. 4. EXPOLIAVIT SE TUNICA . . . . . USQUE AD GLADIUM, ET ARCUM SUUM, ET USQUE AD BALTEUM. Veſtes ſuas omnes, & arma illi elargitus eſt. Tunica veſtis eſt interior, balteus inter arma ultimus. Munera veſtium & armorum in tota antiquitate notiſsima ſunt.

℣. 5. PRUDENTER SE AGEBAT; vel ישכיל proſperatus eſt in omnibus. Prudentiſsime, & ſapientiſſimo ſe gerebat.

℣. 6. CUM REVERTERETUR PERCUSSO PHILISTÆO Goliath. Ignorare me fateor, cur Interpretum quidam (2) hoc alias contigiſſe cenſeant, poſitumque Philiſtæum pro Philiſthiim arbitrentur.

CANTANTES CHOROSQUE DUCENTES . . . . IN TYMPANIS LÆTITIÆ, ET IN SISTRIS. Reddi Hebræus poſſet (3): *Cantantes in tibia, in tympanis, & in inſtrumentis tricordibus*. Hebræa vox, quæ choreas, eadem & tibias vel id genus pneumatica inſtrumenta ſignificat. Agitur hic de tympanis Veterum, quæ nos deſcripſimus in Diſſertatione de muſicis inſtrumentis Hebræorum in Pſalmos. *Schaliſchim* Inſtrumentum fuiſſe ferunt tribus fidibus inſtructum, Aſſyriorum inventum (4). Septuaginta reddunt cymbala. Siſtra, de quibus in Vulgata, inſtrumenta ſunt Ægyptiis familiariſsima, conſtantque ex manubrio & lamina ænea curvata, per cujus foramina ex eodem metallo virgulæ trajiciuntur, quæ, agitato ſiſtro, in iis foraminibus pariter agitatæ, acute ſtrident.

℣. 7. ET PRÆCINEBANT. Hebræus ותענינה *Reſpondebant alternatim*; cantabant, & alternis choris repetita hac modulatione ſibi reſpondebant: *Saul percuſſit mille, & David decem millia*. Præcinebat alter chorus priorem verſiculi partem ſtatimque excipiebat alter: *Et David decem millia*. Ejuſmodi mulierum chori, quæ vel læta canentes obviam victoribus veniebant, vel devictorum infortunium flebant, produnt ſe alicubi per Scripturam (5).

PERCUSSIT SAUL MILLE. Hebræus (6): *Saul percuſſit in millibus, & David in denis millibus*. Valet Saul pro mille, David vero pro denis millibus; vel, Saul aggreſſus eſt hoſtes cum millibus, & David cum denis millibus. Sed Vulgatæ interpretatio melius cum Hebræo congruit. David interfecit decem millia, uno Goliath occiſo, cujus victoriæ appendix eſt victoria de cæteris Philiſtæis a Saule relata.

℣. 8. IRATUS EST SAUL NIMIS. Nimio in Davidem ſtudio peccarunt hæ mulieres, quippe quæ Davidem ſupra Regem extulerunt (7). Odioſum eſt ſemper, præſertim in Principe, inferiori poſtponi. Majori autem ſuſpicione laborabat Saul, poſtquam Dei minas de transferendo in alterum Regno intellexerat. Dignas Rege dotes intuebatur in Davide: circumſonabant auribus elogia, majora quam par erat, ut ipſe arbitrabatur, quibus illum populus commendabat. His omnibus vetus invidiæ vulnus recrudeſcebat. *A malo Principe tamquam ſucceſſor timetur quiſquis eſt dignior* (8). Sed numquid propterea horum omnium invidia onerandus erat David, ut reus agendus eſſet laudum, quibus ipſi populus favebat?

℣. 9. NON RECTIS OCULIS ASPICIEBAT DAVID. Hebræus & Septuaginta (9): *Fuit Saul aſpiciens David*; virum obſervabat, oculos habebat in illum, utpote ſuſpectum, & cujus geſta omnia ipſi eſſent ſuſpecta. Chaldæus: *Fuit Saul inſidians Davidi*: explorabat hominem, omnia obſervans, ſi quam nanciſci poſſet occaſionem virum perdendi. Denique reddi poſſet Textus: *Saul injuſtitiam committebat in Davidem*, ratus, virum eſſe, qui temeraria

(1) Τὴν φιλίαν ἰσότητα εἶναι, καὶ μίαν ψυχήν, τὸν φίλον ἄλλον αὐτόν, Pythagor. (2) Jun. Piſc. Malv. (3) לשיר והמחלות בתפים בשמחה ובשלשים (4) Pollux lib. 4. c. 9. (5) Vide Exod. xv. 20. 2. Reg. 1. 20. Judic. xi. 34. (6) הכה שאול באלפיו ודוד ברבבותיו Septuag. Ἐπάταξε Σαοὺλ ἐν χιλιάσιν αὐτοῦ, καὶ Δαυὶδ ἐν μυριάσιν αὐτοῦ. (7) Chryſoſt. hom. 2. de David & Saul pag. 1013. (8) Plin. Panegyr. Trajani. (9) ויהי שאול עון את דוד Καὶ ἦν Σαοὺλ ὑποβλεπόμενος τὸν Δαυίδ.

-ria & ambitioſa meditans, Regnum ad ſe avocare cogitaret.

℣. 10. Prophetazat in medio domus suæ. Perinde ſe habebat ac furens homo vel œſtro divino abreptus; agitabat ſe in omnem partem, veluti enthuſiaſmo afflatus. Hebræa vox יתנבא deſignare poteſt, *Prophetam agere*, geſtus omnes Prophetæ imitari, quamquam nullo afflante ſeu bono ſeu malo ſpiritu. Sed hic Saul agitur a maligno ſpiritu, vel tantum noxia atræ bilis incenſæ flamma ardet (1).

Incerta qualis entheos curſus tulit,
Cum jam recepto Mænas inſanit Deo.

℣. 11. Declinavit a facie ejus secundo. In eodem facile morbi acceſſu Saul bis transfigere Davidem tentavit. Sunt qui vertant; *Declinavit illum ſecundo*; quaſi ſcilicet ſemel jam ab eo ſe diſcrimine ſubduxerit. Saul nunquam ſe prodit ſine lancea. Cum illa legitur capite xix. 10. præſto habebat haſtam, cum menſæ aſſidens filium ſuum Jonatham interfecturus erat (2): habebat ad caput lectuli, cum David in caſtra ejus atque in ipſum illius tentorium venit (3). *Per ea tempora*, ait Juſtinus lib. xliii. *Reges haſtas pro diademate habebant*. Hinc Dii & Heroes plerumque haſtati exhibentur. *Ab origine rerum, pro Diis immortalibus Veteres haſtas coluere; ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum ſimulacris haſtæ adduntur.*

℣. 13. Amovit ergo eum Saul a se. Honoris ſpecie hanc illi nobilem ſed plenam diſcriminis provinciam dedit, eum perdere meditans. Hoc ſane eſt eorum fatum, quorum virtus ſupra vulgares emicat, uti non uno exemplo docent hiſtoriæ.

℣. 17. Esto vir fortis et præliare bella Domini. Rem Domini gere, populum ejus ab adverſariis defendens. Bella Hebræorum, dum Divinis juſſionibus regebantur, utique bella Domini erant; cum vero partes in illis ſuas ſibi vindicarunt ſuperbia & dominandi ambitio, in profana bella, & in quæſtum privatum degenerarunt.

℣. 18. Quæ est vita mea, aut cognatio? Hebræus & Septuaginta (4): *Quæ eſt vita familiæ patris mei in Iſraël*? Quantæ gloriæ eſt in Iſraele familia patris mei? Quo munere, qua dignitate conſpicua? Quod beneficium contulit Reipublicæ & Familiæ Regiæ, ut adſciſcatur in partem fœderis adeo illuſtris, nempe in conjugium cum filia Regis?

℣. 19. Merob data est Hadrieli Molathitæ uxor, & ex ea quinque liberos habuit. In 2. Reg. xxi. 8. legitur pro Michol *Merob*, ſed ibi mendum cubat in Hebræo & in Vulgata.

℣. 20. Dilexit David Michol filia Saul altera. Latini quidam Codices contrariam ſententiam exprimunt: *Dilexit David Michol filiam Saul alteram*. Sed Hebræus & Septuaginta Vulgatæ cohærent.

℣. 21. In duabus rebus gener meus eris hodie. Quibuſnam? Sunt qui credant, Saulem optionem dediſſe, ſive dotem Regis filiæ congruam, ſive centum præputia Philiſthinorum: hoc autem poſtremum elegiſſe Davidem. Malunt alii, Saulem ſpopondiſſe filiam ſuam duplici nomine; I. Quod Goliath interfecerit; II. Quod centum Philiſtæorum præputia ſoluturus eſſet (5). Alii denique cenſent, Davidem bis præputia hoſtium Sauli ſolviſſe; ſemel pro Meroba, ſibi a Rege deſtinata; iterum vero pro Michole, quam duxit. Reddi etiam poſſet: *Pro ſecunda hac vice, eris gener meus*. Juſtis quibuſdam de cauſis abductus ſum, ne tibi Merobam filiam meam natu majorem traderem; modo vero tradam tibi Micholem natu minorem, cujus nuptias tibi permitto. Hebræus fert tantum (6): *In duabus gener eris meus hodie*. Notum eſt, vernacula linguæ hujus phraſi uſurpari ſæpe unum, duo, tria &c. pro primum, ſecundum, tertium. Conjugem habebis alterutram, & niſi primam, certe ſecundam. Aliter: *Cum ſecundo quæras nuptias unius ex filiabus meis &c.*

℣. 25. Non habet Rex sponsalia necesse; ideſt, non eget dote pro filia ſua. Mos erat apud Hebræos, uti ſæpe alibi animadverſum eſt, ut dos ſolveretur uxori a marito. Vir ſibi uxorem emebat.

Centum præputia Philistinorum, ut fraus omnis & dolus removeretur, nec arma in alios inferre poſſet David, quam in incircumciſos. Arabes, Iſmaelis poſteri, uti & gentes originem ab Eſau referentes, non ſecus ac Hebræi, circumciſione initiabantur. Nulla gens incircumciſa propior erat quam Philiſtæi. Porro injuriam hanc graviſſimam accidiſſe Philiſtæis nemo ignorat: id autem ſtudebat Saul, ut magis magiſque illis inviſum Davidem efficeret. Scribit Joſephus, Saulem poſtulaſſe centum capita Philiſtæorum: eſt autem id ſolemne huic Scriptori, ut Scripturæ veritatem diſſimulet, cum invidia aliqua gentem ſuam onerari poſſe apud Lectores metuit, ſi nudam & ſimplicem veritatem referat, vel ſi incredibile aliquid narret.

℣. 27. Post paucos dies. Hebræus (7): *Non completi erant dies*. Antequam decretum tempus abſolveretur ad implendum numerum præputiorum, attulit illa quam maturrime, & forte etiam ante elapſum tempus, quod inter nuptias & conjugium intercedere ſolebat.

Percussit ducentos. Pro centum poſtulatis attulit ducenta. Codices quidam Hebræi (8) centum modo præputiorum numerum reddunt, leguntque tantum: *Rex nihil aliud poſcit in dotem pro filia, quam præputia Philiſtæorum*. Quod tamen demonſtrat, Saulem popoſciſſe centum præputia, illud eſt, quod ipſe David poſtulavit (9): *Redde uxorem meam Michol, quam deſpondi mihi centum præputiis Philiſthiim*. Ducenta ſolvit, quamquam condictum fuit pro centenis.

℣. 30. Egressi sunt Principes Philisthinorum. Facile injuriam a Davide ſibi illatam ulturi. Belli hujus hiſtoriam ignoramus; illud tantum memoriæ proditum eſt, Davidem grandia bellicæ virtutis ſpecimina, quamdiu illud perſeveravit, exhibuiſſe.

(1) Senec. in Medea. (2) 1. Reg. xx. 33. (3) 1. Reg. xxvi. 7. (4) מי חיי משפחת אבי בישראל Τίς ἡ ζωὴ τῆς συγγενείας τοῦ πατρός μου. (5) Rupert. Toſt. Menoch. Tir. Sa, Sanct. &c. (6) בשתים תתחתן בי היום (7) ולא מלאו הימים (8) Oriental. Hebr. legunt כי אם ערלות Loco כי במאה ערלות Vide Capell. Critic. lib. 3. cap. 27. (9) 2. Reg. iii. 14.

CAPUT XIX.

Jonathas removet Saulem a propoſito interficiendi Davidem. Saul in priſtinum furorem lapſus, conatur Davidem transfigere, qui recipit ſe in tutum. Domus ejus a militibus obſidetur; ſed Michol Davidis uxor maritum ſuum e feneſtra demittit. David recipit ſeſe apud Samuelem in Najoth. Viri a Saule miſſi qui fugitivum caperent, jungentes ſeſe Prophetis, prophetant. Eo venit & Saul, qui pariter cum cæteris prophetat.

Circa A. M. 2943. ℣. 1. LOcutus eſt autem Saul ad Jonathan filium ſuum, & ad omnes ſervos ſuos, ut occiderent David. Porro Jonathas filius Saul diligebat David valde. 2. Et indicavit Jonathas David, dicens: Quærit Saul pater meus occidere te: quapropter obſerva te, quæſo, mane, & manebis clam, & abſconderis. 3. Ego autem egrediens ſtabo juxta patrem meum, in agro, ubicumque fueris: & ego loquar de te ad patrem meum: & quodcumque videro, nuntiabo tibi. 4. Locutus eſt ergo Jonathas de David bona ad Saul patrem ſuum: dixitque ad eum: Ne pecces, rex, in ſervum tuum David, quia non peccavit tibi, & opera ejus bona ſunt tibi valde. 5. Et poſuit animam ſuam in manu ſua, & percuſſit Philiſthæum, & fecit Dominus ſalutem magnam univerſo Iſraeli: vidiſti, & lætatus es. Quare ergo peccas in ſanguine innoxio, interficiens David, qui eſt abſque culpa? 6. Quod cum audiſſet Saul, placatus voce Jonathæ, juravit: Vivit Dominus, quia non occidetur. 7. Vocavit itaque Jonathas David, & indicavit ei omnia verba hæc: & introduxit Jonathas David ad Saul, & fuit ante eum, ſicut fuerat heri, & nudiuſtertius. 8. Motum eſt autem rurſum bellum: & egreſſus David, pugnavit adverſum Philiſthiim: percuſſitque eos plaga magna, & fugerunt a facie ejus. 9. Et factus eſt ſpiritus Domini malus in Saul, ſedebat autem in domo ſua, & tenebat lanceam: porro David pſallebat manu ſua: 10. Niſuſque eſt Saul configere David lancea in pariete, & declinavit David a facie Saul: lancea autem caſſo vulnere perlata eſt in parietem, & David fugit, & ſalvatus eſt nocte illa. 11. Miſit ergo Saul ſatellites ſuos in domum David, ut cuſtodirent eum, & interficeretur mane. Quod cum annunciaſſet David Michol uxor ſua, dicens: Niſi ſalvaveris te nocte hac, cras morieris: 12. Depoſuit eum per feneſtram. Porro ille abiit, & aufugit, atque ſalvatus eſt. 13. Tulit autem Michol ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum: & pellem piloſam caprarum poſuit ad caput ejus, & operuit eam veſtimentis. 14. Miſit autem Saul apparitores, qui raperent David: & reſponſum eſt, quod ægrotaret. 15. Rurſumque miſit Saul nuntios, ut viderent David, dicens: Afferte eum ad me in lecto, ut occidatur. 16. Cumque veniſſent nuntii, inventum eſt ſimulacrum ſuper lectum, & pellis caprarum ad caput ejus. 17. Dixitque Saul ad Michol: Quare ſic illuſiſti mihi, & dimiſiſti inimicum meum, ut fugeret? Et reſpondit Michol ad Saul: Quia ipſe locutus eſt mihi: Dimitte me, alioquin interficiam te. 18. David autem fugiens, ſalvatus eſt, & venit ad Samuel in Ramatha, & nuntiavit ei omnia, quæ fecerat ſibi Saul; & abierunt ipſe, & Samuel, & morati ſunt in Najoth. 19. Nuntiatum eſt autem Sauli a dicentibus: Ecce David in Najoth in Ramatha. 20. Miſit ergo Saul lictores, ut raperent David: qui cum vidiſſent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem ſtantem ſuper eos, factus eſt etiam Spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipſi. 21. Quod cum nuntiatum eſſet Sauli, miſit & alios nuntios: prophetaverunt autem & illi. Et rurſum miſit Saul tertios nuntios, qui & ipſi prophetaverunt. Et iratus iracundia Saul, 22. Abiit etiam ipſe in Ramatha, & venit uſque in ciſternam magnam, quæ eſt in Socho, & interrogavit, & dixit: In quo loco ſunt Samuel, & David? Dictumque eſt ei: Ecce in Najoth ſunt in Ramatha. 23. Et abiit in Najoth in Ramatha, & factus etiam ſuper eum Spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat uſque dum veniret in Najoth in Ramatha. 24. Et expoliavit etiam ipſe ſe veſtimentis ſuis, & prophetavit cum cæteris coram Samuele, & cecidit nudus tota die illa, & nocte. Unde & exivit proverbium; Num & Saul inter Prophetas?

℣. 3. STA-

℣. 3. STABO JUXTA PATREM MEUM IN AGRO, UBICUMQUE FUERIS, ET EGO LOQUAR DE TE. Admonuit Davidem Jonathas, ut in certo quodam agro, quo Saulem mane alterius diei venturum norat, latitaret, ut ſcilicet ipſe per ſe David audiret, quo pacto Jonathas cauſam ſuam ageret apud Saulem. Præſtat tamen Hebræum ita reddere, ſententia hac cum ſuperiori verſiculo conjuncta: *Obſerva te, quæſo, mane, & manebis clam:* (atque interim) *ego egrediar, & ſtabo juxta patrem meum;* (tu te abſcondes, inquam) *in agro ubicumque eris, & ego loquar de te ad patrem meum*. Non raro occurrunt in Scripturæ Textu perſimiles interruptæ & tranſpoſitæ narrationes.

℣. 6. PLACATUS VOCE JONATHÆ JURAVIT. Remiſeret ſe vere Saul, an ſe remitti ſimularat? Profecto ſi quis animadvertat quid ille in Davidem egerit, ſtatim ac opportunum tempus ſeſe obtulit, ille reputabit, vulnus Regis plane non convaluiſſe. Si quis vero totam Saulis vitam conſideret, agnoſcet in illo pravum animum, & in bono inconſtantiam, & propoſitum conſilii parum vel nihil tenax. A vero igitur non aberrat, virum ingenio adeo inconſtanti ſtatim quidem ſeſe reconciliaſſe cum Davide, continuo vero prima opportunitate in partem contrariam tranſiiſſe.

℣. 9. FACTUS EST SPIRITUS DEI MALUS IN SAUL. Iterum ad priſtinum morbum, iterumque ad priſtinas inimicitias. Offendit illum facile proſper exitus, quo Deus Davidis armis in proxima Philiſtæorum expeditione favit.

℣. 11. UT CUSTODIRENT EUM, ET INTERFICERETUR MANE. Cur non ſtatim veſpere? ſimili etiam cautione uſi ſunt Philiſtæi erga Samſonem, quem clauſum in urbe Gaza detinebant (1). Sub veſperam Pharao caſtra Iſraelitarum aſſecutus, continuit ſeſe ab armis ea hora inferendis (2). Hodie pariter Mahometani, uti olim Parthi, nihil noctu aggrediuntur. An ſuperſtitionis aliquid ea in re ineſſet, ignoro. An verebatur Saul, ne noctis favore David e manibus ſuorum elaberetur? An oculis ipſe ſuis plena die necem viri intueri volebat, ſuſpicatus ne quis alter loco illius interficeretur? An denique moliebatur accuſationes in illum ſtruere atque judiciali ſententia damnatum interficere?

℣. 13. TULIT MICHOL STATUAM. Hebræus (3): *Tulit Theraphim*. De Theraphim non ſemel diſſeruimus (4). Eam vocem hic accipiendam cenſemus de rudi aliqua figura e convolutis ſimul pennis, vel de ligno, quod involucro aliquo pannorum tumultuario ſuffarcinatum fuerit, & magnitudinem hominis exhibuerit, ita ſub veſte compoſitum, ut Davidis cubantis imaginem referret. Neque majori arte opus erat, ut ſubmiſſi a Saule apparitores fallerentur. Nomen Theraphim commune eſt imaginibus æque omnibus tum ſacris tum profanis, cujuſcumque ſint figuræ ac materiæ: nihil ergo prohibet, quin uſurpetur de involucro quodam pannorum inſtar terriculi, quod ad abigendas aves in agris ſtatuitur (5), vel ſimulacrorum e palea, quæ tauris in circo ad primos illorum impetus excipiendos opponebantur. Septuaginta reddunt *cenotaphia*, imaginem mortui, vel ſepulchrum inane. Aquila, *figuras;* Symmachus, *Idola*. Qui Theraphim nunquam non uſurpari de Idolis ajunt, opinantur Davidem domi Idola habuiſſe ſive ad ornamentum, ſive ad profani cultus opprobrium (6). Alii (7) nunquam fieri poſſe rati, ut tanta pietate vir Idola apud ſe retineret, nihil metuens Idololatriæ diſcrimen, quod in familiam ſuam induxiſſet, cenſent, ſimulacrum illud fuiſſe ſacrum, ſeu viri alicujus inſignis imaginem.

PELLEM PILOSAM CAPRARUM POSUIT AD CAPUT EJUS, ut pro coma Davidis acciperetur. Hinc ſiquis colligat, capras rufo vellere indui (8), cum David rufa eſſet cæſarie, ille utique rem incertam re incertiſſima probaret. Nihil minus certum eſt, quam quod David rufam comam gereret: incertius eſt etiam, utrum caprarum vellus rufum fuerit. Capillamenti genus e pilis caprarum fuiſſe, alii maluerunt (9). Conſtat utique, regionis illius capras prolixo adeo vellere tegi, ut cæſariem hominis in lecto cubantis referre commode poſſit.

Interpretum quidam reddunt Hebræum (10): *Poſuit pulvinar e pilis caprarum ad caput*, vel pro capite. Pulvinar confecit e pilis caprarum, vel e pelle capræ. Cubari in pellibus conſueviſſe interdum, non ſemel docet Scriptura (11). Bochartus: *Poſuit magnum* (pilum) *capræ ſuper caput ejus*, vel, ad caput ejus. Septuaginta Editionis Romanæ, Aquila (12), & Joſephus: *Poſuit jecur caprarum ad caput ejus*. Addit Aquila, *& ingens involucrum pilorum*. Quaſi ſcilicet Michol ſub culcitris conſtituerit calidum jecur caprinum, quod debili motu & palpitatione intuentes falleret, hominem in lecto cubantem exhibens. Hæc tamen verſio petitur ex prava ratione legendi Hebræum. Septuaginta Complutenſes ferunt (13): *Poſuit involucrum e pilis capræ ad caput lecti:* ita pariter reddit Aquila, ex quo facile hæc interpretatio deſumpta eſt.

℣. 17. DIMITTE ME, ALIOQUIN INTERFICIAM TE. Mendacium eſt officioſum Micholis. In gravi hoc diſcrimine, David dictaſſe fertur Pſalm. LVIII. *Eripe me de inimicis meis*.

℣. 19. ECCE DAVID IN NAJOTH IN RAMATHA. Najoth locus erat prope Ramatham, ubi Samuel Prophetarum frequentem cœtum collegerat. Ibi pariter ſcholam habuiſſe Prophetarum fertur (14). De ſcholis hiſce Prophetarum agemus in Præfatione generali in Prophetas, & Diſſertatione de ſcholis Hebræorum, Jeremiæ præfixa.

℣. 23. AMBULABAT INGREDIENS, ET PROPHETABAT, ſimilis homini emotæ mentis, & agitato, ceu oracula fundenti; in quo mentis ſtatu perſeveravit a Socho uſque Najoth. Miſſi ab eo viri vim Prophetici ſpiritus in Najoth primum ſentire cœperunt: Saul jam inde a piſcina Socho afflatus eſt: tunc abjicere veſtes, prophetico eloquio effari, laudare Deum, ſaltare & agitari.

℣. 24. EXPOLIAVIT IPSE SE, in interula vel tunica; non enim reputandum eſt, illum coram Samuele cæteriſque Prophetis turpiter nudum prodiiſſe. Homo nudus tunc dicitur, cum pro loco & tempore conſuetis veſtibus non induitur. Heſiodus (15) & Virgilius (16) jubent agricolam ſerere, arare & metere nudum, id eſt ea vernanti adeo tempore aggredi, ut conſuetis veſtibus non indigeat.

Nudus ara, ſere nudus; hyems ignava colono.

Eo

[1] Judic. XVI. 2. *Ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantes, ut facto mane exeuntem occiderent.* [2] Exod. XIV. 20. [3] ותקח מיכל את התרפים Septuag. Κενοτάφια. [4] Vide Geneſ. XXXI. 19. & ſupra XI. ℣. 23. [5] Vide Boch. de anim. ſacr. par. 1. l. 2. c. 52. [6] Vide Mercer. ad Gen. XXXI. [7] Geneb. in Chronic. Ætate 6. & in Pſal. LXXXIII. 5. Kimchi, Maim. [8] Sanct. Menoch. Tir. alii. [9] Vide Vat. Pagnin. & Boch. de animal. ſacr. tom. 1. lib. 2. cap. 52. Munſt. Kimchi. [10] את כביר העזים שמה מראשתיו Puto כביר idem eſſe ac מכבר 4. Reg. VIII. 15. quod eſt *cervical*, vel pulvillus, generatim, quod capiti ſupponitur, vel ſtragulum. [11] Levit. XV. 17. *Vir de quo egreditur ſemen coitus... veſtem & pellem quam habuerit, lavabit aqua, & immunda erit uſque ad veſperum.* [12] Septuag. Καὶ ἧπαρ τῶν αἰγῶν ἔθηκε πρὸς κεφαλῆς αὐτοῦ. Legunt כבד pro כביר. [13] Καὶ συγγύλωμα τριχῶν αἰγῶν ἔθηκε πρὸς κεφαλῆς αὐτοῦ. Aqu. Τὸ ἧπαρ τῶν αἰγῶν, καὶ συγγύλωμα τριχῶν. [14] Rabb. Jun. Piſc. alii. [15] Heſiod. Opera & dies, ℣. 392. [16] Virgil. Georgic. lib. 1. Vide Serv. in eum locum.

Eodem ſenſu Michæas 1. 8. profitetur, nudum ſe in luctu ſuo & expoliatum inceſſurum: *Vadam ſpoliatus & nudus; faciam planctum velut draconum*. Eodem Michol exprobravit Davidi, quod nudus coram populo apparuerit in pompa delatæ Jeroſolymam Arcæ (1): *Nudatus eſt, quaſi nudetur unus de ſcurris*. Sane (2) *qui male veſtitum & pannoſum vidit, nudum ſe vidiſſe dicit*.

Nequicquam tamen hæc valuerunt, quin docerent nonnulli, Saulem omnibus revera exutum veſtibus, nudum humi cubuiſſe. Hunc pronum ſenſum offerunt verba Textus. Nuditatis probrum noſtris moribus æſtimandum non eſt. Id enim in regionibus ferventibus hodie pariter obtinet, ut Prophetæ, vel deceptores, qui ſeſe divinitus afflatos jactitant, nudi penitus incedant: nec ſervi ullis plerumque veſtibus velabantur. Cum Deus imperat Iſaiæ (3), ut ſaccum ex humeris deponat, detrahat calceos, atque eo corporis habitu per triennium in medio populi ſui incedat, vix aliter intelligi poteſt quam de nuditate integra & abſoluta. Innuere videtur Joſephus (4), Saulem veſtibus omnino indutum fuiſſe, contra apertum Scripturæ teſtimonium.

Cecinit nudus. Codices manuſcripti plures, mendo plane manifeſto, pro *cecidit*, legunt *cecinit*. Projecit ſe in terram, ſive nudus penitus, ſive interula tantum indutus.

Num et Saul inter Prophetas? Proverbii hujus expoſitionem dedimus ſupra XIII. (5) Miratus populus, Saulem in medio diſcipulorum Samuelis in Najoth, prope Ramatham, revocavit in mentem priſtinum illud proverbium, quod tunc ortum eſt, cum primo Prophetam inter Prophetas egit; ejuſque uſum ad rem adeo novam & ſingularem accommodavit.

(1) 2. Reg. VI. 20. (2) Seneca de Benefic. lib. 5. cap. 13. (3) Iſai. XX. 1. 2. 3. (4) Joſeph. Antiq. lib. 6. cap. 14. Καὶ τὴν ἐσθῆτα περιδύσας αὐτὸν, κατακείμενος ἔκειτο δι᾽ ὅλης ἡμέρας. Gelenius vertit: *Abjectaque veſtitu, nudus per diem ad noctem jacuit*. Sane Heſychius & Pollux animadvertunt, περιδύω quandoque idem ſignificare ac ἀποδύω. (5) 1. Reg. X. 12.

CAPUT XX.

Jonathan rogat David, ut Saulis erga ſe animum ſcrutetur. Uterque fœdus inter ſe innovant, Saul perſeverat in ſententia perdendi Davidem; qua de re illum Jonathas facit certiorem. Alter ab altero ſecedunt.

A. M. 2944. ante J. Chr. 1056. V. 1. FUgit autem David de Najoth, quæ eſt in Ramatha: venienſque locutus eſt co-
ram Jonatha: Quid feci? quæ eſt iniquitas mea, & quod peccatum meum in
patrem tuum, quia quærit animam meam? 2. Qui dixit ei: Abſit, non morieris: ne-
que enim faciet pater meus quidquam grande, vel parvum, niſi prius indicaverit mi-
hi: hunc ergo celavit me pater meus ſermonem tantummodo? nequaquam erit iſtud.
3. Et juravit rurſum Davidi. Et ille ait: Scit profecto pater tuus, quia inveni gratiam
in oculis tuis, & dicet: Neſciat hoc Jonathas, ne forte triſtetur. Quinimo vivit Domi-
nus, & vivit anima tua, quia uno tantum (ut ita dicam) gradu ego, morſque dividi-
mur. 4. Et ait Jonathas ad David: Quodcumque dixerit mihi anima tua, faciam ti-
bi. 5. Dixit autem David ad Jonathan: Ecce calendæ ſunt craſtino, & ego ex more
ſedere ſoleo juxta regem ad veſcendum: dimitte ergo me, ut abſcondar in agro, uſque
ad veſperam diei tertiæ. 6. Si reſpiciens requiſierit me pater tuus, reſpondebis ei:
Rogavit me David, ut iret celeriter in Bethlehem civitatem ſuam: quia victimæ ſole-
mnes ibi ſunt univerſis contribulibus ſuis. 7. Si dixerit, Bene: pax erit ſervo tuo; ſi
autem fuerit iratus, ſcito, quia completa eſt malitia ejus. 8. Fac ergo miſericordiam
in ſervum tuum: quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire feciſti: ſi autem
eſt iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me. 9.
Et ait Jonathas: Abſit hoc a te: neque enim fieri poteſt, ut ſi certe cognovero comple-
tam eſſe patris mei malitiam contra te, non annuntiem tibi. 10. Reſponditque David
ad Jonathan: Quis renuntiabit mihi, ſi quid forte reſponderit tibi pater tuus dure de
me? 11. Et ait Jonathas ad David: Veni, & egrediamur foras in agrum. Cumque
exiſſent ambo in agrum, 12. Ait Jonathas ad David: Domine Deus Iſrael, ſi inveſti-
gavero ſententiam patris mei craſtino, vel perendie: & aliquid boni fuerit ſuper Da-
vid, & non ſtatim miſero ad te, & notum tibi fecero, 13. Hæc faciat Dominus Jona-
thæ, & hæc addat. Si autem perſeveraverit patris mei malitia adverſum te, revelabo
aurem tuam, & dimittam te, ut vadas in pace, & ſit Dominus tecum, ſicut fuit cum
patre meo. 14. Et ſi vixero, facies mihi miſericordiam Domini: ſi vero mortuus fue-
ro, 15. Non auferes miſericordiam tuam a domo mea uſque in ſempiternum, quando
eradicaverit Dominus inimicos David, unumquemque de terra; auferat Jonathan de do-
mo ſua, & requirat Dominus de manu inimicorum David. 16. Pepigit ergo Jonathas

fœdus

fœdus cum domo David: & requiſivit Dominus de manu inimicorum David. 17. Et addidit Jonathas dejerare David, eo quod diligeret illum: ſicut enim animam ſuam, ita diligebat eum. 18. Dixitque ad eum Jonathas: Cras calendæ ſunt, & requireris: 19. Requiretur enim ſeſſio tua uſque perendie. Deſcendes ergo feſtinus: & venies in locum, ubi celandus es in die, qua operari licet, & ſedebis juxta lapidem, cui nomen eſt Ezel. 20. Er ego rres ſagittas mittam juxta eum, & jaciam quaſi exercens me ad ſignum. 21. Mittam quoque & puerum, dicens ei: Vade, & affer mihi ſagittas. 22. Si dixero puero: Ecce ſagittæ intra te ſunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi eſt, & nihil eſt mali, vivit Dominus. Si autem ſic locutus fuero puero: Ecce ſagittæ ultra te ſunt: Vade in pace, quia dimiſit te Dominus. 23. De verbo autem, quod locuti ſumus ego & ru, ſit Dominus inter me, & te uſque in ſempiternum. 24. Abſconditus eſt ergo David in agro, & venerunt calendæ, & ſedit rex ad comedendum panem. 25. Cumque ſediſſet rex ſuper cathedram ſuam (ſecundum conſuetudinem) quæ erat juxta parietem, ſurrexit Jonathas, & ſedit Abner ex latere Saul, vacuuſque apparuit locus David. 26. Et non eſt locutus Saul quidquam in die illa: cogitabat enim, quod forte eveniſſet ei, ut non eſſet mundus, nec purificatus. 27. Cumque illuxiſſet dies ſecunda poſt calendas, rurſus apparuit vacuus locus David. Dixitque Saul ad Jonathan filium ſuum: Cur non venit filius Iſai, nec heri, nec hodie, ad veſcendum? 28. Reſponditque Jonathas Sauli: Rogavit me obnixe, ut iret in Bethlehem, 29. Et ait: Dimitte me, quoniam ſacrificium ſolemne eſt in civitate, unus de fratribus meis accerſivit me, nunc ergo ſi inveni gratiam in oculis tuis, vadam cito, & videbo fratres meos. Ob hanc cauſam non venit ad menſam regis. 30. Iratus autem Saul adverſum Jonathan; dixit ei: Fili mulieris virum ultrò rapientis, numquid iguoro, quia diligis filium Iſai, in confuſionem tuam, & in confuſionem ignominioſæ matris tuæ? 31. Omnibus enim diebus, quibus filius Iſai vixerit ſuper terram, non ſtabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque jam nunc mitte, & adduc eum ad me: quia filius mortis eſt. 32. Reſpondens autem Jonathas Sauli patri ſuo, ait: Quare morietur? quid fecit? 33. Et arripuit Saul lanceam, ut percuteret eum. Er intellexit Jonathas, quod definitum eſſet a patre ſuo, ut interficeret David. 34. Surrexit ergo Jonathas a menſa in ira furoris, & non comedit in die calendarum ſecunda panem. Contriſtatus eſt enim ſuper David, eo quod confudiſſet eum pater ſuus. 35. Cumque illuxiſſet mane, venit Jonathas in agrum juxta placitum David, & puer parvulus cum eo, 36. Et ait ad puerum ſuum: Vade, & affer mihi ſagittas, quas ego jacio. Cumque puer cucurriſſet, jecit aliam ſagittam trans puerum. 37. Venit itaque puer ad locum jaculi, quod miſerat Jonathas: & clamavit Jonathas poſt tergum pueri, & ait: Ecce ibi eſt ſagitta porro ultra te. 38. Clamavitque iterum Jonathas poſt tergum pueri, dicens: Feſtina velociter, ne ſteteris. Collegit autem puer Jonathæ ſagittas, & atrulit ad dominum ſuum: 39. Et quid ageretur, penitus ignorabat: rantummodo enim Jonathas, & David rem noverant. 40. Dedit ergo Jonathas arma ſua puero, & dixit ei: Vade, & defer in civitatem. 41. Cumque abiiſſet puer, ſurrexit David de loco, qui vergebat ad Auſtrum, & cadens pronus in terram, adoravit tertio: & oſculantes ſe alterutrum, fleverunt pariter, David autem amplius. 42. Dixit ergo Jonathas ad David: Vade in pace: quæcumque juravimus ambo in nomine Domini, dicenres: Dominus ſit inter me, & te, & inter ſemen meum, & ſemen tuum uſque in ſempiternum. 43. Et ſurrexit David, & abiit: ſed & Jonathas ingreſſus eſt civitatem.

℣. 1. FUGIT AUTEM DAVID DE NAJOTH. Vix Saul venit in Najoth, cum moram hanc minus ſibi tutam eſſe intelligens David, ſtatim ſeſe proripuit, atque ad Jonathan in Gabaam profectus eſt.

℣. 2. NEQUE ENIM FACIET PATER MEUS QUIDQUAM, me inſcio; vel potius, nihil me inſcio facit. Facile Jonathas nihil eorum noverat, quæ aote aliquot dies contigerant, de apparitoribus miſſis ad capiendum domi Davidem; nec de juſſionibus a Saule datis, ut caperetur in Najoth: animum patris e ſinceritate animi ſui dimetiebatur; fidemque habebat promiſſioni, qua pater ſeſe obſtrinxerat, nihil ſcilicet mali ſeſe moliturum in Davidem. Rebatur facile, ea quæ ad id uſque geſſerat pater, morbi malignitate potius quam meditatiooe & conſilio geſſiſſe: denique perſuadere ſibi non poterat, Saulem rem adeo gravem moliturum, ſe inſcio, uti in cæteris conſueverat.

℣. 3. UNO TANTUM GRADU EGO MORSQUE DIVIDIMUR. Ad literam (1): *Paſſus inter me & inter mortem*. Septuaginta (2): *Impletum eſt inter patrem tuum & me uſque ad mortem meam*. Sed Vulgata melius reddidit ſenſum originalem. Ita communi

(1) כי כפשע ביני ובין המות

(2) Πεπλήρωται ἀνὰ μέσον ἐμῦ, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ πατρός σου ἕως θανάτου.

Digitized by Google

omni effato dici ſolet de iis qui mari ſeſe committunt, quatuor tantum digitis a morte diſtare:

I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confiſus ligno, digitis a morte remotus
Quatuor, aut ſeptem, ſi ſit latiſſima teda.

℣. 4. Quodcumque dixerit mihi anima tua (1); quidquid optabis. Anima ſæpe pro deſiderio ponitur, ut (2): *Ne tradideris me in animas tribulantium me.* Et (3): *Animam catulorum ejus implebis?* An rapacitatem illorum ſatiabis?

℣. 5. Ecce calendæ ſunt craſtino. Prima ſingulorum menſium dies, vel *neomenia*, feſta erat apud Judæos; ſed nullas ferias indicebat ea die Lex: præcipiebat tantummodo, ut clangeretur tuba, & peculiaria quædam ſacrificia offerrentur. Mos obtinuerat, ut pararentur ſacrificia, & e victimis inſtruerentur convivia amicis ac familiæ, ut hic ſervatur a Saule, qui convivas præfectos ſuos adhibebat; David autem contuliſſe ſe ad ſacrificium cum familia in Bethlehem ſimulavit.

Doctores Judæi tradunt, lunares menſes a ſuis obſervatos fuiſſe; illos autem iniiſſe a phaſi apparentis Lunæ ſuper horizontem. Momentum id primum apparentis Lunæ ſedulo obſervabant viri in eam rem deſtinati, & in montium ſpecula conſtituti, qui ſtatim ſignum micantis primum aſtri cornu, vel alio clangore dabant, ut ſtatim ea res Jeroſolymis nunciaretur. Tunc Neomeniæ exordium. Ne quidpiam errarent, neve in feſti obſervatione deceptio aliqua contingeret, duo ſuccedentes dies feſti habebantur. Id autem apertiſſime probari hoc Textu creditur; legimus enim, Saulem per duos continuos dies convivium prorogaſſe, in cultum primæ diei menſis religioſum.

Sed hæc inter incerta ſunt incertiſſima. David nihil curans ea, quæ a ſpeculatoribus in monte conſtitutis nunciari poterant, monuit Jonathan, alteram diem primam eſſe ineuntis menſis. Ad literam (4): *Ecce menſis erat.* Certum id erat & exploratum omnibus. A Saule convivium per duos ſuccedentes dies celebrandum erat: nihil eorum latebat Davidem; ſecunda enim menſis dies tunc feſta erat, nempe Sabbatum. Solemne autem Regi erat, ut Sabbato, non ſecus ac in Noemeniis, familiam totam & Præfectos convivas haberet. Quod autem demonſtrat, ſecundam hanc diem in Sabbatum incidiſſe, illud eſt, quod David die non feriata condicto in loco fuerit (5), *Die quo operari licet*, die ſcilicet altera a Sabbato. Hac ipſa die ſeceſſit ab Jonatha; cumque perveniſſet in Nobe, nihil cibi apud magnum Sacerdotem præſto habuit, quam ingentes panes propoſitionis, qui præcedenti die amoti fuerant ab Altari (6): *Neque enim erant ibi panes, niſi tantum panes propoſitionis, qui ſublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur calidi.* Panes autem illos ſingulis Sabbatis amovendos eſſe, ut recentes ſubſtituantur, Lex edicit (7): *Per ſingula Sabbata mutabuntur.* Venit igitur David ad Achimelechum mane alterius a Sabbato diei; quare dies præcedens, qua cum Rege cibum ſumpturus erat, cum Sabbato componebatur.

Religione huic Hebraicæ perſimili, Pagani ſingulorum menſium Calendas conſecrabant. Apud Romanos, *Ut Idus omnes Jovi, ita & omnes Calendæ Junoni tributæ* (8). *Feſtis vero inſunt ſacrificia epulæ, ludi, & feriæ* (9). Neomeniarum Judaicarum meminit Horatius ſub nomine *triceſimi Sabbati* (10).

.... Hodie triceſima Sabbata. Vin tu
Curtis Judæis oppedere?

Ex more sedere soleo juxta Regem. Hebræus (11): *Ego ſedendo ſedebo cum Rege ad veſcendum.* Veteres olim menſæ aſſidebant, teſtibus Scriptura & Profanis. Ægyptii & Joſephus aſſidebant menſæ (12); ſedebant & Hebræi; quod etiam innuunt Proverbia Salomonis xxiii. 1. *Quando ſederis ut comedas cum Principe.* Veteres Græci ſedebant, non accumbebant (13), quod pariter & apud vetuſtiſſimas Italiæ gentes obtinebat (14):

Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis.

Aſſidebant alter poſt alterum menſis prolixis; quem morem illi a Lacedæmonibus, & Creteoſibus adoptaverant, teſte Servio apud Varronem.

Sed Perſæ accumbebant in lectis, poſitis ante parvas humileſque menſas, uti non obſcure Scriptura. De Aſſueri convivio narratur (15): *Lectuli quoque aurei, & argentei ſuper pavimentum ſmaragdino, & pario ſtratum lapide diſpoſiti erant.* Amanum convivam invitaverat Eſther, ejuſque proditionem Regina in convivio detexit Aſſuero. Rex indignatus e triclinio exiit: ſtatimque Aman cecidit ad pedes Reginæ, quæ convivali in lecto accumbebat (16): *Reperit Aman ſuper lectum corruiſſe, in quo jacebat Eſther.* Reputaverim ego tamen, fœminas apud Perſas, quemadmodum & apud Romanos (17) aſſediſſe menſæ; favetque opinioni huic meæ Nehemias, qui Reginam aſſidentem menſæ juxta Artaxerſem exhibet (18): *Dixitque mihi Rex, & Regina quæ ſedebat juxta eum;* & in Hebræo Eſtheris, in Textu mox laudato, non legitur Reginam jacuiſſe, *jacebat*, ſed tantum fuiſſe ſuper lectum; fuiſſe autem non jacentem, ſed aſſidentem, definit Chaldæus. Quod autem affirmavimus, ejuſmodi lectulos poſitos fuiſſe ante humiles valde menſas, ex eo facile probatur, quod (19) cum *Alexander in Regia* Darii *ſella ſediſſet, multo excelſiore, quam habitu corporis,* adeoque *pedes cum imum gradum non attingerent, unus ex Regiis pueris menſam ſubdidit pedibus.* Ingenuus quiſque hodie pariter apud Turcas menſam adhibet rotundam, baſi unius palmi impoſitam, e qua cibos capiunt ſtratis tapetibus inſidentes.

Mos aſſidendi in lectis convivalibus jam inde a Saulis ætate obtinebat apud Hebræos. Mulier illa Pythoniſſa, quam Saul conſuluit in Endor, ipſum lectulo inſidere coegit (20). Hujus etiam veſtigia deprehenduntur in Cantico Canticorum 1. 12. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Amos, ſub Ozia Rege, Juda, & Jeroboamo ii. Rege Iſraelis capite ii. 8. exprobrat locupletibus *accubitus* in menſa *ſuper veſtimentis oppignoratis, juxta omne altare.* Eumdem morem arguit Ezechiel xxiii. 41. *Sediſti in lecto pulcherrimo, & menſa ornata eſt ante te.* Anthor Eccleſiaſtici, poſt captivitatem ſcribens, duo indicat, & ſeſſionem interdum (21), & interdum etiam accubitum (22) in menſis. Eadem & apud Græcos licet animadvertere. Quamquam mos lectulorum convivalium obtinebat ætate Platonis, & ante Alexandrum; memoriæ tamen proditum eſt (23) Principem illum etiam poſt victorias ſuas menſæ aſſediſſe. Jeſus Chriſtus in noviſſima Cœna una cum Apoſtolis accumbebat (24).

Us-

(1) מה כראמר נפשך (2) Pſalm. xxvi. 12. (3) Job xxxviii. 39. (4) הנה חדש מחר Septuag. Ἰδοὺ δὴ νεομηνία αὔριον. (5) 1. Reg. xx. 19. (6) 1. Reg. xxi. 6. (7) Levit. xxiv. 8. (8) Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 15. Vide & Menedemi Vit. apud Laert. & Not. Menag. lib. 2. ſegm. 129. (9) Macrob. lib. 1. cap. 16. Saturn. (10) Horat. Serm. lib. 1. Satyr. 9. (11) ישב אשב עם המלך (12) Geneſ. xliii. 13. 33. (13) Vide Homer. paſſim & Athen. lib. 1. (14) Virgil. Æneid. vii. v. 176. (15) Eſther 1. 6. (16) Eſth. vii. 8. על המטה אשר אסתר עליה (17) Valer. Maxim. lib. 2. cap. 1. (18) 2. Eſdr. ii. 6. (19) Quint. Curt. lib. 5. (20) 1. Reg. xxviii. 23. (21) Eccli. ix. 12. *Cum aliena muliere ne ſedeas omnino, nec accumbas cum ea ſuper cubitum, & non alterceris cum ea in vino.* (22) Eccli. xxxi. 12. *Super menſam magnam ſediſti: non aperias ſuper illam faucem tuam prior.* (23) Athen. lib. 1. Dipnoſoph. cap. 14. Καθίζονται δ' οἱ νῦν ... κατακέκλινται. Τοῦτο δὲ καὶ περὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Βασιλέως ... (24) Johan. xiii. 23. *Erat autem recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu Jeſu.*

Usque ad veſperam diei tertiæ. Uſque ad veſperam diei ſecundę menſis, quę, uti ſupra probavimus, tunc incidit in Sabbatum. Neſas erat ea die longum iter aggredi. Ante eam diem noſſe non poterat David, quo Saul animo erga ſe eſſet. Tertia hęc dies agebatur a colloquio habito cum Jonatha. Sed Jonathas continuit ſeſe die Sabbati, nec niſi mane alterius diei, quę profeſta erat, Davidem alloquutus eſt ℣. 19.

℣. 6. Si respiciens requisierit me. Ægre hoc intelligimus. Norat David, Regem necem ſuam moliri, quippe quem lancea transfigere tentaſſet: miſsis militibus inſequutus ſuerat, quin & ipſe per ſe quęſitum venerat uſque Ramatham: nihilo tamen ſecius Saul ſperat, Davidem ultro ſe manibus ſuis commiſſurum; & David cauſationes aſferre ſatagit, niſi veniat. Forte Saul haberi hęc omnia volebat tamquam affecti morbo corporis deliria: facilitas illa qua David in Aulam rediit, poſtquam vibratę in ſe haſtę ictum primo declinavit (1), perſuaſit Sauli, neglecturum eſſe Davidem ea, quę pręcedentibus diebus contigerant,

Rogavit me David, ut iret celeriter in Bethlehem. Non ſtatim temere accuſandus eſt mendacii Jonathas (2); neque enim conſtat Davidem eo non ſe contuliſſe; quin & ex ℣. 19. colligere videmur, abſuiſſe illum Gabaa ab ea die, qua cum Jonatha collocutus erat, ad uſque tertiam menſis, cum ſcilicet ſupremum illum vidit, ac deinde ę Saulis ditione ſeſe ſubduxit. Vide ℣. 21.

Victimæ solemnes ibi sunt. Hebręus (3): *Sacrificium dierum ibi toti Tribui*. Sacrificium hoc dierum indicat facile annuum ſacrificium, quod Tribus, ſeu potius ſamilia Davidis univerſa offerebat in Bethlehem, ut deinde ſolemne epulum univerſis neceſſariis inſtrueretur. Jam alibi animadverſum eſt, uſque ad Regnum Salomonis, & uſque ad excitatum Jeroſolymis Templum cenſuiſſe populum, ſas eſſe offerre Domino ſacrificia aliquibus in locis, etiam ab Arca, & Tabernaculo procul. *Chariſtia* ſacrificia erant apud Romanos, Davidico huic perquam ſimillima (4). *Convivium ſolemne majores noſtri inſtituerunt, idque Chariſtia appellarunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur*,

℣. 7. Scito quia completa est malitia ejus. Hebræus ad literam (5): *Scito quia conſummata eſt malitia cum eo*; exitium meum, & ruinam decretam eſſe. Malum ejus animum erga me ſcrutaberis ex iis quæ tunc ſaciet. Si enim improbaverit ſactum, ita improbabit, ut ex indicio verborum arcanum cordis ejus intelligas. Si nihil reſponderit, puta, nihil illum de me cogitare gratam illi accidiſſe abſentiam meam. Si vero ſponte, & non præmonitus de me quærit, & amorem erga me ſuum teſtatur, tunc mihi omnia tuta ſunt penes illum, & ſecurus Regi me offeram.

℣. 8. Fœdus Domini; arctiſſimum nempe ſœdus, juratum, & Dei nomine confirmatum: denique ſœdus maximum, numeris omnibus abſolutum, & inter ſœdera arctiſſimum.

℣. 9. Absit hoc a te; neque enim fieri potest, ut si certe cognovero . . . non annuntiem tibi. Brevior ſententia in Hebræo (6): *Avertat Deus ab his, quia conſummata eſt malitia a patre meo, & aliud non annuncìem tibi?*

℣. 12. Crastino vel perendie. Hebræus (7): *Juxta tempus cras, & tertia die*; ideſt, circa hoc tempus, & cras, vel perendie, hac eadem hora. Septuaginta (8): *Interrogabo patrem meum ter*.

℣. 13. Hæc faciat Dominus Jonathæ. Credi-

tur expreſſiſſe nominatim mala, quæ ſibi imprecabatur a Deo, niſi verbis ſteriſſet. Vide 1. Regum iii. 17.

Sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo. Prævidebat Jonathas ſuturum, ut David in Regnum patris ſuccederet, atque amico imprecabatur eam felicitatem, quæ exordia Regni patris ſui proſpera effecit,

℣. 14. Si vixero, facies mihi misericordiam Domini. Hebræus verſiculi hujus & ſequentis ita loquentem cum Davide Jonathan inducere videtur. Niſi datæ fidei ſtetero, mihi te deeſſe, meæque poſt obitum meum ſamiliæ, volo. Ad literam (9): *Me adhuc vivente, non facies mecum miſericordiam Domini: ſi moriar, non abſcindes miſericordiam tuam a domo mea*, Jonathæ propoſito verba hæc repugnare, & male inter ſe cohærere videntur. Quare vel interpretatio Vulgatæ retinenda eſt, vel ea præſerenda, quam primo loco propoſuimus.

℣. 15. Auferat Jonathan de domo sua, et requirat Dominus de manu inimicorum David. Deſiderantur hæc in Hebræo, vetuſtis pluribus Codicibus Mſs. Verſionis S. Hieronymi, & Editionibus nonnullis Græcis Latiniſque.

℣. 16. Pepigit ergo Jonathas fœdus cum domo David: et requisivit Dominus de manu inimicorum David, Saul cæterique Davidis adverſarii ſuo quique tempore pœnas dederunt; ſœduſque Davidem inter & Jonatham compoſitum, deinceps impletum eſt. Sunt qui Hebræum ita exponant: Iniit ſœdus cum Davide Jonathas, & adjurantis more adjecit: Puniat Dominus adverſarios Davidis. Aliter; Ambo amici mutuam ſibi fidem jurarunt, atque extrema omnia imprecati ſunt iis qui malo eſſent in Davidem animo.

℣. 19. Requiretur sessio tua usque perendie. Hebræus vulgo aliter dividitur (10): [℣. 18.] *Viſitabitur tua ſeſſio*. [℣. 20.] *Et tertia die deſcendes velox*. Locus tuus vacuus apparebit, & prima die animadvertetur: Sed tertia die huc ad locum condictum venies. Vertunt alii: Locus tuus vacuus cernetur; veni igitur poſt tres dies; tertia die ſtatim veni. Syriacus & Arabs: *Hora tertia inſtanter poſtulaberis ad menſam. Quæretur, ubi es; venies igitur prompte*. Veni ſingulis tribus diebus. Si nihil ego effecero cras, altera tandem die Regis animum vincam: veni igitur ſingulis tridui diebus, ne forte tibi deſim (11).

In die qua operari licet. Die poſt ſeſtum. Hinc Scriptores quidam (12) inſerunt, ferias religioſas in Neomeniis ſervari conſueviſſe; conſtans tamen eſt oppoſita hiſce opinio, cum lex nullibi ferias ejus diei edicat. *Dies, qua operari licet*, eſt hic altera poſt Sabbatum, uti ſupra animadvertimus; & dies ab hinc tertia. Clericus vertit: *Dies operis*; qua ſcilicet opus totum abſolvendum eſt, tu de omnibus a me admonendus (13).

Juxta lapidem, cui nomen est Ezel. Interpretum plures lapidem hunc erectum cenſent, itineris indicem, uti lapides Mercurii apud Paganos. Ejuſmodi tamen locus minime omnium aptus fuiſſe videtur, quo ex condicto venirent ad ſecretum colloquium. Septuaginta, Syriacus, & Arabs legunt tantummodo: *Juxta lapidem hunc*. Junius & Tremellius (14): *Juxta ſpeculam hanc lapidem*.

℣. 21. Ecce sagittæ intra te sunt. Ibi ſe conſtituiſſe Davidem neceſſe eſt, ubi verba Jonathæ audire poſſet. Conventum autem ſuerat inter eos, ut ſi Jonathas mandaret puero ſuo, ad colligendas emiſſas ſagittas eunti, *Sagittæ intra te ſunt*,

 tolle

[1] 1. Reg. xviii. 11. & xix. 7. [2] Vide Eſt. hic. [3] כי זבח הימים שם לכל המשפחה [4] Valer. Max. l. 2. c. 1. art. 6. [5] דע כי כלתה הרעה מעמו Confer cum Eſt. vi. 7. [6] חלילה לך כי אם ידע ארע . . . ולא אותה אגיד לך [7] כעת מחר השלישית Αὔριον καὶ εἰς τὴν τρίτην. Vide ℣. 19. [8] Ἀνακρινῶ τὸν πατέρα μου ὡς ἂν καιρὸς τρισσῶς. [9] ולא אם עודני חי ולא תעשה עמדי חסד יהוה ולא אמות ולא תכרית את חסדך מעם ביתי. Quantum ולא ſuperfluere videtur. [10] ונפקדת כי יפקד מושבך ושלשת תרד מאד [11] Cajetan. [12] Sanct. [13] Pagn. Mont. Piſc. Vat. [14] אצל האבן האזל Septuag. Παρὰ τῷ λίθῳ ἐκείνῳ.

ſolle eas, eo indicio iotelligeret David, reditum ſibi tutum eſſe: ſi vero puerom moneret, *Sagittæ ultra te ſunt*, tuoc ſuga ſaluti ſuæ conſuletet David; Regem enim exitium ejus ſtatuiſſe.

℣. 24. Absconditus est David in agro. Si ab ea die ibi delituit, meodacii arguendus eſt Jonathas, aſſerens Davidem petiiſſe Bethlehem. Sed ſorte tertia die latebras in agro quæſivit David, poſtquam præcedentibus diebus ſubſtitit in Bethlehem. Vide ſupra ℣. 6.

℣. 25. Super cathedram suam, quæ erat juxta parietem. Is etat locus digniſsimus. Vide ſupra ix. 22.

Surrexit Jonathas, ſive honoris gratia, veniente Rege; ſive tantum ut locum ingredienti faceret. Vetum poſtea aſſedit menſæ, uti colligitur ex ℣. 34. Septuaginta (1): *Prævenit ipſe Jonathan, & ſedit Abner a latere Saul*. Legit Arabs, Jooathan ſediſſe ad dexteram Regis, & Abnerum ad ſiniſtram. Rex diſcumbebat in capite, ſuccedebat Jonathas ſecundus, Abner tertius. Quare germana eſt lectio Septuaginta, ſerens, Regem præceſsiſſe Jonathan.

℣. 26. Cogitabat enim quod forte evenisset ei, ut non esset mundus. Hebræus (2): *Accidens eſt, quia non purus ipſe, quia non mundus*. Surrepſit illi aliquid, quo inqoinatum ſuerit, neque expiari adhuc potuerit. Vertunt alii: *Accidit illi aliquid, præterquam quod mundus non eſt, nec eſt expiatus*. Re aliqua impeditur, ne huc veniat, vel forte expiatus adhue oon eſt. Epulum igitur erat e carnibus hoſtiarum pacificarum inſtructum, qoibus veſci nonniſi mundis licet. Vel forte ſpectabat Saul maculam aliquam, quæ caſu obrepſerit, quæque a commercio hominum excluderet, uti quæ contrahebatur ſuneribus vel contactu cadaveris immondi animalis; hiſee enim pollutus maculis, e caſtris ad uſque veſperum arcebatur (3).

℣. 29. Sacrificium solemne. Hebræus (4): Sacrificium *familiæ*, vel *cognationis*. Sacrificium erat totius ſamiliæ, cui neceſſe erat omnes e familia intereſſe.

℣. 30. Fili mulieris virum ultro rapientis; fili mulleris proſtitutæ. Hebræus (5): *Fili perverſæ rebellionis*; fili rebellis & in patrem tuom perdoellis. Septuaginta (6): *Fili puellarum deſertricum*, ſeo potius fili impudentium illarum fœminarum, quæ ultro viros quærunt. Congruit id cum interpretatione Vulgatæ. Cave tamen hoc accipias a Saule dictum de matre Jonathæ. Convicium eſt patris in filium irati.

℣. 31. Filius mortis est; decreta eſt viri mors. In eumdem ſeoſum uſurpari poteſt filios gehennę (7), ſuroris (8), luminis (9), tenebrarum (10), Belial (11), fortitudinis (12), perditionis (13), diſfidentiæ (14), aduptioois (15), incredulitatis (16), promiſsionis (17), carnis (18), obedientiæ (19). Totum aotem Davidis crimen illud erat, quod virtute & ſama nominis excelleret. Sunt enim hęc ſatalia viris magnis ſob Principibus ſuſpicioſis & invidis (20). *Nec minus periculum ex magna fama, quam ex mala*.

℣. 34. Eo quod confudisset eum pater suus. Referri hæc verba in Hebręo poſſunt (21) æque ad Davidem atque ad Jonathan. Inſigni contumelia utrumque Saul affecerat, Davidem arguens proditionis in Regem ſuum; Jonathan vero filium proſtitutę appellans. Septuaginta (22): *Quoniam pater ſuus ſtatuerat illum conſummare*.

℣. 37. Ecce ibi est sagitta porro ultra te. Revocandum eſt in mentem ſignum, de quo inter ipſos convenerat, utrum Davidi ſugiendum eſſet: id enim indicandum ſuerat verbis illis: *Sagittæ ultra te ſunt; vade in pace*. Cum igitur veniſſet Jonathas ad agrum, ubi latebat David, emiſit ſtatim ſagittam, admonuitque puerum, ut emiſſam quæreret; cum autem puer non longe eſſet ab illa, clamavit: *Sagitta ultra te eſt*; quo indicio, juxta condictum, amicum admonuit. Author Vulgatæ cenſuit, duo jacula emiſſa ſuiſſe; at unum tantummodo agnoſcunt, vel ſaltem indefinite loquuntur, alteram ab altera non diſtingueotes, Hebręus, Chaldęus, & Septuagiota.

℣. 41. De loco qui vergebat ad austrum. Unum & eumdem eſſe locum ceoſuit Chaldęus ac illum, qui in Hebręo ℣. 19. *Ezel* appellatur. Reddit ille: *Surrexit de latere petræ Atha* [ipſa eſt Ezel] *quæ e regione auſtri*. Hebręus ad literam (23): *Surrexit ex Ezel Auſtri*. Nomen quidem *Ezel* hic aliter ſcribitur, quam in ℣. 19. ſed diſcrimeo eſt minimum: conſtat aotem conveniſſe inter eos, ut David lateret in *Ezel*.

[1] Καὶ προέφθασε τὸν Ἰωνάθαν ויקם יהונתן Septuag. legunt ויקרם [2] מקרה הוא בלתי טהור הוא כי לא טהור [3] Levit. xi. 24. Vide & Num. v. 2. & Levit. xv. 2. &c. [4] זבח משפחה Septuag. Θυσία τῆς φυλῆς. *Sacrificium Tribus*. Aq. Th. Θυσία συγγενείας. Sym. Θυσία πατριᾶς. [5] בן נעות המרדות [6] *Υἱὲ κορασίων αὐτομολούντων*. Legunt נערות pro נעות, uti & Vulgata. Sym. Ἀπαιδεύτων ἀποστατῶν *apoſtatarum, rebellium*. Th. Μετακινουμένων, *Levium & inconſtantium*. Alius: Γυναικοτραφής, *Effœminate*. [7] Matth. xxiii. [8] Epheſ. ii. 3. [9] Epheſ. v. 8. & 1. Theſſal. v. 5. [10] 1. Theſſalon. v. 5. [11] Deuteronom. xiii. 3. & paſſim. [12] 2. Reg. ii. 7. *Eſtote filii fortitudinis*. [13] 2. Theſſal. ii. 2. [14] Epheſ. ii. 2. [15] Rom. viii. 15. [16] Coloſſ. iii. 6. [17] Rom. ix. 8. [18] Rom. ix. 8. [19] 1. Petri 1. 14. [20] Tacit. in Vita Agricolæ. [21] כי הכלימו אביו [22] Septuag. Ὅτι ἐβουλεύσατο ὁ πατὴρ αὐτοῦ συντελέσαι αὐτόν. [23] קם מאצל הנגב

CAPUT XXI.

Fuga Davidis in Nobe, ubi accipit panes ſanctificatos, & gladium Goliath. Confert ſe in Geth ad Achis, cogiturque inſaniam ſimulare, ut diſcrimine ſeſe liberet.

℣. 1. VEnit autem David in Nobe ad Achimelech ſacerdotem: & obſtupuit Achi-
melech, eo quod veniſſet David. Et dixit ei: Quare tu ſolus, & nullus
eſt tecum? 2. Et ait David ad Achimelech ſacerdotem: Rex præcepit mihi ſermo-
nem, & dixit: Nemo ſciat rem, propter quam miſſus es a me, & cujuſmodi præ-
cepta tibi dederim, nam & pueris condixi in illum, & illum locum. 3. Nunc er-
go ſi quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inveneris.

4. Et

Digitized by Google

4. Et reſpondens ſacerdos ad David, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum,
ſed tantum panem ſanctum; ſi mundi ſunt pueri, maxime a mulieribus? 5. Et re-
ſpondit David ſacerdoti, & dixit ei: equidem ſi de mulieribus agitur, continuimus
nos ab heri, & nudiuſtertius, quando egrediebamur: & fuerunt vaſa puerorum ſan-
cta. Porro via hæc polluta eſt, ſed & ipſa hodie ſanctificabitur in vaſis. 6. Dedit
ergo ei ſacerdos ſanctificatum panem: neque enim erat ibi panis, niſi tantum panes
propoſitionis, qui ſublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi. 7. Erat
autem ibi vir quidam de ſervis Saul, in die illa, intus in tabernaculo Domini: &
nomen ejus Doeg Idumæus, potentiſſimus paſtorum Saul. 8. Dixit autem David ad
Achimelech: Si habes hic ad manum haſtam, aut gladium? quia gladium meum, &
arma mea non tuli mecum: ſermo enim regis urgebat. 9. Et dixit ſacerdos: Ecce
hic gladius Goliath Philiſthæi, quem percuſſiſti in Valle terebinthi, eſt involutus pal-
lio poſt Ephod; ſi iſtum vis tollere, tolle, neque enim hic eſt alius abſque eo. Et
ait David: Non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum. 10. Surrexit itaque David,
& fugit in die illa a facie Saul: & venit ad Achis regem Geth: 11. Dixeruntque
ſervi Achis ad eum, cum vidiſſent David: Numquid non iſte eſt David rex terræ?
Nonne huic cantabant per choros, dicentes: Percuſſit Saul mille, & David decem
millia. 12. Poſuit autem David ſermones iſtos in corde ſuo, & extimuit valde a fa-
cie Achis regis Geth. 13. Et immutavit os ſuum coram eis, & collabebatur inter
manus eorum, & impingebat in oſtia portæ, defluebantque ſalivæ ejus in barbam.
14. Et ait Achis ad ſervos ſuos: Vidiſtis hominem inſanum: quare adduxiſtis eum ad
me? 15. An deſunt nobis furioſi, quod introduxiſtis iſtum, ut fureret me præſente?
hiccine ingredietur domum meam?

℣. 1. VENIT DAVID IN NOBE. Erat Nobe in cis jordanis urbs Beniamitica; erat & Nabo ſive Nebo urbs Rubenitica in transjordanis. Euſebius illam collocat trans Ebrom in plaga meridionali. Idem pariter Euſebius conſtituit urbem Bethannaba 4. M. paſſibus a Dioſpoli in orientali tractu; & S. Hieronymus diſtare ab hac ipſa urbe paſſibus 8. M. teſtatur. Non immerito credimus Bethannaba eandem cum Nobe eſſe urbem, quam S. Hieronymus in epitaphio Paulæ prope Dioſpolim ſitam ſcribit. Trans Jordanem veniſſe Davidem, idcirco Interpretes quidam (1) cenſent, quod inferius legimus, duobus vel tribus ante diebus illum a Saule receſſiſſe. Porro Nobe Beniamin longe adeo a Gabaa non diſtabat. Sed plerique Nobe Beniamiticæ favent, rati, Davidem loquentem cum Summo Sacerdote occultaſſe veritatem, quippe qui in Nobe venerit eadem ipſa die, qua a Jonatha diſceſſerat; Saulem enim non viderat, ex quo e Najoth prope Ramatham ſeſe receperat. Nobe Beniamin aberat circiter tribus paraſangis, quæ menſuræ triginta vulgo ſtadiorum erant, vel quatuor leucis a Gabaa, authore Beniamino Tudelenſi, verſus ſeptentrionem occidentalem, a regione Philiſtæorum declinando (2).

Nobe inter urbes Sacerdotales non recenſetur in Joſue XXI. nihilque tradit Scriptura de occaſione, qua Tabernaculum e Silo ad eam urbem translatum fuerat. Conſtat utique, Arcam manſiſſe in Cariath-jarim, & Nobe deinceps in Sacerdotalem urbem tranſiſſe. Id enim docet caput proxime ſequens ℣. 19. *Nobe autem Civitatem Sacerdotum percuſſit gladio*. Et poſt captivitatem, Nobe una fuit ex urbibus Beniamin, quæ Levitis ceſſerunt (3).

AD ACHIMELEC SACERDOTEM. Abiathar appellatur apud Marcum II. 32. & Achia ſuperius XIV. 3. Denique Alimelech apud Septuaginta. Creditur autem duo geſſiſſe nomina. Sane in Paralipomenis recenſentur nomina Summorum Sacerdotum ſub Davide (4); ac illa modo ſcribuntur *Sadoc & Abiathar*, modo vero *Sadoc & Achimelech* (5). Malunt alii (6), S. Marcum appellaſſe Sacerdotem hunc ex nomine patris ſui Abiatharum, quod ſcilicet Abiathari nomen eſſet Achimelecho celebrius, atque verſaretur in Nobe, cum David eo pervenit.

QUARE TU SOLUS, ET NULLUS EST TECUM? Conſtat ex Evangelio (7), Davidem comites habuiſſe: ſolum autem ſe obtulit coram Summo Sacerdote. Socios enim reliquerat alicubi extra urbem, quibus deinde ſeſe reſtituit cum panibus a Summo Sacerdote ſibi traditis. Vero tamen ſimillimum eſt, remiſiſſe illum ſocios, antequam ditionem Philiſtæorum attingeret; ſolum enim ſe coram Achis conſtituit. Sunt (8) qui credant, Summum Sacerdotem dixiſſe ſolitarium eſſe Davidem, quod minori quam conſueto ſatellitio ſtiparetur; quemadmodum de copiarum Imperatore vel Principe uſurpatur, ſolitarios illos incedere, cum raros habent comites: ſed nihil cogit ea comminiſci. David ſolus venit ad Achimelechum, neque enim e re eſſe cenſuit ſuos objicere Saulis odio, ſi compertum ille habuiſſet, illos Davidem fugientem eſſe proſequutos.

℣. 2. REX PRÆCEPIT. Per mendacium hæc omnia aſſerebat David. Is erat David, qui & fallere & falli poſſet. Cenſuit facile, quod ſummis etiam aliis viris ſuccurrit (9), fas eſſe vitam e diſcrimine officioſo mendacio liberare. Verum quod re ipſa malum eſt, nulla rerum circumſtantia licitum efficitur.

IN ILLUM ET ILLUM LOCUM. Indicavit fortaſſe aliquem vicinum locum. Hebræum (10) ita acce-

(1) Serar. hic. (2) Vide Cellar. lib. 3. c. 13. p. 139. (3) 2. Eſdr. XI. 32. (4) 1. Paralip. XV. 11. *Vocavit David Sadoc & Abiathar Sacerdotes*; & 1. Paralip. XVIII. 16. *Sadoc autem filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar Sacerdotes*. Ita & 2. Reg. VIII. 17. (5) Ita Janſen. Tolet. Salmer. Sanct. (6) Ita Beda, Salian. Marian. Sa, &c. (7) Matth. XII. 3. Luc. VI. Marc. II. (8) Vide Hugon. Toſt. Dionyſ. Menoch. Sanct. (9) Diphilus in Grot.

Ὑπολαμβάνω τὸ ψεῦδος ἐπὶ σωτηρίᾳ
Λεγόμενον, οὐδὲν περιποιεῖν δυσχερές.

(10) אל מקום פלני אלמני Septuag. Εἰς τόπον λεγόμενον φελανὶ ἀλμωνί.

ceperunt Septuaginta, tamquam ſi certi alicujus loci nomen exprimeret: *In loco dicto Pelanni Almoni*. Verum poſtremæ illæ voces uſurpantur eodem ſenſu ac apud Gallos, *tel & tel*, vel *un certain*; apud Italos, *tale e tale*, vel *un certo*.

℣. 4. NON HABEO LAICOS PANES, SED TANTUM PANEM SANCTUM. Hebræus ad literam (1): *Non panis profanus ſub manu mea, quinimmo panis ſanctificatus*. Sermo eſt hic de panibus propoſitionis, die præcedenti e menſa antea remotis; quibus veſci Laicis nefas, Sacerdotibus tantum fas erat (2).

SI MUNDI SUNT PUERI, MAXIME A MULIERIBUS. Deum facile conſuluit Summus Sacerdos de cauſa itineris Davidis, uti Sauli narrabat Doeg Idumeus (3); uti & quid facto opus eſſet in eo rerum articulo. Quare omnia hæc ſingulari Numinis providentia geſta eſſe cenſendum eſt. Ut vero id demus, Achimelechum nulla peculiari Numinis revelatione inſtructum fuiſſe, facile tamen decernere poterat, comperta Davidis neceſſitate ac utilitate publica, cum miſſum illum a Rege ad rem aliquam graviſsimam reputaret. Jeſus Chriſtus in Evangelio hanc unam urget cauſam, ut Davidem excuſet. Cum vero Achimelech Davidem & ſocios interrogavit, utrum mundi ſint a fœminis, merito illud colligebat, ſicuti Deus in aliis rerum articulis hanc corporis ſanctitatem exigeret ab iis qui ad Sancta accederent, ita eamdem in hoc eventu a legibus non expreſſo poſtulare. Commune eſt axioma, circumſtantias a Lege non expreſſas ad rationem expreſſarum, quæ illis propius accedunt, dirigi oportere.

℣. 5. CONTINUIMUS NOS AB HERI ET NUDIUSTERTIUS. Continuimus nos ab uxoribus jam triduo. Porro hic numerus dierum neceſſarius fuiſſe videtur, ut ſe quiſque rite ad ſacras res præpararet. Moyſes comparaturus populum ad accipiendam Legem, edixit (4): *Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus veſtris*.

FUERUNT VASA PUERORUM SANCTA, ex quo diſceſſerunt. Nulla legali macula, qua cogerentur eluere veſtes, ſeſe tunc polluerant. Accipi etiam poteſt de ſanctitate corporis; in hanc enim ſignificationem nomen *vaſis* uſurpat interdum Apoſtolus, ut (5): *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*. Et (6): *Ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione*. Alii exponunt de armis, veſtibus, atque univerſo militis apparatu, quemadmodum vaſis nomen interdum accipitur apud Latinos (7). Septuaginta: *Omnes pueri fuerunt purificati* (8).

PORRO VIA HÆC POLLUTA EST, SED ET IPSA HODIE SANCTIFICABITUR IN VASIS. Curabo ne veſcantur hoc pane, niſi eluti prius maculis, quas forte in itinere contraxerint. Hebræus ita ſonat (9): *Ipſa via profanationis, & quia hodie ſanctificabitur in vaſe*. Quamquam itineris noſtri propoſitum profanum eſt, eluemus nos tamen prius quam panibus hiſce veſcamur. Vel potius: Quamquam expeditio hæc minus eſt pura, noſque legalibus maculis, occiſione hoſtium Regis, exponit; nihilo tamen ſecius hodie ſanctitatem habemus, nihilque prohibet quin accedamus ad ſacra. Vel denique: Quamquam interdictus eſt Lege eſus panum ſanctificatorum Laicis; ex illis tamen non guſtabimus niſi puri, & qua decet erga res ſanctas religione. Fatendum eſt, phraſim hanc Hebraicam eſſe obſcuriſſimam.

℣. 7. INTUS IN TABERNACULO DOMINI. Hebræus (10): *Detentus ad facies Domini*. Sunt qui incommodo aliquo, vel poſſidente intus Dæmone detentum ibi fuiſſe credant; quæ interpretatio eſt Theodoreti. Alii exponunt de voto ab ipſo nuncupato, & cujus ſe reum ſiſtebat ad Tabernaculum, vel de conſecratione quadam ſpeciali, qua ſe devoverat. Mallerem ego exponere de viro ex eorum numero, qui ea die ad Tabernaculum coierant. Vox *Azar* uſurpari ſolet in Hebræo de conventu populi ad Tabernaculum; & Feſta appellantur *dies detentionis*, vel *cœtus*, *Azeret*.

DOEG IDUMÆUS. Idumæus appellatur ſive ex loco originis, ſive ex loco natali, ſive quod in Idumæa aliquandiu ſubſtiterit. Septuaginta, & Joſephus Syrum fuiſſe hominem tradunt; legerunt enim in Hebræo (11) *Arami*, *Syrum*, pro *Hedomi*, Idumæo. Addunt, paſtorem fuiſſe mulorum Saulis, quo loco in Vulgata legitur: *Potentiſſimus paſtorum Saul*; vel juxta alios: *Princeps paſtorum Saul*.

℣. 9. ECCE HIC GLADIUS GOLIATH . . . . EST INVOLUTUS PALLIO POST EPHOD. David conſecraverat Domino gladium Goliath, ut relatam de illo victoriam hoc monumento demonſtraret. Uſus autem in Templa inferendi capta ex hoſtibus arma, apud Paganos æque & apud Hebræos vetuſtiſſimus eſt. Interrogatus Spartanus quidam, cur id pariter apud ſuos, quemadmodum apud cæteras gentes, non obtineret, reſpondit, ſpolia hæc eſſe hominum ignavorum, nec Diis grata, nec juvenibus admonitioni ad virtutem bellicam futura (12). Epaminondas Thebanorum Imperator deponi juſſit e parietibus Templorum arma omnia in illis appenſa, perſuaſitque militibus, hæc ſibi Deos ſumpſiſſe, ut illis opem laturi venirent (13). Cum juſtum bellum geritur, fas eſt ad parandam defenſionem ornamentis ſuis Templa nudare. *Pro Republica plerumque Templa nudant*, ait Seneca (14).

Chaldæus ita vertit: *Dixit: Gladius Goliath Philiſtæi . . . poſtquam quæſivit illi in Ephod*. Hanc facultatem Davidi non permiſit Sacerdos, niſi conſulto prius Domino (15). Equidem Doeg renunciavit Sauli, uti jam monuimus, Summum Sacerdotem conſuluiſſe Dominum pro Davide (16).

℣. 10. VENIT AD ACHIS REGEM GETH. Quomodo David, vir Philiſtæis infeſtiſsimus, quem inter hoſtes pernicioſiſsimum ſibi habebant, committere ſeſe audet manibus Achis? Committere autem gerens gladium Goliath, qui magnitudine ſua Philiſtæorum oculis notandum ſe, & agnoſcendum præbebat? An forte reputabimus, jubente Deo illuc ſeſe contuliſſe? Verum ſi David conſuluit Dominum, uti probabiliſsime arbitramur, conſuluit certe de itinere generatim, proſperum ne futurum, an pro voto res ſucceſſura eſſet? reſpondiſſe vero ad interrogata Dominum, nihil tamen decernendo: alioqui enim nec Summus Sacerdos, nec Doeg & fugam ejus, & fugæ locum ignotaſſent.

Quam

(1) אין לחם חל כי אם לחם קדש Septuag. Ἄρτοι βέβηλοι. Aquil. Λαϊκοί. (2) Levit. XXIV. 9. *Erunt Aaron & filiorum ejus, ut comedant eos in loco ſancto, quia ſancta ſanctorum eſt*. Et Matth. XII. 4. *Panes Propoſitionis comedit, quos non licebat ei comedere, neque his qui cum eo erant, niſi ſolis Sacerdotibus*. (3) 1. Reg. XXII. 10. (4) Exod. XIX. 15. *Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus veſtris*. (5) 2. Cor. IV. 7. (6) 1. Theſſalon. IV. 4. (7) Livius lib. 1. *Faciſne me tu Regium nuncium . . . . Vaſa comiteſque meos*. (8) Πάντα τὰ παιδάρια ἡγνισμένα. (9) והוא דרך חל ואף כי היום יקדש בכלי Quidam. Ἡ αὐτὴ ὁδὸς λαϊκή, ἀλλ' ὅμως, &c. Aliut, Καὶ ὅτι εἰ βέβηλος ἡ ὁδὸς αὐτῶν, σήμερον ἁγιασθήσεται διὰ τὰ σκεύη μου. Septuag. Καὶ αὐτὴ ἡ ὁδὸς βέβηλος, διότι ἁγιασθήσεται σήμερον. (10) נעצר לפני יהוה Septuag. Συνεχόμενος ἐνώπιον κυρίου. Edit. Rom. Νεεσαρὰν ἐνώπιον κυρίου. Innuere videntur, illum voto Nazaræatus obſtrictum fuiſſe; vel originalis vocem ſervare maluerunt. (11) *Haarami* הארמי. *Hardomi* האדמי. Ita & cap. XXII. 9. Septuag. variant inter ſe. Romana Editio, Σύρος; cæteræ Editiones, ὁ Ἰδουμαῖος. Scimus tamen, veterem quemdam Interpretem, uti & Joſephum Antiq. l. 6. c. 14. legiſſe *Syrum*. Eadem varietas occurrit infra XXII. 9. (12) Plut. in Apophteg. Laconic. (13) Frontin. Stratag. lib. 1. (14) Senec. controverſ. apud Grot. hic. Vide & lib. 3. c. 5. art. 21. de jure Belli & Pacis. (15) Ita Jun. Piſc. Rab. Salom, Glaſs. Vatab. (16) 1. Reg. XXII. 10.

Quam Deus tulit Davidi in gravi illo diſcrimine opem, illa ſatis demonſtrat, iter illud, periculoſum licet, non ſine Numinis voluntate ſuſceptum fuiſſe. Nec niſi falſiſſime reputaremus, blanditum ſibi fuiſſe Davidem fore ut a nemine in Geth agnoſceretur. Melius fortaſſe colligas, Davidem cenſuiſſe, fore ut Achis magnanimitatem profiteretur, putaretque non parum commodi rebus ſuis acceſſurum, ſi haberet apud ſe virum adeo ſtrenuum, in quo unicum fuerat momentum victoriæ apud Saulem, & periculi penes Philiſtæos. Nec David prius fugam ab Achis molitus eſt, quam novit, Aulicos iniquo in ſe animo eſſe, atque dictaſſe Regi ſeſe perdendi conſilium, revocatis ſub Regis oculos victoriis Davidis, ejuſque immodica penes univerſum Iſraelem gratia.

Achis, vel idem ipſe qui modo, vel alter hujus ſucceſſor, res ſuas in ſimili re non neglexit. Cum enim David ſecundo illuc perſugiſſet (1), venientem liberaliter excepit, urbem illi in ſedem aſſignavit, quin & ſecum adducere ad prælium adverſus Saulem voluit. Crebra ſuppetunt exempla Magnorum Virorum, qui coacti perfugium apud hoſtes quærere, excepti ſunt humaniſſime. Themiſtocles aufugit ad Perſas, Alcidiades ad Lacedæmonios, Coriolanus ad Volſcos. Grandis hæc eſt de hoſtibus victoria, ſi mens illis & robur omne adimatur, tantumque alteri parti utilitatis accedat, quantum hoſtibus minuitur ac decreſcit.

℣. 11. NUMQUID NON ISTE EST DAVID REX TERRÆ? ceu Rex habitus in ſua regione? Deſignatio Davidis in Regnum non ſatis fortaſſe comperta erat Philiſtæis; norant tamen, poſt tot virtutis, & prudentiæ ſpecimina, ſi forte contingeret ut Regnum e Saulis domo in alteram migraret, certe in Davidicam conceſſurum. Facile etiam Saulis reprobatio, & electio Davidis ſenſim per regionem ſeſe diffuderat, ac denique ad Philiſtæos tranſiverat. Forte etiam hæc verba iſta, *Numquid non iſte eſt David Rex terræ?* innuunt tantum, Saulem nec Regnum, nec prælium gerere, niſi Davide miniſtro, quem proinde Davidem ceu Regem ſuum tota Regio ſuſpiceret. Sunt qui aliter exponant (2): *Numquid non eſt Rex terræ?* urbis Geth, regionis Philiſtææ? cui jus eſt in hanc Regionem, poſt relatam de Goliath victoriam? Verbis Gigantis fidem ſuam obligaverant Philiſtæi, jugum ſe victoris ſubituros (3).

℣. 13. ET IMMUTAVIT OS SUUM. Hebræus (4): *Mutavit guſtum ſuum*, vel *ſententiam*. Chaldæus, *Rationem ſuam*, ſtulti perſonam induens. Oris aſpectum, verba, habitum corporis mutavit; neque enim, uti prius, virum ſe exhibuit ſapientem, gravem, prudentem, cordatum.

COLLABEBATUR INTER MANUS EORUM, non tanquam viribus deſtitutus, ſed tamquam epilepſia laborans. Hebræus (5): *Finxit ſe inſanum*, vel *furioſum in manibus eorum* (6): Chaldæus: *Stupidus factus eſt in manibus eorum*.

ET IMPINGEBAT IN OSTIA PORTÆ; impingebat in limen, vel in ſtipites ruebat. Reddi poſſet Hebræus (7): *Delineabat*, ſcribebat, ducebat lineas, & imagines ſuper ſtipites januæ (8) more puerorum, & amentium. Recitant Doctores Hebræi verba ibi a Davide ſcripta (9): *Achis Rex Geth debet mihi millies centena millia aureorum*. Septuaginta (10): *Tympanizabat ad portam Civitatis*. Aquila (11): *Tranſibat, & impingebat*.

DEFLUEBANT SALIVÆ EJUS IN BARBAM. Seſe ſimulabat epilecticum, ſpumantem, cujuſmodi quidam deſcribuntur in Evangelio (12). Id genus hominum vitari ſolet, quippe quorum ſaliva morbum in alios transferre creditur: perinde deberi ſolent ac rabidi & furentes, uti agit hic Rex Philiſtæus cum Davide (13).

Hegio. *Hic homo rabioſus habitus eſt in Alide*
Nam iſtic haſtis inſectatus eſt domi matrem & patrem
Et illic iſti, qui ſputatur, morbus interdum venit.

℣. 15. HICCINE INGREDIETUR DOMUM MEAM? Furioſum inter domeſticos recipiam? Familiares Achis graviſſime ferentes adventum Davidis, animum Regis in illum ſolicitant. Pravum eorum conſilium intelligens David, inſani perſonam ementitus eſt, ut manus Regis, & laqueos Aulicorum vitaret. Improviſum morbum, qui Davidi acciderat, miratus Achis, cavere ſe plurimum dixit, ne talem hominem domi ſuæ reciperet.

(1) 1. Reg. XXVII. 1. 2. (2) Vatab. Piſc. (3) 1. Reg. XVII. 9. *Si percuſſerit me, erimus vobis ſervi.* (4) וישנו את טעמו (5) ויתהלל בידם (6) Ita Mont. Grot. Jun. Vat. Munſt. (7) ויתו על דלתות השער (8) Ita Jonat. Rab. Sal. Munſt. Grot. Jun. alii. (9) Rabb. in Midraſch. (10) Septuag. [illegible]. Ita Hieron. Præfat. in Pſalm. XXXIII. *Tympanizabat ad portam civitatis.* (11) Aqu. [illegible]. Sym. Th. Καὶ ἐψόφει, *ſtrepitum faciebat*. Septuag. Ἔπιπτε, *cadebat*, ויתו (12) Marc. IX. 17. Luc. IX. 39. (13) Plaut. in Captivis.

CAPUT XXII.

David in ſpeluncam Odollam, inde ad Regem Moab confugit. Gad Propheta reditum illi in ditionem Juda imperat. Saul omnes Sacerdotes Nobe interficit, excepto Abjatharo, qui ad Davidem perſugit.

℣. 1. ABiit ergo David inde, & fugit in ſpeluncam Odollam. Quod cum audiſſent
fratres ejus, & omnis domus patris ejus, deſcenderunt ad eum illuc. 2.
Et convenerunt ad eum omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo: & factus eſt eorum princeps, fueruntque cum eo quaſi quadringenti viri. 3. Et profectus eſt David inde in Maſpha, quæ eſt Moab: & dixit ad
regem Moab: Maneat, oro, pater meus, & mater mea vobiſcum, donec ſciam, quid
faciat mihi Deus. 4. Et reliquit eos ante faciem regis Moab: manſeruntque apud eum
cunctis diebus, quibus David fuit in præſidio. 5. Dixitque Gad propheta ad David:
Noli manere in præſidio, proficiſcere, & vade in terram Juda. Et profectus eſt David,

vid, & venit in ſaltum Haret. 6. Et audivit Saul, quod apparuiſſet David, & viri, qui erant cum eo. Saul autem cum maneret in Gabaa, & eſſet in nemore, quod eſt in Rama, haſtam manu tenens, cunctique ſervi ejus circumſtarent eum, 7. Ait ad ſervos ſuos, qui aſſiſtebant ei: Audite nunc filii Jemini: numquid omnibus vobis dabit filius Iſai agros, & vineas, & univerſos vos faciet tribunos, & centuriones: 8. Quoniam conjuraſtis omnes adverſum me, & non eſt, qui mihi renuntiet, maxime cum & filius meus fœdus inierit cum filio Iſai? Non eſt, qui vicem meam doleat ex vobis; nec qui annuntiet mihi, eo quod ſuſcitaverit filius meus ſervum meum adverſum me, inſidiantem mihi uſque hodie. 9. Reſpondens autem Doeg Idumæus, qui aſſiſtebat, & erat primus inter ſervos Saul: Vidi, inquit, filium Iſai in Nobe, apud Achimelech filium Achitob ſacerdotem. 10. Qui conſuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei: ſed & gladium Goliath Philiſthæi dedit illi. 11. Miſit ergo rex ad accerſendum Achimelech ſacerdotem filium Achitob, & omnem domum patris ejus, ſacerdotum, qui erant in Nobe, qui univerſi venerunt ad regem. 12. Et ait Saul ad Achimelech: Audi fili Achitob. Qui reſpondit: Præſto ſum, domine. 13. Dixitque ad eum Saul: Quare conjuraſtis adverſum me tu, & filius Iſai, & dediſti ei panes, & gladium, & conſuluiſti pro eo Deum, ut conſurgeret adverſum me, inſidiator uſque hodie permanens? 14. Reſpondenſque Achimelech regi, ait: Et quis in omnibus ſervis tuis ſicut David fidelis, & gener regis, & pergens ad imperium tuum, & glorioſus in domo tua? 15. Num hodie cœpi pro eo conſulere Deum? abſit hoc a me: ne ſuſpicetur rex adverſus ſervum ſuum rem hujuſcemodi, in univerſa domo patris mei: non enim ſcivit ſervus tuus quidquam ſuper hoc negotio, vel modicum, vel grande. 16. Dixitque rex: Morte morieris, Achimelech, tu, & omnis domus patris tui. 17. Et ait rex emiſſariis, qui circumſtabant eum: Convertimini, & interficite ſacerdotes Domini: nam manus eorum cum David eſt: ſcientes, quod fugiſſet, & non indicaverunt mihi. Noluerunt autem ſervi regis extendere manus ſuas in ſacerdotes Domini. 18. Et ait rex ad Doeg: Convertere tu, & irrue in ſacerdotes. Converſuſque Doeg Idumæus, irruit in ſacerdotes, & trucidavit in die illa octogintaquinque viros veſtitos ephod lineo. 19. Nobe autem civitatem ſacerdotum percuſſit in ore gladii, viros, & mulieres, & parvulos, & lactentes, bovemque & aſinum, & ovem in ore gladii. 20. Evadens autem unus filius Achimelech, filii Achitob, cujus nomen erat Abiathar, fugit ad David; 21. Et annuntiavit ei, quod occidiſſet Saul ſacerdotes Domini. 22. Et ait David ad Abiathar: Sciebam in die illa, quod cum ibi eſſet Doeg Idumæus, procuIdubio annuntiaret Sauli: ego ſum reus omnium animarum patris tui. 23. Mane mecum, ne timeas: ſi quis quæſierit animam meam, quæret & animam tuam, mecumque ſervaberis.

ỹ. 1. FUGIT IN SPELUNCAM ODOLLAM. Odollam, vel Adullam, vel Adollam, Urbs eſt Tribus Juda, x. M. paſſibus ab Eleutheropoli, ad Orientem (1). In ſpeluncam agri ejus orbis, David ſeceſſit. Palæſtinæ montium plerique frequentiſſimis vaſtiſque ſpeluncis diſſeminantur, tuto in bellis perſugio.

ỹ. 2. QUI ERANT IN ANGUSTIA CONSTITUTI, ET OPPRESSI ÆRE ALIENO (2). Si David aſylum exhibere voluit omnibus ſeditioſis hominibus, non ſine diſpendio Regiæ authoritatis, obæratiſque, creditorum incommodo, nulla ſane ratione excuſatur crimine violatæ æquitatis, juſtitiæ, & charitatis in proximum, atque in legitimum Principem perduellionis. Reputandum tamen eſt, in clientelam ſuam non accepiſſe, niſi quos iniquitas & vis Regis coegerat ſalutem fuga quærere, & obæratos, quorum egeſtas tanta erat, ut nec ſolvere creditoribus poſſent, nec tuto manere in patria, niſi vendita libertate. Modeſtia & diſciplina, qua David copias ſuas continebat, obſequium quod ipſos ſemper docebat erga Rempublicam & Regem, ſatis probant, alieniſſimum geſſiſſe animum a defectione. Obæratos vero cum ab iniquis vexationibus tuebatur, vel liberabat ſervitute, illis etiam ſeſe præſtiturum opem pollicebatur, cum primum rebus ſuis melior fortuna arriſiſſet; ac modo illo ducebat, ubi juſte acquirerent, quo creditoribus ſolverent, quippe quos in hoſtes Domini, & Reipublicæ duc[illegible]t. Neque ambigendum eſt, utrom illi fuerit jus gerendi bellum, cum certum haberet & aſſertum jus ad imperium.

ỹ. 3. IN MASPHA, QUÆ EST MOAB. Agi hic credimus de urbe Maſpha, patria Jephte (3), in montibus Galaaditidis. Id ſi admittamus, conſtituamus neceſſe eſt, Reges Moab hanc urbem poſt obitum Jephte recuperaſſe. Maluerim igitur, nomen *Maſpha Moab* uſurpari hic de loco, ſitu & natura munito, longe alio a Maſpha Galaad. Porro *Maſpha* ſonat locum editum, in quo ſpecula conſtituitur, vel locum ſitu munitum. Eadem eſt fortaſſe Maſpha, quæ Inferius, ỹ. 4. appellatur (4) *Præſidium*, ubi etiam præſidiarii milites conſtituuntur.

Cæterum David perfugium apud Regem Moab eligit, quod Princeps eſſet Saulis inimicus, quippe cujus arma expertus fuiſſet (5). Neque ſane apud

(1) Euſeb. & Hieron. in locis. (2) Aqu. Πᾶς συνεχόμενος, καὶ πᾶς προσαιτούμενος, πᾶς ἐπακτός, *Omnis oppreſſus, vagus, mendicus.* 70. Ἐν ἀνάγκῃ καὶ τῶν ὑπόχρεων. *Inopia & ære alieno laborantes.* (3) Vide Judic. x. 17. & xi. 1. (4) מצודה: 70. Περιοχῇ. (5) 1. Reg. xiv. 47.

apud eum Principem incidit David in diſcrimen, quod antea apud Achis Regem Geth; facile enim minus inviſum habebant Moabitæ, quibus minus quam Philiſtæis nocuerat.

Donec sciam quid faciat mihi Deus. Conſilium ſuum mox patefecit illi Deus per Prophetam Gad, ℣. 5.

℣. 5. Venit in saltum Haret. *Haret* nomen eſt loci, noti Euſebio & S. Hieronymo, ad Occidentem Jeroſolymæ. In luco prope *Haret* David latuit. Patrem & familiares, qui inepti eſſent ad fugam, in *Maſpha Moab* reliquiſſe videtur David. Septuaginta pro *ſaltum Haret*, legunt ἐν πόλει χαρίθ, *in urbe Haret*; legunt enim העיר pro יער

℣. 6. Cum maneret in Gabaa, et esset in nemore quod est in Rama. Ea nobis ſedet perſuaſio, vocem *Rama* non certi loci nomen eſſe, ſed tantummodo editum locum, ut reddendum ſit (1): *Saul ſedebat in Gabaa, ſub arbore, quæ eſt in excelſo*. Editum fuiſſe locum in Urbe Gabaa, compertum tenemus.

℣. 7. Filij Jemini, vel filii Beniamin. Fratres, neceſſarii mei. Saul ad Tribum Beniamin pertinebat, exprobratque gentilibus ſuis, non ſatis illos rebus ſuis conſulere.

℣. 8. Eo quod suscitaverit filius meus. Calumniæ! Jonathas nexu quidem amicitiæ junxerat ſeſe Davidi; nihil tamen illa duorum amicitia obſequio in patrem derogaverat. Recuſavit ille quidem venire in conſilium Saulis, amicum ſcilicet vexandi affligendique: at neque potuiſſet citra crimen & iniquitatem. Hinc non obſcure patet, Jonatham recepiſſe ſeſe ea Aula, ut gravi adeo verborum injuria, ſtrictaque in ſe haſta (2) a patre offenſus fuit.

℣. 9. Qui assistebat, et erat primus inter servos Saul. Legimus ſupra (3), primum locum tenuiſſe inter paſtores Saulis. Septuaginta (4) ferunt hic, præfuiſſe illum mulis Saulis.

℣. 10. Qui consuluit pro eo Dominum. Sunt qui hæc mentiendo aſſeruiſſe Doegum credant (5), ut invidiam majorem in ſummum Sacerdotem crearet. Fatemur equidem, in eo loco, ubi hæc hiſtoria recitatur, nihil legi de conſulto Domino per Achimelechum; ſed eam accuſationem non amovet a ſe Summus idem Sacerdos, quin & diſertiſſime admittit: fatetur enim: *Num hodie cœpi pro eo conſulere Deum?* Familiare eſt Scripturæ in uno loco ſupplere, quod in altero omiſſum eſt.

℣. 14. Fidelis et gener Regis . . . et gloriosus in domo tua. *Jam alibi* (6) animadvertimus, nomen *fidelis*, in Hebræo *Neeman*, accipi ſæpe pro quodam apud Regem munere. Nomen (7) *glorioſus*, vel *honoratus in domo*, indicat etiam eximiam viri dignitatem, quam nos non ſatis exprimimus voce *glorioſus*. Ita e. gr. legimus (8) de Sichem filio Hemor: *Ipſe erat inclytus in omni domo patris ſui*: & de Samuele (9): *In civitate hac vir nobilis*; de viris ſtrenuis Davidis (10): *Erant inter triginta nobiliores*; denique de Jabes (11): *Inclytus præ fratribus ſuis &c.*

℣. 15. Num hodie cœpi pro eo consulere Deum? Reddi poteſt Hebræus abſque interrogatione (12): *Hodie cœpi pro eo conſulere Deum*. Nunquam alias hoc præſtiti (13); modo vero id auſus ſum, ignorans, invito Rege me id facere.

℣. 17. Emissariis. Hebræus (14): *Curſoribus*, pediſſequis, vel cuſtodibus corporis. De curſoribus ante Regem gradientibus ſermo frequens recurrit in Scriptura. Abſalom (15), & poſt illum Adonias (16) ad Regnum inhiantes, *fecerunt ſibi quinquaginta viros, qui currerent ante eos*. Quos ſibi conſtituit Roboamus, pergenti ad Templum Regi præcedentes, clypeos æneos ferebant (17). Samuel edixerat Iſraelitis futurum, ut Rex, quem ſibi poſtulabant, e filiis illorum *aſſumeret præcurſores quadrigarum ſuarum* (18). Curſoribus ſuum erat in aula domicilium (19), & dignitatem gerebant ampliſſimam (20).

Interficite Sacerdotes Domini . . . noluerunt autem servi Regis. Laudabilis eſt, nedum licita, tranſgreſſio mandatorum Principis, cum iniquas, & apertiſſime injuſtas res imperat. Parendum eſt Deo potius, quam hominibus. Quam debemus Principibus obedientiam, ea inferior eſt altera, qua Deo obſtringimur. Neque caſu Scriptura non ſemel docet, Doegum Idumæum fuiſſe genere; ita enim lectorum animos veluti præparat ad excipiendum æquius infama hoc facinus, ab illo in cæde Sacerdotum Domini perpetratum.

℣. 18. Octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo. Qui ea veſte tunc induti fuerunt, rati, ſacræ veſtis religione obſequium ſe illaturos in animum Saulis, ſævumque illius ingenium in officio detenturos. Vel, quibus jus erat ferendi Ephod, utpote Sacerdotali dignitate inſignitis; vel denique, qui per ætatem apti erant indui Ephod, & Templo miniſtrare. Ex his autem non obſcure patet, Ephod lineum conſuetam fuiſſe Sacerdotum veſtem. Pro *octoginta quinque viros*, legunt Septuaginta Τετρακοσίους καὶ πέντε, *quinque & trecentos* (21). Joſephus, πέντε καὶ ὀγδοήκοντα, καὶ τριακόσιοι, *quinque & octoginta ac trecenti*.

℣. 19. Nobe civitatem sacerdotum percussit in ore gladii. Non alio animo hæc intueri oportet, quam quo ſcelus quodcumque iniquiſſimum, & a regulis æqui juſtique abhorrens. Saul a Deo derelictus, nullam æquitatis ac modeſtiæ legem ſanctam habet. Eodem fortaſſe tempore, & Tabernaculum Domini translatum eſt Gabaonem, & Saul neci tradidit Gabaonitas, urbe ſua depulit, ut locum ibi Templo Domini faceret.

℣. 20. Evadens unus, Abjathar nempe, quem unum e tota familia Deus ſervare voluit. Convenit ille Davidem in ſaltum Haret, detulitque ſecum ornamenta Summi Sacerdotis, uti conſtabit capite ſequenti, ℣. 6. 9.

℣. 22. Ego sum reus omnium animarum patris tui. Hebræus ad literam (22): *Ego converti omnes animas domus patris tui*. Ego quodammodo gladio in illos ſævii. Spectare hic videtur David verba illa Saulis, jubentis, ℣. 17. (23): *Convertimini, & interficite Sacerdotes Domini*. Vertunt alii: *Ego cauſam præbui morti omnis domus tuæ*.

(1) ושאול יושב בגבעה תחת האשל ברמה (2) 1. Reg. xx. 33. (3) 1. Reg. xxi. 7. (4) Ο' καθεστὼς ἐπὶ τὰς ἡμιόνους Σαούλ. (5) Hugo Card. (6) Num. xii. 7. (7) ונכבד בבות (8) Geneſ. xxxiv. 19. (9) 1. Reg. ix. 6. (10) 2. Reg. xxiii. 23. (11) 1. Par. iv. 9. (12) היום החלתי לשאל לו באלהים (13) Ita Chald. Munſt. (14) רצים Sept. Τοῖς παρατρέχουσι. (15) 2. Reg. xv. 1. (16) 3. Reg. i. 5. (17) 3. Reg. xiv. 28. (18) 1. Reg. viii. 11. (19) 3. Reg. xiv. 28. (20) 2. Par. xii. 10. (21) Ita Codd. Vatic. Ald. Alex. Joſeph. Antiq. vi. 14. (22) סבתי בכל נפש בית אביך (23) 17. סבו והמיתו

C A P U T XXIII.

David urbem Ceilam e Philiſtæis liberat, eoque perfugit; tum in deſertum Ziph proficiſcitur, cujus rei Saul certior factus eſt. Cum David deinde migraſſet in Deſertum Maon, ac prope eſſet ut incideret in manus Saulis, Saul cogitur recedere, ut ditionem ſuam ab invaſione Philiſtæorum tueatur.

A. M. 2941. ante J. Chr. 1059.
℣. 1. ET annuntiaverunt David, dicentes: Ecce Philiſthiim oppugnant Ceilam, &
diripiunt areas. 2. Conſuluit ergo David Dominum, dicens: Num vadam,
& percutiam Philiſthæos iſtos? Et ait Dominus ad David: Vade, & percuties Phili-
ſthæos, & Ceilam ſalvabis. 3. Et dixerunt viri, qui erant cum David, ad eum: Ecce
nos hic in Judæa conſiſtentes timemus: quanto magis ſi ierimus in Ceilam adverſus
agmina Philiſthinorum? 4. Rurſum ergo David conſuluit Dominum. Qui reſpondens,
ait ei: Surge, & vade in Ceilam; ego enim tradam Philiſthæos in manu tua. 5. Abiit
ergo David, & viri ejus in Ceilam, & pugnavit adverſum Philiſthæos, & abegit ju-
menta eorum, & percuſſit eos plaga magna: & ſalvavit David habitatores Ceilæ.
6. Porro eo tempore, quo fugiebat Abiathar, filius Achimelech ad David in Ceilam,
ephod ſecum habens deſcenderat. 7. Nuntiatum eſt autem Sauli, quod veniſſet David
in Ceilam: & ait Saul: Tradidit eum Deus in manus meas, concluſuſque eſt, intro-
greſſus urbem, in qua portæ, & ſeræ ſunt. 8. Et præcepit Saul omni populo, ut
ad pugnam deſcenderet in Ceilam: & obſideret David, & viros ejus. 9. Quod cum
David reſciſſet, quia præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar ſacerdotem:
Applica ephod. 10. Et ait David: Domine Deus Iſrael, audivit famam ſervus tuus,
quod diſponat Saul venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me: 11. Si tradent
me viri Ceilæ in manus ejus; & ſi deſcendet Saul, ſicut audivit ſervus tuus? Do-
mine Deus Iſrael indica ſervo tuo. Et ait Dominus: Deſcendet. 12. Dixitque Da-
vid: Si tradent me viri Ceilæ, & viros, qui ſunt mecum in manus Saul? Et dixit
Dominus: Tradent. 13. Surrexit ergo David, & viri ejus quaſi ſexcenti, & egreſſi
de Ceila, huc, atque illuc vagabantur incerti: nuntiatumque eſt Sauli, quod fugiſſet
David de Ceila, & ſalvatus eſſet: quam ob rem diſſimulavit exire. 14. Morabatur
autem David in deſerto in locis firmiſſimis, manſitque in monte ſolitudinis Ziph in
monte opaco: quærebat eum tamen Saul cunctis diebus: & non tradidit eum Deus
in manus ejus. 15. Et vidit David, quod egreſſus eſſet Saul, ut quæreret animam
ejus. Porro David erat in deſerto Ziph in ſilva. 16. Et ſurrexit Jonathas filius Saul,
& abiit ad David in ſilvam, & confortavit manus ejus in Deo: dixitque ei: 17. Ne
timeas: neque enim inveniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis ſuper Iſrael,
& ego ero tibi ſecundus, ſed & Saul pater meus ſcit hoc. 18. Percuſſit ergo uter-
que fœdus coram Domino: manſitque David in ſilva: Jonathas autem reverſus eſt in
domum ſuam. 19. Aſcenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Nonne
ecce David latitat apud nos in locis tutiſſimis ſilvæ, in colle Hachila, quæ eſt ad
dexteram deſerti? 20. Nunc ergo ſicut deſideravit anima tua, ut deſcenderes, de-
ſcende: noſtrum autem erit, ut tradamus eum in manus regis. 21. Dixitque Saul:
Benedicti vos a Domino, quia doluiſtis vicem meam. 22. Abite ergo, oro, & di-
ligentius præparate, & curioſius agite, & conſiderate locum, ubi ſit pes ejus, vel
quis viderit eum ibi: recogitat enim de me, quod callide inſidier ei. 23. Conſide-
rate, & videte omnia latibula ejus, in quibus abſconditur: & revertimini ad me ad
rem certam, ut vadam vobiſcum: quod ſi etiam in terram ſe abſtruſerit, perſcruta-
bor eum in cunctis millibus Juda. 24. At illi ſurgentes abierunt in Ziph ante Saul:
David autem, & viri ejus erant in deſerto Maon, in campeſtribus, ad dexteram Je-
ſimon. 25. Ivit ergo Saul, & ſocii ejus ad quærendum eum: & nuntiatum eſt Da-
vid, ſtatimque deſcendit ad petram, & verſabatur in deſerto Maon: quod cum au-
diſſet Saul, perſecutus eſt David in deſerto Maon. 26. Et ibat Saul ad latus mon-
tis ex parte una: David autem, & viri ejus erant in latere montis ex parte altera;
porro David deſperabat ſe poſſe evadere a facie Saul: itaque Saul, & viri ejus, in
modum coronæ cingebant David, & viros ejus, ut caperent eos. 27. Et nuntius ve-
nit ad Saul, dicens: Feſtina, & veni, quoniam infuderunt ſe Philiſthiim ſuper ter-
ram. 28. Reverſus eſt ergo Saul deſiſtens perſequi David, & perrexit in occurſum
Philiſthinorum: propter hoc vocaverunt locum illum, Petram dividentem.

ỷ. 1. PHiliſthiim oppugnant Ceilam, et diripiunt areas. Ceila urbs erat Tribus Juda, viii. m. paſſibus, id eſt, tribus leucis & ſemis, ab Eleutheropoli, Hebronem verſus (1). Moris autem erat in ea regione, ut in areas patenti agro manipuli colligerentur, ubi ſuo tempore frumenta, inductis plauſtris, vel jumentis excutiebantur. Erant autem ejuſmodi areæ ſub dio expoſitæ, quas parandi artem exponunt Authores *De Re Ruſtica* (2). Terra olei fœce ſubacta, & eo humore ſaturata ſternebatur, ac probe paviculis æquabatur. Hac arte paratum ſolum invium erat muribus & formicis, ipſiſque herbarum ſeminibus; idemque pluvios imbres non bibebat, neque humore liqueſcebat in lutum. Porro nec rarum eſt, nec novum inter hoſtes, ut hoſtium meſſes, totumque late agrum vaſtent, atque diripiant. Hoſtilia hæc exercuerunt Madianitæ in Iſraelitas (3); nec ignoramus, quantam late vaſtationem arvis Philiſtæorum induxerit Samſon (4), immiſſis in hoſtium meſſes & areas vulpibus.

ỷ. 2. Consuluit ergo David Dominum. Conſuluit Abjatharum, qui Ephod ſecum tulerat. Oraculum illud in eo, in quo verſabatur, rerum ſtatu, Davidi plurimum profuit; deinceps enim majoris momenti nihil, niſi conſulto prius Summo Sacerdote, aggreſſus eſt.

ỷ. 3. Ecce nos hic in Judæa consistentes timemus, quanto magis si ierimus in Ceilam? An Ceila extra ditionem Judææ ſita erat? Minime omnium; conſtat enim inter omnes, Ceilam urbem fuiſſe ditionis Juda non minus quam Haret, ſo qua tunc verſabantur. Sed Davidis milites id tantummodo innuebant, ſi tunc in ipſo Judææ meditullio verſantes metu Philiſthinorum penitus non vacabant, quanto magis timendum ſibi fore, ſi Ceilam proficiſcerentur, quam exercitus hoſtium obſidebat? Seu potius: Si minime tutus eſt nobis hic ſaltus & loca ſecreta; quid, ſi petierimus Ceilam, regionem planam & apertam, urbem muratam, quo Saul actutum ſe conferens, cingere undique nos facilius poterit?

ỷ. 4. Rursum consuluit, qua erat erga ſuos indulgentia, quippe quos noſſet minus libenter committere ſe itineri Ceilam. Conſuluiſſe autem videtur nunc ſecundo, ipſis præſentibus.

ỷ. 5. Abegit jumenta eorum; jumenta ſcilicet; vel onerarias beſtias, vel greges, aſinos & camelos Philiſthinorum. Hebreum (5) accipi poteſt æque de gregibus utcumque, vel de rebus & fundis.

ỷ. 6. Ephod secum habens descenderat. Pervenerat illuc ante expeditionem Ceilæ. Animadverſum autem eſt, habuiſſe penes ſe Ephod, ut ea intelligantur, quæ ſtatim narrantur, Davidem ſcilicet Dominum conſuluiſſe. Hebreus (6): *Ephod incidit in manus ſuas*. Feliciter accidit, ut Ephod apud ſe haberet. Permiſit Deus, ut Ephod in manus ejus veniret. Comode etiam retineri poteſt interpretatio Septuaginta & Vulgatæ: *Deſcendit, habens Ephod ſecum*.

ỷ. 8. Præcepit Saul omni populo. Facile vicinis omnibus; neque enim credibile eſt, univerſum Iſraelem commoviſſe, ut unum hominem inſectaretur. Verum hæc omnia irrita reddidit ſolers Davidis cautio.

ỷ. 9. Applica Ephod, Hebreus: הגישה האפוד *Propius admove Ephod*. Inferius xxx. 17. jubet: *Applica ad me Ephod*; Indue me Ephod. Docti quidam Critici (7) cenſent, Davidem revera ſacerdotali hac veſte indutum, Dominum per ſe conſuluiſſe. Quin & ſequenti verſiculo induitur loquens verba, quibus interrogat. Verum communis Interpretum opinio docet, Summi Sacerdotis tantummodo fuiſſe, veſtem illam ſacram induere, adeoque & promere oracula.

ỷ. 10. Ait David. Ipſe per ſe Dominum conſuluit, interrogationem ſuam formavit: Sacerdos Abjathar Dei nomine reſpondit. Sunt qui credant, Davidem hæc verba dictaſſe Sacerdoti, quæ deinde ille indutus Ephod pronunciaverit (8), eumdemque Sacerdotem Dei nomine reſpondiſſe.

ỷ. 11. Si tradent me . . . . . et si descendat Saul. Duo ſimul quærit; ſed cum Deus priori tantum reſpondiſſet, coactus eſt iterum interrogare, ut Oraculum plenum referret. Monuit igitur Deus futurum, ut viri Ceilæ illum proderent, & Saul in poteſtatem ipſum haberet, ſi tamen ibi maneret, & ſatis ſpatii Regi daret, ut eo veniret. Hic Oraculi ſenſus eſt. Loquitur Deus pro habitudine animi virorum principum Ceilæ, & Saulis.

ỷ. 14. Ziph. Deſertum Ziph excurrebat prope urbem hujus nominis in plaga meridionali Juda. Urbis hujus ſitum determinat S. Hieronymus viii. m. paſſibus ab Hebrone; & deſertum Ziph conſtituit Euſebius prope montem Carmelum, ſedem Nabalis viri Abigailis; quod ſatis congruit cum teſtimonio S. Hieronymi: Ziph enim & Carmelus ultra tres leucas ad ſummum non diſtabant.

ỷ. 15. In Sylva. Septuaginta: Ἐν τῷ ἐρήμῳ Ζιφ, ἐν τῇ καινῇ, *In nova*, vel *in novo deſerto Ziph*. Legunt hi בחדשה pro בחרשה. S. Hieronymus, vertens in *Sylva*, Aquilam ſequutus eſt. Montem Ziph appellat Euſebius in Locis, Ὄρος τὸ αὐχμῶδες *montem ſterilem, & arentem*. S. Hieronymus: *Montem ſqualidum, vel caligantem, ſive nebuloſum*, quod deſumptum videtur ex vetuſto quodam Græco Interprete. Hebræum *Chareſcha* innuit ſilentium, quod in denſis lucis regnat.

ỷ. 16. Confortavit manus ejus in Deo, revocans in mentem factas a Deo promiſſiones, vel innovans fœdus Dei nomine initum; vel tantum: *Conſolatus eſt plurimum*; Dei enim nomen ob rem augendam additur.

ỷ. 17. Ero tibi secundus. Adjumento ero tibi, tibi obſecundabo pro viribus; ſeu potius: *Secundus ero in regno tuo*. Secundus ero a te; ſcio enim tibi primas, ſeu Regnum deberi. Vel denique: Ero tibi ſocius. Poſteriorem hanc interpretationem præferre malim, cui fere gemina occurrit alia in Eccleſiaſte iv. 8. *Unus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non ceſſat*, & ỷ. 10. *Væ ſoli, quia cum ceciderit, non habet* [ſecundum] *ſublevantem ſe*.

Sed et Saul pater meus scit hoc, non ignorat mutuam inter nos conjunctionem.

ỷ. 22. Recogitat enim de me, quod callide insidier ei. Hebreus (9): *Quia dixit ad me: Callendo callide aget*. Septuaginta (10): *Dixit eis Saul: Ne forte verſute agat*. Præſagit mihi animus meus futurum, ut vulpes iſta nunc pariter evadat, niſi verſutiam ejus omnem ſedulo prævertam. Syriacus: *Dixerunt enim mihi, aſtutiſſimum eum eſſe* (11).

ỷ. 23. Si in terram se abstruserit, ſeu in imis ſpecubus, ego e latebris illum eruam, & apprehendam (12).

. . . . *Opta ardua pennis*
Aſtra ſequi, clauſamque cava te condere terra.

Hebræus (13): *Si fuerit ipſe in terra, & ſcrutabor eum in omnibus millibus Juda*. Per omnes urbes, vel cum toto exercitu Juda; vox enim *mille* utrumque hunc ſenſum admittit. Septuaginta (14): *Si eſt ſuper terram, & ego inveſtigabo eum in omnibus millibus Juda*.

ỷ. 24.

(1) Euſeb. & Hieron. in loc. Hebr. (2) Cato de Re Ruſt. cap. 91. & 129. &c. Columell. lib. 2. cap. 20. &c. (3) Judic. v. 4. (4) Judic. xv. 5. (5) ינהג את מקניהם Septuag. Ἀπήγαγε τὰ κτήνη αὐτῶν. (6) אפוד ירד בידו Καὶ αὐτὸς ἔχων ἐφοὺδ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ. (7) Cunæus de Rep. Hebr. lib. 1. cap. 4. & Spencer. de Urim. (8) Menoch. (9) כי אמר אלי ערום יערים הוא (10) Ὅτι εἶπεν ὁ Σαοὺλ μή ποτε πανουργεύσηται. (11) Ita Glaſſ. Malv. (12) Virgil. Æneid. xii. (13) והיה אם ישנו בארץ וחפשתי אתו (14) Εἰ ἔστιν ἐπὶ τῆς γῆς, ἐξερευνήσω αὐτὸν ἐν πάσαις χιλιάσιν Ιουδα.

℣. 24. In Deserto Maon. Urbs & deſertum Maon intime in plaga meridionali Juda jacebat. Tota ea in regione frequentiſſimi erant montes, in quibus vaſtiſſimi, & crebri ſpecus patebant. Maon ſita erat ad dexteram, vel ad meridiem *Jeſimon*. Si Jeſimon *Aſemon* ſit, Maon intra Arabiam Petræam continebatur. Minime ambigo, quin ipſiſſima ſit Urbs *Menois*, quam Euſebius, in Locis, vicinam Gazæ conſtituit, & *Menæmi caſtrum*, quod Codex Theodoſianus lib. xxx. collocat prupe Berſabee. Porro *Menois* Metropolis cenſenda videtur Maonum, quorum fraquenter meminit Scriptura (1).

℣. 26. Desperabat se posse evadere. Hebræus varie redditur (2): *Feſtinabat David evadere a Saule*; vel ægre ſeſe ejus manibus eripuit. Septuaginta (3): *David fuit tegens ſe in eundo a facie Saul*.

℣. 28. Petram dividentem, locum, ubi Saul coactus eſt ſeparare ſeſe, & deſiſtere perſequi Davidem; vel petra, quæ Saulem a Davide ſeparabat, quam ſi Rex ſuperaſſet, Davidem continuo habuiſſet in poteſtate. Aliter: *Petram dividentem*; quod ibi Saul ejuſque milites animo fluctuaverint, ambigentes utrum perſeverandum eſſet perſequi Davidem, an ad regionis defenſionem proficiſcendum.

[1] 1. Paral. iv. 40. 41. & 2. Paral. xx. 1.

[2] ויהי דוד נחפז ללכת מפני שאול

[3] Καὶ Δαυὶδ ἦν σκεπαζόμενος πορεύεσθαι ἀπὸ προσώπου Σαούλ.

C A P U T XXIV.

David recipit ſeſe in ſpeluncam Engaddi, quam ingreditur Saul, ut corporis neceſſitatem levet. David tantummodo fruſtulum ex ora pallii ejus abſcindit, tum e ſpelunca egrediens, innocentiam ſuam Regi probat. Eo aſpectu motus Saul, Davidem rogat ut poſteritati ſuæ parcat.

A. M. 2946. ante J. Ch. 1058. ℣. 1. ASCENDIT ergo David inde: & habitavit in locis tutiſſimis Engaddi. 2.
Cumque reverſus eſſet Saul, poſtquam perſecutus eſt Philiſthæos, nuntiaverunt ei, dicentes: Ecce, David in deſerto eſt Engaddi. 3. Aſſumens ergo Saul
tria millia electorum virorum ex omni Iſrael, perrexit ad inveſtigandum David, &
viros ejus, etiam ſuper abruptiſſimas petras, quæ ſolis ibicibus perviæ ſunt. 4. Et
venit ad caulas ovium, quæ ſe offerebant vianti: eratque ibi ſpelunca, quam ingreſſus eſt Saul, ut purgaret ventrem: porro David, & viri ejus in interiore parte ſpeluncæ latebant. 5. Et dixerunt ſervi David ad eum: Ecce dies, de qua locutus eſt
Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei, ſicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo David, & præcidit oram chlamydis Saul ſilenter. 6. Poſt hæc
percuſſit cor ſuum David, eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul. 7. Dixitque ad
viros ſuos: Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Chriſto
Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt. 8. Et confregit David viros ſuos ſermonibus, & non permiſit eos, ut conſurgerent in Saul:
porro Saul exurgens de ſpelunca, pergebat cœpto itinere. 9. Surrexit autem & David poſt eum: & egreſſus de ſpelunca clamavit poſt tergum Saul, dicens: Domine
mi rex. Et reſpexit Saul poſt ſe: & inclinans ſe David pronus in terram, adoravit,
10. Dixitque ad Saul: Quare audis verba hominum loquentium: David quærit malum adverſum te? 11. Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus
in manu mea in ſpelunca: & cogitavi, ut occiderem te, ſed pepercit tibi oculus
meus: dixi enim: Non extendam manum meam in Dominum meum, quia Chriſtus
Domini eſt. 12. Quin potius pater mi, vide, & cognoſce oram chlamydis tuæ in
manu mea: quoniam cum præſcinderem ſummitatem chlamydis tuæ, nolui extendere
manum meam in te: animadverte, & vide, quoniam non eſt in manu mea malum,
neque iniquitas, neque peccavi in te; tu autem inſidiaris animæ meæ, ut auferas
eam. 13. Judicet Dominus inter me, & te, & ulciſcatur me Dominus ex te: manus autem mea non ſit in te. 14. Sicut & in proverbio antiquo dicitur: Ab impiis
egredietur impietas: manus ergo mea non ſit in te. 15. Quem perſequeris, rex Iſrael? quem perſequeris? canem mortuum perſequeris, & pulicem unum. 16. Sit
Dominus judex, & judicet inter me, & te: & videat, & judicet cauſam meam, &
eruat me de manu tua. 17. Cum autem compleſſet David loquens ſermones hujuſcemodi ad Saul, dixit Saul: Numquid vox hæc tua eſt, fili mi David? Et levavit
Saul vocem ſuam, & flevit. 18. Dixitque ad David: Juſtior tu es quam ego: tu
enim tribuiſti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala. 19. Et tu indicaſti hodie,

quæ

quæ feceris mihi bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me. 20. Quis enim cum invenerit inimicum ſuum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi viciſſitudinem hanc, pro eo quod hodie operatus es in me. 21. Et nunc quia ſcio, quod certiſſime regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſrael. 22. Jura mihi in Domino, ne deleas ſemen meum poſt me, neque auferas nomen meum de domo patris mei: 23. Et juravit David Sauli. Abiit ergo Saul in domum ſuam: & David & viri ejus aſcenderunt ad tutiora loca.

℣. 1. HABITAVIT IN LOCIS TUTISSIMIS ENGADDI. Engaddi locus erat ſatis proximus oræ occidentalis Mari Mortui, non magnopere abſens ab agro Jerichuntino. Proxima huic arva diſſeminata erant frequentibus & cavernoſis montibus. In ejuſmodi ſpeluncas David aufugit.

℣. 4. VENIT AD CAULAS OVIUM . . . ERATQUE IBI SPELUNCA. Caulas haſce ovium non alias credimus, quam ſpeluncas in uſum gregum tum ferventiſſimo diei æſtu, tum nocte recipiendorum. Frequentes ſunt in Meſopotamia & Arabia paſtorum familiæ, quæ pro ædibus utuntur cavernis montium, quo ſe cum gregibus ſuis recipiunt, uti memoriæ proditum eſt de Polyphæmo habitante in antro quodam cum gregibus (1): uti & Cacum narrat Virgilius (2) & caulas & ædes habuiſſe ſuas in una eademque ſpelunca conſtitutas. Porro vaſtæ adeo erant in Syria ſpeluncæ, ut quatuor hominum millia capere poſſent, teſte Strabone (3). Nihil eſt igitur mirum, ſi David abdere ſe in ſpelunca potuit cum ſexcentis, iiſque omnes ita eodem ſpecu tegi, cum præſertim arctiſſimus eſſet aditus, ut Saul, vix primum limen ingreſſus, eos non animadverterit. Syriacus & Arabs cenſent, eo ſe recepiſſe Davidem ſive ut ſomnum, ſive ut quietem tantummodo aliquam caperet. Hebræus fert (4): *Ingreſſus eſt ad tegendum pedes ſuos*; quod Interpretes omnes in ſenſu Vulgatæ exponunt.

℣. 5. DIXERUNT SERVI DAVID AD EUM: ECCE DIES, DE QUA LOCUTUS EST DOMINUS. Nullibi legitur in Scriptura, quo tempore vel per quem Dominus ſpem fecerit Davidi futurum, ut ſuos illi adverſarios in manus daret: ne tamen apertum ea de re Oraculum quæramus, ſatis eſt Textum ita exponere: Ecce dies opportuna, ut hoſtibus tuis te liberes: nonniſi planiſſimo Divinæ Providentiæ conſilio factum eſt, ut hoſtes tui ſeſe tibi ultro imprudentes tradiderint.

An vero Davidi fas tunc fuiſſet in Saulem vim adhibere? Qui docent, Davidi aperta promiſſione ſpem divinitus factam fuiſſe, fore ut hoſtes haberet in manibus, ab iis etiam admittendum eſt, Davidem factæ ſibi promiſſionis executionem citra crimen proſequi, atque facta ſibi a Deo poteſtate uti potuiſſe. Quin nec ſatis impleſſe Dei conſilium videtur, impunem abire ſinens Saulem, quem Deus ad ſeſe duxerat interficiendum: quemadmodum Saul reum ſe graviſſimi criminis conſtituit, incolumem Agagum Regem Amalecitarum relinquens. Adde, quod fas eſt hoſti vim vi repellere, atque adverſarium prævenire, qui ad inferendam nobis necem armatur. Denique in bello hoſtem perimere, unicuique licet. Saul injuſto bello Davidem laceſſebat; Davidi autem jus erat certum aſſertumque in Regnum, cujus Regni Saul tunc nonniſi iniquus uſurpator haberi poterat.

Verum hic ſenſus eſt aliorum, non Davidis, qui perpetuo deteſtatus fuiſſet facinus, quod permiſſum & licitum aſſeritur: obſtrepuiſſent ſemper ejus animo clamores conſcientiæ, exprobrantis rem non illicitam modo & iniquam, ſed ingenuo viro indignam, & ſacrilegium in perſonam ſacram perpetratum. Nullo Dei mandato, ſeu permiſſione David Sauli necem intuliſſet. Promiſerat illi quidem Deus Regnum, promiſerat de hoſtibus ſuis victoriam; nunquam tamen permiſit ut ad Regnum iter ſibi cæde, & crimine ſterneret. Porro opportuna hæc occaſio experimentum erat, quo Deus virtutem, & clementiam viri, in diſcrimen adducti, tentavit: non tamen laqueum incauto paraſſe cenſendus eſt, ut illatæ necis reum conſtitueret. Conſilia ſua in carum ſibi caput explere, ad Deum unice pertinebat, neque licebat Davidi ea conſilia prævenire. Quamquam jus habebat certum aſſertumque in Regnum, datum tamen illi non fuit, jus illud urgere, atque per vim & injuriam Regnum uſurpare, quamdiu Saulem tolerabat Dominus, & populus Regem agnoſcebat. Id ejus facinus perinde habitum fuiſſet, ac immane crimen, peſſimumque univerſi Iſraelis exemplum. Perſonam tunc agebat David privatam, nullamque publicam authoritatem gerebat, ut jure arma caperet in Saulem. Fas erat illi utique ab iniquo aggreſſore ſe tueri, non tamen adverſarium prævenire. Vim vi juſte repellere licebat, quoad neceſſe erat ad vitam ſuam tutandam, non vero hoſti eripiendam. Certa ſunt hæc, & ſancte inter privatos ſervanda; ſed certiora & latius proroganda, cum res eſt inter Principem, & ſubditum. Subditi eſt enim probi modeſtique injurias a Principe ſibi vel innocenti illatas æquo animo ferre. Si Saul levi aliqua cauſatione tueri potuiſſet vim, qua Davidem tanquam reum perduellionis & ſeditionis, vel cujuſcumque alterius criminis in Rempublicam convictum, inſequebatur; Davidi tunc nefas fuiſſet arma capere, ut ſe adverſus Regem ſuum defenderet. Fugam ejus & defenſionem excuſant tantummodo factæ illi a Deo promiſſiones juſſioneſque, quas ſæpe ſæpius ab oraculo Summi Sacerdotis accipiebat.

℣. 6. PERCUSSIT COR SUUM DAVID; conſcientiæ ſtimulos ſenſit. Hebræus (5): *Cor David percuſſit eum*. Id quod David in Saulem auſus eſt, genus erat injuriæ Principi illatæ. Occupatus David ſenſibus, quos religio ſuggerebat, & intime tactus obſequio, quod regionis illius mores in ſacram Regis perſonam inſpirabant, facinus illud ſuum, cæſa oræ Regiæ clamydis particula, perinde ac audax aliquod & temerarium molimen judicavit. Orientales populi Reges ſuos periode ac numina ſuſpiciebant. *Regium nomen gentes, quæ ſub Regibus ſunt, pro Deo colunt* (6).

℣. 7. CHRISTUS DOMINI EST. Chriſtus, Græcum nomen, ſonat Unctum. Chriſtus Domini ille eſt, qui juſſu & deſtinatione Dei, chriſmate initiatus eſt. Principum nomen, authoritas, & perſona, tamquam ſacrum aliquid & inviolabile, obſervanda ſunt. Uni Deo rationem ſui ipſius reddere tenentur. Horatius:

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Jovis.

℣. 11. COGITAVI UT OCCIDEREM TE; SED PEPERCIT TIBI OCULUS MEUS. Ego quidem appetitum ul-

[1] Homer. Odyſſ. 1. Αὐτὰρ ὅγ' εἰς εὐρὺ σπέος ἤλαυνε πίονα μῆλα.
[2] Virgil. Æneid. VIII. [3] Strabo lib. 16. Ὄρη δύσβατα τό τε καὶ σπήλαια ἐν βαθύτητι, ὧν ἕν γε καὶ τετρακισχιλίους ἀνθρώπους δέξασθαι δυνάμενον. Vide & Joſeph. Antiq. l. 14. c. 27. & l. 15. [4] לרסך את רגליו Aq. Εισῆλθε ἀποκενῶσαι. Alius, Κενῶσαι. Alius, Σκεπᾶσαι ἄγειν. Joſeph. Φυσικὴν ἔκκρισιν ποιούμενος. [5] ויך לב דוד אתו Septuag. Ἐπάταξε τὸν Δαυὶδ ἡ καρδία αὐτοῦ. [6] Quint. Curt. lib. 7.

tionis meæ ſecutus, vitam tibi adimere potuiſſem. Hebræus (1): *Dixit ad occidendum te, & pepercit ſuper te, & dixit: Non mittam manum meam in Dominum meum*. Modeſtia quadam, & in re præſertim odioſa David, ne uteretur primâ perſona, loquendo caviſſe videtur: *Dixit ad occidendum te*; non: *Dixi intra me: occidam illum*. Aliter: Non defuit qui me hortaretur, ut te occiderem; ſed ego reſpondi: *Non inferam manum meam in Dominum meum* (2). Septuaginta (3): *Nolui te occidere, & peperci tibi, & dixi: Non injiciam manum meam in dominum meum*.

℣. 14. Ab impiis egredietur impietas. Avertat Deus, ne me unum ex impiis conſtituam, & atrum adeo facinus, quale mihi perſuaſum eſt, committam. Nunquam eo adducar, ut malum pro malo rependam; quod impiorum eſt (4). Alii ita exponunt (5): Impii & iniqui ſuos carnifices intra ſe habebunt; loco enim pœnæ erit illud ipſum crimen, quod admiſerunt. Satis eſt, ſi ſibi ipſis permittantur; ipſique ſe in foveam aliis paratam præcipites dabunt. Scitum eſt, nomen *iniquitas* uſurpari ſæpe in Scriptura pro pœna & ultione, quæ iniquitatem ſequitur. Oblique autem David minitatur Sauli, inferendam a Deo ultionem. Judæorum quidam (6) ita exponendum cenſent: *Deſinent impii aliquando impie agere*; reſipient ſe ab errore, *ut ab impiis egrediatur impietas*. Denique Textus accipi poſſet: Cur aures præbes malis conſiliis, quæ adverſarii in me ſuggerunt? *Ab impiis non egreditur niſi impietas*. Mea erga te geſta, omne a me crimen amovent: ſi tam impius eſſem, quam alii me eſſe te docent, num opportunam adeo occaſionem reliquiſſem? Arbor ex fructu, opifex ab opere dignoſcitur; malus corvus malum ovum parit: Κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν.

℣. 15. Canem mortuum persequeris. Dignum profecto argumentum moleſtiæ tuæ, dignum, quem tu tanto molimine inſecteris! Homo ſum inermis, nudus, omnium egens, omnium ludibrio expoſitus, nulla nominis gloria pollens. Quid rei eſt, ut tantus Princeps manum conferat cum cane mortuo? Virgilius:

Nullum cum victis certamen, & æthere caſſis.

Hominem contemptu dignum, abjectiſſimum, deſignabant Hebræi nomine *canis mortui*. Sibam probra evomentem in Davidem ita arguit Abiſai (7): *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? vadam & amputabo caput ejus*. Phraſis eſt hodie pariter Orientalibus familiaris, ut ex Itinerariis diſcimus.

℣. 17. Et flevit. Simulato fletu luxiſſe Saulem nonnulli arbitrantur. Sed cur breviſſimo dolore tangi non potuit Saul, ut ſinceras lacrymas funderet? Quiſque vel ſceleſtiſſimus in medio criminum ſuorum interdum luget.

℣. 22. Jura mihi in Domino, ne deleas semen meum. Certus Saul de miti Davidis animo, rogat, ut poſteritati ſuæ parcat. Dadid ſtetit promiſſis, quantum ſibi licuit: ſed Deus iniquitatem Saulis in Gabaonitas ulciſci volens, coegit Davidem familiam Saulis univerſam, uno excepto Miphiboſetho, filio Jonathæ, Gabaonitis permittere.

Neque auferas nomen meum, familiam meam, filios, genus meum. Obvius hic eſt verborum ſenſus: *Ne auferas nomen meum*; ideſt, illos, qui filii mei & poſteri appellantur, quique nominis mei memoriam perennant. Ita pariter imperatur, ut revocetur nomen alicujus, cum extincto dantur hæredes & ſucceſſores. Subtilior eſt Sanctii interpretatio; notat enim, eorum nomina, qui probro familiæ fuiſſent, deleri conſueviſſe; quemadmodum imagines Bruti & Caſſii a cæteris illuſtrium Majorum imaginibus amotæ ſunt (8). Si in genealogia Mardochæi Saul omittitur (9), alii pariter neglecti ſunt, qui utique nihil tale promeruerunt; in illa enim genealogia a Beniamin adusque Mardochæum quatuor tantum recenſentur. Generationum gradus non ſemper accurate omnes recitantur in Scriptura.

[1] ואמר להרגך ותחס עליך ואמר לא אשלח ידי וגו׳ [2] Ita Jonat. Pagn. Vatab. Tir. Syr. Arab. [3] Καὶ οὐκ ἐβουλήθην ἀποκτεῖναί σε, καὶ ἐφεισάμην σου, καὶ εἶπα, οὐκ ἐποίσω τὴν χεῖρά μου ἐπὶ τὸν Κύριόν μου. [4] Grot. Vatab. Eraſm. Chil. 1. Cent. 9. Adag. 26. [5] Menoch. Cornel. Sanct. [6] Apud Munſt. [7] 2. Reg. xvi. 9. [8] Tacit. lib. 3. in fine, de Juniæ funere: *Præfulgebant Caſſius atque Brutus, eo ipſo quod effigies eorum non viſebantur.* [9] Eſth. 11. 5. *Mardochæus filius Jair, filii Semei, filii Cis, filii Jemini.*

CAPUT XXV.

Obitus Samuelis, quem populus luget. Nabal negat ſeſe Davidi poſtulatam ab ipſo annonam ſuffecturum. Venienti Davidi ut Nabalem ejuſque familiam cædat occurrit Abigail. Nabal moritur. David Abigailem ducit; tum & alteram uxorem nomine Achinoam adſciſcit. Michol nubit Phalti.

A. M. 2947. ante J. Chr. 1057. ℣. 1. MOrtuus eſt autem Samuel, & congregatus eſt univerſus Iſrael, & planxe-
runt eum: & ſepelierunt eum in domo ſua in Ramatha. Conſurgenſque
David deſcendit in deſertum Pharan. 2. Erat autem vir quiſpiam in ſolitudine Maon,
& poſſeſſio ejus in Carmelo, & homo ille magnus nimis: erantque ei oves tria mil-
lia, & mille capræ: & accidit, ut tonderetur grex ejus in Carmelo. 3. Nomen au-
tem viri illius erat Nabal: & nomen uxoris ejus Abigail: eratque mulier illa pru-
dentiſſima, & ſpecioſa: porro vir ejus durus, & peſſimus, & malitioſus: erat autem
de genere Caleb. 4. Cum ergo audiſſet David in deſerto, quod tonderet Nabal gre-
gem ſuum, 5. Miſit decem juvenes, & dixit eis: Aſcendite in Carmelum, & venie-
tis ad Nabal, & ſalutabitis eum ex nomine meo pacifice. 6. Et dicetis: Sit fratribus
meis, & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus, quæcumque habes, ſit pax. 7.
Audi-

Audivi, quod tonderent paſtores tui, qui erant nobiſcum in deſerto: numquam eis
moleſti fuimus, nec aliquando defuit quidquam eis de grege, omni tempore, quo fue-
runt nobiſcum in Carmelo. 8. Interroga pueros tuos, & indicabunt tibi. Nunc ergo
inveniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona venimus: quodcumque
invenerit manus tua, da ſervis tuis, & filio tuo David. 9. Cumque veniſſent pueri
David, locuti ſunt ad Nabal omnia verba hæc ex nomine David: & ſiluerunt. 10.
Reſpondens autem Nabal pueris David, ait: Quis eſt David? & quis eſt filius Iſai?
hodie increverunt ſervi, qui fugiunt dominos ſuos. 11. Tollam ergo panes meos, &
aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonſoribus meis, & dabo viris, quos ne-
ſcio, unde ſint? 12. Regreſſi ſunt itaque pueri David per viam ſuam, & reverſi ve-
nerunt, & nuntiaverunt ei omnia verba, quæ dixerat. 13. Tunc ait David pueris ſuis:
Accingatur unuſquiſque gladio ſuo. Et accincti ſunt ſinguli gladiis ſuis, accinctuſque
eſt & David enſe ſuo: & ſecuti ſunt David quaſi quadringenti viri: porro ducenti re-
manſerunt ad ſarcinas. 14. Abigail autem uxori Nabal nuntiavit unus de pueris ſuis,
dicens: Ecce David miſit nuntios de deſerto, ut benedicerent domino noſtro: & aver-
ſatus eſt eos. 15. Homines iſti, boni ſatis fuerunt nobis, & non moleſti: nec quic-
quam aliquando periit omni tempore, quo fuimus converſati cum eis in deſerto. 16.
Pro muro erant nobis tam in nocte, quam in die, omnibus diebus, quibus pavimus
apud eos greges. 17. Quam ob rem conſidera, & recogita, quid facias: quoniam
completa eſt malitia adverſum virum tuum, & adverſum domum tuam, & ipſe eſt
filius Belial, ita ut nemo poſſit ei loqui. 18. Feſtinavit igitur Abigail, & tulit ducen-
tos panes, & duos utres vini, & quinque arietes coctos, & quinque ſata polentæ, &
centum ligaturas uvæ paſſæ, & ducentas maſſas caricarum, & poſuit ſuper aſinos.
19. Dixitque pueris ſuis: Præcedite me: ecce, ego poſt tergum ſequar vos: viro au-
tem ſuo Nabal non indicavit. 20. Cum ergo aſcendiſſet aſinum, & deſcenderet ad ra-
dices montis, David, & viri ejus deſcendebant in occurſum ejus: quibus & illa occur-
rit. 21. Et ait David: Vere fruſtra ſervavi omnia, quæ hujus erant in deſerto, &
non periit quicquam de cunctis, quæ ad eum pertinebant: & reddidit mihi malum
pro bono. 22. Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat, ſi reliquero de omni-
bus, quæ ad ipſum pertinent uſque mane, mingentem ad parietem. 23. Cum autem
vidiſſet Abigail David, feſtinavit, & deſcendit de aſino, & procidit coram David ſuper
faciem ſuam, & adoravit ſuper terram, 24. Et cecidit ad pedes ejus, & dixit: In
me ſit, domine mi, hæc iniquitas: loquatur, obſecro, ancilla tua in auribus tuis: &
audi verba famulæ tuæ. 25. Ne ponat, oro, dominus meus rex cor ſuum ſuper vi-
rum iſtum iniquum Nabal: quoniam ſecundum nomen ſuum ſtultus eſt, & ſtultitia eſt
cum eo: ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, domine mi, quos miſiſti. 26.
Nunc ergo, domine mi, vivit Dominus, & vivit anima tua, qui prohibuit te, ne ve-
nires in ſanguinem, & ſalvavit manum tuam tibi: & nunc fiant ſicut Nabal inimici
tui, & qui quærunt domino meo malum. 27. Qua propter ſuſcipe benedictionem
hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo: & da pueris, qui ſequuntur te do-
minum meum. 28. Aufer iniquitatem famulæ tuæ: faciens enim faciet Dominus tibi
domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris: malitia
ergo non inveniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ. 29. Si enim ſurrexerit aliquando
homo perſequens te, & quærens animam tuam, erit anima domini mei cuſtodita quaſi
in faſciculo viventium, apud Dominum Deum tuum: porro inimicorum tuorum anima
rotabitur, quaſi in impetu, & circulo fundæ. 30. Cum ergo fecerit Dominus tibi
Domino meo omnia, quæ locutus eſt bona de te, & conſtituerit te ducem ſuper Iſrael,
31. Non erit tibi hoc in ſingultum, & in ſcrupulum cordis domino meo, quod effu-
deris ſanguinem innoxium, aut ipſe te ultus fueris: & cum benefecerit Dominus do-
mino meo, recordaberis ancillæ tuæ. 32. Et ait David ad Abigail: Benedictus Do-
minus Deus Iſrael, qui miſit hodie te in occurſum meum, & benedictum eloquium
tuum, 33. Et benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem, &
ulciſcerer me manu mea. 34. Alioquin vivit Dominus Deus Iſrael, qui prohibuit me,
ne malum facerem tibi; niſi cito veniſſes in occurſum mihi, non remanſiſſet Nabal uſ-
que ad lucem matutinam, mingens ad parietem. 35. Suſcepit ergo David de manu
ejus omnia, quæ attulerat ei, dixitque ei: Vade pacifice in domum tuam, ecce audivi
vocem tuam, & honoravi faciem tuam. 36. Venit autem Abigail ad Nabal: & ecce
 erat

erat ei convivium in domo ejus, quaſi convivium regis, & cor Nabal jucundum: erat
enim ebrius nimis: & non indicavit ei verbum puſillum, aut grande uſque mane. 37.
Diluculo autem cum digeſſiſſet vinum Nabal, indicavit ei uxor ſua verba hæc, & emor-
tuum eſt cor ejus intrinſecus, & factus eſt quaſi lapis. 38. Cumque pertranſiſſent de-
cem dies, percuſſit Dominus Nabal, & mortuus eſt. 39. Quod cum audiſſet David
mortuum Nabal, ait: Benedictus Dominus, qui judicavit cauſam opprobrii mei de ma-
nu Nabal, & ſervum ſuum cuſtodivit a malo, & malitiam Nabal reddidit Dominus in
caput ejus. Miſit ergo David, & locutus eſt ad Abigail, ut ſumeret eam ſibi in uxo-
rem. 40. Et venerunt pueri David ad Abigail in Carmelum, & locuti ſunt ad eam,
dicentes: David miſit nos ad te, ut accipiat te ſibi in uxorem. 41. Quæ conſurgens
adoravit prona in terram, & ait: Ecce famula tua ſit in ancillam, ut lavet pedes
ſervorum domini mei. 42. Et feſtinavit, & ſurrexit Abigail, & aſcendit ſuper aſi-
num, & quinque puellæ ierunt cum ea, pediſſequæ ejus, & ſecuta eſt nuntios Da-
vid: & facta eſt illi uxor. 43. Sed & Achinoam accepit David de Jezrael: & fuit
utraque uxor ejus. 44. Saul autem dedit Michol filiam ſuam, uxorem David, Phalti
filio Lais, qui erat de Gallim.

℣. 1. MORTUUS EST SAMUEL. Obiiſſe Prophetam credunt Judæi (1) quatuor ante Saulem menſibus; ſed biennio alterum ab altero abfuiſſe credimus. Samuel agebat tunc octo & nonaginta ætatis annos, e quibus viginti egerat in regimine Iſraelis, antequam Saul in Regem eligeretur. Sub Samuele ſucceſſio & ſeries Prophetarum cœpit. Ante illum ſermo Domini, & Prophetia raræ erant in Iſraele (2): is autem Academias, & Scholas Prophetarum ſtatuit, quæ nunquam uſque ad tempus captivitatis Babylonicæ in regione ceſſarunt, nihilque magis contuliſſe conſtat ad ſartam tectam religionem continendam, ſanamque doctrinam propagandam.

Magnus hic vir jam inde ab ortu illuſtris, & antequam naſceretur, Deo conſecratus, magnus æque penes Deum & homines, domus Dei fulcrum erat ætate ſua validiſſimum; politiam reformavit, pietatem, diſciplinam, Religionem ferme ejectas reſtituit. Dei & æquitatis res ſtudio & animi vi defendit: conſtantem ſemper in populum & in Regem authoritatem & ſemel comparavit, & comparatam retinuit. Intueri licet virum cum Saule commiſſi criminis reo loquentem, tanta gravitate atque authoritate, quantam Deo afflatum Prophetam decet. In cœtu populi conſtanter ſapienterque crimen ingrati animi erga ſe pariter & erga Deum exprobrat: innocentia & æquitate ſua fretus provocat Iſraelem, quem rexerat ac judicaverat viginti annorum ſpatio, ut ſi quis quid in omni vita ſua correptione atque judicio dignum animadvertit, proferat. Ubique vero ſeſe exhibet ſuperiorem ſuperbiæ, corruptioni malæque cupiditati. Modeſtus non abjectus, ſeverus non ſævus, clemens non imbecillis, conſtans non pervicax. *Non contumacia neque inani jactatione libertatis famam fatumque provocabat* (3).

Samuel neglectus rejectuſque a populo levi & inconſtanti, quem piguit vitæ ſub Deo Rege actæ, poſtulato ſibi homine in Principem, priſtinum tamen patris amorem in eumdem populum ingratum ſervat, priſtinis illum officiis fovet: Saul, vir licet a Deo reprobatus, locum tamen retinet aliquem in animo Samuelis. Idem Propheta diu noctuque flere non ceſſat, ut revocationem ejus damnationis impetret. Denique Samuel ubique exemplar eſt omnium, quotquot in Scriptura ſunt, abſolutiſſimum, Principis vere religioſi, qui totum ſe ex æquo diſtribuit tum promovendis Religionis rebus, tum procurandæ ſubjectis ſibi gentibus felicitati. Vir quidam doctus (4) parallelum illum opponit Ariſtidi apud Græcos, æque ob tenax juſtitiæ, & æquitatis ſtudium, atque inſignem divitiarum contemptum, celeberrimo.

Anna mater Samuelis, & ipſe pariter Samuel, ſymbola ſunt & typi (5) Teſtamenti utriuſque, Veteris ſcilicet ac Novi. Anna prius ſterilis, tum fœcunda, Samuelem parit; Samuel in regimine populi, Heli ſufficitur. Sterilitas illius exhibet Synagogam, quæ filios non niſi virtute, & vita deſtitutos gignit; fœcunditate acquiſita, parit Samuelem, imaginem Jeſu Chriſti, qui in ſe uno dignitatem Regis, & Sacerdotis collegit. Aliter vero conſideratus Samuel, vir licet perfectiſſimus, locum cedere debet alteri digniori, nempe Davidi, viro juxta cor Dei, qui ſymbolum Jeſu Chriſti, Uncti, & Chriſti Domini exhibet. Ea igitur in re Samuel Synagogæ, cum omnibus, quæ ſibi arrogabat, privilegiis rejectæ, imaginem referebat. Quod autem unus idemque homo, vario ſub aſpectu modo Vetus, modo Novum Teſtamentum exhibeat, familiariſſimum id eſt, & commune in Scriptura.

Ut elogium hujus Prophetæ totum abſolvamus, proferenda ſunt verba Eccleſiaſtici, quibus brevi verborum complexu totam ejus vitam colligit (6).
„ Dilectus a Domino Deo ſuo Samuel, renova-
„ vit imperium, & unxit Principes in gente ſua.
„ In Lege Domini congregationem judicavit, &
„ vidit Deus Jacob; & in fide ſua probatus eſt
„ propheta. Et cognitus eſt in verbis ſuis fide-
„ lis, quia vidit Deum lucis: & invocavit Do-
„ minum Omnipotentem in oppugnando hoſtes
„ circumſtantes in oblatione Agni immaculati.
„ Et intonuit de Cœlo Dominus, & in ſonitu
„ magno auditam fecit vocem ſuam, & contrivit
„ Principes Tyriorum, & omnes Duces Phili-
„ ſthiim; & ante tempus finis vitæ ſuæ & ſæcu-
„ li, teſtimonium præbuit in conſpectu Domini,
„ & Chriſti, pecunias & uſque ad calceamenta
„ ab omni carne non accepit, & non accuſavit
„ illum homo. Et poſt hoc dormivit, & notum
„ fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, &
„ exaltavit vocem ſuam de terra in Prophetia,
„ delere iniquitatem gentis.

Veterum plures honorem, ac dignitatem Summi Sacerdotis Samueli tribuerunt, ea ratione ducti, quod Sacrificia vel extra Tabernaculum obtulit (7); Ephod induebatur (8), quæ veſtis erat Summi Sacerdotis; duos Reges, Saulem (9), & Da-

(1) Heb. in Seder-Olam. (2) 1. Reg. III. 1. *Sermo Domini erat pretioſus in diebus illis, non erat viſio manifeſta.* (3) Tacit. Vit. Agricol. (4) Grot. Præfat. in Libb. Regum. (5) Vide S. Aug. l. 17. c. 3. & 4. de Civit. Dei. (6) Eccli. XLVI. 16. & ſequ. (7) 1. Reg. VII. 10. & IX. 12. 13. XVI. 5. (8) 1. Reg. II. 18. (9) 1. Reg. X. 1.

Davidem (1), unxit; denique Pſalmiſta (2) illum inter Sacerdotes recenſet, cum ejus nomen jungat Moyſi, & Aaroni: *Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus ejus, & Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus.* Affirmat Joſephus (3), Samuelem Sacerdotali amictu ſpectandum ſeſe Sauli exhibuiſſe. Nemo alius occurrit poſt obitum Heli, Ophni, & Phinees, in familia Summorum Sacerdotum, qui ſucceſſor illis in ſacro munere fuiſſe narretur. A vero igitur non aberrat, Samuelem una ſimul cepiſſe regimen politicum, & ſacrum, ut unus eſſet, idemque Summus Sacerdos, & Judex, dum ſaltem ad ætatem legitimam filii Ophni, & Phinees pervenirent. Nemo quidem negei, alienum fuiſſe virum a familia Aaronis, ad quam ex Lege Sacerdotium pertinebat. Sed Deus, qui in ſingulari hac re illum aſſumſerat, communibus legibus ſuperior eſt; quare exceptio hæc eſt, quæ ſucceſſione caret. In patrocinium hujus opinionis vocantur S. Auguſtinus (4), S. Ambroſius (5), S. Chryſoſtomus (6), S. Bernardus (7), Sulpicius Severus (8), S. Gregorius Magnus (9), S. Eucherius, Angelomus, Primaſius, Haymo, S. Iſidorus, S. Anſelmus, Pſeudo-Hieronymus in Commentario in Epiſtolas S. Pauli (10), & alii nonnulli tum Veteres, tum Recentiores (11).

Contraria huic opinio majori aſſenſu probatur, nec minoribus ſive argumentis, ſive Scriptorum teſtimoniis fulcitur. Convenit inter omnes, Samuelem Levitici tantum ordinis fuiſſe; adeoque nec jure originis, nec alio quocumque Sacerdotium ſibi adſciſcere poterat, cum privilegium id eſſet uni Aaronicæ familiæ ſervatum. Ad ſacram igitur dignitatem pervenire non potuit, niſi ſpeciali delectu & deſtinatione Dei, qui ejus gratia legibus pro ſucceſſione Sacerdotii conſtitutis derogaverit. Sed quibus argumentis hic delectus probetur? Samuel induitur Ephod, ſacris operatur, & Reges ungit. Hæc ſi ſufficiant, etiam neceſſe erit, Davidem, quippe qui Ephod indutus fuerit (12), Gedeonem etiam, Saulem, & Heliam in Summorum Sacerdotum cenſum referamus, cum ſacrificia obtulerint (13) Domino extra Tabernaculum; Sacerdotes denique creemus Eliam (14) & Eliſeum (15), quorum uterque Reges conſecravit. Nullo plane argumento demonſtretur, munera hæc fuiſſe adeo ſummo Sacerdoti peculiaria, ut nemo unquam illa obierit. Delectus Samuelis in ſummum Sacerdotem nullibi in Scriptura oſtenditur. Pſalmiſta Samuelem cum Moyſe & Aarone recenſens, diſcrimen inter illos ſedulo adnotat: *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus, & Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus;* laudes nempe Dei celebrant, quod conſuetum eſt Levitarum munus. Certum autem conſtituitur, quod nullo ſatis valido argumento probatur, ſummi Sacerdotii munera certæ alicui ætati addicta eſſe, & filios Heli nullos poſt ſe reliquiſſe liberos, ætatis ad exercenda ſacra illa munera idoneæ. Memoriæ proditum eſt, Ariſtobulum fratrem Mariamnes dignitate illa potitum, eam exercuiſſe ſeptem ac decem annorum ætate (16). Ipſe vero Samuel, cum Heli e vita deceſſit, an legitimam ætatem, qua inter Sacerdotes cooptaretur, attigerat? Sunt qui ne triginta quidem tunc ætatis annos attigiſſe illum doceant.

Ad teſtimonia Patrum atque Scriptorum, quæ pro Sacerdotio Samuelis afferuntur, quod attinet, animadvertendum eſt, 1. ex illis nonnullos nomen Sacerdotis vago & generico ſenſu accepiſſe (17) pro viro ſancto, qui hoſtias laudum, vel forte etiam vera Sacrificia Domino offert. Hoc ſenſu David interdum Sacerdos appellatur, totaque gens Hebræorum (18) *Regale Sacerdotium*, quod titulſ privilegium Chriſtianis etiam omnibus communicatum eſt (19). 11. Eorum plerique, qui Sacerdotis titulum Samueli tribuerunt, id loco non ſuo, obiter, & caſu fecere, nullum grave momentum in ea viro collata dignitate conſtituentes. Si quis forte ex illis argumenta ad id probandum adduxit, uti de Scriptore Commentariorum in primam Epiſtolam ad Corinthios, ficto S. Hieronymi nomine, conſtat, vulgares ſunt aſſertores, nullaque nominis authoritate pollentes. S. Auguſtinus, qui rem non ſemel nec obſcure aſſeruerat, in errorem lapſus eſt ea ductus opinione, quod Samuel originem Aaronicam retulerit (20). Denique Teſtibus hiſce reſtes alios plures qua veteres qua recentiores opponimus, qui non temere, neque levibus argumentis, Samuelem nunquam Summo Sacerdotio Iſraelitarum functum eſſe demonſtrant. Ducem his damus S. Hieronymum (21), Authorem quæſtionum in Vetus & Novum Teſtamentum, ſub nomine S. Auguſtini quæſtione XLIX. qui contrariam opinionem non imperitiæ modo, ſed erroris damnat. Adde Bedam Venerabilem, Rabanum Maurum, Dionyſium Chartuſianum, Hugonem Cardinalem, Lyranum, Toſtatum, Cajetanum in Libros Regum, Genebrardum in Pſalmum XCVIII. & ex recentioribus Interpretibus quamplures.

Sepelierunt eum in domo sua. Nunquam non apud Judæos obtinuit, ut quibus res anguſta domi non eſſet, ſepulcra ſibi peculiaria pararent ſive in agris ſuis, ſive in hortis, ſive in montibus domui ſuæ vicinis. Accipiendum hic ad literam non eſt, quod legimus de Samuele in domo ſua ſepulto. Cavebant enim Hebræi, ne cadaver in domo ſua conderent, alioquin illius aditum ſibi prohibuiſſent, ne quid maculæ referrent: forte tamen conditus fuit in ſepulcro aliquo exciſo vel prope domum, vel in horto.

In desertum Pharan. Relicto Deſerto Maon, David in ulteriora Arabiæ Petrææ uſque ad deſertum Pharan, inter montes Juda, & montem Sinai porrectum, venit. Tota narrationis hujus ſeries innuere videtur, Maonem & Carmelum longius intra Arabiam Petræam prorogari, vel, ſi mavis, propius accedere ad Pharan, quam in Tabulis noſtris Geographicis conſtituantur.

℣. 2. Possessio ejus in Carmelo. Hebræus (22): *Opus ejus in Carmelo*; negocia & poſſeſſiones (23). Ætatis illius cenſus omnis & opes in gregibus erant; & montes Palæſtinæ plerique divites erant paſcuis; quare non ſemel meminit Scriptura fœni & herbarum montium. *Opus* valet interdum divitias, cenſum (24): *Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis*, ideſt, frater prodigi, cujus res omnes brevi dilapidabuntur.

℣. 3. De genere Caleb. Sermo eſt hic de Calebo filio Jephone, ſua in Deum fide celebri. Septuaginta, & Arabs: *Homo eſt caninus* (25); Cynicus,

(1) 1. Reg. xvi. 1. (2) Pſalm. xcviii. 6. (3) Joſeph. Antiquit. lib. 7. c. 15. Ἱερατικὴν περικείμενος διπλοΐδα. (4) Auguſt. in Pſalm. xcviii. & lib. 12. cont. Fauſt. c. 33. & lib. 17. de Civit. c. 5. (5) Ambroſ. in Pſalm. cxviii. (6) Chryſoſt. homil. 1. & 2. de Anna. (7) Bern. Sententiis. *Tres in Sacerdotium aſſumuntur, Moyſes, Aaron & Samuel.* (8) Libr. 1. Sac. Hiſt. (9) In Libb. Regum. (10) Comment. in 1. Cor. cap. 1. (11) Vide apud Mendoz. in 1. Reg. cap. 2. num. 12. Annot. 17. Lect. 1. & Sanct. in 1. Reg. cap. 2. ℣. 35. (12) 2. Reg. vi. 14. (13) Vide Judic. vi. 18. & 3. Reg. xviii. 1. Reg. xiii. 9. 10. & xv. 12. (14) 3. Reg. xix. 14. 15. (15) 4. Reg. ix. 1. 2. (16) Joſeph. Antiq. lib 15. cap. 2. (17) Vide Mendoz. in 1. Reg. ii. 11. Annot. 17. Lect. 2. n 6. 7. 8. (18) Exod. xix. 6. (19) Vide 1. Petri ii. 9. & Apoc. i. 6. (20) Vide Auguſt. lib. 2. Retract. c. 43. & 55. (21) Hieron. contra Jovin. lib. 1. & in Pſalm. 98. (22) מעשהו בכרמל Septuag. Ἐργαζία αὐτῦ ἐν τῷ Καρμήλῳ. (23) Ita Chald. Syr. Pag. Vat. (24) Prov. xviii. 9. (25) Καὶ ἄνθρωπος Κυνικός. Joſeph. Ἐκ Κυνικῆς ἀσκήσεως πεποιημένος τὸν βίον.

nicus, impudens, ferus, brutalis. Syriacus, *rabidus*. Innuere videtur Joſephus, illum Cynicorum vitæ genus ſecutum fuiſſe; quod inter abſurda eſt abſurdiſſimum.

℣. 6. Sit fratribus meis et tibi pax. Hebræus (1): *Et dices illi: Ad vitam: & tu pax, & domus tua pax*. Opto tibi valetudinem & vitam; tu & familia tua tranquille, proſpere ac quiete vivatis. Chaldæus. *Et dicetis ſic: Per vitam tuam & tu pax & domus tua pax*. Septuaginta (2): *Et dicetis hæc: In horas, & tu ſalvus, & domus tua, & omnia tua ſalva*. Pergas facere in multos annos id quod hodie feciſti.

℣. 7. Nunquam eis molesti fuimus. Id utique ſatis erat, ut Nabalem ſibi promererentur, atque modeſtiæ ſuæ præmium ab illo referrent. Beneficii loco habendum eſt, ſi armati homines, potentes ſimul egenteſque potentia ſua non abutuntur, ut vi non rapiant ea, quæ nemo ab illis tueri poteſt, Cum illis libera ſit facultas mali impune patrandi, beneficii loco habendum eſt, ſi a malo abſtinuerint. Sed David ejuſque milites nedum ſua erga Nabalem beneficia verbis non amplificant, potius minuunt, nec niſi minimam partem commemorant. Non enim tantummodo hoſtile nihil ſervis Nabalis intulerant, ſed & amice illos non ſemel juverant. *Boni ſatis nobis fuerunt, & non moleſti*, fatentur ſervi illi cum Abigail loquentes; adduntque (3): *Pro muro nobis erant* (adverſus hoſtes) *tam in nocte quam in die* (4). Nihil ne præmii hæc merabantur?

℣. 8. In die enim bona venimus. Opportune venimus, quo tempore domus tua omnis gaudet. Moribus receptum erat, ut cum oves tondebantur, feſti & læti dies agerentur. Per idem tempus Abſalom Davidem patrem ſuum & fratres ſororeſque ſuas invitavit, ac neci tradidit Amnonem, ut injuriam ſorori ſuæ Tbamari illatam ulciſceretur (5).

Da filio tuo David. Ita loquitur ſive ob ætatem Nabalis, Davide ſenioris, ſive quod Nabal ad eamdem Tribum Juda, ad quam & David, pertineret.

℣. 10. Increverunt servi qui fugiunt dominos suos. Ac ſi exprobraret Legatis Davidis: Vos & David fugitivi eſtis, qui clam e domo heri veſtri vos ſubduxiſtis: ſubditi eſtis veſtro principi perduelles. Contemptui & repulſæ addit probrum & injuriam.

℣. 11. Tollam aquas meas מימי, ut ejuſmodi hominibus tradam? Aqua hic ponitur pro quocumque potionis genere, uti panis pro annona. Septuaginta vertunt τὸν οἶνόν μου, *vinum meum*. Syriacus & Arabs, *potum meum*. Vino utique non carebat Nabal, quippe qui turpiſſime ebrius ea die fuit ℣. 36.

Carnes pecorum, quas pro meſſoribus meis paravi. Hebræus טבחתי, *victimam meam*, τὰ θύματά μου, quæ mactavi animalia. Porro eadem voce ſignificantur non minus animalia ob convivium mactata, quam quæ Domino immolantur (6).

℣. 14. Aversatus est eos, dure illos repulit, Hebræus ad literam ויעט בהם, *Involavit in illos*, tamquam avis quæ in prædam ruit: *iratus eſt*, vel *invectus eſt in illos*. Chaldæus: *Abominatus eſt in eos*, contempſit illos. Septuaginta: Ἐξέκλινεν ἀπ᾽ αὐτῶν, *Declinavit ab eis*, ab illis receſſit.

℣. 17. Completa est malitia adversum virum tuum. Non deſinet David injuriam illatam ulciſci; idque jam decretum eſſe apud illum, non dubito. Perſimilem phraſim offendimus ſupra xx. 7. cum de Saule ageretur: *Scito quia completa eſt malitia ejus*: malum quod agere ſtatuit, jam fixum certumque eſt, ac veluti jam patratum.

Ipse est filius Belial; ſeu potius ipſe eſt Belial; homo nihili, nequam (7).

℣. 18. Quinque arietes coctos. Hebræus (8): *Quinque oves factas*, paratas, ſaginatas (9), vel juxta alios, coctas parataſque in cibum, vel tantum occiſas parataſque ut coquantur.

Quinque sata polentæ, *Satum* capiebat pintas novem, hemipintam, hemiſextarium, octavam pintæ partem; pollices quatuor & amplius aliquid. Polenta farina erat ex hordeo vel frumento, cujus erat uſus familiaris inter agreſtes, quæque ex oleo frixa parabatur. Hebræum (10) *Kali* uſurpatur de ſpicis generice, & quolibet frumenti moliti genere, ſimila frixa & molita (11). Familiaria erant hæc omnia, antequam priſtina pneumatica vel aquatica invenirentur.

Centum ligaturas uvæ passæ. Hebræum צמקים *Zimmukim* ſonat uvas paſſas; non tamen certo conſtat, deſignare uvæ paſſæ ligaturas. Cum David inveniſſet Ægyptium, qui in exercitu Amalecitarum fuerat, a quibus Siceleg direpta eſt, caricas illi & duo *Zimmukim* dari juſſit (12); quæ ille comedit. Quare vocem hanc ſignificare tantum crediderim ingentem uvæ paſſæ racemum, cujuſmodi gignit Palæſtina, ubi botri ſeptem, octo, decem vel duodecim librarum frequentes ſeſe offerunt. P. Rogerius (13) affirmat, ſeſe anno 1634. racemum in valle Sorec legiſſe, pondo quinque & viginti librarum & ſemis. Chaldæus (14): *Centum palmites uvarum paſſarum*. Septuaginta: Γόμορ ἓν σταφίδος, *gomor uvæ paſſæ*. Syriacus & Arabs: *Centum caſeos*.

Ducentas massas caricarum. Hebræus (15): *Ducentas caricas*. Chaldæus: *Ducentas libras caricarum*. Supplendum eſt equidem nonnihil in Hebræo; quid enim eſt *ducenta caricarum*? An dignum eſſent Davide munus ducentæ caricæ? Supplendum eſt igitur *maſſas*, vel *caniſtros* caricarum.

℣. 19. Viro autem suo Nabal non indicavit. Mulieris pro conſueto more non eſt, ut de rebus familiaribus decernat in uſus magni momenti, injuſſu viri, eoque inſcio; in re vero adeo nova & ſingulari, de qua modo, quis accuſet prudentiam fœminæ, quæ rerum familiæ portionem contra voluntatem viri ſui, eoque imprudente pro ejuſdem domus ſuæ & conjugis ſalute erogavit? Si quid tale accidat, tuto conſuetæ leges negliguntur.

℣. 20. Cum descenderet ad radices montis David, et viri ejus descendebant in occursum ejus. Hebræus ad literam (16): *Cum deſcenderet illa in obſcuritate montis, ecce David & viri ejus deſcendentes in occurſum ejus*. David e montibus Pharan, Abigail e Carmelo deſcendebant. *Obſcuritas montis* innuere poteſt iter arboribus umbroſum (17). Chaldæus: *In latere montis*.

℣. 22. Hæc faciat Deus inimicis David, ſi quemquam vivum reliquero. Quid jurat David? An ægre laturus erat, ſi Deus diſtricte adverſarios ſuos puniret? Septuaginta aliter explicant (18): *Hæc faciat Deus ipſi David, & hæc addat &c*. Sed He-

(1) ואמרתם כה לחי ואתה שלום וביתך שלום (2) Εἰς ὥρας, καὶ σὺ ὑγιαίνων, καὶ πάντα τὰ σὰ ὑγιαίνοντα. Author Vulgatæ legit לאחי pro לחי (3) ℣. 15. (4) ℣. 16. & 21. (5) 2. Reg. XIII. 24. 27. (6) Vide ad Geneſ. XLIII. 16. (7) בליעל Aqu. Ἀποστασίας. Sym. Λοιμός. Septuag. Λοιμός. Peſtilens. Th. Ἀφροσύνης. Inſipiens. (8) חמש צאן עשויות Πέντε πρόβατα πεποιημένα. (9) Chald. חמש עאן תבברא (10) חמש סאים קלי Aqu. Φρυκτῆς κεκομμένης κριθῆς. (11) Vide ſupra XVII. 17. & Levit. II. 14. & Joſue V. 11. & Ruth. II. 14. Paſchius in ſuo Libro Latino de recentioribus inventis poſt antiquitatem, Lipſiæ impreſſo anno 1700. docet, fabam Ægyptiam, ſeu Caffè, inter munera fuiſſe, quæ Abigail Davidi obtulit. (12) 1. Reg. XXX. 12. (13) Eugene Roger liv. 1. cap. 2. (14) מאה אתכלין דעינבין יבישין (15) מאתים דבלים Septuag. Διακοσίας παλάθας. (16) והיה היא רכבת על החמור וירדת בסתר ההר והנה דוד ואנשיו ירדים לקראתה (17) Septuag. Ἐν σκέπῃ τοῦ ὄρους. (18) Τάδε ποιήσαι ὁ Θεὸς τῷ Δαυὶδ. Ita Ed. Nobil. ac Complut. & Pariſ. Τοῖς ἐχθροῖς Δαυὶδ.

Digitized by Google

Hebræus, Chaldæus, Vulgata, & ipſi pariter Septuaginta in aliis Codicibus legunt: *Hæc faciat Deus inimicis David*. Reputandum eſt igitur, hac jurandi formula David imprecari quidem ſibi mala omnia, niſi de Nabal exigat ultionem; ſed mali ominis evitandi gratia, nomine ſuo omiſſo, inimicorum ſuorum nomen ſubſtituiſſe.

Si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent, usque ad mingentem ad parietem. Hoc verborum ambitu mares tantum comprehendi cenſent plures Interpretum (1): *Si quempiam marem reliquero*. Mejere ad parietem nonniſi viris pro noſtro more convenit. Et ſi quis minarum ejuſmodi executionem ſpectet, quæ non raro occurrit, nonniſi in viros recidiſſe animadvertet. Ahias Propheta futurum prænunciat, ut Deus ſuper domum Jeroboami omnium malorum gravem procellam excutiat (2): *Percutiam de Jeroboam mingentem ad parietem, & clauſum, & noviſſimum in Iſrael. Qui mortui fuerint de Jeroboam, comedent eos canes; qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves Cœli*. Ut hæc ſententia impleretur, Baaſa necem intulit Nadabo Regi Iſraelis, *percuſſitque omnem domum Jeroboam. Non dimiſit ne unam quidem animam de ſemine ejus, donec deleret eum* (3). Elias Propheta ſimilibus minis terruit Achabum (4): *Interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clauſum, & ultimum in Iſrael*. Sententiæ hujus miniſter Jehu (5), gladio ſævüt in omnes impii hujus Regis (6), filios, neceſſarios, Præfectos & Sacerdotes.

Sed major Interpretum numerus (7) certat, propie nomine mingentis ad parietem canem deſignari; Davidem autem hyperbolica & proverbiali phraſi expreſſiſſe, ſe ita nemini parſurum e familia Nabalis, ut ne canem quidem vivum permittat. Scitum eſt, canem mejere ad parietem; quem inſitum morem nunquam mutat, cum mores hominum inconſtantes ſint. Aurelianus Imperator (8) ob clauſas ſibi portas Urbis Thianę iratus juravit: *Canem in hoc oppido non relinquam*; quæ ejus verba ita ab omnibus accepta ſunt, ut nemo ex incolis vivus relinquendus eſſet; ſed miſertus Imperator tot hominum caſum, jusjurandum, quo ſe obſtrinxerat, ut verba ſonabant, implevit; cædi enim juſſit omnes, quotquot occurrerent excurrentibus per Urbem, canes.

Interpretationem hanc ut fulciant, animadvertunt, vetuſtis moribus obtinuiſſe, ut homines non ſtantes & ad parietem mejerent, ſed incurvi, & clam ſub veſtibus, more fœminarum. *Apud Ægyptios*, ait Herodotus (9), *fœminæ ſtantes, viri incurvi mejunt*. Stantes viri ne mejant, præcipit Heſiodus (10); atque animadvertit Caſaubonus in Characteres Theophraſti, περὶ ἀδολεσχίας, veteres nunquam mejere ad parietes conſueviſſe, laudatque teſtes Dionyſium Halycarnaſſæum, & Galenum in exhortatione ad artes. Ludovicus de Dieu tradit, hodie pariter in Oriente viros eodem corporis geſtu ac fœminas, mejere. Busbequius id luculenter affirmat de Turcis (11): *Demiſſis coxis, ut apud nos mulieres, lotium reddunt*. Gemina referunt Thevenotius, Ammianus Marcellinus de Perſis, eademque pariter confirmant Tavernier (12) & Chardinus (13). Denique Hebræi urinam his verbis innuunt, *Aqua pedum*, quod cum rę præſenti non obſcute congruit.

Nequidquam tamen tot reclamantibus teſtimoniis, defendit Bochartus (14), veteres lotium reddidiſſe ad parietem. Animadvertit ille ad Textum mox laudatum Herodoti, Scriptorem hunc aſſerere, Ægyptios ea in re a communi Gentium fere omnium more diſceſſiſſe. Græci Romanique a noſtra mejendi conſuetudine non abhorrebant. De Græcis id probat, adducto e vita Æſopi & Diogenis Cynici teſtimonio (15). Porro Philoſopho huic projectum fuit os tamquam cani; ſtatimque ille more canis minxit adverſus illos, qui os projecerant. Pro Romanis teſtimonium Lucretii affert. Contendit inſuper, Turcas ſtantes & ad parietem mejere, quod probat authoritate Olearii (16). Demonſtrat ea, quæ de Orientalibus ſcribit Ludovicus de Dieu, nonniſi Perſis convenire. Denique adducit e Thalmude legem vetantem, ne quis mejat ad parietem proximi ſui, niſi ſaltem tribus palmis diſtet ab altero, quem alloquitur. Mea quidem ſententia Turcæ & Perſæ lotium reddunt incurvi more fœminarum, quod metuant ne qua forte guttula urinæ calceos inquinet. Quod utique & ſanctitatem ipſorum ſua opinione inquinaret. Ut grande illud peccatum evitent exprimunt accurate canalem, unde lotium defluxit, ejuſque os ad parietem abſtergunt. Hunc vero morem pariter obtinuiſſe olim ante Mahometum, nulla ratione demonſtratur.

Syriacus & Arabs ab hac pariter ſententia recedunt: *Si quidquam ex his quæ habet, relictum fuerit uſque ad matutinum, appenſum ad parietem*. Omnes trucidabo; quin & in domo Nabalis, ſi quid offendam, omnia rapiam. Chaldæus vertit: *Si reliquero in domo ejus hominem quemcumque cognoſcentem*; qui bonum a malo per ætatem dignoſcat. Sed neutra interpretatio verum hujus loci ſenſum pandere nobis videtur. Quare alterutra e relatis initio retinenda eſt. Quæ de cane exponit, validioribus, quæ noſtra eſt opinio, probatur.

℣. 24. In me ait hæc iniquitas; iniquitas, vel iniquitatis hujus pœna in caput meum recidat: criminis hujus culpam mihi, mihi pariter & pœnam adſcribito. Iniquitas æque uſurpari poteſt pro malo, & pro pœna mali. In eamdem ſententiam rogat inferius ℣. 28. *Aufer iniquitatem ancillæ tuæ*; remitte mihi crimen, & quam promerui pœnam, condona.

℣. 25. Dominus meus Rex. Nomen *Rex* neque in Hebræo, neque in Chaldæo, neque in Septuaginta legitur, Nondum Regis titulo David ornabatur.

Ne ponat cor suum super virum istum iniquum Nabal, quoniam secundum nomen suum stultus est. Hebræus (17): *Ne ponat Dominus meus cor ſuum ad virum hunc Belial, quia ſecundum nomen ſuum ſic ipſe*. Porro *Nabal* eſt *ſtultus*. *Ponere cor ſuum ſuper aliquid*, vernacula Hebręorum phraſis eſt, ſolicitum eſſe pro aliquo. *Homo Belial* eſt impius, & *Nabal* ſtultus. Minuit pro viribus Abigail invidiam criminis Nabalis, tribuens illud potius viri inſaniæ, quam dolo & malitiæ; qua in re nulla injuria virum afficit, quippe quem ſtultitiæ potius quam criminis accuſat.

℣. 26. Vivit Dominus et vivit anima tua, qui prohibuit te, ne venires in sanguinem. Gratulatur argute Davidi, quod conſilium ſuum non expleverit. Aliter etiam ejus verba accipi poſſunt:

Quem-

(1) Ita Rabbini, Levi, & Elias, Petr. Mart. Boch. de animal. ſacr. tom. 1. lib. 2. c. 55. (2) 3. Reg. xiv. 10. (3) 3. Reg. xv. 29. (4) 3. Reg. xxi. 21. (5) 4. Reg. ix 8. 9. (6) 4. Reg. x. 6. 11. (7) Rabb. Jarchi, Kimchi, Iſai Aquinas, Vatab. Sanct. Eſt. Caſtal. Cornel. Menoch. Jun. Piſc. Ludov. de Dieu, Delrio Adagial. Sacr. Adag. 284. Cajet. Sa, Cleric. &c. (8) Vopiſc. in Aureliano. (9) Herodot. lib. 2. c. 35. Οὐρέουσι αἱ μὲν γυναῖκες ὀρθαί, οἱ δ᾽ ἄνδρες, κατήμενοι. Vide & Henric. Steph. Apolog. Herodoti, ubi Sophocl. & Nymphod. adducit, idem cum Herodoto dicentes. (10) Heſiod. Oper. & dies. Μηδ᾽ ὀρθὸς ὀμιχεῖν. (11) Busbequ. Ep. 3. Vide & Thevenot c. 39. P. Eugene Roger l. 2. cap. 12. pag. 363. dans la Vie de l'Emir Faxerdin. (12) Tavernier liv. 4. cap. 5. Voyage de Perſe. Ammian. lib. 23. c. 6. (13) Chardin, Voyage de Perſe l. 2. p. 50. (14) Vide Bochart. de animal. ſacr. tom. 1. lib. 2. c. 56. (15) Apud Laert. (16) Olear. iter Perſar. lib. 5. p. 570. (17) אל בא ישים ארני את לבו אל איש הבליעל הזה על נבל כי כשמו כן הוא נבל

Quemadmodum veriſsime Deus vivit, & tu pariter vivis, ita etiam vere Deus opportunam hanc tibi occaſionem dedit, ut documentum clementię tuæ exhibeas, ſonti parcens, & manus tuas ſanguine intactas continens.

Fiant sicut Nabal inimici tui. Ita ſint imbecilles & temnendi potius quam timendi, ſicut Nabal: ante pedes tuos cadant, tuamque clementiam implorant, uti ego nunc pro Nabale. Melius aliquid, quam Nabal, ſit oportet, in quem iraſcaris. Plurimo ſane artificio Abigail verba hæc ad Davidem compoſuit: ubique enim naturalis & diſerta æque & compta ſuadendi vis ſentitur.

℣. 27. Suscipe benedictionem hanc. Ita Hebręi appellant ea quæ largiuntur munera, quod forte non ſine benedictionibus & gratiarum actionibus acciperentur, nec ſine fauſtis imprecationibus verbiſque officioſis darentur. *Eulogias* (1) vel *benedictiones* appellat S. Paulus datam pro egenis ſtipem; idemque nomen eodem ſenſu uſurpatum non ſemel apud Eccleſiaſticos Scriptores recurrit.

℣. 28. Faciet Dominus tibi domum fidelem, ſtabilem, firmam, quæ nunquam ſive pereat, ſive deſtruatur. Dicitur hoc oppoſitione quadam ad Saulem, cujus dignitas in poſteros tranſmittenda non erat.

Prælia Domini præliaris. Imperator es & Dux copiarum Domini. Vide ſupra XVIII. 16. 17.

Malitia non inveniatur in te. Nullius in te mali culpam inducas; ſive, juxta Hebræum (2): *Malitia non inventa eſt in te a diebus tuis*. Juſtum te & irreprehenſibilem ſervaſti. Denique: Avertat a te Deus omne malum, omni quo vixeris tempore.

℣. 29. Erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viventium apud Dominum. Porro inimicorum tuorum anima rotabitur quasi in impetu, et circulo fundæ. *Retineri in faſciculo viventium*, ad literam, *Ligari in faſciculo viventium*, eſt referri in cenſum electorum & prædeſtinatorum, quorum major ineſſe Deo cura videtur quam cæterorum. Ligat illas Deus in faſciculo, ut olim ligabatur argentum, priuſquam hic, qui nunc viget, ſignatæ monetæ uſus obtineret. Virgæ erant ſeu veruli argentei, ſimul in faſciculum alligati. *Vir abiit via longiſſima*, ait mulier quædam in Proverbiis VII. 20. *ſacculum pecuniæ* [faſciculum argenti] *ſecum tulit*. Huc facile ſpectat Chaldæus, reddens: *Erit anima Domini mei repoſita in theſauro vitarum ſæculi, ante Dominum Deum tuum*.

Sed anima impiorum plane contrario fato derelicta eſt, veluti lapis in funda, agitatus ſemper dum in funda eſt, proculque jactus, cum ab illa excutitur. Vita impiorum inſtabili ſemper, inquieta & moleſta agitatione rotatur. Hoſtes populi Dei lapidibus fundæ comparat Zacharias IX. 15. *Subjicient lapidibus fundæ*: viciſsim autem Iſraelitas tamquam e diademate gemmas æſtimat.

Levi quadam mutatione Textus hujus Hebræi commodo hoc ſenſu ſententia redditur (3): *Anima Domini mei cuſtodietur quaſi petra viva apud Dominum meum; ſed anima inimicorum tuorum erit quaſi rotata in funda*. Juſtorum & impiorum animas inter ſeſe opponit, ut lapidem vivum lapidi fundæ; lapidem probatum, ſolidum, utilem, lapidi rejecto & inutili, omnibus uſibus, præterquam fundæ, inepto. Ita ſane duo comparationis membra directe inter ſe opponuntur, eademque lapidis allegoria retinetur.

Vel aliter: Anima Domini mei erit *quaſi petra viva conſervata in caniſtro* Domini mei; viciſsim autem anima adverſariorum tuorum erit *ceu petra agitata in funda*, & procul jacta. *Petra viva* hic eſt petra ſolida, lævis, apta manui periti funditoris. Comparationem hanc nobilem & argumento aptam reddit ſumma Hebræorum opinio de funda, & uſus Davidis in victoria de Gigante relata.

Petra viva vel *vitæ*, phraſis non eſt Scripturæ modo, ſed probatiſſimis etiam Scriptoribus familiaris. S. Petrus (4) Jeſum Chriſtum *lapidem vivum* appellat, monetque: *Ad quem accedentes lapidem vivum . . . & vos tamquam lapides vivi ſuperædificamini*. Lapides in uſum ædificii appellantur lapides vitæ; & *dare vitam* eſt interdum *ædificare*. *Joab vivificavit reſiduum urbis* (5), ideſt ædificavit. Samaritani inſultantes interrogabant Judæos, poſſent ne *vivificare lapides* (6) juſtos veteris Jeroſolymæ, an ſcilicet iis uti lapidibus poſſent. Denique cultiori eloquio Scriptores phraſim hanc familiariter adhibent. Virgilius Æneidos I. verſ. 171.

. . . . . *Vivoque ſedilia ſaxo*.

Æneidos III. v. 688.

. . . . *Vivo prætet vehor hoſtia ſaxo*.

Ovidius in Faſtis libro II.

Antra ſubit tophis laqueata & pumice vivo.

Et libro V.

Hactenus ut ſubiit vivo rorantia ſaxo.
Antra.

℣. 30. Cum constituerit te Ducem super Israel. Nemo jam tum ambigebat, Davidem Saulis ſucceſſorem a Deo deſtinatum fuiſſe. Neque id pariter idem Saul ignorabat, uti ſupra XXIV. 21. animadverſum eſt.

℣. 31. In singultum et in scrupulum cordis. Hebræus (7): *In anxietatem* vel ambiguitatem, & in *ſcandalum* vel lapſum. Nullis conſcientiæ ſtimulis pro hac re cruciaberis, nullo ſcandalo vel diſcrimini ſuccumbendi tentationi te objicies. Tunc David Regno nondum potiebatur: jus illi erat defenſionis, non belli gerendi, ſive ultionem ſuam adverſus Regem urgendi (8).

Quod effuderis sanguinem innoxium. Crimen Nabalis animadverſionem merebatur & pœnam, ſed non mortem; & ii quos David eodem exitio obvolviſſet, utique criminis erant immunes. Hebræus לשפך דם חנם, *Ad effundendum ſanguinem gratis*, vel injuria.

℣. 32. Benedictum eloquium tuum. Hebræus ברוך טעמך *Benedicta diſcretio tua*, conſilium tuum, ſapientia tua, *eſto benedicta*. Septuaginta: Εὐλογητὸς ὁ τρόπος σου, *Benedictus modus tuus*, agendi ratio.

℣. 35. Honoravi faciem tuam; honoravi te vel aſpectum tuum. Hebræus אשא פניך *Tuli facies tuas*. Septuaginta (9): *Suſpexi faciem tuam*. Nimis leviter, & temere David juraverat. Quare ſententiam ſapienter mutat. Docet S. Ambroſius (10): *Eſt contra officium nonnunquam, ſolvere promiſſum, juramentum cuſtodire*.

℣. 36. Non indicavit ei verbum. Mira diſcretio Abigailis, & eximium utilis correptionis exemplum! *Cavendum ne ex remediis vitia fiant, quod evenit nimia aut intempeſtiva medicina* (11). Ajebat olim quidam ad Cleoſtratum: Nonne pudet te ebrietatis? Nonne & te pariter, reſpondit alter, pudet corripere ebrium?

℣. 39. Benedictus Dominus qui judicavit causam opprobrii mei. Innui his verbis videtur, Davidem gaviſum eſſe de exitio Nabalis: æquius tamen reputemus, ſapientem hunc & ſanctiſſimum Principem admiratum eſſe conſilia juſtitiæ & providentiæ Domini, qui ſeſe removerat a diſcrimine

(1) 2. Corinth. IX. 5. 6. Ἵνα προκαταρτίσωσι τὴν προκατηγγελμένην εὐλογίαν ὑμῶν. (2) ורעה לא תמצא בך מימיך (3) והיתה נפש אדני צרורה בצרור vel [כצרור] החיים את יהוה (4) 1. Petri II. 4. (5) 1. Paralipom. XI. 8. יואב יחיה את שאר העיר (6) 2. Eſd. IV. 2. היחיו את האבנים (7) לפוקה ולמכשול Septuag. Βδελυγμὸς καὶ σκάνδαλον. *Abominatio & ſcandalum*. (8) Grot. ad ℣. 26. (9) Sept. ſeu Sym. Ἐντραπήσομαι τὸ πρόσωπόν σου. Aqu. ἦρα, *tuli*. Sym. Ἐτίμησα, *honoravi*. Th. Ἔλαβον, *accepi*. Septuag. Ἡρέτισα, *ſuſcepi*. (10) Offic. lib. I. cap. ult. (11) Plin. l. 17. c. 27.

ne manus polluendi ſanguine Nabalis, nec tamen ultionem neglexerat. Eodem ſenſu legimus in Pſalmo LVII. 11. *Lætabitur juſtus cum viderit vindictam; manus ſuas lavabit in ſanguine peccatorum.* Dei æquitatem venerabitur, exactaque de impio vindicta, ipſius juſti juſtitiam, ſanctitatem, & innocentiam magis magiſque amplificabit.

℣. 41. ECCE FAMULA TUA. Legatos Davidis ita alloquitur, veluti ſi David præſens adeſſet.

℣. 43. ACHINOAM. Creditur, uxorem hanc ante Abigailem duxiſſe David; in cenſu enim uxorum Davidis nunquam non prima legitur Achinoam, Amnon filius natu major Davidis ex matre Achinoam natus eſt.

DE JEZRAEL. Hujus nominis urbs, cæterarum ejus nominis celeberrima, ſita erat in Tribu Iſſachar, idemque ſuum nomen communicabat valli longe excurrenti ab oriente in occidentem, inter montes Gelboe ad meridiem, & Thabor ad ſeptemtrionem. Sed alia ejuſdem nominis erat urbs in Tribu Juda (1), quæ patria Achinoam creditur.

℣. 44. PHALTI, alio nomine Phaltiel (2). Contra jus & fas omne peccavit Saul, Micholem a Davide, invito viro, removens, ut alteri traderet. Nullas divortii literas a viro acceperat Michol, nec ſine perfidiæ & adulterii crimine nuptias cum altero conciliare poterat. Porro connubium hoc Micholis cum Phaltiele perinde ac infectum ſemper habuit David; quare ad Regnum evectus, uxorem ſibi ſuam recepit (3); quod utique de repudiata nefas illi fuiſſet (4).

GALLIM urbs erat facile Beniamitica, quippe quæ ab Iſaia x. 30. cum urbibus ejus Tribus, Laiſa & Anathot, recenſetur. Septuaginta Editionis Romanæ legunt *Romma*; Complutenſes, *Gallim*. Vide Ezechielem XLVII. 10.

(1) Joſue xv. 56. (2) 2. Reg. III. 15. (3) 2. Reg. III. 14. (4) Deut. XXIV. 4.

CAPUT XXVI.

Ziphæi produnt iterum Sauli locum, ubi David latebat, Cum Saul & totus ejus exercitus dormiret, David clam ingrediens in caſtra, ſurripit haſtam & ſcyphum Regis. Tum e vertice montis clamat; ejuſque vocem agnoſcens Saul, reum ſeſe fateri cogitur.

℣. 1. ET venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Ecce, David abſconditus
eſt in colle Hachila, quæ eſt ex adverſo ſolitudinis. 2. Et ſurrexit Saul,
& deſcendit in deſertum Ziph, & cum eo tria millia virorum de electis Iſrael, ut
quæreret David in deſerto Ziph. 3. Et caſtrametatus eſt Saul in Gabaa Hachila, quæ
erat ex adverſo ſolitudinis in via; David autem habitabat in deſerto. Videns autem,
quod veniſſet Saul poſt ſe in deſertum, 4. Miſit exploratores, & didicit, quod illuc
veniſſet certiſſime. 5. Et ſurrexit David clam, & venit ad locum ubi erat Saul:
cumque vidiſſet locum, in quo dormiebat Saul, & Abner filius Ner, princeps militiæ
ejus, & Saulem dormientem in tentorio, & reliquum vulgus per circuitum ejus,
6. Ait David ad Achimelech Hethæum, & Abiſai filium Sarviæ, fratrem Joab, dicens:
Quis deſcendet mecum ad Saul in caſtra? Dixitque Abiſai: Ego deſcendam tecum.
7. Venerunt ergo David, & Abiſai ad populum nocte, & invenerunt Saul jacentem,
dormientem in tentorio, & haſtam fixam in terra ad caput ejus: Abner autem,
& populum dormientes in circuitu ejus. 8. Dixitque Abiſai ad David: Concluſit
Deus inimicum tuum hodie in manus tuas, nunc ergo perfodiam eum lancea
in terra ſemel, & ſecundo opus non erit. 9. Et dixit David ab Abiſai: Ne interficias
eum: quis enim extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit?
10. Et dixit David: Vivit Dominus, quia niſi Dominus percuſſerit eum, aut dies ejus
venerit, ut moriatur, aut in prælium deſcendens perierit: 11. Propitius ſit mihi
Dominus, ne extendam manum meam in Chriſtum Domini: nunc igitur tolle haſtam,
quæ eſt ad caput ejus, & ſcyphum aquæ, & abeamus. 12. Tulit igitur David haſtam,
& ſcyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt: & non erat quiſquam,
qui videret, & intelligeret, & evigilaret, ſed omnes dormiebant, quia ſopor Domini
irruerat ſuper eos. 13. Cumque tranſiſſet David ex adverſo, & ſtetiſſet in vertice
montis de longe, & eſſet grande intervallum inter eos, 14. Clamavit David ad populum,
& ad Abner filium Ner, dicens: Nonne reſpondebis Abner? Et reſpondens
Abner, ait: Quis es tu, qui clamas, & inquietas regem? 15. Et ait David ad Abner:
Numquid non vir tu es? & quis alius ſimilis tui in Iſrael, quare ergo non cuſtodiſti
dominum tuum regem? ingreſſus eſt enim unus de turba, ut interficeret regem,
dominum tuum. 16. Non eſt bonum hoc, quod feciſti: vivit Dominus, quoniam
filii mortis eſtis vos, qui non cuſtodiſtis dominum veſtrum, Chriſtum Domini:

nunc

Digitized by Google

nunc ergo vide, ubi ſit haſta regis, & ubi ſit ſcyphus aquæ, qui erat ad caput ejus.
17. Cognovit autem Saul vocem David, & dixit: Numquid vox hæc tua, fili mi
David? & ait David: Vox mea, domine mi rex. 18. Et ait: Quam ob cauſam do-
minus meus perſequitur ſervum ſuum? Quid feci? aut quod eſt malum in manu mea?
19. Nunc ergo audi, oro, domine mi rex, verba ſervi tui: Si Dominus incitat te
adverſum me, odoretur ſacrificium: ſi autem filii hominum, maledicti ſunt in conſpe-
ctu Domini: qui ejecerunt me hodie, ut non habitem in hæreditate Domini, dicen-
tes: Vade, ſervi diis alienis. 20. Et nunc non effundatur ſanguis meus in terram
coram Domino: quia egreſſus eſt rex Iſrael, ut quærat pulicem unum, ſicut perſe-
quitur perdix in montibus. 21. Et ait Saul: Peccavi, revertere fili mi David: ne-
quaquam enim ultra tibi maleſaciam, eo quod pretioſa fuerit anima mea in oculis
tuis hodie: apparet enim, quod ſtulte egerim, & ignoraverim multa nimis. 22. Et
reſpondens David, ait: Ecce haſta regis: tranſeat unus de pueris regis, & tollat eam.
23. Dominus autem retribuet unicuique ſecundum juſtitiam ſuam, & fidem: tradidit
enim te Dominus hodie in manum meam, & nolui extendere manum meam in Chri-
ſtum Domini. 24. Et ſicut magnificata eſt anima tua hodie in oculis meis, ſic ma-
gnificetur anima mea in oculis Domini, & liberet me de omni anguſtia. 25. Ait
ergo Saul ad David: Benedictus tu, fili mi David: & quidem faciens facies, & potens
poteris. Abiit autem David in viam ſuam, & Saul reverſus eſt in locum ſuum.

ỹ. 1. ZIPHÆI. Cum Ziphæi ſemel hoſtium Davidis partibus ſeſe dediſſent, intellexerunt ſtatim futurum, ut niſi virum perderent, gravia ſibi omnia ab illo imminerent. Quare nihil reliquerunt intentatum, ut Saulis manibus illum traderent.

IN COLLE HACHILA. Vel in *Gabaa Hachila*, uti legit hic Hebræus & Vulgata ỹ. 3. Collis hujus ſitus ignoratur; ſed a Ziph non procul conſtituendus eſt. Docet Scriptura, fuiſſe illum *ex adverſo ſolitudinis*, vel (1) ad *dexteram deſerti*, forte Ziph, cum hic Ziphæi loquantur. Hebræus (2) & Septuaginta: Ad dexteram *Jeſimon*. Vide ſupra XXIII. 19.

ỹ. 4. QUOD ILLUC VENISSET CERTISSIME. Hebræus (3): *Quod veniſſet ad certum locum*. Certior primo factus eſt, Saulem iter ad ſeſe quærendum ſuſcepiſſe; tum per ſubmiſſos viros exploraſſe certum, ubi verſabatur, locum. Septuaginta (4): *Vidit David, quia venit Saul poſt ſe in deſertum*. Chaldæus: *Vidit quia venit Saul vere*. Reddunt quidam: *Quia venerat ad aliquid certum præſtandum*. Hanc eamdem vocem ſupra XXIII. 23. Author Vulgatæ ita reddidit: *Revertimini ad me ad rem certam*.

ỹ. 5. CUMQUE VENISSET .... SAULEM DORMIENTEM IN TENTORIO; ſeu potius dormire putaſſet, neque enim certo id noſſe poterat, cum in caſtra nondum veniſſet. Quæ Hebræa vox (5) vertitur hic *tentorium*, ſignificare poterat currum; nec abs re credimus, Saulem inſtructum fuiſſe tecto curru, Arabibus & cæteris aliis populis erraticam vitam agentibus, familiari. Juſtinus libro 1. de Scythis: *Uxores liberoſque ſecum in plauſtris vehunt, quibus, coriis imbrium hiemiſque cauſa tectis, pro domibus utuntur*. Septuaginta (6) exponunt pariter de plauſtro, vel de *lampene*; quod autem favet lampenæ, vel tentorio geſtatorio, illud eſt, quod Saul cubuerit, defixa humi & ad caput lectuli haſta; quod vix ac ne vix quidem de plauſtro intelligi poteſt. Vertunt alii (7): *Saul dormiebat intra ſepta caſtrorum*. Cenſent illi, totum vallum ambiiſſe diſpoſita circum plauſtra & impedimenta, & in centro hujus ſepti Saulis tentorium conſtitutum fuiſſe. Aquila: Ἐν στρογγυλώσει. *In rotunditate*. Lucifer Calaritanus apud Nobilium: *In ſtragulis pretioſis*.

ỹ. 6. ACHIMELECH HETHÆUM. Quis iſte fuerit Achimelech, ignoratur. Facile vir erat Judæus, ideo forte Hethæus appellatus, quod apud Hethæos degeret, uti Caleb Cinæus dicitur; ſive Hethæam originem referens, ad Judæorum ſacra tranſiiſſet. Abiſai filius erat Sarviæ ſororis Davidis, in cujus aula primas deinceps adeptus eſt, & parti copiarum ipſius præfuit. Appellatur ſemper *filius Sarviæ*: patris nomen ignoratur.

ỹ. 9. QUIS EXTENDET MANUM SUAM IN CHRISTUM DOMINI, ET INNOCENS ERIT? In Saulem, Principem licet iniquum, quem etiam merito execrari poterat David, nefas tamen David ipſe reputavit manus injicere violentas, privatus nempe in Regem. Maxime obſervanda ſemper eſt Principum authoritas, & Regis perſona habenda eſt inviolabilis, quamvis a tyranno uſurpatore, injuſto, & viro Saulis moribus ſimili, geratur. Erga Reges ſuos tanto obſequio tenentur Orientales, ut jubentibus illis cæco modo pareant, nihilque apud illos rarius occurrat, quam defectiones, & cædes Regum, quarum crebra adeo exempla in Hiſtoria Romana, Anglica, & Gallica ſuppetunt.

ỹ. 10. VIVIT DOMINUS .... NISI DIES EJUS VENERIT, ſupple, nunquam in animum inducam, ut vitam illi adimam. *Dies ejus* eſt dies obitus naturalis. Uſurpari ſolet, hominem obire ante diem ſuum, non abſolvere dies ſuos, non compleſſe dimidium dierum ſuorum (8), ut acerba cujuſpiam mors innuatur. Animadvertit non ſemel S. Joannes Evangeliſta, J. Chriſtum captum non fuiſſe ab Judæis, *quia nondum venerat hora ejus*.

ỹ. 11. SCYPHUM AQUÆ. Hebræus ad literam (9): *Vas aquæ* potabilis, ut ſe pro more ferventium regionum refrigeraret, vel lotione purgaret (10). Vox Originalis uſurpatur de vaſis, ubi aqua, vel oleum continetur (11). Sunt qui indicari his verbis credant vas, ubi venter exoneratur (12); quod inutile prorſus erat in caſtris. Alii (13) ſubtilius rem

(1) Cap. XXIII. 19. (2) הישימון Septuag. Γεσσαμὰ. Aqu. Τῆς ἀφανισμένης, *regionis exciſæ*. Sym. Ἐρήμου, *deſerti*. (3) כי בא אל נכון (4) Ἔγνω ὅτι ἥκει Σαοὺλ ἕτοιμος ὀπίσω. (5) שאול שכב במעגל (6) Ἐν λαμπήνῃ. Sym. Σκηνῇ, *tentorio*. Lampene, ex Græco Scholiaſte, currus erat eximius, uti noſtræ ætatis nobilium thedæ. Λαμπήνη, εἶδος ἁμάξης λαμπρᾶς ὄντα περίχως. (7) Jonat. בכרקומא in Vallo. Ita Jun. Munſt. Piſc. (8) Pſalm. LIV. 28. *Non dimidiabunt dies ſuos*. (9) את צפחת המים Aqu. Ἄγγος, vas. Sym. Νυκτοπότιον, ubi per noctem præſto eſt potus. Septuag. Φακὸς, *vas inſtar lenticulæ*. (10) Vide Clem. Alex. Strom. lib. 4. (11) 3. Reg. XVIII. 12. 14. 16. (12) Vide Caſtal. in Serar. (13) Vide Sanct. Serar. Cornel. Menoch.

rem hic eſſe credunt de clepſydra, vel horologio aquatili, quaſi ſcilicet jam tum in belli uſum obtineret.

Præſto erat Sauli ſcyphus plenus aqua ad caput lecti poſitus. Mos obtinet apud magnates Turcas ut nunquam itineri ſe committant, quin nec deambulent oblectamenti gratia abſque præcedenti phiala aquæ puræ ad potum paratæ, quod inter neceſſaria viatica ponunt. Derlac Anecdot. Poloniæ tom. I. pag. 300. Inter munera legatis Holſthein data plena aqua lagena non deerat. Itin. Moſchov. in Perſidem tom. I. pag. 369.

℣. 12. Sopor Domini irruerat super eos. Nullum hic prodigium nullusque ſopor a Deo extraordinarie immiſſus quærendus eſt, ut Davidi res facilius cedat. Deſignare poteſt Textus altum quemdam ſoporem, ſoporem Dei, uti legimus montem Dei, cedros Dei, ſacramentum Dei, hominem Dei. Augent hæc exaggerantque res, pro ſuo ſenſu ſingulas.

℣. 15. Numquid non vir tu es? Ironice. Profecto eximius es copiarum Imperator, qui caſtra ſine excubiis, & tentorium Regis abſque cuſtodibus relinquas.

℣. 16. Filii mortis; mortem promeruiſtis. Vide ſupra XXII. 16. Romanis legibus capitale eſt excubias Prætorii deſerere (1).

℣. 19. Si Dominus incitat te adversus me, odoretur sacrificium; Sacrificium ſcilicet tuum, vel quod illi offerre vita mea moliris; me huic ſubdo, libenter mortem feram (2). Quod Sacrificium innuat David, non exprimit Hebræus, vertendum ego maluerim (3): *Si Dominus incitat te adverſum me, odor ſacrificii excipiatur*. Si criminibus meis id promerui, ut Deus furori tuo me permittat, ego me victimam ultioni ejus offero; atque ut gratum ſit illi hoc ſacrificium, rogo. Aliter: Si Deus eſt, qui in me armatur, fas mihi ſit Deum placare ſacrificiis (4); ne a regione mea pellar, ne excludar a rerum ſacrarum communione. Denique poſteriorem hanc interpretationem præfero: *Si Deus incitat te adverſum me, adoretur ſacrificium tuum*; Deus vota tua compleat, atque manibus me tuis tradat. Optare ut ſacrificium aliquod accipiatur, perinde eſt ac optare, ut vota ſua impleantur. Pſalmus XIX. 4. *Memor ſit* [Dominus] *omnis ſacrificii tui, & holocauſtum tuum pingue fiat; tribuat tibi ſecundum cor tuum, & omne conſilium tuum confirmet*.

Maledicti sunt. Dira omnia provocant ſuper caput ſuum. Porro ut imprecatio evitetur, reddere viſum eſt (5): *Maledicti ſunt*: ſed oppoſitum huic alterum membrum exigere interpretationem hanc videtur: *Maledicti ſint*. Quid utique non promerebantur homines, qui in eam neceſſitatem Davidem induxerant, ut veluti cogerent deſerere Dominum, atque Idola venerari?

Vana, servi diis alienis. Eo me quodammodo adigere volunt, ut religionem meam abjiciam, me urgendo, atque extorrem e patria mea agendo. Cæteræ Nationes abominationi, & Idololatriæ ſerviunt; nunquam pedem in illas inferre poſſum, quia ſimul in eorum partes veniam, & communis contagionis aliquid contraham. Hoſtiliter adeo me perſequendo, quid aliud, quam tacite denuncient: Vade, ac relicto cultu Domini, ſervi Diis alienis? Satis demonſtrat David, quam ægre ferret abſentiam ſuam a Tabernaculo, iis verbis (6): *Melior eſt dies una in atriis tuis, ſuper millia. Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quam habitare in Tabernaculis peccatorum*. Lex neminem damnat exilio extra terram Iſraelis, & cæteras regiones ceu ſordidas & abominabiles horret. Urbes aſyli pro imprudente homicida in ipſa regione deſtinavit. Verba ad Davidem faciens mater quædam, quæ e liberis ſuis unum ſe amiſiſſe ſimulabat, in diſſidio inter ipſos orto, gratias Principi agit, quod ab illo & ipſa pariter & filius *deleti* non fuerint *de hæreditate Dei* (7).

℣. 20. Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino. Rogo te, Domine, ne me diutius urgeas, ne manus tuas ſanguine meo polluas. Ultorem ego nanciſcar Dominum, quem innocentiæ meæ teſtem dabo, quique cædem meam ulciſcetur. Judicia Dei minitatur, ſed minas obſequio & modeſtia temperat.

Sicut persequitur perdix in montibus. Latinum *perſequi* paſſivo ſenſu hic uſurpatur: uti perdicem in montibus inſequitur venator. Hebræum קרא *Kore*, quod Vulgata poſt Aquilam, Symmachum, & Theodotionem reddit πέρδιξ *perdix*, ſignificat, juxta Rabbinos (8), avem oblongo roſtro, brevibus cruribus, viridibus pennis, longe proinde a noſtra perdice diverſam. Avis eſt peculiaris Palæſtinæ, quam Arabes *Karia* appellant, gallinaginis genus. Septuaginta reddunt Νυκτικόραξ, *nycticorax*.

℣. 21. Eo quod pretiosa fuerit anima mea. Quæ rariſſima ſunt & pretioſiſſima, plurimi æſtimamus ſervamuſque: vita autem cara & pretioſa ſolertiſſima plane cura & diligentia cuſtoditur, ac ſervatur. Vitam Saulis pretioſiſſimam habebat David: phraſis eſt Scripturæ perſamiliaris. In Præfectum ab Ochozia Rege Iſraelis miſſum, cum manu quinquaginta virorum, ut Elias caperetur, ipſe deduxit e Cœlo ignem, qui omnes abſumpſit (9); eodemque igne alter a Rege miſſus conflagravit. Denique tertius veniens, projecit ſeſe ad Prophetæ pedes, rogavitque: *Pretioſa ſit, quæſo, anima mea, & anima ſervorum tuorum horum quinquaginta in oculis tuis*. De violenta juſtorum nece agens Pſalmiſta redemptionem (10) & ſanguinem (11) illorum *pretioſa* eſſe ait *in conſpectu Domini*; quippe qui illa ulturus ſit, quemadmodum ultio de raptoribus rei alicujus pretioſiſſimæ, & ditiſſimæ quæritur. Quam carus ſit Deo populus Iſraelis, quanta illum cura tueatur, quantum de ejus exitio doleat, expreſſuri Prophetæ, pretioſum eſſe ajunt eum populum coram Domino (12), Ephraimum filium eſſe illi pretioſum (13), pretioſos etiam illi caroſque filios Sionis (14).

Stulte egerim, et ignoraverim multa nimis. Nemo inconſtantior, nemo levior Saule. Delictum ſuum agnoſcit, nec tamen valet corrigere. Cum animi æſtus vires ſumunt, redigere illos in obſequium nemo facile poteſt. In hac re ſtultitia, & ignorantia Saulis ſeſe prodidere (15); nec imprudenti hæc viro acciderunt, ut cauſatione aliqua veniam ſibi promereri poſſet. Scripturæ ſtylo cum res eſt de criminibus, nomine ſtultitiæ, & ignorantiæ vera crimina deſignantur (16).

℣. 23. Dominus retribuet unicuique secundum justitiam suam et fidem. Nunquam non juſtus eſt Deus, fidelis, ſincerus, æquus, ſive cum præmia largitur, ſive cum pœnas infligit. Vel potius: Deus præmia ſua, ac pœnas hominum meritis aptat; nunquam non illorum juſtitiæ & conſtantiæ in bono rationem habet.

(1) L. qui excubias D. de Re Militari. Apud Grot. hic. (2) Sanct. Menoch. Cornel. (3) אם יהוה הסיתך בי ירח מנחה Septuag. Ὀσφρανθείη ἡ θυσία σου. (4) Jonath. *Accipiatur ſacrificium meum in beneplacito*. Ita Vatab. Marr. (5) ארורים הם לפני יהוה (6) Pſalm. LXXXIII. 12. (7) 2. Reg. XIV. 16. (5) Vide Bochart. de animal. ſacr. tom. 2. lib. 1. cap. 12. (9) 4. Reg. I. 13. 14. (10) Pſalm. XLVIII. 9. (11) Pſalm. LXXI. 14. (12) Iſai. XLIII. 4. (13) Jerem. XXXI. 20. (14) Thren. IV. 2. (15) הנה הסכלתי ואשגה הרבה מאד (16) Vide 2. Reg. XXIV. 10. & 2. Paralip. XVI. 9. & Eccli. VII. 22.

CAPUT XXVII.

David confugiens ad Achis Regem Geth, in ſedem ab illo accipit urbem Siceleg. Plurimis excurſionibus depopulatur regiones Geſſuri, Gerzi, & Amalecitarum, ſimulans arma inferre ſe in Iſraelitas.

℣. 1. ET ait David in corde ſuo: Aliquando incidam una die in manus Saul: nonne melius eſt, ut fugiam, & ſalver in Terra Philiſthinorum, ut deſperet Saul, ceſſetque me quærere in cunctis finibus Iſrael? fugiam ergo manus ejus. 2. Et ſurrexit David, & abiit ipſe, & ſexcenti viri cum eo, ad Achis filius Maoch regem Geth. 3. Et habitavit David cum Achis in Geth, ipſe, & viri ejus; vir, & domus ejus; & David, & duæ uxores ejus, Achinoam Jezrahelitis, & Abigail uxor Nabal Carmeli. 4. Et nuntiatum eſt Sauli, quod fugiſſet David in Geth, & non addidit ultra quærere eum. 5. Dixit autem David ad Achis: Si inveni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in una urbium regionis hujus, ut habitem ibi: cur enim manet ſervus tuus in civitate regis tecum. 6. Dedit itaque eis Achis in die illa Siceleg, propter quam cauſam facta eſt Siceleg regum Juda, uſque in diem hanc. 7. Fuit autem numerus dierum, quibus habitavit David in regione Philiſthinorum, quatuor menſium. 8. Et aſcendit David, & viri ejus, & agebant prædas de Geſſuri, & de Gerzi, & de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur uſque ad Terram Ægypti. 9. Et percutiebat David omnem terram, nec relinquebat viventem virum, & mulierem: tollenſque oves, & boves, & aſinos, & camelos, & veſtes, revertebatur, & veniebat ad Achis. 10. Dicebat autem ei Achis: In quem irruiſti hodie? Reſpondebat David: Contra meridiem Judæ, & contra meridiem Jerameel, & contra meridiem Ceni. 11. Virum, & mulierem non vivificabat David, nec adducebat in Geth, dicens: Ne forte loquantur adverſum nos. Hæc fecit David: & hoc erat decretum illi omnibus diebus, quibus habitavit in regione Philiſthinorum. 12. Credidit ergo Achis David, dicens: Multa mala operatus eſt contra populum ſuum Iſrael: erit ejus mihi ſervus ſempiternus.

℣. 1. ABIIT AD ACHIS FILIUM MAOCH REGEM GETH. Achis appellatur filius Maacha in III. Regum II. 39. Ante aliquot annos receperat ſeſe David ad Achis Regem Geth; at præſentiſſimum vitæ diſcrimen nonniſi ſimulata ſtultitia evitavit (1). Vero ſimillimum eſt, ad hunc eumdem Achis nunc rediiſſe Davidem, quocum poſt fugam ſuam de reditu per amicos egerit, ac ſecuritatis ſponſionem acceperit. Nec ingratis auribus hæc excepit Achis, quippe qui Davidem & ſtrenuum eſſe per ſe militem, & ſelectiſſimam habere ſecum manum noſſet; quare e re eſſe Philiſtæorum cenſuit, ſi eum virum ab hoſtibus ita averteret, ut pacem iterum cum Rege & populo ſuo componere vix ac ne vix quidem poſſet. Quod attinet ad fidem Davidis, facile intelligere poterat Achis futurum, ut ſanctius illam erga Regem ſibi fœdere & patrocinio junctum, quam cum hoſte crudeliſſimo, ac inimico Rege tueretur. Porro Achis & David fœdus illud commodum uterque ſibi ducebat; David enim ſeſe moleſtia penitus liberabat, impediebatque Saulem, ne ſeſe inſectari pergeret; Achis vero vires Iſraelis non modice minuebat, tantum virum ad Philiſtæos convertens.

At enim jure ne David tranſigere poterat, & fœdus componere cum hoſtibus populi & religionis? Licebat illi abſque imprudentiæ nota credere ſe Philiſtæis? quam enim ſatis tutam ſponſionem nanciſci poterat a gente perfida, & Judæis nunquam non infeſtiſſima? Quanto diſcrimini & ſe pariter, & religionem objiciebat? Nonne perinde id erat ac ſi, hæredirate Domini abjecta, conſilia hoſtium juvaret, hoſtium, inquam, id molientium, ut Davidem ad cultum Deorum profanorum converterent, quo reditum ſibi omnem præcluderet, & exitium minime reparandum pareret? Actum eſt de fiducia probi Iſraelitæ in Deum, quæ ſemper in Davide excelluit: qua in re ſi humanæ politices regulas ſecutus dicatur, quid in illo ſupererit, quod virum ſecundum cor Dei exhibeat? Si Dei ſpiritu ducente agebatur; quo jure ſeſe diſcrimini deficiendi a fide objicere potuit? Profecto vix apud Achis fuit, conſuetum agendi morem plurimum mutavit; dolo enim malo uſus eſt in Achis, qui ſpei plurimum in illo poſuerat: privata authoritate hoſtilia exercet in Geſſuri, Gerzi, & Amalecitas; vires Saulis graviſſime minuit, coacta ad ſe ingenti ſelectiſſimorum hominum manu (2); denique jungens ſeſe copiis Philiſtinorum, parat ſe in Principem & in populum ſuum certamini. Appendices hæ ſunt conſilii a Davide initi, quod nos in præſenti expendimus.

Ingenue fatendum eſt, ægre admodum Davidem excuſari in iis quæ geſſit toto eo tempore, quo apud Philiſtæos fuit: ſed iniquum pariter eſt, virum damnare in rebus, quas nec reprobat Scriptura, neque habemus undique exploratas. Profecto ſi David privato conſilio ſuo, & inconſulto Domino ad Achis fugit, grande ſane diſcrimen religionis, ac vitæ adivit. Quis vero credat, virum prudentem adeo & pium, qui nihil Domino inconſulto aggrediebatur, ſibi in re tanti momenti defuiſſe, opportuniſque cautionibus certo ſibi prius de fide Achis non ſpopondiſſe? Alibi vero expendemus ea, quæ hic objiciuntur de ejus ſimulatione

(1) 1. Reg. XXI. 12. 13.

(2) Vide 1. Paralip. XII. 1. 2. & ſequ.

Digitized by Google

re de armis in Geſſuri & Gerzi motis, tum & de animi præparatione arma cum Philiſtæis in expeditione Iſraelitica ſociandi.

℣. 3. Vir et domus ejus. Militum illorum fortiſſimorum, qui Davidem ſequuti ſunt, quo tempore ille apud Achis fuit, conſeditque in Siceleg, cenſum habes in 1. Paralipomenon xii. Ex his quiſque venit cum uxore, filiis, rebuſque ſuis omnibus, vim Principis metuentes, qui ſævam indolem ſuam in cæde Sacerdotum Nobe prodiderat.

℣. 5. In una urbium regionis hujus. Hebreus: *In una urbium agri*, ut ab urbibus maritimis, magiſque frequentatis diſtinguatur.

Cur manet servus tuus in civitate Regis tecum? Sane dedecet, alienum & perfugam manere tecum in Regia urbe, cum electa militum manu, more Principis. Hac cautione David conſulendum cenſuit militibus ſuis, ne in Idololatriam & vitia degenerarent, neve diſſidium aliquod vel invidia inter milites ſuos & cuſtodes Principis oriretur.

℣. 6. Dedit ei Siceleg, urbem ſitam maxime ad meridiem Tribus Juda, nec longe abſentem ab Horma, vel Herma (1), loco Iſraelitarum cæde, iter habentium per deſertum, celebri. Tranſiit deinde in ditionem Regum Juda, ſucceſſorum Davidis, ſive quod totum ejus imperium ac jus in illum translatum fuerit, ſive quod cum illam haberet, cum bellum Philiſtæos inter & Iſraelitas cœptum eſt, Iſraelitæ ea retinuerint, quæ belli initio poſſidebant. Militari enim lege ſancitum eſt, ut quæ in his rerum eventibus quis tenet, hæc deinceps poſſideat (2).

Siceleg primum quidem Tribui Juda aſſignata, deinde tranſiit ad Simeonitas (3). Sed Philiſtæis denique cedens, illis ad Davidem uſque paruit. Tunc Tribui Juda reddita eſt. Quod autem hic addit Scriptor, Urbem hanc ad ætatem uſque ſuam Regibus Juda paruiſſe, id probat vixiſſe illum diu poſt Samuelem, qui diem jam obierat, cum hæc acciderunt.

℣. 7. Quatuor mensium. Hebræus (4): *Dies & quatuor menſes*, quod Interpretum plerique (5) accipiunt de anno & quatuor menſibus. Nec ſane minori tempore opus erat, ut hæc omnia, quæ David apud Philiſtæos geſſit, implerentur. Alii (6): *Quatuor menſium & aliquot dierum*; vel *aliquot dierum, ideſt quatuor menſium*; vel *quatuor menſium & hebdomadæ*. Diſtinguendum ego maluerim tempus moræ Davidis inter Philiſtæos in Geth, a mora in Siceleg. Quatuor menſes illum ſubſtitiſſe crediderim in Geth, per annum & amplius in Siceleg. Quæ in hoc capite narrantur, ea pertinent ad tempus moræ Davidis in Geth, uti ad ſenſum demonſtrant ℣. 9. 10. & 11. ubi legimus, Davidem ab expeditionibus ſuis reducem, Regem conveniſſe, eumque certiorem de rebus a ſe geſtis feciſſe; neminem vero eorum, qui ſibi occurrebant, vivum reliquiſſe, ne adverſus ſeſe aliquid Regi proderent. Vide infra xxix. 3.

℣. 8. Agebat prædas de Gessuri, et de Gerzi et de Amalecitis. Quid ſint Geſſuri & Gerzi, non ſatis compertum eſt: illud conſtat, tenuiſſe illos meridionalia Palæſtinæ, regionem ſitam inter Nilum & ditionem Philiſtæorum (7), & a *Sur* uſque ad Ægyptum. Poſteri erant Chananeorum, quod ſatis erat cauſæ, ut bellum hoc Davidis privata authoritate ſuſceptum excuſaretur. Cum enim Chananæi omnes devoti eſſent anathemati, omnibus ubique fas erat illos inſectari; atque in ſimilibus rerum articulis quiſque per ſe miles eſt, ac jus habet integrum, nulla ſolemnitate ſervata, Domini adverſarios & inſequi & delere.

Amalecitæ, de quibus modo, reliquiæ erant exercitus cæſi a Saule in expeditione Amalecitica. Referebantur illi pariter in cenſum devotarum anathemati (8) atque excidio nationum.

Hi Pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur usque ad terram Ægypti. Hinc pariter oſtenditur, Authorem recenſiti hujus Operis, diu poſt Davidem floruiſſe, quo tempore hæ regiones inter Philiſtæos & Ægyptios incolis deſtitutæ ſquallebant. Porro eas regiones penitus deletas fuiſſe tum credo, cum Reges Aſſyriæ & Ægypti Judæam vicinaſque regiones vaſtaturi venerunt. Ætate Moyſis & Joſue, diligenti cultura hæc regio floruiſſe videtur. Meminit enim Joſue plurium urbium ejus tractus, quæ penitus latuerunt Græcos Geographos, quorum ætate jam exciderant.

℣. 10. In quem irruisti hodie? Hebræus אל פשטתם היום *In quem effudiſti te hodie*, vel planius: *Excurriſti ne hodie?*

Contra meridiem Jerameel. Jerameel modica eſt regio, ditionis Juda, jacens maxime ad meridiem, quam poſſidebant poſteri Jerameelis, filii Eſronis natu majoris (9).

Contra meridiem Ceni. Regio eſt hæc Cinæorum, unde Jethro originem referebat, quam deinde Cinæi ex Jethro nati, & una cum Iſraelitis terram promiſſionis frequentantes (10), obtinuerunt. Neque hic diſsimulandum cenſemus, in his omnibus Davidem ſeu veritatem læſiſſe, ſive occultaſſe ambagibus & fallaciis verborum, quę ſinceritati & veritati minus congruunt. Nomine enim Meridionalium Juda, Jerameelis & Ceni, deſignabat Geſſuræos & Gerzæos, qui certe ad meridiem Juda habitabant; ſed Davidis ſermonem Achis aliter accipiebat, neque errorem ejus ignorabat David, quin & captioſis hiſce verborum ambagibus Regem fallere minime imirando exemplo volebat.

℣. 12. Multa mala operatus est. Hebræus הבאש הבאיש בעמו *Fœtere faciendo fecit fœtere in populo ſuo*. Cujus elegantiſsimæ phraſis exempla quædam ſupra exhibuimus (11). Septuaginta (12): *Abominans abominatus eſt in populo ſuo Iſrael*.

(1) Vide Joſue xix. 4. (2) Grot. hic; ubi citat L. Transfugæ §. 1. D. de acquiſit. (3) Vide Joſue xv. 31. & xix. 5. (4) ימים וארבעה חדשים (5) Ita Hebr. Jun. Caſtal. Arab. Syr. Strigell. alii. (6) Munſt. Pagn. Vat. Sanct. &c. (7) Vide Joſue xiii. 2. (8) Exod. xvii. 14. (9) 1. Paralip. ii. 9. 25. (10) Vide Judic. 1. 16. (11) Geneſ. xxxiv. 30. Exod. v. 21. & 1. Reg. xiii. 4. (12) Ἤσχυνται αἰσχυνόμενος ἐν τῷ λαῷ αὐτοῦ.

Digitized by Google

CAPUT XXVIII.

Noviſſimum bellum Philiſtæorum in Saulem. David arma cum Rege Geth ſociat. Saul conſulit Pythoniſſam, quæ Samuelem evocat. Propheta proximum exitium Sauli minitatur.

A. M. 2949. ante J. Ch. 1055. ℣. 1. FActum eſt autem in diebus illis, congregaverunt Philiſthiim agmina ſua, ut præpararentur ad bellum contra Iſrael: dixitque Achis ad David: Sciens nunc ſcito, quoniam mecum egredieris in caſtris tu, & viri tui. 2. Dixitque David ad Achis: Nunc ſcies, quæ facturus eſt ſervus tuus. Et ait Achis ad David: Et ego cuſtodem capitis mei ponam te cunctis diebus. 3. Samuel autem mortuus eſt, planxitque eum omnis Iſrael, & ſepelierunt eum in Ramatha urbe ſua. Et Saul abſtulit magos, & hariolos de terra. 4. Congregatique ſunt Philiſthiim, & venerunt, & caſtrametati ſunt in Sunam: congregavit autem & Saul univerſum Iſrael, & venit in Gelboe. 5. Et vidit Saul caſtra Philiſthiim, & timuit, & expavit cor ejus nimis. 6. Conſuluitque Dominum, & non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per ſacerdotes, neque per prophetas. 7. Dixitque Saul ſervis ſuis: Quærite mihi mulierem habentem pythonem, & vadam ad eam, & ſciſcitabor per illam. Et dixerunt ſervi ejus ad eum: Eſt mulier pythonem habens in Endor. 8. Mutavit ergo habitum ſuum, veſtituſque eſt aliis veſtimentis, & abiit ipſe, & duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte, & ait illi: Divina mihi in pythone, & ſuſcita mihi, quem dixero tibi. 9. Et ait mulier ad eum: Ecce, tu noſti, quanta fecerit Saul, & quo modo eraſerit magos, & hariolos de terra: quare ergo inſidiaris animæ meæ, ut occidar? 10. Et juravit ei Saul in Domino, dicens: Vivit Dominus, quia non eveniet tibi quidquam mali propter hanc rem. 11. Dixitque ei mulier: Quem ſuſcitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi ſuſcita. 12. Cum autem vidiſſet mulier Samuelem, exclamavit voce magna, & dixit ad Saul: Quare impoſuiſti mihi? Tu es enim Saul. 13. Dixitque ei rex: Noli timere: quid vidiſti? Et ait mulier ad Saul: Deos vidi aſcendentes de terra. 14. Dixitque ei: Qualis eſt forma ejus? Quæ ait: Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio. Et intellexit Saul, quod Samuel eſſet, & inclinavit ſe ſuper faciem ſuam in terra, & adoravit. 15. Dixit autem Samuel ad Saul: Quare inquietaſti me, ut ſuſcitarer? Et ait Saul: Coarctor nimis: ſiquidem Philiſthiim pugnant adverſum me, & Deus receſſit a me, & exaudire me noluit, neque in manu prophetarum, neque per ſomnia: vocavi ergo te, ut oſtenderes mihi, quid faciam. 16. Et ait Samuel: Quid interrogas me, cum Dominus receſſerit a te, & tranſierit ad æmulum tuum? 17. Faciet enim tibi Dominus, ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo David. 18. Quia non obediſti voci Domini, neque feciſti iram furoris ejus in Amalec. Idcirco, quod pateris, fecit tibi Dominus hodie. 19. Et dabit Dominus etiam Iſrael tecum in manus Philiſthiim: cras autem tu, & filii tui mecum eritis: ſed & caſtra Iſrael tradet Dominus in manus Philiſthiim. 20. Statimque Saul cecidit porrectus in terram; extimuerat enim verba Samuelis, & robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa. 21. Ingreſſa eſt itaque mulier illa ad Saul (conturbatus enim erat valde) dixitque ad eum: Ecce obedivit ancilla tua voci tuæ, & poſui animam meam in manu mea: & audivi ſermones tuos, quos locutus es ad me. 22. Nunc igitur audi & tu vocem ancillæ tuæ, & pone coram te buccellam panis, ut comedens convaleſcas, & poſſis iter agere. 23. Qui renuit, & ait: Non comedam. Coegerunt autem eum ſervi ſui, & mulier, & tandem audita voce eorum ſurrexit de terra, & ſedit ſuper lectum. 24. Mulier autem illa habebat vitulum paſcualem in domo, & feſtinavit, & occidit eum, tollenſque farinam, miſcuit eam, & coxit azyma. 25. Et poſuit ante Saul, & ante ſervos ejus. Qui cum comediſſent, ſurrexerunt, & ambulaverunt per totam noctem illam.

℣. 1. MECUM EGREDIERIS. Deceptus Achis iis omnibus malis, quæ a Davide illata in populum ſuum arbitrabatur, fidem illi ſuam omnem adjecit, atque ſecum in bellum ducere cogitabat. Ex univerſa hujus hiſtoriæ ſerie innui videtur, ſingulos Philiſtæorum principes ſuas habuiſſe copias, quæ ſimul omnes unicum exercitum formarent, atque exercitui omnes ſimul Principes illos imperaſſe.

℣. 2. NUNC SCIES QUÆ FACTURUS EST SERVUS TUUS. Argumenta fidei meæ & ſervitutis apertiſſima tibi exhibebo; nunc dabo ſpecimen virtutis meæ bellicæ, & mei in te ſtudii. Pronus hic eſt verborum ſenſus; nec aliter accipiebat Achis, neque

aliter

aliter quiſquam accipiet, qui animum præjudiciis vacuum ſervabit. Quis autem affirmet, huc ſpectaſſe Davidem, & in hac re intimos animi ſui ſenſus ſincere expreſſiſſe? Profecto ſi ille verborum ambagibus utendum ſibi cenſuit, ſi incerto. hoc & ambiguo ſermone Regi nihil pollicari, ſed tantum ſallere hominem officioſis verbis moliebatur, animo tamen certus nihil eorum præſtandi, quæ ex ipſo expectabantur, ſtatuitque opportunum tempus opperiri, quo Numinis providentia ſuam ipſius fidem ſolverer, integra nominis ſui fama & conſcientia; ſi huc, inquam, ſpectabant Davidis verba, actum eſt de ejus ſinceritate & æquitate. Si vero arbitreris, ſponſione hac ſua, fore ut qualis futurus eſſet, exhiberet, nihil aliud intellexiſſe, quam quod partes gentis ſuæ, relictis Philiſtæis, propugnaturus eſſet, vel denique quod otioſus inter utroſque manſurus eſſet: tunc utique Davidi aliquid probo viro indignum tribuatur, illum nempe ita ſe geſtiſſe, ut æterna invidia tot ab illo egregie geſtis creetur. Liberalitati & amicitiæ Achis adeo ne male reſpondendum ſuiſſet? Si denique reputemus, Davidem ſtatuiſſe arma jungere cum Philiſtæis adverſus populum ſuum, eaqua in re nihil in Leges juſtitiæ deliquiſſe, quippe qui juſto bello decertaret pro Rege ſibi ſœderato, qui ſua ipſius jura in Regnum Iſraelis adverſus Saulem, iniquum uſurpatorem & inimicum, tueretur: hæc, inquam, ſi reputemus, reus agetur David in leges maxime naturales, ut ultioni ſuæ ſatisfaciat; ſervataque ejus fide erga Regem ſœderatum, ejus officium in patriam, fratres, Reges, ac denique in conſcientiam ſuam peſſumdabitur. Ut igitur David excuſetur, id ſolum ſuppetit, quod nimis propere atque imprudentur fidem ſuam ad ſocianda cum Achis in ea expeditione arma obligaverit.

Custodem capitis mei ponam te cunctis diebus. Septuaginta (1): *Principem cuſtodiæ corporis ponam te omnibus diebus*. Argumentum, quantum Achis Davidi fideret.

℣. 3. Samuel autem mortuus est. Obitus hic ſupra xxv. 1. relatus, hic repetitur, jungiturque hiſtoriæ proſcriptionis Magorum & Ariolorum, ut pateantur lectores ad hiſtoriam evocationis animæ Samuelis, & conſultationis Saulis cum Pythoniſſa, de qua inferius ℣. 7. & ſeqq.

Saul abstulit Magos et Ariolos de terra, ex lege Moſaica (2), vetante, ne id genus hominum conſulatur, quin & illud capitali ſupplicio damnante. Creditur, Samuele authore & initio Regni Saulem, ingenti Divinarum Legum ſtudio, expuliſſe hanc hominum fœcem, quorum ſallax ars ſuperſtitionem & ſcelera late per totum Regnum diffundebat.

℣. 4. In Sunam. Urbs eſt Tribus Iſſachar, quam Euſebius & S. Hieronymus collocant v. m. paſſibus ab Hermon, meridiem verſus. Procul non aberat a torrente Ciſſon, qui in valle Jezraelis fluebat.

Venit in Gelboa. Montes ſunt ad meridiem vallis, in qua *Sunam*.

℣. 6. Consuluit Dominum, at non respondit ei neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas. Vias omnes conſuetas, & permiſſas tentavit Saul, ut Dei voluntatem, & futurorum arcana aſſequeretur. Erat apud Hebræos Divinorum genus, qui *Somniatores* appellabantur. Meminit hujus non obſcure Moyſes in ſuis Libris (3). Sæpe etiam Deus conſilia ſua per ſomnium in quiete noctis, alloquens Prophetas, vel Sacerdotes, aperiebat; tunc autem omnia ſiluerunt. Quinam *Sacerdotes* in Tabernaculo Gabaonis ſub Saule miniſtrarent, ignoratur. Abjathar & ſe pariter & Ephod apud Davidem receperat (4). Quis tamen in animum induxerit, totum tempus exilii Davidis actum eſſe abſque Sacerdote & Ephod in Cariath-jarim, ubi Arca conſidebat, vel Gabaone, ubi Tabernaculum? Quin & contraria omnia ex hoc Textu apparent; legit enim Hebræus: *Dominus non reſpondit ei per Urim* גם באורים. Non igitur deerat Sauli Ephod, cujus portio erant Urim & Thummim, quare nec defuiſſe cenſendus eſt Summus Sacerdos, cui uni jus erat ſerendi Ephod, ac Dominum per Urim conſulendi. Denique *Prophetæ*, quos conſulere potuit Saul, ſucceſſores erant & diſcipuli Samuelis, e quibus aliqui verſabantur in Najoth prope Ramatham, & in Gabaa.

℣. 7. Quærita mihi mulierem habentem pythonem. Miram Saulis cæcitatem! Ariolos omnes & Magos e ſua ditiona expulerat, tamquam homines pernicioſos, artem exercentes inutilem & captioſam; modo vero depulſos quærit, totamque in illis ſpem ſuam collocat, quaſi ſcilicet vaticinia illorum, & plane diabolicæ artes unice moleſtias anxii cordis compeſcere, animum conſilio ancipitem determinare, vel præſentiſſimum diſcrimen amovere poſſent.

Spiritus Pythonis ſtylo Græcorum Scriptorum, indicat ſpiritum Apollinis, cui nomen *Pythii*, interfecto angue Pythone, acceſſit. Scitum eſt, inter Oracula Paganorum clariſſima fuiſſe Apollinis. Saul quærebat mulierem necromantiæ peritam, cujus arte anima Samuelis revocaretur. Porro Saul majus aliquid volebat, quam quod ars mulieris vaticinandi vel carminum magicorum peritæ præſtaret: ſed Scriptura accuratiorem expreſſionem negligit; & forte etiam ipſa eadem mulier necromantiam & divinationem exercebat.

Hebræus ad literam אשת בעלת אוב *Quærite mihi mulierem habentem ob* (5); vel, ut alibi legitur, *habentem oboth*. Poſtrema hæc verba uſurpantur interdum de utre, vel ſacco ex corio, liquoribus continendis; quaſi ſcilicet innueretur, fœminas divinatrices inter loquendum intumuiſſe, velut aliquid in ventre continerent. Septuaginta: Ζητήσατέ μοι γυναῖκα ἐγγαστρίμυθον, *Quærite mihi fœminam ventriloquam*, vel ex imo ventre loquentem.

Profani deſcribentes præſtigia & oracula Numinum Paganorum, nunquam non exhibent ſurdos boatus e terræ viſceribus, & ex imis cavernis reſonantes. Virgilius, Æneidos III.

. . . . . *Totuſque moveri*
Mons circum, & mugire adytis cortina recluſis.
Submiſſi petimus terram, & vox fertur ad aures.

Recentiores quidam (6) vidiſſe ſe mulieres energumenas affirmant, quarum ex imo ventre Dæmon voces conceptas quidem, ſed tenues & acutas daret (7).

Umbræ cum Sagana reſonarent triſte & acutum.

Narrant alii (8) vidiſſe ſe homines, qui per ſe & nulla artis magicæ induſtria e cavo ventre dabant voces, miro adeo artificio, ut quicumque etiam proximi adeſſent, audire ſe crederent voces e longinquo emiſſas. Hippocrates ea de re tamquam de morbo agit (9). Circulatorem quemdam a ſe viſum affirmat Turnebus (10), verba dantem ex imo ventre, clauſo ore & labiis compreſſis. De Jacoba Rodogina, A. 1513. in Italia memoriæ proditum eſt, conceptos verborum ſonos emiſiſſe e ventre, quamvis probe illi os & nares occluderentur (11). A vero non abeſt, ejuſ-

(1) Α'ρχισωματοφύλακα θήσομαί σε. שמר לראשי אשימך כל הימים (2) Levit. xix. 31. Deut. xviii. 11. (3) Deut. xiii. 3. Vide & Jerem. xxiii. 9. & Zach. x. 2. Joel ii. 28. (4) 1. Reg. xxii. 20. (5) Vide Deut. xviii. 11. (6) Vide Auguſt. Eugubio. in cap. 19. Levit. Cœli. Rhodig. Antiqu. Lect. lib. 8, cap. ix. Oleaſt. in Iſai. 29. cap. 4. Vide & Allat. de Engaſtrimytho cap. 5. (7) Horat. Satyr. 8. lib. 1. (8) Melanges d'Hiſt. tom. 2. p. 329. (9) Hippocrat. de Morbis popular. (10) Apud Fœſ. in Oeconom. Hippocr. (11) Vide Caſſerium Tract. de Vocis organo.

modi voces intus in pectore formatas fuiſſe motu quodam aeris attracti, inſpiratione pulmonis, quemadmodum ex aere depulſo aſpiratione gutturis, verba conſueto more formantur. Conradus Amonan, Medicus, in ſua diſſertatione de loquela refert, vidiſſe ſe Amſtelodami anum, cujus os & ſtomachus invicem colloquebantur. Interrogabat illa ſtomachum ſuum, atque ille viciſſim ita reſpondebat, ut duo inter ſe colloquentes audire ſe præſens quiſque juraſſet. Legimus (1), Farmingum quemdam in Anglia degentem, A. 1645. artem noſſe loquendi ex ventre, ut ii, inter quos medius exciperetur, quique cum illo colloquerentur, audirent interdum vocem tamquam e longinquo emiſſam, quam tamen ipſe præſens dabat. Ludovicus Brabantius teſte Brodæo, domeſticus Franciſci I. eamdem artem callebat, qua opportune eſt uſus interdum, imitatus voces virorum quorumdam jam vita functorum, qui, quæ ipſe vellet, imperarent. Hac arte ditiſſimæ puellæ nuptias obtinuit, magnaque pecuniæ vis a Lugdunenſi argentario Mercatore ut ſibi ſolveretur, impetravit.

Endor, urbs eſt in valle Jezraelis, ad radices montium Gelboe, in quibus exercitus Saulis caſtrametatus erat.

℣. 8. Mutavit habitum suum, ne fœminam terreret, neve exercitus animis deſponderent, ſi forte abſentiam ſuam, hac præſertim de cauſa, aſſequuti fuiſſent.

℣. 11. Samuelem mihi suscita. Agnoſcimus hic vetuſtatem Necromantiæ, quæ dogmatis de immortalitate animæ conſecutio eſt & appendix. Gloriabantur Magi, ſe ea virtute evocandi ex inferis animas pollere, conſtituendique mortalibus præſentes, ad futurorum arcana reſeranda. Horatius libro I. Satyra VIII.

. . . . Cruor in foſſam confuſus, ut inde
Manes elicerent, animas reſponſa daturas.

℣. 12. Cum autem vidisset mulier Samuelem. Mulierem hanc matrem fuiſſe Abneri filii Ner, ſancte affirmant Rabbini. Suiſne illa oculis Samuelem intuita eſt, an ſe intueri ſimulabat? an denique malus Dæmon ſub exuviis Samuelis fucum illi fecit? Latius hæc in Diſſertatione de Samuele per viſum objecto Sauli. *Exclamavit* autem illa, ſive quod, antequam evocaretur, Samuel adfuerit (2), ſive quod inſolita vultus majeſtate gravem fulgentemque Prophetam ferre nequiverit; ſive forte intueri ſe Prophetam ajens, enthuſiaſmo quodam afflari ſe, ut perſonam ſuam melius luderet, ſimulavit. Theodoretus (3) cum Rabbinis territam fuiſſe mulierem cenſet, quod ſtans Samuel tamquam vivens homo ſeſe obtulerit, cum mortuos intueri ſoleant Magi vel erectis pedibus, inverſo corporis ſtatu, vel jacentes ſupinos, uti in feretris.

℣. 13. Deos vidi ascendentes de terra. Miratus Saul clamores fœminæ, cauſam ſubiti terroris poſtulavit. Reſpondit illa, intueri ſe Deos (4), *Elohim*, e ſinu terræ prodeuntes. Porro *Elohim* ipſum eſſe Samuelem affirmabat; nomen autem illud uſurpatur pro Deo & pro Numinibus, Judicibus, Angelis, Magiſtratibus. Honoris autem gratia, nomen illud Elohim in plurali exprimit. Video hominem divinum, Judicem, ore gravi & terribili auguſtum.

℣. 14. Vir senex ascendit, et ipse amictus est pallio. An ex pallio Samuel diſtinguebatur? Minime quidem; conſtat enim familiare fuiſſe Hebræis omnibus pallium: ſed cum Rex evocari ſibi Prophetam a Pythoniſſa optaſſet, ex datis ſibi ab illa indiciis reputavit, adeſſe Samuelem, quamquam illum facile oculis non intuebatur. Denique quodcumque præſens aderat ſpectrum, ſatis ſe agnoſcendum Regi præbuit, verba cum illo faciens; ſi tamen ponas, hæc omnia veneficæ artificium non fuiſſe.

℣. 15. Quare inquietasti me, ut suscitarer? Hinc innui videtur, Samuelem vi carminum evocatum veniſſe. Præſtat tamen reputemus, Scripturam hic populi præjudiciis ſeſe accommodaſſe. Vulgo credunt, evocationes cogere animas placide quieſcentium mortuorum, quare placari illas vel cogi vi carminum oportere. Seneca in Oedipo.

Carmenque magicum volvit, & rapido minax
Decantat ore quidquid aut placat leves
Aut cogit umbras.

Ex veteri hac opinione petita eſt cautio Patrum Eliberitanorum, vetantium canone XXXI. *Cereos per diem placuit in cœmeterio non incendi; inquietandi enim ſpiritus Sanctorum non ſunt.* Interna omnia loca terrore commota adventu Regis Babyloniæ, exhibet Iſaias XIV. 9. *Infernus ſubter conturbatus eſt in occurſu adventus tui: ſuſcitavit tibi gigantes. Omnes Principes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis, omnes Principes nationum.* Dicta ſunt hæc per tropum & metaphoram.

℣. 17. Faciet tibi Dominus sicut locutus est. Hebræus (5): *Faciet illi Dominus, ſicut locutus eſt.* Davidem æmulum tuum ita habebit, uti ſe habiturum ſpopondit; nempe ad Regnum feret. Aliter: *Deus fecit ſibi ipſi, ſicut locutus eſt.* Promiſſionum ſuam fidem liberavit, in ſui nominis gloriam, ſui ipſius cauſa.

Scindet Regnum tuum. Inter Davidem & Iſboſethum partietur; ſed in unum denique Davidem totum conferet. Si Dæmonis oracula hæc cenſenda ſunt, vera illum aperuiſſe, Deo ita permittente, nunc, ut alias ſæpe (6), reputandum eſt. Neque in eam rem nova aliqua revelatione opus erat, cum repetitio ſit hæc factæ olim a Samuele Regi prædictionis, dum coram ingenti populi frequentia, Regi pallium ſuum detinenti, ne abiret, ſciſſo pallio edixit (7): *Scidit Dominus Regnum Iſrael a te hodie, & tradidit illud proximo tuo, meliori te.*

℣. 19. Cras tu et filii tui mecum eritis. Duo in hoc Textu quæruntur: I. An prælium illud, in quo Saul interfectus eſt, mane alterius diei ab hac viſione contigerit. II. An Saul æterna damnatione reprobatus fuerit, deductuſque ad Inferos cum Dæmone, qui verba ad ipſum feciſſe creditur. Ad primum quod attinet, conſtat, vocem cras non ſemper proprie uſurpari, ſed & indicare frequentar tempus futurum & indefinitum; uti (8): *Cum interrogaverit te filius tuus cras, dicens: Quid eſt hoc? Reſpondebis ei: In manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti.* Et (9): *Quando interrogaverint vos filii veſtri cras, dicentes: Quid ſibi volunt iſti lapides? reſpondebitis eis: Defecerunt aquæ Jordanis ante Arcam fœderis Domini.* Sed in hoc, quem verſamus, loco maxime probabile eſt, vocem *cras* ad literam uſurpari oportere; nihil enim nos cogit aliter dictum accipere. Saul itineri ſe dedit veſpere, ut veniret in Endor, locum caſtris ſuis ſatis vicinum. Conſulere potuit commode Pythoniſſam, apud illam cœnare, & ad caſtra regredi, antequam dies adoleſceret. Philiſtæi prælium inierunt, in quo Saul victus ceſſit: fuſo autem fugatoque exercitu, gladio ſe transfodit. Hæc omnia abſolvi commode poterant mane alterius diei ab ea die vel nocte qua Pythoniſſam conſuluit. Aliter tamen Uſſerius explicat, cum aliquot dies a conſultatione Pythoniſſæ ad prælium Gelboe fluxiſſe arbitretur. Vide eumdem ad Annum Mundi 3949.

Altera quæſtio de ſalute Regis nihilo majori difficultate ſolvitur. Si enim Saul necem ſibi violentam intulit, uti docet Scriptura capite XXXI. 4. quis de æterna ejus reprobatione ambigat? Illata enim

(1) Vide Dikinſon. Delphi phœnicizantes c. 9. (2) Menoch. Cornel. (3) Theodoret. qu. 62. in 1. Reg.
(4) אלהים ראיתי עלים מן הארץ (5) ויעש יהוה לו כאשר דבר 70. Ἐποίησεν αὐτῷ κύριος καθὼς ἐλάλησεν ἐν χειρί μου
(6) Vide Matth. VIII. 29. (7) 1. Reg. XV. 28. (8) Exod. XIII. 14. Vide & Deut. VI. 20. (9) Joſue IV. 6.

enim ſibi violenta mors crimen eſt a Deo æternis ſuppliciis puniendum. Si Rex interficiendum ſe tradidit Amalecitæ, uti ille gloriatur capite 1. Libri ſequentis, nihil æquius de illo ſtatuendum eſt; paris eſt enim ferme criminis, necem ſibi per ſe, ac per alium conſciſcere. Itaque ſententia, quæ Saulem ad reprobos & damnatos rejicit, communi Patrum atque Interpretum (1) ſuffragio admittitur. Ne vero in longum examen quæſtionis hujuſce de ſalute vel reprobatione Saulis veniamus, quæ de re ſuſius capite XXXI. 4. reputandum eſt, verbis illis Samuelis vel Dæmonis, *Cras tu & filii tui mecum eritis*; nihil aliud quam futuram ejus mortem deſignari: Cras ad alteras mundi plagas, ad mortuos ſcilicet, venietis.

Ṽ. 21. Posui animam meam in manu mea; vitam meam diſcrimini expoſui. Vide quæ de hac phraſi diſſeruimus ad Judicum XII. 3.

Ṽ. 23. Sedit super lectum. Sedebant olim Veteres ſuper lectos in cubiculo, uti nos hodie ſuper ſellas. Lectis hiſce utebantur vel tantummodo ut quietem vel ut cibum caperent (2). Lectus autem fortaſſe convivalis erat. Vide ſupra XX. 5. Pium Æneam convivali lecto inſidentem, narrantemque eventuum ſuorum hiſtoriam, exhibet Virgilius Æneidos II.

Inde toro pater Æneas ſic orſus ab alto.

Ṽ. 24. Habebat vitulum pascualem; vitulum data opera ſaginatum ſive in uſum ſacrificii, ſive convivii amicorum. Non uno Scripturæ teſtimonio innui videtur, olim apud familias ſaginari conſueviſſe vitulos, quibus religioſa convivia in Templo, ſive dies feſti & conventus populi celebrarentur. Saginatas haſce victimas innui credo a Moyſe nomine *primogeniti* (3): eas autem culturæ addici, ſive tonderi, ſi oves fuerint, non vult. Cum filius rediit, mactari vitulum ſaginatum juſsit filii prodigi pius pater (4). Melius eſſe convivium ex leguminibus cum amicis frequentare, quam ex vitulo ſaginato cum inimicis, author eſt Sapiens (5). Septuaginta pro *vitulo paſcuali* legunt vitulum lactentem (6). Author Vulgatæ non raro reddit Hebræum (7): *Vitulum de armento*. Bochartus (8) *vitulum ſaginatum*, vitulum in ſtabulo detentum, ut ſaginetur; quæ genuina eſt originalis interpretatio. Malunt alii: *Vitulum alligatum ad trituram*. Vide Malachiam IV. 2.

(1) Vide Toſt. Cajet. Sanct. Tirin. Cornel. Grot. Serar. Mariana. (2) Vide Caſaubon. in Sveton. Domit. p. 187. lib. 2. & Sanct. hic. (3) Deut. XV. 19. (4) Luc. XV. 23. (5) Prov. XV. 17. Vide Jerem. XLVI. 21. Amos VI. 4. & Malach. IV. 2. (6) Septuag. Edit. Complut. Μοσχάριον γαλαθηνόν. At Rom. Edit. Δάμαλιν νομάδα, *Vitulum paſtualem*. (7) בן בקר *Vitulum de armento*, ac ſi legiſſet עגל מרבק (8) Bochart. de animal. ſacr. par. 1. lib. 2. c. 29.

C A P U T XXIX.

Davidem cum ſuorum manu ab exercitu Achis removent ac remittunt in Siceleg Philiſthæi Principes, metuentes, ne commiſſo prælio arma in ſe converterint.

Ṽ. 1. Congregata ſunt ergo Philiſthiim univerſa agmina in Aphec: ſed & Iſrael caſtrametatus eſt ſuper fontem, qui erat in Jezrael. 2. Et ſatrapæ quidem Philiſthiim incedebant in centuriis, & millibus: David autem, & viri ejus erant in noviſſimo agmine cum Achis. 3. Dixeruntque Principes Philiſthiim ad Achis: Quid ſibi volunt Hebræi iſti? Et ait Achis ad principes Philiſthiim: Num ignoratis David, qui fuit ſervus Saul regis Iſrael, & eſt apud me multis diebus, vel annis, & non inveni in eo quidquam, ex die, qua transfugit ad me, uſque ad diem hanc? 4. Irati ſunt autem adverſus eum principes Philiſthiim, & dixerunt ei: Revertatur vir iſte, & ſedeat in loco ſuo, in quo conſtituiſti eum, & non deſcendat nobiſcum in prælium, ne fiat nobis adverſarius, cum præliari cœperimus: quomodo enim aliter poterit placare dominum ſuum, niſi in capitibus noſtris? 5. Nonne iſte eſt David, cui cantabant in choris, dicentes: Percuſſit Saul in millibus ſuis, & David in decem millibus ſuis? 6. Vocavit ergo Achis David, & ait ei: Vivit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conſpectu meo: & exitus tuus, & introitus tuus mecum eſt in caſtris: & non inveni in te quidquam mali, ex die, qua veniſti ad me, uſque in diem hanc: ſed ſatrapis non places. 7. Revertere ergo, & vade in pace, & non offendas oculos ſatraparum Philiſthiim. 8. Dixitque David ad Achis: Quid enim feci, & quid inveniſti in me ſervo tuo, a die, qua fui in conſpectu tuo uſque in diem hanc, ut non veniam, & pugnem contra inimicos domini mei regis? 9. Reſpondens autem Achis, locutus eſt ad David: Scio, quia bonus es tu in oculis meis, ſicut Angelus Dei: ſed principes Philiſthinorum dixerunt: Non aſcendet nobiſcum in prælium. 10. Igitur conſurge mane tu, & ſervi domini tui, qui venerunt tecum: & cum de nocte ſurrexeritis, & cœperit diluceſcere, pergite. 11. Surrexit itaque de nocte David ipſe, & viri ejus, ut proficiſcerentur mane, & reverterentur ad terram Philiſthiim: Philiſthiim autem aſcenderunt in Jezrael.

ỳ. 1. IN APHEC. Hæc Aphec locus eſt longe alius a celebri ejuſdem nominis altero. Jacebat hic inter montes Thaborem & Gelboe, in valle Jezraelis. Collatis inter ſe ỳ. 4. & 11. hujus capitis, intelligimus, Philiſtæos primum quidem ſubſtitiſſe in Aphec; tum Sunam verſus proceſſiſſe, inde ad Jezraelem eſſe progreſſos. Saulis caſtra conſederant ad fontem Jezraelis, ideſt, prope fontem vallis ſive Urbis Jezraelis; atque ibi facile prælium initum eſt.

Quæ hic narrantur, geſta ſunt aliquot ante prælium diebus, antequam Saul Pythoniſſam in Endor conſulturus veniret. Ad Aphec indictæ erant copiæ Philiſtæorum: ut autem Principes Davidem cum ſuis in exercitu animadverterunt, coegerunt Achis omnes remittere. Hujus Libri Scriptor totus Davidis rebus narrandis occupatus, nunquam a propoſito recedit, nec res geſtas Saulis narrat, niſi quantum illis mens ſua juvabatur, nempe ut Lectores ad regnum Davidis deduceret. Poſtquam igitur hiſtoriæ ſeriem ad diem uſque ante certamen duxit, quod neceſſarium judicabat ad ea intelligenda, quæ deinceps referenda erant, revocat nos iterum ad Heroem ſuum, atque intermiſſa deſcriptione geſtorum quæ graviora videbantur, retulit alia minora quidem in ſe, ſed quæ potiſſimum Scriptoris propoſitum multo propius ſpectabant.

ỳ. 2. SATRAPÆ PHILISTHIIM INCEDEBANT IN CENTURIIS ET MILLIBUS. Hebræus ad literam (1): *Principes Philiſtiim tranſeuntes ad centena & millena.* Luſtrabant copias per centenos & millenos, ante ſe tranſeuntes. Eamdem facile diſtribuendi exercitus diſciplinam, quam Hebræi, ſervabant pariter Philiſtæi, ut dividerent per quinquagenos, centenos, & millenos; ſingulis autem hiſce agminibus ſuus erat Præfectus, Principibus vel Satrapis ſubditus. David cum ſuis poſtrema exercitus cum Achis tenebat. Hebræus legit (2): *Tranſeuntes in noviſſimo cum Achis*; tranſeuntes ad luſtrum poſtremi, cum Achis; vel tantum: Principes Philiſtæi agebant copias ſuas, diviſas in minora agmina, ex centenis vel millenis. David ejuſque agmen tranſierunt noviſſimi, poſt copias Achis, ſed ab illis ſegregati & diſtincti.

ỳ. 3. DAVID . . EST APUD ME MULTIS DIEBUS VEL ANNIS. Textus ad literam (3): *David fuit mecum jam iſtis diebus, vel jam iſtis annis*: jam aliquo ab hinc tempore vel etiam annis virum hunc mecum habui. Septuaginta (4): *Fuit mecum hunc ſecundum annum.* Editio Romana: *Fuit nobiſcum dies hunc ſecundum annum.* Syriacus: *Manſit apud nos diebus annis & menſibus.* Arabs: *Anno & menſibus aliquot.* Commentariorum Scriptores (5) quidam cenſent, falſo id aſſeruiſſe Achis, auxiſſe enim ajunt data opera tempus moræ Davidis apud ſe ad annos, cum nonniſi quatuor menſibus fuiſſet, uti conſtat ex capite XXVII. 7. Malumus tamen, Davidem ferme biennio manſiſſe apud Achis; cujus temporis quatuor menſes egerit in Geth, reliquum in Siceleg.

ỳ. 4. REVERTATUR . . . NE FIAT NOBIS ADVERSARIUS. Hebræus (6): *Revertatur ne fiat nobis Satan*, ideſt, adverſarius, calumniator (7). Uſurpatur id etiam ſæpe de malo Dæmone (8), qui communis eſt hominum adverſarius. Reputabant ſapienter Satrapæ Philiſtæi, Davidem fortaſſe, ut ſibi gratiam Principis conciliaret, in ipſo prælii calore ad Iſraelitas migraturum, & arma verſurum in Philiſtæos. Singulari autem providentiæ ſuæ conſilio ita rem moderatur Deus, ut ex iis anguſtiis, quibus nimis temere ſeſe implicuerat, tuto & honeſta ratione ſeſe expediat. Si in exercitu Philiſtæorum perſeveraſſet, armis licet in Hebræos non verſis, validum utique impedimentum oppoſuiſſet, ne Regno potiretur. Quomodo enim Hebræi præeſſe ſibi virum arcto adeo fœdere cum hoſtibus populi junctum paſſi fuiſſent? Quomodo conſenſiſſent Philiſtæi, ut partibus ſuis deſertis in poſſeſſionem Regni proficiſceretur, quocum perpetuis bellis committebantur?

ỳ. 6. VIVIT DOMINUS. Juravit Achis per Deum Jehovah חי יהוה ſive ut religioni Davidis ſeſe accommodaret, ac tutius illi pignus fidei ſuæ daret, ſive quod agnoſceret Deum Jehovah non unicum quidem Numen, ſed e cæteris unum, iis perſimile, quorum greges in aris Profanorum colebantur. Exprobrat Sophonias 1. 5. Judæis ſacramenta per *Jehovah* & per *Melchom* nuncupata. Porro Melchom Numen erat Ammonitarum. Jurabant ſæpe Profani per Numina eorum, quibuſcum agebant. Forte etiam Scriptura, narrans hic jusjurandum, quo ſe Achis obſtrinxit, illud his verbis expreſſit, *Vivit Jehovah*, ut innueret, eum Principem ſuo more juraſſe, ſacramento adeo inviolabili, & religioſo, ac ſi Hebræus quiſpiam prolato nomine *Jehovah* (9) dejeraſſet.

ỳ. 8. QUID ENIM FECI? Eamdem ſemper ludit perſonam David: grave ſibi illud eſſe ſimulat, quod hæc ſibi opportunitas ſtudii in Regem ſui exhibendi adimatur. Hanc in ſe illatam ſibi injuriam dolere ſe fingit; & cum maxime id optet, rogari ſe tamen tamquam invitum patitur, Si alacris conditionem redeundi accepiſſet, ſuſpectam fidem ſuam reddidiſſet.

ỳ. 9. BONUS ES TU IN OCULIS MEIS SICUT ANGELUS DEI. Ne minimam quidem ſuſpicionis umbram in te nactus ſum: tam longe te abeſſe puto a perfidia ac perduellione, ut Angelus cœlitus lapſus mihi videare. At unde Angelos norat Achis? Profani æque ac Hebræi pravos proboſque Spiritus norant (10); ac dogma illud late per totum Orientem pervaſerat. Phraſis hæc, *Tu es ſicut Angelus Dei*, recurrit alibi per Scripturam, exprimitque obſequium, venerationem, & altetius exiſtimationem; item ſapientiam, æquitatem, ac probitatem ejus, quicum quis loquitur. Jacob occurrens Eſau (11) perinde ſe illum ſuſpexiſſe dixit, ac ſi præſentem haberet Deum, vel Angelum. Mulier a Joabo miſſa, ut reditum Abſalomo impetraret, Davidem alloquens (12), perinde eſſe illum ait ac Dei Angelum, qui nec aſſentationibus, nec probris tangitur, qui omnem Angeli Dei ſapientiam poſſidet, quem nulla terrenarum rerum cognitio latet. His verborum officiis Davidem convenit Miphiboſeth (13). Spectanda hic eſt Orientalium indoles, quæ nihil moderatum in phraſibus amat.

ỳ. 10. TU, ET SERVI DOMINI TUI. Cujuſnam? Sunt (14) qui agi credant hic de Saule, qui cum adhuc Regnum Iſraelis obtineret, verus erat Davidis & militum ejus dominus. Jus enim habebat in illos certiſſimum; atque unica Saulis violentia & iniquitas Davidem excuſabant, ſi ab obedientia ſeſe ſubducens, milites apud ſe haberet. Alii exponunt de ipſo eodem Achis (15); quaſi ſcilicet David ad illum perfugiens, ejuſdem dominio ſe cum ſuis tradidiſſet.

(1) סרני פלשתים עברים למאות ולאלפים (2) ודוד ואנשיו עברים באחרנה עם אכיש (3) אשר היה אתי זה ימים או זה שנים (4) Ὃς γέγονε μετ' ἐμοῦ ἤδη δεύτερον ἔτος ἡμερῶν. (5) Toſt. Sanct. Menoch. Tir. (6) ישב . . . ולא יהיה לנו לשטן (7) 1. Eſdr. IV. 6. & Pſalm. CIX. 6. (8) Job 1. 6. 11. 6. &c. Item Zach. III. 1. 2. (9) Capell. Not. Critic. ad Exod. VI. 2. apud Cleric. hic. (10) Vide, ſi lubet, Sanct. hic. (11) Geneſ. XXXIII. 10. Vide Eſther XV. 16. (12) 2. Reg. XIV. 17. 20. (13) 2. Reg. XIX. 27. (14) Vatab. Mariyr. (15) Piſcat.

CAPUT XXX.

Amalecitæ ante Davidis reditum diripiunt incenduntque Siceleg. David abeuntes inſequitur, atque duce ſervo quodam Ægyptio, caſtra eorum improviſo adortus, omnes trucidat, raptamque prædam recipit, quam ex æquo dividit inter ſuos.

ỿ. 1. CUmque veniſſent David, & viri ejus in Siceleg die tertia, Amalecitæ im-
petum fecerant ex parte auſtrali in Siceleg, & percuſſerant Siceleg, &
ſuccenderant eam igni. 2. Et captivas duxerant mulieres ex ea, a minimo uſque
ad magnum: & non interfecerant quemquam, ſed ſecum duxerant, & pergebant iti-
nere ſuo. 3. Cum ergo veniſſent David, & viri ejus ad civitatem, & inveniſſent
eam ſuccenſam igni, & uxores ſuas, & filios ſuos, & filias ductas eſſe captivas, 4.
Levaverunt David, & populus, qui erat cum eo, voces ſuas, & planxerunt, do-
nec deficerent in eis lacrymæ. 5. Siquidem & duæ uxores David captivæ ductæ fue-
rant, Achinoam Jezrahelites, & Abigail uxor Nabal Carmeli. 6. Et contriſtatus eſt
David valde; volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat anima uniuſcu-
juſque viri ſuper filiis ſuis, & filiabus: confortatus eſt autem David in Domino Deo
ſuo. 7. Et ait ad Abiathar ſacerdotem filium Achimelech: Applica ad me ephod.
Et applicavit Abiathar ephod ad David, 8. Et conſuluit David Dominum, dicens:
Perſequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus:
Perſequere; abſque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam. 9. Abiit er-
go David ipſe, & ſexcenti viri, qui erant cum eo, & venerunt uſque ad torrentem
Beſor; & laſſi quidam ſubſtiterunt. 10. Perſecutus eſt autem David ipſe, & quadrin-
genti viri; ſubſtiterant enim ducenti, qui laſſi tranſire non poterant torrentem Beſor.
11. Et invenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad David: dede-
runtque ei panem, ut comederet, & biberet aquam, 12. Sed & fragmen maſſæ ca-
ricarum, & duas ligaturas uvæ paſſæ. Quæ cum comediſſet, reverſus eſt ſpiritus ejus,
& refocillatus eſt; non enim comederat panem, neque biberat aquam, tribus diebus,
& tribus noctibus. 13. Dixit itaque ei David: Cujus es tu? vel unde? & quo per-
gis? Qui ait: Puer Ægyptius ego ſum, ſervus viri Amalecitæ: dereliquit autem me
dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiuſtertius. 14. Siquidem nos erupimus ad au-
ſtralem plagam Cerethi, & contra Judam, & ad meridiem Caleb, & Siceleg ſuccen-
dimus igni. 15. Dixitque ei David: Potes me ducere ad cuneum iſtum? Qui ait:
Jura mihi per Deum, quod non occidas me, & non tradas me in manus domini
mei, & ego ducam te ad cuneum iſtum. Et juravit ei David. 16. Qui cum duxiſ-
ſet eum, ecce illi diſcumbebant ſuper faciem univerſæ terræ, comedentes, & biben-
tes, & quaſi feſtum celebrantes diem, pro cuncta præda, & ſpoliis, quæ ceperant
de Terra Philiſthiim, & de Terra Juda. 17. Et percuſſit eos David a veſpere uſ-
que ad veſperam alterius diei, & non evaſit ex eis quiſquam, niſi quadringenti viri
adoleſcentes, qui aſcenderant camelos, & fugerant. 18. Eruit ergo David omnia,
quæ tulerant Amalecitæ, & duas uxores ſuas eruit. 19. Nec defuit quidquam a par-
vo uſque ad magnum, tam de filiis, quam de filiabus, & de ſpoliis, & quæcum-
que rapuerant, omnia reduxit David. 20. Et tulit univerſos greges, & armenta, &
minavit ante faciem ſuam: dixeruntque: Hæc eſt præda David. 21. Venit autem Da-
vid ad ducentos viros, qui laſſi ſubſtiterant, nec ſequi potuerant David, & reſidere
eos juſſerat in torrente Beſor, qui egreſſi ſunt obviam David, & populo, qui erat
cum eo. Accedens autem David ad populum, ſalutavit eos pacifice. 22. Reſpon-
denſque omnis vir peſſimus, & iniquus, de viris, qui ierant cum David, dixit: Quia
non venerunt nobiſcum, non dabimus eis quidquam de præda, quam eruimus: ſed
ſufficiat unicuique uxor ſua, & filii: quos cum acceperint, recedant. 23. Dixit au-
tem David: Non ſic facietis, fratres mei, de his, quæ tradidit nobis Dominus, &
cuſtodivit nos, & dedit latrunculos, qui eruperant adverſum nos, in manus noſtras:
24. Nec audiet vos quiſquam ſuper ſermone hoc: æqua enim pars erit deſcendentis
ad prælium, & remanentis ad ſarcinas, & ſimiliter divident. 25. Et factum eſt hoc
ex die illa, & deinceps conſtitutum, & præfinitum, & quaſi lex in Iſrael uſque in
diem hanc. 26. Venit ergo David in Siceleg, & miſit dona de præda ſenioribus
Juda proximis ſuis, dicens: Accipite benedictionem de præda hoſtium Domini:

27. His,

Google

27. His, qui erant in Bethel, & qui in Ramoth ad meridiem, & qui in Jether,
28. Et qui in Aroer, & qui in Sephamoth, & qui in Eſthamo, 29. Et qui in Rachal, & qui in urbibus Jerameel, & qui in urbibus Ceni, 30. Et qui in Arama, & qui in lacu Aſan, & qui in Athach, 31. Et qui in Hebron, & reliquis, qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat David, ipſe, & viri ejus.

℣. 1. CUMQUE VENISSENT . . . DIE TERTIA. Triduo poſt diſceſſum ejus ab Aphec. Leucis amplius triginta Aphec a Siceleg diſtabat.

AMALECITÆ PERCUSSERANT SICELEG; ceperant nempe vel diripuerant (1), neminem vero interfecerant. Opportunam belli inter Iſraelitas & Philiſthæos occaſionem nacti Amalecitæ, ditionem Hebræorum excurrerunt. Animabantur autem potiſſimum in Davidem, qui crebris irruptionibus regionem ſuam vaſtaverat.

℣. 2. NON INTERFECERANT QUEMQUAM. Cives ſervarunt, vel ut venderent, vel ut in ſervitii uſum haberent.

℣. 4. PLANXERUNT DONEC DEFICERENT IN EIS LACRYMÆ; tamdiu fleverunt, quamdiu lacrymarum fons non exaruit. Hyperbole Hebræis familiariſſima; hanc autem exprimere ſolent nomine *oculorum deficientium*. *Videntibus oculis tuis & deficientibus* (2). Et (3): *Dabit tibi Dominus cor pavidum, & deficientes oculos*. Jeremias (4): *Defecerunt præ lacrymis oculi mei*. Cicero (5): *Hei mihi! conſumptis enim lachrymis, infixus tamen hæret in corde dolor*.

℣. 6. VOLEBAT EUM POPULUS LAPIDARE; ceu malorum cauſam. Addixerat ſe ſervitio Achis; provocaverat in ſe Amalecitas, ac vacuam reliquerat defenſoribus Siceleg: adde levitatem, & deſperationem populi inconſtantis, & ſævientis, qui cum ſe Davidi ſponte dedidiſſet, rebatur, quidquid ille eſſet, illum ſibi debere.

℣. 7. APPLICA AD ME EPHOD (6). Indue me veſte illa ſacra, ut ego Dominum conſulere poſſim. Obvius hic eſt verborum ſenſus, cui tota Hiſtoriæ ſeries favet; David enim loquens, & per ſe interrogans inducitur, cui, & non alteri, Dominus reſpondet. Viri quidam Docti (7) cenſent, ritum illum conſulendi per Ephod, cum Regia dignitate convenire, nec ſemel Sacerdotalia munera obiiſſe Reges; qua de re vide quæ diſſeruimus ſupra XXII. 13.

Sed Scriptores Commentariorum plerique (8) docent, Davidem imperaſſe hic tantum Abjatharo, ut indutus Ephod Dominum interrogaret. *Applica ad me Ephod*; id eſt induere pro me; vel, juxta Grotium, os verte ad me, ut ſcilicet nitore gemmarum Rationalis, Dei voluntatem diſcam. Conſtat utique, jus conſuetum, & conſuetudinem gerendi Ephod, conſulendique Dominum per Urim, ad Summum Sacerdotem pertinuiſſe. Quo ritu conſuleretur Oraculum per Ephod, expendimus late ad Exodi XXVIII. 30.

℣. 8. LATRUNCULOS HOS. Hebræus (9): *Perſequar agmen iſtud?*

℣. 9. AD TORRENTEM BESOR. Torrens iſte originem ducebat, ſeu potius colligebatur ex aquis, quæ e montibus Idumææ fluunt, atque in Mediterraneum ſupra Gazam devolvebatur. Idem eſt facile torrens deſerti, falſo nuncupatus torrens Ægypti. Utrum pleno ſemper amne flueret, ambigitur; tunc autem aquarum copia tumebat.

℣. 10. QUI LASSI TRANSIRE NON POTERANT. Reddi poſſet Hebræus (10): *Qui ſegnes fuerunt ad tranſeundum*. Septuaginta (11): *Qui ſederant trans torrentem*. Chaldæus: *Qui prohibiti ſunt a tranſeundo*. Vox Originalis *piger* ſonat ad literam cadaver, anima & ſenſu deſtitutum: uſurpatur etiam de pigris, & inertibus, ac de iis, qui vere laſſi ſunt, & viribus deſtituti. Syriacus, & Arabs cenſent, ſubſtitiſſe illos ad ripam torrentis, ut vadum prohiberent. Quod ſi cum veritate conſtaret, cur alii privare illos exuviarum parte voluiſſent?

℣. 12. DUAS LIGATURAS UVÆ PASSÆ. Septuaginta Δύο σταφίδας, *Duos racemos ſiccos*. Hebræus שני צמקים *Duos Zimmukim*. Vide quæ diſſeruimus ſupra XXV. 18.

℣. 14. AD AUSTRALEM PLAGAM CERETHI. Certo credimus, nomen *Cerethim* uſurpari hic pro ſynonymo nominis Philiſthiim. Conſtituit illos Sophonias II. 5. ad mare: *Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum*; vel juxta Hebræum גוי כרתים *gens Cerethorum*: Ezechiel XXV. 16. iiſdem fere verbis illos innuit: *Extendam manum meam ſuper Philiſthæos, & interficiam interfectores* [Hebræus, והכרתי את כרתים *interficiam Cerethim*] *& perdam reliquias maritimæ Regionis*. In 2. Regum XV. 18. legimus, Davidem habuiſſe *legiones Cerethi, & Phelethi, & omnes Gethæos propugnatores validos, qui ſequuti eum fuerant de Geth, pedites*; ex quo recta inferas, Cerethim Philiſthæos fuiſſe. In Diſſertatione de origine Philiſthæorum demonſtravimus, nomen Cerethi unum eſſe idemque ac Cretenſes, eamque gentem ortum ducere e Creta. Amalecitæ ad uſque meridionalem regionis Philiſthæorum plagam proceſſerant.

AD MERIDIEM CALEB. Non procul a *Cariath-arbe*, vel Hebrone, & a *Cariath-Sepher*, urbibus, quas tenebant poſteri Calebi, ac Othonielis generi ipſius, in Tribu Juda. Amalecitæ commode omnem eum tractum excurrerunt, incolis abſentibus, ac bello Philiſthæorum occupatis.

℣. 15. EGO DUCAM TE AD CUNEUM ISTUM. Norat nemoris illius calles, & locum conſueti Amalecitarum receſſus. Jam alibi animadverſum eſt, gentes illas in agris, & ſub tentoriis, nulla domo certave ſede, vitam agere conſueviſſe. Porro hic ſervus ita ab hero relictus, libertati ſuæ reddebatur: *Servus in gravi morbo dimiſſus a domino, liber eſto*, Legibus Romanorum ſancitur (12). Nemo igitur merito Davidem criminis accuſaverit, quod ſervum ad perfidiam in dominum ſuum, deduci ſe ab illo ad Amalecitas jubens, induxerit. Agit cum illo tamquam cum libero; ſeu potius, id ab illo, tamquam a ſervo ſuo, exigit; ſibi enim emerat ſuppeditatis, quibus egebat, alimentis. *Si herus negaverit ſervo ſuo alimenta, & alius ſuppeditet, ſit occupantis*.

℣. 17. A VESPERE USQUE AD VESPERAM ALTERIUS DIEI; Nocte illa tota atque altera tota die inſequutus eſt abeuntes, ad quos ſub veſperam pervenit. Hebræus aliter ſeſe explicat (13): *A crepuſculo, & uſque ad veſperam in craſtinum*. Manus cum illis conſeruit a primo mane uſque ad veſperam alterius a cœpto itinere diei. Integra die illos quærens David, attigit tandem mane alterius

[1] ויכו את צקלג [2] Deut. XXVIII. 32. [3] Ibid. 65. [4] Thren. II. 11. [5] Philippica 2. [6] הגישה נא לי האפוד Aqu. Ἐγγίσον μοι τὴν ἐπωμίδα. Sym. Στῆσον πρός με τὴν ἐπωμίδα.
[7] Cunæus de Rep. Heb. lib. 1. c. 14. Spencer. de Urim. Vide & 1. Reg. XVIII. 9. [8] Menoch. Eſt. Tirſ. &c. [9] ארדף אחרי הגדוד הזה Septuag. Ὀπίσω τῷ γεδδοὺρ. Legunt גדוד hic ℣. 15. Aqu. Ὀπίσω τοῦ εὐζώνου τούτου. Sym. Ἐπὶ τὸν λόχον τοῦτον. Alius Συστρέμματος, *hunc exercitum*. Th. Συστρέμματος, *hanc manum*.
[10] אשר פגרו מעבר [11] Οἳ ἐκάθισαν πέραν τοῦ χειμάῤῥου. [12] Vide Martyr. hic.
[13] מהנשף ועד הערב למחרתם

Digitized by Google

terius diei, eoſque a primo mane uſque ad veſperam eedeos inſectatus eſt. Sunt qui credant (1), Amaleciris toto triduo inſtitiſſe Davidem; nempe a veſpera unius diei uſque ad alterius diei veſperam, addita etiam tertia die. Alii hoc prælium multo plus contrahunt (2), rati intra ſpatium a primo veſpere uſque ad ultimum, abſolutum fuiſſe; ideſt, a nona diei hora, uſque ad undecimam, vel, ex noſtro ſupputandi more, a tertia hora pomeridiana uſque ad quintam veſpertinam: nec illos inſectari ceſſaſſe mane etiam alterius diei, arbitrantur. Sed multo propius vero credimus, Davidem integra die, a mane uſque ad veſperam, illos a tergo cecidiſſe. Quæ contra hanc ſententiam opponuntur, inopinatum nempe ſuperveniſſe comeſſantibus, atque epulantibus, quod quidem cum primo diei crepuſculo congruere non videtur; hæc utique minus valida in rem præſentem ſunt: fortaſſe enim tota nocte etapulam prorogarunt, ut primo mane veniens David comeſſantes illos deprehenderet. Quod addit Hebræus, *Uſque ad veſperam in craſtinum eorum*, innuit ſolummodo veſperam alterius diei, qua David illos adortus eſt. Mane igitur aggreſſus, ad veſperam uſque inſequutus eſt; porro hæ veſperæ initium erant diei ſequentis; dies enim ſuos Hebræi a veſpere exordiebantur. Vel potius *mane in craſtinum eorum* indicabit noctem, quæ mane diei illius ſequebatur, qua die David Ægyptii ſervi indicio ad illos venit. Septuaginta planius reddiderunt (3): *Percuſſit eos a lucifero uſque ad veſperam, & in craſtina.*

℣. 20. Minavit ante faciem suam; dixeruntque: Hæc est præda David. Hebræus ad literam (4): *Duxerunt* [ea quæ ceperant] *ante res alias acquiſitas* [quas nempe ex hoſtibus receperant] *& dixerunt: Hoc ſpolium David*. Capta ex Amalecitis ſpolia a rebus ſuis privatis, quas redemerunt ex hoſtibus, ſepararunt. Recepit quiſque uxorem ſuam, filios, gregem, præmiſeruntque pompæ triumphali ante ſe quiſque ſpolia ex hoſtibus relata, cecineruntque veluti epinicium: *Hæc eſt præda David*; hæc ſunt quæ ab hoſtibus David cepit. Vel forte, ſegregata eſt portio manubiarum, quæ Davidi tamquam expeditionis Duci deſtinata erat (5). Cenſet Grotius (6), pecora omnia tum ex Amalecitis capta, tum quæ prius Iſraelitis abſtulerunt Amalecitæ, ex æquo diſtributa fuiſſe, veteri dominorum jure neglecto; ejuſmodi enim res ad dominos ſuos non redeunt, quorum jus penitus extinctum eſt. Sed hæc minora ſunt quam quæ aſſenſum extorqueant.

℣. 22. Omnis via pessimus at iniquus. Hebreus כל איש רע ובליעל *Omnis vir peſſimus & Belial*. Vide Deuteronomium xiii. 13.

℣. 24. *Æqua pars erit descendentis ad prælium et remanentis ad sarcinas.* Legis hujus datam a Judæis interpretationem, in Numeris xxxi. 27. retulimus. Docent illi, Regi ſemper ceſſiſſe exuviarum omnium dimidiam portionem, reliquis ex æquo diſtributis inter eos, qui manum conſeruerant, quique remanſerant ad ſarcinas (7). Neglecta vero hac interpretatione, quam nec Textus Legis, nec veteres Hebræorum mores fulciunt, prono & naturali ſenſu verba hæc accipienda cenſemus. Hujus autem ſanctionis obſervatio tum hic tum alibi ſemper occurrit, cum fert occaſio: nihil autem æquius eſt, nihil hac lege ſapientius. Sapiens quidem ea Lex eſt, quod militum ad ſarcinas relictorum querelas omnes ſupprimit, atque incommodum, ſingulis ſarcinarum cuſtodiam detrectantibus, facile oriturum. Æqua vero, quod ſuam diſcriminis partem ſubeant ii qui remanent ad ſarcinas; aggreſſiones enim hoſtium timere poſſunt, atque contra aggreſſores etiam vitæ diſcrimine tueri commiſſas ſibi res teneantur: victoriam etiam commilitonum ſuorum juvent, moleſtam illis rerum ſuarum ſolicitudinem auferentes: denique juſſionibus Ducis utrique ex æquo obnoxii, tum qui certant, tum qui prælio abſunt, neutri ſua ſponte ſuam provinciam eligant: quare ſi alio munere præterquam prælio occupentur, obedientiæ ſuæ merito privandi non ſunt.

Æquitas naturalis omnibus ferme cultis gentibus diſciplinam hanc moremque Iſraelitarum perſuaſit. Achillem exhibet Homerus (8) graviter querentem de hujus moris iniquitate, quo præda inter certantes, æque ac eos qui prælio abſuerunt, dividi jubetur: quare ſtrenuus ab ignavo milite non diſtinguitur. Eamdem diſciplinam veteres Romani obſervabant (9). Coriolanus apud Dionyſium Halycarnaſſeum libro viii. milites ſuos ita affatur: *Scitis omnes, quod ſpolia & præda ex hoſtibus, quamcumque noſtra virtute adipiſcimur, eam lex jubet publicam omnem eſſe. Nec ſolum gregarius miles, aut privatus aliquis jus in hanc non habet, imo nec ipſe Imperator. Sed quæſtor eam accipiens, divendit, & pecuniam in ærarium publicum refert. Quam Legem, ex quo urbem hanc incolimus, nemo non dicam ſolvit, ſed nec culpavit.* Deinceps vero alius placuiſſe Romanis mos videtur, ut ſingulis ex æquo militibus ſpolia darentur, tam iis qui certaverant, quam iis qui remanſerant ad ſarcinas, ægris pariter & abſentibus. Affirmat etiam Polybius (10), juratos milites ſingulos in caſtris polliceri, relaturos ſeſe ad Tribunos quæcumque ex hoſtibus ceperint; expeditione vero confecta, Tribunos ex æquo prædam inter milites omnes diſtribuere.

℣. 25. Factum est hoc ex die illa et deinceps ... quasi lex in Israel, usque in diem hanc. Non quaſi ſcilicet ea Lex nunquam antea in Iſraele obtinuiſſet, cum ejus moris exempla occurrerint in bello Madianitico ſub Moyſe (11). Imperavit Joſue (12) Iſraelitis transjordanicis, ut dividerent cum fratribus ſuis, qui in regione ſua ſubſliterant, prædam, quam cis amnem collegerant. Sed ante Davidem ea conſuetudo potius obtinuiſſe videtur voluntario hominum aſſenſu, quam legis ſanctione. Porro Legis hujus religionem longius etiam prorogarunt Hebræi, quam David ſtatuerit. De Macchabæis memoriæ proditum eſt (13) illos *æquam portionem debilibus, pupillis, & viduis, ſed & ſenioribus feciſſe*. In alium etiam ſenſum, quam quo vertitur a Septuaginta, & Vulgata, reddi poteſt Hebræus (14): *Et lex iſta ſervata fuit in Iſraele a die hac & antea: & David conſtituit hoc in legem & in ſanctionem uſque in diem hanc*. Priſtinum robur legi huic, vetuſtiſſimæ apud Hebreos, David confirmavit. Carent Hebræi verbis compoſitis; quare uſurpant e. g. ædificavit, ſtatuit, miſit, pro reſtituit, remiſit.

℣. 26. Misit dona de præda senioribus Juda, tamquam reparaturus jacturas eorum, ſimul autem ut eo munere beneficium quietæ in ſua regione ſedis, quo tempore Regio carebat favore, remuneraretur.

℣. 27. In Bethel. In urbe Bethel Ephraimitica, vel *in domo Dei* (15), ideſt, in Cariath-jarim, ubi erat Arca; vel Gabaone, ubi Tabernaculum.

In

(1) Vatab. (2) Sanct. (3) Ἐπάταξεν αὐτοὺς ἀπὸ ἑωσφόρου καὶ ἕως δείλης καὶ τῇ ἐπαύριον. (4) נהגו לפני המקנה ההוא ויאמרו זה שלל דוד (5) Ita Hebr. apud Munſt. (6) Grot. de jure Belli & Pac. lib. 3. cap. 9. art. 5. & 14. (7) Vide Rabb. apud Selden. de Jure Nat. & Gent. lib. 6. c. 16. & Grot. hic. (8) Iliad. I.

Ἴση μοῖρα μένοντι, καὶ εἰ μάλα τις πολεμίζοι.
Ἐν δὲ ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς, ἠδὲ καὶ ἐσθλός.

(9) Vide Lipſi. de Milit. Rom. lib. 5. Dialog. 15. (10) Vide Polyb. de Milit. Roman. l. 10. Vide eumd. de Carthaginis obſidione. (11) Num. xxxi. 27. (12) Joſue xxii. 8. *In multa ſubſtantia atque divitiis revertimini ad ſedes veſtras .... Dividite prædam hoſtium cum fratribus veſtris.* (13) 2. Macc. viii. 28. (14) ויהי מהיום ההוא ומעלה וישמה לחק ולמשפט לישראל עד היום הזה (15) Jun. Tremel. Piſc.

In Ramoth ad meridiem, vel in Ramoth meridionale בְּרָמוֹת־נֶגֶב, ut diſtinguatur a Ramoth Galaad, urbe Transjordanica. Ramoth meridionalem Tribui Simeonis Joſue dedit (1).

Jether. Euſebins, & S. Hieronymus in locis meminerunt *Jethira*, in plaga meridionali Palæſtinæ, prope *Malatham* xx. m. paſſibus ab Eleutheropoli. Urbs erat Tribus Juda, & Sacerdotalis (2), quæ *Ether* appellatur apud Joſue xv. 41.

℣. 28. In Aroer urbe transjordanica, ad torrentem Arnon, in Tribu Gad. David moram aliquam duxerat in regione Moabitica, ſatis proxima urbi Aroer, urbi ſorte aliquos e neceſſariis ſuis reliquit, & unde pariter beneficia nonnulla retulerat. Porro uterque Davidis parens aliquandiu in regione Moabitica ſub Regis patrocinio ſubſtiterat. Vide Caput xxii. 3. 4. 5.

Sephamoth, eadem facile ac Sepham, de qua in Numeris xxxiv. 10. ſed longiſſime in Transjordanis aberat.

Esthamo, urbs Tribus Juda (3), & Sacerdotalis (4), in finibus Eleutheropolis.

℣. 29. Rachal. De hac urbe nihil ſcimus, ſemel enim tantummodo occurrit. An eadem cenſenda eſt cum Achila in deſerto Ziph, de qua actum eſt ſupra xxiii. 19. & xxvi. 1. 3. quo David ſemel atque iterum venit?

Jeremeel. Vide ſupra xxvii. 10.

Ceni. Anguſta Cinæorum regio, ad meridiem maris mortui.

℣. 30. Arama. Urbs eſt Horma, ubi totam ditionem Aradi anathemati devoverunt Hebræi (5).

In lacu Asan. Hebræus בְּבוֹר עָשָׁן *In Chor-Aſchan*. Vide Joſue xv. 42. & xix. 7. ubi *Aſan* tantum appellatur, Tribui Juda primum aſſignata, deinde tranſivit ad Simeonitas.

Athach, eadem forte cum Athar *Joſue* xix. 7. quæ urbs a Joſue cum Aſan jungitur, quemadmodum hic Aſan cum Athach (6).

℣. 31. Hebron, locus eſt notiſſimus. Ex hoc locorum cenſu magnanimitas Davidis demonſtratur, quippe qui, exul licet & omnium indigens, grandia tamen liberalis animi ſui ſpecimina exhibet. Nullum locum ex iis, a quibus exceptus fuerat, ſeu beneficii aliquid retulerat, negligit. Ingentem ſane prædam ex Amalecitis retulerit, opus eſt.

CAPUT XXXI.

Prælium Philiſtæorum cum Iſraelitis: Saul ejuſque filii intereunt; quorum cadavera mœnibus Bethſan ſuſpenduntur; ſed illa deponunt comburuntque cives Jabes.

℣. 1. PHiliſthiim autem pugnabant adverſum Iſrael: & fugerunt viri Iſrael ante fa-
ciem Philiſthiim, & ceciderunt interfecti in monte Gelboe. 2. Irrueruntque
Philiſthiim in Saul, & in filios ejus, & percuſſerunt Jonatham, & Abinadab, & Mel-
chiſua, filios Saul, 3. Totumque pondus prælii verſum eſt in Saul: & conſecuti ſunt
eum viri ſagittarii, & vulneratus eſt vehementer a ſagittariis. 4. Dixitque Saul ad ar-
migerum ſuum: Evagina gladium tuum, & percute me: ne forte veniant incircumciſi
iſti, & interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger ejus: fuerat enim nimio ter-
rore perterritus. Arripuit itaque Saul gladium, & irruit ſuper eum. 5. Quod cum vi-
diſſet armiger ejus, videlicet, quod mortuus eſſet Saul, irruit etiam ipſe ſuper gladium
ſuum, & mortuus eſt cum eo. 6. Mortuus eſt ergo Saul, & tres filii ejus, & armiger
illius, & univerſi viri ejus in die illa pariter. 7. Videntes autem viri Iſrael, qui erant
trans vallem, & trans Jordanem, quod fugiſſent viri Iſraelitæ, & quod mortuus eſſet
Saul, & filii ejus, reliquerunt civitates ſuas, & fugerunt: veneruntque Philiſthiim, &
habitaverunt ibi. 8. Facta autem die altera, venerunt Philiſthiim, ut ſpoliarent interfe-
ctos, & invenerunt Saul, & tres filios ejus jacentes in monte Gelboe. 9. Et præciderunt
caput Saul, & ſpoliaverunt eum armis, & miſerunt in terram Philiſthinorum per circui-
tum, ut annuntiaretur in templo idolorum, & in populis. 10. Et poſuerunt arma ejus
in templo Aſtharoth, corpus vero ejus ſuſpenderunt in muro Bethſan. 11. Quod cum au-
diſſent habitatores Jabes Galaad, quæcumque fecerunt Philiſthiim Saul, 12. Surrexerunt
omnes viri fortiſſimi, & ambulaverunt tota nocte, & tulerunt cadaver Saul, & cadavera
filiorum ejus, de muro Bethſan: venerunt Jabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi: 13. Et
tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Jabes, & jejunaverunt ſeptem diebus.

℣. 1. PHilistiim autem pugnabant adversum Israel. Continuatio eſt hæc belli Philiſtæorum, cujus exordium deſcriptum eſt Capite xxviii. Cum Philiſtæi aggreſſuri venerunt, Iſraelitarum caſtra in montibus Gelboe conſidebant. Prælium autem initum eſt ab jaculatoribus, qui exercitum Iſraeliticum in fugam dedere. Primo impetu tres filii Saulis deſiderati ſunt; Saul cum ſuis reſtitit; quare totum *pondus prælii verſum eſt in Saul*.

℣. 3. Consecuti sunt eum viri sagittarii, et vulneratus est vehementer a sagittariis. Sagittarii illum aſſecuti, lethaliter vulnerarunt; ſeu potius, ſagittarii aggreſſi ſunt ejus agmen, quod nondum fugerat; & Saul vulnere lethali confoſſus eſt. Hebræus (7): *Sagittarii invenerunt eum jacientes in arcu, & valde vulneratus eſt a jacientibus*. Seu potius: *Sagittarii aggreſſi ſunt eum, & ipſe territus eſt valde ab illis*. Poſteriorem hanc verſionem probant frequenti numero Interpretes (8), accipientes ad literam verba illa Saulis, relata ab Amalecita Davidi (9): *Tota anima mea in me eſt*; quare nullo vulnere affectum fuiſſe Regem credunt,

[1] Joſue xix. 8. [2] Joſue xxi. 14. & 1. Paral. vi. 58. [3] Joſue xv. 50. & 1. Paral. iv. 19. [4] Joſue xxi. 14. [5] Num. xxi. 1. 2. 3. [6] Bonfrer. in Onomaſt. [7] וימצאהו המורים אנשים בקשת ויחל מאד מהמורים [8] Ita Jonath. Syr. Arab. Jun. Munſt. Pagn. [9] 2. Reg. 1. 9.

dunt, cum ſibi gladio necem intulit. Sed nullam meretur fidem teſtimonium Amalecitæ, tam multis undique mendaciis refertum. Vero igitur propius reputamus, Saulem necem ſibi inferre decreviſſe, cum ſe lethaliter vulneratum, & privatum ſpe vivendi poſt vulnus ſenſit. Septuaginta reddunt (1): *Invenerunt eum jaculatores viri ſagittarii*, aſſecuti, aggreſſi ſunt; *& vulneraverunt in hypochondria*; ſeu in inferiori ventre. Theodotion pariter (2): *In regione prope jecur*.

℣. 4. Dixit ad armigerum ſuum. Verba hæc facta fuiſſe ad Doegum, qui Saulis armigerum ageret, credunt Judæi. Porro Rex gladium nondum habebat, neque enim adhuc, niſi eminus jactu ſagittarum, pugnabatur (3); nondum ventum erat ad manus. *Evagina gladium tuum*; ideſt, gladium meum, quem tenes. Gladium hunc ſtatim arripiens Saul, necem ſibi intulit: *Arripuit gladium ſuum, & irruit in eum*.

Ne interficiant me illudentes mihi. Verebatur, ne forte aliquandiu vivus ſervaretur ad irriſiones ac ludibrium urbis & regionis; ut olim acciderat Samſoni, quem crudeliter æque & indigne exceperant. Hoc erat ejus ætatis earumque gentium ingenium, ut captis in bello Regibus inſultarent, & cadavera illorum turpiter raptarent. Legimus alibi, quanta ſeveritate Joſue in Reges Hai (4), Jeruſalem (5), Hebronis, Jerimoth, Lachis, & Eglonis animadverterit; quid Gedeon Zebee & Salmanæ (6); quid Rex Beſec ſeptuaginta a ſe devictis Regibus (7) fecerint.

Arripuit Saul gladium ſuum, et irruit super eum. Genuinam hanc eſſe hiſtoriam mortis Saulis, minime ambigimus, ut nonniſi per mendacium aliter narraſſe Davidi Amalecitam cap. 1. ſequentis Libri, arbitremur. Fruſtra igitur Hebræi (8) primum Regem ſuum a crimine illatæ ſibi necis excuſare conantur, aſſeruntque æternam ſalutem promeruiſſe, prompta illa Providentię decretis ſubmiſſione, cum tacitus & ſine querela ſententiam a Samuele in ſe pronunciatam audierit (9): *Cras tu & filii tui mecum eritis*. Celebrant illi Saulis obedientiam, qua prælium non detrectavit, certus licet de exitio, ut certamini ſeſe, perinde ac victimam ſacrificio, objecerit. Illud etiam expendunt, quod filium monere noluerit, ut e fatali prælio ſeſe ſubduceret; quippe quem maluit ultioni Divinæ mactatam victimam intueri. Sunt qui addant, licuiſſe Sauli mortem ſibi inferre, ut vitaret ignominiam & opprobrium in ipſius Dei dedecus eventurum, ſi brevem vitam ſervaturus ſeſe hoſtibus Domini dediſſet, qui ſane non omiſiſſent ſupremi Numinis majeſtati illudere, eldemque fugam populi, Regis captivitatem, tanquam infirmitatis ac ignaviæ argumentum, exprobrare. Profecto ſi pares omnino rationes Samſonem excuſant, dum ſub Templi ruinis ſe pariter & adverſarios ſuos ſepeliit; cur pariter non licuiſſe reputemus Sauli, ut ſibi vel per ſe, vel alterius manu necem inferret? An cives Jabes ſceleſti & damnati hominis cadaver tanti feciſſent, quanti reipſa feciſſe conſtat Saulis cadaver, igne combuſſerint, & collecta e buſto oſſa honorificentiſſimo ſepulchro condiderint? Quod illorum facinus nunquam David laudaſſet: nunquam David ipſe Sauli parentaſſet, nunquam virtutem ejus viri celebraſſet, ſi hominem miſerum, & dignum opprobriis hominum, ac ſuppliciis æternis cenſuiſſent. Author II. Macchabæorum non ſine laude (10) ſenis Raziæ meminit, qui ſibi mortem audacter conſcivit, ne in manus hoſtium patriæ ſuæ incideret. Quid de nece ſibi illata ſentiret Philo Judæus, ſatis ipſe demonſtrat (11), cum ita loquentes inducit Judæos ad Petronium, Imperatoris ſimulacrum in Templum inferre molientem: *Uxores, ſorores, fratres, filios immolabimus; deinde in medio eorum ſtantes, abluti cognato ſanguine* [*nam talia lavacra ad inferos properantibus conveniunt*] *admiſcebimus & proprium, noſmetipſi jugulando inſuper. Morientium hoc mandatum erit ultimum: ne Deus quidem nos accuſet, qui utriuſque rationem habuerimus, & Imperatori debitæ reverentiæ, & ſacrarum legum cuſtodiæ. Id fiet, ſi vitam haud vivendam contempſerimus*. Laudat Joſephus (12) facinus Phaſaeli fratris Herodis, qui caput illiſit lapidi, ut vitæ repagula frangeret. Et apud Chriſtianos laudes non negamus Martyribus, qui voluntaria morte Tyrannorum injuriam prævenerunt.

Sed hæc omnia imbecilliora ſunt, quam quibus Saul excuſetur. Nunquam fas eſt malum agere, ut bonum inde oriatur. Nemo dubitat, Saulem necem ſibi intuliſſe; qua in re crimen naturę legibus, & rationi plane contrarium patravit. Naque Profani mortem ſibi illatam aliter quam furioſi ferique hominis facinus habuere; an ignavi debiliſque potius quam audacis fortiſque hominis eſſe, ſapientiſſime exiſtimaverunt. Vera enim animi magnitudo in eo ſita eſt, ſi adverſa perferas (13), minime vero ſi ab adverſis illata nece te ſubducas.

Rebus in adverſis facile eſt contemnere mortem;
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

Leges civiles honorem ſepulturæ iis denegant; qui ejus in ſeſe criminis rei ſunt; aſſeritque Joſephus (14), idem pariter ætate ſua apud Judæos moribus obtinuiſſe. Vita eſt nobis a Deo depoſiti loco credita, ut noſtri juris non ſit; quare nec pro libito de illa decernere poſſumus, nec niſi per injuriam Divino juri illatam, Dei injuſſu vitam nobis adimimus. Nullum pœnitentiæ indicium exhibuit Saul; ſupremiſque vitæ ſuæ momentis nihil minus quam Deum reſpexiſſe videtur. Ignominiam ſuam evitare moliebatur, ac minime illud cogitabat, ut probra ab oſoribus divini nominis in majeſtatem Numinis inferenda præveniret. Si Jabitas laudat David, ſi virtutem Saulis celebrat, an ſimul homicidium & deſperationem illius laudaſſe cenſendus erit? Jabitarum facinus animi erat liberalis ac memoris beneficiorum. Saul ſæpe ſæpius virtutis & roboris ſpecimina exhibuerat. Hæc materia laudum Davidis: Denique Scriptura de exitio Saulis ambiguitatem omnem aufert, affirmans (15): *Mortuus eſt ergo Saul propter iniquitates ſuas, eo quod prævaricatus ſit mandatum Domini, quod præceperat, & non cuſtodierit illud; ſed inſuper etiam Pythoniſſam conſuluerit, nec ſperaverit in Domino; propter quod interfecit eum, & tranſtulit Regnum ejus ad David filium Iſai*.

℣. 6. Mortuus eſt Saul . . . et universi viri ejus, comites. Reliquus enim populus fuga dilapſus fuerat (16). Author Libri primi Paralipomenon x. 6. ubi hanc cædem narrat, ſcribit: *Interiit ergo Saul, & tres filii ejus, & omnis domus illius pariter concidit*; ideſt, famuli, cuſtodes corporis, domeſtici &c.

℣. 7. Videntes autem viri Iſrael, qui erant trans Jordanem . . . reliquerunt civitates ſuas, et fugerunt. Veneruntque Philiſtiim, et habitaverunt ibi. Rei utique natura poſcebat, ut Iſraeli-

---

[1] Καὶ εὑρίσκουσιν αὐτὸν οἱ ἀκοντισταὶ ἄνδρες τοξόται, καὶ ἐτραυμάτισαν αὐτὸν εἰς τὰ ὑποχόνδρια. [2] Μέρος ἐγγὺς τοῦ ἥπατος. [3] Vide ℣. 3. [4] Joſue VIII. 29. [5] Joſue X. 24. [6] Judic. VIII. 21. [7] Judic. I. 7. [8] Vide Hebr. in Lyrano & Grot. l. 2. de jure Belli & Pac. c. 19. n. 5. [9] I. Reg. XXVIII. 19. [10] 2. Macch. XIV. 37. & ſeq. [11] Philo Jud. Ἀποσφαγιασθέντες τὸ ἴδιον αἷμα ἀνακεράσαντες αὐτοῖς ἀναβησόμεθα τὸ ἀπότεγμα ἐλευθέρων. Μέμψαιτ' ἂν οὐδ' Θεὸς ἡμᾶς ἀμφοτέρων στοχαζομένους, καὶ τῆς πρὸς τὸν αὐτοκράτορα εὐλαβείας καὶ τῆς πρὸς τοὺς καθωσιωμένους νόμους ἀποδοχῆς. [12] Joſeph. de Bello Jud. l. 1. c. 4. [13] Vide Sanct. hic; Aug. l. 1. de Civ. c. 17. Cicer. in Somnium Scip. Macrob. in idem. Plat. lib. 9. de Legib. Ariſt. lib. 5. Et hic. [14] Joſeph. lib. 3. de Bello cap. 25. Τοὺς γοῦν ἀνελόντας αὑτοὺς μέχρι ἡλίου δύσεως ἀτάφους κρίνουσιν ἐκρίπτειν. [15] 1. Par. X. 13. [16] Vide 2. Reg. I. 4.

raelitæ, *qui erant trans vallem* Jezrael, ad meridiem & ſeptentrionem ejuſdem vallis, ſibi metuentes, urbibus ædibuſque ſuis deſertis, fuga ſe proriperent. Quæ tunc vigebat belli diſciplina non permittebat, ut ibi nonniſi cum vitæ vel libertatis diſcrimine morarentur. Sed cur & Transjordanicus populus urbes ſuas deſeruit? Neque enim Philiſtæos Jordanem tranſmiſiſſe novimus: quin nec tutus illis fuiſſet tranſitus. Reputandum eſt igitur, rumorem victi fugatique Saulis tantum animis injeciſſe terrorem, ut vel Iſraelitæ Transjordanici minus tutam in regione ſua moram arbitrarentur. Panico terrore correpti ſunt, neglectoque amnis vado, in montem evaſerunt. Neque unicum eſt hoc ejuſmodi terroris exemplum. Populus metu conſternatus, primos timoris impetus ſequitur. Adde, quod Philiſtæi, ſi quidem voluiſſent, amnem trajicere potuiſſent, cum præſertim Bethſan tenerent, haberentque ſub ſignis exercitum validum & victorem, Iſraelitæ vero duce carerent & copiis. Sed Deus victoriæ illorum limites conſtituit.

Interpretum quidam (1), ægre in animum ſibi inducentes, Iſraelitas Transjordanicos fuga ſe proripuiſſe, raddunt Hebræum בעבר הירדן *cis Jordanem*, vel, *qui erant ad vada Jordanis* (2). Alii (3) malunt, verba hæc *trans Jordanem* accipi oportere ut ad Jabitas, de quibus in exitu hujus capitis, relata: quare hos Transjordanicos, ſi cum Saule & Davide conferantur, revera Ciſjordanicos fuiſſe. Sed hæc ſubtilia nimis: primum autem probabile minus videtur, Nihil nos eo cogit, ut Philiſtæos amnem trajeciſſe, & Iſraelitas Transjordanicos urbes & ſedes ſuas deſeruiſſe Philiſtæis credamus. In Textu 1. Paralipomenon x. 7. ubi victoria hæc Philiſtæorum narratur, legimus, *viros Iſrael, qui in campeſtribus habitabant, fugiſſe*, urbibus derelictis, quas Philiſtæi occuparunt. Id autem prono ſenſu vix aliter accipi poteſt, quam de regione adjacente Jezraeli, & Gelboe.

Utrum victoriæ hujus Philiſtæorum appendix cenſenda ſit deditio Bethſan, urbis ad Jordanem, quæ tamen a Philiſtæorum ditione longe diſtabat, ignoro. Jacebat illa in extrema valle Jezraelis; eamque Chananæi aduſque Judicum ætatem occuparant (4). Hic autem uſurpatam a Philiſtæis cernimus; quo autem tempore illis ceſſerit, non legitur. David Philiſtæos depulit, cum Salomone rerum potiente (5), Bethſan Regibus Juda pareret.

℣. 9. Præciderunt caput Saul; & trophæi loco per Templa omnia urbeſque ſuas circumtulere, perſimili fere exemplo, quo David ubique oſtentavit caput Gigantis, a ſe præciſum, quod Jeroſolymis ſervatum eſt (6).

℣. 10. Posuerunt arma ejus in templo Astaroth. Vides hic apud Profanos eumdem morem, quem ſupra xxi. 9. apud Hebræos, ſuſpendendi ſcilicet in Templis arma ex hoſtibus capta. Plurima ejus exempla occurrunt pariter apud Græcos Romanoſque (7). De Aſtaroth, vide Diſſertationem de Numinibus Philiſtæorum.

Corpus vero suspenderunt in muro Bethsan. Legimus in Paralipomenis (8) *caput* Saulis *affixum fuiſſe in Templo Dagon*, ideſt in Templo urbis *Aſothi*. Truncum vero cadaver appenſum fuit mœnibus, ſive in patibulo ſuper mœnia Bethſan ſuſpenſum, vel, teſte ſecundo Libro Regum xxi. 12. *In platea Bethſan* (9). Ut oppoſita hæc inter ſe concilientur, cadaver iſtud ſuſpenſum fuiſſe primo ad mœnia urbis reputandum eſt, tum in platea, unde depoſitum Jabitæ rapuerunt; ſeu potius, plateam urbis jacuiſſe prope portas ac mœnia, ex conſueto regionis more: quare Saulis cadaver, mœnibus intra urbem ſuſpenſum, ſimul etiam intus in platea erat. Itaque ſuſpendi in platea, & appendi mœnibus, unum idemque ſignificant.

℣. 11. Quod cum audissent habitatores Jabes, indigna, quæ Sauli illata fuerant, venerunt, ut cadaver ejus depoſitum ſurriperent; obſequio rependuri beneficium ſibi initio Regni collatum, quippe quos obſidione Naas Regis Ammonitarum liberavit (10).

℣. 12. Combusserunt ea ibi. Carnes jam corruptas atque ſitu labentes, cum condiri non poſſent, combuſſerunt; oſſa vero ſervarunt. Cenſet Chaldæus (11), aromata ſolum vel ſupra vel prope ea cadavera combuſta fuiſſe, ipſa tamen cadavera igne intacta ſervata fuiſſe. Sententiam hanc vulgo ſequuntur Commentariorum Scriptores, ac Rabbini, qui, ut concilient ea Scripturæ loca, in quibus de combuſtione cadaverum virorum Principum agitur (12), cum cæteris de illorum ſepultura agentibus, corpora quidem, ajunt, rogo intacta erant, ſed tantum diſpoſitis circum illa aromatibus incenſiſque teter cadaverum odor diſſipabatur (13). Quod attinet ad cadavera Saulis & trium filiorum, cenſet Sanctius, coactos fuiſſe Jabitas comburere prope Bethſan carnes illorum nimis corruptas fœtidaſque, ut in urbem Jabes deferri non poſſent. Id autem in ſimilibus rerum articulis obtinuiſſe, probant verba illa Amos vi. 10. *Tollet eum* [cadaver] *propinquus ſuus, & comburet eum, ut efferat oſſa de domo*.

Ne vero Scripturæ Textus, aperte referentes Regum cadavera aliquandiu comburi conſueviſſe (14), inepte diſtorqueamus, nihil magis pronum ſuccurrit, quam quod, carnibus tantum combuſtis, ſervata credantur ad ſepulturam oſſa, cineresque, more Græcis pariter (15) Romaniſque (16) familiari. Ita omnia facile & expedite conciliantur.

℣. 13. Sepelierunt in nemore. Hebræus תחת האשל *ſub arbore*, vel ſub arboribus; in 1. Paralipomenon x. 12. תחת האלה, *ſub quercu*. Locus erat facile prope illorum urbem celebris.

Jejunaverunt septem diebus. Jejunium luctum ſemper comitabatur. Luctus autem ad ſeptem dies prorogari ſolebat (17). Luctus tamen pro Saule nullus in Iſraele habitus videtur; quod enim obitum ejus conſecutum eſt tempus, motibus & turbis agitatum fuit. David ejuſque milites una tantum die (18) obitum ejus plorarunt. Nullo legis præcepto imperabatur publicus pro Regibus luctus; cui tamen ſupremo officio non defuiſſe urbem Metropolim, & loca vicina, ultro credimus (19).

(1) Ita Jun. Tir. Joan. Clαric. (2) Mont. Biſc. (3) Malvend. (4) Judic. 1. 27. (5) 3 Reg. iv. 12. (6) 1. Reg. xvii. 54. (7) Vide noſtram Diſſertationem de ocreis æneis, Lemontii inventis, apud Ephemerides Trevoltii. (8) 1. Paral. x. 10. (9) *Abiit David & tulit oſſa Saul, & oſſa Jonathæ a viris Jabes Galaad, qui furati fuerant ea de platea Bethſan, in qua ſuſpenderant eos Philiſthiim.* (10) 1. Reg. xi. 11. (11) Jonath. *Cremaverunt ſuper illos, ſicut cremant ſuper Reges.* (12) 2. Paral. xvi. 4. & xxi. 19. (13) Vide, ſi placet, M. Geierum de Luctu Hebræor. (14) Vide Commentarium in Geneſ. l. ℣. 3.

(15) Vide Iliad. Ψ. Κλαίοντες δ' ἑτάροιο ἐνηέος ὀστέα λευκὰ
Ἄλλεγον ἐς χρυσέην φιάλην.

(16) Perſius Satyr. 6. . . . . . . *Sed cœnam funeris hæres*
Negliget, iratus quod rem curtaveris; urna
Oſſa inodora dabit.

(17) Eccli. xxii. 13. *Luctus mortui ſeptem dies.* (18) 1. Reg. 1. 12. *Planxerunt & fleverunt, & jejunaverunt uſque ad veſperam ſuper Saul.* (19) Vide Jerem. xxxiv. 5. & 2. Paral. xxxv. 25.

FINIS LIBRI PRIMI REGUM.

COM-

COMMENTARIUS LITERALIS IN II. LIBRUM REGUM.

CAPUT PRIMUM.

Amalecitam, a quo de morte Saulis & Jonathæ monebatur, quique necem Sauli ſeſe intuliſſe gloriabatur, David interfici jubet. Canticum lugubre de utriuſque interitu canit:

℣. 1. FActum eſt autem, poſtquam mortuus eſt Saul, ut David reverteretur a cæ- A. M. 2949. ante J. Ch. 1055.
de Amalec, & maneret in Siceleg duos dies. 2. In die autem tertia appa-
ruit homo veniens de caſtris Saul, veſte conſciſſa, & pulvere conſperſus caput: & ut
venit ad David, cecidit ſuper faciem ſuam, & adoravit. 3. Dixitque ad eum David:
Unde venis? Qui ait ad eum: De caſtris Iſrael fugi. 4. Et dixit ad eum David: Quod
eſt verbum, quod factum eſt? indica mihi. Qui ait: Fugit populus ex prælio, & mul-
ti corruentes e populo mortui ſunt: ſed & Saul, & Jonathas filius ejus interierunt.
5. Dixitque David ad adoleſcentem, qui nuntiabat ei: Unde ſcis, quia mortuus eſt
Saul, & Jonathas filius ejus? 6. Et ait adoleſcens, qui nuntiabat ei: Caſu veni in
montem Gelboe, & Saul incumbebat ſuper haſtam ſuam: porro currus, & equites ap-
propinquabant ei, 7. Et converſus poſt tergum ſuum, videnſque me vocavit. Cui cum
reſpondiſſem: Adſum: 8. Dixit mihi: Quiſnam es tu? Et ajo ad eum: Amalecites
ego ſum. 9. Et locutus eſt mihi: Sta ſuper me, & interfice me: quoniam tenent me
anguſtiæ, & adhuc tota anima mea in me eſt. 10. Stanſque ſuper eum, occidi illum:
ſciebam enim, quod vivere non poterat poſt ruinam: & tuli diadema, quod erat in ca-
pite ejus, & armillam de brachio illius, & attuli ad te dominum meum huc. 11. Ap-
prehendens autem David veſtimenta ſua ſcidit, omneſque viri, qui erant cum eo,
12. Et planxerunt, & fleverunt, & jejunaverunt uſque ad veſperam ſuper Saul, &
ſuper Jonathan filium ejus, & ſuper populum Domini, & ſuper domum Iſrael, eo
quod corruiſſent gladio. 13. Dixitque David ad juvenem, qui nuntiaverat ei: Unde es
tu? Qui reſpondit: Filius hominis advenæ Amalecitæ ego ſum. 14. Et ait ad eum Da-
vid: Quare non timuiſti mittere manum tuam, ut occideres Chriſtum Domini? 15.
Vocanſque David unum de pueris ſuis, ait: Accedens irrue in eum. Qui percuſſit il-
lum, & mortuus eſt. 16. Et ait ad eum David: Sanguis tuus ſuper caput tuum: os
enim tuum locutum eſt adverſum te, dicens: Ego interfeci Chriſtum Domini. 17.
Planxit autem David planctum hujuſcemodi ſuper Saul, & ſuper Jonathan filium ejus,
18. (Et præcepit, ut docerent filios Juda arcum, ſicut ſcriptum eſt in libro Juſtorum)
Et ait: Conſidera Iſrael, pro his, qui mortui ſunt ſuper excelſa tua vulnerati. 19. In-
clyti Iſrael ſuper montes tuos interfecti ſunt: quomodo ociderunt fortes? 20. Nolite
annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Aſcalonis: ne forte lætentur filiæ
Philiſthiim, ne exultent filiæ incircumciſorum. 21. Montes Gelboe, nec ros, nec plu-
via veniant ſuper vos, neque ſint agri primitiarum: quia ibi abjectus eſt clypeus for-
tium, clypeus Saul, quaſi non eſſet unctus oleo. 22. A ſanguine interfectorum, ab
adipe fortium, ſagitta Jonathæ numquam rediit retrorſum, & gladius Saul non eſt re-
verſus inanis. 23. Saul, & Jonathas amabiles, & decori in vita ſua, in morte quoque
non ſunt diviſi; aquilis velociores, leonibus fortiores. 24. Filiæ Iſrael ſuper Saul fle-
te, qui veſtiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro.
25. Quomodo ceciderunt fortes in prœlio? Jonathas in excelſis tuis occiſus eſt? 26. Do-
leo ſuper te, frater mi Jonatha decore nimis, & amabilis ſuper amorem mulierum. Si-
cut mater unicum amat filium ſuum, ita ego te diligebam. 27. Quo modo ceciderunt
robuſti, & perierunt arma bellica?

℣. 6. Casu veni in montem Gelboe. Tam multis ſcatet mendaciis Amalecitæ narratio, ut nulla ejus verbis fides præſtari poſſit. Si quis loquentem illum audiat, caſu acccidiſſe credat, ut, cum maxime arderet pugna, ipſe prope Saulem adeſſet, quamquam neque ex Iſraelitarum, neque ex Philiſtæorum exercitu erat. Statim (1) antea aſſirmaverat, ſe fugiſſe ab exercitu Iſraelis; mox vero (2) fatetur, ſe filium eſſe Amalecitæ, viri exteri, ideſt, filium Amalecitæ, qui in regionem Iſraelis migrarit. Porro hunc fuiſſe Doegi filium, tradunt Hebræi (3); ideirco autem Amalecitam appellatum docent, quod Amalec, pater Amalecitarum, unus eſſet e filiis Eſau (4). Ambigua: neque majorem fidem meretur ea, quam narrat, hiſtoria diadematis & armillarum Saulis, quave ratione in ipſius poteſtatem devenerint. Si conjecturas ſequi in re præſenti liceret, non inepte reputaremus, filium hunc fuiſſe Amalecitæ, cui ſedes in Iſraele conceſſa fuerit, qui Saulem ad bellum proficiſcentem ſecutus, cum obitum Regis illius ocularis teſtis ſpectaſſet, noctis favore uſus fuerit, ut Regiis inſignibus cadaver ſpoliaret. Animadvertimus ſupra (5), nonniſi mane alterius diei Philiſtæos ad legenda ex interfectis ſpolia veniſſe.

Saul incumbebat super hastam suam, vel lanceam (6). Textus in genuina rei hujus hiſtoria gladium diſerte exprimit (7).

Porro currus et equites appropinquabant ei. Ad id uſque ſolum ſagittarum jactu eminus pugnatum fuerat (8); nec niſi ſagitta vulneratus fuerat Saul. Hebræus (9): *Et ecce currus, & domini equitum, qui jungebant ſe eis*. Accipi hæc poſſunt de curru cum auriga. Utrum adhuc equites in uſu eſſent, ignoro. Currum autem aſcendebat bellator unus, atque ipſe auriga, vel *dominus equorum* belli peritiſſimus erat. De curribus militaribus vide quæ alibi diſſeruimus (10).

℣. 9. Quoniam tenent me angustiæ. Confoſſus erat vulnere, confectuſque mœrore fuſi fugatique exercitus ſui, atque in imminenti diſcrimine, ut ab hoſtibus caperetur. Hebræus (11): *Quia lorica me retinet*. Gladio me ferire non poſſum, prohibente lorica. Lorica autem armatus fuiſſe creditur linea, quæ in uſus belli familiariſſima erat apud Veteres. Spiſſæ autem texebantur, & coquebatur ex aceto linum vel lana, quo conficiendæ erant, ut vulnere penetrari non poſſent. Porro levitate ſua multo aptiores erant ad uſum, quam loricæ ex metallo. Norant id generis arma noſtri etiam Galli, quia & uſum illorum & nomen etiam ab Orientalibus in itineribus ſuis Tranſmarinis accepiſſe videntur. Appellabant enim *Gambiſon*, vel *Gambais*, quæ vox non diſtat *a Chabaz* Hebræorum. Erat hæc lorica acu interpuncta, lana ex aceto coacta ſufferta (12), cujuſmodi genus apud nos *feltro*, apud Vulpianum (13) *Coactile* appellatur. Olim Macedones loricam ex triplicata tela compactam ferebant. Loricas ferreas vel æneas (14) alio nomine, quam quod hic legitur, deſignant Hebræi. Septuaginta (15): *Quoniam occupaverunt me tenebræ graves*; quaſi ſcilicet mortis horrorem innueret.

℣. 10. Sciebam quod vivere non poterat; noram inevitabilem illi mortem a Philiſtæis imminere; ſeu potius, ipſum ſibi necem inferre ſtatuiſſe, ne in manus hoſtium incideret. Hoc autem ſedulo animadvertit Amalecita, metuens ne facinus ſuum a Davide improbaretur.

Tuli diadema. Hebræus (16): *Coronam quæ ſuper caput ejus*. Vitta erat linea, alba vel colorata, quæ genuina eſt ſignificatio vocis *diadema*. Obtinebant tunc quidem e metallo coronæ (17): ſed tunc Saul nonniſi diademate redimitus erat. Ex aliis Scripturæ locis patet, Reges in prælium profectos, Regiis, quibus diſtinguerentur, inſignibus non caruiſſe (18). Sunt qui credant, Amalecitam hunc, quem filium Doegi gratis prorſus eſſe ajunt, accepiſſe a patre ſuo diadema Saulis, deferendum Davidi, cujus indignationem merito verebatur. Contendunt, nonniſi per mendacium aſſeruiſſe illum, ſe Regio cadaveri diadema detraxiſſe (19). Sed nihil prohibet, quin tum Saul diadema ſuum habuerit. Porro Philiſtæi in medio hoſtilis exercitus Regem agnoverant; aſſeritque Scriptura (20): *Totum pondus prælii verſum eſt in Saul*.

Et armillam de brachio illius. Armillæ ornamenta erant, viris etiam, præſertim dignitate conſpicuis, familiaria. Ingens armillarum copia inter ſpolia Madianitarum collecta fuit (21). Viros, qui inſigni aliquo facinore in prælio claruerant, armillis aureiſque corollis Romani interdum donabant (22).

℣. 11. Apprehendens David vestimenta sua scidit. Argumentum doloris, apud omnes æque gentes commune (23).

Tum pius Æneas humeris abſcindere veſtem,
Auxilioque vocare Deos, & tendere palmas.

℣. 16. Sanguis tuus super caput tuum. Quem effudiſti ſanguinem, ille damnationis tuæ ſententiam ſignat. Pœna & ultio hujus ſanguinis hodie in caput tuum recidat. Vel potius: Sanguis tuus, mors tua tibi adſcribatur. Judæi de Jeſu Chriſto agentes precantur (24): *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros*. Totam ſupplicii hujus pœnam in nos accipimus; culpæ noſtræ ſit, ſi innocens damnatur. Vero propius eſt, Amalecitam hunc mortem Sauli revera non intuliſſe, ſed de facinore illo gloriatum eſſe. Affirmanti autem, nihil ulterius percunctatus, credere potuit David. Crimen ille morte dignum admiſerat. In ea autem re David, jam Rex Iſraelis initiatus, atque a pluribus ex populo conſecratus, jus habebat ulciſcendi necem Sauli illatam, publico totius Reipublicæ Hebræorum, ac humanæ ſocietatis nomine, cum præſertim res eſſet de Amalecita, homine anathemati devoto. Sed privatæ etiam erant cauſæ, quæ Davidem in ſontem excitarent; ſecuritas enim propria, probri timor, & exemplum ſuis proponendum, ne parceret, imperabant. Tacitus, narrata ultione a Vitellio exacta de interfectoribus Galbæ, ait libro 1. *Non honore Galbæ, ſed tradito Principibus more munimentum in præſens, in poſterum ultionem*. Conſulendum Davidi fuerat honori ſuo, ne crederetur, gratum ſibi accidiſſe Regis interitum; res etiam ejus poſcebant, ut late univerſo Iſraeli demonſtraretur, manus ipſum habuiſſe ejus criminis inſontes, ſeſeque ultionem de parricida expetiiſſe.

℣. 18. Præcepit ut docerent filios Judæ Arcum. Lugubri illo cantico, in honorem Saulis & Jonathæ compoſito, nomen indidit *Arcum*; laudabat enim potiſſimum arcus & ſagittas utriuſque Principis (25): *Sagitta Jonathæ nunquam rediit retror-*

(1) ℣. 5. (2) ℣. 13. (3) Hebr. in Lyr. (4) Geneſ. XXXVI. 12. (5) 1. Reg. XXXI. 8. (6) נשען על חניתו Ἐπεστήρικτο ἐπὶ τὸ δόρυ αὐτοῦ. (7) 1. Reg. XXXI. 4 ויקח את החרב (8) Ibid. ℣. 3. (9) והנה הרכב ובעלי הפרשים הדביקהו (10) 1. Reg. XIII. 5. Et diſſertationem de re Militari Hebræorum. (11) כי אחזני השבץ Creditur שבץ idem eſſe ac חבץ Vide Exod. XXVIII. 39. Aqu. Σφιγκτήρ, Stringens. (12) Vide Du Cange, Obſervation ſur Ville-Hardouin n. 88. & Obſervation pag. 74. 75. ſur la pag. 46. de l'Hiſtoire de S. Louis; & Nicetam in vita Iſaaci Imperatoris. (13) Lib. 25. §. D. de Auro Argen. (14) 1. Reg. XVII. 5. שריון (15) Ὅτι κατέσχε με σκότος δεινόν. (16) הנזר אשר על ראשו (17) 2. Par. XX. 2. & Exod. XXVIII. 36. (18) 3. Reg. XXII. 30. (19) Vide Toſt. & Salian. & Menoch. (20) 1. Reg. XXXI. 3. (21) Num. XXXI. 50. (22) Vide Plin. lib. 33. c. 2. Livius Decad. 1. c. 10. Valer. Max. lib. 3. c. 2. (23) Æneid. V. (24) Matth. XXVII. 25. (25) Separ. Sanct. Mart.

retrorſum &c. Numeris adſtricta quædam Veterum ſcripta occurrunt, quibus id generis nomina præfixa ſunt. *Clypeus* appellatur carmen Heſiodi, quo Herculis clypeus deſcribitur. Ejuſdam nominis eſt aliud Theocriti, qui & alteri nomen indidit *Tibiæ*. Simmias Rhodius ſcripſit *Allium*, *Ovum*, *Securim*.

Interpretum quidam (1) Textum hunc aliter reddunt: *Præcepit David ſuis, ut docerent Iſraelitas uſum arcus*, ut ſcilicet Philiſtæis reſiſtere, & reparare jacturam præcedentium bellorum poſſent. Priorem tamen interpretationem prætulerim. Canticum illud datum cenſet Grotius, ut eo in bellis uterentur. Nomen *Arcus* omiſſum eſt hic a Septuaginta (2): *Dixit ad docendum filios Juda; Ecce ſcriptum eſt &c.*

Scriptum est in Libro Justorum. Ex hoc Textu oſtenditur, harum rerum Scriptorem diu poſt rem geſtam vixiſſe; neque enim vetuſtiorem Authorem, utpote quem non haberet, laudare potuiſſet. Quis fuerit is Liber Juſtorum, alibi expendimus (3). Cæterum mos lugubrium iſtorum carminum, quibus laudes illuſtrium mortuorum celebrantur communis eſt in Scriptura, cujus tamen vetuſtiſſimum exemplum hic occurrit. Brevi poſt, alterum ſcripſit David, ſed minus ſolemne, in laudem Abneri (4). Perſimili nænia luxit Jeremias obitum Joſiæ (5). Superſunt adhuc Jeremiæ Lamentationes: qui pares etiam ſcripſit, Moabitarum caſum illacrymans (6). Ezechiel deploravit mala Iſraelitarum (7), Tyriorum (8), & Regis Tyri (9). Recitat Homerus elogium funebre Patrocli ab Achille recitatum (10), & alterum Hectoris ab Hecuba & Andromache (11). Porro carminis hujus Davidici ſtylus eſt ſublimis, phraſis Poetica & elegans, cui par apud cultiſſimos Scriptores vix invenias.

Et ait: Considera, Israel, pro his qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati. Deſunt hæc, in Hebræo, & Chaldæo; nec leguntur in Textu Verſionis S. Hieronymi (12), atque in Septuaginta. Verſio ſunt eorum quæ legimus initio verſiculi ſequentis.

℣. 19. Inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt: Quomodo ceciderunt fortes? Hebræus (13): *Decor Iſrael*, vel gloria Iſrael, vel *hinnulus Iſrael vulneratus eſt*, ſeu confoſſus, *ſuper excelſis tuis. Quomodo ceciderunt potentes?* Nomine hinnuli Iſraelis indicantur hic Saul ejuſque liberi, qui in montibus Gelboe ceciderunt. Aquila (14): *Et ait: Conſidera Iſrael ſuper mortuos, quos amiſiſti: quomodo ceciderunt fortes?* Septuaginta (15): *Erige monumentum*, vel columnam, *in memoriam defunctorum tuorum, qui in excelſis tuis occiſi ſunt. Quomodo ceciderunt potentes?* Commode etiam redditur Hebræus: *O decus Iſrael!* Princeps *ſuper excelſis tuis vulneratus eſt. Quomodo ceciderunt potentes?* Alloquitur per apoſtrophen regionem, vel filias Iſraelis. Chaldæus: *Steterunt ſuper Iſrael; ſuper domum fortitudinum veſtrarum elevati ſunt occiſores; quomodo occiſi ſunt fortes?* Denique exponi poteſt cum Syriaco, & Arabico: *O cerve Iſrael! ſuper colles tuos occiſi ſunt.* Cervi ſeu hinnuli ſimilitudo apud Veteres honeſtiſſima eſt. Ipſe David gratias Deo agit, quod levitatem ac pernicitatem cervi ſibi conceſſerit (16). Sponſa non raro Sponſum comparat *hinnulo cervorum* (17).

℣. 20. Nolite annuntiare in Geth . . . . ne forte lætentur filiæ Philisthiim. Prævidebat David ludibria & probra, quæ cadaveri & memoriæ Saulis imminerent a Philiſtæis, quantoque plauſu mulieres & filiæ ejus gentis delatum ad ſe ejus rei nuncium excepturæ eſſent. Mira hujus ſententiæ expreſſio graphice pingit quanto Saulis ac Jonathæ amore David teneretur. Scriptionum hujus generis pretium in eo ſitum eſt, ut phraſibus ac ſententiis ingenioſis, audacibus, vividis ſcateant.

℣. 21. Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos. Vividis hiſce coloribus mirifice pingitur horror & indignatio. Fabula eſt, quod alii ſancte affirmant (18), hos montes olim uberrimos, ad has imprecationes ſterilitate inhorruiſſe; conſtat enim, fertiles eſſe vel ſteriles, non minus quam cæteri ejus agri, pro ſoli natura & Solis aſpectu. Conſtat tamen, eam regionem inter ejus provinciæ uberrimas numerari (19).

Neque sint agri primitiarum. Colebantur eorum montium latera, pomaque producebant, uvas, olivas. Nullos deinceps fructus promatis, nec ullus unquam ex fructibus hiſce veſtris Domino offeratur. Alia etiam interpretatione totus verſiculi hujus Hebræus redditur (20): *Montes Gelboe, nec ros nec pluvia cadat ſuper vos, nec ſuper excelſa veſtra.* Sed Vulgatæ interpretatio, quam & Septuaginta ſequuntur, præferenda eſt.

Quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo. Non hic exprobrat David Sauli, quod clypeum projecerit, id enim ignominioſum eſſet militi; ſed deplorat caſum hujus Principis, qui clypeum ſuum permittere manibus Philiſtæorum coactus eſt. Quod utique amicis illius perpetuo lugendum erat. Apud Germanos (21) *Scutum reliquiſſe, præcipuum flagitium; aut ſacris adeſſe, aut concilium inire ignominioſo nefas.* Lacæna mater proficiſcenti in bellum filio clypeum tradens, monuit: Ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς, *Aut cum hoc, aut in hoc*; is enim obtinebat mos, ut cadavera occiſorum in prælio ipſorum clypeo impoſita referrentur (22).

. . . At ſocii multo gemitu lacrymiſque
Impoſitum ſcuto referunt Pallanta ſequentes.

Hebræum reddunt quidam (23): *Quia clypeus fortium ibi abjectus fuit, clypeus Saul, quaſi* clypeus iſte *non eſſet unctus oleo.* Scitum eſt, olim clypeos corio tectos (24) liniri oleo conſueviſſe: ſed animadverſio iſta hic inepta eſt. Mentem Davidis graviora plane occupant. Ungi oleo phraſis eſt, qua Rex ſignificatur. Porro multo magis dolendum ac probroſum erat, clypeum Principis apud hoſtes cernere, quam gregarii militis ſcutum. Hoc luget David. Denique non inepte redditur: *Clypeus fortium, Saul ipſemet clypeus, quaſi non eſſet unctus oleo.* Reges olim appellabantur clypeus, protectio, & gentis ſuæ præſidium. Vide Pſalmum xlvi. 9. Oſee iv. 18.

℣. 22. A sanguine interfectorum, et ab adipe fortium, sagitta Jonathæ nunquam abiit retrorsum. Ea phraſis *ab adipe militum* vel *fortium*, innuere videtur viros ſelectiſſimos, *adeps* enim frequenter uſurpatur pro optimo & eximio, ut adeps frumenti (25), terræ adeps. Maluerim ego tamen accipere de interioribus vitalibuſque partibus corporis, quas pervadebant emiſſæ ab Jonatha ſagittæ, quippe quæ vel ad intimas corporis partes penetrarent.

Gladius Saul non est reversus inania. Ter-

(1) Vat. Munſt. Jun. Cornel. Menoch. Eſt. (2) Καὶ εἶπε τοῦ διδάξαι τοὺς υἱοὺς Ἰούδα. Ἰδοὺ γέγραπται ἐπὶ βιβλίου τοῦ Εὐθοῦς. (3) Vide Joſue x. 13. (4) 2. Reg. iii. 33. (5) 2. Reg. xxxv. 25. (6) Jerem. xlviii. 31. (7) Ezech. xix. 1. (8) Ezech. xxvii. 1. (9) Idem xxviii. 11. (10) Homer. Iliad. T. (11) Iliad. X. (12) Vide tom. 1. nov. Edit. S. Hieron. pag. 365. (13) הצבי ישראל על במותיך חלל איך נפלו גבורים (14) Καὶ εἶπεν ἀκρίβωσαι Ἰσραήλ, ὑπὲρ τῶν τεθνεώτων σου τραυματιῶν, πῶς ἔπεσαν δυνατοί. (15) Στήλωσον Ἰσραὴλ ὑπὲρ τῶν τεθνηκότων ἐπὶ τὰ ὕψη σου τραυματιῶν. πῶς ἔπεσαν δυνατοί. (16) Pſalm. xvii. 34. (17) Cantic. ii. 9. 17. viii. 14. (18) Vide Raban. & Gloſſ. ordin. (19) Vide Brocard. Jacob. de Vitri. Menoch. (20) הרי הגלבע אל טל ואל מטר עליכם ושדי תרומות (21) Tacit. de Morib. German. (22) Virgil. Æneid. x. Vide Sanct. hic. (23) Vide Rabb. Salom. Munſt. Vat. Piſc. (24) Vide Iſai. xxi. 5. (25) Pſalm. lxxx. 17. cxlvii. 14.

gorem & mortem eo tulit, quo gladium, Nullum vulnus irritum cecidit (1).

Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, & noſtro ſequitur de vulnere ſanguis,

℣. 23. DECORI IN VITA SUA, IN MORTE QUOQUE NON SUNT DIVISI. Sacrum mutui amoris vinculum, Jonathan inter & Saulem, celebrat hic David, ut virtutem amici ſui magis magiſque commendet. Norat Jonathas ſimul probi filii, verique ac fidelis amici officium; atque utriuſque jura ſancte tuebatur: obſequio in patrem non defuit, nec tamen participem ſe paternæ invidiæ in Davidem dedit: jura amicitiæ cum Davide ſancta ſervavit, nec tamen ejus partes in patrem unquam deſendit. Animo ſuo obtemperavit, dum amico gratificabatur; patri impendit quod & ratio & natura a filio poſtulabant. Reddi poteſt Hebræus (2): *Saul & Jonathas amici & amabiles in vita ſua, morientes quoque ſe invicem non ſejunxerunt*. Oppoſitio, quam duo hujus verſionis membra ferunt, eamdem verſionem nobis probat.

℣. 24. QUI VESTIEBAT VOS COCCINO IN DELICIIS. Hebræus (3): *Qui veſtiebat vos ſchani cum deliciis*. In Exodum xxv. 4. probavimus, *Schani* vermiculum eſſe, cujus ſanguine purpura tingitur. Porro Saul ſplendidas & nobiles veſtes parabat puellis Iſraeliticis, tum victoriis quas referebat, cum copia & opibus, quibus regionem ſuam ditabat. Lucubrationis ſuæ characterem ubique multa arte tuetur David: milites invitat, militaria proponens; puellas Iſraeliticas provocat ad luctum Saulis, iis propoſitis quæ in deliciis ſunt mulierum, & quibus illæ maxime occupantur.

℣. 26. AMABILIS SUPER AMOREM MULIERUM. Plus ego te diligo, quam proci perditiſſimi puellas. Vel potius: Plus ego te, quam uxor maritum, mater filios. Hebræus (4) & Septuaginta: *Mirabilis fuit amor tuus mihi præ amore mulierum*. Chaldæus: *Mirabilis fuit dilectio tua mihi præ dilectione duarum uxorum*. Tenero magis amore te diligo, pluris æſtimo; amor quo me diligebas, me pariter in te rapit, ac transfert; ad quem nunquam animum converto, quin ingenuitatem animi tui admirer.

SICUT MATER UNICUM AMAT FILIUM, ITA EGO TE DILIGEBAM. Expoſitio eſt præcedentis; deeſt autem in Hebræo, in Græco, Septuaginta, & Verſione S. Hieronymi.

Si quis fidei oculis Saulem intueatur, expreſſum videat in Saule tremendum Dei juſte punientis exemplum, vivamque imaginem Judaicæ reprobationis. Electus a Deo Saul in principem populi ſui, Prophetæ manu conſecratus, idemque pariter aliquandiu Spiritu Dei afflatus, prophetiæ dono præditus, pluribus victoriis glorioſus; denique a Deo deſeritur, totumque ſe permittit ambitioni, ſuperbiæ, crudelitati; Davidem, cujus plurima erant in ſe beneficia, generum ſuum, Iſraelis propugnaculum, hoſtium terrorem, ita inſectatur, ut vel univerſum Iſraelem in miſerum armet, ac propriis illum manibus configere conetur. Quid vero hiſce coloribus exhibetur, niſi ea quæ Hebræi Jeſu Chriſto intulerunt? Illi, gens electa, & Deo in deliciis habita præ cæteris Orbis nationibus, a Prophetis edocta, depoſito ſacrorum myſteriorum donata, plurimiſque aliis nominibus illuſtris, merito tamen pervicaciæ & ambitionis ſuæ a Domino reprobantur, ac deſeruntur. Jeſus Chriſtus, Davidis imagine expreſſus, vix inter homines fuit, prodigiorum virtutiſque ſuæ gloria ejus populi admirationem pariter & invidiam excitavit. Mala hac æmulatione ſtimulante, Divinum hunc hominem infeſtiſſimo odio inſectantur, nec ceſſant, donec cruci ſuſpendant. Quemadmodum autem Saul quietus vixit, ac votorum ſuorum compotem ſe eſſe credidit, cum extorrem egit Davidem a patria, & apud alienos perfugam; ita pariter Judæi neci traditum Jeſum Chriſtum cernentes, ejectoſque Diſcipulos, Religionis & Eccleſiæ ſuæ exitium non verebantur; erroris illorum perpetui atque æternæ deſperationis argumentum. Romani a Deo armati, horrendum illorum crimen ulturi, Templum evertunt, totamque late diſſipant gentem, ac diſſipatæ reliquias in eam conditionem redigunt, ut nemo iis miſerior viliorque inter homines habeatur. In exilio ſuo David Regnum aſſequitur, ejuſque adverſarius Saul a Deo æque & a ſuis deſertus, necem inferre ſibi cogitur, ejuſque poſteri Davidis clementiam imploratum vel inviti veniunt.

Cum autem Veteris Teſtamenti hiſtoriæ fere omnes duplicem referant imaginem, altera ad Vetus, altera ad novum pertinet; *illa* typus eſt Jeſu Chriſti, hæc vero Judæorum. Saul, quamquam potiſſimum referre videtur imaginem reprobatæ Synagogæ, veſtigia tamen offert nonnulla ſimilitudinis cum Jeſu Chriſto. Lineamenta hæc omnia ſedulo collegit Beda Venerabilis (5). Miſſus a patre Saul, ut aſinas quærat, Rex gentis ſuæ eligitur: Jeſus Chriſtus inter homines naſcitur, ut homines crimine & errore palantes reducat; accipit autem a Deo imperium in omnes totius mundi gentes, ex quibus Eccleſiam ſuam cogit. Saul inter cæteros gentis ſuæ toto capite eminet; Jeſus Chriſtus multo ſuperat filios hominum, quorum naturam ſumpſit. Denique Saul animi modeſtia fugiens latuit, cum in Regem ſalutandus quæreretur: Jeſus Chriſtus, cum Judæi Regnum illi deferre vellent, delituit (6), ac fuga ſeſe illis ſubripuit, cum multo potiori, ac minime humano Regno potiretur (7).

Amabilis Jonathæ indoles in ejus amorem omnes rapiebat, qui virum noſſent; nihil liberalius, nihil conſtantius, nihil ſanctius, ardentius nihil, quam ejus erga Davidem amor. Nemini magis quam illi utile fuiſſet Davidis exitium, æmuli ſui ad Regnum: ut Davidis res augebantur, ita Jonathas decreſcebat. Vix agnita Davidis virtute, illi ſe inviolabili amicitiæ nexu adſtrinxit. Quin & certior factus, deſtinari illum a Deo in Regem, rerum ſuarum ſtatim obliviſcitur, nihilque vel minimum molitur, ut æmulum ſuum excludat; & cum tam gravis tantique momenti res verſaretur inter ipſos, nihil tamen de priſtino erga Davidem amore remiſit. Nec deerant Jonathæ dignæ Rege virtutes, magnanimitas, ſtrenuitas; ſed hiſce omnibus prævaluit viri æquitas & religio. Humanitate & comitate vicit omnes, atque omnia pariter implevit officia erga patriam, patrem, amicum, religionem. Grotius (8) paucis viri elogium complectitur: *Jonathas fortis, comis, minime ambitioſus. Talis ferme Germanicus.*

(1) Æneid. XII. ℣. 50. (2) שאול ויהונתן הנאהבים והנעימים בחייהם ובמותם לא נפרדו Septuag. Ἠγαπημένοι, καὶ ὡραῖοι, οἱ διακεχωρισμένοι ... ἐν τῇ ζωῇ αὐτῶν, καὶ ἐν τῷ θανάτῳ αὐτῶν οὐ διεχωρίσθησαν. (3) המלבישכם שני עם עדנים (4) נפלאתה אהבתך לי מאהבת נשים Septuag. Ἐθαυμαστώθη ἡ ἀγάπησίς σου ἐμοὶ ὑπὲρ ἀγάπησιν γυναικῶν. (5) Vide Bedam lib. 2. in Samuel cap. 3. (6) Joan. VI. 15. (7) Joan. XVIII. 36. (8) Grot. in 1. Reg. XIV. 1.

C A-

CAPUT II.

David Oraculum conſulens, Hebronem venire jubetur, ubi Rex Juda conſecratur. Iſboſeth agnoſcitur a reliquis Tribubus Iſraelis in Regem. Prælium inter exercitum Davidis, duce Joabo, & Iſboſethi, duce Abnero. Aſael obit.

℣. 1. IGitur poſt hæc conſuluit David Dominum, dicens: Num aſcendam in unam
de civitatibus Juda? Et ait Dominus ad eum: Aſcende. Dixitque David:
Quo aſcendam? Et reſpondit ei: in Hebron. 2. Aſcendit ergo David, & duæ uxo-
res ejus, Achinoam Jezraelites, & Abigail uxor Nabal Carmeli: 3. Sed & viros,
qui erant cum eo, duxit David ſingulos cum domo ſua: & manſerunt in oppidis He-
bron. 4. Veneruntque viri Juda, & unxerunt ibi David, ut regnaret ſuper domum
Juda. Et nuntiatum eſt David, quod viri Jabes Galaad ſepeliſſent Saul. 5. Miſit er-
go David nuntios ad viros Jabes Galaad, dixitque ad eos: Benedicti vos a Domino,
qui feciſtis miſericordiam hanc cum domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum. 6. Et
nunc retribuet vobis quidem Dominus miſericordiam, & veritatem: ſed & ego red-
dam gratiam, eo quod feciſtis verbum iſtud. 7. Conſortentur manus veſtræ, & eſto-
te filii fortitudinis: licet enim mortuus ſit dominus veſter Saul, tamen me unxit do-
mus Juda in regem ſibi. 8. Abner autem filius Ner, princeps exercitus Saul, tulit
Iſboſeth filium Saul, & circumduxit eum per caſtra, 9. Regemque conſtituit ſuper
Galaad, & ſuper Geſſuri, & ſuper Jezrael, & ſuper Ephraim, & ſuper Beniamin,
& ſuper Iſrael univerſum. 10. Quadraginta annorum erat Iſboſeth filius Saul, cum
regnare cœpiſſet ſuper Iſrael, & duobus annis regnavit: ſola autem domus Juda ſe-
quebatur David. 11. Et fuit numerus dierum, quos commoratus eſt David, impe-
rans in Hebron ſuper domum Juda, ſeptem annorum, & ſex menſium. 12. Egreſ-
ſuſque eſt Abner filius Ner, & pueri Iſboſeth filii Saul, de caſtris in Gabaon. 13.
Porro Joab filius Sarviæ, & pueri David egreſſi ſunt, & occurrerunt eis juxta piſci-
nam Gabaon. Et cum in unum conveniſſent, e regione ſederunt: hi ex una parte
piſcinæ: & illi ex altera. 14. Dixitque Abner ad Joab: Surgant pueri, & ludant
coram nobis: Et reſpondit Joab: Surgant. 15. Surrexerunt ergo, & tranſierunt nu-
mero duodecim de Beniamin ex parte Iſboſeth filii Saul, & duodecim de pueris Da-
vid. 16. Apprehenſoque unuſquiſque capite comparis ſui, defixit gladium in latus
contrarii, & ceciderunt ſimul: vocatumque eſt nomen loci illius: Ager robuſtorum,
in Gabaon. 17. Et ortum eſt bellum durum ſatis in die illa: fugatuſque eſt Abner,
& viri Iſrael, a pueris David. 18. Erant autem ibi tres filii Sarviæ, Joab, & Abi-
ſai, & Aſael: porro Aſael curſor velociſſimus fuit, quaſi unus de capreis, quæ mo-
rantur in ſilvis. 19. Perſequebatur autem Aſael Abner: & non declinavit ad dexte-
ram, neque ad ſiniſtram omittens perſequi Abner. 20. Reſpexit itaque Abner poſt
tergum ſuum, & ait: Tune es Aſael? Qui reſpondit: Ego ſum. 21. Dixitque ei Ab-
ner: Vade ad dexteram, ſive ad ſiniſtram, & apprehende unum de adoleſcentibus,
& tolle tibi ſpolia ejus. Noluit autem Aſael omittere, quin urgeret eum. 22. Rur
ſumque locutus eſt Abner ad Aſael: Recede, noli me ſequi, ne compellar confodere
te in terram, & levare non potero faciem meam ad Joab fratrem tuum. 23. Qui
audire contempſit, & noluit declinare: percuſſit ergo eum Abner averſa haſta in in-
guine, & transfodit, & mortuus eſt in eodem loco: omneſque, qui tranſibant per
locum illum, in quo ceciderat Aſael, & mortuus erat, ſubſiſtebant. 24. Perſequen-
tibus autem Joab, & Abiſai fugientem Abner, ſol occubuit: & venerunt uſque ad
collem aquæductus, qui eſt ex adverſo vallis itineris deſerti in Gabaon. 25. Con-
gregatique ſunt filii Beniamin ad Abner: & conglobati in unum cuneum, ſteterunt
in ſummitate tumuli unius. 26. Et exclamavit Abner ad Joab, & ait: Num uſque
ad internecionem tuus mucro deſæviet? an ignoras, quod periculoſa ſit deſperatio?
uſquequo non dicis populo, ut omittat perſequi fratres ſuos? 27. Et ait Joab: Vi-
vit Dominus, ſi locutus fuiſſes, mane receſſiſſet populus perſequens fratrem ſuum.
28. Inſonuit ergo Joab buccina, & ſtetit omnis exercitus, nec perſecuti ſunt ultra Iſ-
rael, neque iniere certamen. 29. Abner autem, & viri ejus abierunt per campe-
ſtria tota nocte illa: & tranſierunt Jordanem, & luſtrata omni Bethoron venerunt ad

Digitized by Google

caſtra. 30. Porro Joab reverſus, omiſſo Abner, congregavit omnem populum: & defuerunt de pueris David decem, & novem viri, excepto Aſaele. 31. Servi autem David percuſſerunt de Beniamin, & de viris, qui erant cum Abner, trecentos ſexaginta, qui & mortui ſunt. 32. Tuleruntque Aſael, & ſepelierunt eum in ſepulchro patris ſui in Bethlehem: & ambulaverunt tota nocte Joab, & viri, qui erant cum eo, & in ipſo crepuſculo pervenerunt in Hebron.

℣. 1. NUM ASCENDAM IN UNAM DE CIVITATIBUS JUDA? Poſt Saulis mortem, cenſuit David veniſſe tempus, quo fides promiſſionum impleretur, ſibique urgendum eſſe jus ad Imperium Juda, æmulos præveniendos & in partes ſuas pertrahendos tum gentiles ſuos, cum reliquas omnes Tribus Iſraelis. Deus, qui Principem populi ſui Davidem elegerat, illi neque tempus, neque rationem rei explendæ revelaverat: quam vero collocaverat in Divinis hiſce promiſſionibus, fiducia neque ſegnem illum reddidit, nec otioſum; qui una cum Providentiæ conſiliis ſibi agendum eſſe arbitratus eſt. Nihil tamen aggreſſus eſt, niſi prius conſulto Domino per Ephod, quo Abiathar induebatur.

IN HEBRON. Hebron erat urbs tunc munitiſſima, & inter ampliſſimas in Tribu Juda, in ipſo veluti medio ejuſdem Tribus ſedens. Jeruſalem adhuc ab Jebuſæis tenebatur.

℣. 3. MANSERUNT IN OPPIDIS HEBRON. In locis huic urbi ſubditis.

℣. 4. VENERUNT VIRI JUDA, ET UNXERUNT IBI DAVID. Cæteros aliarum Tribuum prævenientes filii Juda, Davidem ſalutarunt in Regem, quæ cauſa fuit civilis belli in Iſraele Davidem inter & Isboſethum. Quamquam David ampliſſimo in Regnum jure inſtruebatur, nulla tamen ratione purgari poteſt hoc ejus Tribus facinus, niſi forte reputemus, ſalutaſſe illam Davidem, poſtquam cæteræ Tribus Isboſethum prætulerunt: quod tamen Hiſtoria nullibi docet. Expectandus erat aſſenſus totius Iſraelis, ut conſecraretur in Regem vir, quem Deus ad imperium populi ſui deſtinaverat. Proſpero licet ſucceſſu factum hoc filiorum Juda donatum ſit, fatendum eſt tamen, pernicioſo illud eſſe exemplo in Republica. Cæterum nunc ſecundo David Regia unctione initiatur. Cum primo a Samuele unctus eſt, jus obtinuit remotum *ad Regnum*; nunc vero *jus in Regno* acquirit.

NUNTIATUM EST DAVID, QUOD VIRI JABES SEPELISSENT SAUL. Id fortaſſe Davidi allatum eſt mala quadam æmulatione, & eodem conſilio, quod Amalecitæ perſuaſit futurum, ut præmium a Davide referret de illata nece Sauli. Vel forte David doceri voluit, quid de cadaveribus Saulis & Jonathæ actum fuerit, ut ſupremo erga illos officio non deeſſet; id enim e dignitate Saulis & e ſua erga Jonatham amicitia eſſe cenſuit.

℣. 6. RETRIBUET VOBIS DOMINUS MISERICORDIAM ET VERITATEM; ideſt, beneficium vobis rependet Dominus pro ſua miſericordia & veritate; vel miſericordiæ & veritati veſtræ in Regem mercedem Dominus retribuet: quæ poſterior interpretatio literæ propior eſſe videtur. Fides veſtra & conſtantia, ac veſtra pariter Saulis beneficiorum memoria dignum a Deo præmium referent. *Miſericordiam & veritatem*; ideſt, verum & reale beneficium; vel potius, officii plenam expletionem. Vide ſimiles loquendi phraſes in Geneſi XXIV. 27. 49. XLVII. 29. Joſue II. 14. & II. Reg. XV. 20. &c.

ET EGO REDDAM GRATIAM; ego pariter premium rependam; vel, pariter ego gratias hac mea legatione refero (1).

℣. 7. ME UNXIT DOMUS JUDA IN REGEM SIBI. Num ita alloqueretur David Jabitas, ſiquidem iſti Regem ſuum Isboſethum ſalutaſſent. Vix igitur Rex conſecratus fuit Hebrone, hoc verborum officio Jabitas proſequutus eſt, allicere illos volens in ſuas partes, ratus futurum, ut ſi illos domui Saulis addictiſſimos ſemel adduceret, ut ſibi parerent, facile eorum exemplum cæteræ Transjordanicæ gentes ſequerentur. Molimina hæc omnia Davidis irrita ceciderunt. In Mahanaim, prope Jabes, Isboſeth Regni ſui ſedem conſtituit, cui Jabitæ ſeſe inter primos addixerunt.

℣. 8. ABNER CIRCUMDUXIT EUM PER CASTRA. Abner, Dux copiarum Saulis (2), imperio aſſueverat, nec impetrare a ſe potuit, ut Davidi ſubderetur. In rem ſuam uſus eſt mala æmulatione cæterarum Tribuum in Judam, quæ unica Davidem agnoverat. Sub Isboſethi nomine, Regno jura dare moliebatur. Porro Principis hujus indoles commodiſſima erat Abnero; nullis enim Regiis dotibus inſignitus videtur. Hunc igitur Abner in caſtra, & coram populo eductum, ad Regnum evehi curavit.

Interpretum plerique (3) ita reddunt Hebreum (4): *Duxit Isboſeth, & tranſire fecit illum ad Mahanaim*. Mahanaim urbs erat Transjordanica, prope torrentem Jaboc. Norat profecto Abner, Philiſtæorum vires cis amnem ampliſſimas eſſe; quare a diſcrimine graviſſimi belli Isboſethum novum Regem ſubducendum cenſuit. Duxit igitur Principem in Mahanaim, ibique Regem Tribuum Transjordanicarum conſtituit. Quæ olim Saul contulit beneficia Jabitis Galaaditicis adverſus Regem Ammonitarum, tum & quæ præſtitit cæteris ejus regionis Iſraelitis in expeditione Moabitica, animos illorum domui Saulis devinxerant. Quam ſententiam apertiſſime propugnare videtur verſiculus 29. hujus Capitis. Cum Abner Gabaonem uſque veniſſet cum exercitu, repulſus fuit a Joabo, copiarum Davidis Imperatore, coactuſque Jordanem iterum tranſmittere, ut in Mahanaim ſeſe reſtitueret.

℣. 9. SUPER GALAAD ET SUPER GESSURI. *Galaad* uſurpatur ſæpe, neque hic facile aliter accipiendum eſt, quam pro tota Regione Transjordanica. *Geſſuri* Iſraelitis non parebat. Duæ ſunt hujus nominis regiones, alia quidem, de qua ſupra actum eſt, ad meridiem Palæſtinæ (5), inter ditionem Iſraeliticam & Ægyptum media; altera vero trans Jordanem, circa montes Hermon (6), quæ interdum Syriæ (7), Regioni proximæ, accenſetur. David uxorem habuit filiam Regis Geſſuri, ex qua natus eſt Abſalom (8). Poſtremæ hujus regionis mentio facile eſt in præſenti. Rex Tholmai tributum facile Isboſetho pendebat, a cujus partibus forte Principem illum reducturus David, unam e filiabus ejus duxit uxorem (9).

Pro *Geſſuri* Hebreus legit האשורי *Aſſuri*, quod pro ditione Tribus Aſer poſitum aliqui arbitrantur (10); occupabat autem Aſer maximam tractus plagæ ſeptentrionalis Terræ Sanctæ portionem. Alii exponunt de Aſſyriis, de quibus actum eſt in Geneſi XXV. 3. Arabiæ deſertæ regionem tenen-

[1] Ita Ludov. de Dieu. [2] I. Reg. XIV. 50. [3] Jonat. Syr. Arab. Pagn. Munſt. Jun. Piſc. &c. [4] ויעבירהו מחנים [5] Vide I. Reg. XXVII. 8. & Joſue XIII. 2. [6] Deut. III. 14. Joſue XII. 5. & XIII. 11. [7] Vide 2. Reg. XV. 8. I. Paral. II. 23. [8] 2. Reg. III. 3. [9] Tirin. [10] Ita Jonat. Jun. Piſc.

cerentibus. Septuaginta legunt *Aſeri*, vel *Θασιρί Thaſiri*, ut in Editione Romana.

Jezrael indicat facile totam vallem hujus nominis, cum vicinis urbibus.

Et super Israel universum. Non totus forte Iſrael continuo paruit Isboſetho. Sed Abner rationem denique inivit, ut omnes illi Tribus, una excepta Tribu Juda, ſubmitteret. Interim Philiſtæi victoria ſua fruebantur, pluribus Iſraelis urbibus occupatis; idque forſaſſe Isboſetho perſuaſit, ne ſedem ſuam cis Jordanem eligeret.

℣. 10. Duobus annis regnavit. Qui hæc cohereant cum Hiſtoria, teſtante, tamdiu regnaſſe Iſboſethum, quamdiu David Hebrone fuit? Cum autem David ſeptem ibi annos, & dimidium egerit, ad totum illud temporis ſpatium Regnum Iſboſethi prorogandum eſt. Sed his reponimus, Iſboſethum biennio regnaſſe in Mahanaim, ab armis Davidis quietum; tertio denique anno Abnerum tranſmiſſo amne veniſſe cum exercitu adverſus Davidem, Gabaonem uſque. Hujus expeditionis epocham, non Regni Isboſethi, innuit hoc loco Scriptura (1).

℣. 12. Egressus est, ... de castris in Gabaon; ideſt, & venit Gabaonem; ſeu potius: E Mahanaim movens, amnem tranſmiſit, ut Gabaonem veniret, Poſtrema hæc Urbs jacebat in ditione Beniamitica, ac duobus circiter leucis ab Jeroſolyma diſtabat.

℣. 14. Surgant pueri, et ludant coram nobis. Bellum nondum ſævierat inter Isboſethum, & Davidem. Abner, & Joab mutuo ſe invicem obſequio, & æſtimatione ſuſpiciebant. Id unice nitebatur Joab, ut prohiberet Abnerum, ne in ditionem Davidis penetraret. Utriuſque exercitus perſeveravit diutius in conſpectu, & ſedens, pro veteri gentium quarumdam more (2). Abner proponit Joabo ludum quemdam militarem, certamen ſcilicet inter paucos ex agmine utroque delectos. Porro certamen ejuſmodi ludum appellat; quod forte primum ſaltem illorum conſilium iſlud eſſet, ut certaminis potius ludicra imago, quam vera pugna exhiberetur. Mutuum periculum virtutis invicem facturi erant, ne ſpargeretur in vulgus, veniſſe illos tantum in conſpectum, ut ſeſe mutuo intuerentur. Agmina hæc ad certamen electa, ludo in rem ſeriam verſo, in mutuam cædem ſævierunt; ſed certamen non aliter ac ludum accipiebant viri bello, & cædibus aſſueti. Longe profecto crudeliora erant gladiatorum certamina, quæ Romani inter jucunda ſpectacula jucundiſſima diu habuerunt.

℣. 16. Apprehenso unusquisque capite comparis sui, defixit gladium in latus. Carebant hi facile galea & lorica, ſed levi tantum armatura inſtruebantur. Comam vero alter alterios apprehendentes, gladio ſibi invicem latera transfoderunt, ut nemo unus viveret. Sunt qui credant (3), cecidiſſe omnes qui ex parte Abneri ſtabant; cum nemo e militibus Joabi corruerit. Hunc etiam ſenſum admittere poteſt Textus originalis, ferens ad literam (4): *Surrexerunt duodecim de Isboſeth, & duodecim ex ſervis Davidis. Et apprehenderunt* [ſervi nempe Davidis] *vir in caput ſocii ſui, & gladius ſuus in latus ſocii ſui, & ceciderunt pariter.* At ſenſus, quem poſt Vulgatam & optimos Commentariorum Scriptores ſecuti ſumus, æquior eſt.

Ager robustorum. Hebræus חלקת הצרים *Pars fortium*, ſeu *locus lubricus lapidum*, *in Gabaon*. Lapides, quos in peram ſuam collegit David, certamen cum Goliath initurus, eodem nomine (5), quo hic locus, appellantur. Reddi etiam poſſet: *Lævor cuſpidum*, ut ſignificetur gladiorum cuſpis limata & acuta. Septuaginta: Μερὶς τῶν ἐπιβούλων, *portio inſidiantium*.

℣. 18. Velocissimus fuit, quasi unus de capreis. Inter militares dotes non infima erat curſus pernicitas. David Saulem & Jonatham eo nomine (6) commendat, quod *aquilis velociores* eſſent, *Leonibus fortiores*. Achillem, Heroem ſuum, hoc epitheto non ſemel donat Homerus: πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς, *pede levis Achilles*. Milites ſuos ad curſum veteres Romani exercebant.

℣. 21. Apprehende unum de adolescentibus, et tolle tibi spolia ejus. Si pedem referre non vis, niſi ſpoliato prius aliquo ex hoſtibus, ſpoliiſque relatis, aggredere primum quem obvium habueris militem, & ſpolia; at deſine me inſequi, ne interficere te cogar. Hebræi (7) aliter exponunt: Revertere ad tuos; neque enim vim inferre tibi volumus, quamvis medius noſtrum verſeris. Si tibi metuis, cuſtodem tibi adde militem; cui etiam ſi te credere detrectas, ſume tibi pignoris loco ejus arma ac retine, donec in tutum locum veneris. Sed Hebræus ad literam ſonat: *Apprehende unum tibi de pueris, & detrahe illi veſtem.*

℣. 22. Levare non potero faciem meam ad Joab; ne forte venire nequeam coram Joabo. Cavit Abner, ne ſibi infeſtum redderet Joabum; privatam enim tuebantur amicitiam, oppoſitas licet partes ſequerentur. Alter arma contra alterum ferre poterat, pro Rege ſuo quiſque, quamvis privatam inimicitiam nullam haberent.

℣. 23. Percussit eum Abner aversa hasta. Creditur percuſſiſſe virum non haſtæ cuſpide, ſed averſa haſtæ parte, quæ ferro præfixa erat, minus tamen, quam cuſpis, acuto. Favet huic interpretationi Hebræus (8): *Percuſſit in poſterioribus lanceæ.*

In inguine. Hebræus ad literam אל החמש *Ad quintam*; ideſt, ut creditur, ad quintam coſtam, vel ubi coſtas excipit ſtomachus: infra diaphragma, in regione inferioris ventris, vel ſub ventriculo & jecore (9). Septuaginta: In lumbis, ἐπὶ τὴν ψόαν, in coſta.

℣. 24. Venerunt usque ad collem aquæductus. Hebræus: *Venerunt uſque ad collem Ama, ad facies Giah, in via deſerti Gabaon.* Deſertum hoc Gabaonis, ager eſt incultus, ad paſcua gregum relictus. Neque enim reputandum eſt, cum deſerti nomen occurrit, deſignari ſemper locum ſterilem, ſilveſtrem, deſertum. Deſerta appellant Hebræi loca non culta, in quibus tamen ſponte arbores & herbæ in uſum paſcuorum creſcunt.

℣. 26. Num usque ad internecionem tuus mucro desæviet? Hebræus (10): *Num mucro devoravit ſemper?* Septuaginta (11): *Numquid ad victoriam comedet gladius?* An bellum eſt hoc apertum & cruentum? An proſequuturus es rem uſque ad deletos penitus hoſtes? Chaldæus (12): *Num ad ſeparationem occidet gladius?* An ſævire in nos omnes cupis? An in apertam inimicitiam erumpere?

An ignoras quod periculosa sit desperatio? Hebræus (13): *Nonne noſti, quod* [gladius vel bellum] *amarus?* Res quæ per ludum cœpit, an deſinet in odium & inimicitiam? Aliter: *Nonne noſti, amaritudinem venturam in noviſſimo?* Si perrexeris inſtare, irritabuntur noſtrorum animi, & in veſtros ſævient. Si autem eo devenerit res, integrum nobis non erit, malum, ne ulterius ſæviat,

[1] Ita Eſt. Serar. Tirin. Menoch. Cornel. Piſcat. Vat. [2] Vide nos ad 1. Reg. xvii. 48. [3] Iis Raban. & Angelom. apud Cornel. Vide & Sanct. cui hic ſenſus non diſplicet. [4] ויחזיקו איש בראש רעהו וחרבו בצד רעהו ויפלו יחדיו [5] 1. Reg. xvii. 40. [6] 2. Reg. 1. 23. [7] Vide Kimchi in Munſt. Vat. Mar. [8] ויכהו באחרי החנית Septuag. Καὶ ἔπαισεν αὐτὸν ἐν τῷ ὀπίσω τοῦ δόρατος. [9] Hebræi & Grot. Fuller. Miſcell. [10] הלנצח תאכל חרב [11] Μὴ εἰς νῖκος καταφάγεται ἡ ῥομφαία. [12] הלא פרש תקטול חרבא [13] הלא ידעת כי מרה תהיה באחרונה Septuag. Οὐκ οἶδας ὅτι πικρὰ ἔσται εἰς τὰ ἔσχατα.

viat, cohibere. Vel: Irritati milites mei animos excitabunt, & furor ac desperatio complebunt, quæ vos nimis longius provexiſtis.

℣. 27. Si locutus fuiſſes, mane receſſiſſet populus. Si citius ita monuiſſes, populus jam inde a primo mane ſeſe recepiſſet: Vel: Si hæc dixiſſes mane, populus jam remiſiſſet arma. Commode etiam redditur Hebræus (1): *Si locutus non fuiſſes* invitans: Surgant pueri & ludant coram nobis; *populus mane receſſiſſet* (2). Aliter: *Niſi locutus fuiſſes*, actum eſſet de te; viciſſim autem ſi quid dixiſſes, jam diu antea populus receſſiſſet (3).

℣. 28. Insonuit Joab buccina. Signum dedit receptus. Porro Summum Imperatorem non dedecebat olim inflato cornu vel buccina ſignum dare certaminis ineundi vel abſolvendi (4). Huic tamen muneri apud Hebræos deſtinari Sacerdotes conſueverunt.

℣. 29. Lustrata omni Beth-horon, venerunt ad castra. Seu potius, trajecto iterum Jordane, reſtituit ſeſe in Mahanaim, unde moverat, & ubi Isboſeth conſidebat. Beth-horon, de qua hic, alia eſt a Bethoron, urbe apud Scripturam notiſſima. Regio enim erat inter Gabaonem & Jordanem ſita. Hebræus legit *Bithron* pro *Bethoron*. Noti ſunt montes *Bether* vel *Bither* (5). Septuaginta legunt (6). *Campeſtrem regionem*.

(1) כי לולא דברת כי אז מהבקר נעלה העם (2) Εἰ μὴ ἐλάλησας, ὅτι τότε ἐκ πρωΐθεν ἀνέβη ἂν ὁ λαὸς ἕκαστος κατόπισθεν τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ. Ita Jonat. Mont. Munſt. Jun. Glaſſ. (3) Lud. de Dieu. (4) Vide 1. Reg. XIII. 3. & 2. Reg. XVIII. 16. XX. 1. (5) Cantic. II. 17. *Super montes Bether*. (6) Τὴν παρατείνουσαν. כל הבתרון

C A P U T III.

Abner offenſus objurgationibus Isboſethi, partes ejus deſerit, ut tranſeat ad Davidem. Neci traditur a Joabo. Luctus Davidis pro morte Abneri.

Per quinque fere annos, ab A. M. 2951 ad 2956.

℣. 1. FActa eſt ergo longa concertatio inter domum Saul, & inter domum David:
David proficiſcens, & ſemper ſe ipſo robuſtior, domus autem Saul decreſcens quotidie. 2. Natique ſunt filii David in Hebron, fuitque primogenitus ejus Ammon de Achinoam Jezraelitide. 3. Et poſt eum Cheleab de Abigail uxore Nabal Carmeli: porro tertius Abſalon, filius Maacha filiæ Tolmai regis Geſſur. 4. Quartus autem Adonias, filius Haggith: & quintus Saphathia, filius Abital. 5. Sextus quoque Jethraam, de Egla uxore David: hi nati ſunt David in Hebron. 6. Cum ergo eſſet prælium inter domum Saul, & domum David, Abner filius Ner regebat domum Saul. 7. Fuerat autem Sauli concubina nomine Reſpha, filia Aja. Dixitque Isboſeth ad Abner: 8. Quare ingreſſus eſt ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba Isboſeth ait: Numquid caput canis ego ſum adverſum Judam hodie, qui fecerim miſericordiam ſuper domum Saul patris tui, & ſuper fratres, & proximos ejus, & non tradidi te in manus David, & tu requiſiſti in me, quod argueres pro muliere hodie? 9. Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat ei, niſi quomodo juravit Dominus David, ſic faciam cum eo, 10. Ut transferatur regnum de domo Saul, & elevetur thronus David ſuper Iſrael, & ſuper Judam, a Dan uſque Berſabee. 11. Et non potuit reſpondere ei quidquam, quia metuebat illum. 12. Miſit ergo Abner nuntios ad David pro ſe dicentes: Cujus eſt terra? Et ut loquerentur: Fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum, & reducam ad te univerſum Iſrael. 13. Qui ait: Optime: ego faciam tecum amicitias: ſed unam rem peto a te, dicens: Non videbis faciem meam, antequam adduxeris Michol filiam Saul: & ſic venies, & videbis me. 14. Miſit autem David nuntios ad Isboſeth filium Saul, dicens: Redde uxorem meam Michol, quam deſpondi mihi centum præputiis Philiſthiim. 15. Miſit ergo Isboſeth, & tulit eam a viro ſuo Phaltiel, filio Lais, 16. Sequebaturque eam vir ſuus, plorans uſque Bahurim: & dixit ad eum Abner: Vade, & revertere. Qui reverſus eſt, 17. Sermonem quoque intulit Abner ad ſeniores Iſrael, dicens: Tam heri, quam nudiuſtertius quærebatis David, ut regnaret ſuper vos. 18. Nunc ergo facite: quoniam Dominus locutus eſt ad David, dicens: In manu ſervi mei David ſalvabo populum meum Iſrael de manu Philiſthiim, & omnium inimicorum ejus. 19. Locutus eſt autem Abner etiam ad Beniamin. Et abiit ut loqueretur ad David in Hebron, omnia, quæ placuerunt Iſraeli, & univerſo Beniamin. 20. Venitque ad David in Hebron cum viginti viris: & fecit David Abner, & viris ejus, qui venerunt cum eo convivium. 21. Et dixit Abner ad David: Surgam, ut congregem ad te dominum meum regem omnem Iſrael, & ineam tecum fœdus, & imperes omnibus,

ſicut

ſicut deſiderat anima tua. Cum ergo deduxiſſet David Abner, & ille iſſet in pace, 22. Statim pueri David, & Joab venerunt, cæſis latronibus cum præda magna nimis: Abner autem non erat cum David in Hebron, quia jam dimiſerat eum, & profectus fuerat in pace. 23. Et Joab, & omnis exercitus, qui erat cum eo, poſtea venerunt: nuntiatum eſt itaque Joab a narrantibus: Venit Abner filius Ner ad regem, & dimiſit eum, & abiit in pace. 24. Et ingreſſus eſt Joab ad regem, & ait: Quid feciſti? Ecce venit Abner ad te: quare dimiſiſti eum, & abiit, & receſſit? 25. Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te, ut deciperet te, & ſciret exitum tuum, & introitum tuum, & noſſet omnia, quæ agis? 26. Egreſſus itaque Joab a David, miſit nuntios poſt Abner, & reduxit eum a ciſterna Sira, ignorante David: 27. Cumque rediiſſet Abner in Hebron, ſeorſum adduxit eum Joab ad medium portæ, ut loqueretur ei in dolo: & percuſſit illum ibi in inguine, & mortuus eſt in ultionem ſanguinis Aſael fratris ejus. 28. Quod cum audiſſet David rem jam geſtam, ait: Mundus ego ſum, & regnum meum, apud Dominum, uſque in ſempiternum, a ſanguine Abner filii Ner, 29. Et veniat ſuper caput Joab, & ſuper omnem domum patris ejus: nec deficiat de domo Joab fluxum ſeminis ſuſtinens, & leproſus, & tenens fuſum, & cadens gladio, & indigens pane. 30. Igitur Joab, & Abiſai frater ejus interfecerunt Abner, eo quod occidiſſet Aſael fratrem eorum in Gabaon, in prælio. 31. Dixit autem David ad Joab, & ad omnem populum, qui erat cum eo: Scindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner: porro rex David ſequebatur feretrum. 32. Cumque ſepeliſſent Abner in Hebron, levavit rex David vocem ſuam, & flevit ſuper tumulum Abner, flevit autem & omnis populus. 33. Plangenſque rex, & lugens Abner, ait: Nequaquam ut mori ſolent ignavi, mortuus eſt Abner. 34. Manus tuæ ligatæ non ſunt, & pedes tui non ſunt compedibus aggravati: ſed ſicut ſolent cadere coram filiis iniquitatis, ſic corruiſti. Congeminanſque omnis populus flevit ſuper eum. 35. Cumque veniſſet univerſa multitudo cibum capere cum David, clara adhuc die juravit David, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi ante occaſum ſolis guſtavero panem, vel aliud quidquam. 36. Omniſque populus audivit, & placuerunt eis cuncta, quæ fecit rex in conſpectu totius populi. 37. Et recognovit omne vulgus, & univerſus Iſrael in die illa, quoniam non actum fuiſſet a rege, ut occideretur Abner filius Ner. 38. Dixit quoque rex ad ſervos ſuos: Num ignoratis, quoniam princeps, & maximus cecidit hodie in Iſrael? 39. Ego autem adhuc delicatus, & unctus rex: porro viri iſti filii Sarviæ duri ſunt mihi: retribuat Dominus facienti malum juxta malitiam ſuam.

℣. 1. FACTA EST LONGA CONCERTATIO INTER DOMUM SAUL ET INTER DOMUM DAVID. A ſecundo Regni Isboſethi anno uſque ad ſeptimum, emortualem illius, inter duos Regni Iſraelitici æmulos varie decertatum eſt. Ita hic (1) & alicubi (2) agit Scriptura, ut innuat, ſæpe ventum eſſe ad manus: horum tamen præliorum circumſtantias omnes ſilet Scriptura.

℣. 2. NATI SUNT FILII DAVID IN HEBRON. Hinc ea confirmantur quæ ſupra narrata ſunt, domum ſcilicet Davidis novis acceſſionibus in dies profeciſſe. Augebatur pariter in dies voluntas populi, apud quem magis magiſque amor & ſtudium erga Davidem invaleſcebat: augebatur etiam multo firmius ex filiorum numero, quos illi liberale Numen conceſſit: *Non legiones, non claſſes æque firma imperii munimenta, quam numerus liberorum* (3).

℣. 3. CHELEAB; alio nomine Daniel (4). Septuaginta: *Dalnia*. Græci alii Interpretes: *Abia*.

ABSALOM, FILIUS MAACHA, FILIÆ THOLMAI, REGIS GESSUR. Creditur Tholmai regnaſſe in Geſſur, regione Syriæ finitima, Damaſcum verſus. Nihil facile neglexit David eorum, quæ Lex mandat in connubiis cum alienis fœminis. Maacham non prius in thorum adſcivit, quam illa ad ſacra Judaica tranſierit. Minutas haſce circumſtantias raro exprimit Scriptura.

℣. 5. EGLA, ideſt, *juvenca*. Unam eamdemque mulierem eſſe volunt Hebræi (5) ac Micholem filiam Saulis: ſed Michol caruit liberis; hæc vero genuit Jethraamum. Denique ſacer Hiſtoricus aperte ſermonem habet de Michole inferius ℣. 13. 14.

℣. 7. QUARE INGRESSUS ES AD CONCUBINAM PATRIS MEI? Sunt qui credant, mera tantum ſuſpicione, & nulla certa ſcientia ductum Isboſethum hæc Abnero exprobraſſe. Sed Abner factum non negans, ſeſe non obſcure non levium ſuſpicionum reum eſſe demonſtrat. Novimus quid olim de homine ſentiretur, qui connubium cum vidua e Principe relicta jungeret. Adoniam auſum petere ſibi uxorem Abiſag, rogante pro illo Bethſabee matre Salomonis, Salomon nihil cunctatus neci tradidit (6), quamvis de fratre ageretur. Dicet fortaſſe quiſpiam, Adoniam affectaſſe Regnum; cui ſi Rex Abiſag uxorem conceſſiſſet, viam illi ad propoſitum aperuiſſet. Sed communi axiomate receptum erat, ne privatus nuptias viduæ Regis ambiret, neque tantum apud Hebræos (7), ſed etiam apud reliquas nationes. Perinde enim id erat ac Regnum affectare, & æmulum ſe Regi tunc rerum potienti exhibere. Vide quæ diſſeremus inferius ad caput XII. 8.

℣. 8. NUMQUID CAPUT CANIS EGO SUM ADVERSUS JUDAM HODIE? homo ſum ceu canis habendus, ego qui

(1) ויהי המלחמה ארכה (2) Vide ℣. 6. hujus Capitis. (3) Tacit. hiſt. lib. 5. apud Grot.
(4) 1. Par. III. 1. (5) Apud Lyran. (6) 3. Reg. II. 21. 22. (7) Vide ad 2. Reg. XII. 8.

qui belli molem in Judam ſuſtinui? Vel: Numquid ego ſum canum gregem ducens in Judam (1)? An mereor ego nihili & flocci ceu canum curaror baberi? Aliter: Docebo te hodie, an copiarum ſim Imperator, vel caput canum in Judam; an tranſlatum me in partes Davidis hoſtes tui flocci facturi ſint & nihili. Hodie parebit an inutilem ego operam præſtem in Judam; an negligi mereantur ea quæ commodis tuis impendi; an canis ſim, animal immundum, vile caput. Hebræus (2): *Numquid caput canis ego, quod in Judam hodie feci miſericordiam cum domo Saul?* Vel aliter: *Numquid canis Juda ego, qui feci hodie miſericordiam cum domo Saul?* Caput canis uſurpatur ſæpe pro cane; quemadmodum dicimus viginti capita hominum vel boum, pro viginti hominibus vel bobus. Canis ponitur in Scriptura pro animalium viliſſimo (3); & canis adverſariorum noſtrorum multo vilior eſt, & majori horrore dignus. Itaque illud, *Caput canis Juda*, valet: *Numquid canis ſum hoſtium tuorum*, ut adeo indigne me habeas? Septuaginta nomen Juda hic non legerunt (4): *Numquid caput canis ego ſum? Feci hodie miſericordiam cum domo Saul patris tui.* Sunt qui Hebræum ita legendum malint: *Numquid caput canis ego ſum, ut abjiciar hodie* ליהורה pro לירית.

℣. 11. Et non potuit respondere ei. Principis hujus imbecillior erat authoritas, quam ut audaciam Ducis ſui cohiberet, crimenque puniret. Tacitus de Othone (5): *Nondum authoritas inerat ad prohibendum ſcelus.*

℣. 12. Misit nuntios pro se. Reddi poſſet Hebræus ישלח תחתו: *Miſit nuntios ſtatim* (6); vel *e loco illo* (7), vel *clam* (8). Clam enim hæc omnia Davidem inter & Abnerum pertractata fuiſſe, hiſtoriæ ſeries demonſtrat.

℣. 13. Faciam tecum amicitias, An proditore uti fas erat Davidi, & cum illo fœdus componere? Abner indignas homine ingenuo artes adhibuit; David facile non ignorabat, quæ cauſa hominem alienaſſet, commodamque illi opportunitatem præbebat, ut, quam moliebatur, proditionem perficeret. An hæc citra crimen? Reponimus, nulla ratione purgari poſſe Abnerum, quod certus de electo Davide divinitus in Regem, Isboſethum ad imperium Iſraelis vocaverit: quare in caput ejus recidunt mala omnia e civili illo bello inter domum Saulis & Davidis parta, ſa pariter reum criminis prodito Isboſetho conſtituit: Davidem delicti hujus culpa non tangit. Regnum ad Davidem pertinebat; utitur jure ſuo David, rem ſuam e ſcaleſti manibus accipiens: interim nec crimen probat, nec proditionem. Nihil autem prohibebat, quominus in ſuum commodum uteretur proditore, amicitiam ſuam & æſtimationem, pro commodo quod accipiebat, erga naturales illius virtutes vel politicas, quibus forte commendabatur, illi rependeret.

Antequam adduxeris Michol. Hebræus ad literam: *Niſi reduxeris ante faciem meam Michol*; niſi illam coram me ſtatueris. Reputabat fortaſſe David, familiæ Saulis ſtudioſos facilius adducendos eſſe, ut Regem ſeſe agnoſcerent, ſi quidem filiam illius uxorem haberet. Gener Regis minus alienus a familia Regia cenſetur. Vetat quidem Lex (9), ne repudiata fœmina, quæ alteri ſe viro conjunxit, recipiatur in thorum; hæc tamen cautio ad Micholem non pertinebat, quæ libellum repudii a Davide numquam acceperat.

℣. 14. Misit ad Isboseth ..... dicens: Redde uxorem meam Michol. Famæ Abneri conſulturus David, occaſionem cum illo colloquendi parat commodam, reducta Michole; prævenitque ſimul vim omnem, qua forte Abner uſurus fuiſſet, Micholem e thoro viri ſui rapiens; illam enim ab Isboſetho ipſe David requiſivit.

℣. 15. Phaltiel filio Lais. Septuaginta: *Filio Sellem*, vel *Selles*.

℣. 18. Dominus loquutus est ad David; Dominus Davidem alloquutus eſt; ſeu potius: Dixit, de Davide verba faciens (10). Ita pariter uſurpat Apoſtolus (11): *Ad Angelos dixit*, pro, *Dixit de Angelis*; & alibi (12): *Ad quem nobis ſermo*, pro, *De quo nobis ſermo*. Divinæ hujus promiſſionis ad Davidem nec tempus, nec occaſionem, nec locum legimus in Scriptura; ſed quam multa alia in Libris Sacris omittuntur?

℣. 21. Ineam tecum fœdus. Hebræus (13): *Ineant tecum fœdus*. Codices quidam Latini (14), Hebræo cohærentes, legunt: *Ineant*.

℣. 26. Reduxit eum a cisterna Sira. Miſit Joab viros, qui Regis nomine Abnerum revocarent; rediit autem e ciſterna, vel puteo Sira. Notus eſt locus quidam Sira, vel Seira, in plaga meridionali Tribus Ephraimi, quo Aod, interfecto Eglone, ſeceſſit. Sed loci illius nomen aliter atque hic præſens locus, ſcribitur. Vide quæ alibi diſſeruimus (15). Ciſternam Sira xx. ſtadiis ab Hebrona removet Joſephus (16).

℣. 27. Ad medium portæ. Facile ad locum, ubi populi conventus habebatur, ad Urbis portam. Septuaginta (17): *A latere portæ*. Seorſum, inter duas portas.

Ut loqueretur ei in dolo. Hebræus (18): *Ad loquendum cum eo in quiete*, ſecreto. Aliter: *Ad loquendum cum eo in errore*, qui nihil ſiniſtri de ſe ſuſpicaretur. Doloſe illum alloquutus eſt.

In inguine; ibi ſcilicet, ubi Abner vulneravit Aſaelem. Vide ſupra 1. 23. Cernis hic Joabi ingenium. Paria poſt aliquod tempus intulit Amaſæ (19). Hic neque famam, neque religionem verebatur, quippe cui ambitio eſſet pro Numine.

℣. 28. Mundus ego sum, et regnum meum. Deum teſtor, nulla me culpa hujus cædis aſpergi. Abſit, ut regnum mihi ſanguina, & proditione pariam. Ne quis ambitioni meæ crimen hoc deputet; neque Deus in meum ac ſubditorum meorum caput pœnam hujus delicti convertat.

℣. 29. Fluxum seminis sustinens. Id genus hominum immundum lex pronunciabat (20), & infamiæ notam incurrebat in regione. Steriles erant, nec gignere poterant liberos, ingens pro ætate illa maledictum. Aquila reddit Hebræum *Zab* זב *Cæcum* (21).

Tenens Fusum. Phraſis eſt proverbio ſimilis, exprimens hominem effœminatum, qui melius fuſum, quam arma tractet. Hebræum (22) reddunt quidam: *Tenens ſcipionem* (23); claudi, debiles, quibus impar ad gradiendum vis eſt abſque baculo; vel cæci, qui tentantes baculo incedunt (24); vel leproſi, qui olim crepitacula gerebant, ut diſtinguerentur a cæteris (25); vel eunuchi, quos fuſus & tela occupant (26).

Inopi-

(1) Ita Rabb. Kim. Jarchi, alii; Vat. Munſt. (2) הראש כלב אנכי אשר ליהודה היום אעשה חסד עם בית שאול (3) 1. Reg. xxiv. 15. & 2. Reg. ix. 8. xvi. 9. Job xxx. 1. Eccli. ix. 4. (4) Μὴ κεφαλὴ κυνός εἰμι; καὶ ἐποίησα ἔλεος μετὰ οἴκου Σαούλ. (5) Tacit. lib. 1. Hiſt. apud Grot. (6) Piſcat. (7) Junius. (8) Kimchi. (9) Deuter. xxiv. 4. (10) Ita Jun. Sanct. Caſt. Syr. Arab. Septuag. Κύριος ἐλάλησε περὶ Δαυίδ. (11) Hebr. 1. 7. (12) Hebr. iv. 13. (13) ויכרתו אתך ברית (14) Edit. Antuerp. Polyglot. (15) Judic. iii. 26. (16) Joſeph. Antiq. lib. vii. cap. 1. (17) Ἐκ πλαγίων τῆς πύλης. (18) לדבר אתו בשלי Septuag. Λαλῆσαι πρὸς αὐτὸν ἐν παραλογισμῷ. (19) 2. Reg. xx. 10. (20) Levit. xv. 3. (21) Aq. Τυφλός. Septuag. Γονοῤῥυής. (22) מחזיק בפלך (23) Septuag. Κρατῶν σκυτάλης. (24) Ita Aquil. apud Theodoret. quæſt. 12. Σκυτάλη δὲ γίνεται ἐν σώματι πεπηρωμένον, ὅθεν ὁ Ἀκύλας τυφλὸν τὸν τοιοῦτον ὠνόμασε. (25) Hugo Cardin. (26) Delrio Adag. 190. Claudian. de Eutrop.

Tu telas non tela pati, tu ſtamina noſſe, &c.

Indigentes pane. Qui ad extremas rei familiaris anguſtias redigantur; quod tamquam maledictum irati Numinis habebatur. David in Pſalmis famem impiis, velut unam ex ingentibus Dei punitionibus, imprecatur (1). *Convertentur ad veſperam, & famem patientur ut canes.* Denunciatur impiis futurum, ut ad mendicitatem redigantur (2): *Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent.* Oſtendit hiſce omnibus horrorem, quo Joabi facinus deteſtatur: hæc autem præſagia ſunt potius futurorum Joabi eventuum, quam iræ Davidis in Joabum indicia.

℣. 31. Dixit ad Joab et ad populum . . . . accingimini saccis. Authoritate ſua uſus David, imperat Joabo totique ſub illo exercitui, ut ad funus Abneri omnes conveniant: quo ſcilicet & pompa funebris major ſit, & magis magiſque perſuadeatur populus, hæc omnia inſcio & invito Rege eveniſſe. Id etiam voluit ut Joab cadaveri Abneri injuriam repararet, quam vivo intulerat. Quiſque præſens veſtes ſuas ſcidit, & induit ſeſe ſacco, ideſt, rudi quodam ſago e pilis caprarum, aſinorum, vel camelorum, cujuſmodi ſagorum hodie pariter in Oriente frequens eſt uſus. Veſtem funebrem Perſæ ſaccum appellabant.

Rex David sequebatur feretrum. Hebræus (3): *Sequebatur lectum.* Emortualem lectum præcedebant olim fœminæ, viri ſequebantur (4). Reges funeribus adeſſe non ſolebant: David ſingularem hunc honorem Abnero impendit. Editiones quædam Septuaginta (5) ferunt, Davidem feretrum præceſſiſſe.

℣. 33. Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner. Hebræus (6): *Num ſecundum mortem Nabal mortuus eſt Abner?* Vel: *Secundum mortem ſtulti?* Chaldæus: *An ſicut moriuntur impii, mortuus eſt Abner?* Vel: An oportuerat ſtrenuum adeo virum occumbere eodem fato quo nequiſſimus quiſque vel plebejus & nihili? An interiiſſet ignaviter, niſi dolo malo oppreſſus fuiſſet?

℣. 34. Manus tuæ ligatæ non sunt. Non captivus nec inter manus victorum hoſtium interiiſti; non victus, non manibus hoſtium traditus, non manibus ligatis in pœnam criminis.

Sicut solent cadere coram filiis iniquitatis. Ita cecidit, ut ſeſe tueri non poſſet, quod a proditoribus oppreſſus ſit. In hoc carmine, quod coram univerſo populo recitatum eſt, David Joabi bono nomini non pepercit.

Congeminans omnis populus flevit super eum; congeminatis ſcilicet lacrymis, ſeu potius Davidis canticum recinit, & luxit Abnerum. Septuaginta (7): *Et convenit omnis populus ad plorandum eum.* Reddi poſſet Hebræus (8): *Et omnis populus perſeveravit in fletu.*

℣. 35. Cum venisset universa multitudo cibum capere cum David. Poſt curatum funus Abneri, populus Davidem reduxit, ſperans futurum ut convivio, poſt ejuſmodi celebritates conſueto, ab illo donaretur; cum tamen diei plurimum adhuc ſupereſſet, David cibum capere noluit, atque ad veſperam uſque pro more ejus ætatis jejunium protraxit. De conviviis poſt funera inſtitutis, in Geneſi L. 3. diſſeruimus.

℣. 39. Ego autem adhuc delicatus et unctus Rex. Nihil rebus Davidicis magis incommodum accidere poterat, quam Abneri cædes. Animos enim optimatum cæterarum Tribuum ad Davidem excipiendum Abner comparaverat. Improviſum ejus funus abducere animos poterat, adeoque & pacem diſtinere, turbas & ſeditionem fovere. Nulla plane penes Davidem Regni authoritas erat, præter nomen, vel, ut ipſemet fatetur, unctionem, ipſiuſque unctionis ceremoniam. *Tener* adhuc erat *& delicatus* (9), veluti puer, qui neque vim repellere, neque quidquam arduum aggredi par eſt. Regnum habebat novum, naſcentes vires inſtabileſque, ac nutans imperium. Septuaginta (10): *Quia ego propinquus ſum hodie, & conſtitutus a Rege*; quaſi innueret, reditu Micholis ſe in Regiam familiam adſcitum fuiſſe, conſtitutumque Regni ſucceſſorem.

Duri sunt mihi; impotenter me agunt. Hebræus (11): *Duri præ me*; viribus & favore populi me ſuperant. Vel potius: Injuriam illorum ferre non poſſum. Satis hic innuit David, ideo ſe contineri ne Joabi facinus ulciſcatur, quod ulciſci non poſſit. Præſtat utique cunctari, quam præcipiti ultione malum exaſperare.

[1] Pſalm. LVIII. 7. 15. [2] Pſalm. CVIII. 10. [3] הלך אחרי המטה. [4] Grot. Marcye. [5] Ἔμπροσθεν τῆς κλίνης. Edit. Antuerp. [6] הכמות נבל ימות אבנר Septuag. Εἰ κατὰ θάνατον Ναβὰλ ἀποθανεῖται Ἀβεννήρ. Alius. Ὡς ἀποθνήσκει ἄφρων. [7] Καὶ συνῆλθε πᾶς ὁ λαὸς τοῦ κλαῦσαι αὐτόν. [8] ויספו כל העם לבכות עליו [9] רך ומשוח מלך Aqu. Sym. Ἁπαλὸς καὶ κεχρισμένος, Tener, & unctus. [10] Ὅτι ἐγώ εἰμι σήμερον συγγενὴς καθεσταμένος ὑπὸ βασιλέως. [11] קשים ממני Septuag. Σκληρότεροί μου.

CAPUT IV.

Baana & Rechab per proditionem interficiunt Isboſethum, præciſumque caput ferunt ad Davidem: ſed proditores in pœnam criminis David interficit.

℣. 1. Audivit autem Isboſeth filius Saul, quod cecidiſſet Abner in Hebron: &
diſſolutæ ſunt manus ejus, omniſque Iſrael perturbatus eſt. 2. Duo au-
tem viri principes latronum erant filio Saul, nomen uni Baana, & nomen alteri Re-
chab, filii Remmon Berothitæ de filiis Beniamin: ſiquidem & Beroth reputata eſt in
Beniamin. 3. Et fugerunt Berothitæ in Gethaim, fueruntque ibi advenæ uſque ad
tempus illud. 4. Erat autem Jonathæ filio Saul filius debilis pedibus: quinquennis
enim fuit, quando venit nuntius de Saul, & Jonatha ex Jezrael. Tollens itaque eum
nutrix ſua, fugit: cumque feſtinaret, ut fugeret, cecidit, & claudus effectus eſt: ha-
buitque vocabulum Miphiboſeth. 5. Venientes igitur filii Remmon Berothitæ, Rhe-
cab, & Baana, ingreſſi ſunt fervente die domum Isboſeth: qui dormiebat ſuper ſtra-
tum

Digitized by Google

tum ſuum meridie. Et oſtiaria domus purgans triticum, obdormivit. 6. Ingreſſi ſunt
autem domum latenter aſſumentes ſpicas tritici, & percuſſerunt eum in inguine Re-
chab, & Baana frater ejus, & fugerunt. 7. Cum autem ingreſſi fuiſſent domum, il-
le dormiebat ſuper lectum ſuum in conclavi, & percutientes interfecerunt eum: ſub-
latoque capite ejus, abierunt per viam deſerti tota nocte, 8. Et attulerunt caput
Isboſeth ad David in Hebron: dixeruntque ad regem: Ecce caput Isboſeth filii Saul
inimici tui, qui quærebat animam tuam: & dedit Dominus domino meo regi ultio-
nem hodie de Saul, & de ſemine ejus. 9. Reſpondens autem David Rechab, &
Baana fratri ejus, filiis Remmon Berothitæ, dixit ad eos: Vivit Dominus, qui eruit
animam meam de omni anguſtia, 10. Quoniam eum, qui annuntiaverat mihi, &
dixerat: Mortuus eſt Saul: qui putabat ſe proſpera nuntiare, tenui, & occidi eum in
Siceleg, cui oportebat mercedem dare pro nuntio. 11. Quanto magis nunc, cum
homines impii interfecerunt virum innoxium, in domo ſua, ſuper lectum ſuum, non
quæram ſanguinem ejus de manu veſtra, & auferam vos de terra? 12. Præcepit ita-
que David pueris ſuis, & interfecerunt eos: præcidenteſque manus, & pedes eorum,
ſuſpenderunt eos ſuper piſcinam in Hebron: caput autem Isboſeth tulerunt, & ſepe-
lierunt in ſepulchro Abner in Hebron.

℣. 1. DISSOLUTÆ SUNT MANUS EJUS; animo defecit. Cur? An quod Abner, partibus ſuis deſertis, tranſiſſet ad Davidem? Lætandum magis fuerat Isboſethó de obitu illius, quam dolendum. Reputandum eſt utique, conventiones illas Abneri cum Davide in apertum nondum erupiſſe, eumque iter illud Hebronis, ut Micholem Davidi reduceret, cauſatum eſſe, nequid Isboſeth de ſe ſuſpicaretur. Hucuſque Saulis domus Abner maximum omnium præſidium ac munimen fuerat.

℣. 2. DUO VIRI PRINCIPES LATRONUM. Hebræus (1): *Principes copiarum* vel agminum. Sive quod Isboſeth iis uteretur, quibus hoſtilem regionem vaſtaret diriperetque, uti militum manus in hoſtilem agrum mitti ſolent; ſive quod principes eſſent latronum, qui impia profeſſione relicta, ſub Isboſetho militarent. Ætatis ac regionis illius mores furtum minus quam hodie inique tolerabant. Iſaac prænunciat Eſau futurum, *ut vivat in gladio* (2), ideſt, bello & latrociniis. Quam hodie pariter vitæ profeſſionem ſequuntur Arabum & Iſmaelitarum plerique. *Latronum* nomen dabatur olim militibus & cuſtodibus Principum (3). Virgilius (4).

. . . . *Fixumque latronis*
Impavidus frangit telum . . . .

℣. 3. FUGERUNT BEROTHITÆ IN GETHAIM. Beroth una erat, e quatuor urbibus, quas Gabaonitæ in fœdum cum Joſue traxerunt. Notum eſt, Saulem vexaſſe Gabaonitas; ſed nonniſi temere aſſeras, eo tempore Berothitas in Gethaim ſeſe recepiſſe. Neque majus quidquam novimus de ſitu hujuſce Gethaim, niſi forte eadem ſit cum Geth, vel aliquo ejuſdem finium loco. Plures in Scriptura urbes legas, quæ tum plurali cum ſingulari nomine exponuntur. Rama, Ramatha, Ramathaim, varia ſunt ejuſdem loci nomina; quare Geth & Gethaim facile unam eamdemque urbem ſignificant. Geth ſingulare eſt, Gethaim duale vel plurale. Animadvertit Author, ſua adhuc ætate Berothitis in Gethaim ſedes obtinuiſſe. Urbs erat hujus nominis in Tribu Beniamin, uti ex Nehemia conſtat (5).

ERAT AUTEM JONATHÆ . . . . FILIUS DEBILIS PEDIBUS. Verſiculus hic extra ſemitam aberrat, neque cum præcedentibus vel ſequentibus cohæret. Creditur (6) ſacer Hiſtoricus hoc adnotaſſe, ut doceret Lectores, poſt obitum Isboſethi neminem Regno aptum e Saulis familia ſuperfuiſſe; neque enim Miphiboſeth filius Jonathæ regnando par erat. Præcipuum horum Scriptorum conſilium illud eſt, ut familiæ Davidis hiſtoriam tradant, reliqua leviter tantum attingunt, ut propoſitum ſpectant.

℣. 5. DORMIEBAT SUPER STRATUM SUUM MERIDIE. Familiari more receptum eſt, ut per maximum diei æſtum, præſertim in calidioribus regionibus, meridietur; vel, ut phraſi Varroniana utar (7), *Dies meridie dividatur*.

ET OSTIARIA DOMUS PURGANS TRITICUM OBDORMIVIT. Fruſtra hoc quæras in Hebræo & in vetuſtis codicibus Verſionis S. Hieronymi (8); ſunt autem additio ducta e Septuaginta, qui Textum minus aſſecuti ſunt. Cauſam additioni dedit proxime ſequens verſiculus, ferens, Baanam & Rechabum *aſſumpſiſſe ſpicas tritici*, cum ad Regem ingrederentur. Eas vero ſpicas inveniſſe creduntur ad oſtium domus, & ſurripuiſſe, oſtiaria dormiente. Seu potius, Textum Hebræum, ubi legimus, *Accipientes frumenta*, ita reddiderunt Septuaginta, ac ſi legiſſent *purgantes*. Exhibetur hic genuina priſcæ ſimplicitatis imago. Familiaris autem obtinebat mos, ut fœminæ cuſtodirent oſtia. Præ foribus Tabernaculi Domini fœminæ pariter vigilabant (9): oſtiariam Principis Sacerdotum Judeorum ex verbis ad S. Petrum ſuis, in Evangelio (10) novimus. Oſtiarios autem interdum addictos fuiſſe purgandis frumentis & aliis id generis, ſatis conſtat (11): *In aditu ipſo ſtabat oſtiarius praſinatus, ceraſino ſuccinctus cingulo, atque in lance argentea piſum purgabat.*

℣. 6. INGRESSI SUNT LATENTER, ASSUMENTES SPICAS TRITICI. Primum forte ſeſe intus inferendi conſilium erat, ut triticum furarentur: nacti vero reſolutum ſomno Regem, conſulturos ſe rebus ſuis putavere, ſi illum interficerent. Vel potius, necato Rege abierunt, abſtuleruntque frumentum. Vertunt alii (12): *Venerunt uſque in medium domus ad emendum frumentum*. Ad remotiſſimas domus Isboſethi partes perrexerunt, nemini ſuſpecti, quod tritici mercatores eſſe viderentur (13). Aliter: Ingreſſi ſunt, ferentes triticum, tamquam Regi munus (14). Ex aliis: Venerunt tritico onuſti, vel

[1] שרי גדודים Septuag. *Ἡγούμενοι συστρεμμάτων*. Aq. Ἑ'ζωσμένοι. *Accincti*. Sym. Λόχαγοι, *cohortis, vel factionis Principes*. [2] Geneſ. xxvii. 40. [3] Vide Sup. in Judic. xi. 3. & Plaut. Milite glorioſo act. 1. ſcen. 1. [4] Virgil. Æneid. xii. v. 7. & in illum Servius. [5] 2. Eſdr. xi. 33. Aſor, Rama, Gethaim. [6] Grot. Cornel. Sanct. Mar. [7] Varro l. 3. de Re Ruſt. c. 2. [8] Vide nov. Edit. Hieronym. [9] Vide Exod. xxxvi. 8. & 1. Reg. ii. 22. [10] Matth. xxvi. 69. [11] Petron. Arbit. Satyric. [12] באו עד תוך הבית לקחי חטים [13] Ita Jonath. כזבני חטין Ita & Pag. Tir. Vat. Eſt. Menoch. Munſt. Caſt. Oſiand. &c. [14] Lyran. Serar. Cornel.

vel tamquam homines triticum vehentes (1). Vel denique (2): Venerunt veluti ut debitum ſibi, tamquam cuſtodibus corporis Isboſethi, triticum acciperent: ea enim ætate, ac diu etiam poſt, in annonam militibus frumentum diſtribuebatur.

Ꝟ. 7. In conclavi. Hebræus (3): *In conclavi cubilis ſui*.

Abierunt per viam deserti tota nocte. Hominum frequentia tritas vias evitarunt, ne detegerentur. E Mahanaim ad Hebronem iter eſt leucarum quadraginta circiter, quod unica nocte conficere non potuerunt, neque id aſſerit Scriptura; uti minime negat, hoſce proditores die altera iter ſuum fuiſſe proſequutos.

Ꝟ. 11. Virum innoxium. Talem ſe illis ſaltem præbuerat; neque enim proſequi illi poterant ultionem injuriæ, quam ab ipſo vel a patre ſuo in Davidem irrogatam fuiſſe cauſari poterant. Regnum capeſſivit facile Isboſeth abſque dolo malo; jus autem Davidis ad Regnum aſſertum non erat adeo & perſpicuum, ut ambiguitatis aliquid non præferret. Denique diſſidia componere, ipſorum non erat.

Ꝟ. 12. Præcidentes manus et pedes eorum, suspenderunt eos. Primo quidem neci traditi, tum pedibus manibuſque cæſi ſunt, manibus ſcilicet tamquam parricidæ, & innoxii Regis interfectores; pedibus vero, quod illis uſi fuiſſent ad fugam. Pari ſupplicio ſævitum eſt in Adonibezecum, Regem Bezec, qui paria intulerat ſeptuaginta a ſe captis Regibus: ſed poſtremi hi Principes vivebant, colligebantque micas e Principis menſa cadentes, manuum pedumque extremitate mutilata. Porro reciſæ ejuſmodi manus pedeſque Baanæ & Rechabi ſuſpenſæ ſunt in patibulo, uti caput & manus Cyri junioris ab Artaxerſe, fratre ipſius, cruci appenſæ ſunt (4).

(1) Jun. Tremel. Vill. (2) Clericus hic, (3) בחדר משכבו (4) Vide Xenophon. Αναβάς. lib. 1. Plutarch. in Cyro.

CAPUT V.

David ſalutatur & conſecratur in Regem univerſi Iſraelis. Jeruſalem, pulſis Jebuſæis, capitur; ubi domum ſibi condidit David. Victoria de Philiſtæis.

Ꝟ. 1. ET venerunt univerſæ tribus Iſrael ad David in Hebron, dicentes: Ecce nos, A. M. 2956.
os tuum, & caro tua ſumus: 2. Sed & heri, & nudiuſtertius, cum eſſet ante J. Chr. 1048.
Saul rex ſuper nos, tu eras educens, & reducens Iſrael: dixit autem Dominus ad te:
Tu paſces populum Iſrael, & tu eris dux ſuper Iſrael. 3. Venerunt quoque & ſeniores
Iſrael ad regem in Hebron, & percuſſit cum eis rex David fœdus in Hebron
coram Domino: unxeruntque David in regem ſuper Iſrael. 4. Filius triginta annorum
erat David, cum regnare cœpiſſet, & quadraginta annis regnavit. 5. In Hebron
regnavit ſupra Judam ſeptem annis, & ſex menſibus: In Jeruſalem autem regnavit
triginta tribus annis ſuper omnem Iſrael, & Judam. 6. Et abiit rex, & omnes A. M. 2957.
viri, qui erant cum eo, in Jeruſalem, ad Jebuſæum habitatorem terræ: dictumque
eſt David ab eis: Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cœcos, & claudos dicentes:
Non ingredietur David huc. 7. Cepit autem David arcem Sion, hæc eſt civitas
David. 8. Propoſuerat enim David in die illa præmium, qui percuſſiſſet Jebuſæum,
& tetigiſſet domatum fiſtulas, & abſtuliſſet cœcos, & claudos odientes animam
David. Idcirco dicitur in proverbio: Cœcus, & claudus non intrabunt in templum.
9. Habitavit autem David in arce, & vocavit eam Civitatem David. Et ædi- A. M. 2958.
ficavit per gyrum a Mello, & intrinſecus. 10. Et ingrediebatur proficiens, atque
ſuccreſcens, & Dominus Deus exercituum erat cum eo. 11. Miſit quoque Hiram
rex Tyri nuntios ad David, & ligna cedrina, & artifices lignatorum, artificeſque lapidum
ad parietes: & ædificaverunt domum David. 12. Et recognovit David, quoniam
confirmaſſet eum Dominus regem ſuper Iſrael, & quoniam exaltaſſet regnum
ejus ſuper populum ſuum Iſrael. 13. Accepit ergo David adhuc concubinas, & uxores
de Jeruſalem, poſtquam venerat de Hebron: natique ſunt David & alii filii, &
filiæ: 14. Et hæc nomina eorum, qui nati ſunt ei in Jeruſalem, Samua, & Sobab,
& Nathan, & Salomon, 15. Et Jebahar, & Eliſua, & Nepheg, 16. Et Japhia,
& Eliſama, & Elioda, & Eliphaleth. 17. Audierunt ergo Philiſthiim, quod unxiſſent
David in regem ſuper Iſrael: & aſcenderunt univerſi, ut quærerent David: quod
cum audiſſet David, deſcendit in præſidium. 18. Philiſthiim autem venientes diffuſi
ſunt in valle Raphaim. 19. Et conſuluit David dominum, dicens: Si aſcendam ad
Philiſthiim? & ſi dabis eos in manu mea? Et dixit Dominus ad David: Aſcende,
quia tradens dabo Philiſthiim in manu tua. 20. Venit ergo David in Baal Pharaſim:
& percuſſit eos ibi, & dixit: Diviſit Dominus inimicos meos coram me, ſicut divi-

dun-

duntur aquæ. Propterea vocatum eſt nomen loci illius, Baal Pharaſim. 21. Et reliquerunt ibi ſculptilia ſua: quæ tulit David, & viri ejus. 22. Et addiderunt adhuc Philiſthiim, ut aſcenderent, & diffuſi ſunt in valle Raphaim. 23. Conſuluit autem David Dominum: Si aſcendam contra Philiſthæos, & tradas eos in manus meas? Qui reſpondit: Non aſcendas contra eos, ſed gyra poſt tergum eorum, & venies ad eos ex adverſo pyrorum, 24. Et cum audieris ſonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutias caſtra Philiſthiim. 25. Fecit itaque David ſicut præceperat ei Dominus, & percuſſit Philiſthiim, de Gabaa, uſque dum venias Gezer,

℣. 1. VENERUNT UNIVERSÆ TRIBUS ISRAEL AD DAVID. Sublatis Isboſetho & Abnero, nemo erat, qui in Regni æmulationem cum Davide veniret. Miphiboſeth filius Jonathæ, vitiati corporis incommodo, ineptus erat Imperio (1). Tribus omnes jam diu Davidem in Regem accipere paratæ erant, tum ex Divinis de Davide promiſſis, tum ex bellica gloria, quam ſibi David non una re egregie geſta comparaverat; tum quod portionem jam maximam Regni teneret, unica enim Tribus Juda pluribus aliis par erat; tum denique quod unus ille affectas Iſraelis res reſtituere, ac Philiſtæis reſiſtere poſſe videretur. Tribus igitur omnes convenerunt Hebronem, atque iterum Davidem in Regem univerſi Iſraelis unxerunt. Ea opportunitate uti volens David, atque exordia Regni ſui re aliqua egregie geſta commendare, copias, quæ ad ſe convenerant, adverſus Jeroſolymam duxit, neque fruſtra, ut inferius narrabitur. Ex cenſu Paralipomenon (2) conſtat, copias, quæ tunc arma ſub Davide ceperunt, numerum impleſſe cccxl. millium, cum dccc. ac viginti duobus, inter quos ſex millia ex Juda erant. Ex ejuſdem Libri (3) teſtimonio, ad fidem Vulgatæ, novimus, Benjamitarum partem maximam adhuc partibus domus Saulis adhæſiſſe, ac tria ſolum millia ex ea Tribu ad Davidem tranſiiſſe. Tota hæc hominum turba triduo Hebrone apud Davidem manſit, lautis excepta conviviis, quod annonam abunde fratres undique ſufficerent.

OS TUUM ET CARO TUA SUMUS. Conſtituerat Deus, ut Iſraelitæ Regem ſibi ex gente & fratribus ſuis præficerent (4). Igitur Hebræi ajunt eligere ſe Davidem in Principem, quem e gente ſua & e numero fratrum ſuorum eſſe norunt (5); qua ratione diſſenſiones, quibus eo uſque Tribus diviſæ fuerant, quodammodo reparare conati ſunt.

℣. 2. TU PASCES POPULUM MEUM. Phraſis eſt Priſcis familiaris, qua Rex innuitur: *Paſtor populorum*.

℣. 3. VENERUNT ET SENIORES ISRAEL, in fronte Tribuum, Seniores iſti Principes ſunt Tribuum, & ordinum duces, qui Regem ſalutaturi venerunt, David tertio tunc Regia unctione initiatus eſt, ac Regnum univerſæ gentis capeſſivit (6).

PERCUSSIT CUM EIS DAVID FOEDUS CORAM DOMINO. Fidem ſuam obſtrinxit Rex futurum, ut ipſe populum ex Dei Legibus moderaretur (7); viciſſim autem Seniores nomine totius populi obedientiam Regi jurejurando ſpoponderunt. Hæc omnia peracta fuiſſe ſolemni ritu ſtatiſque ſacrificiis, minime ambigimus; neque ægre credimus, eo tranſlatam fuiſſe Arcam Domini, erectumque Altare, Mutua hæc obligatæ fidei ſacramenta excipiebat Abiathar, ſummus Sacerdos, ceu Regem inter & populum medius: Sacerdotes reliqui, quos frequenti numero eo conveniſſe conſtat ex Paralipomenis (8), Sacrificia obtulerunt. Nec temere hæc nos aſſerere arbitramur, ritus enim erant in his rerum articulis familiares: deinceps vero ſacrificia Hebrone offerri conſuevere; & Abſalom a Rege patre ſuo poſtulavit, ut ex Jeruſalem ſacrificii offerendi gratia Hebronem proficiſci ſibi liceret (9).

℣. 4. QUADRAGINTA ANNIS REGNAVIT, ducto annorum initio a Regno, quod Hebrone cepit, ſeptem annis ac ſex menſibus ante celebrem ſolemnemque hunc cœtum, quo Rex Iſraelis ſalutatus eſt: id autem non obſcure proxime ſequens verſiculus exprimit.

℣. 6. ABIIT REX IN JERUSALEM. Elapſo conſecrationis illius anno, ad Jeroſolymæ obſidionem proceſſum eſt, Ea urbs nondum tota penitus Iſraelitis ceſſerat; arcem enim & antea tenuerant, & adhuc tenebant Jebuſæi. Unica erat in tota ea regione, quam alienæ gentes occuparent. Nihil erat Davidi glorioſius, quam tanti momenti feliciter confecta exordio Regni ſui expeditio.

NON INGREDIERIS HUC NISI ABSTULERIS CÆCOS ET CLAUDOS. Quæ cauſa vel ratio fuerit τοῦ dictum, ignoratur; nec ſcimus qui fuerint *cæci* & *claudi*, quos Jebuſæi dictitabant. An ſimulacra? an termini, quos in mœnibus conſtituerint (10)? An Numina, quæ ita de ridiculo appellarint Hebræi (11)? An Patriarchæ Iſaac & Jacob, quorum ille cæcus, alter claudus (12)? An denique lippi & claudi, quos e tota urbe collectos Jebuſæi in mœnibus conſtituerint, tum ut Hebræis inſultarent, tum ut oſtenderent, parum ſe conatus illorum vereri, neque velle niſi iis propugnatoribus uti (13)? Poſterior hæc interpretatio æquior videtur; maluerim ego tamen ita dictum accipere juxta Hebræum (14); *Dixit ad David: Non ingredieris huc, quin te removerint cæci, & claudi*; non ingredieris, ingreſſum prohibentibus cæcis, & claudis, ſatis enim hi erunt, ut tuos tuorumque, eorum ſcilicet militum quales ſunt Iſraelitæ, impetus repellant. Hæc illi inſultantes dictitabant, *ut innuerent: Non veniet David huc*.

℣. 8. PROPOSUERAT DAVID PRÆMIUM, QUI PERCUSSISSET JEBUSÆUM, ET TETIGISSET DOMATUM FISTULAS ET ABSTULISSET CÆCOS ET CLAUDOS; domatum fiſtulas, id eſt ſubgrundia domorum. Regerit David in Jebuſæos dicteria: præmium ſuis ſpondet, ſiquidem e ſuperioribus mœnibus depulerint Jebuſæos, quos nomine cæcorum, & claudorum deridet, Cum hæc gens glorietur, oppoſituram ſe noſtris conatibus cæcos claudoſque, ſpondeo totius exercitus Imperium (15) illi, qui cæcis hiſce claudiſque ſubmotis, in ſuperiora mœnia evadet, & domorum ſubgrundia attinget. Hebræus ad literam (16): *Omnis percutiens Jebuſæum, & attingens*

(1) 2. Reg. iv. 4. (2) 1. Par. xii. 23. & ſeq. (3) Ibid ℣. 29. *De filiis Beniamin fratribus Saul, tria millia. Magna enim pars eorum adhuc ſequebatur domum Saul*. Alius tamen Hebræo ſenſus eſſe poteſt, ut in Paralipomenis oſtendemus. (4) Deut. xvii. 15. (5) Vide Geneſ. xxix. 14. & Judic. ix. 2. (6) Vide 1. Reg. xvi. 13. & 2. Reg. ii. 4. (7) Deut. xvii. 14. 15. & ſeq. (8) 1. Par. xii. 26. 27. 28. (9) 2. Reg. xv 7. (10) Caſtal. (11) Abenezra, Burgenſis, Clericus. (12) Rab. Salom. Lyr. (13) Vat. Eſt. Grot. Sanct. Cornel. Trein. Piſc. Boch. (14) ויאמר לדוד לאמר לא תבוא הנה כי אם הסירך העורים והפסחים לאמר לא יבוא דוד הנה Vide Boch. Phaleg. lib. iv. cap. 36. (15) 1. Par. xi. 6. *Caput & Princeps militiæ meæ*. (16) כל מכה יבוסי ויגע בצנור ואת הפסחים ואת העורים שנאו נפש דוד

Digitized by Google

gens in fiſtolam (in (1) ſubgrundiis) *& qui claudos & cæcos interficiet* . Nomine ſubgrundii , vel fiſtulæ domatum deſignatur vel mœnium vertex, unde pluviæ diſtillant , vel ſubgrundia turrium , quibus mœnia muniuntur. Totum hunc Textum ita reddit Bochartus : *Quicumque interfecerit Jebuſæos , projeceritque e ſummis mœnibus in foſſam cæcos iſtos & claudos , quos David habet horrori.*

Odientes animam David ; qui odio habent Davidem . Contrarium ſenſum reddit Hebræus : *Odio habitos animæ David*. Addita a Davide verba hæc cenſet Cajetanus , ut Jebuſæos amicos ab Jebuſæis hoſtibus diſtingueret. Inferiorem urbem Jeruſalem tenuiſſe feruntur Jebuſæi Iſraelitis amici ; arcem vero Sion Jebuſæi hoſtes.

Idcirco dicitur in Proverbio : cæcus et claudus non intrabunt in Templum. Proverbii hujus non unus eſt ſenſus. Jebuſæi , qui cæcorum claudorumque nomen ſibi tribuerunt , excludentur perpetuo a Templo & cœtu Domini ; quemadmodum Moyſes (2) excluſos pronuntiat Eunuchos , nothos, Ammonitas, & Moabitas. Id autem audacia ſua & contemptu , quo totum Iſraelis exercitum irriſit , promeruit Jebuſæus. Aliter : Cæci & claudi e claſſe Sacerdotali , & genere Aaronico ad ſacrum miniſterium non admittentur. Cautio erat vetus ; ſed novo nunc uſu firmatum eſt , quod olim in Lege mandatum fuerat (3) : abiit autem in proverbium , ut aliter fieri neque poſſe neque fas eſſe deſignaretur . Malunt alii , odio irriſionis Jebuſæorum Davidem a Templi aditu cæcos omnes & claudos prohibuiſſe . Cur vero in capita Iſraelitarum eo corporis vitio laborantium hæc pœna? quove jure David a Templo illos prohibuit , qui per Legem illuc vocabantur ? J. Chriſti ætate liber erat Templi aditus cæcis claudiſque ; e quibus nonnullos J. Chriſtus & Apoſtoli in ipſo Templo curarunt (4) . Si interdictum hoc ad ſolos cæcos claudoſque Jebuſæos definias , illud quidem inutile ſit , cum nulli Pagano , præſertim Chananæo , Templi aditus permitteretur . Opinantur quidam (5) , Davidem captam a ſe arcem Sion cæcis & claudis perpetuo interdixiſſe . Somnia! Miphiboſeth claudus Regiæ tamen Davidis menſæ conviva aderat. Planius locum exponas , ex Hebræo (6) : *Ideo dictum eſt : Cæcus & claudus non intrabunt huc* ; ut eo proverbio innuatur aliquid , quod fieri non poſſe cenſetur . Nomen *domus* , quod in Hebræo legitur , accipi poteſt vel de Templo , uti Vulgata & Septuaginta , vel de alio quolibet loco.

℣. 9. Ædificavit per gyrum a Mello et intrinsecus . Condidit urbem ſuperiorem , cui nomen manſit *Civitatis David* , eamque David mœnibus atque ædificiis inſtruxit. Reliquum urbis Jeruſalem reſtauravit Joab (7) : mœnia ſarcivit , dirutaſque in obſidione & expugnatione domos reſtituit. Fert autem Textus , Davidem *ædificaſſe* urbem *a Mello*. Nomen hoc *Mello* , quod *repletum* ſonat , inditum eſt valli , quam aggeſta humo replevit Salomon : jacebat vero inter urbem inferiorem & montem Sion ; priſtinumque vallis nomen æquata illa area , & conſtructa in illa ædificia ſervarunt . David opus cœpiſſe videtur (8) , quod Salomon deinde abſolverit. Non ſatis compertum eſt , utrum *Mello* , antequam cum reliquo ſolo a Salomone æquaretur , ad civitatem David pertineret , an illi deinceps tantum acceſſerit . Difficultatem præſens Textus non minuit ; ita enim explicari poteſt , ut Mello intra urbem ſuperiorem atque inter conſtructa ibi a Davide ædificia comprehenſum eſſe cenſeas. *Mello* uſurpatur non raro pro Regiis ædibus , vel Regia domo ibi condita a Salomone , in area ejus juſſu æquata (9). Idem pariter locus appellatus creditur in Macchabæis (10) *Aſar-Mel* ; ubi populi cœtus ea ætate celebrabantur : *In Aſar-Mel , in conventu magno Sacerdotum & populi & Principum gentis* , &c.

Juvat hic imaginem aliquam ſitus Jeroſolymæ animo exponere (11) , cujus urbis mentio frequentiſſima deinde recurret. Hæc , cum Iſraelitis paruit , duplici montis jugo , ſeptentrionali ſcilicet ac meridionali , inſidebat. Alterum latus appellabatur Sion , alterum Joſephus ſæpe nuncupat *Acram*. Vallem , qua duplex urbs ſeparabatur , opplerunt David & Salomon , ut duo hæc urbis latera in unam urbem continuarentur. Regiæ Davidis ædes conditæ ſunt in monte Sion ; idemque Princeps priſtinis , quæ ibi forte Jebuſæi tenebant , ædificiis , alia plurima adjunxit ; quæ ſimul omnia urbem Davidis conficerent . Jeruſalem vetus in colle meridionali conſidebat , e regione Sionis , cujus collis jam meminimus. Veterem hanc urbem expugnaverat olim Joſue (12) ; deinde copiæ Tribus Juda (13) , ibique longa jam ætate conſederant Iſraelitæ , antequam David urbem & arcem Sionis expugnaret , urbemque totam Jeruſalem ac civitatem Davidis frequentandam gentilibus ſuis traderet.

Cum Salomon conſilium Templi Domini excitandi cepit , dorſum montis , *Maria* appellatum , ſelegit , quod eodem jugo cum monte Sion continuabatur , celſoque erigebatur vertice ; is tamen vertex pro mole ædificii , quam parabat , anguſtiorem aream offerebat. Coactus igitur verticem æquavit in aream ſexcentorum ſaltem ex quatuor partibus cubitorum ; quo aſcenſus per devexa montis ad quatuor partes latera præbebatur . Regiæ Principis ædes ad occidentem Templi aſſurgebant. Plurimæ deinceps urbi acceſſiones additæ ſunt. Joſephi ætate , ambitu ſuo quatuor colles continebat ; quibus additur quintus , Templi ſedes. Melius tamen varia ejuſdem montis juga dixeris , quam colles , cum Tacitus , & ipſe pariter Joſephus nonniſi duorum ingentium collium intra urbem meminerint (14): *Duos colles immenſum editos , claudebant muri per artem obliqui* . Montis Sion , omnium editiſſimi , pars erat Moria vel mons Templi. Alter mons erat *Acra* , cui Aſmonæi alterum montis jugum conjunxere (15). Tum nova deinde acceſſione auctus eſt , addita *Betſetta* , quam Joſephus *novam Urbem* appellat (16) . Labentibus Reipublicæ Hebræorum temporibus , & paulo ante urbis exitium , Jeruſalem *longe clariſſima urbium Orientis* erat , *non Judææ modo* (17). Tacitus illam elogio *urbis famoſiſſimæ* donat. Herodes magnus ornamentis plurimis monumentiſque publicis privatiſque ditavit.

℣. 11. Misit Hiram Rex Tyri nuntios ad David . Incertum eſt , utrum Hiram primus Davidem prævenerit , an David poſtulatum miſerit , in uſum ædificii domus ſuæ , materiam , ligna & opifices. Geſtum id facile eſt , poſtquam David firmo ſtabilique regno potitus eſt , coegitque Philiſteos ditionem Iſraeliticam deſerere. Hiram Abibalis Regis Tyriorum filius , magno animo Princeps , urbem ſuam eximiis operibus plurimis ornaverat. Conſtantem cum Salomone amicitiam coluit , fovitque datis utrimque literis , quæ (18) Joſephi ætate ſervari adhuc in Tabulariis urbis Tyri una cum literis a Salomone reſcriptis cenſebantur.

(1) Aqu. Καὶ ἅψεται ἐν κρουνῷ. Sym. Καὶ κατακρατήσῃ ἐπάλξεων. Septuag. Ἁπτέσθω ἐν παραξιφίδι, *perveniat pugione.* (2) Deut. xxiii. 1. 2. 3. (3) Levit. xxi. 18. (4) Matth. xxi. 14. Act. iii. 2. (5) Grot. Salian. Mar. (6) על כן יאמרו עור ופסח לא יבוא אל הבית (7) 1. Par. xi. 8. (8) 1. Par. xxxii. 5. & Joſeph. Antiq. l. 7. c. 3. Τότε καὶ πόλιν περιλαβὼν, καὶ τὴν ἄκραν συνάψας ἐν αὐτῇ, ἐποίησεν ἓν σῶμα. (9) Vide dicta ad 3. Reg. ix. 15. & 4. Reg. xii. 20. (10) 1. Macch. xiv. 27. (11) Vide Joſeph. lib. 6. cap. 6. & Cellar. Geogr. Antiq. lib. 3. cap. 13. (12) Joſue x. 25. (13) Judic. 1. 8. (14) Tacit. Hiſt. lib. 5. (15) Joſeph. de Bello lib. 6. c. 6. (16) Idem ibid. ad finem 6. capit. (17) Plin. lib. 5. c. 14. (18) Vide Dium apud Joſeph. lib. 1. contra Appion. pag. 1042.

℣. 12. Cognovit David, quoniam confirmasset eum Dominus Regem super Israel. Regni ſui cumulata proſperitas, & benedictio, qua Dominus non obſcure ejus omnibus cœptis favit, Davidi perſuaſerunt, Regno illum firmn ſtabilique frui, nec rejectum eſſe, uti Saulem, a Deo, factasque ipſi promiſſiones ſore complendas. Pro iis, *Super Iſrael*, legit Hebræus (1): *Propter populum ſuum Iſrael*. Quaſi Deus ſingulari beneficio optimum Principem populo ſuo dederit. Princeps certè non ſibi ſed populo datur.

℣. 13. Accepit adhuc concubinas et uxores. Duxit omnino uxores octo, concubinas decem. Polygamia tunc apud Judæos tolerabatur. Fortaſſe David politicis aliquibus cauſis ductus, omnia hæc connubia inivit; facilè enim familias gentis ſuæ potentiſſimas ſibi devincire, alienoſque Reges in partes ſuas pertrahere moliebatur. Minime tamen neceſſe eſt Davidis cauſam tueri, vetante tantummodo Moyſe, ne Rex magno numero uxores adſciſcat (2). Conditio concubinarum eo ſolum nomine a legitimis uxoribus & matronis differebat, quod nullo ſolemni ritu connubia cum illis celebrarentur, non maritali ſyngrapha, neque exhibita de ſecuritate dotis fidejuſſione.

℣. 14. Samua &c. Commentariorum ſcriptores quidam opinantur ex quatuor hiſce liberis unum tantummodo, Salomonem, Davidem patrem agnoviſſe; reliſquos tres, Samriam, Jobab, & Nathan ex Uriæ & Berſabeæ conjugio procreatos. Sed adverſatur huic opinioni auctoritas 1. Par. III. 5. S. Lucæ III. 31. 32. & quæ hic leguntur. Profecto S. Lucas inter Davidis poſteros Nathanum accenſet.

℣. 14. 15. & 16. Septuaginta pro undecim filiis, quos hic Scriptura Davidi tribuit, recenſent viginti, quorum hæc nomina: *Ebear*, *Eliſue*, *Naphet*, *Jephie*, *Eliſama*, *Elidæ*, *Eliphaleth*, *Samat*, *Jeſſibath*, *Nathan*, *Galamaan*, *Jebaar*, *Theeſur*, *Eliphalet*, *Naged*, *Naphec*, *Jonathan*, *Leeſamys*, *Baalimath*, *Eliphaat*.

℣. 17. Ascenderunt Philistiim, ut quærerent David. Fuſo in montibus Gelboe Saule, Philiſtæi urbes plurimas ab Iſraelitis deſertas occuparunt, retinueruntque. Iſraelitarum vires, inter domum Davidis & Saulis, quamdiu Isboſeth vixit, diviſæ, eæ non erant, quas Philiſtæi vererentur. David intra Tribum Juda ſe continens, exitum divinarum promiſſionum, & ſi qua ſibi pateret ad Regnum Iſraelis via, operiebatur. Metuens vero Isboſeth, ne totum in ſe ſimul belli Davidici & Philiſtæi pondus incumberet, continuerat ſeſe in Mahanaim trans Jordanem. Sed Isboſetho & Abnero ſublatis, ſalutatoque Davide in Regem totius gentis, eoque exordia Regni ſui commendante Jeroſolymæ expugnatione, nnrant Philiſtæi, omnia ſibi metuenda eſſe a Principe acerrimo in armis animo, cujus virtutem jamdiu experti fuerant. Reputarunt igitur e re eſſe ſua prius in Davidem ferri, quam vires illius augerentur, & latius proveherentur victoriæ. Raptis igitur armis, Iſraelis ditionem aggrediuntur, ac prælium inſtaurant.

Quod cum audisset David, descendit in præsidium. Quo nam tuto loco ſe receperit David, incertum. Sed ex I. Paralipomenon, XIV. 8. diſcimus, illum vel levioribus de Philiſtæorum irruptione nunciis auditis *egreſſum fuiſſe obviam eis*. Sed fortaſſe Deus monuit, ut prælio abſtineret. Quare in munitum locum, ſpeluncam ſcilicet Odollam, ut ex duplici Scripturæ teſtimonio diſcimus (3), ſeceſſit. Itaque Philiſtæi per vallem Raphaim fuſi, *ſtationem* habebant in Bethlehem: David vero cum ſuis montem Odollam, ulterius ad meridiem, occupaverat. Vallis Raphaim nomen e priſcis ejus regionis Gigantibus (4) *Raphaim* referebat. Titanes vel Gigantes Septuaginta nuncupant (5). Vallis autem ad meridiem Jeroſolymæ excurrebat, contermina Bethlehem.

℣. 19. Consuluit David Dominum, per Urim nempe & Ephod, manſitque aliquandiu in ſpelunca Odollam, nonniſi annuente Domino egreſſus. Cum adhuc ibidem verſaretur David, inſigne illud facinus exhibitum eſt a tribus viris fortiſſimis exercitus Davidici, qui per medias Philiſtæorum copias & excubias, aquam e ciſterna Bethel hauſtum venerunt (6).

℣. 20. Venit in Baal-Pharasim. Relicta ſtatione & arce, in Philiſtæorum copias irrumpit, qua ſibi vallis Raphaim iter faciebat. Nomen loco manſit *Baal-Pharaſim* (7), ideſt, Dominus diviſorum, diſperſorum, vel diſperſionis; quibus veluti innuitur, Philiſtæos ejus adventu primoque impetu fugiſſe. Vel per *Baal-Pharaſim* deſignabatur *Deus*, Dominus *diſperſionis*; quod ſcilicet Numina Philiſtæorum ibi ab Iſraelitis inventa & capta, Dii eſſent revera fugitivi, vel Dii diſperſæ gentis, & in fugam actæ.

℣. 21. Reliquerunt ibi sculptilia sua. Fugæ adeo præcipiti ſeſe dederunt, ut impedimenta omnia & Numina deſeruerint. Animadvertere hic juvat veterem morem, de quo nos in 1. Regum IV. 3. ferendi ſcilicet Numina in expeditionibus. Ulciſcitur hic Deus quodammodo illatam Arcæ ſuæ, quam inde ad propria abſtulerant, a Philiſtæis injuriam. Numina illorum in manus Hebræorum devenire permittit; utque ſimul oſtenderetur, quanto diſcrimine verus Deus cæteris Numinibus ſuperior ſit, ſimulacra illa Philiſtæorum igni tradita ſunt (8), quin illa ſeſe tuerentur; cum Arca Domini Dagonem in ipſo ejus Templo contriverit, punieritque fœdo ulcere Philiſtæos, totam late regionem terrore concuſſerit, ſeſeque tandem ingenti obſequio & cultu remittere coegerit.

℣. 23. Si ascendam contra Philisthæos. Conſulentis verba omittuntur in Hebræo, in quo tantum oraculi reſponſum legitur: *Interrogavit David Dominum, & dixit Dominus: Non aſcendes, &c.*

Venies ad eos ex adverso pyrorum. Ita Hebræum reddidit Aquila. Singularium horunce locorum ſitus definiri non poteſt. Illud ſolummodo aſſeruerim, fauces quaſdam fuiſſe, aditum in vallem Raphaim præbentes. Interpretum plerique (9) reddunt: *Ex adverſo mororum*. Septuaginta vero: ἀπέναντι τοῦ κλαυθμῶνος, *Ex adverſo plorantium*; vel loci gemituum. Sunt qui credant, eumdem deſignari locum, qui in ſecundo capite Judicum, ℣. 1. appellatur *Locus flentium*, quod nos maxime probabile eſſe cenſemus. Alii (10) Hebræum *Bochim* ſervant: *Ex adverſo Bochim*.

℣. 24. Et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium. Perſpicua ſunt hæc, ſi *Bochim* reddatur pyra, vel mori, vel arbores. Si vero pro nomine certi loci accipiatur, hoc ſenſu Textum redde (11): *Cum audieris ſonitum gradientis in cacumine Bochim, tunc inibis prælium.* Multo utique pronius eſt, gradientem exercitum, ſeu militum manum in cacuminibus montium, qui latera faucium muniunt, quam in cacumine arborum agri, gradientem intelligere. Hiſtoriam hanc ſpectat Iſaias, confirmatque noſtram hanc ſententiam de cacuminibus, e quibus vox Domini inſonuit; ita enim Prophe-

[1] בעבור עמו ישראל Septuag. Διὰ τὸν λαὸν αὐτοῦ Ἰσραήλ. [2] Deut. XVII. 17. *Non habebit uxores plurimas.* [3] 2. Reg. XXIII. 13. & 1. Par. XI. 15. 16. [4] Vide Joſue XII. 4. XV. 8. XVIII. 16. [5] עמק רפאים Septuag. Εἰς τὴν κοιλάδα τῶν Τιτάνων. [6] Vide 2. Reg. XXIII. 15. 16. [7] בעל פרצים Septuag. Ἐκ τῶν ἐπάνω διακοπῶν. [8] 1. Par. XIV. 2. *Dereliquerunt ibi Deos ſuos, quos David juſſit comburi.* [9] Pagn. Mont. Jun. Munſt. Grot. alii. [10] Ita Syr. & Arab. [11] ויהי בשמעך את קול צעדה בראשי הבכאים אז תחרץ

pheta XXVIII. 21. *Sicut enim in monte diviſionum* [Hebræus, *Pharaſim*] *ſtabit Dominus, & ſicut in valle, quæ eſt in Gabaon, iraſcetur*: nempe adverſus impios & incredulos, quos ita conficiet, ut Philiſtæos in Baal-Pharaſim & Chananæos Gabaone ſub Joſue (1). Textus idem Iſaiæ, & verbâ Pſalmi XVII. 9. 10. 11. innuunt, procellæ nimbum tunc ruiſſe, ac terrore quodam Divinitus immiſſo Philiſtæorum animos fuiſſe concuſſos. Utramque interpretationem conjungunt quodammodo Septuaginta (2): *Et erit in audiendo te vocem agitationis arborum in loco plorationis, tunc deſcendes*. Theodoretus legit (3): *Cum videris ſponte ſine vento arbores moveri*. Cœleſtium Spirituum agmen ad opem Davide ferendam, ſternendoſque improviſo terrore hoſtes veniſſe creditur.

℣. 25. De Gabaa usque dum venias Gezer. Eadem eſt facile Gabaa, ubi Saul morabatur; & Gezer, vel Gazer, ſeu Gadera, vel Geder, urbs Tribus Ephraimi, ditioni Philiſtæorum proxima (4). Qui vero fieri potuit, ut David inſecutus ſit Philiſtæos a Gabaa uſque Geber, cum Gabaa remotiſſima eſſet a valle Raphaim, & a loco *Bochim* appellato, ubi hoſtes fudit, fugavitque? Sunt qui *Gabaa* poſitum credant pro edito loco. Fugientes cecidit a vertice *Bochim* uſque Gezer. Maluerim ego, Davidem victoria uſum expuliſſe Philiſtæos ab omnibus, quæ occupabant, locis, a Gabaa uſque Gezer; ideſt, eripuiſſe illis Urbes, quas poſt mortem Saulis invaſerant, atque intra veteres limites redegiſſe. Vel potius, cum Philiſtæos cecidiſſet in Bochim, loco Jeroſolymæ proximo, fugientibus illis ex parte Gabaæ, Davidem inſtitiſſe a Gabaa uſque Gazer. Jeroſolyma Gabaam via eſt duarum leucarum, & Gabaa a Gazer leucis quatuor circiter abeſt. In 1. Paralipom. XIV. 16. pro Gabaa legitur Gabaon. Non multo invicem intervallo diſtabant. Si hanc lectionem ſequaris, penitus evertis ſententiam, quæ *Gabaa* pro loco edito explicat.

(1) Joſue X. 10. 11. 12. (2) Καὶ ἔσται ἐν τῷ ἀκοῦσαί σε τὴν φωνὴν τοῦ συσσεισμοῦ τοῦ ἄλσους τοῦ κλαυθμῶνος, τότε καταβήσῃ. (3) Theodoret. quæſt. 18. Ὅταν ἴδῃς αὐτομάτως ἀνέμου δίχα, τὰ ἄλση κινούμενα. (4) 1. Macch. XIV. 34. Γάζηρα τὴν ἐπὶ τῶν ὁρίων Ἀζώτου. Joſeph. Antiq. l. 8. c. 6. Γάζαρα τὴν τῆς Παλαιστινῶν χώρας.

CAPUT VI.

Conventus populi, ut Arca Cariathjarim Jeroſolymam transferatur. Ozæ infortunio territi. Arca apud Obededom relinquunt; eamque demum David Jeroſolymam transfert. Choreas ducentem illum coram Arca Davidem Michol ejus uxor deridet.

℣. 1. Congregavit autem rurſus David omnes electos ex Iſrael triginta millia. A. M. 2959.
2. Surrexitque David, & abiit, & univerſus populus, qui erat cum eo ante J. C. 1041.
de viris Juda, ut adducerent arcam Dei, ſuper quam invocatum eſt nomen Domini
exercituum, ſedentis in cherubim ſuper eam. 3. Et impoſuerunt arcam Dei ſuper
plauſtrum novum: tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa: Oza autem,
& Ahio filii Abinadab minabant plauſtrum novum. 4. Cumque tuliſſent eam
de domo Abinadab, qui erat in Gabaa, cuſtodiens arcam Dei Ahio præcedebat arcam.
5. David autem, & omnis Iſrael ludebant coram Domino, in omnibus lignis
fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis. 6. Poſtquam
autem venerunt ad aream Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit
eam: quoniam calcitrabant boves, & declinaverunt eam. 7. Iratuſque eſt indignatione
Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate, qui mortuus eſt ibi
juxta arcam Dei. 8. Contriſtatus eſt autem David, eo quod percuſſiſſet Dominus
Ozam, & vocatum eſt nomen loci illius, Percuſſio Ozæ, uſque in diem hanc. 9.
Et extimuit David Dominum in die illa, dicens: Quomodo ingredietur ad me arca
Domini? 10. Et noluit divertere ad ſe arcam Domini in civitatem David: ſed divertit
eam in domum Obededom Gethæi. 11. Et habitavit arca Domini in domo
Obededom Gethæi tribus menſibus, & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum
ejus. 12. Nuntiatumque eſt regi David, quod benedixiſſet Dominus Obededom,
& omnia ejus; propter arcam Dei. Abiit ergo David, & adduxit arcam Dei
de domo Obededom in civitatem David cum gaudio: & erant cum David ſeptem
chori, & victima vituli. 13. Cumque tranſcendiſſent qui portabant arcam Domini
ſex paſſus, immolabat bovem, & arietem. 14. Et David ſaltabat totis viribus ante
Dominum. Porro David erat accinctus ephod lineo. 15. Et David, & omnis domus
Iſrael ducebant arcam teſtamenti Domini, in jubilo, & in clangore buccinæ.
16. Cumque intraſſet arca Domini in civitatem David, Michol filia Saul proſpiciens
per feneſtram, vidit regem David ſubſilientem, atque ſaltantem coram Domino: &
deſpexit eum in corde ſuo. 17. Et introduxerunt arcam Domini, & impoſuerunt
eam in loco ſuo, in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David, & obtulit David

holocauſta, & pacifica coram Domino. 18. Cumque compleſſet offerens holocauſta, & pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum. 19. Et partitus eſt univerſæ multitudini Iſrael tam viro, quam mulieri, ſingulis collyridam panis unam, & aſſaturam bubulæ carnis unam, & ſimilam frixam oleo: & abiit omnis populus, unuſquiſque in domum ſuam. 20. Reverſuſque eſt David, ut benediceret domui ſuæ: & egreſſa Michol filia Saul in occurſum David, ait: Quam glorioſus fuit hodie rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſervorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur unus de ſcurris. 21. Dixitque David ad Michol: Ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum, quam omnem domum ejus: & præcepit mihi ut eſſem dux ſuper populum Domini in Iſrael, 22. Et ludam, & vilior fiam plus quam factus ſum: & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, de quibus locuta es, glorioſior apparebo. 23. Igitur Michol filiæ Saul non eſt natus filius uſque in diem mortis ſuæ.

℣. 1. CONGREGAVIT RURSUM DAVID OMNES ELECTOS EX ISRAEL. Reddi poſſet Hebreus (1): *Congregavit rurſum David omnes juvenes* [vel milites] *Iſrael*. Primus populi conventus, ad quem hic ſecundus refertur, concilium certe illud eſt, Hebrone habitum, ut ſolemni ritu David in Regem ſalutaretur. Legimus in 1. Paralipomenon XIII. Davidem initum a ſe reducendæ Arcæ Jeroſolymam conſilium Præfectis copiarum ſuarum, ac denique univerſo totius populi conventui aperuiſſe. His conſilium probantibus, viſum eſt ad eam pompam Sacerdotes & Levitas cum reliquo populo acciri. David igitur unaque Sacerdotes & populus convenerunt in Cariath-jarim, ubi Arca morabatur.

TRIGINTA MILLIA. Codices quidam Septuaginta, inter quos Romana Editio, legunt: *ἐν ἑβδομήκοντα χιλιάσι*, *ſeptuaginta millia*. Sed pro triginta millibus legendum eſſe trecenta millia, cenſent Grotius & Capellius; nec ſane ex triginta ſolum millibus conflati poterat univerſus totius populi cœtus, peculiari juſſu collectus a Nilo vel Sihor uſque ad introitum Hemath (2), cum amplius quadringenta millia aliquot ante annis conveniſſent Hebronem, ut ſupremum Davidi Imperium decernerent (3). His conjecturis vis eſſet perſuadendi validior, ſi Textus alicujus auctoritas accederet. Sed Hebraici Codices omnes legunt hic triginta millia; & in Paralipomenis certus numerus non exprimitur. Quid, ſi triginta millia in armis fuiſſe dicas; qui ſecuritatem & quietem celebritatis tuerentur, reliquo ſine armis populo, plane innumero, ad ornamentum & pompam coeunte?

℣. 2. SURREXIT DAVID ... ET POPULUS QUI ERAT CUM EO DE VIRIS JUDA, UT ADDUCERENT ARCAM DEI. Reddi poſſet Hebræus (4): *Surrexit David & omnes Principes Juda, ut adducerent Arcam* (5). Sed & unde & quo venerunt? Cur ſilentur hic nomina cæterarum Tribuum, quas tamen pompæ huic adfuiſſe, ex Paralipomenis diſcimus? Reponimus, Hebræum *Baalim Juda*, quod redditum eſt, *viri Juda*, vel *Principes Juda*, ſignificare urbem *Cariath-jarim*, quæ pariter alicubi appellatur *Kiriat-Baal* (6), vel tantum *Bala* (7). Quare vertendum eſt: *David ſurrexit cum populo, qui erat cum eo, e Kariat-Baalim*, vel ex urbe Baalim, *ſita in Tribu Juda, ut adducerent Arcam Dei*. Arcam e Kariath-jarim, vel Katiat-Baalim, quo populus convenerat, tranſtulerunt Jeroſolymam. In hac expoſitione nihil eſt arduum; cui etiam accedit ex 1. Paralipom. XIII. 6. confirmatio; ibi enim legimus, Davidem in Kariat-jarim Juda profectum eſſe, ut Arcam transferret Jeroſolymam.

SUPER QUAM INVOCATUM EST NOMEN DOMINI: quæ appellatur Arca Domini. Ita ſcribit Iſaias IV. 1. *Invocetur nomen tuum ſuper nos*; pro, uxores tuæ ſimus. Et Eccleſiaſticus XXXVI. 14. *Iſrael, ſuper quem invocatum eſt nomen tuum*, qui populi tui nomine diſtinguitur. Jacob de Ephraimo & Manaſſe, quos adoptabat, agens (8), *Invocetur*, ait, *ſuper eos nomen meum*; referantur in cenſum filiorum Jacobi. Hebræus ad literam (9): *Super quam invocatum eſt nomen, nomen Domini*; nomen auguſtum & venerabile.

SEDENTIS IN CHERUBIM. Vide quæ diſſeruimus in 1. Regum IV. 4.

℣. 3. SUPER PLAUSTRUM NOVUM, majoris obſequii gratia. Servatum id pariter a Philiſtæis (10). Plauſtrum nullis adhuc uſibus profanatum, cæterorum puriſſimum habebatur. Deus tamen ea cautione non contentus, juſſit Arcam Sacerdotum humeris deferri; ita enim in Lege præceperat (11). Leviſſimum in ea religione peccatum, Ozæ morte expiatum eſt: quo cadente, totius pompæ gaudium turbatum eſt ac retardatum. Cavit David, ne quid tale in ſe induceret; cum enim Arcam e domo Obededom in domum ſuam transferre decreviſſet, Sacerdotibus imperavit (12): *Sanctificamini, & afferte Arcam Domini Dei Iſrael ad locum qui ei paratus eſt; ne*, inquit, *ut a principio, quia non eratis præſentes, percuſſit nos Dominus, ſic & nunc fiat*, ſi quid agamus, quod fieri non liceat.

TULERUNT ARCAM DE DOMO ABINADAB QUI ERAT IN GABAA; ſeu potius quæ conſidebat in edito loco Cariath-jarim (13): Gabaa enim eſt locus editus. Conſtat autem ex 1. Regum VII. Arcam apud Abinadabum relictam fuiſſe, ejus Abinadabi domus in editiſſimo urbis Cariath-jarim loco erat.

℣. 5. IN OMNIBUS LIGNIS FABREFACTIS. Hebreus ad literam: בכל עצי ברושים *In omnibus lignis abietum*; ex abiete enim forte muſica inſtrumenta parabantur.

CYTHARIS. Hebræus כנרות *Cinnoroth*, quo nomine venire creduntur lyræ veterum, a noſtris cytharis plane alienæ. Fuſius de his agemus in Commentario in Pſalmos.

LYRIS. Hebræus נבלים *Nablis*. Septuag. Νάβλαις.

TYMPANIS, vel cymbalis, vel ejuſmodi inſtrumentis, quæ Galli appellant *tambours de Baſques*.

SISTRIS. Hebræum מנענעים *Menanim* ducitur ex *Na*, quod eſt movere, agitare, innuitque facile tympani genus, quod plurima agitatione pulſabatur. Septuaginta: Κυμβάλοις, *cymbalis*. Aquila & Symmachus *Siſtra*.

CYMBALIS. Hebræus צלצלים *Zelzelim*. Septuaginta: Ἐν αὐλοῖς, *tibiis*. Agitur hic potius de ſiſtro, inſtrumento Ægyptiis familiariſſimo. Perſæ fictili-

(1) ויאסף עוד דוד את כל בחור בישראל (2) 1. Paral. XIII. 5. (3) Vide ad 2. Reg. V. 1.
(4) ויקם וילך דוד וכל העם אשר אתו מבעלי יהודה (5) Ita Septuag. Καὶ ἀνέστη καὶ ἐπορεύθη Δαυὶδ καὶ πᾶς ὁ λαὸς ὁ μετ' αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἀρχόντων Ἰούδα. Jonathan: ex civitatibus Juda. (6) Joſue XV. 60.
(7) Ibid. ℣. 9. (8) Geneſ. XLVIII. 16. (9) אשר נקרא שם שם יהוה Legi poteſt *Scham*, ibi, pro שם *Schem*, nomen. (10) 1. Reg. VI. 7. (11) Num. IV. 1. (12) 1. Par. XV. 12. 13.
(13) Ita Septuag. Εἰς οἶκον Ἀμιναδὰβ τοῦ ἐν τῷ βουνῷ.

fictilibus cymbalis in figura textei vaſis majoris, quales ad butyrum adhibemus, utuntur. Itin. Moſch. tom. 1. pag. 381. Tubas non alias agnoſcunt niſi æneas, octo pedibus longas, & ultra duorum pedum diametro, quo loco minus patent, hiantes.

℣. 6. POSTQUAM VENERUNT AD AREAM NACHON. Quid ſit area, ſatis conſtat; & nos (1) demonſtravimus. Nachon ex Vulgata & Septuaginta (2), pro certo nomine viri, ad quem area ſpectabat, accipiendum eſt: ſed Hebræus alium ſenſum commode admittit (3): *Ad arcam præparatam*. Chaldæus: *Ad locum paratum;* prope locum, ubi Arca conſtituenda erat. Conſtat utique, Obededom domicilium Jeroſolymis habuiſſe, proximum civitati Davidis, vel Sioni (4); ipſiuſque in domo collocatam fuiſſe Arcam ſtatim poſt mortem Ozæ, pompa ulterius non procedente, hic legimus. In 1. Paralipom. XIII. 9. *Area Chidon* appellatur. Reddunt alii: *Area amiſſionis*, vel mortis Ozæ.

QUONIAM CALCITRABANT BOVES. Genuina ſignificatio vocis originalis (5) ignoratur. Septuaginta (6): *Quoniam circumflectebat eam vitulus*. Chaldæus: *Quia pepulerant eam boves*. Alii. Quia diverterant ex itinere. Cenſuit Bochartus, eos boves luto inhæſiſſe. In recitato Paralipomenon loco legimus: *Bos quippe laſciviens inclinaverat eum*. Eamdem lectionem ibi retinent Septuaginta: Ἐξέκλινεν αὐτὴν. Sed Hebræus utroque in loco idem eſt. Reddi etiam poſſet: *Boves deſerebant illam*, ut laberetur. Forte plauſtrum in alterum latus inclinarunt.

Confer 1. par. XIII. 19. *Bos quippe laſciviens*, & 1. Reg. VI. 7. *Vaccas fœtas*. Amant Hebræi boves curribus ſuis jungere, quod & de Mogolio & Indis ſcribunt itineraria; tum & addunt in uſum equitandi ibidem boves impendi. Mandorlus tom. 2. pag. 197. Vide quæ adnotavi 1. Reg. VI. 7.

℣. 7. PERCUSSIT EUM SUPER TEMERITATE. Hebræus: *Super ignorantia* (7), erroris, criminis, imprudentiæ ſuæ cauſa. Ignorantia ſæpe in Scriptura pro crimine uſurpatur. At enim quæ Ozæ culpa fuit? Peccaſſe illum credunt aliqui, quod nudam (8), nulla ſervata cautione, tetigerit; ſive quod minus fidere Deo viſus fuerit, quaſi Deus hominis ope indigeret, nec per ſe poſſet labantem Arcam ſuſtinere (9); vel quod Arcam plauſtro impoſuerit bobus trahendam; cum Sacerdotum humeris vehenda fuiſſet (10). Autumarunt quidam, Ozam, totius conſilii hujus authorem, pœnas pro cæteris luiſſe. Sed David caſus hujus genuinam cauſam detegit, aſſirmans id Levitæ contigiſſe, quod cum ad Arcam vehendam deeſſent Sacerdotes (11), Oza a genere Aaronico alienus, Arcam manu tangere auſus fuerit. Vulgo ajunt (12), Ozam Levitici fuiſſe generis; quod tamen nullo certo argumento probatur. Neque fas erat Levitis æque omnibus, ſed Levitis tantum e familia Caath Arcam vehere; neque ipſis Caathitis, niſi tribus velaminibus obvolutam deferre (13). Poſtquam ventum eſt in terram promiſſionis, honor vehendi Arcam unicis Sacerdotibus ceſſiſſe videtur, Levitis penitus excluſis. In tranſitu Jordanis, Sacerdotes Arcam ferebant (14), iidemque circum mœnia Jerichuntis Arcam duxere (15): iidem in caſtra Iſraelis ſub Heli (16), denique in ædes Davidis e domo Obededom tranſtulerunt (17). Criminis ſui culpam Oza expiaſſe morte Divinitus illata creditur. Totam in ea re temeritatem, tangendi ſcilicet tactu profano rem ſanctiſſimam, Arcam Domini, purgaſſe apud Deum creditur recta illius voluntas, & Divinarum rerum ſtudium. Voluit tamen Deus terribili illo ultionis exemplo docere populum ac Miniſtros ſacris addictos ſacrum erga majeſtatis ſuæ terrorem, & profundum quemdam erga ſacra myſteria horrorem.

℣. 8. QUOD PERCUSSISSET DOMINUS OZAM. Hebræus (18): *Quod diviſiſſet Dominus diviſionem*, vel rupiſſet rupturam *in Oza*. Hoc verborum ambitu exprimere ſolent Hebræi (19) mortem vi illatam & excidium. Ita: *Fecit Dominus fracturam* (20), cum ſcilicet Tribus Beniamin prorſus fere periit. Viarum graſſatores appellant *Effractores* (21).

℣. 10. IN DOMUM OBEDEDOM GETHÆI. Obededom Levitici fuiſſe generis (22), nemo ignorat. Cur igitur Gethæus appellatur? Idcirco fortaſſe, quod diutius in urbe Philiſtæa Geth habitaverit, vel quod ibi natus ſit, quo tempore David eo perfugiſſet; ſeu potius quod ortum duceret e Geth-Remmon, urbe Levitarum Tranſjordanica (23).

℣. 12. ET ERANT CUM DAVID SEPTEM CHORI, ET VICTIMA VITULI. Fruſtra hæc quæras in Hebræo, in Græco Complutenſi Septuaginta, & in vetuſtis codicibus Verſionis S. Hieronymi. Septuaginta editionis Nobilii non leviter abſunt ab Hebræo & Vulgata; ita enim ferunt: *Ivit autem David & adduxit Arcam Domini de Domo Obeddara* (ita enim appellant Obededom) *in civitatem David in lætitia. Et erant cum eo portantes Arcam ſeptem chori, & victima, vitulus & agni. Et David pulſabat in organis modulatis coram Domino*.

℣. 13. CUMQUE TRANSCENDISSENT QUI PORTABANT ARCAM DOMINI SEX PASSUS, IMMOLABAT BOVEM ET ARIETEM. Per ſingula ſex paſſuum intervalla altare ſtabat, ubi bos & agnus, tranſeunte Arca, illaque coram Altaribus ſubſidente, immolabantur. Innuere videtur Textus Paralipomenon (24), immolatos eſſe ſeptem boves totidemque arietes; ex quo inferas, ſeptem fuiſſe per totidem intervalla ſex paſſuum Altaria, quibus totum iter a domo Obededom uſque ad locum a Davide in Arcæ ſedem deſtinatum ſpargebatur. In eo tamen Paralipomenon loco ſermo eſt tantum de ſeptem victimis, quas Sacerdotes immolabant, grates Deo reddentes, quod ſibi denique pepercíſſet. De victimis a Rege nomine ſuo oblatis, nihil ibi legimus. Cenſet Grotius, Aras illas e glebis tumultuario opere congeſtis fuiſſe conflatas.

Erexit ſubitas congeſtu ceſpitis aras.

Malunt alii (25), unicum fuiſſe altare, quo illarum omnium victimarum ſanguis deferebatur. Nulla ſane neceſſitas poſtulabat, ut altaria ſtarent ubique, ubi victimæ immolabantur: ſed altarium major numerus pompæ magnificentiam augebat.

Hebræum (26) *meri*, quod Vulgata & Septuaginta reddunt *Arietem*, ſonat, juxta Rabbinos, bovem ſeu vitulum, ſeu victimam quamcumque data opera ſaginatam; ex aliis, bubalum ſeu taurum

rum

(1) 1. Reg. XXIII. 1. (2) Ἕως τῆς ἅλω Ναχών. (3) עד גרן נכון Aqu. Ἕως ἅλωνος ἑτοίμου.
(4) Vide infra VI. 13. (5) כי שמטו הבקר (6) Ὅτι περιέσπασεν αὐτὴν ὁ μόσχος. (7) ויכהו
על השל Aqu. Ἐπὶ τῷ ἀγνοίᾳ, pro ignorantia, vel inſania. Alius, προπετείᾳ, temeritate. (8) Serarius.
(9) Hebr. in Sanct. (10) Ita Lyr. Grot. Men. ad ℣. 3. Malv. Mar. Tir. Eſt. ad 1. Paralipom. XIII.
(11) 1. Paralip. XV. 13. Ne ut a principio, quia non eratis præſentes, percuſſit nos Dominus, &c. Vide & Joſeph.
lib. 7. c. 4. Antiq. & Theodoret. qu. 19. in 2. Reg. (12) Joſeph. Antiq. lib. 6. c. 2. nominat Abinadabum patrem Ozæ *Levitam opinione religionis ac juſtitiæ celebrem*. Vide & Theodoretum quæſt. 19. ubi quaſi ex Joſepho narrat, Ozam Levitam non fuiſſe, cum Joſephus ſolummodo ſcribat, Sacerdotem non fuiſſe: Ὅτι μὴ ὢν ἱερεὺς ἥψατο ταύτης. (13) Vide Num. IV. 15. & XVIII. 3. (14) Joſue III. 14. (15) Joſue VI. 6. (16) 1. Reg. IV. 4. (17) 1. Paral. XV. 5. (18) על אשר פרץ יהוה פרץ בעזה
Septuag. Διέκοψε διακοπήν. (19) Vide Exod. XIX. 22. & 24. (20) Judic. XXI. 15. (21) Pſalm.
XVI. 4. Jerem. VII. 11. Mich. II. 13. (22) 1. Paral. XV. 18. 21. 24. & XVI. 5. 38. & XXVI. 4. (23) Joſue XXI. 24. 25. (24) 1. 2. Paral. XV. 26. (25) Cleric. hic. (26) יזבח שור ומריא

rum ferum. Symmachus, *ovem*; Septuaginta, *agnos*. Aquila, *animal ſaginatum*. Sed Bochartus (1) contendit, accipiendum eſſe de bove quodam Syriæ pinguiſſimo & velociſſimo.

Olim Pagani Numina & ipſos etiam Principes ſuos eodem honoris genere proſequuti ſunt, quod David hic Arcæ Dei Iſraelis impendit. Othonem ita exceptum legimus apud Suetonium, *cum per omne iter dextra ſiniſtraque oppidatim victimæ cæderentur*. Et Caligula apud eumdem, *ut a Miſeno movit, inter altaria & victimas ardenteſque tædas denſiſſimo ac lætiſſimo obviorum agmine inceſſit*. Paris ita ad Helenam ſcribit apud Ovidium:

Ibis Dardanias ingens Regina per urbes,
Teque novam vulgus credet adeſſe Deam.
Quaque feres greſſus, adolebunt cynnama flammæ,
Cæſaque ſanguineam victima planget humum.

℣. 14. David saltabat totis viribus. Innuere videtur Hebræus (2), agni laſcivientis inſtar Davidem ſaltaſſe, vel circumſiliendo choreas duxiſſe. Septuaginta (3): *Ludebat inſtrumentis*. Chaldæus: *Laudabat Dominum*. Divinum illud œſtrum, quo David afflabatur, & præſens rei gaudium, non licitum modo, ſed laudabile in eo Principe efficiebant, quod in aliis rebus minus decuiſſet publice a viro ejus dignitatis præſtari.

David erat accinctus Ephod lineo (4). Induendam tunc cenſuit David veſtem, quæ unis Sacerdotibus pro conſueto more debebatur: ſed ejus uſum nulla lex Regibus interdicebat. Ephod iſtud nihil erat fortaſſe, niſi cingulum quoddam lineum inferiores veſtes adſtringens. Præter Ephod aſſumpſerat tunc David pallium byſſinum (5). Hæc tamen minime continuerunt Micholem, quin exprobraret Regi, nudum illum fœde coram ancillis ſuis apparuiſſe, ut inferius narrabitur. Ex Patribus quidam expendentes ea quæ de Davide memoriæ prodita ſunt, comediſſe ſcilicet illum panes propoſitionis, & geſſiſſe Ephod, Sacerdotis loco habuerunt, rati participem factum fuiſſe Sacerdotii Legis novæ, vel expreſſiſſe imaginem novi fœderis Sacerdotum. Hoc ſenſu S. Irenæus (6) Sacerdotem illum appellat: *Sacerdos ſcitus erat David*.

℣. 16. Subsilientem atque saltantem. Reddi poſſet Textus (7): *Laſciviebat cum niſu*, & ſaltu. Prima originalis vox referri creditur ad ſaltationem laſcivientium arietum, altera ad ſaltum caprarum. Aquila: *Agitabat ſe, & ſaltabat*. Symmachus: Tripudiabat & ridebat cum cythara. Septuaginta: *Saltabat & pulſabat*.

℣. 17. In medio tabernaculi quod tetenderat ei David. Novum tentorium ſeu Tabernaculum erexit David in civitate Davidis; vetus autem Tabernaculum manſit Gabaone.

℣. 18. Benedixit populo. Proſpera omnia a Deo imprecatus eſt. Munus id erat Sacerdotum & Principis peculiare, ut ſolemni ritu bona populo imprecarentur. Salomon, peracta Templi dedicatione, univerſo populo, ut hic David, benedixit. Benedictionis hujus formulam habes in III. Regum VII. 55. 56. David benedictionem populo impartitus, ad privatæ domus benedictionem diſceſſit (8), præſertim ut fœminis benediceret, quæ pompæ non interfuerant. Juris gentium vetuſti veſtigia quædam ſunt hæc, juris, inquam, quo ſinguli patres-familias Sacerdotis munus in domo ſua exercebant.

℣. 19. Collyridam panis unam. Hebreum חלת לחם *chalat* innuit collyridam ſeu panem ſubactum aut illitum melle vel oleo, qui & azymus parari ſolebat (9). Ex Hebræa hac voce *chalat* derivatum credo Gallicum *galette*. Familiares Hebræorum panes tenuiſſimi erant, quod hodie pariter in iis regionibus ſervatur.

Assaturam bubulæ carnis unicam. Tantum carnis, quantum uni ſufficeret.

Similam frixam oleo. Noſtro quidem palato minus ſapit farina oleo frixa; ſed veteribus plurimo uſui erat farina (10), quæ ex oleo frixa, inter cupedias erat delicatiſſimas. Recentiores plures Interpretes (11) cenſent, Hebræum אשישה החת deſignare *phialam vini*. Septuaginta: Λάγανον ἀπὸ τηγάνου, *Laganum de ſartagine*. Chaldæus: *Portionem unam*.

℣. 20. Discooperiens se ante ancillas, vel ſubditorum uxores & filias. Hæc de ſuo Michol adjecit; neque enim in animum inducere poſſumus, Davidem indecorum quid & pudori contrarium admiſiſſe. Per exaggerationem hæc exprobrat Michol, illud tantummodo ſignificans, Davidem, cum toto niſu ſaltaret, propemodum quæ pudorem læderent detexiſſe. Cæterum *diſcooperire ſe* non plenam & abſolutam nuditatem ſemper exprimit: jam alibi (12) monuimus, nudum eſſe pro eo ſæpe uſurpari quod eſt, conſuetis veſtibus non indui, male vel parum veſtiri. David Ephod lineo indutus erat, uti ſupra ℣. 14. legimus: accedebat ſuperior veſtis, pallium ſcilicet byſſinum, ut in Paralipomenis narratur; nec defuiſſe tunicam cenſendum eſt. Cum enim Ephod merum eſſet cingulum, plerumque veſtem ſeu tunicam adſtringebat. Convicia igitur Micholis nonniſi agitationes quaſdam paulo vehementiores incautioreſque ſpectabant, quas animadvertere ſibi viſa eſt in Davide, ingens coram Arca gaudium teſtante.

Quasi nudetur unus de scurris. Verbis hiſce Michol modum excedit, atque obſequio in Regem debito deeſt. Textus ad literam quaſi אחד הרקים *unus ſtultorum* (13) ſeu circulatorum, & otioſorum, qui inanibus ſpectaculis imperitum vulgus detinent. Septuaginta: *Sicut unus ſaltantium* (14).

℣. 23. Igitur Michol ...... non est natus filius. In Capite XXI. 18. hujus Libri recenſentur quinque filii Micholis ex Adriele: at niſi nomen Michol pro Merob in Textum irrepſit, reputandum erit, Micholem adoptaſſe filios e Merob ſorore ſua & Adrielis uxore natos; vir enim Micholis Phaltiel appellabatur. Sunt qui credant, Eglam uxorem Davidis & matrem *Jetraami* (15) ipſiſſimam fuiſſe Micholem; cujus tamen opinionis nullum eſt fundamentum. Cenſendum igitur eſt, Micholem nullos filios, quantum ſcimus, ſive ex Phaltiele, ſive ex Davide reliquiſſe. Innuere videtur Scriptura, in pœnam conviciorum, quæ hic in Davidem effudit, retuliſſe ut nunquam mater efficeretur.

---

[1] Vide Bochart. de animal. ſacr. tom. 1. l. 2. c. 28. [2] ודוד מכרכר בכל עז [3] Septuag. Ἀνεκρούετο ἐν ὀργάνοις ἡρμοσμένοις, &c. Chald. משבח [4] אפוד בד Aqu. Ἐπένδυμα ἐξαίρετον, *Pallium eximium*. Sym. Ἐπένδυμα λινοῦν, *veſtem lineam*. Septuag. Στολὴν ἔξαλλον, *ſtolam pulcherrimam*. [5] 1. Paralipom. XV. 27. [6] Irenæus lib. 4. contra Hæreſ. Vide & S. Ambroſium lib. 5. in Luc. cap. 6. [7] מפזז ומכרכר Aqu. Διασπασταλλόμενον, καὶ περχορευόμενον. Sym. Σκιρτῶντα καὶ κρουσάζοντα. Septuag. Ὀρχούμενον καὶ ἀνακρουόμενον. [8] Infra ℣. 20. [9] Vide Exod. XXIX. 2. 23. Levit. II. 4. VII. 12. VIII. 26. &c. [10] Vide nos in Levit. II. 5. [11] Munſt. Kimchi, Vat. Jun. Piſc. Cleric. [12] 1. Reg. XIX. 24. [13] Aqu. Εἷς κενῶν, *inanium*. Sym. Εἷς ἀχρείων, *vilium*. Septuag. Ὀρχουμένων, *ſaltantium*. [14] Καθὼς ἐκκαλύπτεται εἷς τῶν ὀρχουμένων. [15] 2. Reg. III. 5.

CAPUT VII.

David Nathano Prophetæ conſilium de excitando Templo Domini aperit. Is, qui primum omnia probaverat, deinde juſſu Dei pandit futurum, ut honor erecti Templi uni e filiis ejus ſervetur. Promiſſiones factæ Davidi ejuſque familiæ. David orat, vel gratias agit Domino de cumulatis in ſe beneficiis.

℣. 1. FActum eſt autem, eum ſediſſet rex in domo ſua, & Dominus dediſſet ei requiem A. M. 2960. ante J. C. 1044.
undique ab univerſis inimicis ſuis, 2. Dixit ad Nathan prophetam: Videſne,
quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei poſita ſit in medio pellium? 3. Di-
xitque Nathan ad regem: Omne, quod eſt in corde tuo, vade, fac: quia Dominus te-
cum eſt. 4. Factum eſt autem in illa nocte: & ecce ſermo Domini ad Nathan, dicens:
5. Vade, & loquere ad ſervum meum David: Hæc dicit Dominus: Numquid tu ædifi-
cabis mihi domum ad habitandum? 6. Neque enim habitavi in domo, ex die illa, qua
eduxi filios Iſrael de terra Ægypti, uſque in diem hanc: ſed ambulabam in tabernacu-
lo, & in tentorio. 7. Per cuncta loca, quæ tranſivi cum omnibus filiis Iſrael, numquid
loquens locutus ſum ad unam de Tribubus Iſrael, cui præcepi, ut paſceret populum
meum Iſrael, dicens: Quare non ædificaſtis mihi domum cedrinam? 8. Et nunc hæc
dices ſervo meo David: Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te de paſcuis ſe-
quentem greges, ut eſſes dux ſuper populum meum Iſrael: 9. Et fui tecum in omni-
bus, ubicumque ambulaſti, & interfeci univerſos inimicos tuos a facie tua: fecique tibi
nomen grande, juxta nomen magnorum, qui ſunt in terra. 10. Et ponam locum po-
pulo meo Iſrael, & plantabo eum, & habitabit ſub eo, & non turbabitur amplius: nec
addent filii iniquitatis, ut affligant eum ſicut prius, 11. Ex die, qua conſtitui judices
ſuper populum meum Iſrael: & requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, prædicit-
que tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus. 12. Cumque completi fuerint
dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredie-
tur de utero tuo, & firmabo regnum ejus. 13. Ipſe ædificabit domum nomini meo, &
ſtabiliam thronum regni ejus uſque in ſempiternum. 14. Ego ero ei in patrem, & ipſe
erit mihi in filium: qui ſi inique aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum, & in
plagis filiorum hominum. 15. Miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicut
abſtuli a Saul, quem amovi a facie mea. 16. Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum
uſque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus jugiter. 17. Secundum
omnia verba hæc, & juxta univerſam viſionem iſtam, ſic locutus eſt Nathan ad David.
18. Ingreſſus eſt autem rex David, & ſedit coram Domino, & dixit: Quis ego ſum,
Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxiſti me hucuſque? * 19. Sed & hoc pa-
rum viſum eſt in conſpectu tuo, Domine Deus, niſi loquereris etiam de domo ſervi tui
in longinquum: iſta enim eſt lex Adam, Domine Deus. 20. Quid ergo addere poterit
adhuc David, ut loquatur ad te? tu enim ſcis ſervum tuum, Domine Deus. 21. Pro-
pter verbum tuum, & ſecundum cor tuum feciſti omnia magnalia hæc, ita ut notum fa-
ceres ſervo tuo. 22. Idcirco magnificatus es, Domine Deus, quia non eſt ſimilis tui,
neque eſt Deus extra te, in omnibus, quæ audivimus auribus noſtris. 23. Quæ eſt au-
tem, ut populus tuus Iſrael, gens in terra, propter quam ivit Deus, ut redimeret eam
ſibi in populum, & poneret ſibi nomen, faceretque eis magnalia, & horribilia ſuper
terram, a facie populi tui, quem redemiſti tibi ex Ægypto, gentem, & deum ejus?
24. Firmaſti enim tibi populum tuum Iſrael in populum ſempiternum: & tu, Domine
Deus, factus es eis in Deum. 25. Nunc ergo, Domine Deus, verbum, quod locutus
es ſuper ſervum tuum, & ſuper domum ejus, ſuſcita in ſempiternum; & fac, ſicut lo-
cutus es, 26. Ut magnificetur nomen tuum uſque in ſempiternum, atque dicatur: Do-
minus exercituum, Deus ſuper Iſrael. Et domus ſervi tui David erit ſtabilita coram
Domino. 27. Quia tu, Domine exercituum Deus Iſrael, revelaſti aurem ſervi tui,
dicens: Domum ædificabo tibi: propterea invenit ſervus tuus cor ſuum, ut oraret te
oratione hac. 28. Nunc ergo, Domine Deus, tu es Deus, & verba tua erunt vera:
locutus es enim ad ſervum tuum bona hæc. 29. Incipe ergo, & benedic domui ſervi
tui, ut ſit in ſempiternum coram te: quia tu, Domine Deus, locutus es, & benedi-
ctione tua benedicetur domus ſervi tui in ſempiternum.

℣. 1.

℣. 1. Cum Dominus dedisset ei requiem undique. Acta ſunt hæc poſt pacem Iſraeli a Davide reſtitutam, reparataſque jacturas proximi belli Saulis cum Philiſtæis; prius tamen quam arma extra Regnum in Moabitas, Syros, & Idumæos inferret, ac Philiſthæos intra eorum ditionem aggrederetur (1).

℣. 2. Dixit ad Nathan Prophetam. Quo tempore Nathan in Iſraele prodierit, ignoratur; nunc primum in Scriptura legitur. Vir erat modeſtia, prudentia, comitate præditus, qui ſeveritatem reprehenſionis plurima lenitate ac ſapientia temperare noverat: quod utique aptum illum hominum commercio faciebat, neque arcebat a Regibus. Hoc illum elogio vir magnus donat (2): congruitque omnino cum iis, quæ de illo ejuſque rebus in Scriptura narrantur. Nominis ſui gloriam, ac gratiam ſemper eamdem apud Davidem ſervavit; novitque mediam tenere viam *inter abruptam contumaciam & deforme obſequium, pergere iter ambitione ac periculis vacuum* (3).

Ego habitem in domo cedrina. Cedrus lignum erat ſolidum, pulchrum, corruptionis expers, in Libano, & in agro circa Biblon & Tripolim proveniens. Hiram Rex Tyri ligna & artifices ad Davidem miſit, quibus Regiæ ædes ædificarentur: meritoque affirmandum eſt, fuiſſe illas pro ætate magnificentiſſimas. Ita vero de his agit David, eaque ſunt, quæ inferius de Salomonis ejuſque uxoris ædibus deſcribuntur, ut facile intelligas, maximam earum partem ex ligno fuiſſe. In ferventibus regionibus, ea præſertim ætate, domus non craſſis adeo parietibus cingebantur, quibus noſtræ ſub pluvio cœlo procediſque ac hyemi obnoxio. Deſcribens Polybius (4) regias Perſarum Ecbatanis ædes, quæ meritiſſime inter pulcherrima totius antiquitatis ædificia cenſebantur, illarum materiam e cupreſſo & cedro fuiſſe narrat, quæ duo lignorum genera ea ætate inter rariſſima & pretioſiſſima habebantur.

In medio pellium. Scitum eſt, Veterum tentoria e pellibus fuiſſe, ac præſertim Tabernaculum vel tentorium, quo Arca Domini continebatur, ſaltem ſi ſuperiora velamina ſpectes (5).

℣. 3. Omne quod est in corde tuo, vade, fac. Prophetico Numine non afflatus Nathan perſuadet. Eximium adeo ac laudabile conſilium videbatur, ut nullo numine opus eſſe crederet, quo probaretur. Forte etiam David virum conſulebat, non Prophetam. Ita pariter & Joſephi ſententia ab Jacobi patris ſui ſententia diſcrepabat, cum res eſſet de Ephraimo & Manaſſe (6); & Samuel deſtinari a Deo in Regem Eliabum filium Iſai natu majorem arbitrabatur (7); ac denique Eliſæus fatetur, ſe cauſam mœroris hoſpitæ ſuæ, Deo non revelante, ignorare (8).

℣. 7. Numquid locutus sum ad unam de tribus Israel, cui præcepi ut pasceret populum meum. Legimus in Paralipomenis (9): *Numquid locutus ſum ſaltem uni Judicum Iſrael, quibus præceperam ut paſcerent populum meum?* quod utique ſenſum commodiorem reddit. Diſcrimen hoc mutatio unius literulæ in Textu reddit. Ibi pariter plus aliquid occurrit quam hic legitur; ſed in eumdem ſenſum recidit. Probat Deus Davidis voluntatem, Templum ſibi excitare meditantis, probat, ac viciſſim ſeſe illi domum ædificaturum ſpondet. *Annuntio tibi*, ait Nathan, *quod ædificaturus ſit tibi Dominus domum*. Non omnia ſemper quæ vel dicta vel geſta ſunt, uno eodemque loco narrat Scriptura; & cum bis eamdem hiſtoriam recitat, non iiſdem uſque vocibus rem perſequitur: diſcrimina ſæpe occurrunt, nunquam tamen re pugnantia. Cur Deus Templum ab ipſo Davide ſibi erigi noluerit, illud in cauſa fuit (10), quod is plurima cæde manus polluiſſet, frequentibuſque bellis ſeſe occupaſſet. Id vero Davidem quodammodo impurum efficiebat, vel ſaltem puritatem animi illius magis violabat, quam qua rem adeo ſanctam & piam aggredi deceret.

℣. 10. Non turbabitur amplius. Longa pace, te ac ſucceſſoribus tuis regnantibus, Iſrael fruetur; quam & perpetuam ſpondeo, ſiquidem Iſrael juſſionibus ſeſe meis conſtanti fide ſubmiſerit. Promiſſiones hæ ſunt non abſolutæ, ſed conditionibus definitæ.

℣. 12. Suscitabo semen tuum post te. Naturalem ordinem ſucceſſionis in Regno mutandum cenſet Deus, ut Salomoni nondum nato gratificetur (11). Natos jam Davidis liberos excludit, ut hæreditatem deferat naſcituro deinceps filio; veluti eo typo innuens Meſſiam, verum Davidis filium, & ſucceſſorem ac hæredem promiſſionum ipſius, penitus excluſis filiis carnis, Judæis ſcilicet reprobatis atque abjectis.

℣. 13. Stabiliam thronum Regni ejus usque in sempiternum. Promiſſionis hujus litera in uno tantum J. Chriſto (12) impleta eſt, qui ſcilicet Chriſtus potiſſimus eſt earum omnium promiſſionum ſcopus. Congruunt etiam hæc cum Salomone ejuſque poſteris, latiore tamen ſenſu ac magis vago; neque enim illorum Regnum pares cum æternitate fines habuit. Diuturnum quidem fuit, ut ſatis impleret vim phraſis illius latius explicatæ: *In ſempiternum*. Profecto in ejuſmodi oraculis ſedulo diſtinguenda ſunt typus & figura a re per figuram ſpectata. Duo ſunt etiam ardua æque vitanda, ne ſcilicet totum Jeſu Chriſto, ne totum Salomoni tribuatur; cavendumque ne de Jeſu Chriſto ad literam accipiantur quæ dicta ſunt de Salomone; vel de Salomone quæ de Jeſu Chriſto exhibet litera.

℣. 14. Arguam eum in virga virorum. Non ita puniam ut exſcindam, continebo me, ne iis pœnis eoque animadverſionis genere corripiam, quo populos a me exitio devotos, uti Chananæos & Amalecitas cecidi. Puniam filium tuum vulgaribus & conſuetis pœnis, quibus punire ſoleo cæteros citra exitium. Non affligam, niſi ut magis ſapiens, fidelis, adeoque & felicior reddatur. De hominum animadverſionibus agit alibi Propheta in hanc ſententiam (13): *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos ſuperbia*.

℣. 16. Fidelis erit domus tua . . . . ante faciem tuam. Stabit domus tua, nec cadet ſive deficiet. Ubi nunc domus hæc firma Davidis eſt? qua in re impletam demonſtres hujus vaticinii literam, niſi in Jeſu Chriſto, cujus domus, ideſt, Eccleſia tamdiu perſeverabit, quamdiu homines erunt?

Regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam. Videbis Salomonem filium tuum in ſolio tuo, antequam oculos morte claudas, ſedentem. Regnum Meſſiæ vidit David in ſpiritu. Septuaginta (14): *Regnum ejus firmabitur uſque in ſæculum coram me*; quæ congruunt cum Pſalmo LXXXVIII. 38. *Thronus ejus ſicut ſol in conſpectu meo*.

℣. 18. David sedit coram Domino (15). Nemini fas erat, niſi Regi, & quidem e ſtirpe Davidis,

[1] Vide 1. Par. XVIII. 1. collatum cum XVII. 1. [2] Grot. hic. [3] Tacit. Annal. lib. 4. [4] Polyb. Hiſtor. lib. x. [5] Vide Exod. XXVI. [6] Geneſ. XLVIII. 29. [7] 1. Reg. XVI. 6. [8] 4. Reg. IV. 27. [9] 1. Par. XVII. 6. שפטי pro שבטי quod hic legitur. Vide & 3. Reg. VIII. 16. 18. 25. & 1. Par. XXII. 8. 9. & XXVIII. 6. [10] 1. Par. XXII. 7. 8. [11] 3. Reg. II. 15. *Tu noſti quia meum erat Regnum . . . . ſed tranſlatum eſt regnum, & factum eſt fratris mei; a Domino enim conſtitutum eſt ei.* [12] Auguſt. lib. 7. de Civit. cap. 8. 9. Angelom. Eucher. Ruper. Lyran. Dionyſ. Hugo &c. Vide Hebr. 1. 5. [13] Pſalm. LXXII. 5. Confer & Pſ. LXXXVIII. 13. [14] Ἡ Βα[illegible] ἐναντίον μου. [15] וישב לפני יהוה Septuag. Ἐκάθισεν ἐνώπιον Κυρίου.

vidis, in atrio Templi ſedere, inquiunt Judæi (1). Sacerdotes nunquam non ſtabant, veruntamen illis erat ſedere, vel quieſcere, niſi in cellis ſuis, quæ diſpoſitæ erant ad latera porticuum. Hæc vulgo creduntur. Sed apud Joſephum legas ſellas plumbeas (2), in Templo poſitas in uſum Sacerdotum. Quorſum autem paratas, ſi Sacerdotibus nefas erat ſedere? Deſcribit Scriptura cathedram æneam, quam Salomon in Templo ſtatuit, ubi ipſe conſideret.

Interpretum quidam ægre ferentes illud, quod David ſediſſe dicatur coram Domino, quaſi habitus ille corporis minus deceret virum adeo pium, & erga Numinis majeſtatem obſequentem, alium Hebræo ſenſum quærunt. *Sedere* uſurpatur non raro pro quiete diuturna, Oſee III. 4. *Dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine Rege, ſine Principe, ſine Sacrificio, ſine Altari*. Ea igitur phraſis ſolummodo innuit prolixitatem, & diuturnitatem orandi, & corporis ſtatum, quo David diu fuit. Reddunt alii: *Perſeveravit*, vel *ſtetit*, vel *ſedit in pulvere* coram Domino; ſingulos enim hoſce ſenſus commode admittit Hebræus. Tradit Joſephus, provolviſſe ſe coram Arca (3). Quorſum vero hæ cautiones? Quo autem Scripturæ loco vetat Deus, ne quis ſupplicans ſedeat? Ad precem rite exſolvendam ſupplicem animum, non corpus exigit Deus. Quid? an corpus? an exterior corporis geſtus Deum flectit? (4) Heroum ætate, & qua pariter florebant Homerus, & Pythagoras, de genu non ſupplicabatur, ſed orantes ſtabant, vel ſedebant; monetque Pythagoras, ut qui adoraturus venit, ſedeat: Καθίζειν προσκυνοῦντας: Thetidem ſupplicantis habitu ſedentem coram Jove, amplexantemque ejus genua & mentum, exhibet Homerus (5).

℣. 19. Ista est enim Lex Adam, Domine Deus? Ita mecum egis, ut olim ab exordio cum Adamo; immortalitatem illi ſpopondiſti, ſi in fide manſiſſet; nec alium te mihi exhibes, quippe cui poſteritatem æternam pollicitus (6). Vel interrogantis ſententia: *Iſta eſt Lex Adam?* An ita cum Adamo egiſti? nonne illum una cum omni poſteritate morte damnaſti? mihi vero æternum Regnum deſtinas? Innuere hic videtur Propheta Incarnationem Verbi, quod diſpendia prioris Adami reparaturum erat. Alii nomen *Adam* pro homine generice uſurpatum cenſent: *Iſta eſt Lex*, vel mos *hominum*; conſueta ſunt hominum vota. Intueri quiſque poſteritatem ſuam & felicem illam florentemque poſt ſe relinquere cupit (7); cujus rei mihi, qua es clementia, Deus ſpem certam feciſti. Vel plenius: *Iſta eſt Lex*, vel ratio agendi inter homines (8). Æque mecum agere videris, ac amicus cum amico. Aliter: Iſta eſt Lex Magnorum virorum; ideſt, ita mecum agis, ut cum viro ampliſſimo. Primus Paralipomenon XVII. 17. habet: *Spectabilem me feciſti ſuper omnes homines*. Seu verbis interrogantis: Iſtane eſt conſueta tua agendi cum hominibus ratio? Quid rei eſt homo, ut ſpecialem hanc providentiam tuam erga ſe mereatur? Quid ego ſum, quem ſpeciali hoc amore proſequaris? Sunt qui de Meſſia interpretentur: *Iſta eſt Lex hominis Domini Dei* (9). Detegis mihi hodie myſterium ineffabilis hujus unionis, hominis cum Deo. Inter varias haſce expoſitiones ſeligendam, quam maxime probaverint, Lectoribus relinquimus: illæ optimæ ſunt, quæ maxime ſimplices. Nos cæteris hanc præferimus: Hoc ſedet hominibus, ut felicitatem ſibi, & poſteris optent.

℣. 20. Quid addere poterit? ut gratos animi ſui ſenſus exprimet. Seu potius, quid a te aliud poſtulet?

℣. 21. Propter verbum tuum, et secundum cor tuum fecisti. Primus Paralipomenon (10) *Domine, propter ſervum tuum, & ſecundum cor tuum*. Eamdem lectionem hic pariter Codices vetuſto exhibuiſſe, conſtat ex Septuaginta, qui ſententiam, ut in Paralipomenis exhibetur, hic reddunt.

℣. 23. Ut poneret sibi nomen. Iſraelitas in gloriam tuam ſelegiſti, ut nominis tui gloriam in illis exhiberes. Ut noſcant homines vim ac magnitudinem tuam, aliquis, in quo utraque exerceretur, exhibendus fuit. Igitur ad eam rem populum Iſraelis ſelegit.

A facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto, gentem, et Deum ejus. Ægyptios nempe & Numina illorum, in quos Deus Iſraelis *ultionem* ſuam *exercuit* per totam late Ægyptum, ut Moyſis phraſi utar (11); Vel, in Ægyptios & Regem illorum Pharaonem, qui pariter & illius gentis Deus appelletur, non quod Numen eſſet in aris, ſed quod vernacula Hebræorum phraſi Dii, *Elohim*, appellentur interdum, qui ſummam poteſtatem obtinent in terris, vel dignitatem aliquam in populo ſuo conſpicuam. Commode etiam verba hæc, *Gentem, & Deum ejus*, referuntur ad Hebræos: Eduxiſti ex Ægypto *Iſraelitas & Deos eorum*, Principes nempe, & Duces, Moyſem, Aaronem, & Tribuum Principes; vel potius, eduxiſti Hebræos ab Ægypto, a populo ejus & Diis ejus; evulſiſti populum hunc electum e medio regionis illius, ubi innumeris malis premebatur; ſeparaſti illos ab eo populo, in cujus mores tranſire jam cœperat: denique removiſti a cultu Numinum Ægyptiorum, cui aſſueſcere cœperat (12). Neque abs re in hunc alterum ſenſum Textus ex Hebræo (13) redditur: Quæ eſt, ut populus tuus, gens in terra, quem redemiſti ex Ægypto tot prodigiis, ut conſtitueres in terra tua, *e qua expuliſti gentes & Deos eorum coram iis?* Syntaxis Originalis nonnihil turbata eſt, ſed in hanc interpretationem nos ducit liber 1. Paralipomenon XVII. 21. *Quis enim eſt alius, ut populus tuus Iſrael, gens una in terra, ad quam perrexit Deus, ut liberaret, & faceret populum ſibi, & magnitudine ſua atque terroribus, ejiceret Nationes a facie ejus, quem de Ægypto liberaret* (14).

℣. 27. Revelasti aurem servi tui; uti cum ſecreto in aurem alicui quidquam dicitur. Phraſis hujus exempla alia ſupra animadvertimus (15).

Invenit servus tuus cor suum, ut oraret pro te. Intimo animi motu feror, ut hac de re tibi ſupplex fiem. Id autem ex me poſtulari exiſtimavi, grati animi officio (16). Aliter: Satis in me ſenſi fiduciæ audaciſque confidentiæ, ut audeam venire coram te, intimos animi ſenſus pro receptis a te beneficiis expoſiturus (17). Animos habere, deficere animo, invenire animum &c. phraſes ſunt inter ſe affines. Cor exprimit etiam interdum mentis attentionem, ingenium, cogitationem: *Dixi in corde meo*; recogitavi apud me. David in Pſalmo CVII. 1. *Paratum cor meum, cantabo, & pſallam*. Ponere in corde ſuo, eſt recogita-

(1) Vide Maimon. Halac. Mel. Med. cap. 8. Vat. &c. (2) Joſeph. de Bello Jud. lib. 7. cap. 11. Τῶν ἱερέων τινὲς . . . . καὶ τὰς ἕδρας αὐτῶν μολίβδῳ τετυγμένας ἀναστάντες, ἐπὶ τοὺς Ῥωμαίους ἠφίεσαν. (3) Joſeph. Antiquit. lib. 7. cap. 4. (4) Vide Auguſt. Reſponſ. ad quæſt. Simplic. lib. 2. qu. 4.
(5) Iliad. A. Καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων.
(6) Menoch. (7) Lyran. Toſt. Cornel. Tirin. (8) Jun. Grot. Men. Malv. (9) Oſiand.
(10) 1. Paralipom. XVII. 19. בעבור עבדך Hic legitur בעבור דברך Septuag. Διὰ τὸν δοῦλόν σου, καὶ κατὰ τὴν καρδίαν σου. (11) Num. XXXIII. 4. *In Diis eorum exercuerat ultionem*. (12) Joſue XXIV. 14. Ezech. XXI. (13) לעשות לכם הגדולה ונוראות לארצך מפני עמך אשר פדית לך ממצרים גוים ואלהיו (14) Vide Ludovic. de Dieu hic. (15) Vide Ruth IV. 4. 1. Reg. XX. 2. (16) Jun. Syr. Arab. Cornel. Vat. (17) Menoch. Marc. Sanct.

gitare. Hæc autem omnia congruere poſſunt huic phraſi, *Invenire cor ſuum*; intimum gratiæ ad orationem incitantis impulſum ſequi; munus iſtud pretioſum ſervare; effundere cor ſuum coram Domino, aditum omnem profanis cogitationibus negare, quibus animus diſſipatur, & id efficitur, ut *cor amittamus*.

℣. 29. Incipe ergo et benedic. Hebræus (1): *Velis & benedic*. Digneris benedictionem tuam in domum ſervi tui impertiri.

CAPUT VIII.

Victoria Davidis de Philiſtæis, Moabitis, & Adarezero Rege Syriæ. Thou Rex Emath filium mittit, qui illi ſuo nomine gratuletur. Victoria de Idumæis. Cenſus Præfectorum Davidis.

℣. 1. Factum eſt autem poſt hæc, percuſſit David Philiſthiim, & humiliavit eos; & tulit David frœnum tributi de manu Philiſthiim. 2. Et percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo, coæquans terræ: menſus eſt autem duos funiculos, unum ad occidendum, & unum ad vivificandum: factuſque eſt Moab David ſerviens ſub tributo. 3. Et percuſſit David Adarezer filium Rohob regem Soba, quando profectus eſt, ut dominaretur ſuper flumen Euphratem. 4. Et captis David ex parte ejus mille ſeptingentis equitibus, & viginti millibus peditum, ſubnervavit omnes jugales curruum: dereliquit autem ex eis centum currus. 5. Venit quoque Syria Damaſci, ut præſidium ferret Adarezer regi Soba: & percuſſit David de Syria viginti duo millia virorum. 6. Et poſuit David præſidium in Syria Damaſci: factaque eſt Syria David ſerviens ſub tributo: ſervavitque Dominus David in omnibus, ad quæcumque profectus eſt. 7. Et tulit David arma aurea, quæ habebant ſervi Adarezer, & detulit ea in Jeruſalem. 8. Et de Bete, & de Beroth, civitatibus Adarezer tulit rex David æs multum nimis. 9. Audivit autem Thou rex Emath, quod percuſſiſſet David omne robur Adarezer. 10. Et miſit Thou Joram filium ſuum ad regem David, ut ſalutaret eum congratulans, & gratias ageret, eo quod expugnaſſet Adarezer, & percuſſiſſet eum. Hoſtis quippe erat Thou Adarezer, & in manu ejus erant vaſa aurea, & vaſa argentea, & vaſa ærea: 11. Quæ & ipſa ſanctificavit rex David Domino cum argento, & auro, quæ ſanctificaverat de univerſis gentibus, quas ſubegerat, 12. De Syria, & Moab, & filiis Ammon, & Philiſthiim, & Amalec, & de manubiis Adarezer filii Rohob regis Soba. 13. Fecit quoque ſibi David nomen, cum reverteretur capta Syria in valle Salinarum cæſis decem, & octo millibus: 14. Et poſuit in Idumæa cuſtodes, ſtatuitque præſidium, & facta eſt univerſa Idumæa ſerviens David, & ſervavit Dominus David in omnibus, ad quæcumque profectus eſt. 15. Et regnavit David ſuper omnem Iſrael: faciebat quoque David judicium, & juſtitiam omni populo ſuo. 16. Joab autem filius Sarviæ erat ſuper exercitum; porro Joſaphat filius Ahilud erat a commentariis: 17. Et Sadoc filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar, erant Sacerdotes: & Sarajas, ſcriba: 18. Banajas autem filius Jojadæ, ſuper Cerethi, & Phelethi: filii autem David ſacerdotes erant.

℣. 1. Tulit David frænum tributi de manu Philiathum. Quod tributum? quando, & a quo impoſitum? Ignoramus id æque cum ignotiſſimis. A vero tamen non aberrat, Iſraelitas Philiſtæis tributum uſque ad id tempus ſolviſſe, ad annum ſcilicet circiter vigeſimum Regni Davidis. Hebræus aliter redditur (2): *David tulit frænum Amma de manu Philiſthiim*. Frænum iſtud Amma ſunt, ex quorumdam (3) ſententia, fauces, vel aditus montis Ammæ, vel Amani, e quibus David expulit Philiſtæos, quibus urbem Geth (4) in eorum regione conſtitutam abſtulit. Legunt alii: *Tulit Meteg-ama de manu Philiſthiim*. Nomen eſt hoc loci ignoti; ſed innui eo credit Junius montem Amgar, conſtitutum a Plinio circa Anthedonem, & Gazam (5). Denique reddi poteſt: *Tulit frænum cubiti e manu Philiſthiim*. Poſitum autem credo a S. Hieronymo *frænum cubiti*, ex verſione Aquilæ, pro *frænum tributi*, quæ correctio eſt Amanuenſis.

Cum tamen hæc omnia minus ſatisfaciant, aliter nodus ſolvendus eſt. Legimus in Paralipomenis (6), expugnaſſe Davidem Geth, ejuſque filias. Unius literulæ ſedes turbata eſt. Pro *Getim* (7) lectum eſt *Meteg*. Quare vertendum eſt: Cœpit David *urbem Geth*, *matrem*, vel metropolim, ex

[1] הואל וברך Septuag. Ἄρξαι καὶ εὐλόγησον, uti Vulgata, & Jonathan. [2] ויקח דוד את מתג האמה מיד פלשתים [3] Grot. hic. [4] 1. Paral. xviii. 1. [5] Plin. lib. 5. cap. 13. Angar. [6] 1. Paral. xviii. 1. ויקח את גת ובנותיה [7] Occurrit Getim, vel Gethaim ſupra iv. 3.

ex manibus Philiſtiim. Id vero iis reſpondet, quæ in Paralipomenis legimus: *Cepit Geth & filias ejus*, ſeu vicos. Aliter: In Numeris xxxiii. 28. legitur *Metea* vel *Metec*, quæ ſtatio eſt Hebræorum in deſerto, non procul a Geth & Aſmona. Porro Merec eadem facile eſt ac *Meteg*. Quare legi hic commode poteſt: David cepit Meteg, & mattem, ideſt, *Meteg & Geth*; qua ratione conciliantur Regum Libri cum Paralipomenis, ferentibus cepiſſe illum *Geth & filias ejus*. Hic autem ponitur, *filiam & matrem*, quod in idem recidit. Septuaginta (1): *Accepit David ſegregatam de manu Philiſtinorum*. Chaldæus (2): *Abſtulit commoditatem vivi de manu Philiſtinorum*; quæ poſtrema verſio, quamquam incerta admodum & obſcura, plurimis Interpretibus probatur.

℣. 2. Percussit Moab, et mensus est eos funiculo, coæquans terræ: mensus est autem duos funiculos; unum ad occidendum, et unum ad vivificandum. Capta regione, captivos omnes in unum locum coegit, juſſitque omnes humi proſterni, tamquam victimas morti deſtinatas; iiſque in duas partes diviſis, ſortes jecit, ut de nece alterutrius partis deliberaret. Quibus ſiniſtra obvenit ſors, ii facile inductis plauſtris & trahis contriti ſunt: alii vero in agriculturæ uſum atque ad tributum ſervati. Horres, Lector: ſed ætatis illius ſævities & Leges bellicæ permittebant, ut bello capti vel neci traderentur vel in ſervitutem (3), quæ pœna erat morti non inferior (4).

Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit.

Sunt qui credant, Davidem (5) in tres ſortes vel trifariam regionem Moabiticam diviſiſſe; quos vero intra duas ſortes nactus eſt, omnes interfeciſſe, ſervatis ad culturam terræ iis, qui tertia ſortis parte continebantur. Exhibent Septuaginta (6) *ſortes duas ad occidendum, & duas ad vivificandum*: id vero ſi admittamus, dimidium populi deletum fuiſſe opus erit. Hebræus ad literam (7): *Percuſſit Moab, & menſus eſt eum in funiculo, faciendo jacere eos ad terram, & menſus eſt duos funiculos ad mortificandum, & plenitudinem funiculi ad vivificandum*. De ſupplicii hujus ſeveritate nihil in Paralipomenis; habent enim tantum, Davidem expugnaſſe Moabitas, iiſque tributum imperaſſe. Cauſam belli hujus narrant Rabbini (8), ultionem ſcilicet exigendam de Moabitis, qui neceſſarios & fratres Davidis neci tradiderint. Minima tamen veri ſimilitudine.

℣. 3. Adarezer . . . . Regem Soba. In Textu Hebræo hic appellatur הדדעזר *Adadezer*, ſed in I Paralipomenon, xviii. 3. legitur הדרעזר *Adarezer*. Genuinum ejus nomen erat *Adadezer*. *Adad* enim nomen erat commune Regibus omnibus Syriæ, vel ſaltem eum nominibus Regum ejus gentis componebatur: ita e. g. occurrit inferius *Ben-Adad*. Adad Numen erat ejus gentis maximum, eoque nomine Solem innuebant (9). Recitat Joſephus fragmentum Nicolai Damaſceni (10), quo belli hujus hiſtoria narratur. Legimus autem ibi, Adad imperium ſuum per omnem late Syriam & Damaſcum, excepta Phœnicia, prorogaſſe; gravia autem expertum fuiſſe in ſe Davidis arma: poſt plura vero certamina denique a Davide ſuperatum ad Euphratem, eximia tamen eo in prælio virtutis ſpecimina exhibuiſſe: nomen ejus tranſiſſe in ſucceſſores, uti nomen Ptolemæi a Regibus Ægypti ſervatum eſt: ſucceſſores illos regnaſſe in Syria ad quintam uſque & decimam generationem; inter quos Adad, a priore illo tertius, probrum victoriæ a Davide de abavo ſuo relatæ deleturus, Samariam aggreſſus eſt, totamque late regionem vaſtavit. Hic bellum intulit in Achabum Regem Samariæ.

Ut dominaretur super flumen Euphratem, ex fide promiſſorum, quibus ſe ſe Deus obſtrinxerat, fore, ut totam illi regionem uſque ad Euphratem (11) ſubjiceret. Hebræus ad literam (12): *In eundo ipſum ad convertendum manum ſuam in flumine Euphrate.*

℣. 4. Captis mille septingentis equitibus. Septuaginta (13): *Mille currus & ſeptem millia equitum cepit*; quod congruit cum I Paralipomenon, xviii. 4. Variantia hæc conciliare conati ſumus in I Regum, xiii. 5.

Subnervavit omnes jugales curruum ויעקר. Mandaverat Deus Joſue (14), ut pari cæde ſæviret in equos Regum Chananæorum, cum Jabin Rege Aſor fœderatorum. Reputaverat forte David, cautionem Moyſis, ne Reges pluribus equis uterentur (15), omnino ſervandam eſſe. Incertum eſt autem, utrum ita iis equis nervos ſucciderit, ut cuilibet uſui inepti efficerentur; vel ita impedierit, ut bello quidem impares eſſent, agriculturæ tamen, aliiſque operis ſufficerent. Si enim ineptos cuilibet rei reddere voluiſſet, necaſſet potius, quam nervos ſuccidiſſet. Aquila: Ἐξηρίωσε, omnino illos delevit. Septuaginta: Παρέλυσε, Infirmavit eos. Symmachus: Ἐνευροκόπησε, ſuccidit illis nervum fœmoris.

℣. 5. Venit Syria Damasci, ut præsidium ferret Adarezer. Ex narratione Nicolai Damaſceni didicimus, Damaſcum paruiſſe Adarezero. Suus erat facile regioni huic Princeps, qui tributum Adarezero pendebat, quique auxiliares copias ad illum miſit. Porro David & Adarezerum cecidit ſeorſum, & ſeorſum pariter copias, quæ ad illum Damaſco mittebantur auxiliares.

℣. 7. Arma aurea. Eædem Hebrææ voces שלטי הזהב in I Paralipomenon, xviii. 7. redduntur: *Pharetræ aureæ*. Septuaginta: χλιδῶνας χρυσοῦς armillas aureas. Syriacus: *Pharetras aureas*, Arabs: *Balteos aureos*. Chaldæus: *Scuta aurea*: Aquila: Κλοιοὺς χρυσοῦς, *torques aureos*. Alius Interpres. Ὅπλα τὰ χρυσᾶ, *arma aurea*.

℣. 8. Bete et Beroth. Bete facile eſt urbs Bathæ vel Bathoæ in Syria, inter Beroeam & Jerapolim, e qua xxi. m. paſſibus, teſte Itinerario Antonini abeſt. Beroth eadem fortaſſe eſt cum Beroe Syriæ, inter urbes Cyri & Chalcidis, & a Chalcide xviii. m. paſſibus remota (16). Collocat illam Plinius (17) inter Arethuſam & Epiphaniam. Numquid eſt *Berythus*, ſive *Baruthus* ad Septemtrionem Sidonis, urbs mediterranea? Beroea etiam valde multum diſtat.

℣. 9. Thou Rex Emath. Animadverſum eſt alibi, Emath Syriæ ipſiſſimam eſſe Emeſam, celebrem Syriæ urbem ad Orontem. Rex Thou gravem & vicinum adverſarium habebat Adarezerum, ambitioſum Principem, qui ad totius Syriæ Imperium anhelabat. Cum ſuperbum hunc Regem tributo obnoxium feciſſet David, Thou infenſiſſimi hoſtis metu liberatus, mittit filium ſuum ad Davidem cum muneribus, illi gratulaturus victo-

(1) Ἔλαβε τὸν ἀφωρισμένον ἐκ χειρὸς τῶν ἀλλοφύλων. Aqu. Τὸν χαλινὸν τοῦ πήχεως, Frænum cubiti. Sy. Τὴν ἐξουσίαν τοῦ φόρου, *Poteſtatem tributi*. (2) ונסיב דוד ית תיקון אמרתא Vide Serar. Vatab. Cornel. Glaſſ. (3) Vide Grot. de jure Belli & Pac. lib. 3. cap. 4. art. 20 (4) Senec. Troad. (5) Vide Sym. Ἐμέτρησε δὲ δύο σχοινία εἰς τὸ θανατῶσαι. Ἓν δὲ εἰς τὸ περιποιῆσαι. (6) Septuag. Ἐγένοντο τὰ δύο σχοινίσματα τοῦ θανατῶσαι, καὶ τὰ δύο σχοινίσματα ἐζώγρησε. (7) ויך את מואב וימדדם בחבל השכב אותם ארצה וימדד שני חבלים להמית ומלא החבל להחיות (8) Vide Rab. Salom. Munſt. Lyr. (9) Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 23. (10) Nicolaus Damaſc. lib. 4. hiſt. apud Joſeph. lib. 7. cap. 6. (11) Geneſ. xv. 18. Num. xxiv. 17. (12) להשיב ידו In 1. Par. xviii. 3. Legitur להציב ידו *ad firmandum manum ſuam*. (13) Χίλια ἅρματα, καὶ ἑπτὰ χιλιάδας ἱππέων. (14) Joſue xi. 6. *Equos eorum ſubnervabis, & currus igne combures*. (15) Deut. xvii. 16. (16) Vide Itinerarium Antonini, & Strabonem lib. 16. (17) Plin. lib. 5. cap. 23. Vide & Strabon. lib. 16.

victorias ab illo relatas, & rogaturus patrocinium & amicitiam.

℣. 10. Joram. Alio nomine *Hadoram*, 1. Par. xviii. 10.

℣. 11. Quæ sanctificavit Rex David. Exuviarum partem Domino conſecrare ſolebant victores. Quem morem nemo religioſius quam David ſervavit. Legimus in 1. Paralipomenon xxvi. 26. ſuum fuiſſe Præfectum cuſtodem ſacri Ærarii, quo David & Principes, Tribuum Duces & Præfecti militares ſpoliorum hoſtilium ditiſſima intulerant. Erant inter cætera, munera a Samuele, Saule, Abnero & Joabo collata.

℣. 13. Fecit quoque sibi David nomen, cum reverteretur capta Syria in valle Salinarum, cæsis decem et octo millibus. Septuaginta legunt hic *Idumæam* pro *Syria*: eamque lectionem confirmat, qui proxime ſequitur, verſiculus, ferens, Davidem præſidia conſtituiſſe in Idumæa, totamque regionem ejus imperio ſubditam paruiſſe. In Paralipomenis, ubi hæc hiſtoria recitatur, nonniſi de Idumæa mentio eſt; nec aliter etiam legit titulus Pſalmi lix. Plura occurrunt in Textu Hebræo exempla, quibus nomen *Aram* Syriæ, pro *Edom*, Idumæa, exhibetur. Literæ, quibus utcumque nomen ſcribitur, perſimilem figuram in Originali referunt.

Vallis Salinarum excurrere fertur in extremam oram meridionalem maris mortui: nomen autem ſuum debet vel nitro quo abundat, vel bitumini quo ſcatet; vel denique proximo mari mortuo, quod Hebræi *mare ſalis* appellant, uti & vallem hanc, גיא מלח *vallem ſalis*. Verum cum alibi a nobis animadverſum ſit, opus eſſe ut Idumæa, quæ a Davide, cum e Syriaca expeditione reverteretur, ſubacta eſt, ad Orientem Terræ Sanctæ ſtatuatur; in eadem pariter regione Vallis Salinarum quærenda eſt. Occurrit autem (1) in Palmyrena, quæ intra Syriam Soba continetur, ter mille circiter paſſibus a Palmyra, vel Thadmor ad meridiem, Idumæam verſus procedendo, ingens planities ſalis, ex qua univerſæ Syriæ ſal ſufficitur. Ibi forte David fregit Idumæos, quos habuit obvios, cum e bello Syriaco regrederetur. Jacet ea vallis duorum circiter dierum itinere a Bozra, Idumææ Orientalis Metropoli. Hanc autem tenebat viam David e Syria Soba Jeroſolymam revertens. Victoriam hanc Davidis exercitus retulit, cui præerat Abiſai, qui *percuſſit Edom* (2) *in valle ſalinarum, decem & octo millia*. Si inſcriptio Pſalmi lix. genuina habeatur, conſtituamus oportet cæſa ab Joabo duodecim millia; quare ſex millia tantum armis Abiſai trucidata ſunt. Nihil eſt tamen cur vereamur eam inſcriptionem, quæ nullo Scripturæ teſtimonio confirmatur; niſi forte diſtinguenda videantur, quæ in prælio interfecit Abiſai, nempe duodeviginti millia, ab iis, quæ Joab poſt aliquot menſes cecidit, cum ad humanda cadavera in Idumæam perrexit. Vide 3. Regum xi. 15. Priori expeditioni adfuiſſe ipſe David videtur.

℣. 14. Posuit in Idumæa custodes, ut provinciam ſuo nomine gererent. Miſit Præfectos, ut jus dicerent. Cæſis decem, & octo millibus, de quibus modo actum eſt, Joab eo venit, trucidavitque quoſcumque obvios habuit ex Idumæis toto ſex menſium ſpatio, quo ibi moratus eſt (3).

℣. 15. Faciebat David judicium, et justitiam omni populo suo. Inter graviſſimas Regis curas ea eſt, ut jus populo dicat. Id autem munus obibant olim per ſe Reges; quare Veteres Rhadamanthum, Minoem, & Æacum, tres Cretenſium Reges, judices apud Inferos ſtatuerunt.

℣. 16. Joab filius Sarviæ erat super exercitum. Joab arcto neceſſitudinis vinculo cum Davide junctus erat, utpote natus e Sarvia Davidis ſorore (4). Ingenio vir ambitioſo, in vindictam præcipiti, audaci, aulicis & bellicis artibus exculiſſimo, omnia viribus & armis tribuens, nihil æquitati, atque officio. Achillem tum bonis, tum malis dotibus omnino dixeris (5):

Jura negat ſibi data, nihil non arrogat armis.

Non uno nomine bene de Davide meritus fuerat, nemo enim majori uſui ſive ad conferendum, ſive ad aſſerendum illi Regnum fuerat. Ejus tamen ſuperbiam ac ſævitiem ipſe David oderat (6). Cum ſummum in copias Iſraelis Imperium gereret, ipſe David illum verebatur. Jam olim copias Juda moderabatur, quo tempore David Hebrone regnabat; at idem ſibi munus in omnem late Iſraelis exercitum ſibi tum confirmavit, cum egregio militaris virtutis facinore, primus in Jeroſolymorum mœnia evaſit (7), dum ab armis Davidis, Regnum tunc ineuntis, cingebantur.

Josaphat a commentariis. Supplices Libellos excipiebat porrigebatque Regi. Hebræus ad literam (8): *Commemorans*, vel qui rationes dati & accepti reſcribit, vel quotidianos eventus in ephemerides refert. Apud Eſther (9) & Eſdram, ephemerides vel commentarii, quibus quotidiani Aulæ Regum Perſarum eventus deſcribebantur, appellationem habebant ex eadem radice, ac *Maskir*, quod hic legitur, derivatam. Reges Perſidis (10), non ſecus ac Reges Juda, ſuum habebant Scribam, & hiſtoricum, ſeu virum *A Commentariis*, qui ſingulorum dierum res geſtas deſcriberet. Hi munus gerebant atque authoritatem apud eos Reges ampliſſimam. Ezechias miſit ad Rapſacem legatos Sobnam *a ſecretis*, & Joahen *a commentariis* (11). De viris *a ſecretis* jam egimus (12).

℣. 17. Sadoc filius Achitob, et Achimelech filius Abiathar, erant Sacerdotes. Cur duo ſimul Sacerdotes rebus ſacris in Iſraele præfuerint, ſilet Scriptura: vero tamen ſimillimum eſt, Saulem odio familiæ Ithamari, cujus Sacerdotes neci tradiderat (13), ſacram dignitatem contuliſſe Sadoco, e ſtirpe Eleazari (14), cum interim David legitimum ſucceſſorem Achimelechi agnoſceret ejus filium Abiatharum, qui in ſuas partes tranſiverat. Rerum potientibus Saule & Isboſetho, tum & regnante Davide Hebrone, dignitatem ſuam obtinuerunt, obieruntque ſacra munera ſinguli in ditione Principis, cujus partes ſequebantur. Davide tamen unico Rege univerſi Iſraelis ſalutato, Sadoc & Abiathar dignitatem & munus ſervarunt, ſacra munera obeuntes, Abiathar quidem Jeroſolymis, Sadoc Gabaone (15). Is rerum ſacrarum ſtatus fuit toto Davidis Regno. Abiathar denique partes Adoniæ adverſus Salomonem ſequutus, ex Regis gratia excidit; rerumque potiente Salomone, unus Sadoc ſacra dignitate potitus eſt. Ita ſua fides manſit oraculo Samuelis (16) de ſummo Sacerdote Heli, futurum ſcilicet, ut ſacra dignitas ex ejus familia auferretur; ſimul autem conciliata eſt fides vaticinio

olim

[1] Vide Deſcriptionem Palmyræ, inſertam in Itinerario D. le Brun p. 341. [2] 1. Paralipom. xviii. 12. [3] 3. Reg. xi. 15. *ut occidiſſet omne maſculinum in Idumæa; ſex enim menſibus ibi moratus eſt Joab, & omnis Iſrael, donec interimeret omne maſculinum in Idumæa.* [4] 1. Paralip. ii. 15. [5] Horat. Vide Grot. in 2. Reg. 24. 15. [6] 2. Reg. iii. 39. *Viri iſti filii Sarviæ duri ſunt mihi.* [7] 2. Reg. v. 8. & 1. Paral. xi. 6. [8] מזכיר Aqu. Ὁ ἀναμιμνήσκων. Sym. Ἐπὶ τῶν μνημῶν. Septuag. Ὁ ἐπὶ τῶν ὑπομνημάτων. [9] 1. Eſdr. iv. 15. בספר דכרניא & vi. 2. וכן כתיב בגוה דכרונה Eſth. vi. 1. ספר הזכרונות [10] Vide Joſeph. l. xi. Antiq. c. 2. Vide Briſſon. de Reg. Perſar. lib. 1. [11] 4. Reg. xviii. 18. [12] Judic. v. 14. [13] 1. Reg. xxii. 16. [14] 1. Paral. vi. 50. [15] Vide 1. Paral. xvi. 39. *Sadoc autem Sacerdotem, & fratres ejus Sacerdotes, coram Tabernaculo Domini in excelſo quod erat in Gabaon.* [16] 1. Reg. ii. 35. 36.

olim (1) de Phinees pronunciato, perpetua illum dignitate in familia ſua potiturum.

Achimelech, filius Abiathar, de quo hic & in 1. Paralipom. XVIII. 16. idem eſt ac Abiathar filius Achimelechi (2). Porro duo hi Pontifices eodem nomine appellabantur, atque indiſcriminatim de utroque nomen ſive Achimelechi ſive Abjathari uſurpabatur.

℣. 18. Banajas super Cerethi et Pelethi. Corporis cuſtodes erant. Porro Cerethi & Phelethi ortu & origine Philiſtæi erant (3), & Davidis partibus inhæſerant, ex quo ille ad Achis Regem Geth confugit, atque in ejus fide perſeverabant. Leguntur Cerethi & Phelethi ſub Regno Joas (4) in Textu Vulgatæ; ſed in Hebræo non leguntur. David, labentibus Regni ſui annis, copias habebat ex univerſo Iſraele delectas, de quibus 1. Paralipom. XXVII.

Filii autem David Sacerdotes erant. Nomen Sacerdotis latius accipiendum eſt quam ad literam. Conſtat utique, Sacerdotium inhæſiſſe uni familiæ Aaronis; quare filii Davidis Sacerdotii dignitatem revera non obtinebant. Sed Hebræa vox (5), exprimens Sacerdotem, uſurpatur etiam de Principe; quo ſenſu accipitur hic vulgo ab Interpretibus (6). Septuaginta (7): *Erant Principes Aulæ*, ſeu primam dignitatem in Aula obtinebant. Docent Rabbini, Abſalomum ad defectionem adverſus patrem eo excitatum fuiſſe, quod eadem dignitate, qua fratres ſui, donatus non fuerit. Author Paralipomenon (8) exponit quid hic innuatur nomine Sacerdotis: *Primi erant ad manus Regis*; primi omnium deſtinabantur ad mandata Regis implenda. Apud ſe illos habebat, & pro ſingulorum ingenio & ſolertia occupabat. Sunt qui reddant (9): *Erant ut Sacerdotes*, populo gratiſſimi, & apud Regem occupati, uti Sacerdotes ſuis in Templo muneribus occupantur. Cenſet Bertramus (10), *legatos* illos fuiſſe *in exequendis mandatis*, & poſt defectionem Abſalomi, Davidem eo munere filios amoviſſe, ut Iram Jaraitem (11) ſubſtitueret.

CAPUT IX.

David humaniter excipit Miphiboſethum filium Jonathæ, cui reſtitui jubet Saulis patrimonium; cujus curam cultumque Siba demandat; tum & eumdem Miphiboſethum perpetuum menſæ ſuæ convivam creat.

℣. 1. ET dixit David: Putaſne eſt aliquis, qui remanſerit de Domo Saul, ut faciam Circa initium
cum eo miſericordiam propter Jonathan? 2. Erat autem de domo Saul, ſer- Regni Davidis, anno
vus nomine Siba; quem cum vocaſſet rex ad ſe, dixit ei: Tune es Siba? & ille reſpon- incerto.
dit: Ego ſum ſervus tuus. 3. Et ait rex: Numquid supereſt aliquis de domo Saul,
ut faciam cum eo miſericordiam Dei? Dixitque Siba regi: Supereſt filius Jonathæ, de-
bilis pedibus. 4. Ubi, inquit, eſt? Et Siba ad regem: Ecce, ait, in domo eſt Ma-
chir filii Ammiel, in Lodabar. 5. Miſit ergo rex David, & tulit eum de domo Ma-
chir filii Ammiel, de Lodabar. 6. Cum autem veniſſet Miphiboſeth filius Jonathæ filii
Saul ad David, corruit in faciem ſuam, & adoravit. Dixitque David: Miphiboſeth?
Qui reſpondit: Adſum ſervus tuus. 7. Et ait ei David: Ne timeas, quia faciens fa-
ciam in te miſericordiam propter Jonathan patrem tuum, & reſtituam tibi omnes agros
Saul patris tui, & tu comedes panem in menſa mea ſemper. 8. Qui adorans eum,
dixit: Qui ego ſum ſervus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem
mei? 9. Vocavit itaque rex Sibam puerum Saul, & dixit ei: Omnia quæcumque fue-
runt Saul, & univerſam domum ejus, dedi filio domini tui: 10. Operare igitur ei ter-
ram, tu & filii tui, & ſervi tui: & inferes filio domini tui cibos, ut alatur: Miphibo-
ſeth autem filius domini tui comedet ſemper panem ſuper menſam meam. Erant au-
tem Sibæ quindecim filii, & viginti ſervi. 11. Dixitque Siba ad regem: Sicut juſſiſti,
domine mi rex, ſervo tuo, ſic faciet ſervus tuus: & Miphiboſeth comedet ſuper men-
ſam meam, quaſi unus de filiis regis. 12. Habebat autem Miphiboſeth filium par-
vulum nomine Micha: omnis vero cognatio domus Sibæ ſerviebat Miphiboſeth. 13.
Porro Miphiboſeth habitabat in Jeruſalem: quia de menſa regis jugiter veſcebatur:
& erat claudus utroque pede.

℣. 2. ERat de domo Saul servus nomine Siba. Judæi Scriptores, quorum ſententiam Interpretes plures (12) ſequuntur, docent; Sibam ſervum fuiſſe Chananæum, quippe qui poſt obitum Saulis manumiſſus non fuerit. Leve tamen eſt argumentum. 1. Nulla Moyſis ſanctio libertatem decernit ſervo Hebræo poſt heri obitum; quin & vero ſimillimum videtur, ſervos fuiſſe partem hæreditatis filiorum. 11. Servis integrum erat non uti privilegio libertatis anno Sabbatico ſibi conceſſæ:

(1) Num. XXV. 12. *Erit tam ipſi* [Phinees] *quam ſemini ejus, pactum Sacerdotii ſempiternum.* (2) 1. Reg. XXII. 20. & XXIII. 20. & 3. Reg. IV. 4. (3) 2. Reg. XV. 18. *Legiones Cerethi, & Phelethi, omnes Gethæi, pugnatores validi; qui eum ſecuti fuerant de Geth.* (4) 4. Reg. XI. 19. (5) ובני דוד כהנים Vide 3. Reg. IV. 5. & 1. Par. XXVII. 5. (6) Jonath. Syr. Arab. Kimchi. (7) Καὶ οἱ υἱοὶ Δαυὶδ αὐλάρχαι ἦσαν. Sym. Σχολάζοντες, Vacantes. (8) 1. Par. XVIII. 17. הראשונים ליד המלך (9) Sanct. (10) Bertram. de Rep. Jud. c. 10. (11) 2. Reg. XX. 26. (12) Jonat. Vat. Toſt. Menoch.

ceſſæ : cur igitur eodem non uti privilegio non potuiſſent, hero obeunte, ſi quod privilegium illis mos & conſuetudo contuliſſet, quamquam eſt incertiſſimum? Familiare eſt Rabbinis leges ad arbitrium rogare, ac deinde torquere Scripturam, ut eam cum legibus hiſce ſuis componant.

Igitur Siba Hebræus ſervus Saulis conſtituendus eſt, ſed inter ſervos, munere & dignitate maximus. Forte in familia Saulis eumdem obtinebat locum, quem Eliezer in domo Abrahami (1), & Joſephus apud Putipharem (2). Denique eo erat apud Saulem loco, quo *villici*, & rei ruſticæ curatores apud Rumanos, de quibus agunt rei agrariæ Scriptores. Servis hiſce ſumma erat authoritas apud herum ſuum in fundos & ſervos, quorum curam & regimen herus illis commiſerat. Sibæ huic erant quindecim filii, & viginti ſervi (3), qui in familia heri ſui ſervientes, ſub Sibæ imperio erant : denique ex iis ſervis erat, quos Chriſtus ab hero ſuo *ſuper familiam conſtitutos* eſſe dicit, ut diſtribuant conſervis *menſuram tritici*, quæ pro more ſervis dabatur (4).

℣. 4. In domo Machir . . . . in Lodabar. Creditur *Lodabar*, vel *Ladabar* jacuiſſe trans Jordanem in regione, quam celebris ille Machir poſſidebat. Sed certus ejus ſitus ignotus eſt, & nonniſi temere in Tabulis (5) collocatur. Neque illud expectandum eſt ut doceamus, cur Miphiboſeth ſeſe in domum Machir filii Ammielis recepiſſet. Cæterum hæc minora ſunt, quam ut ea noſſe Lectorum interſit.

℣. 7. Restituam tibi omnes agros Saulis patris tui. Res omnes Saulis Regio fiſco addictæ fuiſſe (6) creduntur (7) in pœnam defectionis Isboſethi, Siba igitur Davidis erat, & ab illo reſtitutus cum veteri patrimonio Saulis (8), ad Miphiboſethum tranſivit.

Comedes panem in mensa mea. Inter ſummos a Rege honores illud habebant ſubditi, ut Regiæ menſæ convivæ adhiberentur. Jeſus Chriſtus ut Diſcipulis gloriam ſignificaret, quam illis deſtinabat, parare ſe illis dixit idem Regnum, quod ſibi pater conſtituerat, & convivas illos menſæ ſuæ in eodem Regno habiturum pollicetur (9). Servos manumittendi ratio quædam apud Romanos obtinebat, ut menſæ convivas illos adhiberent ; eaque appellabatur *Manumiſſio per menſam* (10). Menſæ Regum ſimul omnia imponebantur, quæ dein in familiares diſtribuenda erant. In Oriente non ſecus ac apud Moſchovitas, non diverſis, ſed uno ferculo omnia apponuntur. Iter e Moſchovia in Perſidem t. 1. paſſim & p. 233.

℣. 9. Omnia quæcumque fuerunt Saul, dedi filio domini tui. Totum patrimonium Miphiboſetho reſtitui. Vel, ex aliorum verſione ; Dedi Michæ, filio Miphiboſethi, quæcumque erant Saulis (11); Miphiboſetho autem menſam meam decrevi. Sed prior interpretatio præferenda videtur.

℣. 10. Inferes filio domini tui cibos, ut alatur. Curæ tuæ ſit, ut alatur Micha filius Miphiboſethi ex proventibus agrorum, quos ego patri illius, vel quos illi reſtitui. Mentem Regis aſſecutus eſſe Siba non videtur, quippe qui cenſeret alendos ſibi eſſe Miphiboſethum & Micham tam laute, quam ſi Regiæ menſæ aſſiderent.

℣. 11. Miphiboseth comedet super mensam meam, quasi unus de filiis Regis. Non hoc dixerat Rex ; verum Siba, obſequii gratia, & veluti parcens Regiæ ſollicitudini, ne Miphiboſethum quotidie in Regias ædes vocandi moleſtiam ferret, ſpopondit ſe curaturum illum in domo ſua tamquam e filiis Regis unum. Vel potius: Si Miphiboſeth cibos capere in domo ſua voluerit, quid Regiis liberis invideat, nihil habebit : non Micham modo nutriam, uti præcipis, ſed & Miphiboſethum pro conditione ſua perquam honorifice. Septuaginta (12): *Miphiboſeth comedebat ſuper menſam David, ſicut unus filiorum ipſius Regis*. Eamdem lectionem ſervant Syriacus & Arabs.

(1) Geneſ. xxiv. 2. (2) Geneſ. xxxix. 4. (3) ℣. 10. (4) Luc. xii. 42. (5) Vide Bonfrer. Onomaſt. in Lodabar. (6) Vide 2. Reg. xii. 8. *Dedi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in ſinu tuo*, &c. (7) Vat. Grot. Menoch. Tir. (8) Vide infra ℣. 11. & 2. Reg. xix. 28. (9) Luc. xxii. 30. (10) Inſtit. 1. tit. 5. Theophil. Antecessor. (11) Munſt. Vat. Jun. Sanct. (12) Καὶ Μεμφιβοσθὲ ἤσθιεν ἐπὶ τῆς τραπέζης Δαυὶδ, καθὼς εἷς τῶν υἱῶν αὐτοῦ τοῦ Βασιλέως. Legunt שלחנו, *menſam ejus*, Regis, pro שלחני *menſam meam*.

C A P U T X.

David, miſſis ad Regem Ammonitarum legatis, de morte patris illum ſolatur. Rex Ammonitarum Legatos fœde excipit, caſa barbæ & veſtium parte remittens, David bellum illi indicit, & ſuperat tum ejus exercitum, tum copias auxiliares.

A. M. 2967. ante J. C. 1037. ℣. 1. FActum eſt autem poſt hæc, ut moreretur rex filiorum Ammon, & regna-
vit Hanon filius ejus pro eo. 2. Dixitque David: Faciam miſericordiam
cum Hanon filio Naas, ſicut fecit pater ejus mecum miſericordiam. Miſit ergo Da-
vid conſolans eum per ſervos ſuos ſuper patris interitu. Cum autem veniſſent ſervi
David in terram filiorum Ammon, 3. Dixerunt principes filiorum Ammon ad Ha-
non dominum ſuum: Putas, quod propter honorem patris tui miſerit David ad te,
conſolatores, & non ideo ut inveſtigaret, & exploraret civitatem, & everteret eam,
miſit David ſervos ſuos ad te? 4. Tulit itaque Hanon ſervos David, raſitque dimi-
diam partem barbæ eorum, & præcidit veſtes eorum medias uſque ad nates, & di-
miſit eos. 5. Quod cum nuntiatum eſſet David, miſit in occurſum eorum: erant
enim viri confuſi turpiter valde, & mandavit eis David: Manete in Jericho, donec
creſcat barba veſtra, & tunc revertimini. 6. Videntes autem filii Ammon, quod in-
juriam

juriam feciſſent David, miſerunt, & conduxerunt mercede Syrum Rohob, & Syrum Soba, viginti millia peditum, & a rege Maacha mille viros, & ab Iſtob duodecim millia virorum. 7. Quod cum audiſſet David, miſit Joab, & omnem exercitum bellatorum. 8. Egreſſi ſunt ergo filii Ammon, & direxerunt aciem ante ipſum introitum portæ: Syrus autem Soba, & Rohob, & Iſtob, & Maacha, ſeorſum erant in campo. 9. Videns igitur Joab, quod præparatum eſſet adverſum ſe prælium, & ex adverſo, & poſt tergum, elegit ex omnibus electis Iſrael, & inſtruxit aciem contra Syrum. 10. Reliquam autem partem populi tradidit Abiſai fratri ſuo, qui direxit aciem adverſus filios Ammon. 11. Et ait Joab: Si prævaluerint adverſum me Syri, eris mihi in adjutorium: ſi autem filii Ammon prævaluerint adverſum te, auxiliabor tibi. 12. Eſto vir fortis, & pugnemus pro populo noſtro, & civitate Dei noſtri: Dominus autem faciet, quod bonum eſt in conſpectu ſuo. 13. Iniit itaque Joab, & populus, qui erat cum eo, certamen contra Syros, qui ſtatim fugerunt a facie ejus. 14. Filii autem Ammon videntes, quia fugiſſent Syri, fugerunt & ipſi a facie Abiſai, & ingreſſi ſunt civitatem: reverſuſque eſt Joab a filiis Ammon, & venit Jeruſalem. 15. Videntes igitur Syri, quoniam corruiſſent coram Iſrael, congregati ſunt pariter. 16. Miſitque Adarezer, & eduxit Syros, qui erant trans fluvium, & adduxit eorum exercitum: Sobach autem, magiſter militiæ Adarezer, erat princeps eorum. 17. Quod cum nuntiatum eſſet David, contraxit omnem Iſraelem, & tranſivit Jordanem, venitque in Helam: & direxerunt aciem Syri ex adverſo David, & pugnaverunt contra eum. 18. Fugeruntque Syri a facie Iſrael, & occidit David de Syris ſeptingentos currus, & quadraginta millia equitum; & Sobach principem militiæ percuſſit: qui ſtatim mortuus eſt. 19. Videntes autem univerſi reges, qui erant A. M. 2968.
in præſidio Adarezer, ſe victos eſſe ab Iſrael, expaverunt, & fugerunt quinquaginta & octo millia coram Iſrael. Et fecerunt pacem cum Iſrael: & ſervierunt eis, timueruntque Syri auxilium præbere ultra filiis Ammon.

℣. 2. FACIAM MISERICORDIAM CUM HANON FILIO NAAS, SICUT FECIT PATER EJUS MECUM MISERICORDIAM. Veri ſpeciem habet maximam, Naas eumdem eſſe Principem, cui Saul bellum indixit, ut Jabes Galaad ab obſidione liberaret (1). David e Geth, ubi vitam diſcrimini expoſitam agebat, ſeſe ſubducens, divertit ad Regem Moab (2), cum autem Naas Rex Ammonitarum vicinus eſſet, & Saulis adverſarius, vulgo creditur, odio Regis Iſraelis humaniſſime excepiſſe, ac faviſſe Davidi, quamdiu in ea regione manſit.

℣. 4. RASIT DIMIDIAM PARTEM BARBÆ EORUM, ET PRÆCIDIT VESTES EORUM MEDIAS USQUE AD NATES. Promiſſis veſtibus indui ſolebant Iſraelitæ; barbam nonniſi in luctu radebant, veſteſque tum pariter ſcindebant. Quare Ammonitæ, hac injuria Legatis Davidis irrogata, volentes nolenteſque coegiſſe illos videntur luctum agere de Rege Naas, de cujus morte ut dolerent cum filio Regnique ſucceſſore venerant. Porro Moabitæ & Ammonitæ in luctu, quod ab barbæ cultum, iiſdem moribus ac Hebræi cenſebantur (3). Narrat Herodotus (4), Ægyptium quemdam, largiore mero perfuſis militibus, qui fratris cadaver in crucem elati cuſtodiebant, cæſa dimidia eorum barba ludibrii cauſa, cadaver fratris ſurripuiſſe. Apud Lacedæmones, Plutarcho teſte (5), qui aliquid indignum ſtrenuo milite commiſiſſet, cogebatur hanc ignominiæ notam ferre, ut dimidiam ſuperiorem barbam raderet, alteram gereret. Notum eſt, quanto ſtudio quidam populi barbam colerent, quamque graviter barbæ raſuram ferrent. Apud Arabes probroſum eſt cædi barbam, uti apud nos flagris damnari, vel inuri ſtigmate: nec deſunt apud illos, qui pœnam illam morte redimant. Cum quis ſemel liberos habet, & jam deinceps barbam non radit, amicorum ea de re gratulationis officia excipit; nec fas eſt illi in poſterum barbam radere, citra religionis & honeſtatis injuriam. Id vero ſi unquam contingat, crimen eſt, Judicis ſententia puniendum (6). Uxores Arabum barbam virorum ſuorum oſculantur obſervantiæ gratia, & filii parentum cum ſalutatum illos veniunt. Si quis amico occurrat in via vel ex itinere redeat, alter alteri barbam ex utroque latere urbanitatis gratia oſculatur. Porro oſcula illa inter officia, quibus ſe invicem conveniunt, ſubinde repetuntur. Vide d'Arvieux coutumes des Arabes c. 7. pag. 175. 176.

Veſtes etiam Legatorum abſciſſæ ſunt, ideſt, tunica, quæ veſtis erat prolixa, totum corpus tegens: ita vero præciſæ ſunt, ut detegerentur ea, quæ tegi pudor jubet: tunc enim femoralium, vel latioris zonæ ad genua uſque deſcendentis uſus non erat, niſi penes illos qui cætera nudi eſſent, vel tunica exuti. Facile etiam præciſum eſt dimidium pallii, ne corporis nuda ſuperiore illo amictu velarentur. Pallium erat alterius a noſtris figuræ, ideſt, quadrata & oblonga e panno veſtis, cujus altera pars anterius, altera a tergo pendebat: addebantur ad quatuor oræ angulos flocci. Pallium ſolummodo illis præciſum, innuere videntur Septuaginta (7); Hebræum enim מדויה *Madevim* reddunt *Manduam*, militaris apud Perſas veſtis genus. Hebræus ad literam ſonat veſtem pro corporis menſura. Aquila exponit de tunica.

℣. 5. MANATA IN JERICHO. Jericho igitur invitis minis diriſque ab Joſue pronunciatis (8) reſtituta fuerat; ſeu potius condita ſtabat alia eodem in agro, ac prope eum locum, ubi olim vetus ſurgebat. Vide quæ diſſeruimus ad Joſue VI. 26.

(1) 1. Reg. XI. 11. (2) 1. Reg. XXII. 3. (3) Vide Iſai. XV. 2. (4) Herodot. l. 2. c. 121. Καὶ τῶν φυλάκων ἐπὶ λύμῃ πάντων ξυρῆσαι τὰς δεξιὰς παρηΐδας. (5) Plutarch. in Agesil. Ξυρῶνται μέρος τῆς ὑπήνης, μέρος δὲ τρέφουσι. (6) Darvieux coutume des Arabes chap. 7. p. 175. 176. (7) Septuag. Ἀπέκοψε τῶν Μανδύων αὐτῶν τὸ ἥμισυ. Aqu. Χιτῶνας αὐτῶν. (8) Joſue VI. 26.

℣. 6. SYRUM ROHOB, ET SYRUM SOBA. Syrorum Rohob metropolis erat Rohob, ſita ad extremam oram vallis inter Libanum & Antilibanum, Syri Soba parebant Adarezero; de quo ſupra VIII. 3.

MAACHA, regio erat circa montem Hermon, trans Jordanem, in Trachonitide.

ISTOB. Nota eſt in montibus Galaad Regio Tob, quo Jephte ſeſe recepit (1), quæ pariter regio *Tubim* appellatur in 1. Macchabæorum v. 13. *Is Tob* איש טוב (2) ad literam ſonat *hominem pulchrum*, vel bonum, vel *dominum Tob*; id eſt, Principem parvæ huic regioni imperantem.

℣. 7. DAVID MISIT JOAB, ET OMNEM EXERCITUM. Illata Davidis Legatis injuria, cauſa erat belli graviſſima. *Legatorum jus Divino, humanoque vallatum præſidio, cujus tam ſanctum & venerabile nomen eſſe debet, ut non modo inter ſociorum jura, ſed & hoſtium tela incolume verſetur* (3). Si Ammonitarum Regi cauſa erat diſſidii cum Davide, oportuerat Legatos non excipere, ac prohibere, ne in ditionem ſuam ingrederentur: ſemel autem exceptis injuriam inferre, nefas. Legatorum jus ulturi, bellum non ſemel Romani ſuſceperunt (4).

℣. 8. DIREXERUNT ACIEM ANTE IPSUM INTROITUM PORTÆ urbis Medabæ, ubi prælium commiſſum eſt (5). E re ſua eſſe non duxerunt Ammonitæ, ſive obſidionem expectare, ſive in apertum venire, ſed aciem ſub ipſis mœnibus inſtruxere. Legimus in Paralipomenis (6), præter ea XXXII. millia, de quibus ſupra ℣. 6. & copias ex Ammonitis ejus regionis collectas, ex auxiliaribus e Regione Tranſeuphratæa accitis bellicorum curruum triginta duo millia acceſſiſſe.

℣. 16. MISIT ADAREZER, ET EDUXIT SYROS, QUI ERANT TRANS FLUVIUM, Euphratem. Profligatus *Adarezer*, ſuperatuſque a Davide, uti ſupra VIII. 5. narratum eſt, neque audens in apertum fœdus cum Ammonitis venire, miſit clam legatos in Meſopotamiam cum legatis Regis Ammonitarum, qui copias auxiliares pretio conducerent, quibus Sobachum legionum ſuarum Imperatorem præfecit. Cum autem validiſſima eſſent auxilia, ipſe per ſe David exercitus ſui Imperium exercere ſtatuit. Vide 1. Paralipom. XIX. 16.

℣. 17. DAVID TRANSIVIT JORDANEM, ET VENIT IN HELAM. Urbis hujus ſitus non ſatis eſt exploratus. Meminit Ptolemæus *Alamatæ* in Syria ad Euphratem, quod cum hac Helam ſatis congruit. Vertunt alii Hebræum (7): *Venit ad exercitum eorum*; ſed mendum eſſe amanuenſium, merito reputamus. Vide 1. Paralipom. XIX. 7. vertendum autem malumus, *Venit ad aggrediendum illos*, pro, *Venit in Helam*, legentes in Hebræo *in Lehem*, pro *in Helam*.

℣. 18. OCCIDIT DAVID DE SYRIS SEPTINGENTOS CURRUS, ET QUADRAGINTA MILLIA EQUORUM. Legimus in 1. Paralipom. XIX. 18. *Interfecit David de Syris ſeptem millia curruum, & quadraginta millia peditum*. Quo pacto iſta concilientur? De curribus quidem difficultas omnis ſolvitur, ſi curribus ſingulis decem viros tribuas, ut alibi (8) expoſuimus. Quod vero additur de quadraginta millibus peditum, oppoſitis quadraginta millibus equitum, mendum amanuenſis in alterutro ex hiſce locis agnoſcendum eſt: niſi reputes, ſuppleri in Paralipomenis numerum peditum, in Libris Regum omiſſum: quare in eo certamine cecidiſſe dicendum eſt e Syris quadraginta millia peditum, equites totidem, cum ſeptem millibus qui ſeptingentos currus comitabantur.

℣. 19. VIDENTES UNIVERSI REGES, QUI ERANT IN PRÆSIDIO ADAREZER. Hebræus (9), Chaldæus, & Septuaginta. *Reges ſervi Adarezer, videntes quia ceciderunt ante Iſrael, & confugerunt ad Iſrael, & ſervierunt eis*. Reges hujuſmodi, Adarezeris ſervi, Reges ſunt Syriæ, imperio illius obnoxii: nulla enim ſuppetunt argumenta, quibus Adarezer ſubditos habuiſſe trans Euphratem Reges oſtendatur: ſi qui tamen fuerunt, ii cum cæteris ultro ſeſe Davidi dedentes, tributa ſolverunt. Addit Vulgata de Syris: *Expaverunt, & fugerunt quinquaginta & octo millia coram Iſrael*; fruſtra autem hoc quæras in Hebræo, Septuaginta, & Veteri S. Hieronymi Verſione. Hinc vero conſtat, Davidem populos habuiſſe ſubditos, ac tributa pendentes vel trans Euphratem; quod plane animadverſione dignum eſt. Vide titulum Pſalmi LIX.

(1) Judic. XI. 5. (2) Judic. 11. ℣. 5. (3) Cicero in Verrem Orat. 3. (4) Vide Grot. de jure Belli & Pac. lib. 2. cap. 15. (5) 1. Par. XIX. 9. (6) 1. Par. XIX. 6. 7. (7) ויבאו הילם Septuaginta Editionis Romanæ ℣. 16. *Congregavit Syros Chalamac, trans fluvium, & venerunt in Æliam*. (8) 1. Reg. XIII. 5. (9) ויראו כל המלכים עבדי הדרעזר

CAPUT XI.

Dum Joab obſidionem Rabbath proſequitur, David peccat cum Bethſabee uxore Uriæ; mandatque Joabo, ut in graviſſimo vitæ diſcrimine Uriam relinquat; qui & interficitur. Bethſabee poſt luctum Davidi nubit, & filium parit.

A. M. 2969. ante J. Chr. 1035. ℣. 1. FActum eſt autem, vertente anno, eo tempore, quo ſolent reges ab bella pro-
cedere, miſit David Joab, & ſervos ſuos cum eo, & univerſum Iſrael, &
vaſtaverunt filios Ammon, & obſederunt Rabba: David autem remanſit in Jeruſalem.
2. Dum hæc agerentur, accidit, ut ſurgeret David de ſtratu ſuo poſt meridiem, & de-
ambularet in ſolario domus regiæ: viditque mulierem ſe lavantem, ex adverſo ſuo per
ſolarium ſuum: erat autem mulier pulchra valde. 3. Miſit ergo rex, & requiſivit,
quæ eſſet mulier. Nuntiatumque eſt ei, quod ipſa eſſet Bethſabee filia Eliam, uxor
Uriæ Hethæi. 4. Miſſis itaque Da id nuntiis, tulit eam; quæ cum ingreſſa eſſet ad il-
lum, dormivit cum ea: ſtatimque ſanctificata eſt ab immunditia ſua, 5. Et reverſa eſt
in domum ſuam concepto fœtu. Mittenſque nunciavit David, & ait: Concepi: 6. Mi-
ſit autem David ad Joab, dicens: Mitte ad me Uriam Hethæum. Miſitque Joab Uriam
ad David. 7. Et venit Urias ad David. Quæſivitque David, quam recte ageret Joab,
& po-

& populus, & quomodo adminiſtraretur bellum. 8. Et dixit David ad Uriam: Vade
in domum tuam, & lava pedes tuos. Et egreſſus eſt Urias de domo regis, ſecutuſque
eſt eum cibus regius. 9. Dormivit autem Urias ante portam domus regiæ cum aliis
ſervis domini ſui, & non deſcendit ad domum ſuam. 10. Nuntiatumque eſt David a
dicentibus: Non ivit Urias in domum ſuam. Et ait David ad Uriam: Numquid non
de via veniſti? quare non deſcendiſti in domum tuam? 11. Et ait Urias ad David:
Arca Dei, & Iſrael, & Juda habitant in papilionibus, & dominus meus Joab, & ſer-
vi domini mei ſuper faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, ut come-
dam & bibam, & dormiam cum uxore mea? per ſalutem tuam, & per ſalutem animæ
tuæ, non faciam rem hanc. 12. Ait ergo David ad Uriam: Mane hic etiam hodie,
& cras dimittam te. Manſit Urias in Jeruſalem in die illa, & altera: 13. Et vocavit
eum David, ut comederet coram ſe, & biberet, & inebriavit eum: qui egreſſus veſpe-
re, dormivit in ſtrato ſuo cum ſervis domini ſui, & in domum ſuam non deſcendit.
14. Factum eſt ergo mane, & ſcripſit David epiſtolam ad Joab: miſitque per manum
Uriæ, 15. Scribens in epiſtola: Ponite Uriam ex adverſo belli, ubi fortiſſimum eſt
prælium: & derelinquite eum, ut percuſſus intereat. 16. Igitur cum Joab obſideret
urbem, poſuit Uriam in loco, ubi ſciebat viros eſſe fortiſſimos. 17. Egreſſique viri de
civitate, bellabant adverſum Joab, & ceciderunt de populo ſervorum David, & mor-
tuus eſt etiam Urias Hethæus. 18. Miſit itaque Joab, & nuntiavit David omnia ver-
ba prælii. 19. Præcepitque nuntio, dicens: Cum compleveris univerſos ſermones belli
ad regem, 20. Si eum videris indignari, & dixerit: Quare acceſſiſti ad murum, ut
præliaremini? an ignorabatis, quod multa deſuper ex muro tela mittantur? 21. Quis
percuſſit Abimelech filium Jerobaal? nonne mulier miſit ſuper eum fragmen molæ de
muro, & interfecit eum in Thebes? quare juxta murum acceſſiſtis? dices: Etiam ſer-
vus tuus Urias Hethæus occubuit. 22. Abiit ergo nuntius, & venit, & narravit Da-
vid omnia, quæ ei præceperat Joab. 23. Et dixit nuntius ad David: Prævaluerunt
adverſum nos viri, & egreſſi ſunt ad nos in agrum: nos autem facto impetu perſe-
cuti eos ſumus uſque ad portam civitatis. 24. Et direxerunt jacula ſagittarii ad ſer-
vos tuos ex muro deſuper: mortuique ſunt de ſervis regis, quin etiam ſervus tuus
Urias Hethæus mortuus eſt. 25. Et dixit David ad nuntium: Hæc dices Joab: Non
te frangat iſta res: varius enim eventus eſt belli: nunc hunc, & nunc illum conſu-
mit gladius: conforta bellatores tuos adverſus urbem, ut deſtruas eam, & exhortare
eos. 26. Audivit autem uxor Uriæ, quod mortuus eſſet Urias vir ſuus, & planxit
eum. 27. Tranſacto autem luctu, miſit David, & introduxit eam in domum ſuam,
& facta eſt ei uxor, peperitque ei filium, & diſplicuit verbum hoc, quod fecerat
David, coram Domino.

℣. 1. VERTENTE ANNO, EO TEMPORE QUO SOLENT REGES AD BELLA PROCEDERE. Poſt annum a bello Syriaco, de quo mox capite præcedenti, & verna anni tempeſtate, qua ſolent Reges in bellum proficiſci. Chaldæus, Syriacus, Arabs, cum Interpretibus nonnullis, reddunt Textum (1): *In tempore finis anni*; quod dupliciter exponitur, vel ſcilicet ſub finem exeuntis anni, poſt præcedens bellum, vel exeunte anno civili, cujus & initium & finis ab æquinoctio autumnali ſumebatur. In ferventibus regionibus mos eſt plerumque, ut bis in prælium proficiſcantur, ſemel verna tempeſtate ante æſtatem, iterum vero poſt æſtivos ardores, autumno. Quod vero addit Scriptura, *Eo tempore, quo ſolent Reges ad bella procedere*, eo nos ducit, ut de verna tempeſtate intelligamus.

VASTAVERUNT FILIOS AMMON. Quam Ammonitæ intulerant Davidi Legatis, injuria non ſatis continuo duorum præcedentium annorum bello expiata fuerat. Totus belli hujus impetus in copias auxiliares e Syria viciniſque regionibus collectas ceciderat. Ammonitæ ſeſe in Urbes ſuas receperant (2), levem jacturam paſſi. Altero anno David penitus profligandam cenſuit Syriam, quæ jugum excuſſerat, cujus vires magis quam Ammonitarum verebatur. Sed primos turbarum auctores non neglexit; quare ſtatim ac opportunum gerendi belli tempus acceſſit, Joabum miſit in Ammonitas, qui violationi juris gentium illud addiderant, ut adverſus Davidem Syros & populos Meſopotamiæ armarent. Hæc cauſa belli, cujus modo hiſtoria texitur.

℣. 2. ACCIDIT UT SURGERET DAVID DE STRATO SUO POST MERIDIEM. Jam alibi (3) animadvertimus exempla hujus moris apud Hebræos, ſomnum meridie capiendi, quod hodie pariter in calidioribus orbis partibus ſervatur.

VIDIT MULIEREM SE LAVANTEM EX ADVERSO SUPER SOLARIUM SUUM. David in tectum, vel ſuperius domus ſuæ ſolarium ſcandens, vidit in tecto alterius domus Bethſabeam lavantem in domeſtico balneo pro more Hebræorum, quibus imperatur ſæpe ſæpius balneorum uſus, quo a Legalibus quibuſdam maculis eluantur. In Textu Hebræo non legimus Bethſabeam in ſuperiori tecto lavaſſe (4), ſed tantum Davidem e ſuperiori tecto vidiſſe lavantem, facile in horto, vel in atrio; ſolent enim Judæi balnea ſibi in locis patentibus & ſub dio parare.

℣. 3.

(1) ויהי לתשובת השנה (2) 2. Reg. x. 14. *Filii autem Ammon videntes quod fugiſſent Syri, fugerunt & ipſi a facie Abiſai.* (3) 2. Reg. iv. 7. (4) ויתהלך על גג בית המלך וירא אשה רחצת מעל הגג

℣. 3. Bethsabee filia Eliam uxor Uriæ Hethæi. Pater Bethſabee appellatur *Ammiel* in Paralipomenis (1), ſeda unius literulæ turbata, quod tamen literalem vocis hujus ſignificationem non mutat. *Eliam* & *Ammiel* æqua ſonant: *Populus meus eſt Dei*. Cenſent Judæi (2), Achitophelem patrem fuiſſe Ammielis, adeoque & avum Bethſabeæ: idque confirmant ex eo Scripturæ loco (3): *Eliam filius Achitophel*. Sunt etiam (4) qui conjecturam ſuam eo uſque urgeant, ut credant, Achitophelem injuriam ulturum irrogatam Bethſabee a Davide, ad Abſalomi partes defeciſſe.

Uxor Uriæ Hethæi. Urias Hethæi cognomen retinuit, ſiva cauſa originis, qui religionem Chananæorum deſeruerit, ut tranſiret ad ſacra Hebræorum; ſiva cauſa diuturnæ moræ, quam cum Hethæis egerit aut ipſe, aut ex avis ejus quiſpiam; vel deniqua quod ſpecimen aliquod virtutis adverſus Hethæos exhibuerit; ſimili enim exemplo apud Romanos cognomina Africani, Germanici, Parthici, derivata ſunt ex victoriis in Afros, Germanos, Parthos.

Statimque sanctificata est ab immunditia sua, ex Lege (5), ſanciente, ut fœmina, quæ ad virum acceſſerit, lavet, ac maneat polluta, ſegregataque ab uſu rerum ſacrarum, uſque ad veſperum.

Dedecus hoc ſumpta diſſimulavit aqua.

Vertunt alii Hebræum (6): *Ipſa autem purgaverat ſe* balneo *ab immunditia ſua*, vel ſexus incommodo (7). *Hoc ideo additum*, ait Grotius, *ne miraremur, illico eam concepiſſe* (8).

℣. 8. Lava pedes tuos. Hoc ſe plerumque ſolatio recreabant, qui iter abſolviſſent; eodemque officio excipiebantur hoſpites, quos domi ſuæ quiſpiam accepiſſet. Cum nullis tunc veſtibus indui ſolerant crura, ſudor & pulvis morem hunc lavandi pedes neceſſarium reddebat. Hac vero phraſi invitare volebat David Uriam, ut recrearet ſeſe e laboribus itineris (9), pergeret in domum ſuam, ageretque noctem cum uxore, ne ſcilicet naſciturus ex ea filius aliter quam filius Uriæ haberetur. Nondum enim quidquam cogitabat David ſiva de Uriæ nece, ſive de nuptiis Bethſabeæ; ſed illud ſolummodo meditabatur, ut crimen ſuum celaret, ac publicum dedecus a fœmina removeret.

℣. 9. Dormivit ante portam domus Regiæ. Ante fores ædium Regum Orientalium atrium erat, ubi excubiæ diu noctuque vigilabant (10).

℣. 11. Arca Dei, et Israel et Juda habitant in papilionibus. Conſidebat Arca in caſtris ante Rabbath; nec abs re credimus, ad omnes magni momenti expeditiones deferri conſueviſſe. Illuſtrantur hæc ex Ammiano Marcellino lib. 22. *Scriptum eſt in antiquitatibus, Spartanum militem coercitum acriter, quod procinctus tempore auſus ſit videri ſub tecto.*

℣. 13. Dormivit in strato suo cum servis Domini sui. Inter cuſtodes corporis ſtratum ſuum, & locum deſtinatum habuiſſe videtur (11); atque hinc facile arbitrati ſunt quidam, illum a numero Phelethim vel Cerethim fuiſſe. Conſtat utique, virum fuiſſe inter fortiſſimos Davidis, atque inter Præfectos copiarum ipſius illuſtrem, ut infra (12) patebit. Inter armigeros Joabi recenſet Joſephus.

℣. 14. Scripsit David epistolam ad Joab. Miſero Uriæ damnationem ſuam deferendam dedit, tradita epiſtola, qua jubebatur Joab inevitabili mortis diſcrimini Uriam exponere. Eadem arte Prætus necem caſto Bellerophonti paravit (13), quem Antia Regina tentatæ pudicitiæ ſuæ falſo inſimulavit. His ad ſe delatis, Prætus Bellerophontem ad Jobatam Regem Syriæ ſocerum ſuum cum literis miſit, quibus ille accuſabatur, additis precibus ut ſontem interficeret. Porro nominis Jobatæ ſimilitudo eſt non levis cum Joabo; atque vices Uriæ cum Bellerophonte optime congruunt. Epiſtolæ utriuſque in proverbium abierunt. Plautus in Bacchidibus, Actu IV. Scena VII.

Chry. *Aha, Bellerophontem jam tuus me fecit filius,*
Egomet tabellas detuli ut vincirer?

℣. 15. Ponite Uriam ex adverso belli. Ubi hic David, ea animi clementia Princeps, ut adverſario ſuo Sauli parceret, cum ille tradente Numinis providentia in manus ſuas deveniſſet? Quantam in viro mutationem fecit turpis, & vitioſa libido? Heu quam facile, ſi ſemel errare cœperis, a ſcelere in ſcelus ruis! Quid cauſari poterat David, ut fideliſſimi hominis vitam diſcrimini exponeret, cujus præſentia liberatus, commodius impiæ libidini ſatisfaceret? Quam gravis autem criminis reus eſt Joab, iniquæ adeo juſſioni obtemperans, ſi veras illius cauſas non ignorabat? Heu quam vere Tacitus ſcripſerat: *Proprium humani ingenii eſt odiſſe, quem læſeris!* Facere non potuit David, ut præſentem ſibi deinceps intueretur hominem, quem grandi adeo injuria læſerat.

℣. 21. Abimelech filium Jerobaal, vel Gedeonis; utrumque enim nomen idem ipſe vir obtinebat. Textus Hebræus pro *Jerobaal* legit *Jerobeſet*, abſtinebant enim Judæi, ne efferrent nomen Baal, quod profani Numinis memoriam revocaret, ſubſtituebantque nomen *Beſet*, quod ſonat confuſionem, infamiam, ignominiam. Miphiboſeth, & Isboſeth genuino nomine appellabantur Miphibaal, & Isbaal, eamdem metamorphoſim paſſi ac *Jerobeſet*.

℣. 26. Uxor Uriæ . . . . . planxit eum. Graviſſimi ſe criminis ream, una cum Davide, violatæ ſcilicet connubii fidei, Bethſabee conſtituerat; ſed poſt viri obitum fas erat illi in thorum maritalem Davidis tranſire, cum forte cædis viro illatæ conſcientia non teneretur. Ambitioſa mulier modum exceſſit; nec injuria luctui ejus accommodes ea Lucani verba:

. . . . . Lacrymas non ſponte cadentes
Effudit, gemituſque expreſſit pectore læto.

℣. 27. Displicuit verbum hoc . . . coram Domino. In uno hoc Davidis ſcelere multa ſunt crimina; adulterium cum Bethſabee; cædes Uriæ, ut ejus uxorem raperet, & cum eadem Bethſabee connubium. Poſtremum hoc graviſſimis verbis caſtigat Nathan Propheta (14): *Uriam percuſſiſti gladio, & uxorem illius accepiſti in uxorem tibi, & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon. Itaque hæc dicit Dominus: Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis ſolis hujus.* Leges Canonicæ infecta declarant id generis connubia inter adulterum, & mulierem criminis conſciam, cujus prior vir neci traditus fuerit ab adultero; & quamquam nihil tale ſancitum eſt in Lege Moyſis, non tamen inde recte inferas, permiſſa fuiſſe ejuſmodi apud

(1) 1. Par. III. 9. (2) Vide Author. tradit. Heb. in Libb. Reg. Cornel. Menoch. (3) 2. Reg. XXIII. 34. (4) Tir. Cornel. (5) Levit. XV. 16. *Vir de quo egreditur ſemen coitus, lavabit aqua omne corpus ſuum; & immundus erit uſque ad veſperum*. 18. *Mulier cum qua coierit, lavabitur aqua, & immunda erit uſque ad veſperum.* (6) והיא מתקדשת מטמאתה (7) Theod. Α'πὸ ἀφέδρου αὐτῆς. Sym. Α'πὸ μιάσματος αὐτῆς. 70. Α'πὸ ἀκαθαρσίας αὐτῆς. (8) Ariſt. Hiſt. Animant. lib. 7. cap. 2. [illegible] (9) Jun. Piſc. Malv. Mari. (10) Vide Atheo. lib. 5. cap. 2. [illegible] Vide & Cteſiam de Perſis. (11) לשכב במשכבו (12) 2. Reg. XXIII. 39. (13) Homer. Iliad. Z.
Πέμπε δέ μιν Λυκίηνδε, πόρεν δ' ὅγε σήματα λυγρὰ
Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά. (14) 2. Reg. XII. 9. 10.

apud Judæos connubia. Neque deſunt Interpretes, qui innuere videantur, Davidem inter & Bethſabeam nullum fuiſſe connubium legitimum; ſed multo æquius ab aliis (1) affirmari cenſemus, matrimonium illud iniquum fuiſſe utique, & Deo inviſum, ratum tamen & firmum manſiſſe. Rationem illius ineundi arguit quidem Deus, improbat malam illam libidinem, qua connubium initum eſt; ſed ejus vinculum non ſolvit: quin nec conceptus ex adulterio infans nothus reputandus erat; ſavit enim puero illi jam nato connubium, proxime initum, quamquam adjunctis ſuis jure meritoque reprehendendum.

Rabbini omnem a Davide culpam ea in re amoliri conantes (2), leges moreſque comminiſcuntur, quorum ne veſtigium quidem ſive in eorum Lege, ſive in Hiſtoria Judaica ſupereſt. Ajunt, Davidem duxiſſe Bethſabeam ſuperſtite adhuc Uria, qui dato repudio ſe ſe ab illa ſejunxerat; mos enim, inquiunt, apud noſtros obtinebat, ut in bellum profecturi milites libellum repudii uxori relinquerent, ut libera illi eſſet facultas ad alias nuptias tranſeundi. Quorſum vero teterrimum & infandum Davidis ſcelus excuſetur, quod Scriptura damnat, & ſevere adeo punit Deus (3), ac denique amariſſimis lacrymis David ipſe deteſtatur ac luget (4)?

---

[1] Grot. hic, Serar. Cornel. Villet. [2] Vide apud Toſt. Sanct. Grot. ad ℣. 4. [3] Vide Caput XII. ℣. 1. 2. & ſeq. [4] Vide Pſalm. L.

C A P U T XII.

Nathan Davidem criminis reprehendit; qui crimen faſſus, veniam obtinet. Pœna, quibus a Deo crimen illud puniendum eſt. Natus e Bethſabee infans ægrotat: qua de re mœret David; ſed poſt ejus obitum flere ceſſat. Salomon naſcitur. Rabbath Metropolis Ammonitarum expugnatur.

℣. 1. MIſit ergo Dominus Nathan ad David, qui cum veniſſet ad eum, dixit A. M. 2970. ante J. Chr. 1034.
ei: Duo viri erant in civitate una, unus dives, & alter pauper: 2. Di-
ves habebat oves, & boves plurimos valde. 3. Pauper autem nihil habebat omni-
no, præter ovem unam parvulam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creverat apud
eum cum filiis ejus ſimul, de pane illius comedens, & de calice ejus bibens, & in
ſinu illius dormiens: eratque illi ſicut filia. 4. Cum autem peregrinus quidam ve-
niſſet ad divitem, parcens ille ſumere de ovibus, & de bobus ſuis, ut exhiberet con-
vivium peregrino illi, qui venerat ad ſe, tulit ovem viri pauperis, & præparavit ci-
bos homini, qui venerat ad ſe. 5. Iratus autem indignatione David adverſus homi-
nem illum nimis, dixit ad Nathan: Vivit Dominus, quoniam filius mortis eſt vir,
qui fecit hoc. 6. Ovem reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbum iſtud, &
non pepercerit. 7. Dixit autem Nathan ad David: Tu es ille vir. Hæc dicit Do-
minus Deus Iſrael: Ego unxi te in regem ſuper Iſrael, & ego erui te de manu Saul,
8. Et dedi tibi domum domini tui, & uxores domini tui in ſinu tuo, dedique tibi
domum Iſrael, & Juda: & ſi parva ſunt iſta, adjiciam tibi multo majora. 9. Qua-
re ergo contempſiſti verbum Domini, ut faceres malum in conſpectu meo? Uriam
Hethæum percuſſiſti gladio, & uxorem illius accepiſti in uxorem tibi, & interfeciſti
eum gladio filiorum Ammon. 10. Quam ob rem non recedet gladius de domo tua
uſque in ſempiternum, eo quod deſpexeris me, & tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut
eſſet uxor tua. 11. Itaque hæc dicit Dominus: Ecce, ego ſuſcitabo ſuper te malum
de domo tua, & tollam uxores tuas de oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet
cum uxoribus tuis in oculis Solis hujus. 12. Tu enim feciſti abſcondite: ego autem
faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu Solis. 13. Et dixit
David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque
tranſtulit peccatum tuum: non morieris. 14. Verumtamen quoniam blaſphemare fe-
ciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte morie-
tur. 15. Et reverſus eſt Nathan in domum ſuam. Percuſſit quoque Dominus parvu-
lum, quem pepererat uxor Uriæ David, & deſperatus eſt. 16. Deprecatuſque eſt
David Dominum pro parvulo: & jejunavit David jejunio, & ingreſſus ſeorſim, ja-
cuit ſuper terram. 17. Venerunt autem ſeniores domus ejus, cogentes eum, ut ſur-
geret de terra; qui noluit, nec comedit cum eis cibum. 18. Accidit autem die ſe-
ptima, ut moreretur infans: timueruntque ſervi David nuntiare ei, quod mortuus eſ-
ſet parvulus: dixerunt enim: Ecce cum parvulus adhuc viveret, loquebamur ad eum,
& non audiebat vocem noſtram: quanto magis, ſi dixerimus, Mortuus eſt puer, ſe
affli-

Digitized by Google

affliget? 19. Cum ergo David vidiſſet ſervos ſuos muſſitantes, intellexit, quod mortuus eſſet infantulus: dixitque ad ſervos ſuos: Num mortuus eſt puer? Qui reſponderunt ei: Mortuus eſt. 20. Surrexit ergo David de terra: & lotus, unctuſque eſt; cumque mutaſſet veſtem, ingreſſus eſt domum Domini: & adoravit, & venit in domum ſuam, petivitque, ut ponerent ei panem, & comedit. 21. Dixerunt autem ei ſervi ſui: Quis eſt ſermo, quem feciſti? propter infantem, cum adhuc viveret, jejunaſti, & flebas: mortuo autem puero, ſurrexiſti, & comediſti panem. 22. Qui ait: Propter infantem, dum adhuc viveret, jejunavi, & flevi: dicebam enim: Quis ſcit, ſi forte donet eum mihi Dominus, & vivat infans? 23. Nunc autem quia mortuus eſt, quare jejunem? Numquid potero revocare eum amplius? ego vadam magis ad eum: ille vero revertetur ad me. 24. Et conſolatus eſt David Bethſabee uxorem ſuam, ingreſſuſque ad eam, dormivit cum ea: quæ genuit filium, & vocavit nomen ejus Salomon, & Dominus dilexit eum. 25. Miſitque in manu Nathan prophetæ,
A. M. 2972. ante J. C. 1032. & vocavit nomen ejus, Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus. 26. Igitur pugnabat Joab contra Rabbath filiorum Ammon, & expugnabat urbem regiam. 27. Miſitque Joab nuntios ad David, dicens: dimicavi adverſum Rabbath, & capienda eſt Urbs aquarum. 28. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obſide civitatem, & cape eam; ne, cum a me vaſtata fuerit urbs, nomini meo aſcribatur victoria. 29. Congregavit itaque David omnem populum, & profectus eſt adverſum Rabbath: cumque dimicaſſet, cepit eam. 30. Et tulit diadema regis eorum de capite ejus, pondo auri talentum, habens gemmas pretioſiſſimas, & impoſitum eſt ſuper caput David. Sed & prædam civitatis aſportavit multam valde: 31. Populum quoque ejus adducens ſervavit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta: diviſitque cultris, & traduxit in typo laterum: ſic fecit univerſis civitatibus filiorum Ammon: Et reverſus eſt David, & omnis exercitus in Jeruſalem.

℣. 1. MISIT DOMINUS NATHAN AD DAVID; In crimine ſuo David per annum circiter perſeveravit. Propheta ad illum miſſus primum eſt poſt ortum filium, criminis illius fructum. Toto hoc ſpatio Prophetiæ ſpiritu deſtitutus eſt; abiit a Davide pietas cum gratia. Criminis ſui tenebris magis magiſque premebatur, & tanto ingenio, & tanta pariter æquitate vir, ut aliena peccata optime noſceret ac puniret, ſe tamen in imagine a Nathano exhibita non agnovit, niſi poſt quam idem Propheta reducto velo animi illius turpitudinem aperuit.

DUO VIRI ERANT IN CIVITATE UNA. Medicus peritiſſimus Nathan acrimoniam medicinæ totam ab ægro ſentiri non ſinit: multa illam lenitate ſapienter temperat, neque muneris quod gerebat, Legati ſcilicet a Deo, dignitatem diſcrimini objiciens, neque ægrotum moleſta medicina turbans, neque invidiam veritati creans, neque acri reprehenſione ulcus exaſperans, Davidem inducit, ut non expectata judicis ſententia ſeſe ipſe condemnet. Ut vero Davidem animo demitti, ac veritatem æquo animo excepturum ſenſit, ſtatim gravitatem & ſupercilium Prophetæ ſumens, virum qua decebat hominem a Deo miſſum gravitate alloquitur. Seorſum a cæteris hæc Davidi exprobraſſe Nathan creditur; ſed coram viris in Aula Principibus verba ſua feciſſe Prophetam, cenſet S. Chryſoſtomus (1). Quæ pariter circumſtantia multo magis & Prophetæ ſapientiam, & pœnitentis Principis demiſſionem commendat.

℣. 3. OVEM QUÆ CREVERAT APUD EUM CUM FILIIS EJUS, SIMUL DE PANE ILLIUS COMEDENS, ET DE CALICE EJUS BIBENS. Abs re utique phraſes iſtæ omnes ad literam ita urgerentur, ut veritas de ſingulis exigeretur, ſeu de ove, quæ argumentum eſt parabolæ, ſeu de Bethſabee, quæ ſub hujus ſimilitudinis ambagibus deſignatur. Satis eſt oſtendere, Nathanum probabilis regulas non exceſſiſſe, ejuſque narrationem ceu veram hiſtoriam accipere potuiſſe Davidem. Cum dicitur ovis cubare in ſinu heri ſui, ac de ejus pane comedere, ejuſque calice bibere, innuunt hæc ovem domeſticam, quæ in domo heri ſui familiariter verſatur, & cibum ex ejus manu capit. Obtinet id familiariter in vicina Judææ Arabia, ubi eximiæ e grege oves cicurantur, nec gregatim cum cæteris in agro relinquuntur, ſed nutriuntur domi cum liberis (2).

℣. 4. PARCENS ILLE SUMERE DE OVIBUS. Adjunctum hoc maximi in hac re momenti erat; idque facile Davidem induxit, ut pronunciaret, criminis illius reum dignum eſſe morte; furti enim crimen nonniſi quadrupli pœna multatur. Quæ animi imbecillitate committuntur crimina, venia utcumque digna ſunt; cum vero dolo malo atque animi perverſitate peccatur, ut libido expleatur, tum utique crimen excuſationem non meretur.

℣. 5. FILIUS MORTIS EST, morte dignus eſt, non ex furto quidem, quod in Lege nonniſi rei ablatæ reſtitutione damnatur (3), ſed ex odioſis rei adjunctis. Ut enim adjuncta interdum apud æquos Judices legum ſeveritatem temperant; ita etiam pœnam interdum graviorem efficiunt, odio illius malitiæ qua ſcelus perpetratum eſt. Neque enim omnia prævidere Legiſlatoribus datum eſt.

℣. 6. OVEM REDDET IN QUADRUPLUM, ex lege Exodi XXII. 1. ſancientis: *Siquis furatus fuerit bovem aut ovem, quinque boves pro uno bove reſtituet, & quatuor oves pro una ove.* David morte quatuor liberorum multatus eſt, prioris nempe e Bethſabee, Amnonis, Abſalomi, & Adoniæ, in criminis ſui pœnam: violatam tulit filiam ab Amnone filio ſuo (4); tum & uxores ſuas publico Abſalomi inceſtu pollutas (5). Septuaginta: *Reddet agnam in ſeptuplum.*

℣. 8. DEDI TIBI UXORES DOMINI TUI IN SINU TUO. Nullam ex uxoribus Saulis a Davide ductam ſcimus. Inducuntur quidem *Egla* & *Achinoam* tamquam relictæ e Saule viduæ; ſed res eſt incertior,

[1] Chryſoſt. [2] Vide Bochart. de animal. ſacr. tom. 1. l. 2. c. 46. [3] Exod. XXII. 1.
[4] 2. Reg. XIII. 14. [5] 2. Reg. XVI. 22.

tior, quem ut fidem mereatur. Sunt qui explicent de Michole filia Saulis, quaſi Textus ſolum ferret: Dedi tibi fœminas Principes in uxores. Sed præſtat exponere de jure, quod Davidi erat ducendi relictas e Saule viduas; quod unius Regis erat privilegium (1), Dedi tibi Saulis Regnum, & quæcumque omnia illius erant. Uxores & cætera, quæ victi Regis erant, victori cedebant. Conſule quæ diximus ſupra capite III. 7. Vide etiam quæ diſſeremus inferius XVI. 21.

Adjiciam tibi multo majora. Reddi poſſet Hebræus (2): *Si parva ſunt iſta, adjiciam tibi hæc & hæc*, rebus aliis de nomine deſignatis, ut vita diuturna, Regno felici, ſapientia, opibus &c. Septuaginta (3): *Adjiciam tibi ſimilia*.

℣. 10. Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum. Regnum Davidis cruentum fuit. Ejus familia domeſtico filiorum cruore maduit. Neque quiſquam Succeſſorum Davidis turbis & bello penitus vacavit. Ipſe pariter Salomon, labentibus vitæ ſuæ annis, defectionem Jeroboami expertus eſt (4); atque ipſe neci tradidit fratrem ſuum Adoniam (5).

℣. 11. Suscitabo super te malum de domo tua. Abſalom filius tuus arma in te vertet. Hunc autem ſurrecturum, atque adverſus patrem arma moturum dicit Deus, quod permiſſurus ſit, ut Abſalom prava animi ſui conſilia perſequatur, quin & pro voto utcumque illa ſuccedant, donec tamen providentia Davidem affligi velit.

℣. 13. Dominus transtulit peccatum tuum: non morieris. Vix David peccatum fatetur, veniam impetrat. Illud Davidis *Peccavi* longe profecto aliud eſt a confeſſione Saulis (6). Saul impetrare nunquam potuit, ut decretum reprobationis ſuæ deleretur; neque enim humili & ſincera pœnitentia ſupplicavit. Peccatum faſſus, ſimul rogat Samuelem, ut dignitatem ſuam coram populo tueatur; pervicax perſeverat, cogiturque Samuel iraſci, ſuiſque manibus Agagum Regem Amalecitarum mactare. Contra vero David animos demittit, plorat, gemit, atque publicum & perenne pœnitentiæ ſuæ monumentum Pſalmo quinquageſimo ſtatuit. Hinc monet illum Deus, ſe tranſtuliſſe ejus peccatum, ideſt, veniam criminis indulſiſſe, atque de ſeveritate ſupplicii plurimum ſeſe remiſſurum. *Peccatum* eſt hic crimen, & criminis pœna. Culpa quidem penitus deleta eſt, pœna vero æterna remittitur, de temporali pœna multum pariter demam: *Non morieris*. Gladium tibi minitatus ſum (7), ſed ad te gladius non accedet: vitam claudes in pace; puniam te quidem, ſed citra mortem.

℣. 14. Blasphemare fecisti (8) inimicos Domini. Crimen Davidis prius occultum, in apertum tandem prodiens, ſparſumque in vulgus, uſque ad exteros pervenit. Obloquuti ſunt Syri, Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi & Philiſtæi, quos David ſubjecerat, & livor & odium in Davidis res intentos vigileſque efficiebant. Qui fieri poteſt, inquiebant, ut Deus homicidam & adulterum favore ſuo proſequatur? Quæ Numinis æquitas, quæ providentia eſt? Is ne Deus eſt æquiſſimus, Deus iniquitatis ultor? Ejuſne arbitrio hujuſcemodi monſtrum electum eſt, quod populi ſui habenas moderetur? En virum ex Dei ſententia conditum, Saulo prælatum, cumulatum auctumque beneficiis & promiſſionibus largiſſimis! An tale unquam molitus eſt Saul? Hæc forte reputabant Profani. Perniciosum etiam exemplum Iſraelitarum quoque animos labefactavit. Hinc enim impii & effrænes licentiam impunemque Divinæ Legis violationem didicerunt, Legem ipſam ab eo impune peſſumdari intuentes, quem firmiſſimum illius præſidium eſſe oportuerat. Denique paſſim impiis verbis religio ridebatur, vel atrocia & horrenda ſcelera patrabantur.

℣. 15. Et desperatus est. Hebræus (9) ſonat tantum; *Et ægrotavit*, elanguit, morbo opprimebatur.

℣. 16. Ingressus seorsum jacuit super terram. Hebræus (10): *Pernoctavit, & jacuit ſuper terram*.

℣. 18. Die septima infans obiit, ſeptima ſcilicet die vel ab ortu vel a cœpto morbo. Porro infans extinctus eſt, non proprii criminis [neque enim criminis parentum particeps erat] ſed parentum ſuorum pœnas luens.

℣. 25. Vocavit nomen ejus amabilis Domino. Hebraicè ידידיה *Jedidiah*. Id nomen indidit Deus; David enim *Salomonem* appellaverat, neque alio pene nomine jam noſcitur. Amor & præcox Dei erga Salomonem dilectio, omnino ſunt gratuita; leve tamen ſunt argumentum, quo probes ejus prædeſtinationem ad gloriam, æternamque ſalutem, cum de ejus ſalute non una ſit ratio ambigendi. Hebræus fert ad literam (11): *Miſit Dominus in manu Nathan Prophetæ, & vocavit nomen ejus Jedidiah propter Dominum*: Theodotion (12): *Appellavit Jedidiah in verbo Domini*; ſeu de juſſu Domini; vel, ut ipſe Dominus appellaverat.

℣. 26. Pugnabat Joab contra Rabbath, et expugnabat urbem regiam. Hebræus (13): *Pugnabat Joab in Rabbath, & cepit urbem Regis*. Sed poſitum hic eſſe creditur *cepit* pro *jamjam expugnaturus erat*, res cœpta pro abſoluta. Forte etiam *urbs* hæc *Regia* alia erat a Rabbath, ſeu potius pars ejuſdem Urbis, quam armis Hebræus Imperator jam ſubegerat; quare brevi ſe totam in poteſtatem redacturum ſperabat.

℣. 27. Dimicavi adversus Rabbath, et capienda est urbs aquarum. Alterum eſt hoc nomen urbis Rabbath. In ſuperiori verſiculo appellatur *urbs Regia*; hic vero *urbs aquarum*. Hebræus legit (14): *Cepi urbem aquarum*, quæ verba ita accipienda ſunt, uti ſupra ℣. 26. Urbs aquarum ipſa erat facile urbs inferior, imminens torrenti Jabok, quam fluenti illius aquæ irrigabant. Hanc Joab expugnaverat; ſed capiendæ urbem ſuperiorem, quæ munitionibus validior erat, gloriam Davidi reſervavit. Junius vertendum cenſuit: *Præcidi aquas ſubeuntes urbem*. Verſioni huic favet Joſephus (15), tradens, Joabum, præciſis aquæ ductibus aquam in urbem ferentibus, præcluſaque omni hoſtibus via, unde annonam ſibi comparare poſſent, in arctas annonæ & potus anguſtias redegiſſe, ut nonniſi unius putei aquas intra urbem illi præſto haberent. Narrans Polybius libro V. ejuſdem urbis obſidionem per Antiochum, ſcribit, quemdam e transfugis indicaſſe Regi ductum ſubterraneum, unde obſeſſi clam ad hauriendas aquas, egrediebantur: eo autem juſſu Regis clauſo, obſeſſos ſiti adactos ſeſe dedidiſſe.

Obſi-

[1] Gen. hic. [2] ואם מעט ואוסיפה לך כהנה וכהנה [3] Προσθήσω σοι καθὼς ταῦτα.
[4] 3. Reg. XI. 26. [5] 3. Reg. II. 24. 25. [6] *In ſimili voce, diſſimile pectus erat, quod divinus oculus diſcernebat*. Aug. lib. 22. contra Fauſt. c. 27. [7] ℣. 10. *Non recedet gladius de domo tua*.
[8] Septuag. Edit. Rom. Παροργίζων παρώργισας τοὺς ἐχθροὺς Κυρίου. *Irritans irritaſti hoſtes Domini*. Editio Hexaplorum: Παροξύνων παρώξυνας, *excitans excitaſti*. Aqu. Διασύρων διέσυρας. *Coegiſti eos lacerare nomen Domini*. Sym. Βλασφημῆσαι ἐποίησας. [9] ויאנש Septuag. Καὶ ἠῤῥώστησε. [10] ולן ושכב ארצה Septuag. Καὶ ηὐλίσθη ἐπὶ τῆς γῆς. Alius. Ηὐλίσθη καὶ ἐκοιμήθη ἐν σάκκῳ ἐπὶ τῆς γῆς. [11] וישלח ביד נתן הנביא ויקרא את שמו ידידיה בעבור Septuag. & Aqu. Ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰεδεδὶ ἕνεκεν Κυρίου ..... Sym. Ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἀγαπητὸν Κυρίου ὄντος Κυρίου. [12] Καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰεδδιδία ἐν λόγῳ Κυρίου. [13] וילחם ברבת וילכד את עיר המלוכה [14] לכדתי את עיר המים [15] Joſeph. Antiq. lib. 7. cap. 7. Τῶν τε ὑδάτων αὐτοὺς ἀποτεμνόμενος καὶ τῆς τῶν ἄλλων εὐπορίας, εἰς τοῦτο ταλαιπωρίας ἤγαγε, ὥστε πιεῖν ἐξ ὀλίγου τοῦ φρέατος ἀρύεσθαι, &c.

Obſidio Rabbath cœpit ante crimen Davidis cum Bethſabee. Si vero urbs non ceſſit victoribus niſi poſt ortum Salomonem, uti Textus & ſeries narrationis innuunt, obſidionem hanc biennio circiter prorogatam fuiſſe oportet. Sunt tamen qui credant, expugnationem arcis hujus hic extra locum narrari; conſtituendam enim fuiſſe ajunt paulo poſt mortem Uriæ. Qua de re tamen nihil certi ſuppetit.

℣. 30. Et tulit diadema Regis eorum de capite ejus, pondo auri talentum. Talentum apud Hebræos reddebat pondus ſex & octoginta librarum, unciarum quatuordecim & groſſorum quinque noſtri ponderis marchi. Talento autem auri & argenti æquum pondus fuiſſe credimus. Vix igitur in mentem inducere poſſumus, Regem Ammonitarum tanti ponderis coronam ſuſtinere in capite potuiſſe; multo æquius reputamus, ſuſpenſam ſupra Regis ſolium ſtetiſſe. Perſimiles coronæ plures ad pompam ſolummodo & oſtentationem occurrunt apud veteres. Juvenalis, Satyra x.

. . . . Magnæque coronæ
Tantam orbem, quanto cervix non ſufficit ulla.

Deſcribit Athenæus libro v. capite viii. auream coronam octoginta cubitorum, & alteram ſexdecim cubitorum ambitu, aliam duorum cubitorum altitudine, ac denique alias nonnullas quatuor & quinque cubitorum. Novem librarum ponderis coronæ ſunt apud Plinium (1). Auream coronam, gemmis diſtinctam, ſupra ſolium ſuum ſuſpendiſſe Comnenum Imperatorem, Benjamin Tudelenſis affirmat. Docent Rabbini, Davidem hanc Regis Ammonitarum coronam ſuſpendiſſe ſupra ſolium ope magnetis, qui pendentem in aere ſuſtentabat; quaſi magnes aurum perinde ac ferrum traheret. Viri quidam eruditi (2) cenſent, Scripturam non pondus hic, ſed pretium coronæ Regis Ammonitarum exprimere. Aurea erat & juſtæ magnitudinis, ſed gemmis ita dives, ut talento æſtimaretur. Ejuſmodi gemmas exprimit Liber Paralipomenon (3).

Ibi pariter legitur, diadema hoc ad *Melchom* pertinuiſſe: *Tulit David coronam Melchom de capite ejus.* Conſtat utique, Melchom idem eſſe ac Moloch. Itaque cum legis, Davidem tuliſſe coronam Regis Ammonitarum, intellige de corona Numinis, quod Rex ejus gentis appellatur. Nomen *Molech* eſt *Rex*. Sed Interpretum nonnullis ægre id perſuadetur, cum Lex vetet, nequis ſeu cupiat ſeu tueatur aurum & argentum, quo Numina vel conflantur vel diſtinguuntur: *Sculptilia eorum igne combures, & non concupiſces aurum & argentum, de quibus facta ſunt.* Quare accipi oportere de diademate Regum Ammonitarum cenſent. Ea tamen lex nonniſi Chananæos ſpectat.

℣. 31. Populum ejus adducens, serravit, et circumegit super eos ferrata carpenta. Ejus generis ſupplicia expoſuimus in Diſſertatione de ſuppliciis. Non deſunt exempla hominum ferreis ſerris, quibus utimur ad ligna cædenda, ſciſſorum, Hiſtoria Suevorum, Neapolitana & Turcica non unicum ejus ſupplicii exemplum narrant. Hebræus (4): *Poſuit in ſerra, & in trahis ferreis.* Prior vox uſurpatur interdum pro ſcindendis expoliendiſque lapidibus (5), nunquam vero pro ſcindendis lignis: quin neque ſatis exploratum eſt, utrum deſignet ſerras lapidibus vel marmori ſecandis deſtinatas; commode enim exprimere poteſt inſtrumenta ad lapides ſcindendos. Altera vox nunquam non ſignificat trahas & machinas, quibus triticum excutitur; quas ita Varro (6) deſcribit: *Tribulum fit e tabula lapidibus aut ferro aſperata, quæ impoſito auriga aut pondere grandi trahitur, jumentis junctis, ut diſcutiat e ſpica grana; Aut ex aſſibus dentatis cum orbiculis, quod vocant ploſtellum Phœnicum. In eo quis ſedeat atque agitet quæ trahant jumenta.* Horum forte carpentorum hic mentio eſt: erant autem ſerrata, ideſt, vel ferro armata, vel ſaltem ſerratis rotis inſtructa.

Divisitque cultris, et traduxit in typo laterum; ideſt, projecit in fornacem, ubi lateres coquuntur. Hebræus (7): *Poſuit in gladiis ferreis*, vel ſcilicet in ferris, vel inſtrumentis in uſum ſcindi ac dividendi, *& tranſire fecit eos in locum, ubi conficiuntur*, vel potius ubi coquuntur, *lateres* (8). Sunt qui credant, conterendos illos dediſſe in loco, ubi teruntur glebę ad opera lateritia; alii vero ſtratos fuiſſe miſeros dicunt, ac deinde contuſos in loco inæquali, ac ſparſis laterum vel tegularum fragminibus aſpero. Sed multo æquius reputamus, projectos fuiſſe in ardentem lateritiam fornacem. Vide Pſalmum xx. 9. & Muis, Vatablum, Gejerum in illud Pſalmi: *Pones eos ut clibanum ignis, &c.* ubi ſermonem eſſe putant de ſupplicio, huic Ammonitarum perſimili. Porro ejuſmodi ſupplicii genus ignotum non erat in Oriente. Scitum eſt, Danielem & geminos ejus ſocios in fornacem apud Chaldæos fuiſſe projectos (9).

Sunt qui legant in Hebræo *Malchen* pro *Malben*; cenſent autem, *Malchen* nomen eſſe loci, ubi humanę victimę Numini Moloch cremabantur. Porro tormenta hæc omnia a noſtris moribus adeo abhorrent, & ſæva adeo ac minime ferenda videntur, præſertim in bello, in quo res erat ſolummodo de ulciſcenda injuria, Legatis ab adoleſcente atque imperito Rege illata, authoribus peſſimis quibuſdam hominibus, ut viri quidam docti (10) cenſeant ſeveritatis exaggerationem, vel pravæ illius animi habitudinis appendicem eſſe, quam ſuum Davidi ſcelus peperit, quo tempore conſueta Davidis pietas omnis & clementia, quibus ad cœlum uſque ferebatur, exulaverant.

Sed multo verius reputamus, Davidem ſupplicia illa Ammonitis idcirco intuliſſe, quod ea gens ſimilem pœnam de Hebræis in bello captis exigere ſoleret. Si Ammonitæ victoriam de Hebræis obtinuiſſent, in victos impotentius etiam ſæviiſſent. Notum eſt, quam ſuperbe reſponderit Naas Rex Ammonitarum civibus Jabes Galaad deditionem offerentibus; accepturum enim ſe illos dixit ea conditione, ut ſingulis dextrum oculum erueret (11). Exprobrat iiſdem gentibus Amos (12), quod prægnantes fœminas Galaaditicas medias ſciderint, ut fœtus extinguerent; idque in eo bello, in quo res tantummodo erat de Imperii finibus prorogandis. Reputandum eſt, Davidem ea in re nonnili communes ea ætate belli leges ſecutum fuiſſe; vel Ammonitas pœnam hanc in ſe provocaſſe præcedentibus criminibus, quæ nos latent. Illud conſtat, Davidem in ea re a Scriptura non reprehendi, quin & teſtimonio ſuo commendari, cum aſſerat, Davidem, excepta nece Uriæ, virum fuiſſe vitæ inſtituto minime reprehendendum (13). Non eſt igitur cur temere damnemus, quod non ſatis ex omni parte novimus, quantum opus eſt, ut judicium certum & accuratum feratur.

---

[1] Plin. lib. xxiii. c. 3. [2] Sanct. hic; Boch. de animal. ſacr. tom. 1. lib. 2. c. 38. Nold. Concord. particul. p. 1042. (3) 1. Par. xx. 2. *Invenit in ea* [corona] *pretioſiſſimas gemmas, fecitque ſibi inde diadema.* (4) וישם במגרה ובחרצי הברזל (5) 3. Reg. viii. 9. (6) Varro lib. 1. de Re Ruſtica cap. 52. (7) ובמגזרות הברזל והעביר אותם במלבן (8) Διά τῦ πλινθίυ. (9) Dan. iii. 6. 11. & ſequ. Vide & noſtrum Commentarium in Eſth. xiii. 7. (10) Vide Sanct. ad ℣. 26. Tirin. ad 1. Par. xx. 3. Probabilius eſt peccaſſe hic Davidem, & quidem graviſſime &c. (11) 1. Reg. xi. 2. (12) Amos 1. 13. *Eo quod diſſecuerit prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum ſuum.* (13) 3. Reg. xv. 5. *Eo quod feciſſet David rectum in oculis Domini, & non declinaſſet ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Uriæ Hethæi.*

CAPUT XIII.

Amnon, filius Davidis, Thamarem ſororem Abſalomi violat: tum amorem in odium convertit. Abſalom interfici Amnonem jubet, ac fugit ad Tholomai, Regem Geſſur.

℣. 1. FActum eſt autem poſt hæc, ut Abſalom filii David ſororem ſpecioſiſſimam, A. M. 2972. ante J. Chr. 1032.
vocabulo Thamar, adamaret Amnon filius David, 2. Et deperiret eam val-
de, ita ut propter amorem ejus ægrotaret: quia cum eſſet virgo, difficile ei videba-
tur, ut quippiam inhoneſte ageret cum ea. 3. Erat autem Amnon amicus, nomine
Jonadab, filius Semmaa fratris David, vir prudens valde. 4. Qui dixit ad eum: Qua-
re ſic attenuaris macie, fili regis, per ſingulos dies? cur non indicas mihi? Dixitque
ei Amnon: Thamar ſororem fratris mei Abſalom amo. 5. Cui reſpondit Jonadab:
Cuba ſuper lectum tuum, & languorem ſimula: cumque venerit pater tuus, ut viſi-
tet te, dic ei: Veniat, oro, Thamar ſoror mea, ut det mihi cibum, & faciat pul-
mentum, ut comedam de manu ejus. 6. Accubuit itaque Amnon, & quaſi ægrotare
cœpit: cumque veniſſet rex ad viſitandum eum, ait Amnon ad regem: Veniat, ob-
ſecro, Thamar ſoror mea, ut faciat in oculis meis duas ſorbitiunculas, & cibum ca-
piam de manu ejus. 7. Miſit ergo David ad Thamar domum, dicens: Veni in do-
mum Amnon fratris tui, & fac ei pulmentum. 8. Venitque Thamar in domum A-
mnon fratris ſui: ille autem jacebat: quæ tollens farinam commiſcuit: & liqueſaciens,
in oculis ejus coxit ſorbitiunculas. 9. Tollenſque quod coxerat, effudit, & poſuit co-
ram eo, & noluit comedere: dixitque Amnon: Ejicite univerſos a me. Cumque eje-
ciſſent omnes, 10. Dixit Amnon ad Thamar: Infer cibum in conclave, ut veſcar de
manu tua. Tulit ergo Thamar ſorbitiunculas, quas fecerat, & intulit ad Amnon fra-
trem ſuum in conclave. 11. Cumque obtuliſſet ei cibum, apprehendit eam, & ait:
Veni, cuba mecum, ſoror mea. 12. Quæ reſpondit ei: Noli, frater mi, noli op-
primere me, neque enim hoc fas eſt in Iſrael: noli facere ſtultitiam hanc. 13. Ego
enim ferre non potero opprobrium meum, & tu eris quaſi unus de inſipientibus in
Iſrael: quin potius loquere ad regem, & non negabit me tibi. 14. Noluit autem
acquieſcere precibus ejus, ſed prævalens viribus oppreſſit eam, & cubavit cum ea.
15. Et exoſam eam habuit Amnon odio magno nimis; ita ut majus eſſet odium, quo
oderat eam, amore, quo ante dilexerat. Dixitque ei Amnon: Surge, & vade. 16.
Quæ reſpondit ei: Majus eſt hoc malum, quod nunc agis adverſum me, quam quod
ante feciſti, expellens me. Et noluit audire: 17. Sed vocato puero, qui miniſtrabat
ei, dixit: Ejice hanc a me foras, & claude oſtium poſt eam. 18. Quæ induta erat
talari tunica: hujuſcemodi enim filiæ regis virgines veſtibus utebantur. Ejecit itaque
eam miniſter illius foras: clauſitque fores poſt eam. 19. Quæ aſpergens cinerem ca-
piti ſuo, ſciſſa talari tunica, impoſitiſque manibus ſuper caput ſuum, ibat ingrediens,
& clamans. 20. Dixit autem ei Abſalom frater ſuus: Numquid Amnon frater tuus
concubuit tecum? ſed nunc ſoror tace, frater tuus eſt; neque affligas cor tuum pro
hac re. Manſit itaque Thamar contabeſcens in domo Abſalom fratris ſui. 21. Cum A. M. 2974.
autem audiſſet rex David verba hæc, contriſtatus eſt valde, & noluit contriſtare ſpi-
ritum Amnon filii ſui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei. 22. Por-
ro non eſt locutus Abſalom ad Amnon nec malum, nec bonum: oderat enim Abſa-
lom Amnon, eo quod violaſſet Thamar ſororem ſuam. 23. Factum eſt autem poſt
tempus biennii, ut tonderentur oves Abſalom in Baalhaſor, quæ eſt juxta Ephraim:
& vocavit Abſalom omnes filios regis. 24. Venitque ad regem, & ait ad eum: Ec-
ce tondentur oves ſervi tui: veniat, oro, rex cum ſervis ſuis ad ſervum ſuum. 25.
Dixitque rex ad Abſalom: Noli, fili mi, noli rogare, ut veniamus omnes, & gra-
vemus te. Cum autem cogeret eum, & noluiſſet ire, benedixit ei. 26. Et ait Ab-
ſalom: Si non vis venire, veniat, obſecro, nobiſcum ſaltem Amnon frater meus.
Dixitque ad eum rex: Non eſt neceſſe, ut vadat tecum. 27. Coegit itaque Abſalom
eum, & dimiſit cum eo Amnon, & univerſos filios regis. Feceratque Abſalom con-
vivium, quaſi convivium regis. 28. Præceperat autem Abſalom pueris ſuis, dicens:
Obſervate, cum temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis: Percutite eum, &
interficite: nolite timere; ego enim ſum, qui præcipio vobis; roboramini, & eſtote

viri fortes. 29. Fecerunt ergo pueri Abſalom adverſum Amnon, ſicut præceperat eis
Abſalom. Surgenteſque omnes filii regis aſcenderunt ſinguli mulas ſuas, & fugerunt.
30. Cumque adhuc pergerent in itinere, fama pervenit ad David, dicens: Percuſſit
Abſalom omnes filios regis, & non remanſit ex eis ſaltem unus. 31. Surrexit itaque
rex, & ſcidit veſtimenta ſua: & cecidit ſuper terram, & omnes ſervi illius, qui aſſi-
ſtebant ei, ſciderunt veſtimenta ſua. 32. Reſpondens autem Jonathas filius Semmaa
fratris David, dixit: Ne æſtimet dominus meus rex, quod omnes pueri filii regis oc-
ciſi ſint: Amnon ſolus mortuus eſt, quoniam in ore Abſalom erat poſitus, ex die,
qua oppreſſit Thamar ſororem ejus. 33. Nunc ergo ne ponat dominus meus rex ſu-
per cor ſuum verbum iſtud, dicens: Omnes filii regis occiſi ſunt, quoniam Amnon
ſolus mortuus eſt. 34. Fugit autem Abſalom: & elevavit puer ſpeculator oculos ſuos,
& aſpexit: & ecce populus multus veniebat per iter devium ex latere montis. 35.
Dixit autem Jonadab ad regem: Ecce filii regis adſunt; juxta verbum ſervi tui ſic
factum eſt. 36. Cumque ceſſaſſet loqui, apparuerunt & filii regis: & intrantes le-
vaverunt vocem ſuam, & fleverunt: ſed & rex, & omnes ſervi ejus fleverunt plo-
ratu magno nimis. 37. Porro Abſalom fugiens, abiit ad Tholomai filium Ammiud
regem Geſſur. Luxit ergo David filium ſuum cunctis diebus. 38. Abſalom autem
cum fugiſſet, & veniſſet in Geſſur, fuit ibi tribus annis. 39. Ceſſavitque rex Da-
vid perſequi Abſalom, eo quod conſolatus eſſet ſuper Amnon interitu.

℣. 1. FACTUM EST UT SORORUM . . . . ADAMARET AMNON. Thamar nata erat ex Maacha & Davide; communi proinde patre, matre diverſa.

℣. 2. CUM ESSET VIRGO. Arduum videbatur Amnoni quidpiam moliri in puellæ pudicitiam. Claudebantur tunc puellæ in deſtinata ſibi ædium parte, procul a viris, quo aditus nullus patebat alienis, ipſiſque alterius ſexus neceſſariis. Itaque nulla ſpes ſupererat Amnoni futurum, ut libidinem ſuam ſorori aperiret, magiſque arduum explere: hinc languor & mœror, qui brevi in ore prodivit. Viſam ab Amnone puellam oportuit, ut tam alte ejus amore ſauciaretur. Prodibant interdum puellæ, ut cæremoniis quibuſdam adeſſent, nunquam tamen ſine ſociis & cuſtodibus.

℣. 3. PRUDENS VALDE. Hebræus: איש חכם מאד *Sapiens valde*. Nomen ſapientis & prudentis non ſemper in bonam partem uſurpatur; prudentia enim peſſimo abuſus eſt Jonadabus. Hic *Jonadab* Semmaæ filius, idem fortaſſe eſt ac *Jonathan* filius *Semmaa*, de quo inferius, capite XXI. 21.

℣. 5. FACIAT PULMENTUM, UT COMEDAM DE MANU EJUS. Hebræus, & Septuaginta (1): *Faciat in oculis meis cibum, propter quod videam, & comedam*. Nauſeam ciborum omnium ſibi paratorum ſimulavit, popoſcitque ut aliquid manu Thamaris paratum ſibi exhiberetur. Cum tamen mitti ad ſe poſſet paratus cibus e conclavi ſororis, petit, ut coram ſe veniat ſoror, quam cibum conficientem intueatur, & deguſtare illum poſſit.

℣. 6. FACIAT IN OCULIS MEIS DUAS SORBITIUNCULAS, vel duas potiones liquorum, vel juris carnium. Hebræus ad literam אתי לכבות *Duo cordialia*. Chaldæus: תרתין הליטתא *Duas placentas*. Septuaginta: Δύο κολλυρίδας, *Duas collyridas tenues, seu duos paſtillos*. Vox Originalis derivatur e radice, qua cor ſignificatur; quare reddendum cenſuimus *cordialia*. Forte tamen præſtat vertere, duo pharmaca, quibus ſtomachus recreatur, vel potius, quibus guſtus provocatur. Narrationis enim ſeries docet, Thamarem confeciſſe panem, quem ex oleo frixit (2). Genus erat quoddam collyridæ delicatiſſimæ apud Græcos, cui nomen *Collabos* (3), voce ſatis affini Hebreo *Lebabot*, vel *Lebabos*. Noſtris moribus inſuetum plane eſſet ac novum, fœminam Principem cibos parantem, ac panes conficientem ſpectare: ſed longe alii erant veterum mores. Sara ipſa per ſe cibos parat, conficitque panem hoſpitibus (4); & Macedonum Regina, Regis Perdiccæ uxor, ſuis ipſa manibus panem in uſum domeſticorum ſubigebat (5).

℣. 9. TOLLENS QUOD COXERAT, EFFUDIT, ET POSUIT CORAM EO. Hæc & præcedentia Vulgatæ verba liquidum quid, vel embammatis aut pulmenti genus innuunt: ſed Hebræus (6) exprimit potius placentam vel panem; aliquid, cujus materies erat farina: *Cœpit conſperſionem*, ait Scriptura, & *conſperſit, & lagana fecit in oculis ejus, & coxit, & cepit ſartaginem, & effudit ad facies ejus*. Plura laganorum genera, quæ in ſartagine frigebantur, in Levitico animadvertimus.

℣. 10. INFER CIBUM IN CONCLAVI. His innui verbis videtur, Amnonem e lecto ſurrexiſſe, atque Thamarem e loco, ubi cibum paraverat, acciviſſe in conclave, quo euntem illam ſecutus fuerit. Id tamen fortaſſe explicandum eſt ſolummodo de conclavi loco, ubi lectus ſtratus erat; is autem locus facile diſcretus erat a reliquo conclavi, tenuis parietis, vel ſepti ope, uti apud Hiſpanos adhuc in uſu eſt. Ex tota enim hac narratione planum fieri videtur, Amnonem nunquam e lecto prodiiſſe. Ad ſe ſe igitur ſolummodo ſororem accivit. Conſtat, Hebræum *Cheder* locum eſſe penitiorem, ubi lectus inſternitur (7).

℣. 13. LOQUERE AD REGEM, ET NON NEGABIT ME TIBI. An ignorabat Thamar, connubium inter fratres & ſorores Legis ſanctione interdici (8)? Doctiſſimi Interpretes (9) cenſene, puellam id ignoraſſe. Plerique tamen majori veritatis ſpecie ajunt, turbatam in re ſubita puellam protuliſſe, quæ primum menti occurrerunt, ut Amnonis manus vitaret, rata deceptum ea ſpe Amnonem ab impio facinore ceſſaturum. Rabbinorum quidam docent, Thamari patrem fuiſſe alium a Davide; Davidem vero duxiſſe Maacham puellæ matrem,

ex

(1) ותעשה לעיני את הבריה למען אשר אראה ואכלתי מידה Septuag. Ποιησάτω ἐνώπιόν μου βρῶμα, ὅπως ἴδω καὶ φάγω. (2) Vide ad ℣. 9. Joſeph. Antiqu. lib. 7. cap. 2. Ἄρτους τηγανιστούς. (3) Athen. lib. 3. c. 28. Κολλαβοὶ ... θερμοί. (4) Geneſ. XVIII. 6. (5) Herodot. lib. 8. c. 137. Ἡ δὲ γυνὴ τοῦ βασιλέος, αὐτὴ τὰ σιτία σφι ἔπεσσε. (6) ותקח את הבצק ותלש ותלבב לעיניו ותבשל את הלבבות ותקח את המשרת ותצק לפניו (7) Vide Exod. VIII. 3. Judic. XV. 1. & 2. Reg. IV. 7. 4. Reg. XI. 2. Eccle. X. 20. Cant. I. 4. Joel. II. 16. (8) Levit. XVIII. 11. *Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & eſt ſoror tua, non revelabis*. (9) Menoch. Gror.

ex altero viro gravidam. Judæorum alii docent, Maacham tranſiſſe in uxorem Davidis, ex Lege (1), quæ victori ſemel tantum aliquid licentiæ in fœminam bello captam permittit, quæ tamen nuptias cum illa conciliari vetat, niſi prius nomen illa dederit inter proſelytos. Thamar, inquiunt illi, primæ illius licentiæ fructus erat, adeoque ex Pagana matre conceptus: quare ex illorum axiomate, nullo neceſſitudinis vinculo cum Amnone conjungebatur. Inter neceſſarios enim neminem agnoſcunt Hebræi, qui ex Judæa matre natus non ſit. Sed temere hæc omnia aſſeruntur; quare priorem ſententiam a nobis propoſitam tuendam arbitramur.

℣. 15. Exosam eam habuit. Novus utique non eſt ex effræni violentoque animi æſtu in contrarium tranſitus. Turpis rei probrum, turpitudinis comes, conſcientiæ ſtimuli ac pœnitentia, quibus adoleſcentis animus agitabatur, pernicioſæ illæ admiſſi criminis conſecutiones, hæc ſimul omnia graviſſimas in Amnonis animo turbas peperere; quæque turbarum origo ſibi fuerat, ea graviſſimum ac non ferendum odii argumentum evaſit. Non diſſimilibus exemplis utraque veteris & recentioris Hiſtoriæ pagina referta eſt (2). Accidit non raro, ut miſeri quidam homines, cum probroſas libidines explevere, primos impotentiæ ſuæ ac deſperationis impetus in eos inferant, quibus velut inſtrumentis ad peccandum uſi ſunt. Naturales ejus rei cauſas, præſertim in juvenibus, aſſignant Ariſtoteles (3) & Philoſophi.

℣. 18. Quæ induta erat talari tunica, Hebræus (4): *Tunica paſſim*; quæ poſtrema verba ſignificare poteſt volam manus; quaſi diceretur, tunica, cujus manicæ uſque ad volam manus deſcendunt. Genus autem id veſtium talare ſemper erat; ſed tunicæ non manicatæ plerumque etiam & breves erant. *Paſſim* ſonat etiam veſtem multicolorem, ſive quod varii colores perpetua totius tunicæ textura continerentur, ſive fimbriæ eſſent ad tunicæ, & manicarum oras aſſutæ. Arabes hodie pariter tunicis tenuiſſimi ſtaminis, & multicoloribus induuntur. Vide quæ diſſeruimus in Geneſi xxxvii. 3. de veſte, quam Jacob filio ſuo Joſepho paravit.

℣. 19. Quæ aspergens cinerem capiti; luctus, & doloris indicium. Ezechiel ad Urbem Tyri loquens, capite xxvii. 30. ait: *Ejulabunt ſuper te voce magna, & clamabunt amare, & ſuperjacient pulverem capitibus ſuis, & cinere conſpergentur.* Achilles, audita Patrocli nece, utraque manu pulvere caput aſperſit (5). Deſcribens Virgilius Mezentium, ut primum Lauſi filii ſui, in prælio interfecti, cadaver aſpexit, fœdantem pulvere caput inducit, Æneidos x.

Caniciem immundo deformat pulvere, & ambas
Ad Cœlum tendit palmas.

Impositisque manibus super caput suum, veluti poſt tantam infamiæ notam os ſuum cælatura. Alloquens Jeremias ii. 37. Judæam, quæ ſpem ſuam in Ægypto collocabat, ait: *Ab iſta egredieris, & manus tuæ erunt ſuper caput tuum, quoniam obtrivit Dominus confidentiam tuam.*

℣. 20. Tace; Frater tuus est. Fruſtra injuriæ ultionem a Rege poſtulabis: frater tuus eſt Amnon, nec Rex illum ut alienum puniet. Vel potius: Ne hoc prodas, invidiam in univerſam Regiam familiam creaturum.

℣. 21. Noluit contristare spiritum Amnon &c. Deſunt hæc in Hebræo, & in Verſionibus ex illo expreſſis, nec in verſionem ſuam adoptavit S. Hieronymus. Id addiderunt Græci in nonnullis Codicibus (6), & Joſephus in ſuo Codice legebat, quod forte in cauſa fuit, cur Græci in ſuos transferrent. Nulla quidem ratione ſilentium, & diſſimulatio Regis in hac re excuſari poteſt; ſi præſertim nulla facilitatis illius cauſa reddatur, niſi tener erga Amnonem patris amor. Quaſi David ſeſe reum noſſet, nec ſatis habere animi fateretur ad puniendum crimen, cui ipſe exemplo ſuo cauſam exhibere potuit (7).

℣. 23. Factum est post tempus biennii, ut tonderentur oves Absalom. Toto biennio Abſalom altum in mente retinuit odium adverſus fratrem, cujus nulla dedit indicia. Tempus, quo tondebantur oves, verna tempeſtas erat; tunc autem agebantur convivia, pluresque gaudii ſignificationes (8), ad quas amici vocabantur. Ejus ætatis Reges, & Regum filii ipſi per ſe œconomiam adminiſtrabant, atque inter primas curas illam ponebant, ut greges haberent inſtructiſſimos in commoda familiæ. *Cato ſenex interrogatus, quid in re familiari eſſet primum, reſpondit: Bene paſcere* (9).

In Baal-Hasor, quæ est juxta Ephraim, prope urbem Ephraim vel Ephræm appellatam, cujus nomen occurrit in Evangelio Joannis (10), ubi juxta deſertum conſtituitur. Deſertum autem fortaſſe Bethel, vel Jerichuntis, cum Joſephus (11) Ephræm & Bethel junctas ponat, veluti duo loca Jeroſolymæ vicina. Baal-Haſor prope Ephræm jacebat, nihilque aliud de illa ſcimus.

℣. 26. Veniat, obsecro, nobiscum saltem Amnon. De Amnone præſertim quærit, tamquam inter filios Regis natu majore, ſimulque demonſtraturus Davidi, nihil ſervare ſe priſtinæ cum illo ſimultatis. Cæteros fratres non curat, quamquam illos pariter celebritati adfuiſſe conſtat (12).

℣. 29. Ascendentes singuli mulas suas, quibus vehi ſolebant plerumque viri quique ampliſſimi, & principes ejus regionis, neque aliis idem pariter Rex utebatur (13). Nunc primum occurrit in Scriptura de mulabus ſeu mulis ſermo (14). Judices Iſraelis nonniſi aſinis vecti narrantur (15). Cave tamen reputes, mulos, de quibus hic, & quibus vehi ſolebant Reges & Principes ejus regionis, ac denique quorum erat uſus etiam in prælio, pro equis, uti de Abſalomo legitur, die illa fatali, qua ſubterfugiens mula ſuſpenſum illum arbori reliquit; cave, inquam, reputes, ſimile quidpiam cum noſtratibus mulis habuiſſe, quorum pretium eſt unicum in corporis robore, graviſſimis ſarcinis ferendis apto. Mulos Syriæ non edit coitus aſinæ cum equo, ſed muli cum mula congreſſus (16). Ejus enim regionis mulæ gravidæ fiunt, uti apud nos equæ; & quos pariunt pulli, tertium quoddam genus inter equum & mulum conſtituunt: robore equum, celeritate mulum vulgarem, quamquam forma corporis huic perſimiles, ſuperant (17).

℣. 32. In ore Absalom erat positus ex die,

(1) Vide Deuteron. xxi. 11. 12. (2) Vide, ſi lubet, Grot. Tir. Cornel. (3) Διὰ τί οἱ νέοι ὅταν πρῶτον ἀφροδιάζειν ἄρχωνται, ἐὰν ἂν ὁμιλήσωσι, μετὰ τὴν πρᾶξιν μισοῦσι, &c. Ariſtot. Probl. ſect. 4. (4) ועליה כתנת פסים (5) Homer. Iliad. Σ.

Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν,
Χεύατο κὰκ κεφαλῆς, χαρίεν δ' ᾔσχυνε πρόσωπον.

(6) Ita Edit. Nobilii. Abeſt a Complut. Joſeph. l. 7. c. 7. Φιλῶν δὲ τὸν Ἀμνῶνα σφόδρα πρεσβύτατος γὰρ ἦν υἱὸς αὐτῷ, μὴ λυπεῖν αὐτὸν ἠναγκάζετο. (7) Vide Sanct. hic. (8) Vide Geneſ. xxxviii. 12. & 1. Reg. xxv. 8. (9) Cicero apud Grot. hic. (10) Joan. 11. 54. *Abiit in regionem juxta deſertum in civitatem quæ dicitur Ephraim.* (11) Joſeph. lib. 5. cap. 33. de Bello. (12) ℣. 29. (13) 3. Reg. 1. 33. (14) איש על פרדו (15) Judic. v. 10. x. 4. xii. 14. (16) Ariſtot. lib. 6. c. 24. Hiſtor. animal. Αἱ δ' ἐν τῇ Συρίᾳ τῇ ὑπὲρ Φοινίκης ἡμίονοι, καὶ ὀχεύονται, καὶ τίκτουσι. ἐν ... γονεῦσι ὅμοιον μὲν ἐστιν δέ. (17) Idem lib. 6. c. 36. Εἰσὶ δ' ἐν Συρίᾳ οἱ καλούμενοι ἡμίονοι ἕτερον γένος τῶν ἐκ συνδυασμοῦ γινομένων ἵππου καὶ ὄνου, ὅμοιοι δὲ τὴν ὄψιν .... τὴν ταχυτῆτα διαφέροντες, &c.

qua oppreſſit Thamar; necem viri apud ſe jam ab ea die ſtatuerat. Voluntatis tamen hujus propoſitum, fixum licet, alte tamen animo celaverat: conſilium erat in ore ceu verbum jam jam proferendum. Chaldæus, Syriacus & Arabs: *Hoc erat in animo*. Illud Scripturæ *in ore* ponitur ſæpe pro juſſione & imperio (1). Iſraelitæ ad imperium Domini [Hebr. *Ad os Domini*] *proficiſcebantur*. Abſalom necem Amnonis imperavit, ejuſque mandato peracta eſt (2). Aquila & Symmachus (3): *Quoniam Abſalom iratus illi erat ex die &c.*

℣. 34. Per iter devium ex latere montis. Hebræus (4): *De via poſt eum, ex latere montis*. A tergo montis olivarum veniebant, atque ſecundum montem gradiebantur. Veniſſe autem cenſemus e latere Bethel, ideſt, ex Oriente ſeptentrionali Jeroſolymæ; trajectoque torrente Cedron, in urbem venerunt.

℣. 37. Ad Tholomai. Avus erat maternus Abſalomi (5).

℣. 39. Cessavit David persequi Absalom. Nullibi legimus, Davidem antea perſecutum eſſe Abſalomum. Explicari poſſet Latinus Textus: Neglexit perſequi Abſalomum. Sed Textus Hebreus (6) duos plane oppoſitos ſenſus admittere poteſt: *Ceſſavit perſecutionem ſuam in Abſalom*; illum ulterius a Tholomai ſocero ſuo non poſtulavit. Vel: *occulto deſiderio excipiendi Abſalomum conficiebatur*. Vel potius, intimo animi ſenſu ferebatur, ut illum videret, reditum ejus magnopere deſiderabat. Ita Textum exponunt docti plures Interpretes (7); quibus narrationis ſeries plene favet. Proxime ſequens caput ab his verbis exorditur: *Intelligens Joab, quod cor Regis verſum eſſet ad Abſalom*.

---

[1] Num. III. 16. IX. 18. 20. & paſſim. [2] Jun. Piſc. Malv. [3] Aqu. Sym. Ὅτι ἐν ὀργῇ ἦν αὐτῷ Ἀβεσσαλὼμ ἀπὸ τῆς ἡμέρας, &c. [4] מדרך אחריו מצד ההר [5] Vide ſupra III. ℣. 3. [6] ותכל דוד המלך לצאת אל אבשלום [7] Jonath. Grot. Jun. Forſter. Glaſſ. Vatab. Malv. alii in Synopſ.

CAPUT XIV.

Joab reditum Abſalomo impetrat per mulierem, quæ Regem alloquitur. Abſaloni ejuſque filiorum elegans corporis forma. Injecto meſſibus Joabi igne virum compellit, ut ad ſe veniat. Joab Regem convenit, obtinetque, ut ad patris conſpectum Abſalom revocetur.

A. M. 2977. ante J. C. 1027. ℣. 1. INtelligens autem Joab filius Sarviæ, quod cor regis verſum eſſet ad Abſalom, 2. Miſit Thecuam, & tulit inde mulierem ſapientem: dixitque ad eam: Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & ne ungaris oleo, ut ſis quaſi mulier jam plurimo tempore lugens mortuum: 3. Et ingredieris ad regem, & loqueris ad eum ſermones hujuſcemodi. Poſuit autem Joab verba in ore ejus. 4. Itaque cum ingreſſa fuiſſet mulier Theucitis ad regem, cecidit coram eo ſuper terram, & adoravit, & dixit: Serva me, rex. 5. Et ait ad eam rex: Quid cauſæ habes? Quæ reſpondit: Heu, mulier vidua ego ſum: mortuus eſt enim vir meus. 6. Et ancillæ tuæ erant duo filii: qui rixati ſunt adverſum ſe in agro, nulluſque erat, qui eos prohibere poſſet: & percuſſit alter alterum, & interfecit eum. 7. Et ecce conſurgens univerſa cognatio adverſum ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percuſſit fratrem ſuum, ut occidamus eum pro anima fratris ſui, quem interfecit, & deleamus hæredem: & quærunt extinguere ſcintillam meam, quæ relicta eſt, ut non ſuperſit viro meo nomen, & reliquiæ ſuper terram. 8. Et ait rex ad mulierem: Vade in domum tuam, & ego jubebo pro te. 9. Dixitque mulier Thecuitis ad regem: In me, domine mi rex, ſit iniquitas, & in domum patris mei: rex autem, & thronus ejus ſit innocens. 10. Et ait rex: Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, & ultra non addet, ut tangat te. 11. Quæ ait: recordetur rex Domini Dei ſui, ut non multiplicentur proximi ſanguinis ad ulciſcendum, & nequaquam interficiant filium meum. Qui ait: Vivit Dominus, quia non cadet de capillis filii tui ſuper terram. 12. Dixit ergo mulier: Loquatur ancilla tua ad dominum meum regem verbum: Et ait: Loquere. 13. Dixitque mulier: Quare cogitaſti hujuſcemodi rem contra populum Dei, & locutus eſt rex verbum iſtud, ut peccet, & non reducat ejectum ſuum? 14. Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur: nec vult Deus perire animam, ſed retractat cogitans ne penitus pereat, qui abjectus eſt. 15. Nunc igitur veni, ut loquar ad dominum meum regem verbum hoc, præſente populo. Et dixit ancilla tua: Loquar ad regem, ſi quomodo faciat rex verbum ancillæ ſuæ. 16. Et audivit rex, ut liberaret ancillam ſuam de manu omnium, qui volebant de hæreditate Dei delere me, & filium meum ſimul. 17. Dicat ergo ancilla tua, ut fiat verbum Domini mei regis ſicut ſacrificium. Sicut enim Angelus Dei, ſic eſt dominus meus rex,

ut

ut nec benedictione, nec maledictione moveatur: unde & Dominus Deus tuus eſt te-
cum. 18. Et reſpondens rex, dixit ad mulierem: Ne abſcondas a me verbum, quod
te interrogo. Dixitque ei mulier: Loquere, domine mi rex: 19. Et ait rex: Numquid
manus Joab tecum eſt in omnibus iſtis? Reſpondit mulier, & ait: Per ſalutem animæ
tuæ, domine mi rex, nec ad ſiniſtram, nec ad dexteram eſt, ex omnibus his, quæ lo-
cutus eſt dominus meus rex: ſervus enim tuus Joab, ipſe præcepit mihi, & ipſe poſuit
in os ancillæ tuæ omnia verba hæc. 20. Ut verterem figuram ſermonis hujus, ſervus
tuus Joab præcepit iſtud: tu autem domine mi rex, ſapiens es, ſicut habet ſapientiam
Angelus Dei, ut intelligas omnia ſuper terram. 21. Et ait rex ad Joab: Ecce placa-
tus feci verbum tuum: vade ergo, & revoca puerum Abſalom. 22 Cadenſque Joab ſu-
per faciem ſuam in terram, adoravit, & benedixit regi: & dixit Joab: Hodie intelle-
xit ſervus tuus, quia inveni gratiam in oculis tuis, domine mi rex; feciſti enim ſermo-
nem ſervi tui. 23. Surrexit ergo Joab, & abiit in Geſſur, & adduxit Abſalom in Je-
ruſalem. 24. Dixit autem rex: Revertatur in domum ſuam, & faciem meam non vi-
deat. Reverſus eſt itaque Abſalom in domum ſuam, & faciem regis non vidit. 25. Por-
ro ſicut Abſalom vir non erat pulcher in omni Iſrael, & decorus nimis: a veſtigio pe-
dis uſque ad verticem non erat in eo ulla macula. 26. Et quando tondebat capillum
(ſemel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum cæſaries) ponderabat capillos
capitis ſui ducentis ſiclis, pondere publico. 27. Nati ſunt autem Abſalom filii tres: &
filia una nomine Thamar, elegantis formæ. 28. Manſitque Abſalom in Jeruſalem duo- A. M. 2979.
bus annis, & faciem regis non vidit. 29. Miſit itaque ad Joab, ut mitteret eum ad
regem: qui noluit venire ad eum. Cumque ſecundo miſiſſet, & ille noluiſſet venire ad
eum. 30. Dixit ſervis ſuis: Scitis agrum Joab juxta agrum meum, habentem meſſem
hordei: ite igitur, & ſuccendite eum igni. Succenderunt ergo ſervi Abſalom ſegetem
igni. Et venientes ſervi Joab, ſciſſis veſtibus ſuis, dixerunt: Succenderunt ſervi Abſa-
lom partem agri igni. 31. Surrexitque Joab, & venit ad Abſalom in domum ejus, &
dixit: Quare ſuccenderunt ſervi tui ſegetem meam igni? 32. Et reſpondit Abſalom ad
Joab: Miſi ad te obſecrans, ut venires ad me, & mitterem te ad regem, & diceres ei:
Quare veni de Geſſur? melius mihi erat ibi eſſe: obſecro ergo, ut videam faciem regis:
quod ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me. 33. Ingreſſus itaque Joab ad regem,
nuntiavit ei omnia: vocatuſque eſt Abſalom, & intravit ad regem, & adoravit ſuper
faciem terræ coram eo: oſculatuſque eſt rex Abſalom.

℣. 1. JOAB MISIT THECUAM. Urbs Thecua in Tribu Juda conſidebat, ad meridiem Jeroſolymæ, e qua XII. M. paſſibus aberat (1). Fœminam ignotam ex agro accivit Joab, ut conſilium ſuum melius occultaret.

℣. 6. ANCILLÆ TUÆ ERANT DUO FILII. Hiſtoriam ne, an parabolam recitat? Sunt (2) qui veram hiſtoriam credant; quibus favet verſiculus 16. poſtquam enim mulier vices omnes utriuſque filii narravit, rogavitque Davidem, ut populo ſuo pro Abſalomo id concedat, quod ſibi pro filiis ſuis obtulit, ſermonem ſuum ita proſequitur: *Et audivit Rex ut liberaret ancillam ſuam de manu omnium, qui volebant de hæreditate Dei delere me & filium meum ſimul.* Plerique tamen cenſent parabolam eſſe, de qua inter Joabum & mulierem hanc convenerit, uti non obſcure demonſtrat Verſic. 19. Norat Joabus mulieris hujus ingenium, ac de induſtria illam accivit, ut perſonam hanc luderet.

℣. 7. TRADE EUM, QUI PERCUSSIT FRATREM SUUM .... ET DELEAMUS HÆREDEM. Exprimit mulier potius intimos animi ſenſus, & prava conſilia accuſatorum filii ſui, quam ipſa illorum verba; neque enim auſi fuiſſent impudenter, & ſine ambagibus petere hominem ad interitum, ut hæreditas patris illius ad ſe ſe migraret. Neceſſariorum igitur defuncti munus erat pœnas de viro ſumere, & urgere Legis ſeveritatem, capite damnantis homicidam ſpontaneum (3), ac maxime propinquo inter neceſſarios ultionem imperantis.

QUÆRUNT EXTINGUERE SCINTILLAM MEAM. Homo quilibet, ejuſque ſucceſſores, appellantur in Scriptura non raro *lucerna*: extinguere lucernam in Iſrael (4), eſt interficere, & extinguere alicujus memoriam. *Suſcitare lucernam* alicujus (5) eſt poſteros illi dare. Extinguere ſcintillam valet hic perimere unicam, quæ ſupereſt, ſpem, futurum ut revocetur mariti nomen. Hebræus ad literam (6): *Extinguerent prunam meam, quæ relicta eſt*; prunas ſub cinere reſervatas ad excitandum igniculum meum, accendendamque lucernam meam in Iſraele.

℣. 9. IN ME SIT INIQUITAS .... REX AUTEM ET THRONUS EJUS SIT INNOCENS. Si religio aliqua Regem abſterret, ne hoc filio meo condonet, exiſtimatque placandam ſibi eſſe interfectoris ſanguine juſtitiam & ſanguinem interfecti a ſe fratris; ſi metuit, ne in caput ſuum totumque Regnum ultionem cædis hujus provocet; totam in me ſumo peccati hujus culpam & pœnam. Puniat Deus in me crimen, cujus veniam a te poſtulo. Familiaris erat hæc apud Hebræos cautio in judiciis de crimine, ut Judex totam a ſe ſanguinis, ſententia ſua effundendi, pœnam amovens, refunderet in accuſatorem vel reum (7); vel accuſatores ipſi

[1] *Thecuam viculum eſſe in monte ſitum, & duodecim millibus ab Jeroſolymis ſeparatum, quotidie oculis cernimus.* Hieron. in Iſai. VI. 1. [2] Vide Sanct. & apud eum Rabb. & Angelom. [3] Num. XXXV. 18. 28. [4] 2. Reg. XXI. 17. *Ne extinguas lucernam Iſrael.* [5] Pſalm. CXXXI. 17. *Paravi lucernam Chriſto meo.* [6] וכבו את גחלתי אשר נשארה Septuag. Σβέσουσι [illegible] μοι. [7] Num. XX. 9. *Sanguis ejus ſit ſuper eum.* Joſue II. 19. *Sanguis ipſius erit in caput ejus.* 2. Reg. I. 16. *Sanguis tuus ſuper caput tuum.* 2. Reg. III. 28. *Mundus ego ſum & regnum meum a ſanguine Abner.*

in ſe illam palam & clara voce imprecarentur (1). Indicium id erat, quanto horrore Judex in quodcumque iniquitatis genus ferretur, ipſumque nonniſi invitum ad ultimum ſupplicium reo decernendum accedere.

Reddi etiam poſſet Textus (2): Expoſita ſum, Domine mi Rex, ego & domus mea certo exitio; hoc ego neque Regi neque Regno imputo. Non ſatis contenta mulier ſponſione coram ſibi facta a Davide, futurum ſcilicet ut Rex ipſe rebus ſuis provideret; plus aliquid poſtulat, rogans, ut datam fidem jurejurando confirmet, & remotis ambagibus veniam filio ſuo concedat. Addit igitur: Præſentiſſimum eſt diſcrimen, extremum, ingens, prompta ope indigeo. Interim, Domine, ſi quid mali filio meo contigerit, cavebo ne tibi illud adſeribam, novi enim quantum clementiæ tuæ debeam.

Ỳ. 11. Ut non multiplicentur proximi sanguinis (3) ad ulciscendum. Ne defuncti neceſſarii, ſanguinem filii mei poſtulantes, multiplicentur, ſeu prævaleant in me, ut adverſarii qui adverſarios ſuos numero ſuperant. Aliter: Imperium tuum coerceat adverſarios meos, ne augeantur ulterius, neve eorum numerus in dies creſcat in me; ſpe omni mei opprimendi deſtituantur: abſoluta cautione mihi conſule: jurato pollicere, velle te nequa unquam a quoquam moleſtia afficiar. Denique: Sapientiæ & clementiæ tuæ eſt, Rex, coercere vim & malum ſtudium ultorum ſanguinis proximi ſui. Huic enim ſi addatur authoritas, cædibus tota paſſim regio complebitur, nomine Legis implendæ.

Ỳ. 13. Quare cogitasti hujuscemodi rem contra populum Dei, et locutus est Rex verbum istud, ut peccet, et non reducat ejectum suum? Huc ſpectabat mulier longo hoc ſermonis & narrationis circuitu. Hoc mihi concedis pro filio meo, cædis licet fratri ſuo illatæ reo: nec dabis roganti populo tuo reditum Abſalomi, cujus crimen gravius non eſt quam filii mei, quippe qui reus eſt tantum interfecti fratris ſui, in ſimili rerum articulo? Interfecit Abſalom Amnonem in agro, nemine præſente, qui alterum ab altero ſepararet, ſive inter ſe componeret; inique, ſi dicere fas eſt, agis in populum & in filium tuum, perſeverans in ſententia miſerum ab exilio non revocandi. Ac merito queri poteſt Abſalom, agi ſecum a patre durius, quam cum villiſſimo ſubditorum: merito etiam populus obloquatur, facilius exaudiri a Principe privatæ fœminæ preces, quam publica totius gentis vota, ac deſideria. Mors filii mei privata eſt jactura familiæ meæ, & Reipublicæ: ut autem Abſalom ſervetur, id utique univerſo Iſraeli, perinde illum reſpicienti ac Regni ſucceſſorem, conducit. Hebræus ad literam (4): *Quid cogitaſti hoc in populum Dei? & cur loquutus eſt Rex verbum hoc, tamquam qui delinquit, ut non reducat expulſum ſuum?*

Ỳ. 14. Omnes morimur (5), et quasi aquæ dilabimur in terram. Succurrat tibi, Rex, hominum conditionem eſſe mortalem. Mors Amnonis malum eſt remedio carens; nec extinctus ille revocabitur ad vitam ſeu exilio ſeu morte Abſalomi. Deus exitium noſtrum non exigit: id ſemper curans, ut opus ſuum tueatur. Hanc ejus clementiam imitari & conſilia juvare, tuum eſt, o Rex. Suma ſeveritas & odium implacabile mortalem hominem non decent, cui nunquam e mente excidat ſua conditio, neceſſe eſt.

Non vult Deus perire animam. Chaldæus: *Non eſt poſſibile Judici veritatis accipere mamon iniquitatis.* Clericus: *Quis vetat Principem parcere homini, atque inire rationem ne filium ſuum diutius habeat exulem?* Hebræum *Elohim* uſurpatur ſæpe pro Principe, vel Judice, & in hunc ſenſum ſeries hujus narrationis nos ducit. Aliter: *Morimur omnes, & diſperdimur velut aqua cadens ſuper terram, & nemo nos colligit: Deus autem neminem excipit.* A communi hac mortalium omnium lege nemo excipitur.

Ỳ. 15. Veni ut loquar verbum hoc præsente populo. Sapiens hæc mulier ad Davidem venerat, ut cæteri veniebant de rebus acturi: allocuta eſt Regem coram Aulicis, & populo. Inferius etiam, Ỳ. 22. patebit, Joabum toti huic ſermoni præſentem, nec plane ſolum, adfuiſſe: quin & res etiam poſtulabat, ut coram teſtibus hæc dicerentur, ut ſcilicet ſi David in ſententia perſeveraſſet, flecti demum totius cœtus precibus poſſet. Hebræus ad literam (6): *Nunc veni ad loquendum ad Regem Dominum meum verbum hoc, quia terruerunt me populus.* Coegit me populus; ſeu potius: Obtuli me coram te, Rex, quamquam terruerunt me, monentes futurum, ut nihil a te impetrarem. Seu potius: Auſa ſum parabolam tibi, Rex, narrare; metui enim populi tibi circumfuſi coronam: quare palam & in aperto diſſerendum mihi non cenſui, ne libertatis nimiæ loquendo accuſarer. Sed Vulgatæ ſenſus planior eſt & apertior. Septuaginta (7) eamdem lectionem, ac S. Hieronymus, ſervarunt; nec Hebræus Textus hanc interpretationem reſpuit.

Ỳ. 17. Dicat ergo Ancilla tua ut fiat verbum Domini mei Regis, sicut sacrificium: patere ergo ut ancilla tua te roget, ut quæ juſſiſti, Rex, impleantur, tamquam ſacrificium Deo promiſſum. Seu potius: Optat ancilla tua, Rex, ut fides, quam mihi dediſti, ita grata ſit Deo, ut ſacrificium panis & libationum. Quod mihi largiris beneficium, ita reſpiciat Deus, ceu oblatum ſibi a te ſacrificium. Hebræus, ex Maſſoretarum ſyntaxi, reddi poteſt (8): *Liceat ancillæ tuæ dicere, ut verbum Domini mei Regis ſit noſtra tranquillitas, vel conſolatio noſtra.* Ut quieti dormiamus in fide nobis a te præſtita, & juſſiones tuæ ſint irrevocabiles.

Sicut enim Angelus, sic est Dominus meus Rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur. Jus reddit tanta integritate, ut hominum conditionem ſuperare videatur: nihil reſpicit, niſi cauſæ hujus æquitatem, ut non moveatur aſſentationibus, non exprobrationibus, non laudibus ſuſpectis, non querelis inanibus. Hebræus ad literam (9): *Dominus meus & Rex meus, ſicut Angelus Dei, ad audiendum bonum & malum.* Datus eſt Rex populis ſuis, tamquam e Cœlo Angelus, qui aures præbeat omnibus, ſive bonum ſive malum referentibus, ut æquo judicio diſcernat & æqua reddat ſingulis pro meritu. Vel aliter: Tanta diſcretione & ſapientia de rebus omnibus judicat Rex, quanta Angelus. *Auſcultare bonum & malum*, eſt, omnia audire: idem autem a fœmina repetitur inferius, Ỳ. 20. *Sapiens es, ſicut habet ſapientiam Angelus Dei.* Rerum omnium abdita penetras. Aliter: Sapientia & judicii acumine nihil Angelo cedis, ut diſtinguere noveris inter æquum & iniquum, inter bonam malamque cauſam, inter juſtas querelas, & cavillationes inanes.

Ỳ. 19. Per salutem animæ tuæ . . . . nec ad sinistram nec ad dexteram ex omnibus his, quæ locu-

(1) Matth. xvIII, 25. *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* (2) עלי העון ועל בית אבי והמלך וכסאו נקי (3) גאל הדם Septuag. Ἀγχιστεῦσαι τὸ αἷμα. Alius: Ἀγχιστεὺς τὸ αἷμα. *Vindicer ſanguinis.* (4) ולמה חשבת כזאת על עם אלהים ומדבר המלך הדבר הזה כאשם לבלתי השיב את נדחו (5) Theod. *Filius ſuus obiit ſine ſpe reditus.* Ὅτι τέθνηκεν ὁ υἱός σου. (6) באתי לדבר את הדבר הזה כי יראני העם (7) Ἥκω λαλῆσαι τὸν λόγον τοῦτον, ὅτι ὄψεταί με ὁ λαός. Ducunt יראני de ראה *Video.* (8) ותאמר שפחתך יהיה נא דבר אדני המלך למנחה Septuag. Γενηθήτω ὁ λόγος τοῦ Κυρίου μου τοῦ Βασιλέως εἰς θυσίας. Legunt *Minsha*, pro *Menucha*. Item S. Hieronymus. (9) כי כמלאך האלהים כן אדני המלך לשמע הטוב והרע

Locutus est Dominus meus. Hoc enim conſilium Joab mihi dictavit. Hebræus: *Vita animæ tuæ, Domine mi Rex, ſi vir* [quiſpiam vel unicum verbum ſuggeſſit] *ad dexteram & ad ſiniſtram, ab omnibus quæ locutus eſt Dominus meus Rex: unus Joab ſervus tuus ipſe præcepit mihi.* Aliter: Per vitam tuam, mi Rex, nemo juſſionibus tuis repugnare audet, neque tibi adverſati vel ad dexteram vel ad ſiniſtram. Unus Joab verba mihi fecit de his omnibus, quæ locuta ſum. Denique: Ambages omnes coram te removendæ ſunt; tu enim unico intuitu res intime pervadis: ex ipſo Joabo rem teneo.

℣. 20. Ut verterem figuram sermonis hujus (1). Demonſtrant hæc apertiſſime, mulierem hanc non veram hiſtoriam ſed parabolam duorum filiorum narraſſe. Monuerat Joab, ut parabolam hanc ſuam cum Abſaloni cauſa componeret, ſed ita ut artem Rex non ſubodoraretur. Hinc autem factum eſt, ut in utraque cauſa diſcrimen aliquod intercedat: de induſtria enim hæc adjecit mulier, ut artificium ſuum melius celaret.

℣. 24. Revertatur in domum suam. Redeat in urbem Regiam, ſeu in privata domo ſua cum uxore & filiis maneat, neque unquam in Aula & coram me appareat.

℣. 26. Et quando tondebat capillum, semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum cæsaries, ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico; ſive, ex Hebræo, pondere Regio. In hoc Textu ardua plura expendenda ſunt; quæ ſingillatim excutiamus, I. Utrum Abſalom tonderet comam ſemel tantum quotannis. II. Utrum totam cæderet, an partem. III. Utrum pondus iſtud ducentorum ſiclorum totius eſſet comæ vel partis tonſæ. IV. Quid ſit pondus iſtud Regium (2).

Semel in anno. Hebræus ad literam (3): *A fine dierum uſque ad dies.* Onkelos: *A commoditate temporis uſque ad commoditatem temporis*; ideſt, a tempore apto uſque ad aliud tempus aptum. Septuaginta Hebræum ad literam ſervant (4). Joſephus explicat de ſpatio octo dierum. Author quæſtionum Hebraicarum in Libros Regum, vertit: *Statuto tempore tondebatur*; ideſt, poſt evolutos triginta dies, vel ſemel quolibet menſe. Bochartus: *De tempore ad tempus*, eum aptum judicabat, & cum cæſaries gravis fieret. Interpretatio Vulgatæ optima videtur: recurrunt enim in Scriptura ſimiles loquendi phraſes, quæ accipi nunquam poſſunt niſi de ſingulis annis, vel ſemel in annos ſingulos. Ita e. g. (5): *Cuſtodies hujuſcemodi cultum ſtatuto tempore a diebus in dies*; ideſt, quotannis.

Prolixam comam nutriebant Iſraelitæ, uti e Scriptura conſtat, & ex Joſepho (6), qui narrat, juvenes Salomonis ætate prolixam cæſariem geſtaſſe, aureo pulvere & unguentis reſperſam. Vix igitur perſuademur, Abſalomum totam ſibi comam, quæ venuſtatis ſuæ pars erat non infima, præcidiſſe. Experientia diſcimus, comam unius anni ſpatio non creſcere amplius quatuor longitudinis digitos: nunquam igitur fieri poterat, ut ſuperfluum illud comæ onus, quod ſingulis annis ſubducebatur, ducentorum ſiclorum pondus æquaret; quod enim ſupererat, reputandum fuiſſet quadruplo vel quintuplo gravius fuiſſe: quod utique minime omnium fieri potuit. Neque aſſerit Scriptura, præciſam illam Abſalomi comam pondere fuiſſe ducentorum ſiclorum, ſed illud tantum narrat: *Ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis.* Qua vero ratione ponderabat? De reſiduæ pondere argumentum capiebat ex pondere comæ præciſæ: utraque parte ſimul ſumpta, totius cæſariei pondus æſtimabatur; centum vero ſicli rum præciſę tum reſiduę pondus erant: utramque junge, & poſtulatum pondus invenies.

Pondus Regis, vel ex Hebræo, *lapis Regis*, negocium in hac re maximum faceſſit. D. le Pelletier, cujus hic ſynopſim exhibemus, certum ſtatuit, ſub Regibus Juda pondus apud Hebræo idem ſemper & conſtans fuiſſe, nullumque obtinuiſſe Regis pondus, ab altero vulgari & conſueto diverſum, cujus vulgaris ponderis typus ſervabatur in Templo, cuſtodiæ Sacerdotum commiſſus (7): *Sacerdotes autem ſuper omne pondus atque menſuram.* Ponderis regii, & communis diſcrimen invectum eſt primum poſt Chaldæorum in Judæa imperium. Qui Libros Regum recenſuit, ſub exitum captivitatis Babylonicæ vel paulo poſt florens, quo tempora Judæus populus ponderibus Babylonicis jam a ſeptuaginta annis aſſuetus vel ignorabat, vel ignorare poterat æſtimationem ponderis Hebraici, cujus apud illos uſus ceſſaverat; is, inquam, ut Lectorum menti ſeſe accommodaret, ſubſtituit pondus commune, alteri quod in iis Libris invenit, ſcripſitque, comam Abſalomi habuiſſe pondus ducentorum ſiclorum, ſimul admonens, ſiclos eſſe Babylonicos, & pondus Regum Babyloniæ, quibus tunc Judæi parebant. Ante captivitatem, pergit idem Le Pelletier, ſicli argentei drachmarum quatuor in uſu fuerant: Babylonici vero nonniſi drachmam & ſemis referebant. Ut ambiguitas hæc ſiclorum vitetur, addit ſacer Scriptor, tamquam gloſſema, hic ſiclos Regii ponderis nominari. Eodem conſilio Ezechiel (8), qui per ea tempora ſcribebat Babylone, monet, cubitos, quibus utitur in dimenſionibus Templi, æquare cubitum & palmum, ideſt, magnum cubitum, cubitum regium Babylonicum, uti Herodotus nuncupat (9).

Supereſt modo, ut certum ſicli Babylonici pretium ſtatuamus. Septem obolis cum dimidio ſiclum æſtimat Xenophon (10): olim tamen in ejus Codicibus lectum fuiſſe octo obolos, cenſet D. le Pelletier, eum apud Heſychium, Photium, ſeu potius Sophoclem ab eodem Photio laudatum, & apud Antonium Philoſophum, ſiclus octo obolis valuiſſe legatur. Conjecturam hanc ſuam de pretio ſicli Babylonici, Eſdræ (11.) teſtimonio comprobat, ubi Hebræi tributum tertiæ partis ſicli in ſingulos ſponte ſibi imperaſſe narrantur, in Templi ædificium inſumendum. Porro tertia pars ſicli Hebraici æquabat omnino ſiclum Babylonicum, octo obolorum ponderis, cum ſiclus Hebraicus pondere eſſet quatuor & viginti obolorum, ſeu quatuor drachmarum, ſeu viginti Gerat, pondere Sanctuarii. Vetus hic argenteus nummus, quem hic ſiclum Babylonicum appellamus, ab Arabibus appellatur *Mitkala*, quod nomen occurrit etiam in paraphraſi Chaldaica hujus Textus; eademque res eſt ac *Mitigal* Italorum, quod ex Hebræo *Miſchkal* derivatum eſt. *Mitkala* pondus eſt, cujus hodie pariter eſt uſus in gemmis, vel aromatibus pretioſis apud Orientales.

Siclus Babylonicus tertiam ſicli Hebraici partem

(1) לבעבור סבב את פני הדבר Ad literam: *Servus tuus fecit ut verterem os ſermonis hujus.* Sym. *Fecit ut verterem proſopopæjam hujus ſermonis.* Ὑπὲρ τοῦ περιαγαγεῖν τὸ προσωπεῖον τοῦ ῥήματος τούτου. Alius: Ὅπως κυκλώσῃ τὸ πρόσωπον τοῦ ῥήματος τούτου. (2) Vide Diſſertationem D. le Pelletier in hanc rem, apud Ephemerides Trevoltii, An. 1702. menſ. Auguſt. art. 1. p. 175. (3) ויהי מקץ ימים לימים אשר יגלח כי כבד עליו וגלחו ושקל את שער ראשו מאתים שקלים באבן המלך (4) Ἀπὸ τέλους ἡμερῶν εἰς ἡμέρας. (5) Exod. XIII. 10. Vide & Judic. XI. 4. (6) Joſeph. Antiqu. lib. VIII. c. 7. Μηκίστας μὲν καθειμένοι χαίτας, ἐνδεδυμένοι δὲ χιτῶνας τῆς Τυρίας πορφύρας. Ψῆγμα δὲ χρυσίου καθ' ἡμέραν αὐτῶν ἐπέσηθον ταῖς κόμαις, ὡς στίλβειν αὐτῶν τὰς κεφαλὰς τῆς αὐγῆς τοῦ χρυσίου πρὸς τὸν ἥλιον ἀντανακλωμένης. (7) 1. Par. XXIII. 29. (8) Ezech. XL. 5. (9) Herodot. lib. 1. (10) Xenoph. lib. 1. de Expedit. Cyri Jun. Ὁ δὲ σίγλος δύναται ἑπτὰ ὀβολοὺς, καὶ ἡμιωβόλιον ἀττικούς. (11) 2. Eſdr. X. 32.

tem æquabat pondere; hic autem reddebat 219. grana Anglica; quare Babylonicus ſiclus 75. ejuſmodi grana continebat, quæ ad grana Pariſienſia relata, ferme cum 89. granis noſtri ponderis marchi componuntur. Qua admiſſa hypotheſi, coma Abſalomi, ducentorum ſiclorum Babylonicorum pondere, levior non erat, quam 30. unciis, 7. groſſis, 16. granis. Si autem non deſunt mulieres, quæ capillorum pondus 32. unciarum nutriunt, uti fictitii capillamenti artifices affirmant, quis incredibile reputaverit, Abſalomi cæſariem ad uncias fere 31. perveniſſe?

Fulcit opinionem ſuam D. Pelletier teſtimonio S. Epiphanii, qui in Libro de ponderibus & menſuris affirmat, comam Abſalomi pondus habuiſſe 125. ſiclorum, vel duarum librarum & ſemis, addita uncia & ſiclo. Heron Alexandrinus, qui S. Epiphanium exſcripſiſſe videtur, idem docet de pondere comæ Abſalomi, ſcilicet 125. ſiclorum, vel 30. unciarum, addito ſiclo. Porro S. Epiphanio ſiclus erat ſeptem obolorum & ſemis; qua in re Xenophontem, ſed incaute, ait D. Le Pelletier, ſecutus eſt.

Comæ Abſalomi, quam, teſte Joſepho, ſingulis octo diebus tondebat, idem Joſephus (1) tribuit pondus 200. ſiclorum, vel quinque minarum Alexandrinarum, quæ ſingulæ 20. uncias, vel 160. drachmas reddebant. Sed hæc opinio, incredibili pondere virum opprimens, ægerrime defenditur.

Qui diſtinguunt pondus Regium a pondere Sanctuarii, ac pondus Sanctuarii duplo majus fuiſſe docent Regio, cenſent, comam Abſalomi æquaſſe 200. ſiclos regios, duplo minores pondere, quam ſiclos Sanctuarii. Hoc tamen ſiclorum diſcrimen nunquam ex Scriptura probatur.

Rabbini cæterique (2), qui ducentos hoſce ſiclos non ad pondus referunt, ſed ad pretium, cenſent, Abſalomum vel ejus domeſticos comam ejus præciſam vendidiſſe fœminis Jeroſolymitanis ad fictitia capillamenta, quaſi tunc fictitia illa capillamenta in uſum muliebrem obtinerent, & talem Principem, qualis Abſalom, decuiſſet indignum adeo commercium in rebus ſuis inſtituere.

Sunt qui putaverint, Abſalomum ſæpius comam ſuam reformaſſe, præciſosque crines ſervaſſe uſque ad pondus ducentorum ſiclorum; quorum ſane opinio Scripturæ animadverſionem puerilem efficit; nihil enim novum & extraordinarium a Sacro Scriptore animadverſum fuiſſet.

Refutavit Bocahartus (3) opinionem eorum, qui ajunt, Amanuenſium incuria *Daleth* in *Reſch* verſum eſſe, ac proinde irrepſiſſe cc. pro iv. ſiclis. Quid enim mirum fuiſſet, ſi Abſalomi cæſaries quatuor ſiclorum pondus non ſuperaſſet? Fieri potuiſſe credit idem Author, ut alia literula deſcripta fuerit in Textu, cujus loco irrepſerit *Reſch*: ſed literulam illam indicare non audet. Subſtituunt alii *Caph*, quæ nota eſt numeralis xx. pro *Reſch*, quæ valet cc. Alius pro arbitrio aliam reponet. Vetus quidam Græcus Interpres nonniſi centum ſiclos legit. Hæc tamen omnia nullius roboris ſunt argumenta: neque enim ſatis conſtat, Hebræos primitus literas pro notis numericis adhibuiſſe; vix enim alioqui fieri potuiſſet, ut rei hujus veſtigium aliquod in Scriptura non ſupereſſet.

Aliam conjecturam proponit Bochartus, ratus, cæſariem Abſalomi tanti ponderis fuiſſe ex aureo pulvere, quo, de more ejus ætatis, conſpergebatur. Ex ejus ſupputatione, coma illa Abſalomi æſtimanda erat ponderis quatuor librarum Romanarum, duodecim unciarum in ſingulas, vel trium librarum noſtratium, unciarum ſexdecim. Sed Scriptura verum ac naturale pondus comæ, non aliud adſcititium & exterius ornamentum narrat.

Ponderis hujus ducentorum ſiclorum dimidium contraxerunt Septuaginta, cum legant centum ſiclos; quod recidit in eorum ſententiam qui explicant de ſiclis aureis vel Regiis, dimidio minoribus quam ſiclis Sanctuarii. Sed primum omnium probandum erat diſcrimen inter pondera publica & Sanctuarii, inter ſiclos aureos & argenteos. Quare dum aliquid planius & aptius demonſtretur, retinenda eſt ſententia ducentorum ſiclorum Babylonicorum, qui noſtri ponderis uncias circiter xxxi. reddunt.

℣. 27. Nati sunt Absalom filii tres. Hi vitam diu non prorogarunt; legimus enim inferius (4), filium nullum Abſalomo ſuperſtitem fuiſſe.

Et filia una nomine Thamar. In codicibus nonnullis Græcis Latiniſque additur hic: *Thamar nupta fuit Roboamo filio Salomonis, ex quo genuit Abiam.* Verum deeſt hoc in Hebræo, Vulgata, atque editione Septuaginta Complutenſi, neque ullius eſt authoritatis, quin & ægre cum Chronologia componitur. Legimus (5) *Roboamum accepiſſe Maacham filiam Abſalom.* Hæc vero fœmina longe alia videtur a Thamar, & nomen filiæ uſurpatur hic pro nepte: Maacha facile ex matre Thamare nata eſt.

℣. 29. Noluit venire ad eum. Notat facile Regis voluntatem, neque res adhuc Abſalomo amicas eſſe intelligebat. Noluit iterum rem tentare, neque ſeſe Regis ſuſpectum reddere, veluti plus nimio juveni huic Principi ſtuderet. Joabus peritus aulicus poſtulata ſua omnia conſiderat, neque ad rem tentandam niſi de eventu ſecurus accedit. Norat futurum, ut Abſalomum conveniens, ejus animum provocaturus eſſet, gerere ejus cauſam recuſans; vel fore ut cauſam amplectens, minus fortaſſe placeret Regi, cujus gratiæ ſibi ſtudendum erat.

(1) Joſeph. Antiqu. lib. 7. c. 8. Τοσοῦτο μὲν γὰρ ἦν τὸ πλῆθος τῆς κόμης αὐτοῦ, ὡς μόλις αὐτὴν ἡμέραις ἀποκείρειν ὀκτὼ, σταθμὸν ἕλκουσαν σίκλους διακοσίους. Οὗτοι δ' εἰσὶ πέντε μναῖ. Latinus Interpres ſcribit octo menſes, ſed Græcus octo dies, ac innuere videtur, ſingulis octo diebus tonderi conſueviſſe. (2) Sanctius, Salazar, Emmanuel Sa. (3) Bochart. Epiſt. de cæſarie Abſalom, inter ejus Opera, editionis Lugd. Batav. (4) 2. Reg. xviii. 18. *Dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei.* (5) 2. Par. xi. 20.

CAPUT XV.

Abſalom favorem populi occupans, Regem ſe Hebrone ſalutari curat. David profugit ex Jeruſalem, una cum familia. Remittit autem Arcam cum ſummis Sacerdotibus Jeroſolymam; remittit & Chuſai, ut conſilia Achitophelis ſubvertat.

A. M. 2989. ante J. C. 1011. ℣. 1. Igitur poſt hæc fecit ſibi Abſalom currus, & equites, & quinquaginta viros,
qui præcederent eum. 2. Et mane conſurgens Abſalom ſtabat juxta introi-
tum portæ, & omnem virum, qui habebat negotium, ut veniret ad regis judicium,
voca-

vocabat Abſalom ad ſe, & dicebat: De qua civitate es tu? Qui reſpondens ajebat;
Ex una tribu Iſrael ego ſum ſervus tuus. 3. Reſpondebatque ei Abſalom: Videntur
mihi ſermones tui boni, & juſti. Sed non eſt qui te audiat conſtitutus a rege. Dice-
batque Abſalom: 4. Quis me conſtituat judicem ſuper rerram, ut ad me veniant
omnes, qui habent negotium, & juſte judicem? 5. Sed & cum accederet ad eum
homo, ut ſalutaret illum, extendebat manum ſuam, & apprehendens, oſculabatur eum.
6. Faciebatque hoc omni Iſrael venienti ad judicium, ut audiretur a rege, & ſollici-
tabat corda virorum Iſrael. 7. Poſt quadraginta autem annos, dixit Abſalom ad re- A. M. 2984.
gem David: Vadam, & reddam vota mea, quæ vovl Domino in Hebron. 8. Vo-
vens enim vovit ſervus tuus, cum eſſet in Geſſur Syriæ, dicens: Si reduxerit me
Dominus in Jeruſalem, ſacrificabo Domino. 9. Dixitque ei rex David: Vade in pa-
ce. Et ſurrexit, & abiit in Hebron. 10. Miſit autem Abſalom exploratores in uni-
verſas tribus Iſrael, dicens: Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regna-
vit Abſalom in Hebron. 11. Porro cum Abſalom jerunr ducenti viri de Jeruſalem
vocati, euntes ſimplici corde, & cauſam penitus ignorantes. 12. Accerſivit quoque
Abſalom Achitophel Gilonitem conſiliarium David, de civitate ſua Gilo. Cumque
immolaret victimas, facta eſt conjuratio valida, populuſque concurrens augebatur cum
Abſalom. 13. Venit igitur nuntius ad David, dicens: Toto corde univerſus Iſrael
ſequitur Abſalom. 14. Et ait David ſervis ſuis, qui erant cum eo in Jeruſalem:
Surgite, fugiamus; neque enim erit nobis effugium a facie Abſalom: feſtinate egredi,
ne forte veniens occupet nos, & impellar ſuper nos ruinam, & percutiat civitatem
in ore gladii. 15. Dixeruntque ſervi regis ad eum: Omnia, quæcumque præceperit
Dominus noſter rex, libenter exequemur ſervi tui. 16. Egreſſus eſt ergo rex, &
univerſa domus ejus, pedibus ſuis: & dereliquit rex decem mulieres concubinas ad
cuſtodiendam domum. 17. Egreſſuſque rex, & omnis Iſrael pedibus ſuis, ſtetit pro-
cul a domo. 18. Et univerſi ſervi ejus ambulabant juxta eum, & legiones Cere-
thi, & Phelethi, & omnes Gethæi, pugnatores validi, ſexcenti viri qui ſecuti eum
fuerant de Geth pedites, præcedebant regem. 19. Dixit autem rex ad Ethai Ge-
thæum: Cur venis nobiſcum? revertere, & habita cum rege: quia peregrinus es,
& egreſſus es de loco tuo. 20. Heri veniſti, & hodie compelleris nobiſcum egre-
di? ego autem vadam, quo iturus ſum: revertere, & reduc tecum fratres tuos, &
Dominus faciet tecum miſericordiam, & veritatem, quia oſtendiſti gratiam, & fidem.
21. Et reſpondit Ethai regi, dicens: Vivit Dominus, & vivit Dominus meus rex,
quoniam in quocumque loco fueris, domine mi rex, ſive in morte, ſive in vita,
ibi erit ſervus tuus. 22. Et ait David Ethal: Veni, & tranſi. Et tranſivit Ethai Ge-
thæus, & omnes viri, qui cum eo erant, & reliqua multitudo. 23. Omneſque fle-
bant voce magna, & univerſus populus incedebat contra viam, quæ reſpicit ad de-
ſertum. 24. Venit autem & Sadoc ſacerdos, & univerſi Levitæ cum eo portantes
arcam fœderis Dei, & depoſuerunt arcam Dei: & aſcendir Abiathar, donec expletus
eſſet omnis populus, qui egreſſus fuerat de civitate. 25. Et dixit rex ad Sadoc: Re-
porta arcam Dei in urbem; ſi invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, &
oſtendet mihi eam, & tabernaculum ſuum. 26. Si autem dixerit mihi: Non places:
præſto ſum, faciat quod bonum eſt coram ſe. 27. Et dixit Rex ad Sadoc Sacerdo-
tem: O Videns, revertere in civitatem in pace: & Achimaas filius tuus, & Jona-
thas filius Abiathar, duo filii veſtri, ſint vobiſcum. 28. Ecce ego abſcondar in cam-
peſtribus deſerti, donec veniat ſermo a vobis indicans mihi. 29. Reportaverunt er-
go Sadoc, & Abiathar Arcam Dei in Jeruſalem, & manſerunt ibi. 30. Porro Da-
vid aſcendebat clivum Olivarum, ſcandens & flens, nudis pedibus incedens, & oper-
to capite: ſed & omnis populus, qui erat cum eo operto eapire, aſcendebat plo-
rans. 31. Nuntiatum eſt autem David, quod & Achitophel eſſet in conjuratione
cum Abſalom, dixitque David: Infatua, quæſo, Domine, conſilium Achitophel.
32. Cumque aſcenderet David ſummitatem montis, in quo adoraturus erat Domi-
num, ecce occurrit ei Chuſai Arachites, ſciſſa veſte, & terra pleno capite: 33. Et
dixit ei David: Si veneris mecum, eris mihi oneri. 34. Si autem in civitatem re-
vertaris, & dixeris Abſalom: Servus tuus ſum, Rex: ſicut fui ſervus patris tui, ſic
ero ſervus tuus: diſſipabis conſilium Achitophel. 35. Habes autem tecum Sadoc &
Abiathar Sacerdotes: & omne verbum quodcumque audieris de domo Regis, indica-
bis

bis Sadoc & Abiathar Sacerdotibus. 36. Sunt autem cum eis duo filii eorum, Achimaas filius Sadoc, & Jonathas filius Abiathar: & mittetis per eos ad me, omne verbum quod audieritis. 37. Veniente ergo Chuſai amico David in civitatem, Abſalom quoque ingreſſus eſt Jeruſalem.

℣. 1. FECIT SIBI ABSALOM CURRUS ET EQUITES ET QUINQUAGINTA VIROS. Abſalomi indolem in præcedentibus capitibus expreſſam intueri, lectoribus datum eſt. Princeps erat juvenis, audax, violentus, ad vindictam promptus, ſuperbus, omnia temere aggrediens, magnificus, eloquens, popularis; quibus omnibus accedebant divitiæ, ambitio, elegantis corporis venuſtas; qui ſublato Amnone ac reconciliato ſibi patre, nihil habebat quo prohiberetur, ne Regnum obtineret; ſpernebat Salomonem, puerum & obſcuræ originis. Ipſe regium ducebat genus, qua materna qua paterna ſtirpe, ætatemque agebat ſuſtinendo imperio aptam. Davidis ſenectus & ſumma illius in filios indulgentia conſilium illi inſpiravit fovitque prævertendi conſtitutum a natura ordinem, ut in locum amoti patris ipſe ſe ſubſtitueret. Rem autem exorditur a Regio apparatu ac ſatellitio, comparatis ſibi curribus, equis, cuſtodibus. Non ſatis conſtat ex Textu, utrum equites haberet alios præter aurigas, qui currus ſui equos moderarentur. Ita enim Textus ad literam (1): *Fecit ſibi Abſalom currum, & equos, & quinquaginta viros currentes a facie ejus.* Curru, more Principis, vehebatur, quod in Iſraele novum erat & inſuetum, ſtipabatur equis, nec deerant corporis cuſtodes, Regio apparatu. Porro cuſtodes corporis Regum Juda appellari ſolent *curſores*. Legimus in hiſtoria Romanorum, Romulum trecentos ſibi juvenes delegiſſe, corporis cuſtodes, & imperio obſequentes, quos appellabat *Celeres*, quod ſatis congruit cum nomine *curſorum*.

℣. 3. NON EST QUI TE AUDIAT CONSTITUTUS A REGE. Accuſat Regis incuriam & imbecillitatem regiminis, cavet ne animi ſui deſiderium promat, regnandi ſcilicet loco patris, ſed optat tantum conſtitui ab illo, ad cauſas populi audiendas, ut jus æquum reddat. Præclare ille quidem externa ſpecie, & generoſe.

℣. 5. EXTENDEBAT MANUS SUAS, ET APPREHENDENS OSCULABATUR EUM. Servilibus hiſce & popularibus favorem populi captabat. Eadem arte uſus eſt Otho (2): *Protendens manus, adorare vulgum, jacere oſcula, & omnia ſerviliter pro dominatione.*

℣. 6. SOLLICITABAT CORDA VIRORUM ISRAEL; Captabat ſibi amorem populi, ſeu ſenſim illos abalienabat a Davide, ut in conſilia ſua occulta venirent; habenas utcumque illis remittebat, ingerebat præſentis regiminis faſtidium. Majore vi Hebræus (3): *Furabatur cor virorum Iſrael*; ſeducebat fucata rerum ſpecie, alliciebatque fraudulentis ac doloſis ſermonibus populum, qui futurum rei eventum & conſilia loquentis ignorabat. Partes ejus ſecutus eſt vulgus, prava ejus conſilia non intelligens. Legimus in Geneſi XXXI. 20. Jacobum *furatum fuiſſe cor Laban*, cum ſcilicet, eo inſcio, e Meſopotamia ſeſe ſubduxit. Legimus etiam inferius (4), populum poſt necem Abſalomi *furatum ſe fuiſſe*, ne urbem ingrederetur; clam intravit, vel diſſipavit ſe furtim, alio divertens. Septuaginta (5): *Abſalom ſuum faciebat*, alliciebat ſibi; ſubdebatque *cor virorum Iſrael*. S. Bernardus ſive alius ſub ejus nomine (6), Virginem ſanctiſſimam appellat *Raptricem cordium*; inſpirat enim iis, a quibus agnoſcitur, amorem caſtum, allicitque corda illorum occultis illecebris. Uſurpare ſolemus frequenti ſermone, Oratorem aliquem rapere nos, ſibique ſubdere animum, mentem atque attentionem. Hebræi dicerent: *Furatur hic Orator cor noſtrum.*

℣. 7. POST QUADRAGINTA ANNOS, DIXIT ABSALOM. Arduum eſt maxime certam epocham horum quadraginta annorum definire. Sunt qui illos ducant ab eo tempore, quo Iſraelitæ a Samuele Regem poſtularunt (7), vel a prima unctione Davidis per Samuelem (8), vel ab initio Regno ejus in Judam, vel denique a cœpto in univerſum Iſraelem imperio. Geminæ vero poſteriores hæ ſententiæ vix ac ne vix quidem defendi queunt. E geminis prioribus altera tantum, quæ initium cum priori Davidis unctione componit, noſtræ Chronologiæ cohærere omnino poteſt. Credibile eſt, ſi quid aliud maxime, irrepſiſſe in Textum Hebræum quadraginta pro quatuor ארבעים pro ארבה, Septuaginta in noſtris codicibus cum Hebræo cohærent, ferentes quadraginta; ſed Joſephus & Theodoretus nonniſi quadriennium legebant (9). Veteres plures Latini manuſcripti Codices eamdem lectionem ſervant (10); in aliis ſunt anni ſex, in aliis quinque, in aliis duo. Diſcrimen iſtud codicum animadvertit Author quæſtionum Hebraicarum in Libros Regum. Syriacus & Arabs tuentur lectionem quatuor annorum; quibus adjungunt ſeſe ex doctiſſimis Criticis plures (11). Facilius equidem in mentem inducimus, Abſalomum, poſtquam toto quadriennio populi favorem captavit, ſeceſſiſſe tandem in partes, atque in apertam illam defectionem erupiſſe, cujus hiſtoria hic texitur.

℣. 10. MISIT ABSALOM EXPLORATORES IN UNIVERSAS TRIBUS: . . . . DICITE: REGNAVIT ABSALOM IN HEBRON. Ambitioſus Princeps emiſſarios in totam late regionem diſſipavit, qui novum illud, quod capeſſebat, Regnum nunciarent. Proviſum autem fuiſſe credimus caute, ut Abſalomi defectio fucata aliqua recti ſpecie honeſtaretur, & fictis coloribus teterrima ejus ambitio tegeretur. Forte etiam ſparſum eſt in vulgus, Davidis aſſenſum ea in re non defuiſſe. Denique nihil intentatum relictum eſt, ut primum illud ab Iſraelitis impetraretur, novum ſcilicet Regem agnoſcerent, ac debito illi obſequio ſubderentur. *In re tali*, ait Tacitus (12), *difficillimum prima vox*. Nec facile pars illa deſeritur, ad quam quis ſemel tranſivit.

℣. 11. CUM ABSALOM IERUNT DUCENTI VIRI SIMPLICI CORDE. Hi ex illis erant, quorum animos Abſalom *furatus fuerat*, quique prava ejus conſilia minime ſubodorati, ſe ſe illi honoris & ſtudii gratia adjunxerant. Porro ducenti iſti a reliquo Principis comitatu diſtinguuntur, cum comites optime noſſent ejus conſilium, quod cæteros latebat.

℣. 12. ACCERSIVIT ACHITOPHEL. Norat hominis peritiam & adverſus Davidem ſimultatem. Achitophel Bethſabeæ avus creditur (13); quare alte ſauciatus injuria a Davide in Bethſabeam totamque ejus familiam illata, non magnopere tentandus fuerat, ut in partes Abſalomi tranſiret.

℣. 13. TOTO CORDE UNIVERSUS ISRAEL SEQUITUR

Aaaa

(1) ויעש לו מרכבה וססים וחמשים איש רצים לפניו (2) Tacit. lib. 1. Hiſt. (3) ויגנב את לב אנשי ישראל (4) 2. Reg. XIX. 3. Vide & ℣. 41. (5) Καὶ ἰδιοποιεῖτο ... καρδίας ... τῶν ἀνδρῶν τοῦ Ἰσραήλ. (6) Bernard. in Salve Regina. (7) Ita Rabb. Kimchi, Vat. & Toſt. Tir. Sanct. (8) Ita Uſſer. Saliag. Cornel. Oſiand. (9) Theodoret. qu. 28. Τεσσάρων διεληλυθότων ἐτῶν. Ita Joſeph. Antiqu. lib. 7. c. 8. Τεσσάρων ἐτῶν ἤδη παρεληλυθότων. (10) Vide nov. Edit. S. Hieron. hic, pag. 381. (11) Grot. Capell. Caſtal. &c. (12) Tacit. lib. 2. Hiſt. Grot. hic. (13) Supra XI. 2.

Absalom; vel ex Hebræo (1): *Cor Iſraël fuit poſt Abſalom*. Quomodo tam facile populus deſerit partes Davidis, felicis adeo Principis, ſtrenui, juſti, quem Dei manus elegerat, dederat Samuel, is nempe Propheta, quem Iſrael tanto obſequio ac veneratione proſequebatur? Qua ſtatim arte ſubducta eſt ex animo populi memoria egregiarum tanti viri dotum, ac beneficiorum, quibus ille ſibi totam gentem obſtrinxerat? Agnoſcamus in his omnibus manum Dei, neceſſe eſt; ultoris brachium nimis aperte in tota hac re & depreſſione Davidis agnoſcitur. Sed neque illius deſerendi cauſæ ſpecioſæ defuerunt. Nunquam deſunt in populo ſeditioſi, turbarum novarumque rerum cupidi. Factio Saulis nondum penitus extincta erat: Joabus ſecundus a Rege indolem habebat ſuperbia & faſtu intolerabilem. Impunita ejus crimina invidiam conflabant Regi, qui nihil grave in illum decernere auſus fuerat. Ipſe pariter David adverſariis ſuis cauſam præbuerat tum crimine cum Bethſabee, tum illata Uriæ nece, quæ duo ſcelera manifeſta erant & odioſa, præſertim in Rege. Quod autem Abſalomo maxime favit, incuria Judicum in rebus populi cognoſcendis fuit; neque enim adeo ea de re doluiſſet Abſalom, niſi ejus querelæ aliquem veritatis colorem habuiſſent.

℣. 14. Surgite: Fugiamus. Quale conſilium viri tanta virtute, quem majora diſcrimina nunquam terruerant, quem tutabatur Urbs, diu reſiſtendo viribus totius Judæ & Iſraelis aptiſſima, arx quam vel *cæci & claudi defendere* valuiſſent, uti gloriabantur Jebuſæi (2)? Denique fugit David tot viris fortiſſimis ſtipatus, quorum vel unus exercitui interdum obſtitit; fugit autem, & pedeſter exit e Sion, lacrymans, & operto capite. Neque panici terrori, ſive turbatæ phantaſiæ ludibrio, quæ diſcriminis metum augeret, hæc deputanda ſunt. Exhibet enim ſe ſe ſub ipſis Jeroſolymæ mœnibus, & nondum trajecto torrente Cedron, cautiones occupantem omnes, quas prudentia in his rerum articulis dictat. Si fuga præripere ſe voluit, ſi caute ab hoſtibus ſecedere, cur pedeſter & nudis pedibus exit? Si res ſuas penitus acciſas haberet, nihil gravius pateretur, quam ut eo corporis habitu e regia Urbe decederet. Reputandum eſt igitur, Davidem criminum ſuorum pœnitentem, juſtæ demiſſionis animo, Dei mandatis ſeſe ſubmiſiſſe. In hoc rerum exitio merito agnoſcere ſibi viſus eſt executionem decreti, quod ſibi Nathan expoſuerat. Maluit autem fuga ſe ſubducere, quam parata defenſione vitam tot innocentium diſcrimini exponere. Parcendum ſibi cenſuit ſanguini populi ſui, atque civilis belli malum evitandum. Denique primis torrentia hujus incurſibus cedere maluit, primoſque impetus furoris filii, ac illius factionis declinare; futurum ſperans, ut tempus, ac minor reſiſtendi cura eorum impetum frangerent, adverſarii ſapientiores evaderent, & Abſalom crimen ſuum denique fateretur.

Et impellat super nos ruinam, tamquam qui ſubverſæ domus ſuæ ruinis opprimuntur. Hebræus (3): *Impellat ſuper nos malum*. In extremum malum nos impellat; ne penitus nos opprimat, ut reſurgere non valeamus.

℣. 17. Stetit procul a domo. Facile ut ſuos cogeret ac luſtraret. Stetit ex urbe egrediens, antequam trajiceret Cedron. Hebræus (4): *Steterunt domus fugæ*, vel elongationis, ideſt, tota familia, & copiæ Davidis, domus hæc fugitiva, familia migrans fugienſque ſubſtitit. Alii: *Steterunt in domo elongationis*; In loco ab urbe diſſito. Sed in ipſis urbis foribus ſtetiſſe, ex narrationis decurſu patet.

℣. 18. Cerethi et Phelethi. Cuſtodes erant Davidis, advenæ, e Philiſthæis oriundi. Vide Caput viii. 18.

Et omnes Gethæi, qui altero ſe dederant Davidi, ut Regnum capeſſivit; cum Cerethi, & Phelethi Davidi adhæſerint jam tum, cum ille ad Achis transfugerat. A vero non abludit, Ethai Gethæum gentis illius principem fuiſſe, eumdemque Gethæos tunc ad Davidem adduxiſſe. Animadverſione digniſſimum reputamus, Davidem in fuga ſua nullos fere habuiſſe comites, præter domeſticos ſuos, & exterorum ſatellitium: remittit autem Sacerdotes & Levitas cum Arca; veluti exprimat J. Chriſtum una cum diſcipulis ſuis a Synagoga rejectum, qui tamen viciſſim rejicit ritus Judaicos, & Sacerdotium Aaronicum, ac transfertur ad gentes, populum quidem exterum, ſed magis obſequentem ac fidum, quam naturales Regni ſubditos.

Qui secuti eum fuerant de Geth pedites; vel ſexcenti Gethæi, qui pedeſtres illum ſequebantur, vel qui illum ſecuti fuerant, quique ejus veſtigiis hæſerant, cum exiit ex urbe Geth (5).

℣. 19. Habita cum Rege. Ne in partem malæ fortunæ meæ venias. Sunt qui reddant Hebræum שב עם המלך, *Deſine ſequi Regem* (6).

℣. 20. Dominus faciet tecum misericordiam et veritatem, quia oſtendiſti mihi gratiam et fidem. Conciſe magis Hebræus עמך חסד ואמת *Tecum miſericordia & veritas*; Juſtam mercedem pro fide tua invenias. Vel: Deus tibi rependat juxta fidem promiſſionum ſuarum. Familiaris eſt Scripturæ phraſis (7): *Facere miſericordiam & veritatem*; innuens, beneficia beneficiis rependere, quippiam alicui gratum præſtare; quæ phraſis paſſim uſurpatur ſive de beneficiis Dei in homines, ſive hominum inter ſe. *Miſericordia & veritas* idem valent in Texto originali ac *gratia & fides*.

℣. 23. Torrentem Cedron. Tranſiit ad Orientem Jeroſolymæ, inter mœnia urbis, & montem olivarum. Hic torrens hyemali tempore, & cum imbres abundant, fluit, & tunc pariter nonniſi trium paſſuum latum alveum implet (8). Nomen *Cedron* נחל קדרון Hebraice ſonat *umbroſum*, umbria tectum; quare nonniſi inepte cedris derivatum cenſent quidam, ut ſit torrens cedrorum. Joſephus (9) non appellat niſi *vallem Cedron*, quem ſenſum Hebræus hujus Textus commode reddit.

Contra viam quæ reſpicit ad deſertum. Cum David Mahanaim verſus, qua parte Jordanem reſpicit contenderet, deſertum, de quo hic, nihil eſt aliud, quam ager ad orientem ſeptentrionalem Jeroſolymæ, amnem verſus. Ipſum eſt facile deſertum Bethel. Atque ita factum eſt, ut Davidis fugæ undiquaque imaginem mortis J. Chriſti exhibeat.

℣. 24. Depoſuerunt Arcam Dei, et aſcendit Abiathar. Cum Sacerdotes & Levitæ ad Davidem cum Arca veniſſent, ſteterunt cum reliqua turba, depoſueruntque Arcam in loco apto, opperientes, ut David iter ſuum proſequeretur; ſtaterat enim ille, uti ſupra ℣. 17. animadverſum eſt, prope urbem ſubſiſtens, ſuos expectare. *Venit etiam Abiathar* cum Sadoco cæteriſque Levitis; commode enim in hunc ſenſum reddi poteſt verbum *Aſcendit*. Exiit ab urbe, Regem fugientem comitaturus. Aliter: Aſcendit, expectans, dum populus ex urbe egrediens tranſiret. Contulit ſe in urbem, rediit intro, ut Regem comitaturos urgeret ad exitum. Denique planius: *Aſcendit*: Conſtituit ſe prope Arcam, tamdiu ſubſiſtens, quamdiu populus torrentem tranſmiſiſſet; adeout Arca non

(1) היה לב איש ישראל אחרי אבשלום (2) 2. Reg. v. 6. (3) והדיח עלינו את הרעה (4) ויעמדו בית המלך Septuag. Ἔστησαν ἐν οἴκῳ τῷ μακρὰν. (5) אשר באו ברגלו מגת Septuag. Ἤλθοσαν ἐκ Γὲθ πεζοί. (6) Ita Syr. Arab. (7) Vide Geneſ. xxiv. 27. & 49. & xlvii. 29. Joſue ii. 14. 2. Reg. ii. 6. Prov. iii. 3. (8) Doubdan c. 27. (9) Lib. v. de Bello c. 16. Τὴν Κεδρῶνα καλουμένην φάραγγα. Vide & c. 13. & 8. ejuſdem libri.

non reſtitueretur urbi, niſi poſtquam turba Davidis comes univerſa torrentem trajeciſſet.

℣. 25. Reporta Arcam Dei in urbem. Exhibet hic David fiduciam, fidem, animi demiſſionem majorem, quam vulgo Judæi carnales veteris Teſtamenti exhibeant. Indignum ſe arbitratus qui Arcam Domini penes ſeſe habeat, ſponte tam grandi ſolamine ſeſe abdicat, atque ita meretur ut ipſum Dominum ſecum habeat, quem nonniſi tenui figura Arca exprimebat. Remittit ad Abſalomum Numen hoc iratum: oculiſque fidei agnoſcit, Deum Iſraelis nec ſervire, nec adhærere certo loco vel tempori, cui ſi quis acceptus fuerit, futurum ut ab illo etiam abſente, perinde ac in Arca ſua præſente, protegatur. *Si invenero gratiam in oculis Domini, valebit ille utique revocare me, ut videam ejus Arcam & Tabernaculum: ſi autem dixerit mihi, Non places, præſto ſum* deſerere Regnum: *faciat quod bonum eſt coram ſe.* Paratus ſum ferre, & ſubire quod juſtum Numini videbitur, in criminis mei expiationem.

℣. 27. O videns, revertere in civitatem in pace. Summus Sacerdos, qui Dominum conſulebat, ejuſque nomine reddebat oracula, merito appellari poterat *Videns*, vel Propheta; neque alio ſenſu David Videntis titulo donat Sadocum ſummum Sacerdotem. Hebræus (1): *Nonne Videns tu? Revertere in civitatem in pace.* Habeo te ceu Videntem, ut oraculum Domini, non ignoro quantum tui indigeam in hac fuga: ſed in urbem regredere. Aliter: Videns es tu, ſummus Sacerdos, perſonam publicam gerens. Revertere in urbem, ne deſeras Tabernaculum & Arcam Domini; præſentia enim tua in urbe, quam hic mecum, utilior eſt. Denique, *Nonne vides* rerum mearum ſtatum, & cauſam cur ita me geram? Revertere in civitatem. Septuaginta (2): *Vide, & revertere in civitatem.* Adhibe mentem dictis meis, neque ambigas ſequi conſilium meum. Vel, Regredere, ſiquidem id opportunum arbitraris.

℣. 30. Nudis pedibus incedens, et nudo capite. Tamquam reus & luctum agens. Scitum eſt, reos tecto capite ad ſupplicium duci conſueviſſe (3). *Lictor, caput obnubito.* Tegebatur etiam in luctu caput, & cum quis probro ac pudore ſuffunderetur (4). Gradiebatur nudis pedibus, ceu ſervus & luctum agens. *Rex Aſſyriorum minabit captivitatem Ægypti nudam & diſcalceatam* (5). Et Ezechiel imperatur, ne luctum agat (6): *Calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis.*

℣. 31. Infatua consilium Achitophel. Hebræus, Vulgata, Aquila, Symmachus (7) reddunt ad literam: *Infatua*, ideſt, dejice, mentem viri conturba, ne conſilia niſi prava ſuggerat; vel ne permittas, ut conſilium ab illo datum ſequantur hoſtes (8). *Redde vanum* & inutile.

℣. 32. Summitatem montis, in quo adoraturus erat Deum. Arca facile comitata eſt euntem uſque ad collem olivarum, ibique adorato Domino remiſſa eſt in urbem. Vel: Adoravit Dominum e vertice montis, unde proſpectus erat Jeroſolymæ; tamquam mox privandus aſpectu Urbis ſanctæ, ubi Arca Domini reſidebat.

℣. 34. Dissipabis consilium Achitophel. Hanc mihi commodam præſtabis operam. Suadet hic David amico ſuo Chuſai, ut perſonam ludat honeſto viro non plane dignam. Offerre operam ſuam alicui, ut illum prodat, & prava ſuggerat conſilia! Eſto, de proditore res ſit, de filio in patrem perduelli. An igitur fas eſt malum agere vel ſuggerere, ut bonum inde oriatur? An fas eſt uti proditione in proditorem, veritatem adverſus virum mendacem violare? An crimen cujuſpiam excuſare nos poteſt, ſi quid mali committimus? Reponimus, Davidem non perſuaſiſſe amico proditionem Abſalomi, neque ut in ſuum commodum, amicitiæ ac veritatis leges violaret. Hortatus eſt ſolummodo, ut lateri Abſalomi adeſſet, diſſipaturus & everſurus data ab Achitophele conſilia; quemadmodum Imperatores ſolent in caſtra hoſtium exploratores mittere, ut hoſtium geſta omnia illis referentibus diſcant. Vel, uti Principes in aula exterorum Principum epiſtolarum commercium detinent, ut ſecreta adverſariorum conſilia ſcrutentur, vel rebus & commodis ſuis contraria omnia ſubmoveant. Abſalomi erat rebus ſuis invigilare. Injuſtum illud, quod patri indixerat, bellum jus Davidi intulerat habendi illum loco adverſarii, ac dolo ſe adverſus illum tuendi. Quid vetat ne quis in bello vera conſilia ſua celet? Nonne ex his petitur mos ſtratagemarum, quem lex nulla damnat? Cæterum ut Davidis geſta omnia excuſemus, nulla nos neceſſitas cogit.

---

[1] הרואה אתה שבה העיר בשלום [2] Βλέπε σύ, ἐπίστρεφε εἰς τὴν πόλιν. [3] Vide & Quint. Curt. lib. 6. de Philota. [4] Jerem. xiv. 3. *Confuſi ſunt & afflicti, & operuerunt capita ſua.* Et ℣. 4. *Confuſi ſunt agricolæ, operuerunt capita ſua.* [5] Iſai. xx. 4. [6] Ezech xxiv. 17. [7] סכל Aqu. Ἀφρόνισον. Sym. Ἀνόητον ποίησον. [8] Septuag. Διασκέδασον, *Diſſipa.* Theod. Ματαίωσον, *Vanum redde.*

CAPUT XVI.

Siba cibaria fert ad Davidem; & in illum Rex omnia Miphiboſethi bona transfert. Semei temeritas, quam David patientiſſime tolerat. Abſalom publice concubinis patris ſui abutitur. Chuſai amicitiam cum Abſalomo ſimulat. Achitophelis conſilia plurimi habita.

℣. 1. Cumque David tranſiſſet paululum montis verticem, apparuit Siba puer
Miphiboſeth in occurſum ejus cum duobus aſinis, qui onerati erant du-
centis panibus, & centum alligaturis uvæ paſſæ, & centum maſſis palatharum, &
utre vini. 2. Et dixit rex Sibæ: Quid ſibi volunt hæc? Reſponditque Siba: Aſini,
domeſticis regis, ut ſedeant: panes, & palathæ, ad veſcendum pueris tuis: vinum
autem ut bibat, ſi quis defecerit in deſerto. 3. Et ait rex: Ubi eſt filius domini
tui? Reſponditque Siba regi: Remanſit in Jeruſalem, dicens: Hodie reſtituet mihi do-
mus Iſrael regnum patris mei. 4. Et ait rex Sibæ: Tua ſint omnia, quæ fuerunt
Miphi-

Miphiboſeth. Dixitque Siba: Oro, ut inveniam gratiam coram te, domine mi rex.
5. Venit ergo rex David uſque Bahurim; & ecce egrediebatur inde vir de cognatio-
ne domus Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebatque egrediens, & maledicebat,
6. Mittebatque lapides contra David, & contra univerſos ſervos regis David; omnis
autem populus, & univerſi bellatores, a dextero, & a ſiniſtro latere regis incede-
bant. 7. Ita autem loquebatur Semei, cum malediceret regi: Egredere, egredere,
vir ſanguinum, & vir Belial. 8. Reddidit tibi Dominus univerſum ſanguinem do-
mus Saul; quoniam invaſiſti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Ab-
ſalom filii tui; & ecce premunt te mala tua, quoniam vir ſanguinum es. 9. Dixit
autem Abiſai filius Sarviæ regi: Quare maledicit canis hic mortuus domino meo re-
gi? vadam, & amputabo caput ejus. 10. Et ait rex: Quid mihi, & vobis eſt, filii
Sarviæ? dimittite eum, ut maledicat. Dominus enim præcepit ei, ut malediceret Da-
vid; & quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit? 11. Et ait rex Abiſai, & uni-
verſis ſervis ſuis: Ecce filius meus, qui egreſſus eſt de utero meo, quærit animam
meam; quanto magis nunc filius Jemini? dimittite eum, ut maledicat juxta præce-
ptum Domini, 12. Si forte reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi
Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. 13. Ambulabat itaque David, &
ſocii ejus per viam cum eo. Semei autem per jugum montis ex latere, contra illum
gradiebatur, maledicens, & mittens lapides adverſum eum, terramque ſpargens. 14.
Venit itaque rex, & univerſus populus cum eo laſſus, & reſocillati ſunt ibi. 15.
Abſalom autem, & omnis populus ejus ingreſſi ſunt Jeruſalem, ſed & Achitophel cum
eo. 16. Cum autem veniſſet Chuſai Arachites amicus David ad Abſalom, locutus
eſt ad eum: Salve rex, ſalve rex. 17. Ad quem Abſalom, Hæc eſt, inquit, gra-
tia tua ad amicum tuum? quare non iviſti cum amico tuo? 18. Reſponditque Chu-
ſai ad Abſalom: Nequaquam, quia illius ero, quem elegit Dominus, & omnis hic
populus, & univerſus Iſrael, & cum eo manebo. 19. Sed ut & hoc inſeram, cui
ergo ſerviturus ſum? nonne filio regis? ſicut parui patri tuo, ita parebo & tibi. 20.
Dixit autem Abſalom ad Achitophel: inite conſilium, quid agere debeamus. 21. Et
ait Achitophel ad Abſalom: Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimiſit ad cu-
ſtodiendam domum, ut cum audierit omnis Iſrael, quod fœdaveris patrem tuum, robo-
rentur tecum manus eorum. 22. Tetenderunt ergo Abſalom tabernaculum in ſolario,
ingreſſuſque eſt ad concubinas patris ſui coram univerſo Iſrael. 23. Conſilium autem
Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum: ſic erat om-
ne conſilium Achitophel, & cum eſſet cum David, & cum eſſet cum Abſalom.

℣. 1. SIBA PUER MIPHIBOSETH. Quod munus in domo Miphiboſethi haberet Siba, ſuperius IX. 2. demonſtravimus. E calumniis, quas hic in herum ſtruit, pravam hominis indolem intueri licet. Qua erat animi ſolertia, norat futurum, ut res Davidis reſtituerentur, Abſalomi vero caderent. Si enim futurum ſpectaſſet, ut res Abſalomi optime cederent, caviſſet, ne Davidem ſequeretur. David vero ita ſe geſſit cum Siba, veluti ſi nihil ſibi accidiſſet: decernit de rebus Miphiboſethi jure regio, quas poſſidendas ſervo illius tradit. Verum ſi malus ſervus documenta nequitiæ ſuæ, & fidei in herum perverſæ ex illis, quas ſtruxit, calumniis exhibuit; David etiam minus caute & prudenter egit, inauditum Miphiboſethum judicans atque condemnans, ac rebus omnibus ſpolians ſolo audito ſervi teſtimonio, cujus teſtimonium adverſus herum leges accipi vetant.

IN OCCURSUM EJUS. Unde veniebat? Jeroſolymis utique; affirmat enim ibi manſiſſe herum ſuum, ſpe videndi Regnum familiæ ſuæ reſtitutum; quare minus apte diceretur veniſſe in occurſum Davidis, qui ante illum ex eadem urbe exierat. Maluerim ego vertere: הנה ציבא לקראתו *Apparuit veniens Siba, ut jungeret ſe, ut opperiretur Davidem*; niſi forte Siba viæ compendio prævertterit Davidem cæteroſque ejus comites, qui pedeſtres gradiebantur.

CENTUM ALLIGATURIS UVÆ PASSÆ. Hebræus: מאה צמוקים *Centum Zimmukim*. Vide quæ diſſeruimus in 1. Regum XXV. 18.

CENTUM MASSIS PALATHARUM. Hebræus מאה קיץ: *Centum æſtivis*, vel centum libris, ſeu menſuris fructuum, ſeu ficuum, vel uvarum æſtivarum; neque enim in Textu fructus & menſuræ nomen exprimitur. Hebræum *Kaia*, quod ſonat æſtatem, uſurpatur etiam pro botris recentibus, vel etiam præcocibus, quales deſcripſimus, agentes de uvis, quas Exploratores Moyſis e terra Chanaan retulerunt (1). Collatis autem inter ſe variis Scripturæ locis eamdem vocem exhibentibus, reſultat, fructum hunc colligi cum vindemia & poſt meſſem conſueviſſe. Jeremias capite XL. 10. *Colligite vindemiam, & meſſem.* [Hebræus, *Kaiz*]. Et Capite XLVIII. 32. *Super meſſem tuam*, [Hebræus, *Super Katz*] *& vindemiam tuam prædo irruit*. Commode etiam accipitur de fructibus omnibus, qui per autumnum, exeunte æſtate, colliguntur. Michæas (2): *Factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos* [Hebræus, *Sicut qui colligit Kaiz*]: *non eſt botrus ad comedendum, præcoquas ficus deſideravit anima mea.*

℣. 2. ASINI, DOMESTICIS REGIS UT SEDEANT: PANES ET PALATHÆ, AD VESCENDUM. Hebræus (3): *Aſini domui Regis ad equitandum & præliandum; & kaia ad comedendum.* Unius literulæ additio nomen panis transformat in vocem, quæ ſonat præ-

[1] Num. XIII. 21.
[2] כאספי קיץ כעללות בציר אין אשכול לאכל בכורה אותה נפשי
[3] החמורים לבית המלך לרכב ולהלחם והקיץ לאכל

prœliari. Septuaginta (1), & Vulgata literam hanc vel non legerunt, vel neglexerunt ut ſuperfluam; norant illam pariter Judæi tamquam literam non legendam; idcirco profecto, quod aſinum bellicoſum animal non eſſe, & in uſus bellicos nunquam valuiſſe crediderint. Sed in hac ipſa hiſtoria nonne Abſalom e mulo decertat? Demonſtrat Bochartus (2), Perſas & Arabes non ſemel aſinis vectos certamini adfuiſſe; aſſeritque Ælianus (3), Saracenos uti aſinis in bello, quemadmodum Græci equis. Mervvan, vigeſimos primus Califa, aſini Meſopotamiæ (4) cognomen obtinuit, quod ſcilicet nunquam in prœlio referret pedem, uti aſſueti bello aſini, qui nunquam retrocedunt.

Obtuliſſe ſe ait Siba aſinos, & cibaria in uſum ſervorum Regis; quæ loquendi phraſis eſt Orientalibus familiaris (5). Ita de utenſilibus pretioſis uſurpant: Digna ſunt hæc, ut condantur in theca veſtiaria ſervorum Regis. Legatus aliquis ad Regem ſalutandum admiſſus, *oſculatum ſe eſſe*, ait, *pedes ſervorum Regis*, &c. Vide verba illa officioſa Abigailis ad Davidem 1. Regum XXV. 27.

℣. 4. Tua sint omnia. Vide ſupra ℣. 1. Apud Orientales, qui e Principis gratia exeidit, reus præſertim peccati in Rempublicam, rebus ſuis omnibus pariter ſpoliatur.

℣. 5. Usque ad Bahurim. Locus erat ad ſeptentrionem Jeroſolymæ, in Tribu Beniamin. Phaltiel, Micholis maritus, eo uſque uxorem ſuam comitatus eſt, plorans, cum Abner illam reduxit ad Davidem (6). Hebræum בחורים *Baburim* ſonat, juvenes delecti. Idem pariter locus nomen obtinuit *Almut* (7), vel *Almat*, vel *Almon*, quod juventutem ſonat.

℣. 8. Ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es. Hebræus: *Ecce to in malo tuo* (8); *quia vir ſanguinum tu*, ſanguinarius, homicida. Juſtum hoc habes præmium ſcelerum tuorum: quæ commiſiſti mala, omnia in caput tuum nunc denique reciderunt.

℣. 10. Dominus præcepit ei, ut malediceret David. Hebræus: *Dominus dixit ei: Maledic David*. Novi equidem, injurias haſce omnes me promeruiſſe, nec niſi per ſummum jus Deum in me animadvertere; ultrici ejus manu hæc omnia in me inferuntur. Providentiæ occulta conſilia veneror. David non aliter Semei intuebatur, quam ut Dei inſtrumentum, quo ipſe deprimeretur. Oculos claudit nequitiæ infelicis hujus, cujus iniquis verbis ipſe proſcinditur. Deus nec imperare poterat, nec probare facinus Semei, atrox utique, & iniquum. Sæpe tamen in Scriptura factum a Deo dicitur, quod ille tantum permittit, cujus occaſionem præbet, vel ſaltem fieri non vetat: neque enim ſemper præceptum a permiſſione aperte diſtinguitur (9). Ita immiſſus a Deo dicitur malus Spiritus adverſus Saulem, vel in Saulem (10). Porro in hac re David vivam exhibet imaginem Jeſu Chriſti e cruce pendentis, accipientiſque injurias, & probra Judæorum, & tacet, atque veniam adverſariis ſuis a Deo poſtulat.

℣. 11. Filius Jemini. Vir e Tribu Beniamin, quæ partium Davidis nunquam ſtudioſa ſatis fuerat. E Beniamitis enim nonniſi tria millia Hebronem venerunt, ut Regem illum agnoſcerent: reliqui amorem ſuum erga domum Saulis gentilis ſui nondum penitus extinxerant.

℣. 12. Si forte respiciat Dominus afflictionem meam. Patientiæ ſuæ Sacrificium Deo offert, cujus eſt victima dolor, & pœnitudo cordis, certo ſciens (11), *Cor contritum, & humiliatum a Deo non deſpici*; atque inter ſacrificia illud eſſe Numini gratiſſimum, quod illi exhibet *Spiritus contribulatus* (12).

℣. 13. Terram spargens. Hebræus ad literam (13): *Pulverabat in pulvere*; Pulverem & terram in aera furioſorum more diſſipabat; quod inter populos illos familiariſſimum erat. Verba faciens Apoſtolus ad Judæos Jeroſolymitanos, cum mandata ſibi a Deo tradita recitaret (14), *Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te*; continuo adſtantes *vociferabantur, & projiciebant veſtimenta ſua, & pulverem in aerem jactabant*.

℣. 16. Chusai amicus David. Favore Principis, & amicitia pollebat, cauſa ejus, quod gerebat, muneris. Vide 1. Paral. XXVII. 33.

Chusai Arachites. Hebræus חושי הארכי *Arachæus*; quod facile genus referret e vetuſtis Aracæis, quos Moyſes (15) inter poſteros Chanaani recenſet. Aracæis hiſce ſedes erant in *Aracha*, vel *Arca* Phœniciæ, inter Aradum vel Arthoſiam, & Tripolim. Vide Itinerarium Antonini. Prope hanc Urbem fluebat amnis, ſiquis erat, Sabbaticus (16). Ibi natus eſt Aurelius Imperator, qui nomen Alexandri e Templo Alexandri ſumpſit, ubi editus a matre eſt. *Arca*, vel *Arcæ* appellatur etiam Cæſarea. Unica ſententiæ hujus difficultas ea eſt, quod nomen *Aracæorum* aliter ſcribatur (17). Quare appellationem *Arachi* ducere maluerim ex Urbe Arach, vel Arachi, in finibus Beniamini, & Ephraimi, ad Occidentem Bethel, Bethoronem verſus (18). Ita Chuſai ad Tribum Beniamiticam pertinebit.

℣. 18. Illius ero, quam elegit Dominus. Quo pacto iſta cum ſinceritate, & æquitate Chuſai cohæreant? Affirmare ne poterat, integra fide, Abſalomum a Deo electum fuiſſe? Scimus equidem, *vocem populi, vocem* eſſe *Dei*, atque in ſimilibus rerum articulis plerumque de jure Principum, & cauſis rei ab univerſo populo geſtæ, judicium ferre ad privatos non pertinere. Sed cauſa Abſalomi longe alia erat. Iſrael Regem ſuum agnoverat, & longa poſſeſſione confirmaverat. Abſalom uſurpator erat & rebellis, publicus, exploratus, quod utique nemo melius quam Chuſai norat. Nihilo tamen ſecius indigna aſſentatione novo Principi ſubblanditur, ut incautum decipiat. Ægre utique iſta cohæreant cum iis, quæ ratio & Evangelium de homine juſto & ſincero docent. Vide caput XV. 34.

℣. 21. Ingredere ad concubinas. Ut mutuam amicitiam perpetuo excludas; ut qui partes tuas ſequuntur, norint nullam ſupereſſe ſpem reditus tui ad patrem. Exploratam habebat Achitophel inconſtantiam, & levitatem Hebræorum: cenſuit autem, perpetuo nexu jungendos Abſalomo ſocios ejuſdem defectionis, oſtendens nullam illis ſupereſſe veniæ ſpem a Davide; quare vel cum vitæ periculo aſſerendum eſſe Imperium Principi, quem ipſi elegiſſent, vel pereundum cum illo, atque litandum ſanguine ſuo ultioni Regis victoris, ſi forte unquam contingeret, ut victoria penes illum eſſet. Porro Abſalomi in patrem injuria omnium eſt atrociſſima, quæ inferri poſſit a filio in patrem. Nunquam, ad extremum uſque ſpiritum, Jacob queri ceſſavit de Ruben, a quo ſimili ignominia affectus fuerat (19). Phœnix reus inceſtus cum concu-

[1] Septuaginta & Vulgata legunt הלחם pro ולהלחם [2] Bochar. de animal. ſacr. tom. 1. l. 2. c. 3. [3] Ælian. lib. 12. c. 34. [4] Elmacin Hiſt. Saracen. lib. 1. c. 21. [5] Chardin, Voyage en Perſe p. 234. [6] 2. Reg. III. 16. [7] Vide 1. Paral. VI. 60. & VII. 8. & Joſue XXI. 18. Vide Var. Hebr. Martyr. [8] הנך ברעתך כי איש דמים אתה [9] Vide Eſt. Mar. Sanct. Cornel. [10] 1. Reg. XVI. 14. *Exagitabat Saul ſpiritus nequam a Domino*. [11] Pſalm. L. 19. *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*. [12] Ibid. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*. [13] ועפר בעפר Septuag. Χοϊ πάσσων. [14] Act. XXII. 2. 23. [15] Geneſ. X. 17. 1. Par. 1. 15. [16] Joſeph. de bello l. 7. c. 13. [17] Geneſ. X. 17. הערקי. 2. Reg. XVI. 16. הארכי [18] Joſue XVI. 2. [19] Geneſ. XLIX. 4.

Digitized by Google

concubina patris ſui Amyntoris, ab illo diris oneratus, ac Furiis devotus fuit (1). Armais, frater Seſoſtridis, eadem ratione uxoribus fratris ſui abſentis abuſus eſt, uti Abſalom de patris ſui concubinis. Id autem unum ex omnibus vetuerat Seſtoris diſcedens; neque Armais tantum ſcelus patrare prius auſus eſt, quam cum in apertam defectionem erumpere voluit (2).

℣. 22. Ingressus est ad concubinas patris sui, coram universo Israel. Oculis totius populi patebant ea tentoria, in ſuperiori Regiæ domus tecto erecta, & palam omnibus Abſalom intro ingreſſus eſt cum uxoribus ſecundariis, quas David in urbe reliquerat; cæteras enim ſecum duxerat: atque ita ſua fides manſit vaticinio Nathani (3): *Tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis ſolis hujus*. Superati Regis uxores inter exuvias Regi victori cedebant. Vide ſupra XII. 8. Smerdis potitus Regno Perſarum, poſt Cambyſis mortem, uxores illius omnes adſcivit in thorum (4).

℣. 23. Quasi si quis consuleret Deum. Tantam ſibi prudentiæ laudem comparaverat Achitophel, ut ejus conſilia perinde ac oracula haberentur. Hyperbolicum eſt quidem hoc: ſed magna rerum experientia excultum fuiſſe illum oportet, magno ingenii acumine ac ſolertia præditum, cum David in afflictis rebus ſuis nihil metueret magis, nihil haberet antiquius, quam ut conſilia periti hujus æque ac pernicioſi hoſtis præcavaret. Monita ejus maximi fuiſſe ponderis opus eſt, ut facile admitterentur in re adeo turpi atque odioſa, ut ſcilicet filius patris ſui uxoribus abuteretur.

(1) Iliad. I. Πολλὰ κατηρᾶτο, στυγερὰς δ' ἐπεκέκλετ' ἐρινῦς.
(2) Apud Joſeph. lib. 1. contr. Appion. (3) 2. Reg. XII. 11. (4) Herodot. lib. 3. c. 68. & 51.

CAPUT XVII.

Chuſai evertit data ab Achitophele conſilia, de quibus certiorem facit Davidem per Jonathan, & Achimaam. Achitophel ſuſpendio vitam ſibi præcidit. David tranſmiſſo Jordane venit in Mahanaim. Abſalom amnem pariter tranſit, & caſtra in Galaaditide metatur.

℣. 1. DIxit ergo Achitophel ad Abſalonem: Eligam mihi duodecim millia virorum,
& conſurgens perſequar David hac nocte. 2. Et irruens ſuper eum (quip-
pe qui laſſus eſt, & ſolutis manibus) percutiam eum: cumque fugerit omnis populus,
qui cum eo eſt, percutiam regem deſolatum. 3. Et reducam univerſum populum,
quomodo unus homo reverti ſolet: unum enim virum tu quæris, & omnis populus
erit in pace. 4. Placuitque ſermo ejus Abſalom, & cunctis majoribus natu Iſrael.
5. Ait autem Abſalom: Vocate Chuſai Arachitem, & audiamus, quid etiam ipſe di-
cat. 6. Cumque veniſſet Chuſai ad Abſalom, ait Abſalom ad eum: Hujuſcemodi
ſermonem locutus eſt Achitophel: facere debemus, an non? quod das conſilium? 7.
Et dixit Chuſai ad Abſalom: Non eſt bonum conſilium, quod dedit Achitophel hac
vice. 8. Et rurſum intulit Chuſai: Tu noſti patrem tuum, & viros, qui cum eo
ſunt, eſſe fortiſſimos, & amaro animo, veluti ſi urſa raptis catulis in ſaltu ſæviat:
ſed & pater tuus vir bellator eſt, nec morabitur cum populo. 9. Forſitan nunc la-
titat in foveis, aut in uno, quo voluerit, loco: & cum ceciderit unus quilibet in
principio, audiet quicumque audierit, & dicet: Facta eſt plaga in populo, qui ſeque-
batur Abſalom: 10. Et fortiſſimus quiſque, cujus cor eſt quaſi leonis, pavore ſol-
vetur: ſcit enim omnis populus Iſrael fortem eſſe patrem tuum: & robuſtos omnes,
qui cum eo ſunt. 11. Sed hoc mihi videtur rectum eſſe conſilium: Congregetur ad
te univerſus Iſrael, a Dan uſque Berſabee, quaſi arena maris innumerabilis: & tu
eris in medio eorum. 12. Et irruemus ſuper eum in quocumque loco inventus fue-
rit: & operiemus eum, ſicut cadere ſolet ros ſuper terram, & non relinquemus de
viris, qui cum eo ſunt, ne unum quidem. 13. Quod ſi urbem aliquam fuerit in-
greſſus, circumdabit omnis Iſrael civitati illi funes, & trahemus eam in torrentem,
ut non reperiatur ne calculus quidem ex ea. 14. Dixitque Abſalom, & omnes viri
Iſrael: Melius eſt conſilium Chuſai Arachitæ conſilio Achitophel: Domini autem nutu
diſſipatum eſt conſilium Achitophel utile, ut induceret Dominus ſuper Abſalom ma-
lum. 15. Et ait Chuſai Sadoc, & Abiathar ſacerdotibus: Hoc, & hoc modo conſi-
lium dedit Achitophel Abſalom, & ſenioribus Iſrael; & ego tale, & tale dedi conſi-
lium. 16. Nunc ergo mittite cito, & nunciate David, dicentes: Ne moreris nocte
hac in campeſtribus deſerti, ſed abſque dilatione tranſgredere: ne forte abſorbeatur
rex, & omnis populus, qui cum eo eſt. 17. Jonathas autem, & Achimaas ſtabant

juxta fontem Rogel: abiit ancilla, & nunciavit eis: & illi profecti ſunt, ut referrent ad regem David nuntium: non enim poterant videri, aut introire civitatem. 18. Vidit autem eos quidam puer, & indicavit Abſalom: illi vero concito gradu ingreſſi ſunt domum cujuſdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in veſtibulo ſuo, & deſcenderunt in eum. 19. Tulit autem mulier, & expandit velamen ſuper os putei, quaſi ſiccans ptiſanas, & ſic latuit res. 20. Cumque veniſſent ſervi Abſalom in domum, ad mulierem dixerunt: ubi eſt Achimaas, & Jonathas? Et reſpondit eis mulier: Tranſierunt feſtinanter, guſtata paululum aqua. At hi, qui quærebant, cum non reperiſſent, reverſi ſunt in Jeruſalem. 21. Cumque abiiſſent, aſcenderunt illi de puteo, & pergentes nunciaverunt regi David, & dixerunt: Surgite, & tranſite cito fluvium: quoniam hujuſcemodi dedit conſilium contra vos Achitophel. 22. Surrexit ergo David, & omnis populus, qui cum eo erat, & tranſierunt Jordanem, donec diluceſceret: & ne unus quidem reſiduus fuit, qui non tranſiſſet fluvium. 23. Porro Achitophel videns, quod non fuiſſet factum conſilium ſuum, ſtravit aſinum ſuum, ſurrexitque, & abiit in domum ſuam, & in civitatem ſuam: & diſpoſita domo ſua, ſuſpendio interiit, & ſepultus eſt in ſepulchro patris ſui. 24. David autem venit in caſtra, & Abſalom tranſivit Jordanem, ipſe, & omnes viri Iſrael cum eo. 25. Amaſam vero conſtituit Abſalom pro Joab ſuper exercitum. Amaſa autem erat filius viri, qui vocabatur Jetra de Jezraeli, qui ingreſſus eſt ad Abigail filiam Naas, ſororem Sarviæ, quæ fuit mater Joab. 26. Et caſtrametatus eſt Iſrael cum Abſalom in Terra Galaad. 27. Cumque veniſſet David in Caſtra, Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon, & Machir filius Ammihel de Lodabar, & Berzellai Galaadites de Rogelim, 28. Obtulerunt ei ſtratoria, & tapetia, & vaſa fictilia, frumentum, & hordeum, & farinam, & polentam, & fabam, & lentem, & frixum cicer. 29. Et mel, & butyrum, oves, & pingues vitulos, dederuntque David, & populo, qui cum eo erat, ad veſcendum: ſuſpicati enim ſunt, populum fame, & ſiti fatigari in deſerto.

ỳ. 1. CONSURGENS PERSEQUAR DAVID HAC NOCTE. Celeritas plerumque & diligentia unico ſunt ad victoriam momento in expeditionibus militaribus: qui hoſtes prævenit, victoriæ partem obtinuit. *Nihil in diſcordiis civilibus feſtinatione tutius, ubi facto potius, quam conſilio opus eſt* (1). Eo autem magis neceſſariam cenſuit Achitophel in hac re feſtinationem, quod noſſet futurum, ut ſi ſpatium populo daretur, ſcelus ſuum in Regem legitimum agnoſcendi, & Davidi tempus cogendi copias, ejuſque amicis ſe colligendi e ſubita illa metus turbatione, Abſalomi factio ſponte per ſe rueret, ac Davidis res magis magiſque confirmarentur. *Daret malorum pœnitentiæ, daret bonorum conſenſui ſpatium: ſcelera impetu, bona conſilia mora valeſcere* (2). Monet igitur ut ſtatim in hoſtem arma moveantur, ne colligendi ſe ſpatium detur. Sed agente Numine, conſilium illud ſpretum eſt.

ỳ. 3. REDUCAM UNIVERSUM POPULUM, QUOMODO UNUS HOMO REVERTI SOLET; UNUM ENIM VIRUM TU QUÆRIS, ET OMNIS POPULUS ERIT IN PACE. Hebræus ad literam (3): *Reducam omnem populum ad te, ut rediit omnis populus, quem tu quæris; omnis populus erit in pace.* Implexa ſunt quædam in Textu, quæ quadam vocum tranſmutatione inducta videntur. Commode in hunc ſenſum reddi poteſt: Reducam ad te omnem populum, quem quæris, quomodo redierunt ad te ii quos tecum habes; & tunc pax erit univerſo Iſraeli. Vel nulla tranſmutatione: *Reducam ad te omnem populum; & cum omnes redierint, & vir quem quæris, omnis populus erit in pace.* Vel, juxta Vatablum: *Educam ad te univerſum populum; & cum reverſi fuerint omnes, vir, quem tu quæris, veniet in poteſtatem tuam.* Vel: Statim ac venerit in noſtram poteſtatem vir, quem tu quæris, reliqui facile redibunt; vel denique: *Reducam univerſum populum: & cum illi, quos quæris, redierint, omnis populus erit in pace.* Poſtrema hæc verſio cohærere magis Hebræo videtur. Septuaginta (4): *Reverti faciam omnem populum ad te, quemadmodum redit ſponſa ad virum ſuum. Cæterum animam unius viri tu quæris, & univerſo populo erit pax.* Chaldæus: *Reducam omnem populum ad te; redibunt omnes illi, poſtquam occiſus fuerit vir, quem tu quæris; omnis populus erit pacificus.*

ỳ. 8. ANIMO AMARO, VELUTI SI URSA RAPTIS CATULIS IN SALTU SÆVIAT (5). Documentum egregium! Neque ad deſperationem uſque urgendi ſunt hoſtes, neque aggredi commodum eſt hoſtes, qui deſperantes præliantur. Scite id exprimit comparatio urſæ furentis, cui rapti ſunt catuli. Martialis:

.... rabido nec perditus ore
Fumantem naſum vivi tentaveris urſi.
Sit placidus licet, & lambat digitoſque manuſque,
Si dolor & bilis, ſi juſta coegerit ira,
Urſus erit.

Similitudine hac familiariter utitur Scriptura. Minitatur Dominus populo ſuo, venturum ſe adverſus illum more leænæ, & pardi, atque urſæ raptis catulis ſævientis, ut viſcera ejus depaſcatur (6). Et Sapiens (7) præſtare ait obviam habere urſam furentem raptis catulis, quam ſtultum in ſtultitia ſua confidentem.

NEC MORABITUR CUM POPULO. Hebræus: *Non pernoctabit cum populo* (8). Non permanebit in medio

(1) Tacit. hiſt. lib. 1. (2) Tacit. hiſt. lib. 2. apud Grot. (3) ואשיבה כל העם אליך כשוב הכל האיש אשר אתה מבקש כל העם יהיה שלום (4) Ἐπιστρέψω πάντα τὸν λαὸν πρὸς σέ, καθὼς ἐπιστρέφει ἡ νύμφη πρὸς τὸν ἄνδρα αὐτῆς, πλὴν τὴν ψυχὴν ἀνδρὸς ἑνὸς σὺ ζητεῖς, καὶ παντὶ τῷ λαῷ ἔσαι εἰρήνη. (5) כדוב שכול בשדה *Ut urſa ſine catulis in agro.* Septuag. Ὡς ἄρκτος ἠτεκνωμένη, *Ut urſa raptis catulis.* Alius. Ὡς ἄρκτος παροιστρῶσα ἐν ἀγρῷ. *Ut urſa furens in agro.* (6) Oſee XIII. 7. 8. (7) Prov. XVII. 12. Vide, ſi lubet, & Prov. XXVIII. 15. Eccli. XXV. 14. Thren. III. 10. (8) ולא ילין את העם 70. Οὐ καταλύσει τὸν λαόν.

dio multitudinis parum tutus ; curabit ut per noctem tutum ſibi quærat perfugium, ne improviſus opprimatur. Vertendum ego maluerim: *Non permittet ut populus noctem negligat*. Putandum utique non eſt, permiſſurum illum, ut milites ſui noctem agant otioſam, nullibi morabitur, donec tutum ſibi locum invenerit.

ỷ. 9. Et cum ceciderit unus quilibet in principio &c. ſpargetur ſtatim in vulgus, Abſalomi agmen cæſum fuiſſe. Primi eventus maximi ſunt momenti apud vulgus: nihil temere initio audendum eſt. Reddi poteſt Hebræus (1): *Si impetus in illos fiat*, vel ſi feſtinemus aggredi Davidem *in principio*, ſtatim per ora hominum diſſipabitur, copias tuas victas fugataſque fuiſſe.

ỷ. 11. Congregetur ad te universus Israel. Eo ſpectat Chuſai, ut redimat tempus, procuretque Davidi ſpatium ſe ſe muniendi, colligendi copias, vel ſaltem, ut primus Abſalomi impetus remittatur.

Tu eris in medio eorum. Agmini tuo tu ipſe præſto; animos adde militibus tuis, & præſentia tua contine illos in ordine (2): *Facies tuæ euntes in conflictu*. Militum tuorum virtutem excita, in fronte agminis tui te conſiſte, & manus conſere. Hoc ſenſu Deus imperavit Moyſi (3), ut iret: *Facies enim mea præcedet te*; ego primus omnium pergam, ego præſens adero.

ỷ. 12. Operiemus eos, sicut cadere solet ros super terram. Tumido & exaggerato ſermone utitur Chuſai, ut aſſentetur ſuperbo, & ambitioſo juvenis animo; nihil ab illo audias, niſi conterendos, opprimendos terrore, præſentia, numero copiarum hoſtes. Comparatio roris in terram cadentis cum agmine ruente in adverſarios, minus ſcita, & ad rem exprimendam idonea nobis videtur, apud quos nec ros abundat, neque ita cadit, ut ſenſibus percipiatur: contraria tamen omnia in Palæſtina eveniunt, ubi rariſſimos æſtate imbres ſupplere fertur ſingulis noctibus cadens ros largus adeo & abundans (4), uti ſub noſtro cœlo imbres. *Rorarios* appellabant Romani levis armaturæ milites, qui primas velitationes obibant, quod ruerent in hoſtes, uti ros ſuper terram. Plautus in Frivolaria: *Ubi Rorarii eſtis. D. En ſunt*.

ỷ. 13. Circumdabit omnis Israel civitati illi funes, et trahemus eam in torrentem. Phraſis hæc accipi merito poteſt tamquam hyperbole audaciſſima, hunc reddens ſenſum: Nulla ſive arx, ſive mœnia impetus noſtros retardabunt. Pinnas turrium, & loricas mœnium alligatis funibus & uncis dejiciemus, atque mœnium lapides raptabimus in torrentem. Jam in Diſſertatione de Re Militari veterum Hebræorum demonſtravimus, uncis olim quibuſdam lapides mœnium evelli conſueviſſe. Commode etiam Textus accipitur de machinis obſidionalibus. Inſtrumenta erant e funibus, & elaſticis quibusdam machinis, quæ lapides & tela in hoſtes jaculabantur. Denique vox Hebræa (5), quæ ſonat crates, & funes, accipi etiam poteſt de copiis, ut hæc ſententia reddatur (6): *Omnis Iſrael aſſumet copias, & nos trahemus eas in torrentem*. Sed prior interpretatio magis prona videtur.

ỷ. 14. Domini nutu dissipatum est consilium Achitophel. Hebræus (7): *Dominus præcepit infringere conſilium Achitophel*. Authore Deo, Chuſai conſilium, magis quam alterum ab Achitophele datum, probatum eſt. *Præcepit*, id eſt, paravit mentes, & animos, ut abirent in ſententiam Chuſai. Solemne eſt Scripturę nos ad Deum ubique revocare; omnia eidem authori tribuit, cavetque, ut humanorum caſuum nonniſi umbram quamdam aſpiciamus; quin & ea, quę in medio eſſe poſita videntur, conſideranda nunquam proponit, niſi ut ad Deum, & Divina ejus conſilia referuntur. Permittit autem Deus non raro, ut impii proponant, vel ſequantur conſilia, quæ fatalia ipſis, & exitioſa futura ſunt. *Plerumque qui fortunam mutaturus eſt, conſilia corrumpit, efficitque, quod miſerrimum eſt, ut quod accidit, etiam merito accidiſſe videatur, & caſus in culpam tranſeat* (8).

ỷ. 15. Hoc et hoc modo consilium dedit Achitophel. Nulla ne ſecreti lege tenebatur Chuſai erga Abſalomum, qui ſe ſe in conſilium admiſerat? Porro ſecretum jure naturali imperatur, neque illud prodere datum eſt, niſi cum præceptum aliud gravius urgeat, quod impleri niſi ſecreto violato non poſſit. Chuſai in conſilium Abſalomi admiſſus eſt; quare & ſilentium illi pollicitus fuerat: ea tamen obligatio, qua tenebatur in Patriam, in Regem legitimum, & in Rempublicam, & tempore prior erat, & jure potior. Servare Regem ſuum, vitare civile bellum ac Patrię deſolationem non poterat, niſi prius Abſalomi factionem everteret; fruſtra autem hæc conatus fuiſſet, niſi conſiliis hoſtis Davidi proditis.

ỷ. 16. Ne moreris nocte hac in campestribus. Verebatur Chuſai, ne forte Abſalom ad conſilium Achitophelis regrederetur, & improviſus per noctem Davidem opprimeret; monuitque Davidem ut cautus ſecederet trans Jordanem, amnem conſtituens pro vallo inter ſeſe, & Abſalomum.

ỷ. 17. Juxta fontem Rogel; id eſt, fontem fullonis, ſitum in agro fullonis, de quo alibi (9). Occurrebat autem ſatis vicinus Jeroſolymę, ad Orientalem plagam.

Non enim poterant videri, aut introire in Civitatem. Hebræus (10): *Quia non poterant videri ingredi Urbem*. Interdictus illis fuerat ingreſſus, ne detegerentur.

ỷ. 18. Qui habebat puteum in vestibulo suo. Ciſterna erat; cujus os ſupra pavimentum atrii non extabat. Gemini autem juvenes deſcenderunt in ciſternam tunc arentem, cujus os patens clauſit mulier quædam, impoſita re aliqua frumento onuſta, quaſi frumentum illud ſiccaret: quare nulla ciſternæ ſuſpicio ſuboriri poterat. In ſimilem ciſternam arentem Joſephus demiſſus eſt (11).

ỷ. 19. Quasi siccans ptisanas, הריפות. Frumentum, vel hordeum contuſum in mortario, & nondum exſpoliatum; cujus familiarem in ea regione uſum obtinuiſſe, animadverſum eſt in Levitico. Porro Soli vel igni exponebatur, ut areſceret, tum oleo infuſo frigebatur in ſartagine. Theodotion (12): *Siccabat ficus*.

ỷ. 20. Transierunt festinanter, gustata paululum aqua. Hebræus (13): *Tranſierunt rivum quemdam*, vel *rivum*. Septuaginta (14): *Pertranſierunt puſillum aquæ*.

ỷ. 22. Transierunt Jordanem, donec dilucesceret, et ne unus quidem residuus fuit. Jeroſolymis ad Jordanem in Mahanaim, iter erat viginti leucarum circiter, totumque emenſus eſt David cum ſuis tota die, ac nocte poſt egreſſum ab urbe. Hebræus ad literam: *Tranſierunt Jordanem uſque ad lucem matutini, uſque ad unum non defuit, qui non tranſierint*.

ỷ. 23. Disposita domo sua, suspendio interiit.

(1) והיה כנפל בהם בתחלה (2) ופניך הלכים בקרב Τὸ πρόσωπόν σε πορευόμενα ἐν μέσῳ αὐτῶν. (3) Exod. xxxiii. 14. (4) Vide Deut. xxxiii. 28. Judic. vi. 37. 38. Cantic. v. 2. Iſai. xxvi. 17. (5) השיאו כל ישראל חבלים וסחבנו אותו עד הנחל (6) Jonat. Mar. Vide 1. Reg. x. 5. 10. (7) ויהוה צוה להפר את עצת אחיתפל (8) Vellej. Paterc. lib. 2. (9) 4. Reg. xviii. 17. Iſai. vii. 3. & xxxvi. 2. (10) כי לא יוכלו להראות לבוא העירה (11) Geneſ. xxxvii. 24. (12) Ἔψυχεν ἐν αὐτῷ παλάθας. Aqu. Sym. Πτισάνας, *Grana contuſa*. (13) עברו מיכל המים Forte, מיבל המים. (14) Septuag. Παρῆλθον μικρὸν τοῦ ὕδατος.

rit. Hebræus (1): *Præcepit ad domum ſuam, & ſtrangulavit ſe*. Cenſuere quidam (2), angina ſuffocatum periiſſe; vel mœrore ac deſperatione, quod Abſalomi imprudentia res ejus ad exitium properarent. Malunt alii, fauces laqueo frangendas, vel ſe ſe ſuffocandum domeſticis ſuis tradidiſſe. Sed recepta fere ubique apud Commentariorum Scriptores opinio docet, ſuſpendio ſibi vitam abſtuliſſe, deſperatione adactum, quod noſſet, ſi ſpatium daretur Davidi, ut ſe ſe colligeret, atque muniret, actum eſſe de Abſalomo. Proditoris hujus exemplum, tum nece ſibi illata, tum crimine, Judas Iſcariothes ſequutus eſt. Mirum ſane, hominem tanta rerum ſcientia excultum in eum furorem veniſſe, ut ſe ſuſpenderet. Sed Deus ſapientiam turbat virorum ſapientum, quam amentiæ, & ſtultitiæ arguit. Animadvertere hic juvat, Judæos tunc ſepulturæ honorem non denegaſſe, nullaque infamiæ nota inuſſiſſe illos, qui ſibi necem ſponte inferebant, cum Achitophelis cadaver ſatis quiete paternæ ſepulturæ traditum fuerit. Docet Joſephus (3), eos qui ſibi necem intulerint, odio eſſe Deo æque, & hominibus, atque Moyſis ſententia damnati, ut ad occaſum Solis uſque maneant inſepulti, quamquam vel hoſtes ipſos in prælio occiſos ſepeliri ſinit. Nulla tamen ejuſmodi Lex apud Moyſem occurrit. Quare ex Joſepho perinde habebantur necis ſuæ authores, uti haberi jubet Moyſes ſontes affectos ſupplicio, nempe vel in crucem, vel in patibulum merito criminum actos (4).

℣. 24. David venit in castra; ideſt Mahanaim, Urbem Transjordanicam, ad torrentem Jaboc. Author Vulgatæ reddit ſæpe (5) nomen hujus Urbis, *Caſtra*, quæ literalis eſt ſignificatio Hebrææ vocis *Mahanaim*.

Absalom transivit Jordanem. Quo potiſſimum tempore tranſierit, incertum eſt; diſtulit tamen facile diebus nonnullis, dum copiæ omnes, quas expectabat, veniſſent: interim vero David collegit undique auxilia, ad quem etiam ſuppetias laturus Rex Ammonitarum cum ſuis venit (6).

℣. 25. Amasa filius Jetra de Jezraeli, qui ingressus est [duxit] ad Abigail filiam Naas, sororem Sarviæ, quæ fuit mater Joab. Igitur Amaſa eodem neceſſitudinis gradu ac Joab ad Davidem accedebat; ideſt, filii erant duplicis ſororis Davidis, Abigailis nempe, & Sarviæ. Sed in hac Genealogia quædam ardua ſunt. Jetra, qui oriundus hic conſtituitur ex Jezrael, Urbe Tribus Iſſachar, appellatur *Iſmaelita* in 1. Paralipomen. 11. 17. & *Iſraelita* ישראלי in Hebræo & Septuaginta hujus Textus, Ἰσραηλίτης. Variantia hæc neque nova ſunt neque inſolita. Qua vero ratione Abigail & Sarvia ſorores habeantur, cum Abigail e patre Naas, & Sarvia ex Iſai nata ſit? Difficultati huic duo reponuntur: 1. Naas & Iſai nomina eſſe duo viri unius, quod apud Hebræos nec novum erat, nec rarum. Septuaginta (7) legunt hic *Iſai* pro Naas; & hic pariter eadem genealogia Naas tribuitur, quæ in Paralipomenis (8) de Iſai ducitur. 11. Naas nomen eſſe mulieris uxoris Iſai, ex qua geminæ filiæ natæ ſunt, Sarvia mater Joabi, & Abigail mater Amaſæ, ambæ Davidis ſorores. Quæ tamen opinio Naas & Iſai unum eundemque virum facit, majori ſuffragio, & veritate etiam majori præſtat.

℣. 27. Sobi filius Naas de Rabbath. Hic eſſe creditur Rex Ammonitarum, filius Naas amici Davidis & fratris Hanonis illius, qui bellum ſuperius (9) deſcriptum in ſeſe provocaverat. Cenſent Judæi, *Sobi* virum fuiſſe Iſraelitam, qui in Rabbath, poſtquam a Davide capta fuit, migraverit.

Machir. Idem eſt Machir filius Ammielis, qui apud ſe retinuerat Miphiboſethum filium Jonathæ, antequam David illum Jeroſolymam acciviſſet (10).

Berzellai. De hoc homine inferius xix. 31.

℣. 28. Stratoria (11). Quidquid neceſſarium eſt ad cubandum, cubilia, pelles, culcitras, linea &c. Septuaginta Romanæ Editionis: *Decem cubilia velluta ex utroque latere*; vel culcitras utrimque vellutas.

Tapetia. Vox Hebræa (12) redditur a Chaldæo (13), & recentiorum Interpretum plurimis, lagenæ, vel ſcyphi & vaſa, ubi liquida continentur. Verum Septuaginta, Symmachus, Syriacus, & Arabs tuentur Vulgatæ interpretationem, *tapetia*. Septuaginta Editionis Romanæ ferunt *decem caldarias*.

Vasa fictilia. Ineptum utique in aliis rerum articulis munus; ſed in fuga tumultuaria, ubi omnia deſunt, nihil erat aptius, nihil gratius, Magnificum hic nihil eſt, quod certe intempeſtivum fuiſſet; & vaſa e pretioſo metallo in uſum menſæ & culinæ ætas illa raro ferebat.

Farinam et polentam. Prima vox Originalis קמח ſonat farinam generatim; altera קלי (14) hordeum, frumentum, vel aliud id generis, vel legumen toſtum. Hæc vox bis in eodem Textu occurrit. Hic redditur *polenta*, hordeum friatum, ſeu frumentum aliud ſiccum & toſtum; paulo inferius vero, *frixum cicer*. Qui iter per orientem habuerunt, docent, apud Æthiopes, qui ſe itineri committunt, commeatum ſibi comparare ex hordeo toſto (15); Turcæ vero familiarius utuntur oryza parata & purgata, vel farina (16), Ægyptii in eum uſum adhibent cicer in ſartagine frixum (17). Vetuſtiſſimum eorum leguminum uſum demonſtrat apertiſſime Athenæus (18); veſcebantur autem illis virentibus adhuc, & toſtis. Vide quæ contulimus in Ruth 11. 14. Hebræum *Kali* ad literam non ſonat niſi *toſtum*. Jungi autem ſolet hordeo, oryzæ, frumento, ciceri, & fabæ, quod hæc omnia torrerentur in itineris commeatum (19).

℣. 29. Et pingues vitulos. Hebræus (20): *Elevationes boum*, quod accipi poteſt de eximiis, ſelectiſſimis, & pinguiſſimis totius armenti. Recentiorum Interpretum plerique (21) reddunt *caſeos vaccarum*, appellatos *elevationes boum*, vel vaccarum, quod figura ſint erecta, vel quod colentur ac ſeparentur a ſero. Hebræum *Schapha* ſonat inter cætera, *colare*.

Suspicati sunt, populum fame et siti fatigari in deserto. Tunc utique populus in Deſerto non erat, David enim cum ſuis pervenerat in Mahanaim (22). Quare vertere præſtat: *Suſpicati ſunt, populum fame & ſiti fatigatum fuiſſe in deſerto*; vel potius, hic extra ſuum locum ea narrantur quæ Davidi acciderunt, cum adhuc in Deſerto ſubſiſteret.

(1) ויצו אל ביתו ויחנק Septuag. Ἀπήγξατο. (2) Quidam Heb. apud Sanct. Vide Differt. Gronov. de Juda proditore. (3) Joseph. lib. 3. c. 11. de Bello p. 553. Διὰ τοῦτο μισεῖται παρὰ τῷ Θεῷ τοῦτο, καὶ παρὰ τῷ σοφωτάτῳ κολάζεται νομοθέτῃ. Τοὺς γοῦν ἀνελόντας ἑαυτοὺς, παρὰ μὲν ἡμῖν, μέχρις ἡλίου δύσεως ἀτάφους ἀῤῥίπτειν ἔκρινεν. Καίτοι καὶ πολεμίους θάπτειν θεμιτὸν ἡγούμενοι. (4) Deut. xxi. 22. (5) Vide ſup. 2. Reg. 11. 29. (6) Infra ℣. 27. (7) Septuag. Edit. Complut. Ἰεσσαί. Aliæ Edit. Ναάς. (8) 1. Par. 11. 13. 15. 16. (9) 2. Reg. x. Vide Sanct. Tirin. Men. Mart. (10) 2. Reg. ix. 4. (11) משכב Septuag. Κοίτας. Edit. Nobil. Δέκα κοίτας ἀμφιτάπους. (12) ספות Septuag. Ἀμφιτάπους. Sym. Ὑποστρώματα. (13) קולין (14) Aqu. Sym. Φρυκτόν. Septuag. Ἄλφιτον. (15) Relation d'Ethiopie. (16) Busbeq. Ep. 3. (17) Bellon. lib. 2. cap 53. Proſper Alpin. de Medic. Ægypt. l. 1. c. 10. (18) Athen. lib. 2. Dipnoſop. cap. 13. 14. (19) Vide Matt. Malv. Boch. de animal. ſacr. tom 2. lib. 1. cap. 9. (20) שפות בקר Theod. Γαλαθηνὰ μοσχάρια, *Vitulos adhuc lactentes, vitulos pingues*. (21) Pag. Munſt. Caſt. Malv. Jonath. Boch. de animal. ſacr. tom. 2. lib. 1. c. 52. (22) ℣. 24. & 27.

CA-

CAPUT XVIII.

Victoria exercitus Davidici de Abſalomo. Fugiens Abſalom, caſu in arbore ſuſpenſus detinetur; transfoditur a Joabo. Ejus necem David luget.

℣. 1. Igitur conſiderato David populo ſuo conſtituit ſuper eos tribunos, & centuriones, 2. Et dedit populi tertiam partem ſub manu Joab, & tertiam partem ſub manu Abiſai filii Sarviæ fratris Joab, & tertiam partem ſub manu Ethai, qui erat de Geth: dixitque rex ad populum: Egrediar & ego vobiſcum. 3. Et reſpondit populus: Non exibis: ſive enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: ſive media pars ceciderit e nobis non ſatis curabunt: quia tu unus pro decem millibus computaris: melius eſt igitur, ut ſis nobis in urbe præſidio. 4. Ad quos rex ait: Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergo rex juxta portam: egrediebaturque populus per turmas ſuas, centeni, & milleni. 5. Et præcepit rex Joab, & Abiſai, & Ethai, dicens: Servate mihi puerum Abſalom. Et omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Abſalom. 6. Itaque egreſſus eſt populus in campum contra Iſrael, & factum eſt prælium in ſaltu Ephraim. 7. Et cæſus eſt ibi populus Iſrael ab exercitu David, factaque eſt plaga magna in die illa, viginti millium. 8. Fuit autem ibi prælium diſperſum ſuper faciem omnis terræ, & multo plures erant, quos ſaltus conſumpſerat de populo, quam hi, quos voraverat gladius in die illa. 9. Accidit autem, ut occurreret Abſalom ſervis David, ſedens mulo: cumque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum & magnam, adhæſit caput ejus quercui: & illo ſuſpenſo inter cœlum, & terram, mulus, cui inſederat, pertranſivit. 10. Vidit autem hoc quiſpiam, & nunciavit Joab, dicens: Vidi Abſalom pendere de quercu. 11. Et ait Joab viro, qui nuntiaverat ei: Si vidiſti, quare non confodiſti eum cum terra, & ego dediſſem tibi decem argenti ſiclos, & unum balteum? 12. Qui dixit ad Joab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis: audientibus enim nobis præcepit rex tibi, & Abiſai, & Ethai, dicens: Cuſtodite mihi puerum Abſalom. 13. Sed & ſi feciſſem contra animam meam audacter, nequaquam hoc regem latere potuiſſet, & tu ſtares ex adverſo. 14. Et ait Joab: Non ſicut tu vis, ſed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalom: cumque adhuc palpitaret hærens in quercu, 15. Cucurrerunt decem juvenes armigeri Joab, & percutientes interfecerunt eum. 16. Cecinit autem Joab buccina, & retinuit populum, ne perſequeretur fugientem Iſrael, volens parcere multitudini. 17. Et tulerunt Abſalom, & projecerunt eum in ſaltu, in foveam grandem, & comportaverunt ſuper eum acervum lapidum magnum nimis: omnis autem Iſrael fugit in tabernacula ſua. 18. Porro Abſalom erexerat ſibi, cum adhuc viveret, titulum, qui eſt in Valle regis: dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei. Vocavitque titulum nomine ſuo, & appellatur Manus Abſalom, uſque ad hanc diem. 19. Achimaas autem filius Sadoc, ait: Curram, & nunciabo regi, quia judicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum ejus. 20. Ad quem Joab dixit: Non eris nuntius in hac die, ſed nuntiabis in alia; hodie nolo te nuntiare, filius enim regis eſt mortuus. 21. Et ait Joab Chuſi: Vade, & nuntia regi, quæ vidiſti. Adoravit Chuſi Joab, & cucurrit. 22. Rurſus autem Achimaas filius Sadoc dixit ad Joab: Quid impedit, ſi etiam ego curram poſt Chuſi? Dixitque ei Joab: Quid vis currere, fili mi? non eris boni nuntii bajulus. 23. Qui reſpondit: Quid enim ſi cucurrero? Et ait ei: Curre. Currens ergo Achimaas per viam compendii, tranſivit Chuſi. 24. David autem ſedebat inter duas portas: ſpeculator vero, qui erat in faſtigio portæ ſuper murum, elevans oculos, vidit hominem currentem ſolum. 25. Et exclamans indicavit regi: dixitque rex: Si ſolus eſt, bonus eſt nuntius in ore ejus. Properante autem illo, & accedente propius, 26. Vidit ſpeculator hominem alterum currentem, & vociferans in culmine, ait: Apparet mihi alter homo currens ſolus. Dixitque rex: Et iſte bonus eſt nuntius. 27. Speculator autem, Contemplor, ait, curſum prioris, quaſi curſum Achimaas filii Sadoc. Et ait rex: Vir bonus eſt, & nuntium portans bonum venit. 28. Clamans autem Achimaas, dixit ad regem: Salve, rex. Et adorans regem coram eo pronus in terram, ait: Benedi-

A. M. 2981.

nedictus Dominus Deus tuus, qui concluſit homines, qui levaverunt manus ſuas contra dominum meum regem. 29. Et ait rex: Eſtne pax puero Abſalom! Dixit Achimaas: Vidi tumultum magnum, cum mitteret Joab ſervus tuus, o rex, me ſervum tuum: neſcio aliud. 30. Ad quem rex: Tranſi, ait, & ſta hic. Cumque ille tranſiſſet, & ſtaret, 31. Apparuit Chuſi: & veniens ait: Bonum apporto nuntium, domine mi rex: judicavit enim pro te Dominus hodie de manu omnium, qui ſurrexerunt contra te. 32. Dixit autem rex ad Chuſi: Eſtne pax puero Abſalom? cui reſpondens Chuſi, Fiant, inquit, ſicut puer inimici domini mei regis, & univerſi, qui conſurgunt adverſus eum in malum. 33. Contriſtatus itaque rex, aſcendit cœnaculum portæ, & flevit: Et ſic loquebatur vadens: Fili mi Abſalom, fili mi: quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te, Abſalom fili mi, fili mi Abſalom?

℣. 1. CONSIDERATO DAVID POPULO SUO, CONSTITUIT SUPER EOS TRIBUNOS. Conſtituit Principes millium, ex Hebræo. Hinc autem intelligimus, Davidis exercitum ſatis amplum fuiſſe, cum trifariam diviſus eſſet in tres Imperatores, quorum ſinguli aliis minoribus ducibus millium & centenorum imperabant. Totum exercitum ad quatuor millia tantum recenſet Joſephus (1); ſed multo validius agmen illud fuiſſe credo (2); & profecto aleæ certaminis ſe non commiſiſſet cum exercitu adeo hoſtibus inferiori. Vide ſupra ℣. 4. Coactus autem fuit novos duces creare pro iis, qui Abſalomi partes ſequebantur.

℣. 3. QUIA TU UNUS PRO DECEM MILLIBUS COMPUTARIS. Hebræus (3): *Nunc tu es, ſicut nos decem millia*. Vales pro decem millibus noſtrorum. Vel juxta alios (4): Neque tunc profeciſſe ſe credent, *cum fuderint ſimilium nobis decem millia*. Aliter: *In urbe te continens, adeo magno nobis eris auxilio, ac ſi auxilia nobis decem millium addideris*. Chaldæus explicat de precibus Davidis, quæ pro decem millibus eſſent. Reddi etiam poſſet: *Modo decem millia circiter ſumus*.

℣. 4. STETIT REX JUXTA PORTAM. Hebræus (5): *Stetit ad manum portæ*. Septuaginta (6): *Ad latus portæ*; in loco ad latus portæ, ubi jus dicebatur. Inferius autem ℣. 24. ſediſſe legitur inter duas portas; ac ſupra ipſum fuiſſe aulam, quam aſcendit ploraturus Abſalomum. Deferens igitur Rex conſiliis ſuorum, continuit ſeſe in Mahanaim non ſine copiis, ne, ſi forte in prælio ſui caderent, tota ſimul ſpes periret, atque ſe ad meliora tempora ſervaret. Tacitus libro 1. Hiſtoriarum, de Othone: *Dubiis præliorum exemptus, ſummæ rerum & Imperii ſe ipſum reſervaret*.

℣. 5. SARVATE MIHI PUERUM ABSALOM. Hebrǫus (7): *Leniter mihi ad puerum Abſalom*. Mitius cum illo agere vos jubeo (8); parcite illi, conſulite ejus ſaluti ℣. 12. ubi eædem preces repetuntur, legimus: Cuſtodite mihi puerum Abſalom; cavete ne occidatis. Hebræus (9): *Obſervate in puerum Abſalom, ne quis vulnus illi inferat &c.*

℣. 6. FACTUM EST PRÆLIUM IN SALTUM EPHRAIM. Saltus erat non procul a Mahanaim, Saltus Ephraim ideo appellatus, quod licet extra ditionem Ephraimi, ibi Gedeon (10) ope Ephraimitarum victoriam de Zeb & Zebee retulerit; vel quod aliquid ibi contigerit in diſſidio Jephte cum filiis Ephraim (11).

℣. 8. FUIT IBI PRÆLIUM DISPERSUM. Ad literam (12): *Prælium diſperſum ſuper faciem omnis terræ*; quod duplici ſenſu reddi poteſt: utriuſque exercitus milites inter ſe commixti decertabant per totam ejus regionis faciem. Ubique decertatum eſt; vel potius, fuſum fugatumque eſt totum late agmen, fracta eſt ubique tota acies Abſalomi, & late diſſipata.

MULTO PLURES ERANT, QUOS SALTUS CONSUMPSERAT, QUAM HI, QUOS VORAVERAT GLADIUS. Perierunt alii inter ardua, & prærupta ſaltus loca; alii inter dumeta capti & occiſi more ferarum venatu; alii fugientium pedibus contriti, inter arborum anguſtias & nemoris ambages; alii denique miſere perierunt, confecti vulneribus ſuis, enecti fame, & ſiti in luco, omni ope deſtituti. Affirmat Joſephus (13), in ſubita & præcipiti fuga palantes in ſaltu locisque præruptis multo plures abſumptos fuiſſe, quam qui in prælio trucidati ſunt. Chaldæus, Syriacus, Arabs, & Rabbini docent, multo plures a feris ejus ſaltus eſſe laniatos, quam gladio cæſos: id autem vix aliter intelligi poteſt, quam de iis, qui inconſulto & temere penetrantes in ſaltum, aberrarunt, donec miſerum belluarum pabulum redderentur.

℣. 9. ACCIDIT, UT OCCURRERET ABSALOM SERVIS DAVID. Milites Davidis dum fugitivos inſequebantur, obvium habuere Abſalomum, qui arbori ſuſpenſus hæſerat. Hæſiſſe autem fertur (14) prolixa denſaque, quam gerebat, cæſarie, quercus ramis implicata, diuque pependiſſe. Vix tamen inducimus in animum, hominem armis gravem diu ſuſpenſum e plexu crinium ita manſiſſe, ut plexus ille ſuſtinere toto eo tempore poſſet & corporis & armorum pondus, & agitationem qua miſer ſe in omnem partem verſabat. Neque profecto Scriptura ſuſpenſum illum crinibus narrat; ait enim: *Adhæſit caput ejus quercui*. Fugiens incurrit capite inter duos arboris ramos, qui tam arcto vinculo collum hominis adſtrinxerunt, ut expediri non poſſet, nec uti in eam rem manuum miniſterio (15).

MULUS, CUI INSEDERAT, PERTRANSIVIT. Nullus erat apud Veteres uſus ſive lori ad ſuſtinendos pedes, ſive ephippii, cujuſmodi hodie apud noſtros. Quare non ita firmiter equo inſidere poterant. Habenas etiam dimiſerat Abſalom, ut cum apprehenſum ſe ramis arboris ſenſit, facilius ſeſe expediret: interim mulus prætervectus eſt.

℣. 10. VIDI ABSALOM PENDERE DE QUERCU. Spatio igitur temporis non breviſſimo manſit ſuſpenſus, cum tamdiu hæſerit, quamdiu & nunciari res Joabo poſſet, & ipſe veniens hominem ſpiculo tranſverberaret.

℣. 11. DEOISSEM TIBI DECEM ARGENTI SICLOS, ET UNUM BALTEUM. Decem argenti ſicli pecuniæ noſtratis libras ſexdecim circiter conficiuot. Balteus totius armaturæ pars erat potiſſima atque ditiſſima. Balteum ſuum Jonathas dono Davidi dedit,

(1) Joſeph. Antiqu. lib. 7. cap. 9. Περὶ τετρακισχιλίους ὄντας. (2) Grot. Sanct. (3) כי עתה כמנו עשרה אלפים Vulgata & Septuaginta legunt אתה tu pro עתה nunc. Symmachus, Σὺ ὡς ἡμῶν δέκα χιλιάδες. (4) Jun. Piſcat. Buxtorſ. Heb. in Vat. (5) ויעמד על יד השער (6) Παρὰ τὰ κλίτη τῆς πύλης. (7) לאט לי לנער לאבשלום (8) Φείσασθέ μοι τοῦ παιδαρίου Ἀβεσσαλώμ. (9) שמרו כי בנער באבשלום (10) Judic. VII. & VIII. (11) Judic. XII. (12) ותהי שם המלחמה נפצת על פני כל הארץ (13) Joſeph. lib. 7. c. 9. (14) Ita Interpp. paſſim. (15) Chryſoſt. ſive quis alius Auctor Homil. de Abſalom perſeq. Theodoret. qu. 23. Vide Sanct. hic.

dedit, amicitiæ ſuæ cum illo pignus (1). Ajax ſuo donavit Hectorem (2). Job XIII. 18. *Balteum Regum diſſolvit Deus, & præcinxit fune renes eorum*. Ignominiæ nota erat, & militare ſupplicium exui balteo. Parthorum baltei opibus & magnificentia diſtinguebantur (3).

Parthica quæ tantis variantur cingula gemmis.

Veteres etiam Romani utebantur balteo ditiſſimo, bullis laminiſque argenteis nitenti (4):

Balteus, & notis fulſerunt cingula bullis.

℣. 14. SI FECISSEM CONTRA ANIMAM MEAM AUDACTER. Hebræus (5): *Feciſſem in animam meam mendacium*. Vitam illi ademiſſem reclamante conſcientia, & contra exploratam Regis voluntatem, qui apertiſſimis verbis vetuit. Vel juxta aliam lectionem, quam Septuaginta & Vulgata ſecuti ſunt: *Feciſſem in animam meam mendacium?* Num ſcelus tam grande commiſeram, ut vitæ diſcrimini me exponerem, ſiquidem ad Regis aures id perveniſſet? Septuaginta (6): *Quomodo feciſſem in animam meam injuſtitiam?*

TU STARES EX ADVERSO, Vel interrogantis ſententia: *Tu ſtares pro me ex adverſo ejus?* Reddi poſſet Hebræus (7): *Tu ſtares longe a me*: me ſolum relinqueres in diſcrimine.

℣. 14. NON SICUT TU VIS, SED AGGREDIAR EUM CORAM TE. Hebræus (8): *Non expectabo coram te*; non eadem ac tu indulgentia utar, interficiam illum *coram te*. Septuaginta (9): *Ideo ego aggrediar coram te*. Chaldæus: *An credis me remanſuram coram te?*

CUMQUE ADHUC PALPITARET, Conjungi poteſt Hebræus cum præcedentibus: *Infixit tria ſpicula, cum adhuc viveret*; cum adhuc non interiiſſet a tempore, quo hæſit ſuſpenſus. Atque nonne Joab reus erat criminis, Abſalomum interficiens, ſpreto interdicto Davidis? Reſpondemus (10), ſpectanda fuiſſe potius a Joabo, quæ e Republica atque ipſo pariter Rege eſſe norat, quam voluntatem & imperium ipſum Principis, quod utique repugnabat & legibus æquitatis, & rerum ſuarum bono. Abſalom perfidus erat, perduellis, & Reipublicæ hoſtis infeſtiſſimus. Divinæ legis edicto ad mortem depoſcebatur, tamquam filius in patrem rebellis (11), & tamquam inceſtus (12). Neque in re præſenti mos gerendus erat Regi, magis tribuenti charitati privatæ, quam publicæ ſuorum utilitati. Nunquam laude vacavit virtus illa parentum, qui paternam charitatem utilitati Reipublicæ devoverunt. His rationibus induci poterat Joab, ut Abſalomum cæderet, Regis æque & patriæ hoſtem: quam in ſe pœnam junior iſte Princeps jam tunc promeruerat, cum fraterno Amnonis ſanguine manus polluit. Tametſi illum David charitate, qua major nulla, & indulgentia ſupra votum excepit; ille tamen arma in patrem moverat, ac perfidiam ſuam ultra modum provexerat. Quid boni e mala illa viri indole expectandum fuerat? quæ ſpes correctionis?

℣. 15. DECEM JUVENES ARMIGERI JOAB. Cur tanto armigerorum numero ſtiparetur Joab, plane non intelligo. Abimelech (13), Jonathas (14), Saul (15), & Goliath (16), unico uſi ſunt. Armigerorum autem Joabi nomina in Scriptura recitantur (17); at de numero decem armigerorum, aliud nullum ejus exemplum Scriptura ſuppeditat.

℣. 17. COMPORTAVERUNT SUPER EUM ACERVUM LAPIDUM. Lapidum etiam acervus aggeſtus eſt ſuper cadaver Achan, qui ſupplicio lapidum confectus eſt in valle Achor (18). Hodie pariter in Polonia cernere licet haud diſſimiles acervulos ſive lapidum ſive glebarum aggeſtos ſuper cadavera magnorum Ducum in bello interfectorum, cujuſmodi acervos *Mabile* Poloni appellant. Sunt etiam non infrequentes in Belgio, in Hungaria, & in toto Leodienſi tractu. Vide Derlae Anecdot. de Pologne tom. II. pag. 243. In inſula Beliſſa in regno Daniæ ſtrues magnorum lapidum congeruntur ſuper tumulos virorum magni nominis. Vide Antiquitates explicatas; & de Algerio vide D. de Savv. In tumulum ſibi paratum Abſalom invectus non fuit. Quocumque tandem conſilio hi lapides congeſti fuerint ſuper viri cadaver, id ſemper ad perpetuam viri infamiam fuit; ſtabat enim monumentum defectionis illius, & Divinæ in illum ultionis. In Hiſtoria ſacra & profana non deſunt exempla rei adeo odioſæ atque impiæ, ut ſcelus iſtud Abſalomi: ſi quid vero ex pravis hiſtoriæ exemplis diſcendum eſt, ut criminis horror concipiatur, ac funeſtæ ſceleris conſecutiones vitentur; hæc utique Abſalomi hiſtoria abunde ſufficiet, quo doceamur, & quo pariter terreamur. Hic filius mitiſſimi æque & optimi inter patres, abutitur clementia, & indulgentia Davidis, ut ab illo deſciſcens arma ſumat. Illum Regno pellat, ac dedecore afficiat. Sed oculo vigilans intento Deus in nequitiæ pœnam, rectam mentis œconomiam in Abſalomo turbat, atque id efficit, ut prava conſilia melioribus præferat. Temere prælium aggreditur, ac poſtquam oculatus teſtis fuſum fugatumque exercitum ſuum ſpectavit, vindice Dei manu ſuſpenſus eſt vivus ex arbore, inter Cœlum & terram medius, Cœlo æque ac terræ odioſus. Pauliſper illum adverſarii ejus obſervant, ut magis magiſque torqueatur; ſumma patris indulgentia, rogantis ut incolumis ſervetur, nihil valet niſi ut perfidiam ejus & crimen magis magiſque pateat, atque in futura ſæcula argumentum horroris & odii ſtatuatur.

Impii in patrem filii ſcelus ac perduellio, viva eſt odii imago, quo Chriſtum Judæi inſectati ſunt. David pellitur a filio, quem beneficiis cumulaverat, & quem ex naturæ ordine ſucceſſorem in Regno habiturus erat; pro illo ſupplicat, parcendum imperat, de interitu ejus dolet, optatque vitam pro illo profundere. Pingunt hæc omnia J. Chriſtum pulſum, vexatum, in crucem actum a Judæis, penes quos jus hæreditatis Regni Cœlorum erat. Pro illis ſupplicat, ſanguinem ac vitam in illorum redemptionem profundit; impius tamen populus & ingratus ad extremos criminum ſuorum fines deveniens, pœnas tandem perfidiæ ſuæ ac perduellionis luit acerbiſſimas. Cæſus, fuſus, diſſipatus, derelictus, exagitatus ubique, adhuc hæret veluti ſuſpenſus inter Cœlum & terram, odio Cœleſtium æque ac hominum ludibrio expoſitus.

℣. 18. ABSALOM EREXERAT SIBI TITULUM, QUI EST IN VALLE REGIS. Cauſas erigendi hujus monumenti hanc fuiſſe docet Scriptura, quod ſcilicet Abſalom carens liberis, memoriam ſuam perennare hac ratione voluiſſet. Tres filii, de quibus ſupra XIV. 27. facile jam obierant. Ita Providentia conſilia ſuperborum fallit. Monſtratur hodie uſque in valle Joſaphat monumentum, quod ipſiſſimum eſſe Abſalomi affirmant (19). Camera eſt excisa in rupe, ex unico lapide, atque a reliquo monte divulſa, quæ octo paſſuum ex quatuor partibus exterius ambitu porrigitur. Interior paries æqualem habet ſuperficiem; exterior vero ornatur

(1) 1. Reg. XVIII. 4. *Dedit ei uſque ad balteum*. (2) Homer. Iliad. H. (3) Claudian. de raptu Proſerp. lib. 2. (4) Virgil. Vide Lipſ. Analect. ad Milit. Rom. Dialog. 4. (5) או עשיתי בנפשו שקר (6) Καὶ πῶς ποιήσω ἐν τῇ ψυχῇ μου ἀδικον. Alii Codices: Ἐν ψυχῇ αὐτοῦ, contra animam illius. (7) ואתה תתיצב מנגד (8) לא כן אוחילה לפניך (9) Διὰ τοῦτο ἐγὼ ἄρξομαι ἐνώπιόν σου. (10) Vide Grot. hic, & in ℣. 9. (11) Deut. XXI. 18. 21. (12) Levit. XVIII. 29. (13) Judic. IX. 54. (14) 1. Reg. XIV. 1. (15) 1. Reg. XVI. 21. (16) 1. Reg. XVII. 7. (17) 2. Reg. XXIII. 37. & 1. Par. XI. 39. (18) Joſue VII. 26. (19) Doubdan, Voyage de la Terre-Sainte chap. 15.

tur ex eodem lapide ſectis columnis, ejuſque faſtigium vel tectum imaginem exhibet pyramidis ſatis editæ lateque, inſtar vaſis ubi flores in hortis educantur: tota autem moles aſſurgit quatuor, vel quinque perticis. Quiſque illac prætereiens tum viri, tum fœminæ, tum pueri, Chriſtiani æque ac profani, lapidem in hoc ſepulcrum projiciunt, deteſtantes impii Abſalomi defectionem. Joſeph ætate (1) occurrebat monumentum Abſalomi duobus ſtadiis, vel trecentis paſſibus procul ab Jeroſolymis, nihilque exhibebat aliud, quam columnam marmoream; quare longe aliud erat ab eo, quod nunc noſtris hominibus monſtratur. Tres autem Abſalomi filios tunc vixiſſe adhuc, narrat idem Hiſtoricus, ratus, patrem illorum erigendæ columnæ conſilium ideo cepiſſe, ut, tametſi filii perirent, monumentum ſui ſuperſtes reſtaret. Malunt alii (2), erectam fuiſſe molem ab Abſalomo, cum liberis adhuc careret.

Manus Absalom. Opus, vel opus manuum Abſalomi. Aliter: Locus ejus (3) & monumentum; vel locus, ubi ſpecimen virium & magnificentiæ manus ſuæ exhibuit. Legimus in Hebræo capitis xv. ℣. 12. Libri primi Regum; *Saul conſtituit ſibi manum* מציב לו יד in monte Carmelo; quod Author Vulgatæ expoſuit de arcu triumphali, & victoriæ de Amalecitis ab eodem Principe relatæ monumento. Docent Hebræi (4), Abſalomum ex arbore depoſitum temporis ſpatium obtinuiſſe congruum, ut erigeret ſibi monumentum, *Manum Abſalom* ideo appellatum, quod inſculptam manum exhiberet. Vide des Breves Itiner. pag. 160. 161.

℣. 21. Ait Joab Chusi: Vade. Alius eſt hic *Chuſi* a Chuſi, vel Chuſai Arachæo, Davidis amico. Homo erat privatus, nominis obſcuri, & nulla re conſpicuus; vel forte Arabs quidam vel Æthiops (5); *Chuſchi* enim ſonat Æthiopem.

℣. 22. Non eris boni nuntii bajulus. Non enim creditur vir ingenuus eſſe ſuſcepturus, ut nuncium ingratum deferat. Hæc ſedit vulgo omnibus omni ætate opinio (6). Hebræus ad literam (7): *Tibi nuncium hoc nihil dabit*. Præmium nullum referes, operam perdes. Vel potius: *Non convenit tibi hoc nuncium*; præſens rei occaſio tibi non favet.

℣. 24. David sedebat inter duas portas. Cum civium conventus fieret ad portas urbis, tectus erat locus & ſatis amplus, ubi contineretur populus; quare & geminæ erant portæ, altera quidem interior urbem, altera exterior agrum reſpiciens. Spatium hoc appellat Author Sacer ℣. 4. *manum portæ*, & *medium portæ* (8). Portam hanc pone ſequebatur forum, *platea portæ* (9): *Quando procedebam ad portam civitatis, & in platea parabam cathedram mihi*.

Speculator in fastigio portæ super murum. Supra portam aula erat, vel conclave ſuſtinens ſuperiorem aream muri lorica cinctam, illi perſimilem, quæ tecta domorum ejus regionis ambiebat. In hac area, vel in ædicula ſuper loricam ædificata, ſtabat ſpeculator.

℣. 25. Si solus est, bonus est nuncius. Victi enim tumultuoſe ac turmatim veniunt.

℣. 29. Vidi tumultum magnum. Mendacium. Norat enim Abſalomi necem ℣. 19. 20. 21. &c.

℣. 33. Ascendit cœnaculum portæ. Vide ℣. 24. Quis mihi tribuat ut ego moriar pro te? Verſabat mente David æternum exitium Abſalomi, qui e mortali hac vita in ea re deceſſerat, quæ magnam, & juſtam animo patris moleſtiam de ſalute filii ſolicito pareret. Solamen nactus eſt David, cum primum audivit mortem prioris filii ſui e Bethſabee nati; certa enim ſpe de ſalute ejus confidebat; ſed plorat Abſalomum, quippe qui noverit quibus ſuppliciis viri nequiſſimi anima deberetur (10). Quod autem afflicto dolorem auget, illud eſt, quod nimirum primum ſe anthorem vel ſaltem occaſionem agnoſceret totius mali, quo univerſa familia obvoluta fuerat; Id enim totum appendix & criminis a ſe commiſſi ultio erat.

(1) Joſeph. Antiqu. l. 7. c. 9. Ἔστιν . . . στήλη λίθου μαρμαρίνης δύο σταδίων ἀπέχουσα Ἱεροσολύμων. (2) Sanct. & Tirin. (3) Vide Deut. xxxii. 12. in ℣. 4. Jonat. Grot. &c. (4) Author tradit. Hebr. in Libb. Reg. hic. (5) Grot. Jun. Vat. (6) Vide 3. Reg. i. 42. 43. (7) ולבה אין בשורה מצאת Septuag. Καὶ σοὶ οὐκ ἔστιν εὐαγγελία εἰς ὠφέλειαν πορευομένῳ. (8) 1. Reg. ix. 18. 2. Reg. iii. 27. (9) 2. Par. xxii. 6. Job xxix. 7. (10) Theodoret. qu. 15. Auguſt. lib. 3. de doctrina Chriſt. & lib. 22. cap. 66. contra Fauſt. & Ambroſ. de obitu Valentin. Vide Sanct. hic.

CAPUT XIX.

David expoſtulationibus Joabi coactus palam ſe populo exhibet. Tribus Juda venit, ut illum Jeroſolymam reducat. Parcit Semei, reſtituitque Miphiboſetho dimidium rerum ipſius, quas in Sibam tranſtulerat. Dimittit Berzellai. Diſſidium inter decem Tribus, & Tribum Juda pro reditu Davidis.

℣. 1. NUntiatum eſt autem Joab, quod rex fleret, & lugeret filium ſuum: 2. Et
verſa eſt victoria in luctum in die illa omni populo: audivit enim popu-
lus in die illa dici: Dolet rex ſuper filio ſuo. 3. Et declinavit populus in die illa
ingredi civitatem, quomodo declinare ſolet populus verſus, & fugiens de prælio. 4.
Porro rex operuit caput ſuum, & clamabat voce magna: Fili mi Abſalom, Abſalom
fili mi. 5. Ingreſſus ergo Joab ad regem in domum, dixit: Confudiſti hodie vultus
omnium ſervorum tuorum, qui ſalvam fecerunt animam tuam, & animam filiorum
tuorum, & filiarum tuarum, & animam uxorum tuarum, & animam concubinarum
tuarum. 6. Diligis odientes te, & odio habes diligentes te: & oſtendiſti hodie, quia
non curas de ducibus tuis, & de ſervis tuis: & vere cognovi modo, quia ſi Abſa-
lom viveret, & omnes nos occubuiſſemus, tunc placeret tibi. 7. Nunc igitur ſurge,
& pro-

& procede, & alloquens ſatiſfac ſervis tuis: juro enim tibi per Dominum, quod ſi non exieris, ne unus quidem remanſurus ſit tecum nocte hac: & pejus erit hoc tibi, quam omnia mala, quæ venerunt ſuper te, ab adoleſcentia tua uſque in præſens. 8. Surrexit ergo rex, & ſedit in porta: & omni populo nuntiatum eſt, quod rex ſederet in porta: venitque univerſa multitudo coram rege: Iſrael autem fugit in tabernacula ſua. 9. Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Iſrael, dicens: Rex liberavit nos de manu inimicorum noſtrorum, ipſe ſalvavit nos de manu Philiſthinorum: & nunc fugit de terra propter Abſalom. 10. Abſalom autem, quem unximus ſuper nos, mortuus eſt in bello: uſquequo ſiletis, & non reducitis regem? 11. Rex vero David miſit ad Sadoc, & Abiathar ſacerdotes, dicens: Loquimini ad majores natu Juda, dicentes: Cur venitis noviſſimi ad reducendum regem in domum ſuam? (Sermo autem omnis Iſrael pervenerat ad regem in domo ejus.) 12. Fratres mei vos, os meum, & caro mea vos, quare noviſſimi reducitis regem? 13. Et Amaſæ dicite: Nonne os meum, & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi non magiſter militiæ fueris coram me omni tempore pro Joab. 14. Et inclinavit cor omnium virorum Juda, quaſi viri unius: miſeruntque ad regem, dicentes: Revertere tu, & omnes ſervi tui. 15. Et reverſus eſt rex: & venit uſque ad Jordanem, & omnis Juda venit uſque in Galgalam, ut occurreret regi, & traduceret eum Jordanem. 16. Feſtinavit autem Semei filius Gera, filii Jemini de Bahurim, & deſcendit cum viris Juda in occurſum regis David. 17. Cum mille viris de Beniamin, & Siba puer de domo Saul: & quindecim filii ejus, ac viginti ſervi erant cum eo: & irrumpentes Jordanem, ante regem. 18. Tranſierunt vada, ut traducerent domum regis, & facerent juxta juſſionem ejus: Semei autem filius Gera proſtratus coram rege, cum jam tranſiſſet Jordanem, 19. Dixit ad eum: Ne reputes mihi, Domine mi, iniquitatem, neque memineris injuriarum ſervi tui in die, qua egreſſus es, domine mi rex, de Jeruſalem, neque ponas rex in corde tuo. 20. Agnoſco enim ſervus tuus peccatum meum: & idcirco hodie primus veni de omni domo Joſeph, deſcendique in occurſum domini mei regis. 21. Reſpondens vero Abiſai filius Sarviæ, dixit: Numquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit chriſto Domini? 22. Et ait David: Quid mihi, & vobis, filii Sarviæ? cur efficimini mihi hodie in ſatan? ergone hodie interficietur vir in Iſrael? an ignoro hodie me factum regem ſuper Iſrael? 23. Et ait rex Semei: Non morieris. Juravitque ei. 24. Miphiboſeth quoque filius Saul deſcendit in occurſum regis, illotis pedibus, & intonſa barba, veſteſque ſuas non laverat a die, qua egreſſus fuerat rex, uſque ad diem reverſionis ejus in pace. 25. Cumque Jeruſalem occurriſſet regi, dixit ei rex: Quare non veniſti mecum, Miphiboſeth? 26. Et reſpondens ait: Domine mi rex, ſervus meus contempſit me: dixique ei ego famulus tuus, ut ſterneret mihi aſinum, & aſcendens abirem cum rege: claudus enim ſum ſervus tuus. 27. Inſuper & accuſavit me ſervum tuum ad te dominum meum regem: tu autem, domine mi rex, ſicut angelus Dei es, fac, quod placitum eſt tibi. 28. Neque enim fuit domus patris mei, niſi morti obnoxia domino meo regi: tu autem poſuiſti me ſervum tuum inter convivas menſæ tuæ: quid ergo habeo juſtæ querelæ? aut quid poſſum ultra vociferari ad regem? 29. Ait ergo ei rex: Quid ultra loqueris? fixum eſt, quod locutus ſum: tu, & Siba dividite poſſeſſiones. 30. Reſponditque Miphiboſeth regi: Etiam cuncta accipiat, poſtquam reverſus eſt dominus meus rex pacifice in domum ſuam. 31. Berzellai quoque Galaadites, deſcendens de Rogelim, traduxit regem Jordanem, paratus etiam ultra fluvium proſequi eum. 32. Erat autem Berzellai Galaadites ſenex valde, ideſt, octogenarius, & ipſe præbuit alimenta regi, cum moraretur in Caſtris: fuit quippe vir dives nimis. 33. Dixit itaque rex ad Berzellai: Veni mecum, ut requieſcas ſecurus mecum in Jeruſalem. 34. Et ait Berzellai ad regem: Quot ſunt dies annorum vitæ meæ, ut aſcendam cum rege in Jeruſalem? 35. Octogenarius ſum hodie; numquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuave, aut amarum? aut delectare poteſt ſervum tuum cibus, & potus? vel audire poſſum ultra vocem cantorum, atque cantatricum? quare ſervus tuus ſit oneri domino meo regi? 36. Paululum procedam famulus tuus ab Jordane tecum: non indigeo hac viciſſitudine. 37. Sed obſecro, ut revertar ſervus tuus, & moriar in civitate mea, & ſepeliar juxta ſepulchrum patris mei, & matris meæ. Eſt autem ſervus tuus Chamaam, ipſe vadat tecum, do-

mine

mine mi rex, & fac ei, quidquid tibi bonum videtur. 38. Dixit itaque ei rex: Mecum tranſeat Chamaam, & ego faciam ei, quidquid tibi placuerit, & omne, quod petieris a me, impetrabis. 39. Cumque tranſiſſet univerſus populus, & rex Jordanem, oſculatus eſt rex Berzellai, & benedixit ei: & ille reverſus eſt in locum ſuum. 40. Tranſivit ergo rex in Galgalam, & Chamaam cum eo, omnis autem populus Juda traduxerat regem, & media tantum pars adfuerat de populo Iſrael. 41. Itaque omnes viri Iſrael concurrentes ad regem dixerunt ei: Quare te furati ſunt fratres noſtri viri Juda, & traduxerunt regem, & domum ejus Jordanem, omneſque viros David cum eo? 42. Et reſpondit omnis vir Juda ad viros Iſrael: Quia mihi propior eſt rex: cur iraſceris ſuper hac re? numquid comedimus aliquid ex rege, aut munera nobis data ſunt? 43. Et reſpondit vir Iſrael ad viros Juda, & ait: Decem partibus major ego ſum apud regem, magiſque ad me pertinet David, quam ad te: cur feciſti mihi injuriam, & non mihi nunciatum eſt priori, ut reducerem regem meum? Durius autem reſponderunt viri Juda viris Iſrael.

℣. 3. DECLINAVIT POPULUS INGREDI IN CIVITATEM (1). Hebræus: *Furatus eſt ſe populus ingrediendo in urbem*. Furtim dilapſus eſt in urbem. Aliter: Furtim ſeſe ſubduxit, nec auſus eſt ingredi urbem. Recepit quiſque ſe domum ſuam, coram Davide venire non audens. Sed prior interpretatio literæ propius accedit. Conſtat utique ex narrationis decurſu, populum veniſſe in urbem, ſed clam & ſilenter.

℣. 4. OPERUIT CAPUT SUUM, ut in luctu mos eſt. Vide ſupra caput XV. 30.

ABSALOM, FILI MI. Hebræus: *Abſalom fili mi; fili mi Abſalom, fili mi*. Vide ſupra, XVIII. 30. Repetitæ ejuſmodi invocationes e ſtilo lugubrium carminum ſunt. Virgilius (2):

... Daphnimque tuum tollemus ad aſtra.
Daphnin ad aſtra feremus: amavit nos quoque Daphnis.

℣. 5. CONFUDISTI VULTUS OMNIUM SERVORUM TUORUM, affligens te, atque ab aſpectu populi te removens, tamquam præſtitum ab illis ſervitium & fidem illorum graviter feras. Cum potius excipiendi eſſent læto vultu, & ſignificationes grati animi exhibendæ, tu vel oris tui aſpectum illis denegas. Utuntur Hebræi familiariter voce *confuſio*, ut aliquid exprimant, quod aliter accidit ac ſperabatur. *Confuſi ſunt agricolæ, quia periit meſſis agri. Vinea confuſa eſt & ficus elanguit, quia confuſum eſt gaudium a filiis hominum* (3). Porro Joabus ex eo erat hominum numero, qui magna Principi exhibita ſervitia verborum inſolenti audacia corrumpunt, & obligatos ſibi animos ſentire officium ſuum volunt (4). Ita cum Davide agit, quomodo nec ſubditum cum Principe, nec animum cum amico deceret (5). *Odioſum ſane genus hominum, officia exprobrantium, quæ meminiſſe debet is, in quem collata ſunt, non commemorare qui contulit.*

℣. 7. ALLOQUENS, SATISFAC SERVIS TUIS. Hebræus (6): *Loquere ad cor ſervorum tuorum*. Benigno gratoque ſermone tuorum animos recrea; gratum animum tuum de præſtito ab illis officio exhibe; nunquam te permiſſurum, ut ex animo cadant, profitere.

℣. 8. ISRAEL AUTEM FUGIT. Qui Abſalomi partes ſequuti fuerant, poſt fuſum exercitum ſuum fugerunt.

℣. 10. USQUEQUO SILETIS? Quid expectatis? Quid ſiletis inertes, & ignavi? *Silere* valet ſæpe pro quieſcere. *Sol tace* (7). *Domine ne ſileas* (8), *ne diſcedas a me*.

℣. 11. CUR VENITIS NOVISSIMI? Politicarum artium peritiſſimus David, diſſimulat crimen Tribus Juda, quæ jam facile partes Abſalomi ſequuta eſt. Præſtandum ſibi aliquid cenſuit, ut illos reducat; tentat illos ex rei indignitate ac probro. *Cur venitis noviſſimi?* An decet vos a reliquis Tribubus præverti, quæ præſto ſunt ut me excipiant, deducantque Jeroſolymam?

℣. 13. ET AMASÆ DICITE: NONNE OS MEUM ET CARO MEA ES? Amaſa filius erat Abigailis, ſororis Davidis, quem copiis ſuis Abſalom præfecerat. Non ignorabat utique David, quanti eſſet momenti ad reliquias defectionis diſſipandas unicum eum virum ſubducere, a quo labentes ejus res ſuſtineri potuiſſent. Spondet igitur Amaſæ ſummum copiarum ſuarum imperium, loco Joabi, qui inſolenti audacia jam ferri non poterat. Cenſuit David futurum, ut Amaſa vir eſſet mitior, præſertim conſcientia criminis a ſe commiſſi, & veniæ a Rege impetratæ. Nec ambigendum eſt, quin David ſincere & ex animo id promiſerit. Amaſam præfecit, ut cogeret ex Juda copias, atque in expeditionem adverſus Sebam filium Bochri duceret (9). Sed cum Joab perfide virum interfeciſſet (10), atque ad ſe imperium exercitus tranſtuliſſet, abrogare ab illo imperium deinceps Rex non valuit, præſertim poſt noviſſimum illud præſtitum ſibi officium, reducti ſcilicet ad obſequium univerſi Iſraelis; quod ſequenti capite narrabitur.

℣. 14. INCLINAVIT COR OMNIUM VIRORUM JUDA. Clementia Davidis largiſque ejus promiſſionibus captus Amaſa, filios Juda illexit, omneſque ad Davidem reduxit. Pronus eſt hic literæ ſenſus. Sunt tamen qui ad Davidem hæc omnia referant, quaſi is lenibus verbis, quibus voluntatem ſuam Tribui Juda indicari curavit, illorum animos ad ſe pertraxerit: alii dicta hæc de Deo arbitrantur, qui abalienatos animos in Davidem inclinavit.

℣. 15. OMNIS JUDA VENIT IN GALGALAM. Ex omnibus Tribus illius Urbibus concurſus factus eſt, tum Jordanem verſus iter ſuſceperunt ad locum, ubi Rex amnem tranſmiſſurus erat; ibi enim operam ſuam trajicienti præſtiterunt, ut inferius narrabitur ℣. 40.

℣. 16. FESTINAVIT SEMEI ..... [17] CUM MILLE VIRIS DE BENIAMIN. Idem erat Semei, qui fugientem Davidem fœdiſſimis verbis proſciderat. Ut crimen ſuum pro viribus elueret, feſtinavit procurrere coram Rege, primuſque trajecit amnem, viros

(1) ויתגנב העם לבוא העיר Septuag. Διεκλέπτετο. Alius. Διεστέλλετο, ſeparavit ſe. (2) Virgil. Eclog. V. & Bionis Idyll. 1. Αἰάζω τὸν Ἄδωνιν. Ἀπώλετο καλὸς Ἄδωνις. Ὤλετο καλὸς Ἄδωνις. Ita ſæpius in hoc poemate. (3) Joel. I. 12. (4) Tacit. de primo Antonio lib. 4. Hiſt. *Immodicus lingua, obſequii inſolens, nimius commemorandis quæ meruiſſet.* (5) Cicero de amicitia. (6) דבר על לב עבדיך (7) Joſue X. 12. (8) Pſalm. XXXIV. 22. Vide & XXXVIII. 13. & XLIX. 3. (9) Vide Caput XX. ℣. 14. (10) Ibidem ℣. 9. 10.

viros e Tribu ſua mille ſecum reducens; ex quo judicium capere licet, primas in Tribu illum ſua tenuiſſe, ut unus eſſet e Principibus Tribuum, vel magnatum Familiarum: *Princeps mille*.

℣. 18. Transierunt vada, ut traducerent domum Regis. Interpretum plures (1) reddunt Hebræum (2): *Tranſierunt ſcapham, ut traducerent domum Regis*. Cymbam impulerunt trans amnem, ut Rex cum ſuis tranſiret.

℣. 20. Primus veni de omni domo Joseph. Ad Familiam Joſephi non pertinebat Semei, neque enim erat ſive Ephraimita, ſive e Manaſſe. Cur igitur ſe veniſſe gloriatur *primum de omni domo Joſeph*? Reſpondeo, nomine domus Joſephi innui univerſum Iſraelem, ut diſtinctum a Juda, quæ duo diverſum inter ſe corpus conſtituere ſolent. Merito igitur aſſirmabat, ſe poſt Tribum Judam primum e reliquis Iſraelitis conveniſſe Regem. Certum utique eſt, nomen Joſephi eo, quem diximus, ſenſu non raro (3) uſurpari. Vertere tamen Hebræum (4) maluerim: *Veni ante omnem domum Joſeph* (5); antequam reliquæ Tribus moverint, ut revocaturæ te veniant. Septuaginta Editionis Romanæ (6): *Veni prior univerſo Iſrael & domo Joſeph*. Sed Complutenſis Editio legit ſolummodo: *Prior domo Joſeph*.

℣. 22. Cur efficimini mihi hodie in Satan? cur hodie mihi contrarios vos exhibetis? Ita J. Chriſtus conantem S. Petrum ipſum ſuadere, ne properaret ad crucem, repulit (7): *Vade poſt me, Satana*. Quæ Hæbrea vox ſonat adverſarium, illum proprie, qui cauſam in alium dicit, accuſat, & reum coram judice ſiſtit (8). Hinc nomen Diaboli tranſlatum eſt in ſpiritum malum, accuſatorem (9), & Juſtorum omnium adverſarium.

An ignoro hodie me factum Regem super Israel? Nolo læti hujus diei ſerenam lucem ſupplicio hominis turbari: perinde enim diem hunc habeo ac primum ſuſcepti imperii. Mos olim obtinebat, ut e carcere dimitterentur ſontes, qua die Principes imperium capeſſebant. Qua vero die læta & ſolemnia feſta celebrabantur, nemo ſontium agebatur in ſupplicium; quin & in Feſto Paſchatis, Procurator Judææ ſontem dimittebat, capite damnatum, quem populus popoſciſſet (10). Romæ obſervatum eſt, ne quoties Auguſtus introiret Urbem, ſupplicium de quoquam ſumeretur (11).

℣. 23. Non morieris. Fidem hanc juratam David religioſe implevit; nullum enim ſumpſit de Semei ſupplicium. Ante obitum quidem ſuum Salomonem admonuit, ne impunitum hominis crimen relinqueret (12); ſed & Salomon id deferendum cenſuit fidei a Davide juratæ, ut abſtineret ab effundendo hominis ſanguine. Imperavit ſolum, ut clauſus Jeroſolymis maneret, ne pedem urbe efferret. Mandatum Regis tranſgreſſus Semei, neci traditus eſt: non tamen id illatum conſtat ſive juſſu, ſive conſilio Davidis; ſed in pœnam neglecti Salomonis imperii. Si tamen Salomon ſtatim poſt obitum patris ſupplicium de illo ſumpſiſſet, nec doli tamen, nec injuſtitiæ merito accuſari poſſet. Jurata enim a patre fides hæredem non obligat, niſi peculiaris quædam cauſa obligationem illam ad alios ultra perſonam pollicentium transferat. *Juramentum, ubi alia cauſa non ſubeſt, perſonam jurantis non egreditur, neque hæredem obligat*, ait Grotius hoc loco. Profecto ut hæres jura omnia & rationes defuncti obtinet, ita & ferenda illi videntur onera quæ viventis erant. Id tamen ſolummodo accipiendum eſt de oneribus, quæ ad res defuncti ſpectant, non de illis, quæ per ſe ipſe ſuſtinebat, quæque perſonæ illius nonniſi Deus, & pietas atque clementia impoſuit (13).

℣. 24. Illotis pedibus, et intonsa barba. Abſtinere balneo, & lotione pedum, & moleſtiſſima res erat, & doloris indicium. Radebant Hebræi barbam labii ſuperioris, & utriuſque genæ, menti vero & gutturis barbam uſque ad aures intonſam relinquebant. Igitur quam barbam cædere ſolebant Judæi, intonſam Miphiboſeth neglexit. Scitum eſt etiam, raſionem totius barbæ apud eas gentes argumentum fuiſſe doloris a Lege interdictum, ſi præſertim profana aliqua ſuperſtitione, id fieret (14). Quare apud Hebræos, quemadmodum & apud Paganos, lugubre erat tum barbam totam, totamque pariter cæſariem radere, cum intonſas utraſque negligere.

Hebræus ad literam (15): *Non fecerat pedes ſuos, & non fecerat labium ſuum*. Author Traditionum Hebraicarum in Libros Regum, poſt Rabbinos, tradit, Miphiboſethum toto eo tempore, quo David abſuerat, depoſuiſſe ligneos pedes, vel crura, quibus defectum corporis ſupplebat. Ajunt alii (16), Miphiboſetum abſtinuiſſe tantum a lotione pedum, quam frequentabant Judæi, ut ingratum illum & naturalem ſibi odorem corrigerent, quo fœtebant, vitio temperamenti, quemadmodum & Arabes, & aliæ gentes nonnullæ. Hinc Veteres traducebant Judæos nomine *fœtentium* (17); & Patrum nonnulli cenſuerunt, ſacro baptiſmate, ingratum ab illis odorem abſtergi (18).

Septuaginta Editionis Romanæ legunt (19): *Non curaverat pedes ſuos, neque fecerat ungues, neque fecerat myſtacium ſuum*, ſeu labium ſuperius. De unguibus nihil eſt in Textu Hebræo, Vulgata, ac Septuaginta Complutenſibus.

℣. 25. Cumque Jerusalem occurrisset Regi. Aliunde veniſſe Miphiboſeth videtur, ut Regem Jeroſolymis ſalutaret; certe nihilominus ſedem habebat ſuam in ea Urbe, eumque reum egerat Siba, quod exire noluiſſet, ut Davidem fugientem comitaretur (20). Vertendus igitur Hebræus videtur (21): *Cumque egreſſus fuiſſet Jeroſolyma, ut occurreret Regi*; vel potius: *Cum occurriſſet Regi, Jeroſolymam pervenienti*.

℣. 27. Tu autem sicut Angelus Dei. Prudentia & ingenio es Angelico; quare de juſſionibus tuis queri, nefas eſt mihi.

℣. 28. Neque enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia, merito eorum, quæ avus meus in te præſtitit fœda & indigna: ſive, quod domus mea ducem ſe præbuerit hoſtibus tuis; qua-

(1) Ita Jonat. ועברי מגזתא לאעברא ית בית מלכא Ita & Pagn. Mont. Jun. (2) ועברה העברה לעביר את בית המלך Septuag. Καὶ διέβη ἡ διάβασις τοῦ διαβιβάσαι τὸν οἶκον τοῦ βασιλέως. (3) Vide Pſal. LXXIX. 1. LXXX. 6. LXXXI. 18. Zach. X. 6. (4) הנה באתי היום ראשון לכל בית יוסף (5) Ita Jonat. Syr. Arab. Jun. Malv. (6) Πρῶτος παντὸς Ἰσραὴλ, καὶ οἴκου Ἰωσήφ. (7) Matth. XVI. 23. (8) Vide 1. Par. XXI. 1. 1. Eſdr. IV. 6. Pſalm. CVIII. 6. Zach. III. 1. 2. (9) Apoc. XII. 10. *Projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri.* (10) Matt. XXVII. 15. (11) Sueton. in Aug. cap. 57. (12) 3. Reg. II. 8. 9. *Tu noli pati eum eſſe innoxium . . . deduceſque canos ejus cum ſanguine ad inferos.* (13) Idem de Jure Belli & Pac. lib. 2. c. 13. art. 17. (14) Levit. XXI. 5. Vide quæ diximus in Diſſertatione de Chamos. (15) ולא עשה רגליו ולא עשה שפמו (16) Vide Sanct. hic. (17) Martial. lib. 4. ep. 4.

Quod ſiccæ redolet palus lacunæ,
Quod jejunia Sabbatariorum,
. . . .
. . . .
Mallem, quam quod oles, olere, Baſſa.

Ammian. lib. 22. de Marco Imper. *Cum Palæſtinam tranſiret, fœtentium Judæorum & tumultuantium ſæpe tædio percitus, &c.* (18) Vide Baſnage Hiſt. des Juifs tome 3. page 194. 195. (19) Καὶ οὐκ ἐθεράπευσε τοὺς πόδας αὐτοῦ, οὐδὲ ὠνυχίσατο, οὐδὲ ἐποίησε τὸν μύστακα αὐτοῦ. (20) Supra cap. XVI. 3. (21) לקראת המלך ויהי כי בא ירושלים

re clementia tua ſola obſtitit, ne tota domus Saulis perduellioois rea funditus deleretur.

Tu et Siaa oividite possessiones. An ſatis æquam ſeotentiam reddit David? Calumniis Sibæ occupatus, leviter nimis fundos heri io illum tranſtulerat; nunc vero agnita veritate, vel ſaltem cum juſte dolum in Siba ſuſpicaodi cauſam habeat, eo præſertim tacente, nec quidquam pro ſe in Miphiboſethum reponente, adhuc tameo neglecto rei examine, ex adjudicatis Sibæ rebus partem illi relioquit, cum potius de falſa accuſatione in herum ſuum coovictus, ſupplicio adjudicandus fuiſſet. Nulla igitur ratione excuſari poteſt David triplici in Miphiboſethom crimine; I. Quod aures credulas nimis leviter præbuerit ſtructæ in illum accuſationi; II. Quod res omoes accuſati adjudicaverit calumniatori; III. Quod jus æquum non reddiderit hero io ſervum, & rerum, quas Sibæ prius dederat, portionem illi reliquerit (1). Sunt qui Davidem purgent (2), rati tantumdem rependiſſe illum Miphiboſetho, qoaotum Sibæ permiſerat: maluot alii (3) revocari hic a Davide ceſſionem rerum io favorem Sibæ, eamque hæreditatem ita reſtituere Miphiboſetho, ut ejus adminiſtratio Sibæ, uti prius (4), relinqueretur. His tamen verbis, *Dividite poſſeſſiones*, hos ne ſenſus commode tribuas?

℣. 31. Berzellai traouxit Regem Joroanem, paratus etiam ultra fluvium prosequi eum. Optimus hic ſenex, amne tranſmiſſo, uti conſtat ex ℣. 36. longius aliquanto cum Rege profectus eſt, donec tandem abeundi facultatem petiit a Rege, cauſatus ea animi ſinceritate, cui par nullibi exemplum ſupereſt, affecta ſe eſſe magis ætate, quam ut Aulæ voluptatibus gauderet.

℣. 37. Servus tuus Chamaam. Creditur filius eſſe Berzellai, quamquam nihil tale exprimit Scriptura.

℣. 40. Media tantum pars aovuerat oe populo Israel. E re eſſe noo cenſuit David tamdiu expectare, ut Tribus cæteræ ad ſe pervenirent; quare ſtatim ac copias Tribus Juda Amaſa reduxit, in viam ſe dedit. Singularis hæc Tribui Juda a Rege conceſſa dignitas cæteras Tribus irritavit, ut prope jam bellum civile gliſceret, moleſtius quam qood tunc ſopitum fuerat.

℣. 41. Quare te furati sunt; quaſi ipſorum ſolummodo Rex eſſes? Cur Regem tradùxerunt trans amnem, oobis oe præmonitis quidem, vel ſaltem noo expectatis? Laudabilis æmulatio, quam amor & fidem io Principem excitaverat atque fovebat.

℣. 42. Numquid comeoimus aliquio ex Rege, aut munera nosis oata sunt? Ao rerum noſtrarum compendiom facturi ad Regem veolmus? Cur mala æmulatione nobis iovidetis, quaſi ex hac re noſtris rebus acceſſio aliqua facta ſit? Quid vos detrimenti hac io re ſentitis? quid lucri provenisset vobis, ſi citius perveniſſetis? Num quicquam magis quam vos profecimus?

℣. 43. Decem partisus major ego sum apud Regem. Decem ſumus Tribus adverſus unam; quio & duodecim ſe eſſe adverſus unicam merito dicere potuiſſent; quare deducendi Regis decus ad ſe potius quam ad unicam Tribum Juda deferendum videbatur. Quamquam, ſi res ipſa ſpectetur, decem Tribus Iſraelis viribus & numero hominum uoicam Tribum Juda, uti nunc decem excedunt, noo ſuperabant. Judas unus pro pluribus Tribubus erat: fatendum tamen eſt, Tribum illam multo cæteris aliis Tribubus ſimul collectis minorem eſſe: hinc Iſraelitarum querelæ ortæ ſunt.

Et non mihi nuntiatum est priori? Reddi poteſt Hebræus (5): *Nonne prima locuta ſum ad Regem deducendum?* Conſtat utique, Tribus Iſraelis inter ſe de Rege deducendo deliberaſſe, antequam Juda id ſuſciperet. Hioc David per deſtinatos viros eam Tribum ſollicitavit: *Quare noviſſimi reducitis Regem?*

[1] Vide, ſi lubet, Lyr. Menoch. Eſt. Grot. Cornel. [2] Sanct. [3] Jun. Malv. [4] Supra 12. 10. [5] ולא היה דברי ראשון לי להשיב את מלכי

CAPUT XX.

Seba filius Bochri Iſraelitas ad defectionem a Davide provocat. Amaſa mittitur ut copias ex Juda colligat. Joab & Abiſai copias ducant in Sebam. Amaſa ab Joabo interficitur. Abela obſidetur. Seba obtruncatur, ejuſque caput e ſuperioribus mœnibus ad hoſtes projicitur.

℣. 1. ACcidit quoque, ut ibi eſſet vir Belial, nomine Seba filius Bochri, vir Je-
minæus, & cecinit buccina, & ait: Non eſt nobis pars in David, neque
hæreditas in filio Iſai: revertere in tabernacula tua, Iſrael. 2. Et ſeparatus eſt om-
nis Iſrael a David, ſecutuſque eſt Seba filium Bochri: viri autem Juda adhæſerunt
regi ſuo a Jordane ſuper Jeruſalem. 3. Cumque veniſſet rex in domum ſuam in Je-
ruſalem, tulit decem mulieres concubinas, quas dereliquerat ad cuſtodiendam do-
mum, & tradidit eas in cuſtodiam, alimenta eis præbens; & non eſt ingreſſus ad
eas, ſed erant clauſæ uſque in diem mortis ſuæ in viduitate viventes. 4. Dixit au-
tem rex Amaſæ: Convoca mihi omnes viros Juda in diem tertium, & tu adeſto præ-
ſens. 5. Abiit ergo Amaſa, ut convocaret Judam, & moratus eſt extra placitum,
quod ei conſtituerat rex. 6. Ait autem David ad Abiſai: Nunc magis afflicturus eſt
nos Seba filius Bochri quam Abſalom: tolle igitur ſervos domini tui, & perſequere
eum, ne forte inveniat civitates munitas, & effugiat nos. 7. Egreſſi ſunt ergo cum
eo viri Joab, Cerethi quoque, & Phelethi: & omnes robuſti exierunt de Jeruſalem

ad

ad perſequendum Seba filium Bochri. 8. Cumque illi eſſent juxta lapidem grandem, qui eſt in Gabaon, Amaſa veniens occurrit eis. Porro Joab veſtitus erat tunica ſtricta ad menſuram habitus ſui, & deſuper accinctus gladio dependente uſque ad ilia, in vagina, qui fabricatus levi motu egredi poterat, & percutere. 9. Dixit itaque Joab ad Amaſam: Salve, mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amaſæ, quaſi oſculans eum. 10. Porro Amaſa non obſervavit gladium, quem habebat Joab, qui percuſſit eum in latere, & effudit inteſtina ejus in terram, nec ſecundum vulnus appoſuit, & mortuus eſt. Joab autem, & Abiſai frater ejus, perſecuti ſunt Seba filium Bochri. 11. Interea quidam viri cum ſtetiſſent juxta cadaver Amaſæ, de ſociis Joab, dixerunt: Ecce, qui eſſe voluit pro Joab comes David. 12. Amaſa autem conſperſus ſanguine, jacebat in media via. Vidit hoc quidam vir, quod ſubſiſteret omnis populus ad videndum eum, & amovit Amaſam de via in agrum, operuitque eum veſtimento, ne ſubſiſterent tranſeuntes propter eum. 13. Amoto ergo illo de via, tranſibat omnis vir ſequens Joab ad perſequendum Seba filium Bochri. 14. Porro ille tranſierat per omnes tribus Iſrael in Abelam, & Bethmaacha: omneſque viri electi congregati fuerant ad eum. 15. Venerunt itaque, & oppugnabant eum in Abela, & in Bethmaacha, & circumdederunt munitionibus civitatem, & obſeſſa eſt urbs: omnis autem turba, quæ erat cum Joab, moliebatur deſtruere muros. 16. Et exclamavit mulier ſapiens de civitate: Audite, audite, dicite Joab: Appropinqua huc, & loquar tecum. 17. Qui cum acceſſiſſet ad eam, ait illi: Tu es Joab? Et ille reſpondit: Ego. Ad quem ſic locuta eſt; Audi ſermones ancillæ tuæ. Qui reſpondit: Audio. 18. Rurſumque illa, Sermo, inquit, dicebatur in veteri proverbio: Qui interrogant, interrogent in Abela: & ſic perficiebant. 19. Nonne ego ſum, quæ reſpondeo veritatem in Iſrael, & tu quæris ſubvertere civitatem, & evertere matrem in Iſrael? Quare præcipitas hæreditatem Domini? 20. Reſpondenſque Joab, ait: Abſit, abſit hoc a me: non præcipito, neque demolior. 21. Non ſic ſe habet res, ſed homo de monte Ephraim Seba, filius Bochri cognomine, levavit manum ſuam contra regem David: tradite illum ſolum, & recedemus a civitate. Et ait mulier ad Joab: Ecce caput ejus mittetur ad te per murum. 22. Ingreſſa eſt ergo ad omnem populum, & locuta eſt eis ſapienter: qui abſciſſum caput Seba filii Bochri projecerunt ad Joab, & ille cecinit tuba, & receſſerunt ab urbe, unuſquiſque in tabernacula ſua: Joab autem reverſus eſt Jeruſalem ad regem. 23. Fuit ergo Joab ſuper omnem exercitum Iſrael; Banajas autem filius Jojadæ ſuper Cerethæos, & Phelethæos. 24. Aduram vero ſuper tributa: porro Joſaphat filius Ahilud a commentariis. 25. Siva autem, ſcriba: Sadoc vero, & Abiathar, ſacerdotes. 26. Ira autem Jairites erat ſacerdos David.

℣. 1. SEBA .... VIR JEMINÆUS. Ex una hac narratione Seba noſcitur: authoritatis vero aliquid obtinuiſſe illum opus eſt in Iſraele, ut omnem ſimul populum ſtatim in Davidem commoveret.

NON EST NOBIS PARS IN DAVID. Dicendi phraſis eſt in ſimilibus rerum articulis, indicans nihil velle ſe commune cum aliquo (1).

℣. 2. A JORDANE USQUE JERUSALEM. Diſſidium hoc cœperat paulo poſt tranſmiſſum Jordanem inter Tribum Juda & reliquas Tribus: jam tunc invicem ſeceſſerant. Juda deduxit Regem uſque Jeroſolymam; exteræ Tribus abiere, præter quorumdam ſelectorum manum, qui Sebam in Abelam ſequuti ſunt.

℣. 3. ERANT CLAUSÆ USQUE IN DIEM MORTIS SUÆ. Repudio illas abjicere noluit, utpote quæ criminis conſciæ non fuerant; ſed neque habendas cenſuit ut uxores, quippe quarum commercium minus ſanctum ſibi reputabat, ac poſt inceſtum cum filio Abſalomo, perinde ac nurus ſuas habebat (2); quare in ſegregata tutaque ædium parte illas clauſit, denegato illis in poſterum egreſſu. Pœna erat hæc utique, ſed levior pro fœminis, in ea regione, ubi mulieres raro pedum efferunt. Docent Judæi, Reginis Regum Hebræorum viduis nefas fuiſſe ſecundas nuptias adire (3); quod pariter de viduis veterum Regum Hiſpaniæ diſcimus. Concilium Toletanum XIII. anni DCLXXXIII. capite III. vetat, ne illæ alteras a primis nuptias ineant; & Concilium Cæſarauguſtanum, anni DCXCI. capite V. mandat, ut dimiſſis ſæcularibus veſtibus, religioſas induant: tanta erat tunc Regis obſervantia, vel metus, ne quis, adſcita ſibi in conjugem vidua a Rege relicta, pernicioſum aliquid in Reipublicæ tranquillitatem moliretur.

℣. 4. DIXIT REX AMASÆ: CONVOCA MIHI OMNES VIROS JUDA IN DIEM TERTIUM. Datam Amaſæ fidem præficiendi illum copiis ſuis liberat hic David. Sed noluit Deus, ut hoc munus ille exerceret. Cum tamen remorari illum ultra præſcriptum tempus cerneret Rex, miſit in Principem defectionis Abiſai & Joabum, quos Amaſa aſſecutus eſt ad Gabaonem, ubi perfidia Joabi interfectus periit.

℣. 8. JOAB VESTITUS ERAT TUNICA STRICTA AD MENSURAM HABITUS SUI. Hebræus (4): *Joab accinctus erat veſte, qua induebatur, & ſuper ipſam accinctus erat gladio pendenti ſuper lumbos.* Deſignari his credo, Joabum veſtes conſuetas adſtrictas geſ-

[1] Vide 3. Reg. XII. 16. Act. VIII. 21. [2] Lyran. Sanct. Eſt. &c. [3] Selden. Uxor. Hebr. lib. 1. c. 10. Grot. & Menoch. [4] ויואב חגור מדו לבשו ועליו חגור חרב מצמדת על מתניו

geſſiſſe cingulo, cui inſertus erat gladius ad lumbos. Vulgo Hebræi enſem gerebant ad femur; nunc vero Joabus altius inſertum gladium ad lumbos habebat. Non pendebat ex amplo illo baltei genere, qui e ſuperioribus humeris deſcendebat, ſed inſertus erat cingulo & ad latus. Hoc autem fortaſſe adnotat Scriptura (1), ut cauſam innuat, cur e vagina gladius facile eductus ſit, qua de re ſtatim.

In vagina, qui fabricatus levi motu egredi poterat, et percutere. Vagina condebatur laxiori, unde facile educeretur. Hebræus (2): *Egreſſus eſt & cecidit.* Exiit e vagina gladius, ceciditque, dum Joabus inclinatus amice excipiebat Amaſam. Collegit ex humo gladium Joabus, tenenſque manu acceſſit ad Amaſam, cujus & mentum apprehendit, & ſtrinxit amplexu; ſimul autem gladio, quem tenebat, incautum transfodit. In Chaldæo Joab cadens inducitur: *Et ipſe ambulans impegit.* Vertunt alii: Joab *exiit*, & gladius *cecidit*. Prius verbum Hebræum maſculino ſervit, alterum fœminino, cujus generis eſt gladius. Sed quoties Hebræi accuratam hanc generum diſtinctionem negligunt? Hiſtoriæ ſeries ad priorem interpretationem nos ducit. Qui enim Amaſa nihil ſiniſtri ſuſpicatus fuiſſet, cernens Joabum manum enſi applicare, ſtrictoque ferro ad ſe accedere? ſponte vero ac veluti fortuito dilapſo anſe, atque ex humo collecto, nihil erat utique cur Amaſa ea re viſa vereretur.

℣. 9. Tenuit manu dextera mentum Amasæ. Id olim moris obtinebat, ut ſupplicantes barbam, & mentum viri, qui rogabatur, apprehenderent (3). Siniſtra etiam manu ſtringebantur ejus genua, dextera vero mentus. *Antiquis Græciæ in ſupplicando mentum attingere mos erat* (4). Si quæ vero fœmina rogaretur, genæ ejus tangebantur (5). Hodie pariter apud Turcas barba oſculi cauſa frequenter prehenditur (6). Barbam plurimo in honore habent Arabes, ac maritorum barbam uxores, parentum filii in ſalutationibus oſculantur: oſculantur pariter ad utrumque latus amici, cum forte ſibi in via occurrerint, vel cum ex itinere regrediuntur. Dum amica inter ſe præſtant urbanitatis officia, ſæpius iterant oſcula (7). Meminit Cicero ſimulacri Herculis, cujus aurea barba detrita erat prenſationibus cultorum, Numen illud frequentantium. Hebræi mulieres, ſiniſtra manu ſub illarum mento poſita, dextera amplectebantur. *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me* (8).

℣. 10. Percussit eum in latere. Septuaginta; *in lumbo* (9). Ita pariter reddit interdum Author Vulgatæ eamdem vocem Hebræam, quam recentiorum plerique vertunt quintam coſtam (10).

℣. 11. Ecce qui esse voluit pro Joab comes David. Ad literam Hebræus (11): *Quis eſt qui complacuit in Joab? & quis eſt Davidi? Poſt Joab* (12) veniat. Militum verba ſunt Joabi amiciſſimorum; ac ſi dicerent: Unus eſt Imperator Joab: qui Davidem colunt atque amant, inter Joabi milites nomen dent. Aliter verti poteſt: *Qui eſt qui volait* evertere *Joab? Et quis* eſt *qui* voluit eſſe *Davidi poſt Joab?* ludibria ſunt militum Joabi de Amaſæ infortunio.

℣. 14. Ille transierat per omnes Tribus Israel in Abelam, et Beth-Maacha. Forte Seba. Is, poſt eas turbas quæ ad Jordanem de Regis tranſitu excitatæ fuerant, ſeditioſorum ducem ſe præbens, decurſiſque omnibus Iſraelis Tribubus cis Jordanem, cum ſelectis a ſe copiis, in urbe Abela, inter Damaſcum & Paneadem ſita (13), ſe ſe munierat. Eadem eſt fortaſſe *Abela* ac *Abyla Lyſaniæ* (14), & Metropolis Abylenes apud S. Lucam III. 1. Inter Heliopolim & Damaſcum ab alienis Geographis collocatur (15). Ego eamdem eſſe arbitror ac *Hoba* Geneſeos XIV. 15. Scriptura hic jungit *Abelam & domum Maacha*, vel *Beth-Maacha* אבלה ובית מעכה. Porro *Maacha*, *Maachati*, *Beth-Maacha*, regio Maacha, ſatis ad ſeptemtrionem erant Terræ Sanctæ, & prope Syriam (16), & ad Tribum Nephtali pertinebant: quare maxime omnium probabile eſt, *Abelam* hanc eam eſſe, quam Euſebius inter Paneadem & Damaſcum locat. *Abel* tantummodo in quarto Regum Libro appellatur.

Omnes viri electi congregati fuerant ad eum. Tribus percurrens Siba, quidquid optimum invenit e militibus, ad ſe collegit. Hebræus (17): *Et omnes Berim contempſerant, & venerant cum eo.* Qui *Berim* ejuſmodi, ignoramus. Septuaginta legunt *Hirim*, cum vertant (18): *Et omnes civitates congregatæ fuerant, & advenerant poſt eum.* S. Hieronymus duxit בהרים ex Hebræo *Bara*, eligere. Ajunt alii, ea voce indicari Berothitas. Cur vero non potius cives Bahurim בחורים? Scribendi earum vocum ratio ſimillima eſt. Bahurim urbs erat Beniamitica, patria impii Semei (19). Ea Saulis memoriæ maxime devota fuiſſe videtur; neque in ea familiæ deerant ſanguinis cognatione conjunctæ cum Saule, uti familia Semei. Seba filius Bochri Beniamita erat, ac forte ex urbe Bahurim: quare cives omnes ſuos Abelam transferre potuit.

℣. 15. Et circumdederunt munitionibus civitatem, et obsessa est urbs. Hebræus (20): *Et congregaverunt aggerem ad urbem, & exercitus fuit in antemurali.* Putant aliqui (21), aggeſta humo foſſas urbis oppleviſſe, ut facilius ad oppugnationem accederent. Maluerim tamen ego, ex veteri oppugnandi more, aggeres adverſus mœnia ſtructos fuiſſe, ubi ſagittarii conſtituti & defenſores a mœnibus arcerent, & aggreſſoribus cuniculos agendi locum facerent. Seu potius: Aggere & foſſis tota undique urbs circumdata eſt, ne quis vel egredi vel ingredi poſſet; Davidicis copiis intra foſſas conſtitutis, ſeſeque foſſarum ope tuentibus, quæ ſibi adverſus externos hoſtes præſidium erant. Prima aggerum corona ab Joabi copiis ſuperata, jam ad murum accedebant; ac propediem urbs capienda erat.

Omnis autem turba . . . moliebatur destruere muros. Cenſet S. Hieronymus (22), muros ariete quaſſos fuiſſe: *Et dux exercitus Joab muros ariete quateret.* Arietis tamen uſus multo recentior eſt. Moniti cives diſcrimine, fœminam ſpectatæ prudentiæ miſere, quæ Joabum e mœnibus alloqueretur.

℣. 18. Qui interrogant, interrogant in Abela, et sic perficiebant, & ita cauſas dirimebant. Vetus erat ejus regionis proverbium, qua ex re natum, ignoratur. Forte Abela eam ſibi gloriam

[1] Vide Pſalm. XLIV. 4. & Cantic. III. 8. [2] ויצא והיא נפלה 70. Καὶ ἡ μάχαιρα ἐξῆλθε καὶ ἔπεσε. [3] Homer. Iliad. A. . . . . Καὶ λάβε γούνων Σκαιῇ, δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα. [4] Plin. lib. XI. c. 45. [5] Euripid. Hecub. Ἥψω τῆς γεραιᾶς προσπίτνων παρηΐδος. [6] Vide Thevenot, chap. XXII. [7] Darvieux, Coutume des Arabes, chap. 7. pag. 176. [8] Cant. II. 6. [9] ויכהו אל החמש Septuag. Ἐπὶ τὴν ψόαν. [10] Vide ſupra 2. Reg. II. 23. III. 27. IV. 6. [11] מי אשר חפץ ביואב ומי אשר לדוד אחרי יואב [12] Septuag. Τίς ὁ βουλόμενος Ἰωὰβ, καὶ τίς τοῦ Δαυὶδ; ὀπίσω τοῦ Ἰωάβ. [13] Euſeb. & Hieron. in Abela. [14] Joſeph. Antiqu. XX. 5. [15] Itiner. Antonin. Tab. Auguſtana. [16] Joſue XII. 5. & 4. Reg. XV. 29. [17] וכל הברים ויקלהו ויבאו אף אחריו [18] Καὶ πᾶσαι αἱ πόλεις ἐξεκκλησιάσθησαν, καὶ παρεγένοντο ὀπίσω αὐτοῦ. Legunt עירים [19] 3. Reg. XVI. 5. [20] וישפכו סללה אל העיר ותעמד בחל [21] Vat. Grot. Malv. [22] Hieronym. Ep. ad Principiam.

tiam ex incolarum ſapientia comparaverat. Ea vero mulier e numero eorum ſapientum erat, qui ab exteris plane regionibus conſulebantur: utitur autem hac præfatione, ut ad ea quæ dictura eſt, Joabi animum paret. Alii (1) explicant (2): Sancitum eſt in lege, ut cum primum arma ad urbem oppugnandam moventur, pax illi exhibeatur (3). Id ſi ſervaſſes cum Abela, jam diu res deſiiſſet. Hebræus ad literam: *Loquendo loquebatur in principio, dicendo: Interrogent in Abela; & ſic perficient*. Supplendum eſt non parum in Textu, ut ſententia mox expoſita eliciatur. Denique ita planius redditur: *Veteri proverbio dicebatur: Qui poſcunt plura, poſcant in Abela; & ſic ceſſabant ſermones*.

℣. 19. Nonne ego sum, quæ respondeo veritatem in Israel? Mulieris hujus fama increbuerat in Iſraele, ex datis ab illa conſiliis gravibus & prudentibus. Plerique tamen verba loquentis fœminæ accipiunt, veluti ſi ab illa nomine totius Urbis exprimerentur. Nonne urbs illa ſum ego in Iſraele celebris ex gravibus ac ſalutaribus, quæ ſuggero, conſiliis? Vel ex Hebræo (4): *Ego ſum pacifica, & fidelis Iſrael*. Urbibus cæteris Iſraelis nihilo minor ſum ſtudio pacis, & fide in Regem.

Tu quæris . . . . evertere matrem in Israel. Amplæ urbes appellabantur *matres*, & jacentia circum oppida, filiæ. Legimus non raro in Scriptura, captam eſſe *Urbem & filias*, ideſt urbem & oppida urbi adjacentia. Nos dicimus, *evertere Metropolim*. Cenſent Hebræi, ie Abela manſiſſe adhuc tunc ſuperſtitem grandævam quamdam matrem ex Iſraele, nempe Zaram filiam Aſer (5): ſed hæc riſum potius, quam fidem merentur.

℣. 21. Homo de monte Ephraim. Vir erat e Tribu Ephraim, uti diſcimus ex ℣. 1. *Vir Jeminæus*; ſedes tamen habebat conſtitutas in monte Ephraim, Beniamin vicino. Si autem is patriam habebat Bahurim, quæ noſtra fuit conjectura, propoſita ℣. 14. hic certe Textus ſitum urbis determinat, quæ circa montes Ephraim conſtituenda eſt.

Lavavit manum suam contra Regem; deſcivit a Rege, Signa adverſus eum erexit; ducem ſe defectionis præbuit, ac veluti manum ad feriendum Davidem extulit. Vides hic veterem morem tradendi fontem in manibus Principis; quod ſi quis negligeret, criminis particeps habebatur.

℣. 23. Fuit Joab super omnem exercitum Israel. Eo bello feliciter abſoluto coactus eſt David priſtinam dignitatem Joabo aſſerere, neque enim illum abdicare potuiſſet, niſi alterius belli civilis malo in Rempublicam inducto.

℣. 24. Josaphat . . . . a commentariis, vel a ſecretis Regis. Vide 2. Regum VIII. 16.

℣. 25. Siva Scriba. Ibidem ℣. 17.

℣. 26. Ira Jairites erat Sacerdos David. Vir erat Regi a ſacris largitionibus, miniſter extraordinarius ſacrificiorum, cæterarumque piarum rerum, quas Rex privatim præſtabat. Id tamen ſi admittatur, Ira ad familiam celebris Jairi, viri e Tribu Manaſſe, pertinere non poterat. Sunt qui credant (6), virum fuiſſe a penitioribus conſiliis Davidi. Munus illi tribuunt Judæi (7) præceptoris Davidis; ſed eam ætatem agebat tunc David, quæ præceptoris non indigeret. Nuſpiam legimus in Hiſtoria Regum, cæteros, præter Davidem, Reges inter Præfectos ſuos habuiſſe *Coben*, vel Sacerdotem. Chaldæus tribuit Iræ dignitatem *Rab* Regis, Rabbini ſcilicet & magiſtri. Utrum Ira genus ex Aarone referret, non ſatis conſtat; nomen enim *Jairitæ* illi datum indicat potius virum e poſteris Jairi filii Manaſſis.

(1) Ita Heb. Jonat. Lir. Munſt. Eſt. Mar. Caſt. (2) דבר ידברו בראשון אשל ישאלו באבל וכן התמו

(3) Deut. xx. 10. *Si quando acceſſeris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem*. (4) אנכי שלמי אמוני ישראל (5) Auth. tradit. Hebr. in Libb. Reg. (6) Vat. Sanct. Menoch. Cornel. &c.

(7) Auth. tradit. Hebr. in Libb. Reg.

CAPUT XXI.

Triennalis fames in pœnam crudelis illius necis, qua Saul in Gabaonitas ſaviit. David Gabaonitis tradit ſeptem homines e familia Saulis. Miphiboſeth ſervatur. Pietas Riſpha erga eorum cadavera. David ſepeliendos illos curat cum oſſibus Saulis & Jonathæ. Bellum in Philiſthæos.

℣. 1. FActa eſt quoque fames in diebus David tribus annis jugiter: & conſuluit Da-
vid oraculum Domini. Dixitque Dominus: Propter Saul, & domum ejus
ſanguinum, quia occidit Gabaonitas. 2. Vocatis ergo Gabaonitis rex, dixit ad eos:
(Porro Gabaonitæ non erant de filiis Iſrael, ſed reliquiæ Amorrhæorum: filii quippe
Iſrael juraverant eis, & voluit Saul percutere eos zelo, quaſi pro filiis Iſrael, & Juda.)
3. Dixit ergo David ad Gabaonitas: quid faciam vobis? & quod erit veſtri piaculum,
ut benedicatis hæreditati Domini? 4. Dixeruntque ei Gabaonitæ: Non eſt nobis ſuper
argento, & auro quæſtio, ſed contra Saul, & contra domum ejus: neque volumus, ut
interficiatur homo de Iſrael. Ad quos rex ait: Quid ergo vultis, ut faciam vobis? 5.
Qui dixerunt regi: Virum, qui attrivit nos, & oppreſſit inique, ita delere debemus,
ut ne unus quidem reſiduus ſit de ſtirpe ejus in cunctis finibus Iſrael. 6. Dentur no-
bis ſeptem viri de filiis ejus, ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul, quondam ele-
cti Domini. Et ait rex: Ego dabo. 7. Pepercitque rex Miphiboſeth filio Jonathæ filii
Saul, propter jusjurandum Domini, quod fuerat inter David, & inter Jonathan filium
Saul. 8. Tulit itaque rex duos filios Reſpha filiæ Aia, quos peperit Sauli, Armoni,
& Miphiboſeth: & quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli filio Ber-

zellai, qui fuit de Molathi, 9. Et dedit eos in manus Gabaonitarum: qui crucifixerunt eos in monte coram Domino: & ceciderunt hi ſeptem, ſimul occiſi in diebus meſſis primis, incipiente meſſione hordei. 10. Tollens autem Reſpha filia Aia cilicium, ſubſtravit ſibi ſupra petram, ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cœlo; & non dimiſit aves lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem. 11. Et nuntiata ſunt David, quæ fecerat Reſpha, filia Aia, concubina Saul: 12. Et abiit David, & tulit oſſa Saul, & oſſa Jonathæ filii ejus, a viris Jabes Galaad; qui furati fuerant ea de platea Bethſan, in qua ſuſpenderant eos Philiſthiim, cum interfeciſſent Saul in Gelboe; 13. Et aſportavit inde oſſa Saul, & oſſa Jonathæ filii ejus: & colligentes oſſa eorum, qui affixi fuerant, 14. Sepelierunt ea cum oſſibus Saul, & Jonathæ filii ejus in terra Beniamin, in latere in ſepulchro Cis patris ejus; feceruntque omnia, quæ præceperat rex, & propitiatus eſt Deus terræ poſt hæc. 15. Factum eſt autem rurſum prælium Philiſthinorum adverſum Iſrael, & deſcendit David, & ſervi ejus cum eo, & pugnabant contra Philiſthiim. Deficiente autem David, 16. Jesbibenob, qui fuit de genere Arapha, cujus ferrum haſtæ trecentas uncias appendebat, & accinctus erat enſe novo, niſus eſt percutere David. 17. Præſidioque ei fuit Abiſai filius Sarviæ, & percuſſum Philiſthæum interfecit. Tunc juraverunt viri David, dicentes: Jam non egredieris nobiſcum in bellum, ne extinguas lucernam Iſrael. 18. Secundum quoque bellum fuit in Gob contra Philiſthæos; tunc percuſſit Sobochai de Huſathi, Saph de ſtirpe Arapha, de genere gigantum. 19. Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philiſthæos, in quo percuſſit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Gethæum, cujus haſtile haſtæ erat quaſi liciatorium texentium. 20. Quartum bellum fuit in Geth: in quo vir fuit excelſus, qui ſenos in manibus, pedibuſque habebat digitos, ideſt, viginti quatuor, & erat de origine Arapha. 21. Et blaſphemavit Iſrael: percuſſit autem eum Jonathan filius Samaa fratris David. 22. Hi quatuor nati ſunt de Arapha in Geth, & ceciderunt in manu David, & ſervorum ejus.

℣. 1. FACTA EST FAMES IN DIEBUS DAVID. De tempore hujus famis, varietas eſt ſententiarum. Nullum tamen idoneum ſuppetit argumentum eo cogens, ut revocetur ante defectionem Abſalomi, ac Sebæ filii Bochri.

PROPTER SAUL . . . QUIA OCCIDIT GABAONITAS. Quando nam ſævierit in Gabaonitas Saul, ignoramus. Propoſita alibi (1) conjectura innuimus, contingere id potuiſſe poſt Nobe urbis excidium, cum Saul Tabernaculum Gabaonem transferri juſſit.

℣. 2. GABAONITÆ ERANT RELIQUIÆ AMORRHÆORUM. Gabaonitæ quidem Hevæorum genus erant (2); ſed appellantur Amorrhæi, quo nomine non raro (3) Chananæi omnes cenſentur.

ZELO, QUASI PRO FILIIS ISRAEL ET JUDA. Quaſi ſcilicet emendaturus errorem Joſue & Iſraelitarum, qui a Gabaonitarum cæde, communi ea lege comprehenſorum (4), quæ Chananæos omnes deleri jubebat, abſtinuerunt. Atqui ignorabat ne ille, Gabaonitas ſecuros ſub umbra fidei publicæ & fœderis ſolemni ritu compoſiti quieviſſe, quod fœdus Joſue & viri totius gentis principes firmum ratumque eſſe voluerunt? An igitur Dei injuſſu quidquid erat inter homines ſanctiſſimum ac inviolabile peſſumdari & violari fas erat?

Quod autem majus hic negocium faceſſit, illud eſt, quod in caput populi univerſi detorqueat Deus pœnam criminis ab uno Saule commiſſi. Cavet Deus, ne de patrum crimine pœnæ, filiis ſeu viciſſim de filiorum ſcelere e parentibus exigantur (5): ipſe tamen Deus unius Saulis crimen non in familia ejuſdem modo, ſed & in Iſraele univerſo hic punit. Reponimus hiſce, Deo jus eſſe ratum & conſtans, ut creaturis bona quædam mortalia pro arbitrio largiatur & ſubtrahat. Summus eſt enim arbiter, a nemine pendens. Vita, mortalia quædam commoda, ipſæ, ex earum ſunt rerum genere, quas Deus æquo jure nobis ſive largitur, ſive negat. Quin & melius cedit frequenter Juſto, cum rebus hiſce privatur, quam cum illis fruitur; impius vero multari illis merito criminum ſuorum debet. Cum igitur Deus abſoluto hoc imperio utitur in creaturas, vitam illis vel vitæ commoda adimens, eam privationem immerito creatura conqueritur. Si vero æquitatem veris pœnis maliſque puniret, vel donaret crimen veris præmiis atque ſinceris, tunc utique argueretur Deus tamquam adverſus ſe ipſum indolemque ſuam ageret. Adde, Numinis eſſe infinite ſapientis, communi bono conſulere, licet id in privatum quorumdam incommodum cedat. Animadverſio illa peculiaris de domo Saulis, atque communis de univerſis Tribubus ſumpta, bonum ordinis plane ſuperioris pariebat, reparationem ſcilicet injuriæ nomini Divino illatæ, violato fœdere, quod ſacri ejus nominis obteſtatione cum Gabaonitis ſancitum fuerat; & omnibus per Orbem gentibus documentum, ut diſcant Reges æque ac privati, quanta religione fœdera & ſacramenta ſervanda ſint.

℣. 3. UT BENEDICATIS HÆREDITATI DOMINI. Ut precibus veſtris & benedictionibus divinarum gratiarum ubertatem in univerſum Iſraelem inducatis. Caſum illum populi tribuere videtur maledictis & juſtis Gabaonitarum querelis. Ea ſedebat olim Priſcis perſuaſio, Deum pronis auribus excipere diras innocentum, qui immerito vexantur.

℣. 6. DENTUR NOBIS SEPTEM VIRI DE FILIIS EJUS, ſive de nepotibus. Palam edixerant primo, nihilo minori ſatisfactione ſe fore contentos, quam ſi tota ſibi Saulis familia permitteretur, ex qua ne unum quidem ſuperſtitem relinquerent. Sed facile interceſſit David, ut ſeptem victimis placarentur, ſeu potius Gabaonitæ poſtulationis ſuæ audaciam attentius conſiderantes, & quantæ ſe invidiæ

expo-

(1) 1. Reg. xxii. 19. (2) Joſue vi. 16. (3) Geneſ. xv. 16. Amos ii. 9. & alibi ſæpius.
(4) Exod. xxiii. 33. Deut. i. 20. (5) Deut. xxiv. 16.

exponerent intelligentes, ſiquidem totam Saulis familiam delerent, ſeptem ſolummodo capita popoſcerunt. Habes hic morem hodie pariter inter Orientales regnantem; permittendi manibus neceſſariorum defuncti interfectores, ut ipſi per ſe jus dicant, & ulciſcantur.

Ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul, quondam electi Domini. Urbem Gabaam ſelegerunt, ut inſignior eſſet ignominia familiæ Saulis, qui olim ibi regnaverat. Pro iis verbis, *Quondam electi Domini*, vertunt quidam Hebræum שאול בחיר יהוה o David *electe Domini* (1). Suſpicantur alii (2) corruptionem in Textu, corriguntque בהר יהוה *In monte Domini*. In ℣. 9. ubi narrantur expleta ea, quæ hic poſtulantur, actos illos in crucem legimus בהר לפני יהוה *In monte coram Domino*. Abs re utique videtur, Gabaonitas in hac re inſignire voluiſſe Saulem nomine *Electi Domini*. In Textu non legitur illud *quondam*, ſed tantum, *Saul electus Domini*; quod corrupti Textus conjecturam fulcit.

Et ait Rex: Ego dabo. Conſuluit utique David iterum Dominum per Prophetas, ſive per ſummum Sacerdotem, utrum poſtulatis Gabaonitarum annuere deberet; vel forte jam inde a prima oraculi conſultatione juſſus fuerat vota illorum omnia explere. Si enim Domino inconſulto feciſſet, quanto ſe expoſuiſſet diſcrimini? Nonne apud univerſum Iſraelem invidiam incurriſſet, quaſi ſpecioſo eo nomine totam ſimul perdere Saulis familiam moliretur? Merus igitur divinarum juſſionum adminiſter hic David habendus eſt (3).

℣. 8. Quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli. Probabiliſſime creditur, nomen Michol irrepſiſſe in Textum pro Merob ejus ſorore (4). Michol non Hadrieli, ſed Phaltieli (5) nupſit, neque ſex liberos genuiſſe alicubi legitur. Chaldæus, cujus fidem ſequuntur Judæi, & Commentariorum ſcriptores plerique, ait, ſex hoſce liberos pertinuiſſe ad Merobam & Hadrielem; ſed illos jure adoptionis Micholem ſororem Merobæ adſciviſſe. Quæ unica ratio ſuppetit difficultatis evertendæ, niſi ad mendum Amanuenſium recurramus.

℣. 9. Crucifixerunt eos in monte coram Domino. Facile in colle prope Gabaam, coram altari in ejus vertice erecto. Animadverſum eſt ſupra (6), intra vel prope urbem Gabaam, montem fuiſſe, quem interdum Prophetæ aſcendebant. Vel: *Crucifixerunt eos coram Domino*, tamquam hoſtias expiationis ad Numen placandum.

In diebus messis primis. Prima meſſis erat hordei, quæ circa vernum æquinoctium inibat.

℣. 10. Donec stillaret aqua super eos de cælo. Donec Deus ſacrificio illo placatus daret imbrem ſuper terram, quo priſtinæ fœcunditati reſtitueretur (7); nimia enim ariditas famem induxerat. Deo pluviam largiente, fames ceſſavit. Sunt qui credant, Reſpham tota æſtate perſeveraſſe prope cadavera, uſque ſcilicet ad menſem Octobris circiter (8), cum imbres autumnales in ea regione cadere ſolent. Sed priorem ſententiam melioribus fulciri credimus.

Non dimisit aves lacerare eos per diem, neque bestias per noctem. Hebræus ad literam (9): *Non dedit volucrem cælorum requieſcere ſuper eos*. Cavet Lex, ne reorum corpora ultra diem relinquantur in patibulo; ſed ea lex ad communia, non ad ſingularia & nova pertinebat. Adde, Gabaonitas nullo præcepto cogi debuiſſe legem ſervare, niſi ſponte ſe Legi Moſaicæ ſubdidiſſent; jugum autem illud revera ſubiiſſe, nullo certo documento ſcimus. Ex hoc autem Textu intelligimus, Veterum cruces & patibula non magnopere edita fuiſſe, cum belluæ carnivoræ in loca illa interdum immitterentur, ut ſpirantes adhuc reos, actoſque in patibulum depaſcerent; cujuſmodi ſupplicium tuliſſe S. Blandinam Lugduni, memoriæ proditum eſt (10). Apud Martialem ſermo eſt de Laureolo, pagano homine, urſis expoſito (11):

Nuda Caledonio ſic pectora præbuit urſo,
Non falſa pendens in cruce Laureolus.

Animadverte pariter veterem morem excubias agendi ad cadavera reorum e cruce pendentium. Sanctæ illæ fœminæ, quæ Chriſtum ſecutæ fuerant, actum illum in Crucem non deſeruerunt. Venus apud Homerum (12) excubias agit cadaveri Hectoris. Celebris eſt hiſtoria Matronæ Epheſinæ.

℣. 14. In latere, in sepulchro Cis. In eadem ſpelunca, ſed diſtincto loculo, & ad latus. Vel potius: Ad latus montis Gabaa, in uno montis illius ſpecu, ubi avorum Saulis ſepulchra conſtituta erant. Suſpicantur quidam (13), Hebræum *Sela*, quod hic redditur *in latere*, certum loci hujus nomen deſignare. Occurrit profecto urbs Sela inter Benjamiticas, quæ certe procul removenda non eſt a Gabaa, patria ac ſede Cis & Saulis (14).

℣. 15. Factum est rursum prælium Philisthinorum adversum Israel. Certum tempus harum expeditionum ignoratur. Conſignandæ ſunt facile ſub primis annis Regni Davidici, cum ille tunc vegeto eſſet corporis robore, ac per ſe in fronte agminis ſui certaret. Porro tota hæc hiſtoria cum ſequentibus, inſerta hic videtur, tamquam aliquid e ſerie hiſtoriæ Davidis avulſum. Minuta ſunt quædam, quæ intexere in ſeriem gravioris hiſtoriæ, e re eſſe Author non cenſuit. Cum tamen hæ conjecturæ ineluctabiles non ſint, præſtat utique ordinem ſervare ſcriptionis, eaſque expeditiones poſt triennium ab abſoluto bello Abſalomico rejicere.

℣. 16. Jesbibenob, qui fuit de genere Arapha. Verti poſſet (15): *Jesbi filius Ob, e genere Rephaim*, vel *Gigantum*: Septuaginta (16): *Jesbi de Nob e genere Gigantum*. Erant Rephaim veteres Provinciæ illius Gigantes. Hebraica ſimul cum ℣. 18. 21. 22. hujus Capitis innuere videtur, *Rapha* Gigantem fuiſſe prioris ætatis celebrem, qui plures genuerit liberos; vel ſaltem fama nominis clariſſimum olim Gigantem *Rapha*, cujus appellationem reliqui Gigantes adſciverint.

Cujus ferrum hastæ trecentas uncias appendebat. Hebræus (17): *Pondus haſtæ ejus trecentorum ſiclorum æris*; id eſt, octo librarum, additis unciis nonnullis, cum ſiclus hemiunciam, ſeu quatuor drachmas Romanas contineat. Syriacus, & Arabs accipiunt de lorica; Vulgata cum Interpretibus nonnullis, de ferro haſtæ. Sed Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta totius haſtæ pondus eſſe decernunt. Æris nomen deſignare hic puto materiam cuſpidis haſtæ præfixæ, non vero ſiclum æneum; nullam enim norant Hebræi ante captivitatem ære cuſam monetam; ſed æra, aliaſque res ad ſicli pondus æſtimabant. Vertendum igitur maluerim: *Pondus haſtæ ejus æreæ trecentorum ſiclorum æris*; quæ ſi admittatur interpretatio, dictum accipi oportet de cuſpide lanceæ.

Accinctus erat ense novo, nullis adhuc uſibus de-

(1) Ita Jun. & Tremel. (2) Caſtal. (3) Vide Eſt. & Grot. hic; & Joſeph. Antiqu. lib. 7. cap. 10. 12. (4) Ita Capel. Cajet. Salian. Cornel. Oſiand. (5) Vide 1. Reg. xxv. 44. (6) Vide 1. Reg. xxiv. 4. 13. (7) Grotius, Eſtius, Vatab. Munſt. Piſc. Menoch. Sanct. (8) Rabb. in Sanct. (9) לא נתנה עוף השמים לנוח Septuag. Οὐκ ἔδωκε . . . καταπαῦσαι. Alius. Οὐκ εἴασε καθίσαι. (10) Euſeb. lib. 5. c. 1. Βλανδίνα ἐπὶ ξύλου κρεμασθεῖσα, πρόκειτο βορὰ τῶν εἰσβαλλομένων θηρίων. (11) Martial. lib. 1. Vide Lipſ. de cruce lib. 3. c. 11. (12) Homer. Iliad. xxiii. (13) Pagn. Vatab. Menoch. Salian. Montan. (14) Joſue xviii. 28. (15) ישבי בנב אשר בילידי הרפה (16) Ἰεσβὶ ὃς ἦν ἐν τοῖς ἐκγόνοις τῶν Γιγάντων. (17) ומשקל קינו שלש מאות משקל נחשת

detrito; vel eximio (1), tam bene limatn, quaſi nulli adhuc rei ſerviſſat. Aliter: Novus erat miles, & tunc primum aderat certamini (2). Hebræus ad literam (3): *Ipſe accinctus novo*; quod exponi poteſt de veſtibus, armis, vel cingulo novo, vel de homine tunc primum armatn. Septuaginta (4): *Et ipſe accinctus balteo*; in Editione Rnmana (5): *Et ipſe ferebat clavam*; Symmachos, *enſem*; Theodotioo, *balteum*.

℣. 17. Ne extinquaa lucernam Israel; gloriam, decus, ornamentum, robur, felicitatem Iſraelis. Exprobrat ſibi Achilles, quod non fuerit *lucerna* Patrocli, ejuſque comitum, quippe quos Hectori cædendns permiſerit (6). *Lucerna* uſurpatur interdum in Scriptnra de poſteris, interdum de felicitate ſeu vita diururna.

℣. 18. Bellum fuit in Gnb. Hic locus *Gazer* appellatur in 1. Paralipomenon xx. 4. ubi eadem hæc hiſtoria recitatur. Sita erat Gazer in ditione Philiſthæorom, inter Azothnm, & Accaronem. *Gob* mendum eſt forte Amanuenſis Hebræi.

Usati, vel Husatai, Loci hujus ſitus ignoratur, *Saph* appellatur *Saphal* in 1. Paralipomenon xx. 4.

℣. 19. In Gnb. ſeptuaginta in quibuſdam Codicibus legunt *Nob*, in aliis *Geth*; ſed vera lectio facile eſt *Gaſer*.

℣. 19. Percussit Adeodatus filius saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Gethæum. Expreſſa eſt hic ſignificatio propriorum nomiuum Hebræorum, contra leges interpretationis, ſancientes, ut eorum pronunciatio intacta relinquatur. Igitur legi poſſet (7): *Elchanan filius Jarim textor Bethlehemites, percuſſit Goliath Gethæum*. Sunt (8) qui *Elchanan* ipſum eſſe Davidem cenſeant; repugnant tamen plerique, nec immerito; I. Quod nulla coegerit neceſſitas, Davidis & patris illius nnmeo ita tegere, ut veritas agnoſci non poſſit. II. Totius erroris fontem indicat 1. Paralipomenon, xx. 5. ferens in Hebræo: *Elchanan filius Jair percuſſit Lechem, fratrem Goliath Gethæi*. Alius eſt igitur *Elchanan* a Davide; neque Goliath, ſed fratrem ejus Lechem (9) interfecit. Fateamur tamen oportet, in eo nomine *Lechem* correctiorem videri Textum Libri Regum, quam Paralipomenon; emendandumque maluerim poſteriorem ex priori (10) in hanc ſententiam: *Elchanan filius Jair Bethlehemites, percuſſit fratrem Goliath*. Recenſetur inferius (11) inter viros ſtrenuos exercitus Davidici *Elchanan filius patrui* Joabi *de Bethlehem*; quem virum ab Elchanan, de quo hic, diverſum eſſe non credo. Nomeo fratris uſurpari poteſt ſive in vulgari ſignificatione, ſive de Gigante ejuſdem roboris & proceritatis ac Goliath; id enim poſterius ſonat in Proverbiis, xviii. 9. *Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis*; ambo enim ad extremam inopiam rediguotur.

Quasi liciatorium texentium. Vide ſupra ad 1. Regum, xvii. 7.

℣. 20. Vir excelsus, gigas. Hebræus (12), *Vir menſuræ*; vel, juxta alios (13), *vir rixæ*, rixoſus. Septuaginta (14): *Vir Madon*, Regis Madon meminit quidem Joſue (15); ſed urbis hujus ſitus ignoratur. Capellius: *Vir Madian*.

Qui senos in manibus pedibusque habebat digitos. Immani corpore Gigas, & quatuor ac viginti exhibens digitos, monſtrum erat. Recitantur in hiſtoria nomina quædam hominum ſenis digitis ad manus pedeſque inſtructorum (16). Filiæ C. Horatii, viri e genere patricio, *Sedigitæ* ex ſenis digitis appellabantur; Vnlcatius, cujus eſt nomen inter Poetas clarum, pari de cauſa par cognomen obtinuit.

℣. 22. Ceciderunt in manu David, et servorum ejus; ideſt, interfecti ſunt in præliis ab ipſo Davide, ſive ab ejus ducibus geſtis: neque enim manu ſua David ex his quemquam occidiſſe videtur.

---

(1) Vatab. (2) Sanct. (3) והוא חגור חדשה (4) Καὶ αὐτὸς περιεζωσμένος παραζώνην.
(5) Περιεζωσμένος κορύνην. Sym. Μάχαιραν.
(6) Iliad. Σ. Οὐδέ τι Πατρόκλῳ γενόμην φάος, οὐδ' ἑτάροισι
Τοῖς ἄλλοις, οἳ δὴ πολέες δάμεν Ἕκτορι δίῳ.
(7) ויך אלחנן בן יערי ארגים בית הלחמים את גלית הגתי (8) Ita Chald. & Hebr. Rupert. Raban. alii.
(9) Amanuenſis poſuit את גלית pro את גלית & ארגים in medio phraſis, cum ejus locus in fine eſſet. Deinque, is ex homine, cui nomen *Jair*, fecit *Saltum*. Vix invenias alterum textum æque corruptum, ac ſine Paralipomenon ope omnino purgari non poſſet. (10) את לחמי pro בית לחמי (11) 2. Reg. xxiii. 24. (12) איש מדין Malloretthæ legunt: איש מדון *Vir rixæ*. (13) Aqu. Ἀνὴρ ἀντιδικίας. *Vir adverſarius*, Sym. Ἀνὴρ ὑπὲρ μέτρον, *vir procero corpore*. (14) Ἀνὴρ ἐν Μαδών. (15) Joſue xi. 1. Ad Jobad Regem Madon. Vide & xii. 17. (16) Plin. lib. xi. c. 43. *Digiti quibuſdam in manibus ſeni. Q. Horatii ex Patritia gente filiæ ob id Sedigitæ appellatæ accepi. Vulcatium Sedigitum illuſtrem in poetica*,

CAPUT XXII.

Canticum Eucharisticum, quo David de victoriis ſuis adverſus hoſtes omnibus gratias agit.

TOtum hoc caput a Pſalmo decimo ſeptimo non differt; quare interpretationem ejus literalem ad Librum Pſalmorum differendam cenſemus.

℣. 1. LOcutuſque eſt autem David Domino verba carminis hujus, in die, qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum ſuorum, & de ma-
nu Saul. 2. Et ait: Dominus petra mea, & robur meum, & ſalvator meus. 3.
Deus fortis meus, ſperabo in eum: ſcutum meum, & cornu ſalutis meæ, elevator
meus, & refugium meum: ſalvator meus, de iniquitate liberabis me. 4. Laudabilem
invocabo Dominum: & ab inimicis meis ſalvus ero. 5. Quia circumdederunt me
contritiones mortis: torrentes Belial terruerunt me. 6. Funes inferni circumdederunt
me; prævenerunt me laquei mortis. 7. In tribulatione mea invocabo Dominum, &
ad

ad Deum meum clamabo, & exaudiet de templo ſuo vocem meam, & clamor meus
veniet ad aures ejus. 8. Commota eſt, & contremuit terra: fundamenta montium
concuſſa ſunt, & conquaſſata, quoniam iratus eſt eis. 9. Aſcendit fumus de naribus
ejus, & ignis de ore ejus vorabit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo. 10. Inclinavit cœ-
los, & deſcendit: & caligo ſub pedibus ejus. 11. Et aſcendit ſuper cherubim, &
volavit, & lapſus eſt ſuper pennas venti. 12. Poſuit tenebras in circuitu ſuo lati-
bulum: cribrans aquas de nubibus cœlorum. 13. Præ fulgore in conſpectu ejus, ſuc-
cenſi ſunt carbones ignis. 14. Tonabit de cœlo Dominus: & excelſus dabit vocem
ſuam. 15. Miſit ſagittas, & diſſipavit eos; fulgur, & conſumpſit eos. 16. Et ap-
paruerunt effuſiones maris, & revelata ſunt fundamenta orbis, ab increpatione ſpiri-
tus furoris ejus. 17. Miſit de excelſo, & aſſumpſit me: & extraxit me de aquis mul-
tis, 18. Liberavit me ab inimico meo potentiſſimo, & ab his, qui oderant me:
quoniam robuſtiores me erant. 19. Prævenit me in die afflictionis meæ, & factus
eſt Dominus firmamentum meum. 20. Et eduxit me in latitudinem: liberavit me,
quia complacui ei. 21. Retribuet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam: & ſe-
cundum munditiam manuum mearum reddet mihi. 22. Quia cuſtodivi vias Domini,
& non egi impie a Deo meo. 23. Omnia enim judicia ejus in conſpectu meo: &
præcepta ejus non amovi a me. 24. Et ero perfectus cum eo: & cuſtodiam me ab
iniquitate mea. 25. Et reſtituet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam: & ſecun-
dum munditiam manuum mearum, in conſpectu oculorum ſuorum. 26. Cum ſancto
ſanctus eris: & cum robuſto perfectus. 27. Cum electo electus eris: & cum perver-
ſo perverteris. 28. Et populum pauperem ſalvum facies, oculiſque tuis excelſos hu-
miliabis. 29. Quia tu lucerna mea, Domine: & tu, Domine, illuminabis tenebras
meas. 30. In te enim curram accinctus: in Deo meo tranſiliam murum. 31. De-
us, immaculata via ejus, eloquium Domini igne examinatum: ſcutum eſt omnium ſpe-
rantium in ſe. 32. Quis eſt Deus præter Dominum, & quis fortis præter Deum no-
ſtrum? 33. Deus, qui accinxit me fortitudine: & complanavit perfectam viam meam.
34. Coæquans pedes meos cervis, & ſuper excelſa mea ſtatuens me. 35. Docens ma-
nus meas ad prælium, & componens quaſi arcum æreum brachia mea. 36. Dediſti mi-
hi clypeum ſalutis tuæ: & manſuetudo tua multiplicavit me. 37. Dilatabis greſſus
meos ſubtus me: & non deficient tali mei. 38. Perſequar inimicos meos, & conte-
ram; & non convertar, donec conſumam eos. 39. Conſumam eos, & confringam,
ut non conſurgant: cadent ſub pedibus meis. 40. Accinxiſti me fortitudine ad præ-
lium: incurvaſti reſiſtentes mihi ſubtus me. 41. Inimicos meos dediſti mihi dorſum:
odientes me, & diſperdam eos. 42. Clamabunt, & non erit, qui ſalvet: ad Domi-
num, & non exaudiet eos. 43. Delebo eos, ut pulverem terræ: quaſi lutum platea-
rum comminuam eos, atque confringam. 44. Salvabis me a contradictionibus populi
mei: cuſtodies me in caput gentium: populus, quem ignoro, ſerviet mihi. 45. Filii
alieni reſiſtent mihi, auditu auris obedient mihi. 46. Filii alieni defluxerunt, & con-
trahentur in anguſtiis ſuis. 47. Vivit Dominus, & benedictus Deus meus: & exaltabi-
tur Deus fortis ſalutis meæ. 48. Deus, qui das vindictas mihi, & dejicis populos ſub
me. 49. Qui educis me ab inimicis meis, & a reſiſtentibus mihi levas me: a viro ini-
quo liberabis me. 50. Propterea confitebor tibi, Domine, in gentibus: & nomini tuo
cantabo. 51. Magnificans ſalutes regis ſui, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo Da-
vid, & ſemini ejus in ſempiternum.

CAPUT XXIII.

Noviſſima verba David; ac illuſtrium militum ipſius nomenclatura.

℣. 1. HÆC autem ſunt verba David noviſſima. Dixit David filius Iſai: Dixit vir,
cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Jacob, egregius pſaltes Iſrael: 2. Spi-
ritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam. 3. Dixit Deus
Iſrael mihi, locutus eſt fortis Iſrael, Dominator hominum, juſtus dominator in timo-
re Dei: 4. Sicut lux auroræ, oriente ſole, mane abſque nubibus rutilat, & ſicut

pluviis

pluviis germinat herba de terra. 5. Nec tanta eſt domus mea apud Deum, ut pa-
ctum æternum iniret mecum, firmum in omnibus, atque munitum. Cuncta enim ſa-
lus mea, & omnis voluntas, nec eſt quidquam ex ea, quod non germinet. *6.* Præ-
varicatores autem quaſi ſpinæ evellentur univerſi: quæ non tolluntur manibus. *7.* Et
ſi quis tangere voluerit eas, armabitur ferro, & ligno lanceato, igneque ſuccenſæ
comburentur uſque ad nihilum. 8. Hæc nomina fortium David. Sedens in cathedra
ſapientiſſimus princeps inter tres, ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui
octingentos interfecit impetu uno. *9.* Poſt huic Eleazar filius patrui ejus Ahohites
inter tres fortes, qui erant cum David, quando exprobraverunt Philiſthiim, & con-
gregati ſunt illuc in prælium, 10. Cumque aſcendiſſent viri Iſrael, ipſe ſtetit, &
percuſſit Philiſthæos, donec deficeret manus ejus, & obrigeſceret cum gladio: fecit-
que Dominus ſalutem magnam in die illa: & populus, qui fugerat, reverſus eſt ad
cæſorum ſpolia detrahenda. 11. Et poſt hunc, Semma filius Age de Arari, & con-
gregati ſunt Philiſthiim in ſtatione: erat quippe ibi ager lente plenus. Cumque fu-
giſſet populus a facie Philiſthiim, 12. Stetit ille in medio agri, & tuitus eſt eum,
percuſſitque Philiſthæos, & fecit Dominus ſalutem magnam. 13. Necnon & ante deſ-
cenderant tres, qui erant principes inter triginta, & venerant tempore meſſis ad Da-
vid in ſpeluncam Odollam: caſtra autem Philiſthinorum erant poſita in Valle gigan-
tum, 14. Et David erat in præſidio: porro ſtatio Philiſthinorum tunc erat in Be-
thlehem. 15. Deſideravit ergo David, & ait: O ſi quis mihi daret potum aquæ de
ciſterna, quæ eſt in Bethlehem juxta portam! 16. Irruperunt ergo tres fortes caſtra
Philiſthinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quæ erat juxta portam,
& attulerunt ad David: at ille noluit bibere, ſed libavit eam Domino, 17. Dicens:
Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hoc: num ſanguinem hominum iſtorum, qui
profecti ſunt, & animarum periculum bibam? Noluit ergo bibere. Hæc fecerunt tres
robuſtiſſimi. 18. Abiſai quoque frater Joab filius Sarviæ, princeps erat de tribus.
Ipſe eſt, qui levavit haſtam ſuam contra trecentos, quos interfecit, nominatus in tri-
bus, *19.* Et inter tres nobilior, eratque eorum princeps, ſed uſque ad tres primos
non pervenerat. 20. Et Banajas filius Jojadæ viri fortiſſimi, magnorum operum, de
Cabſeel: ipſe percuſſit duos leones Moab, & ipſe deſcendis, & percuſſit leonem in
media ciſterna in diebus nivis: 21. Ipſe quoque interfecit virum Ægyptium, virum
dignum ſpectaculo, habentem in manu haſtam: itaque cum deſcendiſſet ad eum in
virga, vi extorſit haſtam de manu Ægyptii, & interfecit eum haſta ſua. 22. Hæc
fecit Banajas filius Jojadæ. 23. Et ipſe nominatus inter tres robuſtos, qui erant in-
ter triginta nobiliores: verumtamen uſque ad tres non pervenerat: fecitque eum ſibi
David auricularium, a ſecreto. 24. Aſael frater Joab inter triginta, Elehanan filius
patrui ejus de Bethlehem, 25. Semma de Harodi, Elica de Harodi, 26. Heles de
Phalti, Hira filius Acces de Thecua. 27. Abiezer de Anatoth, Mobonnai de Hu-
ſati, 28. Selmon Ahohites, Maharai Netophathites, 29. Heled filius Baana, & ipſe
Netophathites, Ithai filius Ribai de Gabaath filiorum Beniamin, 30. Banaja Phara-
thonites, Heddai de torrente Gaas, 31. Abialbon Arbathites, Azmaveth de Bero-
mi, 32. Eliaba de Salaboni. Filii Jaſſen, Jonathan, 33. Semma de Orori, Aiam
filius Sarar Arorites, 34. Eliphelet filius Aasbai filii Machati, Eliam filius Achito-
phel Gelonites. 35. Heſrai de Carmelo, Pharai de Arbi, 36. Igaal filius Nathan
de Soba, Bonni de Gadi, 37. Selec de Ammoni, Naharai Berothites armiger Joab
filii Sarviæ, 38. Ira Jethrites, Gareb & ipſe Jethrites, 39. Urias Hethæus. Omnes
triginta ſeptem.

℣. 1. HÆC SUNT VERBA DAVID NOVISSIMA. Supremæ ſunt hæ ceu Davidis morientis tabulæ, & poſtrema futuris retro ſæculis ab ipſo relicta monumenta gratiſſimi animi ſui erga accepta a Deo beneficia. Vel potius: Hæc ſunt noviſſima verba, quæ ſpiritu Dei afflatus pronuntiavit (1); quæ enim deinceps ſequuntur; politica ſunt præcepta potius, quam divini Spiritus effata. Verba hæc Davidis apta veluti Pſalmorum illius concluſio ſubjici poſſunt (2); ſeu potius optime continuari cum fine Pſalmi ſeptuageſimi primi, in hæc verba deſinentis: *Defecerunt laudes David filii Jeſſe*. Denique altiori ſenſu *noviſſima Davidis verba* appellari poſſunt ex eo, quod verſant, argumento; agit enim hic Vates de conſummatione ſæculorum & adventu Meſſiæ. Ita exponunt Chaldæus & Hebræi.

Ambigunt (3) nonnulli, utrum hæc lucubratiuncula carmine digeſta ſit; cujus rei gratia omiſſam credunt in collectione Pſalmorum. Nihil tamen

[1] Sanct. Grot. Menoch. [2] Vat. Eſt. Munſt. [3] Sanctius.

men prohibet quin agnoſcamus in illa ſpeciman quoddam veteris & naturalis poeſeos, quæ apud Hebræos obtinebat. Poetico redundat ſtylo, ſed ita obſcuro, ut carmina diſtingui ægre queant. Ita ego verto ex Hebræo.

Hæc dixit David filius Iſai:
Hæc dixit vir conſtitutus a Domino (*vel evectus in altum*)
Unctus Dei (1) Jacob,
Jucundus Pſaltes Iſrael.
Spiritus Dei locutus eſt per me,
Et ſermo ejus per linguam meam,
Deus Iſrael mihi locutus eſt;
Locutus eſt, Lapis Iſrael.
Dominator hominum,
Juſtus Dominator timentis Deum (2),
Sicut lux Auroræ fulget,
Et *ſicut* ſol mane abſque nubibus;
Sicut herba terræ *germinat fota calore*, *& irrigata* pluviis,
Talis fuit Regni mei & felicitatis domus meæ fulgor (3).
Nec tanta eſt domus mea apud Deum,
Ut pactum æternum iniret mecum,
Pactum firmum in omnibus, & *fideliter* cuſtoditum.
Cuncta enim *ipſe eſt* ſalus mea, & omnis voluntas (4).
Nec eſt quidquam *in me*, quod non germinet.
Prævaricatores autem quaſi ſpinæ evellentur univerſi,
Quæ non tolluntur manibus,
Et ſi quis tangere voluerit eas, armabitur ferro, & lancea (5);
Igneque ſuccenſas comburet uſque ad nihilum.

Dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Jacob. Deſignat ſe David glorioſo hoc ſibi conceſſo beneficio, ut e ſtirpe ſua oriatur Meſſias, Unctus a Deo Jacobi promiſſus. Aliter: Cui conſtitutum eſt a Deo, ut ſibi Regnum in populum ſuum conferatur. Septuaginta (6): *Quem Dominus conſtituit Chriſtum Dei Jacob*. Hebræus ad literam (7): *Vir conſtitutus excelſus unctus Dei Jacob*. Jonathan: *Vir ſublimatus in Regnum, Unctus dicto Dei Jacob*. Syriacus & Arabs: *Vir qui portavit jugum Chriſti Dei Jacob*. Literula mutata, legimus: *Qui conſtitutus eſt a Deo in Chriſtum Dei Jacob*; ideſt, in Regem populi Dei.

Egregius Psaltes Israel. Hebræus (8): *Jucundus in pſalmis Iſrael*. Author egregiorum carminum, quæ totius Iſraelis deliciæ ſunt, deliciæ ſcilicet ſacræ poeſeos Iſraelitarum. Effunditur hic S. Spiritus in laudes Davidis, ejuſdem Regis ore pronunciatas. Adeo vero diſerte exprimit effari ſe verba, quæ Spiritus Sanctus intus ſuggerit, ut ſuperbiæ ſuſpicionem omnem amoveat.

℣. 2. Spiritus Domini locutus est per me. Luculentiſſima ſunt hæc, quibus probetur ſacrorum Scriptorum afflatus; agenti enim interius Divino Spiritui non intimos tantum animi ſenſus, ſed & motum linguæ tribuit; *Sermo ejus per linguam meam*.

℣. 3. Mihi locutus est fortis Israel. Epithethon *fortis*, ex iis eſt, quæ frequentiſſime Deo tribuuntur. *Non eſt fortis ſicut Deus noſter*, canebat Anna mater Samuelis (9): Hebræus hujus Textus (10): *Mihi locutus eſt Petra Iſrael*; quæ loquendi phraſis exprimit celſitudinem, ſoliditatem, firmitatem & immobilitatem Dei Iſraelis; comparatio autem eſt Hebræorum ſtylo elegantiſſima. Regionis illius arces conſtitutæ erant in rupibus; ac prærupta & inacceſſa montium juga tutum erant bello ſæviente perfugium.

Justus Dominator in timore Dei. Hebræus (11): *Dominator timoris Domini*. Poſtrema hæc verba nativam exhibent virorum ſanctorum imaginem, quos timor Dei totos pervadit (12). Abſtractis hiſce phraſibus utebantur familiariter Hebræi; ita dicebant (13), *Timor Iſaac*, pro Numine quod Iſaac metuit; *Puer captivitatis* (14) pro captivo; *vir belli* pro milite; *vir divitiarum* (15) pro divite. Alii explicant de Meſſia, qui verus eſt *Dominator in timore Domini*; docet enim Fideles metum filialem ejuſque potiſſimas inter dotes illa eſt, *ut ſpiritu timoris Domini* (16) repleatur. Denique commode etiam id exponitur de Davide, qui *dominator* fuit *hominum*, & *juſtus dominator*, *qui rexit populum ſuum in timore Domini*. Sed prona magis & obvia interpretatio illa eſt, quam primo loco dedimus, quæ omnia refert ad Deum, Petram Iſraelis, & Dominatorem omnium quidem hominum, ſed eorum potiſſimum, qui Deum verentur.

℣. 4. Sicut lux Auroræ, oriente sole mane, absque nubibus rutilat. Hæbræus hujus loci obſcuriſſimam hanc exhibet ſententiam (17): *Sicut lux matutina oritur: ſol mane abſque nubibus a ſplendore radiorum, & a pluvia germinare facit terram; non ſit domus mea*. Non ita agitur cum domo mea, ac cum diebus illis, quibus ſol exoriens conſpicuus eſt, & aer nubibus minime tegitur, vel cum herbis, quæ germinant ex humo. Evolvuntur enim brevi ejuſmodi dies, atque is fulgor evaneſcit, herbæ gratæ adeo & jucundæ languent & cadunt; domus vero mea nunquam peribit; Deus enim cum illa fœdus æternum compoſuit.

Maluerim ego tamen Textum in hanc ſententiam exponere: Ut ſol exoriens die tranquilla & ſerena, & ſicut herbæ germinant ex humo, fotæ calore & irrigatæ pluvia; ita ſurget domus mea; vel, ita contigit Regno meo; vel, hæc fuit Dei in me beneficentia. Regnum Davidis ſoli & lunæ comparatur (18): *Thronus ejus ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum*. Loquens in ſpiritu David de felicitate Regni Salomonici, paribus ferme coloribus illam pingit (19): *Permanebit cum ſole & ante lunam*. Poſtulat a Numine Debora (20): *Qui diligunt te, ſicut ſol in ortu ſuo ſplendet, ita rutilent*. Quis in animum inducat, Davidem, poſtquam ortum ſolis tranquilla & ſerena die deſcripſit, inferre, minora hæc eſſe quam fulgorem & gloriam domus ſuæ? Nonne potius contrarium lectores expectant, ut ex fulgore diei tranquillæ, domus & Regni ſui proſperitatem & gloriam exhibeat? Quid magnificentius, quid auguſtius, quid glorioſius, quam hæc comparatio, hac verborum pompa expreſſa? Comparationem quidem non abſolvit; ſed ignobilitatem familiæ ſuæ ſtatim intuens, totuſque eo aſpectu occupatus, abrumpit illud quod cœperat elogium, & ad humilem ſui confeſſionem verſus, nihil ſe in eam gloriam contuliſſe profitetur, nullaque prærogativa ſua tantam a Deo felicitatem promereri potuiſſe familiam ſuam agnoſcit. Docent Interpretes (21), in ſacris Libris ſupplendum eſſe alterum mem-

(1) Lego אל, pro על, quod nihil aptum ſonat. Septuaginta item legunt, ὃς ἀνέστησεν ὁ Θεός. Vel על eſt pro עליון. Vel denique על חקם al Chakam ſignificat *Conſtituti elati*. (2) מושל יראת אלהים Ad literam: *Dominator timoris Domini*. (3) Alterum comparationis membrum ſupplemus. Hebræis quidem illud omitti, jucundum accidit, nobis ingratum. (4) *Salutem mihi procurat, deſideria complet*; (5) Ad literam: *Ligno haſtæ*. (6) Ὃς ἀνέστησεν ὁ Θεὸς Χριστὸν Θεοῦ Ἰακώβ. (7) הקם על משיח אלהי יעקב (8) נעים זמרות ישראל (9) 1. Reg. II. 2. (10) לי דבר צור ישראל (11) מושל יראת אלהים (12) Ita Syr. Arab. Sanct. (13) Geneſ. XXXI. 42. (14) Exod. XII. 29. (15) Pſalm. LXXV. 7. (16) Iſai. XI. 3. (17) באור בוקר יזרח שמש בוקר לא עבות מנוגה ממטר דשא מארץ (18) Pſalm. LXXXVIII. 38. (19) Pſal. LXXI. 5. (20) Judic. V. ult. (21) Plura occurrunt ejus rei exempla in Veteri Teſtamento, & apud S. Paulum.

membrum comparationis; quod ſi omittatur, ſæpe hiulca ſit oratio & imperfecta.

℣. 5. Cuncta salus mea, et omnis voluntas, nec est quicquam ex ea quod non germinet. Eripuit me ex omni diſcrimine, voluntatem meam omnem implevit, ut deſiderandum nihil reliquerit. Hebræus ad literam (1): *cuncta ſalus mea, & omne deſiderium; quia non florebit*. Deus eſt ſervator meus, a quo optata omnia teneo; ſed poſtrema hæc verba, *quia non florebit*, ſuperiorem ſententiam penitus deſtruere videntur. An iis exprimitur, non permiſſurum Deum, ut vota Prophetæ expleantur, ut ſperata teneat, & ad ſucceſſores ſuos transmittat? Nonne potius carmen hoc euchariſticum de facta a Deo ſpe agit, totam ſcilicet beneficiis & familiam ipſius & poſteritatem cumulandi? Servanda eſt igitur Vulgatæ interpretatio, reddendumque: *Non eſt quidquam* in familia mea, *quod non germinet*, & floreat ipſo largiente. Sive interrogantis ſententia: *An familia mea non florebit?* Congruunt hæc apertiſſime cum iis, quæ antea expreſſerat, cum familiam ſuam, vel Regnum comparavit herbis maxime validis & irrigatis, ſub felici Solis aſpectu: nihil ibi eſt quod non germinet, quod non floreat, quod non pullulet. Verba hæc cum poſterioribus jungunt Septuaginta (2): *Quoniam non germinabit iniquus*. Planta eſt infelix, quæ ſucco deſtituitur, ut brevi cadat, & areſcat. Sed verſioni huic congruere non poteſt Hebræus, exhibens conjunctionem ante vocem *Belial*, vel *prevaricator* (3): *Quia non florebit, & Belial*.

℣. 6. Prævaricatores autem quasi spinæ evellentur. Hic ſpectari videntur Saulis vices, idemque Princeps deſignari nomine prævaricatoris, in Hebræo *Belial*, Porro Saul ejuſque familia ceu ſpinæ evulſi ſunt & deleti; perierunt immatura & violenta morte, quæ mors exprimitur ea falce, qua armatur, qui ſpinas evellit, & cædit. Commode etiam exponuntur hæc de impiis, quorum Deus ſcelera impunita non relinquit. Cavebant veteres, ne manu nuda ſpinas tangerent. De chirotecis craſſioribus, quarum erat uſus apud Agricolas pro repurgandis agris e ſpinis, ſermo eſt apud Homerum Odyſſ. 10. v. 229.

℣. 8. Sedens in cathedra sapientissimus Princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus. Author Vulgatæ exprimit hic, contra morem profecto, ſignificationem nominis virorum iſtorum fortium, qui ſub Davidis Regno claruerunt, Ita vero ſonat in Hebræo (4): *Sedens in ſede ſapientiæ caput trium, Hadino Heſnites*. Hic octingentos interſecit. In Textu Paralipomenon (5), qui hic parallelus videtur, legimus: *Jesbaam filius Hachamoni, Princeps inter triginta, iſte levavit haſtam ſuam ſuper trecentos, vulneratos una vice*. Ingens hoc diſcrimen inter duos hoſce Textus, negocium faceſſit utrumque conciliare conantibus. Ille nodum unico ictu præcidat, qui duos inter ſe diverſos homines agnoſcat; ſed neque tum difficultas omnis ſubmovetur, His enim admiſſis admitteremus etiam neceſſe eſſet, Hadino, primum inter tres præcipuos Præfectos Regni Davidici, neglectum fuiſſe in Paralipomenis; ſive *Jesbaamum*, Principem manus triginta fortiſſimorum, in Libris Regum deſiderari. Adde, nomen *Jeſeb*, is qui ſedet, agnoſci expreſſum in nomine Jesbaam. Hujus Hadino pater fuiſſe videtur *Tacchemoni*, & Jesbaami, *Chachmoni*. His indiciis Jesbaam & Hadino unus idemque vir agnoſcuntur.

Verum *Jesbaam* & *Hadino* duo ſunt inter ſe diſtincta nomina; Jesbaam Princeps eſt triginta, & Hadino trium: poſtremus hic octingentos interfecit; Jesbaam trecentos. Vix hæc inter ſe cohæreant. Invitis tamen hiſce omnibus, cenſeo, Textum Regum corrigi oportere ex Textu Paralipomenon, atque nomen Hadino ex Amanuenſium mendo irrepſiſſe. Vide Adnotationem ad inferiorem paginæ bujus oram (6). Legendum hic arbitramur: *Jesbaam filius Chachmoni, Princeps inter triginta, levavit haſtam ſuam ſuper trecentos, vulneratos una vice*. Correctionem hanc noſtram fulciunt Septuaginta, vertentes (7): *Jebaal filius Thechemani, primus in tribus. Hadino Aſonæus; hic eduxit gladium ſuum ſuper octingentos milites vice una*, Conſtat utique, illud *Hadino Aſonæus* ſuperfluere; appellatur enim primo *Jesbaal filius Thechemani*; cur igitur alterum ſtatim illi nomen additur *Hadino Aſonæus?* & unde Interpretes iſti deduxerunt illud, *Eduxit gladium ſuum*, niſi legiſſent in Hebræo ætatis ſuæ, quod hodie in noſtris Codicibus deeſt?

Princeps inter tres, Magnum hic diſcrimen ſtatuendum eſt inter tres priores, & ſecundos itidem tres, ac Præfectos appellatos tantum *Triginta*, vel *Schaliſchim*. Jesbaam, Eleazarus, & Semmaa primum gradum tenebant; ſuccedebant iis ſecundum tenentes ordinem, vel, ſi mavis, ſecundi ordinis Principes, Banajas, Abiſai, & tertius alter, cujus nomen ſiletur, Proxime ſequebantur ingenti numero Duces, virtute illuſtres, de quibus tamen nihil peculiare memoriæ proditum eſt, Omnes, cujuſcumque tandem eſſent ordinis, communi nomine *Schaliſchim* appellabantur; hac enim appellatione omnes, quotquot in exercitu Davidis erant duces, cenſebantur, Horum *Schaliſchim* nomina ſeptem & triginta recitat hic Scriptura, quibus in Paralipomenis ſexdecim adduntur. Vide quæ diſſeruimus ad Exodi xiv. 7. ubi de Schaliſchim Pharaonis. In Paralipomenis Jesbaam *princeps inter triginta* conſtituitur, mendo utique manifeſto; legendum enim eſt: *Princeps inter tres*,

℣. 9. Post hunc, Eleazar filius patrui ejus Ahohites. Hebræus (8): *Eleazar filius Dodi, filii Ahohi*; ſive enim Ahohi nomen ſit patriæ, ſive avi, merito ſemper appellatur *filius Ahohi*. Quod attinet ad *Dodi*, S. Hieronymus legit *Dodo*; verum Septuaginta legerunt *Dudi*. *Dod* Hebraice eſt interdum patruus; poteſt etiam proprium viri alicujus nomen cenſeri, Ne ambigens quidem credo, ſive hunc, ſive ejus patrem appellari in Paralipomenis (9) *Dudai Ahohitem*, qui princeps ſtatuitur ſecundi agminis viginti quatuor millium, qui vice ſua per menſes ſub Davide merebantur.

Inter tres fortes, qui erant cum David, quando exprobraverunt Philisthiim. In eo ſcilicet bello, in quo Goliath audax copiis Domini inſultabat (10): quod tamen hic narratur, deeſt in illius certaminis narratione. Virtutis ſuæ nullum ibi ſingulare ſpecimen exhibuiſſe Eleazarus iſte, in ea narratione ſcribitur: ſed authoritas libri Paralipomenon (11) omnem ejus rei dubitationem ſummovet; docet enim, geſta hæc eſſe in Phes-Domim, vel, uti legitur in 1. Libro Regum: *In finibus Dommim*. Belli hujus initio, virtutem ſuam exeruit Eleazar, antequam David Gigantem interfecerit.

℣. 10. Cumque ascendissent viri Israel, ipsa sta-

(1) כי כל ישעי וכל חפץ כי לא יצמיח (2) Ὅτι ὀ μὴ βλαςήσῃ ὀ παράνομος. (3) כי לא יצמיח ובליעל (4) ישב בשבת תחכמני ראש השלישי הוא עדינו העצני על שמנה מאות חלל (5) 1. Par. xi. 11. (6) Sic lego locum Regum ישבעם בן חכמני ראש השלישים הוא עורר את חניתו על שלש מאות חלל בפעם אחד. Amanuenſis legit עדינו pro עורר & העצני pro העצניהו ... Trecenti ab uno interfecti facilius creduntur, quam octingenti. (7) Ἰεβαὰλ υἱὸς Θεκεμανὶ πρῶτος τῶν τριῶν ἐστι. Ἀδινὼ ὁ Ἀσωναῖος, οὗτος ἐσπάσατο τὴν ῥομφαίαν αὐτοῦ, ἐπὶ ὀκτακοσίους, &c. Editio Romana Ἰεβοσθὲ ὁ Χαναναῖος ἄρχων τῶν τριῶν ἐστι. (8) אלעזר בן דדי בן אחחי (9) 1. Par. xxvii. 4. (10) 1. Reg. xvii. 1. (11) 1. Par. xi. 13.

STETIT, ET PERCUSSIT PHILISTHÆOS. Peulo aliter rem narrat Author Paralipomenon (1); affirmat enim, Philiſthæis coeuntibus ad Phes-domim, prope agrum hordeo ſatum, Iſraelitas in fugam verſos fuiſſe; ſed [Jesbaamum & Eleazarum] fronte in medio agri hoſtibus verſe, fortiter adeo dimicaſſe, ut eum defenderent. Cæſis autem Philiſtbæis, Deum illuſtri victoria Iſraeliras donaſſe.

DONEC DEFICERET MANUS EJUS, ET OBRIGESCERET CUM GLADIO; ſive quod glutine quodam ea congeſto ibi coagulatoque eruore manus detineretur (2); ſive quod nimia cædendi hoſtes fatigatione obrigeſceret, & nervi digitorum veluti areſcentes, ac ſpiritibus deſtituti capulum gladii arctiſſime atque indiſſolubili nexu ſtringerent; quare poſt pugnam ægre explicari manus, ac digiti inflecti potuerunt (3).

Ỳ. 11. POST HUNC, SEMMA. Viri hujus nomen ſuo quidem loco non legitur in Paralipomenis; ſed orationis ſeries demonſtrat, ſermonem de illo entea factum eſſe. Idem eſt forte vir, qui appellatur *Sammot Aſorites* (4), & *Sammot Jezerites* (5).

CONGREGATI SUNT PHILISTHIIM IN STATIONE. Hebræus (6): *Collecti ſunt Philiſthiim ad Chaiah*; vel, *ad beſtiam*; vel potius, *ad locum* appellatum *Lechi*, vel *ad maxillam* (7). Ibi Samſon mandibula aſini pro gladio uſus Philiſthæos eecidir. Vertunt nonnulli (8): *Collecti ſunt in villa*. Syriacus, & Arabs: *Collecti ſunt ad fugandas belluas ſylveſtres*. Æquiſſima omnium videtur interpretatio: *Ad maxillam*,

ERAT IBI AGER LENTE PLENUS. Liber Paralipomenon legit (9): *Ager hordeo plenus*. Uter locus mendoſus ſit, ignoratur; ſed mendum eſt leve. Affinitas utriuſque vocis, *Searim* שְׂעֹרִים, hordeum, & *Adaſim* עֲדָשִׁים, lens, quæ in Hebreo perſimilibus literis ſcribuntur, errandi occaſionem Amanuenſibus præbuit. Sunt (10) qui integritatem utriuſque loci defendentes, ajunt, alteram agri extremam oram hordeo, alteram lente ſatam fuiſſe; vel forte in uno eodemque agro ſtrues e manipulia hordei, & e collecta lente poſitas arbitrentur (11). Fruges haſce rapere ſeu comburere conentes Philiſtæos Semma, opem ferente Eleazaro, & forte etiam Jesbaamo, prohibuit. Vide Paralipomena, ubi hujus agri defenſio tribuitur Eleacaro: verum, uti jam monnimus, verſiculus ad Semmeam pertinens omiſſus eſt.

Ỳ. 13. NACNON ET ANTE DESCENDERANT TRES, QUI ERANT PRINCIPES INTER TRIGINTA; ideſt facile (12), tres illi viri fortiſſimi, Jesbaam, Eleazar, & Semma, convenerant Davidem in ſpelunca Odollam, cum eo ſe recepit David, urgentibus Philiſthæorum armis, paulo poſt Jeroſolymæ expugnationem (13). Putaſſe videtur Vulgatæ Author, tres hoſce Principes adiviſſe Davidem, latentem in ſpelunca Odollam, antequam Rea ſalutaretur (14). Animadverrit enim eo veniſſe, ante ea quæ hie narrat. Sed hanc opinionem narrarionia ſeries evertit, Bellum enim, de quo hie, eerte capta Jeroſolyma geſtum eſt. Quod vero in præcedentibus verſiculis narratum eſt, prævenit tempus victoriæ Davidis de Goliath relatæ. Igitur Hebreus Textus ferr tantum (15): *Deſceaderunt tres inter Schaliſchim, & venerunt ad meſſem ad David ad ſpeluncam Odollam*. Pro *ad meſſem*, in Paralipomenis eſt עַל הַצּוּר *ad petram*; quæ lectio emendatior videtur. Prona enim ſermonis ſeries fert, veniſſe illos ad Davidem *ad petram*, & *ad ſpeluncam Odollam*, vel ad ſpeluncam rupis Odollam. Si autem Textus indieare voluiſſet tempue meſſis, eliis verbis uſus fuiſſet. Interpretum plures (16) arbitrantur, tres hoſce viros Davidem ad ſpeluncam Odollem convenientes, ipſiſſimos fuiſſe, de quibus mox egetur; cujus tamen opinionis certa argumenta nulla ſuppetunt. Vix enim rei natura fert, ut res eb illis geſtæ narrentur, antequam eorum nomina eaprimantur.

Ỳ. 14. ET DAVID ERAT IN PRÆSIDIO: PORRO STATIO PHILISTHINORUM TUNC ERAT IN BETHLEHEM. Abſtinendum ſibi tune cenſuit David a manu eum Philiſthæis eonſerenda (17); receperat ſeſe in ſpeluncam Odollam ad meridiem Jeroſolymæ: copias opperiebatur auxiliares, & imperium Dei, ut prælium iniret. Caſtra habebant Philiſthæi in valle Gigantum, inter Jeroſolymam & Bethlehem, validoque præſidio communierent Bethlehem, ut exereitum ſuum ab ea parte, ubi David imminebat, tegerent.

Ỳ. 15. DESIDERAVIT POTUM AQUÆ DE CISTERNA. Cenſuit Sanctius, Davidem allegorice loqui, nihilque aliud optaſſe, niſi hæc; Utinam videamus Bethlehem liberam, & e ciſternis ejus aquam bibamus! Bibere equas regionis, exprimir ſæpe, incolere illam, ſedeſque ibi conſtitutas habere (18).

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Sed mentis acumine adeo non valuerunt fortes hi viri, neque eo uſque cogitandum re vera fuiſſe ego quidem eenſuerim. Æſtu & ſiti vexatus David obiter & caſu optavir: *O, ſi quis mihi daret potum de ciſterna Bethlehem!* Norat aquæ hujus pretium, utpote in ea urbe natus. Tres illi heroes nihil cunctati, ne Rege quidem præmonito, recta ſtatim per medios hoſtes ſe ad ciſternem illam contulerunt.

Ỳ. 16. AT ILLE NOLUIT BIBERE, SED LIBAVIT EAM DOMINO. Moru privatæ religionis id præſtitit, quod novum eret & extraordinarium in ſecris Hebræorum cæremoniis, ut ſcilicet effunderet aquam ceu libationem & obletionem Domino. Nimis voluptuoſam rem & ingratam Domino ſe commiſſurum cenſuit, ſi humnrem, qui tam eero ſteterat, potaſſet. Maluit ſacrificium Domino exhibere, obtulitque illi pariter nam, quam gravem tolerabat, ſitim. Perſimilis aquæ effuſionie coram Domino exemplum alterum ſeſe obtulit in primo Libro Regum VII. 6. ubi nos ejuſdem moris ſimilia quædam apud Profanos congeſſimus. Addi hic poſſet, conſueviſſe olim Veteres in conviviis ſuis libationem Diis præmittere ante potum (19). Effundebatur aqua, cum vinum deerat (20).

Dixit, & in menſa laticum libavit honorem.

Idem etiam & in Sacrificiis obtineber. Libationes equa perficiebentur, deficiente vino (21).

Ỳ. 17. NUM SANGUINEM HOMINUM ISTORUM BIBAM? Bibam ea hoc latice, qui cum periculo vitæ hauſtus eſt? Uſurpari ſolet, bibere ſanguinem & ſudorem populorum, pro, diripere eorum bona, atque leboribus eorum diteſcere; illis auferre, quæ cum periculo vitæ, & labore menuum ſibi compareruut, Alexander Magnus bibere re-

[1] 1. Paral. XI. 13. [2] Menoch. Mar. Joſeph. Antiqu. lib. 7. c. 10. [3] Vatab. Sanct. [4] 1. Paral. XI. 27. [5] Ibid. XXVII. 8. [6] ויאספו פלישתים לחיה [7] Ita Septuag. Edit. Complut. Ἐπισυνήχθησαν ἐπὶ σιαγόνα. Vide Bochart. de animal. ſacr. part. 1. l. 2. c. 15. [8] Pagnin. Mont. Vatab. Cleric. [9] 1. Paral. XI. 13. [10] Buxtorf. Vindic. [11] Rab. David, Hugo, Cajet. Vatab. Sanct. [12] Joſeph. l. 1. c. 10. Vatab. Mar. Jun. Malv. &c. [13] 2. Reg. V. 17. [14] 1. Reg. XXII. 1. [15] וירדו שלשה מהשלישים ראש ויבאו אל קציר אל דוד אל מערת עדלם [16] Auth. tradit. Hebr. ad Libb. Reg. Toſt. Hug. Cajet. Sanct. [17] Vide nos ad 2. Reg. V. [18] Virgil. Eclog. 1. [19] Homer. Iliad. H.

Οἶνον δ' ἐκ δεπάων χαμάδις χέον· οὐδέ τις ἔτλη
Πρὶν πιέειν, πρὶν λεῖψαι ὑπερμενέϊ Κρονίωνι.

Virgil. Æneid. VIII. v. 279.

In menſam læti libant, divoſque precantur.

[20] Æneid. 1. v. 740. [21] Vide Homer. Odyſſ. M.

cuſavit oblatam ſibi à milite aquam, quo tempore exercitus univerſus moleſta ſiti cruciabatur. ait Curtius libro VII. *ſicut oblatum eſt, reddito: Nec ſolus, inquit, bibere ſuſtineo, nec tam exiguum dividere omnibus poſſum.* Affirmat Arianus libro VIII. illum effudiſſe aquam coram univerſo exercitu, atque ita oblivionem quamdam induxiſſe omnibus moleſtiæ, qua angebantur, ſitis.

℣. 18. Abisai . . . . princeps erat de tribus. Princeps alterius claſſis heroum, tribus prioribus inferior, & duobus aliis quibus tertius accedebat, ſuperior. Duo iſti ſunt *Banajas & Aſael*. Sunt qui credant, tertii nomen neque hic, nec in Paralipomenis exprimi, & Aſaelem alterum eſſe ab his tribus. Malunt alii (1), omnibus præfuiſſe Abiſai, cui ſecundus erat *Sobati*, qui Gigantem corpore enormem interfecit, & tertius Jonathan filius Semma, de quo actum eſt capite XXI. 22. hujus libri, quique Gigantem ſex digitis in manibus pedibuſque monſtruoſum interfecit. An tertius iſte ſtatuendus eſt Jojada, pater Banajæ, de quo ſtatim, vel Joab, copiarum Davidis Imperator?

℣. 20. Banajas filius Jojadæ viri fortissimi magnorum operum de Cabseel. In Paralipomenis legimus, Jojadam magna, & ingentia perpetraſſe (2). Sed Textus Hebræus (3) de utroque æque commode accipitur. Reddi etiam poteſt: *Banajas filius Jojadæ, filius viri fortiſſimi, magnus rebus egregie geſtis, de Cabſeel*. Legimus alibi, Banajam hunc Sacerdotem fuiſſe. Vide 1. Paral. XXVII. 5.

Ipse percussit duos leones Moab. Quoſnam? Sunt qui credant (4), duos leones, omnino feras, Banajam interfeciſſe, quo tempore Davidem in regione Moab comitabatur. Juvant hanc opinionem, ea quæ proxime poſt hæc narrantur; alterum ſcilicet ex iis interfeciſſe in ciſterna, quo tempore totam terræ faciem nix occupabat. Malunt tamen alii (5), cecidiſſe illum duos Gigantes, qui ſibi nomen uſurpaverant *Arielis*, vel *leonis Dei*, leonum robuſtiſſimorum, quod robore eſſent & animi virtute eximii. Septuaginta explicant pro viri alicujus nomine (6): *Percuſſit duos filios Ariel*. Vatablus exponit de duplici arce, *Ariel* appellata, quas Banajas expugnaverit. Neque alius eſt genuinus hujus loci ſenſus (7). Duo Ariel Moab ſunt utraque Urbs Ar, vel Urbs Ar, ſive Areopolis, Metropolis Moabitarum, ad Arnon conſtituta, quam Arnon mediam perluens, in duas diſtinguebat. Euſebius & S. Hieronymus illam ſub nomine *Arielæ* memorant.

℣. 21. Cum descendisset ad eum in virga. His armis contulit ſe David ad certamen cum Goliath, *virgam ſuam* tenens (8): ſignificavit autem Sauli, ſe interfeciſſe urſos & leones (9), non aliis armis, quam paſtoritiis. Sunt qui baculo armati vel militem ferro munitum non timeant. Vide apud Q. Curtium certamen Dioxippi cum Horrato libro IX. capite 7.

℣. 23. Nominatus inter tres robustos, qui erant inter triginta nobiliores; verumtamen usque ad priores tres non pervenerat. Secundo erat gradu ab Jesbaamo, Eleazaro, & Semma; ſed inter tres Heroes ſecundi ordinis vir erat inclytus; in eo autem ordine primas tenebat Abiſai: ipſique ſimul tres principes erant triginta aliorum nomine, & gloria inferiorum. Seu potius: Inclytus erat inter tres ſecundi ordinis, & diſtinctus maxime inter Schaliſchim, vel Præfectos Davidis. Vox enim *Schaliſchim* ſonat triginta, & Præfectos etiam militares Regum Ægypti, atque Hebræorum.

Fecit eum sibi David auricularium a secreto; a conſiliis penitioribus. Hebræus (10): *Poſuit eum David ad auditum ſuum*. In 1. Paralipomenon XI. 25. S. Hieronymus vertit: *Poſuit eum ad auriculam ſuam*; ibique Septuaginta (11): *Conſtituit eum in familia ſua*. Sunt qui credant, locum dediſſe illi inter viros a conſiliis (12); ſed alii (13) virtutem, & ſtrenuitatem militis rependi potius militaribus dignitatibus exiſtimantes, cenſent conſtitutum fuiſſe a Davide militum cuſtodum Principem, vertuntque: *Poſuit ſuper obedientiam ſuam*; præfecit illis, qui ſibi dicto obſequebantur, juſſiones perficiebant, quique præſto ſemper aderant Regi, ad nutum parati.

In aula Perſarum, Præfecti genus quoddam erat, appellati Auris Regis, qui Principem de omnibus quæcumque acciperent, monebant (14). *Aures Regis, & Imperatorum oculi, quidam homines vocabantur, per quæ officiorum genera Rex ille ab hominibus Deus eſſe credebatur, cum omnia quæ ubique gerebantur, iſte Otacuſtarum delatione diſcebat.* Grandes Midæ aures ideo tribuuntur in fabulis, quod ſcilicet per diſſipatos ubique Exploratores nihil eorum, quæ agerentur, ignoraret (15).

℣. 24. Asael . . . . . inter triginta. Maluerim ego reddere Hebræum עשהאל בשלישים *Aſael inter Schaliſchim*; vel inter duces præcipuos copiarum Davidis, e numero eorum, quorum hic cenſus recitatur. Idem eſt Aſael, qui gladio Abneri interfectus eſt (16).

℣. 25. Semma de Harodi. Eumdem eſſe credo, ac *Semma Araritem*, inter tres principes heroes tertium ℣. 11. Patriæ tamen illius nomen longe aliter ſcribitur. Vide eumdem locum. Vereor ne confuſio aliqua & repetitio in caput iſtud irrepſerit. In 1. Paral. XI. 27. legitur *Sammoth Arorites*, ſive juxta Hebræum *Sammath Arodites*; ibidem ℣. 44. *Samma & Jehiel filii Hothan Arorites*, ſive *Aroerites* juxta Hebræum; & ℣. 33. *Jonathan filius Sage Ararites*. Plane conſtat *Sage* & *Age* unum eumdemque eſſe virum; probabile eſt etiam vocem *Semma* in ℣. 33. Paralip. intercidiſſe, ſicut & in ℣. 34. legendum eſſe eo modo quo legit ℣. 44. niſi forte corrigendum maluerimus illud *Hothan* verſiculi 44. ſuſtituendo ejus loco *Joathan*, ſicut legitur in verſiculo 33. Cæterum *Arori*, *Aroeri*, *Arodi* unius ejuſdemque rei ſunt vocabula. Notus eſt locus certus *Aroer* in transjordanis; ſed de *Aradi* nihil occurrit, niſi forte idem ſtatuatur cum *Arad* urbe in Phœnicia ad mediterraneum.

℣. 26. Helles de Phalti; vel Helles Phalonites, 1. *Paral.* XI. 27.

℣. 27. Mobonnai de Husati; vel Sobbocbai Huſathites, 1. *Paral.* XI. 29.

℣. 28. Selmon Ahohites; vel *Ilai Ahohites*, 1. *Paral.* XI. 29.

℣. 29. Heled; Hebræus, *Cheleb*. Sed in 1. Paralipomenon XI. 30. appellatur *Cheled*.

℣. 30. Heddai. Aliter *Hurai*, 1. *Paral.* XI. 32.

℣. 31. Abialbon; aliter *Abiel*, 1. *Paral.* XI. 32.

Azmaveth de Beromi; aliter, *Aſmoth Bauromites*, *ibid.*

℣. 32. Filii Jassen, vel filii Aſſem Gezonitæ, 1. *Paral.* XI. 33.

Jona-

[1] Author tradit. Heb. in Libb. Reg. Lyr. &c. [2] 1. Paralipom. XI. 22. *Banajas filius Jojada viri fortiſſimi; qui multa opera perpetrarat, de Cabſeel.* [3] בניהו בן יהוידע בן איש חי רב פעלים מקבצאל הוא הכה את שני אריאל מואב, Maſſoretæ volunt legi איש חיל [4] Toſt. Sanct. [5] Joſeph. Antiq. lib. VII. cap. 10. Προκληθεὶς γὰρ ὑπ' ἀδελφῶν διασήμων ἐν τῇ Μωαβίτιδι χώρᾳ. Author. tradit. Hebr. Gloſs. Lyr. Cajet. &c. [6] Ἐπάταξε τοὺς δύο υἱοὺς Ἀριήλ. [7] Iſai. XXIX. 1. [8] 1. Reg. XVII. 43. [9] 1. Reg. XVII. 34. [10] וישימהו דוד אל משמעתו Septuag. Κατέστησεν αὐτὸν Δαυὶδ πρὸς τὰς ἀκοὰς αὐτοῦ. Aqu. Ἐπὶ τῆς ὑπακοῆς αὐτοῦ. *In obedientia ipſius, vel ſuper eos, qui illi obediebant.* Sym. Ἐπὶ τῶν ὑπηκόων αὐτῷ. *In ſubditos illi.* [11] Septuag. Κατέστησεν αὐτὸν . . . . ἐπὶ τῆς πατριᾶς αὐτοῦ. [12] Munſt. Hebr. Caſt. Strigel. Mart. [13] Jun. Tremel. Belg. & Angl. Verſ. [14] Apul. lib. de Mundo. Vide Briſſon. de Regno Perſ. l. 1. [15] Cononis Narrat. narratione 1. [16] 2. Reg. II. 23.

Jonathan. Addit primus Paralipom. xi. 33. *filium* fuiſſe *Sage Araritæ*. Sage iſte Ararites filium alterum habuit *Sammam*, de quo ſupra ℣. 11.

℣. 33. Ajam filius Sarar Aroritæs. In 1. Paralipom. xi. 34. *Abiam filius Sachar Ararites*.

Semma de Orori. Supra ℣. 11. occurrit *Semma filius Age de Arari*; & in ℣. 25. *Semma de Harodi*. Suſpicor repetita quædam in capita hæc irrepſiſſe. In 1. Paralipomenon xi. 27. legitur *Sammoth*, *Arorites*, vel *Arodites*, uti ferr Hebræus; & ℣. 44. *Samma & Jebiel*, *filii Hotham Arorites*, vel, ut Hebræus, *Aroerites*; ac denique ℣. 34. *Jonathan filius Sage Ararites*. Planum igitur eſt, *Sage* & *Age* unum eſſe eumdemque virum, ac merito arbitramur, nomen Semma intercidiſſe in ℣. 34. Paralipomenon, atque in eodem ℣. 34. legi oportere, uti in ℣. 44. niſi corrigendum cenſeamus nomen *Hotham* ℣. 34. ſubſtituto in ejus locum nomine *Jonathan* ex ℣. 34. Quod attinet ad locum *Arari*, vel *Orori*, vel *Orodi*, quæ nomina unum eſſe idemque credo, varie ſcriptum occurrit, modo ההררי *Haharari*, modo החררי *Acharari*, & modo הערערי *Haarari*, vel *Haroeri*, vel ההרדי *Haharadi*.

Situs loci ignoratur, niſi hæc nomina deducantur ex *Arado*, urbe Phœniciæ, vel ex *Aroer* trans Jordanem.

℣. 34. Eliphéleth, filius Aasbai. Aliter, *Eliphal filius Ur*. 1. *Par*. xi. 35.

℣. 35. Hesrai; vel *Heſro*. 1. *Par*. xi. 37.

Pharai de Arbi; vel *Naarai filius Aasbai*. 1. *Par*. xi. 37.

℣. 36. Igaal filius Nathan; aliter, *Joel frater Nathan*. 1. *Par*. xi. 38. Joel, vel Igaal educatus fuerat, & forte etiam adoptatus a fratre ſuo Nathan; quare patrem adoptione agnovit, quem natura fratrem ſibi dederat. Vel potius, Joel fratris ſui Nathani filiam duxerat, qui Nathan nullum fortaſſe marem e liberis reliquerat: quod ubi contingat, edicit Lex, ut puellæ hæredes e familia ſua virum ſibi adſciſcant: neque Lex prohibet connubium patrui cum fratris filia.

Bonni de Gadi; aliter *Mibahar filius Abarai*, 1. *Par*. xi. 38.

℣. 39. Urias Hethæus, Bethſabeæ vir.

Omnes triginta septem, comprehenſis tribus principibus, & tribus alterius ordinis, ac deinde reliquis Schaliſchim, quorum egregia facta ignorantur. Hic nomina ſex & triginta ſolummodo recenſentur; ut enim animadvertimus ad ℣. 18. nomen tertii viri illuſtris e ſecundo ordine hic & in Paralipomenis ſiletur. Præter ſeptem & triginta hos Schaliſchim Davidis, alii etiam ſexdecim adduntur in Paralipomenis. Cur hic omittantur, ignoramus. In cenſum hic non referuntur Joab, Imperator copiarum Davidis, & Amaſa Imperator deſignatus: ordinem illi tenebant hiſce omnibus ſuperiorem.

CAPUT XXIV.

David univerſum Iſraelem cenſeri jubet; cujus inane ſtudium immiſſa lue punitur. Gad Propheta edicit, ut altare Domino erigat; ac lues ceſſat.

℣. 1. ET addidit furor Domini iraſci contra Iſrael, commovitque David in eis di- A. M. 2987. ante J. Chr. 1017.
centem: Vade, numera Iſrael, & Judam. 2. Dixitque rex ad Joab prin-
cipem exercitus ſui: Perambula omnes tribus Iſrael a Dan uſque Berſabee, & nume-
rate populum, ut ſciam numerum ejus. 3. Dixitque Joab regi; adaugeat Dominus
Deus tuus ad populum tuum, quantus nunc eſt, iterumque centuplicet in conſpectu
domini mei regis: ſed quid ſibi, dominus meus rex, vult in re hujuſcemodi? 4. Ob-
tinuit autem ſermo regis verba Joab, & principum exercitus, egreſſuſque eſt Joab,
& principes militum, a facie regis, ut numerent populum Iſrael. 5. Cumque per-
tranſiſſent Jordanem, venerunt in Aroer ad dexteram urbis, quæ eſt in valle Gad:
6. Et per Jazer tranſierunt in Galaad, & in terram inferiorem Hodſi, & venerunt in
Dan ſilveſtria. Circumeunteſque juxta Sidonem. 7. Tranſierunt prope mœnia Tyri,
& omnem terram Hevæi, & Chananæi, veneruntque ad meridiem Juda in Berſabee:
8. Et luſtrata univerſa terra, affuerunt poſt novem menſes, & viginti dies in Jeruſa-
lem. 9. Dedit ergo Joab numerum deſcriptionis populi regi, & inventa ſunt de
Iſrael octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium: & de Juda, quin-
genta millia pugnatorum. 10. Percuſſit autem cor David eum, poſtquam numeratus
eſt populus: & dixit David ad Dominum. Peccavi valde in hoc facto: ſed precor,
Domine, ut transferas iniquitatem ſervi tui, quia ſtulte egi nimis. 11. Surrexit ita-
que David mane, & ſermo Domini factus eſt ad Gad prophetam, & videntem Da-
vid, dicens: 12. Vade, & loquere ad David: Hæc dicit Dominus: Trium tibi da-
tur optio, elige unum, quod volueris ex his, ut faciam tibi. 13. Cumque veniſſet
Gad ad David, nuntiavit ei, dicens: Aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua:
aut tribus menſibus fugies adverſarios tuos, & illi te perſequentur: aut certe tribus
diebus erit peſtilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, & vide, quem reſpondeam
ei, qui me miſit, ſermonem. 14. Dixit autem David ad Gad: Coarctor nimis: ſed
melius eſt, ut incidam in manus Domini (multæ enim miſericordiæ ejus ſunt) quam
in manus hominum. 15. Immiſitque Dominus peſtilentiam in Iſrael, de mane uſ-
que ad tempus conſtitutum, & mortui ſunt ex populo, a Dan uſque ad Berſabee,

ſeptuaginta millia virorum. 16. Cumque extendiſſet manum ſuam Angelus Domini ſuper Jeruſalem, ut diſperderet eam, miſertus eſt Dominus ſuper afflictione, & ait Angelo percutienti populum: Sufficit: nunc contine manum tuam: erat autem Angelus Domini juxta aream Areuna Jebuſæi. 17. Dixitque David ad Dominum, cum vidiſſet Angelum cædentem populum: Ego ſum, qui peccavi, ego inique egi: iſti, qui oves ſunt, quid fecerunt? vertatur, obſecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei. 18. Venit autem Gad ad David in die illa, & dixit ei: Aſcende, & conſtitue altare Domino in area Areuna Jebuſæi. 19. Et aſcendit David juxta ſermonem Gad, quem præceperat ei Dominus. 20. Conſpicienſque Areuna, animadvertit regem, & ſervos ejus tranſire ad ſe: 21. Et egreſſus adoravit regem prono vultu in terram, & ait: Quid cauſæ eſt, ut veniat dominus meus rex ad ſervum ſuum? Cui David ait: Ut emam a te aream, & ædificem altare Domino, & ceſſet interfectio, quæ graſſatur in populo. 22. Et ait Areuna ad David: Accipiat, & offerat Dominus meus rex, ſicut placet ei: habes boves in holocauſtum, & plauſtrum, & juga boum in uſum lignorum. 23. Omnia dedit Areuna rex regi, dixitque Areuna ad regem: Dominus Deus tuus ſuſcipiat votum tuum. 24. Cui reſpondens rex, ait: Nequaquam ut vis: ſed emam pretio a te, & non offeram Domino Deo meo holocauſta gratuita. Emit ergo David aream, & boves argenti ſiclis quinquaginta: 25. Et ædificavit ibi David altare Domino, & obtulit holocauſta, & pacifica: & propitiatus eſt Dominus terræ, & cohibita eſt plaga ab Iſrael.

℣. 1. ADDIDIT FUROR DOMINI IRASCI CONTRA ISRAEL, COMMOVITQUE DAVID IN EIS. Expende verborum vim ויכת את דוד בהם: furor Domini pravum hoc conſilium ſuggeſſit: cum tamen phraſis hæc ex ſe ſumpta impium quid & blaſphemum inſerat, tribuens Deo malum, quod ab ipſo alienum eſt, uti neque furor eſt ullus in Deo, vertendum videtur: *Et non ceſſavit iraſci Dominus in populum ſuum, quia David, malo illorum, incitatus fuit, ut imperaret: Ite & cenſum univerſi Iſraelis inſtituite*. Vel, uti legitur in 1. Paralipom. XXI. 1. *Conſurrexit Satan contra Iſrael, & concitavit David, ut numeraret Iſrael.* Nomine *Satan* innui Dæmonem crediderunt quidam, alii virum aliquem a conſiliis, incautum & audacem.

℣. 3. QUID SIBI DOMINUS MEUS REX VULT IN RE HUJUSCEMODI? Majori verborum vi mentem hac re ſuam prodit Joabus in Paralipomenis: *Quare hoc quærit Dominus meus, quod in peccatum reputetur Iſraeli?* Hic, quamvis minime Religioni ſtudens, metuit tamen quæ inde conſequutura prævidet mala, conaturque Regem a ſententia deterrere. Quibus ille cæterique viri principes rationibus apud Regem uſi ſint, ſilet Scriptura; narrans ſolummodo, Regis voluntatem contra querelas & ſententias aliorum prævaluiſſe.

℣. 5. VENERUNT IN AROER AD DEXTERAM URBIS, QUÆ EST IN VALLE GAD. Reddi Hebræus poteſt (1): *Caſtra locaverunt in Aroer, ad dexteram hujus urbis, quæ eſt in medio vallis Gad*. Aroer ſita eſt trans Jordanem, ad Arnon, in ditione Gad, & in valle ſecundum Arnon excurrente. Quare deſtinati ad cenſum habendum viri, deſcribere cœperunt a maxime Orientalibus Imperii, trans Jordanem.

℣. 6. IN TERRAM INFERIOREM HODSI. Regio hujus nominis latet. Chaldæus: *Ad terram auſtralem Hodſi*. Septuaginta: *In terram Thabaſon, quæ eſt Adaſa* (2). Alii vertunt Hebræum (3): *In terram recens additam Imperio* (4); vel, *in terram novorum ſubditorum*; quod ſatis convenire videtur regioni Agaræorum, Saulis ætate e ſedibus ſuis pulſorum. Conſule quæ leguntur in 1. Paralipom. V. 1, quæque lucem Textui huic affundere poſſunt: *Filii Ruben in diebus Saul præliati ſunt contra Agaræos, & interfecerunt illos, habitaveruntque pro eis in Tabernaculis eorum, in omni plaga, quæ reſpicit Orientem Galaad*. Situs hujus regionis cum opinione hac plane congruit.

VENERUNT IN DAN IN SILVESTRIA. In Dan ſylvarum, in urbem Dan ad radices montis Libani, prope fontes Jordanis, cujus Urbis nomen frequenter in Scriptura recurrit, utpote quæ extremos limites ſeptemtrionales ditionis Hebræorum ſignat. Author Vulgatæ aliter legit Hebræum, ac nos modo in noſtris codicibus. Ita enim nunc Textus fert (5): *Venerunt in Dan Jaban*. Loci hujus *Jaban* nullibi mentio occurrit; atque diſcrimen, quod apud Septuaginta animadvertitur (6), corruptionem hujus Textus apertiſſime arguit. Legendum ego maluerim, literula in Textu tranſpoſita (7): *In Dan fontem*; unus erat e fontibus Jordanis prope Dan.

℣. 7. TRANSIERUNT PROPE MŒNIA TYRI. Veteris ſcilicet Tyri, in continenti poſitæ, remotæque a nova Tyro, condita in Inſula, ſtadiis circiter triginta, ideſt plena integraque leuca paulo amplius, vel IV. M. paſſibus circiter (8). Hebræus ויבאו מבצר שר *Venerunt ad munitionem Tyri*.

℣. 8. LUSTRATA UNIVERSA TERRA. Tribum Levi ac Beniamin non cenſuerunt (9); quin nec Beniamitarum regionem excurriſſe videntur. Cæterarum vero Tribuum ſatis accurata ſupputatio deducta non eſt. Porro viri in eam rem miſſi cenſum non abſolverunt.

℣. 9. INVENTA SUNT DE ISRAEL OCTINGENTA MILLIA, ET DE JUDA QUINGENTA MILLIA. Theodotion legit: *De Iſrael nongenta millia, & de Juda quadringenta millia*. Diſcrepat ab his plurimum Author primi libri Paralipomenon; retuliſſe enim Joabum ad Regem cenſum a ſe inſtitutum dicit, additque: *Inventus eſt omnis numerus Iſrael mille millia, & centum millia virorum educentium gladium; de Juda autem quadringenta ſeptuaginta millia bellatorum*. Inter duos hoſce numeros ingens adeo eſt diſcrimen, ut præſtare videatur alterutrum

(1) ויחנו בערוער ימין העיר אשר בתוך הנחל הגד (2) Εἰς γῆν Θαβασὼν, ἥ ἐστιν Ἀδασαί. Edit. Complut. Εἰς γῆν Χεττιὶμ Καδής. (3) אל ארץ תחתים חדשי (4) Ita Jun. Tremel. Piſc. Malv. (5) ויבאו דנה יען S. Hieronymus legit יער pro יען (6) Edit. Complut. ſimpliciter, Παραγίνονται εἰς Δάν. Edit. Rom. Εἰς Δανιδὰν καὶ οὐδάν. (7) עין, *fons*, pro יען, quæ vox nihil ſignificat. (8) Strabo lib. 16. Vide quæ diximus de urbe Tyro in Commentario in Joſue XIX. 29. (9) 1. Par. XXI. 6. *Cœperat numerare, nec complevit; nam Levi & Beniamin non numeravit*.

trum deſerere, quam irrito conatu conciliationem tentare: ſæpe enim invita conciliatio dubia & ambages auget, non removet. Si tamen hoc ineas conſilium, uter cenſus præferatur? Expreſſus in Libris Regum utique magis quam alter probandus eſt. Interpres Arabs hunc retinendum cenſuit in Verſione Paralipomenon. Numerus eſt etiam plane moderatus, neque ægre perſuademur, regionem ſexaginta leucarum longitudine, & triginta latitudine patentem, fertilem, cultamque, alere poſſe commode ſexagies vel ſeptuagies centena millia: neque enim minor numerus conſtituendus eſt in Palæſtina, ſi decies ac ter centena millia militum ſtatuantur; experientia enim novimus, militum numerum quintam partem incolarum excedere non poſſe. Hiſce ſi addas Tribus Beniamin & Levi, advenas, ſervoſque, qui in cenſum non referebantur, conſtituenda erunt in Judæa, Davidis ætate, ſeptuagies centena millia circiter. Verum ſi cenſus Paralipomenon teneatur, quo ſcilicet exhibentur quindecies centena ac ſeptuaginta millia idoneorum ad arma, non comprehenſis Tribubus Levi & Beniamin, neque facile etiam ſervis advenisque, mulieribus, pueris, ſenibus; id utique ſummam hominum efficiet adeo immanem, ut fidem omnem ſuperet.

Cæterum novum plane non eſt, mendi alicujus arguere Textum Hebræum, in numeris ac nominibus propriis. Id enim, ante nos, Commentariorum Scriptores agnovere: ac ſiquis contrarium tueatur, ille utique in S. Spiritum afflatoſque illo Scriptores errata refundat, non deputanda revera niſi lapſui temporum diuturno, atque Amanuenſium incuriæ.

Ne vero quis reputet, animadverſiones haſce nos propoſuiſſe, ut labori parcamus, omiſſis argumentis, quibus Scriptores ad varianta hæc concilianda utuntur, potiſſimas hac de re ſententias proponere juvat. Cenſent igitur (1), Joabum, ægre obſequentem juſſionibus Regis (2), accuratam & integram cenſus hujus ſupputationem non exhibuiſſe. Quare diminutam reddidit, ſive quod iniquo eſſet animo, ſive ne Regem terreret, quem ſuſcepti hujus conſilii pœnituerat. Innuitur id in Paralipomenis (3): *Numerus eorum, qui fuerant recenſiti, non eſt relatus in faſtos Regis David*. Credibile eſt igitur, Authorem Paralipomenon numerum illum ſuppleſſe e privatis Commentariis, digeſtis facile a Principibus Iſraelis, cum Joabo deſtinatis, qui majori cura rem perfecerunt, magiſque accuratas ſupputationes privatim inſtituerunt.

Malunt alii (4), numerum, quo cenſus Paralipomenon cenſum Librorum Regum ſuperat, tribuendum eſſe Tribubus Beniamin, & Levi, & facile etiam regionibus nonnullis Iſraeliticis, quarum cenſus prius omiſſus, deinde ſuppletus fuerit. Qui vero in duabus hiſce Tribubus, aliiſque nonnullis ditionis illius regionibus cenſeri poterat numerus ducentorum ſeptuaginta millium; & qui pariter inſtitui poterat hic duarum Tribuum cenſus, poſtquam Joab tabulas cenſus ad Regem detulerat? Id utique nullam veri ſpeciem præſefert. Sagaciores alii (5) putarunt, Joabum in cenſum non retuliſſe viginti quatuor millia, quæ e ſingulis Tribubus David ſub ſignis retinebat, quæque duodecim Ducibus regenda commiſerat, uti in Paralipomenis (6) memoriæ proditum eſt. Porro viginti quatuor millia e ſingulis duodecim Tribubus conficiunt ducenta & octoginta octo millia, adeoque & implent abunde, quæ deſunt in cenſu Libri Regum. Author Paralipomenon agmina hæc in unam ſummam contulit; excludenda vero Author Libri Regum cenſuit: id autem ex arbitrio erat. Verum ſi quis ſyſtematis hujus argumenta poſcat, maxime ambigo, utrum e Scriptura petitum aliquod proferri poſſit; quare in claſſem ſyſtematum hiſtoricorum hoc etiam referetur.

℣. 10. PERCUSSIT COR DAVID EUM, conſcientiæ ſtimulis exagitatus eſt. Sed unde hic ſtimulus? neque enim quidquam adverſus luculentam legis ſanctionem aggreſſus fuerat. Mandat Deus in Exodo xxx. 12. *Quando tuleris ſummam filiorum Iſrael, juxta numerum, dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recenſiti*. Verum hæc ſanctio nonniſi ad Moyſem pertinebat, nec niſi de ſingulari eo rerum articulo lata erat. Edixit tunc Deus, ut ſinguli Iſraelitæ aliquid conferrent pro conſtruendo Tabernaculo Fœderis, atque animadverſurum ſe minitatur in eos, qui tributum hemiſicli in ſingula capita non ſolvant. Sed quid hæc ad Davidem? Tametſi admittamus, Deum ſanxiſſe, ut quoties innovaretur cenſus populi, toties indictus ille hemiſiclus ſolveretur (7); quis tum non ſolutum affirmet? quonam loco Deus omiſſionem hanc queritur?

Qui cum nonnullis reputet (8), Davidem repugnaſſe conſilio Dei, cenſu populi inſtituto, ſpoponderat enim Deus ſeſe tantis illum incrementis aucturum, ut innumerabilem efficeret: is in re ſeria ludat. Quin & Scriptura (9) ſatis diſerte affirmat, Davidem hac Dei erga populum promiſſione inductum imperaſſe, ut viginti ætatis annis minores non cenſerentur; quaſi ſcilicet obſequio quodam fidei a Deo datæ noluerit data opera noſſe accuratum populi ſui numerum, ſed id tantum ſtuduerit, ut ad omnem belli eventum noſceret, quot militibus uti poſſet.

Agnoſcendum eſt igitur, peccatum hoc Davidis totum in imo viri corde ſeſe continuiſſe (10). Faſtus, ambitio, ſuperbia, & inane ſtudium ſciendi numerum ſubditorum ſibi hominum, ac virium ſuarum magnitudinem, amplitudinem imperii, quaſi hæc omnia acceſſio eſſent gloriæ, majeſtatis ac famæ nominis ſui; hæc Davidis crimina fuerunt, & culpa. Viſus eſt ſecreta quadam animi conſcientia ſibi hæc omnia quaſi tribuere, ſpemque ſuam in illis potius quam in Dei ope conſtituere.

℣. 11. AD GAD PROPHETAM ET VIDENTEM DAVID. Hic diu antea Davidi adhæſerat (11); deſtinatuſque videtur a Deo, tamquam familiaris Regis Propheta, in omnibus rebus conſulendus. Prophetas etiam Davidi aſſignant Paralipomena (12), Aſaphum, Hemanum, & Idithun: ſed Prophetæ nomen in his aliter quam vulgari ſenſu accipiendum eſſe arbitror.

℣. 13. AUT SEPTEM ANNIS VENIET TIBI FAMES (13). Triennium legunt Paralipomena (14), & triennium pariter ferunt hic Septuaginta (15), & Codices quidam Arabici. Sunt (16) qui lectionem Paralipomenon defendant; congruere enim magis videtur triennium famis cum tribus belli menſibus, & lue triduana, quam ſeptennium famis. Deus enim propoſuiſſe Davidi videtur per Prophetam mala inter ſe non abſimilia, & æqua proportione duratura. Qui Textum Hebræum hujus

(1) Sanct. Menoch. (2) 1. Par. xxi. 6. *Eo quod Joab invitus exequeretur Regis imperium.* (3) 1. Par. xxvii. 24. (4) Cornel. a Lapide. (5) Vide Jun. Grot. Malv. Boch. de animal. ſacr. part. 1. lib. 2. c. 37. (6) 1. Par. xxvii. 1. *Principes familiarum, Tribuni, Centuriones ... viginti quatuor millibus ſinguli præerant.* (7) Ita Hebræi, Cajet. Toſt. Munſt. Grot. Tirin. Eſt. Ita Joſeph. Antiqu. lib. 7. c. 10. (8) Oleaſt. in Exod. xxx. 12. (9) 1. Par. xxvii. 23. *Noluit autem David numerare eos a viginti annis, & inferius, quia dixerat Dominus, ut multiplicaret Iſrael ſicut ſtellas cæli.* (10) Ita Ambroſ. lib. de Pœnit. c. 9. Aug. lib. 22. c. 62. contra Fauſt. Interpp. paſſim. (11) 1. Reg. xvii. 5. (12) 2. Par. xxxv. 15. (13) Ita Hebr. Chald. Vulg. Joſeph. Antiqu. lib. 7. c. 10. (14) 1. Par. xxi. 1. 2. (15) Ἡ' τρία ἔτη λιμοῦ. Vide Magrii Ἀπολογίαν. 1. Par. xxi. 12. (16) Boch. de animal. ſacr. part. 1. l. 2. c. 35.

loci (1) tuentes, conciliare cum Paralipomenis conantur, ajunt, Deum triennalem quidem famem Davidi propoſuiſſe in pœnam inanis ſtudii; tres autem hoſce famis annos, conjunctos totidem aliis toleratæ jam famis, ex crimine Saulis in Gabaonitas, quibus acceſſit ſeptimus alius annus ſabbaticus, qui illos excepit, & quo, vetante lege, meſſes omnes vacabant; omnes, inquam, hoſce annos ſeptennium conficere. Scita eſt utique hypotheſis, in qua tamen plura, ſed argumentis deſtituta, affirmantur.

℣. 14. Melius est ut incidam in manus Domini, quam in manus hominum. Verbis hiſce David excludit bellum, & poteſtatem, quam Deus daturum ſe minitatur hoſtibus ſuis, ut per triennium in ditione ſua ſæviant; manibus tamen Dei ſeſe committit: inter famem vero & luem delectum Numini permittit. Seu potius luem præfert, quam appellat *manum Domini*, quod gravem manum Domini magis ſentiant, & agnoſcant homines ex lue cæteriſque morbis, quam ex reliquis malis, quorum homines & exteriores cauſæ quædam origo ſunt & inſtrumenta. Lues autem commune eſt malum, Regum æque & privatorum, Principum non ſecus ac vulgarium hominum. Luem Deus ad arbitrium immittit. Bellum & famem æque omnes non ſentiunt. Vitari poſſunt hoſtes, poteſt & fames; quorum mala divites & viri minus quam vulgares plerumque ſentiunt. Sed lues nemini parcit.

℣. 15. De mane usque ad tempus constitutum. Ideſt, ab altero mane poſt diem, qua David optionem accepit, atque inde per tres dies (2), uti Gad propoſuerat, & Rex aſſenſus fuerat. Mitior tamen fuit pœna, quam ut toto præſtituto tempore ſævierit; ineunte enim triduo cœperat, ac nonniſi poſt tres dies abſolvenda erat: ſed Deus miſertus populi ſui, ante exitum tertiæ diei pepercit (3): *Pœnituit* (4), ait Scriptura, vel juxta Vulgatam, *miſertus eſt ſuper afflictione, & ait Angelo percutienti populum: Sufficit*. Diſſidium eſt inter Commentariorum Scriptores de illo: *Tempus conſtitutum*. Accipiendum cenſuit Bochartus (5) de certa diei hora, uti de veſpertina vel meridiana, vel hora cœtus orationis gratia; adeout lues ſpatium diei non exceſſerit. Septuaginta (6): *A mane uſque ad horam prandii*. Chaldæus: *A tempore quo mactatur juge* [ſacrificium], *quouſque adoleatur* [incenſum]. Syriacus & Arabs: *Uſque ad horam diei ſextam*, vel uſque ad meridiem. Sed priorem interpretationem, ut magis literæ ſervientem & planam, retinendam cenſemus.

℣. 16. Erat Angelus Domini juxta aream Areuna Jebusæi. Areuna, alio nomine *Ornan* (7), vel *Araniah* (8), cognomen obtinuit Jebuſæi, facile quod e vetuſtis incolis Jeroſolymæ fuerit, tranſivitque ad ſacra Judæorum, atque ita fundos ſuos & domum ſervaverit. Ædes autem habebat in monte Moria, ubi deinde Templum Jeroſolymitanum erectum eſt (9). Porro montem illum deſtitutum fuiſſe incolis, ex eo deducimus, quod Areuna aream ibi poſſideret, ubi triticum excutiebatur. Areas ejuſmodi parari conſueviſſe in aperto agro, eoque comportari manipulos e locis vicinis ad trituram, jam ſatis conſtat. Moria tunc intra Urbis ambitum non continebatur. Angelum ſuper hunc montem David intuitus eſt, ſuſpenſum inter Cœlum, & terram, paratumque inferre gladium in novam urbem Sion, & veterem Jeroſolymam; audivitque facile datam e Cœlo vocem, inclamantem: *Satis eſt, ne cædas*; vel forte reputavit Deum Angelo imperaſſe ne cæderet, quod ſcilicet reducentem gladium illum in vaginam aſpexerit.

℣. 17. Ego sum qui peccavi. Ita fatetur David, antequam aſpiceret Angelum vaginæ gladium reſtituentem. *Dixit* ponitur hic pro *dixerat*. Nulla ne criminis hujus culpa populus aſpergebatur, & Deus inſontem populum punire poterat pro Regis peccato? Reponimus, I. Iſraelem facile in culpam veniſſe ejuſdem cum Rege ambitionis, ſibi blanditus, gloriatuſque viribus atque frequentia gentis ſuæ, non relata earum rerum in Deum gloria. Cum tamen de peccato populi nullum ſuppetat documentum, nefas eſt utique illi adſcribere culpam, cujus in Scriptura non accuſatur. II. Satis eſt, unum Davidem peccaſſe, ut Deus animadverſioni ſuæ Iſraelem univerſum ſubjiciat. Altum enim animo Principis vulnus infligitur, cum ſubditus illi populus cæditur, viribuſque ac numero minuitur. Reſpublicæ ac Regna perinde ſunt ac corpora organis ſuis cohærentia. Cum quodpiam ex illis patitur, membra omnia anguntur; nec membrum aliquod tangitur, quin ſimul conſenſu quodam tangatur & caput. Si peccatum populi ultionem in ſe Dei provocat, quis magis quam Princeps punitur? Et ſi crimina Principis e Cœlo flagellum cient, ſane populus cæditur (10).

Quidquid delinquunt Reges, plectuntur Achivi.

℣. 18. Constitue Altare Domino in area Areuna. De tempore erecti a Davide Altaris duplex eſt ſententia. Cenſent quidam, Angelum exterminatorem juſſum fuiſſe manum a cæde remittere, uti narratum eſt ſupra ℣. 16. antequam Ara excitaretur, eamque erectam credunt poſt ceſſationem luis, in actionem gratiarum. Qui vero cenſent, ſtetiſſe luem primum poſt oblationem ſacrificii, nec niſi anticipatione quadam referri ea, quæ in ℣. 6. narrantur; illi utique docent, ſacrum hoc fuiſſe expiatorium, & a Davide deſtinatum ad veniam criminis, quod luem provocaverat, impetrandam. Opinio hæc æquior videtur; ita enim David mox Areunam affatur: Veni, *ut ædificem Altare Domino, & ceſſet interfectio, quæ graſſatur in populo*. Nondum igitur lues ceſſaverat. Ante primum illud Sacrificium David aſpexerat Angelum exterminatorem minitantem urbi, ſtatimque primas illas preces obtulit, ſuperius relatas ℣. 17. *Ego ſum qui peccavi: iſti, qui oves ſunt, quid fecerunt?* Angeli ultoris aſpectus Regis animum adeo concuſſit, ut imparem ſe intelligeret, qui ſeſe Gabaonem uſque conferret, ad offerenda ſacrificia euchariſtica poſt cædis remiſſionem (11). Venire non potuit niſi ad eamdem aream Areunæ, ubi prius ſacrificaverat. Sedulo autem diſtinguenda ſunt duo hæc ſacrificia, ut Regum libri cum Paralipomenis concilientur.

Cæterum nihil eſt cur miremur, ſi hic exhibetur erectum Altare in area Areunæ, & in loco procul ab Arca & Tabernaculo. Hæc enim omnia juſſu Dei fiunt: per eam autem ætatem mos adhuc liber obtinebat offerendi ſacrificia in editis locis Sion, Nobe, Gabaone, dummodo uni Deo & non alteri litaretur.

℣. 22. Habes boves in holocaustum, et plaustrum, et juga boum in usum lignorum. Hebræus (12): *En boves in holocauſtum, & trabes ad tri-*

[1] Vatab. Jun. Malv. Uſſer. Munſt. [2] Toſt. Menoch. Cornel. Jun. Malv. Salian. [3] Dionyſ. Cajet. Vill. Sanct. Lyran. Tirin. Hebræi. [4] וינחם יהוה אל הרעה Theodor. Καὶ μετεμελήθη Κύριος ἐπὶ τῇ κακίᾳ. Septuag. Aqu. Sym. Παρεκλήθη, *Revocatus eſt*. [5] Bochart. de animal. ſacr. p. 1. l. 2. c. 38. [6] Ἀπὸ πρωΐθεν ἕως ὥρας ἀρίστου. Ita Theodoret. qu. 37. Ambroſ. in Pſalm. 37. Joſeph. lib. 7. c. 10. Origen. homil. 16. in Num. [7] 1. Paral. xxi. 15. [8] Hic v. 18. in Hebr. ארניה [9] Vide 2. Paral. iii. 1. *Cœpit Salomon ædificare domum Domini in monte Moria, in loco quem paraverat David in area Ornan Jebuſæi.* [10] Horat. Epiſt. lib. 1. Ep. 2. [11] 1. Paral. xxi. 28. *Videns quod exaudiſſet eum Dominus, in area Ornan Jebuſæi, immolavit ibi victimas. (30.) Et non prævaluit ire ad altare, ut ibi obſecraret Dominum, nimio enim fuerat pavore perterritus, videns gladium Angeli Domini.* [12] ראה הבקר לעלה והמרגים וכלי הבקר לעצים

trituram, *& vaſa bovis in ligna*. Septuaginta (1): *Ecce boves in holocauſtum, & rotæ, & vaſa boum in ligna*. Joſephus (2): *Vomeres & boves*. Addunt Paralipomena (3), oblatum fuiſſe pariter frumentum in oblationes tritici, vel farinæ, quæ adjuncta ſunt ſacrificiorum. Hæc omnia tempore meſſis geſta ſunt; & Areuna verſabatur in area ſua cum quatuor filiis, frumentum purgantibus, quo tempore Angelum exterminatorem aſpexerunt. Hinc merito quis colligat, non ab uno Davide Angelum viſum, ſed faciſe toti Jeroſolymæ perſpicuum fuiſſe.

℣. 23. Omnia dedit Areuna Rex Regi. Obtulit illi, atque ut acciperet, rogavit: noluit tamen David niſi pretio emere. Sed cur Regis titulo hic donatur Areuna? Sunt qui (4) Regem fuiſſe Jebuſæorum ante captam Jeroſolymam credant; vel ſaltem genus duxiſſe e vetuſtis gentis illius Regibus (5); vel denique opibus & authoritate Regia apud ſuos polluiſſe. Fieri ne tamen potuiſſe credimus, ut Scriptura, Areunam frequenter adeo hic & in Paralipomenis commemorans, nunquam ſive hic, ſive in Paralipomenis, niſi ſemel tantum in præſenti, Regium illi titulum adderet, ſiquidem revera regnaſſet (6)? Septuaginta, Syriacus, Arabs, & Codices plures Latini impreſſi ac manuſcripti titulum hunc Regis Areunæ datum neglexerunt; neque adſcriptum illum exhibebant Paraphraſes Chaldææ, ætate Kimchi, ſæculo ſcilicet duodecimo; ac denique nihil tale legitur in Paralipomenis. Hæc omnia in eam nos perſuaſionem inducunt, vocem *Rex* incuria Amanuenſis alicujus huc irrepſiſſe. Sed præſtat, ſalva Hebræi integritate (7), Textum ita reddere: Ecce boves in holocauſtum, & boves ad comburendum; *Areuna, o Rex, omnia dat Regi* (8); omnia tibi Rex offert. Familiare eſt Hebræis, obſequii gratia, tertiam perſonam pro prima uſurpare.

℣. 24. Emit David aream et boves, argenti ſiclis quinquaginta. Hiſce omnibus emendis pretium ſolvit librarum octoginta circiter, ac ſolidorum quinque, computatis in ſiclum xxxii. ſolidis, denariis ſex monetæ noſtratis. In 1. Paralipomenon xxi. 25. legimus, Davidem dediſſe *ſiclos auri, juſtiſſimi ponderis, ſexcentos*; ideſt, ſiclo aureo in undecim libras, totidemque ſolidos, novem denarios cum quadrante, computato vi. m & dccccxxx. libras circiter. Qui ſicli aurei pondus duplo majus argenteo conſtituunt, illis eſt utique æſtimatio hujus ſummæ dimidio augenda. Utcumque autem hæc ſupputatio ducatur, diſcrimen erit ſemper inter duas ſupputationes Regum & Paralipomenon ampliſſimum. Optima ratio conciliandi utrumque, hæc ſuccurrit (9): David primum quidem nihil emit aliud, quam aream & boves Areunæ, qui argenti ſiclis quinquaginta ſteterunt. Deinde certior factus, Deum in hoc ſibi monte Templum deſtinaſſe, totum pariter ab Areuna emit, pretio dc. ſiclorum aureorum. Cenſent Judæi, locum hunc emptum fuiſſe communibus duodecim Tribuum ſumptibus, quarum ſingulæ in eam rem contulerint quinquaginta ſiclos auri, ex quibus ſumma ſexcentorum ſiclorum conficitur. Verum luculenter affirmat Scriptura, Davidem totum hoc pretium ſolviſſe. Cenſuit Bochartus (10), in Libris Regum rem eſſe de ſiclis aureis, in Paralipomenis de ſiclis argenteis. Æſtimatio auri cum argento collata, erat olim ut duodecim ad unum (11). Itaque quinquaginta ſicli auri duodecies ducti reddunt ſexcentos ſiclos argenti. Textus equidem Regum fert quinquaginta ſiclos argenti, & Paralipomenon ſexcentos ſiclos auri: ſed hæc Scriptorem non deterrent; contendit enim, eam vocem *argenti* in Regibus non metallum, ſed metalli æſtimationem deſignare, ac ſi diceretur: *Emit aream & boves Ornan pretio argenti*; ideſt, *quinquaginta ſiclis* auri, qui reddunt *ſexcentos ſiclos argenti*. In Paralipomenis ſuppletum eſt nomen metalli, nec omiſſus valor quinquaginta ſiclorum auri, cum moneta argentea collatorum. Sed nullo melius argumento tota hæc interpretatio falſi convincitur, quam ipſa vi, quæ ab illa Textui infertur. In majores tricas nos ducit, quam quibus expedimur.

℣. 25. Obtulit Holocausta et Sacrificia, in actionem gratiarum Domino, pro clementia in populum ſuum exhibita. Secundum hoc eſt ſacrificium a Davide ibi oblatum (12). Quiddam narrant Paralipomena (13), quod hic non legitur, lapſum ſcilicet e Cœlo ignem hoſtias omnes abſumpſiſſe.

(1) Ἰδοὺ οἱ βόες εἰς ὁλοκαύτωμα, καὶ οἱ τροχοὶ, καὶ τὰ σκεύη τῶν βοῶν εἰς ξύλα. (2) Antiqu. lib. 7. cap. 10. Καὶ τὰ ἄροτρα, καὶ τοὺς βόας εἰς ὁλοκαύτωσιν χαρίζεται. (3) 1. Paral. xxi. 23. (4) Vatab. (5) Grotius. (6) Bochart. de animal. ſacr. part. 1. l. 2. c. 38. (7) הכל נתן ארונה המלך למלך (8) Joan. Cleric. in hanc loc. (9) 2. Paral. iii. 1. *Cœpit Salomon ædificare domum in monte Moria, qui demonſtratus fuerat David patri ejus, in loco quem paraverat David*. (10) Bochar. de animal. ſacr. part. 1. l. 2. c. 38. (11) Plato in Hipparcho. (12) Vide ſupra ℣. 18. (13) 1. Par. xxi. 26.

FINIS SECUNDI LIBRI REGUM.

IN TERTIUM ET QUARTUM

LIBROS REGUM

PROLEGOMENON.

DUO poſtremi Regum Libri olim apud Hebræos perpetua ſerie juncti in unicum coaleſcebant; ſed cum prolixior videretur Liber, idcirco ſucceſſu temporis Judæis ex unico duos efficere, bipartito Opere, ad noſtram imitationem, viſum eſt. Priori parti nomen manſit: *Primus Regum*; alteri inditum: *Secundus Regum*; apud Septuaginta vero inſcribuntur *tertius & quartus Regum*. Ab Origene laudantur ſub nomine *Librorum Regnorum*; quamquam a Judæis in fronte Operis poſita animadvertit priora verba Textus tertii Libri: *Vammelech David* (1). Ex qua Origenis relatione duo colligimus: I. Ambos hoſce Libros unum adhuc tum conſtituiſſe in exemplaribus Hebræis: II. Nondum apud Judæos inſcriptum fuiſſe Opus, *Libri Regum*. Ipſa etiam S. Hieronymi ætate, ex quatuor Libris Regum Judæi duos tantum conſtituebant (2); uti & in hodiernis Hebraicis Bibliis duo hi poſtremi perpetua Textus ſerie junguntur; quamquam ad initium quarti novæ marginales notæ capitulis recenſendis appoſitæ ſunt, & in ſuprema paginarum ora ſcriptum legitur: *Primus Regum*, & deinde *ſecundus Regum* (3). In Græcis vetuſtis Scholiis animadvertitur (4), correctiſſima Septuaginta Exemplaria eumdem, quem nos, terminum ſecundo Regum Libro conſtituere, ducto tertii exordio ab hiſtoria Abiſag Sunamitidis: ſed Diodorus & Theodoretus poſt Davidis obitum inſtituunt.

Utriuſque Libri Author ignoratur; levibus tantum conjecturis res agitur, quibus nihil magis quam perſpicuitas, & probabilitas deſideratur. Sunt qui Davidem rerum a ſe geſtarum Scriptorem credant; cui ſane hiſtoriæ in ipſo tertii Regum exordio finis imponitur. Malunt alii variis totum Opus Scriptoribus tribuere, uti Prophetis Jeremiæ, Iſaiæ, Regi Ezechiæ, quorum ſinguli coævam ſcripſerint hiſtoriam. Laudant in eam rem illud (5): *Reliqua ſermonum Ezechiæ, & miſericordiarum ejus ſcripta ſunt in viſione Iſaiæ filii Amos Prophetæ, & in Libro Regum Juda, & Iſrael*. Leguntur etiam capita quædam in Iſaia (6), & Jeremia (7), quæ ſimul recurrunt in quarto Libro Regum; unde conjectura ducitur, tum Propheticum librum, tum eas narrationes unius eſſe ejuſdemque Scriptoris fœtum.

Nos vero in ea ſumus perſuaſione, ea quæ apud Iſaiam de hiſtoria Ezechiæ leguntur, aliena manu & ex quarto libro Regum ſuppleta fuiſſe, quemadmodum in Commentariis in eumdem Prophetam demonſtrabimus. Nec tamen facile negaverim, ſcripſiſſe Jeremiam Commentarios quoſdam Regni Ezechiæ, ut in Paralipomenis expreſſum legimus. Hi tamen Commentarii, non ſecus ac Annales Regum Juda, & Iſraelis, in eodem Scripturæ loco laudati, interciderunt. Idem judicium de poſtremo capite Jeremiæ, e poſtremo quarti Regum ducto, ferendum eſt. Hiſtoriam enim refert nulla contextus ſerie cum ſuperioribus ejuſdem Prophetiæ partibus cohærentem. Quin & ante illam hæc leguntur verba: *Hucuſque verba Jeremiæ*; quibus verbis finis impoſitus Operi hujus Prophetæ, & alienum opus inde continuari, ſatis aperte demonſtratur.

Vulgo creditur Eſdras hiſtoriam hanc ſcriptis tradidiſſe: nam unius ejuſdemque Scriptoris Opus eſſe, multis argumentis demonſtratur. I. Stylo exarata eſt conſtanti; ac perpetua rerum geſtarum geſtarum ſeries per totum Opus regnat. II. Scriptori ad manus erant veteres Commentarii, quos & laudat frequenter, & lectores non raro ad illos remittit, profeſſus ſe compendio retuliſſe, quæ fuſius ibi narrantur; unde phraſes non raro occurrentes: *Reliqua verborum &c. ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum Regum Juda*, vel *Iſrael*. III. Scribebat vel ipſa ſtante captivitate, vel poſt, quippe qui in poſtremo capite quarti Regum illam apertiſſime exprimat. Alibi etiam narrat (8), ſua ætate adhuc decem tribus in Aſſyria captivas teneri, pœnas luentes criminum, & Oracula Prophetarum ea de re implentes. IV. Nonnulla obſervat quandoque, & repetit ſummatim; quæ omnia indicia ſunt Authoris non coævi, ſed qui veterum monumentorum fidem ſecutus, prius meditatur, quæ ſcribat. Vide 4. Regum XVII. 6. &c. uſque ad 24. ubi narrata ever-

---

(1) Origen. apud Euſeb. Præpar. l. 6. c. 11. Ἐν τῷ τρίτῃ τῶν Βασιλειῶν. Et apud eund. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. Βασιλειῶν τρίτη καὶ τετάρτη, ἐν ἑνὶ Οὐαμμέλεχ Δαβίδ, ὅπερ ἐστὶ, Βασιλεία Δαβίδ. (2) Hieron. Prolog. Galeat. *Tertius ſequitur Samuel, quem nos Regnorum primum, & ſecundum dicimus. Quartum Malachim, qui tertio, & quarto Regum volumine continetur.* (3) Vide Bibl. edit. Rabbinic. Venet. impreſſ. anno 1564. (4) Vide nov. edit. Hexapl. t. 1. p. 348. 349. & Theodoret. qu. in 3. Reg. p. 299. (5) 2. Par. XXXII. 32. Vide, ſi placet, Theodoret. Præfat. in Quæſt. Lib. Regum (6) Iſai. XXXVII. & XXXVIII. collata cum 4. Reg. XIX. & XX. (7) Jerem. LII. 1. collatum cum 4. Reg. XXIV. 18. & XXV. 1. & ſeq. (8) 4. Reg. XVII. 23.

everſione Regni decem Tribuum per Salmanaſarem, & translatione in Aſſyriam earumdem Tribuum, ubi ſua etiam ætate captivæ tenebantur, docet, populum illum refractarium jam inde a facta ex Juda ſeceſſione, nunquam ab idololatria, cæteriſque criminibus ceſſaſſe; fruſtra miſſos identidem a Deo Prophetas, quorum perſuaſionibus ad ſaniora conſilia revocarentur. Quare, inquit, cum in impietate animum obfirmatum haberent, neque ſceleri modum aliquem imponerent, id commiſerunt, ut tandem rejecti a Deo, in poteſtatem hoſtium permitterentur: hinc unum tantum in Palæſtina Regnum Juda Hebræis manſit. Sed, addit, neque Judæ melior fuit in Deum fides; peſſimum enim Iſraelis exemplum ſecutus, meruit tandem, ut ſimili pœnæ ſubjiceretur; ex quo factum eſt, ut Iſraelitarum genus omne Deus tandem abjecerit. Hæc ſane omnia animadverſiones ſunt Authoris, poſt captivitatem Judæ, & decem Tribuum ſcribentis, cui tota rerum cataſtrophe ſub oculis verſaretur. v. Scriptor munus Sacerdotis omnino geſſiſſe videtur: quare hiſtoriam politicam non ſatis accurate narrans, ac breviter ea tradens, quæ rerum expeditionum granditatem, militum virtutem, atque penitiorem politices artem commendant, fuſius proſequitur ea, quæ ad Templum, Religionem, cæremonias, Solemnia, cultum Domini, pietatem Principum, conſtantiam Prophetarum, pœnas criminum, & præmium Juſtorum pertinent. Gloriæ domus Davidicæ ſtudet in primis. De Regibus Iſraelis veluti aliud agens & in decurſu locutus, curas ſuas omnes vertit rebus Regni Judæ narrandis. Hæc animadverſione digna in eo Opere occurrunt, quod ad capiendam de Scriptore conjecturam pertinet.

Porro characteres hi omnes nemini melius, quam Eſdræ conveniunt; cui ſane nullus non congruit; quare Operis Scriptor probabiliter haberi poteſt. Fatemur quidem, occurrere quædam ab ætate Eſdræ aliena, uti quæ (1) narrantur de Arca Domini adhuc in Templo manente; quæ (2) leguntur de ſeparatione duorum Regnorum Judæ, & Iſraelis, quaſi utraque adhuc ſubſiſterent; uti & duo menſium nomina Sif, & Bul (3) occurrunt, neque Hebræa, neque Chaldaica, ac tandem a ſermone Eſdræ ætate vernaculo aliena. Tandem Author ſuæ ætatis hiſtoriam ſcribere videtur, ac raro perſonam coævi Scriptoris deponit. Quid hæc porro ad Eſdram?

Sed hæc facile conciliantur, ſi ita digeſtum Opus ad Eſdra dixerimus, ut non raro ex veteribus monumentis non hiſtoriam modo, ſed & verba deſumpſerit, atque in ſuum Commentarium transtulerit. Quæ indoles eſt ſinceri Scriptoris, & veracitatis argumentum apertiſſimum; tanta enim religione fidem hiſtoriæ in veteribus monumentis narratæ ſervavit, ut ne verba quidem mutaverit.

Tertius Liber Regum hiſtoriam complectitur cxix. annorum, nempe ab A. M. 2989. uſque ad 3108. Poſt narratum ibi Davidis obitum, & Regni Salomonis hiſtoriam, fuſius exponuntur ea, quæ ad conſtitutionem Templi ædiumque Regalium pertinent; nec ſilentio premitur mira Regis ſapientia, cum regia plane magnificentia conjuncta, ejuſdemque lapſus ſane miſerabilis. Tum Regnum ſub Roboamo diſſinditur; decem Tribus Jerobo amo adhærentes, Idololatriæ ſe dedunt. Juda, Beniamin, & Levi in fide Roboami manent. Succedit expeditio Seſaci Regis Ægypti, a quo Templum diripitur. Nec Jeroboami res quietas eſſe ſinit Baaſa, Regnum Iſraelis occupans. Excidium Baaſæ Jehu prædicit. Achab conjugem adſciſcit impiam Jezabelem, totuſque in exitium Prophetarum vertitur. Sub eo Rege Elias floret, gloria miraculorum in toto Iſraele clarus. Jezabelis furorem declinat; regreditur tandem, atque trucidandi Pſeudo-Prophetas Baalis in Monte Carmelo, populo eſt author. Benadad Rex Syriæ copias ad obſidionem Samariæ ducit; ſed mox reducere cogitur. Nabot juſtus, impia Jezabele moliente, neci traditur. Achabus commiſſo cum Syris prælio, mutatis licet veſtibus ut lateret, gravi tamen vulnere confoditur. Hæc ſumma tertii Regum.

[1] 3. Reg. VIII. 8. [2] 3. Reg. XII. 19. [3] 3. Reg. VI. 1. & 38.

TA-

TABULA CHRONOLOGICA

TERTII LIBRI REGUM.

2989 DAvid Abiſag ducit uxorem. Adonias Regnum affectat. Ungitur Salomon, cui
David Templi ædificationem commendat. 3. *Reg.* i. & 1. *Par.* xxviii. xxix.
2990 David ſeptuagenarius obit. 3. *Reg.* ii. & 1. *Par.* xxix.
2991 Connubium Salomonis cum filia Regis Ægypti. Gabaonem proficiſcitur, ibique a
2991 Deo ſapientia donatur. Cauſam duarum mulierum ita cognoſcit, ut ſapientiæ ſuæ
argumentum palam exhibeat. 3. *Reg.* iii. & 2. *Par.* i.
2992 Legatio ab Hiramo ad Salomonem miſſa. Ab eo Rege impetrat Salomon opifices
& ligna in ædificium Templi. 3. *Reg.* & *ſeq.*
2992 Conditur Templum circa medium hujus anni. 2. *Par.* iii. & 3. *Reg.* vi.
2993 Semei fugit. 3. *Reg.* ii. 39.
3001 Templum abſolvitur An. 3000. & dedicatur An. 3001. 3. *Reg.* viii. & 2. *Par.* v.
Ab A. vi. vii.
3001 Salomon ædificat ſibi ædes. 3. *Reg.* ix. & 2. *Par.* vii.
ad 3012 Dat Hiramo urbes, quibus nomen datum eſt Terræ Chabul. 3. *Reg.* ix. & 2. *Par.*
Eodem viii.
cir. tem. Iter Reginæ Sabæ 3. *Reg.* x. & 2. *Par.* ix.
Salomon in idololatriam labitur. 3. *Reg.* xi. 4.
3029 Salomon obit. 3. *Reg.* xi. & 2. *Par.* ix. Roboamus ſuccedit.

REGES JUDA.

3030 Roboamns bellnm molitur in Joroboamum. 3. *Reg.* xii. 2. *Par.* xi.

3033 Seſac Rex Ægypti urbem diripit, & Templum Jeroſulymitanum. 3. *Reg.* xiv. & 2. *Par.* xii.

3046 Roboamus obit. *Ibid.*

3049 Abias arma infert in Jeroboamum felici eventn. Obit. 3. *Reg.* xv. 2. *Par.* xiii.

Ab A. Aſa tranquillo & pacifico Regno utitur.
3049 2. *Par.* xiv. uſque ad tempus belli in Za-
ram, anno Regni ſui quintodecimo. 2.
ad *Par.* xv. 10.

3063 Zara Rex Æthiopiæ, ſen potius Arabiæ, in illum movet, ſed vincitur ab Aſa. 2. *Par.* xiv.

3066 Aſa inducit Benadadnm Regem Syriæ in ditionem Regni Iſraelis, ut diſtrahat vires Baaſæ, qui Ramam condebat. 3. *Reg.* xv. 17. 18. Acta ſunt hæc anno decimo ſexto Aſæ, & trigeſimo ſexto a ſciſſione utriuſque Regni.

3090 Aſa moritur. Podagra laboravit ab anno 3087. 3. *Reg.* xv. & 2. *Par.* xvi.

3090 Joſaphat ſuccedit Aſæ.

3092 Joſaphat mittit per univerſam ditionem ſuam viros, qui populum doceant. 2. *Par.* xvii.

3107 Fœdus componit inauſpicatum cum Achabo. 3. *Reg.* xxii. & 2. *Par.* xviii.

3108 Bella Ammonitarum, Moabitarum, & Idumæorum in Joſaphat, Regi huic ſecunda. 2. *Par.* xx.

3108 Fœdus init cum Ochozia, qui collatis opibus claſſem mittunt in Tharſis.

3115 Joſaphat moritur. 3. *Reg.* xxii. 51. & 2. *Par.* xxi.

REGES ISRAELIS.

Jeroboamus Sichem condit, ubi cultum vitulorum aureorum conſtituit; cujus rei Deus illum per Prophetam Juda reprehendit. Prophetæ hujus hiſtoria. 3. *Reg.* xii. xiii. 3030

Conſulit Ahiam Prophetam de valetudine filii ſui. 3. *Reg.* xiv. Anno incert.

Jeroboamus obit. 3. *Reg.* xiv. 20. & 2. *Par.* xiii. 20. 3050

Nadab filius & ſucceſſor Jeroboami a Baaſa interficitur. 3. *Reg.* xv. 3051

Baaſa arma infert in Aſam Regem Juda. 3. *Reg.* xv. & 2. *Par.* xvi. Regnum ejus decennio prorogandum eſt, ut concilietur cum 2. *Par.* xv. & xvi. 1. 3064

Baaſa moritur. 3. *Reg.* xvi. 8. 3074

Ela ſuccedit. *Ibid.* quo a Zamri interfecto, idem Zamri regnat. *Ibid.* 3075

Amri eligitur ab exercitu Rex adverſus Zamri; qui in ædibus ſuis igne ſe perimit. *Ibid.*

Thebni & Amri in Regno æmuli: ſuperat demum Amri, & Thebni moritur, A. 3079. 3. *Reg.* xvi. 3079

Amri obit. *Ibid.* 3086

Achabus uxorem ducit Jezabelem. Sub eo Rege Jericho reſtituitur. 3. *Reg.* xvi.

Elias triennalem ſiccitatem prædicit. 3. *Reg.* xvii. 3092

Recipit ſeſe Sareptam.

Redit ad Achabum A. 3096. *Ibid.* xvii.

Fugit, iram Jezabelis declinaturus. 3. *Reg.* xix. 3097

Socium ſibi Eliſæum invitat.

Benadad movet in Regem Iſraelis. 3. *Reg.* xx. 3103

Secundum bellum perinde fatale Syris ac primum. 3. *Reg.* xx. 3104

Hiſtoria vineæ Nabothi. 3. *Reg.* xxi. 3105

Expeditio Achabi in Ramoth Galaad. 3107

Joſaphat Rex Juda, quem ſocium habebat, de vita periclitatur; & Achab interficitur. 3. *Reg.* xxii. 2. *Par.* xviii. xix. Ab A.

Ochozias regnat biennio. 3. *Reg.* xxii. 3106
ab anno 3106. uſque ad 3108. partim ſo- ad
lus, partim cum patre. 3108

DISSERTATIO

DE THESAURIS A DAVIDE SALOMONI RELICTIS.

QUicumque Judæos Principes Reges fuiſſe levis momenti arbitrantur, rati nihil eſſe potuiſſe magnificum illis, qui in populo regnarent obſcuri nominis, & cenſus, cujus ſolæ opes ex proventibus terræ, & gregum conſtarent, nihil ſentirent magnificum, nihil voluptuoſum, nihil niſi humile, inſignium geſtorum gloria raro diſtinguerentur, nec niſi cum tota ditione ſua in prælium armata expeditiones ſuſciperent, ac tandem Regnum haberent anguſtiſſimis finibus contractum, magnis rebus vel cogitandis vel præſtandis impar; quicumque, inquam, ita de Regibus Juda ſenſerunt, falli illos, certiſſimis argumentis in hac Diſſertatione adductis, demonſtrabimus. Immenſæ plane opes a Davide cumulatæ, quæ Templo ædificando ſervirent, eæ ſunt, ut nihil fortaſſe æque mirum Veterum ac Recentiorum hiſtoriæ ferant: quare doctiſſimi quique Scripturæ Interpretes, ii maxime, qui ad ſtudium ponderum & menſurarum, & rei nummariæ Veterum, totos ſe contulerunt, admirationes ea de re ſuas continere vix poſſunt (1). Incredibilis adeo viſa res eſt nonnullis, ut rei granditate exterriti rationes iniverint ſane ingenioſas, quibus immanis hic divitiarum theſaurus ad captum Lectorum reformetur.

Cenſuerunt nonnulli, exaggerationis aliquid in Scripturæ verbis haberi. Sed qui fieri id potuit, cum David etiam atque etiam oblationem ſuam verbis extenuare conetur, eoſque theſauros veluti parſimoniæ ſuæ fructus relinquat? *Ecce ego in paupertate mea præparavi impenſas* (2). An cum per exaggerationem loquitur quiſpiam, numerum unquam certum, fixumque pondus divitiarum & auri determinat? Alii vero mendum irrepſiſſe in numero talentorum ſuſpicantur. Sed quam illi conjecturæ ſuæ rationem afferunt? an Textum aliquem, an Verſiones, an Exemplaria proferunt ulla, quibus ſuſpicionem ſuam fulciant? Pro libito mendum ſuſpicari, & non potius aperta neceſſitate premente, an quiſque permittitur? Actum eſt de integritate Sacri Textus, ſi cum maxime extraordinarium aliquid occurrat, mendum ſuſpicari licuerit. Plerique tandem, relicto talentorum numero, manus inferunt in valorem, theſauri pretium minuentes; ajunt enim, ea quæ David Salomoni legavit talenta, minoris æſtimanda fuiſſe, quam reliqua. Horum nos opinionem in examen revocandam modo ſuſcipimus.

Fatis ceſſurus David, Salomoni filio ſuo, Scriptura narrante, legavit (3) *Auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum*. Præter hæc, e cumulatis a ſe pecuniis reliquit *tria millia talenta auri de auro Ophir, & ſeptem millia talentorum argenti probatiſſimi* (4). Inſuper Principes Aulæ Davidis in opus illud contulerunt (5) *auri talenta quinque millia, & ſolidos decem millia, argenti talenta decem millia*.

Porro argenti talentum omnino valebat III. M. ſiclis, quemadmodum ex teſtimonio Exodi (6) apertiſſime conſtat. Narratur enim ibi, Iſraelitas DCIII. millium & DL. numero, hemiſiclum viritim ſolviſſe; quod ſummam conficiebat ccc. talentorum argenti, & mille ſeptingentorum ac ſeptuaginta quinque ſiclorum. Siclus autem reddit XXXII. ſolidos V. denarios, & tres ex octo denarii partibus. Valet igitur argenti talentum, ad noſtram monetam ſupputatum 4867. libris, tribus ſolidis, novem denariis. Talentum auri pervenit ad 69531. libras, quinque ſolidos monetæ noſtratis. Ita centies mille auri talenta a Davide relicta, ſummam conficiunt 6953125000. librarum, ex auro. Adde his ſummam trium millium talentorum auri ab eodem Davide comparatam, quæ refert 208593750. libras monetæ noſtratis.

Ex argento legavit decies centena millia talentorum, nempe 4867587500. librarum monetæ noſtratis. Præter hæc, obtulit ex reſiduis ſibi pecuniis VII. M. talenta argenti, ſcilicet 34007031 2. libras. Hæc negocium conficiunt; utrum ſcilicet fieri potuerit, ut David tantam argenti, & pecuniæ vim cumularet, immaniſque adeo divitiarum theſaurus totus profundendus eſſet in ea, quam animo complexus fuerat, ædificii mole.

Paraſſe Davidem omnia, quæ ad deſtinatum opus neceſſaria arbitrabatur, neminem in dubium revocaturum credo; ipſe enim ſæpius mentem ea de re ſuam aperuerat (7). Schema etiam, atque totius ædificii modulum Salomoni reliquit; quem ſane reſpondiſſe conceptæ de Deo opinioni, cujus Numini parem, quantum fieri poſſet, domum conſtruere parabat, ne ambigimus quidem. Supremi illius Numinis majeſtatem reſpicere ſe David ipſe profeſſus eſt, cum ea ſe parare ſignificavit, quæ tenuitatis ſuæ modulus pateretur; qua verborum phraſi ſatis expreſſit, nulla ædium majeſtate, quæcumque tandem illa futura eſſet, immenſi Numinis majeſtatem fore aſſequuturum.

Paternum hoc propoſitum expleſſe Salomonem, atque animo conceptam a Davide magnificentiam opere æquaſſe, ſatis conſtat. Quin & multo exceſſit; nam erecti ædificii moles multo fuit auguſtior, quam moduli, & ſchematis a Davide relicti ratio exigeret. Nihil eſt in tota antiquitate magnificentius, nihil auguſtius quam Salomonis Templum. In eo pretioſiſſima metalla, ligna, & lapides rariſſimi profuſi ſunt; nullis ſumptibus parcebatur, ut peritiſſimi Artifices conducerentur, ut exquiſitiſſimi artificii excellentia materiam ipſam vinceret, atque ad invidiam certarent & metalli & artificii præſtantia. Verum his ita conſtitutis, Eruditi noſtrates nunquam tamen in animum poſſunt inducere, tantam divitiarum vim cumulaſſe Davidem, neque totam in opere Salomonem profudiſſe. Immanem ſummam, inquit ex illis quiſpiam, *quæ omnium totius Aſiæ Regum divitias multum ſuperat, ſuffeciſſetque in aliquot centena ſplendidiſſima Templa ædificanda* (8). Nullæ quidem ſuppetebant Davidi avitæ relictæ a Parentibus divitiæ; nec tam immanes præbere poterat ditionis illius anguſtus ſane tractus. Interim cumulaſſe dicitur tantam auri argentique vim, quantam nunquam collegerunt avidiſſimi quique Reges Perſarum, Græcorum, & Romanorum (9). Et quidem, inquit Bretevoodus, opus, quod meditabatur, minus erat, quam tot immenſos ſumptus flagitaret. Ut parietes omnes e fuſo argento conflati fuiſſent, ut eodem metallo totum Templi pavimentum ſtratum eſſet, ut ædificii tectum totum eſſet aureum, eodemque metallo induti interiores

(1) Vide, ſi placet, Budæum lib. 4. de Aſſe: *Fidem res illa habitura non videtur hominum quidem ſenſu, etiamſi authoritati ſacroſanctæ id creditur.* (2) 1. Par. XXII. 14. (3) 1. Par. XXII. 14. (4) 1. Par. XXIX. 4. (5) 1. Par. XXIX. 7. (6) Exod. XXXVIII. 25. 26. (7) 2. Par. XXII. 5. XXVIII. 2. XXIX. 2. 19. & 2. Par. VIII. 16. (8) Joan. Cleric. hic. (9) Bretevood. de ponderibus c. 7.

riores Templi parietes, conflata vaſa in uſum Templi neceſſaria, adjectis etiam ſumptibus in Artifices, adhuc tamen reliqui multum ſuperfuiſſet. Ego quanta potui ſedulitate, addit ille, atque animi contentione dimenſiones omnes Templi expendi, tum & facta comparatione cum auri, & argenti theſauro, qui in opus inſumendus eſſet, ſi omnia auro, argentoque conſtarent, poſt hæc, inquam, omnia, theſauros a Davide relictos ſuperfluère animadverti. Itaque, claudit ille, fateamur oportet, aliud hoc loco ſignificari talentum, quam quod vulgo uſurpatur apud Moyſem, & reliquos Scripturæ Libros. Ita Brerevoodus in ſuo Opere de Comparatione veterum, ac recentiorum nummorum.

Vehementius idem argumentum urgens Mariana inſigni ſtultitiæ elogio donandos cenſet eos, qui Davidis talenta Moſaicis æquare præſumant (1): *Furor profecto, furor, Davidis talenta Moſaicis æquare*. Summam ille reformat ad 1875000000. auri, & totidem forte argenti, quæ in unum collecta, ſummam conficiunt 2550000000. Joſephus difficultatem extorquendæ a Lectoribus fidei ea de re ſentiens, relictam a Davide ingentem auri vim, ac centies mille talenta argenti adnotans, cætera omittit (2). Eupolemus (3) redigit talenta illa ad ſiclorum valorem, ut pro 100000. talentis auri & 1000000. talentorum argenti, par numerus ſiclorum auri argentique ſupputandus ſit. Nec ſane major ſumma, juxta quoſdam Interpretes, ædificando Templo exigebatur.

Maluerunt alii, pondus Sanctuarii, de quo apud Moyſem, duplo pondus commune, de quo impræſentiarum, exceſſiſſe. Addunt, talento auri aliud eſſe pondus quam argenti; & argenti ſiclum duplo aureum excedere. Jacobus Capellius diſtinxit talentum *Statmicum*, nempe Moſaicum, a *Numiſmatico*, quod vocat, minori ſane pondere, & pretio inferiori. Stanislaus Grſerpſius (4) non duo ſolum talentorum genera invehit, nempe commune, & numiſmaticum, quod ſextam tantum partem prioris, & duodecimam talenti Sanctuarii continere cenſet; ſed & alia plura diſtinguit, nempe publicum, privatum, Regale. Addit inſuper, decimam, quandoque duodecimam, centeſimam, & milleſimam talenti partem talentum ſine addito nuncupari. Ita plane amplam ſibi viam inſtruit variis variorum conjecturis, ſummam auri Davidici ſupputantium, adoptandis.

Inter omnes conſtat, talenti nomen non æquale ſemper pretium indicaſſe apud varios populos, penes quos obtinebat. Ægyptium 80. librarum pondus retuliſſe ferunt (5); Romanum 70. Siculum ſex drachmis valebat: Etruſcum 120. libris; Syrum pondere erat 15. librarum, cum 7. unciis & 4. drachmis; Ægineticum decem drachmarum; Alexandrinum 32. librarum, cum tribus unciis; Athenienſe 60. minis valebat, vel 600. drachmis. D. du Cange obſervat, nomen talenti uſurpari interdum pro centum libris, quandoque pro L. & adhuc pro marcho xx. ſolidorum. Homerus tradit, propoſita ab Achille pro ludis Patrocli in præmium fœminam, & tripodem (6); deinde pro ſecundo præmio, equam mulo fœtam; tertio novum ahenum; quarto loco duo auri talenta. Erat igitur horum talentorum (ultimo quippe loco propoſitorum) minor, quam cæterorum omnium, valor. Ibidem etiam in præmium curſus largitur; I. ingentem argenti craterem, eximii artificii, & capientem ſex menſuras; II. vitulum ſaginatum; III. dimidium talentum auri, quod ſane minus valebat quam bos. Virgilius duo talentorum genera, majus nempe, & minus, diſtinguit (7). Vox Hebræa ככר *Kikkar* exprimit maſſam, ſive tortulam auri, argentive. David (8) impoſuit ſibi diadema, e capite Regis vel Dei Moabitarum detractum, quod talenti erat pondere. Quis autem facile credat, ſuſtinuiſſe Regem in capite cxxv. libras Romanas? Merito igitur cum Budæo inferendum videtur (9), talentum Hebraicum, quemadmodum & cætera aliarum gentium, non ejuſdem ſemper fuiſſe rationis ac pretii. Hæ potiſſimæ afferuntur rationes pro minuendis Davidis theſauris, & ad æquioſem ſummam pecuniis illius omnibus redigendis.

Sed eas nihil morati vulgo Interpretes omnes, totam Sacri Textus Hiſtoriam ad literam recipiendam cenſent. Verum quidem eſt, plures inter illos leviter rem perſtrinxiſſe, neque id contuliſſe ſedulitatis, & curæ, quod cæteri de ponderibus, & re nummaria ſcribentes: ſed alii viciſſim plures huic ſententiæ acceſſerunt, non plane imparati; & rei nummariæ licet inſtructiſſimi, adhuc tamen literam Textus excipiendam cenſuerunt, quin prodigiorum numero tantam divitiarum vim crederent adſcribendam. Villalpandus, quem ſane virum imprudentem quidpiam effutiiſſe accuſaverit nemo, non tantum expreſſas in Scriptura pecuniarum ſummas recipit omnes; ſed multum etiam adjeciſſe de ſuo Salomonem in ædificio ejuſdem Templi putavit (10). Impendiſſe enim credit Salomonem centum & octo millia talentorum auri (11), & decies centena millia talentorum argenti (12); quæ tanta auri ſumma erogata ſtatuitur in uno Templi ædificio, omiſſis pecuniis ad mercedem & convictum artificum, & impenſas exoticas. Quare ſi totum illud aurum in maſſam conflatum in quadratum cubicum redigeretur, tanta ejus eſſet moles, ut vix eam caperet conclave x. cubitorum in quadrum, & quinque in altum, argentum vero in ſimilem maſſam redactum, facile totum Sanctuarium occupaſſet, quod xx. cubitis quaquaverſum porrigebatur. Addit idem Author, adhibitos ad ſtructuram Templi 401900. Artifices, ex Iſraelitis, Tyriis, Sidoniis, Ægyptiis conductos, quibus, poſt abſolutum opus, atque congruam mercedem ſolutam, decem ſicli aurei muneris loco adjecti ſunt (13). Præter hæc, Tyriis Opificibus annuatim ſolvebantur 602850. *cori* (14) frumenti, totidem hordei, & menſuræ vini (15), ac totidem olei *ſata* (16). Eadem æqua proportione Sidoniis, & Ægyptiis aſſignata, ſive auro, ſive quacumque demum ratione ſolvenda. Menſæ Regis Tyri conferebat viceſies mille menſuras frumenti, & olei vicenas (17). Singula fuſe proſequitur Villalpandus, quæ nos ultro præterimus, ne ab argumento plus nimio abducamur. Monendum tamen cenſemus, nihil legi in Scriptura de Opificibus Ægyptiis, neque de ſiclis aureis poſt abſolutum opus ſingulis Operariis adjectis. Hæc ab Eupolemo narrantur (18).

Quæ

(1) Mariana tract. de ponderibus. (2) Joseph. Antiqu. l. 7. c. 12. Χρυσίου πολὺ κατεσκευασμένον, καὶ ἀργυρίου ταλάντων μυριάδας δέκα. (3) Eupolem. apud Euſeb. Præpar. lib. 9. c. 34. (4) Grſerpſius de diverſis. ſicl. (5) Vide Plin. l. 33. c. 3. & Budæum de Aſſe. (6) Iliad. ψ. (7) Æneid. 2. Argenti magnum dat ferre talentum. (8) 2. Reg. XII. 30. & 1. Par. xx. 2. (9) Budæus lib. 4. de Aſſe, fol. cx. Edit. Aſcenſian. *Talenti ſignificationem non unam fuiſſe apud Hebræos puto, quomodo & apud alias gentes nonnullas*. Vide ſi placet, Brerevood de ponderib. c. 2. (10) Villalpand. tom. 3. par. 2. lib. de ponderib. & menſur. c. 33. (11) Reddunt, juxta ejus ſupputationem 1817254024. aureos Monetæ Romanæ. (12) Reddunt 1465480000. (13) Decem Sicli aurei ſummam conficiunt circit. 112. libras. (14) Coros capit 298. pintas cum dimidia, ſemiſextarium, & plus aliquid. (15) Menſura ſive Bathus continet 29. pintas cum dimidia, ſemiſextarium, plus aliquid. (16) Satum continet 9. pintas, ac dimidium, ſemiſextarium, quartam pintæ partem, quatuor pollices, & plus aliquid. (17) 2. Par. 11. 10. & 3. Reg. v. 11. (18) Eupol. apud Euſeb. Præp. l. 9.

Quæ de inæqualitate talentorum apud varias gentes adducta ſunt, nihil pro Hebræorum talentis probant; neque enim veſtigium ullum deprehenditur, ſive in Scriptura, ſive in Hiſtoria, varia apud eas gentes, ſaltem ante captivitatem Babylonicam, obtinuiſſe talenta; & apertiſſimo Librorum Moſaicorum teſtimonio probatur (1), Hebraicum talentum valuiſſe ter mille ſiclis. Exemplum Davidis, qui capiti impoſuit diadema talenti pondere, nihil probat, cum forte diadema illud in aere ſuſpenſum ſolio imminens teneretur; vel ſaltem valore erat talnnti, quippe quod divite gemmarum theſauro ornaretur. Cætera omnia loca, ubi ſermo eſt de talenro, ingentem eo nomine ſummam exprimi demonſtrant. Amaſias Rex Juda exercitum emit a Rege Iſraelis C. M. hominum, ſoluto pretio C. talentorum (2). Profecto ſi talentum minus valuiſſet quam tar mille ſiclis, quantum in ſingulos milites impendiſſet? Ammonitæ pro conductis 32000. curribus, ſeu facile 32000. equis currum trahentibus, ſimulque copiis Meſupotamiæ, in regionibus Maacha, & Rohob, & Soba collectis, ſolverunt mille argenti talenta (3). Amri Rex Iſraelis duobus auri talentis montem emit, in quo urbem Samariam ædificavit (4). Cum Sennacheribus ab Ezechia exegiſſet CCC. talenta argenti, & triginta auri (5), pius ille Rex ingenti ſummæ conficiendæ, non Æraria modo Regia & Sacra excuſſit, ſed laminas etiam aureas evulſit, quibus Templi fores veſtiebantur. Giezi poſtulatum venit e Naamano, falſo obtendens Eliſei nomen, duo argenti talenta (6), quæ Naaman deferenda tradidit dnobus domeſticis ſuis, duplici ſacculo onuſtis. Profecto ſi ea pecuniæ ſumma & pondus minora fuiſſent, quam quæ Giezi ſuſtinere poſſet, conducebat viro ſecum nmnia ferre, ne fortn res in cognitionem Eliſei veniret. Captæ a Necao Rege Ægypti Judææ tributum imperatum eſt centum talentorum argenti, & unius ex auro (7); quam ſummam ut conficeret Joachim, extraordinarium vectigal imponere populo, nt pro viribus quiſque ſolvernt, coactus eſt. An & Scriptura hęc narrare, & Rex ad eas anguſtias redigi potuiſſet, ſi ralentum multo minus fuiſſet quam Moſaica? Manahem Rex Iſraelis annuum tributum (8) mille talentorum Phul Regi Aſſyriæ ſoluturus, quinquaginta ſiclis ditiſſimos quoſque ſuæ ditionis, cæteros vero ſingulos pro eorum facultatibus, cenſuit. Talentum igitur Hebraicum modicam illam ſummam profecto non conficiebat, quam contrariæ ſententiæ Authores comminiſcuntur; neque varii apud illos fuiſſn valoris vel legimus unquam, vel conjectura aſſequimur, cum ſemper ingentem pecuniæ ſummam reddat.

At enim talentorum Davidicorum ſumma immanis erat, & multo, quam quæ ædificando Templo exigeretur, major. Grandem fuiſſe pecuniam fatemur; ſed impenſis non ſane minoribus æquanda erat. Profecto ſi totum illud aurum argentumque, authore Villalpando, pro interioribus Templi ornamentis, ſacriſque vaſis erogatum fuit, tantum abfuit, ut David majora ſumptibus præſtaret, ut multo etiam minora reliquerit. Sed eſto, concedamus Brerevoodo, hanc auri argentique immenſam vim aureo, argenteove penitus Templo, æque ac Salomonico auguſto, conflando ſatis futuram: nonnn ex iis pecuniis merces pendenda erat infinitis propemodum Artificibus, integro ſeptennio in opus inſudantibus? Quantum plane ſolvnndum pro rebus vehendis, pro lignorum ſtrue, lapidibus, marmore, gemmis, aliiſque, quæ nonniſi experti omnia ſcire potuiſſent? Si dimidium hujus theſauri hiſce erogatum dixerimus, minus forte, quam res tulerit, concedamus: tunc autem negocium duplo minoris difficultatis Brerevoodo fiet, atque æquioribus oculis ſummam duplo minorem reſpicies.

Reponunt, fieri nunquam potuiſſe, ut David, nullis avitis facultatibus locuples, in anguſtiſſimo Regno tantam auri vim cumularet. Sed animadvertiſſe oportuit, diutius virum regnaſſe, longe lateque terrorem ſui nominis, atque arma, & victorias, ac tandem Imperium prorogaſſe. Ditiſſimos populos habebat tributo obnoxios, nec ſane multum ſuis commodis inſumebat, ac viciſſim multa ex gregibus, agris, vineis, olivetis referebat. Regnum prorogavit ad XL. annos poſt obitum Saulis; & ſuperſtite adhuc Saule, ipſe valida ſibi manu adjecta, hoſtilem regionem non ſine ingenti præda excurrebat (9). Jura dedit deinde Tribui Juda Hebrone, integro ſexennio; ſucceſſit Regnum in univerſum Iſraelem per XXXIV. annos. Toto eo temporis ſpatio nihil ſibi permiſit reliquum cogendis pecuniis, quibus tunc maxime ſe totum impendit, cum ædificandi Templi Domini conſilium ceperat; quamquam honorem illum ſervari filio, Domino revelante, didicerat. Bellum intulit Syris, Philiſthæis, Ammonitis, Moabitis, Idumæis, & nunquam adverſam fortunam expertus aſt. Regrediebatur enim ſemper non gloria modo, ſed ſpoliis ſuperatorum Regum direptis, raptiſque eorum theſauris ovans. Hæc enim conſtituta tunc temporis belli lex erat, ut devicti Regis theſauri, & tota hoſtilis regionis præda, quin & captivi ipſi, victori Regi manereet. Victos enim hoſtes veluti captivos habebant, quibus ea tantum conditione vita ſervabatur, ut tributa nec modica plane ſolverent. Sed quænam regiones illæ victori tributa pendentes? opulentiſſimæ ſane, & plerumque metalli fodinarum feraciſſimæ. Arabiam totam ſibi fecerat vectigalem: quis autem regionis illius, ac maxime Arabiæ felicis, divitias ignoret (10)? In Idumæa celebrantur apud Profanos, etiam uſque poſt Jeſu Chriſti ætatem fodinæ Phinon (11); celebrantur & Phœniciæ a Moyſe indicatæ (12), & ſucceſſu temporis a SS. Martyribus frequentatæ (13). Cum tandem ſuperato Rege Adareaero totam Syriam ditioni ſuæ David adjeciſſet, immanem ex illa metallorum vim reduxiſſe, Scriptura teſtante, intelligimus (14). Eodem fato ſubjecti ſunt populi Tranſeuphratæi, fœdere juncti Syris, & Ammonitis (15). Tradunt Rabbini Davidem e ſubacta Meſopotamia auri argentique vim ingentem traxiſſe, quod & ſubobſcure indicat Scriptura 2. Reg. X. 18. 19. ferens hunc Regem prælio viciſſe ac ſubegiſſe Syros dn *Rohob* & *Zoba*. Quoad opinionem illam Rabbinorum vide Siphre fol. 38. Maimonidem Hilchot Thercomi Th, cap. 1. Halac III.

Profecto ſi omnia hæc cumulentur, tributa nempe ſubjectarum gentium, ſpolia Regum, Regni ſui jura, & Iſraelitarum vectigalia, rei familiaris parſimonia, cui per eam ætatem non privati tantum, ſed Principes ipſi ſtudebant; ſi, inquam, hæc omnia ſimul ſpectentur, monſtri loco facile non habebitur, ſi immanes hoſce theſauros comparaſſe David aſſeratur. Si quis conferat inter ſe tributa in Scriptura deſcripta, tum & illa, quæ a devictis gentibus Rex exegiſſe creditur, is facile intelliget, ea ſola ratione divitias in immenſum creſcere potuiſſe. Manahem Rex Iſraelis argenti talenta mille Phul Regi Aſſyriorum pendebat

(1) Exod. XXXVIII, 25. 26. (2) Par. XXV. 2. (3) 2. Par. XIX. 6. 7. & 2. Reg. X. 6. (4) 3. Reg. XVI. 24. (5) 4. Reg. XVIII. 45. (6) 4. Reg. V. 22. (7) 4. Reg. XXIII. 33. 35. (8) Reg. XV. 19. (9) 1. Reg. XXVII. 8. 9. (10) Plin. l. 6. c. 28. *In univerſum gentes ditiſſimæ, ut apud quas maxime opes Romanorum, Parthorumque ſubſiſtant.* (11) Vid. noſt. Comment. in Numer. XXXIII. 43. (12) Deuter. XXXIII. 25. (13) Euſ. Hiſt. Eccleſ. (14) 2. Reg. VIII. 7. 8. (15) 2. Reg. XV. 26. 29. & VIII. 3. & 3. Reg. II. 24. & 1. Eſdr. IV. 20.

Digitized by Google

bat (1). Arabes, ea nempe Arabiæ portio, quæ ad oram meridionalem maris mortui pertinet, tributum ſolvebant Joſaphato VII. M. ac DCC. arietes, & hircos totidem (2); Ammonitæ Joathano Regi Juda centum talenta argenti, & decies mille menſuras frumenti, & hordei totidem (3). Rex Aſſyriæ tributom imperavit Ezechiæ CCC. talenta argenti, & XXX. auri (4). Rex Moab tributum dabat Regi Iſraelis centies mille agnos, & totidem lanigeros arietes (5). Quid autem Ammonitarum, Moabitarum, Iſraelis etiam & Juda ſeorſum ſpectatæ ditiooes cum latiſſimo Davidis Regno? Sub eo etenim Principe, promiſſæ Abrahamo a Deo ditionis, fide ſoluta (6), totus fuit tractus inter Mediterraneum, & Nilum; ut ipſa hoſtium Judaici nominis cooſeſſione poſt plura ſæcula adhuc fama Davidis, & Salomonis, tamquam potentiſſimorum Regum, qui fines Regni ſui uſque ad Euphratem prorogaverint, maneret (7). Scimua etiam (8) Meſopotamiam ipſam babuiſſe; qua etiam de re conveniunt Rabbini (9).

Recitantur in Scriptura (10) nomina Præfectorum Davidis, quibus regiæ gazæ œconomia commiſſa erat; unde non futilis conjectura ducitur de immanibus ditiſſimi illius Regis redditibus. Erant enim Præfecti, qui agriculruram curabant, erant & ſuper greges boum, caprarum, ovium, camelorum, aſinorum: ſuper vineas etiam, oliveta & ficus. Studebant autem illi, ur agrorum cultura procederet, ſtata nempe ſervarentur tempora, & maturi fructus colligerentur, vinum & oleum probe ſervarentur, ac tandem ſuo venderentur tempore. Diutinis operis colebantur a ſubditis agri; quod unum erat ex juribus Regum a Propheta Samuele diductis (11). Prærer hæc diurna ſubditorum ſervitia, pendebantur Regi decimæ fructuum & frumenti. Eupolemo etiam authore ſcimus, Davidam inſtructas claſſes miſiſſe *Urphen* in mari Rubro, unde aurum referebat (12). Tandem ille nunquam theſauros ſuos alio diſtraxit; frugi enim erat & modeſtus: *Magnum vectigal parſimonia*.

Quo autem accuratius aliquid de redditibus Davidis intelligamus, theſauros Salomonis, de quibus in Scriptura nonnibil, mente verſare oportet. Porto ille neque potentia erat majori, neque parſimonia: Regnum, quale a patre acceperat, ſervabat; ſingulis autem trienniis claſſem mittebat in Ophir, quæ dives revertebatur CDL. talentis ex auro, lignis, avibus, & rariſſimis animalibus (13). Sed hæc Salomonis Præfecti non gratis comparabant, at pretio auri, ſive mercium permutatione.

Si autem fides ſit Eupolemo, paria ſaltem David præſtabat, cum & ipſe claſſes ſuas mitteret in Ophir, aurum ſolummodo referentes, neque enim ipſe curioſis aliis mercibus ſtudebat. Si vero huic Authori, ex Scripturæ ſilentio, fides denegetur; æquum eſt tamen fateamur, Davidem eas res in ſua regione vendidiſſe, quas Salomon in alienas regiones mittebat. Si quis immanem illam frumeoti, vini, & olei copiam, quam Salomon Tyriis, cæteriſque Opificibus Templi ſolvebat, venditioni expoſuiſſet, quos ſane non retuliſſet theſauros? Parebat Davidi Mediterraneum, ubi tutum, commodumque detineret commercium cum Phœnicibus, Ægyptiis, Syris, & Philiſthæis; ex quo facilis erat via vendendi noo infimo pretio camelos, aſinos, boves, oves, vinum, frumenium, oleum, fructus, non e ſuo fundo tantum, ſed etiam ex tributis collecta.

Irrefragabili Scripturæ teſtimonio compertum eſt, tantum opes Iſraelitarum ſub Salomone crevisse, ut *argentum in diebus illis pro nihilo reputaretur* (14); *& tanta eſſet abundantia argenti in Jeruſalem, quanta & lapidum* (15). Sint autem hæc per exaggerationem & hyperbolice dicta; re tamen immanem Regni opulentiam produnt, fatiſque demonſtraot, ſatis fuiſſe tunc temporis vulgare in eadem regiooe argeotum. Sed nec obſcuro ſunt hæc indicio, Davidem tantam comparaſſe opum vim, quæ Regni miram illam opulentiam faceret. Qui enim fieri potuiſſet unquam, ut Salomoni omnia ſuppeterent, quæ nempe profunderet in ædificia, exercitus, currus, domeſticos, utenſilia, hortos, equos, menſam item Regiam, uxorum copiam, quas totidem Reginas dixiſſes (16), & erga quas adeo ferebatur; qui inquam, fieri potuiſſet, ut poſt ingentes adeo ſumptus, adhuc tamen tot taotique ſupereſſent theſauri, niſi immenſi pene ex patria hæreditate filio proveniſſent? Neque enim filio major erat quam Davidi ditio, ampliores fundi, & proveotus. Quanta quanta autem eſſet Regis opulentia, adhuc tamen vaſtiſſimo operi imparia fuerunt Regis Æraria, cum in ipſo ædificandi ardore CXX. talenta ab Hiramo Rege Tyri mutuo acceperit (17), & poſt obitum Salomoois immodicis vectigalibus oppreſſos ſe ab illo Iſraelitæ conquererentur (18).

Sed eja ad proventus Salomonis explorandos propius accedamus. In 3. Regum x. 14. hæc legimus: *Erat autem pondus auri, quod offerebatur Salomoni per annos ſingulos, ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum, excepto eo, quod offerebant viri, qui ſuper vectigalia erant, & negotiatores, univerſique ſcruta vendentes, & omnes Reges Arabiæ Duceſque terræ*. Hæc DCLXVI. auri talenta reddunt 4629780. libras. Putat autem Villalpandus (19) tantum auri ex tributis devictarum gentium collectum eſſe; quare, inquit, prærer hæc, in Æraria Regia inferebantur ſingulis annis ex vectigalibus duodecim Tribuum MCNXL. auri talenta; inſuper ſiogulis trienniis ex claſſe Ophiretica accedebant CDL. ſive CDXX. talenta auri. Quid vero portoria Iſraelitici, cæterorumque ſubjectorum Regnorum argenti æriſque fodinæ; mercium decimæ, proventus ex Arabia, atque ex Præfectis Provinciarum, qui ſane multum hæc omoia ſuperabant? Quæ cum ita ſe haberent, non plane inviti credimus, Davidem ſolido XL. aonorum Regni ſpatio potuiſſe C. M. auri talenta & decies centena M. argenti in Regios theſauros inſerre, cum & pares haberet redditus iis quos Salomon, & minores plane ſumptus. Conſert ad eam rem teſtimonium Eupole- (20) tradentis, impenſa a Salomone in opus duarum æneatum columnarum, & Templi 4600000. talentorum auri, in elavos vero aliaque opera, 1232. talenta argenti, quæ plane ſumma relictos a Davide theſauros magnopere ſuperat. Sed Villalpandus (21) utramque, & Scripturæ & Eupolemi, authoritatem conciliat, adnotans, Eupolemum Græcum Scriptorem talentum quidem argenti probe noſſe, neſcire vero quid rei eſſet aureum talentum, cujus nulla eſt apud Hiſtoricos Græcos mentio. Quare cum de aureo talento agit, præ oculis habet talentum argenteum Atticum, ad auri pretium redigens totum id, quod in ædificium

(1) 4. Reg. xv. 20. (2) 2. Paralip. XVII. 11. (3) 2. Paralip. XXVII. 5. (4) 4. Reg. XVI. 7. 14. (5) 4. Reg. III. 4. (6) Gen. XV. 18. (7) Eſdr. IV. 20. *Nam & Reges fortiſſimi fuerunt in Jeruſalem, qui & dominati ſunt omni Regioni, quæ trans flumen eſt; tributum quoque, & vectigal, & reddituS accipiebant.* (8) 2. Reg. 2. 16. 19. Pſal. LIX. 1. (9) Rabb. in ſiphee fol. 15. & Maimon. Hilchot Jetumot c. 1. Halac. (10) 1. Par. XXVII. 2. . . ; 32. (11) 1. Reg. VIII. 12. (12) Eupolem. apud Euſ. Præp. lib. IX. cap. 30. (13) 3. Reg. x. 11. &c. (14) 1. Par. 12. 20. (15) 2. Par. x. 27. (16) Cant. v. 7. 8. *Sexaginta ſunt Reginæ, octoginta concubinæ*. (17) 3. Reg. IX. 14. (18) 3. Reg. XII. 4. (19) De Templo. (20) Apud Euſ præp. lib. IX. 6. 34. (21) De Pondes. diſput. 4. lib. 2. cap 35.

ficium Templi erogatum eſt. Talentum Atticum duplo minus erat Hebraico, atque duodecim argentea talenta aurum unum reddebant. Ita 1000000. talenta argentea Hebraica reddunt Attica 2000000. & 100000. talenta auri, per duodecim multiplicata, quo ſumma talentorum argenti reddatur, deinde tota ſumma duplicata, ut talentis Atticis reſpondeat, conficit 2400000.; quod cum Eupolemi calculis congruit. Si quis accuratius aliquid voluerit, Authorem adeat.

Ut ultima Diſſertationi manus imponatur, reliquum eſt, ut exempla ſimilium, quin & majorum divitiarum afferantur. Quidni enim potuerit David, quod alios, nihilo majori cenſu, potuiſſe conſtat? Sardanapalus Rex Aſſyriæ, authore Cteſia (1), in urbe Metropoli obſidione arctiſſima clauſus, cum ad ultimas anguſtias redactum ſe intelligeret, ingentem pyram incendit, cui quidquid divitiarum haberet, totum igne abſumendum tradidit, ne quidquam in manus hoſtium veniret; deinde ſe in pretioſiſſimum rogum conjecit. Abſumpta ſunt eo igne CL. lecti aurei, totidem aureæ menſæ, 1000000. talentorum auri, & decies totidem argenti, cum veſtibus pretioſiſſimis, purpureis pannis, aliiſque id generis. Præter hæc, ineunte obſidione, filios ſuos e Ninive ſubduxerat, dato illis commeatu III. M. talentorum auri. Exaggeret quis modo pro arbitrio ditionis hujus Regis, & Imperii Aſſyrii amplitudinem; contendimus enim, nihilo anguſtiorem fuiſſe Davidicam ditionem, quæ inſuper exquiſitiori cultura ſoli, & incolarum numero, Aſſyriam ſuperabat. Fatetur Joſephus (2), neminem unquam Orbis Principem, ſive apud Hebræos, ſive apud exteros, Davidicis locupletiores theſauros reliquiſſe. Illatas inſuper teſtatur (3) in ſepulchrum ipſius divitias plane ingentes, quas deinde effoſſas & ipſe narrat, & nos alibi in examen revocabimus (4).

Theſauri, quos inventos narrant in novo orbe, fidem ſane adſtruunt iis, quæ de theſauris Davidicis in Scriptura narrantur. In urbe Peruana parietes (5) Templi aureis laminis obducti nitebant, quibus fulgor accedebat ex inſertis ſmaragdis & cyanis. Solis ſimulacrum fulgore pretioſi metalli oculos perſtringebat; fons prope Templum ſpectabatur, cujus tubi & urnæ ſolido auro conflatæ erant. Hortus Templi in urbe Cuſco, auro totus, & argento diſtinctus; iiſdemque nitebant metallis horti Regiæ domus in eadem regione. Innumeræ enim propemodum arbores, plantæ, flores, ex ſolido auro argentoque diſpoſiti erant, nec viliori metallo expreſſa reptilia, aves & cujuſcumque generis animalia. Patebant campi aureis ſeminibus ſati; totam vero ambiebant meſſem aureæ ſepes, ex virgis ejuſdem metalli intextæ. Spectabantur ſtatuæ proceræ hominum utriuſque ſexus, & puerorum; horrea etiam aureum triticum condentia; omnia ex ſolido auro. Vaſa Templi cætero cultui reſpondebant; neque viliora inſtrumenta in uſum agricolarum. Cæterum Fana omnia urbis Peruanæ nihil huic concedebant, uti & parum aberant Regiæ Ynceſiorum ædes, ubi illud ſingulare ſpectabatur, quod continendis lapidibus, pro cæmento, aurum, argentum, & plumbum ſimul fuſa fuerint.

Atabalipa, Peruanus Rex, obtulit Pizarro, Hiſpanorum militum Imperatori, in ſuæ redemptionis pretium, tot auri argentique vaſa, quot continere poſſet ea aula, quo venerant collocuturi, vel, juxta alios, quot caperet atrium quadratum Palatii *Caxamalcæ*, ad eam uſque altitudinem cumulata, quo manus extenta pertingeret. Oblationem accepit Pizarrus, nec promiſſis defuit Atabalipa; quamquam nec his contentus Hiſpanus, Urbe Cuſco direpta, tantam auri prædam hauſit, ut magnopere ipſam Regis oblationem ſuperaret.

Ædes magni Mogolis, teſte Mandeſlo, quatuor circiter leucarum circuitum habebant, nec Regis Æraria minoris, quam 1500000000. nummorum ſcutatorum æſtimabantur: proventus annui, juxta Herbertum, ad 25000000. pertingunt. Sinarum Regi annuum cenſum tribuunt 150000000. ſcutorum; ac memoriæ proditum eſt a P. Grubero, in obitu ejus Principis in eodem illius rogo cremari theſauros ipſius omnes, quos in obitu cujuſdam e noviſſimis Regibus perveniſſe ait ad 4000000000. igne conſumpta. Quæ ſi vera ſint, apertiſſime plane demonſtrant, potuiſſe Davidem XL. annorum ſpatio C. M. auri talenta, & decies centena talentorum argenti cumulaſſe, in ampliſſimo plane Regno, eoque ditiſſimo, tum incolis frequentiſſimo, poſt relatas maxime tam multas de hoſtibus victorias, & opima ſpolia, adjectis tributis, tantaque Regis parſimonia.

Nihil moror divitias tota antiquitate celebratas, Midæ, & Crœſi; facile enim fabuloſa vetuſtas adjecit aliquid veritati. Narrant nihilominus, *Cyrum*, devicta *Aſia pondo* [auri] XXXIV. *millia inveniſſe, præter vaſa aurea* (6) *aurumque factum, & in eo folia, ac platanum, vitemque. Qua victoria, argenti quingenta millia talentorum aſportavit, & craterem Semiramidis, cujus pondus* XV. *talenta colligebat*. Apud eumdem Authorem legimus laquearia, fornices aureos, argenteas trabes, columnas, pilas in ædibus Salaucis Regis Colchidis.

Quod ferendum ſit judicium de theſauris Regum Perſarum, ex Athenæo lib. XII. diſcimus. Aſſurgebat in Regiis ædibus aurea vitis, & platanus; & in cubiculo ad Regii cubilis caput, ſervabantur quinque millium talentorum auri; & in alio conclavi ad cubilis pedes, tria millia ex argento continebantur. Quotidie in aula Regiis impenſis, ac menſa alebantur quindecim hominum millia, erogatis in eam rem CD. talentis in ſingulos dies, nempe 337781950. libris in ſingulos annos, & 925430. in ſingulos dies (7). Rex Artaxerſes vota nuncupans pro incolumitate Atoſſæ uxoris ſuæ (8) coram Junone, ſolemniter fidem ſuam, tacta humo, quæ juriſjurandi ſolemnis eſt formula, obligavit, tantum ſe auri, argenti, purpuræ, & equorum per manus amicorum, & Satraparum in ſacra Templi æraria illaturum, quantum interjectum inter Templum, & Regias ædes ſpatium caperet; porrigebatur autem ſpatium illud ad XVI. ſtadia, nempe MCCC. ac LXXV. paſſus.

Minor eſt hæc divitiarum narratio ea, quam de Alexandri Magni theſauris ferunt Scriptores. Invictus ille Rex ex Damaſcena regione retulit bis mille ac ſexcenta talenta argenti ſignati, & pondus D. talentorum rudis argenti, cum VII. M. equis, ſive mulis onuſtis (9). Cum autem Suſas veniſſet, oblata Regi narrat Arrianus M. D. talenta argenti cuſi: addit Q. Curtius par argenti gravis pondus; ſed Diodorus Siculus perveniſſe hanc ſummam tradit argenti gravis ad XL. M. amplius talentorum, & auri in Daricos cuſi ad IX. millia; Plutarchus vero habet XL. millia talentorum argenti, & purpuræ ad V. M. talentorum.

Occupata Perſepoli, in Regium ærarium illata ſunt CXX. millia talentorum, teſte Diodoro, & Curtio (10). Ex Perſide, & Suſis retuliſſe illum XL. millia talentorum, author eſt Strabo lib. XVI. vel, juxta alios L. millia. Sunt etiam qui ſcriptum reliquerint, totam argenti ſummam Ecbatana redactam, aſcendiſſe ad CLXXX. millia talentorum, præter id, quod Babylonem delatum

(1) Cteſiæ fragment. (2) Antiq. lib. 7. cap. 12. Κατέλιπε δὲ καὶ πλοῦτον, ὅσον οὐκ ἄλλος βασιλεὺς, οὔθ᾽ Ἑβραίων, οὔτ᾽ ἄλλων ἐθνῶν. (3) Idem ibid. & lib. XVI. Antiq. cap. 11. & lib. 1. de Bello cap. 4. (4) Vide 3. Reg. 11. 10. (5) Vide Chevreau Hiſtoir. du Monde tom. 4. lib. 8. chap. 3. pag. 218. (6) Plin. lib. 33. c. 3. (7) Athen. lib. 3. c. 10. & Herodot. lib. 7. c. 117. 118. 119. (8) Plut. in Artaxerſe. (9) Q. Curt. lib. 3. (10) Curt. lib. 5. c. 13.

eſt, & VIII. M. talenta a Darii interfectoribus ſublata.

Poſt prælium ad Arbelam, oblata ſunt Alexandro tria millia talentorum argenti, teſte Arriano, vel VI. M. juxta Curtium, in caſtris Darii inventa. Diodorus libro XVII. teſtatur, in Ærariis Ecbatanorum non minus quam CXX. millia talentorum auri fuiſſe, cum Alexander Urbem invaſit. Plura etiam inveniſſe in theſauris Babylonis inde colligimus, quod ex occupato ibi theſauro, ſingulis equitibus exercitus ſui Rex ſex minas, externis vero equitibus quinas, peditibus duas viritim diſtribuerit (1). His omnibus theſauris inſpiciendis XXX. vel XL. dies inſumptos narrant. Acceſſerunt his ſex millia talentorum argenti ex Paſergade recepta. Erant Dario præterea ſeptem vel octo millia talentorum ab interſectoribus ipſius Regis ſublata. Quamquam vero ea ſumma imminuta, adhuc tamen Æraria victori reſervarunt XIII. millia talentorum, ab Alexandro inter copias ſuas diſtributa. Præfectus Ægypti opima hæc ſpolia DCCC. talentis, & omnibus ſupellectilibus Darii cumulavit. Hæc omnia in unum collecta ſummam excedunt CLXXXV. M. talentorum argenti, relictis theſauris Babylone inventis, & inter milites diſtributis; & CXXIX. M. talentorum auri. Stilus deficit Polybio libro X. magnificentiam pariter & ſuperbiam Regum Ecbatanorum deſcripturo. Cedro omnia, & cipreſſo induebantur; auro etiam vel argento obductæ erant trabes, laquearia, fornices, columnæ porticuum, & periſtylia: aureæ & tegulæ culminis. Harum laminarum pleriſque ætate Alexandri Magni avulſis, plures etiam ſub aliis poſt ipſum Regibus manſerunt; & Antiochus Epiphanes in Templo Deæ Anneæ, ſive Anaidis, columnas adhuc ſpectavit auro obductas, tegulas argenteas, lateres aureos & argenteos longe plures; quæ omnia in pecuniam, ſumma IV. M. talentorum, excudit.

Talenta illa Attica erant, nempe bis mille & CD. librarum monetæ Gallicæ. Porro omnia hæc exempla, adjecta & inſuper amplitudine ditionis Davidicæ, & aliis, quæ Regi ſuppetebant, cogendarum divitiarum commodis, Lectores revocant ad fidem Davidicæ opulentiæ, omnemque removent a Sacris Libris ſuſpicionem corruptionis, & exaggerationis.

DISSERTATIO
DE TEMPLIS VETERUM.

NUlla apud homines Religio ſubſiſtere unquam poteſt ſine cultu aliquo ſenſibili, externarumque cæremoniarum ritu, cujus exercitio, veluti teſſera quadam, veræ religionis cultores inter ſe convenientes ab exteris diſcernantur (2). Quare non immerito credimus, Templa, & loca religioſa, quo ſimul homines ejuſdem Religionis coirent, ipſi Mundo æquæva, pares cum illo natales ſortita fuiſſe; quippe quæ portio ſunt Religionis naturalis, atque ſupremi, & abſolutiſſimi hominum officii neceſſariç quædam conſequutiones.

Templorum tamen neceſſitas non quidem ex Dei natura, ſive inopia aliqua, neque ex ipſius aliquo præcepto conſequitur. Nam ea licet loca Numinis majeſtas inſideat maxime, & clementiç atque præſentiç ſuç majora ibi exhibeat documenta; detrahunt cæteroqui aliquid majeſtati, & gloriæ, quæ ſimul omnia Numine ſuo implet, cum nullis ex ſe limitibus clauſum ad certos quoſdam limites redigere, eumdem qui omnia ſimul unico intuitu luſtrans ubique præſto eſt, intra certi loci anguſtias continere videantur. Quare conſtruendorum Templorum, & nominis illis imponendi, Domorum Dei, primus Author non ſatis auguſte Numinis Majeſtati conſuluiſſe non modo a nobis, ſed & a Profanis ipſis creditur (3): *Non opus eſt, Fana ædificare. Fanum enim quod non ſit magni pretii & ſanctum, nihil eſt exiſtimandum. Nullum autem magni pretii & ſanctum eſt ædificatorum opus, & illiberalium opificum.* O ſtupidi profecto mortales, inquit Heraclitus, dicite quid Numen illud fuerit, quod vos intra murorum anguſtias clauditis? Latetne vos, Deum neque corpore conſtare, neque opus eſſe manuum hominis, ſed totum ſibi Mundum Templi loco dedicaſſe? Privata illa Templa omnia interdixit Plato (4); nam, ait, totus Mundus Diis omnibus commune eſt Templum. Si quę autem ille ædificanda Diis Templa permitteret, ab iis volebat aurum, argentum, ebur, ferrum, æs omne abeſſe. Veteres PP. quibus vitio vertebant Pagani nulla habuiſſe Dei Templa, reponebant, ſe peculiaribus carere, quod unicum haberent verum Dei Templum Mundum univerſum; ſicut & delicias Numinis non loca muris clauſa eſſe, ſed hominum animos. *Nonne*, addit Arnobius (5), *prima, & maxima contumelia eſt habitationibus Deos habere diſtrictos?* Salomon poſt excitatum Numini Templum multo quam cætera quæcumque auguſtiſſimum, ultro fatetur (6): *Cœlum & Cœli Cœlorum te capere non poſſunt, quanto magis Domus hæc, quam ædificavi?* Deus ipſe (7) quid de Templis ſentiendum nobis ſit, docet: *Cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum; quæ eſt iſta Domus, quam ædificabitis mihi? & quis eſt iſte locus quietis meæ?* David conſilium inivit auguſti Domino Templi conſtruendi; Salomon pium illud opus perfecit: *Sed non Excelſus in manufactis habitat* (8).

Noſtræ igitur indulgens tenuitati Deus, noſtriſque commodis ſerviens, orationis loca ſibi conſecrari paſſus eſt, ubi a mortalibus oblata ſacrificia accipiens & vota, dum noſtrorum nos memores ſumus officiorum, beneficia ille impartiri non ceſſet (9). Non idcirco nos Templa excitamus, ut a temporum injuriis, pluviis, ventis, procellis Deum tueamur (10); neque enim Miniſtrorum atque Sacerdotum indigens, eos a nobis repoſcit.

Nos

(1) Minæ valor 97. erat lib. 6. ſol. 10. den. & dim. monetæ noſtratis. (2) Aug. l. 19. contra Fauſt. *In nullum nomen Religionis ſeu verum, ſeu falſum coagulari poſſunt homines, niſi aliquo ſignaculorum, ſeu ſacramentorum viſibili conſortio colligentur.* (3) Zeno apud Clem. Strom. l. 5. (4) Lib. XII. de legibus. (5) Lib. VI. cont. Gent. Vide & Minut. in Octav. (6) 3. Reg. VIII. 27. (7) Iſai. LXVI. 1. 2. (8) Act. VII. 47. 48. (9) *Non propter locum gentem, ſed propter gentem locum Deus elegit.* 2. Macch. V. 19. Vide etiam 2. Paral. VI. 19. (10) *Non idcirco attribuimus Diis Templa, tamquam humidos ab his imbres, ventos, pluviaſque arceamus, aut ſoles, ſed ut eos poſſimus coram & comminus intueri, aſſari de proximo, & cum præſentibus, quodammodo venerationum colloquia miſcere.* Arnob. l. 6. cont. Gent.

Nos ea ratione debitis conſuluimus noſtræ religionis officiis; mentes ibi noſtras ad illum erigimus; inſitamque erga Numen reverentiam & obſequium altius imbibimus. Denique totus cæremoniarum apparatus, & extrinſeca Religionis gloria internę Religioni ſervit; atque viſibile iſtud Templum ædificationem occulti in animis noſtris Templi juvat; ubi ſane in ſpiritu & veritate Deus, qui hoc unico delectatur obſequio, colitur.

Primi illi mortales in Religionis exercitio minus externam pompam faſtumque curabant: cultus erat illis ſimplex, & purus; ſincerior religio, atque in arcano mentis receſſu ſe continens, minus exterius ſeſe prodens. Pii illi & religioſi viri paucis externæ Religionis ſummam complexi, intimis animi obſequiis ſe totos addixerunt. Rara tum temporis loca religioſa, ubi Altiſſimo litaretur; neque uſu adhuc probata Templa, ſucceſſu temporis dedicata (10). Externorum rituum copia nondum intimos pii animi ſenſus, & quod eſt in Religione præcipuum obruerat; neque monſtrum illud adhuc apparuerat, ut quod inferius eſt, potiſſimum locum obtineret. Ante diluvium Aris tantum erectis totum conficiebatur; nec major fuit Religionis apparatus diu poſt ea tempora. Abel, Noe, Abraham, Iſaac, Jacob, viri illi profecto religioſiſſimi, nulla tamen adhuc Templa norant. Altare ſimplex, in loco puro & ſeorſum poſito, erectum, abſque ſimulacris, ornamentis, opibus Deo ſtatuebatur; circum habebat vel lucum vel horrorem aliquem religioſum, vel ſaltem in edito colle eminebat: eo fideles colligebantur, ut officia ſua Domino præſtarent.

Nec magis conſtat, utrum victimarum uſus ante diluvium obtinuerit; facile enim res uſque poſt permiſſam Noemo eſcam ex animantibus dilata eſt. Tum ille conceſſam ſibi etiam facultatem offerendi ſanguinem, & carnem victimarum reputavit. Ante hæc tempora, ex annuis proventibus aliquid Domino dedicabatur, primitiæ fructuum, lac, adeps, & armentorum lanæ. Hæc docet Scriptura de Religione ejus ætatis. Hæc Veteres tradunt, primævam illam Religionem celebrantes, veluti cujus ſanctitati, ſimplicitati, & innocentię nihil eſſet reliquum (2). Altaria olim, canit vetus Poeta, nullo taurorum ſanguine cruentabantur (3). Pecus aliquod de grege neci tradere, ut carnes in eſcam pararentur, nefas habebatur; aberant thura; procul victimæ cruentæ; oletibus litabatur, prius in altum elevatis, veluti ut eſſent in oblationem Authori naturæ, deinde igni impoſitis. Religio hæc adeo frugi facile ſine Templorum, & ingentium molium faſtu miniſtrorumque ſatellitio agebatur. Aræ ipſæ ſimplices, & ſola religione ornatæ. Quam Jacob, viſione recreatus in Bethel, cum iret in Meſopotamiam, erexit, rudi conſtabat lapide, quem ille capiti ſuo ſuppoſuerat. Ex lapide in Altare ſtatim tranſivit, ſimplici oleo dedicatum (4). E Meſopotamia vero rediens, locum reperiit, voti antea nuncupati reus, ibique decimas omnium bonorum perſolvit. E rudi pariter lapide Altaria Domini fabricanda Moyſes edixit (5).

Abraham venerationem conciliaturus Altari a ſe excitato in Berſabee, lucum circa illud ſevit (6); quod ejus ætatis more veluti templi quoddam genus habebatur; eumque locum, religionis atque ſacrificiorum cauſa, una cum tota familia frequenter adibat. An hæc ille e Chananæorum, quibuſcum habitabat, religione derivarit, vel potius intimum animi ductum, Deique intimi momentis imperium in eo luco ſerendo ſecutus fuerit, incertum. Sed plane conſtat, nihil poſt Aras vetuſtius occurrere, quam lucos religioſos. Nihil apertum in Moyſe de Templis; frequenter vero de lucis, Idolis conſecratis. Imperat Iſraelitis, ut Aras omnes ſubvertant, vaſtent lucos, deſtruant monumenta ſacra, ſive Chananæorum ſtatuas; nihil tamen uſpiam habet de Templis: habuiſſet autem, ſi frequentia in regione fuiſſent. Et quidem nunquam legimus, in devictis citra Jordanem regionibus Templa ulla ab ipſo everſa, quamvis totus ille tractus cultui Numinum Phegor, Moloch, & Chamos addictiſſimus eſſet.

Profecto Numinibus illis nulla fuiſſe Templa videntur præter lucos, ſive Ædiculas vel Tabernacula, quibus eorum ſtatuæ circumferebantur, uti Amos deſcribit (7). Sunt etiam, qui in dubium revocaverint, an ſtatuæ ipſæ moribus earum gentium receptæ fuiſſent. Veteres, agentes de primis illis Idolis Arabum, inter quos Moabitæ, & Ammonitæ cenſebantur, illa pingunt tamquam rudes lapides eſſent, ſive ferro expoliti, ſed non in ſimulacrum humanum efficti. Vetuſtiſſima Phœnicum Numina virgæ erant, vel haſtæ, & columnæ in honorem Deorum erectæ (8), ait Sanchoniato. Idcirco, ait Trogus, noſtra ætate obtinet, ut haſtæ ſive ſceptra manibus Numinum imponantur (9): *Nam ab origine rerum pro Diis immortalibus Veteres haſtas habuere*. Apud Joſephum mentio inducitur de columnis pretioſis, in veteri Templo Tyri conſecratis (10). Septuaginta plerumque reddunt vocem Hebræam *Matzaba*, quam alii ſtatuas interpretantur, reddunt, inquam, columnas; quod ſane melius vim originalis nominis exprimere videtur.

Satis etiam conſtat de vetuſtate cultus, ſacris lucis, non minus quam Idolis in iiſdem locis erectis, exhibiti. Gedeon lucum Baalis vaſtavit (11); & Reges Iſraelis & Juda viciſſim plures Numinibus conſecraverunt (12); quos tandem ab aliis Regibus ſucciſos, everſis ſimul Aris & Idolis, ſcimus. Non aliunde ſane oriebantur ſcelera illa, & abominationes, quas non raro Prophetæ Judæis exprobrant. De lucis circa Templa Ægyptiorum poſitis ſermo eſt apud S. Clementem Alexandrinum. Templum Jovis Ammonis circum ambiebat lucus; uti & Templum Carthaginis, de quo Virgilius:

Lucus in Urbe fuit media ....

Quidam etiam luci ſacri in Arabia a Geographis deſcribuntur; inter quos celebratur lucus palmarum, qui ipſiſſimus eſſe vulgo creditur lucus Elim, ubi Iſraelitæ caſtrametati ſunt poſt transfretato Erythræo. Locum, cuidam Numini ſacrum, cuſtodiebat ſuburbiis duplex, mas nempe & fœmina (13). Celebrantur & lucus Daphnes in Scripturis Antiochiæ, ubi oraculum Apollinis, & Dianæ (14). Apud Indos religioſæ erant arbores, quarum ſanctitatem nemo non maxime impius violaſſet (15). Apud Græcos par erat cultus in quercus, & in Oracula Dodonæi. In monte Vaticano, ait Plinius (16), vetuſtior erat Urbe Ilex, ante conditam Urbem ſacra. Erant & vetuſtiſſimæ arbores, vittis redimitæ, quibus ipſe de ſe Arnobius teſtatur, ſeſe ante ejurata Idololatriæ ſacra cultum impendiſſe (17). Priſcis Gallis, quod ſcimus, pro Templis luci tantummodo erant,

(1) Euſeb. Præpar. l. 1. c. 9. (2) Vide Theophraſt. apud Porphyr. de Abſtin. l. 2. & 4. (3) Τοῖσιν δ' ἀκρατοῖσι φόνοις ὐ δεύετο βωμὸς, Ἀλλὰ μύσος τοῦτ' ἔσκεν ἐν ἀνθρώποισι μέγιστον, Θυμὸν ἀπορραίσαντας ἐέδμεναι ἠέα γυῖα. (4) Geneſ. xxviii. 18. (5) Exod. xx. 25. Deuteron. xxvii. 5. (6) Geneſ. xxi. 33. (7) Amos v. 26. *Portaſtis Tabernaculum Moloc veſtro, & Imaginem Idolorum veſtrorum, ſydus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis*. (8) Sanchoniat. ſeu Porphyr. apud Euſeb. Præpar. l. 1. cap. ult. (9) Juſtin. l. 43. (10) Contra Appion. l. 2. (11) Judic. vi. 27. (12) 3. Reg. xiv. 15. 23. xv. 13. xvi. 33. & 4. Reg. xvii. 6. & xviii. 10. & paſſim. (13) Strabo l. 16. (14) Idem l. 16. (15) Q. Curt. l. 5. (16) *Vetuſtior Urbe in Vaticano Ilex, in qua titulus æreis litteris Hetruſcis, religione arborem jam tum dignam fuiſſe ſignificat*. Plin. l. 16. cap. 44. (17) Arnob. l. 1. pag. 22. *Si quando conſpexeram lubricatum lapidem & ex olivi unguine ſordidatum* ... *veternoſis in arboribus tænias*, *ſi quando conſpexeram*, &c.

in quibus erectæ rudi opere ſtatuæ ſuper arborum truncos, pro baſibus conſtitutos (1) ſtabant:

. . . . . *Simulacraque mæſta Deorum*

Arte carent, cæſiſque extant informia truncis.

Germani, rudis olim gens, ſapienter tamen fas non eſſe *cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare ex magnitudine Cæleſtium arbitrabantur* (2). Nec tamen deerat genti Numina, & ſtatuæ, ſed *ex ſtipitibus rudibus & impolito lapide*. Hæc autem ſigna *detracta lucis in prælium ferebant*. Templis carebant, defectum ſupplentibus lucis, quorum horror, & ſilentium pro Deo ab ea gente habebatur. Quot inſuper florentiſſimi populi diu ſine Templis, Aris, & Statuis manſerunt? Cum Celſus in Chriſtianos ſcriberet, Sæculo nempe Chriſti ſecundo, omnis Scytharum, & Nomadum Africanorum, ac Serum religio veterem hanc diſciplinam referebat (3). Eodem jure cenſebantur olim Perſæ, qui ſub dio in editis collibus, non ſtatuis, ſed Cœlo, aut Lunæ, aut Soli, quin & ventis, aquæ, igni, telluri litabant; ratique Deum anima & vita animantis tantum delectari, reliquum victimæ inter ſe dividebant (4). Xerſes & Cambyſes, reparando Numinum honori, quibus irrogatam injuriam dictitabant, cum temeraria religione in Templo clauſa detinerentur, omnia ſubrui Templa alter in Græcia, alter in Ægypto juſſerunt.

Perſarum Templa perquam ſimilia ſunt *Chamanim* Scripturæ (5), quæ loca erant ſub dio, murorum tantum ambitu clauſa, ubi in honorem Solis ignis perpetuus nutriebatur: unde apud Strabonem non raro *Pyreiorum* nomine deſignata ſunt (6). Extant autem in Oriente ex iis ædificiis quædam, veteris ſuperſtitionis documentum, Soli, ut vulgo creditur, conſecrata.

Poſt arbores & lucos nihil, quod ſciam, in Profana religione vetuſtius Ædiculis geſtatoriis, & Laribus. Ex his Laribus creduntur Teraphim Labani. Ad ædiculas referenda cenſeo Tabernacula Moloch, quas Iſraelitæ per deſertum ſecum in itinere detulerunt (7), & Ephod Gedeonis (8), & Michæ (9). Frequens illatum erat in Ægypto uſus. Quotannis ædicula Jovis trans Nilum devecta in Lybiam deferebatur, tum poſt aliquod tempus in Ægyptum reſtituebatur (10). Narrat Q. Curtius libro IV. Sacerdotes Jovis Ammonis Numen aureæ navi, ad utrumque latus plurimis lancibus argenteis appenſis ornatæ, imponere conſueviſſe. Iſidis ſimulacrum geſtabant humeris Sacerdotes, umbella ſerica ſuper caput pendente, nec aliter quam ſuper humerum miniſtri vehebatur Vacca illa Sacra; Miniſtri, inquam, gravi interim paſſu, quaſi Numinis majeſtatem æmularetur, procedentis (11). Apud Baruc VI. 3. ſermo eſt de Numinibus quibuſdam Babyloniis, quæ velo tecta purpureo, ſolemni apparatu circumferebantur. Euſtathius in Iliados I. tradit, conſueviſſe apud Veteres Templa plauſtris impoſita deferri. Hæc ne ad imitationem Arcæ & Tabernaculi Domini, Profanorum moribus uſurpabantur? an Deus genio, indoli, & habitudini Judæorum indulgens, conſecrari ſibi veterem hanc Ægyptiorum ſuperſtitionem voluit, cujus ſuperſtitionis in Ægypto acceptæ illi memoriam alte retinebant?

Ex more deferendi Numina in plauſtris, equis, ſive humeris impoſita, tum & ex domeſticis illis Sacellis, ſenſim obtinuit ingens ille Templorum numerus, ſeu potius ædicularum, thecarum, vel ſellarum geſtatoriarum, quas in tota antiquitate frequentes legimus. In Actis XIX. 24. mentio inducitur de ædiculis argenteis Dianæ Epheſinæ, quarum ingens inſtituta erat Epheſi negotiatio. De ædiculis Plinius frequentiſſime (12); de thecis aureis ab Oſiride dedicatis Jovi, aliiſque Numinibus adeas Diodorum Siculum (13). Apud Herodotum (14) ſermo eſt de ſtatua Solis plauſtro devecta in urbe Papremide, jumentorum officio viris fungentibus. Vetus Jani Templum ædicula erat ænea, quadrata, binis inſtructa foribus æreis, quæ, cum pacatum eſſet Imperium, claudebantur. Porro ænei hujus ſacelli tam ſublime erat faſtigium, ut Numinis ſimulacrum ſtans, ad quinque pedes tantummodo aſſurgens, contineret. Julio Cæſari *aurata ædes ad ſimulacrum Templi Veneris genitricis collocata eſt* (15). Memoriæ etiam proditum eſt de ænea Jovis ædicula (16) Spartæ, & de alia Delphis (17) dedicata; ac tandem de Minervæo Romæ, ejuſdem operis & materiæ.

Fruſtra vero quis certam ædificatorum primitus Templorum epocham quærat. Jam inde a vetuſtiſſima ætate cœpiſſe morem conſtat: ſed ea eſt antiquiſſimarum conſuetudinum indoles, ut originem habeant obſcuram, cujus inductæ honorem variæ ſibi gentes vindicent. Plane ſi eo nomine deſignatum voluerimus locum quemcumque Deo ſacrum (18), vel ille cancellis ſepiretur, vel muris, vel coriaceis ligulis, vel ſub dio expoſitus pateret, vel culmine tegeretur; ſi, inquam, ea omnia nomine Templi uſurpentur, ipſi coæva Religioni Templa credi par eſt. Luci circum Altare ſati; loca Cœli injuriis patentia, & circumſepta, ubi in honorem Solis perpetuus ignis detinebatur; ſepta ſudium, uti de Templo Gaditano Herculis memoriæ proditum eſt (19), & Junonis in Inſula Samo, ad amnem Imbraſum (20), Templi nomine jure cenſentur; non ſecus ac Tabernaculum Dei Iſraelis, junctis ſimul aſſeribus conſtans, atque velamentis opertum. S. Clemens Alexandrinus (21) obtinuiſſe refert apud Sacerdotes Ægyptios, ut Minervæ ædes ædificarent ſine tecto patentia, & abſque ſimulacris. Hęc omnia ſub unicum Templi nomen veniunt. Sed nobis impręſentiarum origo Templorum exquirenda eſt, quę ad modum ædium ædificata, ſuo teguntur culmine, ut ab injuriis Numina tuerentur, quo populi in religionis cœtus coirent.

Templa ſane ita uſurpata ſuam facile debent originem ſimulacris & Idolis; quibus ſpiritale Numen, caducis velatum exuviis, in ſenſibilium rerum cenſum ita redactum eſt, ut culmine Templis impoſito laborandum eſſet mortalibus, ut injurias aeris, & temporis ab eo propulſarent. Porro rudes illi homines aſpectu tantillorum materialium Numinum recreabantur; quare viſum eſt, certo aliquo in loco Deum detinere, ut ſemper hominum indigentiæ præſto eſſet, & obſequiis pervius. Quamdiu aliter de Numine ſenſere, quod nempe immenſum, infinitum, omnia replens loca, & nullibi non præſto haberetur; tunc neque Templa, neque religioſas ædes condere homines laborarunt. Ubique Dei Majeſtas & ſentiebatur, & colebatur.

Cautiorem ea de re populum ſuum fieri Deus Iſraelis voluit, cum ſibi Templum ædificari, poſtulantibus permitteret. Profeſſus eſt enim, ſe Cœlum, & Terram ſuo Numine implere, longeque proinde abeſſe, ut in conſtructis humana induſtria ædificiis contineretur; indulgere ſe tamen voluiſſe inſtabili imperitæ gentis ingenio,

ut

(1) Lucan. (2) Tacit. de Moribus German. (3) Vide Orig. contra Celſ. l. 7. pag. 373. (4) Herod. l. 1. & Strab. l. 15. (5) Levit. XXVI. 30. & 2. Paral. XIV. 4. & XXXIV. 4. Iſai. XVII. 8. & XXVII. 9. Ezech. VI. 4. 4. 6. (6) Strab. l. 15. (7) Amos v. 26. (8) Judic. VIII. 27. (9) Ibid. XVII. 5. (10) Diodor. Sicul. apud Euſeb. Præpar. l. 10. c. 8. (11) Apul. l. XI. Aſini aurei. (12) Plin. l. 36. 5. (13) Biblioth. lib. 1. (14) Herod. l. 2. c. 23. (15) Sveton. in Jul. c. 84. (16) Pauſan. in Lacon. (17) Id. lib. 10 (18) Servius in IV. Æneid. *Templum non ſolum quod poteſt claudi, verum etiam quod palis, aut haſtis, aut aliqua tali re & lineis aut funis, aut ſimili re ſeptum eſt.* (19) Sil. Italic. l. 3. (20) Strabo l. 3. (21) Stromat. l. 5.

Digitized by Google

ut ſcilicet fixum aliquod haberet certumque Templum, neque pro arbitrio per alia finitimarum gentium Numina vagaretur. Unicum tamen ſibi erigi ſtatuit, quo Numinis ſingularitas magis magiſque oſtenderetur. Eo venire juſſit populum ſemel, iterum, ac tertio ſingulis annis, tamquam præſtandis vero & legitimo Domino obſequiis. Cavit tandem, ne alibi quam in Templo ſacrificia offerrentur, etiam atque etiam contra Deorum pluralitatem, atque Idololatriam populum ſuum pręmuniens. Quare Templum illud velut aula Regis, & ſummi totius Iſraelis Moderatoris habendum erat, quo convenire populi in obſequium Regis jubebantur.

Antequam tamen condendi Templi vero Deo conſilium caperetur, plura jam ſibi conſtrui Dæmon curaverat, in Ægypto maxime, conſtitutæ primum Idololatriæ ſede. Sunt etiam qui ante diluvium ædificata quædam aſtris crediderint, quem ſane cultum ab Enos invectum ferunt (1). Templi Deæ Syriæ originem ad Deucalionem, cujus ætate diluvium contigit, referri a nonnullis, Lucianus (2) eſt author. Porro Deucalion non raro pro Noemo uſurpatur; quare vir pius Templorum primus author credendus eſſet. Sed quid Nnemo tribuendum ſit, ex Geneſi VIII. 20. intelligimus: *Ædificavit Noe Altare Domino*, poſt diluvium: nibil hic profecto de Templo. Conſtitutorum in Ægypro Templorum honor Oſiridi tribui a Diodoro libro 1. videtur; narrat enim, Oſiridem, deinde inter primores regionis Deos habitum, Templum erexiſſe auguſtum, & magnificum utrique parenti, Jovi nempe, & Junoni; geminas inſuper ædiculas aureas Jovi conſecraſſe, ampliorem Jovi Cœleſti, minorem alteram Jovi Ammoni; adjeciſſe inſuper alias aureas aliis Numinibus. Arnobius (3) mavult, a Phoroneo, ſive Merope Templa Ægyptia repetenda. Porro Phoroneus Abrahamo coævus creditur ab Euſebio, qui Apim ejus ſucceſſorem circa Iſaaci tempora conſignat. Artapanus (4), Lyſimachus, Joſephus, & Rabbini, Templa jam inde a Moyſis ætate familiaria in Ægypto fuiſſe; ex quibus Templa Athos, & Heliopolis ab Hebræis, cogentibus Ægyptiis, ædificata, Artapanus eſt authors. Addit inſuper, in ipſo articulo ſeceſſionis Iſraelitarum ab Ægypto omnia ſimul regionis Templa corruiſſe, & in obſequium virgæ Moſaicę, de qua mira ferebantur, plures ſimiles virgas Ægyptios in Templis omnibus conſecraſſe. Lyſimachus (5) narrat, Moyſem una cum Hebręorum exercitu templa omnia, quęcumque obvia habuerunt in itinere, ſubruiſſe. Illud Exodi XII. 12. *In cunctis Diis Ægypti faciam judicia* (6), ita interpretantur Judęi, quaſi omnia Ægyptiorum Templa Iſraelitę ab Ægypto ſecedentes ſubverterint. Joſephus (7) ita Deum Iſraelitas alloquentem inducit: Jubeo vos igne, & ferro vaſtare lucos, Aras, & Templa Chananæorum, ut ne veſtigium quidem ſuperſit. De Templo, vel æde Phegor ſermo eſt in Deuteron. XXXIV. 6. & in Joſue XV. 41. Ibidem etiam mentio incidit *Bethſames*, quæ facile nomen a Templo Solis accivit (8). Plura ſub Judicibus occurrunt in Chanaanitide Templa, ut Baal-Berit (9), Dagonis (10), & alterum a Samſone in urbe Gaza ſubverſum (11).

Quamquam hæc ita ſe habeant, illud tamen conſtat, numquam apertam Templorum mentionem apud Moyſem legi; vocem enim *Bethphegor*, ſeu Templum Phegor, in Deuteronomio adjectam eſſe conſtat, cum Opus poſt obitum Legiſlatoris recenſeretur. Sermo apud ipſum tantum occurrit de lucis, aris, collibus, monumentis, & Chamanim, nempe clauſtris Soli dicatis, ubi ignis perpetuus detinebatur; quemadmodum in Leviticum XXVI. 30. animadvertimus. Facile etiam credimus, nulla fuiſſe in Ægypto ea ætate Templa, exceptis ædiculis, vel geſtatoriis thecis, plurimum quidem & forma, & uſu ad Tabernaculum Domini accedentibus. Neque inviti ſuſpicamur, eos, qui vetuſtiſſimam Templis originem aſſeruerunt, vulgarum ſecutos eſſe errorem, quo Religioni, Regno, Urbi, Templo totam vetuſtatem conciliat iis rebus debitam, quibus ipſa ſubſtituta ſunt. Exemplum ſuppetit in Templo Deæ Syriæ, quod, teſte Luciano, alii a Deucalione repetebant, alii a Semiramide, vel Atte, vel Baccho; quamquam affirmat, Templum illud, quale ipſe ſpectavit, vetuſtius non fuiſſe Combabo, viro ſane illis omnibus recentiore. Id tamen, inquit ipſe, nihil vetuſtatem hujus Templi præ cæteris omnibus totius Orientis minuebat, cum ſuper alterius rudera conſtructum diceretur, vel ſaltem juxta vetus aliud Templum; fortaſſe geſtatoriis ædiculis Deæ Siriæ ſucceſſerat. Quidquid tamen ſit, facile conconcedimus Ægyptiis primum ædificatorum Templorum Diis honorem, quem ipſi ſibi apud Herodotum (12) vindicant; qua de re nos contentioſum cum illis funem trahere recuſamus.

Fateamur tamen oportet, Chaldæorum, Phœnicum, & Syrorum Templa antiquitatis gloria nihil Ægyptiis conceſſiſſe; quemadmodum de Templo Deæ Syriæ nuper obſervavimus. Parem cum priori illo jactat antiquitatem Templum Aſtartes in Phœnicia, ſeu Aſcalone, quod vetuſtiſſimum eſſe omnium hujus Deæ, ex fama in ea regione conſtanti aſſerit Herodotus (13). Templum Herculis Senioris in urbe Tyro inter celeberrima ejuſdem regionis celebratur (14). Huic junge Jovis Templum in monte Caſio a Nepotibus Caſtoris, & Pollucis, uti ferunt, dedicatum (15). Pſeudo-Sanchoniato agit etiam de ædiculis geſtatoriis Dei Agrotæ, cui maximi omnium Numinis titulum vetera Phœnicum monumenta tribuunt (16). Circumferebatur ejus ſimulacrum aureum in plauſtro, quod plura boum juga trahebant. Alterum occurrit apud Lucianum Templum Veneris, a Cynira in monte Libano conſtructum (17). Templum Beli Babylone, pari cum reliquis antiquitatis gloria certabat. Ex his omnibus pleraque eodem antiquitatis gradu cum Templis Ægyptiis incedere poterant.

Frequentia erant apud Græcos Templa, belli Trojani ætate; cum jam inde & duodecim magni Dii, & plures Heroes inter Deos relati, ejus gentis Religionem omnibus numeris abſolviſſent. Porro inventorum Templorum gloriam inter Gręcos tribuendam credit Arnobius (18) *Æaco* filio Jovis; alii malunt Epimenidi inter primores Cretæ Philoſophos (19). Hic tamen Philoſophus multo eſt Æaco & Trojano bello recentior. Sane Pythagoras, Epimenide vetuſtior, ſæpe de Templis agit (20), atque per manus traditum narrant, Aborim Philoſophum Hyperboreum noctem in his locis religioſam ducere conſueviſſe. Narrant etiam alii (21) Cretem, primum Inſulæ ejus nominis Regem, Templum in ſua Inſula Cybeli Deorum matri dedicaſſe; quem ſane virum Epimenide multo antiquiorem fateri cogimur, ſi Epimenides circa Olimpiadem XLVII. floruiſſe credatur.

(1) Maimonid. de Idol. c. 1. §. 2. apud Spencer. de Legib. ritual. lib. 3. diſſert. 6. c. 1. (2) De Dea Syra. (3) Arnob. adverſ. gent. l. 6. (4) Artapan. apud Euſ. l. 9. Præp. c. 23. & 29. (5) Lyſim. apud Joſeph. contra Appion. l. 1. (6) Vide etiam Num. XXXIII. 4. (7) Antiq. lib. 4. c. 5. p. 120. (8) Joſue XIII. 20. (9) Judic. IX. 42. (10) 1. Reg. V. 2. (11) Judic. XVI. 27. (12) Herod. l. 2. c. 4. Βωμούς, καὶ ἀγάλματα, καὶ νηοὺς θεοῖσι ἀπονεῖμαι σφέας πρώτους. (13) Herod. lib. 1. c. 105. (14) Herod. l. 2. c. 44. (15) Euſeb. Præp. lib. 1. cap. 10. (16) Sanchon. apud Euſeb. loc. cit. (17) Lucian. de Dea Syra. (18) Arnob. cont. Gent. l. 6. (19) Laert. l. 7. (20) Vide Jamblic. vita Pythag. (21) Vide Euſeb. Chronic.

datur. Memoriæ etiam proditum legimus, Templi Apollinis in Inſula Delo authorem fuiſſe Eriſicthonem, filium Cecropis Regis Athenarum; Cecrops autem mille ferme annis Epimenide vetuſtior eſt. Hæc de vetuſtate Templorum apud Græcos; quos ſane plurima, ut in cæteris rebus, ita & in religione potiſſimum ex Ægyptiis derivaſſe, Herodotus animadvertit (1). Ex eo forte deductum eſt in Græcism Oraculum Dodonæum, vetuſtiſſimum omnium in ea regione; ex eo nomina duodecim Deorum: an ex illis etiam conſuetudo Altarium, & Templorum?

Macrobius (2) ex Zenone narrat, *Janum in Italia primum Diis Templa feciſſe, & ritus inſtituiſſe Sacrorum*. Ferunt, Romanos vacuam habuiſſe ſimulacris religionem, non modico temporis ſpatio, donec ſub Tarquinio Priſco circa annum CLXX. ab U. C. in vacuis Templis ſimulacra conſtitui primo cœperunt (3). Romulus Templum ſtatuerat Jovi Feretrio; Numa religionem Romanam formaverat; ſed religionem frugi, & ſimplicem, nudis ſcilicet Templis contentam, & ſimplicibus ſacrificiis, ſine faſtu, impietate, & libidine.

Cum Numina Paganorum fere omnia ex mortalibus conſecrata fuiſſent, quos mortales in cenſum Deorum ſuperſtitio tranſtulerat; ita potior Templorum pars Mauſolæa verius erant, ſupra eorum ſepulchra erecta, quam Templa; quod ſane documentum erat apertiſſimum cultus recenter invecti, ſimulque ejuſdem cultus temeritatem prodebat, cum ſæpe Divinis honoribus colerentur homines corruptiſſimi, quorum ne memoriam quidem ſuperaſſe par erat. Quam enim in ſuperſtites habebant obſervantiam, hanc ne poſt mortem quidem relinquentes, transferebant in cineres, & exutas corpore animas, quare cum ægre ferrent errare illas animas ſine laribus & ſedibus vagantes, quas animas; ſubtili quodam corpore præditas, arctoque amicitiæ fœdere exuviis corporeis conjunctas, priſtinarum ſedium amore detineri arbitrabantur, conſulendum illis cenſuerunt, ædibus quibuſdam ædificatis, quas illæ incolerent, ibique ſacrificiis, atque aromatum odoribus tædium levare moraſque dulces trahere poſſent (4).

Quæ jam innuimus de monumentis virorum clariſſimorum, præpoſtera religione in templa conſecratis, redditiſque in loco ſepulturæ Divinis honoribus, authoritate veterum Patrum Eccleſiæ fulciuntur, uti S. Clementis Alexandrini (5), Euſebii (6), Arnobii (7), S. Cyrilli Alexandrini (8). Aſſentiuntur & recentiorum Authorum plerique; longaque Templorum hujus generis ſerie. Templum Minervæ Lariſſæum, monumentum erat Acriſii; alterum in arce Athenarum, monumentum Cecropis. Templum Peliadis, Erichtonii, & Templum Eleuſinæ, Iſmari ſepulchrum habebantur. Duæ illæ mulieres Hyperboreæ, ſcilicet Hyporoche & Laodicee, ſua habebant Mauſolæa in æde Dianæ, intra Templum Apollinis Delphici. Hæc ex Clemente Alexandrino delibavimus. Arnobius etiam aſſerit, horum Templorum partem non modicam, quorum ſuperbirent auro laquearia, & fornices adeo erigerentur, nonniſi humiles condidiſſe cineres, & oſſa; nec nobiliori excitata eſſe officio, quam ut eſſent cadaverum ſepulchra; quemadmodum, ait idem ad Paganos converſus, ex veſtris ipſorum ſcriptis convincere poſſumus. Argumentum inde trahit apertiſſimum contra Paganorum cultum; quippe qui inexpiabilis ſceleris rei eſſent, mortales homines Divinis honoribus colentes, atque crimen in Deos inferrent, quorum Templa ſuper tumulos mortalium conſtruxiſſent. Ita ferme & Euſebius philoſophatur, contendens, ſi ipſi repetantur Idololatriæ fontes, atque ſuperſtitio ad ſuam revocetur originem, facile demonſtrari poſſe, primos invectæ religionis Paganorum authores fuiſſe homines perditiſſimos, qui metu ſeu avaritia, vel etiam præpoſtera in patronos ſuos obſervantia, eorum memoriam perennatam voluerunt; qua in re, inquit ipſe, excuſatione digni fuiſſent, ſi euſque furoris non proceſſiſſent, ut e mortalium conditione translatos, homines ſibi vel Patriæ beneficos, in ipſas Deorum immortalium Sedes invehere auſi non eſſent. Acceptæ a patribus ſuis religionis, ſequitur idem Euſebius, cum filios puduiſſet, ut ſe omni crimine purgarent, novam invexerunt Theologiam, qua omnia ad figuras, & myſteria pertraherent; obtendentes, ſub ementito Deorum nomine nihil quidem mortale deſignatum fuiſſe, ſed naturales maximorum in tota natura effectuum cauſas, uti Solem, terram, aerem, ventos &c. Celebris illa turris a Belo Babylone conſtructa, inter Orbis portenta olim habita, ejuſdem Beli monumentum erat, authore Strabone, libro XVI. De Templis vero Romanorum communiter hæc Prudentius, lib. 1. contra Symmachum:

Et tot Templa Deum Romæ, quot in Urbe Sepulchra
Heroum numerare licet.

Nec alia erat Ægypti diſciplina, apud quos nulla facile Templa carebant Sepulchris, ſive Deum, ſive animalium quorumdam Sacrorum. De his tumulis ſermo eſt apud Herodotum, & Diodorum; quamquam ſubobſcure Herodotus loquitur (9), quippe qui myſterium ſilentio premendum ſibi in ea re exiſtimaverit.

Ex his omnibus, fuſius a nobis hucuſque digeſtis, facile intelligimus, omnium Templorum, quorum ad nos cognitio certa devenit, vetuſtatem Moyſe minorem fuiſſe, quamquam ambigendi locus de Templis Ægypti maneat, cum nec de Phoroneo tamquam primo conditorum in Ægypto Templorum authore conſtet, neque, ſi conſtaret, de ætate ejuſdem Principis quidquam certi habeamus. Reliqua omnia Templa Chaldaica, Syriaca, Phœnicia, Græca, Inſularum Italiæ, & populorum, quos Barbaros appellant, vetuſtate Moyſi concedunt. Quamvis enim ædificati Templi Deæ Syriæ author Deucalion haberetur, non tamen Moyſe vetuſtius eſſet; cum diluvii Deucalionei epocham circa ſeceſſum Iſraelitarum ex Ægypto conſtituamus. Celebratiſſimum illud Babylonis Templum, Belo ſacrum, de quo nos infra, ante Nabuchodonoſorem quidem, incertum tamen quo Authore, conditum erat: ſunt qui a Semiramide credant, nempe multo poſt Moyſem tempore. Jupiter, cæterique Dii coævi, ſicut & ejus filii, ut Æacus, authores Templorum in Græcia, centum annis a Moyſe ſuperantur. Janus coævus erat Saturno patri Jovis. Templum Herculis Tyrii non ſane majorem jactare poterat vetuſtatem, quam Urbs, poſt obitum Moyſis condita. De reliquis Templis Phœniciæ, & Philiſthæorum, in ea, qua ſumus, obſcuritate, nihil certi aſſerimus. Apud Strabonem lib. XI. celebratur Templum Leucotheæ in Cholchide, a Phryxo dedicatum; ſcitum eſt autem, Phryxum paulo ante Argonautas in regionem veniſſe; & Argonautarum expeditio ad ætatem Gedeonis circiter refertur. Apud Ovidium celebre eſt Templum Dianæ in Taurica, in quod cælitus delapſum eſt, uti ferebatur, ſimulacrum (10). Quo tempore Pylades, & ejus amicus Oreſtes eo adoraturi

(1) Herod. l. 2. cc. 45. 50. 51. 52. (2) Saturnal. lib. 1. cap. 9. (3) Vide Plut. in Numa. Dyon. Halicarnaſſ. Tertull. Apolog. cap. 25. Auguſt. de Civit. lib. 1. cap. 31. (4) Vide Spencer. de Legib. Ritual. lib. 3. cap. 1. Diſſert. 6. ſect. c. (5) Alex. Protrept. pag. 29. (6) Præpar. lib. 2. cap. 5. (7) Arnob. adverſ. Gent. l. 6. (8) Cyrill. cont. Julian. (9) Vide Herodot. l. 2. c. 170. (10) De Ponto lib. 3. eleg. 2.

raturi venerunt, Iphigenia Oreſtis ſoror ſacris præerat. Porro hi omnes viri bello Trojann poſteriores ſunt; quare etiamſi ante ducentos annos Templum illud conditum habeatur; adhuc tamen Moyſis ætate inferius eſſet. Itaque id tantum haberi poteſt & firmum, nullum nobis Templum Moyſe vetuſtius innotuiſſe.

Non abs re ducimus modo aliquid de forma & ſitu veterum Templorum, ut Salomonico comparentur, afferre. Hæc de Templis Ægyptiis apud Strabonem leguntur (1). Omnium primum occurrit quadrata & ſtrata lapidibus area, jugero circiter patens, & quadruplo vel ſaltem triplo longior; quam ampla tria veſtibula, alterum poſt alterum excipiunt. Ex his aditus in atrium, amplum ſatis & magnificum, in cujus fronte Templum aſſurgebat, mediocre illud mole, atque ſimulacris omnibus vacuum, niſi forte figuras quorumdam ſacrorum apud Ægyptios animalium exhibuiſſet. Omnia itaque religionem & magnificentiam ſpirabant, luci ſacri, atria, porticus, areæ, cæremoniæ myſticæ. Miniſtri religioſa quadam gravitate rebus ſacris operabantur.

In tanto religionis apparatu Templum demum ingreſſis offerebatur felis, canis, ſimia, hircus, crocodilus, vel quid ſimile. Similem Templorum ſtructuram deſcribens S. Clemens Alexandrinus (2), magnificentiam lucorum, atriorum, & porticuum celebrat; atria & veſtibula ornari teſtatur magnificis columnis, parietes lapidibus raris & pretioſis incruſtari; interiora Templi oculos præſtringere fulgore auri, argenti, & pretioſi illius metalli, quod *Electrum* appellant. Penetralia vero, ait, a reliquo ædificio ſeparant aulæa intexta. Sed cum locum ingreſſi Deum quærunt, tunc Sacerdos compoſita ad majeſtatem gravitate, velum reducens, felem, vel crocodilum, vel cicurarum aliquem anguem ſuper ditiſſimo purpureo tapete reptantem exhibet.

Simandius Rex Ægypti, rerum a ſe geſtarum perpetuum monumentum poſteris relicturus, Templum conſtruxit, ſive magnificum ad prodigium uſque ſepulchrum, ita a Diodnro deſcriptum (3). Totum ædificium in quadro poſitum, ſpatium decem ſtadiorum habebat. Primus ad illum aditus lapide verſicolore ornatus duobus jugeris porrigebatur, & xxv. cubitis aſſurgebat. Succedebat atrium quatuor jugerum in quadro, quod faſtigiata porticu ambiebatur; cujus porticus columnæ, ſingulæ altæ decem & ſex cubitis, & priſco opere in animalium figuram inſculptæ, unico lapide cnnſtabant. Excipiebat deinde aliud atrium ejuſdem amplitudinis, ſed ditius ſculpturis, & pretioſiore columnarum lapide, ac artificio. Ibi erectis ad magnitudinem coloſſi ſimulachris bellum Simandii in Bactrianos exhibebatur. Succedebat Templum, ubi expreſſa in ligno ſculptura cœtus Judicum ſpectabatur, inter quos medius aſſidebat Præſes, imaginem veritatis e collo ſuſpenſam gerens. Inde egreſſis occurrit ejuſdem ſtructuræ ingens ædificium, imminens vaſto atrio, columnis porticibuſque ornato. Longius aliquanto ſurgit Bibliotheca, hanc habens in fronte inſcriptam epigraphem: *Animi Medicina*. Succedit Bibliothecæ Templum, ubi viginti enumerantur pulvinaria Jovis, & Junonis, ſpectandumque Regis conditoris ſimulacrum exhibetur. Non unam etiam Templorum Ægypti deſcriptionem habet Herodotus (4), ubi Latonæ, Vulcani, Minervæ, & Dianæ, ſed nihil ab ea, quam ſupra ex Diodoro retulimus, differunt. Unicum Serapium Alexandrinum afferemus, quod cum ad ætatem uſque Theodoſii Magni ſtaret, ejuſdem Principis juſſu in Chriſtianorum Templum conſecratum eſt. Hæc de illo Rufinus (5). *Non natura, ſed manu & conſtructione, per centum aut amplius gradus in ſublime ſuſpenſus, quadratis & ingentibus ſpatiis omni ex parte diſtentus. Cuncta vero quo ad ſummum pavimentorum evadatur, opere forniceo conſtructa, quæ immenſis deſuper liminaribus, & occultis aditibus invicem diſtinctis, uſum diverſis miniſteriis & clandeſtinis officiis exhibebant. Jam vero in ſuperioribus extrema totius ambitus ſpatia occupant exhedræ & paſtophoria, domuſque in excelſum porrectæ, in quibus vel æditui, vel hi quos appellabant aguevontas, ideſt qui ſe caſtificant, commanere ſoliti erant. Porticus quoque poſt hæc omnem ambitum, quadratis ordinibus diſtinctæ, intrinſecus circumibant. In medio totius ſpatii ædes erat, pretioſis edita columnis, & marmoris ſaxo extrinſecus ample magnificeque conſtructa. Interiores delubri parietes laminis primo aureis veſtiri. Super has argenteis, ad poſtremum æreis habebant, quæ munimento pretioſioribus metallis forent.* Hujus Templi pretium augebat inſignis Ptolomæorum Bibliotheca. Sacro quodam horrore, quemadmodum fere omnia Veterum Templa, locus tenebatur; tenuis enim lux ex rima ad orientem patente ita admittebatur, ut orientis ſolis radii ipſum Numinis os, e regione in capite Templi poſiti, ferirent. Ex hac deſcriptione intelligimus, hujus ædificii ſtructuram Græci fuiſſe ingenii, alteriuſque a priſcis Ægyptiorum ædificiis architecturæ. Hoc plane fuit Ptolomæorum opus.

Ægyptiis Templis alterum non abſimile, & in viciniis poſitum, Jovis nempe Ammonis, jungimus. Erigebatur (6) illud in medio ſacri luci, Templum ſimul, & arx pro finitimis circum populis. Tribus totum ædificium ambiebatur parietibus, quorum prior ambitus claudebat veteres Regum ejus regionis ædes, alter Gynecæum fœminarum, ubi & ſedes filiorum ejus Principis. Ibi etiam aſſurgebat Templum, & Oraculum Dei Ammonis. Intra tertium tandem ambitum continebantur ædes militum & aliorum Aulę cuſtodum.

Templa Syriæ, & Arabiæ ejuſdem erant cum Ægyptiis architecturæ, Priſci Arabes, quemadmodum pleræque orbis gentes, Templis carebant. Maximus Tyrius (7) vidiſſe ſe tradit ejuſdem gentis ſimulacrum nullo exquiſitiori artificio, quam lapidis quadrati, elaboratum. Sed grandia prorſus de majeſtate Templorum Arabiæ, & Numinum ejuſdem gentis Diodorus narrat (8). Hæc ille de Templo Jovis Triphyli in Inſula Panchæa. Ædificium eſt, inquit, in medio agri læti, & fertilis, quem fruteta, & arbores ornant. Templum non antiquitate minus, quam opibus, magnificentia, & loco præſtat. Duobus jugeris in quadrum patet. Niveis lapidibus conſtat ſtructura, quam fulciunt immanes quædam columnæ, ſculptura inſignes. Simulacris Deorum nihil eſt reliquum, ſive ſtatura ſpectetur, ſive ſculpturæ artificium. Sacerdotibus ſervitio ejuſdem Templi deſtinatis ædes circa Templum poſitæ ſunt. Templo ſuccedit Circus quatuor ſtadiis longus, & jugero latus: duo Circi latera ornant ænea gigantum ſimulacra ſupra quadratas baſes conſtituta. Hoc magnifici Templi Ædificium. Ejuſdem architecturę ſpeciem aliquam ſervat Templum Meche hodie uſque manens. Templum, quod *Beitullach*, Domus Dei, dicitur, ædificium eſt xv. circiter paſſibus in longitudine xi. vel xii. latitudine, & quinque brachiorum circiter altitudine. Regnat circum turris in quadro, quam ambiunt parietes cum triplici columnarum ordine, faſtigiatiſque interne patentibus porticibus, ubi quatuor Mahometanorum ſectę ad orationem ſcorſum colliguntur. Scitum eſt, Abrahamum ædificii hujus authorem a Mahometanis reputari. Ejuſ-

[1] Strab. l. 17. Vide Herod. l. 2. [2] Pædag. l. 3. c. 25. [3] Diod. l. 2. c. 1. [4] l. 2. cc. 138. 155. 170. 171. 176. [5] Hiſt. l. 2. c. 23. [6] Vide Q. Curt. lib. 4. [7] Diſſert. 38. [8] Diod. l. 6. c. 10.

Digitized by Google

Ejuſdem ſtructurę aliquid referunt ſplendidiſſima illa Templi Palmyreni rudera (1).

Apud Veteres celebrantur Templa Aſcalonis, & Hereulis Tyrii, quorum nulla ſupereſt ſatis accurata deſcriptio. Sermo in Scriptura occurrit de Templo Dagonis in Urbe Philiſthæa Azoto; ſed altum de ejus ſtructura ſilentium, niſi quid in hiſtoria Samſonis legatur, quod conjecturam præbet, ejuſdem fuiſſe cum Ægyptiis arehitecturæ; amplum etenim atrium porticibus ornatum ante ſe habebat; eum populus ad ſpectaculum Salomonis accitus, & porticus omnes occuparet, ac tecta Templi, & porticuum, quæ omnia ille virium miraculo ſubvertit (2).

Neque ſilentio nobis premendum Templum Hierapolis Deæ Syræ, inter præcipua totius Orientis habitum. In colle modice quidem aſſurgente, ait Lucianus de Dea Syra, medium totius Urbis tenet, Duplici muro totum ædificium ambitur. Templi veſtibula ad boream porriguntur eentum ulnarum longitudine. Templum ad orientalem plagam, quemadmodum Joniæ Templa omnia, vergit. In ſolo duobus paſſibus prominente, unde per gradus aſcenſus, ædes collocatur. Veſtibulum ſtatim intuentium rapit admirationem: detinent etiam accedentem aureæ fores, & templum eodem metallo coruſcans. Imum Templi ſpatium conclave nonnihil prominens ſemper elauſum, & nunquam patens, tenet. Intima Templi pars nonniſi Sacerdotibus pervia; neque Sacerdoribus indiſcriminatim omnibus. In loco ſacro geminæ aureæ ſtatuæ, Junonis hæc, altera Jovis; cui varia nomina tribuuntur. Juno exhibetur Leonibus aſſidens, Jupiter tauris; tertius alter Deus, nulli ſimilis Numini, ſed ex omnibus aliquid præſeferens, geminis illis accedit, Huic Numini Aſſyrii nullum aliud nomen aſſignant, quam Σημεῖον, quod ſtatuam, ſive figuram exprimir. Templum ingredientes ad lævam offendunt ſolium vacuum, Solis eſſe ajunt; vacuum autem, quod aſtrum illud per ſe notiſſimum nullo indigeat, quo exprimatur, ſimulacro. Succedebat ſolium Apollinis, cujus aliud erat apud illos, quam apud Græcos, ſimulacrum; barbatum enim, & veſtitum Numen præferebat; cum apud Græcos & Numen eſſet nudum, & imberbe. Hæc Lucianus de Templo Deę Syræ celebratiſſimo.

Ab his omnibus recedebat ſtructura Templi Beli Babylone. Quadratum enim erat ædificium, teſte Herodoto, ſpatium tenens ex omni larere duorum ſtadiorum, ſeu CCL. paſſuum (3). In medio hujus ſpatii ſurgebat turris, baſim habens ſtadio patentem in quadro. Porro turris illa ſeptem aliis turribus minoribus, altera ſuper alteram impoſita, conſtabat, In ſuprema, & eminentiſſima turri Templum erat, in quo magnificum pulvinar cum tabula aurea, nullum autem ſimulacrum. In ima turri, ad porticus aream, aurea Jovis aſſidentis figura, XII. cubitis procera, ſpectabatur: accedebat & amplior aurea menſa cum ſedili, & ſcabello ejuſdem meralli; accedebat & aureum Altare, uti & auguſtius aliud perfectis ſacrificiis, ſive majoribus victimis offerendis. Perſæ, qui nec Templa norant, nec ſimulacra, cum ſibi armorum jure Babylonem ſubegiſſenr, everſo Templo, theſauros omnes abripuerunt. Id factum Xerſi tribuunt Herodotus, & Arrianus. Alexander Magnus everſum jam ædificium reſtituendum ſuſcepir, ſed morte intercedente, ab opere deſiſtere coactus eſt (4).

Aliter idem Templum deſcribit Diodorus (5); a Semiramide enim ædificatum putat, ejuſdem altitudinem neminem eo uſque ſatis accurate definiſſe eonrendit. Sed, inquit, tam alte porrigitur ædificium, ut in ejus culmen aſcendentes Chaldæi obſervationes ſuas aſtronomicas ad Orientem, & Occidentem perficiant. In vertiee ejuſdem Templi tria ſurgunt aurea ſimulacra, Jovis, Junonis, Opis, quorum prius & poſtremum mille talentorum Babyloniorum pondus æquant. Supererat adhuc Diodori ætate Jovis ſimulacrum XL. pedibus procerum. Ops throno aureo aſſidebat, habens ad genua duos Leones, penes quos ſequebantur immanes totidem angues argentei. Junonis ſimulacrum DCCC. talentorum pondere, anguis caput dextra tenebat, læva ſceptrum lapideum. Ante Numina, aurea menſa XL. pedibus in longum, & XII. in latum, D. talentorum pondere ſtabat. Communis erat tribus; quemadmodum & gemini ampli crateres, naviculæ figuram exhibentes, ac duo vaſa adolendis aromatibus deſtinata. Pręter hæc, tres poſiti erant erareres, quorum unus Jovi dicatus, pondere erat MCC. talentorum.

Templum Dianæ Epheſiæ inter celeberrima totius antiquitatis jure meritoque habetur. Hujus ædificii ſtructura neque ad Ægyptiacam, neque ad Syriacam accedens, quaruor ad latera exteriora alis geminis utrinque diſtinguebatur, nempe duobus columnarum ordinibus eireum regnantibus, octo ad geminas frontes ante, & retro replicatis (6). Porrigebatur totum opus ad CDXLV. pedes, in latitudinem vero exeurrebat ad CCCX. Centum ae ſeptem & viginti Reges ſinguli ſingulas eolumnas dono dederant LX. pedibus altas, inter quas XXXVI. anaglyphico opere inſculptas.

Fores habebat cypreſſinas, eujus arboris lignum neque corrumpi unquam, neque a priſtino nitore decedere contigit, Ea ligna per viginti annos glutine infuſa prius manſiſſe, narrat Plinius. Quæ fabri lignarii opere conſtabanr, omnia e cedro erant; atque ad ſuperiora aſcenſus patebat per gradus e ſtirpe quadam vitis, e Cypro advecta. Longum eſſet rara & pretioſa ſingula ornamenta celebratiſſimi hujus Templi recenſere. Sumptus univerſa Aſia conſerente, CCXX. annorum ſpatio denique totum opus abſolutum eſt.

Græcorum Templa, quod ad figuram pertinet, ſatis ad Epheſinum accedebant. Plerumque faſtigiatis portieibus, vel ſaltem periſtyliis ambiebantur; alia ſimplex periſtylium, vel porticum, alia duplex periſtylium habebanr.

Quamvis Templorum ſtructura varia fuerit apud varias gentes, communes quædam regulæ æque ab omnibus in ea re ſervabantur. Scimus enim plurium Hiſtoricorum teſtimonio, Ægyptiorum Templa plerumque fores habuiſſe ad Orientem, adeoque & Templum & Sanctuarium ad Occidentem. Porticus ædium Vulcani ab Aſychi, Rege Ægypti, conſtructa orientem reſpiciebar (7): ad eamdem Cœli plagam patebat Templum Memphis (8), opus Pſammetichi. Idem ſervatum & in cæreris veterum Templis, Porphyrius eum aliis nonnullis eſt author (9); utpote quia ſingulorum aditus ad Orientem patebar, orantes vero in Templo ſpectabant Occidentem, Nec Templum Deæ Syræ ab aliis ea in re diſtinguebatur.

Senſim tamen morem illum obſoleviſſe, ex Hygino Auguſti Liberto intelligimus (10); ille enim ad Occidentem Templi ingreſſum ſtatuit, ut Numinis Simulacrum in capur Templi erectum ad Orientalem plagam ſpectet; & eamdem plagam Numen in Templo adoraturi reſpieiant. Ex quo Vitruvius (11): *Signum quod erit in cella collocatum, ſpectet ad veſpertinam Cœli regionem, ut qui adie-*

[1] Thevenot Voyage du Levant, feconde partie ch. 21. [2] Vide Comment. in Judic. XVI. 26. 27. [3] Herod. lib. 1. c. 181. 182. [4] Arrian. lib. 3. & 7. & Strab. l. 16. [5] Diod. lib. 3. c. 10. [6] Vitruv. lib. 3. c. 10. [7] Herod. lib. 2. c. 136. [8] Diod. lib. 1. [9] Porphyr. de antro Nympharum. Item Dionyſ. Thrax lib. 3. de Pharis, apud Spencer. de Legib. Ritual. l. 3. c. 2. Diſſert. 6. ſect. 4. [10] De Agrorum limitib. conſtituen. l. 1. *Antiqui Architecti in occidentem Templa ſpectare recte ſcripſerunt, poſtea placuit omnem religionem eo convertere, ex qua parte Cœli terra illuminatur.* [11] Vitruv. de Architect. lib. 4. cap. 5.

Digitized by Google

adierint ad aram immolantes, aut ſacrificia facientes, ſpectent ad partem Cœli orientis; & ſimulacrum, quod erit in Æde . . . . ipſaque ſimulacra videantur ex oriente contueri ſupplicantes. Hanc ſtructuræ habitudinem in priſcis Chriſtianorum Templis ſpectatam eſſe conſtat; ſemper enim fores habebant ad occidentem patentes, ut Ara & Sanctuarium adverſam partem reſpicerent. Hujus autem moris vetuſtas in altero paris antiquitatis more elucet; cum apud veteres Chriſtianos obtinuerit, ut Deum adoraturi orientem ſpectarent: ex quo vetus Paganorum calumnia de cultu Soli a Chriſtianis præſtito.

Nihil ea traditione vetuſtius in Eccleſia Occidentali: unde facilis conjectura trahitur, morem illum ex gentibus ad Chriſtianos tranſiſſe; cum priſci illi Fideles, ejuratis Paganorum ſacris, ad fidem accedentes, ritum hunc e Paganis acceptum ad meliorem uſum retinere maluerint. Favet huic opinioni, quod contraria plane diſciplina apud Judæos ſervetur, quorum morem facilius adoptaſſent Apoſtoli, niſi Fideles alteri aſſueviſſe animadvertentes, noluiſſent in re minime mala conſuetudini adverſari.

Nihil plane ſimile in Eccleſiis Orientalibus; apud quas Judæorum mores invaluerunt, & veteres ſervatæ ſunt regulæ Templorum Ægypti, & Syriæ. Aditum illæ ſtatuebant Templorum ad Orientem, Aras ad Occidentem. Extat hujus moris veſtigium in Templo Tyri conſecrato, late ab Euſebio Cæſarienſi deſcripto (1): extat & in aliis recentioris ævi in eadem regione Templis. Nulla enim a conſtituta illa regula recedunt, quam ex altiori fonte repetiiſſe eorumdem Templorum Authores facile credimus, Amplo murorum clauſtro locus Sanctus ambiebatur; ad orientem patebat amplior & faſtigiata porta, cujus longe lateque proſpectus erat. Dabatur hinc aditus in atrium ingens, & quadratum, perpetuo quadruplici porticuum columnis fultarum ambitu ornatum. Medium ejus atrii e regione Templi tenebant uberibus aquis fontes, ut purgati Fideles Templum ſubirent. Tres amplæ fores ad orientem, quarum media amplior, laterales duæ inferiores; ſingulæ repagulis æneis, ferreis manicis obſtrictis, anaglyphico opere ornabantur. Ex majori porta aditus dabatur in navim Baſilicæ, ex duabus aliis in latera. In capite erigebatur Epiſcopi ſolium, aliaque pro Sacerdotibus, qui hemicyclo una cum Epiſcopo circum Altare in medio hujus ſpatii poſitum, aſſidebant. Sanctuarium a reliqua Eccleſia ſeparabant tranſennæ quædam ſive lignei clathri, ſculpturis exquiſitiſſimis ornati. Hæc Eccleſiæ Tyri, & Orientalium omnium ſtructura.

Sed non ita conſtituendum eſt, ut certæ quædam regulæ in Templis omnibus condendis ſervandæ ſtatuerentur. Equidem plerumque, non vero neceſſario iis obtemperabant, tunc maxime, cum nullam haberent mutandæ architecturæ occaſionem. Teſtatur enim Vitruvius (2): *Sin loci natura interpellavit, tunc convertendæ ſunt earum Ædium conſtitutiones, uti quamplurima pars mœnium e Templis Deorum conſpiciatur. Item ſi ſecundum flumina Ædes ſacræ fient, ita uti Ægypto circa Nilum, ad fluminis ripas ſpectare videntur.* Quare quæ in ripa eſſent orientali Templa, orientem veſtibulo, occidentem adyto ſpectabant; & quæ in adverſa ripa ædificata eſſent, Occidentem habebant ad veſtibulum, Orientem a tergo. Si tandem viæ imminerent, veſtibulum patebat in via, ut ſcilicet facilis daretur tranſeuntibus aditus, & Numina per tranſitum ſalutarentur. Hæc Vitruvius. Scholiaſtes Pindari hanc regulam in univerſum conſtituit de ea, quam orantes ſervent, ſitus habitudine: Numina adoraturi, inquit, ad Orientem convertuntur; Heroas vero ad Occidentem.

Pro Deorum etiam varietate varia ſervabatur Templorum architectura. Sacræ Jovi Ædes in longum magis, quam in latum prorogabantur; ſæpe erant ſub dio (3), & editis parietibus ſublimes; ut ſcilicet magis magiſque Numinis amplitudo, & ſuper cæteros præſtantia eluceret. Templa etiam Cœli, Solis, Lunæ, Fulguris, ſine culmine plerumque patebant; quod ſcilicet luci hæc omnia pateant. Idem forte ſignificatum voluerunt Iſraelitæ, cum Solem, Lunam, & Aſtra ſuper tecta adorarent (4). Ceres, Veſta, Sol, Bacchus, cæterique Dii, quorum Numen ad terram refertur, terræ rotunditatem in Templis affectabant; quippe quæ ſive rotunda eſſent, ſive ſex vel ſeptem vel octo lateribus angulata. Janus quadrato ædificio guadebat; Pluto, cæterique Dii Inferni ſubterraneis fornicibus, & Aris humi defoſſis. Dii Urbis Patroni in editiſſimis ejuſdem locis erecto Templo præſidebant; quemadmodum ex Templis Trojæ, Minervæo Athenarum, & Capitolio Romano intelligimus. Dii artium, virtutis, pacis præſides in locis frequentiſſimis Urbis erecto Templo colebantur. Mercurio, Iſidi, Serapidi Templum ſtabat in foro. Voluptatum Numina, e. g. Venus; belli, uti Mars, & Bellona; ignis & incendii, uti Vulcanus, extra Urbem ſedes habebant. Neptuni Templum mari imminebat; Æſculapii, in loco Urbis vel ruris amœniſſimo (5); Apollinis & Bacchi, Theatro continuabantur; Herculis, a Circo non remota; Cereris, in agro, quod ſcilicet hujus religio locum puriſſimum exigeret (6).

Præſcribit etiam Vitruvius (7) ſuam variis Numinibus architecturam: *Minervæ*, ait, *Marti, Herculi ædes Doricæ fient; his enim Diis propter virtutem ſine deliciis ædificia conſtitui decet. Veneri, Floræ, Proſerpinæ, fontium Nymphis, Corynthio genere conſtitutæ, aptas videbuntur habere proprietates, quod his diis propter teneritatem graciliora & florida, foliiſque & volutis ornata opera facta augere videbuntur juſtum decorem*. Jonico delectabantur Juno, Diana, & Liber; quod is ordo medius ſit inter auſteritatem Doricam, & luxum Corinthium. Plerumque unica tantum porta inſtructa erant, ante quam erectum ſtabat Altare; & cum Templa culmine tegerentur, Altare ſub dio manebat; quemadmodum & in Templo Domini Jeroſolymæ animadvertimus.

Apud Scriptores Græcos ſermo eſt de alio Templorum genere, quæ nonniſi atrium ſeu clauſtrum erant, quod perpetuo periſtylii ambitu ita cingebatur, ut undique ſubeuntibus aditus in templum pateret. Templum Junonis ejuſdem ſtructuræ occurrebat ſecus viam, euntibus Phalero Athenas (8). Alterum nullis ſeptum parietibus forum urbis Elææ occupabat (9). Legimus etiam de Templo quodam noſtræ ætatis Athenis, non parietibus, ſed tantum periſtylio ſeptum: Templum eſt Jeſu Chriſto Crucifixo ſacrum (10). Quibuſdam apud Vitruvium Templis duplex eſt aditus in utraque fronte (11), cujus ſtructuræ nullum, inquit ille, ſunt Romæ exemplum; Athenis vero in Templo Jovis Olympii occurrit; occurrit etiam noſtra ætate in elegantiſſimo Templo, quod vocant Invalidorum Pariſiis.

Si quis modo ſtructuram Templorum Ægyptiacorum, Syriacorumque cum Jeroſolymitano a Salomone conſtructo comparare voluerit, plura ſane ejuſdem naturæ utrobique deprehendet. Paucis

hic

[1] Euſeb. lib. 10. c. 4. [2] Vitruv. lib. 4. c. 5. [3] Vitruv. lib. 1. cap. 2. *Jovi, Fulguri, & Cœlo, & Soli, & Lunæ ædificia ſub divo hypæthraque conſtituentur, horum enim Deorum & ſpecies & effectus in aperto mundo atque lucenti, præſentes videmus.* [4] Sophon. 1. 5. *Eos qui adorant ſuper tecta militiam Cœli.* [5] Vitruv. l. 1. c. 2. [6] Vide eumd. lib. 2. c. 7. [7] Vitruv. l. 1. c. 2. [8] Pauſan. in Atticis. [9] Idem in Eliac. [10] Palæogr. Græc. l. 2. c. 4. [11] Vitruv. l. 3. c. 1. ad fin.

hic totam hujus Templi œconomiam dabimus, qualem nobis Ezechiel, & Libri Regum, & Paralipomenon ſervarunt. Variat Joſephus, qui non Salomonicum, ſed ab Herode reſtitutum Templum deſcribit; quod ſane alterius erat a Salomonico, & a Templo poſt captivitatem reſtituto, ingenii, & ſtructuræ magnificentioris; quamquam Salomonicum divitiis longe præſtabat. Immanes ii muri totum ambientes montem, cui Templum inſidebat, ad eamdem cum monte altitudinem porrecti, ut humum continerent, opus erant Salomone multo recentius (1). De atrio Gentium nihil ſatis exploratum habemus ante captivitatem (2). Quæ apud Rabbinos legimus de aſſignatis ad certos quoſdam uſus variis Templi partibus deque aularum ſtructura, aliiſque, & apud Ezechielem & apud Scripturam reliquam prorſus deſiderantur: quare cum ſolum habeant authorem ſervatam apud eas gentes traditionem, poſſunt eodem apud nos loco haberi, quo multa plane ab eodem fonte derivata. Tandem quam exhibet Villalpandus ejuſdem ædificii œconomiam, paulo exaggeratam judicamus. Vir enim ille in ea, qua tenebatur, perſuaſione, nihil Salomonico ædificio, quoad magnificentiam & artificium reliqui fuiſſe, imaginem ſubjieit ædis ad omnes veteris architecturæ regulas conformatæ, ut exquiſitiſſimum ſit opus, & totius architecturæ prodigium. En cenſuram Ludovici Capellii in templum Vvillalpandi, in Præfatione Verſionis ſuæ Operis Maimonidis de Templo (3).

Æquatus in aream D. cubitorum in quadro Moriæ clivus, aptum excipiendo Templo ſpatium exhibuit. Non ita tamen ad libellam locus æquatus, quin aliquantulum molliter aſcendens, aditum in atrium per gradus exigeret. Patebant ad quatuor latera, orientem, occidentem, ſeptentrionem, & meridiem, fores. Atrium Sacerdotum ſuas habebat ad orientem, ſeptentrionem, & meridiem portas, e regione aditus in atrium Populi, rectaque omnes deducebant ad veſtibulum loci ſancti, fere altari holocauſtorum obverſæ.

Ædificii hujus pars, quæ Templi nomine potiſſimum diſtinguebatur, tamquam ſedes Dei peculiaris habita, interiorem ædificii partem, & Sacerdotum atrio occidentalem, tenebat. Patebat ab oriente veſtibulum, ut adoraturi occidentem ſpectare cogerentur. Tres diſtribuebatur in partes: Sanctuarium, Sanctum, & Veſtibulum. Sanctuarium xx. cubitos dimetiebatur in quadrum; Sanctum xx. in latum, xl. in longum, & xx. in altum; Veſtibulum oblongum erat, x. cubitis in latum, xx. tam in longum, quam in altum. Totius hujus Ædificii menſura lxx. cubitorum in longum; latitudo intra ædem xx. cubitorum, & altitudo xxx. Lateralibus parietibus adhærebant conclavia quinque cubitorum altitudinis, triplici contignationum ordine diſpoſita. Trabes, quibus eæ contignationes fulciebantur, hinc lateralibus Templi parietibus, inde parieti extimo conclavium incumbebant. Primus ordo quinque cubitos quaquaverſum dimitiebatur; ſecundus uno cubito latior, quod tantundem ſpatii parietes Templi ſenſim recedentes permitterent; qua pariter ratione ſeptem latitudinis cubiti tertio ordini relinquebantur.

Porro conclavia circa Templum ad Meridiem, Occidentem, & Septentrionem regnabant. Quare totum hoc ædificium, una ſimul cum alis adhærentibus, aream tenebat lxx. pedum ab Oriente in Occidentem; in latitudinem vero, una ſimul comprebenſa murorum craſſitie, xl. cubitorum circiter. Altitudo mediæ ædis, xxx. cubitorum; xv. vero, lateralium ordinum. Reliqua ædificii altitudo, media ſcilicet, quæ ſupra laterum altitudinem erigebatur, feneſtras, luci demittendæ in Sanctum, & Sanctuarium, dabat. Scalæ in cochleæ modum ſtructæ ad extremas contignationum oras, aditum dabant e veſtibulo in conclavia. Porro lateralia illa ædificia alatis Græcorum Templis non temere comparaveris, quamquam Græca Templa porticibus faſtigiatis, & columnis inſtructis, ipſam æquantibus Templi altitudinem, triplici aliquando, modo duplici, vel etiam ſimplici columnarum geminatione conſtabant; hæ vero Salomonis, licet triplices eſſent in altitudine, ſimplices tamen erant in latitudine. Ex his Templo, nudis alioqui lateribus minus auguſto, majeſtas conciliabatur.

Sanctum, locus erat clauſus, & a reliquo Templo diſtinctus, quem Sacerdos deſtinatus bis ſingulis diebus, mane, & veſpere, adire tum offerendo thymiamati, tum incendendis extinguendiſque lampadibus, tenebatur. Sanctuarii aditus cæteris præcluſus Sacerdotibus, uni tantum Pontifici die Expiationis ſolemnis ſemel per annum patebat. Atrium ex anteriori parte patens duas habebat ante ſe poſitas ingentes, & magnificentiſſimas æneas columnas, quarum habetur deſcriptio in Scriptura.

Templum ambiebant duo vaſta atria, quorum intimum, & anguſtius, in exteriori ambitu habens cc. cubitos ad ſingula quatuor latera, Sacerdotibus deſtinatum erat. Cæterum eo uno excepto, quod neque periſtylium, neque conclavia in latere occidentali, ſed parietem (4) haberet, quod ad ornamenta, & ſtructuram pertinet, nihil cedebat extimo, & ampliori atrio, ad cœtus populi reſervato. Erant autem hæc atria lapidibus elegantiſſime ſtrata, magnificis porticibus, quas columnæ non infimi pretii fulciebant, ornata. Cellulæ pro Sacerdotibus, ſervandiſque rebus in uſum Templi, uti vino, oleo, frumento, & veſtibus, alia occupabant ædificia circum atria vel porticus diſpoſita. Tandem ſi quid erat vel ad ornamentum, vel ad uſum, vel ad ſplendorem, & magnificentiam Domus Dei, horum ſane nihil in eo ædificio deſiderabatur. Veſtes ipſe, cellæ, cibi Miniſtrorum, pro Numinis Majeſtate ſufficiebantur.

Neque illud nobis propoſuimus, ut ſingula hæc impræſentiarum proſequeremur: ſatis ſit demonſtraſſe quantum fuerit affinitatis inter Templa gentium Judæis finitimarum, & Templum Domini. Nihil ferme inter utraque hæc diſcriminis, niſi quod multum religione Numinis ſimul & ſtructuræ magnificentia Salomonicum præſtaret. Cæterum utrobique recurrit Sanctuarium inacceſſum, inviolabile, in ipſis ædificii penetralibus abditum, atriis uno vel pluribus, non ſine ambitu columnarum, cinctum, & ædes in uſum Sacerdotum.

EXPLICATIO, ET DOCUMENTA

Novæ Iconographiæ Templi Salomonici.


CUbitus Hebraicus æquabat viginti pollices, & $\frac{44}{89}$ menſuræ Pariſienſis; ideſt, pollices viginti & fere dimidium.

AAAA. Primum ſeptum, ſeu murus ſexcentorum cubitorum, ideſt 1025. pedum Regalium in longitudine, ſingulorum quatuor laterum, *Ezech.* xlv. 2. altus ſex cubitis, vel decem pedibus, & tribus digitis, ac tantundem latus. *Ezech.* xl. v.

BBBB Atrium gentium, ſeu primum atrium, latum


[1] Joſeph. de Bell. l. 16. c. 14. in Græc. [2] Ezech. xlii. 20. [3] Fabric. Bibliogr. Antiq. cap. 9. p. 285. [4] Vide Joſeph. de Bell. l. 6. c. 10. pag. 916. f.

NOVA TEMPLI JEROSOLYMITANI ICHNOGRAPHIA.



Scala centum cubitorum.

Digitized by Google



rat
or-
al-
uo-
io-
os

in-
ra-
58.
30.
10.

a-
ra-

n,

bu-

ero
5.
am
ie,

ad
7.

sta-

icu
na-
as,
ch.

ent
ees
If-
Sed
ten-
in
15.
itu-
in

cer-
Qua
cem
udi-
ices
al-
22.

iel,
des
tur,
in-
vero
fo-
por-
ita-
ſtat
6.
18.
vel
Reg.

ac

m,
Se-
E-

bdo-
Sab-
uam

duo
fitæ
bant
a-

Digitized by Google

latum cubitis 50. ſeu pedibus 85. & pollicibus quinque. *Ezech.* XLV. 2.

CCCC. Murus exterior Atrii Iſraelis, vel ſeptum 500. cubitorum in quadrum, ideſt, pedum 854. & pollicum duorum. Muro huic altitudo aſſignari poteſt 30. cubitorum, ducta proportione ab altitudine portæ.

DDDD. Atrium Iſraelitarum, cubitorum 200. vel 170. pedum, & digitorum 10. in latitudine. *Ezech.* XL. 19.

EEEE. Murus exterior, vel clauſtrum Atrii Sacerdotum, 200. cubitorum, vel 341. pedum, octo pollicum in quadro; cui aſſignamus altitudinis cubitos 30. vel pedes 51. pollices tres.

FFF. Atrium Sacerdotum, cubitorum 100. vel pedum 170. pollicum decem in quadro. *Ezech.* XL. 47. & XLI. 14. 15.

G. Sanctuarium, 20. cubitorum in quadro, vel pedum 34. & duorum pollicum. 3. *Reg.* VI. 2. & *Ezech.* XLI. 4.

H. Sanctum, cubitorum 40. in longum, viginti in latum; ideſt 68. pedum, quatuor pollicum in longum, & 34. pedum, duorum pollicum in latum. *Ezech.* XLI. 2. 3. *Reg.* VI. 2.

I. Veſtibulum, cubitorum 20. in latum, & decem [vel undecim, authore Ezechiele] in longum; ideſt 34. pedum, duorum pollicum in latum, & 17. pedum cum pollice in longum. *Ezech.* XL. 48. 49. Patebat ibi janua cubitis quatuordecim lata. *Ezech.* XL. 48. & 3. *Reg.* VI. 3.

K. Altare Holocauſtorum, cubitorum XII. vel pedum 20. & ſemis in quadro, juxta Ezechielem XLIII. 12. 13. &c. vel decem cubitorum in altum, & 20. in latum; ideſt 17. pedum cum pollice altitudinis, & 34. pedum, & pollicum duorum latitudinis, ex 2. *Paral.* IV. 1.

LLL. Septum ambiens Templum & Altare Holocauſtorum, cujus dimenſiones non definit Scriptura. Diſtabat cubitis 20. ab ædificiis Atrii Sacerdotum, & cubitis quinque a Templo. *Ezech.* XLI. 9. 10. Tres altitudinis cubitos obtinet apud Joſephum *Antiq.* l. 8. *c.* 2. *pag.* 262.

MMMMMM. Portæ atrii Iſraelis, & atrii Sacerdotum ejuſdem dimenſionis erant omnes. Vide *Ezech.* XL. 1. . . . . 22. uſque ad 36. Singulatum veſtibula dimetiebantur in longum cubitos 50. ideſt pedes 85. & pollices quinque, quantum habebant profunditatis alæ. *Ezech.* XL. 15. Totum vero opus porrigebat ſeſe in latum 25. cubitis, vel 42. pedibus, & in altum cubitis 60. ideſt, pedibus 102. pollicibus ſex. *Ezech.* XL. 14. Duo veſtibuli latera ſtipabant tres cellæ, ſex cubitorum in quadro ſingulæ. *Ezech.* XL. 6. Erant & ſepta media inter tres haſce cellas, quinque cubitorum craſſitudinis. *Ezech.* XL. 6.

NNNNNNNN. Porticus regnantes circum atrium Iſraelis. Vide *Ezech.* XL. Columnas in illis triginta impendimus, diſpoſitas per ſpatium ducentorum cubitorum longitudinis, ſumpta proportione a columnis poſitis in ſpatio centum cubitorum longitudinis, 3. *Reg.* VII. 2. 3. 4. in atrio Ædium Salomonis.

OOOOOOOO. Cellæ ſeu conclavia diſpoſita circa atrium Iſraelis, e quibus XXXII. erant ad utrumque latus portæ, vel quindecim ad ſingula latera. Vide *Ezech.* XL. 17.

PPPP. Culinæ Templi, cubitorum 40. vel pedum 68. & quatuor pollicum in longum, & cubitorum 30. vel 51. pedum & trium pollicum in latum. *Ezech.* XLV. 21. 22. 23. 24.

Q. Porta ſeptentrionalis atrii Sacerdotum, ubi parabantur victimæ, mactabanturque ad ſacrificium. *Ezech.* XL. 38. 39.

RRRR. Porticus ambientes atrium Sacerdotum. *Ezech.* XLII. 3.

SSSSSS. Conclavia regnantia circa atrium Sacerdotum. Ala ad meridiem portæ Orientalis deſtinata erat Sacerdotibus excubias agentibus in Templo. *Ezech.* XL. 45. Ala ad ſeptentrionem ejuſdem portæ, quæque ad ſiniſtram erat ingredientibus portam ſeptentrionalem, addicta erat Cantoribus. *Ezech.* XL. 44. Ala ad orientem portæ meridionalis in uſum Sacerdotum ſervitiis altaris occupatorum erat. *Ezech.* XL. 46. Ala ad occidentem portæ ſeptentrionalis & portæ meridionalis exhibebat cœnacula, ubi Sacerdotes cibos ſumebant. *Ezech.* XLII. 13.

TT. Culinæ atrii Sacerdotum, ubi coquebantur carnes ſanctificatæ, oblatæ pro peccato, habentes longitudinem cubitorum 40. vel pedum 68. pollicum quatuor, & latitudinem cubitorum 30. vel pedum 51. pollicum trium. *Ezech.* XLVI. 20. [nonniſi de ſeptentrionalibus agit].

VVVV. Gradus vel Aſcenſus ducentes ad atrium populi. Singulæ ſcalæ erant ſeptem graduum. *Ezech.* XL. 22. . . . . 26.

XXX. Scalæ ferentes in atrium Sacerdotum, octo graduum ſingulæ. *Ezech.* XL. 31. 34. 37.

YY. Scalæ octo graduum ducentes ad veſtibulum Templi. *Ezech.* XL. 49.

aaa. Cellæ circa Templum diſpoſitæ, numero trium ac triginta. Aſſignat illis Ezechiel XLI. 5. cubitos quatuor latitudinis; ſed in tertio Regum v. 6. primi ſolarii cellæ habent cubitos quinque, ſecundi ſex, tertii ſeptem.

bb. Scalæ in modum ſcrobis, deducentes ad cellas circa Templum regnantes, *Ezech.* XLI. 7. & 3. *Reg.* VI. 8.

c. Gradus Altaris holocauſtorum, ad orientalem plagam converſi. *Ezech.* XLIII. 15. 16.

dddd. Tabulæ marmoreæ, poſitæ in porticu ſeptentrionalis portæ atrii Sacerdotum, ad mactandas, excoriandas, & concidendas victimas, cubitum habebant & ſemis in quadrum. *Ezech.* XL. 38. 39. 40. 41.

Majores Templi parietes, craſſitudinis habent omnes ſex cubitos, vel pedes decem, pollices tres: ideſt, paries primi ambitus, paries atrii Iſraelis, atrii Sacerdotum, & parietes Templi. Sed murus exterior triginta trium cellarum, ambientium atrium & Sanctuarium, non dimetiebatur in latitudine niſi cubitos quinque & in altitudine 15. ideſt, octo pedes, ſex pollices & ſemis in altitudine, & 24. pedes, ſeptem pollices & ſemis in craſſitudine. Vide *Ezech.* XLI. 9. 12.

Portæ utriuſque atrii, Iſraelis ſcilicet & Sacerdotum, ejuſdem dimenſionis ſunt omnes. Qua ſe aperit murus, habebat ſex cubitos, vel decem pedes, tres pollices craſſitudinis. Porta latitudinis patefebat cubitos octo, vel pedes 13. pollices octo. Latus obliquum portæ erat unius cubiti; altitudo vero ejus æquabat cubitos 13. vel pedes 22. pollices duos & ſemis. Vide *Ezech.* XL. 9. 11.

De porta occidentali Templi nihil Ezechiel, quod ſcilicet ex delineato ab illo ſchemate, ædes Regiæ fortaſſe Templo non amplius jungerentur, adeoque porta occidentalis, unde Regi patebat ingreſſus, jam non amplius ſubſiſteret. Cum vero ſchema ab eo traditum mandatum non fuerit, ſoluta captivitate Babylonica, ſuæ non deerant portæ occidentales, teſte Joſepho; & ante captivitatem, portam occidentalem perſeveraſſe, conſtat ex Ezechiele XLIII. 8. & 2. *Reg.* X. 12. XI. 6. XVI. 18. XXIII. 11. 1. *Paral.* IX. 24. XXVI. 16. 18.

Porta veſtibuli Sancti lata erat cubitis 14. vel pedibus 23. pollicibus 11. *Ezech.* XL. 48. 3. *Reg.* VI. 3.

Porta Sancti decem cubitis, vel 17. pedibus, ac uno pollice lata. *Ezech.* XLI. 1. 2.

Porta Sanctuarii, latitudinis ſex cubitorum, vel decem pedum, cum tribus pollicibus. Septum medium habebat tantum cubitos duos. *Ezech.* XLI. 1. 3.

Porta Orientalis atrii Sacerdotum, tota hebdomada claudenda erat, nec aperienda niſi die Sabbathi, teſte Ezechiele. Ibi Rex cathedram ſuam habebat. *Ezech.* XLIV. 2. 3. 4. XLVI. 1. 2. &c.

Cellis regnantibus circum atrium Iſraelis duo tantum ſolaria conſtituimus. Sed quæ diſpoſitæ erant circum atrium Sacerdotum, tria habebant

Digitized by Google

ſolaria. *Ezech.* XLII. 3. 5. 6. Diſcrimen erat aliud inter ædificium atrii Sacerdotum, & atrii Iſraelis; quod ſcilicet prioris atrii parietes duo ligna haberent lapidibus intermixta. 3. *Reg.* VI. 36. *Ædificavit Salomon atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & ſuo ordine lignorum cedri.* De ſtructura atrii exterioris, vel populi, nullibi narratur.

In Veteri Teſtamento nomen *Atrii gentium* nullibi occurrit; nec niſi duplicis atrii mentio ibi fit, Sacerdotum nempe & populi, quorum hoc exterius, illud interius appellabatur. Subſtitiſſe tamen conſtat primum atrium, quod nos Gentium appellamus.

Menſuras altitudinis alarum vel ædium regnantium circum utrumque atrium, ſilet Scriptura. Nos illis aſſignavimus cubitos triginta, quod ſcilicet non magis aſſurgeret totum Templi ædificium, nec Regiæ Salomonis ædes. 3. *Reg.* VI. 2.

EXPLICATIO

Novæ Iconographiæ Veteris Jeruſalem.

URbs Jeruſalem duobus altis montibus inſidebat. *Joſeph, de bello lib. 5. cap. 6. pag.* 912. *Tacit. Hiſtor. lib.* 5.

Ex his montibus alter, meridionalis, locus erat Jebus ſeu veteris Jeruſalem, a Davide Jebuſæis ereptæ. 2. *Reg.* V. 6. &c.

Mons alter, ſeptemtrionalis, Sion dictus, conditam a Davide novam urbem, urbem Davidis appellatam, ſuſtinuit. Ibi pariter conſidebat Templum, in dorſo quodam, *Moria* appellato. Vide *Pſalm.* XLVII. 3. *Iſa.* XIV. 13. & 2. *Reg.* V. 7. 9. & 1. *Par.* XI. 5. & *Reg.* VIII. 1. & 2. *Par.* V. 2.

Templum ſtabat in colle Moria, qui portio erat montis Sion. Templum autem jacebat ad orientem Regiarum Ædium, & ad ſeptemtrionem veteris Jeruſalem. *Iſa.* XIV. 13. *Pſalm.* XLVII. 3.

Mello vallis erat, diſtinguens olim veterem Jeruſalem a monte Sion, quam aggeſta humo reliquo ſolo æquarunt David & Salomon, ut geminas urbes continuarent. Regalium ædium pars ſaltem inſidebat ipſi *Mello.* 3. *Reg.* IX. 15. 24. & XI. 27. &c.

Ædes iſtæ Regiæ occidentales erant Templo. Ædificavit etiam Salomon junctas ædibus ſuis ædes filiæ Regis Ægypti: earum tamen certus ſitus ignoratur.

Horti Regis longe removendi non ſunt ab ejus ædibus, nec a fonte Siloes. Vide 4. *Reg.* XXV. 4. 2. & 2. *Eſdr.* III. 15. Regum ſepulchra nec abfuiſſe ab hortis Regiis, nec alibi, quam in monte Templi exciſa fuiſſe videntur. Vide 4. *Reg.* XXI. 18. 26. *Ezech.* XLIII. 7.

Secundam urbem mœnibus cinxit Manaſſes. 2. *Par.* XXXIII. 14. Ejus nulla mentio niſi poſt ejus regnum occurrit. Vide 4. *Reg.* XXII. 24. 2. *Par.* XXIV. 22. *Sophon.* I. 10.

Urbs condita poſt Macchabæos deſcribitur a Joſepho *de Bello lib. 5. cap. 6. pag.* 913. Agit etiam de aliis nonnullis mœnibus urbem ambientibus, quæ cum ad veterem Hiſtoriam non pertineant, neglximus.

Torrens Cedron fluit ad orientem Jeroſolymæ, e ſeptemtrione ad meridiem, inter urbem ad occidentem, & montem Olivarum ad orientem. Rivus eſt humilis, nec æſtate ſemper fluens.

Fons Genon, vel Gihon, ad occidentem urbis. 2. *Par.* XXXIII. 14. & XXXII. 30. Confer 3. *Reg.* 1. 9. vel cum ℣. 33. ejuſdem capitis.

Fons Siloe, Fullonis, vel Rogel, ſive Piſcina ſuperior, varia enim ſunt unius ejuſdem rei nomina, offerebat ſeſe ad orientem urbis, ubi ad meridiem vergebat. Libris Veteris Novique Teſtamenti æque celebratur. Vide 4. *Reg.* XVIII. 17. *Iſa.* VII. 3. & XXXV. 2. & 2. *Reg.* XVII. 17. Vide & Joſephum *de Bello lib. 6. cap.* 6. in Latino *pag.* 953.

Mons Calvariæ occidentalis erat veteri Jeruſalem, & a portis ejus non diſſitus. Chriſti ſepulchrum in eo monte erat. *Joan.* XIX. 41.

Mons Olivarum, ad orientem urbis, tribus conſtabat collibus, quorum medius cæteris altior erat. Vallis Hennon vel filiorum Hennon, vel Tophet, jacebat ad meridiem urbis. *Joſue* XV. 8. XVIII. 16. Sentina erat urbis, quo cadavera & ſordes projiciebantur. Vide 4. *Reg.* XXIII. 10. *Iſai.* XXX. 33. & LXVI. 24. *Jerem.* VII. 31. 32. XIX. 12. XXIII. 35. Ibi humanis victimis litabatur Moloch. Huc ſpectat Jeſus Chriſtus in Novo Teſtamento, Inferno aptans nomen *Gehenna*, ſeu vallis Henna.

Plures quidem occurrunt legentibus portæ urbis, quarum tamen certum ſitum ignoramus. Quin & vero ſimillime variaſſe illarum nomina, & plura uni eidemque data fuiſſe videtur. Cum autem plures eſſent mœnium urbem cingentium ambitus, & ſingulis ſuæ non deeſſent portæ, merito reputamus portas haſce ad exteriora urbis non omnes patuiſſe.

Porta vallis, porta ſtercoris, porta fontis in eodem latere, ad orientem urbis patebant. 2. *Eſdr.* II. 13. 14. III. 13. XII. 31. Porta vallis a porta ſtercoris cubitis mille circiter diſtabat. 2. *Eſdr.* III. 13.

Porta Ephraim, porta vetus, porta piſcis eidem urbis lateri occidentali reſpondebant. Vide 2. *Eſdr.* XII. 38.

A porta Ephraimi ad portam anguli CD. cubitorum intervallum patebat. 4. *Reg.* XIV. 13. 2. *Par.* XXV. 23.

Porta gregis a turri Hananeelis quadringentis cubitis diſtabat. 2. *Eſdr.* III. 1.

Porta fontis, quæ erat ad fontem Siloes, ab hortis Regiis procul non aberat. 2. *Eſdr.* II. 14. & XII. 35. & III. 15. *Jerem.* LII. 7.

Porta equorum ſita erat ad orientem, ſatiſque vicina Templo ædibuſque Regiis. 4. *Reg.* XI. 16. *Jeremiæ* XXXI. 40. 2. *Eſdræ* III. 28.

Porta Beniamin Templo pariter proxima erat. Vide *Jerem.* XX. 2. XXXVII. 12. & XXXVIII. 2.


Porta piſcium occurrit. 2. *Par.* XXX. 14. & 2. *Eſdr.* III. 7. XII. 38. *Sophon.* I. 10.

Porta anguli. 4. *Reg.* XIV. 13. *Jerem.* XXXI. 38. *Zachar.* XIV. 10.

Omiſimus *portam Judicii*. 2. *Eſdr.* III. 30. & *portam priorem*, *Zachar.* XIV. 10. quarum certum ſitum ignoramus.

Cæterum ad generalem urbis & ſoli diſpoſitionem quod attinet, id conſuluimus quod optima quæque Itineraria maxime conſtans & accuratum dederunt de ſitu montium, rivorum & fontium, qui hodie uſque manent, nec locum variarunt. Ad hæc igitur iconographiam hanc noſtram digeſſimus.

COM-



IENTE

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN III. LIBRUM REGUM.

CAPUT PRIMUM,

Abiſag Sunamitis deligitur, ut famuletur foveatque ſenectute rigentem Davidem. Adonias conſpirationem molitur, ut Regnum occupet. Salomon ſucceſſor Davidis agnoſcitur, & Rex conſecratur. Adonias perfugit ad aſylum altaris; cui Salomon parcit.

V. 1. ET rex David ſenuerat, habebatque ætatis plurimos dies: cumque operire- A. M. 2989.
tur veſtibus, non calefiebat. 2. Dixerunt ergo ei ſervi ſui: Quæramus ante J. Chr. 1015.
Domino noſtro regi adoleſcentulam virginem, & ſtet coram rege, & foveat eum,
dormiatque in ſinu ſuo, & calefaciat dominum noſtrum regem. 3. Quæſierunt igi-
tur adoleſcentulam ſpecioſam in omnibus finibus Iſrael, & invenerunt Abiſag Suna-
mitidem, & adduxerunt eam ad regem. 4. Erat autem puella pulchra nimis, dor-
miebatque cum rege, & miniſtrabat ei, rex vero non cognovit eam. 5. Adonias
autem filius Haggith elevabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque ſibi currus, & equi-
tes, & quinquaginta viros, qui currerent ante eum. 6. Nec corripuit eum pater
ſuus aliquando, dicens: Quare hoc feciſti? erat autem & ipſe pulcher valde, ſecun-
dus natu poſt Abſalom. 7. Et ſermo ei cum Joab filio Sarviæ, & cum Abiathar
ſacerdote, qui adjuvabant partes Adoniæ. 8. Sadoc vero ſacerdos, & Banajas filius
Jojadæ, & Nathan propheta, & Semei, & Rei, & robur exercitus David non erat
cum Adonia. 9. Immolatis ergo Adonias arietibus, & vitulis, & univerſis pingui-
bus, juxta Lapidem Zoheleth, qui erat vicinus Fonti Rogel, vocavit univerſos fra-
tres ſuos filios regis, & omnes viros Juda ſervos regis. 10. Nathan autem prophe-
tam, & Banajam, & robuſtos quoſque, & Salomonem fratrem ſuum non vocavit.
11. Dixit itaque Nathan ad Bethſabee matrem Salomonis: Non audiſti, quod regna-
verit Adonias filius Haggith, & dominus noſter David hoc ignorat? 12. Nunc ergo
veni, accipe conſilium a me, & ſalva animam tuam, filiique tui Salomonis. 13. Vade
& ingredere ad regem David, & dic ei: Nonne tu, domine mi rex, juraſti mihi
ancillæ tuæ, dicens: Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit in ſolio
meo? quare ergo regnat Adonias? 14. Et adhuc ibi te loquente cum rege, ego ve-
niam poſt te, & complebo ſermones tuos. 15. Ingreſſa eſt itaque Bethſabee ad re-
gem in cubiculum: rex autem ſenuerat nimis, & Abiſag Sunamitis miniſtrabat ei.
16. Inclinavit ſe Bethſabee, & adoravit regem. Ad quam rex, Quid tibi, inquit,
vis? 17. Quæ reſpondens, ait: Domine mi, tu juraſti per Dominum Deum tuum
ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit in ſolio meo.
18. Et ecce nunc Adonias regnat, te, domine mi rex, ignorante. 19. Mactavit bo-
ves, & pinguia quæque, & arietes plurimos, & vocavit omnes filios regis, Abia-
thar quoque ſacerdotem, & Joab principem militiæ: Salomonem autem ſervum tuum
non vocavit. 20. Verumtamen, domine mi rex, in te oculi reſpiciunt totius Iſrael,
ut indices eis, qui ſedere debeat in ſolio tuo, domine mi rex, poſt te. 21. Erit-
que cum dormierit dominus meus rex cum patribus ſuis, erimus ego, & filius meus
Salomon, peccatores. 22. Adhuc illa loquente cum rege, Nathan propheta venit.
23. Et nunciaverunt regi dicentes: Adeſt Nathan propheta: Cumque introiſſet in con-

ſpectu

ſpectu regis, & adoraſſet eum pronus in terram. 24. Dixit Nathan: Domine mi rex, tu dixiſti: Adonias regnet poſt me, & ipſe ſedeat ſuper thronum meum? 25. Quia deſcendit hodie, & immolavit boves, & pinguia, & arietes plurimos, & vocavit univerſos filios regis, & principes exercitus, Abiathar quoque ſacerdotem: illiſque veſcentibus, & bibentibus coram eo, & dicentibus: Vivat rex Adonias: 26. Me ſervum tuum, & Sadoc ſacerdotem, & Banajam filium Jojadæ, & Salomonem famulum tuum, non vocavit. 27. Numquid a domino meo rege exivit hoc verbum, & mihi non indicaſti ſervo tuo, quis ſeſſurus eſſet ſuper thronum domini mei regis poſt eum? 28. Et reſpondit rex David, dicens: Vocate ad me Bethſabee: Quæ cum fuiſſet ingreſſa coram rege, & ſtetiſſet ante eum, 29. Juravit rex, & ait: Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni anguſtia, 30. Quia ſicut juravi tibi per Dominum Deum Iſrael, dicens: Salomon filius tuus regnabit poſt me: & ipſe ſedebit ſuper ſolium meum pro me: ſic faciam hodie. 31. Summiſſoque Bethſabee in terram vultu, adoravit regem, dicens: Vivat Dominus meus David in æternum: 32. Dixit quoque rex David: Vocate mihi Sadoc Sacerdotem, & Nathan prophetam, & Banajam filium Jojadæ. Qui cum ingreſſi fuiſſent coram rege, 33. Dixit ad eos: Tollite vobiſcum ſervos domini veſtri, & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam: & ducite eum in Gihon. 34. Et ungat eum ibi Sadoc ſacerdos, & Nathan propheta, in regem ſuper Iſrael: & canetis buccina, atque dicetis: Vivat rex Salomon. 35. Et aſcendetis poſt eum, & veniet, & ſedebit ſuper ſolium meum, & ipſe regnabit pro me: illique præcipiam, ut ſit dux ſuper Iſrael, & ſuper Judam. 36. Et reſpondit Banajas filius Jojadæ, regi dicens: Amen: ſic loquatur Dominus Deus domini mei regis. 37. Quomodo fuit Dominus cum domino meo rege, ſic ſit cum Salomone, & ſublimius faciat ſolium ejus a ſolio domini mei regis David. 38. Deſcendit ergo Sadoc ſacerdos, & Nathan propheta, & Banajas filius Jojadæ, & Cerethi, & Phelethi: & impoſuerunt Salomonem ſuper mulam regis David, & adduxerunt eum in Gihon. 39. Sumpſitque Sadoc ſacerdos cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem: & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Vivat rex Salomon. 40. Et aſcendit univerſa multitudo poſt eum, & populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno, & inſonuit terra a clamore eorum. 41. Audivit autem Adonias, & omnes, qui invitati fuerant ab eo, jamque convivium finitum erat: ſed & Joab, audita voce tubæ, ait: Quid ſibi vult clamor civitatis tumultuantis? 42. Adhuc illo loquente, Jonathas filius Abiathar ſacerdotis venit: cui dixit Adonias: Ingredere, quia vir fortis es, & bona nuntians. 43. Reſponditque Jonathas Adoniæ: Nequaquam. Dominus enim noſter rex David regem conſtituit Salomonem: 44. Miſitque cum eo Sadoc ſacerdotem, & Nathan prophetam, & Banajam filium Jojadæ, & Cerethi, & Phelethi, & impoſuerunt eum ſuper mulam regis. 45. Unxeruntque eum Sadoc ſacerdos, & Nathan propheta regem in Gihon: & aſcenderunt inde lætantes, & inſonuit civitas: hæc eſt vox, quam audiſtis. 46. Sed & Salomon ſedet ſuper ſolium regni. 47. Et ingreſſi ſervi regis benedixerunt domino noſtro regi David, dicentes: Amplificet Deus nomen Salomonis ſuper nomen tuum, & magnificet thronum ejus ſuper thronum tuum. Et adoravit rex in lectulo ſuo. 48. Et locutus eſt: Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui dedit hodie ſedentem in ſolio meo, videntibus oculis meis. 49. Territi ſunt ergo, & ſurrexerunt omnes, qui invitati fuerant ab Adonia, & ivit unuſquiſque in viam ſuam. 50. Adonias autem timens Salomonem, ſurrexit, & abiit, tenuitque cornu altaris. 51. Et nuntiaverunt Salomoni, dicentes: Ecce Adonias timens regem Salomonem, tenuit cornu altaris dicens: Juret mihi rex Salomon hodie, quod non interficiat ſervum ſuum gladio. 52. Dixitque Salomon: Si fuerit vir bonus, non cadet ne unus quidem capillus ejus in terram: ſin autem malum inventum fuerit in eo, morietur. 53. Miſit ergo rex Salomon, & eduxit eum ab altari: & ingreſſus adoravit regem Salomonem: dixitque ei Salomon: Vade in domum tuam.

℣. 1. ET DAVID SENUERAT. Diem clauſit David ſeptuaginta annorum ætate ſenex. Creatus Rex triginta annorum ætatem agens, regnavit annis quadraginta (1). Anno ante obitum ſuum creditur adſciviſſe ſibi Abiſag, ut foveretur.

CUMQUE OPERIRETUR VESTIBUS, NON CALEFIEBAT. Temperamento corporis erat robuſto, ſanguineo, igneo, & habitudine felici. Strenui virtus animi,

[1] 2. Reg. v. 4. *Filius triginta annorum erat David, cum regnare cœpiſſet, & quadraginta annis regnavit.*

mi, quæ nunquam ſuo tempore non paruit, labores quos adeo diuturnos paſſus eſt, temperamenti robur ſatis demonſtrant: ſed graviſſimi labores, & male præſertim domeſtica, quæ ejus familiam poſtremis vitæ illius annis turbarunt, affecta valetudo qua laboravit, & cujus in Pſalmis meminit, corporis valetudinem infirmaverant, extenuaverant vires, & naturalem calorem ferme extinxerant, ea certe ætate non adeo provecta, ut vegeti roboris aliquid retinere non poſſet. Docent Rabbini (1), terrificum Angeli minitantis cædem per univerſam regionem, in pœnam indicti in populo cenſus, aſpectum ad deterendas Regis vires magnopere contuliſſe. Nec deſunt inter illos qui credant, deſtitutionem hanc vitium inductam eſſe in pœnam audaciæ præcidendi oram pallii Saulis. Fabellas ridendas potius, quam ſerio refutandas.

℣. 2. Dixerunt ei servi sui. Medici, inquit Joſephus (2), & Commentariorum Scriptores quidam poſt illum, cenſuerunt, quærendam eſſe Regi puellam, ut calefieret; externa enim auxilia in eam rem nihil valebant. Equidem veſtes, calor ignis vel Solis inanes omnino ſunt, uti animadvertit Franciſcus Valeſius (3), niſi forte quid conferant ad fovendum, detinendum, regerendumque diſſipantem ſeſe exterius calorem naturalem, quin & ad illum excitandum, reſtituto vel ſervato in ſanguine & humoribus naturali motu, temperie, ac unione; denique mirabili eo æquilibrio, quo vita hominis detinetur. Statim vero ac naturalis iſte calor evaneſcit ac diſſipatur, cum ſanguis deſtituitur ſpiritibus, abſumuntur vel hebetantur humores, deteruntur organa, rigent vel occluduntur vaſa, & naturales viæ erogationes haſce & jacturas reparandi præciduntur; tunc utique ignis, & cætera exteriora præſidia nihil conferunt. Cum enim exterius tantum agant, nulli uſui ſunt, niſi ut augeant morbum, diſſipationem, jacturam. Artificialis iſte calor neque alacritatem ſanguini, neque humoribus motum reſtituet: turbabit potius quam componet œconomiam humorum & ſpirituum, texturamque fibrarum & organorum: hinc perniciem & mortem inferet, non valetudinem & commodum. Doctiſſimi quique medicorum perſimile huic remedium in ſimili morbo præſcripſerunt (4). Imperatori Ænobarbo ſub exitum vitæ author fuit medicus quidam Judæus, ut pueris adoleſcentibus pectori admotis ſeſe foveret. In eumdem uſum catelli interdum adhibentur (5). Suppetunt exempla hominum, quibus affectam valetudinem reſtituit cubatio cum adoleſcentibus ſanis & bene valentibus. Vide epiſtolam D. de S. Andrea ep. 3. pag. 200.

Stetit coram Rege, ut ſerviret Regi. Sed verſiculi 4. & 15. atque Chaldæus hujus Textus docent, adhibitam fuiſſe puellam ut Regi ægrotanti miniſtraret, exhiberet potum & cibum, & cætera præſtaret, quæ morbus atque ætas Principis exigerent. Decubuiſſe tunc in lecto Davidem, conſtabit inferius (6).

Et foveat eum. Hebræus (7): *Et ſolatio illi ſit*, vel *ſerviat*. Chaldæus: *Sit illi propinqua*. Alii: *Sit illi uxor*, vel *concubina*. Diſſidium eſt ea de re inter Scriptores; cenſent enim quidam uxorem Davidi fuiſſe, alii vero malunt adſcitam fuiſſe tantummodo in ancillam, ſeu potius in concubinam & ſecundi ordinis uxorem. Priores (8) animadvertunt I. Affirmare Scripturam, cognitam illam a Rege non fuiſſe, relictamque intactam. Igitur Davidi fas erat, maritali in eam libertate veluti in uxorem uti. II. Cum illam ſibi in uxorem poſtulaſſet Adonias, poſtulationem hanc veluti tentatam uſurpationem Regni accepit Salomon; quaſi ſcilicet Adonias conjungere ſibi volens uxorem Regis, Regnum affectaſſet. III. David nunquam commiſiſſet, ut ſe & puellam exponeret diſcrimini vel ſaltem ſuſpicioni peccati, lecto illam excipiens, nullo uxoris nomine.

Sed Rabbini (9), Toſtatus, Eſtius, aliique nonnulli negant, conjugium cum Davide ab illa celebratum fuiſſe; acceptam enim ſolummodo ajunt ancillæ loco, vel ſaltem concubinę. Si enim Principi huic acceſſiſſet uxor, nunquam in tantam audaciam veniſſet Adonias, ut illam ſibi uxorem poſtularet. Noſſe enim illum oportuit, novercæ nuptias a lege interdici (10), atque poſtulatis hiſce ſuis graves de ſe ſuſpiciones inditurum Salomoni, quare & expoſiturum ſe indignationi ejuſdem Principis, & morti, uti rei eventus plus nimio demonſtravit. Reponi his poſſet, Adoniam, ſive ambitione ſive amore excæcatum, non ſatis Legis rationem habuiſſe, cujus vim totam minus compertam habere potarat. Adde, quod in eam perſuaſionem venire ex eo potuerit, quod puella e Davide cognita non fuerit, ac proinde legis interdicto non comprehenſa (11). Reputabat denique, Salomonem adoleſcentem adhuc novumque Regem nunquam commiſſurum, ut poſtulationem hanc repelleret, nec pernicioſas ejus appendices proſpecturum. Hinc ne ambigentes quidem credimus, Abiſag uxorem fuiſſe legitimam Davidis, quamquam intacta ab eo Principe relicta eſt. Hæc autem omnia mulierem formant in perfectam Eccleſiæ ſponſæ J. Chriſti imaginem. Quemadmodum Adonias ſymbolum eſt Hæreticorum, & perſecutorum Eccleſiæ, qui caſtam hanc ſponſam violare nunquam non tentarunt, ut Regnum veri Davidis uſurpent.

℣. 3. Abisag Sunamitidem. *Sunam* locus erat in Tribu Iſſachari, a monte Thabore non diſtans. Hæc vero narratio ideo potiſſimum hic referri videtur, ut via quædam ſtrueretur ad hiſtoriam mortis Adoniæ, & primas Regni Salomonici narrationes.

℣. 5. Adonias filius Haggith elevabatur, dicens: Ego regnabo. *Haggith* mater Adoniæ nihil ex ortu ſuo illuſtre retuliſſe videtur; neque enim ortum ſive originem mulieris docet Scriptura. Adonias tunc maximus erat natu inter filios Davidis: Princeps eleganti corporis forma, deliciæ aulæ, & Regis. Abſalom, qui ætate illum præcedebat, deceſſerat. Salomon puer adhuc erat. David ætate provectus, & ſenectute atque morbo afflictus, viderat quidem ſæpe Adoniam ſatellitio ſtipatum, quale deceret hæredem futurum Regni; viderat, ac ſiluerat: idque Regis ſilentium pleti que, & Adonias pariter, veluti tacitum aſſenſum acceperant. Hiſce ſimul omnibus adjungebatur naturalis viri ambitio, quæ juvenilem Principis animum, cui proſperitas fortunæ velificabat, impulerunt, ut negligeret Aulæ Principes, quos rebus ſuis minus favere rebatur, eoſque adeo deſpiceret, ut amovendos cenſeret a ſolemni convivio a ſe inſtituto, ubi ſalutari ſe permiſerat fauſtis illis acclamationibus: *Vivat Rex Adonias* (12). Excitarunt hæc ſpiritum, mentemque Prophetæ Nathani, ut conſilia iniret, quæ opportuna norat efferendo ad Regnum Salomoni alumno ſuo, ex Regis promiſſione, & Domini imperio.

Nullis adhuc legibus Regum Hebræorum ſucceſſio

(1) Vide Lyran. & Munſter. & Sanct. (2) Joſeph. Antiqu. lib. 7. c. 11. & Menoch. (3) Valeſius de Sacra Philoſophia c. 19. (4) Galen. lib. 7. Method. apud Valeſ. *Hujuſcemodi frigiditati ſubveniri poſſe docet Galenus*, [loco citato,] *ſi cum eo, qui ejuſmodi patitur caloris defectum, aſſidue cubet boni habitus puellus*. Vide & Grot. hic. (5) Bartolin. de Morb. Biblic. art. 9. (6) ℣. 47. *Et adoravit Rex in lectulo ſuo.* (7) ותהי לו סכנת 70. Καὶ ἔστω αὐτῷ θάλπουσα. Scholiaſt. Σύγκοιτος. (8) Theodoret. quæſt. 7. Procop. Hieron. Ep. 2. ad Nepotian. Lyran. Dionyſ. Cajet. Tirin. &c. (9) Apud Selden. uxor. Hebr. lib. 3. cap. 19. (10) Levit. XVIII. 8. *Turpitudinem uxoris patris tui non diſcooperies.* (11) Ita tenet Kimchi apud Mart. in ℣. 21. cap. 2. (12) ℣. 25. *Illis veſcentibus, & bibentibus coram eo, & dicentibus: Vivat Rex Adonias.*

Digitized by Google

ceſſio directa erat. Statuerat Deus, ut illi Regnum demandaretur, quem ipſe elegiſſet (1): *Eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum*. Ita rebus præfectus eſt Saul, ita & David: jura ſanguinis & neceſſitudinis omnia tunc neglecta ſunt. Meritum & Numinis deſtinatio ſolummodo valuere. Speciali autem privilegio domui Davidis conceſſo, primæ huic politiæ a ſe conſtitutæ derogandum cenſuit Deus, Regnum Principi huic deferens, totique poſt illum poſteritati, in perpetuam ſæculorum ſucceſſionem (2). Nemo in Iſraele hæc ignoravit; ſtatutaque hæc a Deo politia neminem latuit: ſed nihil adhuc ſancitum fuerat de ordine hujus ſucceſſionis, utrum ſcilicet Regni hæreditas ad filium majorem natu devolvenda eſſet. Cum tamen naturę leges id poſcere utcumque viderentur, idque poſceret ſervata ubique apud gentes omnes conſuetudo, ut ſcilicet imperium ad filium natu majorem deferretur (3); Adonias eo non obſcure properabat, totamque ſibi authoritatem & apparatum futuri Regis uſurpaverat, ſive ignorans ſive diſſimulans fidem a patre ſuo datam Bethſabeæ, relinquendi Regnum nato ex illa Salomoni; quam datam a Rege fidem probaverat, confirmaveratque Dominus, qui conceptis verbis expreſſerat futurum, ut puerum hunc dilectum haberet & charum (4).

Fluctuans inter Adoniam & Salomonem populus ſupremam Regis voluntatem expectabat, ut ſeſe illi ſubjiceret, quem Rex ipſe deſignaſſet. *In te*, ait Bethſabee ad Davidem (5), *oculi reſpiciunt totius Iſrael, ut indices eis, quis ſedere debeat in ſolio tuo*. Conſtat itaque, minus reſpici conſueviſſe naſcendi ordinem, quam electionem & voluntatem Regis. Eadem quoque politia occurrit ubique per totam ſeriem Regum Juda, Davidis ſucceſſorum. Plerumque filius natu prior ſuccedebat Regi, qui ſucceſſore non deſignato obierat; ſæpe tamen Reges diu ante obitum ſuum deſignabant filium, quem ſucceſſorem elegiſſent.

Qui currerent ante eum. Vide Nicolai Itiner. pag. 152. qua ratione ſe gerunt curſores Magni Turcæ, cujuſmodi etiam plures ſunt in aula magnorum Principum Germaniæ.

℣. 7. Sermo ei cum Joab filio Sarviæ. Joab imperator copiarum Davidis, ut authoritatem ſuam magis ſibi magiſque aſſereret, e re ſua eſſe norat, in electionem Regis operam ſuam impendere. Eo ſpectabat ille, ut copiarum præfecturam retineret; quam in rem commodum ſibi futurum cenſuit, ut amicum ſibi Principem ad Regnum eveheret, quem ſemper haberet ad nutum obſequentem. Viciſſim autem Adonias, qui noverat Joabi animum audacem, conſtantem, ad res moliendas promptum, norat pariter animi ejus virtutem, authoritatem in milites, favorem in populo, nihil melius rebus ſuis ſe facturum cenſuit, quam ut talem virum, & ejus ingenii ſibi adſciſceret.

Et cum Abjathar Sacerdote, ſummo ſcilicet Sacerdote, cujus non minor erat in Sacerdotes & Levitas, quam Joabi in milites authoritas. Sacerdotes apud Hebræos in pretio erant, conſtituebantque in Republica illuſtre quoddam corpus, gradu ſuo & muneribus diſtinctum. Plurimum igitur id profuturum rebus ſuis cenſuit Adonias, ſi caput validi adeo corporis in partes ſuas traheret.

℣. 8. Sadoc Sacerdos . . . non erat cum Adonia. Abiathar & Sadoc ſummum Sacerdotium ſimul gerebant, e diverſis ſati familiis, quamvis ambo ex uno eodemque genere Aaronico. Abiathar ad familiam Ithamari, Sadoc ad familiam Eleazari pertinebat. Prior inhæſerat Davidi perfugæ, & e favore Regis Saulis excluſo; alter autem Sacerdotium in Tabernaculo ſub eodem Saule exercuerat. David novo plane exemplo exercitium dignitatis ſuæ utrique permiſit. Merito credimus, duos hoſce Sacerdotes animo inter ſe non conveniſſe, foviſſe ſimultates & æmulationes, cum ex illis alter ſeceſſerit in partes Adoniæ, alter vero adhæſerit Salomoni. Sadoco res ceſſit felicior; captis enim Regni habenis, Salomon exauctoravit Abjatharum, Sadocum confirmavit.

Banaias filius Jojadæ. Banajas virtute ſua illuſtris (6), conſtitutus fuerat a Davide Princeps Cerethi & Phelethi (7), qui cuſtodes corporis fuiſſe creduntur. Tranſtulit illum deinde Salomon ad ſupremum armorum ſuorum imperium, Joabi loco (8). Ambo hi duces, Joabus & Banajas, æmulis ſeſe animis ſuſpiciebant, quæ forte cauſa illos prohibuit, ne in unam eamdemque partem convenirent.

Nathan. Hunc Prophetam fuiſſe conſtat in obſequio & amore Davidis, cui educationem filii ſui Salomonis commiſiſſe plures arbitrantur (9); ipſumque Salomonem rerum potitum magnam illi authoritatem apud ſe tribuiſſe, ut communi nomine *Pater Regis* appellaretur. Hæc opinio, quæ Nathano gloriam vindicat educati Salomonis, ducitur e Textu 2. Regum XII. 25. in quo hæc olim legebantur: *Miſit eum* [David Salomonem] *in manu Nathan Prophetæ, & vocavit eum: Amabilis Domino*. Vel, uti legebat, Petrus Comeſtor: *Commiſit eum in manu Nathan*. Sed Vulgata noſtra correcta fert tantum: *Miſitque in manu Nathan*; quod cum Hebræo & Septuaginta cohæret. Quare opinioni huic fundamentum ſubducitur. Quin & ipſe de ſe Salomon affirmat in Proverbiis XXXI. juveniles inſtitutiones a matre ſua ſeſe accepiſſe.

Semei. Sunt qui credant (10), eumdem eſſe virum ac Nabat patrem Jeroboami, qui decem Tribubus imperavit. Idem Semei magiſter, & pedagogus Salomonis fuiſſe traditur. Quæ tamen omnia inter incerta ſunt incertiſſima. Conſtat utique, virum fuiſſe longe alium a Semei, qui maledictis inceſſivit Davidem (11), quique juſſu Salomonis neci traditus fuit (12).

Rei. Author Traditionum Hebraicarum in Libros Regum eumdem eſſe virum cenſet ac Iram Jaraitem, veterem Davidis amicum, qui & appellatur *Sacerdos David* (13).

Robur exercitus David. Nomine exercitus Davidis innuuntur facile corporis cuſtodes, Cerethi & Phelethi, quæ ſelectiſſimę Davidis copię erant, & fortaſſe unicę quas haberet ſemper ſub ſignis, & mercede conduceret. Exercitus, cui præerat Joabus, coaleſcebat ex univerſo populo ferendis armis idoneo. Numerus erat hominum ingens, at non ſemper ſtabat ſub ſignis.

Damus hic novas conjecturas in poſtrema illa verba: *Semei & Rei & robur exercitus*. Septuaginta legerunt: *Semei, & ejus amici potentes*, vel *fortes David* (14). Syriacus & Arabs: *Semei & Daja heroes* vel *gigantes* David (15). Vertendum ego maluerim (16): *Nec audientes, nec videntes*, *nec*

[1] Deut. XVII. 15. [2] 2. Reg. VII. 12. . . . & 26. *Suſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus*. [3] Herodot. lib. 7. cap. 2. Ὅτι νομιζόμενον εἴη πρὸς πάντων ἀνθρώπων τὸν πρεσβύτατον τὴν ἀρχὴν ἔχειν. Vide & Juſtin. lib. 2. *Artabazenes maximus natu, ætatis privilegia, regnum ſibi vindicabat; quod jus, & ordo naſcendi, & natura ipſa gentibus dedit*. [4] 2. Reg. XII. 25. *Vocavit nomen ejus, Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus*. [5] ℣. 20. [6] 2. Reg. XXIII. 20. [7] 2. Reg. VIII. 18. & XX. 23. [8] 3. Reg. II. 35. [9] Lyran. Hugo Card. Petr. Comeſtor, Genebr. lib. 1. Chronol. Pineda de Reb. Salom. cap. 19. Menoch. [10] Author Tradit. Hebr. in Libb. Reg. & Salom. apud Toſt. [11] 2. Reg. XVI. 5. 6. [12] 3. Reg. II. 44. 45. [13] 2. Reg. XX. 26. *Ira Jaraites erat Sacerdos David*. [14] Veluti eſſet in Hebr. שמעי ורעי והגבורים [15] Legebant רעי pro ריעי [16] Lego. שמעי וראי וגברים

nec fortes David Adoniæ favebant. Nomine Audientium & Videntium innuitur publicum, vide inferius ℣. 20. qui voluntatem Regis norant, qui Dei conſilium habebant exploratum; vel forte Prophetæ vel filii Prophetarum, præceptores & diſcipuli, quorum magna erat in regione authoritas.

℣. 9. Immolatis Adonias . . . universis pinguibus. Reddi Hebræus poſſet (1): *Immolatis ovibus & capris*, vel arietibus, vel hœdis, & *bubus* ſeu vitulis, *& animalibus ad id ſaginatis*. Septuaginta (2): *Sacrificavit oves, & vitulos, & arietes*. Non ſatis certo affirmari poteſt, juvenem hunc Principem revera obtuliſſe victimas haſce omnes in ſacrificium: non raro Scriptura utitur verbo *immolare*, ut innuat ſolummodo mactare animalia ad convivium; quamquam certum eſt, cum primum Rex inibat imperium, ſacrificia Domino offerri conſueviſſe (3). Sed pariter conſtat, in paribus rerum eventibus ſpectacula plura & convivia exhibita viris principibus, quin & univerſo, qui præſens aderat, populo, uti ſervatum conſtat, cum primum David totius Iſraelis Rex ab omnibus ſalutatus eſt (4).

Juxta lapidem Zoheleth, qui erat vicinus fonti Rogel. Lapidem *Zoheleth* ad exercitationem juvenum poſitum fuiſſe ajunt Hebræi, ut eo projecto, vel potius rotato, & in altum ſublato, vires ſuas experirentur. Malunt alii, poſitum fuiſſe in uſum fullonum, ut lotos ibi pannos pedibus contunderent. Vana ludibria! Fons Rogel proximus Jeroſolymæ & hortis Regiis, atque ad Orientem Sionis a Joſepho conſtituitur.

℣. 12. Salva animam tuam filiique tui Salomonis. Si ſemel Adonias Regni pacificam poſſeſſionem obtinuerit, tibi de tua, ac filii vita etiam atque etiam timendum eſt. Scitum eſt, Davidem Regnum promiſiſſe Salomoni; ſi igitur Adoniæ res pro voto ſucceſſerit, non abſtinebit utique manus ab æmulo ſuo ſubducendo. Nec tibi melior fortuna ſperanda ſupereſt.

℣. 13. Nonne jurasti mihi . . . . dicens: Salomon filius tuus regnabit post me? Quando nam David hæc ſpopondit Bethſabeæ? Nihil enim ſatis apertum hac de re in Scriptura. Interpretum plerique cenſent (5), poſt mortem prioris e Bethſabea filii, Davidem, ut ſolatium aliquod lugenti amiſſum filium matri afferret (6), fidem illi obligaſſe ſuam, futurum, ut ſi alterum communem filium Deus largiretur, Regni ſui ſucceſſorem illum relinqueret. Maluerim ego tamen, Davidem mentem hanc ſuam aperuiſſe, fidemque obligaſſe Bethſabeæ primum, poſtquam Deo revelante novit, communem ſibi alterum filium naſciturum, cui deberetur honor ſucceſſionis in Regno, ac Templi Deo excitandi (7). Certior autem factus eſt David, non alium a Salomone deſtinari, qui fidem Divinarum promiſſionum liberaret, cum eo nato acciverit ad ſe Nathanum Prophetam, qui infanti nomen indidit *Amabilis Domino*. Tunc facile David aperuit Bethſabeæ, commiſſurum ſe pro viribus, ut felix iſte horoſcopus filii ſui impleretur, Regni ſucceſſione in illum translata. Ipſe quin etiam Adonias agnovit, Numinis providentia Salomonem conſtitutum fuiſſe Davidis ſucceſſorem (8). Electio Davidis Salomoni favens, eaque conſilii ſui pateſactio ad Bethſabeam, oracula Nathani non præceſſerunt, ſed potius appendices illorum & effectus jure, meritoque habendæ ſunt.

℣. 16. Inclinavit se Bethsabee, et adoravit Regem. Hebræus ותקד ותשתחו *Flexit cervicem, & proſtravit ſe uſque ad terram coram Rege*. Profunde prius venerata, tum propior Regi facta, ſeſe prono in terram ore proſtravit.

℣. 20. In te oculi respiciunt totius Israel. Impatientes omnes poſtremam voluntatem tuam expectant. Id unum deeſt, quo Adonias in Regem univerſi Iſraelis agnoſcatur. Junior hic Princeps gloriatur ſequenti Capite ℣. 15. *Me præpoſuerat omnis Iſrael ſibi in Regem*; innuens hiſce, populum univerſum animo propenſum fuiſſe, ut ſupremam ſibi authoritatem deferret; quin & habitum eſſe ab omnibus tamquam hæredem deſignatum Regni, niſi David poſtrema illa voluntatis ſuæ pateſactione naturalem ordinem inver tiſſet, ac Regni hæreditatem tranſtuliſſet in Salomonem.

℣. 21. Erimus ego, et filius meus Salomon peccatores: perinde nobiſcum, ac cum ſontibus agetur. Adonias necem nobis inferet, tamquam Regni affectati, & publici in Rempublicam criminis rei (9). Cum Salomon jus habebat ad Regnum, ex Divinis tuiſque promiſſionibus petitum, emendicatis cauſis id ſtudebit Adonias, ut e medio tollat virum, quem ſibi timebit pernicioſum; atque ego communi cum illo exitio obvolvar. Reddi etiam poteſt Hebræus (10): *Erimus ego, & Salomon fruſtrati*; ſpe noſtra excidemus (11). Peccare, delinquere, hoc ſenſu quandoque uſurpantur. Denique in hanc ſententiam quidam expoſuerunt (12): Ego & filius meus traducamur tamquam ſontes; ego ſcilicet tamquam adulterii rea, filius autem meus tamquam ex iniquo connubio natus.

℣. 28. Vocate ad me Bethsabee. Ingrediente Nathano, in conclave Regis, exierat Bethſabee; uti revocata Bethſabea, egreſſus eſt Nathanus. Hiſce omnibus demonſtratur, quemlibet ſeorſum ab aliis admiſſum fuiſſe, ut libere & ſolus cum Rege colloqueretur. Nihil autem David reſpondit Nathano; vel ſaltem reſponſum, ſi quod datum eſt, nullum in Scriptura recitatur.

℣. 33. Tollite vobiscum servos Domini vestri. Copias, quæ tunc præſto erant apud Regem, & in Urbe, cuſtodes corporis, Cerethi, & Phelethi, qui Banajæ duci parebant.

Imponite Salomonem filium meum super mulam meam. Mula Rex vehebatur; atque capitale erat ſubdito ea re uti, quam Princeps in ſuum uſum deſtinaverat. Hinc David imponi jubens mulæ ſuæ Salomonem, voluntatem ſuam erga illum ſatis luculenter aperiebat.

Ducite eum in Gihon. Chaldæus, & Commentariorum Scriptores plures (13) cenſent, Gihon ipſum eſſe fontem Siloe. Quæ tamen ſententia nulla ratione defendi poteſt; cum Gihon ſitus eſſet ad Occidentem, Siloe ad Orientem Urbis. Duo erant igitur longe inter ſe diverſi fontes; quod & aperte narrationis hujus ſeries demonſtrat. Docent Hebræi (14), apud ſuos olim regali unctione Reges nunquam initiari conſueviſſe, niſi ad aquas, & prope fontes, quod ſcilicet loca illa publica haberentur. Ajunt nonnulli, Salomonem extra urbem non exiiſſe; aliis contraria ſedet opinio (15). Conſtat utique, Gihon fontem eſſe, cujus aquas ad partem occidentalem civitatis David, deduxit Ezechias (16). Igitur Salomon extra urbem utique egreſſus eſt.

℣. 36. Respondit Banajas . . . . dicens: Amen: Sic loquatur Dominus Deus Domini mei Regis.

Quæ

---

[1] ויזבח צאן ובקר ומרי [2] Septuag. Ἐθυσίασε πρόβατα καὶ μόσχους, καὶ κριούς. Vel ex aliis Codicibus, πρόβατα, καὶ βόας, καὶ ἄρνας. [3] Vide 1. Reg. xi. & 1. Paral. xix. 21. [4] 1. Paralip. xii. 23. & ſeq. [5] Author tradit. Hebr. in Reg. Toſt. Menoch. Tirin. &c. [6] 2. Reg. xii. 24. [7] 1. Paral. xxii. 10. & xxviii. 5. & 2. Reg. vii. 2. [8] 3. Reg. ii. 15. *Tranſlatum eſt Regnum, & factum eſt fratris mei; a Domino enim conſtitutum eſt ei.* [9] Grot. hic. [10] והייתי אני ובני שלמה חטאים [11] Ita Vatab. Eſt. [12] Tirin. & alii apud Vat. [13] Theodoret. Procop. Lyran. Clar. Sa, Pineda, Menoch. Tirin. [14] Vide Schikard. in Reg. Theorem. 4. cap. 1. & Toſt. hic. [15] Vide Pinedam de Reb. Salom. lib. 2. c. 5. art. 2. [16] 2. Paral. xxxii. 30.

Quæ jubes, impleantur, probetque illa Dominus Deus tuus. Hiſce omnibus proſper exitus contingat, ut votis tuis & Dei voluntati reſpondeant.

℣. 37. Sublimius faciat solium ejus a solio Domini mei Regis David. Princeps quicumque, ſtudioſus licet gloriæ & magnitudinis ſuæ, æquo tamen animo admittit, ut major etiam gloria & felicitas filio ſuo deſideretur (1):

. . . . . Jam natus adæquat
Te meritis, & quod magis eſt optabile, vincit.

℣. 39. Sumpsit Sadoc Sacerdos cornu olei de tabernaculo, et unxit Salomonem. Liquores olim, & oleum maxime, in vaſis corneis continebantur, ut alibi (2) demonſtravimus. Idem oleum in uſum unctionis ſummorum Sacerdotum paratum, ſervatumque in Templo, ad ungendos Reges pariter adhibebatur. Quæ tamen cæremonia raro poſtea ſervata eſt, ex quo Regnum in domo Davidis hæreditarium ſactum eſt. Tunc enim Reges tantummodo ungebantur, cum dubium eſſet aliquod de ſucceſſione. Salomon, Joas, Joachaz, unctione delibuti ſunt, quod æmulos haberent ad Regnum. Cæremoniam ungendi Salomonem obivit Sadoc ſummus Sacerdos, Nathano Propheta præſente.

℣. 46. Populus canentium tibiis . . . et insonuit terra a clamore. Voces originalis (3) in hanc ſententiam reddi poſſunt, ex Septuaginta (4): *Choreas ducebant in choris, & ſcindebatur terra in voce eorum.* Chaldæus: *Populus canebat foris, ita ut terra tremeret ad vocem illorum.* Quidam, uti Syriacus, luſiſſe illos ſiſtris interpretantur. Arabs expoſuit de tympanis quibuſdam quadratis, quæ certa harmoniæ lege pulſabantur.

℣. 41. Audivit autem Adonias, et omnes qui invitati fuerant ab eo. Addi nihil poteſt celeritati & ſolertiæ, qua Nathan rem adeo gravem & difficilem tractavit. Molimina ſunt quædam, in quibus nonniſi proſperum exitum finemque lætum commendes. Nathan de ſumma rei agebat: vel minimum quid quod celeritati & ſolertiæ defuiſſet, in diſcrimen belli civilis Rempublicam, & vitæ Salomonem, Sadocum, Nathanum, Banajam, cæteroſque partibus illius faventes adduxiſſet.

℣. 43. Respondit Jonathas Adoniæ: Nequaquam. Jam alibi animadverſum eſt, (5) virum ingenuum minime aggreſſurum, ut ingratum nuncium primus ferat. Reddi poſſet Hebræus (6): *Reſpondit Adoniæ: Væ*, vel luctum; vel potius: Reſpondit Adoniæ: Vere Rex Salomonem Regem declaravit.

℣. 47. Ingressi servi Regis benedixerunt Regi nostro David, dicentes: Amplificet Deus nomen Salomonis. David, qui uti ſupra animadvertimus, jacebat in lecto, neque aſpexerat cæremoniam evecti ad Regnum filii, accipit officia ſuorum, qui gratulatum venerant, quod filium ſuum, ſe adhuc ſuperſtite, ſedentem in ſolio ſuo videret.

Adoravit Rex in lectulo suo. Sunt qui credant, Davidem profunde inclinatum agnoviſſe ſupremam authoritatem filii ſui Salomonis, ut ille in conſpectum patris venit: ita ferme ut olim Jacob e lecto ſuo Joſephum filium ſuum adoravit (7). Sed frequentiori numero alii (8) cenſent, Davidem e lecto ſuo Deum adoraſſe. Reddi etiam poſſet planius (9): *David reclinavit ſe in lecto ſuo.* Sed narrationis ſeries demonſtrat, illum in lecto ſuo decumbentem ſe convertiſſe ad adorandum Deum, agendaſque illi de præſtitis beneficiis gratias.

℣. 49. Territi sunt. Norant equidem incurriſſe læſæ majeſtatis crimen, audentes, invito Principe regnante, Regem pro arbitrio ſuo conſtituere. Arbitrati ſunt autem ſibi omnia timenda eſſe, tum ex Davide, cum ex Salomone, quorum utrumque læſerant.

℣. 50. Adonias . . . . abiit, tenuitque cornu altaris. Cenſent quidam (10), Adoniam perfugiſſe Gabaonem, ubi altare erat holocauſtorum; malunt tamen alii (11), contuliſſe ſe tantummodo ad altare Tabernaculi, quod erat in Sion. Hæc autem poſtrema opinio pronior videtur. Utcumque tamen res habeat ſeſe, nunquam lex permittebat reis necis ſponte inductæ, ut altaris aſylo tuto uterentur. Privilegium enim illud ſavebat iis, qui imprudentes & inviti hominem necaſſent. *Siquis per induſtriam* (12) *occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo evelles eum ut moriatur.* Ad altare pariter confugit Joabus, certior factus Salomonem noſſe ſavorem a ſe præſtitum partibus Adoniæ. Mos apud univerſas ferme nationes regnans, altaribus & Templis aſyli jus contulit. Virgilius Æneidos VI.

Talibus orabat dictis, araſque tenebat.

Plautus in Moſtellaria Actu V. ſcena II.

Ego interim hanc aram occupabo.

Sacrorum ejuſmodi locorum religio prohibebat interdum, ne ſceleſtiſſimi inde extraherentur. Accidit interdum ut ad excludendos e loco ſacro illos, quos immerito aſylum defenderet, circum altare ignis excitaretur. Perſuaſio autem ſederat generatim omnibus, aſylum nonniſi innocentibus favere (13).

(1) Claudian. in 4. Conſul. Honorii. (2) 1. Reg. xvi. 1. (3) והעם מחללים בחללים ותבקע הארץ בקולם (4) Καὶ ἐχόρευον ἐν χοροῖς . . καὶ ἐῤῥήγνυτο ἡ γῆ ἐν τῇ φωνῇ αὐτῶν. (5) 2. Reg. xviii. 25. 26. 27. &c. (5) ויאמר לאדניהו אבל (7) Geneſ. xlvii. 31. Vide Sanct. hic. (8) Vatab. Grot. Menoch. alii. (9) וישתחו המלך על המשכב (10) Menoch. Malv. (11) Vatab. Martyr. (12) Exod. xxi. 14. (13) Euripides.

Ἐγὼ γὰρ ὅστις μὴ δίκαιος ὢν ἀνὴρ,
Βωμὸν προσίζει, τὸν νόμον χαίρειν ἐῶν
Πρὸς τὴν δίκην ἄγοιμ' ἄν, οὐ τρέσας Θεούς,
Κακὸν γὰρ ἄνδρα χρὴ κακῶς πάσχειν ἀεί.

C A-

CAPUT II.

David ſuprema monita dat Salomoni. Moritur. Adonias poſtulat ſibi uxorem Abiſag: quare quare neci traditur. Abjathar relegatione punitur, & a munere Sacerdotali excluditur. Joabus ad pedes altaris interficitur: ejuſque loco Banajas ſubſtituitur. Semei, contra Regis interdictum pedem offerens ex urbe, interficitur.

℣. 1. APpropinquaverunt autem dies David, ut moreretur, præcepitque Salomoni A. M. 2990.
filio ſuo, dicens: 2. Ego ingredior viam univerſæ terræ: confortare, & ante J. C. 1014.
eſto vir. 3. Et obſerva cuſtodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut cu-
ſtodias cæremonias ejus, & præcepta ejus, & judicia, & teſtimonia, ſicut ſcriptum
eſt in lege Moyſi: ut intelligas univerſa, quæ facis, & quocumque te verteris: 4.
Ut confirmet Dominus ſermones ſuos, quos locutus eſt de me, dicens: Si cuſtodie-
rint filii tui vias ſuas, & ambulaverint coram me in veritate, in omni corde ſuo,
& in omni anima ſua, non auferetur tibi vir de ſolio Iſrael. 5. Tu quoque noſti,
quæ fecerit mihi Joab filius Sarviæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Iſrael,
Abner filio Ner, & Amaſæ filio Jether: quos occidit, & effudit ſanguinem belli in pa-
ce, & poſuit cruorem prælii in baltheo ſuo, qui erat circa lumbos ejus, & in cal-
ceamento ſuo, quod erat in pedibus ejus. 6. Facies ergo juxta ſapientiam tuam, &
non deduces canitiem ejus pacifice ad inferos. 7. Sed & filiis Berzellai Galaaditis red-
des gratiam, eruntque comedentes in menſa tua: occurrerunt enim mihi, quando fu-
giebam a facie Abſalom fratris tui. 8. Habes quoque apud te Semei filium Gera filii
Jemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione peſſima, quando ibam ad caſtra:
ſed quia deſcendit mihi in occurſum, cum tranſirem Jordanem, & juravi ei per Do-
minum, dicens: Non te interficiam gladio; 9. Tu noli pati eum eſſe innoxium. Vir
autem ſapiens es, ut ſcias, quæ facies ei, deduceſque canos ejus cum ſanguine ad in-
feros. 10. Dormivit igitur David cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in civitate Da-
vid. 11. Dies autem, quibus regnavit David ſuper Iſrael, quadraginta anni ſunt: in
Hebron regnavit ſeptem annis; in Jeruſalem triginta tribus. 12. Salomon autem ſe-
dit ſuper thronum David patris ſui, & firmatum eſt regnum ejus nimis. 13. Et in-
greſſus eſt Adonias filius Haggith ad Bethſabee matrem Salomonis. Quæ dixit ei: Pa-
cificuſne eſt ingreſſus tuus? Qui reſpondit; pacificus. 14. Addiditque: Sermo mihi
eſt ad te. Cui ait: Loquere. Et ille: 15. Tu, inquit, noſti, quia meum erat re-
gnum, & me præpoſuerat omnis Iſrael ſibi in regem: ſed tranſlatum eſt regnum, &
factum eſt fratris mei: a Domino enim conſtitutum eſt ei. 16. Nunc ergo petitio-
nem unam precor a te; ne confundas faciem meam. Quæ dixit ad eum: Loquere.
17. Et ille ait: Precor, ut dicas Salomoni regi (neque enim negare tibi quidquam
poteſt) ut det mihi Abiſag Sunamitidem uxorem. 18. Et ait Bethſabee: Bene, ego
loquar pro te regi. 19. Venit ergo Bethſabee ad regem Salomonem, ut loqueretur
ei pro Adonia: & ſurrexit rex in occurſum ejus, adoravitque eam, & ſedit ſuper thro-
num ſuum: poſituſque eſt thronus matri regis, quæ ſedit ad dexteram ejus. 20. Di-
xitque ei: Petitionem unam parvulam ego deprecor a te; ne confundas faciem meam.
Et dixit ei rex: Pete, mater mea; neque enim fas eſt, ut avertam faciem tuam. 21.
Quæ ait: Detur Abiſag Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor. 22. Reſponditque rex Sa-
lomon, & dixit matri ſuæ: Quare poſtulas Abiſag Sunamitidem Adoniæ? poſtula ei
& regnum: ipſe eſt enim frater meus major me, & habet Abiathar ſacerdotem, &
Joab filium Sarviæ. 23. Juravit itaque rex Salomon per Dominum, dicens: Hæc fa-
ciat mihi Deus, & hæc addat, quia contra animam ſuam locutus eſt Adonias verbum
hoc. 24. Et nunc vivit Dominus, qui firmavit me, & collocavit me ſuper ſolium
David patris mei, & qui fecit mihi domum, ſicut locutus eſt, quia hodie occidetur
Adonias. 25. Miſitque rex Salomon per manum Banajæ filii Jojadæ, qui interfecit
eum, & mortuus eſt. 26. Abiathar quoque ſacerdoti dixit rex; Vade in Anathoth
ad agrum tuum: equidem vir mortis es: ſed hodie te non interficiam, quia portaſti
arcam Domini Dei coram David patre meo, & ſuſtinuiſti laborem in omnibus, in
quibus laboravit pater meus. 27. Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non eſſet Sacer-
dos Domini, ut impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper domum Heli in
Silo.

Digitized by Google

Silo. 28. Venit autem nuncius ad Salomonem, quod Joab declinaſſet poſt Adoniam, & poſt Salomonem non declinaſſet: fugit ergo Joab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris. 29. Nuntiatumque eſt regi Salomoni, quod fugiſſet Joab in tabernaculum Domini, & eſſet juxta altare; miſitque Salomon Banajam filium Jojadæ, dicens: Vade, interfice eum. 30. Et venit Banajas ad tabernaculum Domini, & dixit ei: Hæc dixit rex: Egredere. Qui ait: Non egrediar, ſed hic moriar. Renunciavit Banajas regi ſermonem, dicens: Hæc locutus eſt Joab, & hæc reſpondit mihi. 31. Dixitque ei rex: Fac, ſicut locutus eſt: & interfice eum, & ſepeli, & amovebis ſanguinem innocentem, qui effuſus eſt a Joab, a me, & a domo patris mei. 32. Et reddet Dominus ſanguinem ejus ſuper caput ejus, quia interfecit duos viros juſtos, melioreſque ſe, & occidit eos gladio, patre meo David ignorante, Abner filium Ner principem militiæ Iſrael, & Amaſam filium Jether principem exercitus Juda. 33. Et revertetur ſanguis illorum in caput Joab, & in caput ſeminis ejus in ſempiternum. David autem, & ſemini ejus, & domui, & throno illius ſit pax uſque in æternum a Domino. 34. Aſcendit itaque Banajas filius Jojadæ, & aggreſſus eum interfecit: ſepultuſque eſt in domo ſua in deſerto. 35. Et conſtituit rex Banajam filium Jojadæ pro eo ſuper exercitum, & Sadoc ſacerdotem poſuit pro Abiathar. 36. Miſit quoque rex, & vocavit Semei, dixitque ei: Ædifica tibi domum in Jeruſalem, & habita ibi: & non egredieris inde huc, atque illuc. 37. Quacumque autem die egreſſus fueris, & tranſieris torrentem Cedron, ſcito te interficiendum: ſanguis tuus erit ſuper caput tuum. 38. Dixitque Semei regi: Bonus ſermo, ſicut locutus eſt dominus meus rex, ſic faciet ſervus tuus. Habitavit itaque Semei in Jeruſalem diebus multis. 39. Factum eſt autem poſt annos tres, ut fugerent ſervi Semei ad Achis filium Maacha regem Geth; nuntiatumque eſt Semei, quod ſervi ejus iſſent in Geth. 40. Et ſurrexit Semei, & ſtravit aſinum ſuum: ivitque ad Achis in Geth ad requirendum ſervos ſuos, & adduxit eos de Geth. 41. Nuntiatum eſt autem Salomoni, quod iſſet Semei in Geth de Jeruſalem, & rediiſſet. 42. Et mittens vocavit eum, dixitque illi: Nonne teſtificatus ſum tibi per Dominum, & prædixi tibi: Quacumque die egreſſus, ieris huc, & illuc, ſcito te eſſe moriturum? Et reſpondiſti mihi: Bonus ſermo, quem audivi. 43. Quare ergo non cuſtodiſti jusjurandum Domini, & præceptum, quod præceperam tibi? 44. Dixitque rex ad Semei: Tu noſti omne malum, cujus tibi conſcium eſt cor tuum, quod feciſti David patri meo: reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum. 45. Et rex Salomon benedictus, & thronus David erit ſtabilis coram Domino uſque in ſempiternum. 46. Juſſit itaque rex Banajæ filio Jojadæ, qui egreſſus, percuſſit eum, & mortuus eſt.

℣. 1. INGREDITUR VIAM UNIVERSÆ TERRÆ. Ad literam (1): *Vado in viam omnis terræ*. Ad exitum propero, per viam quam mortales univerſi terunt. Dum vivimus, omnes viam diverſam tenemus: ſunt qui uni vitæ profeſſioni, ſunt qui ſeſe alteri addixerint. In mortem tamen omnes per eamdem viam contendimus; iter enim eſt unum cunctis ad ſepulchrum:

Omnium idem exitus eſt, ſed & idem domicilium (2).

℣. 3. OBSERVA CUSTODIAS DOMINI. Ad literam (3): *Cuſtodi cuſtodias Domini*. Serva præcepta tradita tibi a Domino, ea præſertim quæ tibi tamquam Regi & populi ſui Principi data ſunt (4). Denique nihil eorum negligito, quæ Dominus præcepit, cæremonias, mandata, leges, ſanctiones: teſtimonia ejus nunquam e mente deponas, ut ea opere compleas.

UT INTELLIGAS UNIVERSA QUÆ FACIS; ut ſapienter in omnibus te geras. Si Dei legibus obſequaris, lux inde tibi, ſapientia, & ſcientia provenient. Si mandata Dei mente verſaris, ſapientiam ex ipſo fonte hauries. Certa hæc via ſuppetat ut aſſequaris laudem Principis ſapientis & docti. Reddi poſſet Hebræus (5): *Obſerva leges Domini, ut omnia quæ facis, tibi ſuccedant*.

℣. 4. QUOS LOCUTUS EST DE ME; quam mihi fecit ſpem. Reddi etiam poſſet Textus (6): *Quæ mihi dixit*, de me ſcilicet, ac pro me.

AMBULAVERINT CORAM ME IN VERITATE: omni fide ac ſinceritate, rectoque animo. Si tam accuratam mihi præſtent ſervitutem, quantam debent.

℣. 5. NOSTI QUID FECERIT MIHI JOAB. Noſti viri audaciam in me in bello Abſalomico, cum ſcilicet, me invito ac repugnante, filium meum interfecit (7); ac deinde ſermonibus ſuperbis ac minacibus (8), nihil Regiam majeſtatem veritus, me compellavit. Noſti quid egerit in Amaſam, quem ego conſtituere ejus loco meditabar copiarum mearum Imperatorem (9): quid in Abnerum filium Ner, laborantem ut ad me reduceret omnes, qui adhuc domui Saulis adhærebant (10). Quæ fortibus hiſce viris illata eſt injuria, me ferit, eos enim in fidem meam acceperam, nec niſi mala æmulatione favoris mei in illos percitus Joabus, turpiter adeo & crudeliter in illos debacchatus eſt. Quæ viris illis mors inflicta eſt, invidiam Davidi utcumque creabat toto eo tempore,

(1) אנכי הלך בדרך כל הארץ (2) Petron. Satyr. (3) שמרת את משמרת יהוה (4) Deut. xvij. 16. (5) למען תשכיל את כל אשר תעשה Septuag. Ἵνα συνίῃς, ut intelligas. Alius: Ἵνα εὐοδωθῇ πάντα ἃ ποιεῖς, Ut proſpere cedant omnia quæ facis. (6) דברו אשר דבר עלי (7) 2. Reg. xviij. 5. 14. (8) 2. Reg. xix. 5. 6. 7. (9) 2. Reg. xx. 4. 5. (10) 2. Reg. iii. 20. 21.

pore, quo ſcelus illud inultum permiſit. Genus eſt enim injuriæ in Principem, ſub eo Rege leges & jus gentium violare. Cum Salomon imperavit Banajæ, ut interficeret Joabum, præcepit (1): *Interfice & ſepeli, & amovebis ſanguinem innocentem, qui effuſus eſt a Joab, a me & a domo patris mei.* Debuit porro Rex David populo ſuo tam atrocis perfidiæ, debuit familiæ Abneri & Amaſæ, debuit & poſteris ultionem. Si debitum hoc reddere nequiit, dum viveret, ex nimia, quam Joabus ſibi arrogaverat, authoritate, negligendum illi utique non fuerat, ut moriens Salomoni filio ſuo id implendum commendaret. Abſit, ut de Principe miti adeo & religioſo ſub poſtremum vitæ ſuæ articulum conſtituto reputemus, privatæ ultioni ſuæ atque ſimultati quidquam ea in re indulſiſſe: vix enim alioqui eſſet, cur a peccato excuſaretur. Viciſſim autem injuſtitiæ crimen non evitaſſet, ſi crimina publica adeo atque atrocia impunita reliquiſſet: onus illum ſuum transfert in Salomonem, cum id illi implendum committit. Quod a me rei æquitas & juſtitia exigebat, ego reddere non valui: ſed ſtudium ſervandi juris poſtulat, ut quorum executionem ego coactus diſtuli, tibi committam (2). Verba ſunt hæc Davidis Regis & Judicis, qui crimen punit, non privati hominis, qui propriæ ultionis motibus obſecundat.

Effudit ſanguinem belli in pace: effudit ſanguinem in pace, quemadmodum in bello ſolummodo licuiſſet: vel, utriuſque ſanguinem tanta ſævitie effudit, quanta nonniſi in bello decet, ſciens licet illos pacem mecum compoſuiſſe, & Regia fide tutos quieſcere. Aliter: Interfecit illos, ut hoſtes, quos ſpecie pacis & amicitiæ decepit. Proditione enim utrumque interfeciſſe & inter oſcula pacis, conſtat.

Poſuit cruorem prælii in balteo ſuo . . . et in calceamento ſuo. Trophæum ſibi veluti conſtituit ſanguine, quem perfide effudit: hujus velut inſignia, tamquam egregii cujuſdam facinoris, prætulit: atque ita imbecillitati meæ inſultare, meamque juſtitiam temnere viſus eſt. Vel potius: Abner & Amaſa inter ejus brachia corruerunt; miſerorum cruor per baltheum interfectoris fluens, infima uſque ejus calceamenta tinxit. Dicta ſunt hæc per exaggerationem, ad invidiam crudelitatis & perfidiæ augendam.

℣. 6. Non deduces canitiem ejus pacifice ad inferos. Pernicioſo eſſet in Iſraele exemplo, ſi cædibus & criminibus pollutus homo, felicem ſenectutem naturali & tranquillo exitu clauderet. Monet igitur Salomonem David, ne quid tale permittat; ſed infami & violenta morte ſceleſtum perdat: occaſione oblata, nunquam, pro ea, qua pollebat ſapientia, ſibi defutura. Mirari ſubit, Davidem toto regni ſui tempore nunquam nanciſci potuiſſe occaſionem, ut eam pœnam de Joabo exigeret; ſed exigendam commiſiſſe Salomoni, juveni admodum Principi, & nutante adhuc authoritate potienti. Sed in rem præſentem animadvertendum eſt, minores fuiſſe tunc cauſas timendi ex Joabo. Ætatem agebat ille Davidi ſaltem æqualem: ſolidis enim quadraginta annis armorum Iſraelis imperium geſſerat. Adde, quod Regnum tranquilla pace tunc fruebatur (3); nec Joabus timendus erat niſi inter arma, in bello, rebuſque turbatis. Multa etiam David ex Joabo commoda retulerat, ut quam illi diuturnam conceſſerat, delicti impunitas meritorum præmium quoddam haberi potuerit. Minora tamen erant iſta, quam ut Davidem eximerent a neceſſitate criminis puniendi, ac juſtitiæ debita exigendi ex Joabo. Denique beneficiorum memoria nulla Salomonem Joabo obſtringebat; quin & peculiares illi erant cauſæ perdendi hominem, qui Adoniam ad Regnum evehere, ſeſe amoto, conatus fuerat.

℣. 7. Filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam. Scitum eſt, Berzellai obtuliſſe annonam, & domeſtica utenſilia Davidi, fuga ſe præripere coacto in Mahanaim, bello Abſalonico ſæviente (4). Mandat igitur David Salomoni, ut benevolum erga ſe viri animum agnoſcat, conceſſo filiis honore Regiæ menſæ: *Eruntque comedentes in menſa tua.* Hebræus & Septuaginta ad literam (5): *Eruntque in comedentibus ad menſam tuam*; id eſt, alentur cibis e menſa tua ſuppeditatis. Non invitus ego crediderim, apud Reges Hebræos eumdem ferme morem obtinuiſſe, qui olim apud Reges Perſidis, ut ſcilicet Regiæ menſæ apponerentur dapes, quæ deinde in omnes domeſticos diſtribuerentur. Itaque *comedere de menſa Regis* non eſt utique menſæ Regis aſſidere convivam, ſed ali cibis e Regia menſa ſuppeditatis. Ita pariter & Daniel ac duo ejus ſocii alebantur dapibus menſæ Regis Nabuchodonoſoris (6).

℣. 8. Maledictione peſſima. Hebræus (7): *Maledictione roborata*. Septuaginta (8): *Maledictione moleſta*. Acerbiſſimis, & iniquiſſimis conviciis proſcidit.

Juravi ei . . . non te interficiam gladio. Quæ David promiſerat, ſucceſſorem non adſtringebant, in re præſertim adeo atroci. Porro clementiæ & pietatis Davidicæ fuit, permittere toto vitæ ſuæ tempore Deo ultionem injuriarum, quibus ipſe læſus fuerat: neque tamen negligenda illi erant omnia juſtitiæ debita, nec relinquendum erat impunitum crimen publicum adeo, & exemplo ſuo pernicioſum. Ultionem autem commendat eo tempore explendam, quo nullus furor vel nimius ſui amor id efficere poſſent, ut ultra juſtæ ultionis metas puniendis adverſariis excederet.

℣. 9. Vir autem ſapiens es. Veterum plures (9), nec rari e recentioribus cenſuerunt, Salomonem, cum Regnum capeſſeret, annos ætatis XII. non exceſſiſſe. Nos tamen cum optimis Chronologis annos illi tunc undeviginti circiter, ſeu viginti aſſignamus. Juvenem autem Principem Deus gratia ſua adeo prævenerat, ut ſapientiam ætate multo majorem exhiberet. Author Sapientiæ VIII. 19. ita loquentem illum inducit: *Puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam; & cum eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* At ſapientiæ, & ſcientiæ hujus Principis plurima acceſſio facta eſt, cum Deus ubertatem donorum ſuorum ac ſapientiæ illi contulit, & infudit (10).

℣. 10. Dormivit David cum patribus ſuis. Ita ceſſit ex hac vita Princeps hic magnus, ſanctitate eximius, in quo nihil de virtutibus Regiis, religioſis, politicis deſideratum eſt. Fortis & intrepidus in periculis, juſtus, clemens & ſapiens in regimine; qui timore filiali & officioſo ſimul, ac tenero & conſtanti in Deum amore tenebatur; adeo vero malis atque ærumnis populi ſui dolens, ut avertendis illis a diſcrimine, mortem ſibi libentiſſime optaret (11). Vir erat ad Dei voluntatem (12); cæterorum Principum exemplar, qui rectus ſemper inceſſit per vias Domini (13), animoque ſincero mandatis Domini obſecutus eſt (14); quemque illuſtri hoc teſtimonio proſequitur Scriptura (15): *Non declinavit David ad dexteram, neque ad ſiniſtram, excepto ſermone Uriæ Hethæi.* Sed & hoc crimen quanta religione ac ſeduli-

(1) Hic ℣. 31. (2) Vide Ambroſ. Apolog. 1. c. 17. (3) Vide Cap. v. 4. (4) 2. Reg. xvii. 27. (5) ויהיו באכלי שלחנך Septuag. Ἔσονται ἐν τοῖς ἐσθίουσι τὴν τράπεζάν σου. (6) Daniel. 1. 5. (7) קללה נמרצת (8) Κατάρᾳ ὀδυνηρᾷ. (9) Ignat. Ep. ad Magneſ. Hieron. Ep. 132. ad Vital. Euſeb. l. 9. Præp. c. 4. Iſidor. de vita & morte SS. c. 34. Cedren. Zonar. Rabb. apud Lyran. (10) 3. Reg. iii. 12. (11) Vide 2. Reg. xxiv. 17. (12) 1. Reg. xiii. 14. (13) 3. Reg. iii. 14. (14) 3. Reg. xi. 5. (15) 3. Reg. xv. 5.

dulitate expiavit? Quam ſyncera animi confeſſione illud coram univerſo orbe faſſus eſt, ac palam aperuit? Nonne merito cum S. Chryſoſtomo (1) affirmemus, gloriæ & virtuti Davidis injuriam illaturum eſſe eum, qui Davidis crimen celare ſtudeat? adeo magna ex illo commoda religioni provenerunt: tanta ex eo crimine Domino gloria parta eſt, tantum impiis probrum; quin & adeo ad Davidis ſanctitatem augendam, promovendamque valuit. Quid admirabilius quam mitis animi facinus illud, quod erga Saulem exhibuit? acerrima enim atque iniquiſſima ejus vexatio mirem viri animum efferare minime potuit (2). Vir Legis tantum diſciplina excultus, Evangelicæ tamen perfectionis & Philoſophiæ Chriſtianæ culmen attigit. Nonne pluries ille martyrii coronam promeruit, vitæ adverſarii ſui parcens, quem manibus ſuis traditum a Deo tenebat?

Quod autem in ipſo Davide rebuſque ab eo geſtis majoris eſt momenti ad ſolatium Chriſtianorum, illud eſt utique, quod lineamenta in ſe plane multa exhibeat imaginis Jeſu Chriſti; neque enim in eo viro tantum ſeſe offerunt ſpectandæ promiſſiones de ortu & Regno Meſſiæ, ſed etiam plura ſunt quæ vivam Chriſti imaginem ſub oculos revocant. Natus in Bethlehem David, corporis aſpectu elegans, electus ex fratribus ſuis, ut ungeretur in Regem per Samuelem, ac imperaret Iſraeli, loco Saulis, merito pervicaciæ ac ſuperbiæ reprobati, quid eſt aliud quam Jeſus Chriſtus, Patris ſui deliciæ, ſpecioſus forma præ filiis hominum, qui in eadem urbe Bethlehem natus ungitur, ut ſit ſupra fratres ſuos, id eſt, promulgatur Meſſias & Unctus Domini, atque *Primogenitus ex multis fratribus*, deſtinaturque in Principem & Regem Eccleſiæ ſuæ ac populi electi, excluſo vetere Iſraele, abrogatoque priori fœdere, quod morte Jeſu Chriſti inutile effectum eſt?

Victoria Davidis in Goliath, mala fratrum in illum æmulatio, Saulis odium pingunt Jeſum Chriſtum, qui cruce ſua Dæmonem, mortem & peccatum vicit: tum vero inimicam ſibi paſſus eſt Synagogam, atque in Diſcipulis Paganos. Uti vero David, Deo protegente validus diſcrimina omnia ſuperat, laqueos adverſariorum evitat, ac denique invitis illis atque in contrarium conantibus, evadit tamen, ac Princeps populi ſui eligitur; ita pariter & Mundi Servator de iis, quos vel ſibi vel ſuis infeſtos expertus eſt, triumphavit, poſitoque ſolio in eorum, qui evertere Imperium ſuum conabantur, ruinis, glorioſus ſedet.

Deſciſcit Abſalomus a Davide, cogiturque David pedes fuga ſeſe præripere Jeroſolymis, lugens, tecto ore, atque a ſuorum pleriſque deſtitutus. Achitophel illum quodammodo adverſario ſuo prodit, pernicioſi in Davidem conſilii author Abſalomo; nec tamen iſta impediunt Davidem, quin per medios veluti hoſtes ſuos in Regnum ſuum tandem, majori, quam prius, gloria & potentia regrediatur. Cernis expreſſum Servatorem mundi proditum traditumque hoſtibus dolo diſcipuli: Jeroſolymis pulſum, cruce oneratum, ut in Calvario monte probrum ſupplicii patiatur. Supplicium tamen quod adverſarii ejus perinde habuerunt ac ejus excidium & ſuum de illo triumphum, convertitur in victoriam & gloriam Jeſu Chriſti, qui dura hac via reſtituit ſeſe in Regnum ſuum, comparatque ſibi populum fidelem & ſelectam hæreditatem, ideſt, Eccleſiam Chriſtianam, in qua delicias ſuas omnes & amorem ſtatuit.

Et sepultus est in civitate David. Salomonem ſuprema Patri juſta reddidiſſe, atque ſepulturæ Jeroſolymæ mandaſſe, Joſephus teſtatur (3); quin & in idem ſepulchrum Davidis illatos fuiſſe ab eodem Rege addit ditiſſimos theſauros: cum autem poſt mille trecentos annos Hircanus ſummus Sacerdos, obſidente Urbem Antiocho, cognomento Pio, pecuniam unde ſibi compararet, qua Regem induceret ad ſolvendam obſidionem, non haberet, e tumulo Davidis eduxiſſe tria millia talentorum, cujus pecuniæ partem Regi perſolvit. Poſt annos plures Herodem Regem, iterum excuſſo eodem ſepulchro, argenti plurimum effodiſſe, ſed neutrum ex his Principibus tetigiſſe loculum, in quo cineres Viri ſanctiſſimi continebantur, quippe qui tam alte humi defoſſus eſſet, ut detegi ab illis non potuerit. Conſtat utique, Jeſu Chriſti ætate Davidis ſepulchrum adhuc perſeveraſſe, nec latuiſſe Judæos; id enim non obſcure S. Petrus, pro concione alloquens Judæos (4): *Viri fratres, liceat audacter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus eſt & ſepultus, & ſepulchrum ejus eſt apud vos uſque in hodiernum diem.* Chaldæi, qui ex vaticinio Jeremiæ (5) oſſa Principum Juda effoſſa projecturi erant, pepercerunt lipſanis Davidis, ſive in obſequium tanti Principis ſive Numinis providentia, Sepulchrorum illorum aditum occultum latuiſſe & xx. ſtadiis ab Jeroſolyma abfuiſſe legimus apud S. Epiphanium (6). Romani, capta Jeroſolyma per Titum, manus abſtinuerant a ſepulchro Davidis, & Mauſolæi hujus partem ſub Adriano ſponte corruiſſe, Dio in ejus vita affirmat.

Tradit S. Hieronymus, in Epiſtola ad Marcellam, ad ſepulchrum ſancti hujus Prophetæ orationis gratia concurſus fieri; & Beniaminus (7), qui anno 1173. circiter ſcribebat, affirmat, quindecim ante annis reparando muro montis Sion, qui corruerat, viginti circiter opifices admotos fuiſſe a Sacerdotibus. Accidit, ut ex his opificibus duo, cum tempus bibendo feſelliſſent, ſerius quam cæteri venirent ad opus; quare & ſerius integra hora receſſuros ſeſe veſpere ſpoponderunt. Cum igitur ſecedentibus ſociis illi perſeverarent, lapidem amoverunt, ſtatimque aditus in ſubterraneum locum patuit. Ingredientes illi intus, ædificium nacti ſunt, fultum marmoreis columnis, auro, & argento indutum. In ipſo aditu menſa quædam ſeſe offerebat, & ſuper menſam corona cum ſceptro aureo. Sepulcrum illud erat Davidis, ait idem Author, cui e regione poſitum erat ejuſdem ornamenti alterum Salomonis. Urnas pariter quaſdam illi viderunt, ſed quid iis contineretur, noſſe non licuit. Cum vero progredi vellent, violento quodam turbine dejecti, exanimes uſque ad veſperum manſere. Tunc auribus illorum inſonuit vox admonens, ut ſurgerent, & abirent. Hiſtoriam hanc ſe didiciſſe affirmat Beniaminus ex relatione Abrahami Phariſæi, qui ea de re conſultum ſe fuiſſe gloriabatur a Patriarcha Jeroſolymitano, & ſepulchrum id eſſe Davidis definierat. Cum tamen hæc omnia fabuloſam narrationem nimis ſuboleant, ſeriam refutationem non merentur.

Recentiora Itineraria (8) deſcribunt ſepulchra Regum Juda, quæ ſane monumenta ſunt vetuſtiſſima. Sed quis affirmet, inter cætera hæc ſepulcra tumulum Davidis poſſe diſtingui? Sebaſtianus Serlius (9) imaginem nobis exhibuit ſepulcri hujus Principis, acceptam a Cardinali Grimani, Archiepiſcopo Aquilejenſi, & teſte oculato. Ultro autem viro dabimus, ipſum hoc eſſe ſepulchrum, quod incolæ Jeroſolymitani ipſiſſimum eſſe Davidis credunt, quibus vero traditiones hæ omnes

[1] Homil. 77. ad Popul. Antioch. [2] Vide Chryſoſt. homil. de David & Saule; & Ambr. Apol. 1. David. [3] Joſeph. l. 7. c. ult. [4] Act. 2. 29. [5] Jerem. VIII. 1. *ejicient oſſa Regum Juda, & oſſa Principum ejus . . . de ſepulchris ſuis.* Vide & Baruc. II. [6] Epiph. de vita & morte Prophet. p. 239. Vide & Chronic. Paſch. p. 155. [7] Beniamin Itinerar. p. 44. 45. Edit. Antuerp. an. 1565. [8] Vide Doubdan, chap. 26. p. 226. 225. Morizon, Voyage de Jeruſalem. [9] Serlius de Architectura l. 3. apud Sanct. hic. Et apud Pinedam de Reb. Salom. l. 5. c. 3. p. 387.

omnes populares ſuſpectæ ſunt, ægre iſta probari poterunt.

Quod attinet ad ea, quæ narrat Joſephus de theſauris a Salomone conditis in ſepulcro Davidis, & ea quibus narrationem ſuam inſercit, adjuncta, tum & quæ addit de Hircano & Herode, qui auri vim magnam ex eodem ſepulcro eruerint, hæc utique probari iis poterunt, qui rem accuratius conſiderare negligunt. Ceterum ſcitum eſt, obtinuiſſe olim apud Veterum plures, ut in ſepulcris Principum magnorumque virorum res quaſdam pretioſas, plurimi ab iis habitas, conderent. Id etiam interdum ſervatum eſt apud Ægyptios, quorum Momiæ nonnullæ pretioſiſſimis ornamentis divites interdum effodiuntur. Alexander Magnus recludi jubens ſepulcrum Cyri, prope cadaver nactus eſt auteum cubile, ditiſſimam menſam cum ſcyphis & plurimis veſtibus pretioſiſſimis. Minora tamen ſunt hæc, quam quæ aſſenſum extorqueant a viris doctis nonnullis (1), qui totam hanc Joſephi hiſtoriam inter fabellas amandant. Porro hic Hiſtoricus inter Davidem & Hircanum nonniſi mille trecentorum annorum intervallum conſtituit; qua in re ſolidis quadringentis annis fallitur. Quorſum etiam ingentes adeo theſauri humi condendi erant, cum interim Salomon maria percurreret, opprimeret vectigalibus populos, ut exceſſui impenſæ ſufficeret? Quin & mutua petiiſſe fertur a Rege Tyri centum viginti talenta (2). Qui fieri potuit, ut manus abſtinuerint ab eo theſauro Reges Juda, qui tam ſæpe ſacrum ærarium exhauſerunt, ut moleſtia hoſtium liberarentur? Qui effugiſſent rapaces Chaldæorum manus, cæterorumque Judaici nominis oſorum? Qui denique Hircanus auſus fuiſſet ſacrum illud depoſitum violare, quod Prædeceſſores ſui majori religione, quam vaſa ipſa Domini ſacra ſervarunt? Quod autem hiſce omnibus validius videtur, illud eſt, quod nimirum in quarto Macchabæorum (3), unde Joſephus narrationem hanc hauſit, nihil ſive de violato per Hircanum Davidis ſepulcro, ſive de pecuniis ex illo effoſſis legitur. Hæc enim tantum ibi leguntur: *Fertur, Hircanum aperuiſſe theſaurum, qui fuerat quibuſdam Regibus de filiis David [cui pax] qui protulit inde pecuniam plurimam, & tantumdem reliquit, reſtitueas illum priſtinæ occultationi; tum conſtruxit quod diratum erat ex muro, & reparavit.* In his itaque nihil minus, quam de ſepulcris Davidis agitur.

Verum ſi Numinis providentia id effecit, ut monumentum viri ſanctiſſimi hodie lateat, ſi religioſi illi cineres hodie ignorantur, manent tamen, æternumque manebunt monumenta ingenii & pietatis illius, ac tanti nominis gloria nunquam non ad ſe hominum animos rapiet. Liber Pſalmorum, cujus potiorem partem ipſe digeſſit, gloriam authoris ſui melius celebrat, quam magnificum quodlibet cujuſvis calamo elogium. Conſecravit illi pariter Author Eccleſiaſtici epitaphium (4) multo perennius, quam ſi marmori, & æri commiſſum eſſet: „ Quaſi adeps ſeparatus a car-
„ ne, ſic David a filiis Iſrael. Cum leonibus lu-
„ ſit quaſi cum agnis, & in urſis ſimiliter fecit,
„ ſicut in agnis ovium, a juventute ſua. Num-
„ quid non occidit Gigantem, & abſtulit oppro-
„ brium de gente? .... Sic in decem millibus
„ glorificavit eum, & laudavit eum in benedi-
„ ctionibus [ideſt, inter benedictiones] Domini,
„ in offerendo illi coronam gloriæ. Contrivit enim
„ inimicos undique, & extirpavit Philiſthiim con-
„ trarios uſque in hodiernum diem .... In om-
„ ni opere dedit confeſſionem Sancto, & Excelſo
„ in verbo gloriæ .... Stare fecit cantores con-
„ tra Altare, & in ſono eorum dulces fecit mo-
„ dos. Et dedit in celebrationibus decus [religio-
„ nem dierum feſtorum auxit] & ornavit tem-
„ pora [dies ſacros] uſque ad conſummationem
„ vitæ .... Dominus purgavit peccata ipſius,
„ & exaltavit in æternum cornu ejus, & dedit illi
„ teſtamentum Regni, & ſedem gloriæ in Iſrael.

Diſcimus ex Paralipomenis (5), prima & ſuprema Davidis geſta, quæcumque ſub eo Rege ejuſque ætate acciderunt, tum in Iſraele, cum ubique per orbem, narrata eſſe in Commentariis Samuelis, Nathani, & Gad. Horum Librorum minima portio eſſe videtur hujus Regis hiſtoria, quæ ad nos uſque pervenit. Porro eos libros accuratiſſimos fuiſſe neceſſe eſt, utpote deſcriptos ab Authoribus coævis, doctis, ſynceris, qui plane norant omnia, quæcumque gerebantur.

℣. 11. IN HEBRON REGNAVIT SEPTEM ANNIS. In ſecundo Regum II. 11. regnaſſe legitur ſeptem annis, & ſex menſibus.

℣. 12. SALOMON AUTEM SEDIT SUPER THRONUM DAVID PATRIS SUI. Aſcenderat ille ſolium, & Regni habenas capeſſerat ante obitum patris, uti conſtat ex capite ſuperiori ℣. 46. 48. probatque idem ſumma, quam jam tum exercaba cœpit, authoritas (6); idque etiam Joſephus (7) ac Patres (8) admittunt. Igitur cum aſſerit Scriptura, ſediſſe nunc primum Salomonem in ſolio patris, illud ita dictum accipiendum eſt, ut poſt obitum Davidis unicum ſe tandem agnoverit & pacificum Regni poſſeſſorem.

℣. 15. TU NOSTI, QUIA MEUM ERAT REGNUM, utpote majoris natu inter filios Davidis. Favore me ſuo proſequebatur populus, & par ego fuiſſem viribus fautorum meorum, ut Regnum Salomoni dubium facerem. Sed malui cedere, intelligens, Deum faviſſe Salomoni. Suſpicantur plures (9), Joabum authorem fuiſſe Adoniæ, ut uxorem poſceret Abiſag Sunamitidem, pellectum ſpe Regni tandem potiundi, Salomone dejecto. Adoniæ factio adhuc integra perſeverabat. Joabus & Abiathar, cæterique qui partibus ejus ſtuduerant; adhuc illi favere poterant, & in Adoniam ferebantur. Penes Adoniam jus erat primoris natu, illecebræ ex oris elegantia, & amor apud populum; quibus ſi acceſſiſſet connubium cum Abiſag, defuncti Regis uxore, multo hæc magis valuiſſent, ut pro voto res illi ſuccederet. Sed eo ſpectaſſe Adoniam nullo certo argumento demonſtrabitur: poterat enim in eas nuptias amore ſaltem æque ac ambitione impelli.

℣. 19. SURREXIT REX IN OCCURSUM EJUS, ADORAVITQUE EAM. Doctores Hebræi obſequium & venerationem erga parentes commendant. Salomon in Proverbiis XV. 20. *Stultus homo deſpicit matrem ſuam.* Patla ſcripſerat capite 1. 8. Author Eccleſiaſtici III. 18. *Eſt maledictus a Deo, qui exaſperat matrem.* Senior Tobias diem ultimum clauſurus, filium ſuum monet capite IV. 3. *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus; memor enim eſſe debes, quæ & quanta paſſa ſit propter te in utero ſuo.* Apud Perſas nefas erat filio coram matre, & illa non annuente, ſedere; & Alexander Magnus qui Siſigambim Darii matrem perinde ac parentem ſuam ſuſpiciebat, profeſſus eſt cum illa loquens: *Quoties ad te veni, donec ut conſiderem annueres, reſtiti* (10).

SEDIT AD DEXTERAM EJUS; honeſtiſſimo ac primo loco poſt Regem. Filius Dei ad dexteram Patris ſedet (11). Manaſſen primogenitum ſuum conſti-

[1] Sanct. hic, & in Act. c. 11. & Salian. an. Mundi 3025. art. 113. 114. Tirin. hic. [2] 3. Reg. IX. 14. [3] 4. Macchab. c. 2. ut eſt in Bibl. Maxim. de la Haie; ſed c. 21. ut in edit. Polyglott. Pariſ. & Anglic. cum Arab. Textu. [4] Eccli. XLVII. 2. & ſeq. [5] 1. Paral. XXIX. 29. [6] Cap. 1. 51. 52. 53. [7] Joſeph. Antiqu. lib. 7. c. 9. [8] Auguſt. lib. 17. de Civit. c. 8. Hieronym. Ep. ad Vital. Vide Salian. & Pinedam. [9] Vide Theodoret. quæſt. 7. Abul. qu. 20. Dionyſ. Carthuſ. Hugo Card. Sanct. hic ad ℣. 17. [10] Quint. Curt. lib. 5. [11] Pſalm. CIX. ℣. 1.

tuit Joſephus ad dexteram patris ſui Jacobi, ut benedictionem avi accipiat (1). Apud Turcas ſiniſtræ locus eſt honeſtiſſimus, & quos minoris æſtimant, rejiciunt ad dexteram. Apud veteres Perſas, teſte Xenophonte, digniores ſiniſtram tenebant (2). Contraria omnia apud Hebræos.

℣. 20. Neque fas est ut avertam faciem tuam, petitione tua fruſtratam, repulſæ mœrore turbatam. Nefas eſt mihi petitionibus tuis non annuere, ſi tamen concedenda petieris. Juris axioma eſt (3): *In generali juris conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter conceſſurus.*

℣. 22. Postula ei et Regnum. Hebræorum, & omnium ferme Regum Orientis mos erat, ut ea, quæ defuncti Regis fuiſſent, nulli alteri quam ſucceſſori permitterentur: viduam e defuncto uxorem nonniſi Regi ducere fas erat (4). Itaque Adonias poſtulans nuptias Abiſag, ſimul etiam affectati Regni, adeoque criminis morte digni convincebatur. Totus hic verſiculus ita reddi poteſt ex Hebræo (5): *Pete ei & Regnum, quia ipſe frater meus primogenitus eſt; pete ei & Abiathar Sacerdoti, & Joab filio Sarviæ.* Poſtulare illi nuptias cum uxore defuncti Regis, eſt petere ut regnet ipſe cum Abiatharo & Joabo, partis illius Principibus.

℣. 24. Vivit Dominus.... qui fecit mihi domum. Phraſis hæc ſtylo Scripturæ (6) uſurpari ſolet pro, familiam habere firmatam, & filiorum numero florentem. An igitur liberi jam erant Salomoni, viginti annorum juveni? Conſtat utique, Roboamum ejus filium hoc ipſo anno genitum fuiſſe. Quem quidem hujus ortum prodigioſum nonnulli ex Patribus (7) reputarunt, rati Salomonem undecim vel duodecim annorum adoleſcentem Regnum capeſſiviſſe. Ortum ejuſdem filii, felici adeo tempore, ſpectare potuit Salomon, atque illum loco beneficii a Deo accepti, & tamquam argumentum aſſerti ſibi Regni habere. Neque immerito etiam reputaverimus, Salomonem ſeſe ipſum ſpectaſſe ad caput populi ſui, tamquam patrem familias in domo ſua, eamque animi ſententiam expreſſiſſe iis verbis: *Dominus fecit mihi domum.*

Hodie occidetur Adonias. An non præcipiti nimis judicio Salomon damnat Adoniam? An ille majeſtatis reus convictus erat? An non conſuetæ juris regulæ ſervandæ tunc erant? Conſtabat ne certo, poſtulaſſe illum ſibi nuptias Abiſag, malo defectionis, vel affectati Regni conſilio? An commodum non fuiſſet Salomoni fratrem impedire, ne quid novi moliretur, niſi exacto ſupplicio? Interpretum quidam (8) minime verentur Salomonem hic ſævitiæ & præcipitis judicii accuſare. Plerique tamen defendunt (9). Judiciis reddendis non ſemper leges abſolutiſſimæ juris a Principe ſervandæ ſunt; politiæ ratio atque utilitas Reipublicæ ſæpenumero poſtulant, ut aliqua fiant quæ conſiliis Evangelicis opponuntur. Adoniam Regnum affectaſſe, res erat explorata; molitus fuerat antea illud uſurpare invitis Davide & jure Salomonis, cui Regnum obligatum fuiſſe aperta promiſſione, non ignorabat. Petitio nuptiarum Abiſag e priori illo conſilio orta eſſe non obſcure noſcebatur: & quamquam reipſa quidem fieri potuit, ut alio conſilio id petierit Adonias, nec intellexerit malas petitionis ſuæ appendices, cur tamen Salomon certior fieret de animi illius propoſito, vel in favorem fratris factum illud interpretaretur, nihil erat. Satis erat reum fuiſſe aperti criminis, quod in perniciem Reipublicæ verti potuiſſet; nec in judicio de ſontibus ſpectatur, quid illi in animo ſenſerint, ſed quid facto præſtiterint. In his rebus mora omnis eſt perniciofa. Id generis crimina punienda ſunt ſtatim, ſine mora & conſultatione, *Ubi facto magis, quam conſulto opus* (10).

℣. 25. Misit Rex per manum Banajæ.... qui interfecit eum. Sæpe Principes, cum res poſceret, utebantur familiariſſimis ſibi Præfectis, ut neci aliquos traderent. Apud Romanos, imperari ſolebat militibus mors reorum; uti & ſontes vinculis a militibus onerabantur, ac torquebantur. Urget frequenter Tertullianus hoc argumentum (11), ut Chriſtianos removeat, ne militiæ dent nomen, ut ſcilicet ne cogantur ducere in carcerem & ad ſupplicium, quin & perimere ſontes. Eodem more utebantur & Perſæ. Ariocho Principi vel Duci copiarum Nabuchodonoſoris provincia demandata eſt, ut omnes Sapientes Babyloniæ, qui interpretari ſomnium Regis nequidquam tentaverant, interficeret (12). Vide noſtram Diſſertationem de ſuppliciis Veterum Hebræorum.

℣. 26. Vade in Anathoth ad agrum tuum. Anathoth urbs erat Sacerdotalis (13). In ſolo huic urbi adjacenti agrum poſſederat Abiathar ſummus Sacerdos, ſive quod illum referret e patrum ſuorum hæreditate, ſive quod acquiſiverit connubio, puta ducta ex altatius Tribu puella hærede (14); ſive tandem poſſeſſio eſſet illi aſſignata in agro duorum millium cubitorum, qui juris erat publici, circum mœnia urbium Sacerdotalium (15). Punivit Salomon Abiatharum, uti participem criminis Adoniæ; exulem vero illum egit, & ab honore & munere dignitatis ſuæ amotum; cui vitam ſe permittere dixit, quod Davidi extorri plurima officia impendiſſet.

Diſſidium eſt inter Scriptores Commentariorum (16) de his Salomonis geſtis erga Abiatharum. An jus erat Principi exautorandi ſummum Sacerdotem, quin & capite damnandi, ut ille habere ſe innuit iis verbis: *Hodie te non interficiam, quia portaſti Arcam Domini mei coram Davide patre meo, & ſuſtinuiſti laborem in omnibus, in quibus laboravit pater meus?* Convenit inter omnes, I. Ordinem Sacerdotalem ita inhæſiſſe domui Aaronis, ex aſſerto Dei privilegio, ut id legis decretum immutare neque Rex, neque quiſpiam ſupremam dignitatem gerens poſſet. II. Dignitas Sacerdotalis, in familiis nonnullis hæreditaria, nonniſi illata juri & æquitati vi, removeri ab illis poterat, adeout privarentur jure ſacræ ſucceſſionis, niſi tamen juſtæ quædam cauſæ abrogationem ſuaderent. III. Longe aliud eſt privare hominem Sacerdotio, aliud interdicere illum exercitio dignitatis ſuæ. Salomon in familia Aaronis Sacerdotium conſervavit, relicto ſummo Sacerdote Sadoco, neque ea dignitate Abiatharum exuit: vetat ſolummodo, ne ſacrum munus gerat, fruaturque ſacris redditibus: cæterum inferius (17) appellatus occurrit, uti prius, ſummus Sacerdos. Denique ultionem hanc de illo juſtiſſimis de cauſis exigit. Conſpiratio Abiathari, ſtudium, favor Adoniæ præſtitus, nonne ſatis ſuperque promeruerant? Præterea ſi David propria authoritate illum evexerat ad ſummum Sacerdotium (18), cur non poterat & Salomon juſtis de cauſis illum abrogare? Favebat Salomoni Samuelis Oraculum (19), quo futurum prænunciabatur, ut e familia Heli amotum Sacerdotium, in familiam alteram transferretur. Sua fides oraculo ſtetit in Sadoco e familia Eleazari, cum Abiathar ad Ithamari familiam pertineret. Denique videtur, Reges, utpote Reipublicæ Hebraicæ capita, quibus Summi Sacerdotes in numero ſubditorum eſſent, Reges, inquam, ſubditos

(1) Geneſ. XLVIII. 13. (2) Xenoph. de Inſtitut. Cyri lib. 8. (3) Vide Serar. hic. (4) Vide Grot. ad ℣. 17. Vatab. ad ℣. 24. (5) שאלי לי את המלוכה כי הוא אחי הגדול ממני ולו ולאביתר הכהן וליואב בן צרויה (6) Vide Exod. I. 21. (7) Hieronym. Epiſt. 132. ad Vital. (8) Vide & Cajet. & Menoch. (9) Theodoret. q. 7. Procop. & alii. (10) Tacit. l. 1. Hiſt. Grot. ad ℣. 25. (11) Tertull. de Corona Milit. c. 11. (12) Daniel. II. 24. (13) Joſue XXI. 18. (14) Vide Jerem. XXXII. 7. (15) Vide Num. XXXV. 3. 4. (16) Vide Eſtium hic, & Gini. Item Cornel. & Menoch. (17) 3. Reg. IV. 4. *Sadoc & Abiathar Sacerdotes.* (18) 2. Reg. XXII. 22. XXIII. 9. (19) 1. Reg. II. 31. & ſequ. Vide Theodoret. & Procop. hic.

ditos etiam habuiſſe Sacerdotes, jure animadverſionis in rebus mere civilibus; quare ſiquis ſummus Sacerdos abuteretur poteſtate ſua, ſive adverſus Rempublicam ſive adverſus Principem in re gravi & periculoſa, merebatur utique privari honoribus & fructu dignitatis ſuæ, ac multati etiam capite, ſi res poſtularet, etiam ipſius ſæcularis Principis poteſtate.

℣. 28. Venit autem nuntius ad Joab, quod Joab declinasset post Adoniam, et post Salomonem non declinasset. Omnes ferme vetuſti Codices (1) manuſcripti, & veteres etiam omnes Latinæ Editiones (2) legebant: *Venit autem nuntius ad Salomonem, quod Joab &c.* Textus etiam Hebræus in eo diſcrepat a noſtra Vulgata, quod Abſalomum pro Salomone ponat, *Auditio venit uſque ad Joab, qui declinaverat poſt Adoniam, & poſt Abſalom non declinaverat.* Syriacus & Codices quidam Septuaginta legunt: *Cumque fama perveniſſet ad Joabum; nam Joab inclinaverat poſt Adoniam, poſt Salomonem autem non inclinaverat.* Sed codices Græci pro Salomone legunt Abſalomum. Quod ad rem ſpectant, hæc levia ſunt; minimum enim eſt ſive legatur Abſalom, ſive Salomon; conſtat enim neutri parti Joabum adhæſiſſe. Nec pariter permagni intereſt ſive id nuncium delatum ſit ad Salomonem de Joabo, partes Adoniæ illum ſequutum fuiſſe, ſive ad Joabum, ut ipſe noverit relegationem Abjathari per Salomonem.

Apprehendit cornu Altaris. Scitum eſt, Altaris holocauſtorum quatuor fuiſſe ad quatuor angulos extantia veluti cornua (3). Non ignorabat quidem Joab, aſylum nihil profuturum fuiſſe Adoniæ (4), niſi veniam a Salomone impetraſſet. Aſylum altaris non favebat ejuſmodi reis, uti Joabo. Abjectis ſpretiſque omnibus, quæ ſunt apud homines ſanctiſſima, an æquum erat, ut quis ex altarium religione impunitatem obtineret?

℣. 34. Aggressus eum interfecit; interfecit ſcilicet inhærentem atque amplectentem altare; id enim docere videtur Scripturæ narratio. Sunt qui credant (5), Banajam evellendum curaſſe Joabum ab altari, atque eductum e Tabernaculo interfeciſſe. Jubet Moyſes evelli ab altari impium, qui eo perfugerit (6). Jojada Summus Sacerdos rapi Athaliam e Templo juſſit interficiendam (7). Nimis utique impium eſt Tabernaculi ſanctitatem effuſione humani ſanguinis violare. Pronum erat autem violationem hanc evitare, integro etiam Regiarum juſſionum obſequio. Sed alii literæ inhærendum cenſent (8), quibus & Textus favet. Nonne æque altaris religio violata eſſet, ſi inde reus evelleretur, ut extra locum ſanctum periret? Nihilo tamen ſecius id Lex permittebat: cur igitur non permiſiſſe etiam cenſenda eſt ibi interfici reum, qui in eo loco pervicacius inſiſteret? Noluerim ego tamen excuſare peccatum Salomonis, quod hominem damnaverit; nec Banajæ, qui damnatum in loco adeo ſancto ac venerabili interfecerit.

℣. 35. Sadoc sacerdotem posuit; ſeu potius confirmavit, aſſeruitque illi ſacram dignitatem, qua jam inde a Saulis ætate potiebatur (9).

℣. 36. Ædifica tibi domum in Jerusalem. Urbem pro carcere aſſignavit. Sedes ille ſuas habebat in Bahurim: prohibetur nunc ne torrentem Cedron trajiciat, neceſſario trajiciendum regredienti in Bahurim, locum ad orientem Jeroſolymæ conſtitutum. Neque tamen liberum illi reliquit ex contraria parte urbis excurſum; conſtat enim, ſupplicium de illo exactum fuiſſe, quod contulerit ſeſe in Geth, locum torrenti Cedron oppoſitum.

℣. 37. Sanguis tuus erit super caput tuum. Si forte contigerit, ut juſſionibus hiſce meis non obtemperes, effuſi ſanguinis tui culpam non alteri quam tibi deputes. Caveas moneo. Pepercerat David Semei (10), injuriam ſibi illatam negligens: verum ejuſmodi Princeps non erat Salomon, qui verpæ hujus impium & iniquum facinus impune relinqueret (11). Si manus ab illo aliquandiu abſtinuit, obſequio in Davidem, & facile etiam fide ſecuritatis ab eodem data detentus eſt. Maluit conceſſam a Davide indulgentiam certis conditionibus, a Semei acceptatis, definire, quam penitus revocare. Verum Semei juſſiones Salomonis tranſgreſſus, pœnam mortis incurrit; quare juſtiſſime peremptus eſt, ſuoque tandem exemplo veritatem aſſeruit veteris illius apud Sapientes effati (12), ultionem ſcilicet Dei venire quidem paſſibus furis, ſed venire demum, atque ita aſſequi impios, ut evadere non poſſint.

(1) Omnes MSſ. uno excepto, ait Author nov. edit. S. Hieronym. (2) Gothicæ editiones paſſim, & Sixtina, & Antuerpiana Ariæ Mont. & Pariſ. Juiana. (3) Vide Exod. xxvii. 2. (4) 3. Reg. i. 50. 51. (5) Tirin. Martyr. (6) Exod. xxi. 14. (7) 4. Reg. xi. 15. (8) Menoch. Sanct. Toſt. Vide & Rupert. lib. 3. c. 37. (9) Vide dicta ad 1. Reg. viii. 17. (10) 2. Reg. xvi. 10. 11. (11) Vide ſupra ℣. 8. (12) Euripides.

. . . . Σῖγα, καὶ βραδεῖ ποδὶ
Στείχουσα μάρπτει τοὺς κακοὺς ἀεὶ βροτῶν.

CAPUT III.

Salomon filiam Pharaonis ducit; verſantique Gabaone Deus per quietem noctis apparet: a quo Salomon ſapientiam poſtulat, impetratque non ſapientiam modo, ſed & beneficii incremento opes & gloriam, quas non poſtulaverat. Judicium ſapientiſſimum latum in cauſa duarum meretricum.

℣. 1. Confirmatum eſt igitur regnum in manu Salomonis, & affinitate conjunctus A. M. 2991. ante J. Chr. 1013.
eſt Pharaoni regi Ægypti: accepit namque filiam ejus, & adduxit in civitatem David, donec compleret ædificans domum ſuam, & domum Domini, & murum Jeruſalem per circuitum.
2. Attamen populus immolabat in excelſis: non enim ædificatum erat templum nomini Domini uſque in diem illum.
3. Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis David patris ſui, excepto quod in excelſis immolabat, & accendebat thymiama.
4. Abiit itaque in Gabaon, ut immolaret

laret ibi: illud quippe erat excelſum maximum: mille hoſtias in holocauſtum obtulit Salomon ſuper altare illud in Gabaon. 5. Apparuit autem Dominus Salomoni per ſomnium nocte, dicens: poſtula, quod vis, ut dem tibi. 6. Et ait Salomon: Tu feciſti cum ſervo tuo David patre meo miſericordiam magnam, ſicut ambulavit in conſpectu tuo in veritate, & juſtitia, & recto corde tecum: cuſtodiſti ei miſericordiam tuam grandem, & dediſti ei filium ſedentem ſuper thronum ejus, ſicut eſt hodie. 7. Et nunc, Domine Deus, tu regnare feciſti ſervum tuum pro David patre meo: ego autem ſum puer parvulus, & ignorans egreſſum, & introitum meum. 8. Et ſervus tuus in medio eſt populi, quem elegiſti, populi infiniti, qui numerari, & ſupputari non poteſt præ multitudine. 9. Dabis ergo ſervo tuo cor docile, ut populum tuum judicare poſſit, & diſcernere inter bonum, & malum: quis enim poterit judicare populum iſtum, populum tuum hunc multum? 10. Placuit ergo ſermo coram Domino, quod Salomon poſtulaſſet hujuſcemodi rem. 11. Et dixit Dominus Salomoni: Quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum judicium: 12. Ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens, in tantum, ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. 13. Sed & hæc, quæ non poſtulaſti, dedi tibi: divitias ſcilicet, & gloriam, ut nemo fuerit ſimilis tui in regibus cunctis retro diebus. 14. Si autem ambulaveris in viis meis, & cuſtodieris præcepta mea, & mandata mea, ſicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos. 15. Igitur evigilavit Salomon, & intellexit, quod eſſet ſomnium: cumque veniſſet Jeruſalem, ſtetit coram arca fœderis Domini, & obtulit holocauſta, & fecit victimas pacificas, & grande convivium univerſis famulis ſuis. 16. Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem, ſteteruntque coram eo, 17. Quarum una ait: Obſecro mi domine: ego, & mulier hæc habitabamus in domo una, & peperi apud eam in cubiculo. 18. Tertia autem die poſtquam ego peperi, peperit & hæc: & eramus ſimul, nulluſque alius nobiſcum in domo, exceptis nobis duabus. 19. Mortuus eſt autem filius mulieris hujus nocte: dormiens quippe oppreſſit eum. 20. Et conſurgens intempeſtæ noctis ſilentio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, & collocavit in ſinu ſuo: ſuum autem filium, qui erat mortuus, poſuit in ſinu meo. 21. Cumque ſurrexiſſem mane, ut darem lac filio meo, apparuit mortuus: quem diligentius intuens clara luce, deprehendi non eſſe meum, quem genueram. 22. Reſponditque altera mulier: Non eſt ita, ut dicis, ſed filius tuus mortuus eſt, meus autem vivit. E contrario illa dicebat: Mentiris: filius quippe meus vivit, & filius tuus mortuus eſt. Atque in hunc modum contendebant coram rege. 23. Tunc rex ait: Hæc dicit, Filius meus vivit, & filius tuus mortuus eſt. Et iſta reſpondit, Non, ſed filius tuus mortuus eſt, meus autem vivit. 24. Dixit ergo rex: Afferte mihi gladium. Cumque attuliſſent gladium coram rege, 25. Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri: 26. Dixit autem mulier, cujus filius erat vivus, ad regem (commota ſunt quippe viſcera ejus ſuper filio ſuo:) Obſecro, domine, date illi infantem vivum: & nolite interficere eum. E contrario illa dicebat: Nec mihi, nec tibi ſit, ſed dividatur. 27. Reſpondit rex, & ait: Date huic infantem vivum, & non occidatur: hæc eſt enim mater ejus. 28. Audivit itaque omnis Iſrael judicium, quod judicaſſet rex, & timuerunt regem, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo ad faciendum judicium.

℣. 1. Confirmatum est Regnum in manu Salomonis, ſublatis iis, qui res turbare potuiſſent, & diſſipata Adoniæ factione.

Affinitate conjunctus est Pharaoni, ducta ejus filia. Firmandum ſibi etiam atque etiam Regnum cenſuit, amicitia & fœdere vicinorum Principum procuratis. Igitur amicitiam a Davide cum Hiramo Rege Tyri initam coluit, & filiam Regis Ægypti adſcivit in conjugem. Erant autem uterque inter vicinos Principes potentiſſimi. Recitat S. Clemens Alexandrinus (1) fragmentum quoddam Alexandri Polyhiſtoris, in quo narratur, Salomonem literas dediſſe ad Vaphrem Regem Ægypti, qui Ægyptiorum octoginta millia miſerat, ut in ædificio Templi Jeroſolymitani operam Salomoni ſuam navaret. Utrum connubium hoc interdictum eſſet Salomoni, diſquiritur. Vitat Lex, ne Hebræi connubia cum exteris mulieribus miſceant. *Nec uxorem de filiabus eorum* [Chananæorum] *accipies filiis tuis, ne poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos ſuos* (2). Interdictum hoc Legis ad ſolos Chananæos non definiebatur, ſed cæteras etiam alienas fœminas ſpectabat. Vitio vertit Eſdras Judæis (3), quod

(1) Clem. Alex. lib. 1. Strom. (2) Exod. xxxiv. 16. Deut. vii. 3. (3) 1. Eſdr. x. 2. 10. & 2. Eſdr. xiii. 2.

quod connubia cum fœminis Chananæis, Ammoniticis, Moabiticis & Ægyptiis ſtrinxerint. Denique Scriptura (1) accuſat Salomonem, quod *adamaverit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Hethæas, de gentibus, ſuper quibus dixit Dominus filiis Iſrael: Non ingrediemini ad eas*. Idem exprobrat populo Nehemias (2): conſtat autem, hac de cauſa corruptum fuiſſe animum Principis cæterum ſapientiſſimi, ut peccatum admitteret. His tamen nihil permoti Commentariorum Scriptores plerique (3) docent, in his rebus Salomonem nihil peccaſſe. Regni illius exordia Libri ſancti commendant, hoc tantum excepto, quod tunc Sacrificia in editis locis adhuc immolarentur (4). Connubium illud pariter conſecratum fuit epithalamiis, quibus ſuus eſt locus inter Scripturas Divinas; creditur enim in hoc argumentum ſcriptum fuiſſe Canticum Canticorum, & Pſalmus quadrageſimus quartus. Denique nonniſi probabiliter dixeris, Ægyptiam hanc fœminam, patria Religione relicta, ad Sacra Judæorum tranſiviſſe; uti ejuſdem Pſalmi verſiculi 11. & 12. innuunt: *Audi, filia, . . . & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui; & concupiſcet Rex decorem tuum, quia ipſe eſt Dominus Deus tuus*. Sed recidiſſe Regina creditur in ſuperſtitionem, ſuoque lapſu maxime omnium feciſſe, ut Salomon in errorem & vitia laberetur.

Diſſidium eſt pariter de tempore initi hujus connubii. Sunt qui duxiſſe hanc uxorem credant in exordio Regni ſui, & ante obitum patris; alii nuptias illas componunt cum priori anno poſt mortem Davidis, alii poſt triennium rejiciunt. Innuit Scriptura, geſta hæc fuiſſe, quo tempore Salomon occupabatur ædificando Templo Domini, ædibus ſuis, & mœnibus Jeroſolymæ. *Adduxit eam*, ait ſacer Textus, *in civitatem David, donec compleret ædificans domum ſuam & domum Domini, & murum Jeruſalem per circuitum*. Igitur his ædificiis manum jam admoverat. Conſtat autem, Salomonem opus Templi aggreſſum eſſe anno ſecundo Regni ſui: ſed Textui Hebræo ſenſus alter longe diverſus aſſignari poteſt (5): *Adduxit eam in civitatem David, ubi manſit donec conſummaſſet domum ſuam & domum Domini, & murum Jeruſalem*. Quibus abſolutis, manum admovit magnificis Reginæ ædibus conſtruendis, uti in capite VIII. 8. narrabitur. Hoc ſane non probat, ædificia jam tum cœpta fuiſſe. Ex Cantico Canticorum (6) innui videtur, Reginam primo in ædes Bethſabeę matris Salomonis exceptam fuiſſe.

℣. 2. Attamen populus immolabat in excelsis. Non enim ædificatum erat templum. Non ſatis conſtat, quo referatur hæc particula *attamen*. Reddi poſſet Hebræus (7): *Cæterum populus immolabat tunc in excelſis, quia non ædificata erat domus Domini*. Nulla religio ab his ſacrificiis animos abſterrebat, uti alibi a nobis demonſtratum eſt (8). Prophetæ, Reges Salomone priores, Judices Iſraelis, & ipſe pariter Salomon, cum populo univerſo, ſacris operabantur Domino in editis locis totius regionis, ut Gabaone, Galgalis, Silo, Gabaa, Hebrone, Cariath-Jarim. Neque id reprehendit unquam Scriptura; & quæ in verſiculo proxime ſequenti leguntur, *Salomon ambulabat in præceptis David patris ſui, excepto quod in excelſis immolabat*, reddi poſſunt (9) juxta Hebræum, ut in præſenti verſiculo: *Cæterum in excelſis immolabat*. Atque ita tam longe abeſt, ut hæc credantur exceptio quædam virtuti ac pietati tanti viri contraria, ut potius magis magiſque commendent ejus ſtudium in cultum Domini; vel ſaltem animadverſio ſunt hiſtorica moris tunc, ante ædificatum Templum, obtinentis, qua ſcilicet animadverſione res nec probatur, nec damnatur ut mala (10).

Sed commentariorum Scriptores plerique (11) docent, hic innui a Scriptura, Salomonis & populi in Deum religionem vitii aliquid retuliſſe, neque cultum impendiſſe illos purum abſolutumque, cum ſacrificia in editis locis adhuc offerrentur. Erratum hoc ſuum tunc primum Rex intellexit, cum ſpiritu ſcientiæ & ſapientiæ afflatus eſt; eo enim indicante, agnovit neceſſitatem præcidendi occaſionem hanc populo, Templo Domini condito. Scitum eſt, Scripturam cavere, ne ſacrificia extra Tabernaculum offerantur (12), & in tota ſerie hiſtoriæ Judaicæ ex eo potiſſimum diſtingui Reges fideles & Divini obſequii ſtudioſos a cæteris Principibus, quorum erat inferior pietas; ex eo, inquam, diſtingui, quod illi Aras in collibus deſtruerent, hi vero tolerarent, quin & ſacrificiis complerent.

Sed duplici ratione reſpondemus. I. Lex vetans alibi offerri ſacrificia præter quam in Tabernaculo, accipienda eſt pro tempore, quo fixa erat ac certa ſedes Tabernaculo, conſuetiſque rerum eventibus; non vero ſi novum quid & inſolitum contingeret, neque de tempore, quo Tabernaculum vagabatur, modo hic, modo alibi ſubſidens. II. Scriptura cultum illum Domini in editis locis non damnat, niſi poſt Templi ædificationem; tunc enim cauſationes omnes ceſſabant pro iis, qui ſacrificia & oblationes daturi eo proficiſcebantur.

Excelſa, de quibus hic, Altaria erant excitata in montibus, in rupibus, vel in lucis ejus regionis. Urbes Paleſtinæ pleræque conſidebant in collibus, vel colles habebant vicinos, in quibus veteres illarum incolæ idololatriam exercuerant, quoſque Hebræi pro locis religioſis habuerant, ubi ſacris operarentur. Frequentabantur autem potiſſimum ea loca, quo olim confluxerunt Prophetæ & viri celebres ac Patriarchæ, uti & loca, in quibus Arca Domini ſubſtiterat. Igitur celebris erat religio Bethel, Sichem, Hebronis, Gabaonis, & Ramathæ. Loca illa cenſebantur conſecrata præſentia Arcæ, & ex oblatis ibi ſacrificiis Domino ſanctitas aliqua permanens illis inheſiſſe putabatur: quare peculiari religione frequentabantur. Editus illorum ſitus, ſilentium lucorum & umbra, rupium ſublimitas religionis aliquid habebant, ſanctamque ſui venerationem inſpirabant. Salomonis ætate religione ſua maxime celebris & frequentiſſima omnium erat Gabaon: *Illud quippe erat excelſum maximum*. Stabat ibi vetus Altare holocauſtorum, ab ipſo Moyſe excitatum, quod Jeroſolymam transferre noluit Rex David, quo tempore Arcam fœderis eo traduxit, quin & idem Rex eo ſe contuliſſet ad offerenda ſacrificia euchariſtica, pro impetrata a Deo venia criminis de cenſu populi inſtituto, niſi incommodo quodam prohibitus fuiſſet (13). Eo venit & Salomon initio Regni ſui, poſtulaturus a Deo, ut bene ac ſapienter populum adminiſtrare ſibi largiretur.

℣. 5. Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens: Postula quod via. Nocte ſcilicet, quæ poſt ſacrificium ſecuta eſt, uti conſtat ex Paralipomenis (14), & probabiliter vi precum Deo exhibitarum poſt holocauſtum. Meminit Author Sapientiæ VII. 7. votorum precumque hujus Principis pro obtinenda ſcientia & ſapientia: *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus: & invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ*. Proxime ſequenti nocte Dominus apparuit per viſum Salomoni, & per ſomnium quoddam extaticum ac pro-

(1) 3. Reg. XI. 1. 2. (2) 2. Eſd. XIII. 26. (3) Rabb. Lyr. Eſt. Menoch. Grot. Sanct. Jun. Piſc. Serar. Cornel. &c. (4) 3. Reg. III. 3. (5) ויביאה אל עיר דוד עד כלתו לבנות את ביתו וגו׳ (6) Cantic. III. 4. & VIII. 2. (7) רק העם מזבחים בבמות (8) Vide quæ diximus in 1. Reg. XIII. 12. (9) רק בבמות הוא מזבח (10) Vatab. Grot. Lyran. Hebræi. (11) Sanct. Salian. Menoch. Tirin. Toſt. alii. (12) Levit. XVII. 4. Deut. XII. 13. (13) 1. Par. XXI. 30. (14) 2. Par. I. 7.

propheticum invitavit, ut, ſi quid vellet, poſtularet: popoſcit ille ſapientiam, ſtatimque impetravit; adjecitque, qua erat munificentia, Deus opes & gloriam. Hæc omnia quidem per ſomnium geſta ſunt; ita tamen ut promiſſio veritate non careret, atque data hæc ex fide ſpectati per quietem Numinis haberentur.

Novum profecto id eſt ac inſolitum; non enim facile intelligimus, hominem ſopitum exhibere poſſe preces, præſertim efficaces, quæ merito ſuo non fruſtrentur, uti quas Salomon dedit. Eſt ſomnus veluti mors animæ, quo ſenſus omnes ligantur, ratio exercitio ſui muneris vacat, ut nihil intelligat, nihil agat libere, nihil ſive merendo, ſive demerendo valeat. Accidit tamen interdum, ut dormiens quis præſtare poſſit, vel ſaltem perſeverare in eo, quod bene vel male cœpit. Qui e. g. vigilans mentem animumque habuerit occupatum pravis cogitationibus & male partis deſideriis, adeoque male, imo peſſime paratus fuerit; ſi forte per ſomnium contigerit, ut polluatur, quis dubitat ejus rei culpam illi imputari? oritur enim illud vi præcedentis voluntatis liberæ & determinatæ, quam contraria nulla retractatione interrupit.

Æqua proportione, cur Salomon totus occupatus deſiderio ſapientiæ, cujus indigebat in regimine populi, & pro qua impetranda etiam atque etiam Domino ſupplicaverat ante ſomnum, cur, inquam, fieri non potuit, ut cœptas preces in vigilia proſequeretur & dormiens, ſibique mereretur eo tempore Divinam quamdam per ſomnium viſionem, in qua ad ſtatum ſuperiorem & extraicum elevatus, vota, de quibus hic, formaverit, & pro voto poſtulata a Deo obtinuerit? Id innuere viſus eſt S. Thomas (1). *Non meruit*, ait, *in dormiendo, ſapientiam a Deo, ſed fuit ſignum præcedentis deſiderii; propterea dicitur talis petitio Deo placuiſſe*. In eamdem ſententiam conceſſiſſe S. Auguſtinus viſus eſt (2): *Propter illam ergo affectionem animæ bonam, etiam in ſomnis quædam ejus merita clarent; nam etiam dormiens Salomon ſapientiam præpoſuit omnibus rebus &c.* S. Gregorius Nyſſenus (3) de variis ſomniorum generibus loquens, ſcite obſervat, organa corporis noſtri, & cerebri fibras perinde eſſe, ac muſicarum inſtrumentorum fides. Quamdiu illæ tenſæ ſunt, vix pulſatæ ſonum reddunt harmonicum: verum ſi remittantur, ſilent. Ita pariter & nos, cum vigilamus, ſenſus habemus intenſos, qui tanguntur a ratione, & harmonicum inter ſe concentum exhibent: ſtatim vero ac reſolvimur in ſomnum, ſilet inſtrumentum, niſi forte reliquiæ eorum, quæ vigilantes cogitavimus, excitantes ſeſe, menti exhibeantur, ex quibus inſomnia proveniunt, quemadmodum & lyræ fides etiam cum pulſari deſinunt, tenuem adhuc ſonum reddunt. Monet S. Baſilius, ne totum quietis tempus fruſtra teramus (4); interpellari ſomnum vult, ut vacetur precibus, quin & ſomnus ipſe piis cogitationibus occupetur: ſunt enim ſomnia plerumque imagines eorum, quæ vigilantium mentibus obverſabantur.

Facile hæc omnia accommodantur ſomnio Salomonis. Tota die non ſegniter oraverat, ut ſibi ſapientia a Deo concederetur. Per quietem noctis Deus illi apparens, monuit, ut ſi quid vellet, poſtularet. Rex deſiderio ſapientiæ occupatus, illam poſtulat a Deo, & impetrat. Oratio hæc, vel deſiderium in ſomno conceptum, conſecutio fuit orationis die præcedenti exhibitæ.

℣. 7. Ego sum puer parvulus, ignorans egressum, et introitum meum; ignorans ſcilicet quam agendi rationem in hac vita inſtituam. Vel, uti legitur in II. Paralipom. I. 10. *Da mihi ſapientiam, & intelligentiam, ut ingrediar, & egrediar coram populo tuo*; ceu paſtor, gregem ducens. *Egredi & ingredi* vernacula Hebræorum phraſi indicat agendi totius vitæ rationem.

℣. 9. Dabis servo tuo cor docile, ut .... possit discernere inter bonum et malum: Hebræus ad literam (5): *Cor obediens ſervo tuo ad intelligendum inter bonum & malum*. Cum ingens quiddam ſentiret de regimine magni illius populi, ſe vero ætate imbecillem cerneret, ineptumque ad munus adeo difficile & grande, poſtulat ſibi a Deo pueri docilitatem, ſcientiam abſolutiſſimam boni, & mali, maximopere neceſſariam illi, qui ad regendum populum eligitur.

℣. 12. Dedi tibi cor sapiens et intelligens. Quæ hic Deus Salomoni largitur, congruunt apertiſſime cum iis, quæ antea poſtulaverat. Concedit illi cor docile, & obediens juſſionibus, ac legibus Domini, mentem ſcientia præditam, quanta opus eſt, ut bonum & malum, verum & falſum dignoſcantur. Hæc potiſſima ſunt & neceſſaria, quibus Princeps formetur. Adjecit præterea Deus mentis capacitatem aptam (6), ut ſimul omnia conciperet, ac perficeret; ut Theologiam omnem naturalem & peritiſſimam quamque Philoſophiam noſſet (7); dedit & acumen mentis plane mirabile, quo occultiſſima quæque pervaderet, ænigmata, & ambages etiam intricatiſſimas ſolveret. Acceſſit ordinis & œconomiæ ſtudium ob optimum tum Reipublicæ, tum privatæ domus, tum populi regimen. Denique utilibus illum ſcientiis, quæ tunc maximi æſtimabantur (8) apud Orientales, feliciſſimoque atque ampliſſimo ingenio cumulavit. Deus gratia ſua, & infuſis ac ſupernaturalibus donis beatiſſimas animi illius dotes prævenit atque auxit. Quæ tamen a Deo tanta largitate accepta, ſtudio ſuo & experientia magis magiſque perfecit (9). Admirabilis hujus ſapientiæ tenuis quidam radius fulget in libris, qui a Salomone ſcripti, ad nos uſque pervenerunt.

In tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Raros videas Interpretes, qui dictum hoc genericum aliquo limite non definiant. Sunt qui (10) ita ſupplendum cenſeant: Nullus fuit ante te Rex Iſraelis, qui pari tecum ſapientiæ gradu fulſerit, & nullus deinceps futurus eſt. Vel (11): Nemo eorum, qui ſapientia naturali, vel acquiſita excelluerunt, tibi æqualis fuit. Vel denique: Scientia rerum naturalium, & politicarum ſuperas omnes, quotquot ante te fuerunt, vel qui poſt te venturi ſunt. Nemo tamen reputabit, ſuperaſſe illum e. g. Moyſem, Prophetas & Apoſtolos Myſteriorum rerumque ſupernaturalium cognitione.

℣. 13. Dedi tibi divitias, et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in Regibus, cunctis retro diebus. In II. Paralipom. I. 12. legimus: *Ita ut nullus in Regibus, nec ante, nec poſt fuerit ſimilis tibi*. Hæc pariter ad Reges Iſraelis definiuntur, quos equidem omnes Salomon opibus & gloria ſuperavit (12). Affirmant alii, nullum unquam Principem fuiſſe, qui tot ſimul divitias & gloriam

cum

(1) Vide D. Th. 1. 2. qu. 113. art. 2. & 2. 2. qu. 154. art. 5. ad 6. (2) Auguſt. de Geneſ. ad Lit. lib. 12. c. 16. (3) Lib. de Opificio hominis c. 13. Ἡ γὰρ [illegible] τῷ μνημονικῷ τῆς ψυχῆς τῶν [illegible] τὰ ἐπιχειρήματα. (4) Baſil. Orat. 2. de Oratione. (5) נתת לעבדך לב שמע . . . להבין בין טוב לרע (6) 3. Reg. IV. 29. *Dedit illi prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam quæ eſt in litore maris.* (7) Vide Sap. VII. 17. *Dedit mihi horum quæ ſunt, ſcientiam veram, ut ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & conſummationem & medietatem temporum, &c.* (8) 3. Reg. IV. 30. *Præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum, & erat ſapientior cunctis hominibus.* (9) Eccle. I. 12. *Propoſui in animo meo quærere & inveſtigare ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub ſole.* (10) Lyran. Gloſſ. Vat. Malt. (11) Toſt. Serar. Cornel. (12) Vide Eccle. II. 7. *Poſſedi ſervos & ancillas . . . ultra omnes qui fuerunt ante me in Jeruſalem.* Vide & Sanct. & Mact. hic.

eum tanta ſapientia, & ſcientia conjunxerit (1). Verum in Diſſertatione de theſauris a Davide relictis Salomoni demonſtravimus, Principem hunc revera theſauros poſſediſſe ditiores, quam Reges Aſſyriæ, & Chaldææ, Nabuchodonoſorem, Cyrum, Alexandrum, Cæſarem.

℣. 14. Longos faciam dies tuos. Hoc non ſpondet Deus, niſi certa conditione, ſi in fide permanſerit; cum autem conditionem hanc male impleverit, vitam diutius prorogare illum Deus paſſus non eſt. Incontinentia, & voluptates, quibus ſe totum permiſit, vitæ ejus dies contraxerunt.

℣. 15. Evigilavit, et intellexit, quod esset somnium. Hebræus (2): *Evigilavit, & ecce ſomnium.* Iiſdem verbis claudit Scriptura narrationem ſomnii Pharaonis (3). Reddi etiam poteſt: Evigilavit, intellexitque ſomnium illud eſſe Divinum & myſticum. Captum ſe ſomnio illo ſuo longe aliter ſenſit, ac ſomniis conſuetis & vulgaribus (4).

Somnia, quæ ludunt mentes volitantibus umbris.

℣. 16. Venerunt duæ mulieres meretrices. Fuſe expenſum eſt ad Caput 2. Joſue, utrum vox Hebræa זונה *Zona*, quæ hic & alibi legitur, reipſa ſignificet fœminam proſtitutam, & meretricem. Magnopere in eam partem inclinamur, ut accipiamus eam vocem pro duabus fœminis cauponariis, vel aliud negotiationis genus exercentibus (5). Diſtricte damnat Lex ſcorta & proſtibula apud Iſraelitas (6). Et ſi ambæ hæ mulieres infamem hanc vitæ profeſſionem exercuiſſent, nunquam auſæ fuiſſent coram Rege ſe ſiſtere. Inſolitum etiam eſt, ut proſtitutæ pueros gignant, ac nutriant, tantaque illorum incolumitatis cura teneantur, quantam hic ambæ exhibent. Scitum eſt, potius impias haſce fœminas, ſi quando contigerit ut liberos gignant, odio potius illos, & horrore proſequi, nec alia ſollicitudine teneri, quam ut perimant ac perdant. Igitur præter omnem veri ſpeciem proſtitutæ hic fœminæ inducuntur. Cenſet Grotius, fœminas fuiſſe alienas, quæ legis Deuteronomii ſanctione non obligarentur: ſed rationes aliæ, quas adduximus, faciunt adverſus alienas æque ac gentiles ejus regionis meretrices.

℣. 19. Dormiens quippe oppressit eum. Nonniſi per conjecturam hoc affirmabat mulier; ignorabat enim qua ratione puer ſuffocatus periiſſet. Juvat hic animadvertere, matres illas infantes ſuos non depoſuiſſe in cunis, ſed in lecto apud ſe poſitos habuiſſe.

℣. 25. Dividite infantem vivum in duas partes. Celeberrimum eſt hoc & plane mirificum exemplum, ac documentum profundæ ſapientiæ Salomonis. Unico veluti mentis ictu cognovit, certiſſimum indicium, quo vera mater dignoſceretur, eſſe amorem, pietatem, & tenerum cordis ſenſum erga filium: quare ut diſtingueretur, utra mulier vivum infantem illum genuiſſet, vocandus erat in diſcrimen tener ille matris affectus. Quam autem in ea ſe inivit, ratio & plane ſingularis eſt, & omnium aptiſſima, ut ſapientiam viri plane mirabilem atque ſtupendam omnibus efficiat. Exempla quædam occurrunt in hiſtoria eximiæ ſolertiæ ad detegenda occulta, quæ impervia videbantur; quæ tamen hoc facinore multo inferiora fuiſſe cenſenda ſunt. Claudius Imperator (7) deprehendit fœminam quamdam matrem eſſe adoleſcentis cujuſdam, quem agnoſcere loco filii recuſabat, imperans ut nuptias cum illo componeret. Horror inceſti connubii veritatem matre invita extorſit. Ariopharnes Thracum Rex (8), electus judex trium hominum, qui filios ſe ſinguli aſſerebant Regis Cimmeriorum, arrogabantque ſibi jus in ſucceſſionem patris, imperavit, ut ſinguli miſſo ſpiculo cadaver defuncti Regis vulnerarent. Nunquam id a ſe valuit impetrare verus filius, eoque indicio agnitus eſt & filius & ſucceſſor. Iter habens Hiſpanus quidam (9) incidit forte in miſerum quemdam Mexicanum, coegitque ut mutaret equum cum ſuo: res ſtatim ad magiſtratum urbis Metropolis delata eſt. Incertus hærebat Judex, quod de re ageretur in agro nullo teſte perpetrata. Tunc Mexicanus projecto ſuper caput equi pallio, converſus ad Hiſpanum, qui equum ſibi arrogabat, quonam, ait, oculo lippus eſt equus? *Dextro*, actutum reſpondit Hiſpanus; ſtatimque alter remoto pallio, equum utroque oculo valentem oſtendit, eoque argumento fraus in apertum prodiit.

℣. 28. Videntes sapientiam Dei esse in eo. Sapientia plane inſueta, & mirifica appellatur *ſapientia Dei*, uti *ſomnus Dei* (10) eſt ſomnus graviſſimus; *ſubverſio Dei* (11), ſubverſio integra perſimilis ſubverſioni Sodomæ & Gomorrhæ: *terror Dei* (12); *animadverſio Dei* (13); *ventus Dei &c.* Planius etiam dictum accipi poteſt de ſapientia ex Deo accepta, de ſcientia ordinis ſupernaturalis, & infuſa.

[1] Lyran. Serar. [2] ויקץ שלמה והנה חלום [3] Geneſ. xli. 7. [4] Lucret. lib. 4. [5] Vide Sanct. & Vatab. [6] Deut. xxiii. 17. *Non erit meretrix de filiabus Iſrael.* [7] Suet. in Claud. c. 15. [8] Diodor. Sicul. apud Grot. hic. [9] Jean de Palafox, Remontrances au Roi d'Eſpagne. [10] Geneſ. ii. 21. xv. 12. & 1. Reg. xxvi. 12. [11] Amos iv. 11. [12] 1. Reg. xi. 7. [13] Iſai. xl. 7.

CAPUT IV.

Præfecti Salomonis principes. Imperii ejus amplitudo. Sub eo Rege pax. Menſa. Equi. Sapientia ubique celebris. Ingenii illius monumenta.

℣. 1. ERat autem rex Salomon regnans ſuper omnem Iſrael: 2. Et hi principes,
quos habebat: Azarias filius Sadoc ſacerdotis: 3. Elihoreph, & Ahia filii
Siſa ſcribæ: Joſaphat filius Ahilud a commentariis: 4. Banajas filius Jojadæ ſuper
exercitum: Sadoc autem, & Abiathar ſacerdotes. 5. Azarias filius Nathan, ſuper
eos, qui aſſiſtebant regi: Zabud filius Nathan ſacerdos, amicus regis: 6. Et Ahiſar
præpoſitus domus: & Adoniram filius Abda ſuper tributa. 7. Habebat autem Salomon duodecim præfectos ſuper omnem Iſrael, qui præbebant annonam regi, & domui ejus: per ſingulos enim menſes in anno, ſinguli neceſſaria miniſtrabant: 8. Et

hæc

Digitized by Google

hæc nomina eorum: Benhur, in monte Ephraim. 9. Bendecar, in Macees, & in Salebim, & in Bethſames, & in Elon, & in Bethanan. 10. Benheſed in Aruboth: ipſius enim erat Socho, & omnis terra Epher. 11. Ben-Abinadab, cujus omnis Nephathdor, Tapheth filiam Salomonis habebat uxorem. 12. Bana filius Ahilud regebat Thanac, & Mageddo, & univerſam Bethſan, quæ eſt juxta Sarthana ſubter Jezrahel, a Bethſan uſque Abelmehula e regione Jeemaan. 13. Ben-gaber in Ramoth Galaad: habebat Avothiair filii Manaſſe in Galaad, ipſe præerat in omni regione Argob, quæ eſt in Baſan, ſexaginta civitatibus magnis, atque muratis, quæ habebant ſeras æreas. 14. Abinadab filius Addo præerat in Manaim. 15. Achimaas in Nephthali: ſed & ipſe habebat Baſemath filiam Salomonis in conjugio. 16. Baana filius Huſi, in Aſer, & in Baloth. 17. Joſaphat filius Pharue, in Iſſachar. 18. Semei filius Ela, in Beniamin. 19. Gaber filius Uri, in terra Galaad, in terra Sehon regis Amorrhæi, & Og regis Baſan, ſuper omnia, quæ erant in illa terra. 20. Juda, & Iſrael numerabiles, ſicut arena maris in multitudine: comedentes, & bibentes, atque lætantes. 21. Salomon autem erat in ditione ſua, habens omnia regna a flumine terræ Philiſthiim uſque ad terminum Ægypti: offerentium ſibi munera, & ſervientium ei cunctis diebus vitæ ejus. 22. Erat autem cibus Salomonis per dies ſingulos, triginta cori ſimilæ, & ſexaginta cori farinæ. 23. Decem boves pingues, & viginti boves paſcuales, & centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum, atque bubalorum, & avium altilium. 24. Ipſe enim obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumen, a Thaphſa uſque ad Gozan, & cunctos reges illarum regionum: & habebat pacem ex omni parte in circuitu. 25. Habitabatque Juda, & Iſrael abſque timore ullo, unuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua, a Dan uſque Berſabee, cunctis diebus Salomonis. 26. Et habebat Salomon quadraginta millia præſepia equorum curriliurn, & duodecim millia equeſtrium. 27. Nutriebantque eos ſupradicti regis præfecti: ſed & neceſſaria menſæ regis Salomonis cum ingenti cura præbebant in tempore ſuo. 28. Hordeum quoque, & paleas equorum, & jumentorum, deferebant in locum, ubi erat rex, juxta conſtitutum ſibi. 29. Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam, quæ eſt in littore maris. 30. Et præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium orientalium, & Ægyptiorum. 31. Et erat ſapientior cunctis hominibus: ſapientior Ethan Ezrahita, & Heman, & Chalcol, & Dorda, filiis Mahol: & erat nominatus in univerſis gentibus per circuitum. 32. Locutus eſt quoque Salomon tria millia parabolas: & fuerunt carmina ejus quinque, & mille. 33. Et diſputavit ſuper lignis, a cedro, quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete: & diſſeruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus. 34. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam ſapientiam Salomonis, & ab univerſis regibus terræ: qui audiebant ſapientiam ejus.

℣. 2. HI PRINCIPES QUOS HABEBAT; hi inter Præfectos ejus Principes (1). Habes in hoc capite ſtatum quemdam præcipuorum Regni miniſtrorum, non qualis ab exordio Salomonis, ſed qualis deinceps conſtitutus fuit. Sunt enim quædam nunquam alio referenda, quam ad tempus, quo Regni illius res maxime florebant; e.g. quæ ſpectant numerum equorum, & ſtabulorum Salomonis, imperium ejus latiſſime prorogatum, populos cis & trans Euphratem uſque ad Gozan, filias Salomonis nonnullis hiſce Regni Principibus nuptum traditas.

AZARIAS FILIUS SADOC SACERDOTIS, locum tenebat inter viros a ſecretis cum Elihoreph & Ahia, de quibus in ſequenti verſiculo. Sunt qui vertant (2): *Azarias, nepos Sadoc*, & filius Achimaas, *erat Sacerdos* Salomonis; a ſacris domeſticis ejus Principis, quemadmodum Ira Jairites Sacerdos erat a ſacris Davidis (3). Reddunt alii: *Azarias filius Sadoc* [non quidem Sadoc ſummi Sacerdotis, ſed alterius] *erat primus*, Princeps Præfectorum Regis. *Cohen*, quod uſurpari ſolet pro *Sacerdote*, eſt etiam vir Princeps; quo ſenſu ſcriptum eſt, filios Davidis fuiſſe Sacerdotes. Denique reputari poteſt, Azariam Sacerdotio una cum patre functum eſſe, ut vicariam illi operam præſtaret.

℣. 3. ELIHOREPH, ET AHIA FILII SISA, SCRIBÆ, cum Azaria, ut in præcedenti verſiculo adnotavimus. Non ſatis conſtat, utrum hi tres eodem ſimul tempore munus hoc exercuerint. Tres etiam ſub Davide occurrunt, ſed nunquam ſimul leguntur, quare alter alteri ſucceſſiſſe merito creduntur. Ita pariter & de tribus hiſce ſuſpicari licet. Sub Regibus Juda, poſt Salomonem, nonniſi unicus plerumque Scriba ſeſe offert. *Siſa* pater *Abiæ* idem eſt facile ac *Siva*, qui Scribam ſub Davide geſſit. De nomine, & munere Scribarum fuſius actum eſt ad Joſue.

JOSAPHAT A COMMENTARIIS. Seu potius, authore Vatablo, Hiſtoriographus Regius (4), vel *Magiſter libellorum* ſupplicum, ex Grotio. Vide quæ congeſſimus ad II. Regum VIII. 16.

℣. 4. BANAIAS SUPER EXERCITUM. Præerat antea militibus corporis cuſtodibus, vel Cerethi & Phelethi; ſucceſſit deinde in locum Joabi, ſupremum exercitus Imperatorem agens.

SADOC

(1) אלה השרים אשר לו (2) בן צדוק הכהן (1) 2. Reg. xx. 25. (4) מזכיר

Sadoc et Abiathar Sacerdotes. Sadoc munera ſacra exercebat; ſed Abiathar in domum ſuam ruſticam relegatus, nunquam deinceps in Templo fuit. Supremæ dignitatis nonniſi nomen inane retinebat, uti apud nos Præſules, qui Epiſcopatum ſuum vel recuſarunt, vel reſignarunt. Suſpicantur quidam (1), Salomonem revocaſſe Abiatharum, atque in Templi miniſterium reſtituiſſe, cujus tamen opinionis documentum eſt nullum.

℣. 5. Azarias super eos qui assistebant Regi; ſuper domeſticos Regiæ domus, ſuper eos, qui Regi proxime ſerviebant. Aliter, ex Hebræo על הנצבים *Super Præfectos* (2). Azarias præerat duodecim illis Præfectis, qui Regiam menſam curabant: vide inferius ℣. 7. Præerat etiam ſuper viros a conſiliis, tamquam conſilii Regii Princeps (3).

Zabud filius Nathan, Sacerdos, amicus Regis. Reddi poteſt Hebræus (4): *Zabud filius Sacerdotis Nathan*; vel: *Zabud Princeps*, vel Præfectus conſilii, vel princeps Præfectus Regis, *amicus erat Salomonis*. Indicavimus ſupra ℣. 2. ambiguitatem vocis Hebrææ *Cohen*, quæ modo de Sacerdote, modo de principe viro uſurpatur.

℣. 6. Ahisar, præpositus Domus. Qui cæteris aulæ Præfectis præerat. Singulorum horum Præfectorum munera & poteſtatem accuratius definiri non poſſe cenſemus.

Adoniram super tributa (5). Excipiebat vectigalia, tum ea quæ colligebantur e populo, tum quæ ſolvebantur a Provinciis ſubditis, & tributo obnoxiis. Sed hæc explicatio, quantumvis literalis videatur, difficultatibus tamen non caret. Legitur enim capite ſequenti (6), Adoniram præfuiſſe iis, qui curabant opera montis Libani; quam ad rem exprimendam, eadem occurrit Hebræa vox, quæ hic redditur *tributa*. Certum proinde teneo, Adoniram præfuiſſe operis, ut ſub ejus manu eſſent triginta millia opificum, quos Rex impenderat eruendis lapidibus e monte Libano, cædendiſque in uſum Templi lignis; præfuiſſe pariter cæteris operibus, quæ Rex ſuſcepit, tum ædificandis Regiis ædibus, tum Urbe Jeroſolyma ornanda.

℣. 7. Duodecim Præfectos . . . . . per singulos menses in anno. Qui lunares annos tribuunt Hebræis, adeoque ſingulis trienniis concedunt menſem intercalarem, fatenturque tertium annum menſes treſdecim complexum eſſe, tricas ſibi in numero hoc duodecim Præfectorum conſtituunt. Quid enim accidiſſet, cum annus tredecim menſibus conſtabat? Filum illis præbet Toſtatus (7), quo viam inveniant, docens, ſingulos vicis ſuæ menſæ operibus vacaſſe, ut qui primus primo menſe ſervierat, decimo tertio menſe iterum rediret ad opus, & ſic de ſingulis, ut nullus menſis præfecto vacaret. Sed quorſum hæc? nonne planius eſt reputemus, annos lunares ſub Salomone nondum apud Iſraelitas obtinuiſſe, ut ea ſupputandi ratio nonniſi diu poſt cœperit? quod a nobis demonſtratum eſt in Diſſertatione Chronologica.

℣. 8. Ben-Hur, ideſt, filius Hur, quemadmodum inferius legitur, *Ben-Decar*, *Ben-Heſed*, *Ben-Aminadab*, *Ben* Hebraice eſt *filius*.

℣. 9. Macces, vel *Maces*, vel *Makaz*, urbs ignoti ſitus, quamquam probabiliſſime arbitramur jacuiſſe circa regionem Dan, & in finibus Philiſthæorum; conjungitur enim cum Salebim & Bethſames, ejuſdem regionis urbibus. Eamdem credo cum *Machtes*, de qua in Hebræo Judicum xv. 19. & Sophoniæ i. 11. Situs enim Macces in Tribu Dan, utrique urbi convenit.

In Elon, et in Bethanan. Hebræus: *In Elon-Bethanan*; in Elon ad Bethanan, vel facile ad domum Anan; vel, ſi mavis, ad Quercetum Bethanan.

℣. 10. Ben-Hesed in Aruboth. Creditur Aruboth jacuiſſe in Tribu Juda, cum ibi pariter ſitæ eſſent *Soco*, & *regio Epher*. Epher eſt filius Aſſur, de quo in Paralipomenis (8), nomenque parvæ huic regioni dedit, quam nati ex eo poſteri tenuerunt.

℣. 11. Nephath-Dor. Regio circa Dor. Vide quæ diſſeruimus in Joſue xvii. 11.

℣. 12. Thanac et Mageddo &c. Vide Joſue xxi. 25. & Judices i. 27.

Bethsan. Infra locum, ubi Jordanes e mari Tiberiadis emergit.

Sarthana. Vide Joſue iii. 16.

Abelmehula. Chaldæus: *Vallis*, vel ager *Mehula*. Vide Judices vii. 22.

℣. 13. Avoth-Jair. Vide *Num.* xxxii. 41. *Deut.* iii. 14. *Joſue* xiii. 30.

Quæ habebant seras æreas. בריח נחשת Portæ hujus Urbis muniebantur vectibus, vel peſſulis ex ære compacto, vel tantum laminis æneis tegebantur. Spectare licebat olim urbes, quarum fores protegebantur laminis ferreis, ac poſtes & vectes ex eodem pariter metallo firmabantur. Virgilius Æneidos vii.

Belli ferratos rupit Saturnia poſtes.

Et Æneidos ii.

Limina perrupit, poſteſque a cardine vellit
Æratos.

Meminit etiam Euripides (9) vectium, & peſſulorum æreorum, quibus portæ Urbis Amphionis claudebantur. Vide quæ diſſeruimus in Deuteronomium xxxiii. 25. & Judices iii. 24. noſtramque Diſſertationem de ædibus veterum Hebræorum.

℣. 16. In Baloth. Hebræus: *In Haloth* בעלות, vel in editis locis. Occurrit in ii. Paralipomenon viii. 6. *Balaat* inter urbes a Salomone conditas.

℣. 19. In terra Galaad, ideſt, reliquam regionem poſt urbes Jair, de quibus ſupra ℣. 13.

℣. 21. Salomon erat in ditione sua, habens omnia Regna, a flumine terræ Philisthiim, usque ad terminum Ægypti. Qualenam flumen regionis Philiſtæorum? Sunt qui torrentem Rhinocoruræ, ſunt qui Jordanem aſſignent. Alii Mare Mediterraneum malunt. Sed quomodo hæc omnia tamquam duo extrema regionis Hebræorum, quibus contineantur plura Regna Salomoni ſubdita, conſtituantur? Nonne conſtat, inter regionem Philiſthæam & fines Ægypti, Provincias nullas, nullumque Regnum comprehendi? Confugiendum eſt igitur ad Textum originalem, legendumque (10): *Salomon erat dominans in omnia Regna a flumine* [Euphrate] *in terram Philiſthiim, uſque ad terminum Ægypti* (11). Euphrates appellari ſolebat *fluvius* ſine addito, fluebatque ad orientem Regni Salomonis. Philiſthæi jacebant ad Mediterraneum & Occidentem; Ægyptus ad meridiem. Tributa pendebant Salomoni Regna Syriæ Damaſci, Moabitarum, & Ammonitarum, inter Euphratem & Mediterraneum ſita. Explicationi huic plane favet Textus ii. Paralipomenon ix. 26. Sed collatis inter ſe ℣. 21. & 24. hujus Capitis, alter ex altero exponendi videntur. ℣. 24. legimus, Regnum

(1) Eſtius hic. (2) Munſt. Pagn. Mont. Jun. Vat. &c. (3) Menoch. (4) זבוד בן נתן כהן רעה המלך (5) ואדונירם על המס (6) 3. Reg. v. 14. ואדונירם על המס ... ויהי המס שלשים אלף איש (7) Vide Toſtat. qu. 5. & Sanct. hic. (8) 1. Paral. iv. 6. Vide Jun. hic. (9) Euripid. in Phœniſs.

Ἆρα πύλαι κλῄθροισι
Χαλκόδετά τ' ἔμβολα,
Λαΐνοισιν Ἀμφίονος ὀργάνοισι
Τεῖχος ἥρμοσαι.

(10) מן הנהר ארץ פלשתים ועד גבול מצרים (11) Ita Vet. Grot. Menoch. Tirin. Piſc. Ita & Jonathan, & Joſeph. Antiq. lib. 8. c. 2. Ἦρχε δὲ καὶ Εὐφράτου ποταμοῦ διήκων μέχρι τῆς Αἰγυπτίων.

gnum Salomonis ſeſe porrexiſſe a *Taphſa uſque ad Gazan:* hic autem non ad Gazan modo, ſed proceſſiſſe dicitur etiam *a flumine*, vel torrente Philiſtæorum, quo nomine deſignatur vel torrens Gazæ, vel Beſor ultra Gazam, uſque ad ramum maxime Orientalem Nili.

℣. 22. Erat cibus Salomonis per dies singulos triginta cori similæ. *Corus* menſura erat continens ducentas nonaginta octo pintas, cum hemipinta, hemiſextario, & amplius aliquanto. Farinæ vulgaris dupla erat menſura. In ea regione panis conficei quotidie ſolebat, ejuſque conficiendi ars a noſtra longe diſtabat. Ex copia autem panis, qui abſumebatur, argumentum capias licet de magno eorum numero, qui in ædibus Salomonis verſabantur. Numerat illos Villalpandus (1) ad quadraginta octo millia & ſexcentos, & Calviſius ad quinquaginta quatuor millia.

℣. 23. Bubalorum. Hebræum *Jachmor* יחמור deſignare ſartur (2) genus quoddam damæ vel capræ ſylveſtris, ad cervum proxime accedens. Vide quæ diſſeruimus ad Deuteron. xiv. 5.

Avium altilium. Hebræus: *Volatilium ſaginatorum*. Ita Textum reddunt veteres Interpretes (3), & a recentioribus doctiſſimi (4). Sed Rabbinorum plures, quos Commentariorum Scriptores quidam ſequuntur, certant, Hebræum *Barburim* (5) deſignare capos, vel aves e Barbaria; quaſi Barbariæ nomen, quo ſenſu hodie uſurpatur, Salomonis ætate jam innoteſceret. Vetus erat Barbaria quædam Æthiopica ad Sinum Perſicum, uti demonſtrat Bochartus; ſed illam utique non norant Rabbini noſtrates; & ſi forte illi vocis *Barburim* ſignificationem indicaſſent, divinando potius, quam certo conſilio accidiſſet. Salomonis culina erat refertiſſima, cui tamen nihil cedit magni Turcarum Imperatoris culina. Vide Nicolai Itiner. p. 163.

℣. 24. Omnem regionem, quæ erat trans flumen (Euphratem) a Taphsa usque ad Gazan. *Taphſa*, de qua hic, una eſt eademque cum inclyta urbe Taphſaco ad Euphratem. Meminerunt hujus urbis Ptolemæus, Strabo, Plinius, Xenophon. Regio trans Euphratem omnis uſque Gazan, ſeu potius Gozan, parebat Salomoni. Gozan nomen eſt regionis, & amnis in Scriptura (6) notiſſimi, trans Euphratem, & in veteri regione Medorum. Qua poſita interpretatione, Salomon poſſederat in Meſopotamia ampliſſimam regionem in finibus Armeniæ, a Taphſaco uſque Gozan porrectam. Unica hujus ſententiæ difficultas eſt, quod Gozan, & Gaza aliter ſcribuntur in Hebræo (7). Sed diſcrimen hoc in nominibus ejuſdem ferme pronunciationis negocium minime faceſſit. Scitum eſt enim quanta in hac re libertate abutantur Amanuenſes. Sed omni etiam amota in nominibus Textus mutatione, facile hæc exponuntur de Thapſaco, & Gaza, quarum urbium illa ad Euphratem in extremis orientalibus finibus, hæc vero ad Mediterraneum in extremis oppoſitis Imperii Salomonis jacebat. Principi huic tota late parebat regio ab Euphrate, & Thapſaco ad uſque Gazam & Mediterraneum. Ad caput primum Deuteronomii demonſtravimus, præpoſitionem Hebraicam, quæ redditur *trans*, uſurpari etiam interdum pro *cis*; ſeu potius ſignificare quidquid eſt ad unum e duobus lateribus indiſcriminatim. Contextus ſermonis determinat hic aperte, ut poſterior hæc interpretatio admittatur; legiturque non obſcure in 11. Paralipom. ix. 26. Salomonem regioni univerſæ ab Euphrate uſque ad ditionem Philiſthæorum, & fines Ægypti imperaſſe.

℣. 25. Habitabat unusquisque sub vite sua et sub ficu suo. Familiaris hæc Scripturæ phraſis (8) exprimit profundam pacem, nullo externi vel domeſtici hoſtis metu turbatam. Innocens rudis voluptas, copia, pax, & tranquillitas; hæc ſunt in Libris ſacris votorum noſtrorum argumenta, & ambitio felicium temporum, longe aliter ac noſtris temporibus uſuvenit, cum plerique non niſi noxias voluptates quærunt, & velificante ambitione in bona priſcis illis bonis plane oppoſita feruntur.

℣. 26. Habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium, et duodecim millia equestrium. Locus eſt difficillimus. I. Quod contrarius videatur alteri loco ſecundi Paralipom. 1. 14. in hæc verba concepto: *Fuerunt Salomoni mille quadringenti currus, & duodecim millia equorum*. Diſcrimen eſt ingens inter quadraginta millia præſepia equorum currilium, & inter hoſce mille & quadringentos currus. II. Minueretur difficultas, ſi tot præſepia quot currus conſtituerentur; minueretur, inquam, ſed non penitus tolleretur. Quia enim præſepe pro duobus vel quatuor vel ſex equis ponat? Quorſum vero multiplicentur præſepia uſque ad quadraginta millia, continendis equis mille quadringentorum curruum? In altero Textu 11. Paralipomen. ix. 25. legimus: *Habuit Salomon quadraginta millia equorum in ſtabulis, & curruum equitumque duodecim millia*. En alterum diſcrimen non leve, in quo quadraginta millia equorum ponuntur pro quadraginta millibus præſepibus. IV. Tandem Textus Hebr. (9) poſtremi hujus loci diſcrepat a Vulgata; legit enim: *Fuerunt Salomoni quatuor millia ſtabula equorum & curruum, & duodecim millia equitum*: vel, juxta Septuaginta: *Quadraginta mille fœminæ equæ, nutrientes pullos ſuos ad currus, & duodecim millia equitum*.

Operoſa eſt utique horum locorum conciliatio, admiſſa illorum integritate. Expeditiſſimum autem cenſemus, ſi poſtremus Textus Paralipomenon ex Hebræo teneatur. Fert ille quatuor millia præſepium equorum currilium. Si præſepibus hiſce ſingulis dentur decem equi, conſtabit ſumma quadraginta millium equorum, cohærebitque lectio Vulgatæ. Ad Textum Regum, quem modo verſamus, quod attinet, reputare non immerito poſſumus, Amanuenſes literulas duas ſuperfluas adjeciſſe, ut pro ארבע *quatuor* reddiderint ארבעים *quadraginta*. Hanc ſolutionem Textus docti quidam Scriptores propoſuerunt (10).

De duodecim millibus Equorum equeſtrium, qui in Paralipomenis פרשים *equites* appellantur, facilius res expeditur; uſus enim optimorum Scriptorum, tum veterum, tum recentiorum, ponit indiſcriminatim equitem pro equo: uſurpatur ex. gr. duodecim millia equorum vel duodecim millia equitum. Occurrit non ſemel apud Virgilium (11) *eques* pro *equo*:

. . . . Atque equitem docuere ſub armis
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.

Et alibi:

It eques, & plauſu cava concutit ungula terram.

Cæterum nomina ſunt quædam urbium in Scriptura, quæ accepta videntur e præſepibus Salomonis. Nota eſt e. g. *Raphia*, urbs proxima Ægypto, cujus nomen derivatur ex *Ravat*, ſtabulum; *Beth-Suſim*, domus equorum; *Beth-Hammarcheba*, domus curruum; *Hazar-Suſa*, vel *Hazar-Suſim*,

[1] Villalp. tom. 2. p. 2. l. 5. c. 51. [2] Boch. de animal. ſacr. par. 1. l. 3. c. 28. [3] Ita Jonath. Chald. Syr. Arab. Vulgat. Septuag. Ὀρνίθων ἐκλεκτῶν σιτευτῶν. [4] Bochart. Jun. Piſcat. & alii. [5] ברברים אבוסים [6] Vide 4. Reg. xvii. 6. xviii. 11. xix. 12. [7] Gaza עזה, Gozan גוזן [8] 4. Reg. xviii. 31. Mich. iv. 4. Zach. iii. 10. [9] 2. Paralip. ix. 25. ארבעת אלפים ארות סוסים ומרכבות ושנים עשר אלף פרשים Τεσσαράκοντα χιλιάδες τοκάδες ἵπποι εἰς ἅρματα, καὶ δώδεκα χιλιάδες ἱππέων. [10] Bochart. de animal. ſacr. tom. 1. lib. 2. cap. 9. Jacob. Capell. Polus, Grotius alii. [11] Virgil. Georgic. 3. Vide Sanctium in hunc locum, & A. Gellium, l. 8. c. 6.

ſim, atrium equorum. Loca erant in finibus Ægypti & Palæſtinæ, ditioni Simeonis ſubdita (1).

Quæres hic, utrum Salomon repugnaverit Legi Deuteronomii (2), interdicenti Principibus Iſraelis, ne ingenti numero equos alerent. Sunt qui excuſando viro laborent; egebat enim magno equorum numero, tum in uſum copiarum, tum curruum, tum denique ferendæ ædificiorum ſuorum materiæ. Neque ingens adeo equorum apparatus ſuperbiam Regis auxit, cum Scriptura id vitio Salomoni non verterit. Ipſe pariter de ſe profitetur, ſpem ſuam non in equis, ſed in Domino collocaſſe (3). Nullum inſolitum commercium habuit populus cum Ægypto, neque captus eſt unquam deſiderio eo redeundi ob emendos equos. Horum equorum portio plane magna pendebatur loco tributi imperati (4). Statuendum eſt igitur, Regem hunc, ſi literam legis tranſgreſſus eſt, nihil tamen præſtitiſſe adverſus conſilium & mentem Legiſlatoris (5).

Sed Hebræi, & frequenti numero Scriptores Chriſtiani ajunt, Salomonem in crimen reipſa offendiſſe, comparatis ingenti adeo numero equis. Literam legis trangreſſus eſt, ut omnes admittunt. Repugnavit etiam conſilio legis: præbuit enim occaſionem, ut populus ſuus commercium cum Ægyptiis nimis familiare detineret; atque ut ſumptibus plane immenſis ſufficeret, coactus eſt novis oneribus ſuos opprimere, quod tandem fatale fuit imperio. Denique cur litera legis adeo perſpicua & aperta ſervanda non fuerat? cur populus, cur ipſe ſe exponit diſcrimini, interdicto legis neglecto? Cur non Joſue (6), & Davidis (7) religionem imitatus eſt, qui captis in bello equis nervos ſucciderunt, ne quod in legem peccatum incurrerent (8)?

℣. 27. Nutriebantque eos supradicti Regis Præfecti; equos ſcilicet, de quibus dictum eſt, curabant. Quare comparabant illi panes, & dapes pro menſa Regis, ſimulque paleam, & hordeum in uſum equorum. Hic ſenſus eſt Vulgatæ, Septuaginta, & Joſephi; ſed paulo aliter Hebræus (9): *Alebant hi Præfecti Regem Salomon, & omnem appropinquantem ad menſam Regis. Non ſinebant deficere rem; & hordea, & paleam equis & dromedariis deferebant ad locum, ubi eſſet Rex.* Igitur negotium illi habebant, ut curarent ea, quæ pertinerent ad Regem, aulam, & equos, quorum erat uſus in Regis comitatu, non vero cæteros, per varia ſtabula in toto Regno diſtributos. Hebræus fert aulicos Salomonis innutriſſe Principem cæteroſque omnes, qui menſæ ejus diſcumbebant. Apud Perſas olim mos obtinebat, Athenæo teſte Dipnoſoph. lib. 4. cap. 10. ut menſæ Principis apponerentur dapes omnes, quæ dein in aulæ miniſtros, cuſtodes corporis, cæteroſque domeſticos diſtribuendæ erant. Cteſias & Dio eadem tradunt, addentes illarum gentium regem quinque hominum millia e menſa ſua dietim paviſſe, & de Arabibus deſerti ſcribit D. d' Arvieux, ſecedenti Emiro de menſa ſuccedere ſtatim eos qui veſcenti illi adſiſtebant; eoſque circum menſam illam diſcumbere; manere tandem menſam illam paratam tamdiu, quoadusque domeſticorum, vel infimi quique cibo ſe refecerint; prandio abſoluto, menſa, quam tota præſtabat corium terræ ſuperſtratum, complicari & in culinam referri.

℣. 28. Hordeum et paleas equorum, et jumentorum. Apud Turcas, Perſas, totumque ferme Orientem, avena deeſt; & equi nonniſi hordeo, & palea aluntur. Hebræum *Rekeſch* רכש, quod hic redditur *jumentum*, ſonat quodlibet animal quod currui jungitur, & vulgari equo velocius (10). Sunt qui dictum accipiant de equis curſoribus; alii de dromedariis, alii de mulis. Bochartus (11), quem ducem in hoc argumento, diu multumque a ſe verſato, libenter ſequimur, exponit de equo miræ pernicitatis; Junius & Piſcator de equis veredariis.

℣. 29. Latitudinem cordis, quasi arenam, quæ est in litore maris. Quemadmodum numerari nequit arena maris, fruſtra pariter nitamur dimetiri totam late ſapientiæ hujus viri amplitudinem, & profunditatem. Vel. Uti arenæ maris omnem numerum vincunt, ita & vaſta ejus mens pene infinita comprehendit, varia, non confuſa, ſuo ordine diſtributa. Nihil erat, quod ingenium ejus ſuperaret, ne ipſe quidem numerus arenarum maris. Œnomaus (12) ita irridet Apollinem:

Qui pelagi fines, numerumque jacentis arenæ,
Et muti ſenſus cognoſti, audiſque ſilentem.

Accipi etiam poteſt *Latitudo cordis* pro animi magnitudine, magnanimitate, generoſitate, munificentia. Superbiæ etiam interdum datur nomen *latitudinis cordis* (13); quæ vulgare licet vitium ſit & contemptu dignum, imitatur tamen ſtrenui animi magnanimitatem.

℣. 30. Præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, et Ægyptiorum, quæ ſolæ tunc erant gentes ſapientiæ laude celebres. *Orientalium* nomine cenſentur hic Chaldæi, Perſæ, Arabes. In Scriptura æque & apud Profanos ſapientia Orientalium celebratur. Meminit Daniel (14) Sapientum, & Divinorum Chaldææ; & Idumææ ſapientes Abdias, ℣. 8. memorat: *Perdam ſapientes de Idumæa*. Job ejuſque amici inter Sapientes Orientis ſibi locum vindicabant, quemadmodum inter illos recenſebatur Balaam Propheta, qui e Peor ad Euphratem venerat (15). Fatentur Græci (16) Philoſophiam tenere ſe ex Orientalibus, e quibus prima ſemina Divinæ hujus ſcientiæ primi illi magiſtri Græciæ acceperint. Obtrudunt nobis *Magos* Perſarum, *Chaldæos* Babyloniorum, vel Aſſyriorum; *Gymnoſophiſtas* Indorum.

Reliquos vero Orientales ſapientiæ & ſcientiæ laude ſuperabant Ægyptii. Cum enim regionem incolerent Græciæ maxime propinquam, atque iter maxime eſſet commodum, Græci eas regiones ſæpius frequentarunt, atque conſuetudinem cum gentibus illis detinuerunt frequentiſſimam ac ſuaviſſimam. Ægyptii vero, celeberrimi rerum ſuarum laudatores, veram cæteroqui antiquitatem, & ſcientiam ſuam plus nimio exaggerarunt; quibus obſequium, & fidem conciliabant myſteria, quibus illorum dogmata obvolvebantur. Ajebant illi, ſapientiam, vel philoſophiam tranſlatam fuiſſe in Chaldæam, colonia ex Ægypto ducta. Sermo eſt equidem apud Diodorum Siculum lib. 1. de Colonia Ægyptiorum, quæ ſub Belo in Chaldæam venit. Viciſſim autem Chaldæi prima ſcien-

(1) Vide Joſue xix. 5. (2) Deuter. xvii. 16. *Non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero ſublevatus.* (3) Prov. xxi. 31. *Equus paratur in diem belli; Dominus autem ſalutem tribuit.* (4) 2. Par. ix. 24. *Deferebant ei munera . . . . equos & mulos per ſingulos annos.* (5) Toſt. Bochart. de animal. ſacr. tom. 1. l. 2. c. 9. (6) Joſue xi. 4. (7) 1. Par. xviii. ℣. 4. (8) Vide, ſi lubet, Serar. in Joſue 21. qu. 7. Pined. de Reb. Salom. lib. 7. cap. 14. Sanct. hic. Item alios in Deut. xvii. (9) וכלכלו את המלך שלמה ואת כל הקרב אל שלחן המלך . . . . לא יעדרו דבר והשערים והתבן לסוסים ולרכש יביאו אל המקום אשר יהיה שם (10) Vide Mich. 1. 13. & Eſth. viii. 10. (11) Boch. de animal. ſacr. tom. 1. lib. 2. cap. 6. (12) Apud Euſeb. Præp. lib. 5. cap. 34. (13) Prov. xxi. 4. *Exaltatio oculorum eſt dilatatio cordis*; vel ſi mavis, *latitudo cordis.* (14) Dan. ii. 2. & xi. 3. (15) Num. xxii. 5. (16) Vide Diog. Laert. in Proœmio, initio. Τὸ τῆς φιλοσοφίας ἔργον ἔνιοί φασιν ἀπὸ βαρβάρων ἄρξαι. Græcorum optimus quiſque ita ſemper ſenſit, & veteres illi noſtræ Religionis defenſores adverſus gentes, veritatem hac in parte ita defenderunt, &c. Caſaubon. in hunc Laert. locum.

uſus inter Judæos perſeverabat. Addit, Eleazarum Judæum Energumenos plures coram Veſpaſiano ejuſque filiis ac Præfectis exercitus, militibuſque plurimis liberaſſe. Naribus Dæmoniaci annulum alligabat, qui annulus loco gemmæ inſertam continebat radicem quamdam a Salomone indicatam; ſimul autem obmurmurabat carmina quædam a Salomone tradita; nomen ejus Principis ingeminabat; ſtatimque Energumeno incolumitas reddebatur: atque ut ille virtutem ſuam demonſtraret, imperabat Dæmoni egredienti, ut dejiceret vas aqua plenum non procul inde poſitum. Agit Kimchi (1) de vetere Libro Salomonico, inſcripto: *De curatione morborum*, quod opus idem eſſe cenſet Genebrardus ac Librum Carminum Salomonis, de quo Joſephus. Meminit etiam Origenes (2) adjurationum ætate ſua obtinentium, ad pellendos Dæmones, e libris Salomonis nomine inſcriptis, extantibus apud Judæos, deductarum. Simul autem indicat, parum ſe illis fidei addicere. Conſtat ex Actis Apoſtolorum XIX. 13. Judæos quoſdam Exorciſmum exercuiſſe. Damnat Gelaſius Papa Librum inſcriptum: *Contradictio Salomonis*. Denique alii etiam ſub tanti viri nomine Libri obtruduntur; uti, *Incantationes Salomonis*, *Clavicula*, *Annulus*, *Hygromantia Salomonis*, quæ opera ſunt pernicioſiſſima, a Magis & Seductoribus ſuppoſita, quibus ex nomine tanti Principis famam conciliarunt (3). Sermo etiam occurrit de *Neomeniis Salomonis*, & *de Umbris Idearum*, & de Literis ad Vaphrem, & Hiramum ab ipſo datis. Quæ tamen omnia nos in cenſum apocryphorum rejicimus.

℣. 34. Veniebant ... ab universis Regibus terræ, ut ſapientiam Salomonis audirent. Singulas haſce legationes Salomoni adeo glorioſas nullibi deſcribit Scriptura; niſi una excepta hiſtoria adventus Reginæ Sabæ, de qua inferius cap. X. Sapientiam Salomonis amni totam late terram inundanti comparat Author Eccleſiaſt. XLVII. 16. Perſimile aliquid ſpectavit olim Roma in Tito Livio, quem tamquam prodigium viſuri ex extremis finibus Hiſpaniæ, & Galliæ Eruditi veniebant (4): *Ad Titum Livium, lacteo eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hiſpaniæ Galliarumque finibus quoſdam veniſſe Nobiles legimus: & quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus ſæculis, celebrandumque miraculum, ut urbem tantam ingreſſi, aliud extra urbem quærerent.*

(1) Kimchi in 3. Reg. IV. Vide Genebrard. Chronol. (2) Origen. in Matth. homil. 35. *A Salomone ſcriptis adjurationibus ſolent dæmones adjurari; ſed ipſi qui utuntur adjurationibus illis, nec idoneis conſtitutis libris utuntur; quibuſdam autem de Hebræo acceptis adjurant dæmonia.* (3) Vide Pinedam lib. 3. c. 29. de Rebus Salom. (4) Vide Hieron. Ep. ad Paulin.

CAPUT V.

Fœdus, & amicitia inter Hiramum Regem Tyri, & Salomonem. Hiram ſufficit Salomoni opifices, qui præparent ſtruem lignorum neceſſariam in ædificium Templi. Annona, quam Salomon dabat Hiramo. Numerus opificum in ædificio Templi.

℣. 1. Miſit quoque Hiram rex Tyri ſervos ſuos ad Salomonem: audivit enim, A. M. 2992.
quod ipſum unxiſſent regem pro patre ejus: quia amicus fuerat Hiram ante J. C. 1012.
David omni tempore. 2. Miſit autem Salomon ad Hiram, dicens: 3. Tu ſcis vo-
luntatem David patris mei, & quia non potuerit ædificare domum nomini Domini
Dei ſui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos ſub ve-
ſtigio pedum ejus. 4. Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per
circuitum: & non eſt ſatan, neque occurſus malus. 5. Quamobrem cogito ædificare
templum nomini Domini Dei mei, ſicut locutus eſt Dominus David patri meo, di-
cens: Filius tuus, quem dabo pro te ſuper ſolium tuum, ipſe ædificabit domum no-
mini meo. 6. Præcipe igitur, ut præcidant mihi ſervi tui cedros de Libano, & ſer-
vi mei ſint cum ſervis tuis: mercedem autem ſervorum tuorum dabo tibi quamcum-
que petieris: ſcis enim, quomodo non eſt in populo meo vir, qui noverit ligna cæ-
dere ſicut Sidonii. 7. Cum ergo audiſſet Hiram verba Salomonis, lætatus eſt val-
de, & ait: Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit David filium ſapientiſſimum
ſuper populum hunc plurimum. 8. Et miſit Hiram ad Salomonem, dicens: Audivi
quæcumque mandaſti mihi: ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis,
& abiegnis. 9. Servi mei deponent ea de Libano ad mare: & ego componam ea
in ratibus in mari, uſque ad locum, quem ſignificaveris mihi, & applicabo ea ibi,
& tu tolles ea: præbebiſque neceſſaria mihi, ut detur cibus domui meæ. 10. Ita-
que Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, & ligna abiegna, juxta omnem volunta-
tem ejus. 11. Salomon autem præbebat Hiram, coros tritici viginti millia, in ci-
bum domui ejus, & viginti coros puriſſimi olei: hæc tribuebat Salomon Hiram per
ſingulos annos. 12. Dedit quoque Dominus ſapientiam Salomoni, ſicut locutus eſt
ei: & erat pax inter Hiram, & Salomonem, & percuſſerunt ambo fœdus. 13. Ele-
gitque rex Salomon, operarios de omni Iſrael, & erat indictio triginta millia viro-

rum. 14. Mittebatque eos in Libanum, decem millia per menſes ſingulos viciſſim, ita ut duobus menſibus eſſent in domibus ſuis; & Adoniram erat ſuper hujuſcemodi indictione. 15. Fuerunt Salomoni ſeptuaginta millia eorum, qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte. 16. Abſque præpoſitis, qui præerant ſingulis operibus, numero trium millium, & trecentorum, præcipientium populo, & his, qui faciebant opus. 17. Præcepitque rex, ut tollerent lapides grandes, lapides pretioſos, in fundamentum templi, & quadrarent eos. 18. Quos dolaverunt cæmentarii Salomonis, & cæmentarii Hiram: porro Giblii præparaverunt ligna, & lapides ad ædificandam domum.

℣. 1. MISIT HIRAM AD SALOMONEM. Legatio hæc Hirami ad Salomonem, ut confirmaret fœdus, & amicitiam olim cum Davide compoſitam, venit initio Regni Salomonici; nec immerito reputamus, Hiramum eo impulſum fuiſſe potiſſimum fama ſapientiæ Salomonis, quæ ab ipſo Regni ejus exordio palam ſeſe evulgavit. Hinc autem factum eſt, ut Hiram, auditis Legatis, quos viciſſim Salomon ad ſeſe miſerat, egerit Deo gratias, quod ſapientem adeo filium & ſucceſſorem Davidi largitus fuerit (1). Literas, quibus Hiram & Salomon mutuam conſuetudinem detinebant, ætate ſua adhuc ſupereſſe in Tabulariis Tyriorum, affirmat Joſephus (2); laudatque *Dium* hiſtoriæ Phœnicum Scriptorem, ac Menandrum, qui de utroque Principe egerunt. Narrant hi Scriptores, Hiramum & Salomonem ſeſe provocaſſe invicem ænigmatibus: accidiſſe autem, ut Salomon ænigma quoddam Hiramo propoſuerit; quod cum ille ſolvere non poſſet, coactus fuit mulctam pecuniæ ingentis dare: dein vero Abdemonem quemdam Tyrium non explicaviſſe modo obſcuriſſimum ænigma, ſed alia etiam Salomoni propoſuiſſe, in quibus idem Princeps victus, grandem viciſſim multam rependere coactus ſit. Hiramus hic filius erat illius, qui amicitiam cum Davide coluerat (3), ſi vera prodit Joſephus, Templum ſcilicet conditum fuiſſe anno ejuſdem Principis undecimo, & Salomonis quarto (4).

℣. 3. PROPTER BELLA IMMINENTIA PER CIRCUITUM. Diſſimulat hic Salomon veram cauſam, quæ patrem ab ædificando Templo Domini avertit. Neque enim removerunt illum ab eo conſilio bella gerenda, ſed quæ eo uſque geſſerat (5). E doctis tamen Interpretibus quidam (6) unicam non conditi a Davide Templi cauſam agnoſcere videntur, aſſiduas ejus bellicas occupationes.

℣. 4. NON EST SATAN, NEQUE OCCURSUS MALUS (7). Adverſarius non eſt, ſive intus, ſive foris, nemo qui conſilii hujus expletionem impedire valeat. *Satan* ſonat *adverſarium*, & interdum Dæmonem. Sub exitum Regni Salomonis, hoſtes expertus eſt Adadum Regem Syriæ, & Jeroboamum filium Nabath (8).

℣. 6. PRÆCIPE UT PRÆCIDANT MIHI SERVI TUI CEDROS DE LIBANO. Decernit hic Salomon de iis cedris, tamquam de rebus ſuis, neque poſtulat ab Hiramo niſi opifices, qui illas cædant ac dolent. Poſt victoriam Davidis de *Adarezero* hi montes ceſſiſſe videntur jure proprio Regibus Juda (9): cæterum etiam continentur in ditione Iſraelitarum. Libanus pertinebat ad ditionem Iſraelis a latere ſeptemtrionis. Creſcebant cedri potiſſimum qua parte ſpectatur mare Phœnicium, ſupra Biblum. Salomonis imperio ejuſmodi montes ſemper paruerunt, ubi & arces nonnullas ille condidit (10).

Cedri Libani abietis formæ accedunt propius, atque in arborem creſcunt craſſiſſimam & proceram: cortice ſunt lævi & albo, ab humo tamen uſque ad primos ramos, aſpero. Colore accedit ad lotum. Rami e trunco per intervalla demiſſi, ſenſim ut ad verticem aſcendunt, decreſcunt; quare viridem pyramidem conficere merito dixeris. Veſtitur minutis ſoliis, perinde ac pineis, ſed brevibus, & quæ non pungunt. Ligno conſtat ſolido; ex quo Veterum opinio orta eſt, cedrum minime corrumpi. Illud conſtat, amaro illius ſapore arceri vermes, nonniſi dulcia amantibus. Medullam habet duram, rubram, & grati odoris. Cedrus fert poma perſicis non diſſimilia, ſed longiora, duriora, & melius nutrita. *Epheſi in æde, ſimulacrum Dianæ, & etiam lacunaria ex ea* (cedro) *& ibi & in cæteris nobilibus fanis, propter æternitatem ſunt facta* (11).

SICUT SIDONII. Reges Tyri in ditione ſua habuiſſe videntur Sidonios; niſi forte Phœnices omnes, tum Tyrii, tum Sidones, *Sidoniorum* nomine cenſeantur.

℣. 7. BENEDICTUS DOMINUS DEUS. Benedictus Deus Jehovah ברוך יהוה. Hiram, uti & Paganorum plerique, de cultu Deorum ſuorum minus erant ſoliciti; neque putabant, cultum unius Dei cæterorum religionem excludere (12). Colebat Hiram Baalem, Aſtarten, & Herculem; quibus Templa, Aras, & ſimulacra conſecraverat, uti Hiſtoricorum narratione ſcimus (13): ſed & Deum Iſraelis non negligebat. Rebatur facile, ſingulis Diis ſuum eſſe populum, & ſingulis populis ſuum Deum, uti ſingulis Regnis ſuus eſt Rex, & Regibus Regnum peculiare (14). Abſurdas haſce opiniones in Iſraelitis conſtituere videtur etiam Scriptura, uti cum exprobrat (15): *Servierunt Diis alienis . . . . quos neſciebant, & quibus non fuerant attributi*.

℣. 8. IN LIGNIS CEDRINIS ET ABIEGNIS. Septuaginta, & S. Hieronymus voces originalis vertunt in Paralipomenis ligna cedrina, & ἀρκεύθινα, *archeutina*. Cedrum deſcripſimus ſupra, ℣. 6. Abies notiſſima eſt arbor; quod tamen ligni genus Interpretes plures (16) e Templo rejiciunt. Lignum enim eſt, inquiunt, nimis leve, & corrumpi facile atque inflammari; nullo negotio frangitur, ac difficile elaboratur. Malunt igitur illi Hebræum בעצי ברושים exponere de alio arborum genere, uti pinu, cupreſſo, larice, vel cedro alterius generis ab illa, quæ in Phœnicia non deeſt. Sed quorſum hæc religio excludendi e ſacra æde abietem? Lignum abietis leviſſimum eſt, rectum, rigens, ſolidum, quod ſub impoſitis oneribus non ſatiſcit, aptum proinde ad ſolaria & laquearia ſolida & æqualia continenda. Peritiſſimi Architecti libenter eo utuntur. Vide Vitruvium lib. 11. cap. 9.

℣. 9. COMPONAM EAM IN RATIBUS IN MARI (17). Per

(1) Verſ. 7. (2) Joſeph. l. 8. c. 2. & l. 1. contra Appion. (3) 2. Reg. v. 11. & 1. Par. xiv. 1. (4) Joſeph. Antiqu. l. 7. c. 2. (5) 2. Reg. vii. & 1. Par. xxii. 8. (6) Toſtat. qu. 4. Pineda de Reb. Salom. l. 3. c. 5. Salian. & Menoch. ad 1. Par. xxii. (7) אין שטן ואין פגע רע (8) 3. Reg. xi. 25. 26. (9) 2. Reg. x. 15. 19. (10) 3. Reg. ix. 19. Vide & 2. Par. viii. (11) Vitruv. l. 2. c. 9. (12) Vide 1. Reg. iv. 8. Dan. vi. 16. 4. Reg. xvii. 27. 2. Macc. iii. 3. (13) Dius & Menander apud Joſeph. Antiq. l. 8. c. 2. & l. 1. contra Appion. (14) 3. Reg. xx. 28. (15) Deuteron. xxix 26. (16) Hebr. Marr. Caſtal. alii. (17) אני אשימם דברות בים

Digitized by Google

Per devexa montis demiſſæ trabes ſectæ cadebant ad ripas amnis Adonis, vel in campeſtria Bibli. Inde vehebantur ad portum, vel componebantur in rates ut commiſſæ mari agerentur uſque ad portum Joppes, qui omnium maxime vicinus eſt Jeroſolymæ (1).

Et applicabo ea ibi. Hebræus (2): *Et ſolvam ea ibi*; diſſipabo, frangam rates, & reddam tibi ligna ad locum indicatum. Menander Epheſius illud in vita Hirami tamquam rem gravem expendit (3), *cecidiſſe illum ligna cedrina e monte Libano, in uſum tecti Templorum*.

Ut detur cibus domui meæ. Agriculturæ vel nihil vel parum ſtudebant Tyrii; omnem enim occupationem illorum faciebant navigario, piſcatio, commercium. Olim, ait Servius in 1. Æneidos, mittebant, qui communi impenſa frumentum in exteris regionibus emerent. Poſſidebant autem Iſraelitæ optima totius regionis loca, colebantque ſtudioſe; quare & commode poterant frumentum finitimis ſufficere. Petit igitur Hiramus a Salomone, ut in operariorum mercedem ſolvat frumentum & oleum; & Salomon paciſcitur non annonam modo opificibus operam pro ſe tunc locantibus (4), ſed & gratuitum etiam munus Tyriorum Regi pollicetur, pro tota ſcilicet Regia domn annonam. Dediſſe Salomonem frumentum, vinum & oleum affirmat Joſephus (5); ſed de vino domui Hirami dato nihil Scriptura. Affirmat illa tantum, cæſores lignorum a Salomone frumentum, hordeum, vinum, oleum accepiſſe (6).

Juvat hic in mentem revocare ea quæ ſuperius animadvertimus, Reges ſcilicet Orientis totam domum ſuam alere (7); & mercedis loco res tradere, non pecuniam ſolvere conſueviſſe. Hinc in uſum familiæ plenas habere cellas cogebantur.

℣. 11. Coros tritici viginti millia. Corus menſura erat ducentarum nonaginta novem pintarum, cum hemipinta, hemiſextario & amplius aliquanto. Facta hinc collatione cum iis, quæ de domo Salomonis ſuperius narrata ſunt, intelligimus, quam frequentior eſſet hujus aula, quam Aula Regis Tyri. In uſum enim domeſticum Salomonis impendebantur nonaginta cori farinæ quotidie, cum in totum annum Hiramo cori frumenti viceſies mille ſufficerent. Legitur in Paralipomenis (8), frumentum illud contuſum ſeu mola fractum fuiſſe.

Viginti coros olei. Repetendum hic videtur e ſuperiori Textu τὸ *millia*, ut ita legatur: *Viginti millia cori olei*; quæ communis eſt plurium Scriptorum ſententia (9). Neque enim ſatis congruere videtur proportio inter viginti millia coros frumenti, & viginti coros olei. In 11. Paralipomenon 11. 10. ubi deſcribitur copia annonæ a Salomone diſtributæ inter opifices ad Libanum occupatos, leguntur viginti millia cori frumenti, hordei totidem, & viginti millia bathi olei, cum totidem vini menſuris. Batbus menſura eſt coro minor; neque enim continet niſi pintas viginti & novem cum hemipinta, hemiſextario, octava pintæ parte, & amplius aliquanto. Proportio eſt tamen quædam inter viginti millia bathos vini & olei, cum viginti millibus coris frumenti & hordei.

Olei plurimi. Hebræus שמן כתית *Olei contuſi* vel friati; olei primum ſtillantis ex olea ſub prælo poſita.

℣. 13. Erat indictio triginta millia virorum. Reddi poteſt Hebræus (10): *Tributum*, ſeu opera, *erat triginta millia hominum*. Triginta millia deſtinata ſunt, ſed ita diſtribuebantur, ut in ſingulos tres menſes nonniſi uno menſe laborarent: neque enim addicebantur operi niſi decies mille ſimul, neque diutius quam per menſem. Itaque integrum quietis bimeſtre ſingulis dabatur. Erant illi Iſraelitæ, præeratque omnibus *Adoniram*. Non temere autem reputavarimus, laboraſſe illos in lapidicinis, cum Tyrii & Sidones occuparentur ſcindendis lignis, ad mare comportandis, componendis in rates, deducendiſque ad portum Jeroſolymæ maxime propinquum.

℣. 15. Octoginta millia latomorum in monte. Reddi poſſet Hebræus (11): *Octoginta millia cædentes* lapides vel ligna *in monte*. Vox originalis uſurpari ſolet de latomis, quamquam ſignificat etiam fabros lignarios. Hic autem accipitur de iis tantummodo, qui in lapidicinis laborabant, & marmora cædebant dolabantque. Conſtat vero, e Libano non ligna modo, ſed & lapides pro Templo Salomonis deductos fuiſſe. Ejuſmodi omnes opifices e proſelytis vel alienis erant. Vide 2. *Par.* 11. 17. 18.

℣. 16. Numero trium millium et trecentorum, præcipientium populo. In laudato Paralipomenon loco recenſentur ad ter mille ſexcentos; ſed eo in numero cenſebantur etiam trecenti illi majores Præfecti, qui curabant ter millenos illos ac trecentos operariorum Principes, inferioribus aliis ſociis ſuis Præfectos.

℣. 17. Lapides grandes, lapides pretiosos. Sedulo hic animadvertit Scriptura, ſectos fuiſſe lapides eximios & grandes in uſum fundamentorum Templi, ſectos, inquam, fuiſſe dolatoſque diligentiſſime; qua re magis magiſque commendatur ſtudium & magnificentia Salomonis, grande hoc opus perficientis. Vel ii lapides, qui ſub aſpectum non cadebant, dolati erant, eximii, magni, & pretioſiſſimi.

℣. 18. Giblii præparaverunt ligna. Urbis hujus incolæ ſolertia ſua cædendis lapidibus ligniſque celebrabantur: quin & peritiam illorum ſtruendis navibus, laudat Ezech. xxvii. 9. Creditur Giblos, vel Gebal, Urbs Phœniciæ, ipſa eſſe Biblos, ad radices Libani, ad ſeptemtrionem Sidonis, & ad Mediterraneum. Sub hoc Bibli nomine innotuit Paganis, & vini gloria & aliis pluribus nominibus celebratur. Apud Ptolemæum & Stephanum ſermo eſt de urbe Gebala, ad Orientem Tyri, in Phœnicia, quæ urbs eſt a Biblo longe diverſa. Meminit Glycas (12) lapidum, qui e vertice Libani in ædificiorum uſum eruebantur. De cedris Libani D. Arvieux tom. 2. p. 414. de Libano idem pag. 398. de Balbek idem pag. 437.

(1) 2. Par. 11. 16. (2) ונפצתים שם (3) Apud Joſeph. Antiqu. lib. 8. cap. 2. Τ'ἄλλα ξύλα ἀπελθὼν ἔκοψεν ἀπὸ τοῦ ὄρους τοῦ λεγομένου Λιβάνου κέδρινα ξύλα εἰς τὰς τοῦ ἱεροῦ στέγας. (4) 2. Par. 11. 10.
(5) Joſeph. loc. cit. (6) 2. Par. 11. 10. (7) Vide Athen. l. 4. de Perſis, & ſup. 3. Reg. iv. 11.
(8) 2. Par. 11. 10. חטים מכות (9) Buxtorf. Gloſſ. Piſcat. Ira & Syr. & 70. & Arab. & Aquila.
(10) ויהי המס שלשים אלף איש (11) שמונים אלף חצב בהר. (12) Chiqnol. par. 11. p. 214.

CAPUT VI.

Deſcriptio Templi a Salomone conditi.

℣. 1. FActum eſt ergo quadringenteſimo, & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael
de terra Ægypti, in anno quarto, menſe Zio (ipſe eſt menſis ſecundus) re-
gni Salomonis ſuper Iſrael, ædificari cœpit domus Domino. 2. Domus autem, quam
ædificabat rex Salomon Domino, habebat ſexaginta cubitos in longitudine, & viginti
cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine. 3. Et porticus erat ante tem-
plum viginti cubitorum longitudinis, juxta menſuram latitudinis templi: & habebat
decem cubitos latitudinis ante faciem templi. 4. Fecitque in templo feneſtras obliquas.
5. Et ædificavit ſuper parietem templi tabulata per gyrum, in parietibus domus per
circuitum templi, & oraculi, & fecit latera in circuitu. 6. Tabulatum, quod ſubter
erat, quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum ſex cubitorum latitudi-
nis, & tertium tabulatum ſeptem habens cubitos latitudinis. Trabes autem poſuit in
domo per circuitum forinſecus, ut non hærerent muris templi. 7. Domus autem cum
ædificaretur, de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata eſt: & malleus, & ſecuris,
& omne ferramentum non ſunt audita in domo, cum ædificaretur. 8. Oſtium lateris
medii in parte erat domus dexteræ: & per cochleam aſcendebant in medium cœnacu-
lum, & a medio in tertium. 9. Et ædificavit domum, & conſummavit eam: texit
quoque domum laquearibus cedrinis. 10. Et ædificavit tabulatum ſuper omnem do-
mum quinque cubitis altitudinis, & operuit domum lignis cedrinis. 11. Et factus eſt
ſermo Domini ad Salomonem, dicens: 12. Domus hæc, quam ædificas, ſi ambulave-
ris in præceptis meis, & judicia mea feceris, & cuſtodieris omnia mandata mea, gra-
diens per ea: firmabo ſermonem meum tibi, quem locutus ſum ad David patrem
tuum. 13. Et habitabo in medio filiorum Iſrael, & non derelinquam populum meum
Iſrael. 14. Igitur ædificavit Salomon domum, & conſummavit eam. 15. Et ædifica-
vit parietes domus intrinſecus tabulatis cedrinis, a pavimento domus uſque ad ſummi-
tatem parietum, & uſque ad laquearia, operuit lignis cedrinis intrinſecus: & texit pa-
vimentum domus tabulis abiegnis. 16. Ædificavitque viginti cubitorum ad poſterio-
rem partem templi tabulata cedrina, a pavimento uſque ad ſuperiora: & fecit interio-
rem domum oraculi in Sanctum ſanctorum. 17. Porro quadraginta cubitorum erat ip-
ſum templum pro foribus oraculi. 18. Et cedro omnis domus intrinſecus veſtiebatur,
habens tornaturas, & juncturas ſuas fabrefactas, & cælaturas eminentes; omnia cedrinis
tabulis veſtiebantur: nec omnino lapis apparere poterat in pariete. 19. Oraculum au-
tem in medio domus, in interiori parte fecerat, ut poneret ibi arcam fœderis Domini.
20. Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis,
& viginti cubitos altitudinis: & operuit illud, atque veſtivit auro puriſſimo: ſed & alta-
re veſtivit cedro. 21. Domum quoque ante oraculum operuit auro puriſſimo, & affixit
laminas clavis aureis. 22. Nihilque erat in templo, quod non auro tegeretur: ſed &
totum altare oraculi texit auro. 23. Et fecit in oraculo duos cherubim de lignis oliva-
rum, decem cubitorum altitudinis. 24. Quinque cubitorum ala cherub una, & quinque
cubitorum ala cherub altera: id eſt, decem cubitos habentes, a ſummitate alæ unius
uſque ad alæ alterius ſummitatem. 25. Decem quoque cubitorum erat cherub ſecundus:
in menſura pari, & opus unum erat in duobus cherubim, 26. Id eſt, altitudinem habe-
bat unus cherub decem cubitorum, & ſimiliter cherub ſecundus. 27. Poſuitque cheru-
bim in medio templi interioris; extendebant autem alas ſuas cherubim, & tangebat ala
una parietem, & ala cherub ſecundi tangebat parietem alterum; alæ autem alteræ in
media parte templi ſe invicem contingebant. 28. Texit quoque cherubim auro, 29. Et
omnes parietes templi per circuitum ſculpſit variis cælaturis, & torno: & fecit in eis
cherubim, & palmas, & picturas varias, quaſi prominentes de pariete, & egredien-
tes. 30. Sed & pavimentum domus texit auro intrinſecus, & extrinſecus. 31. Et in in-
greſſu oraculi fecit oſtiola de lignis olivarum, poſteſque angulorum quinque. 32. Et
duo oſtia de lignis olivarum, & ſculpſit in eis picturam cherubim, & palmarum ſpe-
cies, & anaglypha valde prominentia: & texit ea auro: & operuit tam cherubim, quam
palmas, & cætera, auro. 33. Fecitque in introitu templi poſtes de lignis olivarum

qua-

quadrangulatos: 34. Et duo oſtia de lignis abiegnis altrinſecus, & utrumque oſtium
duplex erat, & ſe invicem tenens aperiebatur. 35. Et ſculpſit cherubim, & palmas,
& cælaturas valde eminentes: operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad regu-
lam. 36. Et ædificavit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & uno or- A. M. 3000.
dine lignorum cedri. 37. Anno quarto fundata eſt domus Domini in menſe Zio. 38. ante Ær.
Et in anno undecimo, menſe Bul (ipſe eſt menſis octavus) perfecta eſt domus in omni comm. J. C.
opere ſuo, & in univerſis utenſilibus ſuis; ædificavitque eam annis ſeptem. 1004.

℣. 1. QUADRINGENTESIMO ET OCTOGESIMO ANNO, AB EXITU EX ÆGYPTO. Chronologorum plures, cum in hac Epocha concilianda cum ſua quiſque ſupputatione laborent, uti & cum iis, quæ leguntur in Actis XIII. 20. quæ innuere videntur, Judicum regimen ad quadringentos quinquaginta annos prorogatum eſſe, ac denique cum ſummis annorum in Libro Judicum ductis; ſupputatione hac rejecta, Templi constructionem compoſuerunt alii cum anno cccxxx. (1); alii (2) eum anno DXC. poſt egreſſum Iſraelitarum ab Ægypto. Statuunt Septuaginta (3) CDXL. annos; Joſephus (4) DLXXXXII. ſive ex verſione Rufini DII. Sulpicius Severus DLXXXVIII. S. Clemens Alexandrinus DLXVI. Cedrenus DCLXXII. Serarius DCLXXX. Voſſius & Capellius DLXXX. P. Petavius DXX. Codomanus DLXXXXVIII. Nicolaus Abrahamus DXXVII. Mæſtlinus DLXXXXII. Joannes Valtherus DXX. Sed neglecto examine ſingularum ejuſmodi ſupputationum, retinendam cenſemus Chronologiam in Hebræo & Vulgata expreſſam, quam ſequuntur optimi Chronologi, tuenturque argumentis, apud illos (5) conſulendis.

MENSE ZIO, IPSE EST MENSIS SECUNDUS anni Sancti, & anni civilis octavus: reſpondere ſolet plerumque Aprili anni noſtratis (6). Diem conditi Templi determinat Uſſerius feriam ſecundam diei vigeſimæ primæ Maii A. M. 2992. Hebræi olim ab exordio nulla certa nomina menſibus ſuis tribuerant, diſtinguebantque illos tantum ex ordine, quem inter ſe tenebant; ut eſſent primus, ſecundus, tertius menſis, &c. Sed poſt Salomonem nomina quædam menſium apud illos leguntur: hic enim occurrit nomen *Sio*, vel *Sif*; tum & inferius ℣. 38. legitur menſis *Bul*, & capite VIII. 2. menſis *Ethanim*. De origine iſtorum nominum varii varia. Accepta cenſet Scaliger e Sidoniis vel Phœnicibus, quibuſcum Salomon commercium tunc detinuerit. E Chaldæis maluit Grotius (7); ſed P. Harduinus (8) ex Ægypto deducta fuiſſe contendit. Salomon, adſcita in conjugem filia Pharaonis, in Judæam vocavit Aſtronomos Ægyptios, ut Kalendarium Judaicum reformarent; accepitque ex illis nomina menſium, quæ hic deſcripta ſunt. Poſt Regnum Salomonis, neglecta ſunt nomina Ægyptiaca menſium, rediitque vetus conſuetudo appellandi menſes nomine ordinis, quem tenebant inter ſe. Nonniſi circa tempora ſolutæ captivitatis Babylonicæ factum eſt, ut nomina menſium Perſica vel Chaldaica obtinerent. En hypotheſim Harduini. Illud conſtat, ſedolo diſtinguenda eſſe nomina menſium ſub Salomone, ab iis, quæ poſt captivitatem obtinuerunt. Servant hodie pariter Judæi nomina menſium Chaldaica, longe diverſa ab iis, quæ ſub Salomone leguntur. Hæc ſunt nomina duodecim menſium apud Hebræos, *Tizri*, qui congruit partim cum Septembri, partim cum Octobri, *Marſhevan*, *Casleu*, *Thebet*, *Schebet*, *Adar*, *Niſan*, *Jar*, *Sivan*, *Tammus*, *Ab*, *Elul*.

℣. 2. DOMUS .... HABEBAT SEXAGINTA CUBITOS IN LONGITUDINE, ET VIGINTI CUBITOS IN LATITUDINE, ET TRIGINTA CUBITOS IN ALTITUDINE. Templa Ægyptiorum, Phœnicum, & Hebræorum aliam plane a noſtris architecturam referebant (9). Conſtabant atriis, columnarum porticibus, in commodum populi coeuntis, religionis gratia, & ad ſacrificia, ne aeris injuriis exponeretur. Atria hæc ambiebant Templum vel locum ſanctum, quo unicis Sacerdotibus patebat aditus. Locus hic ſanctus ſæpe *Domus* vel Templum, Hebraice *Hecal* appellatur, quod ſonat Principis vel Numinis ædes. Sub hoc *Templi* nomine non raro omnia cenſentur, quæ totum ſacrum locum componunt, ut atria, porticus, conclavia, cellæ penuariæ, & locus etiam penetralis ac ſanctiſſimus: ſæpe etiam genericum hoc nomen de *Templo*, vel *Domo* uſurpatur, vel Sanctuario & Sancto, denique de eo quod peculiaris ſedes Dei Iſraelis cenſetur. Hoc poſtremo ſenſu voces *Templum* & *Domus* in hoc Textu uſurpantur.

Domus Domini *habebat in longitudine ſexaginta cubitos* (10) ab Oriente in Occidentem, *viginti cubitos in latitudine* a ſeptemtrione ad meridiem, & *triginta in altitudine*, ab humo uſque ad verticem parietum, quo tectum ſuſtinetur. Cubitus, uti demonſtratum eſt in Geneſim VI. 15. menſura erat viginti pollicum & $\frac{44}{89}$ vel digitorum quatuor & viginti, vel pedis unius Regii & octo pollicum, paulo minus. Ita Templum porrigebatur centum duobus pedibus ac ſex pollicibus Regiis in longitudinem, quinquaginta uno pedibus, ac tribus pollicibus in altitudinem, & triginta quatuor pedibus, duobus pollicibus, ubi maxime, in latitudinem.

℣. 3. PORTICUS ERAT ANTE TEMPLUM VIGINTI CUBITORUM LONGITUDINIS ..... ET HABEBAT DECEM CUBITOS LATITUDINIS. Veſtibulum hoc portio erat Templi, vel Domus, cujus dimenſiones dedimus in præcedenti verſiculo. Eamdem cum Templo latitudinem referebat a ſeptemtrione ad meridiem; ſed ab Oriente in Occidentem non patebat latius quam decem cubitis, vel decem & ſeptem pedibus cum pollice. Altitudine ſua æquabat Templum. Legitur in Paralipomenis (11), aſcendiſſe illam in altum centum viginti cubitis, vel ducentis pedibus. Sed mendum in Textum irrepſiſſe ſuſpicamur, ut una vocula pro altera ſubſtituta ſit. Ad utrumque latus portæ hujus veſtibuli conſtituit Salomon duas immanes columnas æneas, de quibus inferius. Menſura portæ a Salomone poſitæ ignoratur: ſed in Templo poſt ſolutam captivitatem Babylonicam condito, porrigebatur in altitudinem cubitis ſeptuaginta, & in latitudinem viginti quinque, nulloque ſeu ligno, ſeu uppanſo velo claudebatur. Secunda porta, Joſephi ætate, ſurgebat in altum cubitis quadraginta, in latum patebat viginti, claudebaturque oppanſo tenui velo, cæruleis purpureiſque floribus diſtincto. Super hanc portam ſtatuit Herodes aquilam auream, quam nonnulli Legis ſtudio deje-

(1) Glycas. (2) Melchior Canus lib. XI. Loc. Theolog. c. 6. (3) Τῷ τετρακοσιοστῷ, καὶ τεσσαρακοστῷ ἔτει τῆς ἐξόδου. (4) Joſeph. Antiq. l. 8. c. 2. Μετὰ ἔτη πεντακόσια καὶ ἐνενήκοντα καὶ δύο. (5) Vide in primis Uſſer. Chronolog. ſacr. c. 12. (6) Pagn. Vat. Munſt. Syr. Arab. (7) Grotius hic. (8) Harduin. Chronol. vet. & nov. Teſt. ad an. Mund. 2993. (9) Vide noſtram Diſſertationem de Templis veterum. (10) Septuaginta legunt ſolummodo quadraginta cubitos. (11) 2. Par. III. 4. *Porro altitudo centum viginti cubitorum erat, & deauravit eam intrinſecus auro mundiſſimo.* Vide quæ animadvertimus in hunc locum.

jecerunt (1). Intra veſtibulum, & ad latus portæ Sancti, vitis erat aurea, cujus racemi juſtam hominis ſtaturam æquabant, & acini erant gemmei. Dedicavit illam Herodes Magnus (2), æſtimabaturque mille talentis, ideſt, ex nonnullorum ſententia, ducenties quadragies centenis milibus auri. Sed hæc omnia recentioris ſunt ætatis, quam quæ modo verſatur. In Templo per Ezechielem deſcripto, ſecundæ huic portæ aſſignantur decem cubiti, vel ſeptem & decem pedes cum pollice in latum (3), altitudo vero pro æqua portione.

℣. 4. Fecitque in Templo fenestras obliquas. De feneſtris hiſce obliquis, de quibus hic, & apud Ezechielem (4), variæ ſunt variorum conjecturæ. Hebræus ad literam (5): *Feneſtras ſpeculatorias clauſas*. Feneſtras, unde patebat proſpectus, clauſas: claudebantur autem clathris, ut per eos domeſtici alios intueri poſſent, ipſi externis minime viſi (6). Chaldæus, Arabs, Theodoretus, & Interpretes plures cenſent, anguſtum habuiſſe illas externum hiatum, latius vero ſeſe explicuiſſe interius. Verum omiſſis ambagibus, eamdem exhibuiſſe figuram cenſendæ ſunt ac feneſtræ in regionibus ferventibus, clathris ſcilicet, vel oppanſis velis clauſæ, neque enim vitri uſus adhuc obtinuerat.

Diem excipiebant ſupra cellas, ad latera Templi poſitas, quæ circum regnabant ad altitudinem quindecim cubitorum (7). Cum Sanctuarium ſurgeret viginti cubitis, vel pedibus quatuor & triginta, ſupra cellarum tectum ſupererat ſpatium quinque cubitorum pro feneſtris; cum enim pro more regionis tecta eſſent plana, nihil ſpatii pro tectorum illorum declivi relinquendum eſt. Supra Cherubim & palmas, quæ interiorem Templi partem ornabant, erigebanturque in altum decem cubitis (8), vel pedibus quatuor & triginta, excurrebat perpetua coronis, cum aliis architecturæ ornamentis; tum ſuccedebant feneſtræ, de quibus hic, cubitis quinque, vel pedibus octo & dimidio editæ.

℣. 5. Ædificavit super parietem Templi tabulata per gyrum. Ad utrumque latus, ſecundum longitudinem parietum, retro & a tergo Templi exterius ædificatæ ſunt cellæ trium contignationum, quarum trabes & tigna incumbebant a latere quidem Templi ſuper craſſitiem muri in arctum ſeſe contrahentis, ex alio vero latere ſuſtinebantur parietibus exterioribus, ſurgentibus intervallo quinque cubitorum a Templo. Contignatio inferior dimetiebatur latitudinis cubitos quinque; media ſex, quod ſcilicet uno cubito in arctum ſeſe reciperet murus. Denique tertiæ contignationi ſeptem erant cubiti, eadem contractionis parietis cauſa. Porro ædificia hæc ad latus jacentia ſimile quid exhibebant cum alis circum vetuſta Templa Græcorum regnantibus.

℣. 6. Trabes posuit in domo per circuitum forinsecus, ut non hærerent muris Templi. Incumbebant ſuper receſſus parietis, quorum jam meminimus, ut intra muri craſſitiem non infererentur. Illud autem idcirco, ut major eſſet veneratio Domui Dei, utque pariter trabes collocari poſſent atque amoveri citra parietis diſpendium. Ad tria Templi latera, cellas tres ac triginta Ezechiel (9), triginta tantum Joſephus diſponit. S. Hieronymus recenſuiſſe videtur ſexaginta ſex, vel bis triginta ſex.

℣. 7. De lapidibus dolatis atque perfectis; Vel potius (10): *De lapidibus integris & dolatis*; ideſt, quales e lapidicinis devecti erant, ita operi admovebantur: ſecti enim & dolati erant in lapidicinis, adeo ut ad ædificium translatos reformare opus non eſſet. Lapidibus ferro expolitis paratiſque probe templum conſtruebatur. Veteres & noſtrates architecti utuntur ſæpe lapidibus impolitis vel non plene dolatis; collocatis vero illis & jam in opus adhibitis ſcalprum admovent. Experimento id comperi in Porta nigra, quæ Romanorum opus eſt. Haud ita Salomon agendum ſibi cenſuit in ædificatione templi; nam paratos jam ſectoſque lapides adhiberi mandavit, quod tamen extra conſuetum morem ab eo præſtitum intelligimus, cum rem hanc, veluti ſingularem, dignam autor ſacer cenſuerit, ut poſteritati noſcenda daretur.

Malleus, et securis, et omne ferramentum non sunt audita; quod ſcilicet parati eſſent antea, & ad menſuram accurate adeo ſecti, ut neque lapides nec ligna reformanda eſſent ab ædificantibus. Utrum idem pariter aſſerendum ſit de clavis pro figendis aſſeribus & lignis, obducendiſque illis auro vel alterius metalli genere, ambigo. Forte in eam rem adhibere viſum eſt clavos in modum cochleæ; niſi malueris dicta hæc per exaggerationem vel hyperbolem accipere. Hæc autem omnia ad ſenſum demonſtrant tum obſequium illud ſummum, quo Salomon erga Dei majeſtatem tenebatur, quam & populum docere voluit; cum etiam admirabilem Principis hujus ſapientiam, & diligentiam opificum in re tam grandi & operoſa.

Olim apud Romanos obtinebat, ut rudes lapides operi admoverentur pro anaglyphis, columnis & capitellis; hæc autem omnia tunc admoto ferro dolabantur, cum jam veniſſent in opus. Id ego animadverti Treviris in Eccleſia S. Simeonis: nos hodie aliter. Nec Sacro Scriptori illud animadvertendum hic ſuccurriſſet, omnem ſeu mallei ſeu ferri ſtrepitum ſiluiſſe, ſi ejus ætatis Architectura id tuliſſet.

Fabellas hic ſuas ſtruunt Rabbini. Salomon, ſi illos audias nullo ſive malleo ſive ferro ad aptandos in ædificium Templi lapides uſus eſt; ſed pro cunctis hiſce valuit vermiculus vel lapis *Schamir*, quo & cæſi ſunt lapides & ſecti & dolati, arte facili, & ſine ſtrepitu ac tumultu. De origine hujus ſive vermiculi, ſive lapidis, inter ſeſe diſſident. Allatum ad Salomonem ab Aſmodæo Dæmone Inferorum Principe cenſent quidam; narrant alii, Salomonem in vitro clauſiſſe pullos upupæ, ſed carcerem hunc, lapide *Schamir* quæſito, avem matrem confregiſſe, pulloſque liberaſſe. Alii denique miſſam a Salomone in Paradiſum terreſtrem aquilam comminiſcuntur, ut quæſitum ibi vermiculum deferret. Delatum Rex curavit ſollicite, poſituſque intra plumbum diutiſſime ſervatus eſt, donec direpto a Chaldæis Templo, vermis periit. De celebri hoc vermiculo R. Maimonides integro volumine diſſeruit (11); meminitque ejus pariter Vincentius Bellovacenſis (12). Nos vero alibi demonſtravimus (13), lapidem *Schamir* nihil eſſe aliud quam lapidem *ſmirim*, lapidem quo Artifices ad gemmas expoliendas utuntur. Apocrypham aliam producit narrationem Theodoretus (14), docens, lapides paratos dolatoſque ad propoſitum obtuliſſe lapidicinas, ut expoliendi tantum atque detergendi eſſent.

℣. 8. Ostium lateris medii in parte erat domus

(1) Joſeph. Antiqu. lib. xvii. 8. (2) Idem lib. 8. de Bello cap. 14. (3) Ezech. xii. 1. (4) Ezech. xl. 18. xli. 18. & 26. (5) חלוני שקפים אטמים (6) Ezech. xl. xli. habet interdum אטמות, interdum מכסות: utraque vox ſignificat abſconditas, vel clauſas. Septuaginta Ezechielis xli. 16. vertunt: Θυρίδες δικτυωταί. Ita & a quib. Gr. hic. Διαδικτυωμένας. Sym. Θυρίδας καὶ ἐκθέτας ἐπιτατευτικάς. (7) Vide infra ℣℣. 5. 6. & 10. (8) 3. Reg. vi. 23. collatum cum Ezech. xli. 25. 26. (9) Ezech. xli. 6. Joſeph. Antiq. lib. 8 cap. 2. (10) אבן שלמה מסע (11) Vide Grot. hic. (12) Specul. Doctrinal. lib. 16. c. 123. (13) Vide Jerem. xvii. 1. Ezech. iii. 9. Zach. vii. 12. Boch. de animal. ſacr. parte 2. lib. 5. cap. xi. (14) Theodoret. qu. 23. 24.

Digitized by Google

MUS DEXTERÆ; in dextro latere domus. Vel potius (1): *Oſtium quod per ſcalam deducebat ad mediam contignationem*, erat *ad latus dexterum Domus*, ideſt, ad ſeptentrionem Templi, ſi dexteram accipiamus ex ſitu ingredientium in Templum: conſtat enim, Hebræos dexteræ nomine innuere conſueviſſe latus meridianum. Ejuſmodi portæ non aperiebantur ad interiorem Sancti partem, multoque etiam minus Sanctuarii. Quæ animis inſidebat ejuſmodi ſacrorum locorum veneratio non permittebat, ut ingrediendi egrediendique ex hiſce cellis aditus per ea pateret. Aliæ quippe exponebant in dexteram porticus, ſeu veſtibuli, aliæ in ſiniſtram, vel etiam extra Templum. Scalæ erant poſitæ in extremo cellarum ordine, atque intra craſſitiem parietis ſtructæ; rotundas autem vel in cochleæ modum fuiſſe, vox Hebræa (2) teſtatur. Apud Septuaginta ſententia eſt plane perſpicua; legunt enim, *Oſtium lateris quod ſubtus*, pro, *lateris medii*; *& cochlearis aſcenſus ad medium &c.*

℣. 9. TEXIT DOMUM LAQUEARIBUS CEDRINIS. Textus originalis (3) docet, tectum fuiſſe Templum teſtudine & aſſeribus cedrinis. Superius Templi laqueare humilior hemicyclo fornix erat, e lignis cedrinis.

℣. 10. ÆDIFICAVIT TABULATUM SUPER OMNEM DOMUM QUINQUE CUBITIS ALTITUDINIS. Revocandum eſt hic in mentem, Templi altitudinem habuiſſe triginta cubitos ab humo uſque ad ſummos parietes (4). Cum autem totam hanc altitudinem interiori Templi areæ, Sanctum & Sanctuarium continenti, permittere nollet Salomon, ſed viginti tantummodo cubitos illi relinquere (5), decem, qui ſupererant, cubitos ita diſtribuit, ut quinque impenderentur pro humiliori fornicis hemicyclo, fornicis, inquam, perpetui, ſecundum ductum Sanctuarii & Sancti excurrentis. Reliqui quinque cubiti ſpatium exhibebant vacuum inter fornicem & tectum. Hæc autem omnia eodem conſilio ab illo præſtita ſunt, quo pariter ſuadente utrumque Templi latus fulſit ædificiis, ideſt, majoris venerationis ac nitoris gratia. Hac enim cautione Templi interiora æſtivi calores minus penetrabant, minus etiam hyemalis mador, ſol & imbres, quippe qui ſuper parietes, impoſitumve illis fornicem non caderent. Alii hæc omnia ædificiis exterioribus circa Templum regnantibus tribuunt, vertuntque (6): *Ædificavit etiam tabulata totius Templi quinque cubitis altitudinis*. Quam nos interpretationem ad literam magis accedere putamus. Singulæ iſtæ contignationes habebant altitudinis cubitos quinque, ut ſimul omnes erigerentur cubitis quindecim, vel pedibus viginti quinque ac ſemis, quæ media erat Templi altitudo. Interior harum contignationum pars inæqualis erat; prima enim cubitos quinque dimetiebatur, ſecunda ſex, tertia ſeptem latitudinis. Vide ℣. 5.

OPERUIT DOMUM LIGNIS CEDRINIS. Tectum Templi aſſeribus vel tignis ex optima cedro ſtructum erat, atque in modum areæ planum, pro more tectorum ejus regionis. Luculenter Textus (7): *Accepit*, junxit, clauſit *domum lignis cedrinis*. Alligavit parietes trabibus, utrumque adverſum parietem contingentibus.

℣. 11. FACTUS EST SERMO DOMINI AD SALOMONEM. Geſta hæc credimus poſt dedicationem Templi; eamdemque hanc Domini a Salomone viſi hiſtoriam referri fuſius infra IX. 2. &c.

℣. 15. ÆDIFICAVIT PARIETES DOMUS INTRINSECUS TABULATIS CEDRINIS. Fornicem & tectum Templi e cedro fuiſſe, jam animadvertimus. Veſtiebantur eodem ligno parietes ab humo uſque ad verticem, ideſt, a pavimento ad tectum, non in ſanctuario tantum, ſed etiam in Sancto; totum denique quidquid erat in longitudine & altitudine Templi. Pavimentum ſtratum erat aſſeribus, non cedrinis ſed abiegnis, vel forte e cedro Phœniciæ (8) & Lyciæ, junipero perquam ſimillima. Videtur autem lignum pro tabulatis adhibendum fuiſſe ſolidius, quam cujus erat uſus in laqueari & fornice. An Sanctuarium eadem arte indutum eſſet ac reliqua, ambigitur; legitur enim in Paralipomenis (9) inſtratum fuiſſe marmore, vel, ex Hebræo, *lapide pretii*. Hoc tamen non prohibet, quin hi lapides indui potuerint aſſeribus nitidis, cum & parietes, lapidibus non minoris pretii conſtructi, aſſeribus pariter veſtirentur. Lapides fundamenti appellantur ipſi pariter lapides pretii, vel *lapides pretioſi* (10); hæc autem omnia accurate expendit Scriptura, ut magis magiſque commendet magnificentiam Salomonis, qui elegantiſſimos lapides poſuit in locis ab aſpectu remotis, uti in fundamentis, & ſub tabulis parietes veſtientibus. Occurret inferius (11) pavimentum vel tabulatum aureis laminis obductum.

℣. 16. ÆDIFICAVITQUE VIGINTI CUBITORUM AD POSTERIOREM PARTEM TEMPLI. Vel potius, ſeptum hoc medium inter Sanctum & Sanctuarium conſtituit, viginti cubitis, vel triginta quatuor pedibus cum duobus pollicibus ab extremitate Templi remotum. Hebræus ad literam (12): *Ædificavit viginti cubitos*; vel ædificium erexit viginti cubitorum *ab uno Templi latere uſque ad aliud*. Denique, murum intermedium per totam Templi latitudinem duxit, a pariete meridiano uſque ad ſeptentrionalem. Septi hujus medium tenebat porta ingens, quæ inferius ℣. 31. deſcribetur. Huic operi nihil deerat ex ornamentis Sancti & Sanctuarii: undique enim cedro & auro tegebatur.

ET FECIT INTERIOREM DOMUM ORACULI IN SANCTUM SANCTORUM. Spatium illud vacuum ex hoc ſepto uſque ad imam Templi extremitatem, deſtinabatur Oraculo, vel Sanctuario, vel Sancto Sanctorum. Locus eſt ſacratiſſimus, auguſtiſſimus, & abditiſſimus Templi: locus continens Arcam Fœderis, quo pedem inferre, præter ſummum Sacerdotem ſemel tantum quotannis, nemini fas erat.

℣. 17. PORRO QUADRAGINTA CUBITORUM ERAT IPSUM TEMPLUM PRO FORIBUS ORACULI. Sanctum vel portio Templi ante Sanctuarium, excurrebat in longum cubitis quadraginta, in latum viginti, ideſt, pedibus ſexaginta octo cum pollicibus quatuor in longum, ac pedibus triginta quatuor & duobus pollicibus in latum. *Sanctum* diſtinguebatur a *Sanctuario*, vel Oraculo per intermedium illum parietem, de quo jam egimus.

℣. 18. HABENS TORNATURAS ET JUNCTURAS SUAS FABREFACTAS, ET CÆLATURAS EMINENTES. Reddi poſſet Textus (13): *Reticula* ornata *cucurbitis*, vel pomis & *floribus expanſis*. Laquearia & fornix totius ædificii reticulato opere, vel teſſelato ornabantur. Ad literam: *Ut annulos reticulorum*. In medio autem annulorum, vel quadratorum iſtorum ſpatio offerebant ſe poma colocynthidis cælata, & alterno ordine cum floribus expanſis. Ornabant hæc totam interiorem Sanctuarii faciem, ut lapis non appareret.

℣. 19. ORACULUM AUTEM IN MEDIO DOMUS. Non in medio quidem geometrice ſumpto, ſed interius in ima Templi parte. Oraculum enim vel San-

(1) פתח הצלע התיכנה אל כתף הבית הימנית Septuaginta legerunt התחתונה, pro התיכונה. (2) ובלולים יעלו על התיכונה (3) ויספן את הבית גבים ושדרות בארזים (4) Superius ℣. 2. (5) Infra ℣. 20. *Oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis.* (6) ויבן את היציע על כל הבית חמש אמות קומתו (7) ויאחז את הבית בעצי ארזים (8) Vide ſupra ℣. 8. (9) 2. Paral. III. 6. ויצף את הבית אבן יקרה לתפארת (10) 3. Reg. V. 17. *Præcepit ut tollerent lapides grandes, lapides pretioſos in fundamentum Templi.* (11) Vide ℣. 30. & 2. Paral. III. 5. (12) ויבן את עשרים אמה מירכותי הבית (13) מקלעת פקעים ופטורי צצים הכל ארז

Sanctuarium in penetrali maxime intimo recondebatur, uti ſuperius ℣. 16. docuimus.

℣. 20. ORACULUM HABEBAT VIGINTI CUBITOS. . . . ALTITUDINIS, quod e tota interiori Templi altitudine ſubducti eſſent decem cubiti pro ſpatio inter tectum, & fornicem. Vide ℣. 10.

OPERUIT ILLUD AURO PURISSIMO. Texit auro aſſeres omnes cedrinos, quibus veſtiebantur parietes, eaſque cælaturas omnes, de quibus in ℣. 18. Laminæ erant igitur aureæ ductiles, quibus facile imprimebatur imago lignorum, quæ veſtiebant. Hebræus legit (1): *Operuit illud auro concluſo*; vel auro pretioſo, quod in ſcriniis ſervatur: vel potius, auro, quod David ſervaverat diu, in opera Templi deſtinatum (2).

SED ET ALTARE VESTIVIT CEDRO. Erectum fuiſſe cenſendum eſt altare lapideum, quo Arca fœderis ſuſtineretur. Veſtivit illud Rex cedro, tum cedro addidit aurum puriſſimum, ut auro non ſecus ac reliquæ omnes Sanctuarii partes, niteret. Altare hoc aperte diſtinguitur ab altari thymiamatis, duplici argumento; I. quod Altare thymiamatis poſitum eſſet in Sancto, hoc autem in Sanctuario ſpectaretur. II. Si hujus Libri Scriptor ſermonem haberet de ſimplici Altari ligneo laminis aureis veſtito, an hic ſcripſiſſet: *Veſtivit illud cedro*; & ℣. 22. *Totum Altare Oraculi texit auro?*

℣. 21. DOMUM QUOQUE ANTE ORACULUM OPERUIT AURO PURISSIMO, ET AFFIXIT LAMINAS CLAVIS AUREIS. Perſpicua ſunt hæc omnia, ſi accipiantur de Sancto, quod Sanctuarium præcedebat, cujus & parietes & fornix nitebant auro, perinde ac Sanctuarium. Sed Hebræus Textus ambiguum præfert aliud; ita enim legit (3): *Texit Salomon intrinſecum Domus auro concluſo, & vectavit in catenis aureis ad facies Oraculi, & texit illud auro.* Vero propius cenſuerim, ſermonem hic eſſe de pariete medio, Sanctum a Sanctuario diſtinguente. Totus ille murus veſtiebatur auro, quemadmodum & omne circum Sanctuarium; parari autem juſſit Salomon catenas aureas, quibus clauderentur fores, quæ in ℣℣. 31. & 32. occurrent. Olim pro ſeris, vectes funibus & catenis detenti adhibebantur (4); neque facile in alium uſum catenæ & vectes aurei, de quibus hic, deſtinabantur.

℣. 23. FECIT IN ORACULO DUOS CHERUBIM DE LIGNIS OLIVARUM. Hebræus: *De lignis oleoſis* עצי שמן vel reſinoſis, uti pineis (5), & cupreſſinis (6). Lignum oleæ, vel *rami olivarum* apertiſſime diſtinguuntur a *ligno oleoſo* apud Eſdram (7). De Cherubim ſententiam noſtram alibi dedimus (8), figuram habebant neque certam, neque uniformem. Cherubim, de quibus hic, longe diverſi erant ac Cherubim e ductili auro, quod Moyſes ſuper Arcam Fœderis, vel Arcam continentem Tabulas Legis, conſtituit. Gemini enim Cherubim Salomonis in medio Sanctuarii ſtabant, atque protenſis alis totam dimetiebantur loci illius ſancti latitudinem, cum ſinguli alas ſuas extenderent decem cubitis. Sed altitudinis Sanctuarii nonniſi dimidium occupabant, quippe quorum eſſet ſtatura decem cubitorum, vel decem & ſeptem pedum, cum pollice Regio.

℣. 27. POSUIT CHERUBIM IN MEDIO TEMPLI INTERIORIS. Poſuit illos in Sanctuarii media longitudine, & latitudine, ut protenſis alis ſuis Arcam, & minores Cherubinos Moyſis tegerent.

℣. 29. SCULPSIT VARIIS CÆLATURIS, ET TORNO EFFECIT IN EIS CHERUBIM, ET PALMAS, ET PICTURAS VARIAS, QUASI PROMINENTES DE PARIETE, ET EGREDIENTES. Præter duos Cherubinos, in ſuperioribus verſiculis deſcriptos, alii erant pariter in Sanctuario. Deſcribens Ezechiel (9) interiora Templi, conſtituit ibi *palmam inter Cherub & Cherub*, alterno ordine per totos parietes. Quare interior Templi facies ornabatur palmis vel columnis in figuram palmarum, & Cherubim identidem per intervalla diſpoſitis: Cherubinos autem hoſce deſcribit Ezechiel (10) præferentes duas facies, hominis ſcilicet & Leonis, quarum una palmas, altera ſe invicem reſpiciebant. Hebræus ad literam (11): *Omnes parietes domus circumducens effigiavit apertiones cælaturarum Cherubim, & palmis, & emiſſionibus florum*, vel floribus expanſis, *intrinſecus, & extrinſecus*; ideſt, tam interiorem Sanctuarii, quam Sancti faciem. Ad palmas quod attinet, prætereundum hic non eſt, Ægyptios uti olim conſueviſſe in ædificiis ſuis columnis inſtar palmarum, quarum nonnullas exhibet Herodotus (12). Villalpandus ære incidi curavit vetus epiſtylium marmoreum, quod Romæ conſpiciebatur (13): totum autem formabatur e foliis palmarum, vel aliis perſimilibus, quæ totum ſunt illius ornamentum: erumpunt autem illa per ſe e columnæ trunco, nullis interpoſitis annulis ſeu aliis ornamentis, quæ apud Græcos inter capitelli ornamentum & truncum columnæ ſtatui ſolebant. Congruunt hæc omnia adamuſſim cum ornamentis Tabulæ Iſiacæ, & iis quæ ex Athenæo alibi adduximus (14). Non temere igitur putaverimus, palmas, de quibus hic, nihil eſſe aliud quam pilaria in ſuperiori vertice foliis palmarum ornata, perinde ac epiſtylia columnarum ordinis Corinthii ornantur foliis, ac helicibus. In Paralipomenis (15) ſermo eſt de catenis aureis ſe invicem complectentibus in ornamentum Sanctuarii, quo etiam ornamenti genere diſtinguebantur geminæ columnæ, in aditu Templi poſitæ.

℣. 30. SED ET PAVIMENTUM DOMUS TEXIT AURO INTRINSECUS ET EXTRINSECUS. Pavimentum ſcilicet tam exterius Sancti, quam interius Sanctuarii. Porro duo hæc æqualibus ornamentis, auroque nitebant.

℣. 31. FECIT OSTIOLA DE LIGNIS OLIVARUM, POSTESQUE ANGULORUM QUINQUE. En deſcriptio portarum, de Sancto in Sanctuarium deducentium. Portæ erant ex oliva, vel oleoſo ligno & reſinæ feraci (16): ſinguli poſtes quinque ligni ſegminibus unius cubiti conſtabant; ut tota porta decem haberet latitudinis cubitos, & dimidium longitudinis muri illius intermedii (17) occuparet. Sancto portam minus patentem tribuere opus eſt, quippe cujus poſtes ex octo aſſeribus unius cubiti coaleſcerent. Fateamur tamen oportet, has menſuras eſſe incertiſſimas; quibus etiam ea ſuſpicandi ratio adjicitur ex Ezechiele XLI. ubi decem cubiti portæ Sancti, & ſex portæ Sanctuarii aſſignantur. Duplices autem fuiſſe portas illas, conſtabit ex ℣. 34. ornataſque cælaturis, ſculpturis, figuris Cherubim, & palmarum; omnia vero auro ſuperinducto, uti Sanctuarii & Sancti reliquæ partes, nitebant. Vide ℣. 31.

Textus ad literam habet tantum (18): *Fecit oſtio oraculi fores de ligno pingui, ſuperliminare, & po-*

(1) זהב סגור: Vide & infra VII. 49. & X. 21. (2) 1. Paral. XXVIII. 14. & 2. Paral. III. 6. (3) ויצף שלמה את הבית מפנימה זהב סגור ויעבר ברתיקות זהב לפני הדביר ויצפהו זהב (4) Vide noſtram Diſſertationem de ædibus veterum Hebræorum. (5) Vatab. (6) Caſtal. Cypreſſinis. Ita & Interpr. quid. Græc. in nov. Edit. Hexapl. (7) 2. Eſdr. VIII. 15. עלי זית ועלי עץ שמן (8) Geneſ. III. 24. & Exod. XXV. 18. (9) Ezech. XLI. 17. 18. 19. (10) Ezech. ibid. ℣. 18. 19. (11) וכל קירו הבית מסב קלע פתוחי מקלעות כרובים ותמרות ופטורי ציצים מלפנים ולחיצון (12) Herodot. lib. 2. c. 169. [illegible] (13) Villalp. tom. 2. lib. 5. c. 5. pag. 423. (14) Athenæus lib. 5. cap. 9. Dipnoſop. Vide Comment. noſtrum ad Exod. XXVI. 32. (15) 2. Paral. III. 5. *Sculpſitque in ea palmas, & quaſi catenulas ſe invicem complectentes.* Vide & ℣. 16. ejuſdem capitis. (16) Vide ſupra ℣. 23. (17) Supra ℣. 16. (18) ואת פתח הדביר עשה דלתות עצי שמן האיל מזוזות חמישית Φλιαὶ πενταπλαῖ. Poſte quintuplici.

& poſtei, *paraſtadas*, *quintum*, vel ex quinto; ac ſi diceretur: Latitudo, & altitudo hujus portæ quinta erat pars totius extenſionis muri intermedii. Quod ſi ponatur, redigenda erit porta ad quatuor cubitos, cum totus murus viginti in longitudine cubitos non excederet.

Verſiculus 33. ubi de portis Sancti, obſcuriſſimus eſt, perinde ac ille, de quo huc uſque (1): *Fecit oſtio Templi poſtes*, vel paraſtadas, *e lignis olivarum ex quarto*. Locus eſt totius Capitis obſcuriſſimus; neque enim ſatis conſtat, quo referendum ſit illud *quintum*, & *quartum*. Deſignare poſſunt menſuram altitudinis, vel latitudinis portæ, figuram, formam. Qui de forma exponere malunt, cenſent, pentagonam fuiſſe portam Sanctuarii, quadrangularem Sancti. Apud Ezechiel. XLI. 21. porta Sanctuarii eſt quadrata, id eſt, pro more vulgarium portarum, in ſuperiori vertice quadrata. Conſtat utique, vocem Originalem *Rebiit* deſignare interdum *quadratum*; cur igitur & *Chamiſchit* pro pentagono non uſurpetur?

℣. 32. Sculpsit in eis picturam Cherubim et palmarum species, et anaglypha valde prominentia. Textus Hebræus legit tantum (2): *Exprimere fecit ſuper portas ſculpturas Cherubim*, vel cælaturas, *& palmarum*, *& apertiones florum*, *& texit auro*. Vox *anaglypha*, eſt proprie opus ſculpturæ prominentis. *Vas anaglyphum* eſt vas figuris prominentibus vel cælatis ſculptum; vas *aſperum ſignis*, quæ phraſis eſt Virgilii, Æneidos V. Salomon igitur anaglyphico opere expreſſit in portis Sanctuarii, quemadmodum & ubique per totam interiorem Sanctuarii faciem, Cherubim, palmas, flores, vel lilia expanſa.

℣. 34. Et duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus, et utrumque ostium duplex erat, et se invicem tenens aperiebatur (3). Sanctuarii oſtia erant ex oliva, vel ligno pingui; Sancti vero portæ ex abiete, vel cedro, de qua ſupra egimus. Utrique autem portæ duplex erat oſtium, duplex poſtis, & plicatilis utraque; ac forte etiam utraque ſe invicem continebant, ut ambæ ſimul & clauderentur, & recluderentur (4). Eadem utrique ornamenta, cælaturæ, aurum, &c. (5). Claudebantur vectibus, & aureis illis catenis, de quibus in ℣. 21. Animadverrendum eſt autem, utramque portam, Sancti ſcilicet ac Sanctuarii, lapideis poſtibus vel paraſtadis non hæſiſſe, ſed ligneis. Id autem obtinebat vel in portis Urbium, ut incumberent trabibus, vel cardinibus ligneis (6), idque etiam interdum ſervabatur in Templis: hæc autem latera, vel poſtes ferro vel ære veſtiebantur. Porta Sancti aditum præbebat e veſtibulo in Sanctum. Vide Ezechiel. XLI. 1. 2. 3. & præſertim ℣. 21.

℣. 35. Operuit quadro ad regulam. Hebr. (7): *Texit* totum *auro directo ſuper ſculpturam*; ita ut additum aurum nihil officeret ſculpturis, vel cælaturis; cogebantur enim laminæ aureæ ligno applicatæ figuris in ligno expreſſis accommodari.

℣. 36. Ædificavit atrium interius tribus ordinibus lapidum politurum, et uno ordine lignorum cedri. *Atrium* erat hoc *Sacerdotum*, appellabaturque interius, quod exterius eſſet aliud, & a Templo atque altari remotius, nempe atrium populi. Ambiebatur atrium illud Sacerdotum porticibus, uti ferunt, triplici columnarum ordine fultis. Duorum priorum ordinum columnæ erant lapideæ, tertii cedrinæ. Vel potius columnæ illæ ſuſtinebant tres porticuum ordines, alterum ſuper alterum; e quibus duo priores incumbebant columnis lapideis, tertius cedrinis (8). Sed tres ejuſmodi ordines porticuum, triplici columnarum ordine in Templo fulti, mihi ſunt ſuſpectiſſimi; quippe qui nihil tale oſtenderim in Templo per Joſephum deſcripto, noſtramque hanc conjecturam fulciant ea, quæ inferius diducemus.

Sunt qui credant, inter atrium Sacerdotum, & populi nullum diſcrimen fuiſſe, niſi mediocris altitudinis parietem, ita ſtructum, ut duplici lapidum ſtrato ſuccederet alterum ex aſſeribus cedrinis. Petitur hæc opinio ex Textu quodam Joſephi (9), quem Villalpandus male expoſitum fuiſſe contendit (10); quo ex Textu, humilis quidam murus tribus cubitis altus, diſtinguens porticus ab atrio, acceptus eſt pro ſepto illo medio, de quo in præſenti. Communis hæc interpretatio nobis minus probatur.

Perſuaſum tenemus, Sacri Scriptoris verba innuere, ea arte ædificatos fuiſſe parietes, ut tribus lapidum ordinibus, quorum alter ſuper alterum, vel alter alteri adjaceret, ſuccederet vel ſupra lapides, vel prope illos alter ligneus, atque ita deinceps poſt tres alios lapideos veniret quartus ligneus, uſque ad ſummum muri verticem. Hæc ſtruendi ratio non obſcure legitur Cap. VII. 12. ubi de ædificio regalium ædium Salomonis: & Cyrus remittens Judæos ad reſtituendum Templum Jeroſolymitanum ita ædificari jubet (11), ut *ordines de lapidibus impolitis tres* ſint, *& ſtructura*, vel ordo *de lignis novis*. Thartanai, & Socii monentes Darium de Templo, quod a Judæis condebatur, ſcripſerunt (12): *Ligna ponuntur in parietibus*. Nec obſcure hanc ædificandi rationem ſpectat Habacuc II. 11. iis verbis: *Lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter juncturas ædificiorum eſt, reſpondebit*. Is erat in ædificiis ſuis populorum ejus regionis uſus: hanc colorum varietatem, & lignorum ac lapidum admixtionem amabant, quibus & nitorem & ſoliditatem addi ædificiis ſuis arbitrabantur. Neque in fundamentis murorum aliter ſervabatur, præſertim in ampliſſimis ædificiis, & mœnibus Urbium (13). Interdum tigna per certa intervalla figebantur, & ſpatium intermedium ſectis lapidibus opplebatur (14). Interdum trabes erant poſitæ ab una parietis fronte ad aliam alternatim cum ordinibus lapidum, itidem ab una fronte ad aliam ductis, ut figuram tabulæ latrunculorum exhiberent, cum ſingulæ trabes intra quatuor lapidum ordines continerentur, & ſinguli lapides viciſſim quatuor lignorum ordinibus adſtringerentur (14). Ex his intellige, quæ fuerit ſtructura parietum atrii interioris Templi, nec non ædium Salomonis.

Ita ferme de hoc ædificio ſenſiſſe videtur Eupolemus (15); ſcribit enim, ſtructuram hujus ædificii ita conſtitiſſe, ut alternis ordinibus lapidum ac tignorum e cedro componeretur, iis ordinibus inter ſe conjunctis ærearum quarumdam ſecurium ope, pondere talenti. Hæc quidem atrii interioris ſtructura eſt; neque enim de atrio exteriori ſimile quidquam narratur.

℣. 37. Anno quarto Regni Salomonis. Vide ℣. 1. hujus capitis.

℣. 38. Anno undecimo, mense Bul . . . perfecta est domus. Abſolutum eſt Templum anno undecimo Regni Salomonis, menſe Bul, octavo ſci-

(1) ועשה לפתח ההיכל מזוזות עצי שמן מאת רביעית (2) וקלע עליהם מקלעות כרובים ותמורות ופטורי ציצים (3) ושני צלעים [lege צלעים] הדלת האחת גלילים ושני קלעים הדלת השנית גלילים 70. & Vulg. utrobique legerunt צלעים (4) Tract. Middot. c. 4. ſect. 1. (5) Vide ℣℣. 20. & 33. (6) Vide dicta Judic. XVI. 3. (7) וצפה זהב מישר על המחקה (8) Sanct. Menoch. (9) Joſeph. Antiqu. l. 8. c. 2. Περιέβαλε δὲ τῷ ναῷ κύκλῳ γεισίον μὲν κατὰ τὴν ἐπιχώριον γλῶτταν, θριγκὸν δὲ παρ᾽ Ἕλλησι λεγόμενον, εἰς τρεῖς πήχεις ἀναγαγὼν τὸ ὕψος. (10) Villalp. tom. 2. l. 5. c. 43. (11) 1. Eſdr. VI. 3. 4. נדבכין די אבן גלל תלתא ונדבך די אע חדת (12) 1. Eſdr. V. 8. (13) Vide 4. Macc. 11. (14) Appion. l. 1. Bell. Civil. & Jul. Cæſar de Bello Gall. l. 7. c. 23. (15) Vide Vitruv. lib. 1. cap. 5. & Notas Peraltii in hunc locum. (16) Eupolem. apud Euſeb. Præparat. l. 9. c. 34.

ſcilicet anni, ſervato Feſtorum ordine, qui partim cum Octobri, partim cum Novembri congruit. Dilata eſt ejus dedicatio in annum alterum, duodecimum Salomonis, ſuadente facile anno Jubilæi, qui in eumdem annum incidebat (1).

Annis septem. Templum ſeptem annorum curriculo penitus abſolutum eſt; quod urique indicat miram artificum celeritatem in tantæ molis ædificio. Tota ſimul Aſia, ad condendum Dianæ Templum Epheſinum collecta, impendit operi annos non minus quam ducentos: quin & nonniſi intra quadringentos annos ornamenta ſua omnia illud obtinuit (2). Memoriæ proditum eſt, trecenta & ſexaginta millia virorum integris viginti annis in unius Ægyptiæ Pyramidis opificio deſudaſſe. Ponit hic Scriptura numerum ſeptem annorum pro ſeptem annis & dimidio (3), quot a ſecundo menſe anni quarti Regni Salomonis, uſque ad octavum menſem anni undecimi ejuſdem Regni fluxerunt. Familiare autem eſt Scripturæ numeros imperfectos fractoſque negligere, cujus rei exemplum ſuperius in Davide exhibitum eſt (4). Illum enim regnaſſe legimus ſeptem annis Hebrone, quamquam ſeptennium ſex menſibus exceſſit. In capite ſequenti ℣. 1. Salomon impendiſſe narratur annos tredecim in domus ſuæ ædificio; quamquam totum opus intra annos duodecim & dimidium perfectum eſt.

[1] Uſſer. ad an. 1000. [2] Vide Plin. l. 36. c. 12. [3] Uſſer. Sanct. Vat. alii. [4] 3. Reg. 2. 11. collatum cum 2. Reg. v. 15.

C A P U T VII.

Deſcriptio ædium Salomonis, quibus datum nomen eſt Saltus Libani; ædiumque pro filia Pharaonis. Hiram, artifex peritus, Tyro profectus, duas molitur æneas columnas immanes, mare æneum & decem baſes, quibus decem luteres ſuſtineantur.

℣. 1. DOmum autem ſuam ædificavit Salomon tredecim annis, & ad perfectum
uſque perduxit. 2. Ædificavit quoque domum ſaltus Libani centum cu-
bitorum longitudinis, & quinquaginta cubitorum latitudinis, & triginta cubitorum al-
titudinis: & quatuor deambulacra inter columnas cedrinas: ligna quippe cedrina ex-
ciderat in columnas. 3. Et tabulatis cedrinis veſtivit totam cameram, quæ quadra-
ginta quinque columnis ſuſtentabatur. Unus autem ordo habebat columnas quindecim,
4. Contra ſe invicem poſitas, 5. Et e regione ſe reſpicientes, æquali ſpatio inter
columnas, & ſuper columnas quadrangulata ligna in cunctis æqualia. 6. Et porticum
columnarum fecit quinquaginta cubitorum longitudinis, & triginta cubitorum latitu-
dinis: & alteram porticum in facie majoris porticus, & columnas, & epyſtilia ſuper
columnas; 7. Porticum quoque ſolii, in qua tribunal eſt, fecit: & texit lignis ce-
drinis a pavimento uſque ad ſummitatem. 8. Et domuncula, in qua ſedebatur ad
judicandum, erat in media porticu, ſimili opere. Domum quoque fecit filiæ Pharao-
nis (quam uxorem duxerat Salomon) tali opere, quali & hanc porticum. 9. Om-
nia lapidibus pretioſis, qui ad normam quamdam, atque menſuram tam intrinſecus,
quam extrinſecus ſerrati erant: a fundamentis uſque ad ſummitatem parietum, & ex-
trinſecus uſque ad atrium majus. 10. Fundamenta autem de lapidibus pretioſis, la-
pidibus magnis decem ſive octo cubitorum. 11. Et deſuper lapides pretioſi æqualis
menſuræ ſecti erant, ſimiliterque de cedro. 12. Et atrium majus rotundum, trium
ordinum de lapidibus ſectis, & unius ordinis de dolata cedro: necnon & in atrio do-
mus Domini interiori, & in porticu domus. 13. Miſit quoque rex Salomon, & tu-
lit Hiram de Tyro, 14. Filium mulieris viduæ de tribu Nephtali, patre Tyrio,
artificem ærarium, & plenum ſapientia, & intelligentia, & doctrina ad faciendum
omne opus ex ære. Qui cum veniſſet ad regem Salomonem, fecit omne opus ejus.
15. Et finxit duas columnas æreas, decem, & octo cubitorum altitudinis columnam
unam, & linea duodecim cubitorum ambiebat columnam utramque. 16. Duo quo-
que capitella fecit, quæ ponerentur ſuper capita columnarum, fuſilia ex ære: quin-
que cubitorum altitudinis capitellum unum, & quinque cubitorum altitudinis capitel-
lum alterum. 17. Et quaſi in modum retis, & catenarum ſibi invicem miro opere
contextarum. Utrumque capitellum columnarum fuſile erat: ſeptena verſuum retiacu-
la in capitello uno, & ſeptena retiacula in capitello altero. 18. Et perfecit colu-
mnas, & duos ordines per circuitum retiaculorum ſingulorum, ut tegerent capitella,
quæ erant ſuper ſummitatem melogranorum: eodem modo fecit & capitello ſecundo.
19. Capitella autem, quæ erant ſuper capita columnarum, quaſi opere lilii fabrica-

ta

ta erant in porticu quatuor cubitorum. 20. Et rurſum alia capitella in ſummitate columnarum deſuper juxta menſuram columnæ contra retiacula: melogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli ſecundi. 21. Et ſtatuit duas columnas in porticu templi: cumque ſtatuiſſet columnam dexteram, vocavit eam nomine Jachin: ſimiliter erexit columnam ſecundam, & vocavit nomen ejus Booz. 22. Et ſuper capita columnarum opus in modum lilii poſuit: perfectumque eſt opus columnarum. 23. Fecit quoque mare fuſile decem cubitorum a labio uſque ad labium, rotundum in circuitu: quinque cubitorum altitudo ejus, & reſticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum. 24. Et ſculptura ſubter labium circuibat illud decem cubitis ambiens mare; duo ordines ſculpturarum ſtriatarum erant fuſiles. 25. Et ſtabat ſuper duodecim boves, e quibus tres reſpiciebant ad Aquilonem, & tres ad Occidentem, & tres ad Meridiem, & tres ad Orientem, & mare ſuper eos deſuper erat: quorum poſteriora univerſa intrinſecus latitabant. 26. Groſſitudo autem luteris, trium unciarum erat: labiumque ejus, quaſi labium calicis, & folium repandi lilii: duo millia bathos capiebat. 27. Et fecit decem baſes æneas, quatuor cubitorum longitudinis baſes ſingulas, & quatuor cubitorum latitudinis, & trium cubitorum altitudinis. 28. Et ipſum opus baſium, interraſile erat: & ſculpturæ inter juncturas. 29. Et inter coronulas, & plectas, leones, & boves, & cherubim: & in juncturis ſimiliter deſuper, & ſubter leones, & boves, quaſi lora ex ære dependentia. 30. Et quatuor rotæ per baſes ſingulas, & axes ærei, & per quatuor partes quaſi humeruli ſubter luterem fuſiles, contra ſe invicem reſpectantes. 31. Os quoque luteris intrinſecus erat in capitis ſummitate: & quod forinſecus apparebat, unius cubiti erat totum rotundum, pariterque habebat unum cubitum, & dimidium: in angulis autem columnarum variæ cælaturæ erant: & media intercolumnia, quadrata non rotunda. 32. Quatuor quoque rotæ, quæ per quatuor angulos baſis erant, cohærebant ſibi ſubter baſim: una rota habebat altitudinis cubitum & ſemis. 33. Tales autem rotæ erant, quales ſolent in curru fieri; & axes earum, & radii, & cathi, & modioli, omnia fuſilia. 34. Nam & humeruli illi quatuor per ſingulos angulos baſis unius, ex ipſa baſi fuſiles, & conjuncti erant. 35. In ſummitate autem baſis erat quædam rotunditas dimidii cubiti, ita fabrefacta, ut luter deſuper poſſet imponi, habens cælaturas ſuas; variaſque ſculpturas ex ſemetipſa. 36. Sculpſit quoque in tabulatis illis, quæ erant ex ære, & in angulis, cherubim, & leones, & palmas, quaſi in ſimilitudinem hominis ſtantis, ut non cælata, ſed appoſita per circuitum viderentur. 37. In hunc modum fecit decem baſes, fuſura una, & menſura, ſculpturaque conſimili. 38. Fecit quoque decem luteres æneos, quadraginta bathos capiebat luter unus, eratque quatuor cubitorum: ſingulos quoque luteres per ſingulas, ideſt, decem baſes poſuit. 39. Et conſtituit decem baſes, quinque ad dexteram partem templi, & quinque ad ſiniſtram: mare autem poſuit ad dexteram partem templi contra Orientem ad Meridiem. 40. Fecit ergo Hiram lebetes, & ſcutras, & hamulas, & perfecit omne opus regis Salomonis in templo Domini. 41. Columnas duas, & funiculos capitellorum ſuper capitella columnarum duos: & retiacula duo, ut operirent duos funiculos, qui erant ſuper capita columnarum. 42. Et malogranata quadringenta in duobus retiaculis: duos verſus malogranatorum in retiaculis ſingulis, ad operiendos funiculos capitellorum, qui erant ſuper capita columnarum. 43. Et baſes decem, & luteres decem ſuper baſes. 44. Et mare unum, & boves duodecim ſubter mare. 45. Et lebetes, & ſcutras, & hamulas, omnia vaſa, quæ fecit Hiram regi Salomoni in domo domini, de aurichalco erant. 46. In campeſtri regione Jordanis fudit ea rex in argilloſa terra, inter Sochot, & Sarthan. 47. Et poſuit Salomon omnia vaſa: propter multitudinem autem nimiam non erat pondus æris. 48. Fecitque Salomon omnia vaſa in domo Domini: altare aureum, & menſam, ſuper quam ponerentur panes propoſitionis, auream: 49. Et candelabra aurea, quinque ad dexteram, & quinque ad ſiniſtram contra oraculum, ex auro puro: & quaſi lilii flores, & lucernas deſuper aureas, & forcipes aureos. 50. Et hydrias, & funiculas, & phialas, & mortariola, & thuribula, de auro puriſſimo, & cardines oſtiorum domus interioris Sancti ſanctorum, & oſtiorum domus templi, ex auro erant. 51. Et perfecit omne opus, quod faciebat Salomon in domo Domini, & intulit, quæ ſanctificaverat David pater ſuus, argentum, & aurum, & vaſa, repoſuitque in theſauris domus Domini.

ỷ. 1. Do-

℣. 1. DOMUM SUAM ÆDIFICAVIT SALOMON TREDECIM ANNIS. Quamquam reipſa totum opus intra annos duodecim & dimidium ſtetit; Scriptura tamen humano more loquens, minorem numerum rotundi gratia negligit. Intra totum hoc tredecim annorum ſpatium, Salomon etiam ædes Reginæ uxoris ſuæ, filiæ Pharaonis, tum & domum, *Saltus Libani* appellatam, aliaſque nonnullas ad priora hæc ædificia pertinentes, ſtruxit.

℣. 2. DOMUM SALTUS LIBANI. Nomen id ædificio datum eſt, ſive quod ſylva columnarum e cedro montis Libani ornaretur, ſive quod lucos haberet adjunctos, & umbras arborum perinde ac Libanus. Ædificium autem eſt non diſtinctum ab eo, de quo in ℣. 1. quodque intra urbem Jeroſolymam continebatur (1), & ad Occidentem Templi jacebat. Cenſuit Chaldæus, domum hanc fuiſſe in uſum animi relaxandi conſtructam, ut eo veniens Rex auram in æſtivis ardoribus captaret. Salomon ibi domicilium ſuum conſtituerat, ibique pariter trecentos aureos clypeos poſuit, quos conflari juſſerat (2). Vaſa ejus domus omnia aurea erant.

CENTUM CUBITORUM LONGITUDINIS, quinquaginta latitudinis, & altitudinis triginta. Ingens erat ædificium, ad centum ſeptuaginta pedes ac decem pollices in longum, octoginta quinque pedes & quinque pollices in latum, ac quinquaginta & unum pedes cum tribus pollicibus in altum porrectum: fulciebatur quatuor ordinum columnis, ſeu potius triplici columnarum ductu, uno vero pilarum, ex quibus tres formabantur porticus tectæ, ante conclavia excurrentes. Singuli ordines numerabant columnas quindecim, treſque ſimul ordines quinque & quadraginta columnas; ut in hoc verſiculo & duobus ſequentibus animadvertitur. Accedebant ædificio duæ latius ſeſe explicantes alæ, ad utrumque latus, quibus nihil deerat ornamentorum, quæ reliquum ædificium commendabant.

QUATUOR DEAMBULACRA INTER COLUMNAS CEDRINAS: LIGNA QUIPPE CEDRINA EXCIDERAT IN COLUMNAS. Hebræus (3): Domus erat *ſuper quatuor ordines columnarum cedrinarum, & trabes cedrinæ exciſæ ſuper columnas*. Quamquam columnarum ordines erant quatuor, porticus nonniſi tres componebantur, cum unus eſſet ordo pilarium, qui parieti ædium adhærebant. Trabes ex una columna ad alteram ductæ, & ipſæ pariter columnæ, e cedro erant exciſa & dolata. Si quis admiſerit quatuor ordines columnarum a parietibus ſejunctarum, Textus hic, & verſiculi tertius & quartus ſibi invicem non conſtarent, cum quinque tantummodo & quadraginta columnas, ſeu tres ordines columnarum, e quindecim columnis ſingulos, numerent.

℣. 4. & 5. CONTRA SE INVICEM POSITAS, ET E REGIONE SE RESPICIENTES. Omiſſum eſt aliquid ab Authore Vulgatæ. Verſiculi 4. & 5. ita ſonant in Hebræo (4): *Feneſtellarum tres ordines, & feneſtra ad feneſtram tribus vicibus. Et omnia oſtia, & poſtes quadrati, feneſtella, & e regione feneſtra ad feneſtram tribus vicibus*. Tres in his ædibus erant conclavium ductus vel ordines. Sed porticus regnantes ante hujuſmodi conclavia, totam occupabant altitudinem ædificii, faciemque præferebant unitam neque interruptam: tria autem ſolaria non niſi exterius dignoſcebantur, ex triplici ordine feneſtrarum ejuſdem architecturæ, aliis e regione & ſuper alias poſitis; per interiores autem ſcalas ex una contignatione ad alteram aſcenſus dabatur. *Portæ omnes erant quadratæ*, ait Scriptor ſacer, pro veteri more ſtruendi portas quadratas, eo ſenſu quo ſupra a nobis explicatum eſt, exceptis tamen majoribus portis Urbium, arcuum triumphalium, aliorumque locorum, qua publicus erat tranſitus.

℣. 6. ET PORTICUM COLUMNARUM FECIT . . . ET ALTERAM PORTICUM IN FACIE MAJORIS PORTICUS. Agitur etiam in ℣. 7. de porticu, ubi tribunal vel ſolium poſitum erat: *Porticus ſolii*. Id ſi admittatur, tres ſtatuendæ erunt porticus, vel tria atria ambitu porticuum ſepta. Sed Hebræus geminas tantum exhibet; ita enim ſonat ad literam (5): *Porticum columnarum fecit . . . . & porticus ſuper facies earum, & columnæ & trabes ſuper facies earum, & porticum ſolii*.

Ante molem hanc ædificii, de qua huc uſque, & junctam porticui atque columnis illam fulcientibus, conſtituit Salomon atrium quinquaginta cubitorum longitudinis & triginta latitudinis; cui ſua erat corona porticuum, columnarum, atque cellarum, ut ejuſmodi columnæ, porticus, trabes, & ornamenta atrii ex adverſo majoris porticus ornamenta reſpicerent, illiſque conjungerentur. Atrio ſolii idem erat architecturæ ordo, eædemque dimenſiones.

℣. 7. PORTICUM SOLII, IN QUA TRIBUNAL EST. Veteres Orientales Reges jus per ſe dicebant, neque alibi plerumque, quam in Regalium ædium foribus. Eo populus conveniebat ad Principum edicta atque mandata excipienda; hinc hodie pariter ædes ſummi Turcarum Imperatoris, *Porta* appellantur.

℣. 8. DOMUNCULA, IN QUA SEDERATUR AD JUDICANDUM, ERAT IN MEDIA PORTICU SIMILI OPERE. Regium ſolium ſurgebat in formam ſublimis ædiculæ, retro & ad duo latera clauſæ, ut Rex tutos humeros & latera haberet. Similis operis Tribunal parabatur pro vetuſtis Latinis Regibus, uti Servius animadvertit (6). Salomonis Tribunal lapideum erat, cedro tamen indutum; cedrus autem inſerto ſcite per intervalla auro & ebore diſtinguebatur. Vide quæ narrantur inferius x. 18. 19. de ſolio eburneo Salomonis. Recentius quoddam Itinerarium deſcribit ſolium vetuſtiſſimum, quod facile Numini alicui deſtinatum fuerat: conſtat autem illud quatuor amplis lapidibus; quorum duo formant latera, tertius eſt in tergo, quartus in umbellæ morem ſupra caput pendens imminet (7). Hebræus legit (8): *Domus, in qua ſedebat, erat* velut *atrium aliud, intra veſtibulum. Alterum hoc opus erat ut cætera*. Ideſt, locus ubi poſitum erat ſolium, perinde erat ac atrium quoddam diſtinctum, & a majori atrio domus ſegregatum. Intra majus atrium locum quemdam elegerat atque diſtinxerat, qui merito ceu alterum parvum atrium haberi poterat. Seu potius alter Textui ſenſus tribui poteſt: *Fecit alterum atrium intra domum quam habitabat, ſimile operi mox deſcripto*. Erat fortaſſe atrium interius, & retro poſt ædes Regis jacens (9). Sed præſtat Vulgatæ Interpretationem retinere. Ita Regias Salomonis ædes deſcribit Scriptura, ut plurimum congruant cum ædibus Regum Orientalium, quas Veteres Hiſtorici & recentiora Itineraria depingunt. Ingentis molis ædificium ſunt, cui accedunt duo vel tria atria, ambitu columnarum & porticuum ſepta. Atrium exterius occupant corporis cuſtodes ſub porticibus diſtributi. Ex interioribus atriis aditus patet in domum, maxime

in

(1) Iſai. xxii. 8. Ita & Vat. Munſt. Sanct. Tir. & alii paſſim.

(2) 3. Reg. x. 17. Vide & ℣. 15.

(3) על ארבעה טורי עמודים ארזים וכרתות ארזים על העמודים

(4) ושקפים שלשה טורים ומחזה אל מחזה שלש פעמים וכל הפתחים והמזוזות רבעים שקף ומול מחזה אל מחזה שלש פעמים

(5) ואת אולם העמודים עשה . . . ואולם על פניהם ועמודים ועב על פניהם ואולם הכסא

(6) Servius in Æneid. vii. in hæc verba: *Solio medius conſedit avito . . . . Solium eſt veluti armarium de uno ligno, ad Regum tutelam factum.*

(7) Maundrel, Voyage de Jeruſalem p. 33.

(8) וביתו אשר ישב שם חצר האחרת מבית לאולם כמעשה הזה היה

(9) ובית אשר ישב שם חצר האחרת מבית לאולם כמעשה הזה

in eam partem ædium, quæ mulieribus deſtinatur, quæque abditiſſima eſt totius domus, & exteris inacceſſa.

DOMUM QUOQUE FECIT FILIÆ PHARAONIS. Ubique per Orientem fœminæ ſuas habent ædium partes a viris diſtinctas atque remotas. Sara, Rebecca, Rachel, Lia (1), ſua habebant tentoria ab Abrahami, Iſaaci, & Jacobi tentoriis ſejuncta; ſuæ pariter erant ædes Eſtheræ (2), eademque ſeorſum cum Matronis aulæ Aſſueri veſcebatur. Herodias & Rex Herodes commune triclinium non habebant (3). Neque ab his moribus hodie pariter abitum eſt. Filiæ Pharaonis Salomon ſedem primo conſtituit in Civitate Davidis; tum ædes illi magnificas, ſuis conjunctas, illi ſtruxit, architectura reliquis ædificii, æquali. Parietes cedro induti, elegantiſſimiſque lapidibus ædificati.

Ỳ. 9. EXTRINSECUS USQUE AD ATRIUM MAJUS. Hebræus (4): *Ab extra, ad atrium magnum. Atrium magnum*, atrium eſt primum, porticibus undique ſeptum, quas porticus narrant verſiculi 2. 3. 5. 6. Omnium ejuſmodi ſubſtructionum parietes, tum qui intra domicilia, tum qui exterius in atriis apparebant, ſive atrium interius ac exterius pari nitore conſtructa fuere. Nihil ad elegantiam ac ſoliditatem operis deſideratum eſt.

Ỳ. 10. DECEM SIVE OCTO CUBITORUM longitudinis; ideſt, quatuordecim, vel decem & octo pedum longitudinis, & craſſitudinis pro æqua ad magnitudinem proportione. Plurimi tunc in ædificiis æſtimabantur ingentes lapides, dolati probe & affabre juncti. Rudera veterum ædificiorum Ægyptiorum, Græcorum ac Romanorum, quæ temporis voracitati & Barbarorum furori ſuperfuerunt, architecturæ hujus veteris ſpecimen exhibent. Immanes ſunt moles lapidum, miro labore & induſtria operi admotæ: eſt autem illud ſani illorum judicii rectique ingenii argumentum. Ædificia enim parantur ut commodum domicilium præbeant; ſedulo cavendum eſt, ne ſumptus impendamus in opera parum ſolida, adeoque frequenter ſarcienda. Sibi & poſteris laborandum eſt.

Ỳ. 12. ET ATRIUM MAJUS ROTUNDUM, TRIUM ORDINUM DE LAPIDIBUS SECTIS, ET UNIUS ORDINIS DE DOLATA CEDRO. Ad Ỳ. 9. diximus, quid ſit illud *atrium majus*, & ad Ỳ. 36. præcedentis capitis animadvertimus, quid ſint illa, *Trium ordinum de lapidibus ſectis, & unius ordinis de dolata cedro.* Supereſt modo demonſtremus; quomodo atrium illud eſſet rotundum. Juvat autem animadvertere, olim plateas publicas figuram cyclicam exhibuiſſe (5); quare Homerus *circulum ſacrum*, ἱερὸν κύκλον, appellat. Gemina apud alios Authores recurrunt (6). Sane fieri optime potuit, ut quatuor ædificii alæ porticibus circumdatæ circulum perfectum, ſeu ovalem, vel hemicyclum formaverint, in medio longitudinis pauliſper inflexæ. Id autem contuliſſet plurimum ad atrii magnificentiam atque amplitudinem. Quærendum tamen nobis eſt, quid veriſſimum ſit, non quid pulcherrimum; atque ex Textu originali illud colligi videtur, ejuſmodi atrium undique columnarum ſepto fuiſſe redimitum. Neque aliud facile innuere voluit Author Vulgatæ iis verbis: *Atrium majus rotundum*. Ita ergo textus ad literam (7): *Et atrio majori circum tres ordines de petra dolata, & ordo trabium cedrinarum.* Id eſt, atrium illud ambiebatur undique ad quatuor latera ædificiis, & porticibus, quarum parietes ita ſtructi erant, ut tria priora ſtrata ſectis lapidibus, quartum tignis cedrinis conſtarent, & ſic deinceps uſque ad ſupremum verticem. Idem ſervatus eſt ſtructuræ ordo, qui in atrio Sacerdotum Templi, & in ipſo Templi veſtibulo, ut parietes mixtam lapidibus cedrum exhiberent.

Ỳ. 14. HIRAM FILIUS MULIERIS VIDUÆ DE TRIBU NEPHTALI, PATRE TYRIO. Hic appellatur in Paralipomenis (8) *pater*, ideſt, Præfectus Regis, vel Præfectus manui artificum Regiorum; additurque *filium* fuiſſe *mulieris de filiabus Dan*, Tyrio patre. Qua in re ardua ſunt duo; I. qui fieri potuerit, ut una eademque mulier ad Tribum Dan ſimul & Nephtali pertineret: II. cur in Iſraele nata mulier nuptias conciliarit cum viro Tyrio, & Pagano. Ad poſtremum hoc quod attinet, cum de re facti, utique non ambigui, agatur, nihil habeo quod opponam. Perſuaſum eſt mihi, id generis connubia interdici (9), quidquid dicat Grotius (10), cenſens connubia mulierum Iſraelitidum cum alienis non interdici, ſiquidem illis Religionis ſuæ liberum exercitium permitteretur. Sed an novum eſt, Hebræum aliquem adverſus legem ſuam peccantem intueri? Ad alterum quod objicitur, non una eſt reſponſio. Sunt qui credant (11), Regem Tyri per errorem affirmaſſe, Hiramum e muliere Danitica natum fuiſſe. Viri originem non ſatis norat. Fides potius addicenda eſt Sacro Hiſtorico, quam Principi extero. Malunt alii (12), mulierem hanc originem duxiſſe e Tribu Nephtali, ſed ad Danitas, ob domum prioris viri ſui, tranſiiſſe; niſi malueris, virum, cui tunc nupta erat, Danitam fuiſſe, quamvis cognomen Tyrii ſibi adſcivit, quod ad Tyrios migraverit, ſervata ſemper priſtina Iſraelitarum Religione. Malunt denique alii (13), mulierem hanc e Tribu Nephthali oriundam, ortum habuiſſe in urbe *Dan*. Sed opinionem hanc evertere videntur ea verba Regis Tyrii: *Filium mulieris de filiabus Dan.*

Ỳ. 15. DECEM ET OCTO CUBITORUM ALTITUDINIS COLUMNAM. Legimus in II. Paralipom. III. 15. de duabus hiſce columnis: *Triginta, & quinque cubitos habebant altitudinis*. Ex quo incidit ſuſpicio, poſitos eſſe hic decem & octo cubitos pro decem & ſeptem ac dimidio, neglectis de more (14) numeris imperfectis (15). Cenſent alii, utramque columnam non ſuperaſſe quinque & triginta cubitos altitudinis, excepta baſi columnæ [*plintha*], quæ e ſolido ære conflata, cubitum altitudinis æquabat (16). Illud conſtat, Jeremiam capite LII. ar. his columnis eamdem, quam modo, altitudinem decem & octo cubitorum aſſignare. Cavæ erant, & craſſæ quatuor digitis, eodem Propheta teſte.

Columnæ, de quibus hic Scriptura, alias habebant dimenſiones ab iis, quas Græcorum & Romanorum architecti probarunt. Sed longe aliæ erant ſtruendorum artificiorum leges apud veteres Ægyptios, Græcis Romaniſque antiquiores. Vide D. Des Breves Itiner. pag. 266. & deſcriptionem veteris urbis Thebarum, ac pagi cujuſdam conſtructi ſuper concameratos fornices a tribus grandioribus pilaribus ſuſtentatos.

LINEA DUODECIM CUBITORUM AMBIEBAT COLUMNAM UTRAMQUE. Singularum columnarum ambitus erat decem cubitorum, adeoque & diameter quatuor cubitorum circiter. Non æqua ſatis eſt inter craſſitiem & altitudinem utriuſque molis proportio; ſed duo hic animadvertenda ſunt; I. decem & octo hoſce cubitos altitudinis neque baſim, neque epiſtylia columnarum complecti, quorum non mi-

(1) Vide Geneſ. XXIV. & XXXI. (2) Eſth. I. 11. 12. (3) Matth. XIV. 8. & Marc. VI. 23. 24. (4) ומחוץ עד החצר הגדלה (5) Caſaubon. in Theophr. Character. cap. de Adulatione. (6) Sophocles, κυκλέοντα τὸν ... Euripides, Ἀγορᾶς κραίνων κύκλος. Dion. Τὸ τῆς ... ἀγορᾶς κύκλος. (7) וחצר הגדלה סביב שלשה טורים גזית וטור כרתת ארזים (8) 2. Par. II. 14. *Miſi tibi Hiram patrem meum, filium mulieris de filiabus Dan, cujus pater fuit Tyrius.* (9) Exod. XXXIV. 16. & Deut. VII. 3. *Neque ſociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam ejus accipies filio tuo.* (10) Grotius in 2. Par. II. 14. (11) Sanct. hic. (12) Grot. Cornel. Mar. (13) Menoch. (14) Supra 3. Reg. VI. 38. & 2. Reg. V. 5. Judic. XX. 46. (15) Vat. Grot. Sanct. (16) Jun. Piſcat. Cornel.

nima erat altitudo, cum unicum epiſtylium quinque cubitos æquaret. II. In his dimenſionibus tum columnarum, tum totius architecturæ Templi Salomonici, normam architecturæ Græcorum, & Romanorum ſpectandam non eſſe, cum neque leges neque naturam illius Salomon noſſet. Si certas architecturæ leges ſequutus eſt, Ægyptiacas potius tenuiſſe credimus; intuentibus enim apparet ſane plurima inter formam Tampli Jeroſolymitani, & Templorum Ægyptiacorum affinitas; neque proportio eſt levis inter columnas Templi ejuſque ornamenta, cum iis quæ de monumentis Ægypti ferunt Veteres, & Recentiores, qui vetuſtatis reliquias Thebaide ſpectarunt. Occurrerunt intuentibus (1) immanes adeo quædam columnæ, ut ſex circum homines vix eas complecterentur; ſex vero vel ſeptem perticis in altum ferebantur: aliæ pariter erant quinque brachia dimetientes ambitu, nulli alteri uſui, quam fornici aulæ ſuſtinendo deſtinatæ.

Textus Hebræus legit (2): *Et rete duodecim cubitorum circumdabat columnam ſecundam*; quæ ſane verba innuunt idem etiam dictum fuiſſe de prima, quamquam hoc hodie in Textu non habetur. Illud vero, *Rete duodecim cubitorum*, innuere videtur circulum vel annulum æquis intervallis ambientem columnam ejuſmodi opere, quod nos deſcripſimus in Exodo xxvi. 32. Ita pariter ornaſſe Ægyptios rotundas columnas ſuas, docet Athenæus (3).

℣. 16. DUO CAPITELLA FECIT, QUÆ PONERENTUR SUPER CAPITA COLUMNARUM ..... QUINQUE CUBITORUM ALTITUDINIS CAPITELLUM UNUM. Nomen *capitelli* ponitur hic pro toto opere, quod verticem columnarum terminabat; cujus operis altitudo erat quinque cubitorum. Cum autem ejuſmodi opera in plures partes diſtinguerentur, acciperenturque interdum ſimul omnes, interdum ſingulæ, hinc menſurarum variis in locis varietas oritur, ut ſint modo capitella quinque cubitorum (4), modo trium (5), ſæpe quatuor (6). Totum quidquid erat capitelli, non excluſis ornamentis, quibus trunco columnæ jungebatur, cubitos quatuor referebat; his neglectis ornamentis, redigebatur ad tres. Roſa, vel lilium, quod ſupra capitellum prominebat, addebat unum cubitum; atque ita totius operis menſura erat quinque cubitorum. Athenæus (7) in ea, quam exhibet, columnarum Ægypti deſcriptione, tres in illis partes diſtinguit; primam, ſuperiorem verticem in modum roſæ, in florem jam jam expandendæ; alteram, quidquid roſam hanc ſuſtinebat, ut eſſet veluti floris illius calamus, ornabaturque floribus loti, & foliis palmarum cum fructu; tertiam, illud quod epiſtylium hoc jungebat trunco columnæ, ornabaturque plexu florum, ac foliorum fabæ Ægyptiacæ.

℣. 17. QUASI IN MODUM RETIS, ET CATENARUM SIBI INVICEM MIRO OPERE CONTEXTARUM ... SEPTENA VERSUUM RETIACULA IN CAPITELLO UNO. Hæc ſunt ornamenta epiſtylii utriuſque columnæ. Singulæ habebant ſuum rete e fuſo metallo, ſeptem annulorum ordinibus contextum. Hæc ſane ad magnificentiam columnarum commendandam non magnopere conferunt. Creduntur tamen intermedia hæc annulorum ſpatia continuiſſe flores, & fructus, qui per interſtitia illa exterius parebant. Scriptores quidam duo retiacula altitudinis ſingulis columnis tribuunt; quamquam unius tantum meminit Scriptura. Addit poma granata; & in ſequenti verſiculo aſſerit, duplici pomorum illorum ordine ea retiacula circum ornata fuiſſe. Malogranatorum numerus erat pro ſingulis columnis ducentorum, omnino quadringentorum. Vide inferius ℣. 42. Centena erant in ſingulis ordinibus (8). Diſtribuebantur autem in formam monilis, duplici ordine ad ſingula capitella, quorum ordinum erat alter annulis retis ſuperior, alter inferior.

In hanc autem ſententiam reddi poteſt Hebræus verſiculorum 17. 18. 19. & 20. qui ſane in Textu Originali, ut hodie leguntur, obſcuriſſimi ſunt; ſed perſpicuitati ſuæ reddere illos conamur vocibus nonnullis in locum ſuum reſtitutis (9). ℣. 17. *Fecit retiacula* [vel ramos plexu inter ſe adſtrictos] *in modum plexus, opere in modum laciniarum, & in modum catenularum* [vel plexus radicum]. *Fecit hæc opera pro capitellis columnarum, ſeptem pro ſingulis capitellis.*

℣. 18. *Et fecit malogranata* (10) *duplici ordine per circuitum retiaculorum ſingulorum, ut tegerent capitella, quæ erant ſuper ſummitatem columnæ. Eodem modo fecit & alteri columnæ.*

℣. 19. *Et capitellum, quod erat ſupra columnas atrii* (11), *quatuor cubitorum. Fecit & ordines ducentorum malogranatorum ad tegendum unum ſupremum coronamentum columnarum. Fecit & idem pro altero ſupremo coronamento.*

℣. 20. *Fecit rurſum capitellum in figuram roſæ* [vel lilii] *ſuper capita columnarum deſuper, & e regione ventris, qui erat trans retia.* Ideſt, hæc roſa vel lilium germinare videbatur ex ipſo capitello, ſeſeque porrigere ſupra malogranata & retia, quæ capitellum ornabant. Porro ejuſmodi capitella non quadrata inſtar Græcorum, ſed rotunda animo concipienda ſunt; quod non obſcure docet Scriptura, ex ordinibus malogranatorum ea undique ambientium, & ex epitheto גלות *Gulloth*, *circularium*, quod iis ordinibus addit Hebræus hic ℣. 40. 41. & in Paralipomenis, ubi de his agit (12). D. le Pelletier (13) arbitratur, Veterum Hebræorum architecturam ejuſdem fuiſſe naturæ ac veterem Græcorum. Ænearum columnarum dimenſiones Doricas ſtatuit; denique cenſet, ſuper has columnas jacuiſſe projecturas quadratas, ornatas catenulis, e quibus penderent trecenta nonaginta duo tintinnabula, quæ malogranata appellabantur, centum nonaginta ſex in ſingulis capitellis, ut tinnitu ſuo aves arcerent. Hæc vero magnopere a noſtra opinione abhorrent.

Cum verſiculos undevigeſimum, ac vigeſimum reſtituimus, ne voculam quidem unam ſingularem ab uno verſiculo in alterum transferimus: id enim ſiquis audeat, facile e quocumque libro ſententiam quam maluerit, eliciat. Sed phraſim tantummodo quæ tranſpoſita erat, atque in ℣. 20. collocata, in ℣. 19. tranſtulimus: viciſſim autem verſiculo 20. reſtituimus quæ illi debentur. Hanc reſtitutionem ordo rerum poſtulat. Conſtat utique, accipi de toto capitello non poſſe quod legitur in ℣. 19. capitellum hoc effictum fuiſſe *in formam lilii vel roſæ*. Referenda ſunt igitur hæc verba ad

eam

(1) Vide Voyage de Saide p. 1. (2) וחוט שתים עשרה אמה יסב את העמוד השני (3) Athen. lib. 5. c. 9. (4) In hoc ℣. *Quinque cubitorum altitudinis capitellum unum*. Et Jerem. LII. 22. (5) 4. Reg. xxv. 17. *Capitellum æreum ſuper ſe, altitudinis trium cubitorum.* (6) 3. Reg. VII. 19. *Capitella quæ erant ſuper capita columnarum .... quatuor cubitorum.* (7) Athen. loco citat. (8) 2. Par. III. 16. Vide & Jerem. LII. 23. (9) 17. שבכים מעשה שבכים גדילים מעשה שרשרות לכתרות אשר על ראש העמודים שבעה לכתרת האחת ושבעה לכתרת השנית 18. ויעש את הרמונים ושני טורים סביב על השבכה האחת לכסות את גלות הכותרות אשר על ראש העמודים וכן עשה לכתרת השנית 19. וכתרות על ראש העמודים באולם ארבע אמות והרמונים מאתיים טורים סביב על הכתרת השנית 20. וכתרת על שני העמודים מעשה שושן גם ממעל מלעמת הבטן אשר לעבר השבכה (10) Scribo רמונים pro עמודים Orationis ſeries id aperte poſtulat, atque hæc verborum tranſpoſitio Textum perſpicuitati ſuæ reſtituit. (11) Jungo אילם cum עמודים aliter in Textu Originali plurimum turbatum eſt. (12) 2. Par. IV. 12. הגלות והכתרות על ראש העמודים (13) Melanges d' Hiſtoire & de Litterature tome 1. p. 117.

eam partem, quæ in ſuperiori vertice micabat, complebatque epiſtylium.

℣. 21. STATUIT DUAS COLUMNAS IN PORTICU TEMPLI; facile coram veſtibulo & in ipſo aditu Sancti. Stabant ad utrumque latus veſtibuli, ac forte etiam muro incumbebant (1). Nomen *Jachin* יכין alteri e columnis iſtis inditum, ſignificat, *ſtatuet*, *diriget*, illam ſcilicet erectam fuiſſe a Deo; & nomen alterius *Booz* בועז, ſonat, *In eo robur*, *firmitas*, ipſum ſcilicet eumdem Deum largiri ſtabilitatem & firmitatem in ſitu ſuo. Nihil ſibi impoſitum ſuſtinebant, ſed loco ornamenti tantum portæ ſtatutæ erant. Traditis epiſtylio quinque cubitis totidemque baſi, illæ tota ſui altitudine cubitos octo & viginti dimetiebantur.

℣. 22. SUPER CAPITA COLUMNARUM OPUS IN MODUM LILII POSUIT. Coronis hæc in lilii vel roſæ [vox enim *Suſan* utrumque ſignificare poteſt] formam efficta fuiſſe videtur, ſeorſim a columna formata atque a reliquis capitelli partibus ſeorſum fuſa. Integrum illi altitudinis cubitum tribuendum eſſe demonſtravimus ſupra ℣. 16.

℣. 23. FECIT QUOQUE MARE FUSILE. Hoc vas ex ære fuſum habebat diametri ab una ora ad alteram decem cubitus, & ambitus triginta circiter; diametrum enim tertiam partem circumferentiæ prorſus non reddit. Rotundum erat, & quinque cubitis profundum. Extremum ejus labium ornabatur limbo ceu funiculo, cui accedebant poma vel bullæ operis anaglyphici. Capiebat tria millia bathorum, ut in Paralipomenis (2) narratur; ſive, ut hic ℣. 26. duo millia. Duo hæc ita inter ſe conciliantur, ut, quamvis tria millia bathorum continere potuerit, ſi ad ſummum uſque oppleretur, plerumque tamen non contineret niſi duo millia (3). Arbitrati ſunt alii (4), bathus, de quibus in Paralipomenis, minores eſſe bathis Librorum Regum. Quo tamen argumento diſcrimen hoc menſurarum probatur? Igitur cum viro doctiſſimo (5) hæc nobis in re præſenti dicenda videntur. Mare æneum vas erat duplex, compoſitum ex labio & plinthide unius pedis. Labium, quod nonniſi cylindricum animo concipiendum eſt, capiebat trecentos triginta tres cubitos cubicos, addita inſuper tertia cubiti parte, vel duo millia bathorum. Baſis erat parallelipedum cavum decem cubitorum in quadrum, & duorum cubitorum altitudinis, capiens centum ſeptuaginta cubitos cubicos, & tertiam cubiti partem, vel mille bathus. Ita duplex hoc vas, quod unicum erat interius, quamquam exterius duplex eſſe videbatur, continebat omnino quingentos cubitos cubicos, vel bathos ter mille liquoris, ideſt trecentos undecim modios, cum quadrante, pintas viginti & ſeptem, & ſex pollices cubicos, menſuræ Pariſienſis. Ita conciliatur Author Libri Regum, qui bis mille bathos vaſi huic aſſignat, cum Authore Paralipomenon, apud quem vas eſt trium millium bathorum.

Mare incumbebat duodecim bobus æneis in quatuor globos diſtributis, quadripartita facie, atque ternis ad ſingulas quatuor partes orbis obverſis: per intervalla vero inter ternos boves relicta dabatur acceſſus ſub mare, quo ſeſe luſtraturi venirent Sacerdotes. In medio labii erigebatur grandis quædam ænea columna cava, cujus caput ſub medium plinthidis deſinebat, ut aqua labii remotioris urgeretur intra mare, hauriretùrque e quatuor ſiphunculis, labio admovendis, ad æquam altitudinem e regione quatuor adituum.

Ornamenta plinthidis perſimilis erant operis cum fornice Sanctuarii, & plexu illo catenarum, qui circum e ſuperiori duorum tabulatorum quadratorum, ſuper columnas æneas incumbentium, vertice demittebatur. Hanc ſibi Salomonici maris imaginem animo finxit vir iſte doctiſſimus.

℣. 24. ET SCULPTURA SUBTER LABIUM CIRCUIBAT ILLUD, DECEM CUBITIS AMBIENS MARE. Quomodo id concilietur cum latitudine diametri triginta cubitorum hujuſce vaſis? Varii varia in eam rem comminiſcuntur. Sunt (6) qui reddant Textum: Fecit mari huic, quod habebat decem cubitorum diametri, cælaturas. Cenſent alii (7), ornamenta hæc totum vas perpetuo ductu, a ſupremo vertice uſque ad infimum, non ambiiſſe, ſed tantum ab imo uſque ad locum, ubi contrahebatur ad latitudinem decem cubitorum. Alii denique (8) ita Hebræum vertunt (9): *Poſuit poma*, vel colocyntidas, *ſubter labium, quæ ambiebant illud circum.* Erant *decem poma* intra ſpatium unius cubiti. Poſterior hæc interpretatio literæ magis hærere videtur. Erat igitur ornamentum perpetuum, conſtans ex trecentis pomis vel colocyntidis; non enim ſatis convenit de ſignificatione vocis Hebrææ *Phekaim*. Redditur, *poma* colocyntidæ, vel cucurbitæ ſylveſtris, ſphærulæ, genus quoddam ovorum, vel poma; figuræ denique ſphæricæ rotundæ. In Paralipomenis (10) non obſcure proditur, ornamenta hæc figuram boum exhibuiſſe, quod in ſequenti articulo expendetur.

DUO ORDINES SCULPTURARUM STRIATARUM ERANT FUSILES. Ornamenta hæc, de quibus huc uſque, quæque fortaſſe pomorum imaginem anaglyphico opere referebant, & capita boum, diſtributa alterno ordine ſubter labium, ejuſdem erant metalli & operis ac reliquum vas, una ſcilicet cum illo conflata. Cæterum diſſimulandum non eſt, ſi bovis caput alternatim & pomum ſub labio vaſis conſtituantur, ægre admodum decem e ſingulis collocari intra breve ſpatium decem cubitorum poſſe. Præſtat itaque Hebræum *Phekaim* exponere de ornamentis utcumque, quæ id generis operibus addi ſolebant; in Paralipomenis vero deſignari accuratius quæ potiſſimum ornamenta illa fuerint, indicatis bobus vel capitibus boum, niſi forte nomen *Phekaim* corruptam eſſe vocem maluetis, quæ irrepſerit in Textum pro *Bekarim*, quod boves ſonat.

℣. 25. SUPER DUODECIM BOVES. Suſtentabatur mare baſi ſua, quam nos cavam conſtituimus. Boves, de quibus hic, additi erant tantum ad ornamentum, utque tergo ſuo vaſtiſſimum hoc aquarum receptaculum ſuſtinerent. Ex Interpretibus quidam docent, inſertos fuiſſe ori boum ſiphunculos, unde in varios Sacerdotum uſus aqua educeretur: id vero incertiſſimum eſt. Crediderim potius, aquam delatam eſſe in labia e pede vaſis, ea vero labia aquam obtuliſſe Sacerdotibus, qua manus pedeſque abluerent. Joſephus (11) & Hebræi accuſant Salomonem criminis in legem, quod tauros hoſce Mari æneo ſubdiderit, atque hinc initium ejus a Religione defectionis ducunt, permittente Numine, ut deinceps etiam leonibus ſolium ornaret, ac denique Templa Numinibus profanis palam Jeroſolymis dedicarit. Sed figuras haſce boum Salomoni nunquam exprobrat Scriptura;

[1] Vide Jerem. LII. 23. [2] 2. Paral. IV. 5. *Capiebatque tria millia metretas*. Heb. *Bathos*. Bathus continet 29. pintas, cum dimidia, hemiſextario, & hac fractione pollicis $\frac{475158}{704969}$ [3] Grot. Jun. Piſc. Riber. Menoch. Sanct. [4] Villalpand. Alcaſar. Cornel. Mari. [5] M. le Pelletier dans les Melanges d'Hiſtoires tome 1. p. 115. [6] Strig. Oſiand. [7] Toſt. Cajet. Sanct. Menoch. Cornel. [8] Jun. Vat. Munſt. Pagnin. Caſtal. Malv. [9] ופקעים מתחת לשפתו סביב סבבים אתו עשר באמה [10] 2. Paral. IV. 3. ודמות בקרים תחת לו סביב סבבים אתו עשר באמה מקיפים את הים סביב שני טורים הבקר יצוקים [11] Joſeph. Antiq. lib. 8. c. 2. Πρὸ τούτου δὲ ἁμαρτεῖν αὐτὸν ἔτυχε καὶ σφαλῆναι περὶ τὴν φυλακὴν τῶν νομίμων, ὅτε τὰ τῶν χαλκῶν βοῶν ὁμοιώματα κατεσκεύασε τῷ ὑπὸ τῇ θαλάττῃ ἀναθήματι. Ita & Hebræi, & Grot. in 1. Paral. XXVIII. 17.

atque ita Deus excepit oblationes preceſque Salomonis in dedicatione Templi, ut ſatis demonſtrarit, muneri illum ſuo nihil deſuiſſe, neque a Numinis amicitia vel minimum excidiſſe.

℣. 26. GROSSITUDO LUTERIS TRIUM UNCIARUM ERAT. *Tres unciæ* æquant quartam pedis Romani partem; cum autem pes Romanus menſura ſit digitorum ſexdecim, tres unciæ reddent quatuor digitos, vel palmum, quæ genuina eſt ſignificatio vocis Hebrææ טפח *Tephach*. Id autem ad noſtras menſuras redactum, conficeret tres pollices & $\frac{17}{49}$.

QUASI LABIUM CALICIS, ET FOLIUM REPANDI LILII. Hæc erat figura labii maris ænei; expandebatur, atque exterius leniter ſeſe fundebat. Cenſuit Chaldæus, labium habuiſſe liliis ornatum. Hebræus legit (1): *Labium ejus ſecundum opus labii calicis floris lilii*. Quantæ eſſet capacitatis illud mare, diximus ſupra ℣. 23.

℣. 27. FECIT DECEM BASES ÆNEAS. Nomine *baſium* innuuntur hic baſes ſuſtinentes æneos luteres aqua plenos, in uſum Templi. Cubitis quatuor in longum, totidem in latum, ac tribus in profundum patebant. Fulciebantur rotis æneis, quibus trahi poſſent commode, & ad varia loca pro rerum opportunitate deduci.

℣. 28. IPSUM OPUS BASIUM INTERRASILE ERAT, ET SCULPTURÆ INTER JUNCTURAS. Hebræus hujus verſiculi eſt obſcuriſſimus. Ita reddi poteſt ad literam (2): *Baſes iſtæ clauſuras habebant, & clauſuræ iſtæ erant inter juncturas*. Hanc ſententiam nonniſi divinando elicimus. Ambages auget proxime ſequens verſiculus (3): *Et ſuper clauſuras, quæ erant inter juncturas, leones, bos, & Cherubim, & ſuper juncturas & infra*. Obſcuriſſimis hiſce verbis hunc ſenſum damus: Totum opus baſium claudebatur undique quatuor laminis æneis, corpus quoddam quadratum formantibus. Hæ vero in extrema ora ſibi invicem nectebantur, ut altera alteri veluti insereretur. Inſitiones ejuſmodi Textus appellat *juncturas*, & Interpretes quidam *ſcalas*; quod ſcilicet dentes alterius figerentur in altera, more graduum in ſcala. Imagines leonum, boum & Cherubim, ideſt, animalium monſtruoſorum, totum occupabant ſpatium inter eas juncturas, illarumque baſium quatuor facies perpetuis ornamentis tegebant. Neque deſunt qui credant, eaſdem figuras inſculptas fuiſſe non modo in medio laminarum, ſed & in juncturis.

Idem D. le Pelletier (4), ex quo dedimus deſcriptionem maris Salomonis, exhibet legenti ſub oculis totum hoc opus, quod hic narratur. Machinæ erant, inquit, tractoriæ, rotis quatuor inſtructæ, conſtanteſque e lutere quadrato, ornato baſibus, projecturis Doricis, & Cherubim anaglyphico opere inſculptis. Ad duas extremas oras luteris quædam erant veluti brachia, quibus tenerentur traherenturque, & gradus, ſive ſcabella, quorum ope pertingeretur ad vas quoddam erectum, poſitum ſuper quatuor Cherubim, ad os luteris. Venter vaſis parallelipedum erat duorum cubitorum in quadrum, cubito uno & dimidio editum, & ſex cubitos cubicos capiens. Collum vaſis cylindricum erat, unius cubiti diametro, & cubito uno pariter altum, duas tertias partes cubiti cubici continens. Totum vas continebat bathos XL. ideſt, modios quatuor, pintas unam ſupra quadraginta, pollices quadraginta cubicos & duas e tribus partibus, menſuræ Pariſienſis. Purus ibi latex ſervabatur, qui per diſpoſitos ſiphunculos eductus victimas eluebat; infectaque ſordibus & excrementis victimarum aqua in receptaculum inferius excipiebatur.

℣. 29. DESUPER ET SUBTER, LEONES ET BOVES, QUASI LORA EX ÆRE PENDENTIA. Figuras leonum, boum, & Cherubim non exhibebant modo laminæ illæ æreæ laterales, ſed & laminæ pariter labium ſuſtinentes. Erant ſculpturæ hujuſmodi *deſuper*, ideſt, in lamina ſuperiori cælatæ, & *inferius*, ideſt, ad latera, & forte etiam infra juncturas, & ſupra rotas; & præterea *quaſi lora ex ære pendentia*. Hebræus (5): *Lora opere deſcendente*, vel extenſo, malleo ducto. Inter Interpretes incerta adeo fertur ſignificatio vocum, quæ in his verſiculis leguntur, ut in unam ſententiam omnes conciliare, negotium maxime arduum ſit, ac ferme non ſuperandum. Omnium vero opiniones referre, ſupervacaneum videtur.

℣. 30. ET QUATUOR ROTÆ . . . ET PER QUATUOR PARTES, QUASI HUMERULI. Humerulis hiſce deſignari credimus ſimulacrum quoddam bovis vel leonis, ad ſingulos angulos ſuperiores conſtitutum, ut impoſitum luterum ſuſtineret (6). Forte etiam ſphærulæ erant ſolummodo, vel poma, vel ſimilis operis ornamenta, ſupra angulos baſium poſita. Hæc autem omnia, uti & rotæ, erant fuſilia.

℣. 31. OS QUOQUE LUTERIS INTRINSECUS ERAT IN CAPITIS SUMMITATE; ideſt in ſuperiore baſis parte cavum erat quoddam, in quo poſitus luter continebatur. Cavum hoc rotundum, cubitum habebat diametri, & cubitum cum dimidio profunditatis. Incruſtatum autem erat undique; alioqui cavus locus, pelvim hanc continens, cubitum habuiſſet diametri, & pelvis intra ipſum clauſa exceſſiſſet ejus altitudinem cubito, & ſemis. Vide ℣. 35. ubi nova lux loco huic affunditur.

IN ANGULIS COLUMNARUM VARIÆ CÆLATURÆ ERANT. De columnis hujus operis nihil huc uſque dictum eſt; credibile eſt autem nomine columnarum hic innui angulos baſis. Hi vero anguli ornabantur variis cælaturis, & laminæ, ex quibus componebantur baſis latera, *quadratæ erant, non rotundæ*. Ornamenta angulos vel juncturas tegentia non porrigebantur ad latera, neque impediebant quadratam illorum formam, cui ſua erant peculiaria ornamenta, ſuperius deſcripta.

℣. 32. QUATUOR ROTÆ COHÆREBANT SIBI SUBTER BASIM. Cave rotas illas credas ſibi cohærentes, & implicatas; alioquin altera alteram impediente, hæſiſſent immobiles, uſibus ſuis ineptæ. Hebræus legit (7): *Quatuor rotæ erant ſub angulis*, vel juncturis, *& manus* [axes] *rotarum infra baſim*. Ita rotæ a reliquo baſis corpore expeditæ, ſuum uſum habebant liberum, quemadmodum in plauſtris. Axis latens ſub baſi, exterius non apparebat; unicus autem duplicem rotam ferebat, atque in hunc ſenſum veriſſime dicitur: *Rotæ cohærebant ſibi*.

℣. 35. IN SUMMITATE BASIS ERAT QUÆDAM ROTUNDITAS DIMIDII CUBITI, UT LUTER DESUPER POSSET IMPONI. Repetitio ſunt hæc verſiculi 31. ubi profunditas hujus cavi continentis pelvim, unius cubiti & ſemis aſſignata eſt, minime tamen excluſo repando hoc labio ſuperiore, dimidium cubitum dimetienti, quamquam hoc non exprimitur ℣. 31.

℣. 36. SCULPSIT QUOQUE IN TABULATIS IPSIS, QUÆ ERANT EX ÆRE, ET IN ANGULIS, CHERUBIM, ET LEONES, ET PALMAS. Eadem hic repetuntur, quæ ſupra in verſiculis 28. 29. Adduntur *palmæ*, vel figuræ palmarum, ſuperius omiſſæ, ac viciſſim omittuntur imagines boum, ſuperius expreſſæ. Laminæ, & juncturæ baſium diſtinguebantur ornamentis futilibus, & opere ſculptili vel ſaltem anaglyphico exhibentibus leones, Cherubim, palmas, & boves.

QUASI IN SIMILITUDINEM HOMINIS STANTIS. Tamquam homo ſtans, tamquam ſtatua prominens & expe-

---

[1] שפתו כמעשה שפת כוס פרח שושן

[2] מסגרות להם ומסגרות בין השלבים

[3] ועל המסגרות אשר בין השלבים אריות בקר וכרובים : ועל השלבים כן ממעל ומתחת לאריות

[4] Melanges d'Hiſtoires tome 1. p. 119.

[5] לויות מעשה מורד

[6] מתחת לכיר

[7] וארבעת האופנים למתחת למסגרות וידות האופנים במכונה

expedita, & non tamquam imago quædam picta, vel cælatum aliquid. Reddi poteſt Hebræus (1): *Secundum nuditatem hominis*, vel, *unumquodque in nuditate ſua*; nativa imagine ſingula, leo, bos, Cherubim, ut ſtatum corporis, & naturalem figuram unumquodque referret. Hoc autem eo recidit, ut exprimat: Singula ſculptura integra expreſſa.

Ỳ. 38. Decem luteres æneos, imponendos baſibus deſcriptis ſupra a Ỳ. 27. Luteres ejuſmodi capiebant quadraginta bathos; eſt autem bathus menſura novem & viginti pintarum cum dimidia, hemiſextario, octava pintæ parte, & amplius aliquanto. Singulis hiſce pelvibus quatuor erant cubiti, profunditatis ne an diametri, non ſatis diſtinguit Scriptura. Cavum illud, in quo continebantur, unum diametri cubitum habuiſſe ſupra animadvertit. Itaque his luteribus figura tribuenda eſt eadem ferme ac tympano, ideſt, hemiſphærica.

Ỳ. 39. Quinque ad dexteram partem Templi, et quinque ad sinistram: Mare autem posuit ad dexteram partem Templi. Dextera apud Hebræos uſurpari ſolet pro meridie, ſiniſtra pro ſeptentrione, juxta ſtatum hominis ad Orientem verſi. Quinque igitur luteres cum baſibus ſuis ſtatuit ad ſeptentrionem aditus Templi, non intra Sacrum locum, neque in veſtibulo, ſed inter Templum & Altare holocauſtorum, in atrio Sacerdotum, quod & atrium interius appellabatur. Deſtinabantur hæc labia in uſum lavandi victimas in holocauſtum offerendas (2), cultros, & alia inſtrumenta, quorum erat uſus in Sacrificiis; uti & purgandi partes victimarum, ut coquerentur quæ elixatæ comedendæ erant. Sacerdotes in mari æneo lavabantur. Vino abſtinebant in Templo, ſed in uſum potus habebant facile aquas fontis, vel ciſternæ, utpote frigidiores, quam quæ in luteribus continebantur.

Habebant Pagani ante januas Templorum ſuorum poſitam aquam luſtralem ad eluendas manus, ut puri ad Sacrificia accederent. Satis erat interdum aſpergere adſtantes madido lauri, vel oleæ ramo (3).

Spargit & ipſe ſuos lauro rorante capillos,
Incipit & ſolita fundere voce preces.

Virgilius (4).

Idem ter ſocios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.

Luſtrationibus hiſce ſacrum apud Judæos ritum imitari voluiſſe Dæmonem, aſſerit S. Juſtinus Martyr Apologia II. Chriſtiani vero ab ejuſmodi profanis ſuperſtitionibus adeo abhorrebant, ut memoriæ proditum ſit (5), Valentinianum, antequam ad Imperium eveheretur, cum forte ſemel in delubrum quoddam cum Imperatore veniſſet, una cum ſociis cæteris luſtrali aqua a Sacerdote aſperſum, ægre adeo caſum tuliſſe, ut offenſionem ſuam duris ad Sacerdotem Idolatram increpationibus ſignificarit; quin & inquinatam aquæ illius contactu veſtium partem, ſtatim abſciderit. Verum ſucceſſu temporis operæ pretium viſum eſt, morem hunc ſuperſtitionibus profanis purgatum conſecrare, atque in ſacrum Chriſtianorum ritum convertere. Hinc vaſa puro latice plena in aditu Templorum noſtrorum conſtituta ſunt, ut aqua illa Chriſtiani os & oculos lavent: fontes etiam in eum uſum, ſi fieri poſſet, eo deducebantur. Denique mos invaluit, ut ante ſolemne officium luſtrali aqua aſpergantur qui adſunt, ut intelligant quanta animi munditie ad preces & Sacrificium accedendum ſit.

Mare autem posuit ad dexteram partem Templi, contra Orientem ad meridiem. Ideſt, ad Orientem labiorum, quæ ad meridiem Templi erant. Mare æneum ad Orientem, & ad Altare propius accedebat, quam quinque luteres ejus partis. Sanctius, & Menochius collocant mare æneum ad portam Orientalem atrii Sacerdotum, ad meridiem portæ ingreſſus, ut ſcilicet ingredientibus in Templum Sacerdotibus præſto eſſet aqua ad lavandum.

Ỳ. 40. Lebetes, et scutras, et hamulas. Latinum *ſcutra* derivatur e *ſcuto*, quod utrique perſimilis ſit figura. *Scutella* diminutivum eſt e *ſcutra*. Docent Grammatici, ſcutram vas eſſe æneum, ſuperius apertum, cujus fundus tam late patet, quam os. *Hamula*, vel *Amula* genus eſt pelvis, cujus olim erat uſus ob continendam in luſtrationibus, & expiationibus aquam. Columella.

Aut habilem limphis hamulam Bacchove lagenam.

Voces Originales (6) in Exodo (7) pariter leguntur; ubi & demonſtrare conati ſumus, iis deſignari ahenos, batilla focaria, pateras, vel ſcyphos, ad excipiendum ſundendumque ſanguinem victimarum. Docent Hebræi, inter vaſa ejuſdem generis tria ſaltem præſto fuiſſe, ut ſi unum forte ex illis pollueretur, ſtatim alterum ſubſtitui poſſet.

Ỳ. 41. Funiculos capitellorum . . . . duos et retiacula duo ut operirent duos funiculos, qui erant super capita columnarum. Nunquam huc uſque ſermo incidit *de funiculis capitellorum columnarum*; & voces Textus Hebræi (8) deſignant tantum *rotunditatem capitellorum*, vel ipſa forte capitella, rotundæ, ut alibi demonſtratum eſt, figuræ. Duobus retiaculis tegebatur rotundum illud capitellum, iiſque totum undique ambiebatur, Ita Textus ad literam: *Fecit columnas duas, & capitella rotunda, quæ erant ſuper capita columnarum, & retiacula duo ad operiendum duo hæc capitella.*

Ỳ. 42. Et malogranata quadraginta in duobus retiaculis, &c. Textus ad literam ita redditur (9): *Malogranata quadringenta duobus retiaculis, duo ordines malogranatorum retiaculo uni ad operiendum duo vaſa rotunda*, vel globos, *quæ erant ſuper columnas*, Repetitio eſt eorum, quæ antea expoſita ſunt in verſiculis 16. 17. 18. 19. 20. Negotium faceſſit, quod eædem Textus voces non ſemper iiſdem Latinis vocibus in Vulgata redditæ ſunt.

Ỳ. 45. De aurichalco erant. Aurichalcum apud Latinos eſt æris genus, admixtum aurum continens. Sed ex Plinio (10) diſcimus, genuinum *aurichalcum*, vel *orichalcum* erui e fodinis purum, pluriſque quam optimum quodcumque æs haberi. Hebræus fert נחשת ממרט, *ære terſo*, mundo, purgato.

Ỳ. 46. Inter Sochoth, et Sarthan. Urbes haſce alii cis, alii trans amnem conſtituunt. Sed pleriſque Sochoth eſt ad Orientem, & Sarthan ad Occidentem amnis, prope Bethſan; idque nobis tamquam certum probatur (11).

Ỳ. 48. Altare aureum et mensam, super quam proponerentur panes propositionis. Cenſent quidam (12), idem eſſe Altare, de quo actum eſt ſupra VI. 20. 21. & Salomoni abs re viſum fuiſſe uti

[1] כמער איש וליות סביב [2] Vide 2. Paral. 14. 6. *Ut lavarent in eis omnia quæ in holocauſtum oblaturi erant.* Porro in mari Sacerdotes lavabantur. Joſeph. Antiq. l. 8. c. 2. Τὰς δὲ λεκάνας εἰς τὸ κλύζειν τὰ ἔντερα τῶν ὁλοκαυτουμένων ζώων, καὶ τοὺς πόδας αὐτῶν. [3] Ovid. faſt. l. 5. [4] Virgil. Æneid. 6. Vide Spencer. de Legib. Heb. Ritual. Diſſert. 3. de Luſtrat. & Purificat. &c. [5] Sozom. lib. 6. hiſt. c. 6. [6] הכירות ואת היעים ואת המזרקות. In Exodo legitur הסירות יעים מזרקות; ſed סירות idem ſignificat ac כירות [7] Exod. XXVII. 3. היעים Aqu. Sym. ἀγκεῖα, *ſcopas*. Septuag. θυμιατήρια, *ignitabula*. [8] גלות הכתרות אשר על ראש העמודים [9] ואת הרמנים ארבע מאות לשתי השבכות שני טורים רמנים לשבכה האחת לכסות את שתי גלות הכתרות וגו׳ [10] Plin. lib. 34. c. 2. [11] Vide 3. Reg. IV. 12. [12] Lyran. Menoch. Jun. alii paſſim.

uti Altari e lignis Setim, aureiſque laminis tecto, quod Moyſes paraverat, quare novum condi juſſiſſe e lignis cedrinis, aureiſque laminis obductum. Nobis tamen ſatius videtur diſtinguere Altare aureum capitis præcedentis, ℣. 20. 22. ab Altari thymiamatis; in quam ſententiam nos Scriptura non ambiguo calle perducit. Nec tamen aſſerimus, Altare aureum, de quo hic, aliud eſſe ab Altari Thymiamatis. Credibile eſt, anguſtiora viſa eſſe Salomoni Altare thymiamatis & menſam panum propoſitionis Moſaicam, quam Templi a ſe conditi majeſtas pateretur. Quare illa ſepoſuit in ærario Templi, ſiqua fides Rabbinis. Sermo eſt in 2. Paralip. IV. 8. de decem menſis aureis a Salomone in Sancto, alterno ordine cum ſingulis candelabris, conſtitutis.

℣. 49. Candelabra aurea quinque ad dexteram, et quinque ad sinistram contra oraculum. Unicum tantummodo aureum candelabrum Moyſes in Templo conſtituit; Salomon ejuſdem metalli atque figuræ ac Moſaicum, decem poſuit. Candelabri deſcriptionem habes in Exodo XXV. 31. Lucernarum fumus efferebatur per feneſtras, non vitreas, ſed clatbratas.

℣. 50. Hydrias, et fuscinulas, et phialas, et mortariola, et thuribula. Textus Hebræus (1) varie redditur: *Scyphos*, vel catinos, vaſa ad continendos liquores, *inſtrumenta muſica*, vel cultros, novaculas, emunctoria; *pateras*, vaſa potatoria, & ad libationes, *cochlearia*, vel batilla focaria; *thuribula*, vel ignitabula.

Cardines ostiorum. De certa ſignificatione vocum originalium (2) non ſatis convenit inter Interpretes. Cenſet Villalpandus, verbis hiſce innui non cardines, quales pro noſtro more, ſed ornamenta quædam, cardines poſtium inferius & ſuperius retinentia. Malunt alii accipere de verſatilibus cardinibus, ſuper quos veluti axes vertuntur fores, vel de ferramentis omnibus ad claudendas fores & recludendas.

Grandia hæc, quæ de Templi divitiis animadvertimus, minora ſunt illis, quæ Joſephus exaggerat (3). Præter auream menſam, ait, in qua proponebantur ſacri panes, decies mille minores erant, impoſita ſuſtinentes vaſa, uti lances & pateras, ex auro quidem viceſies mille, argenteas vero quadragies mille. Addidit decies mille aurea candelabra, e quibus unum in Sancto conſtituit; cantharorum vinariorum octoginta millia: phialas aureas centies mille, ducenties argenteas; craterarum, in quibus ſubigebatur ſimila oleo perfuſa, ſexagies mille aurearum, & bis totidem argentearum. Menſurarum vero, quales Moyſi *hin* vocantur, & aſſaron, aurearum erant viginti millia, & duplicatus numerus argentearum. Acerræ quoque aureæ, quibus odoramenta in templum inferri ſolent, erant numero viginti millia; & quinquaginta millia, quibus deferebatur ignis ab altari holocauſtorum ad altare aureum. Ex ornamentis ſummi Sacerdotis, uti tunicis, Ephod, Rationali, cæteriſque eorum adjunctis, mille; pro vulgaribus Sacerdotibus tunicas byſſinas decies mille, totidemque purpureas zonas. Ducenties millenas tubas, quales Moyſes præſcripſit; totidem veſtes byſſinas pro cantoribus & Levitis. Quadringenta millia muſicorum inſtrumentorum ex *electro*, metalli genere apud Veteres pretioſo. Hæc de Salomonis magnificentia Joſephus.

His additur, ſi forte contingeret, ut vas quoddam aureum vel argenteum corrumperetur vel frangeretur, novum ſtatim conflandum fuiſſe. Si e Sacerdotalibus veſtibus quidpiam fuiſſet ſeu diſciſſum, ſeu leviori etiam macula inquinatum, nefas veſtem illam vel ſarcire vel lavare, ut in uſum iterum adhiberetur; ſed ſtatim nova alia ſubſtituebatur, & ex veteribus ellychinia pro lucernis conficiebantur. Laminæ aureæ, quibus interior Templi facies incruſtabatur, ducendæ erant craſſitie ſaltem trium ducatorum.

Exaggerant hæc enim Rabbini, comminiſcentes miracula quædam perpetua, quæ veteris Templi gloriam magis magiſque commendaſſe affirmant. Dena enumerant. I. Nunquam accidit, ut mulier gravida, quæ Templum petierit, fœtum immaturum ediderit, quod ſcilicet nidorem carnium ſacrificii ſenſerit; nullamque ejus carnis particula unquam ſaniem contraxit. II. Nulla unquam muſca carnes immolatas victimarum tetigit. III. Nox præcedens Feſto expiationis nunquam intulit ſummo Sacerdoti aliquid inauſpicatum, quale indicatur in Levitico (4) & in Deuteronomio (5), quo a ſacro Templi miniſterio removeretur. IV. Ignis Altaris, quamquam ſub dio & injuriis aeris expoſitus, nullo unquam imbre extinctus eſt. V. Validus licet flaret ventus, nunquam tamen ſublatus ex igne altaris fumus turbatus eſt, rectus enim ſemper veluti columna nubis ſeſe efferebat in Cœlum. VI. VII. VIII. Nihil indecorum accidit unquam ſive in menſura novi hordei oblati in Templo altera die Paſchatis, ſive in duplici pane fermentato, ex farina novi frumenti confecto, oblatoque in Templo die ſolemni Pentecoſtes, vel denique in panibus propoſitionis ſuper altare aureum poſitis. Hæc omnia ad certum tempus ſemper parata erant, nec tactu reptilis alicujus immundi unquam contaminata ſunt. IX. Iſraelitæ, frequentes licet numero, commode tamen omnes excipiebantur atrio ſibi deſtinato, tunc pariter, cum ſe humi ſternebant, ubi ſatis erat omnibus ſpatii, ut alter alterum non impediret. X. Nemo unquam Jeroſolymæ læſus eſt morſu anguis vel belluæ alicujus venenatæ, nemo ibi unquam domicilio caruit.

Moleſtum eſſet omnia accurate perſequi, quæ de miniſtris Templi comminiſcuntur Judæi. Illud tantummodo non præteribimus: Quamquam juge ſacrificium & thymiama quotidie offerebatur, tam multi tamen ſuppetebant Sacerdotes, ut nemo unquam Pontifex bis miniſtrare debuerit. Nemini cuicumque licebat pluſquam ſemel in omni vita thymiama offerre. Excubiis Templi vigilabant ſingulis noctibus ducenti quadraginta, tum Sacerdotes tum Levitæ. Tanta erat erga ſanctum hunc locum religio, ut nemini fas eſſet ſcipionem tenenti, calceato, pedibus pulvere inquinatis, vel argenti aliquid ſive in zona ſive alibi gerenti, ſolum hujus montis contingere. Per unam portam ingredi & per aliam egredi, ob itineris compendium, audebat nemo. Quacumque autem ex porta ingrederetur quis in locum ſanctum, gradiendum illi erat gravi paſſu, & ad dexteram ad locum uſque ſibi permiſſum incedendum; anathemate vero inuſtis & luctum agentibus, incedendum erat ad ſiniſtram, ut agnoſcerentur. Excreare in Templo nefas: quicumque egrediebantur, Sacerdotes, Levitæ, & e populo reliqui, nunquam terga Templo vertebant, ſed capite ad latus inclinato, incurvo corpore, recipiebant ſeſe religioſe, gradientes retrorſum, donec e loco ſancto pedem efferrent.

---

[1] הספות והמזמרות והמזרקות והכפות והמחתות [2] והפתות לדלתות [3] Antiqu. l. 8. c. 2.
[4] Levit. xv. 16. *Vir de quo egreditur ſemen coitus, &c.*
[5] Deut. xxiii. 10. *Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus ſit ſomnio, egredietur extra caſtra.*

C A-

CAPUT VIII.

Dedicatio Templi Jeroſolymitani. Salomon poſt prolixas preces, benedictionem populo impartitur. Numerus hoſtiarum per eam ſolemnitatem cæſarum.

℣. 1. TUnc congregati ſunt omnes majores natu Iſrael cum principibus tribuum A. M. 3001. ante J. Chr.
& duces familiarum filiorum Iſrael, ad regem Salomonem in Jeruſalem, 1003.
ut deferrent arcam fœderis Domini de civitate David, id eſt, de Sion. 2. Conve-
nitque ad regem Salomonem univerſus Iſrael in menſe Ethanim, in ſolemni die,
ipſe eſt menſis ſeptimus. 3. Veneruntque cuncti ſenes de Iſrael, & tulerunt arcam
ſacerdotes. 4. Et portaverunt arcam Domini, & tabernaculum fœderis, & omnia
vaſa Sanctuarii, quæ erant in tabernaculo: & ferebant ea ſacerdotes, & Levitæ. 5.
Rex autem Salomon, & omnis multitudo Iſrael, quæ convenerat ad eum, gradieba-
tur cum illo ante arcam, & immolabant oves, & boves abſque æſtimatione, & nu-
mero. 6. Et intulerunt ſacerdotes arcam fœderis Domini in locum ſuum, in oracu-
lum templi, in Sanctum ſanctorum, ſubter alas cherubim. 7. Si quidem Cherubim
expandebant alas ſuper locum arcæ, & protegebant arcam, & vectes ejus deſuper.
8. Cumque eminerent vectes, & apparerent ſummitates eorum foris Sanctuarium an-
te oraculum, non apparebant ultra extrinſecus, qui & fuerunt ibi uſque in præſen-
tem diem. 9. In arca autem non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſue-
rat in ea Moyſes in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Iſrael, cum
egrederentur de terra Ægypti. 10. Factum eſt autem, cum exiſſent ſacerdotes de
Sanctuario, nebula implevit domum Domini, 11. Et non poterant ſacerdotes ſtare,
& miniſtrare propter nebulam: impleverat enim gloria Domini domum Domini. 12.
Tunc ait Salomon: Dominus dixit, ut habitaret in nebula. 13. Ædificans ædificavi
domum in habitaculum tuum, firmiſſimum ſolium tuum in ſempiternum. 14. Con-
vertitque rex faciem ſuam, & benedixit omni eccleſiæ Iſrael: omnis enim eccleſia
Iſrael ſtabat. 15. Et ait Salomon: Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui locutus eſt
ore ſuo ad David patrem meum, & in manibus ejus perſecit, dicens: 16. A die,
qua eduxi populum meum Iſrael de Ægypto non elegi civitatem de univerſis tribu-
bus Iſrael, ut ædificaretur domus, & eſſet nomen meum ibi: ſed elegi David, ut
eſſet ſuper populum meum Iſrael. 17. Voluitque David pater meus ædificare do-
mum nomini Dei Iſrael. 18. Et ait Dominus ad David patrem meum: Quod co-
gitaſti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene feciſti, hoc ipſum mente tra-
ctans. 19. Verumtamen tu non ædificabis mihi domum, ſed filius tuus, qui egre-
dietur de renibus tuis, ipſe ædificabit domum nomini meo. 20. Confirmavit Domi-
nus ſermonem ſuum, quem locutus eſt: ſtetique pro David patre meo, & ſedi ſuper
thronum Iſrael, ſicut locutus eſt Dominus: & ædificavi domum nomini Domini Dei
Iſrael. 21. Et conſtitui ibi locum arcæ, in qua fœdus Domini eſt, quod percuſſit
cum patribus noſtris, quando egreſſi ſunt de terra Ægypti. 22. Stetit autem Salo-
mon ante altare Domini in conſpectu eccleſiæ Iſrael, & expandit manus ſuas in cœ-
lum, 23. Et ait: Domine Deus Iſrael, non eſt ſimilis tui, Deus, in cœlo deſuper,
& ſuper terram deorſum: qui cuſtodis pactum, & miſericordiam ſervis tuis, qui am-
bulant coram te in toto corde ſuo. 24. Qui cuſtodiſti ſervo tuo David patri meo,
quæ locutus es ei: ore locutus es, & manibus perſeciſti, ut hæc dies probat. 25.
Nunc igitur, Domine Deus Iſrael, conſerva ſamulo tuo David patri meo, quæ lo-
cutus es ei, dicens: Non auferetur de te vir coram me, qui ſedeat ſuper thronum Iſ-
rael: ita tamen ſi cuſtodierint filii tui viam ſuam, ut ambulent coram me, ſicut tu
ambulaſti in conſpectu meo. 26. Et nunc, Domine Deus Iſrael firmentur verba tua,
quæ locutus es ſervo tuo David patri meo. 27. Ergone putandum eſt, quod vere
Deus habitet ſuper terram? ſi enim cœlum, & cœli cœlorum te capere non poſ-
ſunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi? 28. Sed reſpice ad orationem ſer-
vi tui, & ad preces ejus, Domine Deus meus: audi hymnum, & orationem, quam
ſervus tuus orat coram te hodie: 29. Ut ſint oculi tui aperti ſuper domum hanc no-
cte, ac die: ſuper domum, de qua dixiſti: Erit nomen meum ibi: ut exaudias ora-

tio-

tionem, quam orat in loco iſto ad te ſervus tuus. 30. Ut exaudias deprecationem ſervi tui, & populi tui Iſrael, quodcumque oraverint in loco iſto: & exaudies in loco habitaculi tui in cœlo, & cum exaudieris, propitius eris. 31. Si peccaverit homo in proximum ſuum, & habuerit aliquod juramentum, quo teneatur adſtrictus, & venerit propter juramentum coram altari tuo in domum tuam, 32. Tu exaudies in cœlo, & facies, & judicabis ſervos tuos, condemnans impium, & reddens viam ſuam ſuper caput ejus, juſtificanſque juſtum, & retribuens ei ſecundum juſtitiam ſuam. 33. Si fugerit populus tuus Iſrael inimicos ſuos (quia peccaturus eſt tibi) & agentes pœnitentiam, & confitentes nomini tuo venerint, & oraverint, & deprecati te fuerint in domo hac; 34. Exaudi in cœlo, & dimitte peccatum populi tui Iſrael, & reduces eos in terram, quam dediſti patribus eorum. 35. Si clauſum fuerit cœlum, & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco iſto, pœnitentiam egerint nomini tuo, & a peccatis ſuis converſi fuerint propter afflictionem ſuam: 36. Exaudi eos in cœlo, & dimitte peccata ſervorum tuorum, & populi tui Iſrael: & oſtende eis viam bonam, per quam ambulent, & da pluviam ſuper terram tuam, quam dediſti populo tuo in poſſeſſionem. 37. Fames ſi oborta fuerit in terra, aut peſtilentia, aut corruptus aer, aut ærugo, aut locuſta, vel rubigo, & afflixerit eum inimicus ejus portas obſidens, omnis plaga, univerſa infirmitas, 38. Cuncta devoratio, & imprecatio, quæ acciderit omni homini de populo tuo Iſrael: ſi quis cognoverit plagam cordis ſui, & expanderit manus ſuas in domo hac, 39. Tu exaudies in cœlo in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies, ut des unicuique ſecundum omnes vias ſuas, ſicut videris cor ejus (quia tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum;) 40. Ut timeant te cunctis diebus, quibus vivunt ſuper faciem terræ, quam dediſti patribus noſtris. 41. Inſuper & alienigena, qui non eſt de populo tuo Iſrael, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis, & brachium tuum. 42. Extentum, ubique) cum venerit ergo, & oraverit in hoc loco, 43. Tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena: ut diſcant univerſi populi terrarum nomen tuum timere, ſicut populus tuus Iſrael, & probent, quia nomen tuum invocatum eſt ſuper domum hanc, quam ædificavi. 44. Si egreſſus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos ſuos, per viam, quocumque miſeris eos, orabunt te contra viam civitatis, quam elegiſti, & contra domum, quam ædificavi nomini tuo. 45. Et exaudies in cœlo orationes eorum, & preces eorum, & facies judicium eorum: 46. Quod ſi peccaverint tibi (non eſt enim homo, qui non peccet) & iratus tradideris eos inimicis ſuis, & captivi ducti fuerint in terram inimicorum longe, vel prope, 47. Et egerint pœnitentiam in corde ſuo in loco captivitatis: & converſi deprecati te fuerint in captivitate ſua, dicentes: Peccavimus, inique egimus, impie geſſimus: 48. Et reverſi fuerint ad te in univerſo corde ſuo, & tota anima ſua, in terra inimicorum ſuorum, ad quam captivi ducti fuerint: & oraverint te contra viam terræ ſuæ, quam dediſti patribus eorum, & civitatis, quam elegiſti, & templi, quod ædificavi nomini tuo: 49. Exaudies in cœlo, in firmamento ſolii tui, orationes eorum, & preces eorum, & facies judicium eorum. 50. Et propitiaberis populo tuo, qui peccavit tibi, & omnibus iniquitatibus eorum, quibus prævaricati ſunt in te: & dabis miſericordiam coram eis, qui eos captivos habuerint, ut miſereantur eis. 51. Populus enim tuus eſt, & hæreditas tua, quos eduxiſti de terra Ægypti, de medio fornacis ferreæ. 52. Ut ſint oculi tui aperti ad deprecationem ſervi tui, & populi tui Iſrael, & exaudies eos in univerſis, pro quibus invocaverint te. 53. Tu enim ſeparaſti eos tibi in hæreditatem de univerſis populis terræ, ſicut locutus es per Moyſen ſervum tuum, quando eduxiſti patres noſtros de Ægypto, Domine Deus. 54. Factum eſt autem, cum compleſſet Salomon orans Dominum omnem orationem, & deprecationem hanc, ſurrexit de conſpectu altaris Domini: utrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cœlum, 55. Stetit ergo, & benedixit omni eccleſiæ Iſrael voce magna, dicens: 56. Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo ſuo Iſrael, juxta omnia, quæ locutus eſt: non cecidit ne unus quidem ſermo, ex omnibus bonis, quæ locutus eſt per Moyſen ſervum ſuum. 57. Sit Dominus Deus noſter nobiſcum, ſicut fuit cum patribus noſtris, non derelinquens nos, neque projiciens. 58. Sed inclinet corda noſtra ad ſe, ut ambulemus in univerſis viis

ejus,

Digitized by Google

ejus, & cuſtodiamus mandata ejus, & cæremonias ejus, & judicia, quæcumque mandavit patribus noſtris.
59. Et ſint ſermones mei iſti, quibus deprecatus ſum coram Domino, appropinquantes Domino Deo noſtro die, ac nocte, ut faciat judicium cum ſervo ſuo, & populo ſuo Iſrael per ſingulos dies.
60. Ut ſciant omnes populi terræ, quia Dominus ipſe eſt Deus, & non eſt ultra abſque eo.
61. Sit quoque cor noſtrum perfectum cum Domino Deo noſtro, ut ambulemus in decretis ejus, & cuſtodiamus mandata ejus, ſicut & hodie.
62. Igitur rex, & omnis Iſrael cum eo, immolabant victimas coram Domino.
63. Mactavitque Salomon hoſtias pacificas, quas immolavit Domino, boum viginti duo millia, & ovium centum viginti millia: & dedicaverunt templum Domini rex, & filii Iſrael.
64. In die illa ſanctificavit rex medium atrii, quod erat ante domum Domini: fecit quippe holocauſtum ibi, & ſacrificium, & adipem pacificorum; quoniam altare æreum, quod erat coram Domino, minus erat, & capere non poterat holocauſtum, & ſacrificium, & adipem pacificorum.
65. Fecit ergo Salomon in tempore illo feſtivitatem celebrem, & omnis Iſrael cum eo, multitudo magna ab introitu Emath uſque ad rivum Ægypti, coram Domino Deo noſtro, ſeptem diebus, & ſeptem diebus, id eſt, quatuordecim diebus.
66. Et in die octava dimiſit populos, qui benedicentes regi, profecti ſunt in tabernacula ſua lætantes, & alacri corde ſuper omnibus bonis, quæ fecerat Dominus David ſervo ſuo, & Iſrael populo ſuo.

℣. 2. IN MENSE ETHANIM, IN SOLEMNI DIE. Ad Feſtum ſcilicet Tabernaculorum (1), quod ſeptimo menſe anni ſancti celebratur: primus autem eſt menſis anni civilis, reſpondetque partim Octobri, partim Novembri anni noſtratis. Primam diem dicati Templi ſtatuit Uſſerius feriam ſextam die trigeſima Octobris, quæ cum octava ſeptimi menſis componebatur. Populus autem perſeveravit Jeroſolymis ab ea die uſque ad vigeſimam tertiam menſis ejuſdem. Dati ſunt autem Feſto Dedicationis Templi dies ſeptem, incidit-que interim Feſtum Expiationis ſolemnis, quod tunc feria ſecunda, die prima Novembris, celebratum eſt. Denique peracto feſto dedicatioois, feria quinta, die quinta Novembris, & quinta decima ſeptimi menſis, cœptum eſt Feſtum Tabernaculorum, quod ad ſeptem pariter dies prorogatum eſt, ſcilicet a feria ſexta, die ſexta Novembris uſque ad feriam ſextam, & decimam tertiam menſis ejuſdem. Altera die, vigeſima ſecunda ſeptimi menſis, ad veſperum, paulo aote exitum Sabbati, Rex Salomon populi conventum dimiſit, reditum ad ſuos ſingulis permirrens. Quare ſuccedenti die, vigeſima tertia ſeptimi menſis, quiſque domum regreſſus eſt. Annus idem Jubilæo & quieti ſacer erat. Optimo autem conſilio Salomon eo uſque diſtulerat Templi dedicationem, ut populo per otium liceret conventui huic diuturno adeo & celebri intereſſe. Quin & amota etiam Templi dedicatione, jubebantur ſinguli legis præcepto convenire ad locum, quem ſibi Dominus elegerat, ut Expiationem ſolemnem, & Feſtum Tabernaculorum celebrarent.

℣. 3. TULERUNT ARCAM SACERDOTES; extulerunt ſcilicet e Tabernaculo, quod David in urbe Sion vel in eivitate David erexerat (2). Piæ autem ſarcinæ tunc humeros ſuppoſuerunt Sacerdotes, quod facile nuda deferenda eſſet; quod ab illis etiam præſtitum fuerat in vado Jordanis, & in circuitu mœnium Jeriehuntis, ac denique in pompa Arcæ in civitatem Davidis translatæ. Sed in deſerto, cum velaminibus Tabernaculi obvoluta deferebatur, id muneris committebatur Levitis. Legimus quidem in II. Paralipom. ℣. 5. *Portaverunt Levitæ Arcam*. Atqui nonne ex Levitico genere Sacerdotes erant? Nonne pariter hic locus vagum & genericum Textum Paralipomenon determinat?

℣. 4. ET TABERNACULUM FŒDERIS, vel tentorium Arcam continens. Duo tunc erant Tabernacula, alterum quidem Gabaone, ubi Arca aliquamdiu ſteterat, & ubi pariter altare holocauſtorum erat; alterum vero in Civitate David, ubi pius ille Rex Arcam depoſuerat, donec Templum conderetur. Non ſatis convenit inter Commentariorum Scriptores, utrum ex hiſce Tabernaculis tranſlatum ſit, neque quo conſilio illuc tranſlatum fuerit, nulli uſui futurum. Ajunt aliqui (3), utrumque Tabernaculum tum Gabaonis, tum civitatis David fuiſſe tranſlatum, ut iis amotis, omnis pariter Idololatriæ & ſuperſtitioois occaſio tolleretur, cogerenturque Iſraelitæ omnes ad unum & eumdem locum adoraturos venire. Plerique tamen (4) perſuaſum tenent, agere hic Scripturam de tranſlatione veri Tabernaculi fœderis a Moyſe erecti, quod diu Gabaone ſedit. Nomen *Tabernacali Fœderis* huic tantum plene congruit; quod enim tentorium David in domo ſua paraverat, ut Arcam Domini contineret, verum Tabernaculum non erat, ſed potius ſedes ad tempus parata. Arca ibi erat ſub pellibus (5), ſub teutorio utcumque erecto in Aula Regiæ domus, cujus obſequio noluit Salomon uxorem ſuam, filiam Pharaonis, ibi excipere (6): *Non habitabit uxor mea in Domo David Regis Iſrael, eo quod ſanctificata ſit, quia ingreſſa eſt in eam Arca Domini*.

Viciſſim autem Tabernaculum fœderis ita erectum ſtabat Gabaone, ut olim in deſerto, idemque penitus erat ac vetus illud; eadem velamina, eadem Altaria, Moyſis opus; vel ſaltem ad normam Moſaicorum omnia conſtabant; & ad priorum exemplar omnia reparata fuerant: vix enim credimus fieri potuiſſe, ut Moſaica illa adhuc perſeverarent. Singularis autem religio erga illa ſemper fuit, atque inter omnia ſacra per Iſraelem loca, ſingularis ſemper fuit Gabaonis, dum ibi Tabernaculum manſit, veneratio (7). Igitur Tabernaculum religioſe conſervatum eſt in ærario Templi, uſque ad captam urbem a Chaldæis.

---

[1] Joſeph. Antiqu. l. 8. c. 2. Συνῆλθον εἰς τὸν κατὰ γένος, καὶ ὁ τῆς σκηνοπηγίας καιρὸς, ἑορτῆς σφόδρα παρὰ τοῖς Ἑβραίοις ἁγιωτάτης καὶ μεγίστης. [2] Vide ℣. 1. hujus capitis: *Ut deferrent Arcam Domini, de civitate David*, id eſt, *de Sion*. [3] Cajetan. Cornel. [4] Joſeph. lib. 8. Antiqu. c. 2. Ribera, Serar. Toſt. Sanct. Tir. Jun. &c. [5] 2. Reg. VII. 2. *Vides quod ego habitem in domo cedrina, & Arca Dei poſita ſit in medio pellium*. [6] 2. Par. VIII. 11. [7] 3. Reg. III. 4. *Hoc quippe erat excelſum maximum*.

Digitized by Google

dæis. Tunc Jeremias a Deo monitus, ut ſacrorum ejuſmodi monumentorum profanationem impediret, ſumpto Tabernaculo, ideſt tentoriis Tabernaculi, intulit illa, una cum Arca Domini & Altari thymiamatis (1), in abditum quemdam ſpecum, unde an unquam educta fuerint, non ſatis conſtat.

Ferebant ea Sacerdotes et Levitæ; unuſquiſque quod ſibi licebat, Sacerdotes Arcam, menſam panum propoſitionis, altare thymiamatis, candelabrum aureum totumque ejus apparatum; Levitæ Altare holocauſtorum, pateras, & inſtrumenta in Altaris uſum deſtinata.

℣. 5. Immolabant oves et boves absque æstimatione et numero. Immolandas victimas tradebant Sacerdotibus, vel ipſi per ſe mactabant, offerebantque Sacerdotibus ſanguinem fundendum ad pedes Altarium ſecundum viam erectorum. Sacrificia enim inter eundum oblata ſunt per totum iter ab ædibus Regiis ad uſque Templum Domini. Eamdem facile methodum ſecutus eſt Salomon, quam David exemplo ſuo docuit (2), erectis per ſingula ſex paſſuum intervalla Altaribus, ubi offerretur ſanguis victimarum, quas populus exhibebat. Tradit Joſephus (3), populum præceſſiſſe Arcam cum victimis, & Levitas totam irrigaſſe viam libationibus liquorum & victimarum cruore. Quin & ſuffitum plenis datum eſſe manibus, ut per totum circumfuſum aerem, & procul etiam longius gratus ille odor diffuſus, adventum magni Dei nunciaret.

℣. 6. Intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis . . . . . subter alas Cherubim. Animadvertimus (4), in medio Sanctuarii duo ſtetiſſe Cherubim, quorum alæ protenſæ altera quidem tangebat parietes Sanctuarii, altera cum alia alterius Cherubim conjungebatur, ut umbraculum quoddam Arcæ ſubter jacenti exhiberent. Impoſita erat Arca Altari cedrino aureis laminis veſtito, nihilque illi deerat ex ornamentis a Moyſe datis. Cherubim e ductili auro inhærentes Propitiatorio, longe alia ſunt duobus majoribus Cherubim, Arcam veluti protegentibus.

℣. 8. Cumque eminerent vectes, et apparerent summitates eorum foris Sanctuarium ante Oraculum, non apparebant ultra extrinsecus, qui et fuerunt ibi usque in præsentem diem. Inſerti erant in Arca duo ſatis prolixi vectes, quos continebant annuli, ſecundum longitudinem Arcæ diſpoſiti, ut ſcilicet humeris impoſita in itinere per deſertum vehi poſſet. Caverat Moyſes, ne unquam vectes ex annulis illis educerentur (5). Cum Arca continebatur in Sanctuario per Moyſem erecto, vectes illi, utpote anguſtia loci majores, prodibant exterius; cum vero illata fuit in Sanctuarium a Salomone conditum, vectes illi operti fuere, quod ſcilicet hoc Sanctuarium duplo profundius eſſet Moſaico. Cæterum cum vectes prodiiſſe exterius legimus, non ita reputandum eſt, quaſi nudi egrederentur e Sanctuario: ſcitum eſt enim, pretioſo quodam velo oppanſo aditum loci ſancti clauſum fuiſſe: quare facile urgebant antrorſum velum, vel forte extrema illorum per medium illud velum in duas partes ſectum tranſibant. Hanc maxime planam cenſeo interpretationem hujus loci, qui crucem figit Interpretibus. Hebræus ad literam (6): *Elongare fecerunt vectes, & apparebant capita vectium a Sanctuario ſuper facies Oraculi, & non apparebant extrinſecus, quæ fuerunt ibi uſque ad diem hanc.* Conſtat utique, hunc textum ſibi non cohærere, niſi diſtinctis temporibus, ea, quam adduximus, interpretatio admittatur.

Quod Scriptor addit, vectes ſcilicet illos eumdem ſtatum ſua adhuc ætate tenere, demonſtrat utique, ante deſtructionem Templi per Chaldæos, & captivitatem Babylonicam, illum ſcripſiſſe. Sed ex ejus verbis inferri non poteſt ſeu vixiſſe illum ſub Salomone, ſeu certo aliquo tempore poſt illum. Phraſis enim illa, *Uſque in præſentem diem*, ſæpe pro diuturno, ſæpe pro breviſſimo temporis ſpatio uſurpatur.

℣. 9. In Arca autem non erat aliud nisi duæ Tabulæ lapideæ. Hoc quomodo cum teſtimonio Apoſtoli cohæreat (7)? *In qua* (Arca Teſtamenti) *urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & Tabulæ Teſtamenti.* Non una ratione objectio diluitur (8). Sunt qui credant, manſiſſe ad id uſque in Arca non geminas modo Legis Tabulas, ſed & volumen Legis, quod Moyſes collocari ad latus Arcæ juſſit (9), cum urna Mannæ (10), & virga Aaronis (11), quam idem Legiſlator depoſiti loco poni in Tabernaculo voluit. Quamdiu certus Arcæ locus datus non eſt, hæc omnia continebantur in eadem urna, deſtinata potiſſimum ſervandis geminis Tabulis fœderis: cum vero Arcæ ſedes in Templo Salomonis data eſt, tunc reliquis omnibus in ærarium Templi illatis, geminæ tantum lapideæ Tabulæ in Arca relictæ ſunt. Favet huic reſponſioni illud, quod de invento Legis volumine in ærario Domus Domini ætate Regis Joſiæ, memoriæ proditum eſt (12).

Alii (13) Apoſtolum ita exponunt, ut e tota Lege unicæ tantum lapideæ Tabulæ conditæ in Arca fuerint. Volumen Legis erat penes Sacerdotes; neque tamen id vetuit, quin alia quoque continerentur in Arca, quæ ad legem non pertinerent. Alii denique (14) arbitrantur, revera quidem Apoſtoli ætate ſub exitum Reipublicæ Judaicæ depoſitas fuiſſe in Arca virgam Aaronis, urnam mannæ, & geminas Tabulas Legis; idem tamen de ætate Salomonis non eſſe credendum. Solidius hæc ab illis dicerentur, ac validius, ſi conſtaret, in Templo Herodis, ac S. Pauli ætate, Arcam perſeveraſſe in Sanctuario. Sed ambigitur an unquam educta fuerit e latebris, in quibus illam abdiderat Jeremias, ut animadvertimus ſupra, ℣. 2. Affirmat non obſcure Joſephus (15), Romanos, cum Templum diripuere, nihil in Sanctuario repetiiſſe. Quare prior ſolutio retineri poteſt.

℣. 11. Nebula implevit domum Domini. Non Sanctuarium modo, ſed & Sanctum, totumque Sacerdotum atrium, ac forte etiam quocumque porrigebuntur atria Domus Domini, creditur (16) nubis hujus majeſtas occupaſſe, populoque ſenſum ingeſſiſſe Numinis, poſſeſſionem Domus illius ſuæ capien-

[1] 2. Macchab. II. 4. 5. *Quomodo Tabernaculum & Arcam juſſit Propheta divina reſponſo ad ſe facto comitari ſecum, uſquequo exiit in montem, in quo Moyſes aſcendit, & vidit Dei hereditatem; & veniens ibi Jeremias invenit locum ſpelunca, & Tabernaculum & Arcam, & altare incenſi intulit illuc, & oſtium obſtruxit.* [2] 2. Reg. VI. 13. *Cumque tranſcendiſſent qui portabant Arcam Domini, ſex paſſus, immolabant bovem & arietem* [3] Joſeph. Antiqu. l. 8. c. 2. Προῆγον δὲ μετὰ θυσιῶν αὐτὴν ὅ τε βασιλεὺς, καὶ ὁ λαὸς ἅπας, καὶ οἱ Λευῖται. σπονδαῖς τε καὶ πολλῶν ἱερείων αἵματι τὴν ὁδὸν κατασπένδοντες. [4] 3. Reg. VI. 23. 27. [5] Vide Exod. XXV. 15.
[6] ויאריכו הבדים ויראו ראשי הבדים מן הקדש על פני הדביר ולא יראו החוצה ויהיו שם עד היום הזה
[7] Hebr. IX. 4. [8] Vide Eſtium in Epiſtolam ad Hebræos, ubi hanc difficultatem fuſe proſequitur.
[9] Deuteronom. XXXI. 24. *Tollite librum iſtum & ponite in latere Arcæ Domini.* [10] Exod. XVI. 33.
[11] Num. XVII. 10. [12] 2. Par. XXXIV. 24. *Cumque efferrent pecuniam, quæ illata fuerat in Templum Domini, reperit Helcias Sacerdos Librum Legis Domini, per manum Moyſi.* [13] Ita Vatab. & alii. Vide Sanct. hic. [14] Theophylact. in c. 9. Ep. ad Hebr. Bellar. tom. 1. l. 1. c. 17. Canus lib. 2. de locis c. 11. Medina l. 6. c. 25. de recta in Deum Fide. [15] Joſeph. lib. 6. de Bello Jud. c. 6. Ἔκειτο δὲ οὐδὲν ὅλως ἐν αὐτῷ, ἄβατον δὲ καὶ ἄχραντον καὶ ἀθέατον ἦν πᾶσι. [16] Sanct. hic.

capientis, ſedemque ibi ſuam conſtituentis. Qui enim fieri potuiſſet, ut Salomon & univerſus populus nubis hujuſce teſtes eſſent, niſi latius ſeſe quam per Sanctum & Sanctuarium explicuiſſet? Quomodo prohibuiſſet Sacerdotes a ſacro munere in Altari holocauſtorum, ſi atrium illorum ſacra illa caligo non tenuiſſet? *Et non poterant Sacerdotes ſtare & miniſtrare propter nebulam*. Nubes erat non obſcura & craſſa, ut ea quæ terræ vel aquæ imminent, ſed inſtar vaporis & fulguris, lucens ſimul & obſcura, obſcuritate tamen quæ majeſtatis haberet plurimum, gravida interiori quodam igne, fulgurante interdum e cavo nubis ventre, & per eam obſcuritatem identidem emicante. Symbolum autem illud eſſe Divinitatis, ne ambigens quidem Salomon intellexit; quare primo ſtatim ejus aſpectu erupit in eas voces (1): *Dominus dixit ut habitaret in nebula*. Sub hujus involucri ſpecie, ſentiendum ſe Deus exhibuit in itinere per deſertum; ſumpta enim nubis imagine, populum deduxit (2). Cum Moyſi ſeſe revelavit in Tabernaculo, nubes deſcendere viſa eſt; quod exprimit Scriptura iis verbis (3): *Gloria Domini apparuit in nube*. In dedicatione Tabernaculi in deſerto idem prodigium viſum eſt (4), quod hic recurrit: *Operuit nubes Tabernaculum Teſtamenti, & gloria Domini replevit illud*. Cum Dominus Legem ſuam populo rogaturus, in montem Sinai deſcendit (5), *habitavit gloria Domini ſuper Sinai tegens illum nube ſex diebus*. Exhibet David gradientem Deum Iſraelis veluti Regem nubibus obſcuris obſitum, ſub quibus veluti ſub tentorio continetur (6): *Poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu ejus Tabernaculum ejus*. Hiſce autem omnibus intelligimus, merito Salomonem affirmaſſe tamquam a Numine dictum, Deum habitare in nebula: *Dominus dixit ut habitaret in nebula*. Nonne ſatis mentem ſuam aperuerat Deus, velle ſeſe hominibus ſymbolum hoc præſentiæ ſuæ in omnibus hiſce rebus exhibere, cum ſub nube apparuit; quamquam nullibi hæc expreſſa verba effatus eſt: *Habitabo in nube*, vel per viſum in nube apparebo.

℣. 14. Convertitque Rex faciem ſuam, et benedixit omni Eccleſiæ Iſrael. Salomon in atrio Iſraelis primus erat in populo; poſitum erat ibi in uſum Regis thronus vel ſolium æneum (7), tribus cubitis editum. Solus jus habuiſſe fertur ſedendi, cum cæteris unquam in Templo ſedere nefas eſſet: *Omnis autem Eccleſia Iſrael ſtabat*. Quam Rex impertit populo, benedictio tota non exprimitur, ſed hujus tantum ſunt portio ℣℣. 15. 16. & ſequentes uſque ad ℣. 22. Pronunciavit autem ore ad populum obverſo; tum ad altare converſus, porrigenſque in Cœlum manus, precatus eſt, uti legitur a ℣. 23. uſque ad 54. & poſt preces iterum populo benedixit. Imitatus eſt Salomon exemplum Moyſis & Davidis patris ſui, qui ſimili in re populo benedixerant; Moyſes quidem, poſtquam totum Tabernaculi opus abſolutum vidit (8); David poſt deductam ſolemni pompa Arcam in domum ſuam (9).

℣. 22. Stetit Salomon ante Altare Domini in conſpectu Eccleſiæ Iſrael, et expandit manus ſuas in Cœlum. Stabat Salomon in ſolio ſuo, donec populo benedixit; ſed ſtatim verſus in preces, flexit genua, porrexitque in Cœlum manus, uti conſtat ex II. Paralipomenon VI. 13. & in hoc capite inferius ℣. 54. Precabantur Hebræi ſtantes, & primum occurrit hoc in Scriptura exemplum, flexis genibus precandi; quod tamen deinceps frequenter recurrit. Eſdras flexis genibus, porrectiſque in Cœlum manibus Deo ſupplicat (10). Futurum prænunciat Iſaias XLV. 23. Dei nomine loquens, ut ſibi *curvetur omne genu*. Daniel flexis genibus & ore ad Jeroſolymam verſo, ter quotidie orabat (11). Servaturum ſe ſibi in Iſraele dicit Eliæ Dominus ſeptem millia, *quorum genua non ſunt incurvata ante Baal* (12). In Novo Teſtamento S. Petrus (13), & S. Paulus (14), & S. Stephanus (15) genu flexo orabant, quorum exemplum univerſa Chriſtianorum Eccleſia ſequuta eſt.

Mos ſupplicandi porrectis in Cœlum manibus, notiſſimus eſt tum in Scriptura (16), cum pariter in profanis. Pſalmiſta: *Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad Templum ſanctum tuum*. Virgilius de perfido Sinone (17):

Suſtulit exutas vinclis ad ſidera palmas.

Orabant etiam flexis genibus. Ovidius de Actæone in cervum converſo (18):

Et genibus pronus, ſupplex, ſimiliſque roganti,
Circumfert tacitos, tamquam ſua brachia, vultus.

℣. 27. Si enim Cœlum et Cœli Cœlorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi? Salomon œſtro quodam gaudii & admirationis extra ſe raptus, hæret ſtupens, quod Deus in domum a ſe conditam venire habitaturus dignetur. Fatetur, ædificium hoc, magnificum licet, auguſtum, dives, minus eſſe tamen tanti hoſpitis majeſtate. Miratur, Deum velle ibi præſentiæ ſuæ indicia exhibere, idque veluti argumentum accepti æquo animo a ſe muneris dare. Sapiens hic Princeps norat utique, Numinis præſentia totum orbem impleri, terram univerſam totam ejus majeſtate occupari, gloriæ illius fulgorem in rebus creatis omnibus micare, totum denique quidquid eſt creatum, veluti totidem linguis ſapientiam illius & potentiam celebrare. Cum vero ait: *Ergo ne putandum eſt, quod vere Deus habitet ſuper terram?* cave ne hoc dubitantis vel ignorantis dictum eſſe arbitreris; admirantis enim eſt potius incredibilem Dei humanitatem, qui inter filios hominum habitare non dedignetur, atque admittere in terris loca nomini ſuo conſecrata, in quibus majori quam in cæteris providentia reſideat, majora exhibens præſentiæ ſuæ argumenta, & magnificentiæ ſuæ beneficia largiora, quibus accedentes ad ſupplicandum cumulat: denique cultum in iis publicum & ſolemnem ſibi impendi patiens.

Cœlum et Cœli Cœlorum. Quot Cœlos olim agnoſcerent Hebræi, ignoramus. Sed plures admiſiſſe, innuere videtur Scriptura. Communi Cœli nomine appellabant aerem, per quem aves volant, & ubi formantur nubes & imbres. Cœlum etiam illis eſt vaſtum illud ſpatium, ubi Sol, Luna & Stellæ ſtatos curſus ſuos circa terram obire videntur. Denique locus, ubi Numen conſidet, appellabatur (19) *Cœlum Cœlorum*, vel Cœlum altiſſimum, ornatiſſimum, ditiſſimum; quo ſenſu Hebræi uſurpant Deum Deorum, Canticum Canticorum, ſæculum ſæculorum, Regem Regum, vanitatem vanitatum, Sanctum ſanctorum &c. quæ omnia perinde valent ac Deorum omnium maximum, canticorum eximium, diuturnitatem omnium maximam &c. Idem eſt *Cœlum Cœlorum*, quod Apoſtolus tertium Cœlum appellat (20), & Theo-

(1) ℣. 12. (2) Exod. XIV. 19. 20. (3) Exod. XVI. 10. (4) Exod. XL. 32. & Num. IX. 15. (5) Exod. XXIV. 16. (6) Pſalm. XVII. 12. (7) 2. Paral. VI. 13. *Fecerat Salomon baſim æneam, & poſuerat eam in medio Baſilicæ, habentem quinque cubitos longitudinis, & quinque cubitos latitudinis, & tres cubitos altitudinis: ſtetitque ſuper eam.* (8) Exod. XXXIX. 43. (9) 2. Reg. VI. 17. *Cumque complеſſet offerens holocauſta & pacifica, benedixit populo in nomine Domini.* (10) 1. Eſd. IX. 5. (11) Daniel. VI. 10. (12) 3. Reg. XIX. 18. (13) Act. IX. 40. (14) Epheſ. III. 14. & Act. XX. 35. (15) Act. VII. 20. (16) Vide, ſi lubet, Pſalm. XXVII. 2. CXXXIII. 3. & CXL. 2. Eccl. I. 22. 1. Tim. II. 8. &c. (17) Virgil. Æneid. 2. 153. (18) Ovid. lib. 3. Metamorph. (19) Pſalm. LXVII. 36. & CXIII. 16. & Deuter. X. 14. (20) 2. Corinth. XII. 12. *Raptum uſque ad tertium cœlum*, &c.

Theologi varie nuncuparunt, pro varia, qua tenebantur, opinione de ſtructura univerſi, aliis numerum Cœlorum augentibus, aliis minuentibus. Baſilidiani, veteres Hæretici, trecentos ſexaginta quinque cœlos, quot ſunt in anno dies, ſupputabant (1).

℣. 29. Erit nomen meum ibi: appellabitur domus mea; gloriam hic nominis mei exeram: inclytum reddam locum prodigiis: huc ſe conferent homines, ut tributa ſua, obſequium & cultum pendant.

℣. 31. Si peccaverit homo in proximum ſuum, et habuerit aliquod juramentum . . . . et venerit propter juramentum coram altari tuo . . . [℣. 32.] Tu exaudies in Cœlo, et facies, et judicabis ſervos tuos, condemnans impium. In quibuſdam rerum articulis Lex exigit ab accuſato, ut juratus ſe purget, affirmantique, ſacramento in nomine Domini, & in Templo coram Altari & Sacerdotibus nuncupato, creditur. Ita fides additur depoſitario neganti jurato, depoſitum ſe accepiſſe; vel homini, cujus cuſtodiæ aliquod animal commiſſum fuerit, ſi forte illud mortuum inveniatur, ſeu vulnere affectum, ſive furto ablatum vel amiſſum: tunc enim ſi quæ ſuſpicio ſuboriatur de fide cuſtodis, neque ulla indicia ſint adverſus illum valida, neganti creditur, atque purgans ſe ſe ſacramento, omni ſuſpicione furti liberatur (2). Rogat Dominum Salomon, ut veritatem detegat, aperiatque innocentiam & æquitatem adverſus aſtum dolumque; cum quis Templo adfuerit, ut jusjurandum nuncupet. Ne illudat impius altarium tuorum ſanctitati, ne impune ficto & ſacrilego ſacramento ſe ſe obſtringat in Templo tuo, punias illum aperta terribilique ultione. Injuſte oppreſſa innocentia, veritas malæ partis ſuſpicionibus vexata, ſeu dolo malo occultata, ante altare tuum tutum inveniant ſanctumque adverſus inimicos aſylum.

Scitum eſt inter omnes, obſtrinxiſſe ſe Veteres ſacramento altarium contactu. Junior adhuc Annibal juravit tactis altaribus inimicitias adverſus Romanos irrevocabiles. Martialis:

Hunc puer ad Lybicas juraverat Annibal aras.

Rex Latinus fœdus cum Ænea juravit, altaria ſacrumque ardentem in illis ignem tangens (3).

Tango aras, medioſque ignes, & Numina teſtor;
Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet.

℣. 34. Reduces eos in terram, quam patribus dediſti, ſi forte caſus tulerit, ut longe captivi abducantur. Sed poſtremis hiſce applicanda non ſunt ea, quæ in verſiculo præcedenti expreſſa ſunt, venturos ſcilicet illos ad rogandam liberationem ſuam in Templo, quippe id præſentiam illorum in urbe oſtenderet; quod utique in ſermone pugnans quiddam induceret. Quod captivis ſupererat, illud erat, nimirum ut Deo ſupplicarent e loco exilii ſui ad Templum converſi, uti a Daniele præſtitum legimus.

℣. 37. Peſtilentia, aut corruptus aer, aut ærugo, aut locuſta, vel rubigo. Reddi poſſet Hebræus in hanc ſententiam (4): *Si quid acciderit peſtilentiæ, vel aeris infecti* [venti urentis qui meſſes corrumpit, ariditatis nimiæ, grandinis (5)] *vel rubiginis* [cum ſcilicet vitalis humor plantarum vitiatus ſpicas corrumpit, ut vix tactæ diſſipentur in nigrum fœtidumque pulverem] *locuſtæ & bruchi*, qui locuſtæ genus eſt non adhuc adultæ.

℣. 38. Si quis cognoverit plagam cordis sui, Eo ſpectat Rex, ut homines malorum ſuorum fontem ipſum obſtruant; rei caput in eo conſtituant, ut Numen placent, removeantque ab animo ſuo crimen, quo Deus provocatur; ut vulnus obducant, ex quo, veluti ex mala radice quæcumque a creaturis patiuntur, germinat. *Plaga cordis* proprio ſenſu de peccato exponitur; uſurpari etiam poteſt de plagis, quas Deus animæ ſontis infligit, de malis, quibus illum opprimit. Quæ interpretatio placuit Septuaginta (6). Minitatur Deus Pharaoni per Moyſen (7): *Mittam omnes plagas meas ſuper cor tuum, & ſuper ſervos tuos, &c.* id eſt, cædam te omnibus malis, quibus pertinacia cordis tui plecti meretur. Sunt qui plagam cordis exponant (8) dolorem, pœnitudinem, ſtimulos, quibus conſcientiæ anguntur. Si quis dolore tactus reſipiſcat, te deprecetur, ejus preces exaudito, annue poſtulatis.

℣. 39. Secundum omnes vias ſuas, ſicut videris cor ejus. Minus reſpicit Deus verba & exteriorem habitum ſupplicantis, quam intimam animi præparationem vitæque merita præcedentis. Fruſtra eriguntur in Cœlum manus, manus ſanguine & criminibus pollutæ. Fruſtra malis noſtris infauſtiſque caſibus adacti, ad Deum confugimus, ſi nulla pœnitentia tangatur animus, neque vel ullum amoris motum admiſerit erga fontem juſtitiæ, quam præteritæ vitæ criminibus violavit.

℣. 41. Alienigena . . . cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum. Non Iſraelitæ modo ubique per orbem palantes, confluebant ad Templum Jeroſolymitanum, Deum adoraturi; ſed Pagani etiam eo vel per ſe, vel per miſſos a ſe viros conveniebant. Reges profanarum gentium ditiſſimis muneribus loci ſanctitatem agnoſcebant; neque deerant qui holocauſta pro ſe offerri curarent. Cum Deus æque ſit gentium omnium Numen; ita pariter omnibus æque gentibus jus eſt in Templum ipſius, nec iniquis oculis aſpiciebantur exteri huc venientes ad agnoſcendum ſummum Dei Iſraelis imperium. Cum primum Templum ſtaret, eo veniebant Reges munera afferentes (9): *A templo tuo quod eſt in Jeruſalem, tibi offerent Reges munera.* Poſt captivitatem validiori vocatione & frequentiori numero allicere Deus alienos cultores viſus eſt, Cyrus (10), Artaxerſes (11), Alexander magnus (12), Ptolemæus Philadelphus (13), Seleucus Rex (14), Romani Imperatores (15), liberalitatem ſuam erga ſacrum locum commendarunt. Primo poſt reditum e captivitate additum videtur Templo magnum illud atrium, de quo Joſephus (16), quo acceſſus dabatur gentibus venientibus ad Dominum in ſacro ipſi Templo adorandum.

Porro gentes exteræ confluebant ad Templum ſive ut reſipiſcentes, Deum, cujus prodigiorum fama auribus illorum inſonuerat, agnoſcerent; ſive ut adorarent numen, tamquam Deum peculiarem illius gentis, quin tamen ullam vel ejus ſingularitatis, vel cæterorum ejus attributorum ſatis expeditam notionem haberent. Veniebant alii intimo quodam pietatis motu incitati, ut ii, de quibus S. Joannes, qui ſtudio quodam videndi Jeſum Chriſtum tenebantur (17). Alii denique e gentibus erant religioſi, Deumque timentes, qui, quamvis ſacra Judaica non admitterent, leges tamen religionis naturalis ſervabant inviolatas. Ex his erant Eunuchus Reginæ Candacis (18), & Cornelius Centurio (19). Poſtulat a Deo Salomon, ut aures benignas præbeat vocibus alienorum, qui preces fuderint in Templo, illoſque largo benedictionum & gratiarum imbre perfundat.

℣. 44.

(1) Irenæus lib. 3. c. 23. (2) Vide Exod. xxii. 11. (3) Virgil. Æneid. xii. 201. (4) דבר כי יהיה שדפון ירקון ארבה חסיל כי יהיה (5) Ita Syr. *Grandinis deverberatio.* (6) Ὡς ἂν γνῶσιν ἄνθρωπος ἁφὴν καρδίας αὐτοῦ. (7) Exod. ix. 14. (8) Vatab. Cornel. (9) Pſalm. lxvii. Vide & 2. Paral. xxxii. 23. (10) 1. Eſdr. iii. 7. (11) 1. Eſdr. vi. 9. & vii. 21. 22. 23. (12) Joſeph. Antiqu. lib. xi. cap. ult. (13) Idem Antiqu. lib. 12. cap. 2. (14) 2. Macchab. iii. 2. 3. (15) Joſeph. Antiq. l. 16. c. 2. & l. 6. de Bello c. 16. (16) Joſeph. l. 2. cont. Appion. (17) Joan. xii. 20. *Erant autem quidam Gentiles ex his, qui aſcenderant ut adorarent in die feſto, hi ergo acceſſerunt ad Philippum . . . . dicentes: Domine volumus Jeſum videre.* (18) Act. viii. 27. (19) Act. x. 1.

℣. 44. ORABUNT TE CONTRA VIAM CIVITATIS, QUAM ELEGISTI; ore ad urbem hanc converſo. Hunc ſemper morem ac religionem ſervarunt Judæi, ab urbe ſancta remoti, ut ore ad illam converſo orarent. Daniel ter quotidie apertis feneſtris flexoque genu (1), necnon vultu ad Jeroſolymam converſo, e conclavi ſuo orabat. Veteres Chriſtiani orantes, orientalem plagam aſpicere ſolebant (2) tamquam mentis oculis proſecuturi Jeſum Chriſtum, qui Cœlum ad Orientem conſcenderat: *Aſcendit ſuper Cœlum Cœli ad Orientem* (3).

℣. 51. DE MEDIO FORNACIS FERREÆ. Familiaris Scripturæ phraſis, ut innuat duram illam Hebræorum in Ægypto ſervitutem (4). Perinde torrebantur illi in Ægypto, ac in fornace ferrum. Non diſſimili phraſi uſus eſt Homerus, dum Martem detruſum fuiſſe narrat a filio Aloei intra dolium, vel carcerem æneum, ubi tredecim menſium moleſtiam ſuſtinuit (5).

℣. 59. UT FACIAT JUDICIUM CUM SERVO SUO. Juſtas ejus querelas exaudiat, jus reddat illi adverſus oppugnatores iniquos; in malis illius rebuſque difficilibus, ipſum in fidem ſuam recipiat, & ſententiam illi æquam dicat.

℣. 63. MACTAVIT SALOMON. . BOUM VIGINTI DUO MILLIA. . . . ET DEDICAVERUNT TEMPLUM DOMINI. Toto ſeptem dierum ſpatio, celebritati dedicationis additorum, immolata ſunt viginti duo millia boum, ovium vel arietum, vel caprarum [vox enim Hebræa (6) de minuto grege quocumque uſurpatur] centum viginti millia; quibus acceſſerunt & aliæ privatorum oblationes, largiſſimæ illæ pariter & copioſæ. Dedicatio & conſecratio ſanctorum locorum nulla Moyſis lege jubetur. Sed inſita hominibus notio, quique generalis ineſt mentibus religionis ſenſus, & Numinis obſequium, quod natura magiſtra homines æque omnes didicerunt, in eam illos mentem duxere, ut noſcerent, diſtingui oportere res ſacras & Templa a profanis & communibus per cæremonias quaſdam dedicationeſque ſolemnes. Cujus rei exemplum dedit Moyſes erecto Tabernaculo (7), & David, dedicato ſacro eo loco, quem in ædibus ſuis conſtituerat, ubi Arca exciperetur (8). Soluta captivitate Babylonica, ſolemni ritu novum Templum dedicatum eſt (9); cujus & alteram dedicationem celebrarunt Macchabæi, cum illorum opera reſtitutus eſt ibi cultus Domini, infeſtis Antiochi Epiphanis artibus interruptus (10). Quin & privatorum etiam ædes piis nonnullis cæremoniis & lætitiæ indiciis Hebræi celebrare ſolebant (11); neque id ignotum profanis. Nabuchodonoſor erectam a ſe auream ſtatuam ſolemni ritu ac generali populi convocatione, tum & harmonico inſtrumentorum omnis generis concentu dedicat (12). Dicabantur apud Romanos Templa, aræ, luci, publica ædificia, ſimulacra, oppida, fora; ejuſque cæremoniæ miniſter erat ſolus copiarum Imperator, vel Conſul, qui priſcas preces, ſuggerente rerum ſacrarum Pontifice maximo, recitabat. Capite erat operto, atque adeſſe jubebatur præſens aliquis tibia canens, ignis ardens, & conventus populi ad eam rem vocati (13).

℣. 64. SANCTIFICAVIT REX MEDIUM ATRII . . . . QUONIAM ALTARE ÆNEUM, QUOD ERAT CORAM DOMINO, MINUS ERAT, &c. Opere tumultuario erectum eſt altare in medio atrii Sacerdotum, ubi immolarentur, urerenturque victimæ, cui muneri unicum altare æneum ſufficere non poterat. Nec prætereundum eſt hic, Altare æneum vel holocauſtorum, conſtitutum fuiſſe e regione portæ Sancti, in ſuperiori parte atrii Sacerdotum. Erat autem moles non exigua (14), excurrens in longum cubitos viginti, vel pedes XXXIV. & pollices duos, totidemque in latum, atque in altum aſſurgens cubitis decem, vel pedibus XVII. cum pollice. Hæc tamen area minor erat pro holocauſtorum cremandorum copia. In reliquis enim ſacrificiis, ubi ſatis erat effundere cruorem ad baſim altaris, & injicere in ignem adipem, minus utique ſpatii poſtulabatur. Mandavit igitur Salomon, ut *ſanctificaretur medium atrii* Sacerdotum, ibique erigeretur Altare ad libationes vini & ſanguinis, cremandaſque victimas, quibus ſatis ſpatii in majori Altari eſſe non poterat. Legitur in Paralipomenis (15), delapſus e Cœlo ignis holocauſta Altari impoſita abſumpſiſſe.

℣. 65. AB INTROITU EMATH USQUE AD RIVUM ÆGYPTI. A faucibus deducentibus in Emath per medios montes Libani, uſque ad ramum Nili Arabiæ proximum (16), ab una regionis ora ad alteram extremam.

FESTIVITATEM CELEBREM . . . . SEPTEM DIEBUS ET SEPTEM DIEBUS. Feſtum dedicationis ſeptem diebus celebravit, cui junctum eſt feſtum Tabernaculorum, per ſeptem alios dies. Vide quæ animadvertimus in ℣. 2. hujus capitis.

℣. 66. IN DIE OCTAVA DIMISIT POPULOS. Incidit hæc dies in Sabbatum, ſecunda & vigeſima menſis ſeptimi. Dimiſſionem populo edixit; & die vigeſima tertia ejuſdem menſis, Iſraelitarum quiſque domum rediit, uti ex Paralipomenis diſcimus (17). In conſuetis religionis conventibus facultas hæc abeundi a Rege non petebatur: abſoluto feſto, quiſque revertebatur: nunc vero cum juſſu Regis conveniſſent, ejus injuſſu abeundum non erat.

BENEDICENTES REGI PROFECTI SUNT. Rex illis proſpera omnia imprecatus fuerat, dimiſſionem concedens: paria illi rependerunt, ſimilia imprecantes. Apud Orientales digniſſimus quiſque minorem alterum primus ſalutat. Hunc morem ſpectat Apoſtolus (18): *Sine ulla contradictione quod minus eſt, a meliore benedicitur*.

---

[1] Dan. VI. 10. *Feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Jeruſalem, tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, &c.* Vide & hic ℣. 45. [2] Vide, ſi lubet, Juſtin. quæſt. ad Orthod. qu. 118. Tertull. Apolog. c. 16. Epiph. hæreſi 18. & alios. [3] Pſalm. LXVII. 34. [4] Deut. IV. 20. Jeram. XI. 4. [5] Homer. Iliad. E. Χαλκέῳ δ' ἐν κεράμῳ δέδετο τρισκαίδεκα μῆνας. [6] וצאן מאה ועשרים אלף [7] Exod. XL. 2. 9. [8] 1. Reg. VI. 17. 18. [9] 1. Eſdr. VII. 10. 11. 12. 13. [10] 1. Macchab. IV. 56. [11] Deut. XX. 5. [12] Dan. III. 1. 2. 3. [13] Vide Cicer. pro domo ſua; & Alexandr. ab Alex. Genial. Dier. l. 6. c. 14. [14] 2. Paral. IV. 1. *Fecit quoque Altare æneum XX. cubitorum longitudinis, & XX. cubitorum latitudinis, & X. cubitorum altitudinis.* [15] 2. Paral. VII. 1. *Cum compleſſet Salomon fundens preces, ignis deſcendit de Cœlo, & devoravit holocauſta & victimas.* [16] Vide dicta ad Joſue XIII. 3. & Num. XXXIV. 22. & Joſue XIII. 5. [17] 2. Paral. VII. 10. *Die vigeſimo tertio menſis ſeptimi, dimiſit populos.* [18] Hebr. VII. 7.

Digitized by Google

CAPUT IX.

Dominus ſecundo apparet Salomoni. Is urbes plures condit; cogitque varias gentes ad tributum. Claſſem mittit in Ophir, quæ auro ditiſſima redit.

℣. 1. FActum eſt autem, cum perfeciſſet Salomon ædificium domus Domini, & ædi-
ficium regis, & omne, quod optaverat, & voluerat facere, 2. Apparuit ei
Dominus ſecundo, ſicut apparuerat ei in Gabon. 3. Dixitque Dominus ad eum:
Exaudivi orationem tuam, & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me:
ſanctificavi domum hanc, quam ædificaſti, ut ponerem nomen meum in ſempiter-
num, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. 4. Tu quoque ſi am-
bulaveris coram me, ſicut ambulavit pater tuus, in ſimplicitate cordis, & in æqui-
tate: & feceris omnia, quæ præcepi ribi, & legitima mea, & judicia mea ſervave-
ris. 5. Ponam thronum regni tui ſuper Iſrael in ſempiternum, ſicut locutus ſum
David patri tuo, dicens: Non auferetur vir de genere tuo de ſolio Iſrael. 6. Si au-
tem averſione averſi fueritis vos, & filii veſtri, non ſequentes me, nec cuſtodientes
mandata mea, & cæremonias meas, quas propoſui vobis, ſed abieritis, & colueritis
deos alienos, & adoraveritis eos: 7. Auferam Iſrael de ſuperficie terræ, quam dedi
eis: & templum, quod ſanctificavi nomini meo, projiciam a conſpectu meo, eritque
Iſrael in proverbium, & in fabulam cunctis populis. 8. Et domus hæc erit in e-
xemplum: omnis qui tranſierit per eam, ſtupebit, & ſibilabit, & dicet: Quare fecit
Dominus ſic terræ huic, & domui huic? 9. Et reſpondebunt: Quia dereliquerunt
Dominum Deum ſuum, qui eduxit patres eorum de terra Ægypti, & ſecuti ſunt
deos alienos, & adoraverunt eos, & coluerunt eos: idcirco induxit Dominus ſuper
eos omne malum hoc. 10. Expletis autem annis viginti poſtquam ædificaverat Sa-
lomon duas domos, id eſt, domum domini, & domum regis, 11. (Hiram rege Tyri
præbente Salomoni ligna cedrina, & abiegna, & aurum juxta omne quod opus ha-
A. M. 3012. ante J. Chr. 992. buerat) tunc dedit Salomon Hiran viginti oppida in terra Galilææ: 12. Et egreſſus
eſt Hiram de Tyro, ut videret oppida, quæ dederat ei Salomon, & non placuerunt
ei, 13. Et ait: Hæccine ſunt civitates, quas dediſti mihi, frater? Et appellavit eas
terram chabul, uſque in diem hanc. 14. Miſit quoque Hiram ad regem Salomonem
centum viginti talenta auri. 15. Hæc eſt ſumma expenſarum, quam obtulit rex Sa-
lomon ad ædificandam domum Domini, & domum ſuam, & Mello, & murum Je-
ruſalem, & Heſer, & Mageddo, & Gazer. 16. Pharao rex Ægypti aſcendit, & ce-
pit Gazer, ſuccenditque eam igni: & Chananæum, qui habitabat in civitate, inter-
fecit, & dedit eam in dotem filiæ ſuæ uxori Salomonis. 17. Ædificavit ergo Salo-
mon Gazer, & Bethoron inferiorem. 18. Et Baalath, & Palmiram in Terra ſolitu-
nis. 19. Et omnes vicos, qui ad ſe pertinebant, & erant abſque muro, munivit,
& civitates curruum, & civitates equitum, & quodcumque ei placuit, ut ædificaret
in Jeruſalem, & in Libano, & in omni terra poteſtatis ſuæ. 20. Univerſum popu-
lum, qui remanſerat de Amorrhæis, & Hethæis, & Pherezæis, & Hevæis, & Je-
buſæis, qui non ſunt de filiis Iſrael: 21. Horum filios, qui remanſerant in terra,
quos ſcilicet non potuerant filii Iſrael exterminare, fecit Salomon tributarios uſque
in diem hanc. 22. De filiis autem Iſrael non conſtituit Salomon ſervire quemquam,
ſed erant viri bellatores, & miniſtri ejus, & principes, & duces, & præfecti cur-
ruum, & equorum. 23. Erant autem principes ſuper omnia opera Salomonis præ-
poſiti quingenti quinquaginta, qui habebant ſubjectum populum, & ſtatutis operibus
imperabant. 24. Filia autem Pharaonis aſcendit de civitate David in domum ſuam,
quam ædificaverat ei Salomon: tunc ædificavit Mello. 25. Offerebat quoque Salo-
mon tribus vicibus per annos ſingulos holocauſta, & pacificas victimas, ſuper alta-
re, quod ædificaverat Domino, & adolebat thymiama coram Domino: perfectum-
que eſt templum. 26. Claſſem quoque fecit rex Salomon in Aſiongaber, quæ eſt
juxta Ailath in littore Maris rubri, in Terra Idumææ. 27. Miſitque Hiram in claſ-
ſe illa ſervos ſuos viros nauticos, & gnaros maris cum ſervis Salomonis. 28. Qui
cum veniſſent in Ophir, ſumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum,
detulerunt ad regem Salomonem.

℣. 2.

℣. 2. APPARUIT EI DOMINUS SECUNDO. Quandonam ſecundo apparuerit Dominus, diſſidium eſt ſententiarum. Sunt (1), qui poſt viginti annos a prima viſione videndum ſe iterum præbuiſſe Dominum crediderint, poſtquam Rex ædificiis ſuis omnibus ſupremam manum impoſuiſſet. Quod poſtulare videtur narrationis hujus ſeries, etenim ante narrationem ſecundæ hujus viſionis, ita præfatur Scriptura: *Factum eſt, cum perfeciſſet Salomon ædificium Domus Domini, & ædificium Regis, & omne quod optaverat, & voluerat facere.* Ajunt tamen alii (2), eadem nocte, quæ dedicationem Templi, & preces Salomonis conſecuta eſt, Deum ſe illi videndum exhibuiſſe. Quis enim credat, tredecim annis diſtuliſſe Deum, ut reſponderet Principis hujus precibus, atque poſt evolutum ingens illud temporis ſpatium, tandem ſeſe videndum obtuliſſe, atque in hæc verba effatum fuiſſe: *Exaudivi orationem tuam, & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me: ſanctificavi Domum hanc, quam ædificaſti*, &c. Satius videtur conjungere priorem verſiculum hujus capitis cum fine præcedentis, atque hæc omnia tamquam dictorum omnium ad id uſque epilogum habere, ac denique e verſiculo ſecundo hujus capitis ſumere novam narrationis ſeriem, uſque ad ℣. 10. prorogatam. Viſum eſt autem ſacro Scriptori hic colligere ea, quæ Deus Salomoni reſpondit, ne ſeriem narrationis abrumpere cogeretur.

Apparuit igitur Deus per viſum Salomoni ſecundo, uti prius ſpectandum ſe præbuerat Gabaone, ideſt, nocte altera poſt exhibitas ab illo preces. Noctem aperte fert Liber Paralipomenon (3); credibile autem eſt, inſomnio quodam extatico abreptum Salomonem vidiſſe Dominum, atque in hæc verba loquentem audiſſe. Porro hæc viſio recenſetur ſecunda, quamquam Scriptura tertiam innuere videtur (4): ſed non immerito ſuſpicamur, tertiam illam viſionem nihil aliud eſſe, quam hujus ſecundæ epilogum & compendium. Sunt qui credant, nihil revera vidiſſe Salomonem, ſed tantum verba hæc ad illum a viro aliquo Propheta, Dei juſſu, facta fuiſſe (5).

℣. 7. DE SUPERFICIE TERRÆ, QUAM DEDI EIS; vel, ita exſcindam, ut penitus deleantur: memoriam illorum abolebo, ut iis accidit, qui miſeras eas regiones tenebant, cum Hieroſolyma in manus Romanorum hoſtium venit, a quibus ingens incolarum copia extincta eſt. Vel: Exterminabo, ex hac regione pellam, & per totam late urbis faciem diſſipabo: denique captivi abducentur, uti ſub Nabuchodonoſore, & Salmanaſare.

TEMPLUM . . . . . PROJICIAM A CONSPECTU MEO. Deus quidem habitare inter homines in Templis materialibus non dedignatur, ac loca illa tamquam ſacra, aſylo religioſa habet; ibi autem munificentia majore opes ſuas & dona impartitur, ac præſentiæ ſuæ ea exhibet argumenta, ut veluti ſentiatur: ſtatim vero ac homo a debita in Deum fide recedit, Templum intimum animi ſui violat criminibus, cujus Templi exterius hoc umbra eſt tantum & veſtigium, continuo Deus recipit ſeſe, atque demonſtrat non obſcure impiis, a Numine cultum mere exterius, eumque gloriæ fucum, ac inanem imaginem negligi. Deſerit non invitus loca illa, quæ non niſi pietatis noſtræ gratia admiſerat. Terribilis eſt irati Numinis ultio, Templorum gloriæ ejus dicatorum profanatio. Merito quis aſſerat, cum noſtris criminibus tantum in nos malum provocavimus, velle Deum hiſce punire nos, ac naturalibus modis ſpoliare, quibus noſtram cum illo reconciliationem obtineamus. Deſeri tunc a Deo meremur, neque niſi exhibitis dignis pœnitentiæ fructibus, ſpes ſupereſt alia revocandi Deum, impetrandique ab illo veniam profanationum, quæ gravem adeo pœnam in nos provocarunt.

ERIT ISRAEL IN PROVERBIUM, ET IN FABULAM CUNCTIS POPULIS. Minæ frequenter in Judæos intentatæ (6), pluries etiam impletæ. Quoties Deum populus deſeruit, toties contemptui fuit, & fabulæ gentium. Morigeros ſe Domino præbuerunt? ſtatim opes, gloria, omniumque rerum felicitas illos beavit. Minas haſce completas habes in Arca a Philiſtæis capta, Templo per Seſacum direpto, cremato per Nabuchodonoſorem, per Antiochum profanato, ac denique per Romanos everſo.

℣. 8. DOMUS HÆC ERIT IN EXEMPLUM, documentum juſtitiæ meæ; vel potius: Statuetur in exemplum urbis infelicis, quam Deus punierit. Hebræus (7): *Domus hæc erit excelſa*, ad ſtatum illum deſolationis redigetur, ad quem redacta ſunt loca, olim paganorum ſuperſtitione dedicata. Ab omnibus derelicta contemnetur. Vel potius: Redigetur in ſtruem lapidum, & rudetum. Jonathan: *Hæc Domus excelſa, erit diruta.* Alii (8): Templum hoc, quod futurum eſt celebre adeo, ac dignitate ſublime, redigetur tandem in maceriam. Denique: Domus hæc Altiſſimi eo redigetur, ut tranſeuntes omnes illudentes dicant: Unde tantum in ſe caſum a Domino provocavit? Favent huic interpretationi Paralipomena; ita enim ferunt in Hebræo (9): *Domus hæc, quæ fuit excelſa omni tranſeunti ſuper eam, erit ſtupori.*

℣. 10. EXPLETIS ANNIS VIGINTI. Septem annos & dimidium impendit in ædificium Templi; duodecim & dimidium in abſolvendis Regiis ædibus, uti colligitur ex variorum textuum collatione, in quibus de his ædificiis agitur (10).

℣. 11. DEDIT SALOMON HIRAM VIGINTI OPPIDA IN TERRA GALILÆÆ. In inferiori Galilæa in Tribu Aſer, circa Aczib, & Ptolemaidem. Galilæa proxima erat ditioni Hiram, & Phœniciæ juncta. Has vero urbes Salomon conceſſit Hiramo, accepta ab illo in ædificiis ſuis commoda repenſurus. Dederat Hiram artifices ad cædendam & comportandam lignorum ſtruem, ingentem pecuniarum vim ſuffecerat (11). Equidem Salomon in annonam Regiæ ejus domus dederat frumentum, & oleum; ſed minus utique dediſſet, quam quod acceperat, niſi defectum largiori alio munere ſuppleſſet. Gratiſſime autem exceptutum Regem illum reputavit munus utile viginti urbium, anguſtiſſimis ejus ditionis finibus adjectarum. Sed Hiram minoris quam pro opinione, munus illud faciens, Urbes Salomoni reſtituit, qui aliter utique animo Regis ſatisfecit, quamquam nihil hac de re Scriptura.

De urbibus hiſce a Salomone datis Hiramo ardua ſunt quædam. An ſapientis erat, ac piiſſimi Regis, ab hæreditate Iſraelis avellere Urbes viginti, in ditionem Principis alieni & profani tranſmittendas? An non Dominus, Hebræorum Deus, ſummum ſibi jus, & abſolutum Imperium in eam Regionem ſervaverat? Palam, nec ſemel, edixerat (12): *Terra* Iſrael *non vendetur in perpetuum, quia mea eſt; & vos advenæ, & coloni mei eſtis.* Cuinam diſcrimini miſeræ urbes non exponebantur, profani Principis juri atque arbitrio permiſſæ?

Ut Salomon ab hiſce criminationibus excuſetur, animadvertit Grotius (13), Urbes hujuſmodi jure acquiſitionis ab illo fuiſſe poſſeſſas; quare jure proprio & jure victoris ſibi obnoxias habebat.

(1) Sanct. hic, Salian. (2) Ita Joſeph. Antiq. lib. 8. cap. 2. Jun. Malv. Piſc. (3) 2. Par. VII. 12. *Apparuit autem ei Dominus nocte.* (4) 3. Reg. VI. 11. *Factus eſt ſermo Domini ad Salomonem, dicens*, &c. (5) Vide, ſi lubet, Sanct. (6) Deut. XXVIII. 37. XXIX. 24. Jerem. XXII. 18. (7) והבית הזה יהיה עליון (8) Septuag. Καὶ ὁ οἶκος οὗτος ἔσαι ὁ ὑψηλός. Vide Pag. Vat. Jun. (9) 2. Par. VII. 21. והבית הזה אשר היה עליון עבר עליו ישם (10) Vide 3. Reg. VII. 1. IX. 10. 2. Par. VIII. 1. (11) Infra ℣. 14. *Miſit Hiram ad Salomonem centum viginti talenta auri.* (12) Levit. XXV. 23. (13) Lib. 2. de jure Belli & Pacis cap. 5. art. 12.

Ex iis forte quædam conceſſæ fuerant dotis nomine ab Ægypti Rege, qui filiam ſuam nuptum Salomoni dederat. Addit ille, Terram Chabul in in diſtributione Terrarum Iſraeliticarum non contineri. Limites Tribus Aſer deſcribens Joſue XIX. 27. ducit illos ſecundum regionem *Chabul*: *Egreditur ad lævam Chabul*. Denique tunc non Hebræis regionem illam, ſed alienis gentibus, quibus frequentabatur, paruiſſe, illud mirifice demonſtrat, quod Salomon minus probari munus illud ſuum ab Hiramo intelligens, colonias Hebræorum eo miſit, qui eam regionem frequentarent (1): *Civitates, quas dederat* [vel reddiderat] *Hiram Salomoni, ædificavit, & habitare ibi fecit filios Iſrael.*

Contendunt alii (2), Salomonem nunquam a ſe penitus abdicaſſe imperium illarum urbium, quarum uſum tantum ad certum tempus Hiramo conceſſerit, ut reficeret ſumptus, & operam Salomoni in ædificatione Templi elocatam. Rex autem Judæus, inquiunt, ibi pariter liberum exercitium Judaicæ religionis pro fratribus, qui moram traherent per eas urbes, a Chananæis plerumque frequentatas, reſervaverat. Cum tamen urbium illarum ceſſio plane impleta non fuerit, fruſtra circa illam ſtudia noſtra impendimus.

℣. 13. Hæcine sunt civitates, quas dedisti mihi frater? Leve hoc diſſidium inter Salomonem, & Hiramum ſubortum minime læſit amicitiam, quam inviolatam, donec ambo vixere, ſervarunt. Aliter profecto Salomon debito, quo erga Regem Tyri obſtringebatur, ſatisfeciſſe cenſandus eſt. Ambo hi Principes mutuo ſeſe fratrum nomine, & amore proſequebantur. Quæ erat Regum Orientalium mutua conſuetudo. Benadadum Regem Syriæ fratris nomine compellat Achabus (3): *Si adhuc vivit, frater meus eſt. Quod acceperunt viri pro omine . . . atque dixerunt: Frater tuus Benadad.* David in elogio funebri Jonathæ, fratris nomine illum donat (4). Regibus Alexandro, & Demetrio Jonathas Macchabeus frater eſt (5); frater eſt Lyſias Antiocho (6), copiarum ejus imperator.

Appellavit eas Terram Chabul. Diſſidium eſt ſententiarum graviſſimum de genuina ſignificatione vocis Hebrææ בארץ כביל *Chabul*. Deſignari ea docet Joſephus ου αρεσκον, *quod non placet*. Alii reddunt: *Terram ſpinoſam*; alii: Terram aridam, arenoſam, ſterilem, כבול, quaſi חול; alii, Terram lutoſam, humentem, pinguem (7). Septuaginta: Ἐκάλεσεν αὐτὰς ὅριον, *Vocavit eas terminum*; quaſi legant גבול pro כבול (8). Hillerus in ſuo Lexico cenſet, *Chabul* כבול idem eſſe ac כמבול, nihil, tamquam nihil. De *Chabul* vide noſtrum Dictionarium Biblicum. Tanta opinionum diſcrepantia ignorantiam genuinæ ſignificationis hujus vocis demonſtrat. Nec de ſitu urbium Chabul melius convenit. Joſephus, aliique plures docent tantum, Tyro vicinas jacuiſſe. Alii in Decapoli conſtituunt. Si terra Chabul eadem eſt Chabul, de qua Joſue XIX. 27. conſignanda eſt prope Ptolemaidem ad meridiem Tyri. Multo propius ad meridiem promovet illam Grotius, qui inter viginti haſce urbes Hiramo oblatas, eas racenſet, quas Pharao Philiſthæis eripuit. S. Hieronymo (9) regio eſt in Baſanitide trans Jordanem; atque nomen Chabul interpretatur herboſum, quaſi ſcilicet hæc Regio ideo diſplicere potuerit Hiramo, quod herboſum nimis ſolum exhiberet.

Sed inter doctiſſimos Geographos convenit, Terram Chabul jacuiſſe non procul a Tyro, & Ptolemaide. Affirmat Joſephus (10), inferiorem Galilæam porrigi a Tiberiade ad uſque *Chabulon*, urbem maritimam, & Ptolemaidi vicinam. Alibi vero (11) excerpta referens Annalium Tyriorum, de Hiramo & Salomone agentium, tradit, Salomonem dediſſe Hiramo urbem Zabulon. An mendum aliquod irrepſit in Textum, ut Zabulon legatur pro Chabulon? Alibi (12) oppidum Chabulon collocat prope Ptolemaidem; de quo ita agit, ut intervallum inter duo illa loca majus quam duarum leucarum conſtituendum non ſit. Denique agens de urbe Zabulon (13), quo Ceſtius caſtris exutus ſe ſe recepit, affirmat, munitam eſſe hanc Galilææ urbem, qua Ptolemais ab Judæorum ditione ſeparatur. Ex his ſimul omnibus colligimus, I. *Chabul*, Zabulon, & Chabulon, apud Joſephum, varia eſſe nomina, rem unam. II. Terram Chabul portionem eſſe Galilææ inferioris, & proximam Ptolemaidi. Cum tamen Joſue in eodem ſimul loco meminerit Zabulonis, & Chabul, tamquam duarum diſtinctarum urbium, deceptum fuiſſe Joſephum, qui ex utraque unam fecerit, non immerito ſuſpicamur.

℣. 14. Centum viginti talenta auri. Talentum auri æſtimabatur, ad monetam noſtratem, ſexaginta novem millibus, quingentis triginta & una libris, ac ſolidis quinque. Itaque centum viginti talenta reddebant octuagies centena millia, trecenta quadraginta tria millia, ſeptingentas quadraginta libras. Hac pecunia, mutui lege ſoluta, Salomonem ædificiis ſuis occupatum Hiramus juverat.

℣. 15. Hæc est summa expensarum. Quid? An nihilo majorem ſummam erogavit, quam talenta centum viginti? Plus utique inſumpſit; ſed hic verſiculus, arbitror, accipiendus eſt tamquam epilogus eorum, quæ hucuſque narrata ſunt, de ſumptibus Salomonis in omnibus ſuis ædificiis. Hæc molitus eſt Salomon, hos erogavit ſumptus: hæc ædificia ſtruxit, hæc impendit excitando Templo, atque Regalibus ædibus ædificandis. Hic ſenſus commode aptatur Hebræo (14): *Hæc cauſa tributi a Salomon imperati pro ædificanda domo Domini.* Immodica ſumptuum copia, quam in ædificiis hiſce omnibus impendit, coegarunt Principem tributa imperare reliquiis Chananæorum, de quibus agetur inferius ℣℣. 20. & 21. vectigalia pariter a ſubditis exigere, quæ cauſa fuit gravium malorum in ejus familiam & Rempublicam. Vel alio ſenſu Textus redditur: Viginti urbes a Salomone Hiramo datæ fuerunt in præmium opificum, quibus Salomon uſus eſt in ædificatione Templi. Vel potius: Hæc cauſa fuit operarum, quæ Salomon in ædificium Templi indixit. Animadverſum eſt ſupra v. 9. homines illos ex univerſo Iſraele, qui vectigalem operam ſuam juſſi reddebant, *tributi* nomine appellatos fuiſſe; & qui illis præerat Abiram, *Principem* fuiſſe *ſuper tributa*.

Et Mello. De *Mello* actum eſt in 2. Reg. v. 9. Vallis erat inter montem Sion, & urbem Jebus, quæ aggeſta humo oppleta fuit, cujus in ſolo æquato & ædificia ſteterunt, & forum ad publicos populi conventus. Id operis a Davide cœptum, Salomon abſolvit. Ex Paralipomenis (15) innui videtur, Mello locum fuiſſe in urbe munitum, vel ſaltem murum ibi ſtetiſſe, quem reparavit Ezechias, defenſionem parans adverſus Aſſyrios. Partem Mello occupaſſe videntur ædes filiæ Pharaonis; legimus enim inferius (16), Salomonem excitaſſe Reginæ huic ædes, eodemque tempore condidiſſe *Mello*. Rex Joas (17) neci traditus fuit a conjuratis in ædibus Mello. Agit hic & ali-

(1) 2. Par. VIII. 2. (2) Toſt. Sanct. Menoch. Tir. Serar. Cornel. (3) 3. Reg. XX. 32. (4) 2. Reg. I. 26. (5) 1. Macc. X. 18. & XI. 30. (6) 2. Macc. XI. 22. (7) Vat. Fuller. Miſcell. 5. 16. (8) Ita Bochart. Canaan 2. c. 4. (9) Hieron. in c. 1. Amos. (10) Joſeph. de Bello l. 3. c. 4. (11) Lib. 1. cont. Appion. p. 1042. d. (12) Lib. de vita ſua p. 1015. b. c. (13) De Bello l. 2. c. 37. (14) וזה דבר המס אשר העלה המלך שלמה לבנות את בית יהוה (15) 2. Par. XXXII. 5. *Inſtauravitque Mello in civitate David.* (16) ℣. 24. *Filia Pharaonis aſcendit de civitate David in domum ſuam, quam ædificaverat ei Salomon: tunc ædificavit Mello.* (17) Vide 4. Reg. XIII. 20.

& alibi Scriptura de Mello, tamquam de Regia domo, & uno e maximis ædificiis Salomonis. Denique ex Capite XI. 27. hujus Libri diſcimus, Salomonem, eum ædificium illud Mello aggreſſus eſt, tributum, ſeu potius vectigales operas omnibus Tribubus indixiſſe, ut tanti operis molem perficeret; quod Jeroboamum filium Nabath impulit ad defectionem (1). Atque hinc ratio ſuppetit ſolvendi nodi, qui nos detinuit in hoc ỳ. 15. Monet Sacer Hiſtoricus, cauſam fuiſſe Regi, ut vectigales operas a ſubditis ſuis exigeret, ac nova illis onera imperaret, cauſam, inquam, fuiſſe primo Templi, quod ſuſceperat, ædificium, tum regalium ædium ſuarum, deinde ædium filiæ Pharaonis ſubſtructionem, ac denique *Mello*. Poſtrema hæc opera irritarunt populos, ac defectionis occaſionem Jeroboamo ſuppeditarunt. Feſſi Iſraelitæ improbis hiſce duriſque laboribus, quorum nullum exitum nanciſcebantur, ſed alter alteri ſuccedebat, abalienari cœperunt animis a Salomone, & cum ab ejus ſucceſſore Roboamo non exaudirentur, tandem in apertam defectionem erupere.

Hezer vel Hazer, vel Chazer. Hujus nominis plures ſunt urbes, e quibus una ſedet in Tribu Juda (2), altera in Nephtali (3), & alibi: quare definiendo, quam potiſſimum munierit atque ædificaverit Salomon, fruſtra laboremus.

Magedo, in Tribu Manaſſe. Vide quæ animadvertimus ad Joſue XII. 21.

Gazer, quam urbem evertit Joſue, cujus & Regem interfecit (4). Obrigit in partem Tribus Ephraimi, atque in ſedem Levitarum deſtinata fuerat; ſed a Chananæis iterum ſuperata, ipſis uſque ad Salomonis Regnum paruit. Pharao Rex Ægypti armis illam cepit, deditque Salomoni in dotem pro filiæ nuptiis. Salomon vero illam & reſtituit & munivit.

ỳ. 16. Dedit eam in dotem filiæ. Moris erat apud Hebræos, ut ſponſus dotem ſolveret ſponſæ, ut quam fœminam duceret, hanc emeret. Non ita vero apud Principes, cum pares ſibi uxores ducerent: ſponſa enim dotem ſponſo deferebar. Spondet Saul & filiæ nuptias & opes ingentes illi, qui Goliath necaverit (5); & cum actum eſt de tradenda nuptui filia illius Meroba Davidi, juſſu Regis ipſi renunciatum eſt, Regem nihil pro dote filiæ poſtulare, ſed quærere tantum a genero, ut centum præputia Philiſtæorum daret, atque ita ſeſe de hoſtibus ulciſceretur (6). *Non habet Rex ſponſalia neceſſe, niſi tantum centum præputia Philiſthinorum, ut fiat ultio de inimicis Regis*. Antiochus Epiphanes Templum Nanneæ ingreſſus, quaſi nuptias cum Dea conciliaturus, re tamen vera, ut Templum illud diriperet, jactabat veniſſe ſe (7), *ut acciperet pecunias multas, dotis nomine*. Hemor Rex Sichem conciliaturus nuptias inter filium ſuum Sichem, & Dinam filiam Jacobi, propoſuit (8): *Augete dotem, & munera poſtulate*. Ptolemæus Philadelphus, Rex Ægypti, filiam ſuam Berenicem Antiocho Deo Regi Syriæ uxorem daturus, dedit filiæ tradendas viro pecunias plane immenſas, ex quo cognomen fœminæ, *Phernophoro, dotem ferenti*. Antiochus Magnus ſpondet Ptolemæo Illuſtri, Regi Ægypti, in dotem pro nuptiis filiæ ſuæ, Samariam & Judæam, quas illi uſurpaverat. Agamemnon apud Homerum daturum ſe pollicetur viro, qui filiam ſuam duxerit, ſeptem eximias urbes, nihilque ſe dotis ab illo exacturum (9). Ex univerſa Regum hiſtoria patet, magnum poſuiſſe diſcrimen Reges inter filias vicinorum Regum, quas ſibi adſciſcebant uxores, cæteraſque, quas ducebant conjuges. Filia Pharaonis, Jezabel filia Regis Tyri, & uxor Achabi, Athalia filia Regis Amri, uxor Jorami, Regis Juda, ſatis ſuperque demonſtrarunt, quantæ eſſent authoritatis in virorum imperio.

Vox Hebræa (10), quæ hic redditur *dos*, ſonat ad literam munera, quæ mittuntur; atque apud Græcos obtinet, ut ἕδνα *munera*, appelletur dos, quæ patri vel neceſſariis ſponſæ ſolvitur.

ỳ. 18. Baalath. Duæ vel tres urbes hujus nominis occurrunt (11), & quam potiſſimum ex iis hic innuatur, non indicato ſitu, ignoramus.

Palmiram in terra solitudinis. Hebræus תדמר במדבר בארץ *Thadmor in deſerto in terra*. Septuaginta tantum: Ἐν τῇ ἐρήμῳ, *In deſerto*. Clericus nomen *Aram* ſupplens, vertit: *In deſerto, in terra Aram*; ideſt, in Syria. Conſtat equidem, urbem Thadmor vel Thadmar in Syria Soba jacuiſſe (12). Urbs Palmyræ apud Veteres magnopere celebratur (13). Jacebat in medio vaſtiſſimæ ſolitudinis, undique circumfuſæ, opibus, aquis, amplitudine etiam atque etiam commendata. Media erat inter duo Imperia, Romanorum & Parthorum, diſtans a Seleucia ad Tigrim, CCCXXXVII. M. paſſibus, & a litore maris CCIII. M. paſſibus, atque a Damaſco CLXXVI. Ambigunt nonnulli, utrum urbs Thamor vel Thadmor, de qua hic Hebræus (14), eadem cum Palmyra cenſenda ſit. Sed in hanc ſententiam nos deducit Scriptura, affirmans, Salomonem ſubegiſſe regionem Emath Soba, ibique Thadmor condidiſſe (15). Nulla enim eſt in his regionibus urbs, præter Palmyram, quacum hæc omnia congruant. *Thamar*, vel Thamor in Hebræo ſonat *palmam*; & Græci Palmyram eamdem Urbem, quam Syri *Thabor* vel Thadmor appellant, teſte Joſepho (16). Denique ſitum Palmyræ ita deſcribit Joſephus, ut ſatis congruat cum urbe, de qua Plinius. Aſſerit enim, diſtare a ſuperiore Syria duarum dierum itinere; ab Euphrate, unius diei; a Babylone magna, ſex dierum: cauſam vero condendæ hic urbis Salomoni hanc fuiſſe tradit, quod nullos in agro fontes vel puteos, niſi hic, nactus ſit. Superſunt adhuc rudera Thadmor, quarum deſcriptionem Itineraria quædam exhibent. Nihil erat olim in toto Oriente magnificentius: columnarum ibi copia numerum omnem vincebat; ſuperſunt & publicorum ædificiorum, atque ædium magnifica veſtigia. Inſcriptiones, quæ magno numero hic eruuntur, partim Græce deſcriptæ ſunt, partim vetuſtis Palmyrenorum literis, quæ hodie penitus ignorantur. Conſule Diſſertationes Philoſophicas, impreſſas in Anglia menſe Octobri, A. 1695. ac Itinerarium D. Le Brun, e Belgico in Gallicum translatum pag. 342. & ſeq. In omnibus Græcis Inſcriptionibus Judaiſmi, & Chri-

(1) 3. Reg. XI. 27. *Hæc eſt cauſa rebellionis adverſus eum, quia Salomon ædificavit Mello.* (2) Joſue XV. 23. 25. (3) Joſue XIX. 36. (4) Joſue X. 33. & XII. 12. (5) 1. Reg. XVII. 25. *Ditabit Rex divitiis magnis, & filiam ſuam dabit ei.* (6) 1. Reg. XVIII. 25. (7) 2. Macc. I. 13. 14. (8) Geneſ. XXXIV. 12. (9) Homer. Iliad. I.

Τάων ἥν κ' ἐθέλῃσι, φίλην ἀνάεδνον ἀγέσθω,
Πρὸς οἶκον Πηλῆος· ἐγὼ δ' ἐπὶ μείλια δώσω,
Πολλὰ μάλ', ὅσσ' οὔπω τις ἑῇ ἐπέδωκε θυγατρί.
Ἑπτὰ δέ οἱ δώσω εὐναιόμενα πτολίεθρα.

(10) ויתנה שלחים לבתו Septuag. *Καὶ ἔδωκεν αὐτὴν ἀποστολὰς τῇ θυγατρὶ αὐτοῦ.* (11) Vide ad Joſue XIX. 44. (12) 1. Par. VIII. 3. (13) Plin. lib. 5. c. 25. *Palmyra urbs nobilis ſitu, divitiis ſoli, & aquis amœnis, vaſtis undique ambitu harenis includit agros, ac velut terris exempta a rerum natura, privata ſorte inter duo imperia ſumma, Romanorum, Parthorumque, & prima in diſcordia ſemper utrinque cura.* (14) תמור; ſed 2. Par. VIII. 4. תדמור (15) 2. Par. VIII. 4. 5. (16) Joſeph. Antiq. lib. 8. c. 2. Θαδάμορα ὀνόμασε, καὶ τοῦτ' ἔτι νῦν καλεῖται παρὰ τοῖς Σύροις· οἱ δὲ Ἕλληνες αὐτὴν μεταγορεύουσι, Παλμύραν. Beniamin Tudelenſis meminit etiam urbis Thadmur; & Tavernier in ſuo Itinerario Perſico quemdam Arabiæ deſertæ locum deſcribit, iis quæ de Palmyra ſcimus, omnino perſimilem.

ſtianæ Religionis ne ullum quidem veſtigium eſt: omnia paganam ſuperſtitionem ſapiunt. Fortaſſe tamen in aliis, ignoto charactere exaratis, eorum, ac præſertim Judaiſmi, mentio aliqua fit. Palmyra ab Aureliano Imperatore everſa eſt. Palmyra hodie eſt urbs parva in deſerto Syriæ & in ditione Ems ſeu Emeſæ. Solum habet maxime irriguum, conſitum palmis, olivis, & ficuum arboribus. Neminem latent quæ de vetuſtis ejus monumentis feruntur. Ex urbe hac ad urbem Ems iter eſt trium ſtationum, totidemque Palmyra a Salamiſa diſtat. Vide Abulſedę deſcriptionem Arabicam.

℣. 19. Omnes vicos qui ad se pertinebant, et erant absque muro. Hebræus (1): *Omnes urbes theſaurorum*, vel *horreorum erant ipſi*, Urbes, quo colligebat proventus ſuos omnes, frumentum, vinum, oleum, quæque erant in finibus Regni; neque enim credimus, urbes omnes Regni ſui muniiſſe. In Exodo legimus, Regem Ægypti coegiſſe Judęos condere urbes, appellatas eodem nomine, quod & hic recurrit (2): *Urbes theſaurorum*, vel *urbes munitas*; vel denique, *Urbes Tabernaculorum*, *urbes bellicas*. S. Hieronymus, qui in recitato Exodi loco Hebræum reddidit, *urbes Tabernaculorum*, vertit hic, *vicos qui erant abſque muro*. Originalis ad literam exprimere poteſt (3), *urbes indigentiæ*, urbes deſtinatæ ad ſervandam annonam, ut inopiam ſeu præveniant, ſeu depellant.

Civitates curruum. Vide quæ de hoc argumento diſſeruimus ſupra iv. 26. 27.

Et in Libano. Ædes condidit, quibus datum eſt cognomen (4) *Saltus Libani*, quamquam in urbe Jeroſolyma continebantur. Quin & in Libano ædificium aliquod conſtituit. Sponſus in Cantico (5) meminit turris Libani; cujus veſtigia nonnulla adhuc ſupereſſe in Libano, aſſirmat Gabriel Sionita (6). Beniamin Tudelenſis narrat, ejuſdem ædificii rudera quædam ſeſe vidiſſe; cujus lapides porrigebantur in longum palmis viginti, in latum duodecim. Conſtans regionis illius traditio fert, Salomonem regionem illam ædificiis aliiſque pluribus operibus ornaſſe. Porro tranſitus Libani magno erat illi momento, ut aditum haberet in Syriam, ſubditam imperio ſuo regionem (7).

℣. 20. Universum populum qui remanserat de Amorrhæis. Ex teſtimonio præcedentium librorum conſtat, Chananæorum veterum plures in Palæſtina perſeveraſſe, quos Hebræi delere ſeu noluerunt, ſeu non potuerunt. Ipſe pariter Joſue, Samuel, Saul, David delere omnes non valuerunt; ſatiſque viſum eſt imbecilliores ſubmittere, & tributo obnoxios facere. Cum vero Salomon viribus ſe creviſſe ſentiret, atque firmius haberet anteceſſoribus omnibus Regnum, plena ſervitute illos ſubmiſit, coegitque non tributum modo, ſed & vectigales operas pendere, duriores utique & graviores tributo. Nequaquam tamen ita factum eſt, ut e Chananæis etiam nonnulli poſt ſolutam captivitatem Babylonicam in regione non ſupereſſent (8): venerant illi facile ex Phœnicia.

℣. 21. Fecit tributarios usque in diem hanc. Hebræus (9): *Fecit ire* [vel aſcendere] *in tributum* [ſeu ad operas vectigales] *ſervile uſque ad diem hanc*. Tradit Joſephus (10), Salomonem jugo ſubmiſiſſe Chananęos, qui nondum parebant Iſraelitis, quique ſedes habebant in Libano, & uſque ad urbem Emath; imperaſſe illis tributum, adegiſſe ad ſervitutem, ſervorum onera impoſuiſſe, atque ex illis certum quotannis numerum ad opera agriculturę præſtanda ſelegiſſe. Addi etiam poteſt, ad opera cætera pro arbitrio, uti ad ædificia, vel alia quæcumque. Perinde illos habuit Salomon ac bello captos, ex communi ejus ætatis lege. Jus illi fuiſſet victos neci tradere; maluit ſervare captivos. Miſeram hanc conditionem ſubibant Chananæi, Scriptoris horum librorum ætate: *Uſque in diem hanc*. Appellat illos pariter Eſdras (11) *ſervos Salomonis*; e quibus nonnulli cum Judæis e captivitate Babylonica redeuntibus admiſcebantur. Nec alios credimus Proſelytos deſignatos in 1. Paralipomenon xxii. 2. Ex illis centum quinquaginta tria millia & ſexcentos Salomon in regione deprehendit. 2. *Paral.* ii. 17. 18.

℣. 22. De filiis Israel non constituit servire quemquam; nempe ut ſervitutem ſubiret, ſeu potius ut operibus illis, quæ aggreſſus eſt, ſerviret, uti exprimitur in 2. Paralipom. viii. 9. Applicavit Salomon centum quinquaginta tria millia Proſelytorum ac ſexcentos, de quibus hic, ut Templi ædificio ſervirent. Miſit illos ad Libanum, ut cęderent dolarentque ligna in uſum ædificii; & in eamdem rem pariter adhibuit, cum ædificia ædium ſuarum ac reliqua deinceps proſequutus eſt. Sed hiſce operibus nullum Iſraelitam vi occupavit, plena illos libertate uti ſinens. Habuit illos Rex milites tantum in exercitu, & Præfectos tum rerum civilium tum militarium. Idem pariter de Seſoſtri Ægypti Rege memorię proditum eſt. Redux ille ex ingentibus expeditionibus, quas fama non adhuc ſilet, Templa in omnibus Ægypti urbibus condere aggreſſus eſt; neminem tamen ex Ægyptiis operam in hac re ſuam locare paſſus: ingenti enim captivorum manu tantum omnia molitus eſt; ſingulis autem hiſce Templis hanc præfixit inſcriptionem: Οὐδεὶς ἐγχώριος εἰς αὐτὰ μεμόχθηκε (12), *Nemo indigena in his laboravit*. Vide Matthæum xvii. 24. *Reges terræ, a quibus accipiunt tributum vel cenſum? a filiis ſuis, an ab alienis? Et Petrus dixit: Ab alienis. Dixit illi Jeſus: Ergo liberi ſunt filii*.

℣. 23. Præpositi quingenti quinquaginta. In Paralipomenis tantum (13) ducenti quinquaginta. Supra v. 16. legimus ter millenos ac trecentos; & alibi in Paralipomenis (14) ter millenos ac ſexcentos; quæ tamen loca facile conciliantur. Ducenti quinquaginta Præpoſiti, de quibus in 2. Paralipom. viii. 10. Præfecti erant militiæ Salomonis, uti Textus non obſcure docet. Quingenti quinquaginta, de quibus hic, *ſtatutis operibus imperabant*, ideſt, curabant Imperium, proventus, equos. Denique numerum hunc Præfectorum tenebant viri in toto Regno Principes. Ter mille trecenti, de quibus ſupra v. 16. vel ter mille ſexcenti, de quibus in Paralipomenis, Inſpectores erant horum centum quinquaginta millium ex alienis vel Proſelytis, quos Rex addixit operibus, cædendiſque lignis & lapidibus in Libano. Hæc e variis iſtis Textibus ſimul collatis colliguntur.

℣. 25. Offerebat tribus vicibus per annos singulos holocausta, ritu celebri ac ſolemni. Tria hæc anni feſta ſunt Paſcha, Pentecoſte, & Taber-

(1) ואת כל ערי המסכנות אשר היו לשלמה (2) Exod. i. 11. ערי מסכנות Septuag. Hic, πόλεις τῶν σκηνωμάτων. Et Exod. i. 11. πόλεις ὀχυράς. (3) מסכן *indigere*, *deſtitutum eſſe*. (4) 3. Reg vii. 2. (5) Cantic. vii. 4. *Naſus tuus ſicut turris Libani*. (6) Gabriel Sionit. Arab. p. 6. (7) Vide 2. Par. viii. 3. 4. (8) 1. Eſdr. ix. 1. (9) ויעלם שלמה למס עבד עד היום הזה Septuag. ἀνήγαγεν αὐτοὺς Σαλωμὼν εἰς φόρον δουλείας ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης. (10) Joſeph. Antiqu. lib. 8. cap. 2. (11) 1. Eſdr. ii. 55. & 2. Eſdr. vii. 60. *Omnes Nathinæi, & filii ſervorum Salomonis trecenti nonaginta duo*. (12) Diodor. Biblior. lib. 1. (13) 2. Par. viii. 10 *Principes exercitus Regis Salomonis fuerunt ducenti quinquaginta, qui erudiebant populum*. (14) 2. Par. ii. 18. *Tria millia & ſexcentos præpoſitos operum populi*.

Digitized by Google

bernacula. Ad tria hæc confluere viros omnes e populo coram ſe, Deus juſſit. Legimus in Paralipomenis (1), Salomonem offerenda curaſſe in Altari holocauſtorum ſacrificia conſueta quotidiana diebus Sabbati, & Kalendis ſingulorum menſium; exhibuiſſe ſcilicet ſuis ſumptibus ad ea ſacrificia victimas. Vide II. Paralipomenon XXXI. 3.

℣. 26. CLASSEM FECIT REX SALOMON IN ASIONGABER. Urbem Aſiongaber ſtatuimus ad unam oram Sinus Elanitici ad Orientem Elath, ad Erythræum (2). Eo veniſſe Salomonem, docent Paralipomena (3). Sed per alios potius quam per ſe, veniſſe eo videtur.

℣. 27. MISIT HIRAM IN CLASSE ILLA SERVOS SUOS. Claſſem ſuam (4), vel naves aliquot, tum & nautas Tyrios Salomoni conceſſit. Rei enim nauticæ peritiſſimi erant Tyrii, imperitiſſimi viciſſim Hebræi, qui parum vel nihil ſtuduerant navigationi. Commentariorum Scriptores nonnulli (5) cenſent, claſſem ſuam inſtruxiſſe Salomonem non nautis e Tyro Phœniciæ, ſed e Tyro inſula maris Rubri, quam Hiramo paruiſſe ferunt. Ex capite ſequenti ℣. 22. conſtat, Hiramum claſſem ſuam junxiſſe claſſi Salomonis, ut aurum referret.

℣. 28. QUI CUM VENISSENT IN OPHIR. De Regione Ophir vide noſtram Diſſertationem in Tomo primo in Geneſim. Regionem hanc conſtituimus circa fontes Tigridis & Euphratis.

AURUM QUADRINGENTORUM VIGINTI TALENTORUM. Talentum aureum, uti jam animadvertimus, æſtimabatur ſexaginta novem millibus, quingentis triginta & una libris, ac ſolidis quinque monetæ noſtratis. Quadringenta viginti talenta ſupputantur undetriginta millies millibus, ducentis ter millibus, centum vigintiquinque libris.

Aurum ex Ophir delatum ſupputatur in Paralipomenis (6) ad quadringenta quinquaginta talenta. Sed in Libris Regum ſupputari dicitur aurum in ſe; in Paralipomenis vero æſtimationem totius mercis ex ea navigatione relatæ: vel forte triginta illa talenta, quibus ſumma Paralipomenon ſuperat ſummam librorum Regum, erogata ſunt in ſumptus navigationis atque nautarum.

(1) 2. Paral. VIII. 13. *Ut per ſingulos dies offerretur in eo . . . in Sabbatis, & in Calendis, & in feſtis diebus ter per annum, id eſt, in ſolemnitate azymorum, & in ſolemnitate hebdomadarum, & in ſolemnitate Tabernaculorum.* (2) Vide Num. XXXIII. 15. & Deut. II. 8. (3) 2. Paral. VIII. 17. (4) 2. Paral. VIII. 18. (5) Grot. Vat. (6) 2. Paral. VIII. 18.

C A P U T X.

Regina Saba ad Salomonem venit; cujus & ſapientiam & magnificentiam admiratur. Dimiſſionem ab illo rogat, collatis viciſſim atque acceptis muneribus ſplendidiſſimis. Clypeus aureus & thronus eburneus Salomonis. Claſſes Hirami & Salomonis ſimul navigant in Tharſis.

℣. 1. SEd & Regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit ten-
tare eum in ænigmatibus. 2. Et ingreſſa Jeruſalem multo cum comitatu,
& divitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pre-
tioſas, venit ad regem Salomonem, & locuta eſt ei univerſa, quæ habebat in corde
ſuo. 3. Et docuit eam Salomon omnia verba, quæ propoſuerat: non fuit ſermo, qui
regem poſſet latere, & non reſponderet ei. 4. Videns autem regina Saba omnem
ſapientiam Salomonis, & domum, quam ædificaverat, 5. Et cibos menſæ ejus, &
habitacula ſervorum, & ordines miniſtrantium, veſteſque eorum, & pincernas, & ho-
locauſta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultra ſpiritum. 6. Dixitque
ad regem: Verus eſt ſermo, quem audivi in terra mea 7. Super ſermonibus tuis,
& ſuper ſapientia tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi
oculis meis, & probavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit: major eſt ſapien-
tia, & opera tua, quam rumor, quem audivi. 8. Beati viri tui, & beati ſervi tui,
qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. 9. Sit Dominus Deus tuus
benedictus, cui complacuiſti, & poſuit te ſuper thronum Iſrael, eo quod dilexerit
Dominus Iſrael in ſempiternum, & conſtituit te regem, ut faceres judicium, & ju-
ſtitiam. 10. Dedit ergo regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis,
& gemmas pretioſas: non ſunt allata ultra aromata tam multa, quam ea, quæ dedit
regina Saba regi Salomoni. 11. (Sed & claſſis Hiram, quæ portabat aurum de O-
phir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis, & gemmas pretioſas, 12. Fecit-
que rex de lignis thyinis fulcra domus Domini, & domus regiæ, & cytharas, lyraſ-
que cantoribus: non ſunt allata hujuſcemodi ligna thyina, neque viſa uſque in præ-
ſentem diem.) 13. Rex autem Salomon dedit reginæ Saba omnia, quæ voluit, &
petivit ab eo: exceptis his, quæ ultro obtulerat ei munere regio. Quæ reverſa eſt,
& abiit in terram ſuam cum ſervis ſuis. 14. Erat autem pondus auri, quod offere-
batur Salomoni per annos ſingulos ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum auri: 15.

Exce-

Excepto eo, quod afferebant viri, qui ſuper vectigalia erant, & negotiatores, univerſique ſcruta vendentes, & omnes reges Arabiæ, duceſque terræ. 16. Fecit quoque rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo, ſexceotos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti unius. 17. Et trecentas peltas ex auro probato: trecentæ minæ auri unam peltam veſtiebant: poſuitque eas rex in domo ſaltus Libani. 18. Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandem: & veſtivit eum auro fulvo nimis, 19. Qui habebat ſex gradus: & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori: & duæ manus hinc, atque inde, tenentes ſedile: & duo leones ſtabant juxta manus ſingulas. 20. Et duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc, atque inde: non eſt factum tale opus in univerſis regnis. 21. Sed & omnia vaſa, de quibus potabat rex Salomon, erant aurea: & univerſa ſupellex domus ſaltus Libani de auro puriſſimo: non erat argentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis, 22. Quia claſſis regis per mare cum claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in Tharſis, deferens inde aurum, & argentum, & dentes elephantorum, & ſimias, & pavos. 23. Magnificatus eſt ergo rex Salomon ſuper omnes reges terræ divitiis, & ſapientia. 24. Et univerſa terra deſiderabat vultum Salomonis, ut audiret ſapientiam ejus, quam dederat Deus in corde ejus. 25. Et ſinguli deferebant ei munera, vaſa argentea, & aurea, veſtes, & arma bellica, aromata quoque, & equos, & mulos, per annos ſingulos. 26. Congregavitque Salomon currus, & equites, & facti ſunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum: & diſpoſuit eos per civitates munitas, & cum rege in Jeruſalem. 27. Fecitque ut tanta eſſet abundantia argenti in Jeruſalem, quanta & lapidum: & cedrorum præbuit multitudinem, quaſi ſycomoros, quæ naſcuntur in campeſtribus. 28. Et educebantur equi Salomoni de Ægypto, & de Coa. Negotiatores enim regis emebant de Coa, & ſtatuto pretio perducebant. 29. Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto ſexcentis ſiclis argenti, & equus centum quinquaginta. Atque in hunc modum cuncti reges Hethæorum, & Syriæ equos venumdabant.

℣. 1. REGINA SABA. Alibi a nobis demonſtratum eſt (1), quatuor fuiſſe *Sabas*, quorum nomen derivari potuerit in eam, quam tenebant, regionem. De Regno hujus fœminæ diſſidium eſt inter Commentariorum Scriptores. Alii (2) ſtatuunt in Arabia felici; alii (3) in Æthiopia vel Ægypto. Fulcitur ſecunda ſententia veteri traditione Abyſſinorum vel Æthiopum, quorum Reges ſatos ſe gloriantur e Salomone per filium, quem ex eo Rege Saba Regina peperit. Redux illa domum, Regnum ad annos quinque & viginti prorogavit, cui ſucceſſit filius Menilehecus, vel Meilicus, tum David, qui annis unde triginta regnavit. Familiæ hujus Imperatores quatuor & viginti recenſentur a Menilehcco uſque ad *Pacilidam*, qui medio ſæculo decimo ſeptimo regnabat. Extra ſamiliam poſterorum Salomonis fuit Imperium ſpatio circiter trecentorum quadraginta annorum, ab anno J. C. DCCCCLX. uſque ad MCCC. Tunc Iqunu, e ſamilia Salomonis, avito ſolio reſtitutus eſt, ductaque ex eo ſamilia adhuc in Imperio perſeverat. Neque legitimum ducunt, niſi ex familia, Principem (4). Regibus autem ſuis alios etiam titulos addunt, uti: *E ſtirpe Juda, filius David, filius Salomonis, filius Columnæ Sion, filius e familia Jacobi; Columna fidei &c.* Fertur, ea Regina filium enixa, poſt aliquot annos illum miſiſſe ad Salomonem patrem ſuum, ut religionem Judæorum doceretur; cui Salomon eximios Præceptores addixit, ac præſertim Azariam filium Sadoc Summi Sacerdotis, qui Azarias furto ſubduxit tabulas lapideas in Arca fœderis ſervatas, ſecumque in Æthiopiam una cum alumno tulit (5). Apage fabulas, cæcitate & ignorantia Abyſſinorum digniſſimas.

Reginam hanc ex Ægypto acceſſit Joſephus (6); ſed oſcitanter ille adeo, ut in ejus narratione duodecim plane errata deprehenderit Bochartus (7). Tradit ille, Reges Ægypti olim commune Pharaonis nomen omnes adſciviſſe: omnium autem poſtremum, eorum, qui Pharaones nuncupati fuerint, illum fuiſſe dicit, qui nuptias filiæ ſuæ cum Salomone conciliavit. Addit, *Nicaulem*, quæ huic ſucceſſit, quæque Ægypti atque Æthiopiæ imperium moderabatur, fama ſapientiæ Salomonis invitatam, ſeſe ad illum contuliſſe. Alibi vero ſcribit (8), Inſulæ Meroæ *Seba* nomen fuiſſe, antequam Cambyſes in Ægyptum veniret: qua ex re facile deductus eſt ille in eam opinionem, ut Reginam Saba, de qua Scriptura, Ægypto atque Æthiopiæ præficiat. Malis avibus conceptam narrationem adoptavit Grotius hoc loco, ratus Reginam Sabam regnaſſe in Meroe, ubi diu penes fœminas ſtetiſſe imperium, Strabo animadvertit (9). Regnantium illarum mulierum commune nomen erat *Candace*; cujus nominis Reginam quamdam memorant Acta Apoſtolorum VIII. 27. Earum Imperio parebant *Sabritæ*, quorum nomen affinitatis habet plurimum cum Saba. Imbecillitas hujus conjecturæ ad ſenſum utique patet. Nihil eſt, nequid gravius dicam, incertius quam teſtimonium Joſephi de Meroe, ante Cambyſem *Sabæ* nomine appellata. Nemo unquam hoc docet, neque Geographus, neque Hiſtoricus, uno excepto Joſepho; quique conditæ Meroes tempus narrant (10), ita de illa, tamquam de nova urbe, non tamquam de reſtituta agunt.

Quæ

[1] Geneſ. x. 7. & 28. & XXV. 3. [2] Raban. Hug. Cardin. Dionyſ. Toſt. Janſ. Maldon. Cornel. a Lapide. [3] Hieronym. in cap. LX. Iſai. Sanct. Menoch. Vatab. Boch. Phaleg. l. 2. c. 26. Eſt. Tirin. Serar. Salian. Martyr. Rabbini apud Bochart. Theodoret. q. 33. in 3. Reg. & Procop. [4] Hiſtoire de la haute Ethiopie, par Manuel Dalmeida page 11. Vide & Scriptores Hiſtoriæ Æthiopum. [5] Vide ſi lubet, Sanct. hic n. 15. 16. [6] Joſeph. Antiq. l. 8. c. 2. Ita Origen. hom. 2. in Cant. [7] Boch. Phaleg lib. 2. c. 26. [8] Antiqu. lib. 2. c. 5. [9] Strabo lib. 16. & 17. & Plin. lib. 6. cap. 26. [10] Vide Diodor. lib. 1. & Luc. Ampel. de Cambyſe.

Digitized by Google

Quæ ſententia Regnum Sabæ in Arabia felici collocat, & inde veniſſe Reginam ad Salomonem docet, petitur I. ex eo, quod *Seba* vel *Saba* regio ſit Arabiæ felicis. E quatuor viris eodem Saba nomine appellatis, qui in Scriptura occurrunt, quis potiſſimum regionem hanc, quam inveſtigamus, frequentaverit, ignoratur; filius ne Chus, Jectan, an Jetan, incertum. Verum in Arabia felici notos fuiſſe Sabæos, plane conſtat. Ejus regionis incolæ boves Jobi rapuerunt (1). Arabes cum Sabæis Pſalmiſta conjungit (2): *Reges Arabum & Saba dona adducent*. Jungit illos Iſaias Chuſitis, ex Arabia populis (3). Ezechiel ſociat cum Dedan (4), ejuſdem regionis incolis. II. Saba dives erat iis omnibus, quæ Regina detulit ad Salomonem, auro, aromatibus. Iſaias LX. 6. *Omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes*. Pſalmus LXXI. 15. *Vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ*. Jeremias VI. 20. Deum loquentem ad Judæos inducit: *Ut quid mihi thus de Saba affertis?* III. S. Matthæus XII. 42. Reginam Saba appellat *Reginam Auſtri*; quod nomen nulli malius quam Arabiæ, ex Judæa ſpectatæ, congruit. Addit Jeſus Chriſtus, eam Reginam ab extremis terræ veniſſe, audituram Salomonis ſapientiam: quod utique vix aliter accipiendum eſt, quam de regione Arabiæ felicis, multo propioris Oceano, ultra quem nihil adhuc terrarum innotuerat: *Terra finesque, qua ad Orientem vergunt, Arabia terminantur*, ait Tacitus in deſcriptione Judææ libro V. Hiſtoriarum.

IV. Profani Scriptores, qui Sabæos non ignorarunt, divitias illorum & aromata pluribus celebrant. Virgilius in 2. Georgicon:

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.

De illis Plinius (5): *Non alia ligni genera in uſu ſunt quam odorata, ciboſque Sabæi coquunt thuris ligno; alii myrrhæ*. Ælius Gallus apud Plinium meminit auri, in ea regione familiaris. *Ditiſſimos ſylvarum fertilitate odorifera, auri metallis &c.* Gemmas illorum fuſe perſequitur Plinius (6). Agit de Sabæis Agatharcides (7), tamquam de gente, cui nihil deeſt ad pompam, atque opes, metalli atque gemmarum. Paria legas apud Strabonem, & Diodorum Siculum.

V. Denique in regione Saba olim fœminæ regnabant (8).

. . . . Medis levibuſque Sabæis
Imperat hic ſexus, Reginarumque ſub armis
Barbariæ pars magna jacet.

Addi his poteſt recepta apud eas gentes narratio, quæ vel locum natæ hujus Reginæ indicat. Ambiguitas nominis Æthiopiæ errandi cauſam præbuit Recentiorum multis, qui cum legiſſent, fœminam hanc imperaſſe in Æthiopia, dictum acceperunt de regione, quæ peculiari nomine Æthiopia appellatur, cum potius uſurpandum eſſet de Æthiopia Arabiæ, ad extremam oram meridionalem Erythræi. Certo igitur ſtatuendum videtur, Reginam Saba imperaſſe Sabæis, in Arabia felici; huc enim collimant nomen & regionis dotes, huc etiam argumenta, quæ a nobis huc uſque congeſta ſunt.

Ad nomen fœminæ hujus Principis quod attinet, nihil certi apud Scriptores invenitur. *Nicaulen* appellat Joſephus, quaſi hoc ejus nomen Herodotus ſervaverit: ſed apud Herodotum (9) eſt *Nitocris*, non *Nicaule*. *Nicolau* (10) Rabbinus quidam nuncupat. Sybillam & vatem fuiſſe tradit Cedrenus, addens veniſſe illam, ut periculum faceret, utrum de ſapientia Salomonis vero majora fama nunciaret. Barrio & Genebrardo eſt *Makeda* (11). Incertiſſima omnia.

Audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus; fama ſcilicet, quam ſibi Rex in nomine Domini comparaverat; vel, mutata punctorum ratione, *Venit in nomine Domini*; ita ferme, quemadmodum veniſſe ſe affirmabant Gabaonitæ (12) *de terra longinqua valde in nomine Domini Dei*; ideſt, vocatos a nomine Domini, & fama eorum, quæ pro populo ſuo grandia præſtiterat. Igitur Regina Saba profecta eſt in nomine Domini ad Salomonem, videre cupiens grandia illa, quæ Dominus in eo Rege operatus fuerat: venit ut intelligeret gloriam & nomen magni Dei; venit rapta in obſequium Domini adeo patentis, ac deſiderio intuendi Regem numeris omnibus abſolutum, qui, ut phraſi Scripturæ utar (13), *magnifice ſapientiam tractabat*.

Alii (14) ita explicant: Venit ingenti Salomonis fama invitata. Solet Scriptura divini apithetum addere rebus ordinis ſuperioris, atque in genere ſuo ſingularibus; uti, ventus Dei, cedrus Dei, mons Dei, pulchritudo Dei. Igitur nomen vel fama Dei ſignificare poteſt famam viri claram, & undique diffuſam. Ea verba, *In nomine Domini*, ita acceperunt plures: Venit afflata divinitus, atque Dei ope adjuta, viſura Salomonem, veramque religionem agnitura. Sunt etiam (15), qui doceant, jam tunc profeſſam illam fuiſſe religionem naturalem, nec ignoraſſe Dominum. *Barbara natione, non animo; ea in aperto peregrina, in occulto Judæa currebat, ut lucem Sapientiæ, qua carebat, hauriret*, ait in Epiſtola quadam ſua S. Paulinus. Ita de illa agit Theodoretus (16) ceu de religioſa muliere, quam J. Chriſtus laudaverit. Ex iis fuiſſe dicit, quas ante Legem juſtitiam adeptas fuiſſe docet Apoſtolus. Bedæ eſt mulier ſancta, atque a Deo electa. Apud recentes Commentariorum Scriptores nonnullos (17) ordinem illarum tenet, quæ in Scriptura recenſentur tamquam ex alienis gentibus ad profeſſionem veræ religionis tranſlatæ, inter quas ſunt Rahab & Ruth Moabitis. Illa Salomonem verbis piiſſimis affatur: *Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuiſti, & poſuit te ſuper thronum Iſrael. . . . & conſtituit te Regem, ut faceres judicium, & juſtitiam* (18). Agnoverunt in illa Patres (19) vivam Eccleſiæ J. Chriſti imaginem, quippe quæ aliena licet ac ignora, reſipuerit, optaveritque ſapientiam veri Salomonis audire: *Præfiguratio Eccleſiæ eſt, quia peregrina, & incognita & pœnitentiæ credidit, & ſapientiam deſideravit audire*, ait S. Hilarius.

Venit tentare eum in ænigmatibus. In ſolvendis hujus generis quæſtionibus toti occupabantur ejus ætatis Literati. Tentabant ſeſe propoſitis ænigmatibus, deſtinato victoribus præmio; cujus moris exemplum ſeſe obtulit in nuptiis Samſonis (20). Memorant Scriptores Hiſtoriæ Phœnicum (21) ænigmata, quibus Salomon & Hiramus ſe mutuo provocabant. Arabum gentes, quæ ſapientiæ gloria florebant, problematibus, atque ænigmatibus ſolvendis exercebantur. Veterum iſtorum Arabiæ Sapientum claſſem Jobus, atque amici tenebant. Docet Scriptura (22), Salomonem Orientales cæteros ſapientia ſuperaſſe; quod de Arabibus, juxta non-

(1) Job I. 15. (2) Pſalm. LXXI. 10. (3) Iſai. XLIII. 3. *Dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam, [Heb. Chus] & Saba pro te.* (4) Ezech. XXXVIII. 13. *Saba & Dedan negotiatores tui.* (5) Plin. lib. 12. c. 17. (6) Plin. lib. 37. c. 6. & alibi pluries. (7) Agatharcid. apud Bocharti Phaleg lib. 2. c. 26. (8) Claudian. in Eutrop. l. 1. (9) Herodot. lib. 2. c. 10. (10) Author libri Juchaſ. fol. 136. (11) Vide, ſi lubet, Pinedam lib. 6. cap. 6. art. 1. (12) Joſue IX. 9. (13) 2. Maccb. II. 9. (14) Ludov. de Dieu. (15) Lyran. Toſt. (16) Theodor. q. 33. ἡ θαυμαστὴ ὄντως γυνὴ . . . . ὁ δεσπότης [illegible]. (17) Vide Pined. de Salom. lib. 5. c. 6. art. 2. n. 6. (18) Infra ℣. 9. (19) Hilar. in Pſalm. 121. Origen. homil. 2. in Cantic. Iren. lib. 4. c. 45. Nazianz. homil. 40. in Sanct. Baptiſma, Nyſſenus homil. 6. in Cantic. Cyrill. Alex. lib. 5. Comment. in Iſai. Author Serm. 231. Appendic. inter Auguſtinianos. (20) Judic. XIV. 12. (21) Joſeph. Antiq. lib. 8. c. 2. (22) 3. Reg. IV. 30.

nonnullos (1), accipiendum eſt. Pythagoram ad Arabes conceſſiſſe, fama ſapientiæ illorum invitatum, affirmat Porphyrius (2). Certaminum ſapientiæ, quibus ſe invicem Reges Æthiopiæ, atque Ægypti committebant, meminit Plutarchus (3).

℣. 4. VIDENS ... DOMUM, QUAM ÆDIFICAVERAT, ædes nempe Regias (4), vel potius Templum, & domum Dai. Magnificentiam enim Regalium ædium longiſſime ſuperabat auguſtum Templi Domini ædificium, quod vel ipſi Pagani admirati ſunt. *Judæi*, inquit Dio (5), *ſimulacro carent. Ineffabilem, & qui videri nequeat, Deum eſſe ajunt; ipſumque majori, quam cæteri ſuos, religione venerantur. Templum illi & maximum & pulcherrimum condidere, præterquam quod ſine tecto & ſub dio eſt.* Agens Tacitus libro v. Hiſtoriarum de Templo Jeroſolymitano, *immenſæ opulentiæ Templum* appellat. Hæc vero ille de Templo per Titum everſo. Quid vero dixiſſet de Templo Salomonis, ſi ejus magnificentiam, & pulchritudinem aſpexiſſet?

℣. 5. HABITACULA SERVORUM. Hebræum מושב עבדיו exponunt plures de ordine, quo Præfecti Regis menſæ aſſidebant.

PINCERNAS. Reddi poteſt Textus שמקיו *potum ejus*; vel *vaſa potatoria*, vel Curatores (6) & Præfectos rei cibariæ.

HOLOCAUSTA, QUÆ OFFEREBAT. Hebræum (7) reddunt recentiorum plures (8): *Aſcenſum ejus, per quem aſcendebat in Templum*. Reputant enim illi, e Regiis ædibus tranſitum fuiſſe in Templum per pontem, vel porticum. Vide ℣. 12. Sed Vulgatæ interpretatio pronior & literæ propior videtur. Exhibet Scriptura ſuperius IX. 25. magnificentiam Regis in iis, quæ Domino offerebat, ſacrificiis.

℣. 9. EO QUON DILEXERAT DOMINUS ISRAEL. Quod a Deo munificentiſſimo dari poſſit munus ampliſſimum atque ditiſſimum, illud eſt, ut dilecto ſibi populo largiatur probum dilectumque Principem; uti viciſſim inviſum ſibi populum Deus punit, dato Rege impio & ſceleſto. Minus enim ſibi, quam populo Reges ſunt; exhibenturque non ſemel ſive benefici Numinis, ſive ulciſcentis inſtrumenta.

℣. 10. CENTUM VIGINTI TALENTA AURI. Auri talentum æſtimatur ſexaginta novem millibus, quingentis triginta & una libris noſtratibus, cum ſolidis quinque; adeoque ſumma centum viginti talentorum reddet libras noſtrates octies millies mille, trecenta quadraginta tria millia, ſeptingentas & quinquaginta.

Præter tantam auri, aromatum ac gammarum copiam, quam Regina Saba largita eſt Salomoni, tradit Joſephus (9), attuliſſe pariter pretioſiſſimam illam balſami arbuſculam, e qua manat balſamum, liquor Veteribus commendatus, & hodie rariſſimus. Sed huic Joſephi teſtimonio viri quidam docti ægre fidem addicunt (10). Si Reginam illam ex Æthiopia Joſephus adſciſcit, qui fieri potuit ut ex ea regiona, in qua nihil tale gignitur, balſami arbuſculam ferre potuerit? Nullum enim balſamum norant Veteres, niſi Arabiæ & Judææ. Quin & ante Reginæ hujus adventum, balſami arbuſculæ ſub nomine cypri meminiſſe Salomonem (11), Sanctius (12) contendit. Sed cyprum longe aliam eſſe ab arbore balſami, alibi demonſtrabimus.

Alia etiam fabella de hac Regina vulgata eſt (13), animadvertiſſe enim illam ferunt in aula Salomonis quoddam lignum, ab ædificio Templi excluſum, quod ſedile occurrentibus præbebat; admonitum autem ab ea Salomonem, hoc idem lignum formatum iri in crucem Meſſiæ: quare a Salomone conditum, uſque ad J. Chriſti ætatem, manſiſſe occultum. Trabs erat, inquiunt, e tribus variorum lignorum ramis, quos Abraham ſeverat, atque in unicum truncum conjunxerat. Apage otioſarum ac ſuperſtitioſarum mentium male conceptas fabellas, nulla refutatione dignas.

℣. 11. CLASSIS HIRAM ... ATTULIT EX OPHIR LIGNA THYINA. Claſſis Salomonis Hirami nautis inſtructa, ſeu potius claſſis, quam Hiram claſſi Salomonis ſociavit (14), rara & pretioſa quædam ligna attulit, ſive quod Salomon, & Hiram claſſium ſuarum compendium ac merces in communi haberent, ſive quod Salomon pretio emiſſet ligna pretioſa, quæ Hirami claſſis detulit. Diſſidium inter Scriptores de iis lignis, quæ S. Hieronymus *thyina* appellat; Septuaginta vero ξύλα πελεκητὰ, *ligna dolata*, vel ſecuri cæſa. Vox *thyina*, qua uſus eſt S. Hieronymus, ſonat ligna citrina, vel ſuavolentia. Citri lignum erat grato odore, & in pretio apud Veteres, ex quo, Auguſti ætate, menſæ ingentis pretii & miræ pulchritudinis parabantur (15). Vehebatur e Mauritania; locupletiſſimus autem quiſque & ampliſſimus majore inſania ligna citrina poſcebat, quam gemmas fœminæ: *Citri, & menſarum inſania, quas fœminæ viris contra margaritas regerunt*. Arborem hanc appellabant Græci *thyon*, vel *thyion*, unde *thyina* formatur. Odorem ejus amabant; atque apud Homerum (16) Calypſo gratum illud lignum cremabat in atrio ſuo, unde gratus odor per totam late Inſulam diffundebatur.

Septuaginta, qui hic reddiderunt *ligna ſecuri cæſa*, verterunt alibi Hebræum *Almugim*, vel *Algumim*, quæ duo unum idemque eſſe cenſeo, *ligna pinea*, quos & S. Hieronymus ſecutus eſt (17). Sed cur longius & extra Judæam quæramus ligna *Algumim*, cum Salomon roget Hiramum, ut e monte Libani illa ad ſe mittat? Qua vero ratione teſtatur Scriptura, *nunquam viſa eſſe in terra Juda ligna talia* (18), ſi in iis montibus non deerant?

Triplex his reſponſum patet. I. Almugim vocem eſſe genericam, qua nullum certum lignum deſignatur. Cum igitur Salomon ab Hiramo ea ligna petiit, perinde erat ac ſi mitti ad ſe poſceret lignorum ſtruem ædificiis aptam, cedrinam, abiegnam &c. Cumque Scriptura allata dicit ex Ophir ligna *Almugim*, adeo eximia, ut paria nulla unquam viderit Juda, id tantum innuit, allata inde fuiſſe ligna pulcherrima, rariſſima, atque aptiſſima ædificiis, qualia ejuſdem generis nulla illis æquanda Regio unquam habuiſſet. II. Non immerito reputari poteſt, ligna quædam Algumim fuiſſe in monte Libano, cum Salomon illa ab Hiramo petiit; ſed illis Templi ædificio inſumptis, Salomon claſſe in Ophir miſſà imperavit, ut inde ſibi ea ligna transferrent: allata ſunt autem pulcherrima, quibus paria nemo unquam vidit. III. Denique Salomon cenſere poterat, non deeſſe in Libano ligna Algumim, cum illa petiit a Rege Tyri; ſed nullum ibi id generis nactus, defectum ex Ophir ſupplere coactus fuit.

Vocem *Algumim* reddere ſolent Rabbini *corallium*;

[1] Grot. in Matth. 11. 1. [2] Porphyr. apud Cyrill. lib. 2. contra Julian. [3] Plutarchi Convivium p. 152. b, c, d. [4] Joſeph. l. 8. c. 2. & Menoch. &c. [5] Dio lib. 37. [6] Vide ad Geneſ. 40. 2. [7] ועלתו אשר יעלה בית יהוה [8] Pagn. Vatab. Mont. Jun. Malv. Piſc. Lia & Cornel. & alii. [9] Joſeph. Antiqu. l. 8. c. 2. [10] Vide Boch. Phaleg. l. 2. c. 26. [11] Cant. 1. 13. *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*. [12] Vide Sanct. hic, & in Cantic. [13] Vide, ſi lubet, Gretſer. de Cruce; Pined. Salomon. Prævio l. 5. c. 14. Sanct. hic. [14] Vide infra ℣. 22. & ſupra 9. 27. [15] Plin. lib. XIII. 15. 16. [16] Homer. Odyſſ.

. . . . . τηλόσε δ' ὀδμὴ,
Κέδρου τ' εὐκεάτοιο, θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει δαιομένων.

[17] 2. Par. 2. 8. שלח לי עצי ארזים ארושים ואלגומים מהלבנון [18] 3. Reg. x. 12. & Par. 9. 11.

Digitized by Google

lium; ſed corallium fruſtra impendas in conficiendis muſicis inſtrumentis, vel ſtruenda porticu, aut aſcenſu. Inſuper quæ neceſſitas petendi ex Ophir corallium, quod abunde Erythræum, & vicina omnia Judææ maria ſuppeditant? Sunt qui reddiderint (1), ſed caſu, & plane temere, ebenum, vel Braſilium lignum. Probabiliſſimum cenſemus, nomen *Almugim* genericam eſſe vocem, arbores quaſcumque gummiferas indicantem, uti ceraſum, prunum, malum perſicam, ac præſertim arborem ſtillantem gummi Armenico vel Arabico. Juvat hic animadvertere, Regionem Ophireticam nos ad Armeniam collocaſſe. Arbor gummi ſtillans, myrrhinæ perſimilis fertur. Sunt qui ipſam credant Canchamum Dioſcoridis (2); ſed alii plures utramque diſtinguunt. Gummi Arabiæ deducitur ex Acacia nigra, in Arabia Petræa, Ægypto, & Thebaide familiariſſima (3). Porro Acaciam nigram eamdem eſſe cum lignis Sethim, de quibus Moyſes, demonſtrare alibi (4) conati ſumus. Lignum erat pulcherrimis operibus aptiſſimum, ſoliditate, magnitudine, ac pulchritudine. Salomon acacia Libani, Arabiæ Petrææ, atque Ægypti non contentus, melius aliquid comparari ſibi a claſſe ſua curavit, vel ex regione Ophis, vel ex aliis locis, quæ illa eundo vel redeundo attigit: credibile eſt enim plures portus in toto itinere illam ſubiiſſe. Denique Græcum gummi nomen, *Kommi* derivatus facile ex Hebræo, vel Arabico, *Al gummim*; major eſt enim inter utramque vocem affinitas, quam ut caſui adſcribatur: ſi autem *Kommi* ex *Algummim* derivandum ſit, credibile eſt utique, arbores, de quibus hic Scriptura, ejuſdem fuiſſe naturæ, ac lignum illud, quod Moyſes Sethim appellat; poſtremum autem hoc ipſa eſt acanthus, ſpina Ægypti, vel Thebaidis, pulchrior & major, quam Arabica & montis Libani; numquam enim alioqui Salomon adeo longius illam ſibi procuraſſet. Urbs erat in Thebaide quædam eximiis arboribus acanthi, & gummi celebris, Acanthus dicta, quam Veteres non ſilent (5).

℣. 12. Fecit de lignis . . . fulcra domus Domini. Interpretum plerique (6) cenſent, ad utrumque aſcenſus hujus latus ſtatuiſſe clathratam loricam, quæ e Regiis ædibus ad Templum pertingeret (7). Hebræum *Miſead* (8) ſonat loricam, vel porticum clathratam; & quæ vox in Paralipomenis (9) reſpondet huic, proprie ſignificat viam, aſcenſum, iter. In quem uſum ligna hæc adhibuerit Salomon, ſatis certo definiri non poteſt, cum vaga ſit, & latiſſima vocum Originalium ſignificatio.

Cytharas, lyrasque cantorum. Hebr. (10) *Kinnor*, & *Nabla*. Kinnor proportione quadam accedebat ad cytharam, vel lyram veterum. Nablum vero inſtrumentum erat decem fidium, quod utraque manu pulſabatur. Accuratiorem hujus deſcriptionem dabimus in Pſalmis.

℣. 14. Sexcentorum sexaginta sex talentorum auri [15.] excepto quod afferebant viri, qui super vectigalia erant. Sexcenta ſexaginta ſex talenta auri reddunt quadraginta tria millena millia, trecenta ſeptem millia, octingentas ac duodecim libras, & ſolidos decem. Hos ſibi proventus ex imperio ſuo ducebat Salomon, accedebantque iis tributa Regum vectigalium, quæque ſolvebant Mercatores in ejus ditione negotiantes, quæ majorem utique pecuniæ ſummam conſeciſſe cenſenda ſunt. Textus Hebræus hic & in Paralipomenis alio ſenſu reddi poteſt (11): *Pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos ſingulos, ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum auri, excepto quod afferebant negotiatores, atque advenæ merces ſuas in ejus Regno vendentes*. Igitur in immenſam hanc ſummam non veniebant nec tributa, quæ a Principibus ſubditiſque gentibus ſolvebantur, nec ſubſidia, quæ conferebant Iſraelitæ, quæque tandem dabant mercatores. Exhibent hæc omnia imaginem Regni florentiſſimi, opulentiſſimi commercii, opumque incredibilium Salomonis.

℣. 15. Reges Arabiæ, ducesque Terræ. Hebræum ערב *Arab*, vel *Ereb* proprie ſignificat mixtionem, veſperum, vel occidentem, & quoddam caravanæ genus, ſeu plurium e variis gentibus hominum collectionem, denique agros ſteriles & inutiles; quare optime exprimit populos Arabiæ deſertæ, jacentes ad Orientem Maris mortui, Madianitarum, & Idumæorum, quique variarum potius gentium collectio ſunt, quam gens a cæteris origine ſua diſtincta. Vide quæ adnotabimus ad II. Paralipom. XXI. 16. Septuaginta expoſuerunt de populis trans Euphratem, & Meſopotamiæ: Τῶν βασιλέων τοῦ πέραν, quaſi legiſſent עבר pro ערב. Conſtat utique, communi Arabum nomine cenſuiſſe interdum Veteres, gentes illas atque Meſopotamios collectitiam fuiſſe gentium turbam. Utrum Salomon Imperium ſuum eo porrigeret, vide quæ diſſeruimus ſupra IV. 24.

Duces Terræ, de quibus hic Textus (12), ipſi ſunt facile Arabum *Phylarchæ*; alibi enim animadvertimus (13), totam Arabum gentem in duodecim Tribus diviſam, ſuos habuiſſe ſingularum Principes. Exponi etiam poſſet de Satrapis Philiſthæorum; denique de Principibus, & Regulis undique per vicinas Judææ Regiones diſperſis; neque enim credimus, Scripturam innuere his voluiſſe Principes Tribuum Iſraelis.

℣. 16. Ducenta scuta de auro purissimo; lignea ſcilicet, aureis laminis obducta; ita enim ſcuta parari ſolebant. Lignum totus habebant, tegebanturque laminis aureis, vel pluribus corii involucris. Erant etiam quædam e metallo mero; nec ſane dubito, quin ſexcentis ſiclis aureis confici potuerit ſcutum ſolidum plane, & amplum. Singuli ejuſmodi clypei æſtimabantur circiter VI. mille, nongentis quinquaginta duabus libris, ac ſolidis decem, ſiclo aureo æſtimato tantum ad pondus hemiſicli argentei, ac io libras undecim, totidemque ſolidos, ac denarios novem. Maxime tamen probabile eſt, duplo valuiſſe; æquaſſe enim videntur pondus ſiclorum argenti. Uſus illorum tunc erat, cum Rex ſatellitio ſuo ſtipatus procederet ad Templum; eo redeunte, referebantur in deſtinatum ſibi locum, in armamentario cuſtodum corporis (14). Vocis Hebrææ צנה *Zinna* ſignificatio inter incertas conſtituenda eſt. Reddit illam interdum S. Hieronymus (15) *contum*, interdum (16) *lanceam*, denique *loricam* (17). Qua ex re quibuſdam ſuſpicio incidit (18), genericam eſſe vocem, qua ſignificetur genus armorum quodcumque, tum repellendæ tum inferendæ vi paratorum, cujus ſignificatio ab orationis ſerie determinanda ſit: id tamen nobis ægre perſuadetur. Radix vocis hujus *Zinna*, ſonat acutum, penetrans; quod opinionem illorum juvat, qui illam reddunt lanceam, vel haſtam.

℣. 17.

[1] Caſſiodor. præf. in Pſalm. c. 4. *Ligna Thyina, quæ vulgo Ebena vocantur.* [2] Vide Dioſcorid. lib. cap. 23. & Joan. Bodæi not. in Theophraſt. Hiſt. Plant. lib. 7. pag. 835. & ſeq. [3] Proſper Alpin. Bellon. & Bodæi not. in lib. 4. Theoph. pag. 305. [4] Vide Exod. XXIV. 5. [5] Strabo lib. 17. pag. 559. Stephan. [6] Vat. Jun. Piſc. Menoch. [7] Vide quæ diximus in ℣. 5. hujus capitis, & 2. Par. 12. 11. [8] ויעש . . . . מסעד לבית יהוה [9] 2. Par. 12. 11. ויעש . . . מסלות לבית יהוה [10] כנרות ונבלים לשרים [11] ויהי משקל הזהב אשר בא לשלמה בשנה אחת שש מאות ששים ושש ככר זהב : לבד מאנשי התרים ומסחר הרכלים [12] פחות הארץ Septuag. Τῶν σατραπῶν τῆς γῆς. [13] Vide Gen. XVII. 20. [14] Vide 3. Reg. XIV. 28. [15] Amos IV. 2. *Levabo vos in contis.* [16] Ezech. XXIII. 4. & 2. Par. IX. 15. [17] Ezech. XXIII. 24. [18] Vide Sanct. hic.

℣. 17. Trecentas peltas. Inter *peltam* & *ſcutum*, illud eſt diſcriminis, quod hoc oblongum ſit, quadratum, totumque protegens corpus; pelta vero minor ſit, cornua lunæ imitans (1).

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.

Ex auro probato; purgato ſcilicet. Hebr. זהב שחוט, ad literam hic & in verſiculo præcedenti: *Ex auro jugulato*. Septuaginta: χρυσᾶ ἐλατὰ, ex auro veluti per actum foramen ducto. Syriacus: *Ex auro puriſſimo*; Arabs: *Ex auro obedienti*. Hebræum *Schut* de auro purgato uſurpatum in duplici hoc verſiculo tantum, & in Textu parallelo Paralipomenon occurrit. Legi poſſet *Sekuk*, quæ vox eſt Aurificum, exprimens liquare, purgare metalla: *Aurum purgatum, & liquatum igne*.

Trecentæ minæ unam peltam veſtiebant. Mina aurea æquabat ſiclos ſexaginta, & ſiclus hemiunciam, vel quatuor drachmas Romanas. Itaque ejuſmodi clypeorum pondus magnopere ſuperabat clypeos, de quibus ſupra ℣. 15. illi enim ſexcentos ſiclos non excedebant pondere; poſterioribus autem hiſce pondus tribuendum eſt XVIII. millium ſiclorum, vel trium talentorum, vel trecentarum ac ſeptuaginta quinque librarum Romanarum; quæ ſarcina profecto unius hominis vires ſuperat. Scimus equidem, Hebræum hic nonniſi tres minas peltis ſingulis tribuere (2); ſed in Paralipomenis (3) ſunt hic *trecenti aurei*, ſicut & in præcedenti *ſexcenti aurei*, nullo certo pondere deſignato. Profecto ſi trecenti ſicli redderent tres minas, retineri poſſet Hebræus Librorum Regum, & Textus Paralipomenon expuni de trecentis ſiclis; ſed tres minæ ſiclos centum octoginta non ſuperant. Inhærendum eſt igitur Vulgatæ, quæ ſupplevit *centum*, in Paralipomenis adſcriptum. Quod vero attinet ad ingens illud clypeorum pondus, reputari poſſet, ad fulgorem potius, quam ad uſum fuiſſe poſitas, conſtitutaſque fuiſſe eas peltas in aula, corporis cuſtodibus deſtinata, vel in armamentario ad ornamentum, & ſpecimen Regiæ Salomonis magnificentiæ.

℣. 18. Fecit thronum de ebore grandem, et veſtivit eum auro fulvo nimis. Hebr. (4): *Fecit ſolium dentis magnum, & operuit illud auro Uphaz*. Nomine dentis ebur apud Hebræos appellatur, quod pariter & apud Herodotum & veterum pleroſque animadvertas. Cenſent alii (5) ebur ad naturam cornu magis accedere; & profecto fatendum eſt, ſiccum eſſe minus & durum, quam dentis oſſa, quin & igne molleſcere, atque opificiis, perinde ac cornu, ſervire. Sed conſuetudo prævaluit, ut pro genuino elephantis dente haberetur. *Juba cornua appellat* (6): *Herodotus tanto antiquior, & conſuetudo melius, dentes*. Juvenalis Satyra XI.

Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes.

Improbat tamen Varro (7) conſuetudinem hanc, contendens, ebur elephantis cornu appellandum eſſe: *Nam quos dentes multi vocant, ſunt cornua*. Neque hæc opinio patronis caret, tuentur enim illam docti plures Scriptores (8); & hoc ſententiarum diſſidium conciliare viſus eſt Ezechiel Propheta (9), cum ebur nuncupat cornu dentium, vel cornu figura.

Aurum *Uphaz*, vel *Ophaz*, e regione, unde vehitur, nomen obtinuiſſe, negaverit nemo. Tradit Jerem. X. 9. *Argentum involutum de Tharſis affertur, & aurum de Ophas*, vel *Uphas*. Eamdem regionem eſſe credimus cum Colchide, ubi aurum a celebri amne Phaſide, vel Phiſon devolvitur; qua de re nos ad Geneſ. II. 11. In Textu parallelo II. Paralip. IX. 17. legimus: *Auro mundiſſimo*, purgato. Cæterum non ita putandum eſt, quaſi Salomonis thronus undique auro tegeretur, ut ebur nuſpiam appareret. Aurum ſcite ſuis locis diſpoſitum erat, ut pulchritudinem eboris nitore ſuo commendaret, quemadmodum & ebore apte mixto aurum juvabatur.

℣. 19. Summitas throni rotunda erat in parte poſteriori. Dorſum ſolii inſtar conchæ in rotundum deſinebat, uti ſupra VII. 8. animadvertimus. Stabat thronus in atrio, ſive in veſtibulo ædium Salomonis, in medio atrii columnarum, deſcripti a nobis ſupra VII. 8.

Duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile. Brachia erant hæc ſacile ſedilis, quæ S. Hieronymus in Paralipomenis brachiola nuncupat. Commode etiam dictum accipi poſſet de pedibus, impoſitum ſedile ſuſtinentibus. Duas haſce manus ſedile ipſum formaſſe, atque aſſidentem Regem veluti excepiſſe, Joſephus (10) autumavit. Solii hujus tergum geminas bovis figuras exhibuiſſe, duaſque manus ſupra ſedile porrectas, ferunt Septuaginta (11).

℣. 21. Non erat argentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis. Maluerim ego præcedentia cum ſequentibus jungere in hanc ſententiam: *Vaſa omnia, quibus potabat Rex Salomon, erant aurea; non erat argentum*, argenteum nempe vas; quippe quod *alicujus pretii non putaretur in diebus Salomonis*. Exaggeratio eſt, illi perſimilis, quæ inferius occurrit: *Tanta erat abundantia argenti in Jeruſalem, quanta & lapidum*.

℣. 22. Quia claſſis Regis per mare cum claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in Tharſis. Inde vehebatur immenſa illa auri, argentique copia, quæ communia, & familiaria reddiderat rariſſima alioqui metalla. Demonſtrare conati ſumus ad Geneſis X. 4. Tharſis, cum de urbe vel Provincia uſurpatur, deſignare Urbem Tharſum, vel Provinciam Ciliciæ. Sed *naves Tharſis*, vel claſſes navigantes in Tharſis, ſignificare credimus non raro claſſem, quæ longam navigationem obit; navem longam, ingentem, aptamque majoribus itineribus. Conſtat utique, claſſes Salomonis, & Hirami ſolviſſe ex Aſiongaber, portu maris Rubri, ut adnavigarent in Ophir; & an ea ætate Salomonis commercium inſtructum fuerit in Tharſum Ciliciæ, ambigo. Sed ut navibus magno itineri aptis nomen navium Tharſis tribuatur, ſatis eſt, ſi ætate illius Scriptoris, qui in unam ſeriem libros Regum, & Paralipomenon digeſſit, Tharſus negotiatione in Mediterraneo claruerit. Id autem tunc cœpiſſe credimus, cum Tharſo potiti Aſſyriæ Reges, plurimis illam ædificiis ornarunt.

Claſſis Salomonis in conficienda navigatione Ophiretica triennium impendebat. Moſchovitæ in Siberiam iter facientes non citius quam integro ſexennio illud conficiunt, nam hyemem agere coguntur alicubi in locis, quæ inter eundum offendunt. Vide ſtatum præſentem Ruſſiæ pag. 104.

Dentes Elephantorum. Hebræus שנהבים *Schen-Habbim*. Vox *Schen*, quæ dentem ſonat, pro ebore ſæpe uſurpatur: an vero, quæ illi jungitur, *Habbim*, elephantum deſignet, incertum eſt. Id tamen hic certum ponunt veteres Græci Interpretes, Chaldæus, & Judæi doctores, quos duces Interpretes fere omnes ſequuntur, dictum uno aſſenſu de elephanti dentibus, vel de ebore exponentes. Syriacus & Arabs perinde reddunt Textum, ac ſi claſſis ex Ophir vivos elephantos vexiſſet

(1) Virgil. Æneid. I. (2) שלשת מנים זהב יעלה על המגן Ita Joſeph. & 70. & Chald. (3) 2. Par. IX. 16. שלש מאות זהב יעלה על המגן האחת (4) ויעש המלך כסא שן גדול ויצפהו זהב מופז (5) Juba apud Plin. lib. 8. Pauſan. lib. 5. Strabo lib. 16. (6) Plin. lib. 8. c. 3. (7) De Lingua Lat. lib. 6. (8) Turneb. Adverſ. lib. 13. cap. 24. *Ebur, ne opinor, non inepte nec inſcite in cornuum genere reponemus*. (9) Ezech. XXVII. 15. קרנות שן (10) Joſeph. Antiqu. lib. 8. cap. 2. Τὸ δὲ ἐνήλατον τε θρόνε χεῖρες ἦσαν δεχόμεναι τὸν βασιλέα. (11) Πρότομαι μόσχων τῷ θρόνῳ ἐκ τῶν ὄπισθεν αὐτοῦ, καὶ χεῖρες ἔνθεν καὶ ἔνθεν ἐπὶ τοῦ θρόνου τῆς καθέδρας.

Digitized by Google

xiſſet ad Salomonem. Vulgarem opinionem tuetur Bochartus, ratus, ab Hebræis elephantos appellari *Kababim*, ebur vero *Schen-babim*, eliſa litera *k*, pro *Schen-kababim*: ſed hæc per conjecturam, neque utique validam, dicta ſunt. Arbitramur diſtinguendum eſſe *Schen* ab *Habbim*, ut ex una duæ voces reddantur. *Schen* dentem certiſſime ſignificat, vel *ebur*; *Habbim* vero poſitum forte erit pro *Habenim*, ebenum. Eliſio vel potius jactura literæ *n* facile accidere potuit in vocula, cujus pronunciationem aſperiorem facit, quod paulo ante ſimilis alia litera præceſſerit. *Habenim* occurrit in Ezechiele (1), quam de ebeno optimi quique Interpretes, poſt Symmachum & S. Hieronymum, nihil hæſitantes exponunt. Congruit vox *ebenum*, quam Græci Latinique ex Orientalibus acceperunt. Solemne eſt Hebræis pluralia nomina dare lignis ſuis, *Habenim*, Sethim, Almugim, Aſerim, &c. Ebenum & ebur ſufficiunt India atque Æthiopia: *India nigrum fert ebenum*. Duo hæc in tributum ab Æthiopibus Reges Perſarum exigebant (2). Ante illos, Seſoſtris Rex Ægypti victas a ſe gentes ad hæc pariter ſolvenda adegit (3). Authores ſacri & Profani duo hæc ſimul jungere ſolent, tamquam duo extrema, ebur & ebenum, quorum unum eſt album, nigrum alterum, & tamquam duo ex eadem regione ad nos deducta. Claſſis autem Salomonis comparare ſibi poterat ebenum ex Æthiopiæ plagis, quas corradebat, Ophir adnavigans.

Simias. De ſignificatione Hebræi *Kophim* קפים ſatis convenit inter omnes; ſimias enim ſignificat. Cum tamen varia ſint genera ſimiarum, quæ potiſſimum hac voce appellentur, quærunt Scriptores. Notæ ſunt apud Græcos Scriptores ſimiæ quædam Æthiopiæ & regionum ad mare Rubrum, quas appellant *Keipos* vel *Kephos* vel *Kebos*, nomine ad *Kophim* vel *Kopim* ſatis proxime accedente. Ex Plinio & Solino ſcimus, Julium Cæſarem omnium primum ſimias nunquam antea Romæ viſas in ludis publicis exhibuiſſe. Aliæ igitur erant a vulgaribus ſimiis, Romæ utique non raris. Porro huic beſtiæ pedes manuſque perſimiles erant homini, os leonis, corpus tigridis, ſed magnitudine capream non ſuperabat (4). Ægyptii urbis Babylonis prope Memphim ſimiarum genus quoddam conſecraverant, quod Strabo lib. XVII. *Keipon* appellat. Erat huic os Satyri, reliquum corpus canis & urſi. Utrum Hebræum *Kophim* ſimiarum genus illud, an ſimias utcumque deſignet, incertum eſt: ſed tanta eſt inter *Kephos* Græcum, & *Kophim* Hebræum affinitas, ut nulla major.

Pavos. Hebræum תכיים *tukiim*, de pavonibus exponunt Chaldæus, Syriacus, Arabs & Rabbinorum atque Interpretum plerique. Septuaginta in verſione ſua illud omiſerunt. Pavonibus abundabant loca, quæ Salomonis claſſem tetigiſſe credimus. Frequentatur illis Media, adeo ut pavos appellarint Veteres *aves Mediæ*. Nec raros fuiſſe etiam in Babylonia, Diodorus Siculus libro 2. affirmat. Claſſis Salomonis ad vicina uſque Mediæ loca pertingebat, tangebatque Babyloniam, ex noſtra hypotheſi.

Æthiopes etiam ſervi, teſte Joſepho, ad Regem deferebantur; quod ſervorum genus in pretio fuiſſe, præſertim in iis regionibus, ubi cuſtodiæ fœminarum Eunuchi addicuntur, ſatis conſtat. Honeſta quiſque familia natus ſervo ex ea gente aliquo non carebat.

℣. 26. Mille quadringenti currus. Quæ de curribus & equis Salomonis noſtra fuerit ſententia, habes ſupra in Caput IV. 26. Quater mille currus numerat ſecundus Paralipom. IX. 25.

℣. 27. Quasi Sycomoros. Hebræus שקמים *Sekamim*. Ingens arbor eſt ſycomorus, ficus ſimilis, quæ foliis ad folia mori accedentibus atque copioſis veſtitur. Fructus non ad extremitatem ramorum, ſed ex ipſo trunco emittit; eſt autem fructus magnitudine & figura ficus ſimilis; ſapore ad ficus ſilveſtres accedit, quamquam dulciori, nec ſemen continet. Sycomoris ſata ſunt loca Ægypti plura, & maxime Cairi vicinia. Non deerant & quidem frequentiſſime in Judæa, Salomonis ætate, cum ita de illis agatur, tamquam de communibus regionis illius arboribus. Hodie raras habet; quod utique ad varias regionis vices, bella & hoſtium vaſtationes referendum eſt. Nomen *Sycomorus* coaleſcit ex Græco σῦκον, *Sykon* vel συκῆ, *Syke*, ficus, & μορέα, *morea*, morus, arbor vel fructus. Alii repetunt e *Sykon*, vel *Syke* ficus, & μῶρος, *moros*, fatuus, ut ſit ficus fatua, inſipida. Sed prior etymologia majori ſuffragio probatur. De Sycomoris vide D. Maillet Deſcript. Ægypti par. 2. p. 16. D'Arvieux t. 2. p. 188.

℣. 28. Educebantur equi Salomoni de Ægypto et de Coa. Ægyptum olim fœcundam fuiſſe equis, ignorat nemo. Fama eſt, Ægyptios omnium primos ex equo certaſſe (5). Sunt qui inventionis illius honorem tribuant Seſonſochidi, alii Oro. Egredientes ab Ægypto Hebræos inſecutus Pharao, equites ducebat & currus (6). Seſoſtris magnos equitum exercitus habebat ſub armis (7). Poſtquam ille ejuſque ſucceſſores Ægypti ſolum frequentibus canalibus interciderunt, equites fermo inutiles fuere, ut animadvertit Herodotus (8); quare & rariores evaſerunt. Nihilo tamen ſecius Ægypti Reges pluribus armabantur curribus & equitibus, Ezechiæ atque Iſaiæ ætate. Rabſaces Judæos alloquens (9), *An fiduciam*, ait, *habes Ægypto, propter currus & equites?* Mirum igitur non eſt, ſi Salomon e feraci equorum regione, unde facilis erat tranſitus, equos deduxerit. Porro Ægypti equos pulcherrimos, atque expedito corpore eximios, laudant Itineraria, quorum uſum exteris prohibent Turcæ, facile ut melius ſervent ac multiplicent in ea regione genus.

Sed regio *Coa*, unde deducantur equi, occurrit nulla. Sunt qui accipiant Inſulam Cos, Aſiæ proximam, & celebrem tum ortu Hippocratis, cum etiam pannis e lana ſericoque contextis. Ferunt (10) Pamphilam filiam Latoi artem ibi nendi ſericum, ducendique in pannos inveniſſe. De veſtibus ibi textis ſermo eſt apud Poetas (11).

Illa gerit veſtes tenues, quas fœmina Coa
Texuit.

Porro nomen *Cos* derivatur ex *Ko*, quod Hebraice eſt filum, ex commercio ſcilicet lini, quod ibi erat inſtructiſſimum (12). Sed quid hæc ad propoſitum? Id tantum quærimus, an Cos locus eſſet, unde Salomon equos ſibi comparare potuerit; quod utique veri ſpeciem nullam habet.

Sunt (13) qui equos illos deductos credant ex *Coa*, Arabiæ felici urbe (14). Alii (15) ex *Co*, urbe Ægypti, ac Metropoli provinciæ Cynopolitanæ (16). Reddi poſſet Hebræus (17): *Educebantur equi Salomoni ex Ægypto & Michoe*. Affirmat Plinius (18), olim Troglodytidem Ægypto vicinam *Michoen* appellatam fuiſſe.

Suſpicatur Jarchi, *Mikoa* deſignare equorum ordinem, alterius cum altero devinctorum, junctis cau-

(1) Ezechiel XXVII. 15. הבנים השובי אשכרך . . . . . איים רבים (2) Plin. lib. XII. 14. & Herodot. lib. 3. c. 97. (3) Diodor. Sicul. lib. 1. (4) Vide Bochart. de animal. ſacr. part. 1. lib. 2. cap. 2. (5) Dicæarch. apud Scholiaſt. Apollon. Rhod. (6) Exod. XIV. 7. (7) 2. Par. XII. 3. (8) Herodot. lib. 2. c. 108. (9) 4. Reg. XVIII. 24. Vide Iſai. XXX. 1. *Væ qui deſcenditis in Ægyptum, in equis ſperantes*, &c. (10) Ariſt. Hiſt. animal. lib 5. cap. 19. & Plin. lib. 11. c. 22. Iſidor. lib. 14. Origin. c. 6. (11) Tibul. 2. Eleg. 6. (12) Boch. Chanaan lib. 1. cap. 7. (13) Malvenda. (14) Ptolem. lib. 6. c. 17. (15) Serar. Cornel. Malv. (16) Ptolem. l. 4. c. 5. & Steph. de Urbib. (17) ומוצא הסוסים אשר לשלמה ממצרים ומקוה סחרי המלך יקחו מקוה במחיר (18) Plin. lib. 6. c. 29.

Digitized by Google

caudis; quare totum Textum ita reddit, ut nihil aliud exprimat, quam deductos fuiſſe ad Salomonem plures equorum ordines. Verſionem hanc ſequuntur Recentiorum Interpretum plures (1). Vocem Hebræam de nundinis Ægypti, & de locis, quo Mercatores conveniebant, Tirinus exponit.

Sed alii (2) totum verſiculum ita reddunt: *Abducebantur Salomoni equi ex Ægypto, & mercatores Regii emebant filium pretio argenti;* putant enim, Hebræum *Mikoa* linum ſignificare. Porro Ægypti linum omnium eximium habebatur; cujus rei teſtimonia hic recitare, inutile eſſet. Innuit Iſaias commercium lini, & carbaſi inter maxima Ægypti fuiſſe (3). De tela carbaſina & varia ejus regionis, quæ exteris vendebantur, agit Ezechiel (4). Aulæa & tapetes Ægyptii maximo ſemper in pretio fuerunt apud exteros (5). Qua in re profani cum ſacris Scriptoribus conveniunt. Notiſſimum eſt illis commercium lini in Ægypto (6). In hunc igitur ſenſum totus hic Textus poteſt exponi: *Educebantur equi & linum ex Ægypto Salomoni.* Quamquam autem equorum pretium non unum ſemper erat, quod varii eſſent equi, attamen nullæ quatuor equorum bigæ ad illum afferebantur, quæ, Hieroſolymis poſitæ, minoris illi, quam ſexcentis ſiclis ſtarent. De certo lini pretio, inter Salomonem & Regem Ægypti convenerat; atque ita Reges Judæorum totum Ægypti commercium illud ad ſe tranſtulerant, ut nonniſi Judæi merces illas per totam Syriam & regiones vicinas venderent; ex quo lucrum ingens Salomoni pariebatur.

Bochartus (7) aliter exponit, *Mikoa* enim de tributo accipiens, Textum ita reddit: *Educebantur equi ex Ægypto Salomoni; tributa vero ejus publicani excipiebant, ad certum pretium*, de quo cum Pharaone convenerat. Rex Ægypti vetabat, ne e regione ſua equi educerentur, niſi certo vectigali ſoluto; qua de re Salomon cum Pharaone convenerat. Statutum erat, ut pro ſingulis quatuor equorum bigis ſolveretur tributum ſexcentorum ſiclorum, vel centum quinquaginta ſiclorum in equos ſingulos, quæ ſumma libras noſtrates CCXLIII. & ſolidos duos æquat; atque ita Salomon equos, quotquot volebat, ſibi ex Ægypto comparabat, ea ſoluta, de qua convenerant, mulcta. Seu potius, Salomon inſtituerat vectigal pro equis & tela, quæ ex Ægypto in Syriam & vicinas Provincias afferebantur. Conſtituerat Salomon Publicanos ſuos, qui ea vectigalia pro ingreſſu exigerent, ingenti ærarii ſui compendio. Hæc optima omnium in re præſenti eſſe judicamus.

℣. 29. Egrediebatur quadriga ex Ægypto sexcentis siclis argenti. An credibile eſt, equos ſingulos, quos emebat ſibi Salomon ex Ægypto, pluris non ſtetiſſe, quam centum quinquaginta ſiclis? idemque fuiſſe omnibus & conſtans pretium, quamquam viribus & natura variis? hæc igitur in eam perſuaſionem inducerent, agi hic de vectigali pro ſingulis equis. Verum hoc admiſſo, qualenam ſtatuendum eſt pretium equorum, ſi pro ſolo egreſſu ſolvebantur in ſingulos aurei ſaltem octoginta? Sunt qui credant, pro equis, mercibus onuſtis, id vectigal ſolutum fuiſſe (8). Sed præſtat ponere, quadrigas equorum, altera alteram compenſante, in ſtabulis Regiis conſtitutas, ſtetiſſe Regi ſexcentis ſiclis, ſeu 972. libris, ſolidis decem monetæ noſtratis.

Atque in hunc modum cuncti Reges Hethæorum et Syriæ equos vendebant. Non ex Ægypto ſolum equos emebat Salomon, ſed ex Hethæis pariter & Syris. Sed quæ regio hæc Hethæorum? Scimus utique, Hethæos olim, regionem terræ promiſſæ tenentes, e ſedibus ſuis depulſos fuiſſe: quare nullus ex ea gente Rex eſſe poterat, præſertim ſub Salomone, qui Chananæorum reliquias omnes in ſervitutem redegerat (9). Legimus in Libro Judicum 1. 26. virum quemdam e Bethel ſeſe recepiſſe in regionem Hethæorum, ibique condidiſſe urbem Luſam, eamdem facile cum *Luſa*, vel *Luſſa* in Arabia. Maluerim ego tamen, Hethæos iſtos & Syros conſtituere in Syria ultra Libanum. Chananæos nonnullos Cœleſyriam tenuiſſe conſtat; qui facile genus referebant ex Hethæis, parebantque Regibus ſuis, tributo obnoxiis, & ſubditis Salomoni. Porrò ii Reges equos eadem lege, ac Pharao, vendebant. Adjunxerat ſibi Rex Salomon uxores Hethæas, ut ex capite ſequenti conſtat; & ſub Joramo Rege Iſraelis, Reges erant Hethæi, validi, & Regibus Syriæ infeſti (10).

Textus Hebræus ad literam (11): *Et ſic educebant manibus ſuis ad omnes Reges Hethæos, & ad Reges Syriæ.* Salomonis mercatores, commercia equorum detinentes cum Ægyptiis, merces illas non domino ſuo tantum ad certum illud pretium, ideſt, ad centum quinquaginta ſiclos pro ſingulis equis, comparabant, ſed & eodem pretio vendebant Regibus Syriæ atque Regibus Hethæis. Totum igitur equorum grande commercium per eas regiones ad ſeſe receperant Judæi mercatores, qui equos ſuos per totam late Judæam vicinaſque Provincias omnes diſtrahebant.

(1) Pagn. Var. Caſtal. &c. (2) Mont. Jun. Ludov. de Dieu, Braunius. (3) Iſai. XIX. 9. *Confundentur qui operabantur linum, pectentes & texentes ſubtilia.* (4) Ezech. XXVII. 7. *Byſſus varia de Ægypto texta eſt tibi in velum.* (5) Prov. VII. 16. (6) Plin. lib. 19. cap. 1. *Ægyptio lino minimum firmitatis, plurimum lucri.* Vide & Vopiſc. in Aureliano, & Treb. Pollion. in Gallieno (7) Bochart. de animal. ſacr. par. 1. l. 2. c. 9. (8) Ludov. de Dieu, Jun. Piſcat. Belgica verſio. (9) Sup. c. IX. 20. 21. (10) 3. Reg. VII. 6. (11) ובן לכל מלכי החתים ולמלכי ארם בידם יוציאו

CAPUT XI.

Salomon in fœminarum amorem declinans, iiſdem impellentibus in idololatriam præceps agitur; cui Deus ſuſcitat adverſarios. Abias Propheta Regnum decem Tribuum prænuntiat Jeroboamo. Salomon obit.

A. M. 1914 ℣. 1. REx autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque
Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, &
Hethæas. 2. De gentibus, ſuper quibus dixit Dominus filiis Iſrael: Non ingredie-
mini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras: certiſſime enim avertent corda
veſtra, ut ſequamini deos earum. His itaque copulatus eſt Salomon ardentiſſimo amore,

3. Fue-

3. Fueruntque ei uxores quaſi reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ: & averte-
runt mulieres cor ejus. 4. Cumque jam eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus per
mulieres, ut ſequeretur deos alienos: nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo
ſuo, ſicut cor David patris ejus. 5. Sed colebat Salomon Aſtarthen deam Sidonio-
rum, & Moloch idolum Ammonitarum. 6. Fecitque Salomon, quod non placuerat
coram Domino, & non adimplevit, ut ſequeretur Dominum, ſicut Dadid pater ejus.
7. Tunc ædificavit Salomon ſanum Chamos idolo Moab, in monte, qui eſt contra
Jeruſalem, & Moloch idolo filiorum Ammon. 8. Atque in hunc modum fecit uni-
verſis uxoribus ſuis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant diis ſuis. 9. Igi-
tur iratus eſt Dominus Salomoni, quod averſa eſſet mens ejus a Domino Deo Iſrael,
qui apparuerat ei ſecundo. 10. Et præceperat de verbo hoc, ne ſequeretur deos
alienos, & non cuſtodivit, quæ mandavit ei Dominus. 11. Dixit itaque Dominus
Salomoni: Quia habuiſti hoc apud te, & non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta
mea, quæ mandavi tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſervo tuo.
12. Verumtamen in diebus tuis non ſaciam, propter David patrem tuum: de manu
filii tui ſcindam illud. 13. Nec totum regnum auferam, ſed tribum unam dabo filio
tuo, propter David ſervum meum, & Jeruſalem quam elegi. 14. Suſcitavit autem
Dominus adverſarium Salomoni, Adad Idumæum de ſemine regio, qui erat in Edom.
15. Cum enim eſſet David in Idumæa, & aſcendiſſet Joab princeps militiæ ad ſepe-
liendum eos, qui ſuerant interfecti, & occidiſſet omne maſculinum in Idumæa: 16.
(Sex enim menſibus ibi moratus eſt Joab, & omnis Iſrael, donec interimeret omne
maſculinum in Idumæa). 17. Fugit Adad ipſe, & viri Idumæi de ſervis patris ejus
cum eo, ut ingrederetur Ægyptum: erat autem Adad puer parvulus. 18. Cumque
ſurrexiſſent de Madian, venerunt in Pharan, tuleruntque ſecum viros de Pharan, &
introierunt Ægyptum ad Pharaonem regem Ægypti: qui dedit ei domum, & cibos
conſtituit, & terram delegavit. 19. Et invenit Adad gratiam coram Pharaone val-
de, in tantum, ut daret ei uxorem, ſororem uxoris ſuæ germanam Taphnes reginæ.
20. Genuitque ei ſoror Taphnes Genubath filium, & nutrivit eum Taphnes in domo
Pharaonis. Eratque Genubath habitans apud Pharaonem cum filiis ejus. 21. Cum-
que audiſſet Adad in Ægypto dormiſſe David cum patribus ſuis, & mortuum eſſe Joab
principem militiæ, dixit Pharaoni: Dimitte me, ut vadam in terram meam. 22. Di-
xitque ei Pharau: qua enim re apud me indiges, ut quæras ire ad terram tuam. At
ille reſpondit: Nulla: ſed obſecro te, ut dimittas me. 23. Suſcitavit quoque ei Deus
adverſarium Razon filium Eliada, qui fugerat ad Adarezer regem Soba dominum ſuum.
24. Et congregavit contra eum viros, & factus eſt princeps latronum, cum interfi-
ceret eos David: abieruntque Damaſcum, & habitaverunt ibi, & conſtituerunt eum
regem in Damaſco. 25. Eratque adverſarius Iſraeli cunctis diebus Salomonis: & hoc
eſt malum Adad, & odium contra Iſrael, regnavitque in Syria. 26. Jeroboam quo- A. M. 3026.
que filius Nabat, Ephratæus, de Sareda, ſervus Salomonis, cujus mater erat nomine
Sarva, mulier vidua, levavit manum contra regem. 27. Et hæc eſt cauſa rebellionis
adverſus eum, quia Salomon ædificavit Mello, & coæquavit voraginem civitatis David
patris ſui. 28. Erat autem Jeroboam vir ſortis, & potens: videnſque Salomon adole-
ſcentem bonæ indolis, & induſtrium, conſtituerat eum præſectum ſuper tributa uni-
verſæ domus Joſeph. 29. Factum eſt igitur in tempore illo, ut Joroboam egredere-
tur de Jeruſalem, & inveniret eum Ahias Silonites propheta in via, opertus pallio
novo: erant autem duo tantum in agro. 30. Apprehendenſque Ahias pallium ſuum
novum, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes. 31. Et ait ad Jeroboam:
Tolle tibi decem ſciſſuras: hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego ſcindam
regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. 32. Porro una tribus rema-
nebit ei, propter ſervum meum David, & Jeruſalem civitatem, quam elegi ex om-
nibus tribubus Iſrael: 33. Eo quod dereliquerit me, & adoraverit Aſtarthen deam
Sidoniorum, & Chamos deum Moab, & Moloch deum filiorum Ammon: & non am-
bulaverit in viis meis, ut faceret juſtitiam coram me, & præcepta mea, & judicia,
ſicut David pater ejus. 34. Nec auferam omne regnum de manu ejus, ſed ducem
ponam eum cunctis diebus vitæ ſuæ, propter David ſervum meum, quem elegi, qui
cuſtodivit mandata mea, & præcepta mea. 35. Auferam autem regnum de manu
filii ejus, & dabo tibi decem tribus. 36. Filio autem ejus dabo tribum unam, ut

remaneat lucerna David ſervo meo cunctis diebus coram me in Jeruſalem civitate ,
quam elegi, ut eſſet nomen meum ibi. 37. Te autem aſſumam, & regnabis ſuper
omnia, quæ deſiderat anima tua, eriſque rex ſuper Iſrael. 38. Si igitur audieris om-
nia, quæ præcepero tibi, & ambulaveris in viis meis, & feceris, quod rectum eſt
coram me, cuſtodiens mandata mea, & præcepta mea, ſicut fecit David ſervus meus,
ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificavi David domum, &
tradam tibi Iſrael; 39. Et affligam ſemen David ſuper hoc, verumtamen non cun-
ctis diebus. 40. Voluit ergo Salomon interficere Jeroboam: qui ſurrexit, & aufugit
in Ægyptum ad Seſac regem Ægypti , & fuit in Ægypto uſque ad mortem Salo-
monis. 41. Reliquum autem verborum Salomonis, & omnia, quæ fecit, & ſapien-
tia ejus; ecce univerſa ſcripta ſunt in libro verborum dierum Salomonis. 42. Dies
autem , quos regnavit Salomon in Jeruſalem ſuper omnem Iſrael , quadraginta anni
A. M. 3029. ante J. Chr. 975. ſunt. 43. Dormivitque Salomon cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in civitate David
patris ſui, regnavitque Roboam filius ejus pro eo.

℣. 1. SALOMON ADAMAVIT MULIERES ALIENIGENAS. Ex iis infelicibus fuit Salomon , de quibus Apoſtolus (1): *Cum ſpiritu cœperint , carne conſumant*. Exordia Salomonis florentiſſima , ſi quæ alias unquam, piiſſima, & religioſiſſima, & eximia fuerunt; ſed nihil vicim triſtius eſt , atque funeſtius, quam miſerabilis tanti viri lapſus. Copia & opes viam ſtruxere voluptati; ex voluptate vero ſenſim in ejus animum irrepſit corruptio, ſtatimque tenebris omnia occupata fuere, Deus ab eo receſſit, qui denique præceps in profundiſſimum idololatriæ barathrum delatus eſt. Veriſſime de illo dicas (2): *Quomodo cecidiſti de Cælo Lucifer , qui mane oriebaris?* Autbor Eccleſiaſtici XLVII. 21. totum, quem ſub oculis expanderat gloriæ & ſapientiæ Salomonis apparatum, verbis illis claudit: *Inclinaſti femora tua mulieribus, poteſtatem habuiſti in corpore tuo, dediſti maculam in gloria tua, & profanaſti ſemen tuum, inducere iracundiam ad liberos tuos , & incitari ſtultitiam tuam*. Denique ipſe idem Princeps novit utique periculum amoris & voluptatis , ſed ſeſe illi ſubducere non valuit (3): *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt Sapientes*. Atque ita argumentum ſeſe funeſtum ſtatuit veritatis illius ſententiæ: *Amare & ſapere vix cuiquam conceditur*.

FILIAM QUOQUA PHARAONIS. Oggerit frequenter Scriptura connubium illud cum filia Pharaonis, veluti primum corruptionis, & vitiorum omnium fontem indicatura. Interdicit conceptis verbis Divina lex connubia cum Chananæis mulieribus (4); ſed facile erat etiam aſſequi mentem Legislatoris , vetandi ſimul connubia omnia cum alienis fœminis (5) , quippe quæ diſcriminis plurimum ſemper afferant, ac funeſta ſint plerumque illis , qui id generis ſocietatis aſciſcunt.

℣. 3. UXORES QUASI REGINÆ SEPTINGENTÆ , ET CONCUBINÆ TRECENTÆ. Illæ locum tenebant matronarum, & uxorum legali, ac ſolemni ritu ductarum; concubinæ autem uxores erant ſecundi ordinis. Sara uxor erat Abrahami; Agar & Cethura concubinæ; quæ poſterior vox apud Hebræos minoris erat , quam apud nos , invidiæ. Valebat enim uxorem legitimam quidem , ſed ordinis a matronis inferioris. Numerus mille uxorum unius viri videtur, & eſt per ſe quidem intolerabilis. Nec Salomon niſi per gradus ad tantum exceſſum devenit. Cum Canticum Canticorum ſcriberet , Reginas habebat ſexaginta , concubinas octoginta (6). Regi ultra duodeviginti uxores Rabbini non permittunt: credibile eſt tamen, pleroſque Judæorum Principes numerum illum exceſſiſſe. Nec minor erat Regum Perſidis ea in re libertas. Darius Condomanus , ab Alexandro Magno victus, trahebat ſecum ubique in caſtra gregem trecentarum & quinquaginta concubinarum (7). Neque apud eas gentes Reginam offendit tanta concubinarum copia , cum ſemper a Rege illa habeatur ceu mulierum illarum domina , atque minores illæ uxores Reginam tanta veneratione obſervent, ut vel ad cultum ſeſe demittant. Legimus etiam , Priamum plures uxores præter Hecubam adſciviſſe.

℣. 4. CUM ESSET JAM SENEX , DEPRAVATUM EST COR EJUS PER MULIERES. Cum fræna vitiis hiſce laxavit , annos agebat ætatis quadraginta quinque, vel quinquaginta circiter. Priores viginti, vel triginta Regni annos laudabiliter egerat. Hoc ætatis adjunctum ſedulo notat Scriptura , ut crimen magis magiſque inexcuſabile demonſtret. De Principibus ſane multis memoriæ proditum eſt in Hiſtoria , Imperii ſui exordia habuiſſe optime inſtituta ac florentiſſima; exitum vero miſerabilem , & corruptiſſimum. Scitum eſt quanta moderatione uſus fuerit Regni ſui initio Alexander, qui in exitu impotentiſſimo imperio abuſus eſt. Nero , Tiberius , Domitianus , aliique nonnulli grandia de ſe ſperare in principio Regni juſſerunt; quid autem deinde egerint, hodie etiam cum horrore meminimus. In cenſum talium Principum inviti Salomonem referimus. Virum autem fidelem , adeo Deo charum, quam Salomon, in eam vitiorum colluviem rapi potuiſſe , in quam miſer hic Princeps, quem in Idololatriam prolapſum fuiſſe Scriptura diſerte affirmat , id quidem terrori ſimul eſt atque admirationi.

℣. 5. COLEBAT SALOMON ASTARTHEN DEAM SIDONIORUM. In diſſertatione de Numinibus Phœnicum , quid Numinis eſſet Aſtarthe , inveſtigavimus. Poſt luculenta adeo Scripturæ verba, fruſtra Salomonis Idololatria excuſatur. Neque enim lenimen aliquod pro eo Principe admittit aperta hæc Scripturæ ſententia. Immoderatis amoribus ſe totum permittit, Fana erigit Idolis , ante illa provolvitur; & quaſi parum eſſet Divinos honores cuipiam alteri , quam vero Deo , tradidiſſe , tot colit Numina, quot habet uxores alienas, peculiari ſingulas ſuperſtitioni addictas. Fruſtra ut illum excuſent, quidam comminiſcuntur (8), nimia in eas mulieres indulgentia trahi ſe permiſiſſe in externum ac ſenſibilem cultum , excluſo ſemper ab animo errore, atque Idololatria. Hæc viri crimen augent potius , quam minuant. Additur enim ſacrilegio malum exemplum , dolus , hypo-

(1) Galat. III. 3. (2) Iſai. XIV. 21. (3) Eccle. XIX. 2. (4) Vide Deuter. VII. 4.
(5) Vide 2. Eſdr. VIII. 1. & 2. 3. (6) Cantic. VI. 8. (7) Athen. l. 13. c. 1. (8) Vide Auguſt. lib. 14. de Civit. Dei, c. 11. & lib. 11. de Geneſ. ad Lit. c. 41. Toſt. Sanctium hic, Serar. Eſt. Cornel. Vide, ſi lubet, & Seld. de Synedr.

hypocriſis, Dei contemptus. Indulgentiam ſuam, & diſſimulationem eo provexiſſe dicitur, ut thura offerat Idolis, rejecto tamen ab animo ſincero illorum cultu, & interiori mentis oculo a Deo nunquam averſo: peccavit igitur ſciens prudenſque, turpi proditione feſellit intimos animi ſui ſenſus; Deum, quem interiori Religione colebat, exterius cultu publico, ſolemni, & ſcandaloſo contemnens.

Patres, qui de Salomonis lapſu egerunt, nulla illum excuſatione dignum arbitrati ſunt. Crimen ejus nec diſſimularunt, nec extenuarunt (1), in eumdem cenſum referunt, in quem ſceleſtos, quorum Deus crimina ita punivit, ut ſive eos in hac vita reliquerit, ſive, ex aliorum ſententia, æternis etiam ſuppliciis in altera multarit. Quamdiu vias Domini trivit, ait S. Cyprianus (2), favorem Dei ſui conſervavit; *recedente diſciplina, receſſit & gratia*. Agnoſcit S. Auguſtinus (3), Scripturas ſacras, quæ nemini aſſentantur, probrum Salomonis, atque lapſum ejus in Idololatriam apertiſſime prodidiſſe. Fatetur, illum carnali amore amiſiſſe ſapientiam, quam ſpirituali amore obtinuerat (4): *Cujus tamen initia deſiderio ſapientiæ flagraverunt, quam cum amore ſpirituali adeptus eſſet, amore carnali amiſit*. Denique idem S. Doctor alibi de illo pronunciat (5): *Secundæ res, quæ ſapientum animos fatigant, magis huic obfuerunt, quam profuit ipſa ſapientia, &c.*

℣. 7. Ædificavit Fanum in monte, qui est contra Jerusalem. In monte Olivarum, e regione, & ad Orientem Jeroſolymæ. Hebræus (6): *Ædificavit excelſum in monte, qui ad facies Jeruſalem*. Nomine excelſi deſignatur Templum, Ædicula, Altare, Lucus, in edito loco Numinibus conſecratus. Mons olivarum, cultui Numinum olim addictus, *mons offenſionis* alicubi in Scriptura (7) appellatur.

℣. 8. In hunc modum fecit universis uxoribus suis. Numinibus illarum Templa & Altaria dedicavit. Nunquam in toto hoc capite Scriptura exprimit nomen aliquod Numinum Ægyptiorum, quamquam avitis Numinibus, non minus quam reliquæ uxores, facile ſtudebat filia Pharaonis. Ferebantur magis Iſraelitæ in Numina Phœnicum, ac Moabitarum, quam cæterarum gentium, licet veſtigia quædam cultus Adonidis (8), Numinis Ægyptiorum, apud illos deprehenduntur.

℣. 9. Dominus, qui apparuerat ei secundo. Bis per viſum apparuiſſe illi Dominum, ex ſuperioribus planum eſt, I. Initio Regni, cum verſaretur Gabaone (9), II. Jeroſolymæ, poſt Templi dedicationem (10). Tot licet beneficiis a Deo cumulatus Salomon, defecit tamen ad cultum Idolorum, Numinis, defectione ſua ingratoque animo provocati, ultionem ſpernens; quæ utique ingens erat criminis acceſſio.

℣. 11. Dixit Dominus Salomoni: Quia habuisti hoc apud te; ita te geſſiſti. Hebræus (11): *Quia hoc fuit tecum*; quia reum te criminis conſtituiſti; vel quia id cœpiſti conſilii, cum, invitis licet omnibus, quæ pro te geſſi, eo deveniſti, ut me deſereres, ego viciſſim te deſeram, &c. Hæc exprobrata ſunt Salomoni, cum tertio illi Deus apparuit poſt crimen admiſſum; ſive Dei juſſu hæc illi indicta ſunt per Ahiam Prophetam, vel alium quempiam, quamquam multo probabilius Deus per ſe locutus videtur.

℣. 12. Propter David, meritorum pii hujus Regis rationem habens. Quo ego virum illum proſequutus ſum, amorem ad poſteros ejus extendam. Datam illi fidem meam de te liberare volo, quamquam indignum te præbuiſti, in quem beneficia mea ulterius conferam.

℣. 13. Tribum unam dabo filio tuo. Permiſit Deus Roboamo filio Salomonis Regnum in Tribum Juda, & Beniamin (12), ac Levi, quæ in cultu & religione Domini perſeverarunt; quemadmodum in Iſraelitas plures, ſive qui in Urbibus Juda conſederant (13), ſive qui eo migraverant poſt ſchiſma, ne cultum Domini desererent (14). Hi autem omnes perinde habebantur, ac ſi unica eſſent Tribus. Beniamin nunquam ab Juda avulſus eſt, præſertim poſt funeſtum illud excidium, quo tota Tribus ad ſexcentos redacta eſt (15). Sacerdotes, & Levitæ vel ipſas urbes & res ſuas deſeruerunt, ut migrarent in ditionem Juda, ſive animi propenſione, ſive quod illorum res ita poſtularent, ſive coacti ab Jeroboamo, qui in tota ditione ſua cultum Domini abolere meditabatur (16): *Sacerdotes & Levitæ qui erant in univerſo Iſrael, venerunt ad eum de cunctis ſedibus ſuis, relinquentes ſuburbana, & poſſeſſiones ſuas, & tranſeuntes ad Judam & Jeruſalem, eo quod abjeciſſet eos Jeroboam &c.* His licet ita conſtitutis, adhuc tamen coaluit Regnum validiſſimum, ut viribus atque hominum numero nihil cederet alteri decem Tribuum, cui Jeroboamus imperabat.

℣. 14. Suscitavit Dominus adversarium Salomoni Adad Idumæum. Hebræus (17): *Suſcitavit Satan*, hoſtem, adverſarium. Salomon initio Regni ſui, cum poſtulatum miſit ab Hiramo ligna in ædificium Templi, teſtatus eſt (18): *Non eſt Satan, neque occurſus malus*. Eo Rege quiſque ſecurus cubabat ſub ficu ſua, & ſub vite ſua (19); & quamdiu obtemperavit hæſitque Domino, tranquilla pace domi ac foris fruebatur; quam augebant opes, honor, ſapientia. Vix autem terga Domino vertit, & officiorum ſuorum in illum oblitus eſt, continuo externorum atque domeſticorum hoſtium moleſtiam ſenſit. Et quamquam Deus, qua eſt clementia, quamdiu is vixit, impetum defectionis publicæ atque apertæ cohibuit, voluit tamen, ut ille diſcrimen ſuum agnoſceret, intentam cerneret in ſe Dei jam jam ferientis manum, ut ſuæ illum vitæ pœniteret, ac reſipiſceret.

Adad Idumæus, de quo hic, adoleſcens erat, e Regio Idumæorum genere, qui in Ægyptum ab armis Davidis, ſubacta Idumæa, pervenerat (20). Cum David, duce copiarum Abiſai, ingentem victoriam retuliſſet, cæſis decem millibus Idumæorum, miſit eo Joabum, mares omnes Idumæos trucidare juſſum. Adad diſcrimen evaſit ſubductus in Ægyptum; cum autem amorem Regis illius ſibi conciliaſſet, & uxorem ibi duxit, & ſedem fixit. Sed poſt Davidis & Joabi mortem, in Idumæam repetens, inter primos authores turbarum adverſus Salomonem fuit. Qua ratione turbas ciere inceperit, accurate non tradit Scriptura; ſed veriſimillimum eſt, virum hunc, avitæ regioni reſtitutum ſub exordium Regni Salomonis, quietum tamdiu manſiſſe, quamdiu Salomon invitum ſe immodicis vectigalibus populo non reddidit, neque ſenio & idololatria in omnium contemptum venit. Tunc Adad conſpiratione inter Idumæos excitata, jugum Hebræorum excutere ſtatuit. Sed res illi pro voto ceſſiſſe non videtur, cum Idumæi

(1) Irenæus lib. 4. cap. 45. Cyrill. Hieroſolymit. Cathec. 15. Hilar. in Pſalm. 52. Author Apolog. 2. David. Vide, ſi lubet, Natal. Alex. tom. 2. diſſert. 1. (2) Cypr. lib. de unit. Eccleſ. & Ep. 6. (3) Aug. lib. 22. contra Fauſt. cap. 81. & cap. 88. (4) Idem lib 3. de Doctr. Chriſt. c. 21. (5) Idem de Civit. lib. 17. c. 20. (6) אז יבנה שלמה במה בהר אשר על פני ירושלם (7) 4. Reg. XXIII. 13. (8) Ezech. VIII. 14. *Mulieres ſedentes, plangentes Adonidem.* (9) 3. Reg. III. 5. 11. (10) 3. Reg. IX. 1. (11) יען אשר היתה זאת עמך ἀνθ᾽ ὧν ἐγένετο ταῦτα μετὰ σοῦ. (12) 2. Paral. XI. 12. 13. (13) 3. Reg. XII. 17. *Super filios Iſrael, quicumque habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam.* (14) 2. Paral. XI. 16. (15) Judic. XX. 47. (16) 2. Paral. XI. 13. 14. (17) ויקם יהוה שטן לשלמה (18) 3. Reg. V. 4. (19) 3. Reg. IV. 25. (20) Vide 2. Reg. VIII. 4. & 1. Paral. XVIII. 13.

Digitized by Google

ſubditi Regibus Juda diu etiam poſt Salomonem (1) uſque ad Regnum Jorami manſerint.

Apud Septuaginta inferius legimus (2), Adad, ſive ut illi appellant, *Ader graviter affeciſſe Iſraëlem, & regnaſſe in terra Edom*. Hac tamen de re ne verbum quidem in Textu Hebræo. Tradit Joſephus (3), Aderum, cum domum redire cuperet, vix audito Davidis ac Joabi obitu, prohibitum fuiſſe a ſocero ſuo Pharaone; ſed diu poſt, rebus Salomonis in deterius vergentibus, quod ipſe in crimen ruens abdicatus fuiſſet a Deo, Aderum inſtitiſſe iterum apud Pharaonem, ut copia ſibi daretur redeundi, quam denique ab illo impetravit. Cum tamen, ait Joſephus, nihil commovere potuiſſet in ea Provincia, apertæ defectionis vi, ob ingens Hebræorum præſidium omnia occupantium, Ader lectis ſecum viris, qui rebus novis ſtudebant, in Syriam profectus, ſocium ſe dedit *Razaro*, vel Razoni, uti appellatur in Hebræo, qui a domino ſuo Adarezero deficiens, ducem ſe prædonum manui exhibuerat. Amicitiæ igitur fœdere cum illis conjuncto, Ader partem Syriæ occupavit, in qua imperium adeptus, ditionem Salomonis excurſionibus infeſtam effecit. E noſtris Scriptoribus quidam (4) cenſent, Pharaonem pacem compoſuiſſe inter Adadum & Salomonem; ex eoque & aſſenſum impetraſſe, ut Adad vectigali Imperio in Idumæa potiretur: ſed pertæſum ejus ſervitutis Adadum, ſub exitum Regni Salomonis excuſſo jugo, in illum defeciſſe. Suſpecta ſunt hæc omnia, utpote nullo Scripturæ teſtimonio fulta; atque ignorare præſtat ea quæ ſcire non poſſumus, quam fabulis & ad arbitrium confictis hiſtoriolis veritatem obruere.

℣. 18. Cum surrexissent de Madian, venerunt in Pharan. Adad cum ſuis recepit ſeſe primo in Madian ad occidentem Maris mortui; ſed minus tutum ſibi locum ratus, iter ſuſcepit in Ægyptum, atque pertranſiens Pharan, duces itineris cœpit, quibus viam monſtrantibus, tandem in Ægyptum venit. Madian eſt ad occidentem, Pharan ad meridiem Idumææ.

Terram delegavit, in alimoniam, ait Joſephus (5). Provinciam aliquam adminiſtrandam illi dediſſe, cenſet Vatablus. Sed Diodoro Siculo (6) authore ſcimus, Reges Ægypti certam quamdam ſoli portionem in regione poſſediſſe, de qua decernebant in aliorum commodum pro arbitrio. Prædia erant Regii juris.

℣. 23. Razon . . . . . qui fugerat Adarezer Regem Soba. Motis a Davide armis, profligatoque *Adarezero* Rege Syriæ Soba (7), unus e ducibus ejus Razon ſudduxit ſeſe, una cum agmine cui præerat, e certamine; cumque prædas aliquandiu egiſſet, tandem uſurpata Damaſco, Regem ſe ibi conſtituit. Hæc autem omnia diu poſt victum prælio Adarezerum contigere; David enim Damaſcum & reliquam Syriam ſubmiſit; eademque Salomoni paruit, donec, Deo permittente, Razon pacem turbavit, ereptaque Damaſco, Regnum uſurpavit. Imperium hoc diuturnum, mala Iſraelitis plurima intulit. *Razin* unus e poſteris Razon celebratur bellis cum Achaz Rege Juda geſtis (8). Regno huic finem impoſuit Theglatphalaſſar Rex Aſſyriæ, interfecto Razin, qui omnium poſtremus ibi regnavit.

℣. 25. Et hoc est malum Adad, et odium contra Israel. Expeditiones Davidis in Syriam cauſam odio Adadi vel Razonis, eorumque perpetuis in Iſraelem ſimultatibus præbuere. *Adad*, de quo hic, idem videtur ac Razon; nomenque illud Adad Regibus omnibus commune fuiſſe, non immerito ſuſpicamur. Porro Monarchiæ hujus conditori nomen Adad tribuit Nicolaus Damaſcenus (9), eamdemque appellationem in ſucceſſores ejus continua plurium annorum ſerie perſeveraſſe affirmat. Occurrunt in Scriptura Reges quidam Syriæ, appellati *Ben-Adad* (10), vel filii Adad. Non incongrue etiam reputamus, hiſtoriæ hujus Scriptorem vixiſſe tempore bellorum Adadi, vel Ben-Adadi in Iſraelem: indicare autem hic obiter voluiſſe ſimultatum ac bellorum originem inter Reges Damaſci & Iſraelis. Vetuſta erant diſſidia, nata ſub Davide, ſub Salomone ſota, quæ tamdiu perſeverarunt, quamdiu Imperium Regum Damaſci ſtetit.

In Codicibus nonnullis Septuaginta omittitur Razon; atque continuatur hiſtoria Adadi, qualem vidimus ſupra ℣. 14. Codices alii poſt inſertam hiſtoriam Razonis, collocant hic Regnum *Adad*, vel Adar in Idumæa. Syriacus interpretatur pariter de Rege Adad, qui præfuit Idumæis, & Iſraelitis infeſtus fuit. Denique Joſephus Adadi & Razonis hiſtoriam miſcet, ac duos hoſce copiarum Imperatores vires ſociaſſe cenſet, ut Regnum Damaſcenum conſtituerent. Malunt alii (11), *Adadum*, de quo hic, ipſiſſimum eſſe *Adarezerum*, Regem Syriæ, qui victus a Davide, Razonem inter ſummos exercitus ſui duces reliquerit, imperans, ut necis ſuæ ultionem ab Iſraelitis exigeret. Sed pleriſque idem eſt Adad Idumæus, de quo ſermo incidit ſupra ℣. 14. &c. Retineri poſſunt ea, quæ primo adduximus, Adadum ſcilicet & Razonem, de quo hic, unum eſſe eumdemque virum; niſi reputaveris, pro *Aram*, quod Syriam ſonat, legendum eſſe *Edom*, Idumæam, cum Septuaginta; qua ratione omnis ſtatim difficultas ceſſat. Eſt autem hic locus epilogus eorum, quæ dicta ſunt de Adado Idumæo: Hæc ſunt mala, quæ intulit; & conſtituit Regnum ſuum in Edom.

℣. 26. Jeroboam quoque . . . levavit manum contra Regem; ab illo nempe deſcivit (12). Paucis expedit Scriptura totam hanc hiſtoriam, cujus in narratione plura neceſſario ſupplenda ſunt. Jeroboamum præfecerat Salomon ſive colligendis tributis, ſive opificibus e Tribu Ephraimi. Munus ſuum quanta fide impleverit, ignoratur; diſcimus certe hic, deſciſcendi in Regem occaſionem præbuiſſe opus *Mello*, ubi præfuiſſe videtur certo Operariorum numero e ſua Tribu. Uſus eſt facile prava animi habitudine Gentilium ſuorum, qui coacti operi huic ſerviebant, ut igniculos defectionis in illos injiceret, animaretque in Salomonem. Nec ægre ille perſuaſit aures non ingratas præbentibus; quod ut præſtaret alacrius, animos illi addebat ſpes certa ab Ahia Propheta, futurum ſcilicet, ut votorum ſuorum nihil caderet irritum, regnaretque tamdem in decem Tribus Iſraelis. His rebus magis magiſque excitatus, alia etiam in Regnum molitus eſt; quæ adeo occulta latere non potuerunt, ut Regem cælarentur. Quare detinere hominem atque interficere, Salomon conatus eſt: ſed ille rem ſubodoratus, perfugit in Ægyptum, ubi ad obitum uſque Salomonis manſit. Conſilium igitur Jeroboami tunc efficacia caruit, ac vix excitati defectionis igniculi oppreſſi ſunt, non tamen extincti; quæ enim ſparſerat inter Iſraelitas murmuris verba, in animis adhuc retenta, perinde erant, ac vivum ſub terra ſemen. Germinarunt ſtatim, cum Roboamus opportune ſuperbo illo reſponſo ſubditos ſuos irritavit,

℣. 27.

[1] 2. Paral. xxi. 8. 10. [2] Septuag. Ante ℣. 56. αὕτη ἡ κακία ἣν ἐποίησεν Ἄδερ, καὶ ἐβαρυθύμησεν Ἰσραὴλ, καὶ ἐβασίλευσεν ἐν γῇ Ἐδώμ. Ita & Arab. Legunt אדם *Edom*, pro *Aram* ארם [3] Antiq. lib. 8. cap. 2. circa finem. [4] Toſtat. Salian. Vide Cornel. a Lapide. [5] Antiqu. lib. 8. cap. 2. ὥστε αὐτῷ δίδωσι, καὶ χώραν εἰς διατροφήν. [6] Diodor. lib. 1. p. 46. 47. [7] 2. Reg. viii. 3. [8] 4. Reg. xv. xvi. [9] Nicol. Damaſc. apud Joſeph. Antiqu. lib. 7. cap. 6. [10] Vide 3. Reg. xv. 18. 20. & xx. 1. & 4. Reg. vi. 24 viii. 7. & xiii. 3. &c. [11] Oſiand. Strigel. [12] 2. Paral. xiii. 6. *Rebellavit contra Dominum ſuum.*

Digitized by Google

Ỷ. 27. Mello. Actum eſt de Mello ſupra ix. 15. 24. Septuaginta (1) & Joſephus exponunt de mœnibus Jeroſolymæ, quæ Salomon perficienda curabat.

Ỷ. 28. Constituerat eum Præfectum super tributa universæ domus Joseph. Jam alibi animadvertere licuit, Vulgatam appellare ſæpe tributa operas illas vectigales ſeu publicas, quæ Regis juſſu imperabantur. Hebræus ad literam (2): *Præfecit eum omni oneri domus Joſeph*; Tribuum ſcilicet Ephraim & Manaſſe. De Præfectura copiarum ex decem Tribubus collectarum exponit Joſephus (3). Legimus alibi (4), Salomonem ad opera ſua publica ex Iſraelitis neminem coegiſſe. Sed facile labentibus Regni ſui annis aliam agendi rationem ſecutus eſt; ſcimus enim, tum Opus Mello defectionis cauſam populo præbuiſſe (5), tum Salomonem graviſſimis oneribus populum oppreſſiſſe (6). *Jus Regis* (7) illud erat, ut ſubditos agrorum, ac vinearum ſuarum culturæ, tum & aliis operibus ruris & Urbis addiceret. Reges etiam non tributa quidem (8), ſed ſubſidia a ſubditis ſuis exigebant. Hæc erant igitur onera Iſraelitarum. *Super onera hæc omnia domus Ephraim & Manaſſe* Jeroboamus conſtitutus erat.

Ỷ. 29. Factum est in tempore illo, ut Jeroboam egrederetur de Jerusalem. Nihil certi definiri poteſt de tempore & conſilio, quod Jeroboamum ad deſerendam Jeroſolymam induxerit. Exiit facile, ut veniret in Tribum Ephraim, in qua præfecturam ſuam exercebat. Porro jam tunc agitaſſe conſilium deſerendi domum David, ſeque ducem præbendi ſeditioſis, ex verbis Prophetæ ad illum factis innui videtur: *Regnabis*, ait ad illum Ahias, *ſuper omnia quæ deſiderat anima tua, eriſque Rex ſuper Iſrael*.

Ỷ. 30. Apprehendens Ahias pallium suum ..., scidit in duodecim partes. Oriundus e Silo, ubi Arca Dei aliquandiu manſit, Ahias, in obſequio habitus fuit, rerum potiente Salomone; atque bis Dei juſſu verba ad eumdem Regem feciſſe cenſent quidam. Primo (9) cum Numinis patrocinium atque divinarum promiſſionum expletionem illi ſpopondit, quo tempore ædificabatur Templum; II. (10) cum Deus vitia ſua Salomoni exprobravit, dignaſque pœnas minitatus eſt. Unus fuit Ahias e Scriptoribus Hiſtoriæ, vel Commentariorum Salomonis, ut conſtat ex ſecundo Paralipomenon ix. 29. Legitur in pſeudo-Epiphanio (11), Prophetam hunc prædixiſſe Salomoni futurum, ut tandem ſeduceretur a fœminis, atque irritatos a Deo adverſarios experturum. Prædixiſſe inſuper tradit uſurpandum ab Jeroboamo Regnum dolo malo, eumdemque Regem a duabus vaccis a Domino abducendum: innuebat facile duas illas vaccas, vel aureos vitulos, quos ille populo colendos propoſuit: ac tandem prænunciaſſe, manere illius poſteros ſervitutem.

Oraculi Ahiæ de ſciſſione Regni Salomonici, cujus decem partes devolvendæ eſſent ad Jeroboamum, oraculi, inquam, illius ſenſus planior eſt, quam qui egeat expoſitione. Fides etiam ab eventu plana eſt & perſpicua. Animadvertere tantum juvat, ſæpe Prophetas uti actionibus, ut intimos mentis conceptus ſignificent. Perfidiam Iſraelis exprimit Oſeas, ducta fœmina proſtituta (12), quo ex conjugio natis liberis nomina dat, futuros populi ſui caſus indicantia. Catenis onuſtus Jeremias (13) per urbem Jeroſolymam diſcurrit, proximam ejuſdem urbis captivitatem eo indicio deſignans; juga mittit ad Reges Palæſtinæ vicinos (14), ſervitutem pariter illorum prænunciaturus. Per eamdem urbem nudus pedibus & corpore ambulat Iſaias (15), captivitatem Ægypti, atque Æthiopiæ indicans. Ezechiel peregrini habitu ſumpto, impoſitaque humeris ſarcinula, noctis ſilentio per apertos domus ſuæ parietes egreditur (16), ut intelligant Judæi, ſe capiendos eſſe, atque in captivitatem abducendos. Idem Propheta eamdem urbem obſeſſam in argilla delineat, exhibetque pariter obſidentium labores atque opera, ut vividius id exprimat oculis Judæorum, certioreſque de proximo futuro eventu efficiat. Sedecias Pſeudo-Propheta cornibus ferreis ſibi inductis (17), diſſipandos a Rege Iſraelis Syros, ceu tauro, qui cornibus ſuis pulverem diſſipat, prænunciabat. Denique in Actis Apoſtolorum xxi. 11. Agabus Propheta cingulum S. Pauli capiens, manus ſibi pedeſque vinxit, atque hanc ſe imaginem præbere dixit vinculorum & carceris illius, ad quem cingulum pertinebat.

Ỷ. 36. Ut remaneat lucerna David, ut poſteritas ejus non extinguatur; ne genus ejus in obſcuro maneat, & in oblivione. *Lucerna* eſt interdum poſteritas (18); interdum nomen, gloria, Regnum (19).

Ỷ. 38. Ædificabo tibi domum fidelem; domum ſtabilem, & firmam, vel poſteritatem perpetuam, genus, penes quod Regnum diutius erit. Diras in ſe totamque Familiam ſuam criminibus ſuis Jeroboamus a Deo provocavit. Factarum ſibi promiſſionum ſpe deſtitutus eſt, quod nunquam intermiſſis criminibus ipſe obſtiterit.

Ỷ. 39. Verumtamen non cunctis diebus. Reluctantibus licet Principum Domus Davidicæ criminibus, adhuc tamen Dei miſericordia domum illam non deſeruit. Aliter enim cum ea familia atque cum aliis cæterorum Principum agendum erat. Quodcumque illa admiſerit crimen, delere tamen illam penitus Deus recuſavit. Meſſias ex ea radice germinaturus, ſuperiorem ipſam utique non conſtituebat nec humanæ conditioni, neque conſuetis pœnis, quibus Deus homines punit, ſed tutam ab excidio efficiebat. Numinis majeſtas id exigebat, ut domus illa ſemper maneret in quodam gloriæ culmine, atque inter cæteras diſtincta, ut ſcilicet grandia & Divina de illa conſilia implerentur.

Ỷ. 40. Ad Sesac Regem Ægypti. Interpretum plures (20) hunc *Seſacum* cum *Seſoſtride* Rege Ægypti, apud Herodotum (21) felicibus expeditionibus celebri, miſcent. Cenſet Marshamus (22), Sethoſim Manethonis (23) eumdem eſſe ac Seſacum, vel Seſoſtridem. Sed Uſſerius Seſoſtridem diu ante conſtituit, ſtatim ſcilicet poſt egreſſum Iſraelitarum ab Ægypto. Quin & ulterius adhuc removent alii (24); rati, Seſoſtridem avum fuiſſe Regis Amenophis, in Erythræo demerſi. Ut ut res habeat ſeſe, hic Seſac alius erat plane ab eo, qui filiam ſuam Salomoni nuptum dedit: utrum filius eſſet illius, an ex ejus ſtirpe aliquis, incertum eſt; latet enim, utrum veteres Ægypti Reges electione, an ſucceſſione darentur. Hucuſque Scri-

(1) Septuag. Ὠκοδόμησε τὴν ἄκραν, συνέκλεισε τὸν φραγμὸν τῆς πόλεως. Joſeph. τῆς τῶν τειχῶν οἰκοδομίας κατέστησεν ἐπιμελητήν. (2) ויפקד אתו לכל סבל בית יוסף Septuag. κατέστησεν αὐτὸν ἐπὶ τὰς ἄρσεις οἴκου Ἰωσήφ. (3) Antiqu. lib. 8. c. 2. στρατηγὸν ἐπὶ τῆς Ἰωσήπου φυλῆς ἀπέδειξε. (4) 3. Reg. ix. 23. & 2. Paral. viii. 9. (5) Ỷ. 27. *Hæc eſt cauſa rebellionis, quia Salomon ædificavit Mello, & coæquavit voraginem civitatis David.* (6) 3. Reg. xii. 4. (7) 1. Reg. viii. 11. 12. & ſequ. (8) Matth. xvii. 24. *Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel cenſum? A filiis ſuis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis.* (9) 3. Reg. vi. 11. (10) 3. Reg. xi. 6. (11) Pſeudo-Epiphan. Vit. Prophet. in Ahia. (12) Oſee i. 2. (13) Jerem. xxvii. 2. (14) Jerem. xxvii. 3. (15) Iſai. xx. 2. (16) Ezech. xii. 3. (17) 3. Reg. xxii. 11. (18) Pſalm. cxxxi. 17. & Prov. xiii. 9. & xiv. 20. (19) 4. Reg. viii. 19. & 2. Reg. xxi. 19. (20) Joſeph. Antiqu. lib. 8. c. 3. & Interp. pleique. (21) Herodot. lib. 2. c. ſtr. 103. &c. (22) Marsham. Canon. Ægypt. ſæcul. 14. (23) Manethon. apud Joſeph. l. 1. contra Appion. (24) Memoire de Trevoux 1702. 1703. Pezron, Bianchini, &c.

Scriptura Reges Ægypti *Pharaonis* nomine, ideſt *Regis*, innuit. *Seſac* omnium primus proprio nomine exprimitur.

℣. 41. In libro verborum dierum Salomonis, apud ephemerides ejus hiſtoriæ, in Commentariis rerum ab ipſo geſtarum, qui ſane libri hodie interciderunt. Cave enim credas, hic innui Paralipomena, cum in Paralipomenis æque ac in Libris Regum laudentur *Libri dierum*. Cæterum res ſingulorum dierum geſtas in Commentarios referre, non Reges Judæorum modo, ſed aliarum pariter gentium conſuevere. Occurrunt apud Eſther vi. 1. ephemerides vel Commentarii eorum, quæ ſingulis diebus in Aula Regum Perſarum accidebant. Idem pariter de Regibus Babylonis in primo Eſdræ vi. 2. animadvertas. Laudat Plutarchus ephemerides rerum Alexandri Magni, in ejus vita. Romani olim, teſte Tacito lib. 3. Annalium, referebant in ephemerides res minoris momenti, majoris vero in Annales digerebant.

℣. 42. Quadraginta anni sunt. Regni annos octoginta illi tribuit Joſephus, ſed mendo apertiſſimo. Fruſtra autem coneris ſummam Joſephi cum Scriptura conciliare, cenſens, eos ſolummodo annos Regni Salomonici in Scriptura narrari, quos ſancte egit, Joſepho totum late Regni illius ſpatium definiente. Summa enim Scripturæ ſibi optime conſtat, amotis etiam coactis hiſce conciliationibus; neque Joſephi authoritas tanti eſt ponderis, ut cum Scriptura comparetur. Certum igitur tenemus, Salomonem deceſſiſſe annis natum octo & quinquaginta, circa A. M. mmmxxix. Immodicus voluptatum & comeſſationum uſus illius vitam corripuit, perpetuamque memoriæ ipſius maculam inuſſit. Ea, qua præſtitit, nova plane & inſueta mortalibus ſapientia nihil magis effecit, quam ut vitia ipſius patefaceret, & criminum immanitatem amplificaret. De eo merito affirmes, nihil in illo fuiſſe mediocre. Cum pietatem coluit ac virtutem, nihil majus, amabilius nihil. Neminem omnibus numeris abſolutum magis, neminem majoribus ornatum virtutibus proferet unquam Eccleſia Judæorum. Viciſſim autem cum fræna laxavit vitiis, nemo impudentior; in profundum maxime ſcelerum pelagus preceps ruit. Denique ſi cum Salomone Salomon conferatur, & æqua fiat comparatio virtutum ipſius cum ſceleribus, certum de illo judicium formari ægerrime poteſt; ut adhuc lis inter Scriptores doctiſſimos, & ſapientiſſimos ſit, utrum Salomon æternam ſalutem obtinuerit. Offerunt ſe hinc magnifica ejus elogia apud Scripturam & Patres expreſſa, cum promiſſionibus: ei, quæ abſolutæ & irrevocabiles videntur, futurum ſcilicet ut nunquam a Deo deſeratur; inde vero minæ reſonant ac verba illa graviſſima, quibus vitia ejus caſtigantur. Salomon ad Cœlum uſque ſapientia & pietate ſua erectus; Salomon pariter impietate ac oblivione Dei ad infimos uſque inferos dejicitur. Salomon Regni initio dilectus a Deo; idem a Domino ſecedens, fœdus illud ſuum cum Deo poſtremis ejuſdem Regni annis proculcat. Hæc omnia detinent nos ſuſpenſos, ut quod maxime de ſalute ejus judicium ferendum ſit, hæreamus.

Iidem illi, qui Salomoni ſunt æquiores, in idololatriam prolapſum eſſe ultro fatentur. Crimen autem illius, quacumque tandem ex parte aſpiciatur, crimen eſt lethiferum; eſt enim Idolorum cultus ſcelus a Regno Dei excludens. Malum in re tam gravi exemplum, crimen eſt etiam ſeveriſſima pœnitentia expiandum. Igitur ſi Rex peccata pœnitentia non expiavit, neque ſincere ad Deum rediit; nihil eſt cur æqua de ejus ſalute ſentiamus. Totus igitur rei cardo in eo vertitur, ut inveſtigemus, utrum reipſa crimina ſua agnoverit, atque pœnitentia & intimo animi dolore expiarit.

Salomonis patroni proferunt Divinas promiſſiones Davidi juratas pro Salomone (1): *Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium; qui ſi inique aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum; miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicuti abſtuli a Saule, quem amovi a facie mea*. De obitu etiam Salomonis non aliter agit Scriptura, infra ℣. 43. quam quibus verbis Sanctorum obitum deſcribere ſolet: *Dormivit Salomon cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in civitate David patris ſui*. An Scriptura unquam ita loqueretur de Principe Idololatra & reprobo? an talis viri cadaver in ſepulcra Regum Juda illatum unquam fuiſſet? *Quia inter Juſtos meruit ſepeliri, non fuit alienus a venia*, ait Bacchiarius in ſua Epiſtola ad Januarium de recipiendis lapſis. Quid? nonne aperto magis teſtimonio pœnitentia Salomonis probatur iis verbis 2. Paralipom. xi. 17. ubi de Roboamo & ſubdito ipſi populo: *Ambulaverunt in viis David & Salomonis annis tantum tribus?* Stat denique monumentum luculentiſſimum & certiſſimum pœnitentiæ ipſius in Eccleſiaſte, quem poſt lapſum exaravit, cum ſcilicet inanium omnium mundi rerum fucum agnovit (2), atque ſincero criminum ſuorum mœrore tactus, crimina eadem ſua faſſus eſt, malumque exemplum publice exhibitum publice quodammodo & ſolemniter reparavit, palam relicto monumento, parem cum mundo exitum habituro. Pœnitudinis veſtigia quædam exhibet etiam Liber Proverbiorum, quem deſcriptum a Salomone poſt lapſum quidam cenſent. Palam enim edicit cap. xxx. 2. *Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum, & non novi*. Ibi pariter cap. xxiv. 32. legimus: *Quod cum vidiſſem, poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam*. Septuaginta: *Noviſſime ego egi pœnitentiam, & reſpexi ut eligerem diſciplinam*.

Nec Salomoni minus quam Scriptura, favent Patres. Salomonem & Davidem inter eos accenſet S. Irenæus (3), quibus mors Servatoris remedium & veniam attulit peccatorum. Docet, Jeſum Chriſtum, ad inferos profectum, verbiſque ad Juſtos, Prophetas & Patriarchas habitis, veniam illis contuliſſe. Cum autem S. Irenæus ſermonem antea habuiſſet de Davide & Salomone, veriſimilliimum eſt, utrumque illum Regem retuliſſe inter eos, quibus merita Jeſu Chriſti morientis profuere. Minus ambigue favet Salomoni S. Cyrillus Jeroſolymitanus (4): *Cernis, quod pœnitentibus datur ſalus? Et Salomon ceciderat: ſed quid inquit? Poſtea ego pœnitentiam egi*. Spectat ille locum Proverbiorum, quem ſupra laudavimus. De Salomone perinde ac de viro ſancto agit S. Hilarius (5): *Volunt plures, Sanctum Salomonem, ædificationi civitatis & Templi ſtudentem, in eo ipſo molitionis ſuæ tempore, everſionem civitatis ac Templi, quod conderet, propheta ſſe*. Et in Pſalmum lii. docet, Salomonem alioſque plures viros ſanctos documenta exhibere apertiſſima clementiæ Dei, quos cum merito criminum ſuorum punierit, merito etiam fidei veniam largitus eſt: *Quibus increpitis demutationum offenſis, ob fidei tamen meritum adfuit venia proclivis*. Author ſecundæ Apologiæ Davidis, narratis criminibus Samſonis, Davidis & Salomonis, continuo proſequitur: *Si erraverunt juſti, erraverunt tamquam homines, ſed peccatum ſuum tamquam juſti agnoverunt*. Bacchiarius, author quinti ſæculi (6), non obiter, neque caſu, ſed ex profeſſo agit, probatque argumentis pœnitentiam & ſalutem æternam Salomonis; additque: *Qui per Prophetam culpam erroris agnovit, numquid miſericordiæ cœleſtis extorris eſt?*

S. Hieronymus, in Scripturis gnaviter exercitatus,

(1) 2. Reg. vii. 14. & 1. Par. xvii. 11. (2) Eccle. 1. 2. *Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* (3) Iren. lib. 4. adverſ. Hæreſ. c. 45. (4) Cyrill. Jeroſol. Catheches. 2. illuminatorum. (5) Hilar. in Pſalm. 126. (6) Bacchiar. Ep. de recipiendis lapſis ad Januar.

Digitized by Google

tatus, oon ſemel neque ambigue agit de eadem Salomonis ſalute, ſed certam in ſcriptis ſuis frequenter ſtatuit (1): *Si David amicus Domini, & Salomon amabilis ejus, victi ſunt quaſi homines, ut & ruinæ nobis ad cautionem, & pœnitudinis ad ſalutem exempla præberent*, &c. Vetuſtis hiſce patribus accinunt magno numero recentiores Scriptores (2), ſeotentiam hanc propugnaotes ac vindicantes. Adnecti his poſſent Rabbini, ſiquidem eorum nomen aliquid valeret ad authoritatem. Traduot illi, Principem hunc raptandum ſe tradidiſſe quinquies per plateas urbis pœnitentia ductum, ſeque obtuliſſe Templo cum quinque virgarum faſciculis, ut debitam criminum ſuorum pœnam reciperet: cum tamen illum punire omnes vererentur, ipſe ſe flagris cecidit, atque abdicato Regno (3) ſtipem oſtiatim emendicabat, baculo innixus atque clamans: Ego Salomon olim Rex in Iſrael. Obtrudunt etiam nobis Hiſpani (4) veteres quaſdam tabulas plumbeas, Arabice deſcriptas, & Granatæ ſervatas, in quibus pœnitentie Salomonis, venia & mors, tamquam viri juſti & fidelis deſcribitur. Sed hiſce quis credat? Hæc teſtimonia evertunt potius quam fulciant cauſam Salomoois,

Relatis iis, quæ ſavent Salomooi, rei æquitas poſtulat, ut momenta contrariæ opinionis expendanrur, Crimen hujus viri non obſcure proditut in Scriptura, ſed de ejus pœnitentia nihil ſatis apettum legitur. Scimus promeruiſſe illum, ut e Deo deſereretur; ſed priſtino amori reſtitutnm fuiſſe, oihil docet. Quæ aſſerunt de Libris Proverbiorum & Eccleſiaſtæ ab eo ſcriptis poſt lapſum, ceu monumeotum pœnitudinis ſuæ, ſuſpecta ſunt maxime, atque adverſarios e Scriptoribus Catholicis viros plures doctiſſimos (5) habent. Productum illud e Proverbiis teſtimonium, *Noviſſime ega egi pœnitentiam, & reſpexi ut eligerem diſciplinam*, fruſtra quæritur in Hebræo, Vulgata & Chaldæo, Textus Originalis legit (6): *Tranſivi per agrum hominis pigri: & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant ſuperficiem ejus ſpinę, & maceria lapidum deſtructa erat. Quod cum vidiſſem, poſui in carde meo, & exemplo didici quid facere deberem*. Nihil hic quod Salomooi ſaveat, ne vocula quidem. Denique quod pœnitentiæ documeotum Salomon exhibuit? Si enim ex animo ſuam luxiſſet idololatriam, ao noo ejus vel leviſſima veſtigia deleviſſet? An ſtare paſſus fuiſſet Templa a ſe Numioibus dedicata, quæ diu poſt ejus obitum magno Iſraelis detrimento perſeverarunt? An permiſiſſet, ut ii quos pravo exemplo traxerat in Idololatriam, ſe adhuc ſoperſtite, in errore perſiſterent, ejuſque rei mooumenta ſtareot adhuc in regione, imbecillium atque ſceleſtorum Iſraelitarum excidio? Scimus enim, nonniſi ſub Joſia, diu utique poſt Salomonem, violata fuiſſe atque deſtructa ſana, quæ Numinibus Aſtaroth, Moloch, & Chamos Salomon erexerat (7): *Excelſa quoque, quæ in Jeruſalem, ad dexteram partem montis Offenſionis, quæ ædificaverat Salomon . . . . polluit Rex* [Joſias], *& contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos*. Author Eccleſiaſtici (8), poſtquam egit de Regno, ſapientia & Libris Salomonis, ne leviter quidem attingens ejus pœoitentiam, exprobrat viro immoderatos fœminarum amores, qui æternam maculam nomini ejus iotulere, quique io poſteros ejus provocaruot indignationem Numinis, ex qua ſciſſio Regni Iſraelitic inducta eſt. Addit, Deum, niſi memoriam nominis Davidici obſervaſſet, cujus in Familia Regnum perpetuum fore ſpoponderat, aboliturum fuiſſe penitus totum ejus genus, atque Regnum in alios tranſlaturum. Adeo exarſerat in ſcelera Salomonis (9). Quis igitur animum inducere queat ut credat, ſincera pœnitentia reſipuiſſe Salomonem, atque criminis veniam a Deo impetraſſe, cum Deus minas ſuas omnes in illum totamque familiam impleverit? Profecto ſi res Salomonis cum Deo fuiſſent compoſitæ, hujus fœderis primus omnium fuiſſet effectus, ſententiæ in illum prolatæ revocatio.

Si quis Patres & Eccleſiaſtici Scriptores excuſare Salomonem adniſi ſunt, ejuſque pœnitentiam tueri, alii viciſſim rejiciunt illum inter reprobos, & impios. S. Cyprianus (10) ita pronunciat: *Salomon & Saul, & cæteri multi, quamdiu in viis Domini ambulaverunt, datam ſibi gratiam tenere potuerunt: recedente ab eis diſciplina dominica, receſſit & gratia*. Duos hoſce Principes pares S. Cypriaous omoino conſtituit tum receſſu a Deo, tum crimine ſine venia. Quam doctrinam S. Cyprianns a præceptore ſuo Tertulliano didicerat. Porro Tertullianus non ſemel de reprobatione Salomonis perinde agit, ac de Saule; poſtquam enim verba de primo hoc Rege Iſraelis fecit, addit (11): *Rejicitur & Salomon, ſed jam a mulieribus alienis poſſeſſus, & idolis . . . . mancipatus*. Et alibi (12): *Salomoni etiam ira Dei acceſſit poſt luxuriam & idololatriam*. Denique nihil hæſitans pronunciat, Principem hunc idololatriæ merito excidiſſe ab ea, in qua a Deo conſtitutus fuerat, gloria. De lapſu Salomonis, tamquam ſine reditu, agit S. Auguſtinus (13); ſateturque illum argui in Scriptura, & apertiſſimis verbis damnari, pœnitentiam vero ejuſdem ne verbulo quidem agnoſci. Quin & ægre ex ejus crimine exprimere ullam ſe poſſe dicit allegoriam, & ſymbolum, quod morum ædificationi ſerviat, niſi forte, ait ille, exceſſus ille amoris mulierum alienarum accipiatur ut typus amoris J. Chriſti erga Gentium Eccleſiam. Io Libro 3. de Doctrina Chriſtiaoa capite XXI. comparans peccatum Davidis cum Salomonico, de priore docet: *Immoderatæ libidinis non permanſio, ſed tranſitus fuit*. Viciſſim autem Salomonis peccatum, ait, *Non quaſi hoſpes tranſitum habuit, ſed regnum iſta libido poſſedit*. Denique in Commentariis ſuis io Pſalmum CXXVI. aperte pronunciat: *Ipſe Salomon mulierum amator fuit, & reprobatus eſt a Deo*. Vetus quidam Author ſub ementito S. Proſperi nomine docet (14): *In ſenio fornicatus mente & corpore, Domino ipſum deſerente, male obiit*. Denique S. Gregorius Magnus (15) Salomonem omnioo recenſet cum Juda, divite impio, & civibus Sodomæ; quare & inter reprobos. Addi his poſſent Beda Venerabilis, Lyranus, Toſtatus, aliique recentiores (16). Omittimus hic ſententiam S. Chryſoſtomi, quippe quæ hac in re varia eſt; alicubi enim (17) ſalutem Salomonis tanquam certam ponit; alicubi vero (18) innuere videtur, nec pœnitudine reſipuiſſe, nec veniam impetraſſe.

In tanto teſtium diſcrimine, quorum pars tuetur, pars vero Salomooi adverſatur, illud tutiſſimum,

(1) Hieron. Ep. 9. ad Salvinam de Servanda viduitate. Vide & lib. 13. in Ezech. c. 43. & in c. 2. Eccleſiaſt.
(2) Vide Rupert. Serar. Rabbinos, Salian. & alios quampluſimos apud Pinedam de Reb. Salom. lib. 8. cap. 1. ſect. 5. n. 44.
(3) Vide, ſi lubet, in fine tom. 7. Operum Bedæ, fragmentum, cui titulus, De Salomone Judicium.
(4) Vide has Tabulas delineatas apud Pinedam lib. 8. de Reb. Salom. c. 1. ſect. 7. ad finem.
(5) Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei c. 5. Sanct. ad V. 8. & alii.
(6) Prov. XXIV. 30. 31.
(7) 4. Reg. XXIII. 13. Vide Bedam in eum locum.
(8) Eccli. XLVII. 21. 22.
(9) Vide 3. Reg. XI. 11. 12. 13. & 34.
(10) Cyprian. Epiſt. 6. ad Rogatian. Vide eamdem de Unitate Eccleſiæ.
(11) Tertull. lib. 2. contra Marcion. c. 23.
(12) Idem lib. 3. c. 20. & lib. 5. c. 9.
(13) Auguſt. lib. 22. contra Fauſt. c. 88. Vide eumdem ibid. c. 71.
(14) Author lib. de Prædictionibus & Promiſſionibus Dei pag. 2. c. 27.
(15) Greg. Mag. lib. 2. Moral. in Job c. 2.
(16) Vide, ſi lubet, Cornel. a Lapide in hunc locum.
(17) Chryſoſt. homil. contra concubinarios.
(18) Idem, Serm. de Pœnitentia.

mum, atque ſapientiſſimum cenſemus, ut ſilentio rem totam premamus, & judiciorum Dei profundum vereamur, quippe qui exemplo lapſus Salomonis demonſtravit apertiſſime, quanta ſit mortalium imbecillitas, quantaque ejus gratiæ ope egeamus, tum ut bonum incipiamus, tum ut in incœpto perſeveremus. Hoc exemplo monemur, ut humili ſemper terrore paveamus Dei judicia, & nequam certam ſpem in viribus noſtris collocemus. Utiliora erunt utique hæc documenta mortalibus, quam diſtincta ac luculenta cognitio de Salomonis ſtatu. Plurimi ſane e Scriptoribus noſtratibus (1), viri doctiſſimi, & ſapientiſſimi, in hac cauſa ſilendum ſibi cenſuerunt, faſſi, in re adeo occulta & profunda, quam Deus ſibi tantum noſcendam ſervavit, judicium ac ſententiam ferre hominis non eſſe: quas partes nos etiam eorum exemplo ſequi ſtatuimus.

(1) Vide, ſi placet, Natal. Alex. tom. 2. Hiſt. vet. Teſt. diſſert. 3. Sanct. hic; Alios plures apud Pined. de Reb. Salom. lib. 8. cap. 1. ſect. 2.

CAPUT XII.

Roboamus filius Salomonis adoleſcentum conſilium præfert alteri, quod Veteres Salomonis Miniſtri ſuggerebant; eamque cauſam præbet ſeceſſioni decem Tribuum. Illæ Jeroboamum ſibi Regem conſtituunt. Bellum æmulo parantem Roboamum Deus prohibet. Jeroboamus aureos vitulos colendos proponit.

℣. 1. VEnit autem Roboam in Sichem: illuc enim congregatus erat omnis Iſrael
ad conſtituendum eum regem. 2. At vero Jeroboam filius Nabat, cum
adhuc eſſet in Ægypto profugus a facie regis Salomonis, audita morte ejus, reverſus
eſt de Ægypto. 3. Miſeruntque, & vocaverunt eum: venit ergo Jeroboam, & om-
nis multitudo Iſrael, & locuti ſunt ad Roboam, dicentes: 4. Pater tuus duriſſimum
jugum impoſuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui du-
riſſimo, & de jugo graviſſimo, quod impoſuit nobis, & ſerviemus tibi. 5. Qui ait
eis: Ite uſque ad tertium diem, & revertimini ad me. Cumque abiiſſet populus, 6.
Iniit conſilium rex Roboam cum ſenioribus, qui aſſiſtebant coram Salomone patre ejus,
cum adhuc viveret, & ait: quod datis mihi conſilium, ut reſpondeam populo huic?
7. Qui dixerunt ei: Si hodie obedieris populo huic, & ſervieris, & petitioni eorum
ceſſeris, locutuſque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi ſervi cunctis diebus. 8. Qui
dereliquit conſilium ſenum, quod dederant ei, & adhibuit adoleſcentes, qui nutriti
fuerant cum eo, & aſſiſtebant illi, 9. Dixitque ad eos: Quod mihi datis conſilium;
ut reſpondeam populo huic, qui dixerunt mihi: Levius fac jugum, quod impoſuit
pater tuus ſuper nos? 10. Et dixerunt ei juvenes, qui nutriti fuerant cum eo: Sic
loqueris populo huic, qui locuti ſunt ad te, dicentes: Pater tuus aggravavit jugum
noſtrum, tu releva nos. Sic loqueris ad eos: Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo
patris mei. 11. Et nunc pater meus poſuit ſuper vos jugum grave, ego autem ad-
dam ſuper jugum veſtrum: pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos
ſcorpionibus. 12. Venit ergo Jeroboam, & omnis populus ad Roboam die tertia,
ſicut locutus fuerat rex, dicens: Revertimini die tertia. 13. Reſponditque rex popu-
lo dura, derelicto conſilio ſeniorum, quod ei dederant, 14. Et locutus eſt eis ſecun-
dum conſilium juvenum dicens: Pater meus aggravavit jugum veſtrum, ego autem
addam jugo veſtro: pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpio-
nibus. 15. Et non acquievit rex populo: quoniam averſatus fuerat eum Dominus,
ut ſuſcitaret verbum ſuum, quod locutus fuerat in manu Ahiæ Silonitæ ad Jeroboam
filium Nabat. 16. Videns itaque populus, quod noluiſſet eos audire rex, reſpondit
ei dicens: Quæ nobis pars in David? vel quæ hæreditas in filio Iſai? Vade in ta-
bernacula tua, Iſrael, nunc vide domum tuam David: Et abiit Iſrael in tabernacula
ſua. 17. Super filios autem Iſrael, quicumque habitabant in civitatibus Juda, regna-
vit Roboam. 18. Miſit ergo rex Roboam Aduram, qui erat ſuper tributa, & lapi-
davit eum omnis Iſrael, & mortuus eſt. Porro rex Roboam feſtinus aſcendit currum,
& fugit in Jeruſalem: 19. Receſſitque Iſrael a domo David, uſque ad præſentem
diem. 20. Factum eſt autem, cum audiſſet omnia Iſrael, quod reverſus eſſet Jero-
boam, miſerunt, & vocaverunt eum congregato cœtu, & conſtituerunt eum regem
ſuper omnem Iſrael; nec ſecutus eſt quiſquam domum David præter tribum Judam
ſolam.

ſolam. 21. Venit autem Roboam Jeruſalem, & congregavit univerſam domum Ju-
da, & tribum Beniamin, centum octoginta millia electorum virorum bellatorum, ut
pugnarent contra domum Iſrael, & reducerent regnum Roboam filio Salomonis. 22.
Factus eſt autem ſermo Domini ad Semeiam virum Dei, dicens: 23. Loquere ad Ro-
boam filium Salomonis regem Juda, & ad omnem domum Juda, & Beniamin, &
reliquos de populo, dicens: 24. Hæc dicit Dominus: Non aſcendetis, neque bella-
bitis contra fratres veſtros filios Iſrael: revertatur vir in domum ſuam, a me enim
factum eſt verbum hoc. Audierunt ſermonem Domini, & reverſi ſunt de itinere, ſi-
cut ei præceperat Dominus. 25. Ædificavit autem Jeroboam Sichem in monte E-
phraim, & habitavit ibi, & egreſſus inde ædificavit Phanuel. 26. Dixitque Jeroboam
in corde ſuo: Nunc revertetur regnum ad domum David. 27. Si aſcenderit populus
iſte, ut faciat ſacrificia in domo Domini in Jeruſalem: & convertetur cor populi hu-
jus ad dominum ſuum Roboam regem Juda, interficientque me, & revertentur ad
eum. 28. Et excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite ultra
aſcendere in Jeruſalem: Ecce dii tui, Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.
29. Poſuitque unum in Bethel, & alterum in Dan. 30. Et factum eſt verbum hoc
in peccatum: ibat enim populus ad adorandum vitulum uſque in Dan. 31. Et fecit
fana in excelſis, & ſacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Levi. 32.
Conſtituitque diem ſolemnem in menſe octavo, quintadecima die menſis, in ſimilitu-
dinem ſolemnitatis, quæ celebrabatur in Juda. Et aſcendens altare, ſimiliter fecit in
Bethel, ut immolaret vitulis, quos fabricatus fuerat: conſtituitque in Bethel ſacerdo-
tes excelſorum, quæ fecerat. 33. Et aſcendit ſuper altare quod extruxerat in Be-
thel, quintadecima die menſis octavi, quem finxerat de corde ſuo: & fecit ſolemni-
tatem filiis Iſrael, & aſcendit ſuper altare, ut adoleret incenſum.

℣. 1. VENIT AUTEM ROBOAM IN SICHEM. Roboamus inter Salomonis liberos primus, & facile unicus, poſt ſuprema officia patri ſuo perſoluta, venit in Sichem, ubi populus convenerat, ut illum ſibi Regem eligeret, ſeu potius agnoſceret. Poſtquam enim Deus mentem ſuam declaraverat, Regnum ſcilicet in familia Davidica aſſerendum non interrupta ſucceſſione, nunquam deinceps deliberatum eſt de eligendis ex ea Familia Regibus. Orti ex eo Principe poſteri Regnum tamquam hæreditarium adibant. Quare poſt obitum Salomonis, ventum eſt in Sichem, ut ſolemni ritu Roboamus conſtitueretur in Regem, ſalutaretur, atque novo Principi prima obſequii tributa penderentur. Cum autem igniculos ſeditionis populus foveret, quos injecerat Salomon, labentibus vitæ ſuæ annis populum graviſſimis oneribus opprimens; Iſraelitæ novo Regi ſupplicarunt, ut ingrato onere ſeſe levaret, ſimulque ſignificarunt, ſe, niſi id impetrarent, nunquam in animum inducturos, ut jugum novi Imperii acciperent. Videtur autem populus data opera elegiſſe ad conventum Sichem pro Jeroſolyma, quæ ſedes erat Regum. Jacebat Sichem in media Tribu Ephraim, quæ ſeditioſorum turbam majorem continebat. Locum autem hunc aptiſſimum reputarunt, ubi majori libertate poſtulata ſua Roboamo proponerent; quod minus tutum ſibi futurum credebant Jeroſolymæ, ubi Familia Davidis majoribus viribus pollens, minus timuiſſet ſeditioſos.

Agebat tunc Roboamus annos ætatis unum & quadraginta circiter (1); natus eſt enim anno primo Regni Salomonis, patris ſui, vel paulo ante. Matrem habuit Naamam, mulierem alienam, e genere Ammonitarum, atque unicus eſſe filius creditur Salomoni natus e mille uxoribus, quas duxerat. Accedebant duæ filiæ, *Taphet*, & *Baſemet* (2). Fuit Roboam Princeps ineptus, inops conſilii & prudentiæ, qui faſtu ſuo atque ferocia amplius mediam Regni ſui partem uno ictu perdidit. Ita de illo agit Scriptura, ut parum ſane ejus elogium juvet. *Dereliquit poſt ſe*, ait Eccleſiaſticus XLVII. 27. [Salomon] *de ſemine ſuo gentis ſtultitiam; & imminutum a prudentia Roboam, qui avertit gentes conſilio ſuo*. Abia filius Roboami, decem Tribus pro concione alloquens, jamjam prælium commiſſurus, ultro fatetur (3): *Roboam erat rudis & corde pavido*. Vel, ut habet Textus Originalis: *Puer erat*, vel *delicatus*, vel tener *corde*. Roboamum filium ſuum ſpectaſſe Salomon videtur iis verbis (4): *Deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, qua ſub ſole ſtudioſiſſime laboravi, habiturus hæredem poſt me, quem ignoro, utrum ſapiens, an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis, & deſudavi, & ſollicitus fui: & eſt quidquam tam vanum?*

℣. 2. JEROBOAM AUDITA MORTE EJUS, REVERSUS EST DE ÆGYPTO. Quæ cauſa Jeroboamum impulerit, ut in Ægyptum fugeret (5), ſatis conſtat. Vir erat ingenio ſeditioſo, inquieto, qui populum adverſus Principem ſuum ſolicitabat. Cum Salomon in vincula illum dare tentaſſet, ut vita illum, & ſe metu ſolveret, fugit in Ægyptum. Sed poſt Regis obitum, fautores Jeroboami quos ſibi ille comparaverat in Tribubus Ephraimi & Manaſſe, quibuſcum occultam, & perpetuam amicitiam detinuerat, monuerunt illum, opportunum redeundi tempus adeſſe. Reverſus eſt igitur domum, venitque invitatus ad conventum Sichem, ubi inter primos Authores fuiſſe videtur petitionum populi, & fax ſeditionis in Familiam Davidis (6). Textus Hebræus plane contrarium Vulgatæ ſenſum reddere videtur; ita enim ſonat (7). *Ipſe habitavit in Ægypto, miſeruntque & vocaverunt eum*. In Paralipomenis (8) legimus: *Reverſus eſt Jeroboam de Ægypto, & miſerunt* [Iſraelitæ], *& vocaverunt eum* ad conventum. Totum diſcrimen ex una literula petitur. Credibile eſt autem, ætate S. Hieronymi Libros Regum & Paralipomenon hac in re inter ſe conveniſſe. Quæ lite-

(1) Infra XIV. ℣. 21. (2) Vide 4. Reg. XI. 15. (3) 2. Par. XIII. 7. ורחבעם היה נער ורך לבב
(4) Eccle. II. 18. (5) Vide ſuperius XI. 26. (6) Vide ℣. 20. (7) וישב ירבעם במצרים
וישלחו ויקראו לו (8) 2. Par. X. 2. וישב ירבעם ממצרים וישלחו ויקראו לו

literæ exprimunt *rediit*, eædem, ex alia radice, ſonant etiam, *manſit*.

℣. 24. Pater tuus duriſſimum jugum impoſuit nobis. Abſoluto Templo, Salomon ſumptibus immodicis & odioſis ſeſe implicavit, ut domus ſuæ faſtum promoveret, luxum uxorum ſuarum expleret, atque urbem Jeruſalem ornaret. Hinc æmulatio & ſimultas tum Urbium, tum Tribuum cæterarum. Animadvertere licuit (1), occaſionem defectionis Jeroboamo præbuiſſe *Mello*, quod Princeps ille ædificandum, ſeu potius aggeſta humo per viros e Tribubus Iſraelis, obſtruendum ſuſcepit. Vectigales ejuſmodi operæ, additæ mulctis atque tributis *jugum* hoc duriſſimum, de quo populus hic queritur, conſtituebant. Nullibi equidem in Scriptura ſatis aperte conſtat, Iſraelitis mulctas & tributa indicta fuiſſe; ea enim imperabatur tantum gentibus ſuperatis atque ſubjectis. Nomen *tributum*, cum de Iſraelitis agitur, uti jam animadverſum eſt, innuit operas vectigales, quæ ab illis exigebantur.

℣. 7. Si hodie obedieris populo huic, et servieris . . . erunt tibi servi cunctis diebus. Brevi unius diei ſervitute obſtringes tibi populum tuum in perpetuam ac devinctiſſimam ſervitutem. Hunc ſenſum exigit Hebræus (2): *Si fueris hodie ſervus huic populo, & reſponderis eis, locutuſque fueris ad eos verba bona, erunt ſervi tibi omnibus diebus*. Felicem Roboamum, ſi conſiliis hiſce ſapientiſſimis obtemperaſſet! Porro conſilia hæc nonniſi a ſenibus gravibus, ſapientibus, atque rerum experientia excultiſſimis proferuntur. Juvenes apti ſunt bello atque conſiliis explendis; ſuppeditare conſilia ſenum eſt (3). Quodlibet imperium, in ipſo præſertim exordio, odioſum eſt. Sapientis eſt Principis indulgere populi voluntati, atque cavere ne imperio atque ferocia animos ſuorum concitet atque efferet; quos enim ſtatim impetus conceperunt, hos ægre deponunt. Veſpaſianum novum Imperatorem pingit Tacitus (4), *Novo principatu ſuſpenſum, & vultus quoque ac ſermones omnium circumſpectantem*.

℣. 8. Adolescentes qui nutriti fuerant cum eo. Mos eſt ubique, ſed apud Orientales Principes familiariſſimus, ut filios ſuos cum filiis optimatum coævis educandos tradant. Ex hoc autem commoda Reipublicæ utiliſſima oriuntur duo. Princeps Regni hæres exemplo coævorum ſuorum utitur ſtimulo & fomite æmulationis, ut omnes tantum ſuperet merito ac ſolertia, quantum ſuperaturus eſt dignitate. Melius etiam noſcit ſingulorum dotes & merita, quo rectius ſingulis apta munera diſtribuat. Quin & certiorem in illis fiduciam ſuam atque amorem collocat; ac viciſſim ab adoleſcentibus conſtantius amatur, coliturque impenſius, iique citius ingenio atque indoli Principis aſſueſcunt. Diſciplinæ hujus commoda erga Rempublicam ſunt maxima. Quanti id eſſet momenti, noverat utique qua erat ſapientia Salomon. Seſoſtris, cujus eſt nomen inter Reges Ægypti celeberrimum, pari educatione formatus fuerat (5). Juſſerat enim pater ipſius pueros omnes, eadem qua filium die undique per totum Regnum natos, deferri ad Aulam, ut communi cum Seſoſtri educatione adoleſcerent. Hiſce dein commilitonibus uſus eſt Seſoſtris ad miras illas expeditiones. Infelicior utique Roboami educatio ceſſit Salomoni. At neſcio quo fato, plerumque magna conſilia felici exitu carent, ſeu vitio eorum quibus explenda committuntur, ſeu illorum, circa quos laboratur. Adoleſcentes ingenui apud Perſas (6) educabantur ad fores, ſive in Aula Principum, ut quam maturrime diſcerent, quæ ſibi agendi lex & diſciplina præſcribenda eſſet, imprimerent animis exempla virtutum atque temperantiæ, quæ a ſenioribus exhibebantur, atque oculati teſtes ſpectarent ſeu præmia virtutis, ſeu vitiorum pœnas: denique docerentur artem parendi atque imperandi. Alexander Magnus, cujus celebre eſt adeo inter homines nomen, parem ferme habuit cum Roboamo educationem. Philippus Macedonum Rex puero Alexandro addidit ſodales pueros principes, qui deinde eximii Imperatores facti, ſtrenuam Alexandro operam ad Aſiam univerſam ſubigendam impenderunt. Pueros illos puero Alexandro adhæſiſſe, diſcimus ex 1. Macchabæorum 1. 7. *Vocavit pueros ſuos nobiles, qui ſecum erant nutriti a juventute*.

℣. 10. Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei; id eſt, tota corporis craſſitie (7). Vulgaris & thraſonica locutio. Textus Vulgatæ in 11. Paralipomen. 1. 10. legit: *Minimus digitus meus groſſior eſt lumbis patris mei*, vel lateribus patris mei. Perinde eſt ſive dicatur *lumbis*, ſive *corporis craſſitie* patris mei. Hebræus idem eſt utrobique. *Digitum* non exprimit, neque legunt Septuaginta (8), ferentes: *Parvitas mea craſſior eſt lumbo patris mei*. Chaldæus: *Debilitas mea fortior eſt robore patris mei*. Lumbi vel renes indicant robur. Symmachus: *Minimum membrorum meorum majus eſt corpore patris mei*. Joſephus & Syriacus cohærent Vulgatæ. Phraſi hac uſum fuiſſe Roboamum, cum populum allocutus eſt, non legimus quidem: ſed niſi verba, ſenſum certe expreſſit: *Pater meus aggravavit jugum veſtrum, ego autem addam jugo veſtro*.

℣. 11. Ego cædam vos scorpionibus. Flagro ſcilicet, cui e ſimilitudine ſcorpionis, ſive ex cuſpidibus inſtar caudæ ſcorpionis, nomen eſt inditum. Vide Diſſertationem noſtram de ſuppliciis.

℣. 15. Quoniam aversatus fuerat eum Dominus, ut suscitaret verbum suum. Hebræus (9): *Et cauſa* [vel defectio] *fuit a Domino, ut ſuſcitaret verbum ſuum*. Permiſit Deus, ut ſtulte adeo ſe gereret Roboamus, denegata illi ſapientia & intellectu, quo prævenire poſſet ac impedire defectionem Jeroboami. Ita res omnes & cauſas diſpoſuit, ut ab eventu fides impleretur Oraculi per Ahiam Prophetam ad Nabati filium prolati.

℣. 16. Vide domum tuam David. David eſt hic pro familia Davidis & Regia ſtirpe. Utuntur hic decem Tribus phraſi, olim in divortiis familiari: Age res tuas; te cura. Chaldæus: *Regna ſuper viros domus tuæ David*. Contentus eſto Tribu tua, Juda.

℣. 17. Super filios Israel, quicumque habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam. Tota ditio Juda manſit in fide Roboami; rexitque ille Iſraelitas omnes Tribus Juda, atque advenas aliarum Tribuum, qui eo migraverunt. Regnavit etiam in Beniamin, ac in partem ditionis Simeonis & Levi. Denique quiſquis Iſraelitarum detrectavit conſcium ſe præbere cultus vitulorum Jeroboami, recipientes ſeſe in ditionem Juda, cæteris Roboami ſubditis acceſſerunt (10). Poſt Roboamum qui ſucceſſerunt Reges, e corraſis Iſraelitici Imperii partibus, pomeria ſua dilatarunt. Ita Abia Jeroboamo eripuit Urbes Bethel, Ephronem, & Jeſanam cum agro ſuo (11). Sub Aſa Iſraelitæ e Tribu Ephraim, Manaſſe, & Simeonis, magno numero ſedes tranſtulerunt in ditionem Juda (12). Ex quo factum eſt, ut Regnum Juda decimam, vel duodecimam partem totius Iſraelis multum ſuperarit; quin & ſic acceptus Juda, nec opibus nec viribus reliquo Iſraeli fere concedebat. Quare Roboa-

(1) Superius xi. 26. (2) אם היום תהיה עבד לעם הזה ועבדתם ועניתם ודברת אליהם דברים טובים והיו לך עבדים כל הימים (3) Heſiod. Ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων. (4) Tacit. Hiſt. lib. 4. apud Grot. hic. (5) Vide Diodor. Sicul. lib. 1. cap. Bibliot. (6) Xenophon lib. 1. Cyropæd. (7) קטני עבה ממתני אבי (8) Ἡ σμικρότης μου παχυτέρα τῆς ὀσφύος τοῦ πατρός μου. (9) כי היתה סבה מעם יהוה למען הקים את דברו (10) Vide ſupra xi. 13. (11) 3. Reg. xiii. 19. (12) 2. Par. xv. 9.

boamus ſtatim ab exordio Regni ſui cogit ſub ſigna, ut Iſraelitas rebelles reducat, exercitum centum octoginta millium ſelectiſſimorum (1). Deinde vero Abia exercitum habet quadringentorum millium (2), ejuſque filius Aſa fere ſexcentorum millium (3). Joſaphat filius Aſæ ducebat in prælium undecies centena ac ſexaginta millia (4).

℣. 18. Misit Aduram, qui erat super tributa. Obtulit ſeſe ſupra *Aduram* Præfectus tributorum, ſeu potius operarum vectigalium, Davide regnante (5). Idem munus geſſit *Adoniram* ſub Salomone, & *Aduram* ſub Robamo. Miſſo a Roboamo Præfecto tributorum, facile ut populum tumultuantem pacaret, mitigaretque ea quæ durius Rex populo reſponderat, populus ne aures quidem loquenti præbens, lapidibus miſerum confecit. Cenſet Sanctius, miſſum illum fuiſſe pro conſueto more ad exigendum tributum. Roboamus cum juvenibus, quibus a conſiliis utebatur, temere menti impreſſarat futurum, ut populus defectionem ſuam non tueretur, quin & optimum ſibi fore arbitraturum, ſi ſe ſubjiceret, ac ſolveret, cum virum Regia inſtructum authoritate venientem intueratur, qui recuſantes cogeret. Malunt alii (6), Aduram eumdem eſſe virum ac Adoniram, qui curabat tributa, vel operas vectigales ſub Salomone (7). Hunc forte Roboamus permittere voluit furori plebis, ratus æquiores poſthæc Iſraelitas ſeſe habiturum. Sæpe furorem populi compeſcuit ultio de miniſtris tyrannidis malorum Principum illi permiſſa.

Festinus ascendit currum, ſibi metuens, atque reipſa cognoſcens, decreviſſe populum defectionem ſuam urgere. Hebræus (8). *Et Rex roboravit ſe ad aſcendendum in currum*; vel pervicacius cœpto conſilio inhæſit, redigendi ſcilicet vi populum; atque ut copias in eam rem cogeret, currum aſcendit, Jeroſolymam petiturus. Pertentandos animos clementia ac lenitate ulterius non cenſuit. Porro temerarium illud conſilium, ac importuna ſeveritas rem totam penitus afflixit. Qui hærebant adhuc ambigui, quos lenitas revocaſſet, ſeceſſerunt tandem in partes, atque Jeroboamo ſeſe tradentes, hunc ad Regnum evexere (9). Tunc autem malum remedio caruit.

℣. 20. Miserunt, et vocaverunt eum [Jeroboamum] . . . . et constituerunt eum Regem. Secundo huic populi conventui adfuiſſe Jeroboam videtur, vel ſaltem poſt acceptum a Roboamo reſponſum abiiſſe. Sed populus, lapidibus confecto Aduramo, intelligens veniæ a Rege nullam ſpem ſibi ſupereſſe, cum ad extrema omnia eo facinore deveniſſent, accitum Jeroboamum præfecerunt rebellibus, paratoſque ſe ad extrema omnia exhibuerunt, potius quam jugum domus Davidicæ ſubirent.

℣. 22. Semeias. Nomen Prophetæ ſub Regno Roboami celebris. Scripſit ille hiſtoriam rerum hujus Principis (10); & poſtquam Seſac Rex Ægypti in ditionem Juda irrupit, Deus per Semeiam denunciavit Regi, viriſque Principibus, merito perfidiæ ipſorum ſeſe illos manibus ejus Regis tradidiſſe. Sed cum Rex Juda juſtitiam Domini agnoviſſet, Semeias ejus nomine ſpopondit futurum, ut Regnum ejus a Seſaco penitus non everteretur; ſed ipſum manſurum Seſaco ſubditum, ut expertus noſceret, quantum eſſet diſcriminis inter Dei, atque hominis ſervitutem. Intelligere ex his licet, quanta eſſet Semeiæ authoritas in Juda; illo enim loquente, Rex cum centum quadraginta millium exercitu cogitur arma ponere, denunciante Propheta, omnia quæcumque acciderant, conſilio & providentia Numinis contigiſſe.

℣. 25. Ædificavit Jeroboam Sichem; ſeu potius reſtituit, munivit, ornavit. Dejecerat hanc urbem Abimelech filius Gedeonis (11), ante trecentos quinquaginta octo annos. Subſtitit ibi diu Jeroboam, Regni initio; donec tandem ſedem tranſtulit conſtituitque Therſæ, ubi pariter & Reges ejus ſucceſſores, uſque ad conditam ab Amri Samariam, conſederunt.

Phanuel, urbs erat transjordanica, ad torrentem Jaboc. Arcem hanc a Gedeone in bello Madianitico everſam (12), Jeroboamus vallavit, reſtituitque. Porro Phanuel arx erat, quæ totius ditionis transjordanicæ poſſeſſionem illi aſſerebat.

℣. 28. Fecit duos vitulos aureos. Intelligens Jeroboamus, religionis vinculum validiſſimum eſſe omnium, quibus Regna continentur, atque Iſraelitas omnes conjunctos ſanguine, atque ejuſdem Numinis religione in unum certum locum omnes coeuntes, ut religionis ſuæ cultum ſolemnem impenderent, quibus alioqui alte impreſſus erat amor, & veneratio familiæ Davidis, qui totius gentis gloriam adeo provexerat, & cui Deus ampliſſimis adeo promiſſionibus faverat; intelligens, inquam, hæc omnia Jeroboam, non negligendam cenſuit populi ab imperio præſenti abalienationem, ut illum in novum, atque alienum cultum perduceret. Id ſi conanti proſpere cederet, norat utique futurum, ut imperium ſibi ac toti Familiæ perpetuum aſſereret, atque diſſidium, & diviſionem irrevocabilem inter Judam atque Iſraelem conſtitueret. Incredibilem plane cæcitatem, quam regnandi amor mentibus ambitioſis inducit! quaſi ſcilicet Deus, qui Regnum illi, privato viro, prædixerat, non poſſet ſemel illi conceſſum Imperium tueri, niſi ſpreta illius majeſtate, abolitaque in toto Imperio Religione. Inanes ejus conatus, ejuſque politicea imbecillitatem hiſtoriæ hujus ſeries demonſtrabit.

Aureos vitulos Jeroboamus expreſſit imitatione quadam bovis Apidis, quem viderat in Ægypto, atque oculatus teſtis cultum ejus aſpexerat (13). Ad idem pariter exemplar conflatus fuerat in deſerto aureus ille vitulus, qui eodem pariter conſilio, imitandi cultum Ægyptiacum, conſecratus fuit. Vitulos hoſce appellare ſolent Græci (14) *vaccas aureas*; & Patres non raro (15) innuunt illos nomine *capitis vitulorum*, vel boum. In imaginem Cherubim expreſſos fuiſſe, cenſuit Monceus (16); contenditque Jeroboamum eo tantum ſpectaſſe, ut colendas Iſraelitis proponeret imagines illis perſimiles, quæ Arcam Fœderis protegebant. Certum conſtituit cum aliis plane multis, in ſimulachris Cherubim bovis figuram cæteris præſtitiſſe: ſed nos in Exodo XXXII. 4. demonſtrare conati ſumus, Cherubim nullam habuiſſe certam atque conſtantem figuram.

Ecce Dii tui, qui te adduxerunt de terra Ægypti. Hebræum *Elohim* (17) ſonat Deos vel Idola; ſæpe tamen pro Deo vero uſurpatur. Hinc aſſerendi locus Monceo & Grotio datus eſt, Jeroboamum vitulos aureos ita propoſuiſſe, ut de inducenda in populum Idololatria minime cogitaret. Illud tantum conabatur, ut proponeret colendum eumdem, qui in Templo Jeroſolymitano, Deum, quique ita concipiebatur, quaſi Cherubim inſideret. Quis enim, inquiunt, in mentem inducat,

(1) 3. Reg. XII. 21. (2) 2. Par. XIII. 3. (3) 2. Par. XIV. 8. (4) 2. Par. XVIII. 14. & ſeq. (5) 2. Reg. XX. 24. (6) Menoch. Jun. Piſc. (7) 3. Reg. IV. 6. (8) התאמץ לעלות במרכבה (9) Vide ℣. 20. (10) 2. Par. XII. 15. (11) Judic. IX. 45. (12) Judic. VIII. 17. (13) Hieronym. in Oſee v. *Jeroboam Ægyptiarum ſordium ſimulacra ſectatus eſt*. Vide eumdem in Oſee IV. 15. (14) Septuag. ἐποίησε δύο δαμάλεις χρυσᾶς. Heb. ויעש שני עגלי זהב Vide Oſee X. 5. & Joſeph. hic. (15) Lactant. lib. 4. c. 10. Ambroſ. lib. 1. de Pœnit. c. 10. Auguſt. in Pſalm. 71. Hieron. in Oſee cap. 7. (16) Monceau, de Aarone purgato lib. 1. cap. 8. 9. & 25. Ita & Grot. (17) הנה אלהיך ישראל אשר העלוך מארץ מצרים

Iſraelitas ſtatim e cultu veri Dei in Idololatriam tranſiſſe? Accuſant illos frequenter Prophetæ de adoptato cultu Baalis, Aſtaroth, Moloc, & aliorum vicinarum gentium Numinum; ſed religionem vitulorum aureorum ne verbo quidem reprehendunt. Vitio Scriptura vertit Jeroboamo tantum ſchiſma illud, ex quo ad Idololatriam viam paravit. Vitulos hoſce eodem titulo donat Princeps, quem ſibi verus Deus freqnentiſſime vindicat: *Qui eduxerunt te de terra Ægypti*. Denique Prophetæ in ditione Iſraelis agentes, quique veri Dei religionem non abjecerant, nunquam tamen omnes illos Principes totumque Regnum ut Idololatriæ addictum horruerunt; quamquam ubique cultus aureorum vitulorum regnabat. *Uſque quo claudicabitis in duas partes?* exprobrat Elias Iſraelitis (1). *Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum; ſin autem Baal, ſequimini illum*. Verum igitur Iſraelitarum Deum propoſuerant ſibi Iſraelitæ in utroque hoc ſimulacro. Hæc ſuccurrunt ad excuſandam utcumque Idololatriam Jeroboami ac decem Tribuum Iſraelis.

Sed facile hæc exploduntur. Si cultus aureorum vitulorum in deſerto impius erat & idololatricus, ſi Deus illum ſeveriſſime puniit; quis aureos vitulos Jeroboami ab impietate & idololatria cenſeat immunes? Quæcumque enim ad excuſandum Jeroboamum ejuſque ſubditos afferri poſſunt, hæc pariter Aaronem atque Iſraelitas in deſerto purgant. An non Scriptura vitulos illos traducit nomine Deorum alienorum & conflatilium (2)? *Feciſti tibi Deos alienos, & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares: me autem projeciſti poſt tergum tuum*; quæ verba ſunt Ahiæ Prophetæ ad uxorem Jeroboami. Nec vera ſunt quæ de ſilentio Prophetarum verſantium in Regno decem Tribuum, probante cultum vitulorum, objiciuntur. Gravibus illos verbis caſtigat Oſee (3): *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ .... & diſperdentur excelſa Idoli; peccatum Iſrael*. Et alibi (4): *Projectus eſt vitulus tuus, Samaria .... & in aranearum telas erit vitulus Samariæ*. Quoties Scriptura Jeroboamum accuſat de perducto Iſraele in errorem & in peccatum, atque a Domino defectionem (5)? *Separavit Jeroboam Iſrael a Domino, & peccare eos fecit peccatum magnum*. Cum vero imaginem Principis impii exhibere vult (6), incedere illum ait in viis Jeroboami, qui Iſraelem in peccatum induxit. Fruſtra igitur ab iniquo hoc Principe crimen amoliris. Aureorum vitulorum cultum nullibi probat Scriptura; neque conſcios ſe illius exhibuerunt Prophetæ, qui vitam in ditione Iſraelis egerunt. Quin & conati ſunt pro viribus removere ab ea ſuperſtitione populum, omnique tempore impium hunc cultum impiis cultoribus exprobrarunt. Abſuerunt ab ea ſuperſtitione Sacerdotes Domini, qui & eum religioſiſſimis quibuſque Iſraelitis a ditione Jeroboami ſeceſſere.

℣. 29. Posuit unum in Bethel, et alterum in Dan. Bethel ſeptentrionalis erat Jeroſolymæ, ex qua leucis ſex circiter aberat. Hunc autem locum elegit Jeroboamus, ut aureorum vitulorum alterum ibi conſtitueret, quod jam inde a pluribus annis celebris eſſet & religioſus Hebræis, ob myſticam illam ſcalam, quæ Jacobo in Meſopotamiam proficiſcenti per quietem objecta eſt. Scimus ex hiſtoria, (7) religioſiſſimas eo peregrinationes inſtitui conſueviſſe. Urbs erat in ditione Beniamin, ſed facile tenebatur incolis Iſraelitis e Tribu Ephraim, quippe quæ Jeroboamo pareret, cujus Regni urbs erat omnium maxime meridionalis.

Septuaginta in Manuſcripto Alexandrino; & S. Cyrillus in Oſee, legunt, Jeroboamum e vitulis hiſce aureis alterum conſtituiſſe in Galgalis, alterum in Dan; pro *Bethel & Dan*.

Erat Dan ad oppoſitos fines Regni Iſraelitici, prope ſontes Jordanis, qua in urbe diu antea Danitæ conſecraverant ſua Teraphim, addixerantque ſacerdotali illorum miniſterio Micham (8). Populus rerum novarum ſemper ſtudioſus, maluit laborioſa ac difficili peregrinatione conſerre ſe ad extrema Regni, ut adoraret Idolum, quam Dominum adoraturus venire Jeroſolymam. Hæc illis tacite exprobrantur in ℣. 20. *Ibat populus ad adorandum uſque Dan*.

℣. 30. Factum est verbum hoc in peccatum; in cauſam peccati, vel crimen fuit maximum coram Domino. Non immerito reputaverimus, primam hanc Jeroboami Idololatriam malorum omnium, quæ contigerunt Iſraeli, graviſſimum fuiſſe, & exemplum, ob appendices ſuas, omnium quotquot unquam fuerint, pernicioſiſſimum. Quædam enim mala ſunt, quorum pernicioſi effectus vel intra certos fines continentur, vel corriguntur: ſed idololatria Jeroboami non alium habuit exitum, quam diſperſionem & captivitatem decem Tribuum: quin & merito affirmaverimus, crimen illud ſecutum illos eſſe in exilium, ac longam illam malorum ſeriem, qua hodie uſque onerantur, innexuiſſe. Vituli Jeroboami, captivi cum cultoribus ſuis adducti ſunt (9); nec tamen ideo ad puram & ſinceram Legum Domini obedientiam tranſire Iſrael voluit. Illorum pars in Paganorum ſuperſtitiones degeneravit; pars vero per varia temporum intervalla repetens Judæam, conjunxit ſe Judæ, & in unum cum illo populum coivit. Qui illis ſucceſſerunt, ſedeſque illorum occuparunt, Samaritani, originem a Jacobo alienam ducebant: gens erant a cultu & fœdere Domini abhorrens.

℣. 31. Fecit fana in excelsis. Audacter loca religioſa multiplicavit, nihil minus curans, quam ut cultum populi ad unicum Numen cogeret; quin & utile futurum id cenſuit, ut oblivionem induceret Iſraelitis avitæ religionis, animoſque ab Jeroſolyma & Templo Domini alienaret. Animadverſum eſt in verſiculo ſequenti, in ipſa Bethel conſtituiſſe edita hæc loca, a populo frequentanda, religione utique incondita & ſuperſtitioſa, quamquam in eadem urbe vitulus aureus jam ad cultum ſtabat. Hebræus (10) fert tantum: *Fecit domum*, vel Templum *Excelſorum*; quod commode accipi poſſet de Templo in Bethel excitato, in ſedem vitulorum aureorum. Id autem innuitur ℣. 32. iis verbis: *Conſtituit in Bethel Sacerdotes Excelſorum, quæ fecerat*. Sed legimus Capite ſequenti ℣. 33. ſtetiſſe Templa in editis locis ſparſim per urbes Regni Samariæ: quæ nos ad priorem ſententiam revocant.

Et Sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Levi. Sacerdotes, & Levitæ, qui forte verſabant in Tribubus Jeroboamo ſubditis, coacti ſunt migrare in ditionem Roboami; impediebantur enim a Rege Iſraelis, ne miniſterio Sacerdotali Domino fungerentur (11): *Eo quod abjeciſſet eos Jeroboam & poſteri ejus, ne Sacerdotio Domini fungerentur*. Conſtat tamen (12), e Levitis quoſdam perſeveraſſe in Regno Jeroboami, atque in apoſtaſiam turpiſſime declinaſſe: *Sed & Levitæ, qui receſſerunt a me in errore filiorum Iſrael, & erraverunt a me poſt Idola ſua*.

Reddi poſſet Hebræus (13): Elegit indiſcriminatim e populo Sacerdotes, nihil curans utrum genus e Levi referrent. Ad literam: *Accepit Sacerdotes de extremis populi*. Sæpius alibi animadvertimus (14), phraſim Originalem deſignare, ex

(1) 3. Reg. xviii. 21. (2) 3. Reg. xiv. 9. (3) Oſee 2. 5. Vide & Oſee xiii. 3. (4) Oſee viii. 5. 6. (5) 4. Reg. xxvii. 21. (6) 3. Reg. xv. 30. 34. xvi. 2. 19. 26. & paſſim. (7) Vide 1. Reg. 2. 3. (8) Judic. xviii. 30. (9) Oſee viii. 5. 6. (10) ויעש את בית במות (11) 2. Par. xi. 13. 14. (12) Ezech. xliv. 10. (13) ויעש כהנים מקצות העם אשר לא היו מבני לוי (14) Vide ad Geneſ. xlvii. 2. &c.

Google

ex quorumdam ſententia, Principes, & Optimates populi; ex aliis vero, fæcem populi, atque homines e vulgo. Denique juxta alios valet: Aſſumpſit indiſcriminatim offerentes ſeſe quoſcumque; cui poſtremæ interpretationi favent quæ ſequuntur (1): *Quicumque volebat, implebat manum ſuam*, atque ſe in Sacerdotium ingerebat.

℣. 32. Constituit diem solemnem in mense octavo, quintadecima die mensis, in similitudinem solemnitatis, quæ celebrabatur in Juda; ideſt, ut reſponderet Feſto Tabernaculorum, quod in Juda celebrabatur, non eodem quidem, ſed præcedenti menſe, a quintadecima uſque ad vigeſimam primam diem menſis ſeptimi (2). Feſtum hoc nonniſi ad arbitrium conſtituit Jeroboamus: *Quem finxerat de corde ſuo*; neque enim id unquam Deus mandaverat. Impius Rex, politicæ artis peritus, optime norat, apparatum illum, quo tunc Feſta celebrabantur, & conventuum religioſorum ſocietatem vincula eſſe, quæ tenacius continerent in cultu ſuo populum, ferum illius ingenium cicurarent, atque inter ſe amicitia quadam utili, atque jucunda conjungerent.

℣. 33. Ascendit super Altare, ut adoleret incensum; ſive, *ut offerret ſacrificia grati odoris*, in hanc enim ſignificationem interdum redditur Hebræus (3). Phraſis hæc, *Aſcendit ſuper altare*, ad literam accipienda eſt: neque enim offerri tum poterant Sacrificia ſuper ingentia illa, quæ tunc interdum excitabuntur, Altaria, niſi iis conſcenſis, atque pede calcatis. Altare Templi Jeroſolymitani aſſurgebat decem cubitis, patebatque in longum, & latum viginti. Haud abſimilem molem erexiſſe Jeroboam cenſendus eſt, ut victimas totius populi in dedicatione ſolemni Templi, ac vitulorum aureorum caperet. Porro authoritatem, & gloriam majorem conciliaturus Jeroboam novo huic a ſe invecto cultui, Sacerdotalia munera per ſe obit. Rebus etiam ſuis ſimul proſpiciebat, in ſe uno conjungens civilem, & ſacram dignitatem, ne ſummos honores cum alio dividere cogeretur. Id olim conſilium fuit Romanorum Imperatorum, qui nunquam dividi Pontificiam, atque Imperatoriam dignitatem paſſi ſunt.

[1] Cap. XIII. 33. [2] Levit. XXIII. 34. [3] להקטיר Septuag. Τοῦ ἐπιθῦσαι.

CAPUT XIII.

Propheta miſſus in Bethel prædicit & everſionem Altaris Jeroboami & ortum Joſiæ Regis. Detineri illum jubens Jeroboamus ariditate manus punitur, neque niſi orante Propheta curatur. Alter Propheta priorem hunc Prophetam decipit, inducitque, ut ſecum veſcatur. Ille, cum regreditur, a leone interficitur. Jeroboamus in impietate ſua perſeverat.

℣. 1. ET ecce vir Dei venit de Juda in ſermone Domini in Bethel, Jeroboam
ſtante ſuper altare, & thus faciente. 2. Et clamavit contra altare in ſer-
mone Domini, & ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius naſcetur do-
mui David, Joſias nomine, & immolabit ſuper te ſacerdotes excelſorum, qui nunc
in te thura ſuccendunt, & oſſa hominum ſuper te incendet. 3. Deditque in illa die
ſignum, dicens: Hoc erit ſignum quod locutus eſt Dominus: Ecce altare ſcindetur,
& effundetur cinis, qui in eo eſt. 4. Cumque audiſſet rex ſermonem hominis Dei,
quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendit manum ſuam de altari, dicens:
Apprehendite eum. Et exaruit manus ejus, quam extenderat contra eum: nec valuit
retrahere eam ad ſe. 5. Altare quoque ſciſſum eſt, & effuſus eſt cinis de altari,
juxta ſignum, quod prædixerat vir Dei in ſermone Domini. 6. Et ait rex ad virum
Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, ut reſtituatur manus mea
mihi. Oravitque vir Dei faciem Domini, & reverſa eſt manus regis ad eum, & fa-
cta eſt ſicut prius fuerat. 7. Locutus eſt autem rex ad virum Dei: Veni mecum do-
mum, ut prandeas, & dabo tibi munera. 8. Reſponditque vir Dei ad regem: Si
dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem,
neque bibam aquam in loco iſto. 9. Sic enim mandatum eſt mihi in ſermonem Do-
mini præcipientis: Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per
viam, qua veniſti. 10. Abiit ergo per aliam viam, & non eſt reverſus per iter,
quo venerat in Bethel. 11. Prophetes autem quidam ſenex habitabat in Bethel, ad
quem venerunt filii ſui, & narraverunt ei omnia opera, quæ fecerat vir Dei illa die
in Bethel: & verba, quæ locutus fuerat ad regem, narraverunt patri ſuo. 12. Et
dixit eis pater eorum: Per quam viam abiit? Oſtenderunt ei filii ſui viam, per quam
abierat vir Dei, qui venerat de Juda. 13. Et ait filiis ſuis: Sternite mihi aſinum.
Qui cum ſtraviſſent, aſcendit, 14. Et abiit poſt virum Dei, & invenit eum ſeden-
tem ſubtus terebinthum, & ait illi: Tune es vir Dei, qui veniſti de Juda? Reſpon-
dit ille: Ego ſum. 15. Dixitque ad eum: Veni mecum domum, ut comedas pa-
nem. 16. Qui ait: Non poſſum reverti, neque venire tecum, nec comedam panem,

neque bibam aquam in loco iſto: 17. Quia locutus eſt Dominus ad me in ſermone
Domini, dicens: Non comedes panem, & non bibes aquam ibi, nec reverteris per
viam, qua ieris. 18. Qui ait illi: Et ego propheta ſum ſimilis tui: & Angelus lo-
cutus eſt mihi in ſermone Domini, dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, ut
comedat panem, & bibat aquam. Feſellit eum, 19. Et reduxit ſecum: comedit er-
go panem in domo ejus, & bibit aquam. 20. Cumque ſederent ad menſam, factus
eſt ſermo Domini ad prophetam, qui reduxerat eum. 21. Et exclamavit ad virum
Dei, qui venerat de Juda, dicens: Hæc dicit Dominus: Quia non obediens fuiſti ori
Domini, & non cuſtodiſti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, 22.
Et reverſus es, & comediſti panem, & bibiſti aquam, in loco, in quo præcepit ti-
bi, ne comederes panem; neque biberes aquam, non inferetur cadaver tuum in ſe-
pulchrum patrum tuorum. 23. Cumque comediſſet, & bibiſſet, ſtravit aſinum ſuum
prophetæ, quem reduxerat. 24. Qui cum abiiſſet, invenit eum leo in via, & occi-
dit, & erat cadaver ejus projectum in itinere: aſinus autem ſtabat juxta illum, &
leo ſtabat juxta cadaver. 25. Et ecce, viri tranſeuntes viderunt cadaver projectum
in via, & leonem ſtantem juxta cadaver. Et venerunt, & divulgaverunt in civitate,
in qua prophetes ille ſenex habitabat. 26. Quod cum audiſſet propheta ille, qui re-
duxerat eum de via, ait: Vir Dei eſt, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit
eum Dominus leoni, & confregit eum, & occidit juxta verbum Domini, quod locu-
tus eſt ei. 27. Dixitque ad filios ſuos: Sternite mihi aſinum. Qui cum ſtraviſſent,
28. Et ille abiiſſet, invenit cadaver ejus projectum in via: & aſinum, & leonem
ſtantes juxta cadaver: non comedit leo de cadavere, nec læſit aſinum: 29. Tulit er-
go prophetes cadaver viri Dei, & poſuit illud ſuper aſinum, & reverſus intulit in
civitatem prophetæ ſenis, ut plangeret eum. 30. Et poſuit cadaver ejus in ſepul-
chro ſuo, & planxerunt eum: Heu, heu, mi frater. 31. Cumque planxiſſent eum,
dixit ad filius ſuos: Cum mortuus fuero, ſepelite me in ſepulchro, in quo vir
Dei ſepultus eſt: juxta oſſa ejus ponite oſſa mea. 32. Profecto enim veniet ſermo,
quem prædixit in ſermone Domini contra altare, quod eſt in Bethel, & contra om-
nia fana excelſorum, quæ ſunt in urbibus Samariæ, 33. Poſt verba hæc non eſt re-
verſus Jeroboam de via ſua peſſima, ſed e contrario fecit de noviſſimis populi ſacer-
dotes excelſorum: quicumque volebat, implebat manum ſuam, & fiebat ſacerdos ex-
celſorum. 3.. Et propter hanc cauſam peccavit domus Jeroboam, & everſa eſt, &
deleta de ſuperficie terræ.

℣. 2. VIA DEI VENIT DE JUDA IN SERMONE DOMINI IN BETHEL. Quis? Plerique (1) *Addo*, ſive ut appellatur in Hebræo, יעדי *Jeddo* conſtituunt. Legimus in Paralipomenis (2), res Salomonis geſtas, deſcriptas fuiſſe ab Addone Vidente: *In viſione quoque Addo Videntis, contra Jeroboam filium Nabat*. Sed quomodo Propheta, qui ad Jeroboamum miſſus venit, ſatis temporis nactus eſt, ut ſcriberet vaticinia ſua in hunc Principem, cum ante reditum in domum ſuam neci traditus fuerit? Equidem Hebræus (3) commodam hanc interpretationem admittit: *In viſione Addo Videntis de Jeroboam*. Eſt igitur cur *Jeddonem* alterum credamus a viro, de quo in præſenti. *Semeam* appellat Tertullianus (4), & Pſeudo-Epiphanius *Joamum* (5). Haud abs re ſuſpicamur, eumdem Ahiam, qui electionem ejus in Regnum prædixerat, hæc pariter illi prænunciaſſe. Idem Epiphanius affirmat, Prophetam hunc nunciaſſe Regi futurum, ut duorum vitulorum cauſa Dei ultionem in ſe provocaret, & exitium familiæ (6). Sed Ahias ſuperſtes erat adhuc poſt mortem viri Dei, de quo hic. Adde, Ahiam virum fuiſſe Silonitem, atque ſedem habuiſſe in Silo, in Tribu Beniamin, quæ utique Urbs erat ditionis Jeroboami; Propheta autem, de quo modo, ex Juda venit (7). Itaque de nomine hujus Prophetæ nihil certi traditur.

℣. 2. ECCE FILIUS NASCETUR DOMUI DAVID, JOSIAS NOMINE. Prodiit Joſias trecentis quadraginta annis circiter poſt hoc Prophetæ vaticinium; cujus fidem impletam aſpexiſſe videtur Scriptor, qui hiſtoriam hanc digeſſit (8). Oraculum hoc per totum late Iſraelem ſeſe diffuderat, & Libri hujus Scriptor non modo impudentiſſimi deceptoris probrum non evitaſſet, ſed etiam inſigni ſtultitiæ nota inurendus fuiſſet, ſi Oraculum hoc aliter recitaſſet, quam quomodo a viro Dei palam enunciatum eſt. Si vero oraculum eſt undequaque certiſſimum, cui nihil ad fidem deſit, ſive ex re ipſa, ſive ex rei expletione, cum ad utriuſque veritatem confirmandam totius populi teſtimonium accedat, recte ex his colligas, religionem vaticiniis hiſce fultam unius tantum Dei opus eſſe, & oracula illa, quæ feruntur Paganorum, cum hoc collata, nihil eſſe per ſe & nihili habenda. Unum tale oraculum, quale hoc a viro Dei prolatum eſt, cæteris aliis ab eodem fonte derivatis pondus confert, & authoritatem inconcuſſam; atque ſuſpecta reddit, & fide indigna cætera quæcumque ab alio fonte, & contraria plane religione profluxerunt.

IMMOLABIT SUPER TE SACERDOTES EXCELSORUM. Non ſatis diſerte legitur in hiſtoria Joſue, immolatos ab eo Principe fuiſſe ſuper Altaria aureorum vitulorum Sacerdotes Excelſorum. Conſtat tamen,

Regem

[1] Ita Joſeph. Antiqu. lib. 8. c. 8. Alii recentiores paſſim. [2] 2. Paral. ix. 29. [3] בחזות יעדי החוה על ירבעם בן נבט [4] Tertull. contra Pſychich. c. 12. [5] Epiphan. lib. de Morte Prophetarum. [6] Epiphan. ibid. [7] 3. Reg. xiv. 1. [8] Vide 4. Reg. xxiii. 15. 16. 17.

Regem hunc evertiſſe quidquid erat Sacrorum Idolis monumentorum, Templa, Idola, lucos, altaria, eaque pariter ſpatſis mortuorum oſſibus polluiſſe, curaſſe autem potiſſimum, ut everreretur ac frangeretur altare ab Jetoboamo erectum in Bethel, illudque profanaſſe crematis ibi oſſibus Pſeudo-Prophetarum, e ſepulcris illorum in monre erutis (1). Quis tamen ſibi perſuaſerit, tanta ſapientia, pierate & religione Principem ſuperſtites reliquiſſe Sacerdotes & Pſeudoptophetas, contra apertum hoc oraculum, cui aſſerendam ab eventu fidem totam Joſias ſuſceperat? Quin & in eodem capite legimus, Regem illum, cum ad Urbes Samariæ veniſſet, ubi Templa erant in locis editis conſecrata, *feciſſe eis ſecundum omnia opera quæ fecerat in Bethel, & occidiſſe univerſos Sacerdotes excelſorum, qui erant ibi, ſuper altaria, & combuſſiſſe oſſa humana ſuper ea*. Certo igitur conſtare arbitramur, Joſiam vivos Sacerdotes Numinum, & mortua Pſeudoprophetarum lypſana in Altari veteri combuſſiſſe.

℣. 3. Altare scindetur. Ad frangendam pervicaciam Jeroboami, adimendamque illi omnem excuſationis rationem, vir Dei gemina illi oracula edicit. Ptimum ſcilicet rei ptoximæ & quodammodo præſentis; alterum rei, quæ ad longiſſimum tempus ſervabatur. Prioris eventus certam fidem alteri adſtruebat; diſſilite in fruſta Altare cernens Jeroboamus, cetto argumento colligere poterat, reliquas oraculi pattes impletum iri ſuo tempore ab Joſia, Ea pariter ratione Deus confirmaturus Moyſi miſſionem, quam illi detulit, jubens ad Pharaonem proficiſci (2), gemina illi miſſionis ſigna tradit; primum rubi, qui concepto igne ardebat, non abſumebatur; alterum vero ſacrificiorum offerendorum a populo in monte Sinai. Iſaias (3) etiam proximam liberationem Achaz prædicturus, ſpondet illi ortum Meſſiæ e Virgine, quod diu poſt implendum erat: ſimul autem prænuntians exitium Raſin Regis Syriæ, & Phacee Regis Iſraelis, qui armis illum tunc laceſſebant.

℣. 6. Reversa est manus Regis ad eum. Nervi ejus ſtupidi, & rigentes, laxati demum naturali loco reſtituti ſunt. Brachium, quod Rex adverſus Ptophetam extenderat, naturalem modum ſtatumque recepit. Haud immerito miramur, cur Deus uſum manuum teſtituerit impio huic, qui neque animum neque geſta mutavit (4). Porro reſtituta valetudine magis magiſque inexcuſabilis efficiebatur, & novo eo argumento convincendus erat de veritate Oraculorum hujus Prophetæ: ſimul autem & fallaci cultu, quem inſtituerat. Non ſemper Deus reddita corporis valetudine, ſanitatem menti reſtituit. Prodigia non ſemper interiorum auxiliorum ſatellitio, quibus animus tandem expugnetur, ſtipantur. Frequenter ſigna ſolummodo ſunt, quibus Dei gloria hominibus pateſiat. E decem leproſis a J. Chriſto curatis (5) unus tantum reverſus eſt, ut promeritas gratias Medico ſuo rependeret. Electionem Saulis, quæ non prodigia commendarunt? nihilo tamen ſecius, qui fuit infelicis hujus Principis exitus? Quoties Achaz Numinis patrocinium expertus eſt? quam vero illo vitæ rationem tenuit? Quoties Pharao expertus eſt Domini vim, plagis Ægypti liberatus? Poſt hæc autem omnia, quanta animi pertinacia obduruit?

℣. 9. Nec reverteris per viam, qua venisti. Cur? niſi ut magis magiſque abhorrere ſe a ſcelere Jeroboami probaret. Nec commercium, nec ſocietatem detineas aliquam cum incola quocumque Bethel, oblatum ab illis poculum, cibum, munus ne admittas; ne per viam quidem, qua veniſti, regrediaris. Exhibe palam ſigna horroris tui in Regem, in populum, in cultum ejus ſuperſtitioſum. (6) Arbitratur Sanctius, præter obvium, & literalem ſenſum hujus præcepti, cui ad literam obſequi Prophetam ſuum Deus volebat, alterum ineſſe illi ſenſum typicum & proverbio ſimilem, innuentem ne id quod cœperat, opus infectum relinqueret. In hunc ſenſum redduntur illa (7) de Sennacheribo: *Reducam te in viam, per quam veniſti*; ideſt, reducam re infecta, ut inanes ſint grandes illæ, quibus invectus es, minæ; inania operoſa tua illa molimina. Huc etiam recidunt verba Davidis de Saule & Jonatha (8): *Sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorſum, & gladius Saul non eſt reverſus inanis*. Ita pariter cum Deus mandat Prophetæ, ne per eamdem viam regrediatur, perinde eſt ac ſi denuntiet: Perge audacter & conſtanter in iis, quæ tibi imperavi, ut nemo te avertat, nemo remoretur.

℣. 11. Prophetes quidam senex habitabat in Bethel. De ſene hoc Propheta e Bethel, diſſidium eſt ſententiarum. Sunt (9) qui fictum vatem cenſeant, in amore & gratia apud Regem, quippe cui nonniſi lætis vaticiniis aſſentaretur. Metuens ariolus, ne Principis animus commotus hoc ſermone, & exprobrationibus viri Dei, novum hunc cultum abjiceret, confirmandum illum animis cenſuit. Igitur inſuſurravit illi in auribus, Prophetam hunc eſſe mendacem; ac vim prodigii eludere conatus eſt, docens, citra prodigium fieri potuiſſe, ut altare recens conditum, gravi pondere plurium victimarum onuſtum, quin & majori igne incaleſcens, frangeretur ac diſſiliret. Rigorem vero manus induxiſſe nimiam motus agitationem, ortam ex nimio hoſtiarum numero, quas & mactaverit, & in igne altaris præpararit. Hæc autem citra miraculum fieri, apertiſſime illud demonſtraſſe, quod brachio per quietem recreato, ſtatim liber curſus redditus ſit ſanguini & ſpiritibus nervorum. De Propheta autem ſeſe demonſtraturum, illum ſeductorem eſſe, & oracula ejus omnia merum eſſe errantis animi figmentum. Nec ægre iſta vir callidus perſuaſit Regi ac populo, tunc præſertim, cum vir Dei callidis artibus veteratoris hujus deceptus, rediit in Bethel, ſparſumque in vulgus fuit, redeuntem illum miſeram leonis prædam fuiſſe. Adſtruere hæc omnia videntur, Ariolum hunc præſentem tunc adfuiſſe, cum vir Dei oracula effudit, vel ſaltem ſtatim eo ſe contuliſſe. Id autem repugnat Scripturæ, inquiunt, Prophetam manſiſſe domi, nec antea prodiiſſe, quam cum hominem Dei proſecutus eſt. Morbo detentum in lecto fuiſſe, cenſet Joſephus.

Alii tamen (10) æquiora de Propheta iſto Bethel ſtatuunt; rati, Domini Prophetam fuiſſe. Sed ex iis alii ceu impium & ſceleſtum accuſant, perſimilem celebri illi Balaamo, qui commodis ſuis jus faſque omne poſthabuit. Eſt apud alios Propheta rudis plane & ſimplex, qui cum ex narratione filiorum didiciſſet, hunc, qui Jeroſolyma venerat, virum eſſe ſanctum & Dei amicum, ſolicitudine illius videndi motus, optaverit benedictione ejus frui, cibos illi ſufficere, putans interdictum illud, ne quid guſtaret in Bethel, ſpectare ſolummodo domum Jeroboami, cæteroſque communi cum illo religione conjunctos. Officioſo etiam mendacio licere ſibi hominem ad ſe pertrahere arbitratus eſt. Hæc Theodoreti ſententia eſt *quæſt*. 42.

Non ſatis conſtat ex Textu Hebræo, Prophetam hunc vaticinia pronunciaſſe, ut ad ℣. 20. de-

[1] 4. Reg. xxiii. 14. 15. [2] Exod. iii. 2. 12. [3] Iſai. vii. 14. 16. [4] Eſtius.
[5] Luc. xvii. 17. 18. [6] Tirin. Menoch. Cornel. [7] Iſai xxxvii. 29. 34. [8] 2. Reg. i. 22.
[9] Hebræi, Author Hiſt. Scholaſt. gloſſa ord. Joſeph. Antiqu. lib. 8. cap. 3. πονηρὸς ψευδοπροφήτης, ὃς ἐτίμᾶτο παρ' Ἱεροβοάμῳ, ἀνεθάνατο ὑπ' αὐτοῦ τὰ πρὸς ἡδονὴν λέγοντος. Ita & Gregor. Rupert. & alii. [10] Sanct. Cornel. Toſt. Malv. Mart. &c.

monſtrabimus. Fidem ille adjecit verbis hominis Dei, ſupremos illi ſepulturæ honores impendit, luxit ut fratrem; quin & ſepeliri ſe apud illum juſſit. Sed hæc omnia illum purgant? An ignoramus, Joſiam effudi ejus oſſa (1), atque cremari ſuper altare Bethel, una cum oſſibus cæterorum Pſeudo-prophetarum, juſſurum fuiſſe, niſi eadem viri oſſa cum reliquiis viri Dei mixta fuiſſent?

℣. 18. Fefellit eum. Hebræus ad literam, כחש לו *mentitus eſt ei*. Decepit mendacio. Dolo ne malo, an tantum præpoſtera humanitate? Diſſidium eſt ſententiarum, ut varia ſentire Scriptores de dotibus impiis, vel bonis hujus Prophetæ, ſupra ℣. 11. animadvertimus. Illud conſtat, virum hunc nimis leviter fidem viro ignoto hæc poſtulanti addixiſſe. Æquum ne erat juſſionem apertam aſſertamque deſerere, ut ignoto, incertum quod ſibi oggereretur, oraculo obtemperaret (2)? Vaticinium quodlibet, repugnans verbo & voluntati Dei, nonniſi a malo principio petitur: *Licet Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis* [præterquam quod certum a Deo tenetis] *anathema ſit* (3). Tunc autem, ſi alias unquam, probandi ſunt ſpiritus (4).

℣. 20. Factus est sermo Domini ad Prophetam, qui reduxerat eum. Textum Originalem ita reddunt quidam: *Fuit verbum Domini ad Prophetam quem reduxerat* [quem vir de Bethel reduxerat] *& exclamavit ad virum Dei qui venerat de Juda*. Ad hunc Deus clamavit, hunc allocutus eſt, non alterum ariolum e Bethel. Hunc ſenſum exigere videtur Hebræus (5), hic & in ℣. 26. nec aliter dictum accipiunt Joſephus (6), Syriacus, Arabs, Junius, Tremellius, & Caſtalio. Quin & ipſe pariter S. Hieronymus, Septuaginta, Chaldæus, & vulgo Interpretes in hanc ſententiam reddunt verba Textus verſiculi 22. Quæ ſi interpretatio admittatur, ruit ſtatim potiſſimum argumentum eorum, qui viro huic e Bethel dotem aſſerunt genuini Prophetæ; quamquam alioqui moribus facile corruptiſſimi.

℣. 22. Non inferetur cadaver tuum in sepulchrum patrum tuorum. Ingens utique viro Hebræo ſupplicium. Morieris extra domum tuam, & avito ſepulcro privaberis. Offert ſe vetuſtas peculiarium ſepulcrorum jure proprio poſſeſſorum, atque hæreditate ad poſteros tranſmiſſorum, in ſepulcro Saræ, quod Abraham erogato pretio emit (7). Animadvertere etiam licet ſolicitudinem Hebræorum pro ſepultura cum patribus ſuis communi obtinenda, exemplo Jacobi, cujus lypſana ex Ægypto in Chanaanitidem tranſlata ſunt (8); & in precibus, quibus Joſephus fratres ſuos obteſtatus eſt, ut ex Ægypto reduces oſſa ſua in eamdem regionem transferrent (9).

℣. 23. Stravit asinum suum Prophetæ. Latini quidam Codices ferunt: *Stravit aſinum ſuum Propheta*, Propheta reductus. Sed Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta notant, aſinum hunc a domino non ſibi ſed alteri ſtratum fuiſſe. Pedeſtris veniſſe videtur, pedeſtris etiam reverſurus, niſi vecturam aſini ſenior Propheta commodaſſet.

℣. 24. Qui cum abiisset, invenit eum leo in via, et occidit. Non poſſumus hic quin juſtitiæ Dei arcana judicia admiremur. Jeroboamus defectionis in Principem ſuum reus, reus pariter apoſtaſiæ in Dominum; qui populum ſuum univerſum perduxit in Idololatriam, animo adverſus minas & prodigia viri Dei pertinaci: vir callidus & veterator Prophetam ementitus, mendacio decipit innocentem, cogitque virum Dei imprudentem & invitum Dei juſſionibus repugnare; nihilo tamen ſecius Jeroboamus & Propheta ſeductor dimittuntur impunes, cum interim vir Propheta ab obvio leone miſere diſcerpatur, atque avita ſepultura privetur. Fateri hic utique cogimur, vias eſſe Dei & conſilia longe a noſtris diverſa, atque judiciorum ipſius profundum impenetrabile eſſe mentium noſtrarum obtutibus. Nihil autem luculentius probat veritatem alterius vitæ, ac ſuppliciorum, æternamque præmiorum deſtinationem, quam ſevera adeo animadverſio de minimis criminibus exacta. Moyſes quod debitæ in Deum fiduciæ aliquid defuit, e terra promiſſionis excluditur (10). Uxor Lothi in pœnam curioſi obtutus, in rigentem ſalis ſtatuam convertitur (11). David levioris curioſitatis reus, cæde ſeptuaginta millium e ſuis punitur (12). Ezechias theſauris ſuis omnibus privatur, quod ſibi in iis placens, inanem illorum pompam Legatis aliorum Principum exhibuerit (13). Profecto ſi Deus hæc de amicis & famulis exigit, quæ manere cenſenda ſunt impios, & viros ſceleſtos, qui proſperum & impunitum crimen ad exitum uſque vitæ prorogant, præter omnem dolorem & pœnitudinem? Patres & Interpretes (14) virum hunc Dei vulgo levioris culpæ damnant, cujus labem Deum expiaſſe docent morte, atque ita purgatum in Sanctorum cenſum tranſtuliſſe. Rex Joſias ſepulcrum ejus ſanctum habuit, atque inviolatum, cum Pſeudoprophetarum oſſa cremavit (15).

℣. 32. Contra omnia fana excelsorum, quæ sunt in urbibus Samariæ. Qui id fieri potuit, cum Samaria nondum ſtaret, neque adhuc Regnum decem Tribuum Regni Samariæ nomen accepiſſet? De rebus agit ſacer Hiſtoricus pro ſtatu ætatis ſuæ. Non ignorabat utique, Samariam ab Amri conditam fuiſſe, quinquaginta annis poſt Jeroboamum, cum ejus urbis conditum ipſe literis mandaverit (16): ſe tamen ad captum præſentium lectorum accommodavit. Eodem forte conſilio ſcribit (17), Ariolum e Bethel *veniſſe de Samaria*; quamquam nulla adhuc hujus nominis erat urbs, ſaltem nota & celebris. Hic igitur vel e Sichem moverat, ubi tunc agebat Jeroboamus, vel contulerat ſe in Bethel, juſſu ejuſdem Principis, cujus deinde ſucceſſores appellationem Regum Samariæ adoptarunt. Sed poſterius hoc fuſius diſputabitur in IV. Regum XXIII. 18.

℣. 33. Post verba hæc non est reversus Jeroboam de via sua pessima. Crebra hæc alia ſuper alia prodigia pervicaciam animi illius perrumpere non valuerunt, neque illum a cœpto ſemel conſilio removere. Deo permittente, ambitioſus hic viri ſuperbi ſpiritus magis magiſque obcæcatus, quæ paſſim acciderant, omnia undique conquiſitis argumentis infirmabat, ut ſuſpectas incertaſque Prophetæ minas ſibi faceret. Quam ejus merito impetraverat facilem ac promptam valetudinem, hanc naturali cauſa inductam ſibi perſuadebat; naturalibus etiam cauſis diſſiluiſſe Aram putavit. Mors, quæ Prophetæ accidit, ſuſpectam ejuſdem Prophetæ perſonam reddidit; quaſi ſcilicet Deus illum, ceu ſeductorem & veteratorem prodierit. Quemadmodum enim omnia in ſalutem Prædeſtinatorum, & Sanctorum ædificationem conferunt; ita pariter obfirmandis in nequitia impiis, nihil non militat.

Quicumque volebat, implebat manum suam. Loquendi phraſis eſt Scripturæ perfamiliaris, ad exprimendam cæremoniam, qua Sacerdotes Hebræorum initiabantur (18).

℣. 34.

[1] Vide 4. Reg. XXIII. 17. 18. [2] Vide Gregor. Magn. hic, Grot. Eſt. Mar. Sanct. [3] Galat. I. 8. [4] 1. Joan. IV. 1. [5] אל הנביא אשר השיבו [6] Joſeph. Antiq. lib. 8. c. 3. ἐγεγόνει δὲ ἐπὶ τῇ οἰκοδομουμένῃ, ὁ Θεὸς ἐπιφαίνεται τῷ ἰάδωνι, &c. [7] Geneſ. XXIII. 6. [8] Geneſ. XLIX. 29. [9] Geneſ. L. 24. [10] Num. XX. 11. 12. [11] Geneſ. XIX. 26. [12] 2. Reg. XXIV. 15. [13] 4. Reg. XX. 17. Vide, ſi lubet, Caſſian. Collat. 7. c. 25. 26. 27. & Sanct. hic. [14] Vide, ſi lubet, Gregor. lib. 4. Dialog. Raban. Angelom. Eucher. Theodoret. qu. 42. Caſſian. collat. 7. Sanct. Interpp. paſſim. [15] 4. Reg. XXIII. 15. [16] 3. Reg. XVI. 24. [17] 4. Reg. XXIII. 18. [18] Vide Exod. XXVIII. 41. XXIX. 9. & paſſim; & 3. Reg. XI. 31.

℣. 34. PROPTER HANC CAUSAM PECCAVIT DOMUS JEROBOAM, ET EVERSA EST. Hoc Jeroboami fuit crimen: eo uſque nequitiam ſuam provexit. Ex hoc fonte mala omnia in ejus familiam inundarunt; quæ ſane Familia jam tunc exciderat, cum Author hujus Libri ſcriberet, juxta ſenſum Vulgatæ. Sed Hebræus legit tantum: *Hoc fuit peccatum domus Jeroboam, ad exſcindendum & delendum e ſuperficie humi*. Crimen hoc induxit in eam domum everſionem, & excidium. Oraculo huic plena ſtetit fides tertio anno Aſæ Regis Juda, duobus & viginti poſt defectionem Jeroboami. Baaſa Rex e Tribu Iſſachari dolo malo ſuſtulit Nadabum, filium & ſucceſſorem Jeroboami, totamque late familiam impii hujus Principis delevit.

CAPUT XIV.

Abias Propheta de morbo filii Jeroboami conſultus, mortem pueri annuntiat, ſimulque Familiæ Jeroboami everſionem. Nadab ſuccedit Jeroboamo. Seſac Rex Ægypti diripit Templum Jeroſolymitanum. Roboamus Rex Juda obit: cui Abia filius ſuccedit.

℣. 1. IN tempore illo ægrotavit Abias filius Jeroboam. 2. Dixitque Jeroboam uxori
ſuæ: Surge, & commuta habitum, ne cognoſcaris, quod ſis uxor Jeroboam;
& vade in Silo, ubi eſt Ahias propheta, qui locutus eſt mihi, quod regnaturus eſſem
ſuper populum hunc. 3. Tolle quoque in manu tua decem panes, & cruſtulam, &
vas mellis, & vade ad illum: ipſe enim indicabit tibi, quid eventurum ſit puero huic.
4. Fecit, ut dixerat, uxor Jeroboam: & conſurgens abiit in Silo, & venit in domum
Abiæ: at ille non poterat videre, quia caligaverant oculi ejus præ ſenectute. 5. Dixit
autem Dominus ad Ahiam: Ecce uxor Jeroboam ingreditur, ut conſulat te ſuper filio
ſuo, qui ægrotat. Hæc & hæc loqueris ei. Cum ergo illa intraret, & diſſimularet ſe
eſſe, quæ erat. 6. Audivit Ahias ſonitum pedum ejus introeuntis per oſtium, & ait:
Ingredere, uxor Jeroboam, quare aliam te eſſe ſimulas? ego autem miſſus ſum ad
te durus nuntius. 7. Vade, & dic Jeroboam: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael:
Quia exaltavi te de medio populi, & dedi te ducem ſuper populum meum Iſrael, 8.
Et ſcidi regnum domus David, & dedi illud tibi, & non fuiſti ſicut ſervus meus
David, qui cuſtodivit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo, faciens quod
placitum eſſet in conſpectu meo: 9. Sed operatus es mala ſuper omnes, qui fuerunt
ante te, & feciſti tibi deos alienos, & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares,
me autem projeciſti poſt corpus tuum. 10. Idcirco ecce ego inducam mala ſuper domum Jeroboam, & percutiam de Jeroboam mingentem ad parietem, & clauſum, &
noviſſimum in Iſrael: & mundabo reliquias domus Jeroboam, ſicut mundari ſolet fimus
uſque ad purum. 11. Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes; qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cœli: quia Dominus locutus
eſt. 12. Tu igitur ſurge, & vade in domum tuam, & in ipſo introitu pedum tuorum
in urbem, morietur puer, 13. Et planget eum omnis Iſrael, & ſepeliet: iſte enim
ſolus inſeretur de Jeroboam in ſepulchrum, quia inventus eſt ſuper eo ſermo bonus a
Domino Deo Iſrael, in domo Jeroboam. 14. Conſtituet autem ſibi Dominus regem
ſuper Iſrael, qui percutiet domum Jeroboam in hac die, & in hoc tempore. 15. Et
percutiet Dominus Deus Iſrael, ſicut moveri ſolet arundo in aqua: & evellet Iſrael de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, & ventilabit eos trans flumen: quia fecerunt ſibi lucos, ut irritarent Dominum. 16. Et tradet Dominus Iſrael propter peccata
Jeroboam, qui peccavit, & peccare fecit Iſrael. 17. Surrexit itaque uxor Jeroboam,
& abiit, & venit in Therſa: cumque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus
eſt. 18. Et ſepelierunt eum. Et planxit eum omnis Iſrael juxta ſermonem Domini,
quem locutus eſt in manu ſervi ſui Ahiæ prophetæ. 19. Reliqua autem verborum Jeroboam, quomodo pugnaverit, & quomodo regnaverit, ecce ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael. 20. Dies autem, quibus regnavit Jeroboam, viginti duo
anni ſunt: & dormivit cum patribus ſuis: regnavitque Nadab filius ejus pro eo. 21.
Porro Roboam filius Salomonis regnavit in Juda. Quadraginta, & unius anni erat Roboam, cum regnare cœpiſſet: decem & ſeptem annos regnavit in Jeruſalem civitate,
quam elegit Dominus, ut poneret nomen ſuum ibi, ex omnibus tribubus Iſrael. Nomen autem matris ejus Naama Ammanitis. 22. Et fecit Judas malum coram Domino,
& irri-

Digitized by Google

& irritaverunt eum ſuper omnibus, quæ fecerant patres eorum in peccatis ſuis, quæ peccaverunt. 23. Ædificaverunt enim & ipſi ſibi aras, & ſtatuas, & lucos ſuper omnem collem excelſum, & ſubter omnem arborem frondoſam: 24. Sed & effœminati fuerunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium, quas attrivit Dominus an-
A. M. 3033. ante J. Chr. 971. te faciem filiorum Iſrael. 25. In quinto autem anno regni Roboam, aſcendit Seſac rex Ægypti in Jeruſalem, 26. Et tulit theſauros domus Domini, & theſauros regios, & univerſa diripuit: ſcuta quoque aurea, quæ fecerat Salomon: 27. Pro quibus fecit rex Roboam ſcuta ærea, & tradidit ea in manum ducum ſcutariorum, & eorum, qui excubabant ante oſtium domus regis. 28. Cumque ingrederetur rex in domum Domini, portabant ea, qui præeundi habebant officium; & poſtea reportabant ad armamentarium ſcutariorum. 29. Reliqua autem ſermonum Roboam, & omnia, quæ fecit, ecce ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Juda. 30. Fuitque bellum inter Roboam, & Jeroboam cunctis diebus. 31. Dormivitque Roboam cum patribus ſuis, & ſepultus eſt cum eis in civitate David: nomen autem matris ejus Naama Ammanitis: & regnavit Abiam filius ejus pro eo.

℣. 1. IN TEMPORE ILLO ÆGROTAVIT ABIA. In codicibus Septuaginta hæc hiſtoria non legitur hoc loco; supplevitque Interpres ex Theodotione, ſeu ex veteri alio Græco Interprete (1). Sed poſt ea verba: *Non aſcendetis, neque bellabitis contra fratres veſtros filios Iſrael. Revertatur vir in domum ſuam; a me enim factum eſt verbum hoc. Audierunt ſermonem Domini, & reverſi ſunt de itinere, ſicut præceperat Dominus;* poſt verba, inquam, hæc, deducta ex capite XII. 24. Editio Græca Romana longam additionem inſerit, e variis collectam rebus paſſim per Scripturam ſparſis, novis quibuſdam adjectis, alibi non legendis. Damus hic totum hoc additamentum, Italicis characteribus indicantes ea, quæ nonniſi in Græco reperias (a): „ Rex Salomon dormivit cum „ patribus ſuis, & regnavit Roboam filius ejus „ pro eo (3), *cum filius eſſet ſex & decem anno-„ rum, cum Regnum ipſe adivit; & duodecim an-„ nis regnavit* (4) *in Jeruſalem, & nomen matris „ ejus Naanaam, filia Ana, filii Naas, Regis filio-„ rum Ammon* (5). Et erat homo in monte E-„ phrem, ſervus Salomonis; & nomen ejus Jero-„ boam, *filius mulieris fornicariæ, cui nomen Sa-„ rira;* & dedit eum Salomon in Principem Scy-„ talæ (ſuper tributa) (6) ſuper onera domus „ Joſeph. *Et ædificavit Salomoni ipſam Sarira „* (7). Et fuerunt ei triginta currus equorum. „ Hic ædificavit arcem in oneribus domus E-„ phrem: hic concluſit civitatem David, & ele-„ vans ſe ſuper Regnum, & quærebat Salomon „ interficere; & timuit & fugit ipſe ad Suſacim „ Regem Ægypti, & fuit cum eo, donec mor-„ tuus eſt Salomon; & audivit quia mortuus eſt „ Salomon, & *locutus eſt in aures Suſacim, di-„ cens: Dimitte me. Et dixit ei Suſacim: Pete ali-„ quam petitionem, & dabo tibi. Et Suſacim de-„ dit ipſi Jeroboam Anoc ſororem Thecemine ſenio-„ rem uxoris ſuæ, ei in uxorem. Hæc fuit magna „ in medio filiarum Regis, & peperit ipſi Jeroboam „ Abiam. Et dixit Jeroboam ad Suſacim: Omnino „ dimitte me; & abiit. Et exiit Jeroboam de Æ-„ gypto, & venit in terram Sarira, quæ in monte „ Ephrem, & congregavit ibi ſceptrum Ephrem, „ & ædificavit vallum* (8). Et ægrotavit puer „ ejus ægrotatione valida valde; *& ivit Jeroboam „ interrogare de puero,* & dixit ad *Ano* uxorem „ ſuam: Surge, vade, interroga Deum de pue-„ ro, ſi vivet de infirmitate hac. Et homo erat „ in Selom, nomen ei Achia; *& hic erat filius „ ſexaginta annorum, & verbum Domini cum eo.* „ Et dixit Jeroboam ad uxorem ſuam: Surge & „ ſume in manu tua *homini Dei* panes, & colly-„ ridas *filiis ejus*, & uvam, & vaſculum mellis. „ Et ſurrexit mulier, & ſumpſit in manu ſua „ hæc omnia ipſi Achia. (In Textu Græco nihil legitur de mutatione veſtium, de qua in Hebræo & Vulgata) „ Et factum eſt, veniente ea „ in civitatem ad Achiam Silonitem, *dixit Achia „ ad puerum* ſuum (9), vel ad filium ſuum: *Exi „ nunc in occurſum Ano*, & dices ei: *Intra & noli „ ſtare; quoniam hæc dicit Dominus: Dura ego im-„ mitto ſuper te.* Et intravit *Ano* ad hominem „ Dei; *& dixit ei* Achia: *Ut quid attuliſti mihi „ panem & uvam, & collyridas & vaſculum mel-„ lis* (10)? *Hæc dicit Dominus: Ecce tu abibis a „ me; & erit, ingrediente te civitatem in Sarira, „ & puellæ tuæ egredientur tibi in occurſum, & di-„ cent tibi: Parvulus eſt mortuus.* Quoniam hæc „ dicit Dominus: Ecce ego exterminabo de Je-„ roboam mingentem ad parietem; & erunt mor-„ tui Jeroboam in civitate, comedent canes: & „ mortuum in agro comedent volatilia Cœli, & „ parvulus plangetur: *Væ Domine!* Quia inven-„ tum eſt in eo verbum bonum de Domino. Et „ abiit mulier, poſtquam audivit: & factum eſt „ ut intravit in Sarira, & parvulus mortuus eſt. „ *Et exiit vociferatio in occurſum.*

„ *Et ivit Jeroboam in Sichimam, & congrega-„ vit illuc Tribus Iſrael. Et aſcendit illuc Roboam „ filius Salomon. Et verbum Domini factum eſt „* (11) *ad Samæam Enlami, dicens: Sume tibi „ veſtimentum novum, quod non intravit in aquam, „ & ſcinde illud duodecim ſciſſuras, & dabit Jero-„ boam, & dices ei: Hæc dicit Dominus: Sume „ tibi decem ſciſſuras ad induendum te. Et ſumpſit „ Jeroboam; & dixit Samæas: Hæc dicit Dominus: „ Super decem Tribus Iſrael regnabis.* Et dixit po-„ pulus ad Roboam filium Salomonis: Pater tuus „ aggravavit jugum ſuper nos, & *aggravavit eſ-„ cas menſæ ſuæ.* Et nunc allevabis ſuper nos, „ & ſerviemus tibi. Et cætera quæ deinceps ſequuntur in capite XII. 5. 6. &c. Poſt hæc, redit Textus ad ℣. 25. capitis XII. *Ædificavit Roboam Sichem in monte Ephraim.*

IN ILLO TEMPORE. Morbus pueri conſtituendus vide-

[1] Vide Druſ. hic, & Grot. [2] Idem legas apud Luciferum Caloritanum, in Libro de Regibus apoſtatis, pag. 167. 105. [3] Hoc adverſatur Scripturæ, tradenti XLI. annorum ætate fuiſſe Roboamum, cum regnare cœpit. 3. Reg. XIV. 21. [4] Regnavit XVII. annis. 3. Reg. XIV. 21. [5] Naama appellatur, Ammonitis, ibidem. [6] Ἄρχοντα σκυτάλης ἐπὶ τὰς ἄρσεις οἴκου Ἰωσήφ. [7] Apud LXX. Sarira eadem eſt ac Thirſa. Vide 4. Reg. XIV. 7. [8] Καὶ ᾠκοδόμησε χάρακα. [9] Εἰπὲ τῷ παιδαρίῳ αὐτοῦ. [10] Hieronymus ad Mich. cap. 1. Procopius in 1. Reg. IX. animadverrunt, minime a Scriptura narrari, accepta fuiſſe a Propheta munera, quæ ad illum Regina tulit. [11] Hebræus & Vulgata cap. XI. 29. 30. habent, Abiam fuiſſe Silonitem a Domino miſſum.

videtur ſtatim poſt dedicationem aurei vituli, & altaris Betbel, de qua in eapite præcedenti. Sed inter Commentariorum Scriptores ſatis convenit, ea verba: *In tempore illo*, *tunc*, *in diebus illis*, non ſemper rerum vel temporis connexionem demonſtrare. Id autem diu ante nos animadverſum fuerat a S. Auguſtino (1), S. Chryſoſtomo (2) aliiſque tum priſcis cum recentioribus Interpretibus (3). Si qua fides habenda eſt illis, quæ e Græcis recitavimus, citius etiam hiſtoria morbi hujus referenda fuiſſet; ſi enim natus eſt puer poſt reditum Jeroboami, vel paulo ante exitum ab Ægypto, ejuſque obitus accidit ante celebrem illum conventum Sichimiticum, in quo decem Tribus jugum domus Davidicæ excuſſerunt, Abia nondum adultus deceſſiſſe cenſendus erit. Sed qui iſtud cohæreat cum luctu publico totius Iſraelis, quo funus illius eelelebratum eſt? qui cum extrema ſenectute Prophetæ Abiæ, cum minis viri Dei ex Juda miſſi, latiſque in domum Jeroboami, ut ejus crimina atque idololatria punirentur; ac denique cum iis, quæ Ahias dixit inferius uxori Jeroboami, futurum ſcilicet, ut Deus everteret domum Principis illius *in hac die*, & *in hoc tempore*, tamquam innuens imminere mala hæc omnia, quamquam nonniſi poſt obitum Jeroboami inſerenda? Adde, minime perſuaderi nobis poſſe, in Iſraele lugeri conſueviſſe funera puerorum, luctu adeo ſolemni, quali hic Abiam proſecuti ſunt. Iraque contigiſſe hæc omnia credimus ſub exitum Regni Jeroboami, ejuſque filium Abiam ætatis annos attigiſſe, quibus par eſſet ut patri ſuccederet. Frater erar facile natu major Nadabi, qui Jeroboamo ſucceſſit. Ætatem autem agebat Nadabus Regno parem, cum rerum potitus eſt, quippe qui ſecundo Regni ſui anno una cum univerſo Iſraele Philiſtæam urbem quamdam obſideret (4). Hæc tamen omnia certum annum mortis Abiæ non determinant.

℣. 2. Commuta habitum. Non una fuit cauſa, quæ Jeroboamo perſuaſit, nt ſub alienis veſtibus uxnrem mitteret ad Ahiam in Silo. Urbs erat Silo in ditione Ephraim, ſed facile ad domum Davidicam, & Regnum Juda pertinebat. Propius accedebat Jeroſolymæ, quam Sichem, Urbs a Roboamo munita, atqne in ſedem Regni conſtituta. Ratio erat igitur, eur Rex uxori metueret in Urbe, quæ alterius imperio parebat. Adde, noviſſe utique Jeroboamum, Prophetam Ahiam iniquiori eſſe in ſe animo, ob deſertam religionem Iſraelis; quare uxorem ejus agnitam vehementius objurgaturum, vel ne loqui quidem cum illa paſſurum. Mandat igitur uxori, ut fictis veſtibus ſolitaria, ceu vulgaris ſœmina, conferat ſeſe ad Propbetam, conſultura liberius cum illo, qui viſu oculorum carebat, atque reſponſum aliqnod pro valetudine filii ſui referret: quaſi ſcilicet Ahias, qui interiori lumine fatum filii viderat, ſœminam, quacum colloquebatur, noſſe non deberet.

℣. 3. Decem panes, et crustulam, et vas mellis. Septuaginta uvam addunt (5): *Sume homini Dei panes*, & *collyridas filiis ejus*, & *uvam*, & *vaſculum mellis*. Hebræus (6): *Tolle in manu tua decem panis* [vel decem panes], & *gaufras* [nempe collyridas, vel punctatas placentulas, vel alia id generis elibano excocta] & *lagenam mellis*. Sunt qui Hebræum illud *Nikkudim*, quod nos reddimus *gaufras*, exponant de quodam fructuum genere. Arabs reddit ſolum *fructus*, & Syriacus *fructus aridos*. Hæc facile erat & Græcorum mens, reddentium voces Originales *collyridas* & *uvam*. Sed nos ad Joſue ix. 12. demonſtravimus, dictum accipi oportere de certo panis, vel collyridarum genere. Animadvertere juvat veterem morem ferendi munera ad Prophetas, qui conſulebantur. Saul ejuſque puer ſolicitudine aliqua tenentur, quod nihil habeant muneris, Samueli offerendum (7). Jeroboamus ad menſam ſuam invitat virum Dei, qui juſſu Domini ſe convenerat, & ſpondet illi munera (8). Balaam non prius venit ad Balacum, quam cum pretium divinationis ſuæ oblatum ab illo tenuit (9).

℣. 4. Caligaverunt oculi ejus. Hebr. (10): *Erexerant ſe oculi ejus*; vel conſtiterant, vel intumuerant; denique a munere ſuo ceſſaverant, ſive quod intra orbitam altius receſſiſſent, ſive quod intumuiſſent exterius, ſive quod hebetati, velut immobiles conſtitiſſent; neque enim vim Hebrææ vocis hic ſatis aſſequimur.

℣. 6. Ego autem missus sum ad te durus nuntius (11); triſtis nuntii delator. Nonniſi infauſta pronunciaturus ſum.

℣. 9. Fecisti tibi deos alienos. Ita appellat aureos vitulos, quos populus veluti Numina venerabatur ſupremo cultu, qualis nonniſi verum Deum decet (12).

℣. 10. Mingentem ad parietem; mares nempe omnes. Sunt qui de canibus dictum exponant. Ne canem quidem, nihil anima præditum vivere patiar. Canem paſtoritium *maſtinum* appellant Hiſpani, quæ ſane vox a noſtris pariter adoptata, mera putaque eſt Hebræa משתין, ſonans *mingentem*; quaſi ſcilicet mingere ad parietem ita peculiare ſit canis, ut hoc naturæ inſtinctu a cæteris animalibus diſtinguatur. Vide quæ diſſeruimus in 1. Reg. xxv. 22.

Clausum et novissimum in Israel. Vox Hebræa (13) de hominibus, vel de rebus accipi poteſt: *Excidam clauſum*, & *derelictum in Iſrael*. Delebo obvios quoſcumque, non parcam vel iis, qui elauſos ſe continent procul a tumultu & vi belli. Omnes æque perdam, tam arma ferentes, quam infimos e vulgo, quorum pars nulla eſt in diſſidiis Principum. Vulgaris eſt loquendi phraſis, cujus ſenſum aperuimus in Deuteronomio xxxii. 36. Si de rebus exponatur: Non parcam rebus vel abditiſſimis, viliſſimis, ac derelictis, vel pretioſiſſimis. Denique omnes ex æquo ſubdueam; obvios quoſcumque perimam, *clauſum*, attingam pariter eos, qui primum illum impetum evaſiſſe videbuntur. Qui receperint ſeſe in tutum, me non effugient; peribunt omnes.

Sicut mundari solet fimus usque ad purum. Syriacus, & Arabs aliter exponunt: *Quemadmodum racemantur vites vineæ abſoluta vindemia*. Rabbinorum quidam (14): *Ceu turbo omnia, in quæ inciderit, abripiens*; vel: *Ceu dens, qui eſcas conterit uſque ad extremam contritionem*.

℣. 11. Qui mortui fuerint in civitate, comedent eos canes; ſub dio projecti jacebunt, ſepultura aſini ſepelientur, nt alibi Scriptura loquitur (15).

℣. 13. Inventus est super eo sermo bonus a Domino (16); amico oculo Deus illum aſpexit. Gratum aliquid Deo egit. Porro dejectum ab illo murum & vallum, quod pater oppoſuerat, ut viam præcideret euntibus ad adorandum Deum Jeroſolymam, Judæi comminiſcuntur. Reddi etiam

(1) Auguſt. lib. 2. cap. 6. de Conſenſu Evangeliſt. (2) Chryſoſt. Homil. 77. in Matth. & Hom. 26. in Acta. (3) Vide Theophylact. & Euthym. in cap. 3. Matth. & Sanctium hic. (4) Vide ad ℣. 25. 27. cap. xv. (5) Λαβὲ εἰς τὴν χεῖρά σου τῷ ἀνθρώπῳ τοῦ Θεοῦ ἄρτους, καὶ κολλυρίδας τοῖς τέκνοις αὐτοῦ καὶ σταφυλὴν, καὶ στάμνον μέλιτος. (6) לקחת בידך עשרה לחם ונקדים ובקבק דבש (7) 1. Reg. ix. 7. (8) 3. Reg. xiii. 7. (9) Num. xxii. 7. (10) כי קמו עיניו Septuag. ἠμβλυώπησαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ. (11) ואנכי שלוח אליך קשה Ἐγώ εἰμι ἄγγελος πρὸς σὲ σκληρός. (12) Vide ſuperius xii. 28. (13) עצור ועזוב בישראל (14) כאשר יבער הגלל עד תמו (15) Jerem. xxii. 19. (16) יען נמצא בו דבר טוב אל יהוה Græci, ἀνθ' ὧν εὑρέθη ἐν αὐτῷ ῥῆμα καλὸν, παρὰ τοῦ κυρίου.

jam poſſet: Servavit *bonam cogitationem* erga Dominum (1). Pietatis igniculos quoſdam fovit.

℣. 14. Percutiet domum Jeroboam in hac die, et in hoc tempora. Hebræus (2): *Vir qui excidet domum Jeroboam die hac. Et quid* die hac? *Nunc etiam*. Horum verborum vis ſatis exprimit vaticinii hujus eventum in limine eſſe, eamque narrationem pertinere ad exitum Regni Jeroboami. Ab hoc temporis articulo Deus incipit latam a ſe in domum Principis hujus impii ſententiam perficere, ſublato ſcilicet Abia, qui validiſſimum erat domus illius fulcrum, dein conceſſa Abiæ Regi Judæ inſigni victoria de Jeroboamo (3), qua cæſa ſunt amplius quingenta millia, urbes plures captæ, ac res Jeroboami totiuſque populi adeo afflictæ, ut erigere cervices in Judam ulterius non poſſent. Denique ſuſcitavit Deus in Familiam Jeroboami Baaſam e Tribu Iſſachari, qui Nadabum, Jeroboami ſucceſſorem, altero Regni ſui anno interſecit (4).

℣. 15. Ventilabit eos trans flumen Euphratis. Poſt vaticinia in Familiam Jeroboami, Ahias invehitur in decem Tribus, qui talem ſibi Regem præfecerant, ducemque ſuperſtitionis ſecutæ fuerant. Oraculis hiſce ſua fides paulatim reddita eſt. Regnum Iſraelis perpetuis ferme turbis, domeſticis externiſque bellis exagitatum eſt. Hoc indicat Propheta iis verbis: *Iſrael percutiet, ſicut moveri ſolet arundo in aqua*. Denique Deus *evulſit populum ſuum de terra bona hac*, ſed non uno ictu, nam Teglatphalaſſar Tribus nonnullas abduxit captivas; poſt illum, reliquias populi tranſtulit Salmanaſar. Denique in regione Tranſeuphratæa ita diſperſi ſunt, ceu pulvis a ventorum turbine diſſipatus. Si qui ſuperſunt, ibi nulli agnoſcuntur: fruſtra illos quæras.

℣. 16. Propter peccata Jeroboam, qui peccavit, et peccare fecit Israel. Funeſtæ criminum impiorum Principum appendices. Cæteros rapiunt in malum exemplo ſuo, atque in ſubditos juſtitiæ Dei ſeveritatem provocant. Non ipſis unis pœna criminum ſuorum nocet, quemadmodum nec ſoli ipſi peccarunt. Scelus enim inſinuant in populi animos, cæteroſque corruptione ſua inficiunt. *Plus exemplo, quam peccato nocent* (5). Veriſſime pronunciat Lactantius (6): *Quoniam mores, & vitia Regis imitari genus obſequii judicatur, abjecerunt omnes pietatem, ne exprobrare ſcelus Regis viderentur, ſi pie viverent*.

℣. 17. Venit in Thersa. Eadem urbs *Sarira* appellatur a Septuaginta; atque in Græco legimus, Jeroboamum condidiſſe illam Salomoni, quo tempore operis Ephraimitarum præerat. Meminit illius Salomon in Cantico (7), pulchritudinem ſponſæ ſuæ comparans Therſæ; unde argumentum dicitur, urbem hanc ſitu amœniſſimam fuiſſe. Si poſt Salomonem & Jeroboamum primum ſtetit, nihil eſt cur miremur fruſtra illam quæri apud Joſue, nec in partem Tribuum ab illo aſſignati. Conſtituit illam Adrichomius in dimidia Tribu Manaſſe cis Jordanem, & Bonfretius in Tribu Ephraim. Situm habet non ſatis exploratum. Sedem Regni Iſraelitici hanc habuerunt Reges uſque ad *Amri*, qui conditam a ſe Samariam (8) Metropolim totius Imperii fecit.

℣. 21. Quadraginta et unius anni erat Roboam. Græci, uti jam animadvertimus, ſex & decem illi annos tribuunt; alii (9) unum & viginti. Acerba ſatis ætate regnum capeſſivit, uti conſtat ex iis adoleſcentibus cum illo educatis, quorum conſilio in exordio Regni ſui uſus eſt (10). Non tamen hinc recte colligas, juniorem fuiſſe ætate annorum unius, & quadraginta. Adoleſcentes enim ſæpe appellat Scriptura viros ætatis ſatis maturæ, præſertim, ſi cum aliis provectioribus comparentur. Sunt qui annos hoſce unum & quadraginta ab exordio Regni Salomonici ducant, ut Roboami Regnum componant cum anno quadrageſimo primo Æræ Salomonis (11).

℣. 22. Fecit Judas malum coram Domino. Triennium tantum manſit in obſequio Domini (12). Roboamus facile vitium perbibit ex pravis matris Ammonitidis conſiliis; & populus, cujus religio nutabat Salomonis exemplo, facile ſeduci potuit Roboami impietate, & imitatione Iſraelitarum, quos fratres, atque vicinos habebant.

℣. 23. Ædificaverunt sibi aras super omnem collem excelsum. Ante conditum Templum, & ante quam Dominus certum ſibi locum deſtinaſſet ad Sacrificia & cultum populi. Altaria in in editis locis tolerabantur, nec religioni ducebant viri quique pietate inſignes, cum ea Sacrificiis frequentarent. Sed aræ illæ ſtabant plerumque in locis inſignibus, ſive Angeli alicujus per viſum objecti, ſive prodigii alicujus geſti memoria; ſive quod ibi Arca Domini conſederit, vel denique quod locum illum Propheta aliquis vel Patriarcha oblatione ſacrificiorum conſecraverit. Sed poſito Templo, edita loca & erecta ibi Altaria non aliter habenda erant ac profana: facultas omnis novas Aras erigendi atque Sacrificia offerendi in priſcis Altaribus ceſſavit. Sed Roboamus cum ſuis leges haſce omnes peſſumdedit. Templum ferme deſertum eſt, nova Idolis altaria ſurrexerunt, conſecrati ſunt illis luci; paſſim erecta ſimulacra, ſuperſtitio atque idololatria late per totam regionem inundavit.

℣. 24. Effœminati fuerunt in terra. Impia Numinum religio infames libidinis victimas conſecravit. Occurrebant viri ac mulieres fœdiſſimæ proſtitutioni addictæ, nefariis nempe illis criminibus, quorum cauſa Sodoma univerſa, Chananæi, & omnis ferme Tribus Beniamitica deleta eſt. Offerent etiam ſeſe deinceps abominanda criminum iſtorum veſtigia (13), quæ diu nimis regnarunt, & ſæpe etiam apud gentes illas nequiſſimas conſecrata ſunt.

℣. 25. In quinto anno Regni Roboam, ascendit Sesac. De Rege hoc Ægypti aliquid attigimus (14), cum actum eſt de receſſu Jeroboami apud eumdem Principem. Quibus cauſis provocatus fuerit in Roboamum, ignoratur. Hebræi, in re ſeria pro conſueto more ludentes, aiunt veniſſe illum, ut ſolium eburneum Salomonis raperet, cujus pulchritudine captus fuerat. Sed ex ſequentibus conſtat, Regem avarum theſaurorum Templi, & Regiæ domus cupiditate accerſitum veniſſe. Seſac movit in Roboamum cum exercitu (15) mille ducentorum curruum bellicorum, ſexaginta millium equitum, & immenſa peditum, ex univerſa Ægypto viciniſque regionibus collecta, multitudine. Validis autem pluribus urbibus Juda captis, ad Regiam uſque urbem progreſſus eſt, cujus mœnibus ſeſe muniebant Roboamus ejuſque duces, parati urbem adverſus aggreſſores Ægyptios defendere. Sed cum ex Propheta Semeia, Dei juſſu, intellexiſſent, permiſſos eſſe ſe manibus Seſaci ob derelictam Dei ſui religionem, Rex & viri Principes crimen agnoſcentes ſuum, Domino ſe ſupplicum habitu obtulerunt, juſtum eſſe Deum ſaſſi. Qua illorum pœnitudine tactus Deus, per Semeiam prodidit, commiſſurum ſe, ne hac ſaltem vice penitus delerentur; ſciren tamen, ſeſe obnoxios fore imperio exteri hujus Principis, ut diſcerent experti, quantum eſſet diſcriminis inter ſervitutem Domino, & ſervitutem

[1] Grot. דבר *cogitatio*. [2] אשר יכרית את בית ירבעם זה היום ומה גם עתה [3] 2. Paral. xiii. 17. 18. 19. [4] Vide Cap. xv. 27. 28. [5] Cicero l. 3. de Legib. [6] Lactant. lib. 5. c. 6. Inſtitut. [7] Cantic. vi. 2. ex Hebr. [8] 3. Reg. xvi. 24. 25. [9] Grot. hic. [10] 3. Reg. xii. 10. [11] Harduin. Chronol. vet. & nov. Teſt. [12] 2. Par. xi. 17. [13] Vide 3. Reg. xv. 12. & 4. Reg. xxiii. 7. Iſai. ii. 6. & 2. Macc. iv. 12. [14] 3. Reg. xi. 40. [15] Vide 2. Par. xii. 3. 4.

Digitized by Google

tem homini præſtitam. Spontaneam deditionem fecit Roboamus; nec Seſac pedem inde reduxit, niſi collectis e direptione Templi & regiarum ædium ditiſſimis ſpoliis (1). Diſcimus hæc omnia ex Paralipomenis. Jeroboamus Rex Iſraelis, amicus & fœderatus Seſaci, nihil ex hoc bello moleſtiæ paſſus eſt: quin & Regno ipſius confirmando plurimum contulit illa Regis Juda demiſſio.

Nec fruſtra hæc de Roboamo animadverſio exacta eſt, in ſe enim collectus, frequentius adire cœpit Templum Domini, quod dereliquiſſe antea videbatur, ut Idola veneraretur. Vide ℣. 28. ubi narratur, illi ad Templum eunti præceſſiſſe qui ferrent clypeos æneos, aureis a Seſaco ablatis ſubſtitutos. Cum tamen pietatem coleret ex metu, & commodo, illis ceſſantibus, & illa pariter deſiit. Innuit enim 2. Paralipom. XII. 14. obiiſſe illum obfirmato in malum animo: *Fecit autem malum, & non præparavit cor ſuum, ut quæreret Dominum.*

℣. 27. Tradidit ea in manum ducum scutariorum; nempe corporis cuſtodum. Hebræus ad literam: *In manu Principum curſorum*, ſeu cuſtodum corporis. Phraſis hæc, *in manu*, deſignat ſæpe locum; atque in hunc ſenſum Aquila & Symmachus (2) interpretantur. Clypeos hoſce Roboamus poſuit in aula Principum, qui corporis cuſtodibus præerant. Vide ℣. 28.

℣. 30. Fuit bellum inter Roboam, at Jeroboam cunctis diebus. Non ſemper quidem in armis & inimicitiis perſeveratum eſt. Scimus enim, in exordio Regni, Roboamum prohibitum a Deo fuiſſe, ne moveret in Jeroboamum (3); & Abiam (4) ita depingit Roboamum: *Porro Roboam erat rudis & corde pavido, nec potuit reſiſtere eis;* nempe rebellibus. Neque tamen id prohibet, quominus toto Regni tempore ſimultas, & diſſidia utrumque hoc Regnum inter ſe committerent, atque hoſtilibus ſeſe mutuo ſimultatibus laceſſerent, quanquam nunquam eo ventum eſt, quantum ſcimus, ut aperto, & juſto bello utrimque decertaretur. Juda & Iſrael hoſtilibus ſeſe & oculis & animis invicem inſectabantur.

℣. 31. Dormivit Roboam cum patribus suis, ætatem agens octo & quinquaginta annorum, Regni decem & ſeptem, Princeps regimini parum aptus, cui omnia deerant, ſapientia, robur, religio; quorum loco erant ferocia, ſuperbia, feſtinatio in conſiliis. Laude aſpergendus eſt aliqua ex ſollicitudine muniendi urbes ditionis ſuæ (5), atque armamentaria & cellaria condendi. Subſtitit primo in Sichem (6); deinde ſedem Jeroſolymam tranſtulit (7). Uxores habuit duodeviginti, concubinas ſexaginta, e quibus duodetriginta filii, & filiæ ſexaginta (8). Maacha filia Abeſſalomi maxime cara fuit inter ejus uxores, cæteriſque filiis Roboam præpoſuit Abiam, ſibi ex Maacha genitum (9), quem & Regni ſucceſſorem habuit. Roboami hiſtoriam literis mandarunt Prophetæ Semeias, & Addo (10).

(1) Vide Notata ad 3. Reg. XV. 18. (2) עליך שרי הרצים Aquila, πρὸς θάλαμον τῶν τρεχόντων. Sym. πρὸς τὸν τόπον ὅπου οἱ παρατρέχοντες. (3) 3. Reg. XII. 24. (4) 2. Par. XIII. 7. (5) Vide 2. Par. XI. 5. 11. 12. (6) 3. Reg. XII. 1. (7) 2. Par. XI. 5. & XII. 13. (8) 2. Par. XI. 21. (9) 2. Par. XI. 21. 22. (10) 2. Par. XII. 15.

CAPUT XV.

Aſa ſuccedit Abiamo Regi Juda, Bellum inter Aſam, & Baaſam Regem Iſraelis. Aſa accerſit Benadadum Regem Syriæ adverſus Iſraelem. Joſaphat ſuccedit Aſæ. Baaſa neci tradit Nadabum filium Jeroboami, totamque ejus familiam, ſeque pro eo Regem obtrudit.

℣. 1. IGitur in octavo decimo anno regni Jeroboam filii Nabat, regnavit Abiam ſu- A. M. 3046.
per Judam. 2. Tribus annis regnavit in Jeruſalem: nomen matris ejus Maa- ante J. Chr. 958.
cha filia Abeſſalom. 3. Ambulavitque in omnibus peccatis patris ſui, quæ fecerat
ante eum, nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor David pa-
tris ejus. 4. Sed propter David dedit ei Dominus Deus ſuus lucernam in Jeruſalem,
ut ſuſcitaret filium ejus poſt eum, & ſtatueret Jeruſalem: 5. Eo quod feciſſet Da-
vid rectum in oculis Domini, & non declinaſſet ab omnibus, quæ præceperat ei cun-
ctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Uriæ Hethæi. 6. Attamen bellum fuit inter
Roboam, & Jeroboam omni tempore vitæ ejus. 7. Reliqua autem ſermonum Abiam,
& omnia quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Ju-
da? Fuitque prælium inter Abiam, & inter Jeroboam. 8. Et dormivit Abiam cum
patribus ſuis, & ſepelierunt eum in civitate David: regnavitque Aſa filius ejus pro eo.
9. In anno ergo vigeſimo Jeroboam regis Iſrael regnavit Aſa rex Juda, 10. Et qua- A. M. 3049. ante J. C.
draginta, & uno anno regnavit in Jeruſalem. Nomen matris ejus Maacha filia Abeſ- 955.
ſalom. 11. Et fecit Aſa rectum ante conſpectum Domini, ſicut David pater ejus:
12. Et abſtulit effœminatos de terra, purgavitque univerſas ſordes idolorum, quæ fe-
cerant patres ejus. 13. Inſuper & Maacham matrem ſuam amovit, ne eſſet Prin-
ceps in ſacris Priapi, & in luco ejus, quem conſecraverat: ſubvertitque ſpecum ejus,
& confregit ſimulacrum turpiſſimum, & combuſſit in torrente Cedron: 14. Excelſa
autem non abſtulit. Verumtamen cor Aſa perfectum erat cum Domino cunctis die-
bus ſuis: 15. Et intulit ea, quæ ſanctificaverat pater ſuus, & voverat in domum
Domi-

Domini, argentum, & aurum, & vaſa. 16. Bellum autem erat inter Aſa, & Baaſa regem Iſrael, cunctis diebus eorum. 17. Aſcendit quoque Baaſa rex Iſrael in Juda, & ædificavit Rama, ut non poſſet quiſpiam egredi, vel ingredi de parte Aſa regis Juda. 18. Tollens itaque Aſa omne argentum, & aurum, quod remanſerat in theſauris domus Domini, & in theſauris domus regiæ, dedit illud in manus ſervorum ſuorum: & miſit ad Benadad filium Tabremon filii Hezion, regem Syriæ, qui habitabat in Damaſco, dicens: 19. Fœdus eſt inter me, & te, & inter patrem meum, & patrem tuum: ideo miſi tibi munera, argentum, & aurum: & peto, ut venias, & irritum facias fœdus, quod habes cum Baaſa rege Iſrael, & recedat a me. 20. Acquieſcens Benadad regi Aſa, miſit principes exercitus ſui in civitates Iſrael, & percuſſerunt Ahion, & Dan, & Abel domum Maacha, & univerſam Cenneroth, omnem ſcilicet terram Nephtali. 21. Quod cum audiſſet Baaſa, intermiſit ædificare Rama, & reverſus eſt in Therſa. 22. Rex autem Aſa nuntium miſit in omnem Judam, dicens: Nemo ſit excuſatus. Et tulerunt lapides de Rama, & ligna ejus, quibus ædificaverat Baaſa: & extruxit de eis rex Aſa Gabaa-Beniamin, & Maſpha. 23. Reliqua autem omnium ſermonum Aſa, & univerſæ fortitudines ejus, & cuncta quæ fecit, & civitates, quas extruxit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Juda? Verumtamen in tempore ſenectutis ſuæ doluit pedes. 24. Et dormivit cum patribus ſuis, & ſepultus eſt cum eis in civitate David patris ſui: re-
A. M. 3050. ante J. Chr. 954. gnavitque Joſaphat filius ejus pro eo. 25. Nadab vero filius Jeroboam regnavit ſuper Iſrael anno ſecundo Aſa regis Juda: regnavitque ſuper Iſrael duobus annis. 26. Et fecit quod malum eſt in conſpectu Domini, & ambulavit in viis patris ſui, &
A. M. 3051. in peccatis ejus, quibus peccare fecit Iſrael. 27. Inſidiatus eſt autem ei Baaſa filius Ahiæ de domo Iſſachar, & percuſſit eum in Gebbethon, quæ eſt urbs Philiſthinorum: ſiquidem Nadab, & omnis Iſrael obſidebant Gebbethon. 28. Interfecit ergo
A. M. 3051. ante J. Chr. 953. illum Baaſa in anno tertio Aſa regis Juda, & regnavit pro eo. 29. Cumque regnaſſet, percuſſit omnem domum Jeroboam: non dimiſit ne unam quidem animam de ſemine ejus, donec deleret eum, juxta verbum domini, quod locutus fuerat in manu ſervi ſui Ahiæ Silonitis. 30. Propter peccata Jeroboam, quæ peccaverat, & quibus peccare fecerat Iſrael, & propter delictum, quo irritaverat Dominum Deum Iſrael. 31. Reliqua autem ſermonum Nadab, & omnia, quæ operatus eſt, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael? 32. Fuitque bellum inter Aſa, & Baaſa regem Iſrael, cunctis diebus eorum. 33. Anno tertio Aſa regis Juda, regnavit Baaſa filius Ahiæ, ſuper omnem Iſrael, in Therſa viginti quatuor annis. 34. Et fecit malum coram Domino, ambulavitque in via Jeroboam, & in peccatis ejus, quibus peccare fecit Iſrael.

℣. 1. IN OCTAVO DECIMO ANNO REGNI JEROBOAM ... REGNAVIT ABIAM SUPER JUDAM. Abiam Rex Juda, filius Roboami ex Maacha, filia Abeſſalomi, deſignatus eſt a patre inter cæteros filios, ut in Regnum ſuccederet; utpote cui ineſſe cenſuit pater majorem prudentiam (1), & dotes Imperio aptiores: Regnum capeſſivit ineunte duodevigeſimo anno Jeroboami, retinuitque triennio, uſque ſcilicet ad ejuſdem Principis vigeſimum (2). Porro tres Regni annos illi tribuit Scriptura (3), quamquam tertium annum menſium quorumdam defectu non abſolvit.

℣. 2. NOMEN MATRIS EJUS MAACHA, FILIA ABESSALOM. De *Abeſſalomo & Maacha* diſſidium eſt. Vix lecto nomine *Abeſſalom*, vel *Abſalom* [unum enim idemque eſſe nomen conſtat (4) ex Paralipomenis] ſuccurrit Abſalom filius Davidis, cujus mater Maacha appellabatur; facile enim filia maternum nomen propagavit. Scimus quidem, filiæ Abſalomi nomen fuiſſe *Thamar* (5); ſed non raro accidit, ut unius ejuſdemque duplex ſit nomen. Idem Abſalom vel Abeſſalom, de quo hic, *Uriel*, ejuſque filia *Michaia* appellatur in Paralipomenis (6). Sed præſtat cautionem Joſephi retinere (7), ſtatuentis Maacham ex Thamare, filia Abſalomi, natam, adeoque filiam patruelis Roboami, & Abſalomi neptem.

℣. 4. DEDIT EI DOMINUS LUCERNAM IN JERUSALEM, filium nempe & ſucceſſorem. Merito quidem criminum ſuorum a Deo ultore ipſe cum univerſa familia delendus fuerat; ſervatus eſt tamen, quin & Regni ſucceſſore donatus. De hac phraſi, *dare lucernam*, vide ſupra xi. 36.

℣. 5. EXCEPTO SERMONE URIÆ HETHÆI. De hoc uno crimine David arguitur. Si quid aliud notæ, atque invidiæ contraxit, lapſus ſunt ii quidem humanæ imbecillitatis, minoris habendi, quod veluti tegantur obruanturque inſignibus ſanctiſſimi viri virtutibus, & merito ſinceræ illius erga Deum ſervitutis. Virum ſanctum hoc elogio Scriptura (8) proſequitur: *Præter David, Ezechiam, & Joſiam, omnes peccatum commiſerunt.*

℣. 6. BELLUM FUIT INTER ROBOAM ET JEROBOAM OMNI TEMPORE VITÆ EJUS. Suſpicantur plures (9), no-

(1) 2. Par. xi. 21. (2) Infra ℣. 9. (3) Hic ℣. 2. (4) 2. Par. xi. 21. *Amavit Roboam Maacha filiam Abſalom.* (5) 2. Reg. xiv. 27. (6) 2. Par. xiii. 2. *Nomen matris ejus Michaia, filia Uriel de Gabaa.* (7) Joſeph. Antiqu. lib. 8. cap. 3. Ἤρητο ὕστερον καὶ τὴν ἐκ τῆς Ἀβεσσαλώμου θυγατρὸς Θαμάρης, Μαχάνη ὄνομα. (8) Eccli. xlix. 5. (9) Vide Sanct. hic, & Caſtalion. qui in textu audacius ſupplet Aſam pro Roboam.

nomen Roboami irrepſiſſe pro Abiam, vel ſaltem Roboamum uſurpari hic pro ejus familia & ſucceſſoribus; quemadmodum ſæpe nomina David, Iſrael, & Abraham poſita leguntur pro Principibus Familiæ Davidicæ, ac poſteris Iſraelis, & Abrahami: uti apud profanos Scriptores Dardanus, Danaus, Teucer ſunt illorum ſucceſſores. Sed hanc ſolutionem nulla neceſſitas urget; conſtat enim, Roboamum, & Jeroboamum mutuas foviſſe ſimultates; quod ut animadverteretur, res ipſa poſcebat. Vetus erat ſimultas & domeſtica. Legimus in Paralipomenis (1) hiſtoriam cruenti prælii inter Aſam & Jeroboamum, in qua victor Aſa hoſtium quingenta millia cecidit. Id autem fregit adeo ſuperbiam Iſraelitarum, ut nihil majoris momenti in Judam movere diu valuerint.

℣. 9. In anno vigesimo Jeroboam regnavit Asa. Conſignandum id cenſet Uſſerius (2) poſt evolutum annum vigeſimum Jeroboami, & ineunte anno ejus primo poſt vigeſimum. Septuaginta legunt *anno quarto & vigeſimo*. Aſa natus erat ex *Maacha*, *filia Abſalom*, longe utique diverſa a matre Abiami patris ſui, quæ tamen facile alia erat neptis Abſalomi, idem retinens nomen ac mater & avia. Appellatur filia Abſalomi, pro conſueto Scripturæ more, quæ indiſcriminatim filiæ nomine appellat fratris filiam, neptem, abneptem, & abneptis filiam.

℣. 12. Abstulit effeminatos de terra. Vide quæ de hac voce diſſeruimus ſupra xiv. 24. Conſtat ex iis quæ inferius xxii. 47. animadvertuntur, Aſam, omni licet animi ſolicitudine adniſum, totam mali radicem abolere non valuiſſe. Funeſtas enim ejus reliquias Joſaphat filius ejus invenit ac ſuſtulit.

℣. 13. Maacham amovit, ne esset princeps in sacris Priapi. Hebræus legit tantum (3): *Maacham matrem ſuam amovit ab hera* [a ſuprema authoritate] *quæ fecerat Idolum* [territaculum] *luco*. Amovit illam, ne manum regimini admoveret, ait Vatablus, vel privavit honore Reginæ; adempto ſatellitio, ut olim matrem ſuam Nero, ait Grotius; id autem in pœnam conſecrati Numinis in luco profano. Numen hoc deſignatur in Textu nomine *Miphlezet*, quod reddi ſolet *territaculum*. Neque alio fortaſſe ſpectavit S. Hieronymus, reddens Priapum, cujus Numen eſt apud Poetas furum, & avium terror (4).

.... *Inde ego furum aviumque*
Maxima formido.

Vertunt alii (5): *In ſacris Panos*, qui ſylveſtre erat Numen, terrorem injiciens, unde nomen terror panicus. Perſuaſum habuiſſe videtur Seldenus (6), infames illos ritus *Phalli*, & *Ithyphalli* nomen accepiſſe ex *Miphlezet*. Illud certe conſtat, nomen *Phalli* derivari ex *Phalaz*, radice τῦ *Miphlezet*. Cum autem Aſtarthe vel Aſera, quæ in turpibus lucis colebatur, & cui pariter hoc, quidquid eſſet, Miphlezet conſecratum erat, Adonidi nupta eſſet; plane credibile eſt, ritus hoſce turpes illud habuiſſe turpiſſimum, quod veluti in pompam deferrentur obſcena illa, quæ in Feſtis Bacchi delata fuiſſe ab Ægyptiis, narrat Herodotus (7).

Nec prætereundum hic ducimus, Septuaginta & S. Hieronymum non ſemper ſibi conſtare in verſione Hebræi *Miphlezet*; neque hic, neque in Paralipomenis. Porro in Hebræo legimus, *Aſam amoviſſe matrem ſuam ab hera* [a dignitate Reginæ]; *quippe quæ fecerat Miphlezet luco* [vel Aſera]. *Et ſuccidit*, addit Scriptura, *Miphlezet ejus, & combuſſit ad torrentem Cedron*. Septuaginta (8): *Amovit matrem ſuam, ne eſſet hera, quia fecerat conventum in luco ſuo; & excidit Aſa ſpeluncas*, vel cavos receſſus ejus. Et in 2. Paralipom. xv. 16. *Matrem ſuam removit, ut non eſſet miniſtra Aſtarthæ, & concidit Idolum*. Una igitur eademque vox redditur *conventus* vel cœtus, ſeu turpius etiam aliquid, *ſpecus* & *idolum*. Hinc jure collige, vocis hujus ſignificationem ſatis exploratam non eſſe, quemadmodum neque ſatis comperta Græcis Interpretibus videtur. Vide noſtram Diſſertationem de Numinibus Phœnicum.

℣. 14. Excelsa autem non abstulit. Editorum locorum genera erant duo; alterum quidem vero Deo conſecratorum, quibus vetus manebat Religio, quæ loca Reges & Prophetæ uſque ad conditum a Salomone Templum toleraverant. Alterum eorum erat, ubi ſuperſtitio, & licentiæ Numina colebantur. Hæc Aſa ſubvertit (9); imparem vero ſe eſſe credidit aliis removendis (10). Metuebat enim, ne populus eidem cultui aſſuetus reſiſteret, ipſe vero cogeretur pati etiam edita loca Idololatriæ ſacra, quod ſcilicet tolerare nollet alia vero Deo dedicata. Abuſus enim quidam ſunt, quos diſſimulari jubet prudentia, & metus, ne ſi corrigendi ſuſcipiantur, locus detur majoribus criminibus, quorum impetus coerceri vix ac ne vix quidem poſſit. Arbitrantur quidam (11), evertiſſe Aſam edita illa loca per totam regionem ſparſa, peperciſſe autem iis locis, quæ Salomon in monte Olivarum conſtituerat. Honor auferendi ea loca, Joſiæ ſervabatur (12). Minime tamen ambigo, plura fuiſſe alicubi ejuſmodi loca, quæ pii Regis ſtudium & ſedulitatem evaſerunt; putabat enim ille, nec immerito, ſatis ſe eſſe molitum in medio late regnantis vitii, cum licentiam coercuit, quam penitus ſupprimi non poſſe judicabat.

Cor Asa perfectum erat cum Domino. Jam ſupra ℣. 11. animadvertere licuit, Principem hunc *rectum feciſſe ante conſpectum Domini, ſicut David pater ejus*. Elogium, quod rari five ante ſive poſt ipſum Reges promeruerunt. Sed qua ratione hoc Aſæ elogium cohæreat cum iis, quæ leguntur in Paralipomenis (13), Prophetam ſcilicet Hanani a Deo miſſum veniſſe, ut Regem argueret, quod Syriæ Regem advocaſſet ad prohibendum Regem Iſraelis, ne ædificationem Ramæ urgeret, cum potius Dei opem implorare debuiſſet; ipſum vero Aſam graviſſime, exceptis ejuſmodi Prophetæ conviciis, in vincula illum dari juſſiſſe, ſimulque neci e populo multos tradidiſſe; deinde, cum (14) *ægrotaret dolore pedum vehementiſſimo, nec in infirmitate ſua quæſiviſſe Dominum, ſed magis in medicorum arte confiſum eſſe?* Officia ne ſunt hæc juſti & perfecti coram Deo Regis?

Reponi tamen his poteſt, *Aſam* nunquam cultum Domini abjeciſſe, criminis nullius reum, quæ probi viri dotes penitus excludant. Si quæ illi vitio vertit Scriptura, hæc facile eluit pœnitudine. Quid? An David ipſe, vir frequentibus Scripturæ elogiis celebratus, criminis penitus fuit immunis? Prætereo crimen cum Bethſabee, & Uriæ necem. Nonne temerario ſacramento ſeſe ad excidium totius domus Nabalis obſtrinxit? Ex-

(1) 2. Par. xiii. 3. & ſequ. uſque ad 20. (2) Uſſer. ad an. mund. 3047. (3) וגם את מעכה אמו ויסרה מגבירה אשר עשתה מפלצת לאשרה ויכרת אסא את מפלצתה וישרף בנחל קדרון (4) Horat. lib. 1. Satyr. 8. (5) Caſtalio, Gatak. (6) Selden. de Diis Syr. Syntagm. c. 5. (7) Herodot. lib. 2. cap. 48. & 49. (8) Μετέρα ἑαυτῦ μετέςησε τῦ μὴ εἶναι ἡγυμένην, καθὼς ἐποίησε σύνοδον ἐν τῷ ἄλσει αὐτῆς. καὶ ἔκοψεν Ἀσὰ τὰς καταδύσεις αὐτῆς. Et in Paralipomenis legunt: Καὶ τὴν Μααχα τὴν μητέρα αὐτῦ μετέςησε τῦ μὴ εἶναι τῇ Ἀςάρτῃ λειτυργῦσαν, καὶ κατέκοψε τὸ εἴδωλον. (9) 2. Par. xiv. 2. *Abſtulit altaria peregrini cultus & excelſa, & confregit ſtatuas lucoſque ſuccidit* [℣. 5.] *Et abſtulit de cunctis urbibus Juda aras & fana*, &c. (10) Vide Theodoret. quæſt. 47. in 3. Reg. (11) Menoch. Sanct. (12) 4. Reg. xxiii. (13) 2. Par. xvi. 7. 10. *Iratus Aſa adverſus Videntem, juſſit eum mitti in nervum .... & interfecit de populo in tempore illo plurimos*. (14) Ibidem ℣. 12.

ceſſum vindictæ de Ammonitis exactæ quis execuſſet? Pro cenſu populi quales Deo pœnas dederit, nemo ignorat. Igitur e cenſu juſtorum Principum expungendus non erit Aſa, quamquam humanum aliquid paſſus.

℣. 15. Intulit ea quæ sanctificaverat pater suus, et voverat in domum Domini (1). Creditur Abiam hoc ſeſe voto obſtrinxiſſe in celebri eo prælio cum Jeroboamo Rege Iſraelis commiſſo. Legimus in Paralipomenis (2), utroque exercitu coram ſtante, Abiam, ſermone ad hoſtes verſo, humaniſſima oratione illos compellaſſe, exprobrato crimine deſertæ domus Davidicæ, cui Dominus Regnum in totum Iſraelam perpetuo aſſeruerat. Exprobravit defectionem a Domino, & ejectionem Sacerdotum; ſe vero in fida Domini ſemper manſiſſe: *In exercitu noſtro*, ait, *dux Deus eſt, & Sacerdotes ejus*. Hæc eo loquente ad populum, interim Jeroboamus, qui exercitu octingentorum millium inſtructus venerat, cum Abiam nonniſi cum quadringentis millibus pugnaret, copias ſuas circumduxit, ut medium hoſtem exciperet. Diſcrimen ſentiens exercitus Abiam, clamavit ad Dominum; ſtatimque ſubito terrore divinitus Iſraelitæ conſternati ſunt, cecideruntque ab hoſtibus trucidata quingenta millia. Tunc facile Abiam votum, de quo hic, nuncupavit. Regnavit Abiamus triennio: cum tamen prælium initio Regni ſui commiſerit, ſatis ſpatii habere potuiſſet ad votum implendum. Abiamum inurit Scriptura nota Principis impii, quem *Deus percuſſit* (3); qua ex re facilis oritur conjectura, votum illud ſuum nunquam ſolviſſe. Paternam fidem ſolvit Aſa, intulitque in Templum, quæ pater voverat, vaſa aurea & argentea, atque alia id generis pretioſa. Hinc collige, credidiſſe hæredes teneri ſe reddere vota parentum poſt illorum obitum. Id autem Moyſis lege non exprimitur.

℣. 16. Bellum erat inter Asa et Baasa cunctis diebus eorum. Bella hæc ita accipienda ſunt, uti expoſuimus ſupra xiv. 20. Reges Iſraelis & Juda nunquam a ſimultatibus inter ſe ceſſarunt; quæ tamen ſimultates nonniſi ſero in apertum bellum erupere. Legimus enim in Paralipomenis (4), apertum bellum nunquam fuiſſe uſque ad quintum & trigeſimum annum Regni Aſæ; ſexto autem & trigeſimo ejuſdem Principis anno (5) Baaſam Regem Iſraelis condere aggreſſum eſſe Ramam, ut intra limites Regni ſui Aſam coerceret, vel prohiberet, ne reverteretur; quæ res cauſa fuit belli Syriaci in Baaſam, cujus belli hiſtoria in eodem capite legitur. Ardua ſunt hic nonnulla: qui enim Aſa aggredi potuit expeditionem in Baaſam anno quinto & trigeſimo, tum ſexto & trigeſimo Regni Aſæ, cum Baaſa vitam ultra annum ſextum & vigeſimum Aſæ non prorogaverit (6)? Id autem facile demonſtratur. Initium Regni Baaſæ componitur cum tertio (7) Aſæ; neque Baaſa regnavit niſi annis quatuor & viginti (8). Vulgo Interpretes & Chronologi (9) ajunt, annum hunc trigeſimum quintum vel trigeſimum ſextum, de quo in Paralipomenis, ducendum eſſe a ſciſſione Regnorum Juda & Iſraelis; hunc autem ſextum & trigeſimum annum incidere in ſextum & decimum Aſæ. Victoriam autem ab eo Principe de Zara Rege Æthiopiæ relatam, ad præcedentem annum rejiciunt.

Sed quis credat, Aſam cum exercitu victore quingentorum octoginta millium, coactum fuiſſe opem quærere a Benadado Rege Syriæ, eique (10) ſolvere *omne aurum & argentum, quod remanſerat in theſauris domus Domini, & in theſauris domus Regiæ*, atque ita venalem hunc Principem ſolicitaſſe, ut rupto fœdere cum Baaſa Rege Iſraelis, in ejus ditionem arma ferret, quibus coactus hoſtis a munienda Rama manus removeret? Qui fieri potuiſſet, ut tale quid Baaſa in Aſam aggrederetur, quo tempore hoſtis vires formidini futuræ illi erant, atque terrori?

Robur profecto aliquod hæc habent: qui tamen concilientur cum aperto teſtimonio Regum, componente obitum Baaſæ & Regnum Elæ ſucceſſoris ejus cum anno vigeſimo ſexto Aſæ (11); tum Regnum Zambri cum anno vigeſimo ſeptimo Aſæ (12), & Regno Amri cum uno & trigeſimo ejuſdem Principis (13); denique Regnum Achabi cum octavo & trigeſimo Aſæ (14)? Tot epochæ adeo inter ſe cohærentes & connexæ mendi ſuſpicionem omnem amovent; adeoque minime omnium fieri potuit, ut Baaſa bellum egerit cum Aſa anno trigeſimo quinto, & trigeſimo ſexto Regni Aſæ, quippe cum ante plures annos obiiſſet. Retinenda eſt igitur prior Chronologorum ſolutio, qua nihil hucuſque ſolidius, nihil melius inventum eſt. Inter Criticos quidam (15) nodum præcidunt, legentes vigeſimum quintum & ſextum annum Aſæ pro trigeſimo quinto & ſexto; ſed eorum correctioni neque ullus textus, neque ulla Verſio favet. P. Harduinus (16), ut fulciat priorem expoſitionem, annos hoſce ducentem a ſciſſione Regnorum Juda & Iſraelis, animadvertit, in nummis Commodi apud Ægyptios cuſis non adnotari annos Imperii illius, ſed Imperii M. Aurelii, principis & authoris hujus familiæ; adeo ut prior annus Commodi adſcribatur hic vigeſimus, atque ita de cæteris, uſque ad trigeſimum ſecundum, qui tertius decimus & poſtremus eſt Commodi.

Bellum exarſit inter Aſam Regem Juda & Baſan Iſraelis. Quomodo ergo Scriptura 2. Paralip. xv. 15. affirmat Deum, ut æterna mercede donaret fidele in cultum ſuum obſequium Aſæ, & creditæ illi gentis, in tranquillo pacis cum circumjacentibus populis illos conſtituiſſe, & in ver. xix. addit nihil belli Judam agitaſſe uſque ad annum Aſæ xxxv.? Quomodo, inquam, hæc veritati conſteut, ſi vel hoc ipſo, vel proxime ſuccedenti anno inter Baſam & Aſam bellum cœpit? Nonne præſtaret legi in 2. Paralipom. xv. 19. bellum non fuit uſque ad xxv. annum regni Aſæ, potius quam uſque ad xxxv. prout in ipſo hiſtoriæ textu legitur?

℣. 17. Baasa ædificavit Rama, ut non posset quispiam egredi vel ingredi de parte Asa regis Juda. Hebræus (17): *Ad non dandum egreſſum, neque ingreſſum Aſæ Regi Juda*. Seu potius: *Ut prohiberetur egreſſus & ingreſſus in ditionem Aſæ Regis Juda*. Omne commercium præcidere voluit Baaſa inter ſuos & Aſæ ſubditos, metuens, ne ſuorum animi ſolicitarentur ad deſerendum Regnum, atque ad recipiendam avitam Religionem & Imperium domus Davidicæ. Conſidebat *Rama* in colle imminente faucibus, ex quibus in Regna Juda & Iſraelis aditus dabatur. *Rama* Hebraice eſt locus editus; & hujus nominis offert ſeſe urbi
in

(1) Toſt. Sanct. Menoch. (2) 2. Par. xiii. 5. & ſequ. (3) Vide ſupra ℣. 1. 3. 2. Par. xiii. 20. *Quem percuſſit Dominus, & mortuus eſt*. (4) 2. Par. xv. 19. (5) 2. Par. xvi. 1. (6) 3. Reg. xvi. 8. *Anno vigeſimo ſexto Aſa Regis Juda, regnavit Ela filius Baaſa ſuper Iſrael*. (7) 3. Reg. xv. 28. *Interfecit ergo illum Baaſa anno tertio Aſa Regis Juda, & regnavit pro eo*. (8) Ibidem ℣. 33. *Anno tertio Aſa Regis Juda, regnavit Baaſa ſuper omnem Iſrael in Therſa, viginti quatuor annis*. (9) Ita Seder-Olam, Jun. Tirin. Sanct. Toſt. Buxt. Torniel. Salian. Uſſer. ad an. 3063. 3064. alii plures. (10) Vide infra ℣. 18. (11) 3. Reg. xvi. 8. (12) 3. Reg. xvi. 15. (13) Ib. ℣. 23. (14) Ibid. ℣. 29. (15) Capell. Grot. Vide, ſi placet, & Cajet. in 2. Par. xv. 16. & Canum loc. Theol. l. xi. c. 5. (16) Harduin. Chronol. vet. & nov. Teſtam. ad an. 17. Aſa. (17) לבלתי תת יוצא ובא לאסא מלך יהודה Ita & 2. Par. xvi. 1.

in finibus Beniamin & Ephraim, quam Joſue (1) conſtituit inter *Gabaonem* & *Beroth*. Leucis duabus circiter ab Jeroſolyma, ſeptemtrionem verſus, diſtabat (2).

℣. 18. TOLLENS ASA OMNE ARGENTUM ET AURUM, QUOD REMANSERAT IN THESAURIS DOMUS DOMINI. Non omne aurum & argentum Templi Seſac diripuerat, contentus enim fuiſſe videtur ea pecuniæ ſumma, quam Roboamus ſolvere non potuit, niſi corraſa theſaurorum Templi parte. Jacturas haſce utcumque Aſa reparaverat, illatis in ſacrum ærarium ditiſſimis ſpoliis, quæ ipſe & nomine ſuo & patris conſecravit, poſt victorias de Jeroboamo Rege Iſraeſis, & Zara Rege Æthiopiæ relatas, Nec Aſa in ejuſmodi rerum articulis religioni duxit, ſacri theſauri pecunia redimere e gravi hoſte diſcrimen. In iis anguſtiis cum publica neceſſitas urget, fas eſt diripere loca ſacra, atque in uſus communes convertere ſacra Principum, vel populorum donaria (3): *Pro Republica plerumque Templa nudantur, & in uſum ſtipendii dona conflamus* (4).

MISIT AD BENADAD FILIUM TABREMON, FILII HESION, REGEM SYRIÆ. Benadad nepos erat Razonis, de quo ſupra (5), & Regni Damaſcenorum conditoris. Razon appellatur hic *Heſion*. Septuaginta nuncupant *Haſin*, vel *Hazaelem*. Nomen Tabremon coaleſcit ex *Tab* vel *Tob*, bonus, & *Remon* vel *Remmon*, qui Deus eſt Damaſci. Neque in Scriptura novum eſt & inſolitum, ut unius ejuſdemque plura ſint nomina. Interpretes quidam cenſent (6), Benadadum nepotem fuiſſe Adadi Idumæi, cujus hiſtoriam legimus in Capite XI. 54. Regnaſſe illum Damaſci, ſub nomine Aderi, Joſephus affirmat (7).

℣. 20. AHION עיון, vel Ai͏̈n, *Ain*, urbs erat inter maxime ſeptemtrionales. Ex primis fuit, quas cepit Teglatphalaſſar, cujus incolas captivos abduxit (8). An eadem eſt cum Enan, de qua Ezechiel (9), quæque *terminus Damaſci* appellatur?

DAN, urbs eſt celebris ad rivum Jordanis, de qua nos ſæpe.

ABEL-DOMUM-MAACHA. Ulterius ad ſeptemtrionem Chanaanitidis excurrit. Urbs eſt eadem cum *Abela*, vel Abela domo Maacha, quo perfugit Seba filius Bochri (10). Captæ a ſe urbis incolas omnes Teglatphalaſſar duxit captivos (11). In Paralipomenis (12) appellatur *Abel-Maim*, vel Abel aquarum.

UNIVERSUM CENEROTH. Loca mari Ceneroth vel Tiberiadis adjacentia. De Ceneroth fuſius actum eſt in Joſue (13). Ex his urbibus quaſdam retinuit Benadad, quin & plateas, ſeu vicos quoſdam condidit in urbe Samaria &c. Vide inferius XX. 34.

℣. 21. ET REVERSUS EST IN THERSA. Hebræus וישב בתרצה *Et manſit in Therſa*; intra regalem urbem ſuam ſeſe clauſit. Septuaginta (14) eamdem cum Vulgata lectionem tuentur: *Reverſus eſt*.

℣. 22. NEMO SIT EXCUSATUS. Hebræus ad literam (15): *Nemo exemptus, nemo innocens*. Dogma eſt Juriſconſultorum (16): *Ubi adverſus hoſtem muniendi ſunt limites, omnis immunitas ceſſat*.

℣. 23. UNIVERSÆ FORTITUDINES EJUS. Accipi poteſt Hebræus (17) ſeu de viribus corporis, vel animi, vel Regni, & copiis. De Imperio & authoritate intellexiſſe videntur Septuaginta.

VERUMTAMEN IN TEMPORE SENECTUTIS SUÆ DOLUIT PEDES. Podagra laboravit (18). Vitio illi vertit Scriptura (19), quod morbo afflictus, ſpem ſuam in arte potius Medicorum, quam in Dei ope collocaverit. Morbo autem corripi cœpit anno trigeſimo nono Regni ſui, ut ibidem animadvertitur, id eſt, tribus ante obitum annis.

℣. 24. DORMIVIT CUM PATRIBUS SUIS. Obiit anno Regni quadrageſimo, Mundi 3090. Illatus eſt in ſepulcrum, quod ſibi paraverat in civitate David, collocatumque eſt cadaver in feretro ſplendidiſſimo, aromatibus, & unguentis arte pigmentaria conditum. Arſit una cum feretro in pyra, vel ſaltem juxta cadaver unguenta & aromata igne cremata ſunt. Novimus hæc ex Paralipomenis (20).

℣. 25. NADAB FILIUS JEROBOAM REGNAVIT SUPER ISRAEL DUOBUS ANNIS. Regnum capeſſivit Nadab anno ſecundo Aſæ Regis Juda, nec integrum biennium abſolvit; obiit enim anno Aſæ tertio (21).

℣. 27. GEBBETHON, urbs Danitica, quam Philiſthæi occupabant, non unam a Regibus Iſraelis obſidionem ſuſtinuit (22).

℣. 28. ANNO TERTIO ASA REGIS JUDA REGNAVIT BAASA, A. M. 3051. Adverſus hanc ephocam aliquid objicitur; nimirum quod in Paralipomenis (23) legitur, Baaſam manum admoviſſe ædificandæ Ramæ anno trigeſimo ſexto Aſæ. Cohærere id autem non poteſt cum iis quæ hic ℣. 33. narrantur, Baaſam ſcilicet nonniſi annis quatuor & viginti regnaſſe. Qui enim Baaſa, Regno nonniſi quatuor & viginti annorum geſto, rerumque potitus anno Aſæ tertio, hæc moliri potuit in Aſam anno Regni ipſius ſexto & trigeſimo? Hanc objectionem ſolvimus ſupra ℣. 17. docentes annum hunc ſextum & trigeſimum Aſæ repetendum eſſe a ſchiſmate decem Tribuum.

(1) Joſue XVIII. 25. (2) Euſeb. & Hieron. in locis. (3) Grot. de jure Belli & pac. lib. 3. cap. 5. art. 2. (4) Seneca pater, in Controver. (5) 3. Reg. 11. 23. 24. (6) Grot. Mart. (7) Vide Joſeph. lib. 8. Antiqu. cap. 2. (8) 4. Reg. XV. 29. (9) Ezech. XLVIII. 1. Vide & Num. XXXIV. 11. Deut. III. 17. (10) 2. Reg. XX. 14. 15. (11) 4. Reg. XV. 29. (12) 2. Par. XVI. 4. (13) Joſue XI. 2. & XIII. 27. Vide & Num. XXXIV. 11. Deut. III. 17. (14) Καὶ ἀνέστρεψεν εἰς Θερσά. Ducunt ישב ex שוב (15) אין נקי Septuag. καὶ παρήγγειλε εἰς πᾶσαν, vel εἰς αἰτιατοῦς. Servare maluerunt vocem Originalis. (16) L. ult. C. de quibus muneribus nemini liceat ſe excuſare, apud Grot. hic. (17) כל גבורתו Septuag. Ἡ δυναστεία αὐτοῦ. (18) Ita Vat. Grot. Sanct. Menoch. &c. (19) 2. Par. XVI. 12. (20) 2. Par. XVI. 13. 14. *Poſuerunt eum ſuper lectum ſuum plenum aromatibus & unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combuſſerunt ſuper eum ambitione nimia.* (21) 3. Reg. XV. 28. *Interfecit illum Baaſa in anno tertio Aſa Regis Juda.* (22) Vide 3. Reg. XVI. 15. (23) 2. Par. XVI. 1.

CAPUT XVI.

Jehu pronunciat Baaſæ Familiæ excidium. Baaſa obit, cui ſuccedit Ela; eoque a Zambri interfecto, Regnum a proditore occupatur; qui pariter univerſum genus Baaſæ delet. Amri evehitur ad Regnum a populo, & Zambri, igne in Regias ædes a ſe immiſſo, ſponte ſe perimit. Obit Amri, & impius Achabus ſuccedit, ducitque Jezabelem. Jericho reſtituitur.

℣. 1. FActus eſt autem ſermo Domini ad Jehu filium Hanani contra Baaſa, dicens: 2. Pro eo quod exaltavi te de pulvere, & poſui te ducem ſuper
populum meum Iſrael, tu autem ambulaſti in via Jeroboam, & peccare feciſti populum meum Iſrael, ut me irritares in peccatis eorum: 3. Ecce, ego demetam poſteriora Baaſa, & poſteriora domus ejus: & faciam domum tuam ſicut domum Jeroboam filii Nabath. 4. Qui mortuus fuerit de Baaſa in civitate, comedent eum canes: & qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cœli. 5. Reliqua autem ſermonum Baaſa, & quæcumque fecit, & prælia ejus, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael? 6. Dormivit ergo Baaſa cum patribus ſuis, ſepultuſque eſt in Therſa: & regnavit Ela filius ejus pro eo. 7. Cum autem in manu Jehu filii Hanani prophetæ verbum Domini factum eſſet contra Baaſa, & contra domum ejus, & contra omne malum, quod fecerat coram Domino, ad irritandum eum in operibus manuum ſuarum, ut fieret ſicut domus Jeroboam: ob
A. M. 3074. ante J. Chr. 930. hanc cauſam occidit eum, hoc eſt, Jehu filium Hanani prophetam. 8. Anno vigeſimo ſexto Aſa regis Juda, regnavit Ela filius Baaſa ſuper Iſrael in Therſa duobus annis. 9. Et rebellavit contra eum ſervus ſuus Zambri, dux mediæ partis equitum: erat autem Ela in Therſa bibens, & temulentus in domo Aſa præfecti Therſa. 10. Irruens ergo Zambri, percuſſit, & occidit eum, anno vigeſimo ſeptimo Aſa regis Juda, & regnavit pro eo. 11. Cumque regnaſſet, & ſediſſet ſuper ſolium ejus, percuſſit omnem domum Baaſa, & non dereliquit ex ea mingentem ad parietem, & propinquos, & amicos ejus. 12. Delevitque Zambri omnem domum Baaſa, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat ad Baaſa in manu Jehu prophetæ. 13. Propter univerſa peccata Baaſa, & peccata Ela filii ejus, qui peccaverunt, & peccare fecerunt Iſrael, provocantes Dominum Deum Iſrael in vanitatibus ſuis. 14. Reliqua autem ſermonum Ela, & omnia quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum
A. M. 3075. ante J. Chr. 929. dierum regum Iſrael? 15. Anno vigeſimo ſeptimo Aſa regis Juda, regnavit Zambri ſeptem diebus in Therſa: porro exercitus obſidebat Gebbethon urbem Philiſthinorum. 16. Cumque audiſſet rebellaſſe Zambri, & occidiſſe regem, fecit ſibi regem omnis Iſrael Amri, qui erat princeps militiæ ſuper Iſrael in die illa in caſtris. 17. Aſcendit ergo Amri, & omnis Iſrael cum eo de Gebbethon, & obſidebant Therſa. 18. Videns autem Zambri, quod expugnanda eſſet civitas, ingreſſus eſt palatium, & ſuccendit ſe cum domo regia: & mortuus eſt 19. In peccatis ſuis, quæ peccaverat faciens malum coram Domino, & ambulans in via Jeroboam, & in peccato ejus, quo fecit peccare Iſrael. 20. Reliqua autem ſermonum Zambri, & inſidiarum ejus, & tyrannidis, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael? 21. Tunc diviſus eſt populus Iſrael in duas partes: media pars populi ſequebatur Tebni filium Gineth, ut conſtitueret eum regem: & media pars Amri. 22. Prævaluit autem populus, qui erat cum Amri populo, qui ſequebatur Tebni filium Gineth: mor-
A. M. 3079. ante J. Chr. 925. tuuſque eſt Tebni, & regnavit Amri. 23. Anno trigeſimo primo Aſa regis Juda, regnavit Amri ſuper Iſrael, duodecim annis: in Therſa regnavit ſex annis. 24. Emitque montem Samariæ a Somer duobus talentis argenti: & ædificavit eum, & vocavit nomen civitatis, quam extruxerat, nomine Somer domini montis, Samariam. 25. Fecit autem Amri malum in conſpectu Domini, & operatus eſt nequiter, ſuper omnes qui fuerunt ante eum. 26. Ambulavitque in omni via Jeroboam filii Nabat, & in peccatis ejus, quibus peccare fecerat Iſrael: ut irritaret Dominum Deum Iſrael in vanitatibus ſuis. 27. Reliqua autem ſermonum Amri, & prælia ejus, quæ geſſit,
A. M. 3086. ante J. Chr. 918. nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael? 28. Dormivitque Amri cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in Samaria: regnavitque Achab filius ejus

pro

pro eo. 29. Achab vero filius Amri regnavit ſuper Iſrael anno trigeſimo octavo Aſa regis Juda. Et regnavit Achab filius Amri ſuper Iſrael in Samaria viginti, & duobus annis. 30. Et ſecit Achab filius Amri malum in conſpectu Domini, ſuper omnes, qui fuerunt ante eum. 31. Nec ſuffecit ei, ut ambularet in peccatis Jeroboam filii Nabat: inſuper duxit uxorem Jezabel filiam Ethbaal regis Sidoniorum. Et abiit, & ſervivit Baal, & adoravit eum. 32. Et poſuit aram Baal in templo Baal, quod A. M. 3087.
ædificaverat in Samaria; 33. Et plantavit lucum: & addidit Achab in opere ſuo, irritans Dominum Deum Iſrael ſuper omnes reges Iſrael, qui fuerunt ante eum. 34. In diebus ejus ædificavit Hiel de Bethel, Jericho: in Abiram primitivo ſuo fundavit eam, & in Segub noviſſimo ſuo poſuit portas ejus: juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Joſue filii Nun,

℣. 1. FACTUS EST SERMO DOMINI AD JEHU FILIUM HANANI. Propheta Jehu filius Hanani nonniſi hac miſſione ad Baaſam noſcitur. Patri ejus Hanani nomen Prophetæ vindicant Paralipomena (1). Porro Jehu miſſus fuerat a Deo ad Aſam Regem Juda, ut Principi exprobraret fiduciam ſuam in Rege Syriæ collocatam; quod offendit adeo animum Regis, alioquin piiſſimi, ut Prophetam vinculis alligari juſſerit. Gravius in Jehu Prophetam invectus eſt Baaſa, quippe quem neci tradidit, ſi fides Textus Latini ℣. 7. teneatur: *Ob hanc cauſam occidit eum, hoc eſt Jehu filium Hanani Prophetam*. Poſtrema tamen ea verba, *hoc eſt Jehu*, &c. deſunt in Hebræo, Chaldæo, Septuaginta, & Latinis nonnullis Codicibus, teſte Eſtio. Quod autem ambiguam reddere necem hanc Jehu per Baaſam videtur, illud eſt, quod ſub Joſaphato, qui poſt Baaſam vixit, Prophetam quemdam Jehu filium Hanani miſſum legimus ad Joſaphatum, ut de ſuppetiis impio Achabo latis Principem redargueret (2). Itaque niſi geminos Jehu filios Hanani & Prophetas in Juda, atque coævos inducere voluerimus, reputandum erit, Baaſam nihil grave intuliſſe ipſi Jehu; verba autem illa, *ob quam cauſam occidit eum*, referri ad Deum, qui merito criminum ſuorum Baaſam morte punivit (3); vel ad Baaſam, qui Nadabum filium Jeroboami, totamque ejus Familiam interſecit (4), ut Regnum invaderet.

℣. 2. EXALTAVI TE DE PULVERE. Quo pacto Deus impium & uſurpatorem extulit, atque Principem conſtituit populi ſui Iſraelis? An ignoramus, ipſum ſe Baaſam ad Regnum proditione, defectione, & cædibus evexiſſe? Qua vero ratione Iſrael nomen ſibi prometetur populi Dei, quem turpiter adeo deſeruerat? Nihilominus verum eſt, imperium omne Deo acceptum referri; & Baaſam, proditorem licet, hominum interfectorem, & ſceleſtum, ad Iſraelis ſolium Numine volente aſcendiſſe, vel ſaltem illo permittente, qui imperia diſtribuit, & omnia in gloriam ſuam convertit. Scimus denique, Iſraelem, impium licet, nunquam tamen penitus a Deo abjectum fuiſſe. Miſit ad illum identidem Deus Prophetas, prodigiis interdum ſuis illi ſavit, atque inter impiorum turbam, plurimos tamen ſibi fideles ſervavit, qui genua ante Baalem non poſuerunt.

℣. 3. DEMETAM POSTERIORA BAASA; ideſt, poſteritatem Baaſæ. Ad literam (5): *Demetam reliquias Baaſa*; vel imas uſque radices evellam; vel: *Aduram poſteriora Baaſa*. Quæcumque ex eo reliqua fuerint, comburam igne; denique, poſteritatem ejus delebo.

℣. 7. CUM AUTEM IN MANU JEHU . . . . VERBUM DOMINI FACTUM ESSET CONTRA BAASAM . . . . . OB HANC CAUSAM OCCIDIT EUM, HOC EST JEHU &c. Jam a nobis animadverſum eſt, poſtrema illa verba, *Occidit eum, hoc eſt Jehu filium Hanani*, non legi in Textu Originali. Hic autem ſenſus reddi poteſt ex toto hoc verſiculo. Cum enim Sacer Hiſtoricus narraverit mortem Baaſæ, & familiæ illius cædem, concludit (6): *Cum in manu Jehu filii Hanani Prophetæ verbum Domini factum eſſet contra Baaſa, & contra domum ejus, ex malo, quod fecerat coram Domino, ad irritandum eum in operibus manuum ſuarum, ut ſimilem ſe redderet domui Jeroboam, ob hanc cauſam occidit eum*; nempe Baaſam. Vel, juxta alios: *Ex malo quod fecerat coram Domino, ut conſtitueret ſe in locum domus Jeroboam, & quod illum occiderat* (7). Deus punivit uſurpatorem, & interſectorem Nadabi filii Jaroboami, ac filiorum ipſius.

℣. 8. REGNAVIT ELA DUOBUS ANNIS, inceptis, non abſolutis; Regnum enim capeſſivit anno ſexto & vigeſimo Aſæ (8), & anno ſeptimo & vigeſimo ejuſdem Principis neci traditus eſt (9).

℣. 9. DUX MEDIÆ PARTIS EQUITUM. Hebræus (10): *Dux mediæ partis curruum ipſius* bellicorum.

IN DOMO ARSA PRÆFECTI THERSA. Hebræus (11): *In domo Arſa, qui ſuper domum in Therſa*. Chaldæus, & Arabs: *In Templo Idoli Arſa, quod erat in Therſa*. Sed quod Idolum hoc Arſa? Hæc vox *tellurem* ſonat; tellurem autem colebant Pagani, tamquam Deorum omnium, & hominum matrem; vel forte *Arſa* ponitur hic pro *Aſera*, Aſtarthe.

℣. 11. PROPINQUOS, ET AMICOS EJUS. Quicumque tyrannidem illius metuebat. Tradit Philo (12), in his rerum eventibus interfici conſueviſſe quicumque verſabantur in quinque domibus maxime propinquis illi, cujus memoria delenda erat.

℣. 15. REGNAVIT ZAMARI SEPTEM DIEBUS IN THERSA. Regium nomen & authoritatem uſurpavit, ſed nonniſi ſeptem diebus tenuit; cum enim Gebbethonem obſidens exercitus ſalutaſſet Imperatorem Amri, novus hic Rex reductas ab obſidione copias duxit ad cingendum in Urbe Therſa Zambri. Huic ex univerſo Iſraele obſidioni impar erat Urbs, ac fruſtra ſe illam defendere, brevi intellexit Uſurpator; quare conſilium cœpit, igne Regiis ædibus, in quibus ſe continebat, injecto, necem ſibi conſciſcendi: iſque finis brevi huic expeditioni impoſitus eſt. Plura exhibet hiſtoria Principum exempla, qui in ſimilibus rerum articulis, cum tantum non valerent animis, ut gladio ſibi necem inferrent, igne ſe peremerunt. Inter hæc, exemplum Sardanapali vetuſtiſſimum eſt & celeberri-

[1] 2. Paral. xvi. 7. 10. [2] 2. Paral. xix. 2. *Cui occurrit Jehu filius Hanani Videns, & ait ad eum: Impio præbes auxilium*, &c. [3] Ita Malv. & alii nonnulli. [4] Ita Hebræi Lyr. Cajet. Vatab. Munſt. & plerique. [5] הנני מבעיר אחרי בעשא ואחרי ביתו [6] וגם ביד יהוא בן חנני הנביא דבר יהוה היה אל בעשא ואל ביתו ועל כל הרעה אשר עשה בעיני יהוה להכעיסו במעשה ידיו להיות כבית ירבעם ועל אשר הכה אתו [7] Septuag. ὑπὲρ τοῦ πατάξαι αὐτόν. Ita Grot. Var. [8] ℣. 8. *Anno vigeſimo ſexto Aſa, regnavit Ela.* [9] ℣. 10. *Zambri percuſſit eum anno vigeſimo ſeptimo Aſa.* [10] שר מחצית הרכב [11] בית ארצא אשר על הבית בתרצה [12] Philo, ita Joſeph. apud Grot. hic.

berrimum (1). Sunt qui credant (2), Amri ignem ſubjeciſſe Regiis ædibus, ut Zambri ibi ſe continentem cremaret. Nec Hebræus hunc ſenſum reſpuit; quamquam alter pronior eſt.

℣. 19. Faciens malum coram Domino, et ambulans in via Jeroboam. Quomodo breviſſimum hoc ſeptem dierum Regnum Zambri peſſime adeo traduxit, ut infamiæ hanc perpetuam notam incurrere potuerit? Reputavit fortaſſe, animos populi & amorem ſibi comparaturum, ſi Regni ſui initio ſummopere ſtuderet cultum ab Jeroboamo invectum adſtruere; vel antequam Regnum capeſſeret, inſignibus jam ſceleribus ſeſe devinxerat; vel denique ſeptem hi dies Regni non indicant niſi tempus, quo uſurpationem ſuam tranquillus poſſedit. Poſt ſeptem dies, evecto ad Regnum Amri, bellum cœpit, quod aliquandiu perſeveravit (3), ſatiſque ſpatii obtinuit Zambri, ut malam animi ſui Religionem habitudinem oſtenderet.

℣. 21. Divisus est populus Israel in duas partes. Diſſidii hujus cauſas Scriptura non docet; credibile eſt tamen, Iſraelitas in caſtris ad Gebbethonem verſantes extuliſſe Amri, inſcio reliquo populo; qua re offenſum populum elegiſſe ſibi Thebni. Sed Amri cauſa, quam milites fulciebant, potior æmulo fuit.

℣. 23. Anno trigesimo primo Asa . . . . . regnavit Amri. Quomodo iſta cohæreant cum iis, quæ ſupra ℣℣. 10. 15. narrantur, Zambri ſcilicet Dominum ſuum Elam interfeciſſe anno ſeptimo & vigeſimo Aſæ, ipſique Zambri poſt Regnum ſeptem dierum ſucceſſiſſe Amri? Reponitur, Amri ſolum, & pacificum Regni poſſeſſorem fuiſſe tantum anno primo, & trigeſimo Aſæ, cum antea quadriennio æmulum Thebni ſuſtinuerit. Sublato demum Thebni anno trigeſimo primo Aſæ, Amri ſolus, & quietus regnavit (4). Solutio eſt quidem violentior, ſed melioris defectu retinenda.

℣. 24. Emit montem Samariæ a Somer duobus talentis argenti. Hebræus (5): *Emit montem Someron duobus talentis argenti*, ideſt, pretio novem millium, ſeptingentarum ac triginta quatuor librarum, & ſolidorum ſeptem. Reges Iſraelis ſedem primo conſtituerunt in Sichem, deinde Therſæ. Cum autem Therſa civilibus bellis Zambri, Ambri, & Thebni multa paſſa fuiſſet; & Regiæ illius ædes cum domeſticis omnibus rebus arſiſſent, Amri novus Rex inter primas Regni curas hanc poſuit, ut de condenda nova Urbe in ſedem Regum Iſraelis ſucceſſorum ſuorum ageret. Selegit autem in eam rem montem Someron, quem tunc Somer poſſidebat, ibique facile domum tenebat ſuam. Ibi forte jam tunc erat oppidum, nomine Someron, vel ſaltem hæc ſubiit cogitatio illis, qui anticipationem nullam admittunt in verbis Capitis XIII. 34. in quibus ſermo eſt de Samaria. Utut res babeat ſeſe, de Someron nihil ſatis magnificum reputare nos jubet pretium duorum talentorum, quo ſibi illum Rex comparavit.

Sedet Urbs Samaria in fertili quodam colle in meditullio ferme Tribus Ephraim, ſitu commodo, & munito. Mirari ſubit, cur Amri, qui locum emit, & Urbem condidit, nomen illi ſuum non indiderit. Menochius cum Saliano arbitrantur, Somer viliori pretio locum ceſſiſſe Amri ea conditione, ut nomen prioris domini retineret. Igitur Samaria decem Tribuum Metropolis effecta eſt, nomenque ſuum propagavit ad Regnum Samariæ, & amplum Regionis tractum, qui Samariticus appellatus eſt. Ut illam ornarent, augerentque, Iſraelis Reges nihil omiſerunt. Ædificavit in ea Achabus *domum eburneam* (6); ideſt, eburneis ornamentis divitem. Publicas ibi pariter plateas & formaverant & poſſidebant Reges Syriæ, ubi Syri commercii gratia facile ſedes habebant. Id autem probant ea, quæ Benadad permiſit Achabo (7): *Plateas fac tibi in Damaſco ſicut fecit pater meus in Samaria*, Obſidiones ſuſtinuit plures: bis illam cinxit Benadad; Salmanaſar triennali obſidione expugnavit. Poſt mortem Alexandri Magni, ceſſit Regibus Ægypti; ſed erepta Ægyptiis ab Antiocho Magno, paruit Regibus Syriæ, donec per Hircanum Macchabæum ſolo æquata eſt. E ruinis ſuis ſurrexit beneficio Herodis Magni, qui & coloniam eo miſit ſex millium, & Sebaſten, de nomine Auguſti, appellavit.

℣. 25. Operatus est nequiter super omnes qui fuerunt ante eum. Idololatriam non verbis modo & exemplis apud ſuos promovit, ſed & legibus imperavit (8): *Et cuſtodiſti præcepta Amri, & omne opus domus Achab*.

℣. 31. Insuper duxit uxorem Jezabel filiam Ethbaal Regis Sidoniorum. Hoc ad cumulum malorum adjecit Achabus, ut duceret Jezabelem. Alii quidem ante illum nuptias cum alienis mulieribus conciliaverant (9); ſed cautione ſaltem quadam, uti fertur, juſſis nempe prius ad Judaica ſacra tranſire. Nihil tale ſervavit Achabus cum Jezabele. Denique experientia ipſa demonſtravit, ſcelera Achabi reliqua minora fuiſſe quam graviſſimum hoc nuptiarum cum Jezabele. Fœmina hæc princeps ſævitiæ ſuæ & impietatis aperta & infamia documenta fronte perfricta exhibuit. Idololatria, impudicitia, & cætera crimina caput extulere; quippe quæ nacta ſunt in Jezabele non patrocinium modo, ſed præmium & honores. Nomen Jezabelis abiit ferme in proverbium, ut mulier impia, ſæva & imperioſa innuatur (10). Comparat illam Grotius Tulliæ uxori Tarquinii, Fulviæ Antonii, & Eudoxiæ Arcadii.

Ethbaal, pater Jezabelis, imperabat Sidoniis, vel potius Tyriis; ſed facile tunc Reges Tyri per totam late ditionem Sidoniorum, urbemque ipſam Sidonis imperium prorogabant. De Sidoniis ita agit Salomon (11), veluti jam Regi Tyrio ſubjectis. Profanos ſcriptores Ethbaal non latuit (12); quem virum Menander appellat *Ithoballum*; traditque (13), ſub eo Principe regionem hanc nimia ariditate ſqualluiſſe. Ipſa eſt facile ariditas triennalis, de qua Scriptura (14), ſub Rege Achabo, *Ithoballi* genero.

℣. 34. In diebus ejus ædificavit Hiel de Bethel Jericho. Notum eſt, Joſue (15) urbem hanc cepiſſe, eaque everſa dira pronunciaſſe in illum, qui reſtituendam ſuſciperet. Minas haſce ſpernens Hiel, oriundus e Bethel, manum operi admovit ſub Achabo. Neque Regi ſatis erat religionis, ut illud conſilium impediret; neque Hiel, qui apertam Idololatriam profitebatur, ſolicitudine ulla de vaticiniis Joſue tenebatur. Sed Dei ultio in familiam Hielis ſævit; impius enim vir, cum totus operi incumberet, filiis ſuis omnibus orbatus eſt. Cum fundamenta jaceret, diem clauſit Abiram, inter filios natu maximus; deinde paulatim cæteri etiam filii interierunt, ac denique omnium poſtremus Segub obiit, cum abſoluta urbe, fores tantum addendæ erant. Vide quæ de Jerichunte ejuſque ſitu animadvertimus in Commentario ad Joſue VI. 26.

(1) Juſtin. lib. 1. & Athen. lib. XII. c. 7. Vide Caſaubon. in hunc lib. Athen. &c. (2) Kimchi in Munſt. alii in Vat. (3) Vide, ſi lubet, Sanct. (4) Vide Uſſer. Sanct. Vatab. &c. (5) ויקן את ההר שמרון (6) 3. Reg. XXII. 39. *Domus eburnea quam ædificavit, cunctarumque urbium quas extruxit*, &c. (7) 3. Reg. XX. 34. (8) Mich. VI. 16. (9) 3. Reg. XI. 1. *Salomon adamavit mulieres alienigenas . . . . Idumæas, Sidonias, & Hethæas.* (10) Vide Apocal. II. 20. *Habeo adverſum te pauca, quia permittis mulierem Jezabel, quæ ſe dicit Propheten, docere & ſeducere ſervos meos, fornicari, & manducare de idolothytis.* (11) 3. Reg. V. 6. (12) Menandr. Epheſ. apud Joſeph. lib. 1. contra Appion. (13) Vide Joſeph. Antiq. l. 8. c. 7. (14) 3. Reg. XVII. 1. (15) Joſue VI. 26.

CA-

CAPUT XVII.

Elias triennii ariditatem prædicit Achabo. Alitur a corvis. Sareptam proficiſcitur ad viduam; cui multiplicat oleum & farinam, & filium ad vitam revocat.

℣. 1. ET dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab: Vivit Dominus Deus Iſrael, in cujus conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, & pluvia, niſi juxta oris mei verba. 2. Et factum eſt verbum Domini ad eum, dicens: 3. Recede hinc, & vade contra Orientem, & abſcondere in torrente Carith, qui eſt contra Jordanem; 4. Et ibi de torrente bibes: corviſque præcepi, ut paſcant te ibi. 5. Abiit ergo, & fecit juxta verbum Domini: cumque abiiſſet, ſedit in torrente Carith, qui eſt contra Jordanem. 6. Corvi quoque deferebant ei panem, & carnes mane, ſimiliter panem, & carnes veſperi, & bibebat de torrente. 7. Poſt dies autem ſiccatus eſt torrens: non enim pluerat ſuper terram. 8. Factus eſt ergo ſermo Domini ad eum, dicens: 9. Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut paſcat te. 10. Surrexit, & abiit in Sarephta. Cumque veniſſet ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, & vocavit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquæ in vaſe, ut bibam. 11. Cumque illa pergeret, ut afferret, clamavit poſt tergum ejus, dicens: Affer mihi, obſecro, & bucellam panis in manu tua. 12. Quæ reſpondit; Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illum mihi, & filio meo, ut comedamus, & moriamur. 13. Ad quam Elias ait: Noli timere, ſed vade, & fac, ſicut dixiſti: verumtamen mihi primum fac de ipſa farinula ſubcinericium panem parvulum, & affer ad me: tibi autem, & filio tuo facies poſtea. 14. Hæc autem dicit Dominus Deus Iſrael: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, uſque ad diem, in qua Dominus daturus eſt pluviam ſuper faciem terræ. 15. Quæ abiit, & fecit juxta verbum Eliæ; & comedit ipſe, & illa, & domus ejus: & ex illa die 16. Hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non eſt imminutus, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ. 17. Factum eſt autem poſt hæc, ægrotavit filius mulieris matrisfamilias, & erat languor fortiſſimus, ita ut non remaneret in eo halitus. 18. Dixit ergo ad Eliam: Quid mihi, & tibi vir Dei? ingreſſus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? 19. Et ait ad eam Elias: Da mihi filium tuum. Tulitque eum de ſinu ejus, & portavit in cœnaculum, ubi ipſe manebat, & poſuit ſuper lectulum ſuum. 20. Et clamavit ad Dominum, & dixit: Domine Deus meus, etiam ne viduam, apud quam ego utcumque ſuſtentor, afflixiſti, ut interficeres filium ejus? 21. Et expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamavit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus, revertatur, obſecro, anima pueri hujus in viſcera ejus. 22. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ, & reverſa eſt anima pueri intra eum, & revixit. 23. Tulitque Elias puerum, & depoſuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, & tradidit matri ſuæ, & ait illi: En vivit filius tuus. 24. Dixitque mulier ad Eliam: Nunc in iſto cognovi, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt.

A. M. 1092. ante J. Chr. 908.

℣. 1. ET DIXIT ELIAS THESBITES ... AD ACHAB. Thesba Urbs eſt transjordanica Tribus Gad, in Galaaditide. Elias ex ea urbe contulit ſe in Regnum Iſraelis, locum miſſionis ſuæ; neque enim diu egiſſe in Regno Juda videtur. Ex iis erat, qui inviolatum Domino obſequium ſervaverant in medio late regnantis ſuperſtitionis, & ſchiſmatis decem Tribuum. Conditionem parentum illius, educationem, vocationem ad munus Prophetæ, æque cum ignorantibus ignoramus. Quin nec ſatis accurate definiri poteſt, ex qua Tribu eſſet; atque inter apocryphas commentationes rejicienda ſunt ea, quæ de prodigio ortus illius, de nomine patris ejus *Sabaca*, de dignitate Sacerdotis e ſtirpe Aaronis (1) feruntur. Veteres quidam (2) Eliæ nomen derivarunt e Græco *Helios*, Sol; ſed minus accurata etymologia. Elias, vel Elihau Hebraice eſt *Deus fortis*, vel *Dominus Deus*. Patres uno aſſenſu virginitatis ſervatæ laudem illi conferunt (3). Creditur princeps fuiſſe & pater Prophetarum, qui per eam ætatem frequentes in Regno Iſraelis verſabantur (4). Utrum

[1] Vide, ſi lubet, Metaphraſt. apud Suri. Pſeudo-Doroth. in Synopſ. Joan. Jeroſolym. cap. 1. tom. 9. Bibl. P. P. Iſidor. de vita & morte Sanctor. Epiphan. de vita & interitu Sanctorum, & Sanct. hic. [2] Chryſoſt. homil. 3. de Elia, Sedulius, Beda, Angelomus. [3] Ambroſ. lib. 1. de Virgin. Hieron. l. 1. adverſ. Jovinian. & ad Euſtoch. de cuſtodia Virgin. & S. Ephræm lib. 1. Paræn. 1. &c. [4] Vide 3. Reg. XVIII. 13. & XIX. 10.

Unum vero certam ſedem habuerit in aliqua regione, non conſtat. Vir erat indolis magnæ & ſublimis; cujus fortis intrepiduſque animus zelo ardebat vivo & ignito; acerrimus defenſor legum Divinarum, ultor interritus honoris Domini ſui. Contendunt Hebræi, ſed temere Phineem filium Aaronis poſt diuturni temporis latebras tandem ſub Eliæ nomine prodiiſſe.

Vivit Dominus, in cujus conspectu sto. Quæ cauſa fuerit hujus ſermonis, vel quibus verbis compellatus Elias hæc reſponderit Achabo [præcedentis enim rei continuatio videntur] Scriptura non docet. Hæc verba, *Vivit Dominus, in cujus conſpectu ſto*, in aliam pariter ſententiam reddi poſſunt, 1. ut ſint genus quoddam ſacramenti: Deum, qui omnibus adeſt præſens, teſtem invoco. In eumdem ſenſum Apoſtolus (1): *Ecce coram Deo quia non mentior*. 11. Vivit Dominus, cujus ego miniſterio fungor, & coram quo ego ſto, ad juſſiones ejus paratus. *In conſpectu alicujus ſtare* (2) eſt ſervitiis & obſequiis alicujus addici. 111. Vivit Dominus, cui me ſiſtere ad orandum conſuevi (3).

Si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba. Miram fiduciam Prophetæ! Conferat hic aliquis quæcumque Paganorum ſuperſtitio fingere potuit prodigioſa, cum authoritate iſta Prophetica. Elias Cœlum ad arbitrium claudit ſpatio trium annorum & dimidii. Tanta verborum conſtantia, abſoluta adeo poteſtate, ut certo ſpondeat Regi futurum, ut ne gutta quidem ſen roris ſeu imbris manet: *Verbo Domini continuit Cœlum* (4). Facile hinc erat Achabo colligere, hanc ariditatem ab altera, quam naturali cauſa, inductam fuiſſe; affirmabat enim Elias, pleno arbitrio ſuo permiſſum fuiſſe a Deo ſive imbrem deducere, ſive retinere. Animadvertimus ſupra, Menandrum Hiſtoricum meminiſſe ariditatis, quæ Regionem populata eſt ſub Rege Tyri Ethbaale; ſed ad annum ſolummodo ille hanc ariditatem prorogat (5). Narrat ille, poſt publicas ſupplicationes ab Ithoballo indictas, grandia tonitrua & fulgura ſucceſſiſſe.

℣. 3. Abscondere in torrente Carith; nempe in ripa torrentis (6), ſeu in valle Carith. Torrens & vallis Carith jacebat ad occidentem Jordanis, & orientem Samariæ.

℣. 4. Corvis præcepi ut pascant te ibi. Hebræum *Orebim* (7) reddunt quidam *Arabes: Arabibus præcepi, ut paſcant te ibi*. Ipſe pariter Vulgatæ Author vocem hanc originalem reddidit interdum *Arabes* (8). Alii vertunt *mercatores*, & quidam incolas urbis Arabo, prope Bethſan (9); quæ ſane a Carith longius removenda non eſt (10). Huc Interpretes ducuntur, quod cenſeant, corvum ineptum eſſe animal ad munus ſibi a Deo deſtinatum, annonam ſcilicet Prophetæ ſuppeditandi. Avis eſt vorax, avida, carnivora, maligna, & quod caput eſt, impura (11). Quis igitur credat, Deum hujuſmodi avi commiſiſſe alendum Eliam? Reſpondemus, admiſſis licet iis, quæ de corvo minus apto ad rem afferuntur, nihil convinci, quaſi ſcilicet Deus in argumentum virtutis ſuæ avem hanc deſtinare non potuerit. Nonne melius tunc Deus ſentitur, cum ineptiſſimis inſtrumentis utitur, ut conſilia ſua impleat? ſed neque ad has anguſtias neceſſitate cogimur. Avis eſt corvus ſolitaria, quæ præda & carnibus vivit, quæque torrentes amat, quare & aptiſſima indagandis locis, quo deducebatur a providentia, ut panem & carnes ad alendum Prophetam reperiret. Impuram avem declarans Lex, nonniſi ejus cadavere & uſu carnium interdicit; neque enim ipſa per ſe viva avis, & quidquid ab illa tangitur, continuo immundum eſt. Denique qui ritus cæremoniales ſtatuerat Deus, leges ille ſuas ſolvere potuit pro Elia. Hominum puerorumque a belluis nutritorum exempla crebro in hiſtoria ſuppeditantur. Narrat S. Hieronymus (12), corvi miniſterio quotidianam dimidii panis annonam delatam fuiſſe ad S. Paulum, Eremicolarum primum; quem cum ſemel conveniſſet S. Antonius, alius Eremicola, *ad adventum ejus, militibus ſuis Chriſtus duplicavit annonam*.

Dicta hæc accipi nequaquam poſſunt de Arabibus; quorum regio ſecundum torrentem Carith nequaquam excurrit; nec de populis occidentalibus eo quod torrens idem Carith in regione Iſraelitica flueret. Inſuper nec incolæ Jordanis ſub Arabinorum ſive Occidentalium nomine deſignati unquam occurrunt.

Exponenda ſunt ergo de Corvis nidificantibus in montibus & ſaxis torrentem Carith munientibus. Porro genus hoc avium, ſicut & prædatrices quæque, pro familiari ſibi more carnes, piſces, & quidquid ad eſcam pro ſe ſuiſque valet comportant ad nidos ſuos, ex quo penu providere ſibi quiſque in commodum ſuum poteſt. Cujuſmodi exemplum habemus præſto in Monaſterio S. Montis apud Remiremontium, quo ubi prædatrices aves in porrecto monte deponunt nidos, & in nidis piſces, aves, & id generis plura, quantum valet ad alendos pullos ſuos, & ſupereſt etiam pro monachis ejuſdem cœnobii, quantum ſibi commodum ducunt. Vide *ſpectacle de la nature tom. 2.*

Quæ de Elia hic diſſeruimus, valent etiam ad explicandum prodigium illud corvorum S. Paulum eremicolam in ſolitudine alentium, cujus rei totum miraculum in eo verſabatur, quod Dei providentis beneficio de ope opportuna vir ſanctiſſimus provideretur. Vide Spectacle de la nature tom. 2. pag. 313. & Memoires de la vie de M. Auguſte de Thou lib. 4. pag. 116. & Raii ſynopſis Meth. Avium pag. 6.

℣. 6. Corvi deferebant ei panem, et carnes mane; similiter panem et carnes vespere. Ita legunt pariter Hebræus, Chaldæus, Syriacus, Arabs, & Septuaginta Complutenſes; ſed alii Codices Septuaginta (13), & veteres plures Patres (14) legebant: *Corvi deferebant ei panem mane, & carnes veſperi*.

Sed unde corvis hiſce panes & carnes? Sunt qui Angelos corvorum ſpecie miniſtraſſe Eliæ, quamdiu fuit ad torrentem Carith, arbitrati fuerint. Malunt alii (15), Angelos ſubduxiſſe e menſa Joſaphati Regis Juda vel Achabi Regis Iſraelis panem & carnes, eaſque certo in loco depoſita corvos accepiſſe, ut ad Prophetam deferrent. Sed inania ſunt commenta. Cur tanto ſtudio ea perquiramus, quæ ſedulitatem omnem fruſtrentur, neque cognitio quicquam afferat utilitatis?

℣. 7. Post dies siccatus est torrens. Sunt qui tempus hoc exponant de anno (16). Alii de diebus (17), vel de menſibus aliquot. Quamdiu Elias ad torrentem ſubſtiterit, ignoratur; ſed cum toto anno

[1] Galat. 1. 20. [2] Num. 111. 6. Deut. xvii. 2. xviii. 5. &c. [3] Ita Vat. Jun. Piſc. Menoch. Vide, ſi lubet, Jacob v. 17. *Elias oratione oravit ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex.* Vide & Luc. iv. 25. [4] Eccli. xlviii. 3. [5] Apud Joſeph. Antiqu. l. 8. c. 7. [6] בנחל כרית Septuag. ἐν τῷ χειμάῤῥῳ Χοῤῥάθ. Joſeph. ἐπὶ χειμάῤῥῳ. [7] ואת הערבים צויתי לכלכלך שם [8] Vide 2. Par. xxi. 16. & 2. Eſdr. iv. 7. [9] Bereſchit Rabba c. 33. Vide, ſi placet, Euſeb. in locis, in Arava. [10] Vide Boch. de animal. ſacr. par. 2. l. 2. c. 3. [11] Levit. xi. 15. [12] Hieron. in vita Pauli. [13] Οἱ κόρακες ἔφερον αὐτῷ ἄρτους τοπρωΐ, καὶ κρέας τὸ δείλης. [14] Ita Athanaſ. in Synop. Theodoret. in 3. Reg. qu. 52. Aug. ſerm. 146. de Tempore. In nov. edit. 239. [15] Vide, ſi lubet, Bochart. loco citato, Sanct. hic, Toſtat. qu. 15. & 16. [16] Jun. & Tremell. [17] Vatab. Syr. Arab. Pag. Caſtal.

Digitized by Google

anno pluvia ceſſaverit, nihil eſt cur torrentem tamdiu fluxiſſe credamus. Eliam ibi detinent quidam ſex menſibus.

℣. 9. Vade in Sarephta Sidoniorum, quæ ditionis eſt Tyriæ. Jacebat Sarepta inter Tyrum & Sidonem, Sidoni tamen propior. Quæ vidua hoſpitio Eliam excepit, eam profanis ſuperſtitionibus addictam fuiſſe, veriſimillimum eſt (1). Sarepta urbs erat pagana; docetque non obſcure Jeſus Chriſtus, mulierem hanc religione alienam fuiſſe ab Iſraelitica, iis verbis (2): *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ, & ad nullam miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam.* Non ſatis conſtat, utrum Deus viduam hanc, cujus illi hoſpitium deſtinaverat, Eliæ prius indicaverit; an Eliam miſerit tantum in Sareptam, data ſpe futurum ut ibi hoſpitam ſuam monſtraret. Sunt qui credant, tunc etiam cum ab ea muliere potum Propheta petiit, non ſatis adhuc illam agnoviſſe, ſed variis interrogationibus veluti per gradus tandem intellexiſſe, hanc ipſam eſſe, ad quam miſſus veniebat. In ſequentibus ℣. 12. diſcemus, nullo aperto Dei præcepto juſſam fuiſſe mulierem Prophetam recipere. Quare Dei ad Eliam verba, *Præcepi mulieri viduæ, ut paſcat te*, nihil aliud ſignificant, quam quod res ita paratæ a Deo fuerint, ut nanciſceretur Propheta quidquid ad vitam tolerandam neceſſarium erat.

℣. 13. Mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem. Magno utique diſcrimini in ipſo ſtatim rei limine exponit Elias fidem & charitatem viduæ. Pauperculæ mulieri tantum ſupererat farinæ, quantum ſatis eſſet ſibi & filio ad bidui famem utcumque tolerandam: exigit Propheta in ipſo ſtatim cum illa, ignota ſibi antea, colloquio, ut farinam hanc redigat in panem, arctoque eo cibo & ſe & filium in gratiam alieni hominis privet. Fatendum eſt utique, nihil ſanctius præcipi in Evangelio, quam quod profana hæc mulier re exhibuit; atque hoſpitalitatis ſuæ primam hanc & locupletiſſimam mercedem a Deo retulit, fidem eximiam: conſtabit autem mox, Eliæ præſentiam inutilem huic familiæ non fuiſſe.

℣. 17. Ægrotavit filius mulieris. De morbi natura, ejuſque initii tempore, omnia latent. Hebræi (3), quos Chriſtiani nonnulli ſequuntur (4), ajunt, viduæ hujus filium ipſum fuiſſe Jonam Prophetam, quem vitæ reſtitutum, mater in perpetuum Eliæ mancipatum dedit. Has vero narrationes nullis documentis fultas rejicimus. Porro Jonas Hebræum ipſe ſe prodit, oriundum e Getopher (5); filius autem viduæ Sareptanæ & Sidoniæ, & ipſe pariter Sidonius erat, adeoque origine ſua ab Iſraelitico genere alienus.

Ita ut non remaneret in eo spiritus, deficiente ſpiritu, interiret.

℣. 18. Ingressus es ad me ut rememorarentur iniquitates meæ. Axioma eſt hoc, natura ipſa docente traditum, mala omnia a Deo hominibus immiſſa, præcedentium criminum malas eſſe appendices. *Omnis pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt* (6). Mulier hæc vidua immaturum filii ſui obitum tribuit crimini alicui latenti & occulto, quod viro Dei patuerit, & cujus ille pœnam acerbo illo caſu in ipſam induxerit. Peccata mea oblitus eſſe Deus ante adventum tuum videbatur; vix autem huc veniſti, ſtatim illa perquirit accuratius, atque agnita ulciſcitur. Aliter: Huc veniſti, ut novis me peccatis exponeres, in eo ſcilicet quod ego meo erga te hoſpitem officio minus accurate functa ſim (7). Verba ſunt matris e doloris acerbitate expreſſa.

℣. 21. Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus. Idem pariter ab Eliſæo factum conſtat, cum vitæ igniculos excitare voluit in filio Sunamitidis hoſpitæ ſuæ (8); idem etiam Apoſtolus (9), cum puerum Eutychum, qui e ſuperiore domus conclavi lapſus interierat, revocavit ad vitam. Denique idem narrat S. Gregorius (10) de S. Benedicto, cum puerum in vivis reſtituit. Hæc autem ideo ſervaſſe viri Sancti videntur, ut pararent quodammodo corpora ad recipiendam, quam illis Deus deſtinaverat, vitam, communicato frigidis illis cadaveribus & ſanguini, calore ac motu, ne ſcilicet inertes prodigio Dei omnia relinquere viderentur (11). Rationem hanc innuere videtur Scriptura, animadvertens, niſu illo Eliſæi, qui ſeſe cadaveri filii Sunamitidis coaptavit, factum fuiſſe ut caro pueri caleſieret. Sed myſterium ea in re latet altius; agnoſcimus enim in illo J. Chriſti Incarnationem, quippe qui ut nobis vitam reſtitueret, ſeſe demiſit, minuit quodammodo, nobiſque coaptavit, naturam hominis, & infirmitates omnes aſſumens. Ita Patres, ſingularem hanc rem attentius conſiderantes; neque ſane diffitendum eſt, nullum eſſe inter typos & imagines Veteris Teſtamenti, qui vivo magis colore exprimant Verbi cum natura humana coaptationem.

(1) Chryſoſt. homil. 5. de Elia; Abulenſ. qu. Martyr. Cornel. &c. (2) Luc. IV. 25. (3) Vide Hieron. in Jonam, procem. (4) Pſeudo-Epiphan. Pſeudo-Doroth. in Synopſi, Joan. Jeroſolym. c. 12. Chronic. Alex. alii. Vide Sanct. (5) Jonas I. 9. *Hebræus ego ſum, & Dominum Deum cæli ego timeo.* 4. Reg. XIV. 25. *Per Jonam filium Amathi, de Geth, quæ eſt in Opher.* (6) Auguſt. Retract. lib. 1. c. 9. (7) Vat. Eſtius. (8) 4. Reg. XIV. 34. (9) Act. XX. 10. (10) Dialogor. lib. 2. cap. 32. (11) Vide Cornel. hic, Toſtat. Tirin. Sanct.

CAPUT XVIII.

Abdiæ œconomo domus Achabi obviam factus Elias præcipit, ut adventum ſuum Regi annunciet. Nequitiam ſuam Regi exprobrat Elias. Conventus totius populi in Carmelum. Elias deducit e Cœlo ignem in victimam ſuam, atque Prophetas Baalis trucidat. Imbrem donat. Achabus regreditur Jezraelem.

℣. 1. POſt dies multos factum eſt verbum Domini ad Eliam in anno tertio, dicens: A. M. 3096.
Vade, & oſtende te Achab, ut dem pluviam ſuper faciem terræ. 2. Ivit ante J. Chr. 904.
ergo Elias, ut oſtenderet ſe Achab: erat autem fames vehemens in Samaria. 3. Vo-
cavitque Achab Abdiam diſpenſatorem domus ſuæ: Abdias autem timebat Dominum
valde. 4. Nam cum interficeret Jezabel prophetas Domini, tulit ille centum pro-
phe-

phetas, & abſcondit eos quinquagenos, & quinquagenos in ſpeluncis, & pavit eos pane, & aqua. 5. Dixit ergo Achab ad Abdiam: Vade in terram ad univerſos fontes aquarum, & in cunctas valles, ſi forte poſſimus invenire herbam, & ſalvare equos, & mulos, & non penitus jumenta intereant. 6. Diviſeruntque ſibi regiones, ut circuirent eas: Achab ibat per viam unam, & Abdias per viam alteram ſeorſum. 7. Cumque eſſet Abdias in via, Elias occurrit ei: qui cum cognoviſſet eum, cecidit ſuper faciem ſuam, & ait: Num tu es, domine mi Elias? 8. Cui ille reſpondit: Ego. Vade, & dic domino tuo: Adeſt Elias. 9. Et ille, Quid peccavi, inquit, quoniam tradis me ſervum tuum in manu Achab, ut interficiat me? 10. Vivit Dominus Deus tuus, quia non eſt gens, aut regnum, quo non miſerit dominus meus te requirens: & reſpondentibus cunctis: Non eſt hic: adjuravit regna ſingula, & gentes, eo quod minime repereris. 11. Et nunc tu dicis mihi: Vade, & dic domino tuo: Adeſt Elias. 12. Cumque receſſero a te, Spiritus Domini aſportabit te in locum, quem ego ignoro: & ingreſſus nuntiabo Achab, & non inveniens te, interficiet me: ſervus autem tuus timet Dominum ab infantia ſua. 13. Numquid non indicatum eſt tibi domino meo, quid fecerim, cum interficeret Jezabel prophetas Domini, quod abſconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos, & quinquagenos in ſpeluncis, & paverim eos pane, & aqua? 14. Et nunc tu dicis: Vade, & dic domino tuo: Adeſt Elias: ut interficiat me? 15. Et dixit Elias: Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum ſto, quia hodie apparebo ei. 16. Abiit ergo Abdias in occurſum Achab, & indicavit ei: venitque Achab in occurſum Eliæ. 17. Et cum vidiſſet eum, ait: Tune es ille, qui conturbas Iſrael? 18. Et ille ait: Non ego turbavi Iſrael, ſed tu, & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim. 19. Verumtamen nunc mitte, & congrega ad me univerſum Iſrael in monte Carmeli, & prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetaſque lucorum quadringentos, qui comedunt de menſa Jezabel. 20. Miſit Achab ad omnes filios Iſrael, & congregavit prophetas in monte Carmeli. 21. Accedens autem Elias ad omnem populum, ait: Uſquequo claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum. Et non reſpondit ei populus verbum. 22. Et ait rurſus Elias ad populum: Ego remanſi propheta Domini ſolus: prophetæ autem Baal quadringenti, & quinquaginta viri ſunt. 23. Dentur nobis duo boves, & illi eligant ſibi bovem unum, & in fruſta cædentes, ponant ſuper ligna, ignem autem non ſupponant: & ego faciam bovem alterum, & imponam ſuper ligna, ignem autem non ſupponam: 24. Invocate nomina deorum veſtrorum, & ego invocabo nomen Domini mei: & Deus qui exaudierit per ignem, ipſe ſit Deus. Reſpondens omnis populus ait: Optima propoſitio. 25. Dixit ergo Elias prophetis Baal: Eligite vobis bovem unum, & facite primi, quia vos plures eſtis: & invocate nomina deorum veſtrorum, ignemque non ſupponatis. 26. Qui cum tuliſſent bovem, quem dederat eis, fecerunt: & invocabant nomen Baal de mane uſque ad meridiem, dicentes: Baal, exaudi nos. Et non erat vox, nec qui reſponderet: tranſiliebantque altare, quod fecerant. 27. Cumque eſſet jam meridies, illudebat illis Elias, dicens: Clamate voce majore: Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur. 28. Clamabant ergo voce magna, & incidebant ſe juxta ritum ſuum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine. 29. Poſtquam autem tranſiit meridies, & illis prophetantibus venerat tempus, quo ſacrificium offerri ſolet, nec audiebatur vox, nec aliquis reſpondebat, nec attendebat orantes: 30. Dixit Elias omni populo: Venite ad me. Et accedente ad ſe populo, curavit altare Domini, quod deſtructum fuerat: 31. Et tulit duodecim lapides juxta numerum tribuum filiorum Jacob, ad quem factus eſt ſermo Domini, dicens: Iſrael erit nomen tuum. 32. Et ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini: fecitque aquæductum, quaſi per duas aratiunculas, in circuitu altaris, 33. Et compoſuit ligna: diviſitque per membra bovem, & poſuit ſuper ligna, 34. Et ait: Implete quatuor hydrias aqua, & fundite ſuper holocauſtum, & ſuper ligna. Rurſumque dixit: Etiam ſecundo hoc facite. Qui cum feciſſent ſecundo, ait: Etiam tertio idipſum facite. Feceruntque tertio; 35. Et currebant aquæ circum altare, & foſſa aquæductus repleta eſt. 36. Cumque jam tempus eſſet, ut offerretur holocauſtum, accedens Elias propheta, ait: Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſrael, oſtende

hodie,

hodie, quia te es Deus Iſrael, & ergo ſervus tuus, & juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. 37. Exaudi me Domine, exaudi me: ut diſcat populus iſte, quia tu es Dominus Deus, & tu convertiſti cor eorum iterum. 38. Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocauſtum, & ligna, & lapides, pulverem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu lambens. 39. Quod cum vidiſſet omnis populus, cecidit in faciem ſuam, & ait: Dominus ipſe eſt Deus. 40. Dixitque Elias ad eos: Apprehendite prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendiſſent, duxit eos Elias ad torrentem Ciſon, & interfecit eos ibi. 41. Et ait Elias ad Achab: Aſcende, comede; & bibe: quia ſonus multæ pluviæ eſt. 42. Aſcendit Achab, ut comederet, & biberet: Elias autem aſcendit in verticem Carmeli, & pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua ſua, 43. Et dixit ad puerum ſuum: Aſcende, & proſpice contra mare. Qui cum aſcendiſſet, & contemplatus eſſet, ait: Non eſt quidquam. Et rurſum ait illi; Revertere ſeptem vicibus. 44. In ſeptima autem vice, Ecce nubecula parva quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari. Qui ait: Aſcende, & dic Achab. Junge currum tuum, & deſcende, ne occupet te pluvia. 45. Cum ſe verteret huc, atque illuc, ecce cœli contenebrati ſunt, & nubes, & ventus, & facta eſt pluvia grandis. Aſcendens itaque Achab abiit in Jezrahel: 46. Et manus Domini facta eſt ſuper Eliam, accinctiſque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Jezrahel.

℣. 1. POst dies multos factum est verbum Domini ad Eliam in anno tertio. Triennio poſt relictum torrentem Carith, atque hoſpitium apud viduam Sareptanam acceptum. S. Lucas (1), & S. Jacobus (2), tradentes, ariditatem hanc tribus annis & dimidio productam, innuere videntur, Eliam ſex menſibus ad torrentem Carith, & tribus annis apud viduam Sareptanam ſubſtitiſſe. Ejus in hanc urbem ſeceſſus unica eſt epocha in tota Eliæ Hiſtoria, quo tertius hic annus referri commode poſſit.

℣. 2. Erat fames vehemens in Samaria; in Metropoli ſcilicet, ac per totum Regnum ſæviens. Samaria enim uſurpatur non raro pro Iſraelitarum ditione univerſa. Credibile eſt autem, ſiccitatem hanc & famem nonniſi in Regno Achaz, vel ut ſummum, in vicinis locis regnaſſe. Porro e finitimis regionibus triticum deducebatur; ac mox ſeſe offeret Achabus quærens paſcua & fœnum jumentis, potius quam hominibus frumentum; idcirco ſcilicet, quod facilis eſſet hominibus ratio, qua ſibi aliunde neceſſaria procurarent. Alioqui enim nunquam Ragnum Iſraeliticum toto triennio ſine meſſibus ſubſtitiſſet.

℣. 3. Abdias timebat Dominum valde. Non alium hunc virum agnoſcunt quidam (3), quam qui inter duodecim minores Prophetas recenſetur, Abdias. Hic autem uxorem adſciviſſe fertur (4) mulierem Sunamitidem, hoſpitio Eliſæi Prophetæ notam; acceſſiſſe diſcipulus Eliæ, & idem fuiſſe tertius Centurio ab Ochozia miſſus, qui Eliam caperet (5), cui pepercit Propheta, cum cæteros Præfectos ad ſe miſſos igne cœlitus deducto abſumpſerit. Sed hæc omnia inter apochrypha ſunto. Satis ſeſe prodit Abdias, narrans Eliæ, qua humanitate excepiſſet ipſe Prophetas, quos Jezabel inſectabatur (6).

℣. 4. Pavit eos pane et aqua; ideſt, illis ſuppeditans quo vitam tolerarent, cibos, & potum. Vel verbis Textus inhærendo: Pavit eos ſolum pane & aqua, ut alerentur in extremis illis famis, quo redacti erant, anguſtiis (7). Fas eſt utique in his rerum articulis violare Principum imperia; cum Deo potius, quam hominibus parendum ſit.

℣. 10. Adjuravit Regna singula, et gentes, eo quod minime reperieris. Undique per ſuam, atque vicinas regiones, Eliam inveſtigavit Achabus, coacturus virum, impetrata a Deo pluvia priſtinam fœcunditatem telluri reſtituere; vel ſi obſequi recuſaret, ut nece ulciſceretur. Porro Eliam hoſpitio apud viduam Sareptanam receptum latuiſſe utique in obſcuro opus eſt, cum inveſtigationes Achabi in loco Samariæ adeo proximo fugerit.

℣. 12. Cum recessero a te, Spiritus Domini asportabit te in locum, quam ego ignoro. Reputabat facile Abdias, Prophetam toto eo triennio & ſex menſibus, quibus latuit, in regionem aliquam alienam, & ignotam fuiſſe translatum. Metuebat autem, ne ſi forte ejus adventum Achabo prænunciaſſet, Spiritus Domini Prophetam ſuum iterum raperet; adeoque, cum Rex Eliam videre deſideraret, nec ille jam occurreret, Abdias invidiam ſubiret deceptoris, vel conſcii ſeceſſus Eliæ. Verba illa, *Spiritus Domini aſportabit te*, accipi planius poſſunt: Præcipiet tibi Dominus, ut alio abeas; quemadmodum in Evangelio legimus, Spiritum Dei *duxiſſe* vel *expuliſſe* Jeſum in Deſertum (8): Vel, potius, violento aliquo ſeu flamine, ſeu turbine neſcio quo transfereris. Simile quid Eliæ contigiſſe reputabant filii, vel diſcipuli Prophetarum (9): *Ne forte tulerit eum Spiritus Domini, & projecerit in unum montium, aut in unam vallium*. Ita pariter S. Philippus Diaconus rapiente Spiritu Domini ex oculis Eunuchi Reginæ Candacis evanuit (10): *Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus*.

℣. 13. Cum interficeret Jezabel Prophetas Domini. Contigir id facile quo tempore Elias latebat in ſeceſſu, & per primos ariditatis annos; tunc autem Jezabel Prophetas Domini ſtudioſe perquirens, neci omnes rradidit. Quam multos autem peremerit, argumentum capere licet ex illis, quos Abdias ſolus ſubduxit e diſcrimine. Erant illi vitæ genere & profeſſione a reliquo populo diſtincti, ac potiſſimum labore manuum ſtudio ac miniſterio, & laudibus Domini occupabantur. Non omnes quidem divinitus afflabantur, ſed pare-

(1) Luc. iv. 25. (2) Jacob. v. 17. (3) Ita Hebræi plerique, Syr. Vide Hieron. in Abdiam, &c. (4) Pſeudo-Epiphan. & Pſeudo-Doroth. Joan. Jeroſolym. (5) 4. Reg. 1. 14. 15. (6) 3. Reg. xviii. 13. (7) Ita Joſeph. Antiq. lib. 8. c. 7. ἄρτον χορηγῶντα μόνον ϗ ὕδωρ. (8) Matth. iv. 1. *Tunc Jeſus ductus eſt in deſertum*. Marc. 1. 12. *Statim ſpiritus expulit eum in deſertum*. Vide Joſeph. & Grot. hic. (9) 4. Reg. 11. 16. (10) Act. viii. 39.

parebant Prophetis, quos ſuperiori lumine afflatos eſſe, omnes norant. Sal erant terræ, & lumen regionis, fulcrum religionis, & propugnaculum Legum Divinarum adverſus crimina, & licentiam cum Principis, tum populi. Veram religionem penitus in Iſraele impia Jezabel ſubverſura, nihil non movit, ut cæderet Prophetas, viros nempe, qui columnæ eſſent, ac firmiſſimum religionis munimentum.

℣. 17. Tune es ille, qui conturbas Israel? Solemne eſt impiis ſeditioſorum nota eos inurere, qui impios ipſorum mores ſequi cum multitudine recuſant. Quædam ſæpe res eveniunt, in quibus bellum & turbæ tranquillitati & quieti præferendæ ſunt. Perturbatorem Iſraelis nuncupans Eliam Achabus, laudibus potius virum, quam probris perſequitur. An ferendum erat, idololatriam atque odium Dei latius ſerpere, nec elata voce, ut ſibi caverent, monendi erant incauti, confugerentque ad pœnitentiam, neque ſalutari terrore populus iteratis Divinæ ultionis minis excitandus? Judæi, ætate J. Chriſti, non minus fruſtra nitebantur, accuſantes Divinum hunc Præceptorem de turbis in populo concitis (1), quam Achabus paria exprobrans Eliæ.

℣. 19. Prophetas Baal. . . Prophetasque lucorum. Hi ſeductores erant, prophetiam & Divinum œſtrum ementiti, quamvis nonniſi malo ſpiritu turgerent. Exteriorem veri Prophetæ habitum imitati, profano Idolorum cultui ſerviebant. Horum vero genera hic Scriptura diſtinguit duo; alios ſcilicet appellat Prophetas Baalis, numero quadringentos quinquaginta, iidemque tantum cum Achabo in Carmelum convenerant (2), erantque facile Regis Prophetæ. Alios, qui agebant *Prophetas lucorum*, vel Deæ lucorum (3), vel *Aſtarthes*; atque illis potiſſimum Jezabel favebat. Convivas id generis homines habebat Regina, tamquam familiares ſibi Prophetas. Numero erant quadringenti. Conventus autem hic habitus eſt in Carmelo, notiſſimo Profanis monte, ex diuturno Apollinis, qui idem eſt Baal, vel Sol, cultu (4). Stabat ibi tunc ara huic Numini conſecrata, & reliquiæ altaris, vero Domino olim dicati (5).

℣. 21. Usquequo claudicatis in duas partes? Quouſque fluctuatis ambigui, in religione inconſtantes, modo Deum, modo Baalem præferentes; nunc erectis ad Cœlum manibus ad Deum, Dominum Patrum veſtrorum, nunc ſtrati ante aureum vituli ſimulacrum? Cum de Religione agitur, in duas partes ſeſe dividere, nemini licet: duplici Domino famulatum partiri nefas, Fides, & Dei obſequium poſtulat, ut totos nos illi, nemine in ſocietatem admiſſo, addicamus. Reddi poteſt Hebræus (6): *Uſquequo tranſibitis*, vel ſaltabitis *in duos ramos*, vel in duos colles? Uſquequo imitabimini avium levitatem, & inconſtantiam, quæ e ramo in ramum volitantes, nunquam conſiſtunt? Septuaginta (7): *Uſquequo claudicabitis in ambobus poplitibus?*

℣. 22. Ego remansi Propheta Domini solus: Prophetæ autem Baal quadringenti, et quinquaginta viri sunt. Ego unus ſum, qui ex omnibus Prophetis Domini prodire audeam: reliqui vel cæſi, vel fuga diſſipati ſunt. Non ignorabat utique, unum Abdiam centum ex illis in ſpeluncis celaſſe, ſermo eſt illi tantum de Prophetis, qui prodirent in publicum, ad cauſam Domini defendendam. Pſeudoprophetarum acies, uti ſupra ℣. 19. animadverſum eſt, ex octingentis quinquaginta conſtabat; ſed quadringenti Prophetæ Reginæ tunc in Carmelo non aderant (8).

℣. 24. Qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Deum non tentat, qui ab eo poſtulat veritatis documenta ſupra naturam, cum Religio diſcrimen ſubit, ac licentia impune adeo graſſatur, ut Eccleſiæ malum irreparabile immineat. Interdum Deus in graviſſimis rerum momentis argumentum hoc ignis cœlitus demiſſi ad holocauſta abſumenda conceſſerat; uti cum fœdus cum Abrahamo conciliavit (9), cum Moyſes Tabernaculum (10), & Templum Salomon dedicaverunt (11).

℣. 26. Transiliebant Altare, quod fecerant. Quaſi homines mania laborantes, & ſtatu mentis emoti, tranſiliebant Altare, ac victimam, ut e Cœlo ignem impetrarent. Nihil ſimile unquam occurrit apud Profanos; quos tamen exſiluiſſe interdum circum aras novimus (12); quo ſenſu Interpretes quidam reddunt Hebræum (13): *Saltabant juxta Aram*, vel claudicabant circum Aram; gradiebantur difficili inceſſu, claudorum more, ut Deum ſuum ad miſericordiam flecterent. Chaldæus: *Inſaniebant circa Aram, quam fecerant*. Sunt qui (14) dictum aliter accipiant: Prophetæ Baal ſaltabant ſuper Altare ab Elia erectum, hoc ludibrio Eliæ inſultantes. Sed interpretatio iſta, quæ literalis Hebræo videtur, repugnat verſiculo 30. in quo ſeſe offert Elias Altare ſuum excitans primo poſt cæremonias ſuas omnes a Pſeudoprophetis abſolutas. Reddendus eſt igitur Textus: *Tranſiliebant ſuper Altare, quod factum fuerat*, vel quod Achabus *fecerat* (15). Infelicibus hiſce congruunt verſiculi, quos in ſimili re vetus ille cecinit (16):

. . . . . Gnatia lymphis
Iratis exſtructa dedit riſuſque, jocoſque,
Dum flamma ſine, thura liqueſcere limine ſacro
Perſuadere cupit: credat Judæus Apella,
Non ego.

℣. 27. Forsitan loquitur. Occupatur Prophetas alios exaudiendo; vel aliquid contemplatur (17), vel cura alia detinetur (18).

Aut in diversorio est. Hebræus varie redditur (19). Septuaginta (20): *Ne forte reſponſa det ipſe*. Alii: *Fortaſſis habet aliquid* (21), ſeu venatur, vel hoſtes inſectatur. Alii tandem (22): *Negotio quod agit occupatus eſt*; exclamate validius.

℣. 28. Incidebant se, juxta ritum suum, cultris et lanceolis. Monſtruoſum ſane ritum ſcindendi carnem ſuam cultris, atque e ſpontaneis vulneribus cruorem ad pacandos Deos effundendi! Nihil tamen in tota Antiquitate frequentius. Affirmat Herodotus (23), Magos Perſarum procellam ſedaſſe inciſionibus, ventoſque vi carminum alligaſſe. Quæ offerebantur Bellonæ ſacrificia, cruentabant Sacerdotes ſanguine, manante ex inciſis humeris, pectore, ac tergo (24).

Alba minus ſævis lacerantur brachia cultris,
Cum furit ad Phrygios Enthea turba modos.

Sacer-

(1) Luc. xxiii. 5. *Commovet populum*, &c. (2) Vide infra ℣. 22. (3) Hebræus נביאי האשרה (4) Vide quæ diximus in Joſue xix. 26. (5) Vide infra ℣. 30. (6) עד מתי אתם פסחים על שתי הסעפים (7) Ἕως πότε χωλανεῖτε ἐπ᾽ ἀμφοτέραις ταῖς ἰγνύαις. (8) 3. Reg. xxii. 6. (9) Geneſ. xv. 17. (10) Levit. ix. 24. (11) 2. Paral. vii. 1. (12) Vide Epigram Græc. apud Grot. & Virgil. Æneid. 4. *Pingues ſpatiatur ad aras*. (13) ויפסחו על המזבח אשר עשה Septuag. Διέτρεχον ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου οὗ ἐποίησαν. (14) Jun. Tremel. Glaſſ. Piſcat. (15) Vat. Grot. alii. (16) Horat. Serm. lib. 1. Satyr. 5. Vide & Plin. lib. 2. c. 107. *In Salentino oppido Egnatia, impoſito ligno in ſaxum quoddam ibi ſacrum, protinus flammam exiſtere*. (17) כי שיח Ita Montan. Caſtal. aliquid contemplatur. (18) Syr. Arab. Vat. (19) וכי שיג לו (20) Septuag. μή ποτε χρηματίζει αὐτός. (21) Pagn. Mont. Jun. Munſt. (22) Syr. Arab. Mars. &c. (23) Herodot. lib. 7. c. 191. ἔντομά τε ποιεῦντες, καὶ ἐπαείδοντες γόησι τῷ ἀνέμῳ οἱ μάγοι. (24) Plutarc. de Superſtitione. Vide & Martial. Epigr. & Lactant. de falſa Relig. lib. 1. c. 21. *Sectis namque humeris, & utraque manu diſtrictos gladios exerentes currunt, efferuntur, inſaniunt*.

Sacerdotes Cybeles Sacra Numini operantes nec a vulneribus, nec a ſanguine abſtinebant. Tibulſus;

Ipſa bipenne ſuos cædit violenta lacertos,
Sanguineque effuſo ſpargit inepta Deum.
Atque latus præfixa veru ſtat ſaucia pectus,
Et canit eventus, quos Dea magna movet.

Barbarum hunc morem ſervabant etiam Syræ Sacerdotes, quos ita pingit Apulejus (1): *Crines pendulos in circulum rotantes, nonnunquam morſibus ſuis incurſantes lacertos; ad poſtremum ancipiti ferro, quod gerebant, ſua quiſque brachia diſſecat.* Clemens Alexandrinus (2) tradit, Magos coercere tempeſtates vi carminum, & ſacrificiorum; quibus ſi deſuerint ad victimas animalia, ſanguinem e digitis ſuis exprimunt in locum victimæ expiationis. Recentiora Itineraria apud Turcas, Perſas & Indos pariter fanaticos hoſce occurrere teſtantur, qui corpus ſævis, & profundis vulneribus proſcindunt, rati ſe his poſſe plurimum Dei favorem, & gratiam promereri. Quoad inciſiones in brachiis & in ſtomacho, Perſarum mores habes expreſſos in Itinere Moſchovitico tom. 1. pag. 407. & 432. Vide etiam Busbequium in ſuo Itinerario ubi narrat ſe ex urbe Conſtantinopoli reducem Budam perveniſſe. Item pag. 686. & Nicolai Itiner. pag. 186. ubi de Derviſiis agit.

℣. 29. Illis prophetantibus; fruſtra erant omnia, clamores, ſupplicationes: vexabant ſe, agitabantque veluti ſi agerentur a Dæmone, œſtrum, & Divinum afflatum ementiti. Vel potius, dum illi occupabantur in ritibus ſuis, atque in laudes, ac preces Numinum verſi erant; varia enim hæc unum idemque verbum *prophetare* deſignare poteſt.

℣. 30. Curavit Altare, quod destructum erat. Author Vulgatæ retinuit vim omnem Originalis (3): *Curavit Altare dirutum.* Perſimilis loquendi phraſis recurrit in II. Eſdræ IV. 7. *Cum audiſſet quod obducta eſſet cicatrix muri Jeruſalem.* Igitur Ara hæc diruta una erat facile ex illis, quæ olim Domino conſecratæ fuerant ſub Judicibus, vel primis Hebræorum Regibus, quo tempore, nullo adhuc certo loco ad adorandum conſtituto, Religio hæc Altarium permittebatur. Sermo eſt apud Tacitum (4), & Svetonium (5) de Deo Carmelo, cujus erat Numen in monte ejuſdem nominis, quod Numen Veſpaſianus, cum in Judæa verſaretur, conſuluit. Baſilides Sacerdos, qui tunc Altari miniſtrabat, proſpera omnia, & exitum cœptis omnibus felicem ſpopondit. Porro de eo Numine ita Tacitus: *Eſt Judæam, Syriamque inter Carmelus. Ita vocant montem, Deumque, nec ſimulacrum Deo, aut Templum; [ſic tradidere Majores.] aram tantum & reverentiam.* Cenſuere quidam (6), Baſilidem hunc Sacerdotem Carmeli Judæum fuiſſe, Sacerdotio Dei excelſi functum; ſed multo veri ſimilius Paganus Sacerdos, atque idem cenſendus eſt, qui olim Veſpaſiano in Templo Serapidis in Ægypto, quamquam a Carmelo remotiſſimo, apparuit. Ut ut ſit, Ara Dei Carmeli originem ſuam debet Altari veri Dei, olim ab Hebræis ibi erecto, & ab Elia reſtituto. Obſequium illud ſummum erga Aram illam, quam Religio & prodigia commendabant, ad Paganos uſque tranſmiſſum, prohibuit, ne occupatus ab illis locus ſimulacro aliquo profano conſecraretur.

℣. 31. Tulit duodecim lapides. Quamquam conventui illi populi nonniſi ſubditi Achabi aderant, adeoque nonniſi e decem Tribubus Iſraelitæ, Altare tamen duodecim lapidibus ſtruxit Elias, uti in ſimilibus rerum eventibus ſemper alias ſervatum fuerat (7); ut ſcilicet indicaret, Sacrificium offerre ſe nomine totius gentis Iſraeliticæ, deſignaretque, unum eſſe debere inter Judæos omnes cum in doctrina tum in Religione conſenſum. Quæ genericæ datæ erant leges, vetantes erigi Altaria, & offerri Sacrificia, in his rebus ceſſabant. Agebatur hic de Iſraele univerſo ad cultum Domini revocando: proprii impetum ſpiritus Propheta ſequebatur.

℣. 32. Fecit aquæductum quasi per duas aratiunculas in circuitu Altaris. Quæ mens fuerit Prophetæ ea in re, ex hiſtoriæ hujus ſerie conſtabit. Continere ibi voluit aquam ſuper Altare effundendam, qua impediendus fuiſſet ignis a Deo in holocauſtum demiſſus. Ita enim perſuadere populo volebat, & Achabo cum Sacerdotibus demonſtrare, flammam, quæ ſive ex Altari erumperet, ſive cælitus demitteretur, prodigio totam, & naturali cauſæ nulli deberi. Author quidam ſub nomine S. Chryſoſtomi (8) laudatus affirmat, vidiſſe ſe ſub Aris quibuſdam Profanorum ſubterraneos ſpecus, cum foraminibus in ipſo Altari reſpondentibus. Cavos hoſce receſſus occupabat ignis a Sacerdotibus excitatus, cujus flamma per foramina Altaris cremabat ligna, & victimas ibi paratas. Ut dolum omnem abeſſe, & ſincera eſſe omnia demonſtraret Elias, injecta aqua perfudit ligna, ac victimas, quin & ut altiorem aquam continerent, ſulcos circum Aram duci voluit. Hebræus hujus verſiculi redditur (9): *Fecit aquæductum veluti continentem duo ſeah ſeminis*, vel frumenti; ideſt, duas foveas ejus menſuræ, ut continere poſſent undeviginti pintas cum hemipinta, atque hemiſextario ſeminis.

℣. 37. Tu convertisti cor eorum iterum. Hebræus aliter redditur (10): *Convertiſti denique cor eorum.* Ad literam: *Tu revocaſti retrorſum*; ab Idololatria ſcilicet, cui ſeſe totos dediderant. Reddendum ego maluerim: *Tu convertes tandem cor eorum.* Spero tandem futurum, ut revoces aberrantes.

℣. 38. Aquam, quæ erat in aquæductu, lambens (11); quaſi ſcilicet liquor ille eſſet oleoſus, & inflammabilis, veluti oleum, naphta, & ſpiritus vini. Flammam corpora, quibus inhæret, lambere, phraſis eſt etiam Latinorum. Virgilius lib. II. de flamma, quæ ſuper caput Julii ſedit:

. . . . *Tactuque innoxia molli*
Lambere flamma comas: & circum tempora paſci.

Julianus Imperator (12), oſor ille Chriſtiani nominis, ultro prodigium illud deducti per Eliæ preces ignis agnoſcit: *Prodigium hoc ſpectatum eſt, ait ille, ſemel ſub Moyſe, & diu poſt iterum ſub Elia Thesbite.*

℣. 41. Ascende, comede, et bibe, quia sonus multæ pluviæ est. Conſummato ſacrificio, atque excitatus Eliæ verbis populus, manum injecit in Sacrificulos Baalis, raptavitque ad radices Carmeli, qua torrens Ciſon in Mediterraneum devolvitur. Tunc Elias divino afflatus ſpiritu, in illos invectus, plures manu ſua trucidavit. Reliquos ejus, ſeu potius Dei per Prophetam loquentis, juſſu populus confecit. Cruento illo imperio confecto, Elias monuit Regem, ut Carmelum aſcenderet, fragorem enim accedentis copioſiſſimi imbris ſpiritus ſui auribus inſonare. Aſcendit Rex, eumque Elias ſequebatur. Cum autem Rex veſceretur, Elias verſus erat in preces, mittebatque identidem puerum ſuum in crepidinem quamdam montis, unde maris proſpectus erat, ut quidquid cer-

[1] Apul. lib. 8. Vide & Lucian. de Dea Syr. [2] Strom. lib. 6. [3] וירפא את מזבח ההרוס
[4] Tacit. Hiſt. lib. 2. cap. 78. [5] Sveton. in Veſpaſ. [6] Apollonius Collat. lib. 2.

. . . . . . *Marathiademque locutum*
Vera ſibi vatem, & Carmeli oracula diſcet.

[7] Exod. XXIV. Joſue IV. [8] Chryſoſt. apud Metaphraſt. & Surium tom. 4. menſe Auguſt. Vide Sanct. hic. [9] ויעש תעלה כבית סאתים זרע [10] ואתה הסבת את לבם אחורנית [11] ואת המים אשר בתעלה לחכה [12] Julian. Imperat. Ὤφθη τοῦτο ἐπὶ Μωσέως γενόμενον, καὶ αὖθις ἐπὶ τοῦ Ἠλία τοῦ Θεσβίτου πάλαι μετὰ πολλοὺς χρόνους.

cerneret, ſibi renunciaret. Septimo rediens puer, retulit, vidiſſe ſe nubeculam, veſtigio hominis non majorem. Tunc Propheta Achabum monuit, ut junctis currui equis abiret. Cum diſceſſus pararetur, ſubito tota Cœli facies denſis adeo nubibus obducta eſt, ut Achabus ſatis commodi nactus non ſit, quo perveniret in Jezraelem, urbem duodecim vel quindecim leucis a Carmelo abſentem.

℣. 42. Pronus in terram, posuit faciem suam inter genua sua. Ore prius in terram prono, dein aſſidentem, poſito inter genua ore, rogaſſe illum ajunt quidam; niſi forte malueris, quod mihi probatur maxime, genibus poſitis & vultu ad terram demiſſo, poſitoque ſuper genua, ſupplicaſſe.

℣. 44. Quasi vestigium hominis. Hebræus (1): *Sicut vola viri* (2). Aſcendebat nubecula a mediterraneo, occidentali Palæſtinæ. Neque ex alia Cœli plaga immitti imbres in regionem ſolebant. *Cum videritis nubem orientem ab occaſu, ſtatim dicitis: Nimbus venit*, ait Jeſus Chriſtus ad Judæos (3). *Qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ; Dominus nomen eſt ejus* (4).

℣. 45. Cumque se verteret huc atque illuc; huc illuc diſcurrerent. Seu potius, cum ultro citroque irent, & currui equos jungere feſtinarent. Hebræus (5): *Cum erat ſic & ſic*; vel: *Cum erat huc & illuc*; denique cum tempus tereretur motu & circumcurſatione, interim nubes in aere glomerabantur.

℣. 46. Currebat ante Achab. Spiritus impetu raptus, equis ipſis & curru Principis ocior ferebatur. Narrant, hodie pariter in Oriente viros eſſe quoſdam, qui veteres genuinos Prophetas imitari conantes, incredibili velocitate currunt, cientur violentis motibus ante curſus Principum, quibus adhærent comites. Jezrael urbs erat, in qua quodammodo Achab ruſticabatur, ubi & Regias ædes habebat (6). Sed conſuetas ſtataſque ſedes habebat Samariæ (7). Elias venit Jezraelem cum Rege; & forte etiam redeuntem mane alterius diei Samariam proſequutus eſt. Ibi enim Jezabel minas ſuas Prophetæ indici juſſit, quas ſequenti Capite legimus.

---

[1] ככף איש עלה מים Septuag. ὡς ἴχνος ἀνδρός. [2] Ita Chald. Vat. Jun. Malv. &c. [3] Luc. XII. 54. [4] Amos V. 8. & 12. 8. [5] ויהי עד כה ועד כה [6] Vide 3. Reg. XXI. 1. 4. Reg. VIII. 29. [7] 3. Reg. XXI. 18.

CAPUT XIX.

Elias metu Jezabelis fugit in montem Horeb. Deus illi per viſum apparens, Regia unctione initiare Hazaelem & Jehu jubet; tum ungere Eliſæum, ut pro ſe Prophetæ munere fungatur. Eliſæus unctus atque Prophetico afflatus ſpiritu, ſocium ſe Eliæ addit.

℣. 1. NUntiavit autem Achab Jezabel omnia quæ fecerat Elias, & quomodo occidiſſet univerſos Prophetas gladio, 2. Miſitque Jezabel nuntium ad E-
liam, dicens: Hæc mihi faciant Dii, & hæc addant, niſi hac hora cras poſuero ani-
mam tuam, ſicut animam unius ex illis. 3. Timuit ergo Elias, & ſurgens abiit quo-
cumque eum ferebat voluntas: venitque in Berſabee Juda, & dimiſit ibi puerum ſuum.
4. Et perrexit in deſertum, viam unius diei. Cumque veniſſet, & ſederet ſubter unam
juniperum, petivit animæ ſuæ ut moreretur, & ait: Sufficit mihi, Domine, tolle
animam meam: neque enim melior ſum, quam patres mei. 5. Projecitque ſe, &
obdormivit in umbra juniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi:
Surge, & comede. 6. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas
aquæ: comedit ergo, & bibit, & rurſum obdormivit. 7. Reverſuſque eſt Angelus
Domini ſecundo, & tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede; grandis enim tibi re-
ſtat via. 8. Qui cum ſurrexiſſet, comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi
illius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, uſque ad montem Dei Horeb.
9. Cumque veniſſet illuc, manſit in ſpelunca: & ecce ſermo Domini ad eum, dixit-
que illi: Quid hic agis, Elia? 10. At ille reſpondit: Zelo zelatus ſum pro Domi-
no Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Iſrael: Altaria tua deſtru-
xerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio; derelictus ſum ego ſolus, & quærunt ani-
mam meam ut auferant eam. 11. Et ait ei: Egredere, & ſta in monte coram Do-
mino: & ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis & fortis, ſubvertens montes, &
conterens petras ante Dominum: non in ſpiritu Dominus. Et poſt ſpiritum commo-
tio, non in commotione Dominus. 12. Et poſt commotionem, ignis; non in igne
Dominus. Et poſt ignem ſibilus auræ tenuis. 13. Quod cum audiſſet Elias, operuit
vultum ſuum pallio, & egreſſus ſtetit in oſtio ſpeluncæ, & ecce vox ad eum dicens:
Quid hic agis, Elia? Et ille reſpondit: 14. Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exer-
cituum: quia dereliquerunt pactum tuum filii Iſrael: altaria tua deſtruxerunt, Pro-

Pro-

Digitized by Google

phetas tuos occiderunt gladio, dereliɛtus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam,
ut auferant eam. 15. Et ait Dominus ad eum; Vade, & revertere in viam tuam
per deſertum in Damaſcum: cumque perveneris illuc, unges Hazael regem ſuper Sy-
riam, 16. Et Jehu filium Namſi unges regem ſuper Iſrael: Eliſeum autem filium
Saphat, qui eſt de Abelmeula, unges prophetam pro te. 17. Et erit, quicumque
fugerit gladium Hazael, occidet eum Jehu: & quicumque fugerit gladium Jehu, in-
terficiet eum Eliſeus. 18. Et derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum,
quorum genua non ſunt incurvata ante Baal, & omne os, quod non adoravit eum
oſculans manus. 19. Profectus ergo inde Elias, reperit Eliſeum filium Saphat, uran-
tem in duodecim jugis boum; & ipſe in duodecim jugis boum arantibus unus erat:
cumque veniſſet Elias ad eum, miſit pallium ſuum ſuper illum. 20. Qui ſtatim re-
lictis bobus cucurrit poſt Eliam, & ait: Oſculer, oro, patrem meum, & matrem
meam, & ſic ſequar te. Dixitque ei: Vade, & revertere: quod enim meum erat,
feci tibi. 21. Reverſus autem ab eo, tulit par boum, & mactavit illud, & in ara-
tro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt: conſurgenſque abiit, & ſe-
cutus eſt Eliam, & miniſtrabat ei.

℣. 3. TIMUIT ERGO ELIAS, ET SURGENS ABIIT, QUOCUMQUE EUM FEREBAT VOLUNTAS. Longe a ſe diverſus hic exhibetur Elias; is enim antea intrepidus, conſtans, ſtrenuus, bonoque ſtudio plenus Achabo ſeſe ſiſtit, a quo in necem quærebatur, tamquam publicæ pacis perturbator. Continuo vero minis fœminæ territus, ſeſe fugæ committit, tanta animi agitatione & fluctuatione, ut modo huc modo illuc fugitet, ut ſe ab inſidiis furentis Jezabelis ſubducat. Cur fugerit Elias, diſquiritur. Sunt qui aliam rationem aſſignandam non cenſeant, quam notum viro Jezabelis ingenium, cui e vitiis ſexus nullum deerat: ſæva erat, ferox, vindictæ tenax, & nunquam parcens: *Non eſt ira ſuper iram mulieris* (1). Suſpicantur alii (2), Prophetam in occultum aliquod crimen incidiſſe, cujus in pœnam ſpoliatus fuerit eo robore animi intrepidi, quo reliqua ejus vita commendabatur. Malunt tandem alii (3), & multo, uti nobis perſuadetur, æquius, Deum alto ſapientiæ ſuæ conſilio Eliam deprimere in hac re voluiſſe, ut nihil de ſe altius ſaperet, noſceretque quam graviter indigeret Numinis ope ac patrocinio, ipſumque compeſceret, ne viſis prodigiis, quæ per ſe Deus geſſerat, ſuperbiret. Hebræi, ut minuant facile invidiam imbecillitatis Eliæ, legunt in Textu (4): *Vidit, & ſurrexit, & abiit ad animam ſuam*, vel ad deſiderium ſuum; cum nos legamus: *Timuit, & ſurgens abiit, quocumque eum ferebat voluntas*: propria ſcilicet, & non Dei. Vel ex aliis (5): *Surrexit animam ſuam erepturus* a furore Jezabelis.

VENITQUE IN BERSABEE JUDA. Jacebat Berſabee ad extremam oram meridionalem Terræ ſanctæ; Ægyptum & Arabiam Petræam verſus. Filiis Juda primum aſſignata (6), ceſſit deinde Simeonitis (7); idcirco vero Berſabee Juda hic appellatur, quod Regibus Juda pareret. Conſtituenda eſt quinquaginta leucis circiter a Samaria, & quinque ac quinquaginta ab Jezraele.

℣. 4. PERREXIT IN DESERTUM VIAM UNIUS DIEI. Penetravit in deſerta vicina Berſabee, in Arabiam Petræam. Quo vero potiſſimum iter direxerit, nemo definiat, niſi ſtatuat proficiſci illum voluiſſe ad montem Horeb, uti ſeries hujus hiſtoriæ innuere videtur.

SUBTER UNAM JUNIPERUM. Vertunt alii Hebr. תחת רתם *Geniſtam* (8), vel *terebinthum* (9); Septuaginta retinuerunt Hebræum *Ratom*, vel *Retem*. Aquila reddit *Juniperum*, Symmachus *tectum*.

PETIVIT ANIMÆ SUÆ UT MORERETUR. Cur Jezabelem fugiebat, ſi vitam oderat? an dedecori ſibi ducebat, ſi ſpargeretur in vulgus, ipſum a fœmina eſſe interfectum? Aſpectus malorum, quæ juſti patiebantur, felicitas impiorum, religio in Iſraele pene extincta, nequitia Achabi & Jezabelis omnibus abſoluta numeris, labores atque incommoda fugæ, atque itineris, tædium vitæ ingeſſerant. Intelligens inſuper, Deum veluti oblitum famulum ſuum neglexiſſe, nec illi, quo pergendum eſſet, indicaſſe; hæc, inquam, omnia altius animo impreſſere deſiderium mortis, quæ malorum omnium exitus eſſet: *Melior eſt mors, quam vita amara* (10). Sed infligi illam a Deo, non a Jezabele cupiebat; id enim veluti in triumphum hoſtium religionis convertendum erat. Bonæ cauſæ fulcrum ab Eliæ vita quodammodo pendebat; ut autem judicium certum fiat de intrepida viri hujus virtute, mens adhibenda eſt ad eam animi præſentiam, qua Achabum allocutus eſt (11).

℣. 6. SUBCINERICIUS PANIS, ET VAS AQUÆ. Attulit hæc Angelus, Elia dormiente. Hebræus (12): *Panis carbonum, & ſcyphus aquæ. Ridpha*, quod idem eſt ac Hebræum *Razepha*, appellant Arabes panes coctos in lapidibus ad eam rem exciſis, qui injecto igne incaleſcentes, farinam aqua ſubactam decoquunt.

℣. 7. GRANDIS TIBI RESTAT VIA. In ejuſmodi iter uſque ad montem Horeb impendit reliquos quadraginta dies, totidemque noctes, poſt requiem ſub junipero captam. Subſtitiſſe tamen in via aliquandiu cenſendus eſt; vel forte rectius iter non tenuit, cum Bethſabee a monte Horeb vel Sinai amplius quinquaginta leucas, ut maxime, non diſter, ipſeque viam unius diei, egreſſus e Bethſabee, in deſerto jam confeciſſet. Reddi poſſet Hebræus (13): *Grandior reſtat enim tibi via*. Difficile tibi erit longum hoc iter in regione ſterili, & deſerta, niſi hoc cibo reficiaris. Forte intra hanc quadraginta dierum periodum continetur tempus moræ in Horeb, ut jejunium Prophetæ æquale fuerit Moſaico. Contendunt quidam, non unis quinquaginta itineris diebus inediam ſervaſſe, ſed diu adhuc prorogaſſe, cum in Horeb ſubſiſteret (14). Sed quorſum prodigia nulla exigente neceſſitate multiplicentur?

(1) Eccli xxv. 23. (2) Author Orationis de Petro & Elia, apud Sur. 10. Aug. (3) Idem ibidem; & Theodoret. qu. 57. & Raban. & Angelom. &c. Vide Sanct. & Toſtat. hic, qu. 3. (4) וירא ויקם וילך אל נפשו (5) Jonath. Syr. Vatabl. Jun. & Tremel. Piſcat. Caſtal. (6) Joſue xv. 28. (7) Joſue xix. 2. (8) Ita Arab. & Chald. (9) Syriac. (10) Eccli. xxx. 17. (11) 3. Reg. xviii. 18. (12) עגת רצפים וצפחת מים (13) כי רב ממך הדרך (14) Vide Toſtat. qu. & Sanct. hic.

℣. 9. Ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi: quid hic agis Elia? Creditur Angelus Domini Eliam allocutus fuiſſe; ſeceſſiſſe autem Propheta in ſpeluncam montis Horebi, eamdem ſacile, quam Moyſes ſubiit, cum gloriam Domini intuitus eſt (1). *Quid hic agis?* Hebræus (2): *Quid tibi hic Elia?* Quis te hue deduxit? Quibus verbis quodammodo exprobratur viri fuga & pavor (3). Accipit hæc tamen Tertullianus tamquam amoris & benevolentiæ indicia (4): *Quam familiari congreſſu Dei exceptus eſt! Quid tu Elia hic?*

℣. 10. Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum. Ferre non potui conculcatum pedibus fœdus, legeſque tuas, ac populum tuum publica, atque probata prævaricatione abutentem. Meum tui ſtudium, Domine, impulit, ut fugam eligens me ſubducerem. Aliter: Studium, quo erga te fœduſque tuum exarſi, provocavit in me furorem Jezabelis & Prophetarum ipſius, quorum minas fuga vitare coactus ſum. Docent Rabbini (5), Eliam queri neglectum abjectumque circumciſionis puerorum ritum: his ſtimulis excitatus eſt Propheta. Querebatur ille: *Dereliquerunt pactum tuum*, ſigillum ſcilicet fœderis tui. Sed interpretatio hæc nimis arctis limitibus definita eſt.

Altaria tua destruxerunt. Prophetæ, qui in Regno decem Tribuum ſubſiſterant, ut populum continerent in fide, prohiberentque ne rueret in idololatriam, atque in cultum aureorum vitulorum, erexerant in montibus Iſraelis, ſacra aliqua rei geſtæ memoria inſignibus, Altaria Domino, ubi rebus ſacris operabantur. Malum id erat utique, quod temporis anguſtiæ neceſſarium effecerant; ſeu potius, bonum erat, ſi cum malo, quod prohibebat, comparetur. Id generis altaria nulla in Juda probabantur; ſed permittebantur in Iſraele, nec niſi ægerrime illa ferebant Iſraelitæ prævaricatores: quare illorum ſubverſionem Elias hic queritur (6). Ex his altaribus everſis unum habes ſupra XVIII. 30.

Derelictus sum ego solus. Ex omnibus Prophetis Iſraelis ego unus ſum, qui reſiſtere Jezabeli auſus ſim, patrocinium veritatis ſuſcipiens. Quoſcumque tenere illa potuit, trucidavit; atque eodem me fato cum cæteris obvolvere moliebatur. Id mihi ſuaſit, ut fuga ſaluti meæ proſpicerem. Supra etiam, in Capite præcedenti, ℣. 22. & hic, ℣. 14. queritur pariter, ſe unum a Prophetis Domini ſupereſſe. Nemo ſe illi ſocium ſacræ expeditionis adjunxerat, coactuſque fuit ſolus decertare adverſus Regis & Reginæ authoritatem, ac populi totius impetum ſuſtinere: *Derelictus ſum ego ſolus.*

℣. 11. Egredere, et sta in monte coram Domino. Eodem privilegio Deus ornat Eliam, quo olim Moyſem, eodem in loco verſantem (7). Suam illi majeſtatem reſerat, apertumque præſentiæ ſuæ exhibet argumentum. Egredere, jubet, e ſpelunca, qua te contines, atque in oſtio conſiſte: inſonabit continuo auribus tuis *ſpiritus grandis & fortis, ſubvertens & convertens petras.* Cave, ne illo contineri Dominum credas. Præcurſor eſt Domini. Deinde ingenti tellus motu tremet. Succedet ignis violentus, ante oculos tuos pertranſiens. Nec ignis, nec motus terræ Deus eſt. Cum vero blandietur auribus tuis *ſibilus auræ tenuis*, tunc humi ſtratus præſens Numen adora, & aures pronas vocibus ejus exhibe. Paria ſeſe obtulerunt, cum Deus legem rogavit Moyſi (8), & cum Sanctus Spiritus in Apoſtolos (9) lapſus eſt.

Neque id tantum beneficii loco Eliæ conceſſit Deus; creditur enim ſimul illum docere voluiſſe, ut fervidum illud ſtudium temperaret (10). Nec violentus turbinis impetus, nec agitatio terræ, nec flammarum rapiditas, ſed tantum tranquillæ auræ tenuis ſibilus Deum continet. Malunt alii (11), Deum expoſuiſſe his ambagibus diſcrimen Legis & Evangelii. In Lege minæ ſunt, agitatio, ignis; in Evangelio lenitas, pax, clementia. Denique Deus ſolari mœrentem voluit, demonſtrans, habere ſe ad nutum elementa omnia, ſibique pronum eſſe dejicere, ac fulminibus conterere impios, malle ſe vero ferre illos patienter, & expectare: ſimul autem ex obliquo docens Prophetam, quid agendum eſſet cum impiis (12): terrendi ſunt, dejiciendi, adurendi; tum leniter, & patienter invitandi.

℣. 13. Operuit vultum suum pallio, in argumentum obſequii & modeſtiæ. Quo pariter edocti Cherubim alis ſuis faciem tegebant coram Domino (13). Animadverſum eſt alibi, apud Hebræos cœteroſque Orientales tegere faciem indicium eſſe obſequii & venerationis, uti apud nos detegere caput. Moyſes in rubo ardenti conſidere Dominum intelligens, faciem obducit (14): *Abſcondit Moyſes faciem ſuam; non enim audebat aſpicere contra Deum.*

℣. 15. Vade, et revertere in viam tuam per desertum in Damascum. Hebræus ad literam (15): *Vade; revertere in viam tuam in deſertum Damaſci.* Seu potius: *Vade, revertere per viam tuam ad deſertum Damaſcum.* Redi per Arabiæ deſerta Damaſcum. Non jubet redire Jezraelem, vel Samariam, ſed per viam deſerti Damaſcum, utraque urbe evitata.

Unges Hazael super Syriam. Providentiæ ſuæ curas Deus in gentes omnes & Regna extendit. Nec tantum de ſceptris & imperio populi ſui, ſed de Regnis etiam cæterarum gentium decernit. Eligebatur a Deo Hazael inſtrumentum ultionis de populo ſuo exigendæ. Demonſtrat autem, a ſe illum, non ab alio ad eam rem deſtinari, atque in hoſtes mitti. Mandat Eliæ, ut veniens ungat illum in Regem Syriæ; quod tamen per ſe Elias expleſſe non videtur. Eliſæus venit Damaſcum, atque Hazaeli Regnum Syriæ prædixit (16): quin nec unctione aliqua initiatus Hazael legitur. Conſtat tamen, in Hebræo *ungere aliquem in Regem*, deſignare tantum Regem conſtituere, Regnum illi deferre. *Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ſe Regem* (17), ait Joathan filius Gedeonis, ideſt, ut Regnum alicui e ſuis deferrent. Mox cum ſermo contigerit de iis, quæ hic Deus prædicit Eliæ, fuſius de Rege Hazaele agatur.

℣. 16. Jehu filium Namsi unges Regem super Israel. Jehu filius erat Joſaphati, & nepos Namſi (18). Conſecratus fuit per diſcipulum Prophetarum, ab Eliſæo miſſum, ut inferius conſtabit (19). Ea unctio peracta eſt oleo ſimplici & communi, non ſacro, quod ſervabatur in Tabernaculo, cujus erat tantum uſus ad Sacerdotes ac Reges Juda conſecrandos (20).

Elisæum . . . unges Prophetam pro te. Queſtus fuerat Elias cum Deo, ſe unum Prophetam reliquum veri Dei ſupereſſe, quem pariter e medio ſubducere illata nece molirentur. Adjutorem hic illi Deus, & ſucceſſorem Eliſæum jungit. Vir erat nullo rei geſtæ facinore eximius, quo pararetur ad prophetiam. Agebat Abelmeulæ, urbe

(1) Exod. XXXIII. 22. (2) מה לך פה אליהו (3) Menoch. Tirin. Mari. (4) Tertull. adverſ. Pſychi. cap. 6. (5) Vide Buxtorf. Synagog. Jud. cap. 2. (6) Grot. Eſt. Piſc. Kimchi hic. Eraſm. Paræ. ad Rom. XI. 3. (7) Exod. XXXIII. 21. 22. (8) Exod. XIX. 9. 16. (9) Act. II. 2. (10) Theodoret. Procop. Sanct. Cornel. Tirin. (11) Grotius. (12) Vide Sanct. Numer. 15. (13) Ezech. I. 23. (14) Exod. III. 6. (15) לך שוב לדרכך מדברה דמשק (16) 4. Reg. VIII. 12. 13. (17) Judic. IX. 8. (18) 4. Reg. IX. 2. *Videbis Jehu filium Joſaphat, filii Namſi.* (19) Vide 4. Reg. IX. 1. 6. (20) Ita Rabbini.

urbe Tribus Ephraim, vel Manaſſe (1) cum ſuis, notæ probitatis hominibus, qui conſcios ſe ſuperſtitionis vitulorum aureorum non dederant. Mandavit Deus Eliæ, *ut illum ungeret*; ex quo colligere viſum eſt (2), tria hominum genera apud Hebræos unctione initiari conſueviſſe; Sacerdotes, Reges, & Prophetas. Sed poſtremis hiſce unicum hoc ſuppetit Eliſæi exemplum, ipſumque non ſatis perſpicuum, & certum; nuſquam enim legimus, Eliam cum virum hunc ad munus Prophetiæ evocavit, oleo in caput affuſo conſecraſſe, quæ ſane animadverſio in re præſenti omittenda non videbatur. Illum ſolummodo conveniens Elias, pallium ſuum humeris ejus injecit, dein permiſit, ut quæcumque vellet, ageret; ſe quidem ea explesſa quæ ſibi fuerant imperata. Ex his non male colligas, ea verba, *Unges eum Prophetam pro te*, deſignare tantum: Voca illum ad munus Prophetiæ ſigno aliquo, vel humeris pallio injecto (3). Apud S. Epiphanium in libello de vita & obitu prophetarum, & in chronico Alexandrino legimus in ipſo, quo exortus eſt Elias, temporis articulo, unum ex aureis vitulis, in Galgalis erectum, tam horrendum immugiiſſe, ut Jeroſolymam uſque ſonus reboarit. Nunciabat autem rauco ſono mugitus ille, exortum eſſe hominem ſingularem, a quo Idola omnia fuſilia everterentur ac confringerentur. Sed traditiones iſtæ fidei ſunt ſubleſtæ.

Abelmeula. Euſebio & S. Hieronymo urbs iſta decem mille paſſibus a Scythopoli diſtat, jacetque in plaga meridionali & in Magno campo.

℣. 17. Quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Jehu. Oraculis hiſce ſua fides conſtabit inferius, 4. Regum VIII. & IX.

Quicumque fugerit gladium Jehu, interficiet eum Eliſæus. Nuſquam legitur in Scriptura Eliſæus gladium in cujuſpiam necem eduxiſſe, ſed immiſiſſe tantum urſos in quadraginta duos pueros Bethel ſibi illudentes (4). An vero illud vim totam impleſſe hujus oraculi cenſendum eſt? Maluerim ego ita interpretari: Si Hazaelis de impiis Iſraelitis ultio minor fuerit, ſupplebitur a Jehu; & niſi Jehu conſilia omnia mea impleverit, abſolvet Eliſæus. Non ita tamen reputandum eſt, quaſi Eliſæus ſe ipſa in necem alicujus armandus fuerit. Jehu mandata omnia Dei in domum Achabi explevit. Hazael in miſerum illud Regnum plus nimium malorum intulit: quod explendum ſupereſſet Eliſæo, nihil erat.

℣. 18. Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal. Poſtquam ſatisfactum eſt primis Eliæ querelis in prævaricatores Iſraelis, & in Achabum, ac Jezabelem, deſtinatis in illos ultoribus, reſpondet Deus reliquis Prophetæ expoſtulationibus, ſe ſcilicet unicum cauſæ Dei defenſorem ſupereſſe: *Derelinquam mihi*, ait, *ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal*. Ne glorieris te unum ſupereſſe Deo fidelem in Iſraele. Numerum ego charorum mihi famulorum novi. Servavi mihi *ſeptem millia*; id eſt, plures chiliades; numerus enim ſeptem pro magno quocumque numero uſurpatur (5). *Septies in die cadit juſtus* (6); id eſt, ſæpius. *Argentum igne examinatum, purgatum ſeptuplum* (7), ideſt, accurate purgatum. *Sterilis peperit plurimos* (Hebraice *ſeptem*) (8); id eſt florentem poſteritatem, &c. Interpretum quidam (9) numerum ſeptem millium ad literam retinentes, intra brevem illum hominum numerum fidem in Iſraele reſtringunt, ut ex undecies centenis millibus virorum (10), quos cenſebantur in Regno decem Tribuum, ſepties mille tantum puros ſe ab Idololatria Baalis & vitulorum aureorum continuerint.

Omne os, quod non adoravit eum, osculans manus. Animadverſus eſt alibi Paganorum mos, oſculandi manus, cum adorarent (11). *Inter adorandum dexteram ad oſculum referimus* (12). Æmilianum impietatis ideo arceſſit Apulejus (13), quod ante Templum pertranſiens, *nefas haberet adorandi gratia manum labris admovere*. Cum Deorum ſimulacra minora erant & brevia; tangebantur eorum manus ad ſalutationes, mentum ad ſupplicandum. Lucretius:

. . . . . . Tum portas propter ahenas
Signa manus dextras oſtendunt attenuari
Sæpe ſalutantum tacta præterque meantum.

Agit Cicero (14) de eximio Herculis ſimulacro, *cujus rictus, & mentum paulo erat attritius, quod in precibus & gratulationibus non ſolum id venerari, ſed etiam oſculari ſolerent*.

Quod meum erat, feci tibi. Dei juſſiones explere, tuum eſt; ego mea omnia complevi. Sequere impetum & ductum agentis intus Numinis. Hebræus (15): *Quia quid feci tibi?* Conſidera attentius id, quod in te operatus ſum. Ne retrorſum redeas (16): *Hoc age*: Nihil aliud cures, nulla tangaris ſolicitudine, quam ut Deum vocantem ſequaris. Aliter: *Quia quid feci tibi?* An coegi te mihi ſocium addi? Tuum erit quid tibi facto opus ſit, quid Deus jubeat, inquirere. Ego quod tibi imperem, nihil habeo.

℣. 21. Reversus ab eo tulit par boum. Maluerim ego Textum ita reddere (17): *Dixit ei Elias: Vade & revertere, quia quid fecit tibi? Et rediit retro poſt illum*, id eſt, rediit abſolutis omnibus, quorum cauſa ab illo diſceſſerat; vel planius: Rediit ad Eliam, quem ad aliquid temporis dimiſerat; rediit, inquam, ducens par boum; quibus mactatis, coctiſque inſtruxit convivium parentibus ac gentibus ſuis, qui vale ipſi dicturi ex Urbe venerant. *Abelmeulam* Elias non venit, ſed in eodem agro, ubi prius convenerat Eliſæum, redeuntem illum expectavit.

(1) Euſebius & S. Hieronymus ſtatuunt Abelmeulam x. m. paſſibus a Scythopoli, in magno Campo, ad meridiem Scythopolis. (2) Ita Communiter PP. Vide Sanct. ad ℣. 19. (3) Ita Author Hiſtor. Scholaſt. Raban, Dionyſ. Carthuſ. Lyr. Toſt. Piſc. &c. (4) 4. Reg. II. 23. 24. (5) Ita Vat. Sanct. &c. (6) Prov. XXIV. 16. (7) Pſalm. XI. 7. (8) 1. Reg. II. 5. (9) Grot. & alii plerique. (10) 1. Par. XXI. 5. (11) Vide Geneſ. XVIII. 2. (12) Plin. l. 28. c. 2. (13) Apul. Apol. 1. (14) Cicero in Verrem 4. (15) כי מה עשיתי לך (16) Grot. Jun. Vide Matth. VIII. 22. & Luc. IX. 62. (17) וישב מאחריו ויקח את צמד הבקר

Digitized by Google

CAPUT XX.

Benadad Samariam obſidet, ſed a pediſſequis Principum Iſraelis profligatur. Evoluto anno redit, iterumque vincitur ad Aphec. Achabus fœdus cum illo componit: qua de re a Propheta quodam increpatur.

A. M. 3103. ante J. Chr. 901. ℣. 1. PORRO Benadad rex Syriæ congregavit omnem exercitum ſuum, & triginta
duos reges ſecum, & equos, & currus; aſcendens pugnabat contra Sama-
riam, & obſidebat eam. 2. Mittenſque nuntios ad Achab regem Iſrael in civitatem,
ait; 3. Hæc dicit Benadad: Argentum tuum, & aurum tuum meum eſt: & uxores
tuæ, & filii tui optimi, mei ſunt. 4. Reſponditque rex Iſrael: Juxta verbum tuum,
domine mi rex, tuus ſum ego, & omnia mea. 5. Revertenteſque nuntii, dixerunt:
Hæc dicit Benadad, qui miſit nos ad te: Argentum tuum, & aurum tuum, & uxores
tuas, & filios tuos dabis mihi. 6. Cras igitur hac eadem hora mittam ſervos meos
ad te, & ſcrutabuntur domum tuam, & domum ſervorum tuorum; & omne, quod
eis placuerit, ponent in manibus ſuis, & auferent. 7. Vocavit autem rex Iſrael om-
nes ſeniores terræ, & ait: Animadvertite, & videte, quoniam inſidietur nobis: miſit
enim ad me pro uxoribus meis, & filiis, & pro argento, & auro: & non abnui.
8. Dixeruntque omnes majores natu, & univerſus populus, ad eum: Non audias, ne-
que acquieſcas illi. 9. Reſpondit itaque nuntiis Benadad: Dicite domino meo regi:
Omnia, propter quæ miſiſti ad me ſervum tuum in initio, faciam: hanc autem rem
facere non poſſum. 10. Reverſique nuntii retulerunt ei. Qui remiſit, & ait: Hæc
faciant mihi dii, & hæc addant, ſi ſuffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi,
qui ſequitur me. 11. Et reſpondens rex Iſrael, ait: Dicite ei: Ne glorietur accin-
ctus, æque ut diſcinctus: 12. Factum eſt autem, cum audiſſet Benadad verbum iſtud,
bibebat ipſe, & reges in umbraculis, & ait ſervis ſuis: Circumdate civitatem. Et cir-
cumdederunt eam. 13. Et ecce propheta unus accedens ad Achab regem Iſrael, ait
ei: Hæc dicit Dominus: Certe vidiſti omnem multitudinem hanc nimiam? Ecce, ego
tradam eam in manu tua hodie: ut ſcias, quia ego ſum Dominus. 14. Et ait Achab:
Per quem? Dixitque ei: Hæc dicit Dominus: Per pediſſequos principum provincia-
rum. Et ait: Quis incipiet prœliari? Et ille dixit: Tu. 15. Recenſuit ergo pueros
principum provinciarum, & reperit numerum ducentorum triginta duorum: & recen-
ſuit poſt eos populum, omnes filios Iſrael, ſeptem millia: 16. Et egreſſi ſunt me-
ridie. Benadad autem bibebat temulentus in umbraculo ſuo, & reges triginta duo cum
eo, qui ad auxilium ejus venerant. 17. Egreſſi ſunt autem pueri principum provin-
ciarum in prima fronte. Miſit itaque Benadad. Qui nuntiaverunt ei, dicentes: Viri
egreſſi ſunt de Samaria. 18. Et ille ait: Sive pro pace veniunt, apprehendite eos
vivos; ſive, ut prœlientur, vivos eos capite. 19. Egreſſi ſunt ergo pueri principum
provinciarum, ac reliquus exercitus ſequebatur: 20. Et percuſſit unuſquiſque virum,
qui contra ſe veniebat, fugeruntque Syri, & perſecutus eſt eos Iſrael. Fugit quoque
Benadad rex Syriæ in equo cum equitibus ſuis. 21. Nec non egreſſus rex Iſrael per-
cuſſit equos & currus, & percuſſit Syriam plaga magna. 22. (Accedens autem pro-
pheta ad regem Iſrael, dixit ei: Vade, & confortare, & ſcito, & vide, quid facias;
ſequenti enim anno rex Syriæ aſcendet contra te). 23. Servi vero regis Syriæ di-
xerunt ei: Dii montium ſunt dii eorum, ideo ſuperaverunt nos; ſed melius eſt, ut
pugnemus contra eos in campeſtribus, & obtinebimus eos. 24. Tu ergo verbum
hoc fac. Amove reges ſingulos ab exercitu tuo, & pone principes pro eis. 25. Et
inſtaura numerum militum, qui ceciderunt de tuis, & equos ſecundum equos priſti-
nos, & currus ſecundum currus, quos ante habuiſti; & pugnabimus contra eos in
campeſtribus, & videbis, quod obtinebimus eos. Credidit conſilio eorum, & fecit
ita. 26. Igitur poſtquam annus tranſierat, recenſuit Benadad Syros, & aſcendit in
Aphec, ut pugnaret contra Iſrael. 27. Porro filii Iſrael recenſiti ſunt, & acceptis
cibariis profecti ex adverſo, caſtraque metati ſunt contra eos, quaſi duo parvi gre-
ges caprarum; Syri autem repleverunt terram. 28. (Et accedens unus vir Dei,
dixit ad regem Iſrael. Hæc dicit Dominus: Quia dixerunt Syri: Deus montium eſt
Dominus, & non eſt Deus vallium: dabo omnem multitudinem hanc grandem in

ma[nu]

Digitized by Google

manu tua, & ſcietis, quia ego ſum Dominus). 29. Dirigebantque ſeptem diebus
ex adverſo hi, atque illi acies, ſeptima autem die commiſſum eſt bellum: percuſſe-
runtque filii Iſrael de Syris centum millia peditum in die una. 30. Fugerunt autem,
qui remanſerant in Aphec, in civitatem: & cecidit murus ſuper viginti ſeptem mil-
lia hominum, qui remanſerant. Porro Benadad fugiens ingreſſus eſt civitatem, in cu-
biculum, quod erat intra cubiculum. 31. Dixeruntque ei ſervi ſui: Ecce, audivi-
mus, quod reges domus Iſrael clementes ſint: ponamus itaque ſaccos in lumbis no-
ſtris, & funiculos in capitibus noſtris, & egrediamur ad regem Iſrael; forſitan ſalva-
bit animas noſtras. 32. Accinxerunt ſaccis lumbos ſuos, & poſuerunt funiculos in
capitibus ſuis, veneruntque ad regem Iſrael, & dixerunt ei: Servus tuus Benadad
dicit: Vivat, oro te, anima mea. Et ille ait: Si adhuc vivit, frater meus eſt. 33.
Quod acceperunt viri pro omine, & feſtinantes rapuerunt verbum ex ore ejus, atque
dixerunt; Frater tuus Benadad. Et dixit eis: Ite, & adducite eum ad me. Egreſſus
eſt ergo ad eum Benadad, & levavit eum in currum ſuum. 34. Qui dixit ei: Civi-
tates, quas tulit pater meus a patre tuo, reddam, & plateas fac tibi in Damaſco,
ſicut fecit pater meus in Samaria, & ego fœderatus recedam a te. Pepigit ergo fœ-
dus, & dimiſit eum. 35. Tunc vir quidam de filiis prophetarum dixit ad ſocium
ſuum in ſermone Domini: Percute me. At ille noluit percutere. 36. Cui ait: Quia
noluiſti audire vocem Domini, ecce recedes a me, & percutiet te leo. Cumque pau-
lulum receſſit ab eo, invenit eum leo, atque percuſſit. 37. Sed & alterum inveniens
virum, dixit ad eum; Percute me. Qui percuſſit eum, & vulneravit. 38. Abiit er-
go propheta, & occurrit regi in via; & mutavit aſperſione pulveris os, & oculos
ſuos. 39. Cumque rex tranſiſſet, clamavit ad regem, & ait: Servus tuus egreſſus
eſt ad prœliandum cominus, cumque fugiſſet vir unus, adduxit eum quidam ad me,
& ait: Cuſtodi virum iſtum; qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima ejus,
aut talentum argenti appendes. 40. Dum autem ego turbatus huc, illucque me ver-
terem, ſubito non comparuit. Et ait rex Iſrael ad eum; Hoc eſt judicium tuum, quod
ipſe decreviſti. 41. At ille ſtatim abſterſit pulverem de facie ſua, & cognovit eum rex
Iſrael, quod eſſet de prophetis. 42. Qui ait ad eum; Hæc dicit Dominus: Quia di-
miſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & popu-
lus tuus pro populo ejus. 43. Reverſus eſt igitur rex Iſrael in domum ſuam, audire
contemnens, & furibundus venit in Samariam.

℣. 1. BENADAD REX SYRIÆ CONGREGAVIT OMNEM EXERCITUM SUUM, ET TRIGINTA DUOS REGES SECUM. Belli hujus Benadadi in Achabum & annus & cauſæ ignorantur. Nos temere ſequimur Uſſerium, qui hoc bellum conſignat ad annum 3103. Hic Benadad; qui cum triginta duobus Regibus in Regem Iſraelis movit, filius erat (1) alterius Regis Syriæ, ejuſdem nominis, qui ditionem Iſraelis ſub Baaſa, authore Aſa Rege Juda, invaſit (2). Duo & triginta Reges, Reguli erant Syriæ & Arabiæ, tributa pendentes Regi Damaſci, quos ille vocaverat in auxilium. Ejus regionis urbes pleræque ſuos habebant Reges. Bellum hoc collocant Septuaginta, & Joſephus poſt hiſtoriam Nabothi, appellantque Benadadum *filium Ader*.

℣. 4. TUUS SUM EGO, ET OMNIA MEA. Ultro ſe tributarium & ſubditum Benadadi Achabus fatetur, ac ſponte ſe ſubdit tributo, quod hoſtis imperarit. In ejus ſe fidem & clientelam dat. Eodem conſilio Paulus Æmilius perſuadere conabatur Regi Perſeo (3), *ut ſe ſuaque in fidem & clientelam populi Romani permitteret*. Sed Achabi mens longe alia erat, ac conſilium Regis Syriæ. Volebat Benadad pro arbitrio de rebus, hominibus, & ſubditis Regis Iſraelis, tamquam ſuis decernere, ut in ſecunda legatione ad Achabum miſſa exponit apertius. Achabus ſe tantummodo ſpe conditionum æquiorum ſubmittebat, ratus ſe vel cogendum fore tantum ad tributum, vel ad redimendam pretio urbis direptionem & pacem.

℣. 10. SI SUFFECERIT PULVIS SAMARIÆ PUGILLIS OMNIS POPULI, QUI SEQUITUR ME. Si e militibus meis quiſque pugillum impleverit humus Samariticæ, vix tantum ſuppeteret, ut volam manus illorum impleat (4). Audacem hyperbolen! Aliter, & quidem vehementius: *Omnis pulvis* regionis non ſufficiet meis, ſi ſinguli tantum auferant, *quantum calcibus ſingulorum inhæſerit* (5). Vel potius: Ita delebo Samariam, ut ne pugillum quidem terræ ejus relinquam. Ita ferme & Ezechiel (6) Tyro minitatur: *Radam pulverem ejus de ea*. Denique quidam ſic vertunt (7): Erigam adverſum vos aggeres altiores mœnibus Samariæ, licet e militibus meis quiſque tantum aſſumat humus, quantum pulveris plena manus capit. Sane nullæ tunc urbes capi poterant, niſi excitatis ad altitudinem mœnium aggeribus, quibus arcerentur propugnatores, atque opera, & aggreſſiones facilius urgerentur. Septuaginta (8) majore vi Textum reddunt: *Si ſufficiet pulvis Samariæ vulpibus, omni populo, peditibus meis*. Velut innuat, totum regionis tractum anguſtiorem eſſe, quam ut contineat totum exercitum ſuum; &, ſi intra Sama-

(1) Vide infra ℣. 34. (2) 3. Reg. xv. 18. 19. (3) Liv. l. 44. (4) Grot. Jun. Malv. Vat. Menoch. &c. (5) Munſt. Quidam in Vat. Chald. Interp. (6) Ezech. xxvi. 4. Vide Sanct. (7) Joſeph. Antiqu. lib. 8, c. 8. Ita Author Hiſtor. Scholaſt. Lyr. Dionyſ. (8) Εἰ ἐμπλήσει ὁ χοῦς Σαμαρείας ταῖς ἀλώπεξι, παντὶ τῷ λαῷ, τοῖς πεζοῖς μου. Hebræum שעל varie pronunciatum, ſignificat vulpem, volam, pugillum.

Samariam evadat, occupaturum omnia, ut ne angulus quidem pro vulpibus maneat.

℣. 11. Ne gloriatur accinctus æque ut diſcinctus. Sæpe qui armis melioribus inſtruuntur, cadunt primi, Ne epinicium ante victoriam canes. Aliter: Gloriandum eſt non cum adhuc certas, vel cum arma capis, ſed cum abſoluto feliciter certamine, retuliſti victoriam. Hebræus (1) ad literam: *Ne ſe laudet vinctus, ſicut apertus.* Seu potius: *Ne glorietur qui claudit, ſicut qui aperit* (2). Facile eſt quidem Urbem corona cingere; ſed expugnare, maxime arduum eſt. Facilius eſt ligare, quam ſolvere, claudere, quam aperire. Qui aperit, merito quodammodo gloriatur: qui claudit, gloriatur immerito. Stabat Benadad ante Samariam, eamque exercitu clauſam tenebat: ſed urbs ſubigenda erat, nec res eo uſque devenerant. Chaldæus: *Ne laudet ſe armatus & deſcendens in prælium, ſicut vir qui vincit.* Septuaginta (3): *Non glorietur gibboſus ut rectus.*

℣. 12. Circumdate civitatem, et circumdederunt eam. Nondum urbem arctiori corona cinxerant, nec obſidionem rite formaverant: vallum, & foſſa nulla ducta fuerat, quibus cuilibet ingreſſus egreſſuſque pro recepta tunc in obſidionibus diſciplina prohiberetur. Quis ſibi perſuaſurus fuiſſet, Achabum pati obſidionem ſuſcepiſſe adverſus formidabilem adeo exercitum, duobus & triginta Regibus validum? Hebræus (4): *Dixit: Ponite; & poſuerunt ſuper* [vel contra] *civitatem.* Accedite propius ad urbem, admovete copias, & machinas, parate omnia ad aggreſſionem neceſſaria. Septuaginta (5): *Ædificate vallum circum urbem.* Chaldæus: *Dixit; Expedimini; & poſuerunt ſe in inſidiis adverſus urbem.* Quæ poſtrema explicatio literæ magis ſervire videtur. Utitur ſæpe Scriptura hac phraſi in obſidionibus urbium (6): *Ponere, locate inſidias.* Phraſis eſt hic ſuſpenſa: *Ponite; & poſuerunt*, uti vernaculo noſtrorum ſermone uſurpari ſolet, *Ils donnerent*, pro manus conſeruerunt, inierunt prælium.

℣. 13. Propheta unus accedans ad Achab. Mirati ſubit, nec Eliam, nec Eliſæum unquam in omnibus hiſce bellis prodire, qui Principes erant Prophetarum Iſraelis. Prophetæ reliqui liberius parent, quorum numerus frequentiſſimus in ea regione fuiſſe videtur. An bella hæc prius geſta ſunt, quam Jezabel aperte viros ſanctos inſectaretur? An impia hæc mulier quietem illis aliquam reliquit, ut Elias in ſcenam ulterius non venit? Utcumque res ſeſe habeat, Propheta, de quo hic Scriptura, quis ſit, penitus latet, uti & cæteri, de quibus in reliquo hoc Capite, ſi tamen plures fuere; neque enim ea de re ſatis conſtat.

℣. 14. Per pediſequos Principum Provinciarum. Ambiguus eſt Hebræus (7); innuere enim poteſt vel *filios*, vel *famulos Principum Provinciarum*; quæ res Interpretes trahit in partes. Sunt qui accipiant de ſummorum Præfectorum filiis, quos appellamus ephebos, vel liberos nobiles, qui in aula apud Regem educantur. Malunt alii, ſermonem eſſe de pediſſequis Principum. Sane manus erant viribus & experientia carens, ex qua nihil tale in re præſenti ſperandum erat.

Quis incipiet præliari? Hebræus (8): *Quis ligabit bellum*; quis conſeret primus manum? ego ne prior movebo in hoſtem, an aggredientem expectabo? Chaldæus (9), juxta Vatablum: *Quis deferet vexillum belli?* Achabum per ſe adeſſe certamini, nihil cogebat: ſatis erat, ſi per ſuos agmini imperaret, ut veritas verbis illis conſtaret, ipſum ſcilicet aggredi hoſtes: illud enim quotidiano ſermone uſurpatur. Hiſtoriæ hujus ſeries demonſtrat, Achabum nunquam pedem extuliſſe ab urbe, cum fuſos hoſtes aſpexit ℣. 21. Primo igitur manum miſit ducentorum ac triginta trium adoleſcentulorum, deinde reliquas copias ſeptem millium. Hoc exercitu Benadad, cum triginta duobus Regibus, actus eſt in fugam.

℣. 23. Dii montium sunt dii eorum. Solemne eſt hominibus, ut malorum ſuorum culpam a ſe amoveant. Adverſam habere ſe fortunam ſemper dolent. Cavebant utique aſſentatores Benadadi, ne veram malorum originem detegerent. Hominis ſuperbia & audacia, quæ Deum adverſus illum provocaverant, æquo animo inviſam hanc veritatem audire non ſiviſſent. Ea ducti perſuaſione, mundum per varia Numina ita diſtribui, ut ſingula aſſignato ſibi loco præſideant, inſuſurrant auribus Principis, Deum Hebræorum valere in montibus; quare ſi Iſraelitæ in agrum trahi poſſint, ceſſante favore, & viribus Numinis illorum, fruſtra illos eſſe conaturos.

Abſurdam hanc opinionem Syris illud confirmare poterat, quod Deus Iſraelis Templum haberet ac vetuſtiſſima altaria in montibus erecta. Legem rogaverat in Sinai, eamque in terra promiſſionis ſuper montes Garizim & Hebal promulgari juſſerat. Prodigium, quod paulo ante in Carmelo ſpectatum fuerat, undique increbuerat. Denique relata de Syris victoria prope Samariam, urbem in monte conſidentem, opinionem hanc altius mentibus imprimebat. Peculiares Deos tribuebant Profani ſingulis gentibus, regionibus, urbibus. Montes, nemora, fontes, maria, amnes ſuo parebant Numini; mare Neptuno, Cœlum Jovi, Infernus Plutoni, ignis Vulcano. Sui erant dii belli præſides, negotiationis, ſtudiorum, eloquentiæ, hortorum, voluptatis, &c. Ita Paganorum Theologia.

℣. 24. Amove Reges ſingulos ab exercitu tuo, et pone principes pro eis. Singuli illi imperium abſolutum affectabant; diviſuſque tot Imperatoribus exercitus infirmabatur. Reges auxiliares in urbibus ſuis ſe continebunt, ipſorumque copiis præerunt Duces periti, qui ad tuum nutum regent milites.

Multos eſſe malum Reges, Rex unicus eſto.

℣. 26. Aſcendit in Aphec, Urbem in Cœleſyria inclytam, de qua nos ad Joſue xix. 30. Parebat tunc Syris, ejuſque nomen ea ætate celebre erat. Obtigit ſortito Tribui Aſer, quæ tamen ea potita nunquam eſſe videtur. Eadem facile eſt urbs, cujus ſuperſunt veſtigia in lacu montis Libani merſa (10). Occupat is lacus tractum, quem olim facile Aphec tenebat. Eſt autem lacus novem vel decem millium paſſuum circuitu. In imo aquarum fundo integræ plures ædes cernuntur; ex quibus capere licet urbis pulcherrimæ & ampliſſimæ argumentum. Decem horarum itinere abeſt ab agro Balbec. Docent Veteres, jacuiſſe Lacum prope Aphacam, ejuſque in agro ſolum quoddam, unde flammæ identidem erumpebant. Juvant hæc noſtram conjecturam; quod ſcilicet urbs Aphec lacu abſorpta fuerit, ſubſidente ejus ſolo, cum ejus viſcera depaſcens ignis ſolidam materiam, cui inhærebat, & ædium fundamenta incumbebant, abſumpſerit (11). Lacus hujus aquas craſſas & bituminis plenas reputemus oportet, ſiquidem vera narrantur, munera ſcilicet Deæ Aphachitidi oblata ad aquas hujus lacus probari conſueviſſe. Si illa aquis injecta mergebantur, grata erant Numini; ſi innatarent, ingrata. Levia quæcumque, uti linum & lana, mergebantur, lapides & ſæpe metalla innatabant. Aphec, de qua hic textus, alia eſt urbs, de qua

1. Reg.

---

[1] אל יתהלל חגר כמפתח [2] Ita Syr. & Hebr. mutatis punctis. [3] Μὴ καυχάσθω ὁ κυρτὸς ὡς ὁ ὀρθός. [4] שימו וישימו על העיר [5] Septuag. Οἰκοδομήσατε χάρακα. [6] Joſue viii. 2. 4. Judic. ix. 34. 43. xx. 29. 1. Reg. xv. 5. & 4. Reg. vi. 8. [7] בנערי שרי המדינות [8] מי יאסר המלחמה [9] מן יקים קרבה [10] Vide Voyage du Levant de Paul Lucas tome 1. chap. 12. page 265. [11] Vide Zozim. lib. 1. c. 58.

1. Reg. 19. jacente in magno campo haud procul ab Jezraele; atque omnino diverſa ab altera Aphec monti Libano imminente.

℣. 27. Acceptis cibariis profecti. Hebræum וכלכלו in alium ſenſum reddi poteſt: Omnes in unum convenere, ut nemo unus deeſſet. Luſtratis copiis, nemo unus ab hac expeditione abfuit. Chaldæus: *Omnes parati eſſent*. Syriacus & Arabs: *Inſtruxerunt ſeſe*. Septuaginta (1): *Advenerunt in occurſum eorum*.

Quasi duo parvi greges caprarum. Solemne eſt Scripturæ exercitus gregibus, & Duces paſtoribus comparare. *Recenſuit Saul copias ſuas, quaſi agnos* (2). *Venient ad eam* [in Sion] *paſtores, & greges eorum; fixerunt in ea tentoria in circuitu* (3). Hebræus hic legit (4): *Tamquam duo* greges *denudati caprarum*, caprarum tonſarum. Scitum eſt, tonderi in ea regione conſueviſſe capras, earumque vellus in pannos texi. Tonſis capris idcirco comparatur Iſraelitarum exercitus, ſive quod caprarum grex, cum tonſus eſt, conſertus magis, ſive minutus magis videatur: ſive quod nudæ capræ minus jucundum aſpectum exhibeant. Demonſtrat Bochartus (5), verba Textus exprimere *duos hædos*, ut agmen Iſraelis perinde ſit ac duo parvi hædi, matri adhærentes. Minimam iſta quidem rei imaginem exhibent; ſed neque ſatis naturale eſt, unicum exercitum comparare duplici gregi. Septuaginta, Chaldæus, Syriacus & Arabs exhibent tantum *duos greges caprarum*, nec exprimunt epithetum *parvi*, quod tamen cæteri fere omnes Interpretes ſervant.

℣. 30. Cecidit murus super viginti septem millia hominum. Commiſſum eſt prælium in agro Aphec vicino; verſique in fugam Syri urbem effuſo curſu petierunt; cumque alter alterum ingredientem urgerent, murus urbis corruit, eoſque ruinis oppreſſit. Vel hæc centum viginti ſeptem millia quæ evaſerant e certamine, mœnia urbis propugnanda ſuſceperint, ſeu quaſſata ab Iſraelitis, ſeu ſponte, mœnia corruerunt, exitio propugnatoribus ſuis illato. Quo pacto id acciderit, ignoramus; accidiſſe tamen conſtat.

In cubiculum quod erat intra cubiculum (6), in intimum conclavis penetrale. In penetrale, quod intra cubiculum paratum erat, uti pro noſtra ædificandi ratione frequentiſſime ſervatur. Ferunt, in Hiſpania lectum in cubiculo ſtratum, jacere in abditiſſima cubiculi parte, pariete undique ad certam quamdam altitudinem ſepta, atque a reliquo cubiculo diviſa. Id exprimit ad literam *cubiculum intra cubiculum*. Captam Urbem cernens Benadad, ſubeunteſque per patentem muri hiatum Iſraelitas, ſubiit intimum ædium ſuarum penetrale ut lateret. Michæas filius Jemla prædicit Achabo inferius xxii. 25. futurum ut *ingrediatur cubiculum cubiculi, ut ſe abſcondat*. Subiiſſe ſubterraneum quemdam receſſum Benadadum, ſcribit Joſephus (7).

℣. 31. Ponamus saccos in lumbis nostris, et funiculos in capitibus nostris. Sacci, de quibus hic, longe alii ſunt a ſaccis, quibus triticum continetur. Veſtes ſunt rudes, atræ & lugubres, quæ ad lumbos plerumque cingebantur, quarum erat uſus in luctibus. Mos gerendi ſaccos in rebus afflictis & luctibus, occurrit frequentiſſime in Scriptura; ſed forma & materia ſaccorum non ſatis diſtincte cognoſcitur. Solemne autem fuiſſe Syris tradit Joſephus (8), ut cum ſupplicaturi veniebant, funibus caput vel collum (9) cingerent. Pſammeticum Regem Ægypti deductum ad ſupplicium cum duobus millibus Ægyptiorum, funibus collo cinctis, & fræno in os dato, pingit Herodotus (10). Beſſi ad Alexandrum adducti collum catena cingebat (11).

℣. 33. Festinantes rapuerunt verbum ex ore ejus. Hebræus (12): *Feſtinaverunt & rapuerunt, num ipſe eſſet*. Vel potius: *Et miſcentes* verba ejus cum ſuis *dixerunt: Frater ne tuus eſt Benadad?* Quaſi ſcilicet illi, ut audiere Achabum de Benadado loquentem *fratrem ſuum* appellare; reputarint, minus quam pro opinione hominem inviſum eſſe victori. Ex hoc reſponſo proſperum omen duxere, nec excidere paſſi lætum illud, *Frater meus*, a Rege prolatum, ſciſcitati ſunt, an volens prudenſque, & infelicem Principem miſeratus id pronunciaſſet. Sed Interpretum plures (13) reddunt planius: Feſtinarunt, & arripuerunt illud ab ipſo. Collegerunt avide verbum, quod Regi exciderat. Pronius id nobis videtur, & magis Vulgatæ ac Septuaginta cohærere. Cernis hic morem Principum amicorum, & fœderatorum, qui ſe fratris nomine appellabant: Reges ſubditi & tributarii filios ſe ac ſubditos profitebantur. Achaz hoc ſe nomine ſubmittit, verba ad Theglatphalaſſarum faciens (14).

℣. 34. Civitates, quas tulit pater meus a patre tuo, reddam. Innuit facile Benadad urbes quas ſuperior Syriæ Rex Baaſæ Regi Iſraelis eripuerat (15). Baaſam autem patrem Achabi appellat, reputans, quemadmodum in Regno illi ſucceſſerat, ita pariter eodem patre natum eſſe. Nihil enim erat, cur Benadad ſcire teneretur genealogiam Achabi, neque quibus vicibus poſt Baaſam Regni illius ſucceſſio mutata fuerit.

Et plateas fac tibi in Damasco, sicut pater meus in Samaria. Jus poſſidendi publicas plateas in Metropoli alterius Principis, indicium eſt utique imperii vel ſupremi, vel ſaltem æqualis. Plateis accedebant ædes in commodum mercatorum ſubditorum Benadadi, qui vectigalia illi ex mercibus ſolvebant. Idem privilegium Achabo pro ſubditis ſuis in urbe Damaſco offert hic Benadad, daturum ſe ſcilicet illis plateam, permiſſo libero commercio, & exercitio Legum, atque Achabi obedientia. Sed fidem ſuam liberaſſe Syrum, nullibi conſtat. Quin nec reſtituit Ramoth Galaad; quam ut recuperaret Achabus, movere in illam arma coactus eſt, ut inferius narrabitur (16). Interpretum quidam reddunt Hebræum (17): *Facies tibi vicos* (18) *in Damaſco*. Exponunt alii (19) de vallo, vel munitionibus, quibus prohiberentur Syri ab aditu in regionem Iſraeliticam, viciſſim autem Iſraelitis pateret ingreſſus in ditionem Syriacam. Porro David præſidia, vel copias in nonnullis Syriæ urbibus locaverat (20): *Poſuit David præſidium in Syria Damaſci*; locaverat & in Idumæa (21). Philiſthæi, Samuele rerum potiente, initio Regni Saulis, quam multis in locis ſtationes conſtituerant (22): *Stationes Philiſthinorum*. Idem, inquiunt, permiſit Benadad, ut ab Achabo præſtaretur in Urbe Damaſco, vel in locis adjacentibus.

Ego foederatus recedam a te. Author Vulgatæ, alii-

(1) Καὶ παρεγένοντο εἰς ἀπαντὴν αὐτῶν. (2) 1. Reg. xv. 4. (3) Jerem. vi. 3. (4) כשני חשיפי עזים (5) Boch. de animal. prima parte lib. 2. c. 51. (6) חדר בחדר (7) Antiqu. lib. 8. c. 8. εἰς ὑπόγειον οἶκον ἐκρύβη. (8) Joseph. loco citato. Σάκκους ἐνδυσάμενοι, καὶ σχοινία ταῖς κεφαλαῖς περιθέμενοι, ἔθος γὰρ τὸ παλαιὸν ἦν ἱκετῶν Σύροις. (9) Arab. Munſt. Vat. (10) Herodot. l. 3. c. 14. Τοὺς δὲ αὐχένας κάλῳ δεδεμένους ἄγων, καὶ τὰ στόματα ἐγκεχαλινωμένους. (11) Quint. Curt. l. 7. (12) וימהרו ויחלטו הממנו (13) Jonath. Septuag. Tigur. Munſt. Oſir. &c. Legunt ויחלטוה ממנו (14) 4. Reg. xvi. 7. (15) Vide ſuperius 3. Reg. xv. 20. (16) 3. Reg. xxii. 3. (17) וחצות תשים לך בדמשק כאשר שם אבי בשמרון (18) Ita Syr. Arab. Vat. (19) Grot. Jun. Piſcat. Ita Septuag. Ἐξόδους θήσεις σεαυτῷ ἐν Δαμασκῷ. Joseph. Antiqu. lib. 8. c. 5. καὶ Δαμασκοῦ ὡς τὰ ἐξελαύνειν εἰς αὐτήν, καθὼς καὶ ὁ πατήρ αὐτοῦ εἰς Σαμάρειαν εἶχεν, &c. (20) 2. Reg. viii. 6. (21) 2. Reg. viii. 14. *Poſuit in Idumæa cuſtodes, ſtatuitque præſidium.* (22) 1. Reg. x. 5. xiii. 3. 4. & 2. Reg. xxiii. 14.

Samariam evadat, occupaturum omnia, ut ne angulus quidem pro vulpibus maneat.

℣. 11. Ne glorietur accinctus æque ut diſcinctus. Sæpe qui armis melioribus inſtruuntur, cadunt primi. Ne epinicium ante victoriam canas. Aliter: Gloriandum eſt non cum adhuc certas, vel cum arma capis, ſed cum abſoluto feliciter certamine, retuliſti victoriam. Hebræus (1) ad literam: *Ne ſe laudet vinctus, ſicut apertus.* Seu potius: *Ne glorietur qui claudit, ſicut qui aperit* (2). Facile eſt quidem Urbem corona cingere; ſed expugnare, maxime arduum eſt. Facilius eſt ligare, quam ſolvere, claudere, quam aperire. Qui aperit, merito quodammodo gloriatur: qui claudit, gloriatur immerito. Stabat Benadad ante Samariam, eamque exercitu clauſam tenebat: ſed urbs ſubigenda erat, nec res eo uſque devenerant. Chaldæus: *Ne laudet ſe armatus & deſcendens in prælium, ſicut vir qui vincit.* Septuaginta (3): *Non glorietur gibboſus ut rectus.*

℣. 12. Circumdate civitatem, et circumdederunt eam. Nondum urbem arctiori corona cinxerant, nec obſidionem rite formaverant: vallum, & foſſa nulla ducta fuerat, quibus cuilibet ingreſſus egreſſuſque pro recepta tunc in obſidionibus diſciplina prohiberetur. Quis ſibi perſuaſurus fuiſſet, Achabum pati obſidionem ſuſcepiſſe adverſus formidabilem adeo exercitum, duobus & triginta Regibus validum? Hebræus (4): *Dixit: Ponite; & poſuerunt ſuper* [vel contra] *civitatem.* Accedite propius ad urbem, admovete copias, & machinas, parate omnia ad aggreſſionem neceſſaria. Septuaginta (5): *Ædificate vallum circum urbem.* Chaldæus: *Dixit: Expedimini; & poſuerunt ſe in inſidiis adverſus urbem.* Quæ poſtrema explicatio literæ magis ſervire videtur. Utitur ſæpe Scriptura hac phraſi in obſidionibus urbium (6): *Ponere, locare inſidias.* Phraſis eſt hic ſuſpenſa: *Ponite; & poſuerunt*, uti vernaculo noſtrorum ſermone uſurpari ſolet, *Ils donnerent*, pro manus conſeruerunt, inierunt prælium.

℣. 13. Propheta unus accedens ad Achab. Mirari ſubit, nec Eliam, nec Eliſæum unquam in omnibus hiſce bellis prodire, qui Principes erant Prophetarum Iſraelis. Prophetæ reliqui liberius patent, quorum numerus frequentiſſimus in ea regione fuiſſe videtur. An bella hæc prius geſta ſunt, quam Jezabel aperte viros ſanctos inſectaretur? An impia hæc mulier quietem illis aliquam reliquit, ut Elias in ſcenam ulterius non venit? Utcumque res ſeſe habeat, Propheta, de quo hic Scriptura, quis ſit, penitus latet, uti & cæteri, de quibus in reliquo hoc Capite, ſi tamen plures fuere; neque enim ea de re ſatis conſtat.

℣. 14. Per pediſſequos Principum Provinciarum. Ambiguus eſt Hebræus (7); innuere enim poteſt vel *filios*, vel *famulos Principum Provinciarum*; quæ res Interpretes trahit in partes. Sunt qui accipiant de ſummorum Præfectorum filiis, quos appellamus ephebos, vel liberos nobiles, qui in aula apud Regem educantur. Malunt alii, ſermonem eſſe de pediſſequis Principum. Sane manus erant viribus & experientia carens, ex qua nihil tale in re præſenti ſperandum erat.

Quis incipiet præliari? Hebræus (8): *Quis ligabit bellum*; quis conſeret primus manum? ego ne prior movebo in hoſtem, an aggredientem expectabo? Chaldæus (9), juxta Vatablum: *Quis deferet vexillum belli?* Achabum per ſe adeſſe certamini, nihil cogebat: ſatis erat, ſi per ſuos agmini imperaret, ut veritas verbis illis conſtaret, ipſum ſcilicet aggredi hoſtes: illud enim quotidiano ſermone uſurpatur. Hiſtoriæ hujus ſeries demonſtrat, Achabum nunquam pedem extuliſſe ab urbe, cum fuſos hoſtes aſpexit ℣. 21. Primo igitur manum miſit ducentorum ac triginta trium adoleſcentulorum, deinde reliquas copias ſeptem millium. Hoc exercitu Benadad, cum triginta duobus Regibus, actus eſt in fugam.

℣. 23. Dii montium ſunt dii eorum. Solemne eſt hominibus, ut malorum ſuorum culpam a ſe amoveant. Adverſam habere ſe fortunam ſemper dolent. Cavebant utique aſſentatores Benadadi, ne veram malorum originem detegerent. Hominis ſuperbia & audacia, quæ Deum adverſus illum provocaverant, æquo animo inviſam hanc veritatem audire non ſiviſſent. Ea docti perſuaſione, mundum per varia Numina ita diſtribui, ut ſingula aſſignato ſibi loco præſideant, inſuſurrant auribus Principis, Deum Hebræorum valere in montibus; quare ſi Iſraelitæ in agrum trahi poſſint, ceſſante favore, & viribus Numinis illorum, fruſtra illos eſſe conaturos.

Abſurdam hanc opinionem Syris illud confirmare poterat, quod Deus Iſraelis Templum haberet ac vetuſtiſſima altaria in montibus erecta. Legem rogaverat in Sinai, eamque in terra promiſſionis ſuper montes Garizim & Hebal promulgari juſſerat. Prodigium, quod paulo ante in Carmelo ſpectatum fuerat, undique increbuerat. *Denique* relata de Syris victoria prope Samariam, urbem in monte conſidentem, opinionem hanc altius mentibus imprimebat. Peculiares Deos tribuebant Profani ſingulis gentibus, regionibus, urbibus. Montes, nemora, fontes, maria, amnes ſuo parebant Numini; mare Neptuno, Cœlum Jovi, Infernus Plutoni, ignis Vulcano. Sui erant dii belli præſides, negotiationis, ſtudiorum, eloquentiæ, hortorum, voluptatis, &c. Ita Paganorum Theologia.

℣. 24. Amove Reges ſingulos ab exercitu tuo, et pone principes pro eis. Singuli illi imperium abſolutum affectabant; diviſuſque tot Imperatoribus exercitus infirmabatur. Reges auxiliares in urbibus ſuis ſe continebunt, ipſorumque copiis præerunt Duces periti, qui ad tuum nutum regent milites.

Multos eſſe malum Reges, Rex unicus eſto.

℣. 26. Aſcendit in Aphec, Urbem in Cœleſyria inclytam, de qua nos ad Joſue xix. 30. Parebat tunc Syris, ejuſque nomen ea ætate celebre erat. Obtigit ſortito Tribui Aſer, quæ tamen ea potita nunquam eſſe videtur. Eadem facile eſt urbs, cujus ſuperſunt veſtigia in lacu montis Libani merſa (10). Occupat is lacus tractum, quem olim facile Aphec tenebat. Eſt autem lacus novem vel decem millium paſſuum circuitu. In imo aquarum fundo integræ plures ædes cernuntur; ex quibus capere licet urbis pulcherrimæ & ampliſſimæ argumentum. Decem horarum itinere abeſt ab agro Balbec. Docent Veteres, jacuiſſe Lacum prope Aphacam, ejuſque in agro ſolum quoddam, unde flammæ identidem erumpebant. Juvant hæc noſtram conjecturam; quod ſcilicet urbs Aphec lacu abſorpta fuerit, ſubſidente ejus ſolo, cum ejus viſcera depaſcens ignis ſolidam materiam, cui inhærebat, & ædium fundamenta incumbebant, abſumpſerit (11). Lacus hujus aquas craſſas & bituminis plenas reputemus oportet, ſiquidem vera narrantur, munera ſcilicet Deæ Aphachitidi oblata ad aquas hujus lacus probari conſueviſſe. Si illa aquis injecta mergebantur, grata erant Numini; ſi innatarent, ingrata. Levia quæcumque, uti linum & lana, mergebantur, lapides & ſæpe metalla innatabant. Aphec, de qua hic textus, alia eſt urbs, de qua

1. Reg.

---

[1] אל יתהלל חגר כמפתח [2] Ita Syr. & Hebr. mutatis punctis. [3] Μὴ καυχάσθω ὁ κυρτὸς ὡς ὀρθός. [4] שימו וישימו על העיר [5] Septuag. Οἰκοδομήσατε χάρακα. [6] Joſue viii. 2. 4. Judic. ix. 34. 43. xx. 29. 1. Reg. xv. 5. & 4. Reg. vi. 8. [7] נערי שרי המדינות [8] מי יאסר המלחמה [9] מן ישקים קרבה [10] Vide Voyage du Levant de Paul Lucas tome 1. chap. 10. page 265. [11] Vide Zozim. lib. 1. c. 58.

2. Reg. 19. jacente in magno campo haud procul ab Jezraele; atque omnino diverſa ab altera Aphec monti Libano inſidente.

℣. 27. Acceptis cibariis profecti. Hebræum וכלכלו in alium ſenſum reddi poteſt: Omnes in unum convenere, ut nemo unus deeſſet. Luſtraris copiis, nemo unus ab hac expeditione abfuit. Chaldæus: *Omnes parati eſſent*. Syriacus & Arabs: *Inſtruxerunt ſeſe*. Septuaginta (1): *Advenerunt in occurſum eorum*.

Quasi duo parvi greges caprarum. Solemne eſt Scripturæ exercitus gregibus, & Duces paſtoribus comparare. *Recenſuit Saul copias ſuas, quaſi agnos* (2). *Venient ad eam* [in Sion] *paſtores, & greges eorum; fixerunt in ea tentoria in circuitu* (3). Hebræus hic legit (4): *Tamquam duo greges denudati caprarum*, caprarum tonſarum. Scitum eſt, tonderi in ea regione conſuaviſſe capras, earumque vellus in pannos texi. Tonſis capris idcirco comparatur Iſraelitarum exercitus, ſive quod caprarum grex, cum tonſus eſt, conſertus magis, ſive minutas magis videatur: ſive quod nudæ capræ minus jucundum aſpectum exhibeant. Demonſtrat Bochartus (5), verba Textus exprimere *duos hœdos*, ut agmen Iſraelis perinde ſit ac duo parvi hœdi, matri adhærentes. Minimam iſta quidem rei imaginem exhibent; ſed neque ſatis naturale eſt, unicum exercitum comparare duplici gregi. Septuaginta, Chaldæus, Syriacus & Arabs exhibent tantum *duos greges caprarum*, nec exprimunt epithetum *parvi*, quod tamen cæteri fere omnes Interpretes ſervant.

℣. 30. Cecidit murus super viginti septem millia hominum. Commiſſum eſt prælium in agro Aphec vicino; verſique in fugam Syri urbem effuſo curſu petierunt; cumque alter alterum ingredientem urgerent, murus urbis corruit, eoſque ruinis oppreſſit. Vel hæc centum viginti ſeptem millia quæ evaſerant e certamine, mœnia urbis propugnanda ſuſceperint, ſeu quaſſata ab Iſraelitis, ſeu ſponte, mœnia corruerunt, exitio propugnatoribus ſuis illato. Quo pacto id acciderit, ignoramus; accidiſſe tamen conſtat.

In cubiculum quod erat intra cubiculum (6), in intimum conclavis penetrale. In penetrale, quod intra cubiculum paratum erat, uti pro noſtra ædificandi ratione frequentiſſime ſervatur. Ferunt, in Hiſpania lectum in cubiculo ſtratum, jacere in abditiſſima cubiculi parte, pariete undique ad certam quamdam altitudinem ſepta, atque a reliquo cubiculo diviſa. Id exprimit ad literam *cubiculum intra cubiculum*. Captam Urbem cernens Benadad, ſubeunteſque per patentem muri hiatum Iſraelitas, ſubiit intimum ædium ſuarum penetrale ut lateret. Michæas filius Jemla prædicit Achabo inferius XXII. 25. futurum ut *ingrediatur cubiculum cubiculi, ut ſe abſcondat*. Subiiſſe ſubterraneum quemdam receſſum Benadadum, ſcribit Joſephus (7).

℣. 31. Ponamus saccos in lumbis nostris, et funiculos in capitibus nostris. Sacci, de quibus hic, longe alii ſunt a ſaccis, quibus triticum continetur. Veſtes ſunt rudes, atræ & lugubres, quæ ad lumbos plerumque cingebantur, quarum erat uſus in luctibus. Mos gerendi ſaccos in rebus afflictis & luctibus, occurrit frequentiſſime in Scriptura; ſed forma & materia ſaccorum non ſatis diſtincte cognoſcitur. Solemne autem fuiſſe Syris tradit Joſephus (8), ut cum ſupplicaturi veniebant, funibus caput vel collum (9) cingerent. Pſammeticum Regem Ægypti deductum ad ſupplicium cum duobus millibus Ægyptiorum, funibus collo cinctis, & fræno in os dato, pingit Herodotus (10). Beſſi ad Alexandrum adducti collum catena cingebat (11).

℣. 33. Festinantes rapuerunt verbum ex ore ejus. Hebræus (12): *Feſtinaverunt & rapuerunt, num ipſe eſſet*. Vel potius: *Et miſcentes* verba ejus cum ſuis *dixerunt: Frater ne tuus eſt Benadad?* Quaſi ſcilicet illi, ut audiere Achabum de Benadado loquentem *fratrem ſuum* appellare; reputarint, minus quam pro opinione hominem inviſum eſſe victori. Ex hoc reſponſo proſperum omen duxere, nec excidere paſſi lætum illud, *Frater meus*, a Rege prolatum, ſciſcitati ſunt, an volens prudenſque, & infelicem Principem miſeratus id pronunciaſſet. Sed Interpretum plures (13) reddunt planius: Feſtinarunt, & arripuerunt illud ab ipſo. Collegerunt avide verbum, quod Regi exciderat. Pronius id nobis videtur, & magis Vulgatæ ac Septuaginta cohærere. Cernis hic morem Principum amicorum, & fœderatorum, qui ſe fratris nomine appellabant: Reges ſubditi & tributarii filios ſe ac ſubditos profitebantur. Achaz hoc ſe nomine ſubmittit, verba ad Theglarphalaſſarum faciens (14).

℣. 34. Civitates, quas tulit pater meus a patre tuo, reddam. Innuit facile Benadad urbes quas ſuperior Syriæ Rex Baaſæ Regi Iſraelis eripuerat (15). Baaſam autem patrem Achabi appellat, reputans, quemadmodum in Regno illi ſucceſſerat, ita pariter eodem patre natum eſſe. Nihil enim erat, cur Benadad ſcire teneretur genealogiam Achabi, neque quibus vicibus poſt Baaſam Regni illius ſucceſſio mutata fuerit.

Et plateas fac tibi in Damasco, sicut pater meus in Samaria. Jus poſſidendi publicas plateas in Metropoli alterius Principis, indicium eſt utique imperii vel ſupremi, vel ſaltem æqualis. Plateis accedebant ædes in commodum mercatorum ſubditorum Benadadi, qui vectigalia illi ex mercibus ſolvebant. Idem privilegium Achabo pro ſubditis ſuis in urbe Damaſco offert hic Benadad, daturum ſe ſcilicet illis plateam, permiſſo libero commercio, & exercitio Legum, atque Achabi obedientia. Sed fidem ſuam liberaſſe Syrum, nullibi conſtat. Quin nec reſtituit Ramoth Galaad; quam ut recuperaret Achabus, movere in illam arma coactus eſt, ut inferius narrabitur (16). Interpretum quidam reddunt Hebræum (17): *Facies tibi vicos* (18) *in Damaſco*. Exponunt alii (19) de vallo, vel munitionibus, quibus prohiberentur Syri ab aditu in regionem Iſraeliticam, viciſſim autem Iſraelitis pateret ingreſſus in ditionem Syriacam. Porro David præſidia, vel copias in nonnullis Syriæ urbibus locaverat (20): *Poſuit David præſidium in Syria Damaſci*; locaverat & in Idumæa (21). Philiſthæi, Samuele rerum potiente, initio Regni Saulis, quam multis in locis ſtationes conſtituerant (22): *Stationes Philiſthinorum*. Idem, inquiunt, permiſit Benadad, ut ab Achabo præſtaretur in Urbe Damaſco, vel in locis adjacentibus.

Ego foederatus recedam a te. Author Vulgatæ, alii-

(1) Καὶ παρεγένοντο εἰς ἀπάντησιν αὐτῶν. (2) 1. Reg. XV. 4. (3) Jerem. VI. 3. (4) כשני חשפי עזים (5) Boch. de animal. prima parte lib. 2. c. 51. (6) חדר בחדר (7) Antiqu. lib. 8. c. 8. εἰς ὑπόγειον οἶκον ἐκρύβη. (8) Joſeph. loco citato. Σάκκους ἐνδυσάμενοι, καὶ σχοινία ταῖς κεφαλαῖς περιθέμενοι, οὕτω γὰρ τὸ παλαιὸν οἱ ἱκέται Σύροι. (9) Arab. Munſt. Vat. (10) Herodot. l. 3. c. 14. Τὰς δὲ αὐχένας κάλῳ δεδεμένους ἄγεσθαι, καὶ τὰ στόματα ἐγκεχαλινωμένους. (11) Quint. Curt. l. 7. (12) וימהרו ויחלטו הממנו (13) Jonath. Septuag. Tigur. Munſt. Oſir. &c. Legunt ויחלטוה ממנו (14) 4. Reg. XVI. 7. (15) Vide ſuperius 3. Reg. XV. 20. (16) 3. Reg. XXII. 3. (17) וחוצות תשים לך בדמשק כאשר שם אבי בשמרון (18) Ita Syr. Arab. Vat. (19) Grot. Jun. Piſcat. Ita Septuag. Ἐξόδους θήσεις σεαυτῷ ἐν Δαμασκῷ. Joſeph. Antiqu. lib. 8. c. 8. καὶ Δαμασκοῦ ὡς τὸ ἐξελάσαι εἰς αὐτὴν, καθὼς καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ εἰς Σαμάρειαν εἶχεν, &c. (20) 2. Reg. VIII. 6. (21) 2. Reg. VIII. 14. *Poſuit in Idumæa cuſtodes, ſtatuitque præſidium*. (22) 1. Reg. X. 5. XIII. 3. 4. & 2. Reg. XXIII. 14.

aliique poſt illum plures, verba Textus explicant ceu partem petitionis ſeu conditionis, quam Benadad offerebat: ſed Textus Hebræus accipiendus eſt de reſponſo Achabi ad Benadadum: *Et ego in fœdere dimittam te* (1). Si integra fide hæc omnia reddideris, liberum te remittam, & habebo fœderatum.

℣. 35. Dixit ad socium suum in sermone Domini. Vir hic Propheta, qui Dei nomine fratri ſuo imperavit, ut cæderet ſe ac vulneraret, non alius fuiſſe dicitur (2), quam *Michæas*, de quo inferius (3). Importuna utique, ſeu miſeratione, ſeu obſequio manum retinuit Propheta, ne virum cæderet, Deo licet mandante. Hanc ejus pervicaciam diſplicuiſſe Domino, demonſtrat eventus, quippe qui a leone diſcerptus eſt. Vulnus Prophetæ, prophetia erat & ſymbolum eorum, quæ manebant Achabum. Genus eſt loquentium Oraculorum, vel actionum Propheticarum, de quibus actum eſt (4).

℣. 38. Mutavit aſperſione pulveris os et oculos suos. Hebræus ad literam (5): *Mutavit ſe in velo*, quod poſuit ſuper oculos ſuos, vel *pulvere*, quem aſperſit *ſuper oculos ſuos*.

℣. 40. Hoc est judicium tuum, quod ipse decrevisti. Tuam tibi mortis ſententiam indixiſti. Perſimili artificio uſus eſt Nathan, exprobraturus Davidi adulterium & cædem (6); & mulier Thecuitis a Joabo miſſa, ut revocationem Abſalomi impetraret (7). Docent Hebræi (8), Deum Achabo de Syris non abſimile quid imperaſſe, quod olim injunxerat Sauli de Amalecitis. Delendus ab illo erat gentis illius Rex, ſubigendus populus, ultio de illis expetenda, pro ſacrilegio, & blaſphemia, quibus auſi ſunt tribuere Deo Iſraelis imperium montium, ut ad agrum non perveniret, Deus qui promiſerat Achabo de toto hoſtium exercitu victoriam, conſulendus erat utique quid de victis agendum foret.

℣. 42. Virum dignum morte. Hebræus (9): *Dimiſiſti virum anathematis mei de manu*. Benadadum, quem ego neci deſtinavi, & quem a re delendum decrevi. Sunt qui (10) reddant Textum: *Virum retium meorum*; virum ſcilicet, qui in retia mea inciderat, qui mihi tamquam præda venatori erat, tu vero ad arbitrium de illo decreviſti, & liberum meo injuſſu dimiſiſti.

℣. 43. Audire contemnens, et furibundus venit in Samariam. Hebræus סר וזעף *Abiit indignatus*, vel *contumax*, *& in furore*. Alii (11): *Triſtis & indignabundus*; vel *turbatus & dolens*. Septuaginta (12): *Confuſus*, *& triſtis*. Tradit Joſephus (13), Achabum exarſiſſe in Prophetam, eumque detruſiſſo in carcerem, vix Samariam pervenit, triſti autem vaticinio peterritum ſeſe domi clauſiſſe.

(1) ואני בברית אשלחך (2) Ita Joſeph. Antiq. l. 8. c. 8. & Hebr. Vide Sanct. & Cornel. (3) 3. Reg. xxii. 8. (4) 3. Reg. xi. 30. (5) ויתחפש באפר על עיניו Septuag. Καὶ κατεδήσατο ὁ τελαμῶνι τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ. *Et obligavit vitta oculos ſuos*. Aqu. Ἐσκαλάσατο ὡς σποδῷ ἐπὶ ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ. Sym. κατεπασάμενος σποδῷ μετὰ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ. *Operuit cinere, vel pulvere oculos ſuos*. (6) 2. Reg. xii. & ſequ. (7) 2. Reg. xiv. 4. (8) Rabb. ita, & Rupert. lib. 5. c. 13. Dionyſ. Lyran. Sanct. (9) שלחת את איש חרמי (10) Vatab. Malv. Vide Mich. vii. 2. Habac. i. 17. ubi חרם hoc ſenſu uſurpatur. (11) Pagn. Syr. (12) Septuag. Συγκεχυμένος, καὶ ἐκλελυμένος. (13) Joſeph. Antiq. lib. 8. cap. 8.

CAPUT XXI.

Naboth vineam ſuam Achabo dare recuſat; quem damnari ſupplicio lapidum Jezabel curat. Elias gravibus minis Principem terret. Achabus demittitur animo, eumque pœnitet criminis; quare pœnam illi decretam Deus transfert in alterum.

A. M. 3115. ante J. Chr. 889. ℣. 1. POſt verba autem hæc, tempore illo vinea erat Naboth Jezrahelitæ, qui erat
in Jezrahel, juxta palatium Achab regis Samariæ. 2. Locutus eſt ergo A-
chab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum,
quia vicina eſt, & prope domum meam, daboque tibi pro ea vineam meliorem:
aut ſi commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna eſt. 3. Cui reſpondit
Naboth; Propitius ſit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.
4. Venit ergo Achab in domum ſuam indignans, & frendens ſuper verbo, quod lo-
cutus fuerat ad eum Naboth Jezrahelites, dicens: Non dabo tibi hæreditatem patrum
meorum. Et projiciens ſe in lectulum ſuum, avertit faciem ſuam ad parietem, &
non comedit panem. 5. Ingreſſa eſt autem ad eum Jezabel uxor ſua, dixitque ei:
Quid eſt hoc, unde anima tua contriſtata eſt? & quare non comedis panem? 6. Qui
reſpondit ei: Locutus ſum Naboth Jezrahelitæ, & dixi ei: Da mihi vineam tuam,
accepta pecunia: aut, ſi tibi placet, dabo tibi vineam meliorem pro ea. Et ille ait:
Non dabo tibi vineam meam. 7. Dixit ergo ad eum Jezabel uxor ejus: Grandis au-
ctoritatis es, & bene regis regnum Iſrael. Surge, & comede panem, & æquo ani-
mo eſto, ego dabo tibi vineam Naboth Jezrahelitæ. 8. Scripſit itaque litteras ex
nomine Achab, & ſignavit eas annulo ejus, & miſit ad majores natu, & optimates,
qui erant in ci itate ejus, & habitabant cum Naboth. 9. Litterarum autem hæc
erat ſententia: Prædicate jejunium, & ſedere facite Naboth inter primos populi. 10.
Et ſubmittite duos viros filios Belial contra eum, & falſum teſtimonium dicant: Be-
nedixit Deum, & regem: & educite eum, & lapidate, ſicque moriatur. 11. Fece-

runt

runt cives ejus majores natu, & optimates, qui habitabant cum eo in urbe, ſicut
præceperat eis Jezabel, & ſicut ſcriptum erat in litteris, quas miſerit ad eos: 12.
Prædicaverunt jejunium, & ſedere fecerunt Naboth inter primos populi: 13. Et ad-
ductis duobus viris filiis diaboli, fecerunt eos ſedere contra eum: at illi, ſcilicet ut
viri diabolici, dixerunt contra eum teſtimonium coram multitudine: Benedixit Na-
both Deum, & regem: quam ob rem eduxerunt eum extra civitatem, & lapidibus
interfecerunt. 14. Miſeruntque ad Jezabel, dicentes: Lapidatus eſt Naboth, & mor-
tuus eſt. 15. Factum eſt autem, cum audiſſet Jezabel lapidatum Naboth, & mor-
tuum, locuta eſt ad Achab: Surge, & poſſide vineam Naboth Jezrahelitæ, qui no-
luit tibi acquieſcere, & dare eam accepta pecunia: non enim vivit Naboth, ſed mor-
tuus eſt. 16. Quod cum audiſſet Achab, mortuum videlicet Naboth, ſurrexit, &
deſcendebat in vineam Naboth Jezrahelitæ, ut poſſideret eam. 17. Factus eſt igitur
ſermo Domini ad Eliam Theſbiten, dicens: 18. Surge, & deſcende in occurſum
Achab regis Iſrael, qui eſt in Samaria, ecce ad vineam Naboth deſcendit, ut poſſi-
deat eam: 19. Et loqueris ad eum, dicens: Hæc dicit Dominus: Occidiſti, inſuper
& poſſediſti. Et poſt hæc addes: Hæc dicit Dominus: In loco hoc, in quo linxe-
runt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum. 20. Et ait Achab
ad Eliam: Num inveniſti me inimicum tibi? Qui dixit. Inveni, eo quod venumda-
tus ſis, ut faceres malum in conſpectu Domini. 21. Ecce ego inducam ſuper te
malum, & demetam poſteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parie-
tem, & clauſum, & ultimum in Iſrael. 22. Et dabo domum tuam ſicut domum
Jeroboam filii Nabat, & ſicut domum Baaſa filii Achia: quia egiſti, ut me ad ira-
cundiam provocares, & peccare feciſti Iſrael. 23. Sed & de Jezabel locutus eſt Do-
minus, dicens: Canes comedent Jezabel in agro Jezrahel. 24. Si mortuus fuerit A-
chab in civitate, comedent eum canes: ſi autem mortuus fuerit in agro, comedent
eum volucres cœli. 25. Igitur non fuit alter talis ſicut Achab, qui venumdatus eſt,
ut faceret malum in conſpectu Domini: concitavit enim eum Jezabel uxor ſua, 26.
Et abominabilis factus eſt, in tantum, ut ſequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi,
quos conſumpſit Dominus a facie filiorum Iſrael. 27. Itaque cum audiſſet Achab ſer-
mones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque, &
dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite. 28. Et factus eſt ſermo Domini ad
Eliam Theſbiten, dicens: 29. Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? quia
igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus, ſed in diebus
filii ſui inferam malum domui ejus.

℣. 1. VINEA ERAT NABOTH, QUI ERAT IN JEZRAHEL. Jezrahelem appellat Joſephus (1) *Jeſram*, tradens pariter, Nabotho agrum prope regios hortos fuiſſe. Quo tempore hoc acciderit, ignoratur. Scriptura tantum affirmat, contigiſſe poſt expeditionem Benadadi in Iſraelem. Ante ea bella Joſephus & Septuaginta conſtituunt.

℣. 2. FACIAM MIHI HORTUM OLERUM. Hebræus ad literam (2): *Mihi erit in hortum virentium*; vel in hortum herbarum, ſive olerum, ſive aliarum herbarum. Porro de hortis aliud eſt Orientalium, quam apud noſtros, ingenium. Syri præſertim deliciarum loco habent hortos, ubi cucumeres, pepones, cucurbitæ, cepæ, aliaque id generis olera proveniant: vix autem illis perſuaderi poteſt, quæ ſit apud nos voluptas in deambulationibus per longa illa ambulacra, nullo alio bono, quam ut cieamur. Ex his omnibus intelligimus, Reges Iſraelis, quamquam plena & abſoluta authoritate utebantur in ſuos, nunquam tamen ſibi arrogaſſe, ut pro imperio illorum agros & hæreditates uſurparent: illud autem, quod Samuel expoſuerat Hebræis tamquam *jus Regium*, futurum ſcilicet, ut Reges auferrent ſibi agros, & vineas privatorum (3), non de legitimo imperio intelligendum eſſe, ſed de jure arrogato, & uſurpato, uti Eſtio viſum eſt.

℣. 3. PROPITIUS SIT MIHI DOMINUS, NE DEM HÆREDITATEM PATRUM MEORUM TIBI. Vetat lex Moyſis (4), ne Iſraelitæ hæreditates ſuas perpetuo jure in alium transferant; hæc autem vigebat adhuc in Iſraele, quamquam regnante latius ubique licentia. Nunquam defuerunt viri probi, uti Nabothus, quibus nihil erat ſanctius, quam ut patrias leges tuerentur. Neque rei familiaris anguſtiam patiebatur Nabothus, quæ unica erat cauſa vendendi poſſeſſionem ſuam in lege permiſſa: *Si attenuatus frater tuus vendiderit poſſeſſiunculam ſuam*. Norat inſuper futurum, ut ſi vinea in Regem transferretur, & hortis illius accederet, nunquam ad ſe rediret, ne in Jubilæo quidem, quod in tanta legum perverſione vix ac ne vix quidem ſervabatur. Commendat merito S. Ambroſius (5) obſequium Nabothi erga legem patriam, & cultum parentum. Maculam ſe irrogaturum memoriæ ſuæ, & officio ſuo in avos defuturum credebat, ſi acceptam ab illis hæreditatem a ſe abdicaret. Illiberalis hominis eſſe duxit, inter utile, & honeſtum ancipitem deliberare. *Maluit periculum cum honeſtate, quam utilitatem cum opprobrio*.

℣. 4.

(1) Antiqu. lib. 8. cap. 7. (2) ויהי לי לגן ירק (3) 1. Reg. VIII. 14. *Agros veſtros & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis.* (4) Levit. XXV. 23. *Terra non vendetur in perpetuum, quia mea eſt, & vos advenæ & coloni mei eſtis. Unde cuncta regio poſſeſſionis veſtræ ſub redemptionis conditione vendetur.* (5) Ambroſ. lib. 3. Offic.

℣. 4. Venit indignans, et frendens. In Hebræo eædem ſunt voces, quæ ſupra xx. 43. expoſitæ ſunt. Quantam animi imbecillitatem in Achabo! Quam vere dicitur, neque amplos fundos neque magnos honores explere animum poſſe! Miſer eſt Achabus, pauper, & in opprobrio, quamquam Regni opibus, & honoribus auctus; cum interim Nabothus pauperis agelli dominus felix ſit & glorioſus (1): *Quis igitur tibi pauper eſſe videtur? qui contentus eſt ſuo, an qui concupiſcit alienum?*

Avertit faciem suam ad parietem. Tædio, & furore tabeſcens, reverſus Jezrahele Samariam, decubuit, nec cibum neque hominis aſpectum admittens. Legimus de Ezechia, qui nuncium futuræ mortis ab Iſaia accepit (2): *Convertit faciem ſuam ad parietem, & oravit Dominum.* Exhibent hic Septuaginta Achabum (3) *velantem faciem ſuam, & non manducantem panem.*

℣. 7. Grandis auctoritatis es, et bene regis Regnum Israel. Hebræus fert tantum (4): *Nunc facies Regnum ſuper Iſrael!* Vir equidem fortis es, aptus defendendo, prorogandoque Regno Iſraelis! Chaldæus: *Tu nunc proſperabis Regnum Iſrael!* Syriacus: *Tu ne aptus es ad regnandum ſuper Iſrael!* Arabs: *Te ſane dedecet eſſe Regem ſuper Iſraelitas*. Septuaginta (5): *Tu nunc ſic facis Regem ſuper Iſrael?* Orare ne decet Regem, cui jus eſt uſurpandi, & exigendi? An cujuſquam tutelæ obnoxius es?

℣. 8. Misit ad majores natu, et Optimates. Hebræus (6): *Ad Seniores & ad Albos urbis ſuæ*; ad eos ſcilicet, qui candidis ſplendidiſque veſtibus induebantur. Iis enim veſtibus viri quique honeſtiſſimi, atque ampliſſimi utebantur. *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida*, ait Eccleſiaſticus ix. 8. *& oleum de capite tuo non deficiat*. *Antiquum dierum* deſcribit Daniel vii. 9. *cujus veſtimentum candidum quaſi nix*. Neque Angeli aliter ferme quam candidatos ſeſe per viſum offerebant. Ægyptii (7), uti & veteres Græci (8) lineis induebantur. Porro carbaſinæ quæque telæ & candidiſſimæ in uſum erant locupletiſſimorum, Judicum, & Principum. Hebræum *Chorim* (9) in hunc ſenſum ſæpe uſurpatur.

℣. 9. Prædicate jejunium, uti in re graviſſima, in qua de vita Regis agitur. Porro impii Judices ſimularunt facile, nihil ſe ſcire aliud, quam quod blaſphemus aliquis indigna evomuiſſet in Deum, & Regem; furenſque Achabus civibus omnibus extrema minitaretur, niſi ſtatim reum depoſcerent ad necem. Pluribus Scripturæ exemplis diſcimus, jejunium indici conſueviſſe, cum religioſus aliquis conventus habendus eſſet. Jejunium in univerſum Regnum edixit Joſaphat; atque a reliquis urbibus populus coivit Jeroſolymam & in Templum, cum percrebuit, Ammonitas, Moabitas, & Idumæos in regionem irrupiſſe (10). Jejunium pariter decrevit Eſdras (11), cum iter initurus eſſet e Babylonia in Judæam. De extraordinariis ejuſmodi jejuniis agunt non ſemel Prophetæ (12). Deſcribit illa non obſcure, nec ſemel Joelus (13): *Sanctificate jejunium: Vocate cœtum: congregate ſenes*. Jejunia erant publica, & communia, ac cœtus ex univerſo populo indicti in loco; ubi jejunium imperatum fuerat. Hæc autem nonniſi in rebus inſolitis, & cum de rebus Reipublicæ graviſſimis ageretur, conſtituebantur. Porro conjuratio, de qua Nabothum accuſaverant, traducebatur ut crimen, quo nihil minus, quam de vita Regis ageretur.

Sunt (14) qui reddant: קראי צום *Convocate cœtum*. Sed Chaldæus, Septuaginta, Syriacus, Arabs, & optimi quique Interpretes de indicto jejunio exponunt. Utrumque conjungit Joſephus (15), tradens, in epiſtola imperatum, ut jejunium ageretur, cogereturque populus, ac toti conſeſſui præeſſet Nabothus, tamquam ex illuſtri familia vir ampliſſimus. Fert quidem Hebræus, Nabothum poſitum fuiſſe *in capite populi* בראש העם.

℣. 10. Benedixit Deum, et Regem. Hebræus (16): *Benedixiſti Deo, & Regi*; vel *Diis & Regi*; vel pariter *Principibus*, Magiſtratibus, & *Regi*. In his rebus uſurpabatur *benedicere* pro *maledicere*, ut mali ominis verbum *maledicere* evitaretur. In hunc ſenſum uxor Jobi improperabat marito (17): *Benedic Deo & morere*; idemque Jobus ſacrificia pro filiis ſuis offerebat, *Ne forte*, dicens, *peccaverint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis*. Vetat Moyſes (18): *Principi non maledices*; nullam tamen mortis pœnam indicit in tranſgreſſores; ſed uſus illam tulit, vel forte Judicum facilitas, vel juſſio Jezabelis, quibus ad necem quæſitus eſt Nabothus. Martinus de Roa (19) cenſet, *benedicere* ad literam ſonare *valedicere*, ab aliquo ſecedere; hic autem accuſatum fuiſſe Nabothum, quod Deo, & Regi valedixerit, quod neutrum agnoverit. Adhibitos fuiſſe docet Scriptura teſtes geminos, qui Nabothum accuſarent. Tres conſtituit Joſephus, quod magis congruit moribus Hebræorum, ait Grotius: ſed Textus huic numero minime favent.

Educite eum, et lapidate. Nonniſi extra urbes in ſupplicium agebantur rei. Vide noſtram Diſſertationem de ſuppliciis Hebræorum.

℣. 13. Duobus viris filiis Diaboli; duobus falſis teſtibus. Hebræus (20): *Duobus filiis Belial*; duobus viris ſine fide, pudore, & lege.

℣. 15. Surge et posside vineam Naboth. Verſabatur tunc Achabus Samariæ. Monet illum Jezabel, tuto proficiſci poſſe Jezrahelem, atque uſucapere vineam Nabothi, quippe quæ ſibi deberetur jure fiſci, uti patrimonium viri, crimine majeſtatis damnati; vel jure caducario, (21) cum Nabotho una cum filiis omnibus (22) interfecto, hæres nullus ſupereſſet. Vel denique, juxta nonnullos, hæreditas Nabothi, utpote patrui Achabi, ad Regem tamquam hæredem maxime propinquum deferebatur: hæc tamen poſterior ſententia adſtrui melioribus debet (23).

℣. 18. Surge et descende in occursum Achab. Pergebat Rex Samaria Jezrahelem. Sed ignoramus, ubi verſaretur Elias, cum juſſus eſt a Deo Achabo occurrere: nihil ignoraſſe cenſendus eſt Achabus e molitionibus Jezabelis adverſus Nabothum; quin & ſuo aſſenſu illa probaſſe, cum illi Propheta exprobraverit: *Occidiſti inſuper, & poſſediſti*. Acciderunt hæc mane alterius diei a die damnationis, & necis Nabothi (24).

℣. 19. In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. De fide hujus oraculi excidit aliquid in Achabo, qui pœnitudine, de qua ſtatim, imminens malum avertit. Quare fruſtra Interpretes laborant, ut literalem ejus expoſitionem inquirant. Nonniſi in Joramo, aliquandiu poſtea (25), integra

(1) Idem lib. de Naboth c. 2. (2) Iſai. xxxviii. 2. (3) Συνεκάλυψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἔφαγεν. (4) אתה עתה תעשה מלוכה על ישראל (5) Σὺ νῦν οὕτω ποιεῖς βασιλέα ἐπὶ Ἰσραήλ; (6) אל הזקנים ואל החורים אשר בעירו (7) Herodot. lib. 2. c. 36. & 81. (8) Homer. Odyſſ. Z. de Phæac. Thucydid. Procem. in hiſt. (9) Vide 2. Eſdr. ii. 19. iv. 14. 19. v. 7. vi. 17. vii. 5. xiii. 17. Eccle. x. 17. Iſai. xxxiv. 12. Jerem. xxxix. 15. (10) 2. Par. xx. 3. (11) 1. Eſdr. viii. 12. (12) Jerem. xxxvi. 9. (13) Joel i. 14. & ii. 15. & iii. 5. (14) Ita Vat. & Kimchi apud Mait. (15) Joſeph. Antiqu. lib. 8. c. 7. (16) ברכת אלהים ומלך (17) Job. i. 5. & ii. 9. (18) Exod. xxiii. 28. (19) Martin. de Roa lib. 1. cap. 9. Singul. in Append. (20) שנים אנשים בני בליעל (21) Ita Cajet. Toſt. Grot. Jun. Piſc. Malv. (22) Vide 4. Reg. ix. 26. *Pro ſanguine Naboth, & pro ſanguine filiorum ejus*. (23) Vide, ſi lubet, Lyran. Mait. Selden. de Succeſſione in bona cap. 25. (24) 4. Reg. ix. 26. (25) 4. Reg. ix. 25. 26.

gra illi fides conſtitit. Sanguinem Achabi linxerunt canes in piſcina Samariæ (1): ſed cadaver Jorami projectum eſt in agrum Nabothi (2): *Projice eum in agro Naboth Jezrahelitæ*.

℣. 20. Num invenisti me inimicum tibi? Quanam ratione expertus es me tibi adverſarium? Cur mihi occurriſti, infauſta nunciaturus? Hebræus (3): *Num inveniſti me inimicum tibi?* veniſti adverſarius, ut me hic in itinere aggredereris? Invenire inimicum ſuum uſurpatur ſæpe pro aggredi, occurrere illi præter expectationem.

Eo quod venumdatus sis, ut faceres malum in conspectu Domini. Phraſis emphatica, exprimens laxata omnia in malum fræna, ſervitutem peccati pravarumque cupiditatum. Non ſatis eſt ſi dicam, te perinde ac mercenarium in malum incumbere; ſervus es emptus, venumdatus ut malum facias; & *malum coram Domino*, ideſt palam, audacter, & proterve. Bonum vel malum eſſe *coram Domino*, ſtylo Scripturæ, eſt mala omnia graviſſima perpetrare. Imperium malarum cupiditatum in impios poeta quidam ita deſcribit:

Urget enim dominus mentem non lenis, & acres
Subjectat laſſo ſtimulos.

Tacitus (4): *Luxui saginæque mancipatus emptuſque* [*Vitellius*].

℣. 21. Mingentem ad parietem &c. Vide ſupra 1. Regum xxv. 22.

℣. 23. Canes comedent Jezabel in agro Jezrahel; ſeu potius, juxta Hebræum בחל יזרעאל *Intra antemurale Jezrahel*. De hoc Oraculo nihil excidit. Jezabel ſtans ſuper mœnia, vel ſuper portam urbis Jezrahelis, cum Jehu ingrediebatur, præceps acta eſt ab Eunuchis, ejuſdem Principis juſſu, ceciditque intra ſeptum (5) medium inter antemurale & prima mœnia.

℣. 24. Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes. Sententiæ hujus ſeveritatem temperavit pœnitudo, & animi demiſſio, qua crimen ſuum luxit Achabus. Principis hujus cadaver ſepulturæ mandatum eſt in urbe Samaria. Funeſta quidem morte interiit, lethali ſagittæ vulnere confectus in prælio cum Syris; ſed honeſtiſſimam ſepulturam obtinuit (6): *Mortuus eſt autem Rex, & perlatus eſt in Samariam; ſepelieruntque Regem in Samaria*. Prænunciatam hic ultionem devolvit Deus in caput Jorami filii Achabi. Vide iv. Regum ix. 25. Sed Textus Hebræus hic (7) alium ſenſum offert, quo ardua omnia tolluntur: *Quicumque ex genere Achab mortui fuerint in civitate, comedent eos canes; & quicumque morientur in agris, devorabunt eos volucres*. Ita interpretantur Chaldæus, Syriacus, Arabs, & Septuaginta (8). Quo ſenſu Prophetiæ litera non in Achabo quidem, ſed in ejus poſteris implenda erat.

℣. 26. Et abominabilis factus est, in tantum, ut sequeretur Idola, quæ fecerant Amorrhæi. Hebræus: *Et fecit abominationes valde, eundo poſt Idola, juxta omnia quæ fecerant Amorrhæi, quos expulit Dominus* (9). Idola, Phœnicum, & cultus idem fuiſſe videntur cum Idolis, & cultu veterum Chananæorum. Baal & Aſtaroth potiſſima habebantur Numina; quorum cultus pars non infima erant ſæva quælibet ac infanda proſtitutionum ſcelera. Hanc Achabus religionem authoritate ſua probavit, conſtituitque in Iſraele, majori, quam Prædeceſſores omnes, ſtudio, & cura.

℣. 27. Ambulavit demisso capite. Hebræum reddunt alii (10): *Ambulavit ſenſim* (11); vel nudis pedibus (12), vel detecto capite (13); quæ interpretationum diſſidia demonſtrant apertiſſime, ſignificationem genuinam vocis originalis ignorari. Quæſtio hic, quid de Achabi pœnitentia ſtatuendum ſit. Conſtat utique ex ℣. 29. Deum tactum pœnitentia hujus Principis revocaſſe, vel ſaltem mitiorem feciſſe latam in illum ſententiam, ut pœna in illum pro crimine decreta, ad filium ejus tantum & poſteros transferretur. Hæc tamen nihil valent, ut certum judicium de ſinceritate ejus pœnitudinis feratur. Creditur malus hic Princeps nunquam pravum cordis habitum vertiſſe. Perculſus minis Eliæ, & vaticiniorum ejus fidem metuens, quippe quam expertus tam crebro probaverat, exteriorem pœnitudinis habitum ſimulat; plorat, gemit, demittit ſeſe, lugubribus veſtibus induitur. Sed Deus hoc fuco non capitur. Intus dignoſcit ea, quæ cupiditate ac ſervili timore expreſſa ſunt, ab iis, quæ parit amor humilis, & ſincerus. Sed in habitum illum exterioris pœnitentiæ oculos demittit; atque amorem ſuum erga ſinceram pœnitentiam argumento aliquo demonſtraturus, vel exteriorem ejus ſpeciem non negligit. *Quomodo ei in electis ſuis mœror amaritudinis placeat, qui amittere timet Deum, ſi ſic ei & reprobi pœnitentia placuit, qui timebat perdere præſens ſæculum?* ait S. Gregorius (14). Nunquam placatur Deus, niſi reſtituatur ablatum, totaque illi reſtituatur animi poſſeſſio; niſi denique fructus digni pœnitentiæ exhibeantur. Id autem nunquam ab Achabo impetratum fuiſſe videtur. Quæ ille dejecit idola? Quas amovit ſuperſtitiones? an Impiam Jezabelem removit? Vineam Nabothi reſtituit? Collapſum cultum Domini reparavit? Delevit ne ſincero animi conſilio pœnitudinis atros illos characteres, quos de illo, ejuſque nequitia impreſſit Scriptura (15)? *Non fuit alter talis ſicut Achab, qui venumdatus eſt ut faceret malum in conſpectu Domini; & abominabilis factus eſt in tantum, ut ſequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi*. Hæ cauſæ ſunt de ſinceritate pœnitudinis Achabi dubitandi (16).

Nos tamen in æquiorem de ea pœnitudine, ac mœrore ſententiam inclinantes, genuinam quidem ſed imperfectam & brevem cenſemus, & facile ad æternam viri ſalutem inutilem, quamquam utilem ſaltem ut illi prodeſſet in tempore, ad expiandam ſcilicet temporalem illam, quam in ſe provocaverat, ultionem. Aſſertores habemus hac in re Patres, & doctos plures Scriptores (17). Quin Tertullianus, ac S. Chryſoſtomus apertiſſime affirmare videntur, Deum pœnitudine Achabi tactum veniam illi criminis conceſſiſſe. *Proinde Achab Regem, reum idololatriæ, & ſanguinis Nabuthæ, veniam meruiſſe pœnitentiæ nomine*, ait Tertullianus (18); quam etiam ſententiam docere apertius videtur etiam S. Chryſoſtomus in Epiſtola ad Theodorum lapſum. Deus, ait ille, nunquam negligit pœnitentiam eorum, qui ſincere reſipiſcunt. Quam in rem profert exemplum Achabi, qui in

(1) 3. Reg. xxii. 38. (2) 4. Reg. ix. 25. (3) המצאתני איבי (4) Tacit. Hiſt. lib. 2.
(5) 4. Reg. ix. 32. *Levavitque Jehu faciem ſuam ad feneſtram, & ait: Quæ eſt iſta? Et inclinaverunt ſe ad eum duo vel tres eunuchi. At ille dixit: Præcipitate eam deorſum*, &c. Narrationis ſeries docet, Jehu nondum ingreſſum in urbem, adhuc in limine ſtetiſſe; ipſam vero Jezabelem vel ſuper murum, vel in conclavi fuiſſe, quod conclave plerumque ſuper urbis portam erat. Utut ſit, Jezabel intra antemurale præceps dejecta eſt. (6) 3. Reg. xxii. 37. (7) המת לאחאב בעיר יאכלו הכלבים והמת בשדה יאכלו עוף השמים (8) Τὸν τεθνηκότα τὸ Ἀχαὰβ ἐν τῇ πόλει φάγονται οἱ κύνες, καὶ τὸν τεθνηκότα αὐτοῦ ἐν τῷ πεδίῳ, φάγονται τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ. (9) מאד ללכת אחרי הגללים ככל אשר עשו האמורי וגו (10) ויהלך אט Septuag. ἐπορεύθη κεκλιμμένος, curvus inceſſit. (11) Vatab. Mar. (12) Chald. Syr. Arab. (13) Malv. Vide 2. Reg. xv. 30. (14) Greg. Hom. x. in Ezech. (15) 3. Reg. xxi. 25. 26. (16) Vide pro hac ſententia Lyranum, Dionyſium Carthuſianum, Cajetanum, Hugonem Cardinalem, Theodoretum, Procopium, alios. (17) Vide Toſtat. quæſt. 14. Sanct. hic; Cornel. Vatab. Grot. Natal. Alex. Hiſt. Eccleſ. vet. Teſt. tom. 2. (18) Tertull. lib. 4. adverſ. Marcion. cap. 10.

es, quæ ſcimus, delicta prolapſus, Dei in ſe miſericordiam induxit, criminumque ſuorum veniam impetravit. Alibi vero (1), ponens, Achabum mores reformaſſe, docet, placatum Deum veniam illi indulſiſſe. Sed hic difficultatis eſt cardo. Ambigitur, nec immerito, utrum re ipſa mores & propoſitum voluntatis immutaverit. Re vera quidem, ait S. Ambroſius (2), *Gemitus inveniſſet gratiam, niſi manens invidia cumulaſſet offenſam.* Cum enim Scriptura dicit, ſi reſipueritis, ſi luxeritis, ſalute potiemini, *non perfunctorius gemitus prædicatur, ſed qui habet converſionem.* Intuens Deus mœrorem Achabi, flecti ſe quidem paſſus veniamque largitus eſt; cum vero ille bona illa ſemina ſuffocavit, atque ſeduci ſe blanditiis Jezabelis ſiverit, brevi pœnitudinis ſuæ fructus perdidit; & Deus promiſſionis ſuæ fide teneri ſe non putavit, cum ipſe propoſita voluntatis ſuæ non impleverit (3): *Sed confeſſionis immemori non putavit eſſe ſervandum, quod promiſerat confitenti.* Cum pœnitudo viri ſervilis eſſet & perfunctoria, impetravit tantum brevia & temporalia præmia, criminum ſcilicet in hac vita impunitatem.

(1) Serm. 68. tom. 5. Edit. Fronton. Duc. (2) Ambroſ. Enarr. in Pſalm. 37. (3) Idem lib. de Naboth cap. 4.

C A P U T XXII.

Achabus & Joſaphat fœdus in expeditionem Syriacam jungunt. Victoriam promittunt Achabo Pſeudo-prophetæ: ſed Michæas prænunciat mortem, nec fruſtra. Ochozias in Regnum ſuccedit. Obit: illique Joram ſubſtituitur.

A. M. 3107. ante J. Chr. 897. ℣. 1. TRanſierunt igitur tres anni abſque bello inter Syriam, & Iſrael. 2. In anno autem tertio deſcendit Joſaphat rex Juda ad regem Iſrael. (3. Dixitque rex Iſrael ad ſervos ſuos: Ignoratis, quod noſtra ſit Ramoth Galaad, & negligimus tollere eam de manu regis Syriæ?) 4. Et ait ad Joſaphat: Venieſne mecum ad præliandum in Ramoth Galaad? 5. Dixitque Joſaphat ad regem Iſrael: Sicut ego ſum, ita & tu: populus meus, & populus tuus, unum ſunt: & equites mei, equites tui. Dixitque Joſaphat ad regem Iſrael: Quære, oro te, hodie ſermonem Domini. 6. Congregavit ergo rex Iſrael prophetas, quadringentos circiter viros, & ait ad eos: Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quieſcere? Qui reſponderunt: Aſcende, & dabit eam Dominus in manu regis. 7. Dixit autem Joſaphat: Non eſt hic propheta Domini quiſpiam, ut interrogemus per eum. 8. Et ait rex Iſrael ad Joſaphat: Remanſit vir unus, per quem poſſumus interrogare Dominum; ſed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum, Michæas filius Jemla. Cui Joſaphat ait: Ne loquaris ita, rex. 9. Vocavit ergo rex Iſrael eunuchum quemdam, & dixit ei: Feſtina adducere Michæam filium Jemla. 10. Rex autem Iſrael, & Joſaphat rex Juda, ſedebant unuſquiſque in ſolio ſuo, veſtiti cultu regio, in area juxta oſtium portæ Samariæ, & univerſi prophetæ prophetabant in conſpectu eorum. 11. Fecit quoque ſibi Sedecias filius Chanaana cornua ferrea, & ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec deleas eam. 12. Omneſque prophetæ ſimiliter prophetabant, dicentes: Aſcende in Ramoth Galaad, & vade proſpere, & tradet eam Dominus in manus regis. 13. Nuntius vero, qui ierat, ut vocaret Michæam, locutus eſt ad eum, dicens: Ecce ſermones prophetarum ore uno regi bona prædicant: ſit ergo ſermo tuus ſimilis eorum, & loquere bona. 14. Cui Michæas ait: Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar. 15. Venit itaque ad regem, & ait illi rex: Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad præliandum, an ceſſare? Cui ille reſpondit: Aſcende, & vade proſpere, & tradet eam Dominus in manus regis. 16. Dixit autem rex ad eum: iterum, atque iterum adjuro te, ut non loquaris mihi, niſi quod verum eſt, in nomine Domini. 17. Et ille ait: Vidi cunctum Iſrael diſperſum in montibus, quaſi oves non habentes paſtorem: & ait Dominus: Non habent iſti dominum: revertatur unuſquiſque in domum ſuam in pace. 18. (Dixit ergo rex Iſrael ad Joſaphat: Numquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, ſed ſemper malum?) 19. Ille vero addens, ait: Propterea audi ſermonem Domini: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cœli, aſſiſtentem ei a dextris, & a ſiniſtris: 20. Et ait Dominus: Quis decipiet Achab regem Iſrael, ut aſcendat, & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit unus verba hujuſcemodi, & alius aliter. 21. Egreſſus eſt autem ſpiritus, & ſtetit coram Domi-

Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus: In quo? 22. Et
ille ait: Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et di-
xit Dominus: Decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita. 23. Nunc igitur ecce
dedit Dominus ſpiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, qui hic ſunt,
& Dominus locutus eſt contra te malum. 24. Acceſſit autem Sedecias filius Chanaa-
na, & percuſſit Michæam in maxillam, & dixit: Mene ergo dimiſit Spiritus Domi-
ni, & locutus eſt tibi? 25. Et ait Michæas: Viſurus es in die illa, quando ingre-
dieris cubiculum, intra cubiculum ut abſcondaris. 26. Et ait rex Iſrael: Tollite Mi-
chæam, & maneat apud Amon principem civitatis, & apud Joas filium Amelech,
27. Et dicite eis: Hæc dicit rex: Mittite virum iſtum in carcerem, & ſuſtentate eum
pane tribulationis, & aqua anguſtiæ, donec revertar in pace. 28. Dixitque Michæas:
Si reverſus fueris in pace, non eſt locutus in me Dominus. Et ait: Audite, populi
omnes. 29. Aſcendit itaque rex Iſrael, & Joſaphat rex Juda, in Ramoth Galaad.
30. Dixit itaque rex Iſrael ad Joſaphat: Sume arma, & ingredere prælium, & in-
duere veſtibus tuis; porro rex Iſrael mutavit habitum ſuum; & ingreſſus eſt bellum.
31. Rex autem Syriæ præceperat principibus curruum triginta duobus, dicens: Non
pugnabitis contra minorem, & majorem quempiam, niſi contra regem Iſrael ſolum.
32. Cum ergo vidiſſent principes curruum Joſaphat, ſuſpicati ſunt, quod ipſe eſſet
rex Iſrael, & impetu facto pugnabant contra eum, & exclamavit Joſaphat. 33. In-
tellexeruntque principes curruum, quod non eſſet rex Iſrael, & ceſſaverunt ab eo.
34. Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum ſagittam dirigens, & caſu per-
cuſſit regem Iſrael inter pulmonem, & ſtomachum. At ille dixit aurigæ ſuo: Verte
manum tuam, & ejice me de exercitu, quia graviter vulneratus ſum. 35. Com-
miſſum eſt ergo prælium in die illa, & rex Iſrael ſtabat in curru ſuo contra Syros,
& mortuus eſt veſpere; fluebat autem ſanguis plagæ in ſinum currus. 36. Et præ-
co inſonuit in univerſo exercitu, antequam ſol occumberet, dicens: Unuſquiſque re-
vertatur in civitatem, & in terram ſuam. 37. Mortuus eſt autem rex, & perlatus
eſt in Samariam; ſepelieruntque regem in Samaria. 38. Et laverunt currum ejus in
piſcina Samariæ, & linxerunt canes ſanguinem ejus, & habenas laverunt, juxta ver-
bum Domini, quod locutus fuerat. 39. Reliqua autem ſermonum Achab, & uni-
verſa, quæ fecit, & domus eburnea, quam ædificavit, cunctarumque urbium, quas
extruxit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum rerum Iſrael? 40. Dor-
mivit ergo Achab cum patribus ſuis, & regnavit Ochozias filius ejus pro eo. 41. Jo-
ſaphat vero filius Aſa regnare cœperat ſuper Judam anno quarto Achab regis Iſrael.
42. Triginta quinque annorum erat, cum regnare cœpiſſet, & viginti quinque annis
regnavit in Jeruſalem: nomen matris ejus Azuba filia Salai. 43. Et ambulavit in om-
ni via Aſa patris ſui, & non declinavit ex ea; fecitque, quod rectum erat in conſpe-
ctu Domini. 44. Verumtamen excelſa non abſtulit; adhuc enim populus ſacrificabat,
& adolebat incenſum in excelſis. 45. Pacemque habuit Joſaphat cum rege Iſrael. 46.
Reliqua autem verborum Joſaphat, & opera ejus, quæ geſſit, & prælia, nonne hæc
ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Juda? 47. Sed & reliquias effœminato-
rum, qui remanſerant in diebus Aſa patris ejus, abſtulit de terra. 48. Nec erat tunc
rex conſtitutus in Edom. 49. Rex vero Joſaphat fecerat claſſes in mari, quæ naviga-
rent in Ophir propter aurum: & ire non potuerunt, quia confractæ ſunt in Aſionga-
ber. 50. Tunc ait Ochozias filius Achab ad Joſaphat: Vadant ſervi mei cum ſervis
tuis in navibus. Et noluit Joſaphat. 51. Dormivitque Joſaphat cum patribus ſuis, & A. M. 3115.
ſepultus eſt cum eis in civitate David patris ſui: regnavitque Joram filius ejus pro eo. ante J. Chr. 889.
52. Ochozias autem filius Achab regnare cœperat ſuper Iſrael in Samaria, anno ſepti-
modecimo Joſaphat regis Juda, regnavitque ſuper Iſrael duobus annis. 53. Et fecit
malum in conſpectu Domini, & ambulavit in via patris ſui, & matris ſuæ, & in via
Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Iſrael. 54. Servivit quoque Baal, & adoravit
eum, & irritavit Dominum Deum Iſrael, juxta omnia, quæ fecerat pater ejus.

℣. 1. TRANSIERUNT TRES ANNI ABSQUE BELLO INTER SYRIAM ET ISRAEL. Poſt ſancitum Benadadum inter & Achabum fœdus, pax triennalis conſecuta eſt, donec tandem Achabus retineri a Syris Ramoth Galaad contra pactam fidem (1) intelligens, vi illam ſibi rapiendam cenſuit.

(1) 3. Reg. xx. 34.

℣. 2. Descendit Josaphat Rex Juda ad Regem Israel. Inter Joſaphatum & Achabum res erant compoſitæ; quorum Regum alter filiam Achabi duxiſſe creditur (1). Legimus in Paralipomenis (2), ut venit Samariam Joſaphat, Regio apparatu exceptum fuiſſe. Amicitiam hanc inter duos Principes non probavit Deus; & quidem mira erat & inſueta inter Regem adeo pium, qualis Joſaphat, & impium adeo Principem, qualis Achabus fuit. Brevi intelligemus, cui diſcrimini Princeps Religioſus expoſitus fuerit, pro Achabo; alibi vero audiemus, quam acriter amicitiam hanc Deus per Prophetam ſuum Joſaphato exprobraverit (3).

℣. 3. Ignoratis, quod noſtra ſit Ramoth Galaad? Jacebat ad fontes Jazer, & in media ferme longitudine montium Galaad, e meridie ad ſeptemtrionem. Juris erat Regum Iſraelis: eamque rapuerant Syri præcedentibus Regibus, & Achabo reſtituere detrectabant; ſive quod non recenſeretur inter urbes a Benadado Rege Syriæ uſurpatas (4), quas tantum reſtituendas Benadad filius ejus ſpoponderat; ſive quod alia eſſet retinendæ illius cauſa, in Scriptura non expreſſa.

℣. 6. Prophetas, quadringentos circiter viros. Facile quadringentos illos Prophetas lucorum, qui præſentes cum cæteris in monte Carmelo non adfuerunt (5).

℣. 8. Michæas filius Jemla: Unicus erat inter Prophetas Dei, qui Samariæ ſubſtiterit. Elias & Eliſæus ſeceſſerant in ſolitudines, & loca remota cum ſuis. Hunc ipſum Prophetam exprobraſſe Achabo præpoſteram erga Regem Syriæ indulgentiam, eaque de cauſa in carcerem detruſum, hac demum occaſione ſolutum fuiſſe, cenſet Joſephus cum aliis nonnullis (6). Porro longe alius erat a Michæa, cujus ſcripta recenſentur inter duodecim Prophetas.

℣. 9. Vocavit Eunuchum. Hebræa vox סריס verum eunuchum exprimit; quo poſito, ſervum hunc alienigenam fuiſſe quemdam a Rege Achabo ſibi, vel uxoribus ſuis emptum, conſtituamus oportebit. Hæc tamen vox in Hebræo, quemadmodum & in vernaculo cæterarum gentium ſermone, uſurpatur ſæpe pro famulo, domeſtico, mancipio, qui in aula Principis ſervitium exhibet.

℣. 10. In area, juxta oſtium portæ Samariæ. Conſtitui ſolebant areæ tritico excutiendo prope ruſticas domos, ut herus explorare poſſet, quid in illis fieret (7). Conſtitui etiam ſolebant prope urbes, ut tutæ eſſent ab inſultibus hoſtium, qui vel diripere, vel injecto igne abſumere manipulos tentabant, ut exemplis in hac hiſtoria pluribus demonſtratur (8). Ambo igitur Reges erant extra urbes, ſuo ſinguli in ſolio ſedentes in area, juxta portam, recenſentes facile copias ſuas, cum Achabus Joſaphato Syriacam expeditionem propoſuit.

℣. 11. Fecit ſibi Sedecias cornua ferrea. Induxit forte Ariolus capiti ſuo ferreum tegumen, cornuum ſpeciem aliquam exhibens; imitatuſque inſultantes cornibus tauros, obvia quæcunque ventilabat, hoc indicio Regi oſtendens futurum, ut ille diſſiparet Syros tanta facilitate, quanta furens taurus ſtipulas & humum cornibus petens per aera diſſipat. Habes hic aliud prophetandi exemplum actionibus ſignificantibus, & veluti loquentibus.

℣. 15. Aſcende et vade proſpere. Michæus non ignorans ea, quæ cæteri Prophetæ Regi prænuntiaverant, quodque de ſe ille prædixerat, eamdem primo adulationem, quam Pſeudoprophetæ affectavit; ſed ore ita ad ironiam compoſito, tantaque celeritate, ut Achabus ſtatim viri mentem intellexerit. Similium ironicarum phraſium exempla crebra ſuppetunt in Scriptura, interque illa (9): *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt*, quaſi Deus ſcilicet: & Elias ſupra xviii. 27. inſultat Prophetis Baalis: *Clamate voce majori: Deus enim eſt, & forſan dormit.*

℣. 17. Vidi cunctum Iſrael diſperſum in montibus. Raptus in ſpiritum, Deo reſerante futurum exercitus tui eventum vidi. Diſſipabitur ille, *quaſi oves non habentes paſtorem*. Quibus poſtremis verbis innuebat, Achabum in certamine periturum.

℣. 19. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, et omnem exercitum Cæli aſſiſtentem ei. Intelligens Michæas, Regem oracula hæc ſua perinde habere, atque ea inſito in ſe odio nata, ſuse deſcribit omnia quæ vidit, minime veritus indignationem Principis, quem male in ſe animo paratum ad extrema omnia cernebat. *Vidi*, ait, *Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum Cæli*; ſedentem ſcilicet in medio Angelorum, cæterorumque voluntatis ſuæ miniſtrorum, ceu principem in medio exercitus ſui verſantem. Accommodat ſe Deus hominum intellectui, & ſæpe arcana nobis ſua revelans, ad præjudicia ſe noſtra demittit. Fingebant animo Hebræi Deum in Cælo tanquam Regem in Regno ſuo, cui adeſſent juſſionum ſuarum miniſtri, boni pravique Spiritus; illi quidem ad præmia juſtis, his vero ad mala impiis inferenda; probis in dextera, improbis in ſiniſtra parte ſtantibus. Cum autem Principes apud nos nihil grave ſtatuant, niſi de conſilio ſuorum, atque Optimatum; ita pariter exhibetur Deus de iis, quæ in Achabum gerenda ſunt, deliberans. Hæc utique ad literam accipienda non eſſe, ſatis patet. Docente Apoſtolo ſcimus, Deum nihil juvari ſive noſtris monitis, ſive exteriori ope, ut vel decernat vel perficiat ea, quæ ſemel ſtatuerit (10). Scimus etiam, pravos Angelos nunquam ſeu Domino, ſeu ad ipſius lævam in Cælo adeſſe. Veteris Novique Teſtamenti (11) Scriptura docet, ejuſmodi Angelos præcipites actos fuiſſe ad Inferos, ubi igneis vincti catenis detinentur. Exhibet nihiloſominus Jobus pravos Angelos, perinde ferme ac Michæas hic, coram Domino ſeſe offerentes (12): quare re intelligimus, hanc intelligendi rationem modumque ſibi formaſſe non Hebræos modo, ſed alias pariter gentes, quæ idololatriæ minime ſerviebant.

℣. 22. Ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Demonſtrant hæc omnia ſummum Dei imperium in Dæmones, uti & Dæmones nocere non poſſe, malumque in nos ingenium explere, niſi accepta a Deo lædendi poteſtate. Cenſet R. Salomon, ſpiritum hunc, qui decipiendum a ſe Achabum pollicitus eſt, mendaci ſpiritu in os Pſeudoprophetarum inſinuato, ipſam fuiſſe Nabothi animam: quod ab illo per ſummam impudentiam & impietatem affirmatur. Sciте animadvertit S. Auguſtinus: *Injuſtum erat, ut qui non crediderat Deo vero, non deciperetur a falſo* (13). Cum autem Deus permittit hic Dæmoni, *Egredere, & fac ita*; cave latum credas ab illo imperium ut ſeducat, ſallat, decipiat: quin nec ita permittit crimen, ut illud probare cen-

ſea-

(1) Vide Menoch. Grot. (2) 2. Par. xviii. 2. (3) 2. Par. xix. 1. 2. (4) 3. Reg. xx. 10. Ramoth Galaad non cenſetur inter eas, quæ hic numerantur. (5) 3. Reg. xviii. 19. & 22. (6) Vide Sanct. ad ℣. 9. (7) Columel. de re ruſtic. lib. 1. cap. 6. (8) Vide 1. Reg. xxiii. 1. Judic. xv. 5. (9) Geneſ. iii. 22. *Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* Rom. xi. 34. (10) Iſai. 14. 12. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer?* Luc. x. 18. *Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem*. Vide & Apocalyp. xii. 9. & Epiſt. Judæ, Verſ. 6. (11) Job 1. 6. 9. 12. (12) Auguſt. contra Julian. lib. 5. cap. 4. Idem lib. quæſtion. 83. qu. 53. (13) *Dignus erat ille ſe decipi, neque per eum Angelum, quem deceptionis officium ſuſcipere non deceret, ſed per Angelum erroris.*

Digitized by Google

ſeatur: tantum non prohibet, quin Dæmon ſuum in illos, quos Deus punire vult, ſeu probare, pravum ingenium expleat. Neque enim quod in Scriptura imperandi verbo exprimitur, deſignat ſemper imperium & approbationem. Sæpe mera eſt permiſſio & futuri prædictio. Ita cum Deus Iſaiæ denuntiat (1), *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis ſuis . . . . & convertatur*; oraculum eſt eventuum futurorum.

℣. 24. Me ne ergo dimisit spiritus Domini? Narrat Joſephus (2), Sedeciam hunc deſpondentem animo Regem confirmaſſe, indicato inter vaticinia Michææ & Eliæ diſſidio. Porro Elias prædixerat Achabo futurum, ut interiret in Jezrahele, ejuſque ſanguinem canes lingerent (3); viciſſim autem Michæas affirmabat, interficiendum eſſe illum in Ramoth Galaad. Qui vero Michæas, tantulus Propheta, repugnaret Eliæ, inter Prophetas Dei Iſraelis maximo? Si autem, addebat Sedecias, Michæas Dei ſpiritu afflatur, id efficiat, ut cum ego illum cædere audeam, mea manus torpeat, quemadmodum Jeroboamum, protenta in ſe manu, ariditate mulctavit is Propheta ex Juda. Simul vir impius colaphum Michææ impegit, integra & incolumi manu: quare Achabus temnere Prophetam, ſeque in conſilio movendi arma in Ramoth Galaad, confirmare. Hanc Joſephi narrationem, a nonnullis Commentariorum Scriptoribus adoptatam (4), adhuc tamen inter ambiguas & incertiſſimas rejicimus.

℣. 25. Quando ingredieris cubiculum intra cubiculum. Cum e cubiculo in cubiculum tranſiveris; vel eum ingredieris in cubiculum cubiculi, id eſt, in abditiſſimum ædium tuarum penetrale. Vide perſimilem phraſim ſupra xx. 30. Oraculi hujus fides in Sedeciam quo tempore conſtiterit, ignoratur. Facile poſt obitum Achabi quæſitus eſt ad necem, in pœnam Regis mendaciis ſuis ad infelicem illam expeditionem inducti.

℣. 27. Sustentate eum pane tribulationis, et aqua angustiæ. Sunt (5) qui hæc verba exponant: Detrudite illum in carcerem, eumque longam trahere eſuriem pane & aqua cogite; brevem enim panem & aquam illi ſufficite, ut vivere quidem, ſed ſatiari non poſſit: *Pane anguſto, & aqua arcta*. Textum huic reſpondentem in Paralipomenia (6), iiſdem expreſſum verbis, reddit S. Hieronymus: *Date ei panis modicum, & aquæ pauxillum*. Alii (7): Date illi panem plebejum, & aquam ingratam, qualis propinatur ſontibus, & miſeris quibuſque. Deus in Iſaia (8) minitatur populo ſuo: *Dabo vobis panem arctum, & aquam brevem*; vel panem anguſtiæ, & aquam oppreſſionis.

℣. 30. Ingredere prælium, et induere vestibus tuis. Norat fortaſſe Achabus, imperatum a Benadado militibus, ne quem niſi Regem Iſraelis armis peterent (9). Quamquam autem imperium hoc non legitur niſi inferius; non tamen recte inde colligas, datum non fuiſſe ante prælium, & Achabum latuiſſe. Credibile eſt etiam, Regem Syriæ non in occulto hæc mandaſſe, ſed palam, ut omnes ſcirent. Quæ enim alioqui cauſa fuiſſet Achabo, ut veſtes ementiretur, quibus animos militibus ſuis abſtuliſſet, Regem vel ante, vel in medio copiarum conſueta indutum veſte non intuentibus, cum interim Joſaphatum hortaretur ut prodiret palam, quamvis ad illius rea hoc prælium non pertineret? Septuaginta hic ferunt (10): *Cooperiar & ingrediar in prælium; & tu induere veſtimentum meum*. Textus Hebræus referri quidem poteſt ad ſenſum Vulgatæ; ſed reddi etiam poteſt (11): *Dixit Rex Iſrael ad Joſaphat: Muta habitum tuum, & ingredere in prælium: tu vero induee te veſtibus meis. Et Rex Iſrael ſe mutavit.* Quæ tamen nullum ſenſum reddunt, niſi legamus cum Septuaginta: *Tu induere veſtimentum meum*. Qui enim profecto Joſaphat ſeſe alium eſſe ſimulare potuiſſet, niſi veſtibus Achabi indutus (12)? Denique nunquam Syri Joſaphatum pro Rege Iſraelis accepiſſent (13), ſi propriis, non Achabi veſtibus induebatur.

℣. 31. Præceperat Principibus curruum triginta duobus &c. Animadverſum jam eſt (14), Benadadum moviſſe primum in Iſraelitas cum exercitu, duobus & triginta Regibus inſtructo. Deinde pro triginta hiſce duobus Regibus, duces ſupremos conſtituiſſe totidem, eoſdem facile qui hic appellantur *Principes curruum*, vel *Principes curribus vecti* (15), vix enim ullus eſt exercitus, qui duobus & triginta Præfectis ſupremis curruum indigeat. Cur Benadad imperarit, ut ictus in unicum Achabum dirigerentur, ægre divinaverim. Eo forte ſpectabat Rex Syriæ, ut probrum ſuperioris prælii cum Achabo commiſſi deleret; quare viciſſim illum capere pro viribus conabatur. Sunt qui cenſeant (16), didiciſſe illum facile oraculum Michææ, qui interiturum in prælio Regem Iſraelis prædixerat. Sed conjecturæ ſunt, non documenta.

℣. 32. Exclamavit Josaphat. Cum impetum belli in ſe undique verti ſentiret Joſaphat, ſtatim intellexit, rem ſecum eſſe, quod Achabus eſſe crederetur; quare edito clamore fallaciam prodidit (17). Malunt alii, exclamaſſe illum ad Dominum, ut e præſentiſſimo diſcrimine peculiari ejus ope eriperetur. Docent hoc Paralipomena (18): *Clamavit ad Dominum, & auxiliatus eſt ei, atque avertit eos ab illo.*

℣. 34. Tetendit arcum in incertum. Hebræus (19): *Jecit ſagittam*, vel tetendit arcum *in ſimplicitate*, vel in integritate ſua; caſu, abſque conſilio illum occidendi, nihil cogitans præter quam ut ſagittam jaceret. Alii (20): Jecit omnibus viribus, tenſo quam maxime arcu. Sed prior interpretatio pronior eſt, atque communior. Militem hunc, a quo Achabus vulneratus interiit, Amanum, & e ſervis Regis Syriæ, Joſephus appellat (21).

Inter pulmonem, et stomachum. Igitur circa regionem diaphragmatis, quod ſtomachum a pulmonibus ſeparat. Sed Hebræum (22) plerique aliter reddunt. Quidam etenim vertunt: *Percuſſit Regem Iſrael inter juncturas & loricam*; ſeu potius inter annulos, vel ſquammas luricæ. Alii (23): *Inter loricam, & ocreas*, ubi deſinit lorica, inter partem ejus ſuperiorem, & inferiorem. Eædem voces in Paralipomenia (24) redduntur: *Inter cervicem & ſcapulas*; quaſi ſagitta ſupra loricam, in collum inciderit, vel inter collum & humeros. Septuaginta (25): *Inter pulmonem, & inter thoracem*, Syriacus, & Arabs: *Inter commiſſuram loricæ.*

(1) Iſai. vi. 10. (2) Antiqu. lib. 8. cap. 10. (3) 3. Reg. xxi. 19. *In loco quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum.* (4) Auth. Hiſtor. Scholaſt. Lyr. Toſt. &c. (5) Syr. Arab. Vatab. Menoch. (6) 2. Par. xviii. 26. האכלוהו לחם לחץ ומים לחץ (7) Glos. Piſcat. Tir. (8) Iſai. xxx. 20. לחם צר ומים לחץ (9) Infra ℣. 31. (10) Septuag. Καὶ σὺ ἔνδυσαι τὸν ἱματισμόν μου. (11) התחפש ובא במלחמה ואתה לבש בגדיך ויתחפש מלך ישראל (12) Ita Caſtalio, & Joſeph. Antiqu. l. 8. c. 10. (13) Vide ℣. 32. (14) 3. Reg. xx. 1. 24. (15) שרי הרכב *Principes curruum.* (16) Lyran. Mari. (17) Sanct. Tir. Mari. (18) 2. Paral. xviii. 31. Vide & 2. Paralip. xix. 1. 2. 3. (19) משך בקשת לתמו (20) Munſt. Malv. Gener. in Piſc. (21) Joſeph. Antiqu. lib. 8. cap. 10. Παῖς δέ τις βασιλικὸς τοῦ Ἀδάδου, Ἀμανὸς ὄνομα. (22) ויכה את מלך ישראל בין הדבקים ובין השרין (23) Glos. Vat. (24) 2. Par. xviii. 31. (25) Ἀνὰ μέσον τοῦ πνεύμονος, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ θώρακος.

Dixit aurigæ ſuo. Solebant orientales Reges venire in prælium vecti curru, quem moderabantur aurigæ, ut indignum Rege cenſeretur manu ſua equorum habenas torquere (1).

℣. 35. Rex Israel stabat in curru suo contra Syros. Aciem non deſeruit uſque ad exitum diei, qui & vitæ ipſius exitus fuit. Equos flecti ſolum juſſit ſeorſum, unde certamen intueri poſſet; quamquam enim Benadad vetuit, ne quis ſuorum in alios arcum dirigeret quam in Achabum, non tamen interdixerat ne ſeſe tuerentur, vel aggredientes repellerent: quod & a militibus ipſius præſtitum eſt. Certamen autem ad veſperam uſque ſuſtinuerunt Joſaphat virtute ſua, & Achabus præſentia, licet vulneratus. Tandem Achabo ex vulnere obeunte, receptui cecinere, ac bello finis impoſitus eſt.

℣. 38. Linxerunt canes sanguinem ejus, cum currus ejus in piſcina Samariæ lavaretur. Sedulo id animadvertit Scriptura, quamquam oraculum Eliæ penitus impletum non eſt. Prædixerat enim Elias (2) futurum, ut *canes lamberent ſanguinem* Achabi *in loco, in quo linxerunt ſanguinem Naboth*. Poſtremam hanc decreti ſui partem remiſerat Deus pœnitudinis gratia, qua ille cædem Nabothi expiavit. Voluit tamen, ut canes *lingerent ſanguinem ejus*, aliorum criminum pœna, utque ſe proderet ſupremum humanarum viciſſitudinum arbitrum, qui ſi hoc accidere Samariæ voluerat, nullo etiam negotio permittere potuiſſet, ut id Jezrahele efficeretur. Affirmat Joſephus (3), currum Regis lotum fuiſſe Jezrahele; cui tamen aperte refragatur Textus Hebræus, qui lotum in piſcina Samariæ non obſcure exhibet.

Et habenas laverunt, juxta verbum Domini. Nihil expreſſerat Deus de lotione ſive currus, ſive habenarum; ſed tantum, ſanguinem Achabi a canibus fore lingendum. Huc ſolummodo referuntur ea verba: *Juxta verbum Domini*. Singularis eſt plane Interpretatio Septuaginta, reddentium (4): *Et abluerunt currum ſuper fontem Samariæ, & linxerunt ſues & canes ſanguinem, & meretrices laverant ſe in ſanguine, juxta verbum Domini*. Textus quidem Hebræus non reſpuit hunc ſenſum (5). *Meretrices laverunt ſe*. Sed vertendum malumus: *Laverunt habenas*, vel *lora*. Vox Originalis ſignificare poteſt cingulum, quod applicatur vel lombis vel loris equorum. Reddunt alii (6): *Laverunt arma Achab*.

℣. 39. Domus eburnea, quam ædificavit. Domus erat facile laquearibus eburneis vel ſaltem ornamentis pluribus eburneis dives. Vitio vertit Amos iii. 15. locupletibus Iſraelitis ſumptuoſam ædium ſuperbiam: *Percutiam domum hyemalem cum domo æſtiva, & peribunt domus eburneæ*. Vide etiam Pſalm. xliv. 9.

℣. 44. Verumtamen excelsa non abstulit, uti nec Aſa ejus pater (7), cujus pietatem filius imitatus eſt. Legimus tamen in Paralipomenis (8), Joſaphatum *excelſa abſtuliſſe*. Triplici ratione iſta conciliantur. i. Edita loca, Idolis ſuperſtitioſa, ſubvertit, non vero quæ Deo Iſraelis ſacra erant (9); uti expoſuimus ſupra, agentes de Aſa. ii. In exordio Regni ſui abolere penitus non valuit edita hæc loca, ubi ſuperſtitio ſeſe communierat; dein vero id obtinuit Regno confirmato. iii. Denique plures viri doctiſſimi (10) mendum irrepſiſſe in Paralipomenis ſuſpicantur, ut lectio ejus ad normam præſentis hujus reformanda ſit, Joſaphatum ſcilicet excelſa non abſtuliſſe (11). Conſtat utique, ſub Ezechia, & Joſia intacta illa adhuc perſeveraſſe; neque Joſaphat locum tenet in cenſu Regum pietatis undique abſolutæ, apud Authorem Eccleſiaſtici.

℣. 47. Reliquias effeminatorum ... abstulit de terra. Vide quæ animadvertimus paulo ſuperius; & ad Caput xiv. 24. ac xv. 12.

℣. 48. Nec erat tunc Rex constitutus in Edom. Imperium olim a Davide partum ſuper Idumæos (12), Reges Juda adhuc tuebantur. Nonniſi ſub Ochozia filio Joſaphati, Idumæi Regem ſibi ſupremum crearunt (13). Antea Reges Juda imperabant portubus Ælat & Aſiongaber, iiſque pronum erat exſtruere in Erythræo claſſes, in Ophir navigaturas, e quibus unam inſtruxit Joſaphat, uti ſtatim narrabitur. Author horum librorum ſcribebat, quo tempore imperium Regum Juda excuſſerant Idumæi: quare ſermonem habiturus de claſſe Joſaphati, animadvertendum cenſuit, in Idumæa tunc neminem proprio jure regnaſſe; recenſebatur enim regio illa adhuc in ditione Regum Juda.

℣. 49. Josaphat fecerat classes in mari. Hebræus, qualis hodie legitur (14): *Joſaphat decem naves in Tharſis*. Mendum eſt, legendum *aſa*, fecit: pro *aſar*, decem. De Ophir, & Tharſis &c. ſententiam noſtram alibi expoſuimus.

℣. 50. Ait Ochozias filius Achab ad Josaphat: Vadant servi mei cum servis tuis &c. Contrarium legitur in Paralipomenis (15), ubi Joſaphat & Ochozias uno conſilio claſſem inſtruunt, mittendam in Tharſis; ſed improbans Dominus illud fœdus, ab Joſaphato cum Regibus Iſraelis compoſitum, id commiſit, ut fractis navibus ceptum iter abrumperetur. Diſcrimen iſtud conciliatur, ſi inducamus, Joſaphatum primo difficilem ſe præbuiſſe ad ineundam cum Ochozia ſocietatem; quam deinde a ſe extorqueri paſſus ſit. Commentariorum Scriptores alii cenſent, Joſaphatum, & Ochoziam primo quidem juncta opera claſſem inſtruxiſſe; qua Numinis conſilio in portu Aſiongaber confracta, novæ ſocietati aures præbere, cum de reparanda claſſe ageretur, Joſaphatum recuſaſſe. Id autem poſtremum molimen narrari hic in Scriptura. Innuitur hac ſententia, vel Joſaphatum ſuis ſumptibus alteram claſſem inſtruxiſſe, vel conſilium mittendi ſuos itinere maritimo penitus abjeciſſe.

℣. 52. Regnavit duobus annis; ſed non integris; prior enim annus componitur cum poſtremo Achabi, & ſecundus cum primo Jorami (16).

---

(1) Diodor. Sicul. l. 17. Briſſon. de Regno Perſ. l. 3. pag. 383. 384. (2) 3. Reg. xxi. 19. (3) Antiqu. lib. 8. cap. 10. (4) 70. ℣. 38. Καὶ ἀπένιψαν τὸ ἅρμα ἐπὶ τὴν κρήνην Σαμαρείας. καὶ ἐξέλειξαν αἱ ὕες καὶ οἱ κύνες τὸ αἷμα, καὶ αἱ πόρναι ἐλούσαντο ἐν τῷ αἵματι κατὰ τὸ ῥῆμα κυρίου. (5) והזנות רחצו (6) Ita Joſeph. Rabb. Ben-Gerſon, & Levi; Munſt. Piſc. Franz. Pfeiff. &c. (7) 3. Reg. xv. 14. Vide dicta ad eumdem locum. (8) 2. Par. xvii. 6. & xix. 3. (9) Vide Theodoret. qu. 12. in lib. 3. Reg. (10) Grot. Capell. (11) Legunt ולא pro ועוד (12) 2. Reg. viii. 14. & 1. Par. xviii. 13. (13) 4. Reg. viii. 20. 21. (14) יהושפט עשר אניות בתרשיש, ſed legendum עשה (15) 2. Par. xx. 36. 37. (12) Confer hunc verſiculum cum 4. Reg. iii. 1. Vide Jun. hic, Uſſer. ad an. 3108.

FINIS TERTII LIBRI REGUM.

IN

IN IV. LIBRUM REGUM
PROLEGOMENON.

ANte tertium librum Regum Prolegomenon inſtruximus, utrique Libro, nempe tertio & quarto, commune; ubi de Authore utriuſque & ætate diſſeruimus. Quartus liber Hiſtoriam amplectitur CCCVIII. annorum, ab obitu ſcilicet Joſaphati A. M. 3115. uſque ad everſionem Regni Juda A. 3416. In ſerie Regum Juda pauci veterem pietatem coluiſſe narrantur, reliqui, abjecto cultu & Religione, in vitia prolapſi. Sed hæc ſceleribus Regni Iſraelis magis ferenda fuere; nihil enim in ejus Regibus niſi vitia, atque impietatis, impotentiæ, & idololatriæ exempla reperias. Elias & Eliſeus veluti aggerem ſeſe oppoſuerunt contra impios & ſceleſtos Reges, ut reliquias ſaltem Religionis in eo Regno tuerentur. Tandem ultor Domini gladius primum in Iſraelem, deinde in Judam exertus eſt. Nam Regnum Iſraelis diu jactatum, variiſque inteſtinis externiſque bellis diſcerptum, tandem armis Regum Aſſyriæ cedere coactum eſt; a quibus populo in captivitatem abducto, nova externarum gentium colonia in regionem miſſa eſt.

Regnum Juda aliquo adhuc tempore ſupereſtes manſit; ſed eo accepto divinitus beneficio abuſum, neglectiſque minis, atque adhortationibus Prophetarum, quin & laxatis in vitia habenis, eodem tandem fato cum Regno Iſraelis obvolutum eſt. Divinæ in contumaces populos ultioni ſuſpendendæ unico fuit momento pietas Regum Joſaphati, Ezechiæ, & Joſiæ, & reſipiſcentis Manaſſis lacrymæ, una cum precibus Prophetarum; ſed vincente tandem impietate religionem Domini furor in miſerum Regnum erupit, totaque vaſtata ditione, everſa Jeroſolyma, Templum igni, populus captivitati traditus eſt.

DISSERTATIO
Quid Naaman concedi ſibi poſtularit ab Eliſeo, ut coram Remmon ſeſe proſternere liceret.

NAaman copiarum Regis Syriæ Imperator, recepta prodigio ex Elephantiaſi valetudine, loto ad nutum Eliſei aquis Jordanis corpore, Prophetam ipſum conveniens ditiſſima obtulit munera, ſimulque rogavit concedi ſibi, ut duos onuſtos mulos humo ejus regionis reduceret (1): *Non enim*, ait, *faciet ultra ſervus tuus holocauſtum, aut victimam Diis alienis, niſi Domino. Hoc autem ſolum eſt, de quo depreceris Dominum pro ſervo tuo, quando ingreditur Dominus meus Templum Remmon, & illo innitente ſuper manum meam, ſi adoravero in Templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoſcat mihi Dominus ſervo tuo pro hac re. Qui dixit ei: Vade in pace.*

In ipſo hujus narrationis limine parvo animo Lectores offenduntur. Qui fidei ardor & ſtudium in Proſelyto! Simul ſe veri Numinis cultui addictum profitetur, ſimulque rogat, ut externo Deo cultum impendere permittatur. Quam indigna autem Prophetæ aſſentatio, qui rogatus de permiſſione Idololatriæ a Naamano, veniam facilis, & pacem conceſſerit? Si mali exempli crimen homicidio deteſtabilius habetur, quid de facto Naamani cenſendum eſt, unde malum exemplum inducebatur? quid de indulgentia Eliſei, qui authoritate ſua probavit? Si Filius Dei profitetur rejecturum ſe hominem, qui nominis Dei confeſſionem probro duxerit coram hominibus (2), quid de Proſelyto, & Propheta fier? At enim Naaman ſola externa cultus ſignificatione intimos animi ſenſus occulit. Sed hæc indigna viro fideli ſimulatio, quæ ſane nunquam deteſtabilior reputanda eſt, quam in cauſa Religionis. Si Idololatria crimina ſuperat omnia, ſi hypocriſis vitium eſt Dei oculis execrandum, quidnam de Naamano & Eliſeo cenſeas? Etenim vel criminoſam hanc ſibi Idoli venerationem Naaman arbitratus eſt, vel opus licitum, ſeu indifferens judicavit. Si licitum, & indifferens; cur ab Eliſeo petiit, ut a Deo ſibi impetraret ejus rei veniam? Si iniquum, & idololatricum dusit; cur rogat, non renuente Eliſeo, permitti ſibi ejus rei faculiatem? Apoſtolus jubet, Fideles non modo abſtinere ab omni malo, ſed etiam *ab omni ſpecie mali* (3); quod ſane præceptum æque Judæos ſpectat atque Chriſtianos. Naaman, & Eliſeus hoc præceptum negligunt: alter adorat, vel ſaltem adorationis ſpecimen præbet; alter probat, vel ſaltem diſſimulat, nec prohibet. Num licet duobus Dominis ſervire, Dei cultu cum Belial admixto? Debuit plane Naaman omnia tolerare; Præfectura ſpoliari potius, quam externa ſignificatione coram Idolo ſtratum apparere, etiamſi ea cultus ſimulatione nihil religioni ſuæ metuere poſſet; vel ea

ſola

---

(1) 4. Reg. v. 17. &c.

(2) Matth. x. 33. Luc. ix. 26.

(3) Theſſal. v. 22.

ſola ratione, ut uni imbecillium ſcandalo conſuleret. Quam ſane glorioſum viro, ſi Principi cultum impium jubenti coram ita obſtitiſſet, ut vitam ipſam pro tam bona cauſa non recuſaſſet impendere? Id, inquam, magis glorioſum viro fuiſſet, quam indigna ac illiberalis Regi aſſentatio. Hæc nonnulli de Naamani & Eliſæi conſilio comminiſcuntur.

Pleriqua tamen, non inter Veteres tantum, ſed & Recentiores, omnem impendunt operam, ut ab Idololatriæ, & ſimulationis ſuſpicione utrumque virum purgent. Varii tamen varias ineunt rationes, quamquam omnium idem eſt ſcopus, ut vel utrumque, vel Eliſæum ſaltem abſolvant. Qui Prophetam defendunt, Naamanum tanquam in vera Religione Neophytum negligendum ducunt; rati, id crimen indulgendum viro, qui recens ab Idololatria deſciſcens, relatam ex illa diſciplinam de diſſimulanda religione, uti olim apud primos hominea, non penitus exuarat. Negant illi acquieviſſa Prophntam pracibus Naamani, neo quidquam ab illo conceſſum ajunt veræ Religionis diſpendio: ſed, inquiunt, roganti viro ſolum raſpondit: *Vade in pace*; ac ſi diceret: Vade, neque jam ulterius cogites de Remmon, ejuſque cultu, ſed curas omnes verte in Deum, quem rogo nunquam committat, ut in Idololatriæ ſcelus prolabaris.

Fateamur quidem oportet, Eliſæi reſponſionem nihil ſatis expreſſum præſeferre de permiſſione Numinis adorandi; ſed nihilominus alium verbis ſenſum tribuere vix poſſumus, niſi apertiſſima vi Textui illata. Alioquin Eliſæus expers omnino non erit criminia, ſi Proſelytum, non modo non confirmavnrit, ſed io errore reliquerit. Præpoſtera ſane diſſimulatione uſus fuiſſet, indigoa prorſus viro alienæ ſalutis ſtudioſo, & Propheta. Nonne Neophyti diſſimulationem imitatus, ejuſdemque cum illo criminis particeps fuiſſet, ſi obſcuris ambagibns dicta involvnns, tenebras incauto homini offudiſſet? neque enim Naaman Prophetæ verba aliter accepiſſe creditur, quam quomodo huc uſque fere omnes ex hiſtoriæ lectione accipimns.

Conveniunt Rabbini omnem externi cultus ſignificationem (*1*) Idolis impenſam Judæis interdici; cum vero Naaman Judæus non eſſet genere, ſed tantum Proſelytus domicilii, idcirco, inquiunt, illi neque palam, nequn privatim interdici poterat, quin externam Idolo cultus ſignificationem impenderet, utpote qui extra Iſraeliticam ditionêm, & Iſraelitarum cœtum verſaretur. Quare, ex horum Doctorum ſententia, potuit Eliſæus externum cultum Idoli Proſelyto ſuo permittere. Rationibus e Scriptura petitis hoc Rabbinorum dogma firmari certo non poteſt, cum Idololatria æque ac hypocriſis aperte ubique damnentur, & contrarium habeant jus naturale, ipſumque adeo rationis lumen. Debitum Creatori cultum in creaturam transferre, quacumque tandem ratione id fiat, nunquam tamen crimine, & injuſtitia vacuum eſt, & immune: quin & multo res eſt deteſtabilior, cum agnita Numinis veritate & palam aſſerta, interdictis ſibi publica profeſſione Sacrificiis, quæ idolis impenduntur, admiſſa vera Religionn, invita licet ac reluctante conſcientia externus Idoli cultus adoptatur. Rabbinorum ſententia tenet, Naamanum tamquam proſelytum domicilii jure potuiſſe idola extra Judæam colere.

Vir Critices peritiſſimus æque ac illuſtris (2), cenſet, his verbis non veniam deprecari Naamanum pro cultu Numini impoſterum impendeodo, ſed pro eo, qui antea exhibitus fuit. Hnne ſenſum non male referre videntur verba Textus Hebraici, ita plane ad literam reddenda: *Ut ignoſcat mibi Dominus pro hac re, quando ingrediebatur Dominus meus Templum Remmon, ut adoraret, & illo innitente ſuper manum meam, & ſi adoravi in Templo Remmon* (3). Conſonum etiam magis videtur, ſi venia rogetur a Domino de crimine commiſſo, quam de committendo; pœnitudo enim res præteritas ſpectat; ac ſi veniam pro crimine, quod jam committere decrevimus, deprecemur, nonne ipſi nobis viam veniæ præcludimus? Hæ vero Naamani preces multo etiam magis præpoſteræ apparent, quod poſt miſſum Idololatriæ nuncium, atque unicæ Religionis profeſſione jurata, adhuc taman veniam poſtulat pro idololattia iterum recipienda.

Vulgaris tameo ratio utrumque virum e crimine abſolvendi, hæc Initur (4). Inter omnes convenit, deberi viris Principibus, ae in dignitate nonſtitutis raverentiam, & obſequium a ſubditis; deberi autem non in locis modo profanis, verum etiam in ſacris, quantum tamen officium & religio patitur. Quare Naaman potuit euntem Regem ad Templum comitari, potuit innitentem brachio ſubſtentare, potuit una cum illo procedere, ſtare, proſterni; quippe qui non in cultum Idoli hæc faceret, ſed in obſequium Principis, nec ut religioni ſuæ, ſed ut muneri faceret ſatis.

Ita occaſione parum diſſimili Tertullianus permiſit Chriſtianis, ut euntes ad Templa Paganos heros proſequerentur: *Licebit adeſſe in quibaſdam, quæ nos bomini, non Idolo officioſos habent* (5). Si quis autem, addit ille, ad Sacerdotium me, aut ad ſacrificium invitarit, huic ngo morem nunquam geram, quod hæ Idolo præſtentur officia: ſed ſi alia ratione Sacrificulo obſtrictus tenear, inter ſpectatores ſacrificio adero. Quid enim de ſervis, libertis, atque domeſticis Chriſtianis eveniret, cum heros ſive patronos habent ſacrificia præſtaotes? Fas eſt igitur viro Chriſtiano eadem præſtare Principibus, & Magiſtratibus officia, quæ olim Patriarchæ, & Prophetæ nonnulli, toto vitæ tempore, ſervitiis Paganorum addicti, exhibuerunt. Ita Daniel in aula Babylonis, Joſepb in Ægyptiaca, vitam traduxerunt.

Profecto ſi adoratio intimo animi obſequio, ſummum Dei dominium agnoſcentis, exhibetur; quis poſt ſolemnem Naamani promiſſionem, ſe reſpueta omnem Idolorum cultum, de fide illius dubitaverit? Proſternebatur quidem coram Idolo, ſignificationem quamdam cultus præſeferebat, quæ tamen nullum haberet adjunctum erga Numen devotionis obſequinm, in quo uno ratio adorationis habetur. Externus corporis habitus nihil eſt, quippe qui ſolum adjuncto volnntatis affectu vituperationem meretur aut præmium. Eliſæus autem non is erat, qni permittere ſive tolerare, vel diſſimulare ſaltem cultum impium, atque veri Dei cultui repugnantem poſſet. Quin & Theodoretua putavit, eadem exteriori corporis veneratione, qua cultum impendere in Idolum videbatur Naamanus, illum intimo animi ſenſu vero Deo proſternere ſe voluiſſe (6). Quæ tamen viri docti ſententia in abſurdas plane conſecutiones pertrahi poſſet, quaſi ſcilicet fas eſſet thura Idolis offerre, externi cultus ſignificationem exhibere, modo interior mentis oculus in Deum intendatut. Apage hæc abſurda a Patre piiſſimo æqun ac doctiſſimo.

Quam hucuſque expoſuimus ſententiam, cave credas ſuis carere difficultatibus. I. Si Naaman poſt

[1] Maimon. Vide Grot. hic, & Selden. de jure Nat. & Gent. l. 2. c. 10. [2] Bochart. Epiſt. ſeu Diſſert. in hunc locum t. 1. Operum ejus, Edit. Lugd. Batav. an. 1692. pag. 592. [3] לדבר הזה יסלח יהוה לעבדך בבוא ארני בית רמון להשתחות שמה והוא נשען על ידי והשתחויתי בית רמון בהשתחויתי בית רמון יסלח נא יהוה לעבדך בדבר הזה Ita & Chald. [4] Vide Lyran. Sanct. Menoch. Vatabl. Serar. Cajet. Natal. Alexand. t. 2. hiſt. V. T. Diſſert. 7. [5] Tertull. de Idolol. cap. 16. 17. [6] Theod. Q. 19. in 4. Reg. Vetus quædam Verſio Græca in Theodoreti ſententiam ire videbatur: Καὶ προσκυνήσω ἅμα αὐτῷ κυρίῳ τῷ Θεῷ.

poſt ſolemnem cultus veri Numinis profeſſionem, una cum Rege Idololatra coram Remmon proſtratus apparebat, peſſimo ſane exemplo totius rei non ignaros affecit. II. Cur illud crimine abſolvatur, quod ipſe Naaman damnandum cenſens, veniam de eo deprecatur? III. Si Sacrificio tanquam Miniſter adeſſe nemo poteſt ſine crimine; ſi, ut ait Tertullianus ubi ſupra: *Ad Sacerdotium & Sacrificium vocatus non ibo; proprium enim Idoli officium eſt. Sed neque conſilio, neque ſumptu aliave opera in ejuſmodi fungar*; quid ſane magis Idololatriam ſapit, quam inclinatio, & adoratio coram Idolo? Nec tamen Naaman id cavet: inclinantem ſe Regem & ſuſtinet brachio, & ſimul ipſe inclinatur, ac tandem exteriore corporis habitudine nihil ille, quod a Rege factum ſit, omittit. *Si merum quis Sacrificanti tradiderit, ſi verbo aliquo ſacrificio neceſſario adjuverit, miniſter habebitur Idololatriæ* (1). Et poſt hæc Naaman abſolvendus?

Fruſtra vero quis reſpondeat, Naamanum ſatis mentem ſuam de cultu Dei expoſuiſſe, cui proinde ex exteriore cultus Idoli ſignificatione nulla poſſet invidia creari. Cum enim viri profeſſio omnibus eſſet explorata, ſi poſtea coram Numine proſtratus, obſequium Regi ſuo præſtiturus, cerneretur, ſtatim omnes intelligebant non eſſe cultum religioſum, ſed officium Regi exhibitum. Imo idcirco potiſſimum debuit Naamanus cautior incedere, ne populum de ejus religione perſuaſum offenderet, neve aliam inderet intuentibus ſententiam, quam quæ antea de illo concepta fuerat. An Judæus religionis ſuæ ſtudioſus præſtitiſſet unquam quod Naaman præſtitit? An vero quæ Judæo crearent invidiam, eadem Naamanum abſolvunt? Profecto ſi Daniel in aula Nabuchodonoſoris, ſi pius ſenex Eleazarus coram Præfectis Regis Antiochi, ſi S. Paulus ante Paganorum tribunalia Naamani exemplum imitari maluiſſent, res illorum fuiſſent ſalvæ; ac Daniel (2) ad concentum inſtrumentorum muſicorum ſe ſtatim coram Idolo proſtraviſſet, non quidem ut cultum Numini impenderet, ſed ut Regi civili obſequio morigerum ſe præberet; Eleazar puram carnem guſtaſſet (3), falſo Paganis perſuadens, ſe ex idolothytis participaſſe; ac tandem S. Paulus, nulla habita ratione Idoli, quippe quod nihil eſſet, neque mali aliorum exempli, carnes indiſcriminatim adhibuiſſet in cibum, quamvis ſciens prudenſque immolatas fuiſſe Idolis noſſet (4). Uſus enim ille ea occaſione fuiſſet libertate omnibus permiſſa, quippe qui averſam haberet ab Idololatria mentem; ejuſque rei nulla creari potuiſſet in Apoſtolum, cujus ſententiam omnes exploratam habebant, invidia.

Tandem ſi nos immunem criminis Naamanum, & Eliſæum aſſeramus, cum alter coram Numine proſternebatur, alter eam cultus ſignificationem permiſit; cur eos damnaverimus, qui proximæ peccandi occaſioni ſe objiciunt, qui dicto, vel facto aliquo in ſcandali diſcrimen imbecilles inducunt, qui loca frequentant, vel ſocios famæ deploratæ, qui tandem, cum de religione agitur, fidem ſuam ſimulatione aliqua occultant? Habeant illi optimam animi habitudinem, nihil ſe mali vel cogitare, vel optare ſancte profiteantur; nihil tamen apud prudentes pioſque Chriſtianos proficient. Si munus geris, quod ſine crimine non præſtatur, vel ſaltem ſine exteriori criminis ſignificatione, ut malum præbeat imbecillibus exemplum, ſtatim recede, neve committas unquam, ut laqueum & offendiculum fratribus pares. Hæc Chriſtianis æque ac Judæis imperantur.

Ut abſurdas haſce conſecutiones evitemus, nihil ſane probatur ratio illa legendi Textum originalem, qua de crimine jam commiſſo veniam deprecatus Naaman exprimitur: vel ſaltem rogaſſe, ut pravam hanc, cui aſſueverat, adorandi nempe in Templo Remmon una cum Rege, habitudinem exuere tandem ſibi precibus Eliſæi daretur. Textus enim originalis non legit, Regem proſternere ſe, ac proinde Naamanum, cui innitebatur, ſecum ad proſtrationem cogere, ſed tantummodo habet: *Quando ingreditur Dominus meus Templum Remmon, ut adoret, & illo innitente ſuper manum meam, ego adoravi in templo Remmon. Cum igitur ego adoravi in eodem loco, ut ignoſcat mihi Dominus ſervo tuo pro hac re*. Ratio legendi, quam Septuaginta & Author Vulgatæ prætulerunt, pronior eſt, me etiam fatente (5): *Si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco*.

Quæ poſterior lectio ſi retineatur, maluerim ego Naamanum criminis, atque Eliſæum indebitæ indulgentiæ damnare. Hæc opinio non ita ſingularis eſt, ut doctos, peritoſque Scriptores nonnullos non habeat aſſertores (6). Vel potius Naaman veniam commiſſi criminis deprecatur, cum ſcilicet una cum Rege ſuo ſupplex coram Remmon ſeſe proſtraverat. Hæc poſterior interpretatio planior mihi & genuina creditur, magiſque Hebræo, & Chaldæo conſona. Syriacus, & Arabicus interrogationem interponunt. *Ignoſcet mihi Dominus ſervo tuo, ſi quando ingreditur Dominus meus Templum Remmon, ut adoret, illo innitente ſupra manum meam, ſi adoravero in Templo Remmon, adorante eo in eodem loco? Cum, inquam, ego adoravero in eodem loco, ignoſcet mihi Dominus ſervo tuo pro hac re? Qui dixit ei: Vade in pace*. Servatur hic eadem lectio ac in Hebræo, & Chaldæo in ea voce *ſi adoravero*; dein vero ad alium ſenſum divertitur, duriorem plane ac in Vulgata, & Septuaginta. Interrogat enim juxta eam lectionem Naaman, num impetraturus ſit a Domino veniam, ſi una cum Rege coram Idolo ſe proſtraverit.

Noſtræ hujus Diſſertationis articulum reprehendere viſum aſt nonnullis (7). Indignum enim putarunt, adoptari a nobis *ſingularem Bocharti ſententiam*, de poſtulata a Naamo commiſſi jam criminis venia, cum potius rogaſſe illum dicant Prophetam, ut ſibi adeſſe daretur facultas una cum Rege Syriæ in Templo Remmon, & coram Idolo una cum Principe, ejus brachio innitente proſterni. Hanc autem noſtram ſententiam contendunt, nullo argumento evinci poſſe. Numquid enim, addunt, Naaman nullum aliud Idololatriæ ſpecimen exhibuerat, quam cum in Templo Remmon una tantum cum Rege adoravit? Et ſi plura commiſerat Idololatriæ crimina, cur de uno tantummodo hoc veniam poſtulat? *Nullum ejus rei argumentum ſatis convincens adducetur. Adde, Textus omnes & verſiones præſentem vel futurum, nunquam præteritum ferre. Tenenda eſt igitur omnium Catholicorum Interpretum ſententia*. Hæc adverſus noſtram ſententiam objiciunt: quibus aliquid reponendum eſt.

Hanc ſententiam, quam Bocharti ſingularem dicunt, Scriptores longe plures eruditione linguæ ſanctæ & phraſis Scripturæ ſcientia inſignes defendunt. Vide Joannem Andream Quenſtedt in Diſſertatione ſingulari de hoc argumento (8).

Lau-

[1] Tertull. ibid. [2] Dan. III. 12. [3] 2. Macch. VI. 12. &c. [4] 1. Cor. VIII. 13. *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum*. [5] S. Hieronym. legit בהשתחויתי pro בהשתחויתי Septuag. Ἐν τῷ προσκυνεῖν αὐτὸν ἐν οἴκῳ Ρεμμάν. [6] Vide Pet. Martyr. hic, & Hugon. & Greg. de Valent. apud Corn. a Lap. hic. [7] Memoir. de Trevoux, Mars 1713. [8] In 4. Reg. v. 18. In Theſaur. Diſſert. Theol. Philol. Sauberi. Vivarienſes Paraphraſtæ in Bibliot. Norimberg. Valther. Centur. Miſcell. Theolog. art. 6. Gloſſius ab Hekſpan, de hoc loco conſultos; Dorſchæus Theolog. Zach. par. 6. Donhaver Conſciential. P. 2. p. 2. Colov. Annot. Antigrot. in 4. Reg. v. 18. Dilher Diſput. Academic. t. 1. Diſput. 16. & 22. Vantil. Medulla pag. 456. Cette Projet de Traduction pag. 471.

Laudat ille in eamdem ſententiam Saubertum, Valterium, Glaſſium, Dorſchæum, Danhaverum, Calovium, Dilherum, alioſque nonnullos, quibus addi poſſunt Vantilius & Cene in ſuo *Specimine Verſionis*; nequid dicamus de Bocharto, cujus nos ſententiam ſecuti ſumus in noſtra Diſſertatione.

Porro Scriptores hi omnes, indignum rati, poſtulatam a Naamo [qualis primo verborum intuitu præfertur] facultatem approbare; nec minus perniciosas conſecutiones timentes, quæ ſtatim deducuntur, poſtulata omnia ab Eliſæo permiſſa dicantur, proſternendi ſe ſcilicet coram Idolo, adoptandam noſtram hanc interpretationem cenſuerunt. Affirmare etiam nos jurati poſſumus, viros plures mentis acumine præſtantiſſimos offendiſſe, quibus cum vulgaris interpretatio Catholicorum minus probaretur, de ſententia hujus loci mire angebantur.

Inconſulto profecto addunt criminatores noſtri, rejectam in Diſſertatione ſententiam Catholicis omnibus Interpretibus probari. Gregorius de Valentia, Jeſuita non obſcuri nominis (1), hanc Naamani petitionem, ſi forte adeundi Idoli facultatem poſtulavit, criminis, quod etiam a nobis factum eſt, condemnat. Condemnat etiam Hugo de S. Caro (2); qui etiam Eliſæi indulgentiam criminis arguit. Hac autem indulgentia uſum Prophetam putat in commodum Judaicæ Religionis, ita tamen ut viri fidem obligaverit, ut omnem tandem ſuperſtitioſi Principis famulatum abjiceret, cum opportunum tempus offenderet; neque interim alia ratione diſſimulandum cum illo cenſuiſſe credit Prophetam, quam quod e re Judæorum futurum videretur, ſi in Aula Regis Damaſci vir aliquis veræ Judaicæ religionis res promoveret. Æquos Judices appello, an hæc ſatis habenda ſint, ad permittendam Naamano in Aula Regis Idolatræ moram, tum & ad aſſerendam illi facultatem, externam cultus ſignificationem Idolo impendendi. Poſt damnatos Eccleſiæ ſententia Sinenſes ritus, quis talia defendat?

Addunt, nullo ſatis idoneo argumento convinci poſſe, nullam aliam Idololatriæ ſignificationem antea exibuiſſe Naamanum, quam quod coram Idolo una cum Rege proſterneretur; quæ noſtræ ſententiæ conſecutio eſt apertiſſima. Poſſem ego totam hanc conſecutionem negare. Numquid enim non poteſt quis gravioris alicujus criminis veniam petere, in quo cætera minora veluti contineantur, nulla minorum mentione? Fac, vir aliquis, ſpectatæ alioquin vitæ, ſed Idololatriæ criminis reus, veniam poſtulet de impenſo publico aliquo & ſingulari Idolorum cultu: nonne & de minoribus quoque Idololatriæ facinoribus idem præſtitiſſe una ſimul cenſendus eſt? Quid in ea re non conſuetum, quid abſonum rationi? An minime ferenda aſſerimus?

At enim Textus & Verſiones præſens & futurum nunquam præteritum habent. Qui ſane hæc aſſerunt, nunquam Chaldæum, nunquam originalem Textum conſuluerunt. Ita præteritum legit Hebræus (3): *Quando ingreditur Dominus meus Templum Remmon, ut adoret, & illo innitente ſuper manum meam, ego adoravi in eodem loco, ut ignoſcat mihi Dominus ſervo tuo pro hac re. Eliſæus dixit ei: Vade in pace.* Si hanc Textus authoritatem ſequamur, criminis ante ejuratam Idololatriam commiſſi veniam poſtulaſſe Naamanum, aſſeremus. Nec ſane aliter verba illa interpretari pronum eſt, cum una eademque in Textu vox cultum Naamani & Regis æque deſignet. Scitum eſt autem, Regem illum non externam tantum cultus ſignificationem Idolo impendiſſe, tantumdem ergo & Naaman de ſe fatetur.

Si quis vero contendat, utrumque virum cultum ſuum ex animi ſententia impendiſſe, Regem Idolo, Naamanum vero, in Fano licet & coram Idolo proſtratum, Deo Judæorum, ut unius ejuſdemque externa ſpecie actionis alter alterius eſſet finis; illi ſane cavendum eſt, ne Religionem ipſam in diſcrimen adducat. Ejus certe doctrinam Chriſtianorum nemo probaverit, quibus illud eſt religione ſanctum, ut omnem in fide & præcipuo cultu ſimulationem, tamquam prævaricationem, abjiciant: *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua* (4). Supereſt igitur, ut dicant, Naamanum, ad Templum una cum Rege profectum, obſequium Principi debitum, non cultum Numini impendiſſe. Imbecillitatem meam fateor: hanc ego ſententiam, cujus pernicioſas timeo conſecutiones, ferre non poſſum; nec in animum unquam induceam, virum ejus probitatis, ſcientiæ, & in Religionem ſuam ſtudii, qualem Eliſæum credimus, id commiſiſſe, ut rem illam ſuffragio ſuo confirmaret.

DISSERTATIO

De Retrogradatione Solis in horologio Achaz.

CElebre illud ſub Ezechia prodigium, cui Diſſertatio hæc noſtra debetur, non ſimplex prodigium tantummodo cenſendum eſt, cujus veritas contra impios, & abſurdos obtrectatores aſſerenda ſit, ſed pluribus miraculis conſtans prodigium; de quibus ſingulis pia fidelium ſtudia explere, ſiquidem fieri poſſit, eorumque fidem & Religionem inſtruere, & philoſophantes quaſdam mentes paſcere opus eſt. Nos igitur impræſentiarum ſenſum textus in examen revocabimus, varias exponemus ſententias, ac tandem totum prodigium evolvemus; inquirentes inſuper, utrum per univerſum late Orbem ſpectabile ſe illud exhibuerit, an ſolum in Palæſtina; utrum Sol retrogrado curſu iter converterit, an tantum horologii umbra receſſerit; utrum ea contigerit retrogradatio, ſenſim, an ſtatim tota; ac denique ad horologiorum originem deverremus.

Cum Rex Ezechias graviſſimo laboraret morbo, Iſaias juſſu Domini ad ægrotum veniens, incolumitatem infra triduum prænunciavit, eamque incolumitatem, ut ſtatim poſſet ad Templum aſcendere. Certo aliquo ſigno dictorum fidem aſtrui ſibi Ezechias popoſcit. Cui Iſaias propoſuit, malletne Solis umbram decem lineis procedere, an tantumdem ſpatii recedere: Tum Rex, ullo, inquit, negocio fieri poteſt, ut umbra decem lineis urgeatur. Alterum igitur præfero. Nec mora: ſtatim enim verſo in preces Prophete, umbra decurſas jam decem lineas in horologio Achaz, ite-

rum

[1] Tract. de Fide & Fidei profeſſione Diſp. 1. Qu. 1. p. 2. ad 3. apud Cornelium a Lapide, in 4. Reg. v. 18.
[2] Hug. Cardin. in 4. Reg. v. 18. [3] הזה יסלח יהוה לעבדך בביא ארני בית רמון להשתחות שמה והוא נשען על ידי והשתחויתי בות רמון בהשתחויתי בית רמון יסלח נא יהוה לעבדך בדבר הזה
[4] Luc. IX. 26.

Digitized by Google

rum verſo curſu repetiit. Hæc hiſtoria legitur in 4. Regum xx. 11. In 2. Paralipom. xxxii. 24. prodigium illud tantum indicatur, exactiori ſingularum rerum deſcriptione prætermiſſa. Iſaias (1) ſingula juxta fidem Libri Regum proſequitur; quamquam non ſolam umbram receſſiſſe memorat, quemadmodum in Libro Regum, ſed & Solem: *& reverſus eſt Sol decem lineis per gradus, quos deſcenderat*. In Texta Latino Iſaiæ exprimitur hoſologium Achaz, de quo etiam in libro Regum. Sed Textus originalis habet tantummodo gradus Achaz (2). S. Hieronymus (3) fatetur, Symmachi ſe fidam ſequutum, vertiſſe horologium & lineas, quod Textus habet gradus, & ſcalas. Jonathan reddit *lapidem horarium* אבן שעיה.

Diſſident Interpretes in explicanda ſtructura horologii Achaz. S. Hieronymus (4) hæc habet: *Sive ita extructi erant gradus arte mechanica, ut per ſingulos umbra deſcendens horarum ſpatia terminaret*. Paria ſenſit etiam S. Cyrillus Alexandrinus (5). *Dicunt autem, Achazum Ezechiæ patrem in domo ſua velut machina & arte quadam gradus quoſdam confici curaviſſe, qui velut horas numerarent, & curſum ſolis decurſu umbræ in illis factæ metirentur*. Sequuntur hos Authores plerique recentiores Interpretes (6); inter quos non deſunt, qui cenſuerint, potuiſſe Ezechiam e ſuo conclavi ac lecto facile horologium ſpectare, ut totius prodigii teſtis eſſet oculatus.

Aliis vero creditur, verum fuiſſe horologium ſolare, inſtar primigeniorum illorum, quæ olim obtinuerunt in Græcia, & in Italia, ita a Veteribus deſcripta, quaſi columna eſſent in medio areæ erecta, quam ſcilicet aream variis lineis diſtinguebant. Percurrens igitur umbra columnæ varias illas lineas, horas diei notabat. Cum autem vetuſtiſſima dividendi horas ratio totam diem in xii. horas diſpeſceret, pro diebus variis & anni temporibus varias etiam fuiſſe horas oportebat; quare horologii lineæ quamplures duci debebant, quippe quæ non horis modo reſponderent, ſed inæqualibus etiam horis, pro ſingulis anni temporibus, ſervirent. Hinc certum linearum in horologio Achaz numerum definire non poſſumus, nec certum notare ſpatium retrogradationis. Sunt qui xis. lineas notent; ſunt qui xxiv. alii malunt xxviii. (7); alii etiam numerum augent.

Totam hujus horologii rationem ex R. Elia Chomer ita Grotius deſcribit. Concavus erat, atque hemiſphæricus globus, alterum in medio complectens globum, cujus umbra in varias lineas in cavitate notatas incidebat, quæ ſane lineæ, inquit, xxviii. erant numero. Hoc horologium Græci *Scaphen*, nempe navim, vel *hemiſphæron* appellant; cujus inventi honorem Beroſo Chaldeo tribuit Vitruvius (8). Nos infra oſtendemus, multo facillime eredi, horologium Achaz ad Chaldæorum imitationem expreſſum fuiſſe. Similis ferme horologii inventionem, cujus poſtea formam deſcribemus, Moyſi tribuiſſe Appio videtur. Lineæ in ſphærica cavitate ſignatæ, proprie ſatis gradus appellari videntur. Sed quæcumque fuerit hujus horologii ſtructura, convenit inter omnes, opus illud horis diſtinguendis ſerviiſſe, atque indicio umbræ retrogradæ hujus machinæ dictis ſuis fidem Iſaiam adſtruxiſſe.

Sed negociam facit hujus retrogradationis ratio. Duplex eſt potiſſimum inter Catholicos Intarpretes ſententia: alii Solem ipſum curſum vertiſſe ajunt; receſſiſſe tantummodo umbram alii malunt. Ambæ in examen revocandæ. Patres, & interpretum plerique (9), literam Scripturæ tantum ſequuti, nihil inde objectas difficultates ſive alicujus momenti, ſive nullius morantur. Ita enim philoſophantur: Res æque ac prodigium conſtant: quorſum phyſica ratione explicare laboremus, quod ſupra naturam eſt? Idem ejuſdem rei Author, ipſe etiam ſe illam feciſſe prodidit; quem ſane ſapientiſſimum novimus, ut incommoda omnia, quæ objiciuntur, præcavere potuerit; & potentiſſimum, ut ardua omnia ſuperet.

Pſeudo-Dionyſio Areopagitæ (10) viſum eſt, eam diem productiorem cæteris fuiſſe; in quam etiam ſententiam S. Gregorius Nazianzenus (11) inclinavit: utrique proinde ea ſedit opinio, ut Sol retrogrado curſu iter converterit. S. Hieronymus (12) ad orientale horizontis punctum remeaſſe Solem cenſuit, *Ut quomodo Sol reverteretur ad exordium ſui, ita Ezechiæ vita ad detextos annos rediret*. Paria meditatus eſt S. Auguſtinus (13): *Retroverſum maximum ſidus regnante Ezechia*. Eadem fert Author de mirabilibus S. Scripturæ (14): *Solis in ortum ab occaſu per decem horas curſum recidivo Deus tramite retorquet*; additque inſuper: *Sol in procinctu occaſus ſui poſitus, in diei initium reducitur*. Hanc Solis retrogradationem univerſum, qua late patet, terrarum Orbem ſenſiſſe, Theodoretus (15) eſt author; cujus, inquit, rei circumſtantias omnes & cauſas diſcere cupiens Rex Babyloniæ, Legatos ſuos Jeroſolymam miſit.

Huic ſententiæ plurimum conferre videtur tum expreſſa Scripturæ authoritas, ac PP. & Interpretum ſuffragium, cum etiam quod captui & menti vulgo Fidelium magis ſedeat. Cum autem S. Spiritus, potiſſimus Sacrorum Librorum Author, ſimplicium captui ſeſe aptare decreverit: idcirco dum certum aliquem ſenſum exprimit, nonniſi per ſummam audaciam & impietatem ejus verba alio detorqueri queunt, niſi forte vel abſurda quædam aliaqua pugnantia Scripturæ loca aliter perſuadeant. Quæ vero in hanc ſententiam afferuntur incommoda, hæc ex variis Philoſophiæ ſyſtematibus petuntur, quibus Solis retrogradus curſus congruere nequit. Sed quæ a Philoſophis de diſpoſitione partium Univerſi, quatenus terram ſpectant, ad arbitrium excogitata, adeo mera ſunt figmenta, ut jure Patres atque Eccleſiaſticorum Interpretum plerique nihil ſibi ab illis præcavendum cenſuarint. Cæterum cum de rebus obſcuris, ſyſtematibus, atque meris opinionibus agitur, ſemper illud præferendum videtur, quod planius eſt & ſimplicius, tum magis cum Scriptura, & communibus notionibus congruit, quamvis non ea ſit ſententia quæ difficultatibus careat. Si e Philoſophorum placitis nobis negotium fiat, quid eos magiſtros nos ſequi compellit? quid eorum figmenta cum S. Scriptura conciliare cogit? Nonne æquior ratio poſtulat, ut Philoſophia potius ad revelationem, quam revelatio ad philoſophiam pertrahatur? præſertim cum Scripturæ verba aperta ſint & explorata, & Philoſophia nonniſi hypotheſes incertas habeat; quippe quæ corpora cœleſtia longiſſimo diſſita intervallo vix proſpiciat, atque naturæ ſecreta fruſtra hactenus tentaverit. Uni igitur Scripturæ & revelationi inhærendum, vel invitis philoſophicis ſyſtematibus, quæ ſola humana ratiocinatione, rebuſque exploratis per ſenſus fulciuntur.

His tamen reponunt, Scripturam minus & philoſophiam & naturæ arcana edocenda curare: quare uti non raro phraſibus vix aliter explicandis,

niſi

(1) Iſai. xxxviii. 7. 8. (2) מעלות אחז Septuag. βαθμοὶ, gradus. (3) In Iſa. xxxviii. (4) Ibid. (5) Cyrill. Alex. in Iſai. lib. 3. t. 4. pag. 496. (6) Vatabl. Pagn. Manſt. Malv. Sanct. (7) Vide ſi places, Gent. in hunc locum & Præadam. part. 2. c. 4. (8) Vitruv. lib. 9. c. 9. (9) Vide ſi placet, Sanct. art. 19. Tir. Jun. Piſc. Peret. Nat. Alex. Diſſert. 8. t. 2. in V. T &c. Pincip. Lyran. Hag. Haimon. Adam. in Iſa. Serar. in Joſa. (10) Ep. 7. ad Polycarp. (11) Orat. 19. in laudem patris, & Elias Creteaſ. (12) In Iſa. xxxviii. (13) De Civ. Dei lib. 21. c. 8. (14) Lib. 2. cap. 28. (15) Theodoret. q. 52. in 4. Reg. Vide eumdem in Pſal. xxix. ℣. 13.

niſi ad regulas rationis, & Philoſophorum ratiocinationes revocentur. Inter ſyſtemata vero Philoſophiæ quædam occurrere certa adeo, & ſenſibus atque experientiæ probata, ut inter claras metaphyſicæ notiones jure meritoque cenſeri queant. Naturæ Author vias ſemper quærit ſimplices & naturæ conſonas, neque prodigia nonniſi ſumma neceſſitate multiplicanda eſſe, niſi pernicioſa fictorum miraculorum ſarcina Religionem onerari voluerimus. Prodigia, quorum illuſtre eſt in S. Scriptura monumentum, maximique ſunt ad fidem noſtram momenti, cum legibus naturæ nunquam non congruere, id agente Deo, ut inſita humanis mentibus credendi res ſupernaturales difficultas, quantum fieri poteſt, minuatur. Porro Solis retrogradationem ſi quis ad literam voluerit interpretari, hunc ſtatas a natura leges in motu Solis ſubverſurum, univerſi Oeconomiam turbaturum, tabulas & obſervationes omnes Aſtronomicas inutiles effecturum. Nam vel unus Sol retrogrado curſu decem lineas repetiit, cæteris interim aſtris curſum ſuum tenentibus; quod legibus motus repugnat, cum impreſſo ſibi a ſuperioribus ſphæris impetu Solem rapi neceſſe ſit: vel una cum Sole reliqua ſimul aſtra iter verterunt; quod non minus veritati repugnat. Præſtare igitur, ut retrogradationem illam umbræ tantummodo in horologio Achaz deputemus; tunc enim promiſſorum Iſaiæ fides liberatur, atque verba Scripturæ in Libris Regum ad literam ſervantur. Iſaiam profecto expreſſiſſe receſſum umbræ ſimul & Solis: ſed *Solem* paſſim in Scriptura uſurpari pro luce, radiis, atque umbra ab iis reſultante. Obſcuram phraſim per apertiores & expreſſiores alias eſſe explicandam.

Sed umbram receſſiſſe intelligere non poſſumus, niſi corpus aliquod opacum alia, quam prius, ratione luci opponatur, vel loco moveatur, vel ſaltem, eo immoto, corpus ipſum lucidum moveatur. Poſterius hoc prodigium nihilo minorem fidem exturquet, quam prius: utrobique foveæ ſunt, & incommoda. Si a Sole abſtineatur manus, fatemur quidem omnibus Cœli aſtris parci, ne contrario motu retroverti cogantur; ſed male tunc quis de rationis lumine & experientia communi omnis ætatis mereatur.

Scriptor inter acerrimos prodigiorum S. Scripturæ adverſarios (1), prodigium tamen vel invitus agnoſcere in receſſu umbræ, Sole non recedente, cogitur. *Contra ordinem*, ait, *& naturalem effectum Solis & umbræ, miraculo, & modo hominibus ignoto, umbra reducta fuerit retrorſum decem gradibus*. Iſaias & Ezechias, addit ille, bona fide cenſentes Solem circa tellurem torqueri, viſam umbræ retrogradationem aſtro retrogrado adſcripſere. Hi cæteras per Orbem gentes fefellerunt. Sed neque a Propheta, neque a Rege, & populis Aſtronomiæ peritia quærenda eſt; totumque prodigii myſterium non a Sole, ſed umbra decem lineis recedente efficiebatur. Hoc unum prodigium eſt.

Audacior adhuc alius Scriptor (2) ea de re loquitur generoſius. Primum enim ſimplicitatem illorum ridet, qui de Sole retrogrado fabellæ fidem adlixere, cum, inquit, umbra tantum horologii decem lineis recedere viſa ſit. Unde vero hujus umbræ receſſus? ecce in prompto: e parhelio, ait ille, ſive nube, quæ e regione Solis conſtituta, exceptos ejus radios in ſtylum horologii ita regerebat, ut umbram ex parte Solis converteret, oppoſitam loco, quem mox occupabat. Evaneſcunt hic omnia prodigia, prona ſunt omnia, & naturæ legibus conſentanea; ut ſi quid prodigii creditum fuerit, id non ipſi rei, ſed vulgaris rudiſque populi credulitati deputandum ſit. Neque Iſaias cæteris doctior fuit; quippe qui de parheliis ne per ſomnium quidem cogitaverit, factaque ad ipſum ſit juxta ejus captum revelatio; atque in ea eſſet ſimul cum Rege Ezechia perſuaſione, Solem circa terram torqueri. Quidni igitur prodigio rem ſibi ignotam deputarent?

Felix plane ſæculum noſtrum, quo Spinoſam vivere contigit, virum Prophetis & Authoribus Theodidactis, inſignibus Synagogæ Doctoribus, Patribus Eccleſiæ eruditiſſimis, noſtris Commentatoribus doctiorem; quippe qui unus intellexerit, quod illi unanimi conſenſu hucuſque ob mentis imbecillitatem, prodigio, & quidem maximo in paucis totius Scripturæ, deputarunt! Babylonii, Aſtronomiæ licet peritiſſimi, quam unam ſcientiam tot ſæculis nunquam intermiſſo ſtudio excoluerant, in Schola hujus docti Increduli infima auditorum ſubſellia tenuiſſent; eoque viro doctiſſimo audito, ab itinere Jeroſolymitano abſtinuiſſent, dicentes inopinatum eventum parhelio deputari. Unde vero tam opportunum accidit phænomenon? cur eum temporis articulum expectavit, ut precibus Iſaiæ, ejuſque promiſſorum fidei aſſerendæ inductum videretur? Plus ſane in ea temporis circumſtantia, quam in re ipſa, prodigii apparet. Docet quidem Author noſter alio in loco (3), *Prophetas ſemper ſignum aliquod habuiſſe, quo certi fiebant de rebus, quas prophetice imaginabantur*. Norat profecto, addit, Ezechias prophetiæ dono Iſaiam clarere, ipſumque de rebus futuris jamdiu vaticinia fundere ſciebat: hac tamen occaſione vult certo aliquo ſigno de veritate illius oraculi fieri certior. Verum ſi exhibitum ab Iſaia ſignum communes naturæ leges non ſuperabat, qui fieri poterat, ut prophetiæ certam, & infallibilem veritatem demonſtraret, prophetiæ, inquam, quæ tota, juxta Spinoſam, e Prophetæ imaginatione repetenda erat? Non erat plane ſignum illud ipſa, quam indicabat, re certius, cum utriuſque eadem eſſet natura; quin & ſignum re ipſa quodammodo erat obſcurius; nam, eodem authore, neque Propheta neque Rex veram ejus cauſam noverunt. Neque eſt cur dicamus, Deum revelaſſe Prophetæ veluti ſupernaturale aliquid, quod re ipſa naturalis ordinis effectus eſſet; nam quis credat Deum decipere voluiſſe Prophetas & populos, certæ & infallibilis veritatis ſignum exhibens neque certum, neque ſupernaturale?

Authores Catholici, qui umbram tantum, non Solem receſſiſſe ſuſpicati ſunt, modeſtius de tota hac controverſia ſenſerunt (4). Cum plane illi animadvertiſſent incommoda hujus opinionis ſupra deducta, omnem verterunt curam, ut Scripturam cum Philoſophia conciliantes, veritatem hiſtoriæ ſimul cum miraculi fide componerent. Notant igitur, I. Textum Scripturæ diſerte ſatis pluribus in locis exprimere, Solis umbram receſſiſſe. Porro ſi receſſus Soli tribuendus fuiſſet, præpoſtere ſane receſſiſſe umbra perhiberetur. Fatentur quidem, alibi expreſſam legi retrogradationem Solis; ſed Solis nomen pro umbra ejuſdem aſtri in horologio uſurpatum eſt, quemadmodum contingit ſæpiſſime, ut effectus pro cauſa, & ſignum pro re ſignificata ponatur. Ita in Jona IV. dicitur: *Percuſſit Sol ſuper caput Jonæ, & æſtuabat*; ubi Sol pro radiis Solis ponitur. Ita in Eccleſiaſtico XLVIII. 26. habetur: *In diebus ipſius* [Ezechiæ] *retro rediit Sol, & addidit Regi vitam*: quo in loco diffitetur nemo Solem, ſive umbram ſignum tantummodo fuiſſe valetudinis Ezechiæ. II. Animadvertunt, prodigium illud uni Ezechiæ deſtina-

[1] Præadam. par. 1. c. 4. [2] Auth. Tract. Theologico-Polit. c. 2. pag. 22. *Eſaiæ ſignum umbræ retrogradæ ad ipſius captum revelatum fuit, . . . & de parheliis forte nunquam nec per ſomnium cogitaverat; quod nobis ſine ullo ſcrupulo, ſtatuere licet.* [3] Auth. Tract. Theolog. Polit. c. 2. p. 16. [4] Vide ſi placet Burgenſ. Mont. Vat. Ter. Sa, Sanct. ad 4. Reg. xx. 11. art. 11. . . . . . . 16. 17. & ex Acathol. Grot. Bochart. Chanaan l. 1. c. 14. Voſſ. de Orig. & progr. Idolol. l. 2. c. 2. 9. & alios.

Digitized by Google

ſtinatum, nonniſi ejus in horologio fuiſſe ſpectandum; quare opus non fuit, ut in univerſo Orbis theatro conſpicuum præberetur. Erat enim Divinæ Sapientiæ, ut quod paucis perficere poterat, multis non ageret: parcit Deus Omnipotentiæ ſuæ, neque a legibus naturæ, niſi quantum neceſſitas poſcit, ſibi ducit recedendum. III. Legati Regis Babyloniæ Jeroſolymam venerunt, *ut interrogarent de portento, quod acciderat ſuper terram* (1), nempe in Judæa, quæ terræ nomine conſueta phraſi deſignatur. Porro ſi hæc Babylone æque ac Jeroſolymę contigiſſent, quid opus fuit exquirendę veritatis cauſa Jeroſolymam adire? IV. Si res univerſum orbem habuiſſet ſpectatorem, vix fieri potuiſſet, ut nullus de illa Scriptor extaret. V. Si Sol poſt decurſas decem lineas iterum verſo curſu eaſdem repetiiſſet, ut iterum illas metiretur, dies illa profecto longior fuiſſet, quam quæ ſub Joſue; illa enim duplo major fuit quam pro more, nempe xxiv. horarum; hæc vero ad xxxii. deveniſſet. Diſerte autem Scriptura exprimit, nullam diem priore illa productiorem unquam fuiſſe ſive antea, ſive poſtea (2). VI. Tandem omnia recurrunt incommoda ſupra fuſius diducta, nempe corporum Cœleſtium harmonia turbata violento illo, & irregulari motu, &c.

Qua vero ratione retrogradatio iſta in horologio contigerit, ita illi deſcribunt. Potuit Deus motum ſuſpendere, Soliſque radios ita determinare, ut umbra Solem verſus demitteretur: quemadmodum oriente Sole fit in conclavi ad Occidentem patente, ubi umbra ipſa, quamquam ab orientis Solis radiis reſultans, orientem ſpectat; ita prodigii ratio in eo ſita erat, ut radii Solis reflexi in ſtylum horologii, umbram, ſecus ac fieri debuiſſet, demitterent. Porro reflexio illa radiorum ex compacto ſubita opera corpore oriri potuit; quo ſcilicet ſubito radiis oppoſito, obſtructa conſueta luci via, aliam lux plane diverſam teneret. Si hujus ſententię momenta omnia non æque ejuſdem ponderis ſunt, non ea tamen ſient, quæ penitus rejici mereantur, & ſua pariter authoritate, uti & Scriptorum merito, veri aliquam ſpeciem & ſimilitudinem obtinent.

Recentiores Philoſophi, qui Solem in centro Mundi habitabilis conſtituunt, ac terram in vortice ejuſdem aſtri perpetuo agitant motu, utramque hujus prodigii ſententiam æque amplectuntur; perinde enim eſt illis, ſive Solis radii objecto corpore averſi dicantur, ut umbram detorquerent; ſive Patrum interpretatio præferatur, Solem contrario curſu priorem viam repetiiſſe ſtatuentium; nam quod ad nos, noſtroſque ſenſus attinet, iidem oriuntur effectus, ſive Sol circa terram, ſive terra circa Solem torqueatur. Debuit plane umbra habitudinem mutare in horologio, ſi terram everſo plane a motu ſuo diurno curſu, verſam eſſe ſtatuamus. De prodigio ſub Joſue agentes, aliam in hoc ſyſtemate de motu terræ hypotheſim adduximus, quam ibidem Lectores conſulant.

Agendum modo quamdiu perſeveraverit dies illa, quæ Prophetiei Oraculi veritatem Ezechiæ aſſeruit. Hoc quidem alienum eſt ab iis, qui totam prodigii rationem in horologio conſtituunt; quippe qui nihil acceſſiſſe Solis curſui, vel receſſiſſe contendunt. Qui vero malunt Solem retrorſum vertere, illis non una ſedit ea de re ſententia; alii enim diem illam intra xxxii. horarum ſpatium claudunt. Primus, vel ſaltem potiſſimus hujus opinionis Author innotuit Pſeudo-Dionyſius, quam deinceps plerique amplexi ſunt (3). Tradit ille, diem xx. ſolidis horis diuturniorem quam cæteros fuiſſe; quare cum ex veteri ſupputandi ratione in horas xii. diem diſpeſcat, atque emenſum jam Solem ſpatium x. horarum, ac decem inſuper horas in receſſu inſumpſiſſe conſtituat, totam deinde ſummam in xxxii. horas colligit (4).

Ajunt alii, lineas illas ſive gradus apud Iſaiam non horas deſignare, ſed dimidium ſive quartas horæ partes, cujus opinionis has proferunt conjecturas. Optionem præbet Propheta Ezechiæ ægrotanti, malitne umbram decem lineis in horologio antevertere, an totidem lineis recedere. Si Ezechias priorem conditionem accepiſſet, dies emenſo jam Sole decem lineas, ſive decem horas, diem ad xx. horarum ſpatium producturus fuiſſet; cum autem in Palæſtina nulla dies unquam tantum temporis ſpatium habeat, non potuit ſane in horologio tot horarum nota deſignari. Ita Solaria horologia horas notabant, ut maximum xvi.; quin & debebant tantum xii. deſignare, ſervata Hebræorum, tum temporis obtinente, ſupputatione, quæ diem in totidem horas dividebat. Statuamus argo oportet, lineas illas apud Iſaiam non horas modo, ſed & dimidias, quin & quartas, imo & octavas horæ partes indicaſſe; quod plane neceſſarium erat in Judæa, ſi mos dividendi diem in xii. horas inæquales in ea regione ſervabatur (5).

Alii nihil huic diei præ aliis tribuunt, quam quinque, vel ad ſummum decem horas (6). Statuunt illi ſingulos gradus horam vel ſemihoram notare, totiuſque diei ſpatium intra xvi. horas concludi; tum & Solem uno ſimul momento totum receſſionis ſuæ quinque vel decem horarum, pro valore nempe linearum, ſpatium confeciſſe; quare, inquiunt, confectum antea ſpatium iterum reſumens, totidem horis, quot prius, ad idem punctum horizontis pervenit.

Subita hæc & prompta retrogradatio Philoſophos habet adverſarios, quippe qui ægre intelligant, immane illud ſolare corpus tam cito vaſtum adeo ſpatium conficere potuiſſe: quæ ſane res non ſupra naturæ leges tantummodo eſt, ſed plane, ut illis quidem videtur, contraria. Cur, inquiunt illi, novum hoc & incertum miraculum, ſilente Scriptura, adjiciatur? Corporis ex alio in alium locum translatio nunquam ſine motu locali, & ſucceſſivo fieri poteſt. Corporum penetratio nulla eſt; quare ut loco moveatur, alia etiam moveri opus eſt, atque relictum ab uno ſpatium ab alio ſtatim occupari. Ad hæc, localis corporis motus ſuum habet celeritatis certum & determinatum gradum; quippe quod oppoſita nanciſcatur in itinere alia corpora curſum ſuum remorantia, quibus de ſuo motu illum communicare aliquid neceſſe eſt. Iter ergo illud, quod a Sole ſtatim confectum ſtatuitur, incredibilem plane rapiditatem exigit, cui etſi multum deceſſiſſe opus ſit, ob communicatum immanibus illis corporibus in via occurrentibus motum, tanta adhuc celeritas remanſerit, ut immenſum illud ſpatium momento tranſegerit. Quanta porro tunc in œconomia Univerſi turbatio? quanta legum motus ſubverſio?

Sed ſi retrogradatio admittatur lenta, & ſucceſſiva, intra plures tantum horas peragenda, quomodo potuit Ezechias oraculi Prophetici veritatem ſtatim intelligere? Optio Regi data erat, utrum mallet Solem decem lineis diem corripere, an tantundem ſpatii producere. Si primum accepiſſet, ac Sol decem illas lineas ſucceſſivo lentoque motu diurno, & ordinario percurriſſet, qui locus fuiſſet prodigio? Plane voluiſſet ille, ut uno impetu umbra aſcenderet, adeoque & eadem celeritate deſcendere illam voluit. Debuit ergo totum fieri in momento, neque receſſum

[1] 1. Par. xxxii. 31. [2] Joſue x. 14. *Non fuit antea nec poſtea tam longa dies.* [3] Dionyſ. Ep. 7. ad Polycarp. [4] Ita & S. Maxim. Scholiaſt. Dion. & Georg. Pachymer. [5] Vide ſi placet Sanct. Tirin. & apud eum Bed. & Eucher. [6] Andreas Maſius in Joſue c. 10. Cajet. Malvend. Bertiam. alii pleſique.

umbræ alia ratione ſelegit, quam quod difficilius contingere poſſe judicavit, ut umbra deſcenderet, quam quod aſcenderet (1). *Facile eſt umbram creſcere decem lineis; nec hoc volo ut fiat, ſed ut revertatur retrorſum decem gradibus.*

Itaque utrinque recurrunt incommoda; æque enim naturæ legibus repugnans videtur, ut corpus uno temporis momento ex uno in altum locum transferatur, quin per interjectum ſpatium traducendum ſit, cum præſertim corpus immane ſit, & duo termini vaſtiſſimo diſtent intervallo, quemadmodum impræſentiarum contingere debuerat. Videtur etiam Ezechias cenſuiſſe, illam in horologio mutationem momento fieri; neque ea ſpe fruſtratus apparet. Qui totam prodigii rationem in receſſu umbræ conſtituunt, nihil de Sole ſtatuentes, incommoda hæc omnia facile evitant. Alii vero quid hiſce reponere poſſint, non ſatis intelligo; utrinque enim illis anguſtiæ, vel Solem lento motu, ſive prompte receſſiſſe ſtatuerint: neutrum tamen ponere cogimur, quo prodigii veritatem ſtatuamus. Satis eſt enim ad prodigium, ut umbra Achaz receſſiſſe divinitus, & merito precum Iſaiæ dicatur. Ad hoc tantummodo expreſſis Scripturæ verbis cogimur.

Uſſerius in ea eſt ſententia, quæ Solem una cum cæteris aſtris totaque Cœleſti machina retrovertit (2); quamquam id ſimul conſtituit, ut ſalvæ ſint omnes obſervationes aſtronomicæ, ſpatium illud diei additum, I. nocti detractum fuiſſe, Divina id agente Providentia. Ita plane, inquit ille, noſtra etiam ætate Eclipſes Lunæ a Ptolemæo notatæ, Regnum Ezechiæ præcedentes, cum eodem puncto componuntur, juxta calculum noſtrorum Aſtronomorum, cui diu ante aſſignatæ fuerunt a Chaldæis. Totum igitur hujus diei ſpatium, compoſitis ſimul die nocteque, conſuetum diurnum tempus non exceſſit. Sed hæc viri docti ſententia ſua habet incommoda; dum enim Iſaias ad Ezechiam loquebatur, noctis jam ſpatio evoluto dies ſucceſſerat. Quare quod acceſſit diei e nocte detrahi minime potuit; ſi ille ſubſequentem noctem breviorem fuiſſe contendat, miraculum addit, de quo altum in Scriptura ſilentium, illudque inducere nulla cogimur neceſſitate, cum ſolvendi prodigii aliæ rationes occurrant.

Rabbini, fœcundi temperamentorum parentes, aliam ineunt rationem, ut Aſtronomicas obſervationes tueantur, ſtatuentes, in obitu Achaz patris Ezechiæ diem decem horis curſum corripuiſſe, ne ſpatium daretur impio Regi parentandi. Volunt autem, eas horas reſtitutas diei ſub Ezechia, ut proinde ſuis ſedibus reſtituerentur aſtronomicæ obſervationes, ſalvaque eſſent omnia.

Modo, ne quid omittamus adverſus opinionem de receſſu Solis, in examen revocandum eſt, utrum apud Veteres quidquam ea de re occurrat. Vix enim fieri potuiſſe creditur, ut inauditi illius, atque in univerſo orbis theatro ſpectabilis prodigii memoria nulla apud poſteros manſerit; eamque neglexerint in ſuis obſervationibus aſtronomicis, & in calculo Eclipſium Sapientes illi Babylonici, qui rem audituri Jeroſolymam ſe contulerunt. Extabant adhuc Alexandri ætate (3), & poſt ipſum etiam (4), eorum obſervationes, jam inde ſupra Ezechiæ ætatem ab Æra, ut minimum, Nabonaſſaris, circa A. M. 3257. repetitæ. Quis autem crediderit, Græcos, ſive Romanos, tam curioſos veteris hiſtoriæ ſcrutatores, nunquam in hiſtoria Chaldæorum rem adeo mirabilem animadvertiſſe, vel animadverſam poſteritatis memoriæ invidiſſe.

Hiſce tamen plura reponenda; I. Multa e veteribus monumentis concidiſſe, ac potiſſimum Chaldaica, Phœnicia, & Ægyptia, ex quibus aliquid ea de re peti debuiſſet. II. Novum non eſt, Veteres prodigium illud ſilentio preſſiſſe, cum plura etiam memoria digniſſima tenebris & oblivione ſepeliverint. III. Præcaviſſe ſatis ſeſe ab hac Veterum negligentia Divina Providentia viſa eſt, prodigii memoriam in tribus Sacris Libris ſervans. Notatur enim in Libris Regum, Iſaiæ, & Paralipomenis; nec etiam obſcure de illa ſermo eſt apud Authorem Eccleſiaſtici, diu poſt captivitatem in vivis agentem.

IV. Herodotus (5) vetuſtiſſimus Græcorum hiſtoricus ſubodoratus aliquid ea de re videtur; narrat enim ex Ægyptiis didiciſſe ſe, intra ſpatium x. millium, ac cccxl. annorum Solem quater inuſitata quadam ratione ex horizonte emerſiſſe; bis ſcilicet ſurrexiſſe ex Occidente, bis in Oriente occidiſſe. Verum ſi recte attendamus, hic Author plura in unum miſcenda diſtinguit; debuit enim tantum dicere, Solem bis verſo curſu ex occidente orientem repetiiſſe, quod quidem ſemel ſub Joſue, iterumque ſub Ezechia factum novimus. Paria, ſed minus etiam credibilia & multo magis exaggerata, ex Ægyptiis accepta, refert Solinus, capite xlv. his verbis: *Ferunt, a primis gentis ſuæ avis traditum, ubi nunc occaſus eſt, quondam ibi ortum Solis fuiſſe.*

V. Tandem Pſeudo-Dionyſius Areopagita (6) contendit, hujus prodigii memoriam manſiſſe apud Perſas in cultu *Mitræ*, vel Solis, cognomenti Triplicis; cujus nominis in cauſa fuit, inquit, quod dies ſub Ezechia triplo major fuit, nempe, illo Authore xxxvi. horarum. Quare, inquit, Perſæ prodigium illud celebraturi, Deum ſuum ſpecioſo *Triplicis* elogio inſignivetunt (7). Sed peritiſſimi noſtræ ætatis Critici (8), neque ſatis conveniunt de titulo hoc Mitræ, neque de cauſa. Eſto autem, Numini *Triplicis* cognomen adjectum fuerit, potuit ejus rei alia fuiſſe, quam quæ a Dionyſio aſſignata eſt, cauſa: facile id nominis inditum eſt ex calore, luce, & diſcretione temporum; vel, ſi mavis, ex ſapientia, virtute, & charitate Numinis, &c.

Antequam ultimum Diſſertationi modum imponamus, pauca de origine horologiorum diſſerenda ſunt, & de ratione horas ſupputandi; ut Authoris Vulgatæ interpretationem vindicemus, reddentis eo loco *Horologium Achaz*, uti & pro gradibus nomen *linearum* ſubſtituentis. Non deſunt enim Viri certe doctiſſimi (9), certantes, horologia, uti & diei horas, nulla fuiſſe Hebræis ante captivitatem, quorum ſane hypotheſis omnia evertit, quæ hucuſque a nobis de horologio ſolari Achaz diſputata ſunt. Fatemur quidem longo temporis ſpatio nullas fuiſſe Hebræis voces peculiares, horologiis deſignandis, ipſumque nomen horas exprimens deſiderari in Libris, qui adhuc extant, Hebraice ſcriptis ante captivitatem Babylonicam. Sed hæc tanta non ſunt, quæ latuiſſe Hebræos horologia demonſtrent; uti neque ignotum fuiſſe genti uſum diſtinguendi horas per lineas, ſive gradus, quod in hiſtoria prodigii ſub Ezechia legimus. Tobias Ninive ſcribebat ſub Manaſſe Rege Juda, in cujus exemplari Chaldaice ſcripto, quod ad manus habebat S. Hieronymus, diſerte horarum nomen exprimitur cap. xii. 22. *Proſtrati per tres horas.* Unanimis eſt etiam veterum, & novorum Interpretum ſententia, lineas in horologio Achaz horas deſignaſſe, quorum opinio hiſtoriæ monumentis abunde fulcitur.

Ne-

[1] 4. Reg. xx. 10. [2] Ad Ann. M. 3291. [3] Ariſtot. apud Simplicium lib. 3. de Cœlo. [4] Vide Diod. Bibl. l. 2. Cic. de Divinat. l. 2. [5] Lib. 2. cap. 142. [6] Ep. ad Polycarp. Τῶν φασὶ Περσῶν ἱερατικοῖς ἐμφέρεται φύμαις, καὶ νῦν Μάγοι τὰ μνημόσυνα τοῦ τριπλασίου Μίθρου τελοῦσι. [7] ita Pachym. & Maxim. & Corder. Interpret. Dionyſ. [8] Vide Voſſium de Idolol. l. 2. c. 9. [9] Uſſer. ad A. M. 3291. & Jaquelot, Diſſert. t. ſur l'Exiſtence de Dieu, ch. 16. p. 190. 191.

Digitized by Google

Nihil hic moror Appionis (1) teſtimonium, tradentis: *Moyſes, ut accepi, Heliopolitanus erat, qui patriis inſtitutus moribus, ſubdivales precationes ad Septa, qualia Civitas habebat, reduxit; ad Subſolanum autem omnia convertebat. Ita enim Heliopolis ſita eſt. Pro obeliſcis vero ſtatuit columnas, ſub quibus ceu pelvis forma exprimebatur. Super columnam figura hominis poſita eumdem ſemper cum Sole curſum circumvolvebat*; nempe, quantum conjicio, umbra figuræ ſupra ſtylum conſtitutæ, Solis circumverſionem ſequebatur, atque in ſubjectam pelvim incidens, varias diei horas diſtinguebat. Alioquin quid opus fuiſſet ſimulacrum ſtatuere ſuper columnam ſeſe una cum Sole torquens? Opus non eſt impræſentiarum adverſarium hunc Judæorum refutemus, cum ſatis inter omnes conveniat, nihil tale Moyſem unquam ſtatuiſſe, neque Judæis poſitum in moribus eſſe, ut ſubſolanas precationes obſervarent; ejuſdemque Legislatoris ætate, & diu etiam poſt nullas fuiſſe Judæis certas horas, & horologia, quemadmodum ex Libris ab eo ſcriptis ejuſque legibus certo certius intelligimus.

Ægyptii gloriabundi ſemper, & nullum lapidem non moventes, quo vetuſtatis, & ſcientiæ ſuæ famam augerent, contendebant, jam inde a remotiſſima ætate horologia fuiſſe ſuæ regioni familiaria. Erat, inquiunt, Achanæ, urbe ad Nilum, vas quoddam ingens, quod ſingulis diebus aqua opplebatur, ejuſque certo, & uniformi defluxu variæ diei horæ diſtinguebantur (2). Ad eam normam poſtea fabricatæ ſunt apud Græcos, & Romanos clepſydræ, uſu deinde familiariſſimæ. Horæ nomen a Deo Horo, qui Sol eſt, derivant; ac tandem apud Ciceronem ſermo eſt de cynocephalo (3), duodecies per ſingulos dies, æquis obſervatis temporis interſtitiis, mingente; ex quo didicit Triſmegiſtus diem in XII. horas diſtinguere. Triſmegiſtum hunc paulo Moyſe recentiorem ſtatuunt (4). Hæc de horologiorum, & horarum antiquitate occurrunt, quamquam, ſicut antiquiſſima, non ita plane certiſſima videntur.

Nihil ſatis expreſſum de horologiis apud Homerum, in cujus tamen Odyſſea duo recurrunt verſus, qui de horologiis explicari poſſe videntur (5): *Inſula quædam Syria vocatur, ſicubi audis, Ortygia deſuper, ubi mutationes Solis*. Hæc Inſula una eſt ex Cycladibus, ubi, ſi fides ſit veteri cuidam Scholiaſtæ, ſpelunca erat, ſatis opportune accedentem, & recedentem ad noſtrum Meridianum Solem demonſtrans. Sunt inter Eruditos qui ſuſpicantur, Poetam eo loco ſermonem habere de horologio ſolari; & Diogenes Laertius in vita Pherecydis Philoſophi author eſt, manſiſſe etiam ſua ætate in Inſula Syro ſolare horologium ejuſdem Philoſophi (6). Hoc autem Pherecydis horologium ipſiſſimum eſſe Homericum, quidam ſuſpicantur, quod ſcilicet Philoſophus ille ſive reſtituerit, ſive perfecerit; quæ ſi vera ſint, uſum horologiorum in Græcia, ipſa belli Trojani ætate, demonſtrant. Sed nihil certi ſtatuendum ex ambiguo teſtimonio; quare ſolidius aliquid quærendum. Cum tamen Pherecydes annis circiter CCC. poſt Homerum floruerit, reputandus eſt perfeciſſe tantummodo horologium, quod Poetæ illius ætate in Syros ſpectabatur, ſignabat enim illud tantummodo ſolſtitia; Pherecydis vero horologium vel horas indicabat. Vide notas D. Daceriæ in Odyſſeam 15.

Herodotus affirmat (7), invaluiſſe apud Græcos morem horologiorum ſolarium, & gnomonis ex Babyloniis deductum; ipſorumque Græcorum confeſſione, Anaximander horas diſtinxit, atque horologia ſolaria in Græciam invexit (8). Fallitur autem Plinius, cum ejus rei honorem Anaximeni tribuit. Emortualem Anaximandri annum Uſſerius componit cum A. M. 3457. premente jam captivitate Babylonica, & ſub Cyro. Porro hic Philoſophus ex itinere in Chaldæam potuit horologiorum rationem didiciſſe.

Ex eodem, quantum conjicimus, fonte derivatum creditur ab Achaz horologium, de quo nunc ſermo; docente enim Scriptura ſcimus, ſatis inter illum & Theglatphalaſſarem Regem Aſſyriæ conveniſſe; quem poſtremum Regem in auxilium alter adſcivit contra irruptionem Regis Syriæ, & Samariæ; cujus religionem adoptavit adeo, ut Aram Damaſcenæ ſimilem, [quam ipſe Achaz, inviſendum Regem conveniens, ſpectaverat] Jeroſolymæ erigendam curarit. Horologiorum Solarium inventio nova erat tum temporis, & utilis; quare nam libens occaſionem accepit Achaz, ut ſimile quid procuraret in palatio ſuo Jeroſolymæ. Nonniſi autem temere certi aliquid de ejus figura affirmetur; verum cum Scriptura conſtanter voce *Maalot*, quæ *gradus* ſonat, utatur, quantum aſſequimur conjectura, facile credimus, nihil habuiſſe horologium illud ſimilitudinis cum Græcorum, & Romanorum, ac facile concavam quamdam ſphæram fuiſſe, quemadmodum Græca illa *Scaphas* appellata.

Rudis primum horologiorum ars perfici paulatim, ac ordine cœpit. Ita quæ primum diurnas tantum horas diſtinguebant horologia, in uſum deinde noctis etiam fabricata ſunt, ut de Platonis horologio Athenæus libro IV. animadvertit. Facile nocturna hæc clepſydræ erant, ſive horologia ex arena. Deſcribit Poeta quidam Græcus (9) Philoſophum gerronem, & avarum identidem ampullam quamdam oleo plenam ſollicite ſpectantem, quaſi horologium gereret. Scipio Naſica (10) clepſydram dedicavit ſub tecto anno U. C. DLXXXXV. cum ad id uſque Populus Romanus in nocturnis diurniſque horis, Sole non apparente, incertus vagaretur. Vitruvius (11) fuſius agit de horologiis ſolaribus, & clepſydris.

Ante horologia diſtinguendo tempori pedes ſerviebant, unuſquiſque enim umbram ſui corporis dimetiebatur; qui plane uſus diutius manſit ruri, quemadmodum ex Palladio, Authore ſecundi ſæculi, intelligimus, apud quem ſinguli duodecim libri *de re ruſtica* clauduntur cum menſura Solis ſingulorum menſium, quæ horas ejuſdem menſis pedum dimenſione diſtinguit. Idem occurrit in tractatu de horologiis, inter Opera Bedæ Venerabilis. Varia eſt quidem corporum menſura, ſed tamen nihil ex eo incommodi in horarum æqualitatem, cum pedum menſura plerumque corporis habitudinem ſequatur. Computabatur umbra uſque ad XX. pedes, atque horæ conveniendi cum amicis, horæ prandii, &c. ad talem pedem deſtinabantur, quemadmodum apud nos ad talem horam certæ quædam res peragendæ conſtituuntur. Vir quidam ad prandium invitatus ad XII. pedes, cum nocte intempeſta e lecto ſurrexiſſet, ad lunæ micantis fulgorem, [Solem ratus] umbram dimenſus, condictam pedum menſuram deprehendit, quare ſtatim ad prandium ante exortum Solis in amici domum convolavit (12).

[1] Apud Joſeph. cont. Appion. l. 2. [2] Vide, ſi placet, Diod. l. 1. pag. 61. & Strab. [3] Tull. apud Victorinum a Macrobio cita. lib. 1. cap. 21. [4] Marsh. Sec. 10. Can. Ægypt. pag. 41. Edit. Lipſ. 1876. [5] Odyſſ. O, v. 402. Νῆσός τις Συρίη κικλήσκεται, (εἴπου ἀκούεις) Ὀρτυγίης καθύπερθεν, ὅθι τροπαὶ ἠελίοιο. [6] Diogen. in Pherec. Σώζεται δὲ καὶ ἡλιοτρόπιον ἐν Σύρῳ τῇ νήσῳ. [7] Lib. 2. cap. 109. Πόλον καὶ γνώμονα, καὶ τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον Ἕλληνες. [8] Laert. lib. 2. Εὗρε δὲ καὶ γνώμονα πρῶτος, καὶ ἔστησεν ἐπὶ τῶν σκιοθήρων ἐν Λακεδαίμονι. [9] Baio apud Caſaub. in Athenæum l. 4. c. 17. [10] Plin. l. 7. c. 60. [11] Vitruv. l. 9. c. 9. [12] Menander. ..... Ὃς κληθεὶς ποτὲ Ἐπὶ δεῖπνον δωδεκάποδος. ὄρθριος Πρὸς τὴν σελήνην ἔτρεχε, τὴν σκιὰν ἰδὼν, Ὡς ὑστερίζων, καὶ παρῆν ἅμ' ἡμέρᾳ.

TABULA CHRONOLOGICA
IV. LIBRI REGUM.

Regnum Juda.

A. M.

3115 MOritur Joſaphat, 3. *Reg.* xxii. 51. & 2. *Paral.* xxi.

3115 Joramus ſuccedit patri ſuo Joſaphato, 4. *Reg.* viii. & 2. *Paral.* xxi.

Idumæi deſciſcunt ab Joramo, *ibid.*

3116 Deſaruntur ad illum epiſtolæ Eliæ Prophetæ, 2. *Paral.* xxi.

3120 Obit, *ibid.*

Regnat Ochozias, 4. *Regum* viii, & 2. *Paral.* xxii.

Comitatur Joramum Regem Iſraelis, moventem arma in Ramoth Galaad; convenit Joramum in Jezrahel; vulneratur, tum neci traditur a Jehu, qui ſimul cædit duos & quadraginta fratres, vel propinquos Regis, 4. *Reg.* x.

3120 uſque ad 3126 Athalia mater Ochoziæ delet reliquos e ſtirpe Regia, atque Regnum Juda uſurpat, 4. *Reg.* xi. & 2. *Paral.* xxii, & xxiii.

3126 Joas ſervatur a Joſabeta, *ibid.*

3126 Athalia interficitur, & Joas Regnum init, 4. *Reg.* xi. xii. & 2. *Paral.* xxiii, xxiv.

3146 Joas colligit argentum ad Templi ſarta tecta inſtauranda.

3148 Gazophylacium conſtituit pro collectitia pecunia, 2. *Paral.* xxiv, & 4. *Reg.* xii.

Anno incerto Jojada cxxx, annorum ætate grandævus obit, 2. *Paral.* xxiv, 15.

3164 Joas interfici jubet Zachariam filium Jojadæ, 4. *Reg.* xii.

Hazael Rex Syriæ obſidet urbem Geth; tum adverſus Jeroſolymam proficiſcitur. Ut regrediatur re infecta, curat Joas ſoluta pecunia. 3165 Redit tamen ſequenti anno, pluresque cædit a Principibus Juda, *ibid.*

Joas proditione interficitur, cui Amaſias ſuccedit, *ibid.*

3177 Amaſias movet in Idumæos, 2. *Paral.* xxv. 5.

3178 Bellum indicit in Joas Regem Iſraelis, 4. *Reg.* xiv. & 2. *Paral.* xxv. Amaſias in prælio capitur; & Joas partem mœnium Jeroſolymæ dejicit, *ibid.*

3194 Amaſias a ſicariis interficitur in Lachis, 4. *Reg.* xiv. 19.

Ozias, alio nomine Azarias, illi ſuccedit. Secundis præliis utitur in Philiſthæos, Ammonitas, Arabes, &c. Sed certum harum expeditionum tempus definiri non poteſt, 2. *Paral.* xxiv.

3221 Ozias in ſuperbiam erigitur, atque manum admovet ad thus in Templo offerendum; quare lepra punitur: eoque lepra laborante, Regni habenas moderatur Joathan ejus filius.

3228 I. *Olympias, in qua Corœbus victor.*

3246 Ozias moritur, & Joathan ſolus regnat, 4. *Reg.* xv. & 2. *Paral.* xxv. xxvii.

Anno incerto Ædificia quædam condit, cæditque Ammonitas.

3256 Roma conditur.

3262 Raſin Rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ, Rex Iſraelis, invadunt ditionem Juda, 4. *Reg.* xv. 5.

3262 Joathan obit, cui ſuccedens Achaz, reſiſtit Phacee, & Raſin, 4. *Reg.* xv. 5.

3263 Vincitur ab utroque Rege præliis inſignibus, 2. *Paral.* xxviii. 6. &c.

3264 Idumæi & Philiſthæi de eo Rege ſæpius triumphant, *ibid.*

Regnum Iſraelis.

A. M.

OChozias e ſuperiori domus ſuæ tecto decidens, confractus interit, 4. *Reg.* i. 3108

Moabitæ deſciſcunt in Reges Iſraelis, 4. *Reg.* i.

Elias curru igneo ex hominibus transfertur, 4. *Reg.* ii.

Joramus filius Achabi ſuccedit Ochoziæ, 4. *Reg.* iii.

Expeditio Regum Iſraelis, Juda, Idumææ in Moabitas; qui ex vaticinio Eliæ, mutua cæde in ſeſe ſævientes funduntur, 4. *Reg.* iii. 3109

Prodigium Eliſæi pro vidua Sunamitide a creditoribus ſuis vexata, 4. *Reg.* iv. 3109

Alterum prodigium, quo impetrat filium mulieri alteri Sunamitidi, *ibid.* 3110

Eumdem filium vitæ reſtituit anno 3113.

Dira ſeptennalis fames, 4. *Reg.* iv. 38. & 4. *Reg.* viii. 1. 3114

Naaman mundatur a lepra ab Eliſæo. Giezi ob infidelitatis crimen punitur, 4. *Reg.* v. Anno incerto

Bellum Syrorum in Regem Iſraelis; cui Eliſæus hoſtium detegit inſidias. Benadad capere molitur Prophetam; ſed ille agnoſci a Syris non poteſt, 4. *Reg.* vi. 3115

Samaria obſidetur; quam dira adeo fames ſtringit, ut mater cogatur filium ſuum vorare: Syri turbati recedunt, 4. *Reg.* vi. & vii. 3119

Mulier Sunamitis, Eliſæi hoſpita, regreditur, impetratque a Rege fundos ſuos. Septennalis fames clauditur, 4. *Reg.* viii. 3120

Eliſæus Damaſcum profectus, mortem Benadadi prænuntiat. Huic ſuccedit Hazael, 4. *Reg.* viii. 7.

Ochozias comitatur Joramum Regem Iſraelis in expeditione adverſus Ramoth Galaad, & Hazaelem Regem Syriæ, 4. *Reg.* viii. & 2. *Paral.* xxii. 5. 3120

Jehu ungitur in Regem Iſraelis, 4. *Reg.* ix. 3120

Joramus interficitur a Jehu; a quo pariter neci traduntur Jezabel, & ſeptuaginta filii Ochoziæ, item Pſeudoprophetæ, 4. *Reg.* x.

Jehu moritur, 4. *Reg.* x. 35.

Succedit Joachaz. Hic plura a Syris patitur, 4. *Reg.* xiii. 3148

Obit anno 3165. *ibid.* 3165

Joas ſuccedit, qui a patre in Regni ſocietatem accitus fuerat jam inde ab anno 3163. 4. *Reg.* xiii. 10.

Eliſæus obit. Vaticinium ejus in Joas, 4. *Reg.* xiii.

Joas eripit Syris, quæ Hazael Joachazo patri ſuo abſtulerat, 4. *Reg.* xiv. 25. 3168

Jeroboamus II. ſuccedit Joas, 4. *Reg.* xiv. 16. 3191

Exordium Regni Macedonum, ex Carano Heraclide. 3210

Obit. Zacharias regnat, 4. *Reg.* xiv. 29. 3232

ſed & Zacharias poſt ſex menſes interficitur a Sellum. Vide 4. *Reg.* xv. 1. 5. 8. ubi demonſtravimus, nullum interceſſiſſe interregnum inter Jeroboamum II. & Zachariam. 3232

Sellum unico menſe regnat, *ibid.* 3233

Manahem, illo interfecto, Regnum uſurpat, *ibid.* 3233

Tributarium ſe facit Phul Regis Aſſyriæ, *ib.* Anno incerto

Phaceja ejus filius ſuccedit, regnatque biennio, *ibid.* V. 23. 3243

	Regnum Juda.	*Regnum Iſraelis.*	
3264	Opem poſtulat a Teglatphalaſſaro, 4. *Reg.* xv. & 2. *Paral.* xxviii.	Phacee filius Romeliæ proditione illum interficit, & ejus loco regnat, *ibid.*	3245
		Arbaces eripit Niniven Sardanapalo.	3257
		Teglatphalaſſar urbes plures eripit Phacee. Prima tranſmigratio, 4. *Reg.* xv.	
3278	Achaz obit, regnatque Ezechias, quem præcedenti anno Achaz in Regni ſocietatem vocaverat.	Oſee filius Ela, conſpirat in Phacee, eumque interficit, 4. *Reg.* xv. 30. Oſee regnat novem annis, 4. *Reg.* xvii. 1.	3267
		Salmanaſar illum aggreditur, ſubditque tributo, *ibid.* ỳ. 3.	3274
	Ezechias reſtituit cultum Dei, quem Achaz neglectum intermiſerat, 2. *Paral.* xxix. 3.	Iterum in illum movet, ac poſt triennalem obſidionem Samariam capit, 4. *Reg.* xvii. xviii.	3279 3283
		Transfert Iſraelitas in Aſſyriam, *ibid.*	
		Aſſaradon in regionem Samariæ inducit Cuthæos, aliaſque gentes, 4. *Reg.* xvii. 24.	3327
	Mittit per totum Regnum viros, qui populum ad Dei obſequia revocet, 2. *Par.* xxx.	*Finis Regni Iſraelis, quod annis 254. perſeveravit.*	

3290 EZechias deſciſcit a Sennacheribo.
3291 Sennacherib arma infert in Judæam, 4. *Reg.* xviii. 4. & 2. *Paral.* xxxii.
3291 Sennacherib obſidet Lachis. Ezechias mittit ad illum, acturus de pace; quam impetrat pacta ſolutione trecentorum talentorum argenti, & auri triginta, 4. *Reg.* xviii. 14.
3291 Sennacherib, accepta pecunia, Rabſacem adverſus Jeroſolymam mittit.
3291 Tharaca copias auxiliares ad Ezechiam ducit.
Sennacherib movet in Tharacam; ſed ejus exercitus ab Angelo exterminatore deletur. Unicum eſt hoc fortaſſe iter Sennacheribi ad Ægyptum: qui neque illud Regnum ingreſſus eſt, ſed ad fines uſque proceſſit, occurſurus Tharacæ.
3295 Ezechias ægrotat; convaleſcit. Sol retrogreditur.
3293 vel 3292 Ejus valetudinem illi gratulaturus, Legatos ſuos mittit Merodach Baladan, Rex Babyloniæ, 4. *Reg.* xx.
3293 Bellum Aſſaradonis in Philiſtæos, Idumæos & Ægyptios, *Iſa.* xiv. xv. xvi. xx.
3306 Ezechias obit. Manaſſes regnat, 4. *Reg.* xx. 21.
3322 Aſſaradon conjungit Regnum Babyloniæ Imperio Aſſyriorum, anno Regni ſui xxix.
3328 Manaſſes capitur, duciturque Babylonem; ſed anno eodem regreditur, 2. *Par.* xxxiii.
3329 Aſſaradon Sacerdotem mittit ad Cuthæos, translatos in Samariam a Salmanaſſaro, 4. *Reg.* xvii. 25. 26. &c.
3348 Hiſtoria Judithæ.
3361 Manaſſes obit, 4. *Reg.* xxi. 18.
3363 Amon, ejus ſucceſſor, regnat biennio, 4. *Reg.* xxi. & 2. *Paral.* xxxiii.
3363 Joſias ſuccedit Amoni, 4. *Reg.* xxi.
3370 Quærere Deum &c. incipit anno regni ſui octavo, 2. *Paral.* xxxiv.
3380 Jubet colligi pecunias oblationum ad ſarta tecta Templi inſtauranda, 4. *Reg.* xxii.
Volumen Legis reperitur, *ibid.*
Convocato populo, volumen illud legitur, & indicitur Paſcha, &c. 4. *Reg.* xxiii. & 2. *Paral.* xxxiv. xxxv.
3381 Paſcha ſolemne celebratur, *ibid.*
3394 Joſias vi prohibiturus Necaum Regem Ægypti proficiſcentem in expeditionem Aſſyriacam, vulneratur in prælio & moritur, 4. *Reg.* xxiii. & 2. *Paral.* xxxv.
3394 Succedit Joachaz; quo capto a Necao, in ejus locum aliquot poſt menſibus Eliacim
3395 ejus frater conſtituitur, *ibid.*
3398 Nabuchodonoſor ſubdit ſibi Eliacimum, alio nomine Joakimum, 4. *Reg.* xxiii. xxiv. & 2. *Paral.* xxxvi.
3398 Deducit illum Babylonem, 2. *Paral.* xxxvi. 6. ſeu potius, quem Babylonem deducere antea conſtituerat, dein mutato conſilio relinquit Jeroſolymæ. *Hinc ducuntur ſeptuaginta anni captivitatis a Jeremia prænunciati.*
3405 Joakim interficitur a Chaldæis, anno ejus Regni undecimo.
3405 Joachin, vel Conias, alio nomine Jechonias, ſuccedit; qui tamen decennio Regnum cum patre adminiſtraverat, 4. *Reg.* xxii. 8. *collatum cum* 2. *Paral.* xxxvi. 9.
3405 Nabuchodonoſor illum Jeroſolymis aggreditur. Dedit ſe ſe Joachin, deduciturque Babylonem cum parte populi, poſt tres menſes & decem dies Regni, 4. *Reg.* xxiv. & 2. *Paral.* xxvi.
Matthanias, alio nomine Sedecias, conſtituitur a Nabuchodonoſore.
3414 Nabuchodonoſor veniens Jeroſolymam, urbem obſidet. Eripere autem ſe e periculo tentans Sedecias, capitur: oculis orbatur; inde transfertur Babylonem, 4. *Reg.* xxiv. xxv. & 2. *Paral.* xxxvi. & *Jerem.* xxxix. lii.
Nabuchodonoſor per tria diverſa intervalla Judæos transfert Babylonem, *Jerem.* lii. 28. 29. 30.
3414 I. Transfert ter mille ac viginti tres ſub Joakino.
3415 II. Transfert octingentos trigintaduos ſub Sedecia.
3417 III. Transfert alios ſeptingentos quadraginta quinque poſt mortem Godoliæ, qui ſuper fæcem populi relictam in Provincia anno 3416. conſtitutus fuerat. Hic interficitur anno ſequenti 3417.

Finis Regni Juda.

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN IV. LIBRUM REGUM.

CAPUT PRIMUM.

Moab Regum Iſraelitarum jugum excutit. Ochozias mittit ad conſulendum Beelzebub de morbo ſuo, cui mortem Elias prænuntiat. Ochozias bis mittit ſuos qui Eliam capiant: viciſſim Elias bis deducto cælitus igne ſatellites abſumit. Denique Rex tertium alium Præfectum cum manu ſuorum mittit. Venit ad illum Elias, ac futurum prænunciat, ut e morbo non convaleſcat. Defuncto Ochoziæ Joramus ſuccedit.

A. M. 3108. ante J. Chr. 896. ℣. 1. PRævaricatus eſt autem Moab in Iſrael, poſtquam mortuus eſt Achab. 2.
Ceciditque Ochozias, per cancellos cœnaculi ſui, quod habebat in Samaria,
& ægrotavit; miſitque nuntios, dicens ad eos: Ite, conſulite Beelzebub
deum Accaron, utrum vivere queam de infirmitate mea hac. 3. Angelus autem Do-
mini locutus eſt ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge, & aſcende in occurſum nun-
tiorum regis Samariæ, & dices ad eos: Numquid non eſt Deus in Iſrael, ut eatis
ad conſulendum Beelzebub deum Accaron? 4. Quam ob rem hæc dicit Dominus:
De lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris. Et abiit
Elias. 5. Reverſique ſunt nuntii ad Ochoziam. Qui dixit eis: Quare reverſi eſtis?
6. At illi reſponderunt ei: Vir occurrit nobis, & dixit ad nos: Ite, & revertimini
ad regem, qui miſit vos, & dicetis ei: Hæc dicit Dominus: Numquid, quia non
erat Deus in Iſrael, mittis, ut conſulatur Beelzebub deus Accaron? Idcirco de le-
ctulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris. 7. Qui dixit ei:
Cujus figuræ, & habitus eſt vir ille, qui occurrit vobis, & locutus eſt verba hæc?
8. At illi dixerunt: Vir piloſus, & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait: Elias
Thesbites eſt. 9. Miſitque ad eum quinquagenarium principem, & quinquaginta,
qui erant ſub eo. Qui aſcendit ad eum: ſedentique in vertice montis, ait: Homo
Dei, rex præcepit, ut deſcendas. 10. Reſpondenſque Elias, dixit quinquagenario:
Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cœlo, & devoret te, & quinquaginta tuos.
Deſcendit itaque ignis de cœlo, & devoravit eum, & quinquaginta, qui erant cum
eo. 11. Rurſumque miſit ad eum principem quinquagenarium alterum, & quinqua-
ginta cum eo. Qui locutus eſt illi: Homo Dei, hæc dicit rex: Feſtina, deſcende.
12. Reſpondens Elias ait: Si homo Dei ego ſum, deſcendat ignis de cœlo, & devo-
ret te, & quinquaginta tuos. Deſcendit ergo ignis de cœlo, & devoravit illum, &
quinquaginta ejus. 13. Iterum miſit principem quinquagenarium tertium, & quin-
quaginta, qui erant cum eo. Qui cum veniſſet, curvavit genua contra Eliam, &
precatus eſt eum, & ait: Homo Dei, noli deſpicere animam meam, & animas ſer-
vorum tuorum, qui mecum ſunt. 14. Ecce deſcendit ignis de cœlo, & devoravit
duos principes quinquagenarios primos, & quinquagenos, qui cum eis erant; ſed
nunc obſecro, ut miſerearis animæ meæ. 15. Locutus eſt autem Angelus Domini
ad Eliam, dicens: Deſcende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, & deſcendit cum
eo ad regem. 16. Et locutus eſt ei: Hæc dicit Dominus: Quia miſiſti nuntios ad
conſulendum Beelzebub deum Accaron, quaſi non eſſet Deus in Iſrael, a quo poſſes
interrogare ſermonem, ideo de lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed
morte morieris. 17. Mortuus eſt ergo juxta ſermonem Domini, quem locutus eſt

Elias,

Elias, & regnavit Joram frater ejus pro eo, anno ſecundo Joram filii Joſaphat regis Judæ, non enim habebat filium. 18. Reliqua autem verborum Ochoziæ, quæ operatus eſt, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iſrael?

℣. 1. PRÆVARICATUS EST MOAB IN ISRAEL. Subacti a Davide Moabitæ (1), adhuc poſt ſciſſionem decem Tribuum ab Juda, Regibus Iſraelis, ſaltem pro aliqua parte regionis a Davide acquiſitæ, paruerunt; altera interim ejuſdem Provinciæ parte Regibus Juda ſubdita. Sublato autem Achabo, Moabitæ Iſraelis jugum excuſſerunt, hanc Deo ultionem urgente, ut domum Achabi ob omnia illius crimina puniret. Narrabitur inferius bellum ab Joramo in Moabitas geſtum, ut illos reduceret (2).

CECIDIT OCHOZIAS PER CANCELLOS CŒNACULI SUI. Locum quo cecidit, non exprimit Textus Vulgatæ; ſed ex lapſu feneſtræ cœnaculi ſui conſtat labi nonniſi in viam, vel in atrium domus potuiſſe. Textus Hebræus fert (3): *Cecidit in cœnaculum ſuum*, vel *in cœnaculum ſuperius*; vel, juxta Chaldæum (4) ac Interpretum pleroſque (5): *Cecidit e cancellis in cœnaculum ſuum*. Lapſus e ſuperiore tecto domus ſuæ, in cœnaculum, quod poſt ſuperius tectum ſtatim ſequebatur; deciditque per apertum illum hiatum, unde ſuperior illa ædium pars lucem admittebat. Tecta ejus regionis plerumque plana erant, ac ſolario quodam humus probe pavitæ, admixta palea, conſtrata. In medio areæ hiatus erat, cancellis undique obſitus, qui & claudebatur oſtio, vel catarrhacta, quæ auferebatur, ut dies intra inferiorem aulam admitteretur. Inde Ochozias cecidit vel per cancellos, vel ſupra cancellos. Æſtiva ædium pars plerumque lucem e ſuperiori vertice excipiebat, ut æſtus retunderetur. Vide quæ diximus de Veterum Hebræorum ædificiis.

CONSULITE BEELZEBUB DEUM ACCARON. Numinis hujus plurima erat Religio Accarone, urbe regionis Philiſthinæ. Fuſius de illo actum eſt in Diſſertatione de Numinibus Philiſthæorum. Septuaginta, & Symmachus (6): *Inquirite in Baal muſcam Deum Accaron.*

℣. 4. ABIIT ELIAS. Rediit facile ad locum, unde venerat, ubi ſedem habebat conſtitutam. Veniſſe autem creditur ad montem Carmelum, quo illum convenere miſſi a Rege ſatellites.

℣. 8. VIR PILOSUS. Hebræus ad literam (7): *Vir pili*, vel dominus pili, piloſus, & villoſus, cui prolixa coma, & barba, qualem Catonem deſcribit Lucanus (8).

Intonſos rigidam in frontem deſcendere canos
Paſſus erat, mœſtamque genis increſcere barbam.

Is habitus erat veterum Græcorum Philoſophorum; atque ita Textum hunc exponit S. Hieronymus (9). Alii (10) accipiunt de veſte pellicea cum ſuo vellere, perinde ac pinguntur veteres heroes, & primi illi mortalium, utque in Evangelio exhibetur S. Joannes Baptiſta, indutus pelle cameli, accinctuſque zona pellicea (11). In hanc imaginem producit Apoſtolus (12) veteres Prophetas: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati.* Tireſias, & Amphiaraus pellibus arietum amiciuntur (13).

Tireſiæ vultus, voces & vellera nota
Induitur.

Viles haſce, & ſimplices veſtes amabant veteres Monachi, & adhuc familiares ſunt infimo vulgo apud Arabes, induto pellibus arietum, quarum villos, cum riget hyems, ad carnem interius obvertunt; exterius vero in æſtivis caloribus.

℣. 9. MISIT AD EUM QUINQUAGENARIUM PRINCIPEM; ſive ut illum acciret ad ſe, videndi hominis gratia, ſive ut pro valetudine ſua rogaret, ſive denique ut illum puniret, quod ab itinere miſſos a ſe viros averterit, & inofficioſis adeo in Regem verbis, mortem ſuam prædixerit. Quinquagenarius hic Dux præerat facile manui militum corporis cuſtodum.

HOMO DEI, REX PRÆCEPIT, UT DESCENDAS. Interpretum plerique (14) ajunt, Principem hunc per contemptum virum Dei Eliam appellaſſe. Quorum opinioni ſatis favet ultio de illis a Deo exacta, malaque illa opinio, qua Elias imperium illius excepit. Parere Principi nemo Prophetarum jubetur, dum rebus, quæ ſunt miniſterii ſui, occupantur (15). Præferenda ſunt enim illis Dei mandata mortalium Principum juſſionibus. Leviſſimo cuique Dei nutui ſtatim Elias paret, ac Regem convenit.

℣. 10. SI HOMO DEI SUM, DESCENDAT IGNIS DE CŒLO, ET DEVORET TE. Non irrogatam ſibi injuriam, ſed injuriam Deo irrogatam, irriſo Propheta, ulciſcitur (16). Superbe illum habet hic Princeps, ejuſque & Propheticam dignitatem & appellationem viri Dei de ridiculo traducit. Elias publicam tum perſonam, & viri a Deo miſſi gerens, deducit ignem e Cœlo, ut audaciam hominis faſtoſi retundat. Romanis legibus permiſſum eſt Magiſtratibus, ut ſeveritate pœnarum afficiant eos, qui parere ſibi in exercitio muneris ſui recuſent (17).

Damnarunt olim quidam (18) hoc Eliæ facinus; quod & reprobare viſus eſt Filius Dei in Evangelio, cum ardorem coercuit filiorum Zebedæi, qui Eliæ inſtar deducere volebant e cœlo ignem in urbem Samariæ, quæ ipſos excipere recuſabat (19). Sed facile omni excuſatur crimine, ſi cenſeatur, impetum Spiritus Sancti, quo afflabatur, ſecutus fuiſſe; ipſaque totius hiſtoriæ hujus ſeries non temere hoc de illo credi demonſtrat, cum Prophetæ verba ſtatim res ſecuta fuerit. Quis enim ſibi perſuaderi patiatur, Deum proſequi voluiſſe prodigio impetum furentis hominis, qui nihil præter privatæ injuriæ ultionem cogitaret? Nonne autem vir idem Propheta cæco more obtemperat juſſionibus Dei, cum vix per Angelum ſibi exponuntur? Non immerito utique cenſeas, eodem Angelo ſuggerente, cœlitus lapſum ignis in nefarios ſatellites impetraſſe. Author Eccleſiaſtici elogio ſuo facinus illud apertiſſime commendat: quod & comparat alteri prodigio prohibitæ per triennium pluviæ: utramque vero in verbum & poteſtatem Domini refert: *Verbo Domini continuit Cœlum, & dejecit de Cœlo ignem ter* (20). Denique in

(1) 2. Reg. VIII. 2. *Factus eſt Moab David ſerviens ſub tributo.* (2) 4. Reg. III. 5. (3) ויפול בעד השבכה בעליתו (4) ונפל מן מרתחא בעליתיה (5) Ita Syr. Arab. Jun. & Tremel. Hebræi, Mont. Munſt. &c. (6) בעל זבוב Septuag. Βεὰλ μυῖαν θεὸν Ἀκκαρὼν. Sym. idem. (7) איש בעל שער (8) Lucan. apud Grot. hic. (9) Hieron. in Ezechiel. c. 33. Ita & Cajet. Menoch. Tirin. &c. (10) Lyr. Jun. Piſc. Boch. de Animal. ſacr. par. 1. l. 1. c. 2. alii. (11) Matth. III. 4. *Joannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos.* (12) Heb. XI. 37. (13) Stat. lib. 2. Idem lib. 4. apud Cleric. (14) Lyran. Hugo, Dionyſ. Menoch. Eſt. Vat. Sanct. Cornel. Sa. (15) Grot. hic. (16) Ita D. Thom. 2. 2. qu. 108. art. 2. ad 4. (17) Ulpian. lib. 1. D. *Si quis jus dicenti non obtemperaverit, omnibus conceſſum eſt ſuam juriſdictionem defendere pœnali judicio.* (18) Manichæi apud Eſt. hic. (19) Luc. IX. 54. *Domine, vis ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos?* (20) Eccli. XLVIII. 3.

in Novo Teſtamento perſimilis ſeſe offert imitatio ſeveritatis Eliæ, cum S. Petrus in Ananiam, & Saphiram animadvertit (1). Si Chriſtus nimium filiorum Zebedæi ardorem in Samariam damnat, idcirco arguendos illos cenſuit, quod animi æſtum, & ultionis cupiditatem ſequerentur: ignorabant illi, Chriſti ſpiritum lenitatis eſſe & clementiæ; cum viciſſim quo afflabatur Elias, ſpiritus eſſet ſeveritatis & ultionis. Fieri potuit, ut Samaritani neque ſatis J. Chriſtum, nec Apoſtolos noſcerent; ſed Ochoziæ ſatellites ignorare ne poterant, Eliam inter Prophetas Iſraelis primas tenere?

℣. 11. Misit quinquagenarium alterum. Certior factus Rex de iis, quæ miſſo a ſe Præfecto acciderant, alterum mittit: hic autem multo pervicacior, atque audacior priore plenum diſcriminis munus temere aggreditur. Frequentantur Principum aulæ viris audacibus, ac temerariis, qui nihil morati ſive quid Deus permittat, ſive interdicat, intrepide quæcumque ſibi a principe imperata fuerint, aggrediuntur.

℣. 13. Misit Principem quinquagenarium tertium. Vulgo ajunt, quamquam nullo argumento, hunc Principem ipſum eſſe Abdiam (2), qui centum Prophetas occuluit aluitque, quo tempore Jezabel in illos debacchabatur.

Noli despicere animam meam; ſerva me incolumem. Hebræus (3): *Pretioſa ſit, quæſo, anima mea in oculis tuis*, ſerva illam, rogo; quæ loquendi phraſis eſt Hebræorum ſtylo familiariſſima, Saul gratias agit Davidi, quod vitam ſuam conſervaverit: *Eo quod*, inquit, *pretioſa fuerit anima mea in oculis tuis hodie* (4). Et Pſalmiſta (5): *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus.*

℣. 17. Regnavit Joram frater ejus pro eo, anno secundo Joram filii Josaphat. Neque in Hebræo, neque in Chaldæo, Arabico, & Codicibus quibuſdam Septuaginta legimus, Joramum fratrem eſſe Ochoziæ. Id tamen exhibent Syriacus, Vulgata & Codices Græci plerique, ſavetque communis ſententia. Illud vero negocium faceſſit, qui fieri potuerit, ut Joram frater Ochoziæ Regnum iniverit anno altero Jorami filii Joſaphati, cum legamus inferius, imperium cepiſſe anno duodevigeſimo Joſaphati (6), & alibi, Joramum filium Joſaphati Regnum capeſſiviſſe anno Jorami, Regis Iſraelis, quinto (7).

Ut nodus præcidatur, ferunt (8), Joramum Regnum Iſraelis iniviſſe anno duodevigeſimo Regni Joſaphati in Juda; qui pariter ſecundus erat annus, collata per Joſaphatum Joramo filio ſuo Proregis dignitate. Deinde autem idem Joſaphat creditur jus ſupremum Regni Joramo ſucceſſori ſuo contuliſſe, biennio ante obitum ſuum, & quinto anno Regni Jorami in Iſraelem. Hæc omnia prona ſunt, ſi cum doctiſſimis Chronologis admittamus, ſolemne fuiſſe Regibus Juda & Iſraelis, ſe adhuc ſuperſtitibus, deſignare ſucceſſorem, atque interim in regiminis ſocietatem illum admittere. Probatur id ſexcentis exemplis apud Hebræos cæteroſque Orientis Reges, ac præſertim Perſas, quorum Chronologia ex ea re æque turbata eſt, ac Judæorum. Sunt qui (9) mendum ſuſpicentur in notis numeralibus, cum hic tum ſæpius in Scriptura. Sed quorſum id nulla cogente neceſſitate? Septuaginta Editionis Romanæ in calce hujus capitis addunt, ℣. 17. *Mortuus eſt Ochozias juxta verbum Eliæ.* [18] *Et reliqua verborum Ochoziæ, quæ fecit, nonne hæc ſcripta in libro verborum dierum Regum Iſrael? Et Joram filius Achab regnavit ſuper Iſrael, Samariæ, annos duodecim: in anno octavo & decimo Joſaphat Regis Juda. Et fecit malum in conſpectu Domini, veruntamen non ſicut frater ejus, neque ſicut mater ejus. Et amovit titulos Baal, quos fecerat pater ejus, & contrivit eos. Verumtamen in peccatis domus Jeroboam, qui peccare fecit Iſrael, adhæſit: non receſſit ab eis; & indignatus eſt ira Dominus in domum Achab.* Deſumpta hæc ſunt ab exordio capitis III.

(1) Act. v. 5. (2) 3. Reg. xviii. 3. (3) ... תיקר נא נפשי ... בעיניך (4) 1. Reg. xxvi. 21. (5) Pſalm. cxv. 15. (6) 4. Reg. iii. 1. *Joram filius Achab regnavit ſuper Iſrael in Samaria, anno decimo octavo Joſaphat.* Vide & ℣. 7. ubi Joram & Joſaphat ſimul ineunt bellum adverſus Moabitas. (7) 4. Reg. viii. 16. *Anno quinto Joram filii Achab Regis Iſrael, & Joſaphat Regis Juda, regnavit Joram filius Joſaphat.* (8) Vide Sanct. Uſſer. Var. Jun. Malv. & in primis Rich. a Sancto Victore, tract. ſingulari, operam part. 2. tract. 5. (9) Grot. Capel.

C A P U T II.

Elias igneo curru rapitur. Hujus & ſpiritus & pallii hæreditas Eliſæo relinquitur. Eliſæus pallio Eliæ diſſindit aquas Jordanis; Aquas Jerichuntis mites ac potabiles reddit; & pueros quadraginta, ſui irriſores, immiſſis urſis devorandos tradit.

℣. 1. FActum eſt autem, cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in cœ-
lum, ibant Elias, & Eliſæus de Galgalis. 2. Dixitque Elias ad Eliſæum:
Sede hic, quia Dominus miſit me uſque in Bethel. Cui ait Eliſæus: Vivit Dominus,
& vivit anima tua, quia non derelinquam te. Cumque deſcendiſſent Bethel, 3. E-
greſſi ſunt filii prophetarum, qui erant in Bethel, ad Eliſæum, & dixerunt ei: Num-
quid noſti, quia hodie Dominus tollet dominum tuum a te? Qui reſpondit: Et ego
novi: ſilete. 4. Dixit autem Elias ad Eliſæum: Sede hic, quia Dominus miſit me
in Jericho. Et ille ait: Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam
te. Cumque veniſſent Jericho, 5. Acceſſerunt filii prophetarum, qui erant in Jeri-
cho, ad Eliſæum, & dixerunt ei: Numquid noſti, quia Dominus hodie tollet domi-
num tuum a te? Et ait: Et ego novi: ſilete. 6. Dixit autem ei Elias: Sede hic,
quia Dominus miſit me uſque ad Jordanem: Qui ait: Vivit Dominus, & vivit ani-
ma tua, quia non derelinquam te. Ierunt igitur ambo pariter, 7. Et quinquaginta

Digitized by Google

viri de filiis prophetarum ſecuti ſunt eos, qui & ſteterunt e contra longe: illi autem
ambo ſtabant ſuper Jordanem. 8. Tulitque Elias pallium ſuum, & involvit illud,
& percuſſit aquas, quæ diviſæ ſunt in utramque partem, & tranſierunt ambo per
ſiccum. 9. Cumque tranſiſſent, Elias dixit ad Eliſæum: Poſtula, quod vis, ut fa-
ciam tibi, antequam tollar a te. Dixitque Eliſæus: Obſecro, ut fiat in me duplex
ſpiritus tuus. 10. Qui reſpondit: Rem difficilem poſtulaſti; attamen ſi videris me,
quando tollar a te, erit tibi, quod petiſti: ſi autem non videris, non erit. 11. Cum-
que pergerent, & incedentes ſermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei di-
viſerunt utrumque: & aſcendit Elias per turbinem in cœlum, 12. Eliſeus autem vi-
debat, & clamabat: Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga ejus. Et non vidit
eum amplius: apprehenditque veſtimenta ſua, & ſcidit illa in duas partes. 13. Et
levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei: reverſuſque ſterit ſuper ripam Jordanis. 14.
Et pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percuſſit aquas, & non ſunt diviſæ: & dixit: Ubi
eſt Deus Eliæ etiam nunc? Percuſſitque aquas, & diviſæ ſunt huc, atque illuc, &
tranſiit Eliſæus. 15. Videntes autem filii prophetarum, qui erant in Jericho e con-
tra, dixerunt: Requievit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſæum. Et venientes in occurſum ejus,
adoraverunt eum proni in terram, 16. Dixeruntque illi: Ecce, cum ſervis tuis ſunt
quinquaginta viri fortes, qui poſſent ire, & quærere dominum tuum, ne forte tule-
rit eum ſpiritus Domini, & projecerit eum in unum montium, aut in unum val-
lium. Qui ait: Nolite mittere. 17. Coegeruntque eum, donec acquieſceret, & di-
ceret: Mittite. Et miſerunt quinquaginta viros; qui cum quæſiſſent tribus diebus,
non invenerunt. 18. Et reverſi ſunt ad eum: at ille habitabat in Jericho, & di-
xit eis: Numquid non dixi vobis, Nolite mittere? 19. Dixerunt quoque viri civi-
tatis ad Eliſæum: Ecce habitatio civitatis hujus optima eſt, ſicut tu ipſe, domine,
perſpicis; ſed aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis. 20. At ille ait: Afferte mihi
vas novum, & mittite in illud ſal. Quod cum attuliſſent, 21. Egreſſus ad fon-
tem aquarum, miſit in illum ſal, & ait: Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has,
& non erit ultra in eis mors, neque ſterilitas. 22. Sanatæ ſunt ergo aquæ uſque
in diem hanc, juxta verbum Eliſæi, quod locutus eſt. 23. Aſcendit autem inde in
Bethel: cumque aſcenderet per viam, pueri parvi egreſſi ſunt de civitate, & illude-
bant ei, dicentes: Aſcende, calve, aſcende, calve. 24. Qui cum reſpexiſſet, vidit
eos, & maledixit eis in nomine Domini: egreſſique ſunt duo urſi de ſaltu, & lace-
raverunt ex eis quadraginta duos pueros. 25. Abiit autem inde in montem Carme-
li, & inde reverſus eſt in Samariam.

℣. 1. CUM LEVARE VELLET DOMINUS ELIAM PER TURBINEM IN CŒLUM. Revelavit Dominus Eliæ futurum, ut brevi ex hominibus raperetur: conabatur autem Elias prodigium hoc Diſcipulos ſuos celare; ſed aperiente Domino id non Eliſæus modo, ſed & Diſcipuli ejus in Bethel & Jerichunte norant, ut eorum ſolertiæ ſe abſcondere Elias nulla ratione potuerit. Voluit Deus, ut ſub Lege in Elia, quemadmodum ante diluvium in Enocho, futuræ reſurrectionis & ſpei alterius vitæ argumentum, ac typus Reſurrectionis atque Aſcenſionis Jeſu Chriſti exhiberetur: geminos hoſce viros ſanctiſſimos ex hac mortalium terra transferens in locum, ubi immortali ævo fruerentur, opperientes ſæculorum exitum, qui ſupremam illorum felicitati manum imponet: tunc enim pretioſa morte demum ex hac vita penitus ſubducti, ad æternam Cœli immortalitatem tranſibunt.

IN CŒLUM, ideſt, *in aera*. Elias primum in aera ſublatus, Eliſæi cæterorumque Diſcipulorum ſpectantium oculis ſubductus eſt; deinde translatus, uti creditur (1), in hortum Eden, ideſt, in Paradiſum terreſtrem, ubi jucunda cum Enocho ſocietate extremam Judicii diem opperitur. Hebræorum quidam (2) cenſent, Eliam mortali in corpore viventem translatum fuiſſe ad uſque ignis regionem, ubi abſumptis veſtibus & carne, ſpiritus purus & expeditus evolarit in Cœlum. Collocant alii in ſinu Abrahami, vel in loco aliquo terrarum remotiſſimo. Vulgo creduntur Elias & Enochus viventes adhuc ſimul in eodem loco agere: ſed certum moræ utriuſque locum nunquam deſignavit Eccleſia; improbantque S. Auguſtinus (3), S. Chryſoſtomus, & Theodoretus (4) eorum licentiam, qui in tanto Scripturarum ea de re ſilentio magiſtrorum more ſententiam audacter pronunciant.

℣. 3. FILII PROPHETARUM, QUI ERANT IN BETHEL. Elias e Galgalis profectus eſt in Bethel, e Bethel Jerichuntem, Jerichunte ad Jordanem, ceu periculum facturus de fide atque conſtanti in ſe ſtudio Eliſæi diſcipuli ſui, atque ut illum in tantis viarum ambagibus defatigaret. Scholam habebat, & Prophetarum cœtum in Bethel, & Jerichunte conſtitutam. Ante diſceſſum utramque inviſurus venit Elias; nihil tamen de ſuo diſceſſu docuit. Quamquam vitulorum aureorum cultus in Bethel jam inde ab Jeroboami ætate conſtitutus erat, neque ibi Prophetæ ſatis obſervabantur, uti demonſtrat ludibrium puerorum, qui Eliſæo illuc accedenti illuſere, ibi tamen Elias aſceterium Diſcipulorum ſuorum poſuit, ut pro viribus & cultum Domi-

(1) Iren. l. 5. contra hæreſ. c. 5. Iſidor. lib. de vit. & obitu SS. Hieron. ad Pammach. Juſtin. qu. 83. ad Orthodox. D. Th. 3. part. q. 49. art. 5. (2) Hebræi apud Munſt. Var. (3) Aug. l. 2. de pec. origin. c. 23. (4) Chryſoſt. Homil. xxi. in Geneſ. & Homil. xxii. in Ep. ad Hebr. Theodoret. qu. 45. in Geneſ.

Domini, & memoriam eorum, quæ ibi ſub Patriarchis acciderant, conſervaret. *Filii Prophetarum* Diſcipuli ſunt illorum, qui ſub regimine Prophetarum primi ordinis, ſanctioris & ſecretioris vitæ profeſſionem exercebant. Filii autem ejuſmodi Prophetam pariter agebant, & ſæpe etiam filii erant e Prophetis nati, quos parentes & inſtitutionibus ſuis, & vitæ exercitatione informabant, ut ad ſpiritum Prophetiæ accipiendum compararentur.

℣. 5. TOLLET DOMINUM TUUM A TE. Hebræus (1): *Capiens dominum tuum deſuper capite tuo*. Rapturus eſt Eliam præceptorem tuum, qui tibi, qui capiti tuo præeſt. Vel, tollet in aera ſuper te; vel planius, tollet in altum, & a te ſeparabit.

℣. 8. TULIT ELIAS PALLIUM SUUM, ET INVOLVIT ILLUD, ET PERCUSSIT AQUAS. Septuaginta (2): *Sumpſit Elias melotem ſuam, & convolvit, & percuſſit aquam*. Mox (3) docuimus, veteres Prophetas, & olim Monachos pellibus arietum indui conſueviſſe. Vox Hebræa (4) ſonat pallium, vel aliud ornamentum. Syriacus & Arabs accipiunt de capitis ornamento, vel de vitta, qua frontem obvolvebat. Alii de ſimplici pallio pelliceo, cujus olim erat uſus in imbre (5).

Ad ſubitas nuſquam ſcortea deſit aquas.

℣. 9. OBSECRO, UT FIAT IN ME DUPLEX SPIRITUS TUUS. Hebræus ad literam (6): *Os duorum in ſpiritu tuo ad me*; ideſt, duplex mihi ſpiritus tui menſura detur; vel duplici ſpiritus tui portione doner, jure primogeniti tui. Scitum eſt, ad majores natu duplicem hæreditatis portionem pervenire (7). Ita Textum hunc exponunt Commentariorum Scriptores doctiſſimi (8). Malunt alii (9), Eliſæum poſtulaſſe eumdem ſpiritum, quo afflabatur Elias, prodigiorum & prophetiæ, quo utroque, munere præceptoris ſui, donatus eſt. Latius exponunt alii (10): *Fiat in me duplex ſpiritus tuus*, prophetiæ & miraculorum gloria, duplo quam tu, majori polleam. Eliſæus revera majori prodigiorum gloria, quam Elias, claruit. Octo enim Elias, ſexdecim Eliſæus patravit (11): quin & ſunt qui quatuor & viginti Eliſæo, duodecim Eliæ tribuant (12). Ut ut ſit, illud fatendum eſt, plura per Eliſæum, quam per Eliam, patrata prodigia in Scriptura narrari: neque aviditate gloriolæ Eliſæus majora ſibi, quam quæ infuiſſent præceptori ſuo, poſtulat; optat enim hæc, ut Dei gloriam promoveat, ejuſque Regnum augeat; quemadmodum Chriſtus majoribus prodigiis clarere voluit Apoſtolos ſuos, quam quæ ipſe geſſit. Alii vero (13), ut ſeſe ab hoc numero *duorum ſpirituum*, vel duplicis ſpiritus expediant, cenſent, ea phraſi deſignari ſolummodo largum gratiarum imbrem, & ſpiritus Sancti plenitudinem; quæ utique ſignificatio eſt perſimilium Scripturæ phraſium naturalis. *Duplicia reddam tibi* (14); & : *Suſcepit duplicia de manu Dei* (15); ideſt, magnis pœnis Deus illum ſubjecit, ut pro malis in alios patratis puniret. *Duplici contuſione contere eos* (16); duplici pœna illos affice, vel omni juſtitiæ ſeveritate animadverte. Priorem expoſitionem, quam maxime literæ ſervientem cæterarum credimus, retinendam arbitramur. Sunt qui in hoc Textu deprehendiſſe ſibi videantur veſtigia quædam metempſychoſeos, quaſi Eliſæus cenſuiſſet, animam Eliæ in ſe migrare potuiſſe: ſed opinionem hanc ſatis evertit ipſa per ſe hiſtoriæ hujus narratio. Communicavit Elias ſpiritum ſuum Eliſæo, quemadmodum Moyſes Senioribus, ipſique Joſue, & Apoſtoli diſcipulis ſuis per manuum impoſitionem & preces. Neque tamen illi hoc donum tamquam rem ſuam in alios tranſtulerunt: miniſtri erant Divinitatis, & Spiritus, quo afflabantur ac dirigebantur.

℣. 10. REM DIFFICILEM POSTULASTI. Reputaverat forte Elias, poſtulaturum Eliſæum aliquam e veſtibus ſuis, vel utenſilibus, ſive ſibi authoritatem ſeu monita ad optimum Prophetarum regimen communicari: miratur autem petitionem illam de duplici Spiritus ſui portione concedenda. Hebræus ad literam (17): *Obdurasti poſtulando*; ſuperba nimis & alta petis: vel potius, rem mihi difficilem poſtulas. Rogas enim quod meum non eſt; verumtamen me tibi daturum ſpondeo, dum præſens adſis, & videas, cum rapiar. Tunc enim Elias Deo ſupplicavit, impetravitque quod Eliſæus poſtulaverat. Facile tunc Deus, cum hæc rogabat Eliſæus, indicavit Prophetæ, ſe in illo rei articulo poſtulata conceſſurum.

℣. 11. ECCE CURRUS IGNEUS, ET EQUI IGNEI. Micans currus, & equi fulgentes, quaſi utraque igne conſtarent, Eliam extulere per turbinem, qui ipſum oculis Eliſæi ſubduxit. Angelos ſub hac imagine miniſterium illud Eliæ exhibuiſſe, cenſet Grotius. Hinc facile Profani ſolem exhibuere tamquam igneo curru vectum, quem micantes equi traherent (18).

. . . . . , Animoſos ignibus illis,
Quos in pectore habent, quos ore & naribus efflant.

Poetæ quidam Chriſtiani (19) ducendam pariter cenſuerunt Græcam vocem *Helios*, *Sol*, ex Elia; conſtat tamen, Eliam Hebraice ſonare, *Ipſe eſt Dominus meus*.

Sententia eſt non obſcure apud Scripturas tradita, certaque traditione & Patrum authoritate fulta, Eliam Prophetam in exitu mundi rediturum, ut vias Domini ante terribilem illum extremumque judicii diem paret; utque filios cum parentibus conciliet, ideſt, Eccleſiam cum Synagoga, Judæos cum Chriſtianis, ut coeant in unum populum, ſanctum & perſectum, ſub uno eodemque capite Jeſu Chriſto. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*, ait Dominus (20), *& convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam, & percutiam terram anathemate*. Ex Dialogo S. Juſtini Martyris cum Tryphone diſcimus, Judæos æque & Chriſtianos de hoc adventu Eliæ conveniſſe. Gemina docet non ſemel Tertullianus (21): *Morituri* [Elias & Henochus] *reſervantur, ut Antichriſtum ſanguine ſuo*

(1) לקח את אדוניך מעל ראשך (2) Ἔλαβε τὴν μηλωτὴν αὐτῦ. (3) Vide cap. præcedenti ℣. 8. (4) יקח את אדרתו (5) Martial. lib. 14. (6) ויהי נא פי שנים ברוחך אלי Septuag. γενηθήτω δὴ διπλᾶ ἐν πνεύματί σου ἐπ' ἐμέ, *Duplum ſpiritus tui*. Alius Interpres: γενηθήτω τὸ πνεῦμά σου καὶ διπλοῦν ἐν ἐμοί, *Fiat ſpiritus tuus dupliciter in me*. (7) Deut. xxi. 17. *Dabit ei de his quæ habuerit, cuncta duplicia*. (8) Grot. Vatab. Malv. Jun. Cajet. Vide & Selden. de ſucceſſ. in bona lib. 1. c. 5. (9) Eucher. Angelom. S. Thom. lib. 4. contra gentes c. 11. Aut. hiſt. Scholaſt. Tir. Cornel. (10) Lyran. Menoch. Piſc. Eſt. & de Antiquis, Theodor. qu. 7. Procop. Rup. in lib. Reg. cap. 18. & alii, ut Auctor mirabil. ſanct. Scrip. inter Oper. D. Auguſt. lib. 2. cap. 22. & Auctor Serm. 89. & Serm. 2. de Eliſæo, inter Oper. Sanct. Amb. ſ. (11) Vide ſi lubet, Lyran. (12) Vide Petr. Damian. Serm. 2. de S. Joan. Bapt. Toſt. hic. Cornel. a Lap. in Eccli. xlviii. 13. (13) Emmanuel Sa, & Sanct. hic art. 7. (14) Zach. ix. 12. Vide & xiii. 8. (15) Iſai. xl. 2. & lxi. 7. *In terra ſua duplicia poſſidebunt*. (16) Jerem. xvii. 18. (17) הקשית לשאול Septuag. ἐσκλήρυνας τῦ αἰτήσασθαι. (18) Ovid. Metamorph. l. 2. (19) Sedul. oper. Paſcal. lib. 1.

Quam bene flammivomis præfulgens ſemita cœli
Convenit Elia, meritoque, & nomine fulgens!
Hac ope dignus erat quoniam ſermones achivi,
Una per accentum mutetur litera, ſol eſt.

(20) Malach. iv. 5. (21) Tertull. lib. de anima cap. 35. & 50.

ſuo extinguant. Eidem veritati ſubſcribunt S. Hippolytus (1), S. Chryſoſtomus (2), S. Ambroſius (3), S. Hieronymus (4), S. Auguſtinus (5), S. Cyrillus Alexandrinus (6), Theodoretus (7), aliique ſexcenti Veteres & Recentiores (8), qui pariter duos Servatoris adventus agnoſcunt, primum a S. Joanne Baptiſta prænunciatum, in ſpiritu & virtute Eliæ; alterum vero in ipſa Eliæ perſona, qui animos hominum præparabit, ut ſupremo Judici occurrant. *Sicut Elias ſecundum Domini adventum præveniet, ita Joannes prævenit primum: ſicut ille Præcurſor venturus eſt Judicis, ita iſte Præcurſor eſt factus Redemptoris* (9).

Recepta apud Paganos traditio ferebat dari quoſdam a moriendi neceſſitate exemptos, idque munere Jovis Menelaum obtinuiſſe tantum gratiæ, promeritum eo quod Elenam Jovis filiam duxiſſet in conjugem. Homerus Odyſſ. ℣. 661. Vana commenta, ſervantia tamen veſtigia eorum, quæ Enocho & Eliæ acciderunt.

℣. 12. CURRUS ISRAEL ET AURIGA EJUS. Viſo igneo curru, Eliam rapiente, clamat ad præceptorem ſuum Eliſæus: Currus eras tu Iſraelis, & auriga ejus; tu omne ejus robur & auxilium; vales unus pro exercitu. Notum eſt, per eam ætatem potiſſimum armorum robur penes currus militares fuiſſe, quibus vehebantur Reges, Heroes, Imperatores. Figura eſt ac ſententia nobilis ac eximia ſtylo Hebræorum. Dotes Eliæ omnes brevibus verbis complexus eſt Author Eccleſiaſtici; ipſeque Deus deſignaſſe videtur ardens illud viri pio religione ſtudium, cum illum transferri igneo curru voluit (10): *Surrexit Elias Propheta quaſi ignis, & verbum illius quaſi facula ardebat. Qui induxit in illos famem, & irritantes illum invidia ſua, pauci facti ſunt. Verbo Domini continuit Cælum, & dejecit de Cælo ignem ter. Sic amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis: & quis poteſt ſimiliter ſic gloriari tibi?*

Magis aperta eſt & perſpicua Eliam inter & Jeſum Chriſtum ſimilitudo, quam ut hic negligenda ſit (11). Ejus nomen *Elias*, ſonans, *ipſe eſt Deus meus*, Verbi Divinitatem indicat. Studium ejus ardens, & vivum in gloriam Dei, imago eſt illius, quo flagrabat Servator, de quo apud Joannem 11. 17. *Zelus domus tuæ comedit me*. Jezabelis in Eliam odia & vis exprimunt Synagogam in Jeſum Chriſtum, Profanos in Eccleſiam furentes. Vidua Sareptana, Sidonia mulier & extera, Gentium Eccleſiam deſignat: eadem colligens *duo ligna*, ut coquat panem, quo alatur, Gentilitas eſt amplectens crucem Servatoris, in qua vitam & ſalutem nanciſcitur. Filius viduæ ad vitam revocatus ab Elia, qui ſeſe in arctum colligit, ejuſque brevitati aptat, exprimit viva quadam imagine Jeſum Chriſtum humana indutum carne, qui ita ſeſe demittit, ut perſimilem nobis formam exhibeat, quo nobis vita reſtituatur. Denique translatio Eliæ quid niſi Reſurrectio, & Aſcenſio Jeſu Chriſti, qui diſcedens ab Apoſtolis, hæredes illos relinquit *duplicis ſpiritus ſui & pallii*, gratiarum ſcilicet ac donorum, charitatis, Sacramentorum, & doctrinæ? Facile etiam indicari poſſet ſimilitudo inter Eliam, & S. Joannem Baptiſtam (12). Sed hanc multo aptiori in loco in Evangelio exhibebimus.

SCIDIT VESTIMENTA SUA IN DUAS PARTES, luctum ſuum pro raptu eximii præceptoris teſtatus.

℣. 13. LEVAVIT PALLIUM ELIÆ. Pallium accepit, tamquam pignus certum amicitiæ, & argumentum fiduciæ, quam de impetrandis poſtulatis habebat. Idem eſt ſcorteum pallium, de quo ſupra ℣. 8. quo pariter Elias uſus eſt ut Eliſæum in miniſterium Prophetiæ vocaret, humeros illius eo pallio tegens (13); eodemque paulo antea Jordanis aquas diffidit (14).

℣. 14. UBI EST DEUS ELIÆ ETIAM NUNC? Ubi virtus ejus? nonne eumdem Deum colo? nonne teneo ipſum ejus pallium, pignus ejus auxilii, & patrocinii? Sunt (15) qui verba hæc Eliſæi nimiæ præſumptionis arguant, rati Deum prodigium ideo diſtuliſſe, quod Eliſæus nimium præſumeret. Hebræus ad literam (16): *Ubi Dominus Eliæ ipſe etiam?* ubi eſt igitur Dei Eliæ virtus? ubi modo idem ipſe Elias? Si adeſſet, ſane nunc ego ambiguus non hærerem. Aliter: *Ubi eſt Deus Eliæ, ubi eſt?* An contracta eſt manus ejus, virtus hebetata? Vel: *Ubi eſt Deus Eliæ? Et* Eliſæus *percuſſit aquas* ſecundo, eæque diviſæ ſunt.

℣. 15. VIDENTES FILII PROPHETARUM, QUI ERANT IN JERICHO E CONTRA. Animadverſum eſt ſupra ℣. 6. & 7. Filios Prophetarum Jerichuntis veniſſe cum Elia ad Jordanem; ſe vero continuiſſe citra flumen, neque cum Elia, & Eliſæo tranſiſſe. Teſtes fuerant raptus Eliæ, & demiſſi ab illo pallii ad Eliſæum, qua re ſimul idem ſucceſſor illius deſignabatur: conſpexerant pariter Eliſæum per diviſas Jordanis aquas tranſeuntem; neque ulterius ambigendum cenſuerunt, quin Eliæ ſpiritus in Eliſæum tranſierit; nihilque cunctati, ſupremum imperium in Prophetas omnes illius regionis Eliſæo detulerunt.

℣. 16. NE FORTE TULERIT EUM SPIRITUS DOMINI. Eliam perpetuo evanuiſſe, ſibi non perſuadebant Prophetæ, putabantque, turbinem illum, qui virum rapuerat, in remotiſſimum aliquem locum Eliam tranſtuliſſe. Contigiſſe interdum videtur, ut Prophetæ eodem impetu transferrentur. Abdias ad Eliam (17): *Tu dicis mihi: Vade & dic domino tuo: Adeſt Elias. Cumque receſſero a te, ſpiritus Domini aſportabit te in locum, quem ego ignoro; & ingreſſus nuntiabo Achab, & non inveniens te, interficiet me.*

℣. 19. SED AQUÆ PESSIMÆ SUNT, ET TERRA STERILIS. Hebræus (18): *Aquæ peſſimæ ſunt, & terra reddit ſterilem*. Aquarum hanc malignitatem ebibunt homines, & bruta, ebibit humus, eaque omnia effœta redduntur. Porro Jerichuntis ager fertilis erat olim, ante Eliſæi ætatem: quod autem fertilitati huic conferre debuiſſet maxime, plurimum nocuit; fons ſcilicet totum perluens agrum, qui malignitatem ſolo communicabat. Vulgo credunt, eas aquas ſalſas fuiſſe, & amaras, quod nitro, quo regio ſcatebat, ſaturarentur. Malunt alii fœtidas fuiſſe, lutulentas, ſordidas, odore ſulphureo, alioque ejus generis ingrato. Fluit adhuc hic fons dives aquis ad occidentem Jerichuntis: aqua eximia, totumque late agrum irrigat. Occurrit in itinere ad Jeroſolymam, bis mille paſſibus amplius ſupra Jerichuntem (19).

℣. 20. AFFERTE MIHI VAS NOVUM, ET MITTITE IN ILLUD

(1) Hippolyt. orat. de Antichriſto. (2) Chryſoſt. Homil. 58. in Matth. (3) Ambroſ. lib. 1. in Luc. & in Pſalm. 45. (4) Hieron. in c. XVII. Matth. (5) Auguſt. lib. 20. de Civit. c. 29. (6) Cyrill. Alex. in Malac. cap. 4. (7) Theodoret. in Malac. IV. (8) Vide Natal. Alex. Hiſt. Eccleſ. vet. Teſt. tom. 2. Differt. 6. (9) Greg. Mag. Homil. 7. in Evang. (10) Eccli. XLVIII. 1. & ſequ. De elogio Eliæ, conſule S. Chryſoſtomum, Serm. 1. de Elia in fin. & Serm. de Elia & Petro, & Homil. 16. et variis in Matth. locis, & S. Ambroſ. lib. de Elia. (11) Vide ſi lubet, Author. Serm. 41. in Appendice Sermon. D. Aug. de Tempore. (12) Vide Ambroſ. l. 1. in Evangel. Lucæ. (13) 3. Reg. XIX. 19. *Cum veniſſet Elias ad eum, miſit ſuum pallium ſuper illum.* (14) Supra ℣. 8. (15) Vide Tirin. & Sanct. (16) איה יהוה אלהי אליהו אף הוא ויכה את המים ויחצו הנה והנה Septuaginta vocem Hebræam ſervarunt, ἀφφώ. Cæteri Interpretes vertunt ὁ κρύφιος, *abſconditus*. Theodoret. & Aqu. καίγε αὐτὸς, *ipſe idem*. (17) 3. Reg. XVIII. 11. 12. (18) המים רעים והארץ משכלת Septuag. καὶ τὰ ὕδατα πονηρά, καὶ ἡ γῆ ἀτεκνουμένη. (19) Vide Maundrel, Voyage de Jeruſalem p. 134.

ſaluo Sal. Si fonti huic nocebat ſal, bitumen, vel nitrum, quo ſaturabatur, conſtat utique, ſalem ab Eliſæo injactum potius aucturum quam modaraturum aquarum ſaporem, De induſtria autem a Prophata ſal electus vidatur, ut magis ſanciratur prodigium: poſcit autam vas novum, ne vaſis naturæ prodigium tribuatur. Nec vas, at ſalam tantummodo in aquam projicit, ne qua ſuſpicio de naturali cauſa irreperat. Tanta ſolicitudina Divinæ gloriæ viri ſancti tenentur in prodigiis miniſterio ſuo patratis, quanta cavant, ne gloriolæ vel rebus ſuis in illis ſerviant; totum enim Deo adſcribi, ſibi nihil volunt,

Qui Jericbuntis aquas corruptas tantum fuiſſe & maligno odora infectas docant, huic corrigendo dafectui naturalam cauſam ab Eliſæo adhibitam injecto ſale canſent. *Si aqua limoſa fuerit, ſalis admixtione corrigatur* (1). Docet Leonardus Marius (2), aquas craſſas, fœtidas, vel fœdas potabiles interdum reddi, injectis in puteum ſala, calca, tagulis. Nullum melius ſuppetere Phyticis ramedium, affirmat Valeſius in Philoſophia ſacra, ut fœtidas & corruptas puteorum aquas mitigant, quam ſalam ad certam menſuram ao injectum.

Hiſtoriam hanc adjunctis nonnullis e ſuo additis ornans Joſaphus (3) ſcribit, ao fonte ſterilitatem inductam fuiſſa non arboribus modo, & plantis, ſed fœminis; totamque lata aam ragionam contagioſis morbis afflictam. Eliſæum hoſpitio raceptum ab Jaricbuntinis, optimis incolarum officiis provocatum, eorum gratia aquas corrigara, ac ſalutam ubertatemqua regioni præ reliquis Palæſtinæ locis raſtituara ſuſcapiſſe. Ut igitur ad fontem venit, lagana fictili, ſalis plena, in profluentem aquam miſſa, puram daxteram ad cœlum tatendiſſe, fontique immarſiſſe blanda libamina, quibus illum placaret, ipſumque oraſſa ut fluanta leniret, ac dulciores aquarum vanas aperirat: ſimul autam rogaſſa Cœlum, ut axpanderat feliciores auras & influxus, daratqua ſalubriores fructus incolis, largiretur fœcunditatem, nec pateratur malignitatem hanc aquarum, dum regio incolas juſtos haberet. Denique pluribus preſtitis, ex artis ſuæ præceptis, antequam praces illas admurmuraret tam falici ſucceſſu hæc omnia molitum eſſa, ut natura fontis penitus mutata tellus uberem fœcunditatam tacuperarit. Profecto Hiſtoticus indulgendum Profanis cenſuit, Eliſæum in magum convertans, qui adjurationibus, libationibus, aliiſque atcanis ac myſticis cæremoniis uſus, aquas cottigit, & agrum Jericbuntinum fœcundat; cum tamen hæc omnia nonniſi Divino prodigio geſſarit.

℣. 23. Ascendix inde in Bethel. Jericbunte profectus in Bethal vanit, viſurus verſantes ibi diſcipulos Prophatarum, legibuſqua illos ſuis veluti patar & Princaps illorum moderatus.

Ascende calve. Utrum Eliſæus natura & temperamanto calvus aſſat, an potius brevem gereret ac raſam comam pro more Sacerdotum Domini, & miniſtrorum quorumdam Numinum, ignoratur. Da Paganorum Sacrificulis ita Juvanalis, Satyra vi.

Qui grege lanigero circamdatus, & grege calvo.

Hodie pariter & Monachi eo ritu tondentur. An daniqua calvus uſurpetur hic pro fatuo, ſtupido, quæ vocis vis aſt intardum apud Latinor Scriptores (4). Illud conſtat, apud Veteras injuriæ, & quidem graviſſimæ, loco habitum fuiſſa, ſi quis calvus appellaretur. Honorem nullum gratius accepit Julius Cæſar, quam decretum ſibi privilegium ſerendi ſemper lauream, ut exprobratam ſibi frequanter calvitii daformitatem tegeret (5). Domitianus *calvitio ita offendebatur, ut in contumeliam ſuam traheret, ſi cui alii joca, vel jurgio objectaretur* (6). Otho Imperator calvitium occultabat *galericulo capiti propter varitatem capillorum adaptato & annexo, ut nemo dignoſceret* (7). Pulchritudinis viri partem maximam in cæſarie conſtituit Petronius.

Quod ſummum formæ decus eſt, periere capilli.

℣. 24. Maledixit eis in nomina Domini. Pueri erant facile non adeo rudas ætate, ut Prophetam non agnoſcerent, ſatiſque diſtinguerant viri perſonam, dignitatemqua Prophetæ, & miniſtri Domini, qui in Juda colebatur. Offendit Eliſæum non ludibrium ſui, ſed miniſterii, quod gerebat, viri ſcilicat Deo familiaris; aoque crimine irritatus, in patulantas & impios puaros Dei furorem provocavit. Nunquam Divina ultio in illos ſæviiſſet, niſi Propheta ax animo dira impracatus fuiſſat; ex animo, inquam, puro, non rarum ſuarum amore ſiva privatæ ultionis cupiditate. An Deus malum, & ultionem non innoxiam probaſſat? Filii erant ſuperſtitioſorum civium Bethel, cultui vituli aurai ajuſdem urbis addictorum: ægre autam ſarebant, quod eo venitet Eliſæus, cultum Dei confirmaturus: odio erat illis & horrori memoria Eliæ, cui Eliſæus diſoipulus inhæſarat. Parantum impiatatam urſi in filiis puniarunt. *Rem parentibus inſtigantibus feciſſe pueri contumelioſi credendi ſunt; neque enim illi clamavent, ſi ſuis parentibus diſpliceret* (8). Porro aos puaros ætatem ſaltem decannem, ut quid agerent, ſatis noſſent, cenſet Chryſoſtomus (9).

(1) Pallad. Auguſt. tit. 9. (2) Marius in Exod. xv. 25. (3) Joſeph. lib. 5. cap. 4. de bello Jud. Ταύτην τὴν πηγὴν, λόγος ἔχει κατ' ἀρχὰς, οὐ μόνον γῆς καὶ δένδρων καρποὺς ἀπαμβλύνειν, ἀλλὰ καὶ γυναικῶν γονάς . . . . προελθὼν γὰρ τὴν πηγὴν καὶ καταβαλὼν εἰς τὸ ῥεῦμα πλῆρες ἁλῶν ἀγγεῖον κεράμου, ἔπειτα εἰς οὐρανὸν δεξιὰν ἀνατείνας δικαίαν, κἀπὶ πηγῆ σπονδὰς μειλικτηρίους χεάμενος, τὴν μὲν ᾐτεῖτο μαλάξαι τὸ ῥεῦμα, καὶ γλυκυτέρας φλέβας ἀνοῖξαι. τὸν δὲ, ἐγκεράσασθαι τῷ ῥεύματι γονιμωτέρους ἀέρας, καὶ τὰ ἑξῆς. (4) Perſ. Satyr. 1.

. . . . *Nugaris, cum tibi, calve,*
Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extat.

Videſis Sanct. hic.

(5) Sueton. in Jul. *Calvitii deformitatem iniquiſſime ferebat, ſæpe obtrectatorum jocis obnoxiam expertus.* (6) Idem in Domitiano. (7) Sueton. in Othone. (8) Serm. 41. Appendic. inter Aug. olim Serm. 204. de Tempore. Ita & Juſtinus, ſeu Author Quæſt. ad Orthodoxos qu. 80. Vide Sanct. Cornel. Maurit. (9) Chryſoſt. lib. 3. adverſus vituperatores vitæ monaſticæ. Εἰ δὲ ταῦτα τὸν προφήτην βίον ἀγανακτῆσαι χρὴ, οἱ παῖδες ἡλικίας ἀρξάμενοι εὐθέως καὶ δυνατοὶ γεγονότες, καὶ ἐξ ἐκείνου ἀνάγκη τῆς ἡλικίας ὑπεύθυνοι τῶν ἁμαρτημάτων εὐθύνας, καὶ δῆλον τὸ καταβραδύνειν ὑπὸ τῶν ἀρκτων παιδίων ὑπὸ τότε διὰ τὸν Ἐλισσαῖον σκώμματα.

C A-

Digitized by Google

CAPUT III.

Moab deſciſcit in Regem Iſraelis; cui in ordinem continendo arma movent Joram, Joſaphat, ac Rex Edom. Exercitum trium horum Principum ſiti, qua laborabat, Eliſæus levat. Victoria de Moabitis prodigioſa. Rex Moab in ultima deſperatione filium ſuum ſuper mœnia urbis ſuæ ſacrificat.

℣. 1. JOram vero filius Achab regnavit ſuper Iſrael in Samaria anno decimo octa-
vo Joſaphat regis Judæ. Regnavitque duodecim annis. 2. Et fecit malum
coram Domino, ſed non ſicut pater ſuus, & mater: tulit enim ſtatuas Baal, quas
fecerat pater ejus. 3. Verumtamen in peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare
fecit Iſrael, adhæſit, nec receſſit ab eis. 4. Porro Meſa rex Moab, nutriebat peco-
ra multa, & ſolvebat regi Iſrael centum millia agnorum, & centum millia arietum,
cum velleribus ſuis. 5. Cumque mortuus fuiſſet Achab, prævaricatus eſt fœdus, quod
habebat cum rege Iſrael. 6. Egreſſus eſt igitur rex Joram in die illa de Samaria,
& recenſuit univerſum Iſrael. 7. Miſitque ad Joſaphat regem Juda, dicens: Rex
Moab receſſit a me, veni mecum contra eum ad prælium. Qui reſpondit: Aſcen-
dam, qui meus eſt, tuus eſt: populus meus, populus tuus; & equi mei, equi tui.
8. Dixitque: Per quam viam aſcendemus? At ille reſpondit: Per deſertum Idumææ.
9. Perrexerunt igitur rex Iſrael, & rex Juda, & rex Edom, & circuierunt per viam A. M. 3109.
ſeptem dierum, nec erat aqua exercitui, & jumentis, quæ ſequebantur eos. 10. Di- ante J. Chr. 891.
xitque rex Iſrael: Heu, heu, heu, congregavit nos Dominus tres reges, ut traderet
in manus Moab. 11. Et ait Joſaphat: Eſtne hic propheta Domini, ut deprecemur
Dominum per eum? Et reſpondit unus de ſervis regis Iſrael: Eſt hic Eliſæus filius
Saphat, qui fundebat aquam ſuper manus Eliæ. 12. Et ait Joſaphat: Eſt apud eum
ſermo Domini. Deſcenditque ad eum rex Iſrael, & Joſaphat rex Juda, & rex Edom.
13. Dixit autem Eliſæus ad regem Iſrael: Quid mihi, & tibi eſt? vade ad prophe-
tas patris tui, & matris tuæ. Et ait illi rex Iſrael: Quare congregavit Dominus tres
reges hos, ut traderet eos in manus Moab? 14. Dixitque ad eum Eliſæus: Vivit
Dominus exercituum, in cujus conſpectu ſto, quod ſi non vultum Joſaphat regis Ju-
dæ erubeſcerem, non attendiſſem quidem te, nec reſpexiſſem. 15. Nunc autem ad-
ducite mihi pſaltem. Cumque caneret pſaltes, facta eſt ſuper eum manus Domini,
& ait: 16. Hæc dicit Dominus: Facite alveum torrentis hujus foſſas, & foſſas. 17.
Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neque pluviam: & alveus iſte re-
plebitur aquis, & bibetis vos, & familiæ veſtræ, & jumenta veſtra. 18. Parumque
eſt hoc in conſpectu Domini: inſuper tradet etiam Moab in manus veſtras. 19. Et
percutietis omnem civitatem munitam, & omnem urbem electam, & univerſum li-
gnum fructiferum ſuccidetis, cunctoſque fontes aquarum obturabitis, & omnem agrum
egregium operietis lapidibus. 20. Factum eſt igitur mane, quando ſacrificium offerri
ſolet, & ecce aquæ veniebant per viam Edom, & repleta eſt terra aquis. 21. Uni-
verſi autem Moabitæ, audientes quod aſcendiſſent reges, ut pugnarent adverſum eos,
convocaverunt omnes, qui accincti erant balteo deſuper, & ſteterunt in terminis.
22. Primoque mane ſurgentes, & orto jam ſole ex adverſo aquarum, viderunt Moa-
bitæ e contra aquas rubras quaſi ſanguinem, 23. Dixeruntque: Sanguis gladii eſt:
pugnaverunt reges contra ſe, & cæſi ſunt mutuo: nunc perge ad prædam Moab. 24.
Perrexeruntque in caſtra Iſrael: porro conſurgens Iſrael, percuſſit Moab: at illi fuge-
runt coram eis. Venerunt igitur, qui vicerant, & percuſſerunt Moab. 25. Et civi-
tates deſtruxerunt: & omnem agrum optimum, mittens ſinguli lapides, repleverunt:
& univerſos fontes aquarum obturaverunt, & omnia ligna fructifera ſucciderunt, ita
ut muri tantum fictiles remanerent, & circumdata eſt civitas a fundibulariis, & ma-
gna ex parte percuſſa. 26. Quod cum vidiſſet rex Moab, prævaluiſſe ſcilicet hoſtes,
tulit ſecum ſeptingentos viros educentes gladium, ut irrumperent ad regem Edom,
& non potuerunt. 27. Arripienſque filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat
pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum, & facta eſt indignatio magna in Iſrael,
ſtatimque receſſerunt ab eo, & reverſi ſunt in terram ſuam.

℣. 1. JORAM FILIUS ACHAB REGNAVIT . . . . ANNO DECIMO OCTAVO JOSAPHAT. Non ſtatim poſt Achabum Joram ad Regnum evectus eſt, uti ſupra animadvertimus; ſed poſt mortem Ochoziæ fratris ſui Regno tandem potitus eſt. Vide Caput 1. ℣. 17.

℣. 2. FECIT MALUM CORAM DOMINO, SED NON SICUT PATER SUUS, ET MATER. Veſtigia non relegit Achabi patris ſui, qui vetuſtis ſuperſtitionibus adjecit cultum Baalis; neque admiſit abominationes Jezabelis, quæ in Iſraelem invexerat cultum Aſtartes, Numinumque Phœnicum. Rejecit omnem hanc fœcem Numinum, ſed retinuit vitulos aureos Jeroboami. Denique Joram malus erat Princeps, ſed non adeo malus, quantum filius Achabi & Jezabelis futurus eſſe videbatur. Regnum ſuum reformaſſe illum, cultumque Baalis & Aſtartes abjeciſſe primum credo poſt victoriam de Moabitis relatam; tunc enim adhuc pravo illi cultui adhærebat. Exprobrat enim illi inferius Eliſæus: *Quid mihi, & tibi eſt? vade ad Prophetas patris tui, & matris tuæ*. Credibile ne eſt futurum fuiſſe ut Prophetis Baalis parceret, ſi ejus Numinis ſimulacra evertiſſet?

℣. 4. MESA REX MOAB NUTRIEBAT PECORA MULTA. Copioſum ſcilicet pecorum gregem aluiſſe illum opus eſt, ut ſingulis annis tributum penderet centum millium agnorum, totidemque arietum. Numerum hunc pecudum illum ſolviſſe quotannis non narrat Scriptura, ſed communis ſententia docet. Neque hæc fidem ſuperant. Solemne erat priſcis imperare tributi loco victis ea, quibus regio abundabat; facilius autem indicebantur greges, vel alia, quam argentum, & pecuniæ. Moabitæ, quemadmodum & reliquæ vicinæ gentes, nullo alio negotio & exercitio occupabantur, quam alendis gregibus. Meſa, tributarius licet ac ſubditus Regibus Iſraelis, Regis tamen nomen pro more illius ætatis conſervabat. Textus Hebræus ad literam (1) *ſignatorem* Regem illum appellat; qua voce deſignatur paſtor, qui maxime ſolicitus eſt, cujus ſolicitudo eſt maxima, ut ſigno coloris alicujus arietes diſtinguat (2). Amos, quem paſtoritiam exercuiſſe ignorat nemo, hunc ſibi titulum vindicat (3). Septuaginta ſervandum conſuerunt Hebræum *noked*; ſed alii Græcorum Interpretes eam vocem reddunt, *Princeps paſtorum*. Aquila, & Symmachus: *Qui nutriebat pecora multa*. His conſonat Syrus; Arabs vero tradit, Meſam *divitem fuiſſe pecoris*. Recentiores quidam Interpretes originalem hanc vocem reddunt *pecuarium*; quo titulo interdum donati ſunt Reges quidam, frequentiſſimis gregibus ſtudentes (4).

℣. 8. PER QUAM VIAM ASCENDAMUS? . . . . PER DESERTUM IDUMÆÆ. Moabitarum Regio ſita erat ad Orientem maris mortui; atque iter breviſſimum expeditiſſimumque, recta ducens ex Juda in Iſraelem, erat per vada Jordanis, paulo ſupra influxum ejus amnis in mare mortuum. Sive autem metuerent Reges, ne Moabitæ obſiderent vada Jordanis, & Arnon, qui pariter tranſmittendus erat venientibus in eam regionem, vel improviſi ſupervenire, ac Moabitas a tergo adoriri vellent, venire per Idumæam, atque copias circumducere per oras maris mortui ſtatuerunt, ut in plaga meridionali Moabitas aggrederentur. Hinc paulo inferius tres iidem Reges *circuiſſe per viam ſeptem dierum* dicuntur. Brevius enim tempus ſatis erat, ut recta via e regione Iſraelis in ditionem Moabiticam pervenirent. Illud etiam huic viæ accedebat incommodi, quod aqua deſtitueretur, cujus defectus in eas anguſtias, de quibus ſtatim, conjecit exercitum.

℣. 9. REX EDOM, Rex Idumææ, tributarius Joſaphati Regis Juda, auxiliares copias copiis utriuſque Regis conjunxit. Cogi autem eo potuit tamquam ſubditus ab Joſaphato domino ſuo, qui per ejus Regionem tranſiens, ſociare ſecum arma juſſit.

℣. 11. ELISÆUS, QUI FUNDEBAT AQUAM SUPER MANUM ELIÆ, humillima quæque miniſteria illi præſtabat; quæ vulgaris eſt phraſis. Ægre enim perſuademur, Eliam delicatum adeo fuiſſe hominem, ut miniſtrari ſibi ab Eliſæo diſcipulo ſuo aquam vellet (5). Id utique reſpuit, quod Scriptura narrat de vita frugi, atque auſtera Prophetarum. Profeſſio quorumdam innui ſolet interdum ex conſuetis illorum muneribus. Ita animadvertimus ſupra, paſtores *Signatores* appellatos fuiſſe, *Salſamentarii* deſignantur nomine eorum, *qui fricant naſum cubito*; ferre calceamenta, vel tollere calceamenta alicujus, exprimit ſervitutem: *Non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum ejus*, ajebat S. Joannes Baptiſta de Jeſu Chriſto; neque tamen id officii præſtare illi ſolebat (6). Caſu tunc & præter morem Eliſæus aderat in exercitu; id enim præter morem fuiſſe, illud indicat, quod hic Joſaphat rogat: *Eſt ne hic Propheta Domini?*

℣. 12. DESCENDIT AD EUM REX ISRAEL &c. Non accerſunt hominem, ſed ipſi per ſe ad ejus tentorium perveniunt. Nemo Eliſæo melius dignitatem ſuſtinuit Legati, & Viri a Deo miſſi: nunquam etiam melius ſe prodit vis metus, & neceſſitatis in mentes feroces ac ſuperbas.

℣. 13. QUID MIHI, ET TIBI EST? VADE AD PROPHETAS PATRIS TUI. Miram Eliſæi in dicendo libertatem! En ſpiritus ille duplex, acceptum ab Elia munus. Nondum facile Joram ſubverterat Templa, & Idola Baalis, atque Aſtaroth, cum ad Regem Propheta ita loqueretur. An hæc afflatu Divino expreſſerit, merito ambigitur, cum paulo poſt acciri jubeat canentem lyra muſicum, ut pacata ſpirituum turbatione ſe ſe ad illapſum Divini Spiritus compararet. Eſto autem Divinitus afflatus non fuerit, immerito tamen criminis arguatur. Sanctum ille, juſtum, atque ad normam ſcientiæ temperatum impetum ſequutus eſt: idque ab Eliæ ſucceſſore Joramus promeruerat.

℣. 14. SI NON VULTUM JOSAPHAT ERUBESCEREM. Hebræus ad literam (7): *Niſi faciem Joſaphat ſuſciperem*, niſi tantum haberem obſequii erga illum, quantum in te nihil. Niſi ille adeſſet, ne obtutu quidem te dignarer.

℣. 15. ADDUCITE MIHI PSALTEN. Commotus fuerat nonnihil Eliſæus, ad Regem Iſraelis loquens: quare minus aptum ſeſe præbuerat illapſui Spiritus Sancti, qui ſerenum, & tranquillum æſtu animum exigit. Vehementiorem hunc motum recenter excitatum cohibiturus Propheta, acciri jubet virum lyra canentem, qui leniorem ſpiritibus turbatis motum conciliet, nubem diſſipet, & pio gravique cantu conſuetam tranquillitatem reſtituat. Præſto ſemper aderant in exercitu Sacerdotes, ac Levitæ, qui canendo muſicis inſtrumentis in Templo Salomonis potiſſimum occupabantur. Nullæ igitur erant profanæ cantilenæ, quibus animus perturbatur, & malæ cupiditates cientur: excitabatur pietas, ac mens in Deum dirigebatur. Animadvertimus alibi (8) quæ de muſices vi mira apud Veteres celebrantur. Tradit Porphyrius (9), ſacrificantes magnæ Matri ad con-

(1) מישע מלך מואב היה נקד Septuag. ὁ νωκὴδ. Theodoret. qu. xi. νωκήδ. Alii, ποιμνιοτρόφος. Aqu. ποιμνιοτρόφος. Innumera pecora alebat. Sym. ὁ τρέφων βοσκήματα. (2) Virgil. Georgic. 1,
Aut pecori ſignum, aut numeros impreſſit acervo.
(3) Amos 1. 1. אשר היה בנקדים (4) Cicero pro Dejotaro: *Ut non ſolum Tetrarcha nobilis, ſed optimus paterfamilias, & diligentiſſimus agricola, & pecuarius haberetur.* (5) Vide Sanct. hic. (6) Matth. III. 11. Marc. 1. 7. Luc. III. 16. Joan. 1. 27. (7) כי לולי פני יהושפט . . . אני נשא (8) Vide quæ diximus in 1. Reg. 16. ℣. 17. (9) Porphyr. Ep. ad Ambon. Ægypt.

concentum alicujus muſici inſtrumenti, vel cujuslibet muſicæ harmoniæ, extra mentem fieri conſueviſſe. *Reſtitutus* quidam Sacerdos, authore S. Auguſtino, in ecſtaſim rapiebatur, vix alicujus vocem audiret quæ lugubres nænias, & lamentationes imitaretur (1). Idem S. Doctor de ſe ſcribit (2): *Quantum flevi in hymnis & canticis tuis, ſuaveſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter!* S. Franciſcus in contemplationem rerum cœleſtium ad concentum muſicum inſtrumentorum rapiebatur. Henricus IV. Rex Daniæ, teſte Alberto Krantzio, cum periculum facere vellet de Muſico quodam, gloriante ſeſe ſoporem inferre ad arbitrium præſentibus, provocare ad iram, efferare, illo canente Rex primo commoveri, deinde efferari, ut aulicos quoſdam ſubito irruens interfecerit. Cicero (3) de Pythagoricis: *Pythagoræi mentes ſuas a cogitationum intentione cantu fidibuſque ad tranquillitatem traducebant.*

Facta est super eum manus Domini. Subito Numinis illapſu, novo Prophetiæ œſtro afflatus eſt. Concentus & harmonia vocum, atque muſicorum inſtrumentorum blande commoverat organa, turbatos ſpiritus coercuerat, ſeque vehementer rapi ſenſit enthuſiaſmo ſupra naturam, quæ ipſa eſt Prophetia. *Facta eſt ſuper eum manus Domini.* Uſurpari ſolet hæc phraſis plerumque ut impetum, pondus & illapſum S. Spiritus in animam & corpus etiam Prophetæ ſignificet. Speciem tunc exhibebat perinde ac hominis extra ſe facti, in novum alterum converſi, in alterum ſpiritum, agendi & loquendi rationem alteram, ut Divina plane authoritate, ac gravitate verba profunderet. Pſeudophetæ & Arioli Paganorum hunc veri Dei Prophetarum enthuſiaſmum imitabantur, hoc tamen diſcrimine, quod hi leni motu cierentur, ut tranquillo licet ſpiritu ac mente vim adderent, majeſtatem, atque authoritatem verbis neceſſariam, ac dignitatem Legatorum Dei munus gerentibus dignam; cum Profanos agitaret malus genius, quo in omnes partes diſtorquebantur, veluti conantes malum illum ſpiritum intus prementem excutere, ac pellere Dæmonem, quo dure atque vehementer adeo torquebantur. Scite illos pingit Virgilius libro VI. Æneidos:

. . . . . Subito non vultus, non color unus,
Non comptæ manſere comæ: ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument; majorque videri,
Nec mortale ſonans: afflata eſt Numine quando . . .
Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

℣. 16. Facite alveum torrentis hujus fossas et fossas; ducite ſecundum alveum torrentis foſſas; ſeu potius (4): *Facite torrentem hunc foſſas;* redigite torrentis alveum in foſſas. Arebat is alveus, neque aquis niſi pluvialibus quandoque fluebat. Juſſit Propheta excavari in eo torrente foveas, per eam noctem aqua replendas, ut duplici documento Divinæ potentiæ ſervirent, primo ſcilicet, ut ſiti affectus exercitus levaretur, ſecundo, ut Moabitæ Hebræorum manibus traderentur.

℣. 19. Universum lignum fructiferum succidetis. Exceptio eſt in legem Deuteronomii (5), vetantem ne cædantur arbores fructiferæ in hoſtili terra poſitæ. Forte etiam præceptum Deuteronomii tantummodo terram promiſſionis ſpectat (6), cujus arbores ſervari ab Iſraelitis in uſum ipſorum Deus voluit.

Fontes aquarum obturabitis. Dicta hæc accipi poſſunt (7) de qualibet aquarum ſcaturigine, ſeu fontium ſeu puteorum, ut oppoſita ciſternis, cæteriſque aquis ex imbre collectis. Jubet Deus obſtrui puteos, obrui ſcaturigines aquarum, aggeſtis lapidibus & arena, atque in loca petroſa & arenoſa aquas flecti, ut ſcilicet diſſipata in locis ſterilibus & incultis aqua, cultu tellus areſcat.

Omnem agrum egregium operietis lapidibus. Obtinebat id in ea regione, aliiſque pluribus, ut collecti ex agro lapides congererentur in ſtrues ſecundum agros, ne vomerem aratri, neque ligonem vinitoris impedirent. Huc ſpectat Iſaias V. 1. *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei* [in loco edito & fertili] *& ſepivit eam, & lapides elegit ex ea.* Agrum hunc appellat Perſius ſatyra ultima, *exoſſatum agrum*. Mandat Deus Hebræis, ut per optimos agros lapides hoſce diſperdant.

℣. 20. Mane quando sacrificium offerri solet. Matutinum holocauſtum circa Solis exortum offerebatur ante reliqua Sacrificia (8). Eo tempore ſtatim viſæ ſunt excavatæ in torrente foſſæ aquis e regione Idumæorum fluentes oppleri, nullo licet prævio imbre. Prænunciaverat Eliſæus futurum, ut nullo ſeu imbre, ſeu vento præcedente, fluerent tamen aquæ, apertiſſimo Dei prodigio, & forte etiam Angelorum miniſterio.

℣. 21. Convocaverunt omnes qui accincti erant balteo. Ad literam: *Qui accingebant ſe balteo & ſupra* (9). Veluti innuat, conveniſſe omnes, non modo qui armis cingebantur, ſed ſenes etiam, cæteroſque, quibus gravior ætas dimiſſionem impetraverat (10). Voces illæ, *Qui accincti erant balteo*, ſignificant milites; cingi enim ſæpe (11) pro armari uſurpatur, Gentem imbellem appellant Poetæ diſcinctam: *Diſcinctos Afros*, ideſt, *militiæ inhabiles*, ait Servius in VIII. Æneidos: & Græci εὐζώνους dicunt ſtrenuos, & ἀπεριζώνους, imbelles.

℣. 22. Viderunt Moabitæ aquas rubras quasi sanguinem. Sive aquæ illæ revera rubeſcerent, ſive quod ab humo, qua fluebant, inficerentur; ſive quod ſolis exorientis radiis oblique percuſſæ, rubram ſuperficiem oculis Moabitarum exhiberent (12). Quotidiana experientia diſcimus, imbui aquas non colore tantum humus qua fluunt, vel ubi ſtagnant, ſed etiam nubis & aeris, quibus ſubjiciuntur. Sol exoriens non raro rubeſcit; uti & rubro tinguntur proximæ illi nubes. Hæc fallere potuere Moabitas, ut arbitrarentur rivos fuſo ſanguine fluere. Nullam enim naturalem aquæ cauſam ibi adeſſe norant: locus erat aridus, pluviæ nullæ, fontes remoti. Unde igitur turgens rubro liquore torrens, niſi ſanguine hoſtium, qui mutua in ſe cæde corruerint? Hæc ſecum reputabant Moabitæ; quæ blandiens opinio aliis exemplis confirmabatur: contigit enim ſæpe, ut exercitus per noctis tenebras mutua ac domeſtica cæde perierint. Notum erat, olim Madianitas (13) in præcipiti fuga mutuo ſeſe cecidiſſe; & Saulis ætate Philiſthæi ſuis in ſe cædibus ſævierunt (14).

℣. 25. Ita ut muri tantum fictiles remanerent, ſeu potius tota regio vaſtata eſt, ut lapis ſuper lapidem non remaneret; excurſumque eſt uſque ad urbem Kir-Haſereth, quo Rex Moab aufugerat, atque illa pariter obſideri cœpit. Ea urbs hic & apud Iſaiam appellatur *Urbs cocti lateris* (15); eademque eſt Urbs *Kir*, vel *Kirhareſeth*, cujus Iſaias non ſemel, tanquam inter validiſſimas regionis Moabiticæ, meminit. Eadem eſt Ar vel

(1) Auguſt. de Civit. lib. 14. c. 24. (2) Idem lib. 9. Confeſs. c. 6. (3) Cicer. Tuſcul. qu. lib. 4. (4) עשה הנחל הזה גבים גבים (5) Deut. xx. 19. *Quando obſederis civitatem, non ſuccides arbores de quibus veſci poteſt, &c.* (6) Eſt. Tir. Menoch. Sanct. (7) כל מעיני מים תסתמו (8) Vide Exod. xxix. 38. (9) ויצעקו מכל חגר חגרה ומעלה (10) Ita Arab. Oſiand. Piſc. &c. (11) Vide 1. Reg. II. 4. & 2. Reg. xxII. 40. Epheſ. VI. 14. (12) Ita Jonat. Joſeph. Menoch. Tir. Lyr. Sanct. &c. (13) Judic. VII. 22. *Immiſit Dominus gladium in omnibus caſtris, & mutua ſe cæde truncabant.* (14) 1. Reg. XIV. 20. *Verſus fuerat gladius uniuſcujuſque ad proximum ſuum, & cædes magna nimis.* (15) Iſai. XVI. 2. *His qui lætantur ſuper muros cocti lateris;* & XV. 1.

Digitized by Google

Areopolis, Moabitarum Metropolis. Hebr. (1) reddunt plures: Vaſtarunt totam regionem, *ut non relinquerent niſi lapides Kir-Hareſeth*; vel: *Non reliquerunt niſi lapides muri Hareſeth*; vel denique: Omnia vaſtarunt, uſque ad lapides Urbis *cognomento*, *Urbis mœnium fictilium*. Porro ſermonem hic eſſe de urbe validiſſima ditionis Meſæ Regis Moabitarum, narrationis ſeries demonſtrat.

CIRCUMDATA EST CIVITAS A FUNDIBULARIIS. Hebræus (2): *Circumdederunt fundibularii, & percuſſerunt eam*. Propugnatores e mœnibus repellebant fundibularii; cum interim cæteri quaterent turres, & munitiones (3). Interpretum quidam cenſent, funditores uſurpari hic pro jaculantibus ſpicula, vel lapides ope machinarum; quorum tamen opinio incerta eſt, nec facile teſtimonio Scripturæ probanda.

℣. 26. UT IRRUMPERENT AD REGEM EDOM; ut viam ſibi inde aperirent; ſive quod minus valida ſibi videretur defenſio; ſive quod reputaret, facilius evaſionem ſuam permiſſurum eum Principem, ſiquidem ad ejus caſtra pervadere poſſet.

℣. 27. ARRIPIENS FILIUM PRIMOGENITUM ...., OBTULIT HOLOCAUSTUM SUPER MURUM. Quam horrendis tenebris obſepiebatur Meſa, ratus poſſe Numinum in regionem ſuam furentium iram placari deteſtabili adeo ſacrilegio! Vetus erat mortalium perſuaſio, in rebus extremis placanda eſſe Numina rei chariſſimæ ſacrificio. Phœnices litabant Saturno (4); Moabitæ facile Molocho. Apud Romanos in arduis rebus, viri ſæpe graviſſimi morti ſe pro Reipublicæ ſalute devoverunt. Nec defuerunt ex privatis (5), qui morti vel certamini capita ſua devoverint pro Caligula, & Nerone, ſub initium Regni ſui ægrotantibus, antequam palam exhibitis peſſimi ingenii documentis, execrationem mortalium omnium mererentur. Ajunt, Sennacheribum ſtatuiſſe duos filios ſuos ſacrificare Deo Neſroc poſt infelicem illam ſuam Jeroſolymitanam expeditionem, quod patris conſilium ſubodorati filii, illata patri nece ſibi conſuluere (6). Demonſtrant hæc omnia, quam altas error & ſævities olim inter homines radices egerint.

Interpretum nonnulli (7) cenſent, Regem Moab ſtatuiſſe filium ſuum offerre in ſacrificium Deo Iſraelis, veluti imitaturus Abrahami ſacrificium, atque ita illius iram ab ſe avertere, & Reges Juda atque Iſraelis flectere. Plerique tamen credunt, ea victima litaſſe Numinibus regionis. Non ſatis convenit, utrum Meſa ipſe ſuum, an filium Regis Edom immolarit; utrumque enim ſenſum commode Hebræus admittit (8). Sunt qui credant (9), Regem Moab captivum cepiſſe filium Regis Edom, cum ejus caſtra aggreſſus eſt; deſperatione autem rei male geſtæ, furorem ſuum in miſerum Principem expleviſſe. Docent alii, Meſam habuiſſe apud ſe diu filium Regis Edom, quam injuriam ut ulciſceretur pater, arma cum Regibus Juda & Iſraelis ſociaſſe. Hæc tamen, nullo valido argumento demonſtrata, unis Rabbinorum conjecturis nituntur. Veteres & recentiores Interpretes (10) vulgo explicant de filio Regis Moab; quam ſententiam totius Hiſtoriæ ſeries tuetur. Interpretum pleriſque perſuadetur, Prophetam Amos huc ſpectaſſe, cum exprobrat Iſraelitis cremata uſque ad cinerem oſſa Regis Idum (11).

FACTA EST INDIGNATIO MAGNA IN ISRAEL. Sævitiem hanc deteſtati ſunt Iſraelitæ. Vel: Indignatus eſt Deus, quod in eas anguſtias redactus fuerit Rex Moab, nec ante receptæ fuerint copiæ, quam parari omnia in deteſtabile illud facinus viderent. Reputari etiam poſſet, Iſraelitas hoc nomine vicinarum gentium invidiam ſubiiſſe. Tres enim haſce interpretationes æque Textus admittit.

---

(1) עד השאיר אבניה בקיר חרשת (2) ויסבו הקלעים ויכוה (3) Vat. Grot. Schindl. in Lex. (4) Philo Biblius apud Euſeb. Præpar. l. 4. c. 16. ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς τῶν κινδύνων, ἀντὶ τῆς πάντων φθορᾶς τὸ ἠγαπημένον τῶν τέκνων τοὺς κρατοῦντας ἢ πόλεως ἢ ἔθνους, εἰς σφαγὴν ἐπιδιδόναι λύτρον τοῖς τιμωροῖς δαίμοσι. (5) Vide Sueton. in Cajo, & eumdem in Nerone, cap. 14. *Non defuerunt qui depugnaturos ſe armis pro ſalute agri, quique capita ſua titulo propoſito voverent.* (6) Vide Rab. Salom. Lyran. Abul. in 4. Reg. XIX. 37. (7) Joſeph. Antiqu. lib. 9. c. 1. ἱερούργησεν εἰς ὁλοκαύτωσιν τῷ Θεῷ. Grot. Rab. Salom. Lyr. (8) ויקח את בנו הבכור ..... ויעלהו עלה (9) Hebræi, Rab. Kimchi ad Amos II. 1. Jun. Munſt. &c. (10) Ita Jonat. 70. Joſeph. Syr. Arab. Grot. Vat. Malv. Sanct. Tir. Cornel. alii paſſim. (11) Vide Comment. ad Amos II. 1.

C A P U T IV.

Eliſæus multiplicat oleum viduæ paupercula, atque ita parem facit ſolvendo creditoribus ſuis. Impetrat a Deo filium fœminæ Sunamitidi; quem deinde revocat ad vitam. Ingratum pulmenti ſaporem injecta farinæ mitigat. Panibus nonnullis centum homines paſcit.

℣. 1. MUlier autem quædam de uxoribus prophetarum clamabat ad Eliſæum, dicens: Servus tuus vir meus mortuus eſt, & tu noſti, quia ſervus tuus fuit timens Dominum: & ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad ſerviendum ſibi. 2. Cui dixit Eliſæus: Quid vis, ut faciam tibi? Dic mihi, quod habes in domo tua? At illa reſpondit: Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, niſi parum olei, quo ungar. 3. Cui ait: Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua non pauca. 4. Et ingredere, & claude oſtium tuum, cum intrinſecus fueris tu, & filii tui: & mitte inde in omnia vaſa hæc: & cum plena fuerint, tolles. 5. Ivit itaque mulier, & clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper filios ſuos: illi offerebant vaſa, & illa infundebat. 6. Cumque plena fuiſſent vaſa, dixit ad filium ſuum: Affer

Fer

ſer mihi adhuc vas. Et ille reſpondit: Non habeo. Stetitque oleum. 7. Venit autem illa, & indicavit homini Dei. Et ille: Vade, inquit, vende oleum, & redde creditori tuo: tu autem, & filii tui vivite de reliquo. 8. Facta eſt autem quædam dies, & tranſibat Eliſæus per Sunam: erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum, ut comederet panem: cumque frequenter inde tranſiret, divertebat ad eam, ut comederet panem. 9. Quæ dixit ad virum ſuum: Animadverte, quod vir Dei ſanctus eſt iſte, qui tranſit per nos frequenter. 10. Faciamus ergo ei cœnaculum parvum, & ponamus ei in eo lectulum, & menſam, & ſellam, & candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi. 11. Facta eſt ergo dies quædam, & veniens divertit in cœnaculum, & requievit ibi. 12. Dixitque ad Giezi puerum ſuum: Voca Sunamitidem iſtam. Qui cum vocaſſet eam, & illa ſtetiſſet coram eo. 13. Dixit ad puerum ſuum: Loquere ad eam: Ecce, ſedule in omnibus miniſtraſti nobis, quid vis ut faciam tibi? numquid habes negotium, & vis ut loquar regi, ſive principi militiæ? Quæ reſpondit: In medio populi mei habito. 14. Et ait: Quid ergo vult, ut faciam ei? Dixitque Giezi: Ne quæras: filium enim non habet, & vir ejus ſenex eſt. 15. Præcepit itaque ut vocaret eam: quæ cum vocata fuiſſet, & ſtetiſſet ante oſtium, 16. Dixit ad eam: In tempore iſto, & in hac eadem hora, ſi vita comes fuerit, habebis in utero filium. At illa reſpondit: Noli quæſo, domine mi, vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ. 17. Et concepit mulier, & peperit filium in tempore, & in hora eadem, qua dixerat Eliſæus. 18. Crevit autem puer. Et cum eſſet quædam dies, & egreſſus iſſet ad patrem ſuum, ad meſſores, 19. Ait patri ſuo: Caput meum doleo, caput meum doleo. At ille dixit puero: Tolle, & duc eum ad matrem ſuam. 20. Qui cum tuliſſet, & duxiſſet eum ad matrem ſuam, poſuit eum illa ſuper genua ſua uſque ad meridiem, & mortuus eſt. 21. Aſcendit autem, & collocavit eum ſuper lectulum hominis Dei, & clauſit oſtium: & egreſſa, 22. Vocavit virum ſuum, & ait: Mitte mecum, obſecro, unum de pueris, & aſinam, ut excurram uſque ad hominem Dei, & revertar. 23. Qui ait illi: Quam ob cauſam vadis ad eum? hodie non ſunt Calendæ, neque Sabbathum. Quæ reſpondit: Vadam. 24. Stravitque aſinam, & præcepit puero: Mina, & propera, ne mihi moram facias in eundo: & hoc age, quod præcipio tibi. 25. Profecta eſt igitur, & venit ad virum Dei in montem Carmeli: Cumque vidiſſet eam vir Dei e contra, ait ad Giezi puerum ſuum: Ecce Sunamitis illa. 26. Vade ergo in occurſum ejus, & dic ei: Rectene agitur circa te, & circa virum tuum, & filium tuum? Quæ reſpondit: Recte. 27. Cumque veniſſet ad virum Dei in montem, apprehendit pedes ejus: & acceſſit Giezi, ut amoveret eam. Et ait homo Dei: Dimitte illam: anima enim ejus in amaritudine eſt, & Dominus celavit a me, & non indicavit mihi. 28. Quæ dixit illi: Numquid petivi filium a domino meo? numquid non dixi tibi: Ne illudas me? 29. At ille ait ad Giezi: Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum; & ſi ſalutaverit te quiſpiam, non reſpondeas illi: & pones baculum meum ſuper faciem pueri. 30. Porro mater pueri ait: Vivit Dominus, & vivit anima tua, non dimittam te. Surrexit ergo, & ſecutus eſt eam. 31. Giezi autem præceſſerat ante eos, & poſuerat baculum ſuper faciem pueri, & non erat vox, neque ſenſus: reverſuſque eſt in occurſum ejus, & nuntiavit ei, dicens: Non ſurrexit puer, 32. Ingreſſus eſt ergo Eliſæus domum, & ecce puer mortuus jacebat in lectulo ejus, 33. Ingreſſuſque clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper puerum; & oravit ad Dominum. 34. Et aſcendit, & incubuit ſuper puerum: poſuit os ſuum ſuper os ejus, & oculos ſuos ſuper oculos ejus, & manus ſuas ſuper manus ejus: & incurvavit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri. 35. At ille reverſus, deambulavit in domo, ſemel huc, atque illuc; & aſcendit, & incubuit ſuper eum: & oſcitavit puer ſepties aperuitque oculos. 36. At ille vocavit Giezi, & dixit ei: Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata, ingreſſa eſt ad eum. Qui ait: Tolle filium tuum. 37. Venit illa, & corruit ad pedes ejus, & adoravit ſuper terram: tulitque filium ſuum, & egreſſa eſt. 38. Et Eliſæus reverſus eſt in Galgala. Erat autem fames in terra, & filii prophetarum habitabant coram eo. Dixitque uni de pueris ſuis: Pone ollam grandem, & coque pulmentum filiis prophetarum. 39. Et egreſſus eſt unus in agrum, ut colligeret herbas agreſtes: invenitque quaſi vitem ſylveſtrem, & collegit ex ea colocynthidas agri, & implevit pallium ſuum: & reverſus con-

concidit in ollam pulmenti : neſciebat enim quid eſſet. 40. Infuderunt ergo ſociis, ut comederent; cumque guſtaſſent de coctione, clamaverunt, dicentes: Mors in olla, vir Dei. Et non potuerunt comedere. 41. At ille, Afferte, inquit, farinam. Cumque tuliſſent, miſit in ollam, & ait: Infunde turbæ, ut comedant. Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla. 42. Vir autem quidam venit de Baaſaliſa deferens viro Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, & frumentum novum in pera ſua. At ille dixit; Da populo, ut comedat. 43. Reſponditque ei miniſter ejus: Quantum eſt hoc, ut apponam centum viris? Rurſum ille ait: Da populo, ut comedat; hæc enim dicit Dominus: Comedent, & ſupererit. 44. Poſuit itaque coram eis; qui comederunt, & ſuperfuit juxta verbum Domini.

℣. 1. MULIER QUÆDAM DE UXORIBUS PROPHETARUM. Hunc Prophetam, cujus uxor vexationibus fœneratorum angebatur, ipſum fuiſſe ajunt Veterum plures (1) Abdiam, Oeconomum illum Achabi, cujus celebre eſt nomen, quod paverit Prophetarum plures odiis Achabi, & Jezabelis vexatos (2). Immitem hunc creditorem, qui redigere filium viduæ in ſervitutem volebat, non alium credunt Judæi quam Joramum Regem Iſraelis. Hæ tamen narrationes incertiſſima fide nutant; nec ullo argumento demonſtrabitur, Abdiam œconomum Achabi Prophetam egiſſe.

CREDITOR VENIT UT TOLLAT DUOS FILIOS MEOS AD SERVIENDUM SIBI. Filii, recepto apud Hebræos jure, perinde habebantur ac parentum ſuorum res, de quibus illi ad nutum decernerent, quoſque pro ſolvendo ære alieno venderent in ſervitutem. Permittit Lex, ut quis paupertate cogente & ſe & filios vendat (3). Cujus facultatis prorogatione quadam, uti & alterius legis privilegio, fas erat vendere furem reſtituendo imparem (4): fas inſuper creditoribus ſumere filios fœneratorum ſuorum loco debiti, ac pro ſervis retinere. Quamquam autem nihil ea de re ſatis aperte Lex exprimit; morem tamen hunc apud Hebræos obtinuiſſe, tum ex hoc Textu, tum ex aliis nonnullis probatur. Huc enim Iſaias non obſcure (5) ſpectat: *Quis eſt creditor meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis*. Jeſus Chriſtus (6) proponit parabolam fœneratoris, qui cum obſtrictum ſibi ſervum ingenti debito haberet, vendi illum, uxorem, & filios in ſervitutem juſſit. Quibus omnibus demonſtratur, morem hunc apud Hebræos uſque ad extrema Reipublicæ tempora perſeveraſſe.

Parentibus in filios idem, quod apud Hebræos, jus erat apud Romanos, Athenienſes, Aſiaticos, alioſque nonnullos: vendebant illos, cogente anguſtia rei familiaris, iidemque in creditorum poteſtatem veniebant, quaſi pecus vel res domeſtica. Abſolutam in filios poteſtatem Romulus (7) parentibus conceſſit per totam vitam, quacumque tandem dignitate filii præſtarent. Fas erat eo Legislatore parentibus detrudere illos in carcerem, fuſtibus cædere, adhibere ut ſervos in opera agreſtia, necare, vendere in ſervitutem; vendere autem ſemel, iterum, & tertio; qua in re major erat patris in filios, quam heri in ſervum poteſtas, neque enim hero niſi ſemel tantum vendere ſervum licebat. Legem hanc certis limitibus definiit Numa Pompilius, vetans, ne filium conſenſu patris factum conjugem pater venderet. Id ſi excipias, mos vendendi filios diu apud Romanos perſeveravit (8). Diocletiani & Maximiani Imperatorum edicto *ob æs alienum ſervire liberos creditoribus jura non patiuntur* (9). Apud Athenienſes idem jus erat patri in filios; quod tamen reformandum cenſuit Solon (10). Sub Lucullo idem mos ſeſe offert in Aſia (11), cujus licentiam Prætor ille, fœnora moderatus, arctioribus limitibus definiit. Hodie pariter apud Georgianos fas eſt filios pretio diſtrahere; uti & fœneratori uxores & filios creditorum, donec ex aſſe debitum ſolvatur (12). Scitum eſt inſuper, in Inſulis Britannicis diutiſſime perſtitiſſe morem vendendi liberos. Apud Moſchos ſi quis obæratus impar eſt ſolvendo creditoribus ſuis, in eorum commodum ſe uxorem filioſque vendere cogitur. Vide Iter Moſchov. tom. 1. pag. 233. Vide Levit. 25. 39. Hiſce omnibus demonſtratam arbitror maximam inter jus vetus Hebræorum ac cæterarum gentium, præſertim de authoritate patrum in filios, concordiam.

℣. 2. NON HABEO . . . . NISI PARUM OLEI, QUO UNGAR. Ungi oleo inter maxima vitæ commoda tunc cenſebatur, ut afflictatio eſſet non levis, id genus unctionum intermittere. Abſtinentiam hanc quandoque ſervatam non ſilet hiſtoria (13), utpote quæ argumentum eſſet pœnitentiæ, luctus, doloris. Moyſes & Michæas (14) Judæis minitantur ceu ſummum malorum, fore ut oleo careant, quo ungantur. Neque voluptuoſum id nimium in hac vidua habendum, quod olei tantillum ſibi ſupereſſe dicat, quo ſe ungat, ut illud potius adhibendum fuiſſe in cibum videatur. Unctio enim perinde ac cibus habebatur: *Hæc voluptas a noſtris* (Romanis) *quoque inter laudatiſſima atque etiam honeſtiſſima vitæ bona admiſſa eſt*, ait Plinius (15). Pluris id etiam æſtimabant Orientales. Ut invidiam omnem nimiæ voluptatis ab hac vidua, adeo unctionem curante, amoliantur Sanctius & Cornelius a Lapide, ea verba in hunc ſenſum reddi malunt: Nonniſi pauxillum olei ſervo, quo cadaver meum ungatur. Unctionem cadaverum apud Priſcos obtinuiſſe, certum eſt (16).

. . . . . . *Cadaver*
Unctum oleo largo nudis humeris tulit hæres.

Jeſus Chriſtus laudat Mariam e Bethania eo nomine (17), quod, ait, *Mittens unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit*. Sed quæ neceſſ

(1) Joſeph. Antiqu. lib. 9. cap. 2. Theodoret. quæſt. 14. Hiſt. Schol. Lyran. Toſt. Rabb. (2) 3. Reg. XVIII. 13. (3) Exod. XXI. 7. & Levit. XXV. 39. (4) Exod. XXII. 3. *Si non habuerit quod pro furto reddat, ipſe venumdabitur*. (5) Iſai. L. 1. (6) Matt. XVIII. 25. (7) Dionyſ. Halycarn. l. 2. p. 96. 97. [illegible] (8) Vide L. 2. de patribus qui filios diſtraxerunt, lib. 4. Codic. tit. 43. (9) L. ob æs, C. de obligat. (10) Plutarch. in Solone. (11) Idem in Lucullo. (12) Tavernier, liv. 3. ch. 9. (13) 2. Reg. XII. 20. & Dan. X. 3. (14) Deut. XXVIII. 40. & Mich. VI. 15. (15) Plin. l. 13. c. 1. (16) Horat. lib. 2. Sat. 5. (17) Matth. XXVI. 12.

neceſſitas ſubtiliorem hanc interpretationem admittendi ? Textus inſuper Hebræus non exprimit, ſervaſſe illam ſibi oleum ad unctionem. Sed redditur tantum ad literam (1) : *Non eſt in domo mea niſi vas olei* . Ejuſmodi vas appellatur *aſuk*, quod derivari poteſt ex verbo *ſuk*, ungere, ut ſenſus ſit , vas fuiſſe illud olei ad unctiones , vas *inunctorium* (2). Facile etiam Græcum *Aſcos*, uter, derivandum eſt ex Hebræo *Aſuk* , ut ſit ſenſus: *Utrem oleo plenum*. Oleum cæteroſque liquores hircinas in pelles infundi conſueviſſe novimus. Vox originalis hic tantum ſemel occurſit.

℣. 8. Transibat Elisæus per Sunam , urbem Tribus Iſſachari, ad meridiem torrentis Ciſſon , & ad radices montis Thaboris.

Erat ibi mulier magna (3), locuples, potens, celebris. Chaldæus: *Mulier timens peccata*. Arabs: *Mulier inſignis pietate erga Deum, pravas actiones devitans*. Is erat mulieris ſplendor & meritum.

℣. 10. Faciamus ei cœnaculum parvum. Hebræus (4): *Faciamus cœnaculum parietis parvum*. Vel : Faciamus in ſuperiori domus parte parvum conclave , parietibus ſeptum . Porro hoſpitibus deſtinabatur plerumque ad quietem captandam locus ſub tecto domus conſtitutus . Ut autem commodius Eliſæus habitaret, erectum illi eſt in ſuperiore domus parte conclave , ſeptum parietibus , ubi vacare liberius, ac ſolitariam vitam degere, veluti domi ſuæ, poſſet. Tradit Vitruvius (5) , olim apud Græcos in majoribus ædibus locum fuiſſe, cum neceſſariis rebus , in uſum hoſpitum deſtinatum : eum autem ibi morandum illis diu eſſet , ipſa ſui adventus die excepti , deinceps munuſculis tantum quibuſdam e rebus ex agro allatis quotidie donabantur ; atque ita tamquam in propria domo , & ſeorſum vitam agere poterant liberam, & expeditam.

Candelabrum . Ejuſmodi candelabra ingentia erant , in medio conclavis poſita , quibus unica lucerna, vel plures imponebantur, quin & interdum ardentes tædæ , quæ noctis tenebras diſſiparent (6). Hodie pariter in Ægypto ſingulæ lampades ardent in ſingulis cubiculis domus , quas quis incolit; id vero Ægyptii tanto præſtant ſtudio , ut tenuiores cibo facilius quam lumine abſtinuerint . Eundem morem apud Hebræos pariter obtinuiſſe arbitror. In tabernaculo ſuum erat candelabrum ſeptemplex tota nocte collucens Exod. xxv. 31. in Evangelio frequens eſt ſermo de lucerna in domo ardente Matth. v. 15.

℣. 12. Qui cum vocasset eam .... (13) dixit ad puerum suum : Loquere ad eam. Si hujus Textus litera teneatur , mulieris ſermonem non percepiſſe Eliſæus, neque verba cum illa niſi per Interpretem (7) feciſſe videtur ; niſi forte miſcere cum illa colloquium Eliſæus renuit: vel denique mulier , qua erat modeſtia , per ſe cum Propheta colloqui non audebat . Hæc tamen ſingula vix æqua ratione tuearis. Præſtat itaque parentheſi claudere verſiculos 13. & 14. ac textum in hanc ſententiam per pluſquam perfectum reddere (8) . Dixit ad Giezi . *Voca Sunamitidem iſtam ; quæ venit , & ſtetit coram eo* . (℣. 13.) *Sed prius dixerat ad puerum ſuum : Loquere ad eam: Quid vis ut faciam tibi? numquid habes negotium , & vis ut loquar Regi , ſive Principi militiæ ? Quæ reſponderat : In medio populi mei habito* . (℣. 14.) *Cum autem Eliſæus dixiſſet Giezi : Quid ergo vult , ut faciam ei ? dixerat Giezi : Ne quæras : filium enim non habet , & vir ejus ſenex eſt*), ℣. 15. *Tunc Eliſæus præcepit Giezi , ut vocaret eam* , cui venienti filium ſpopondit.

Vis ut loquar Regi , sive principi militiæ ? Gratiam inierat magnam Eliſæus apud Joramum Regem Iſraelis, cui utilem adeo operam locaverat in expeditione Moabitica; neque ſua hac gratia melius uſurum ſe cenſuit, quam in beneficium mulieris tantæ probitatis, ac pietatis, uti Sunamitidis, cui pariter privato nomine plurimum obſtringebatur. Epiſcopos hortantur priſci canones, ut deferant ad Principes querelas, & preces orphanorum , aut pauperum , qui opprimuntur (9).

In medio populi mei habito . Tranquillam in domo mea vitam dego, nihil habens rei cum alienis quibuſque (10) . Quare opera pro me tua apud Principem inanis futura eſt & vacua. Contenta ſum ſorte & conditione mea : nullæ ſunt mihi cum quoquam querelæ , nec res habeo ad Regis aures deferendas.

℣. 16. In tempore isto , et in hac eadem hora , si vita comes fuerit , habebis in utero filium. Perſimilis loquendi phraſis occurrit in Geneſi xviii. 10. cum Angeli filium Saræ ſpoponderunt. Hebræus ad literam (11): *Ad ſtatum tempus iſtud , ſecundum tempus vitæ , tu amplecteris filium* . Quæ verba deſignare poſſunt cum Vulgata & Septuaginta (12) : Filium concipies ; vel filium habebis, poſſidebis, amplecteris.

Noli mentiri ancillæ tuæ ; ne mihi fruſtra blandiaris, vana promittens, ne ficta ſpe me ducas . *Mentiri* apud Hebræos non eamdem ſemper ſignificationem, ac apud nos, reddit. Inurbanum eſſet dicere nulla verborum cautione Prophetæ : *Noli mentiri* , quaſi ſcilicet doli & mendacii capax putaretur.

℣. 23. Quam ob causam vadis ad eum? Hodie non sunt calendæ , neque sabbatum . Itineris ſui veram cauſam uxor maritum celat, quin nec filii mortem detegit . Spei & fiduciæ plena ad Eliſæum properat , confidens futurum , ut qui ortum filio impetraverat , defunctum revocare poſſet ad vitam . Ex hoc Textu demonſtrari videtur , pios homines olim conſueviſſe adire Prophetas diebus Sabbati, & Neomeniæ , ut ipſorum inſtitutionibus monitiſque proficerent . Non adeo exulaverat Lex Dei a Regno Iſraelis , quin plures ſupereſſent adhuc optimi Iſraelitæ , qui vetera pietatis exercitia tuebantur . Menſium calendæ nulla quidem lege, ſed ſpontanea tantum religione (13) feriatæ erant . Feriæ dierum Sabbati erant ſanctiſſimæ , nec tamen prohibebant , quin pietatis & religionis cauſa longa etiam itinera confici poſſent (14) . E Sunam ad Carmelum , quæ ſedes erat Eliſæi , iter erat ſex vel ſeptem leucis nihilo brevius.

Quæ respondit vadam. Hebræus ותאמר שלום *Reſpondit : Pax* . Nulla tenearis ſolicitudine : dimitte me; vel, Omnia recte procedunt, da mihi abeundi copiam. Cauſam itineris celat maritum, mendacio etiam addito , omnia recte geri affirmans . Idem repetit inferius , ℣. 16. cum Giezi alloquens , agi omnia recte quoad virum , & filium affirmavit.

℣. 24. Mina et propera ; ne mihi moram facias in eundo , et hoc age quod præcipio tibi . Hebræus (15): *Duc me , & vade , ne moreris in eundo , niſi dixero tibi* . Ne feſtinantem aſinam remoreris , ne laſſari illam gradiendi celeritate timeas ; ſi enim grave quid hac in re mihi acciderit, indicabo; ſilente me, ſine illam properare. Cenſent quidam (16) , mulierem hanc pedeſtre iter feciſſe , nec aſinam niſi ad Eliſæum ferendum ſecum duxiſſe. Vertunt illi: *Duc aſinam , & ambula, ne me compellas equitare niſi dicam tibi*.

℣. 27.

[1] כי אם אסוך שמן [2] Munſt. Menoch. [3] שם אשה גדולה [4] נעשה נא עלית קיר קטנה [5] Vitruv. l. 6. c. 10. [6] Vide quæ diximus in Exod. xxv. 38. [7] Ita Caſtalio. [8] Vide, ſi lubet, Junium & Piſcat. [9] Vide Canon. Eccleſ. Afric. apud Grot. hic. [10] Theodoret. qu. 19. Caſtalio hic. [11] למועד הזה כעת חיה את חבקת בן [12] Εἰς τὸν καιρὸν τοῦτον, ὡς ἡ ὥρα, καὶ σὺ ζῶσα περιειληφυῖα υἱόν. [13] Vide dicta ad Num. x. 10. xxviii. 11. xxxiii. 11. 12. [14] Exod. xx. 8. [15] נהג ולך אל תעצר לי לרכב כי אם אמרתי לך [16] Ita Chald. Arab. Vat. Mart. Hiſpan. Interpres.

℣. 27. Accessit Giezi, ut amoveret eam. Minus decere arbitratus eſt Giezi, ut diutius pateretur mulierem, genua heri ſui amplectentem; notat enim ſummam Eliſæi modeſtiam, ejuſque a ſexu mulieri averſionem.

Dominus celavit a me. Demonſtrat hic locus, Prophetas non ſemper afflari, ut prophetiam habeant ſemper paratam, atque ad nutum, ceu vir doctus & artifex peritus, qui arte, & ſcientia ſua pro libito ſemper utitur. Eſt enim prophetia virtus actualis, & donum tranſiens, quod unice a Dei voluntate petitur; Dei ſcilicet, qui donum illud pro libito largitur, & removet. *Aliquando Spiritus Prophetiæ deeſt Prophetis, nec ſemper eorum animis præſto adeſt, ut videlicet, cum ipſum non habent, agnoſcant, ſe dono Dei habere quod habent*, ait S. Gregorius (1). Animadvertere alibi licuit, Nathanum (2), & Eliſæum (3) deſtitutos fuiſſe interdum afflatu iſto Prophetico, cum etiam res maxime poſceret.

℣. 29. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum. Typica eſt hæc & hyperbolica loquendi phraſis, innuens ſummam, qua iter conficiendum eſt, ſolicitudinem (4). Cum quis ſumma tenetur ſolicitudine, tempus utique non fallit circum aſpiciendo, ut ſalutet, vel reſalutet: eo totus rapitur, quo res poſcit. In comœdiis Veterum exhibentur non raro ſervi eo properantes, quo mittuntur, neminem ſalutantes, nihil reſpondentes, vel ſiſtentes greſſum. Apoſtolos ſuos ad prædicandum Regnum Dei mittens Mundi Servator, imperat (5): *Neminem per viam ſalutaveritis*. Porro, ait S. Ambroſius (6), *Non ſalutationis ſeduſitas aufertur, ſed obſtaculum impedienda devotionis aboletur, ut quando Divina mandantur, paulisper ſequeſtrentur humana*. Denique iis verbis, *Neminem per viam ſalutaveritis*, docet Chriſtus, ait S. Gregorius (7), *ſub quanta feſtinatione iter prædicationis pergere debeat*. Eadem proportione dicendum eſt de Eliſæo, qui Giezi mittit oneratum mandatis, ne quemquam per viam ſalutet, & reſalutet. Moris eſt hodie pariter apud Hebræos, ut euntes ad Synagogam neminem in via ſalutent, veriti ne ad latera reſpicientes, mentem ſanctis rebus intentam avertant.

℣. 31. Giezi posuerat baculum super faciem pueri, et non erat vox neque sensus. Rei hujus culpam alii (8) rejiciunt in Giezi, qui Eliſæi mandata neglexerat, quique jactitaverat ire ſe ut ſuſcitaret filium Sunamitidis. Sed quibus argumentis hæc accuſatio fulcitur? Malunt alii (9), defuiſſe mulieri fidem, quippe quæ baculo Eliſæi ineſſe virtutem patrandi prodigium non credidit: quare teſtata eſt, nunquam ſe illum dimiſſuram, niſi ipſe per ſe veniret. Alii denique (10) ſuſpicantur, Eliſæum ſibi nimium detuliſſe, miſſo baculo, ut ejus ope filium in vitam revocaret: cujus illi conſilii author fuit voluntas privata, non Deus. Præſtat tamen hoc in providentiam Numinis referre, typo quodam grande illud myſterium deſignaturi, inutilem ſcilicet eſſe Legem, & neceſſariam Filii Dei Incarnationem. Eliſæi baculus, pueri cadaveri impoſitus, exprimebat legem Moyſi, imparem per ſe vitæ, juſtitiæque conferendæ. Admovendus erat ipſe per ſe Eliſæus, figura Jeſu Chriſti, & princeps omnium quotquot miſſi ſunt ſub lege; qui veniens ſeſe in arctum incarnatione ſua redigeret, quodammodo pueri corpori aptaret, ideſt, toti hominum generi, vita, lumine, & viribus deſtituto. Ita totam hanc hiſtoriam exponunt Patres (11), unaque docti plures Interpretes.

℣. 34. Et incurvavit se super eum, et calefacta est caro pueri. Septuaginta (12): *Inflexit ſe ſuper puerum, & calefacta eſt caro pueri*. Veteres Græci Interpretes reddiderant: *Inſufflavit ſuper illum &c.* Arabs: *Spirans in eum, calefecit carnem pueri*; uti cum Dominus inſufflando vitam inſpiravit Adamo, ait Theodoretus.

℣. 35. Et oscitavit puer septies. Recentiorum Interpretum pleraque reddunt Hebræum (13): *Sternutavit ſepties*. Eſt autem ſternutamentum bonæ valetudinis indicium. Docet etiam Plinius (14): *Sternutamenta capitis gravedinem emendant*. Puer, de quo hic, dolore capitis obierat (15). Vocem hanc non expreſſerunt Septuaginta. Arabs vertit: *Conterſit puer oculos ſuos ſeptem vicibus*. Reddunt alii: *Cohorruit ſeptem vicibus*; vel: *Eliſæus coarctavit illum ſeptem vicibus*.

℣. 38. Elisæus reversus est in Galgala. Innuere hæc videntur, Eliſæum ſtatim antea diſceſſiſſe; ſed ex ℣. 25. conſtat, e Carmelo in Sunam veniſſe. Igitur ea verba *reverſus eſt*, ita accipienda ſunt, quaſi ſcilicet ſecundo conceſſerit in Galgalam: eo enim pariter venerat cum Elia paulo ante ejus raptum, rediitque iterum cum regrederetur ex Jordane, poſt ſpectatum magiſtri ſui raptum prodigioſum.

Filii Prophetarum habitabant *coram eo*; cum illo ſcilicet, vel coram illo; vel juxta Hebræum (16): *ſedebant coram illo*, tamquam diſcipuli coram magiſtro (17).

℣. 39. Ut colligeret herbas agrestes, enectis hortenſibus ſæviente in tota regione fame, ut in verſiculo præcedenti animadverſum eſt. Hebræum *Orot* (18), vel, uti legunt Septuaginta, *Arioth*, redditur a Syriaco, & Arabe *malva*. Vertunt alii (19) *erucas*. Verbum *arah*, unde *orot*, ſonat *colligere*, *evellere*, *congregare*, *vindemiare*. Reddendum ego maluerim planius: *Egreſſus eſt unus in agrum, ut colligeret aliquid ad cibum*, herbarum, vel fructuum aliquid.

Invenitque quasi vitem sylvestrem, et collegit ex ea colocynthidas agri. Vitis hæc ſylveſtris longe alia eſt a labruſca, quæ nunquam maturat uvas. Planta eſt (20) ſarmenta ferens & folia, cucumeri ſativo perſimilis, humi reptantia & bipartita, ac dentata. Fructum profert colocynthis magnitudine, & figura malo aureo ſimilem, levi quadam medulla, & alba, ſtatim detracto cortice, ſaporemque reddit amarum adeo, ut merito ſibi nomen vindicaverit *fellis terræ*.

℣. 40. Mors in olla; venenum ſcilicet lethiferum.

(1) Greg. Homil. 21. in Ezech. (2) 2. Reg. VII. 3. (3) 3. Reg. III. 15. (4) Aug. Serm. 101. de verb. Evang. olim Serm. 42. de Sanctis. *Tamquam diceret, omnia prætermittatis, dum quod injunctum eſt, peragatis; ea locutione, qua ſolent dicta exaggerari, conſuetudine ſermocinandi.* (5) Luc. X. 4. (6) Ambroſ. in Luc. lib. 7. art. 63. (7) Greg. Homil. 17. in Evang. (8) Ita Rab. Salom. Vide, ſi places, & Theodoret. qu. 17. (9) Ita Grot. (10) Vide Sanct. Mar. (11) Vide Aug. Concione I. in Pſalm. LXXVIII. & Serm. XXVI. olim XI. de verbis Apoſtoli, & l. XII. contra Fauſt. c. 35. & Greg. lib. IX. Moral. c. 22. & Cæſar. Serm. 42. in Appendice, Serm. de Temp. D. Aug. & Bern. Serm. XVI. in Cantica, & alios. (12) Septuag. Καὶ διέκαμψεν ἐπ' αὐτὸν, καὶ διεθερμάνθη ἡ σὰρξ τοῦ παιδαρίου. Alii apud Theodoret. qu. 18. ἐνεφύσησεν. Hebr. ויגהר עליו ויחם בשר הילד ℣. ſequenti eadem vox verſa fuiſſe videtur a Septuaginta ἐνεφύσησεν. inſpiravit ſuper eum; aliiſque Interpretibus, συνεκάλυψεν, aperuit. Vide Theodoret. qu. 8. Aquila: ἐνέπνευσεν, inſpiravit. Symm. ἐπέστρεψε. Alius, συνέκυψεν. Alius, διεκάμψεν, inhiavit, curvavit ſe, &c. (13) ויזורר הנער עד שבע פעמים Sternutavit. Grot. Jun. Trem. Piſc. Mont. Pagn. (14) Plin. lib. 28. cap. 8. (15) Supra ℣. 19. *Caput meum doleo, caput meum doleo.* (16) ישבים לפניו Septuag. ἐκάθηντο ἐνώπιον αὐτοῦ. (17) Vide Act. XXII. 3. *Secus pedes Gamalielis eruditus.* (18) ללקט ארות Septuag. συλλέξαι ἀριώθ. Alii, συλλέξαι. Theodor. qu. 19. (19) Mont. Quid. in Vat. (20) וימצא גפן שדה וילקט ממנו פקעת

Digitized by Google

ſerum. Mors appellantur morbi, peſtes & mala mortem inducentia. Porro colocynthidem inter venena recenſet Matthiolus; affirmatque Valeſius, ſi ſupra quatuor colocynthidis obolos quis comedat, facile ulcera relaturum in viſceribus, & ex ulceribus mortem.

℣. 41. Afferte farinam. Quamquam farina conferre aliquid potuit ad corrigendum amarum colocynthidis ſaporem, numquam tamen fieri poterat, ut id ſtatim efficeret in pulmento adeo grandi, in quo hic fructus coctus fuerat, niſi Dei prodigium acceſſiſſet. Ingratiſſimum illum colocynthidis ſaporem corrigunt Medici rebus inertibus, denſis & inſipidis, uti farina & amylo (1); ac præſertim in eam rem valere dicunt ex hordeo farinam (2).

℣. 42. Baal-Salisa, urbs eſt in finibus Dioſpoleos, ab ea diſtans xv. m. paſſibus, ſeptemtrionem verſus, in regione Thamnitica. Hoc docent Euſebius (3) & S. Hieronymus; quod difficultatem aliquam exhibet, cum Thamna, unde nomen regioni Thamnitica, jaceret inter Dioſpolim & Jeroſolymam in Tribu Dan, iiſdem auctoribus (4), adeoque ad meridiem, qua vergit ad Orientem, Dioſpoleos. Ita ergo accipiendus eſt Euſebius. Baal-Saliſa jacebat ad meridiem, & xv. m. paſſibus a Dioſpoli, in regione Thamnitica, & ad ſeptemtrionem Jeroſolymæ.

Panes primitiarum. Panes primitiarum hordei, qui Prophetis muneris loco dabantur, ex laudabili ætatis illius ſimplicitate. Ex Scriptura conſtat, uſum fuiſſe plurimum panis hordacei in ea regione, nec rara deferri ejus generis munera Dei famulis conſueviſſe.

Et frumentum novum in pera sua. Creditur (5), vox Hebræa (6) *carmel* ſonare frumentum novum, nondum ex ariſtis excuſſum, quod toſta ſpica, & manus affrictu excuſſa, comedebatur. Vox, quæ redditur in Vulgata *pera*, ab aliis exponitur tunica, veſtis, vel ſimile quid ad continendas ſpicas. Sunt qui Textum reddant (7): *Attulit ſpicam plenam*, vel frumentum cum paleis, vel plenas ſpicas.

℣. 43. De populo ut comedat; Diſcipulis Prophetarum cum Eliſæo verſantibus, centenis numero, uti e ſuperioribus conſtat. Deus virtutis ſuæ prodigio eos panes multiplicavit, uti deinde non ſemel in manibus Jeſu Chriſti panes creverunt (8).

(1) Vide Franciſc. Valeſ. de ſacra Philoſophia c. 56. 57. (2) Levinus Lemnius c. 7. (3) Βαιθσαρισάθ, ὅθεν ἦν ὁ ἐνέγκας ἄρτους πρὸς Ἐλισσαῖον, ἐν ὁρίοις Διοσπόλεως ἀπὸ σημείων ιέ τοῖς πρὸς βοῤῥᾶν. ἐν τῇ Θαμνιτικῇ. (4) Vide Euſeb. & Hieronym. de locis, in Thamna, ſeu Thamnat. (5) Ita Jonath. Arab. Vat. Jun. Tremel. Mont. Pagn. (6) וכרמל בצקלנו (7) Pag. Vat. Jun. Piſc. Monſt. &c. (8) Vide Matth. xiv. 20. Luc. ix. 17. Joan. vi. 12. 13.

CAPUT V.

Naaman lepra mundatur ab Eliſæo. Giezi eo morbo punitur, quod vetante Præceptore, munera a Naamano acceperat.

℣. 1. NAaman princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum ſuum,
& honoratus. Per illum enim dedit Dominus ſalutem Syriæ: erat autem
vir fortis, & dives, ſed leproſus. 2. Porro de Syria egreſſi fuerant latrunculi, &
captivam duxerant de terra Iſrael puellam parvulam, quæ erat in obſequio uxoris
Naaman, 3. Quæ ait ad dominam ſuam: Utinam fuiſſet dominus meus ad prophetam,
qui eſt in Samaria, profecto curaſſet eum a lepra, quam habet. 4. Ingreſſus
eſt itaque Naaman ad dominum ſuum, & nuntiavit ei, dicens: Sic, & ſic locuta eſt
puella de terra Iſrael. 5. Dixitque ei rex Syriæ: Vade, & mittam litteras ad regem
Iſrael. Qui cum profectus eſſet, & tuliſſet ſecum decem talenta argenti, & ſex
millia aureos, & decem mutatoria veſtimentorum, 6. Detulit litteras ad regem Iſrael,
in hæc verba: Cum acceperis epiſtolam hanc, ſcito, quod miſerim ad te Naaman
ſervum meum, ut cures eum a lepra ſua. 7. Cumque legiſſet rex Iſrael litteras,
ſcidit veſtimenta ſua, & ait: Numquid Deus ego ſum, ut occidere poſſim, &
vivificare, quia iſte miſit ad me, ut curem hominem a lepra ſua? animadvertite, &
videte, quod occaſiones quærat adverſum me. 8. Quod cum audiſſet Eliſæus vir
Dei, ſcidiſſe videlicet regem Iſrael veſtimenta ſua, miſit ad eum, dicens: Quare ſcidiſti
veſtimenta tua? veniat ad me, & ſciat eſſe prophetam in Iſrael. 9. Venit ergo
Naaman cum equis, & curribus, & ſtetit ad oſtium domus Eliſæi; 10. Miſitque
ad eum Eliſæus nuntium, dicens: Vade, & lavare ſepties in Jordane, & recipiet ſanitatem
caro tua, atque mundaberis. 11. Iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam,
quod egrederetur ad me; & ſtans invocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret
manu ſua locum lepræ, & curaret me. 12. Numquid non meliores ſunt Abana,
& Pharphar, fluvii Damaſci, omnibus aquis Iſrael, ut laver in eis, & munder?
Cum ergo vertiſſet ſe, & abiret indignans, 13. Acceſſerunt ad eum ſervi ſui, & locuti
ſunt ei: Pater, & ſi rem grandem dixiſſet tibi propheta, certe facere debueras:

quan-

quanto magis quia nunc dixit tibi: Lavare, & mundaberis? 14. Deſcendit, & lavit
in Jordane ſepties juxta ſermonem viri Dei, & reſtituta eſt caro ejus, ſicut caro pue-
ri parvuli, & mundatus eſt. 15. Reverſuſque ad virum Dei cum univerſo comita-
tu ſuo, venit, & ſtetit coram eo, & ait: Vere ſcio, quod non ſit alius Deus in uni-
verſa terra, niſi tantum in Iſrael. Obſecro itaque, ut accipias benedictionem a ſer-
vo tuo. 16. At ille reſpondit: Vivit Dominus, ante quem ſto, quia non accipiam.
Cumque vim faceret, penitus non acquievit. 17. Dixitque Naaman: Ut vis: ſed,
obſecro, concede mihi ſervo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra: non
enim faciet ultra ſervus tuus holocauſtum, aut victimam diis alienis, niſi Domino.
18. Hoc autem ſolum eſt, de quo depreceris Dominum pro ſervo tuo, quando in-
gredietur dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente ſuper ma-
num meam, ſi adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut igno-
ſcat mihi Dominus ſervo tuo pro hac re. 19. Qui dixit ei: Vade in pace. Abiit
ergo ab eo electo terræ tempore. 20. Dixitque Giezi puer viri Dei: Pepercit do-
minus meus Naaman Syro iſti, ut non acciperet ab eo, quæ attulit: vivit Dominus,
quia curram poſt eum, & accipiam ab eo aliquid. 21. Et ſecutus eſt Giezi poſt ter-
gum Naaman: quem cum vidiſſet ille currentem ad ſe, deſiliit de curru in occurſum
ejus, & ait: Rectene ſunt omnia? 22. Et ille ait: Recte. Dominus meus miſit me
ad te, dicens: Modo venerunt ad me duo adoleſcentes de monte Ephraim, ex filiis
prophetarum: da eis talentum argenti, & veſtes mutatorias duplices. 23. Dixitque
Naaman: Melius eſt, ut accipias duo talenta. Et coegit eum, ligavitque duo talenta
argenti in duobus ſaccis, & duplicia veſtimenta, & impoſuit duobus pueris ſuis, qui
& portaverunt coram eo. 24. Cumque veniſſet jam veſperi, tulit de manu eorum,
& repoſuit in domo, dimiſitque viros, & abierunt. 25. Ipſe autem ingreſſus, ſte-
tit coram domino ſuo. Et dixit Eliſæus: Unde venis, Giezi? Qui reſpondit: Non
ivit ſervus tuus quoquam. 26. At ille ait: Nonne cor meum in præſenti erat, quan-
do reverſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui? Nunc igitur accepiſti argentum,
& accepiſti veſtes, ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & ſervos, & an-
cillas. 27. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo, uſque in ſempiter-
num. Et egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix.

℣. 1. NAAMAN PRINCEPS MILITIÆ REGIS SYRIÆ. Docet Scriptura, Deum Syriam ope Naamani ſervaſſe, virumque illum fuiſſe ſtrenuum, ac divitem (1), ſed leproſum. Affirmant Rabbini, Naamanum hunc jacta temere ſagitta (2), Regem Achabum interfeciſſe; quæ tamen opinio eſt ſuſpectiſſima. Neque enim deſunt ea, in quibus Naamanus virtutis ſuæ ſpecimen exhibere potuit. Lepra autem apud eas gentes potius deformitatis vitium reputata fuiſſe videtur, quam morbus; præſertim ſi lepra eſſet vetus & inſanabilis. Scribitur potius in Scriptura, hominem mundari quam convaleſcere a lepra (3): *Confeſtim mundata eſt lepra ejus*. Et alibi (4): *Statim diſceſſit ab eo lepra*. Arnobius de J. Chriſto agens: *Ille notas albicantium vitiliginum manu admota deterſit*. Lepra affectos non excludebant e conſortio Hebræi, niſi poſtquam immundi a Sacerdotibus declarati fuerant. Rex ille Syriæ, apud quem Naamanus Principem militiæ agebat, idem creditur Benadad, de quo ſæpe adeo ſermo incidit. Hiſtoriam hanc Naamani, qua de cauſa incertum, Joſephus omittit.

℣. 2. DE SYRIA EGRESSI FUERANT LATRUNCULI. Latrocinii invidia minor erat tunc quam apud nos hodie. Arabia fœcunda ſemper latronum parens fuit, qui in obvios quoſcumque prædas exercebant. Neque adhuc ab eo more ceſſatum eſt. Neque Syri plerumque illud majori religioni ducebant quam Arabes. Coibant ſimul plures, excurrebant hoſtilem regionem, & obvia quæque diripiebant. Philiſthæi, Idumæi, Moabitæ, Ammonitæ, Chaldæi, aliæque vicinæ gentes non raro Iſraelis regionem infeſtarunt. Docet inferius Scriptura XXIV. 2. Deum immiſiſſe in Joakimum Regem Juda prædones a Chaldæa, Syria, Moab, & Ammonitide, qui ejus Regnum vaſtarunt. Nec a prædationibus, excurſionibuſque in vicinos ipſi Iſraelitæ penitus abſtinuerunt. Jephte prædonum dux erat inſignis (5); eamdemque exercebat vitæ profeſſionem Razon, qui deinde ad Regnum Syriæ vocatus eſt (6), neque aliam facile opinionem habebant de Davide Philiſthæi, & Amalecitæ, quamdiu e patria extorris inſequentem Saulem fugitabat. Meminit Jobus agminum prædonum Sabæorum, & Chaldæorum, qui univerſos ejus greges diripuere, ſervis, quos in agro nacti ſunt, interfectis (7).

Memoriæ traditum eſt (8), olim Græcos, & Barbaros, qui inſulas, & maritimas regiones habitabant, cum ſulcare ratibus mare, & commercium navibus inſtituere cœperunt, primo omnium exercuiſſe piraticam. Præerat illis vir regionis ſuæ potentiſſimus, qui expoſitis in continente militibus diripiebat urbes, ſi quæ occurrebant, non munitas, & vicos per regionem diſſeminatos. Qui vero

(1) גבור חיל (2) 3. Reg. XXI. 4. *Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum ſagittam dirigens, & caſu percuſſit Regem Iſrael.* (3) Matth. VIII. 3. (4) Marc. I. 42. Vide & Luc. V. 13. & Matth. X. 8. XI. 5. Luc. VII. 22. &c. (5) Judic. XI. 3. (6) 3. Reg. XI. 24. (7) Job. I. 15. 17. (8) Thucydid. lib. I. Οἱ γὰρ Ἕλληνες τὸ πάλαι, καὶ τῶν βαρβάρων οἵ τε ἐν τῇ ἠπείρῳ παραθαλάσσιοι . . . ἐτράποντο πρὸς λῃστείαν, ἡγουμένων ἀνδρῶν οὐ τῶν ἀδυνατωτάτων . . . καὶ προσπίπτοντες πόλεσιν ἀτειχίστοις, καὶ κατὰ κώμας οἰκουμέναις, ἥρπαζον . . . οὐκ ἔχοντός πω αἰσχύνην τούτου τοῦ ἔργου, φέροντος δέ τι καὶ δόξης μᾶλλον. δηλοῦσι δὲ τῶν τε ἠπειρωτῶν τινες ἔτι καὶ νῦν, οἷς κόσμος καλῶς τοῦτο δρᾶν.

vero hæc exercebant, non modo nulla dedecoris nota afficiebantur, ſed etiam rerum præclare geſtarum, virorumque ſtrenuorum laudem referebant. Nec deſunt hodie, ait Thucydides, qui id generis expeditionibus, quaſi laudabili re, glorientur. Ex veteribus Poetis diſcimus, obtinuiſſe olim, ut ſeria atque amica percontatione, qui ad aliquam regionem accederent, interrogarentur, an fures eſſent; id autem nec injuriæ loco habebatur, nec injurioſum ſibi ducebant, qui rogabantur. Narrat Strabo (1) non ſine diſciplina quadam latrocinia hæc geri conſueviſſe. Qui regionem expilaverant, mittebant, qui incolis renuntiarent, vellent ne redimere ea quæ furto illis adempta fuerant. De priſcis Germanis tradit Cæſar (2): *Latrocinia nullam habent infamiam, utque extra fines cujuſque civitatis fiunt, atque ea juventutis exercendæ, ac deſidiæ minuendæ cauſa fieri prædicant*. Non abs re viſum eſt, quid de latronibus ſentirent Veteres, ſemel pandere, cum de illis frequens adeo ſermo in Scriptura recurrat.

℣. 3. Profecto curasset eum a lepra. Hebreus (3): *Collegiſſet eum a lepra ſua*. Ex quo Interpretes nonnulli (4) colligunt, Naamanum tunc excluſum fuiſſe ab Aula, quippe qui vitio illo affectus, adeſſe cum cæteris vereretur. Sed præſtat verbum illud *colligere* uſurpare pro adimere, tollere, auferre, Eſt lepra morbi genus, cujus ſublati vel perſeverantis indicium ſunt externa quædam ſigna, ab eodem morbo parta vel ablata.

℣. 5. Decem talenta argenti, quæ conficiunt monetæ noſtratis libras 4867a. circiter, numeratis in ſingula talenta libris 4867. ſolidis 3. denariis 9.

Decem mutatoria vestimentorum; ſeu veſtium paria. Conſtare ſolebant veſtes tunica & pallio; eaque par veſtium erant. Decem veſtium paria erant tunicæ decem cum palliis totidem. Significantur plerumque in Scriptura nomine *veſtium mutatoriarum* (5), quod ſcilicet cum veſtes mutandæ eſſent, nova tunica novumque pallium aſſumeretur.

℣. 7. Numquid Deus ego sum, ut occidere possim et vivificare? Graviſſimus habebatur lepræ morbus, non dolore tantum, quo angebat, ſed quod etiam inſanabilis haberetur, creſceretque in dies, ac depaſceret corpus, ut interdum paulatim ſingulas corporis partes enecaret, donec valetudine penitus everſa, mors ſæva & acerba undique totum corpus obtineret. Cum Maria ſoror Moyſis afficeretur lepra, eumdem Moyſem rogabat Aaron (6): *Obſecro, ne fiat hæc quaſi mortua*, ceu cadaver, *& ut abortivum quod projicitur e vulva matris ſuæ: ecce jam medium carnis ejus devoratum eſt a lepra*. Pœnam illam, quam Iſaias Sobnæ denunciat, de lepra exponendam cenſuit Grotius (7): *Coronans coronabit te tribulatione, quaſi pilam mittet te in terram latam & ſpatioſam: ibi morieris, &c.*

℣. 10. Misit ad eum Elisæus nuntium, monens, ut ad Jordanem profectus, ſepties ibi lavaret. Implet hic Eliſæus totam Prophetæ Domini dignitatem: neque e majeſtate miniſterii ſui eſſe cenſet, ut ipſe ad Principem copiarum Regis Pagani accedat, cum præſertim ille ſuperba atque imperioſa agendi ratione indignum ſe officio quocumque præbuerit. Eo pariter ſpectabat, ut opinionem prodigii in valetudine Naamani augeret, atque intelligeret, nulli alteri valetudinem accepto referendam eſſe, quam Numinis beneficio, non precibus aut præſentiæ Prophetæ.

℣. 12. Numquid non meliores sunt Abana et Pharphar, fluvii Damasci, omnibus aquis Israel? *Abana* vel *Amma* urbem permeat, ait Beniamin Tudelenſis in Itinerario, cujus aquæ per canales diſtribuuntur in fora & loca publica & virorum Principum ædes. Pharphar prope urbem fluit, irrigatque vicinos hortos, eodem authore. Sunt qui credant, *Abanam* ipſum eſſe *Orontem* & *Pharphar Chryſorrhoam*. Gabriel Sionita (8), & Joannes Hezronita ſermonem habent de amnibus Abana & Pharphar, agrum Damaſcenum perluentibus. Amnis urbem permeans appellatur hodie pariter in Itinerariis (9) *Tarſar*, *Tarſaro*, *Fer*, *Pir*, *Oronz*, *Farſaro*. Idem eſſe Orontes dicitur: ſed Orontes & Chryſorrhoas duo ſunt amnes diverſi, quorum prior alluebat Antiochiam, alter Damaſcum. Narrat de Chryſorrhoa Strabo, aquas ſuas Damaſco ita ſufficere, ut per varios diſperſus canales totus ferme deficiat (10): ſed Orontes amnis eſt non minimus, qui diu per Syriam fluens, perluit Antiochiam, deſinitque tandem in Mediterraneum. Damaſci amnem Stephanus appellat *Bardinem*; & Syri adhuc nuncupant *Barrads*, teſte Maundrello (11), qui accuratam ejus deſcriptionem exhibet; affirmatque pariter, nullum ſe veſtigium in tota regione Damaſcena nanciſci potuiſſe nominum Pharphar & Abanæ. Porro *Barrads* ducitur ex Antilibano, & poſt ſuppeditatas large aquas Urbi hortiſque circumjacentibus, per regionem ſerpens, in tres diviſus alveos, quorum unus aquas ducit ad urbem, cæteri in hortos, diſpergitur in paludibus, quatuor vel quinque leucis a Damaſco.

℣. 13. Pater, et si rem grandem dixisset tibi Propheta. Patris nomen tribuitur apud ſacros æque ac profanos Scriptores Principibus, dominis, patribus Familias; neque tantum a filiis, ſed etiam a domeſticis, ſubditis, imo & alienis. Joſephus conſtituitur *pater Pharaonis* (12); Eliſæus Eliam patrem ſuum appellat (13); Amanus patris munere apud Artaxerſem fungebatur (14). Reges apud Homerum patres ſunt & paſtores populi; Latinus Rex patris nomine a Turno donatur (15); Senatores omnes apud Romanos diſtinguuntur titulo *Patrum conſcriptorum*.

℣. 14. Restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli. Lepræ morbo caro efficitur inæqualis, aſpera, livens, pallida, cruſtis obducta: indicium autem eſt perfectæ valetudinis, ſi mundetur caro, albeſcat, miſta decenti rubore, ut in pueris. At enim induci ne potuit Naamano valetudo virtute balnei ab Eliſæo præſcripti? Scitum eſt, frequentes lotiones aquæ vivæ & rapidæ (16) remedium eſſe eximium vitiorum omnium, quæ cutem afficiunt, uti ſcabiei, vitiliginis, & lepræ exorientis; purgat enim aqua ac detergit ulcera, ſaniem, & putredinem aufert, vermes occultos cæcoſque, rodentes inficienteſque cutem, ſeu necat, ſeu divellit. Quis tamen inducere ſibi potuerit in animum, ſimplici aquarum Jordanis lotione fieri potuiſſe, ut breviſſimo temporis ſpatio auferretur lepra vetus, qua laboraſſe Naamanus videtur; atque ita auferretur, ut caro ejus perinde ac pueri caro viguerit? Veritatem hujus prodigii ipſe per ſe Jeſus Chriſtus probat iis verbis (17): *Multi leproſi erant in Iſrael ſub Eliſæo Propheta, & nemo eorum mundatus eſt, niſi Naaman Syrus*. Si iterata ſepties lotio in Jordane remedium fuiſſet naturale, & experientia probatum in morbum lepræ, nemo profecto leproſus in tota regione ſuperfuiſſet.

In

[1] Strabo lib. XI. ἃ δ᾽ ἂν λάβωσι ληιζόμενοι ποιοῦνται ῥᾳδίως, μετὰ τὰς ἀναπλεῖν μηνύοντες τοῖς ἀπολέσασι. [2] Cæſar de bello Gall. l. 6. [3] אז יאסף אתו מצרעתו Septuag. τότε ἀποσυνάξει αὐτὸν ἀπὸ τῆς λέπρας αὐτοῦ. [4] Munſt. Vat. Jun. Vide & ℣. 6. [5] עשר חליפות בגדים [6] Num. XII. 11. 12. [7] Iſai. XXII. 18. [8] Gabriel Sion. Arab. c. 4. [9] Vide Daviti, Syrie. [10] Strabo l. 17. p. 716. ὁ μὲν Χρυσοῤῥόας ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Δαμασκηνῶν πόλεως καὶ χώρας, εἰς τὰς ὀχετείας ἀναλίσκεται σχεδόν τι. [11] Maundrel, Voyage de Jeruſalem. [12] Geneſ. XLV. 8. [13] 4. Reg. II. 12. [14] Eſth. XVI. 11. [15] Æneid. XII. [16] Vide, ſi lubet, Valeſ. de ſacr. Philoſ. c. 38. [17] Luc. IV. 27.

In valetudine Naamani agnovere Patres typum Sacramenti Baptiſmatis, quo lepra criminum noſtrorum abſtergitur. Naaman Profanus atque alienus, ad Eliſæum ab ancilla ſua miſſus, imaginem refert Paganorum, quos invitavit ad Evangelium & ad Jeſum Chriſtum Synagoga, quæ *ſervit cum filiis ſuis*, juxta phraſim Apoſtoli (1). Naaman ſepties lotus, integræ valitudini reſtituitur; quaſi ſcilicet deſignaturus, ait Tertullianus (2), ſeptem illa capitalia vitia, quorum indulgentiam in Baptiſmo impetramus. Denique Naamani caro puerorum integritati reſtituitur, nulla ſuperſtite priſtini morbi cicatrice; id autem veluti oculis oculis exhibet illam gratiarum ubertatem, qua cumulamur in Baptiſmo, integram a peccatis valetudinem ita reſtituente, ut nulla veteris maculæ (3) veſtigia remaneant, nihil ſcilicet, quod culpæ, nihil quod pœnæ debeamus.

℣. 15. Accipias benedictionem a servo tuo. Benedictionem appellare ſolet Scriptura munera, ſive quæ dantur, ſive quæ accipiuntur; nunquam enim deſunt fauſtæ imprecationes, & benedictiones utrinque. Sæpe alibi occurrerunt Prophetæ, munera ab illis accipientes, qui ſe viſituri vel conſulturi, vel preces ſuas flagitaturi veniebant: ſed majori cautione cum homine alieno utendum ſibi Eliſæum cenſuit; noluit enim ne miniſterium ſuum quicquam invidię apud profanos incurreret. Non erat utique e majeſtate Numinis, cui ſerviebat, ut munera acciperet. *Gratis accepiſtis, gratis date*, monebat Jeſus Apoſtolos ſuos (4); atque Apoſtolus in Chriſto gloriatur, nemini ſe oneri fuiſſe in prędicando Evangelio (5). Si quid recipiebat neceſſarium, id potius admittebat ex iis, qui fidei jam inhęſiſſent, quam ex proſelytis. Priores enim illi magis edocti aptiores erant ad judicandum de ſinceritate conſilii ſui, quam tyrones qui ſuſpicionem aliquam cupiditatis & lucri de ſacris Evangelii præconibus admittere potuiſſent.

℣. 17. Concede mihi ut tollam onus duorum burdonum de terra. Reputabat Naaman, cultum Dei Iſraelis regioni Hebræorum ita inhæſiſſe, ut nulla offerri poſſent grata Sacrificia extra ditionem Hebræam. Cum autem impetrare a ſe non poſſet, ut patriam, munera, & res omnes deſereret, migraturus in ditionem Iſraelis vel Juda, ſuccurrit illi futurum, ut commode ſervire Deo poſſet in Syria, dum aliquid ex humo Iſraelitica eo veheret. Eliſæus, duce profecto & afflante ſuperiori lumine, optimam hanc Proſelyti voluntatem probat; capitur ardore ejus & fide; errorem vero, & imbecillitatem fidei illius ferendam cenſet: *Infirmum in fide ſuſcipite*. Cavet, ne exigat ab illo circumciſionem, neque cogat præcepta Moſaicæ Legis accipere; nec verbis demonſtrat fruſtra humum ſanctam in regionem non ſanctam transferri, ac Dominum certum ſibi locum, in quo coleretur, Templum ſcilicet Jeroſolymitanum, conſtituiſſe. Spectat unice ſinceram voluntatem Principis; quaſi ſcilicet Deus ſub Naamani typo exprimere voluerit imaginem eorum, quæ demum exigenda eſſent a Chriſtianis, quibus Paganorum errore liberatis, ac lepra criminum abſterſis, ſerviendum eſſet ubique locorum ſupremo Numini, atque undique per orbem offerenda eſſent laudis Sacrificia. Verbum Evangelicum univerſo orbe diſſipatum perinde eſt ac humus ſanctificata, quæ e regione Iſraelitica transfertur, atque incolumitatem ubique ſecum affert per loca, quibus inſpergitur. Religio erat olim frequens, & vulgaris apud Chriſtianos, ut ſibi aliquid ex humo Jeroſolymæ procurarent, cujuſmodi exempla quædam leguntur apud S. Auguſtinum (6), & Gregorium Turonenſem (7). Humum illam religioſiſſime venerabantur Donatiſtæ (8); atque memoriæ proditum eſt, Helenam Imperatricem, Magni Conſtantini matrem, plurimum ex illa tranſtuliſſe Romam in Templum Sanctæ Crucis, cognomento in Jeruſalem (9). Superſtitione quadam tenebantur Judæi e *Nabardea* in Regno Perſidis, ut nullam excitarent Synagogam, niſi ex humo & lapidibus Jeroſolymitanis in eam rem devectis (10). Indicat Pſalmiſta (11) ſummum illud Prophetarum obſequium, quo rudera, & pulverem ipſum Jeroſolymæ ſuſpiciebant: *Quoniam placuerunt ſervis tuis lapides ejus, & terræ ejus miſerebuntur*.

Id facile meditabatur Naaman, ut humum illam compingeret in lateres, quibus excitaretur Altare, vel forte ea humo arcam æneam impleret perſimilem Altari holocauſtorum, quo uſus eſt Moyſes in deſerto; vel denique illa locum aliquem mundum inſpergeret, ubi erecto e rudibus lapidibus Altari, ſacrificaret. Doceri negligit ritus Iſraeliticos, ratus illud eſſe legitimum Sacrificium, quod e ſincera mente ac voluntate oritur; nec Deum unquam reprobaturum oblationes, quæ puræ mentis ſinceritate, ac fidei ardore exhibentur.

℣. 18. Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingreditur Dominus meus templum Remmon ut adoret ..... et si adoravero in Templo Remmon ..... ut ignoscat mihi Dominus. In hunc Textum ſcriptam a nobis diſſertationem conſule. Commentariorum Scriptores plerique ajunt, Naamanum nec poſtulaſſe, nec poſtulanti Eliſæum conceſſiſſe facultatem adorandi Deum Remmon; ſed permiſſum ſolummodo illi fuiſſe a Propheta, ut comitaretur Regem venientem in Templum, inclinaretque ſe cum illo ſibi incumbente, cum ille adoraturus procumberet. Ea Naamani inclinatio merum fuiſſe dicitur obſequium exterius, Domino ſuo impenſum, cum ſatis declaraſſet mentem ſuam de ejurata idololatria, publica illa confeſſione, quam Deo Iſraelis exhibuerat, confeſſione, inquam, ſatis expreſſa, cum ejus Religionem palam, & in aperto profeſſus eſt. Satis hæc fuiſſe ajunt, ut ſi quod ex ea actione induci potuiſſet malum exemplum, occuparetur.

Templum Remmon. Deus Remmon hic tantum ſemel occurrit: exprimitur autem eo nomine ſive malum punicum, ſive id quod eſt elevatum. Quod Numen ſit, diſſidium eſt ſententiarum; aliud tamen non eſſe a Sole, aſſeri merito poſſet. Nomen *Remmon*, *elevatus*, congruit illi omnino: erigit enim ſe, & in reliqua aſtra dominatur, ut Profanorum opinione ſummus ſit Cœli Princeps & Imperator. Magnitudinem Imperii illius & cultum longe lateque diffuſum, exhibent frequentiſſimis epithetis Poetarum Libri. Sol princeps eſt Numinum Syrorum, colebaturque ſub nomine *Adad*; ideſt, *unus*: facile etiam vindicari illi poterat titulus *editi* & *ſublimis*, qui exprimitur nomine Remmon. Porro duo hæc nomina Adad-Remmon juncta lego in Zacharia XII. 11. *In die illa magnus erit planctus in Jeruſalem, ſicut planctus Adad-Remmon in campo Mageddo*. Urbs *Adad-Remmon* nomen facile ſuum derivat e Sole, cujus olim religio inſignis fuit; quemadmodum & a Sole nomen deducunt aliæ plures Palæſtinæ urbes, quæ ſingulæ privatæ ſuæ appellationi communem alteram Solis adjungunt. *Ramas* eſt Heſychio *Deus altiſſimus* (12). Septuaginta legunt *Reman* pro Remmon, Solem etiam deſignat facile

(1) Galat. IV. 25. (2) Tertull. lib. 4. contra Marcion. (3) Vide Ambroſ. l. 4. in Luc. pag. 1347. nov. Edit. & Lib. de Initiandis c. 3. & lib. 1. de Sacramentis c. 5. & ibid. l. 2. c. 3. & Bern. Serm. 3. de Reſurrect. Domini. (4) Matth. X. 8. (5) Vide 2. Cor. X. 7. 8. 9. 10 (6) Auguſt. lib. 22. de Civit. c. 8. (7) Greg. Turon. lib. 1. de Glor. Mart. c. 7. (8) Aug. Ep. 52. (9) Vide Mabill. Iter Ital. pag. 187. (10) Beniamin Itin. (11) Pſ. 51. 15. (12) Heſych. Ῥαμας ὕψιστος Θεός.

Digitized by Google

le nomen *Rempham*, quod in Actis VII. 43. legitur. *Suſcepiſtis Tabernaculum Moloc, & ſidus Dei veſtri Rempham*; quam noſtram conjecturam confirmare poſſet nomen *kiun*, quod in Hebræo *Amos* occurrit, redditurque a Septuaginta *Rempham*, illud enim poſitum videtur tamquam ſynonymum Moloc, quod Solem deſignat.

Arbitratur Seldenus (1), *Remmon* unum eſſe eumdemque *Elion*, Deum altiſſimum Phœnicum. Saturnum in eo expreſſum agnoſcit Grotius hic, quod planeta ſit maxime omnium ſublimis. Venerem maluit P. Nicolaus Serarius (2); cujus fuiſſe Numen in Syria & Damaſci celebre docet (3). Porro Venus colebatur ſub imagine Dei & Deæ, cui poma ſpeciali religione conſecrabantur. Malum punicum amabat plurimum, ob pulchritudinem & fœcunditatem. Petrus Martyr cum Junone miſcet, cujus erat cultus in Syria regnans; pingebaturque manu tenens malum punicum (4). Hæc ſunt quæ de hoc argumento aſſeruntur; prior tamen conjectura nobis præ cæteris arridet.

Illo innitente super manum meam, Regionis illius Principibus aderat ſemper præſto Præfectus quidam, cui gradientes innitebantur. Spectare id etiam licet inferius in Joramo Rege Iſraelis (5). Porro id honoris conferebatur viro, Regi familiariſſimo & in deliciis habito.

℣. 19. Vade in pace. Poſtulata omnia concedo (6). Veniam tibi a Deo pro re hac impetrabo, modo tamen in Templum, nonniſi Regem comitaturus, non religionis gratia, te conferas. Docent Hebræi (7), Proſelytum domicilii, qualis erat Naaman, Legis præceptis extra ditionem Iſraelis non teneri; atque ſi forte domum remeans avitam Idololatriam reciperet, crimen illi imputandum non eſſe. Quare veram Idololatriam permiſiſſe Naamano Eliſæum, nulla veri ſpecie, credunt. Sunt qui doceant (8), nullum exteriorem Idololatriæ cultum, neque civilem præſentiam Sacris ac Templis profanis permiſiſſe Prophetam; ſed tantum imprecatum eſſe illi felicem & pacificum reditum, monitum ne quid cogitaret de veteri religione, ſeque interceſſurum ſpopondiſſe precibus ſuis, ne conferens ſe in Templum cum Rege, in priſtinam Idololatriam laberetur.

Toſtatus Abulenſis in cap. V. lib. 4. Reg. q. 25. *Aliquis forte diceret, quod Naaman nolebat adorare Idolum, ſed volebat fingere ſe adorare, quando intraret cum Domino ſuo in templum, & ideo poterat diſpenſari cum eo. Sed dicendum, quod etiam hoc non ſtat, quia ſicut adorare per ſe malum eſt in Idolis, & non eſt diſpenſabile, ita oſtendere ſe adorare Idola per ſe malum eſt, & non eſt diſpenſabile, ſed potius debet aliquis mori, quam coram aliis oſtendere ſe colere Idola.*

Aliqui autem dicunt, quod iſtud illicitum erat. Et tamen quia Naaman erat Neophytus Eliſæus diſpenſavit cum eo. Sic etiam dicunt, quod diſpenſavit, quod poſſet facere altare extra terram Iſrael, in quo ſacrificia faceret Deo; & tamen Deus juſſerat, quod non fieret ſacrificium, niſi in Sanctuario: ſed dicendum, quod iſtud deficit in duobus: primo quia iſti vocant Naaman Neophytum, & tamen falſum eſt, quia Neophytus vocatur ille qui novus eſt in aliqua fide vel religione. Sed Naaman non fuit converſus ad ritum Judaicum, quia non circumciſus eſt, nec ſuſcepit legem. Secundus defectus eſt, quia cum iſto non poterat diſpenſari, ſive eſſet Neophytus, ſive non.

Dicendum ergo, quod Naaman non petivit diſpenſationem aliquam, nec Eliſæus diſpenſavit cum illo, nec poterat. Pro quo ſciendum quod Naaman nolebat colere idola, nec etiam volebat fingere quod colebat illa; ſed frequenter ſe humiliando cum illis, ut putaretur colere illa, quia in hoc non poterat diſpenſare Eliſæus, cum eſſet per ſe malum. Sed habebat Naaman officium ſuſtentandi Dominum ſuum Regem Syriæ, quando ambulabat & quando adorabat coram Idolis: & tamen non poterat ſuſtentare eum Naaman coram illo Idolo, coram quo flectebat genua Rex: & tunc non flectebat genua Naaman ut adoraret Idolum, nec ut Rex putaret quod adorabat Idolum, ſed quia non poterat ſuſtentare Regem flectentem genua, niſi ipſe quoque flecteret, & tunc dicendum quod Naaman nullo modo peccabat, quia nihil faciebat ad cultum Idoli, nec ſignificabat ſe facere, ſed exequebatur officium ſuum. Ideo ſicut in quolibet alio loco non peccaret Naaman inclinando genua ad ſuſtentandum Dominum ſuum; Ita nec in templo coram Idolis, cum ipſe nullum reſpectum haberet ad Idola. Sic enim ſi eſſet aliquis Chriſtianus vel puella captiva in terra Saracenorum, & labentes veſtes Dominæ ſuæ teneret ne in terram caderent, & ſic intraret cum Domina ſua in templum Mahometi & maneret ibi atque flecteret genua, quando Domina inclinaret ſe in terram, non peccaret in hoc; ſi non intenderet per hoc aliquam reverentiam exhibere Mahometo. Ideo tam Naaman non peccaret in hoc, non egebat aliqua diſpenſatione, nec Eliſæus diſpenſavit cum eo ſed Naaman habebat conſcientiam meticuloſam, timens quod peccaret in hoc: ideo oravit Eliſæum, quod rogaret Dominum pro illo, ſcilicet ſi aliquid in hoc delinquebat, quod ignoſceretur ſibi, & Eliſæus non diſpenſavit cum illo, ſed declaravit ſibi quod non erat illicitum. Et hoc erat quod dixit: Vade in pace, ideſt, vade ſecurus de hoc, quia non peccabis, vel orabo ego Dominum pro te, ne pecces. Toſtat. tom. VII. pag. 48. Vide Bonfrer. in 4. Reg. V.

Abiit ergo ab eo, electo terræ tempore, verno primo tempore. Eadem phraſis occurrit in Hebræo Geneſis XXXV. 16. (9); redditurque a S. Hieronymo, *verno tempore*. Demonſtratum eſt ibi a nobis, accipiendam eſſe illam de eo ſoli tractu, quem par boum arare ſolebat. *Naaman abiit, & cum itineris tantum confeciſſet quanta eſt ſulci longitudo*, ideſt, pedes CCXL. circiter, cucurrit poſt illum Giezi &c.

℣. 24. Cumque veniſſet jam veſperi &c. pecuniam accepit, atque in domo ſua condidit. Hebræa vox (10) ſonat *editum locum*: cum perveniſſet ad editum quemdam locum, accepit ex eorum manibus pecuniam. Septuaginta (11), Syriacus, Arabs, & S. Hieronymus aliter ac nos, Hebræum legiſſe videntur. Reddunt enim omnes: *Cum veniſſet jam veſperi*. Animadvertendum eſt tamen, Naamanum longius adhuc non receſſiſſe a Samaria, cum Giezi poſt illum currens pecuniam poſtulavit. Adde, vix credibile eſſe, Naamanum iter ſuſcepiſſe inclinato jam in noctem die. Denique neque Giezi remiſiſſet famulos Naamani in mediis noctis tenebris; imo & permiſit, ut aſcenderent collem, cui Samaria inſidebat: ſed e re ſua eſſe non cenſuit, ut ingredi in urbem pateretur, ne ſuborta apud quempiam rei geſtæ ſuſpicione, rumor ad Eliſæum deferretur.

℣. 27. Lepra Naaman adhærebit tibi. Crimen Giezi puniturus Deus, morbo, quo convaluerat Naaman, illum ejuſque filios affecit. Porro lepra natura ſua ex parentibus in filios transfunditur. Non ſatis conſtat, utrum filii quos jam forte genuerat Giezi, quique paterni facile criminis conſcii non fuerant, lepram contraxerint: conſtat tamen,

(1) Seld. de Diis Syr. Syntag. 2 c. 10. (2) Serar. hic. Ita & Sanct. & Corn. (3) Vide Ovid. Metam. l. X. … Eſt ager, indigena Damaſcenum nomine dicunt. Alii melius, Tamaſenum in Cypro.
(4) Pauſan. in Corinth. (5) 4. Reg. VII. 2. *Reſpondit unus de ducibus, ſuper cujus manibus Rex incumbebat, &c.* (6) Grot. Sanct. Menoch. Vat. (7) Vide Selden. de jure Nat. & Gent. l. 2. c. 11.
(8) Vide Jun. & Piſcat. (9) וילך מאתו כברת ארץ (10) ויבא אל העפל (11) Ἦλθεν εἰς τὸ σκοτεινόν. Forte legerunt אפל

men, eos omnes qui deinceps nati ſunt, eo morbo laboraſſe. Id autem criminis erat ſimonia realis; quippe qui vendiderit gratiam valetudinis per berum Naamano reſtitutæ: reus erat pariter mendacii, quo avaritiæ ſuæ ſatisfecit; reus & furti, ex Naamano accipiens, ſibique vindicans argentum, quod Eliſæo ſolvendum ille dabat. Denique præceptum heri ſui violavit, ejuſque nomine, illo invito, uſus eſt in rem, quam Propheta deteſtabatur, & cujus pernicioſas conſecutiones metuebat.

Egressus est ab eo leprosus quasi nix. Deſcribit Moyſes (1) plura lepræ genera, ſeu potius varia illius morbi indicia, albis quibuſdam, ceu niveis, maculis expreſſa. Lepræ pariter *albæ* genus duplex Medicis innotuit.

(1) Vide ad Levit. XIII. & Celſ. lib. 5. c. 28.

C A P U T VI.

Juſſu Eliſæi ferrum ſecuris innatat aquis. Detegit Propheta Regi Iſraelis inſidias, quas Rex Syriæ in illum ſtruxerat. Copiæ Syrorum ad capiendum Eliſæum miſſæ orbantur uſu oculorum, deducunturque Samariam. Benadad Samariam obſidet: quam Urbem ſæva fames affligit. Joram Eliſæum interfici jubet: quod tamen ejus imperium non perficitur.

℣. 1. DIxerunt autem filii prophetarum ad Eliſæum: Ecce locus, in quo habi-
tamus coram te, anguſtus eſt nobis. 2. Eamus uſque ad Jordanem, &
tollant ſinguli de ſylva materias ſingulas, ut ædificemus nobis ibi locum ad habitan-
dum. Qui dixit: Ite. 3. Et ait unus ex illis: Veni ergo & tu cum ſervis tuis. Re-
ſpondit: Ego veniam. 4. Et abiit cum eis. Cumque veniſſent ad Jordanem, cæde-
bant ligna. 5. Accidit autem, ut cum unus materiam ſuccidiſſet, caderet ferrum ſe-
curis in aquam: exclamavit ille, & ait: Heu, heu, heu, domine mi, & hoc ipſum
mutuo acceperam. 6. Dixit autem homo Dei: Ubi cecidit? At ille monſtravit ei
locum. Præcidit ergo lignum, & miſit illuc: natavitque ferrum; 7. Et ait: Tolle.
A. M. 3115. Qui extendit manum, & tulit illud. 8. Rex autem Syriæ pugnabat contra Iſrael,
conſiliumque iniit cum ſervis ſuis, dicens: In loco illo, & illo ponamus inſidias. 9.
Miſit itaque vir Dei ad regem Iſrael, dicens: Cave, ne tranſeas in locum illum;
quia ibi Syri in inſidiis ſunt. 10. Miſit itaque rex Iſrael ad locum, quem dixerat
ei vir Dei, & præoccupavit eum, & obſervavit ſe ibi non ſemel, neque bis. 11.
Conturbatumque eſt cor regis Syriæ pro hac re: & convocatis ſervis ſuis, ait: Qua-
re non indicatis mihi, quis proditor mei ſit apud regem Iſrael? 12. Dixitque unus
ſervorum ejus: Nequaquam, domine mi rex, ſed Eliſæus propheta, qui eſt in Iſ-
rael, indicat regi Iſrael omnia verba, quæcumque locutus fueris in conclavi tuo.
13. Dixitque eis: Ite, & videte ubi ſit, ut mittam, & capiam eum. Annuntiave-
runtque ei dicentes: Ecce in Dothan. 14. Miſit ergo illuc equos, & currus, & ro-
bur exercitus: qui cum veniſſent nocte, circumdederunt civitatem. 15. Conſurgens
autem diluculo miniſter viri Dei, egreſſus vidit exercitum in circuitu civitatis, &
equos, & currus; nuntiavitque ei, dicens: Heu, heu, heu, domine mi, quid facie-
mus? 16. At ille reſpondit: Noli timere: plures enim nobiſcum ſunt, quam cum
illis. 17. Cumque oraſſet Eliſæus, ait: Domine, aperi oculos hujus, ut videat. Et
aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum
igneorum, in circuitu Eliſæi. 18. Hoſtes vero deſcenderunt ad eum: porro Eliſæus
oravit ad Dominum, dicens: Percute, obſecro, gentem hanc cæcitate. Percuſſitque
eos Dominus, ne viderent, juxta verbum Eliſæi. 19. Dixit autem ad eos Eliſæus:
Non eſt hæc via, neque iſta eſt civitas: ſequimini me, & oſtendam vobis virum,
quem quæritis. Duxit ergo eos in Samariam: 20. Cumque ingreſſi fuiſſent in Sa-
mariam, dixit Eliſæus: Domine, aperi oculos iſtorum, ut videant. Aperuitque Do-
minus oculos eorum, & viderunt ſe eſſe in medio Samariæ. 21. Dixitque rex Iſrael
ad Eliſæum, cum vidiſſet eos: Numquid percutiam eos, pater mi? 22. At ille ait:
Non percuties: neque enim cepiſti eos gladio, & arcu tuo, ut percutias, ſed pone pa-
nem, & aquam coram eis, ut comedant, & bibant, & vadant ad dominum ſuum. 23.
Appoſitaque eſt eis ciborum magna præparatio, & comederunt, & biberunt, & dimi-

ſit

ſit eos, abieruntque ad dominum ſuum, & ultra non venerunt latrones Syriæ in terram
Iſrael. 24. Factum eſt autem poſt hæc, congregavit Benadad rex Syriæ univerſum A. M. 3120.
exercitum ſuum, & aſcendit, & obſidebat Samariam. 25. Factaque eſt fames magna
in Samaria: & tamdiu obſeſſa eſt, donec venundaretur caput aſini octoginta argenteis,
& quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis. 26. Cumque rex Iſrael
tranſiret per murum, mulier quædam exclamavit ad eum, dicens: Salva me, domine
mi rex. 27. Qui ait: Non te ſalvat Dominus, unde te poſſum ſalvare? de area, vel
de torculari? Dixitque ad eam rex: Quid tibi vis? Quæ reſpondit: 28. Mulier iſta di-
xit mihi: Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, & filium meum comedemus
cras. 29. Coximus ergo filium meum, & comedimus, Dixique ei die altera: Da fi-
lium tuum, ut comedamus eum. Quæ abſcondit filium ſuum. 30. Quod cum audiſſet
rex, ſcidit veſtimenta ſua, & tranſibat per murum. Viditque omnis populus cilicium,
quo veſtitus erat ad carnem intrinſecus. 31. Et ait rex: Hæc mihi faciat Deus, &
hæc addat, ſi ſteterit caput Eliſæi filii Saphat ſuper ipſum hodie. 32. Eliſæus autem
ſedebat in domo ſua, & ſenes ſedebant cum eo. Præmiſit itaque virum: & antequam
veniret nuntius ille, dixit ad ſenes: Numquid ſcitis, quod miſerit filius homicidæ hic,
ut præcidatur caput meum? videte ergo, cum venerit nuntius, claudite oſtium, & non
ſinatis eum introire: ecce enim ſonitus pedum domini ejus poſt eum eſt. 33. Adhuc
illo loquente eis, apparuit nuntius, qui veniebat ad eum. Et ait: Ecce, tantum ma-
lum a Domino eſt: quid amplius expectabo a Domino?

℣. 6. PRÆCIDIT ERGO LIGNUM, ET MISIT ILLUC, NATAVITQUE FERRUM. Manubrium ſecuris, quod in ſciſſoris manibus relictum fuerat, neglexit, præciſumque lignum alterum conjecit in profluentem, ſtatimque ferrum ex imo aquæ fundo ſeſe efferens, innatavit, inſeruitque ſe ultro in lignum ab Eliſæo projectum, atque fluitans in aquis. Expreſſam in hoc ligno agnovere Patres imaginem crucis Jeſu Chriſti, quæ in aquam projecta, ideſt, diffuſa virtute ſua in aquas Baptiſmatis, evocat ex imo amnis fundo ferrum ſecuris, ideſt, authore Tertulliano (1), ex abyſſo erroris & nequitiæ ſeculi homines obduratos omnique ſenſu carentes.

℣. 8. REX SYRIÆ PUGNABAT CONTRA ISRAEL. Syriæ tunc imperabat Benadad, idem facile, qui bello Achabum patrem Jorami laceſſiverat. Horum bellorum cauſas non aperit Scriptura; ſed faciles ſuppetebant Principi ambitioſo, & rerum novarum ſtudioſo.

IN LOCO ILLO ET ILLO PONAMUS INSIDIAS. Hæc loca indicanda non cenſuit Sacer Hiſtoricus, vel potius Spiritus Sanctus; licet enim ipſe non ignoraret, inutile tamen conſilio ſuo fore noverat ea narrare. Benadad utique certa loca ad inſidias deſignaverat.

℣. 10. PRÆOCCUPAVIT EUM, ET OBSERVAVIT SE IBI, NON SEMEL NEQUE BIS. Regem Iſraelis inſidias illas præveniſſe, locis occupatis, ubi locandæ erant, Hebræus Textus non exprimit: fert ſolum (2): *Monuerat eum vir Dei, & obſervavit ibi ſe non ſemel, neque ſecundo.* In Arabico legimus, Regem Iſraelis miſiſſe ſuos, ut in iis locis manerent, denunciatumque illis fuiſſe, ne eo pertranſirent nec ſemel nec iterum.

℣. 13. ECCE IN DOTHAN. Idem eſt locus ac Dothain, de quo Geneſis XXXVII. 17. Conſtituit illum Euſebius in locis, ad ſeptentrionem Samariæ XII. M. ab ea paſſibus.

℣. 17. ECCE MONS PLENUS EQUORUM, ET CURRUUM IGNEORUM IN CIRCUITU ELISÆI. Mons Dothain, & aſſurgentes circum colles ſpeciem exhibuerunt oculis pueri, tamquam obliti eſſent armatis igne fulgurantibus, paratiſque in auxilium Eliſæi. Cujuſmodi erant ferme agmen illud, vel caſtra, quæ obviam habuit Jacob redux e Meſopotamia, ad torrentem Jabok (3): cujuſmodi pariter fuiſſent legiones Angelorum, quas Filius Dei evocare ſe poſſe in opem ſuam adverſus furentes Judæos aſſeruit (4).

℣. 18. PERCUTE GENTEM HANC CÆCITATE. Seu potius, ne ſinas ab illis agnoſci me, urbem Dothan & Samariam: judicium eorum ſubverte, ut videntes non agnoſcant, & quæ poſita ſunt ante ipſorum oculos, ipſique vident, non animadvertant, neque uſuram habeant oculorum ſuorum, & diſcretionis, niſi ut veniant eo, quo a me deducentur. Uſum mentis & oculorum non abſtulit illis Deus, ſed prohibuit, ne res ſub oculis poſitas agnoſcerent. Ita etiam Sodomitæ perquirebant ſollicite fores ædium Lothi, nec diſtinguere illos poterant, quamquam reliqua omnia probe intuerentur (5). Vitium hoc Græci feliciter expreſſerunt (6) voce, quæ nec Latine ſatis, nec Gallice reddi poteſt, Ἀορασία, *Aoraſia*, non viſione.

℣. 19. NON EST HÆC VIA, NEQUE ISTA EST CIVITAS. Torquent ſe in omnem partem Interpretes (7), ut Eliſæum a mendacio purgent; quos tamen fruſtra conari reputamus. Si hæc verba Prophetæ ſerio dicta accipiantur, quemadmodum accepiſſe illa conſtat viros a Rege Syriæ miſſos, apertum utique mendacium referunt. Satis convenit, dolos, quibus capere hoſtes nitimur, licitos eſſe in bello: *Dolus, an virtus, quis in hoſte requirat?* Id generis fraudes in hoſtes culpa penitus abſolverunt. Plato, Xenophon, Philo, & S. Chryſoſtomus (8). Fas eſt enim illos non celata ſolum veritate decipere; ſed & inopinato illos opprimere, aliterque de rebus noſtris, atque conſiliis cogitantes opportuna ſimulatione fallere.

℣. 22. NON PERCUTIES; NEQUE ENIM CEPISTI EOS GLADIO, ET ARCU TUO. Hebræus ad literam (9): *Dixit* Eliſæus: *Non percuties. Quos captivaſti in gladio tuo, & in arcu tuo, percuties?* Si parcis illis, quos captivos juſto bello cepiſti, cur eos interficies, quos Deus abſque prælio manibus tuis per-

[1] Tertull. lib. adverſus Judæos c. 13. [2] והזהירה ונשמר שם לא אחת ולא שתים [3] Geneſ. XXXII. 1. 2. [4] Matth. XXVI. 53. [5] Geneſ. XIX. 11. [6] Πατάξαι αὐτοὺς ἀορασίᾳ. Hebræus: הך נא את הגוי הזה בסנורים Vide, ſi lubet, Auguſt. ad Geneſ. qu. 41. & de Civit. lib. 22. cap. 29. [7] Vide Lyran. Toſtat. Sanct. alios. [8] Vide Grot. l. 3. de jure belli & pacis c. 1. art. 17. & apud eum Platon. de Rep. l. 2. Xenoph. lib. 2. de Inſtit. Cyri; Philon. de migratione Abrah. [9] ויאמר לא תכה האשר שבית בחרבך ובקשתך אתה מכה

permiſit? Quamquam militarium legum ſeveritas patitur interfici hoſtes, qui in victorum manus devenerint, aliæ tamen leges humanitatis, & miſericordiæ, leges honoris, & probitatis naturalis inter homines vetant, ne ſumma ſeveritas in eos exerceatur; qui clementiam victoris facta deditione implorant. *Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor*, ait Seneca Tragicus in Troade. Seneca Philoſophus (1) docet: *Æqui denique natura parcere etiam captivis jubet*. S. Auguſtinus (2): *Hoſtem pugnantem neceſſitas perimat, non voluntas; ſicut bellanti, & reſiſtenti violentia redditur, ita victo, vel capto miſericordia jam debetur*. Eas copias trucidari Deus, inquiunt S. Chryſoſtomus (3) & Theodoretus (4), non patitur, ut veluti totidem præconibus, cum reduces in Syriam venerint, ſumma Dei Iſraelis magnanimitas, & potentia nuncietur.

℣. 23. Ultra non venerunt latrones Syriæ; ideſt, ex copiæ (5) & turmæ, quæ excurrere conſueverant, in regionem iterum venire auſæ non fuerunt. *Ultra non venerunt*, ideſt, toto illo bello, & facile etiam quamdiu vixit Eliſæus, prohibitæ ſunt ne venirent: nullo tamen argumento diſcimus, ſeſe continuiſſe deinceps, ne graviſſima exitia regioni frequenter inferrent (6).

℣. 25. Facta est fames magna in Samaria .... donec venundaretur caput asini octoginta argenteis; vel ſiclis octoginta, monetæ noſtratis libris cxxx. circiter. Sunt (7) qui *caput aſini* poſitum hic cenſeant pro integro aſino, quemadmodum apud Latinos uſurpatur caput canis pro cane, caput bovis pro bove; & vernacule dicitur turma trecentorum capitum, viginti oboli in ſingula capita, &c. Sed interpretationes iſtæ ſubtilitatis habent plurimum, ſoliditatis parum. Vulgo Interpretes accipiunt de ſolo capite aſini; quod etiam ſuadet ipſum tempus extremæ famis hic deſcriptæ. Mirari ſubit, belluam, Judæis impuram, quam alias ſummo horrori habuerunt, tanti ſtetiſſe, ut unum ejus caput cxxx. libris penderetur. Sed extrema illa neceſſitas leges omnes ſuperabat; nec deſunt exempla rei etiam minus credibilis, quam quæ hic animadvertitur. Bellum gerens Artaxerſes (8) in regione Caduſiorum mactari juſſit, atque diſtribui jumentorum carnes; eoque tempore caput aſini lx. drachmis, vel libris xxv. circiter ſtetit. Stringente Annibale Caſilinum, mus vænebat cc. denariis (9), ideſt amplius libris lxx.

Et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis. Quarta pars cabi continebat hemiſextarium quartam pintæ partem cum digito cubico, & amplius aliquanto. Ea menſura ſtercoris columbarum plena, vænibat ſiclis quinque, id eſt, libris octo circiter monetæ noſtratis. Sed quorſum ſtercus illud columbarum, ad extremam illam famem leniendam? Sunt qui credant, uſum ejus fuiſſe ad ignem, alii ad ſaliendum; ali ad cibum; alii ad ſtercorandum.

Qui in uſum cibi adhibitum cenſent (10), rem exemplis non carere dicunt. Rabſaces minitatur Judæis, redigendos fore illos in tantam rerum anguſtiam, ut ſtercore ſuo veſci cogantur (11). Conſtat utique, ſtercus merularum, ac turdorum valere ad alendos ſaginandoſque boves & porcos (12): *Ego arbitror præſtare ex apiariis turdorum, ac merularum, quod non ſolum ad agrum utile, ſed etiam ad cibum, ita bobus ac ſuibus, ut fiant pingues*. Cur igitur dira fames non adegerit homines ad cibum, quo bruta ſaginantur? An ſtercus columbarum minus nutrit, quam merularum, & turdorum? Scitum eſt, famem, cum ad extrema devenerit, plurimum accedere ad rabiem, & furorem, neque coerceri pudore, vel nauſea, vel honeſtate, ut merito a Poetis, *obſcena & maleſuada* nuncupetur. Accidit interdum, ut ſtrictæ obſidione Urbes offerrent in cibum coria clypeorum, calceorum, lora, nervos & fœnum vetus (13); quin & in ſordidis quibuſque locis quæſita ſunt ſordidiſſima quæque ac fœtidiſſima, ut miſero cibo vita ſuſtentaretur. De Druſo in carcerem dato tradit Suetonius (14): *Druſo adeo alimenta ſubducta, ut tomentum e culcitra tentaverit mandere*. Quis tamen in animum induxerit, ut in fame licet deſperata, empta fuerit pretio ſtercoris columbarum octava pintæ pars, & aliquanto amplius in uſum cibi? Quis ignorat, nihil in iis excrementis eſſe aptum quo alamur? cum enim columba avis ſit omnium, quas noverimus, calidiſſima, ſtrenue cibum digerit, nec dimittit niſi ſtercus aridiſſimum, omni ſucco deſtitutum. Quæ Judæis nuntiabat Rabſaces, thraſonicæ erant minæ; & ſi forte famis rabies ad extremum aliquod interdum adegit, nunquam tamen factum eſt, ut ſatis præmeditato conſilio emerentur in cibum res ad alendum inaptiſſimæ.

Fatemur equidem, ſtercus columbarum fomentum eſſe ignis, atque cogente neceſſitate ad cibos decoquendos valere potuiſſe (15). Scitum eſt, alicubi vaccæ ſtercore vel cameli pabulum ignis præberi (16); & apud Turcas publica balnea ſtercore cameli vel capræ (17) incenſo igne caleſcere. Sed quorſum hæc exempla ad probandam extremam illam, qua Samaria tenebatur, famem? Inſuper credibile ne eſt, defuiſſe adeo in tota hac vaſti ambitus urbe ſtruem lignorum cæteraque ignis fomenta, ut cogerentur incolæ tam caro emere in eum uſum parvam quantitatem fœtidiſſimi hujus excrementi?

Arbitrantur alii, eo fimo uſos fuiſſe ad ſtercorandos agros & hortos intra urbem comprehenſos; quaſi ſcilicet ad ſtercorandum opus fuiſſet emere octavam pintæ partem ſtercoris pretio octo librarum, ideſt, multo carius, quam vendi potuiſſent radices & ſtirpes eo ſtercore fovendæ.

Joſepho (18) & Theodoreto (19) ſtercus illud pro ſale adhibitum fuiſſe cenſent; verum, eſto, ſalem in iis excrementis contineri, quanta difficultate, quantis ſumptibus & ſudore opus fuiſſet, ut ejuſmodi ſal e terreſtri & inſipida materia defæcaretur? Docent Thalmudiſtæ (20), Samariæ olim frequentiſſimas fuiſſe columbas, edoctas volare per arva, atque ingluviem replere tritico, quod domum reduces regerere cogebantur. Porro de frumento ita a columbis reddito ſermonem eſſe hic, ejuſmodi præclari Doctores tradunt: ſed ineptiam hujus fabellæ nemo non ſentit, atque ipſa ſe ſatis ſuperque refutat.

Junio (21) & Fullero (22) alia ſuccurrit interpre-

[1] Senec. de Clement. l. 1. c. 18. Vide Grot. hic & l. 3. de jure belli & pacis, c. 11. art. 13. [2] Aug. ad Bonifac. Ep. 1. [3] Chryſoſt. Hom. de Eliſæo. [4] Theodoret. qu. 20. [5] Vide quæ diximus ſupra, ℣. 2. [6] Vide 4. Reg. xxiv. 2. [7] Vide Lyran. Sanct. [8] Plutarch. in Artax. [9] Plin. l. 8. c. 57. & Valer. Max. l. 7. c. 6. Frontinus, ex animadverſione Grotii, centum ſolummodo ponit. [10] Vide Eutych. Alex. Chronic. p. 213. Grot. hic, Sanct. Cornel. [11] Iſai. xxxvi. 12. *Ut comedant ſtercora ſua, & bibant urinam pedum ſuorum vobiſcum.* [12] Varro l. 1. de Re ruſtica, c. 38. & Plin. l. 17. c. 9. [13] Joſeph. de bello l. 6. c. 10. ut eſt in Græco: Ζωνάρια γὰρ καὶ ὑποδήματα τὰ πλουτεῖν ἀπείχοντο, καὶ τὰ δέρματα τῶν θυρεῶν ἀποδύοντες ἐμασῶντο. τροφὴ δ' ἦν καὶ χόρτου παλαιοῦ σπαράγματα, τινὲς γὰρ ἶνας συλλέγοντες ἐλάχιστον σταθμὸν ἐπώλουν τεσσάρων. [14] Suet. in Tib. c. 54. [15] Vide Bochart. de animal. ſacr. tom. 2. lib. 1. c. 7. art. 2. & Rabb. Jonat. & Kimchi. [16] Bellon. Obſerv. l. 2. c. 112. Dernier voyage de Cachemire, lettre 2. p. 56. [17] Joan. Cotovic. de morib. Mahom. c. 9. [18] Joſeph. Antiqu. l. 9. c. 2. ἀντὶ ἁλῶν ὠνεῖσθαι &c. [19] Theodoret. qu. 21. [20] Tractat. Megill. cap. 1. Ita & Magiſt. Hiſt. Scholaſt. in lib. IV. Reg. cap. 10. [21] Jun. hic. [22] Fuller. Miſcell. lib. 6. cap. 11.

pretatio Textus Hebræi (1), minus utique probabilis, ferens, ventrem & interiora columbæ pretio quinque ſiclorum vendita fuiſſe Samariæ. Opinionem hanc, quæ minores conatus exegiſſet, fuſius & operoſius refutat Bochartus. Deinde ſententiam ſuam proponit (2), docens, voces originales revera quidem ſtercus columbæ exprimere; quod tamen nomen longe aliud deſignare affirmat, quam quod ſolet apud nos intelligi. Arabes enim ſtercus columbarum vel paſſeris duo prorſus diverſa appellant, muſcum nempe quemdam arboris, vel terræ calculoſæ, ciceri perſimilem, cui vis ineſt refrigerandi, & quo una cum melle vinum conficitur. Genus alterum ſtercoris columbarum legumen eſt, ad ciceris cicerum referendum. Appellant Arabes *Uſnen* vel *Kali*, rediguntque in pulverem adſtringentem & deterſivum, nuncupatum *Salem Alkali*: creditur autem herba hæc Kali eadem eſſe ac noſtrarum *Soude*, cujus cineres liqueſcunt in vitrum. *Uſnen* recenſent Scriptores Arabes inter ciceres, atque Hebræi nomen *Kali* tribuebant toſto ciceri (3), cujus frequens erat olim apud Veteres, & nunc pariter communis eſt uſus in Oriente (4). Poſtrema hæc ſententia, cujus argumenta fuſius apud Authorem habes deducta, merito retinenda eſt.

℣. 27. Non te salvat Dominus: unde te possum salvare? De area vel de torculari? Veteres quidam codices ferunt: *Non ſalvet te Dominus, unde te poſſum ſalvare?* Quod congruit Hebræo (5) & Septuaginta (6), retineturque a doctis pluribus Interpretibus (7). Perdat te Deus, o infelix caput! quomodo vis ut tibi ſalutem procurem? nonne vides imparem me eſſe ut te juvem? Biblia quædam vetera impreſſa (8) alium ſenſum, quamquam eadem verba, reddunt: *Salva me, Domine, mi Rex. Qui ait: Non* (non valebo): *Salvet te Dominus: unde te poſſum ſalvare?* Sed Vulgatæ interpretatio magis perſpicuam ſententiam reddit.

℣. 29. Coximus filium meum. Inauditam ſævitiem! terribile vindicis flagellum Numinis, quod ore Moyſis prædixerat Iſraelitis, ſiquidem unquam Deum delererent (9), futurum ut *comederent fructum uteri ſui, & carnes filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum*. Crudelitatis hujus exempla quædam ſimilia ſpectata ſunt, cum in obſidione Jeroſolymæ per Nabuchodonoſorem (10), cum in poſtrema per Romanos (11).

℣. 30. Viditque omnis populus cilicium. Hebræus (12): *Et vidit populus, & ecce ſaccus ſuper carnem ejus intrinſecus*. Veſtis erat rudis & hiſpida, vulgare lugentibus & pœnitentibus indumentum. Joramus utique religioſiſſimus inter Principes non habebatur; ſed in rebus afflictis demittere ſe coram Deo, & ad pœnitudinem flecti coactus eſt. Habes hic quanta ſit calamitatum utilitas: demittunt enim homines, atque efferatum licet atque contumacem animum flecti ad pietatem cogunt.

℣. 31. Si steterit caput Elisæi filii Saphat super ipsum hodie. Rex Joram de ſupplicio capitis Eliſeum minitatur ac ſi propheta innocens reus eſſet inductæ famis, quæ Samariam tenebat afflictam. In ea profecto erat opinione in manu prophetæ poſitum eſſe, ut Deum rogando, calamitatem illam tolleret.

℣. 32. Sedebat in domo sua, in urbe Samaria, ubi ſedes habebat conſtitutas (13). Non deſtitit utique Propheta orare, eaque uti, qua apud Deum pollebat, authoritate, ut Numinis iram ab infelici urbe hac averteret: ſed tempus parcendi nondum aderat; eo enim deduci res volebat Deus, ut nulla hominis ope juvari poſſent, quo intelligerent Iſraelitæ, ſeſe uni Deo ſalutem debere.

Filius homicidæ hic, Joramus filius Achabi & Jezabelis. Achabus neci tradiderat Nabotum; & Jezabel Prophetas Domini inſectata fuerat.

℣. 33. Apparuit nuntius, qui veniebat ad eum, et ait: Ecce tantum malum a Domino est. Textus hujus verbis eo deducimur, ut credamus, virum ad Regem miſſum hæc dixiſſe Eliſæo (14). Sed Interpretum plerique ajunt (15), Regem ipſum eodem fere tempore, quo ejus legatus ad ædes Prophetæ veneras, eo perveniſſe, eidemque Prophetæ expoſuiſſe anguſtias, ad quas urbs redacta fuerat, nec ſiluiſſe duarum mulierum, quæ filium voraverant, hiſtoriam; ſermonem autem ſuum ita clauſiſſe: Eo nos redacti ſumus. Quid deinde mihi expectandum eſt? an deplorata eſſe omnia, & Deum nihil minus cogitare, quam de ope nobis ferenda, non conſtat?

---

(1) ורבע הקב חרייונים בחמשה כסף (2) Boch. de animal. ſacr. tom. 2. l. 1. c. 7. art. 7. (3) Vide 2. Reg. xvii. 28. (4) Bellon. Obſerv. lib. 2. c. 53. & 99. (5) אל יושעך יהוה מאין אושיעך המן הגרן או מן היקב (6) Septuag. μή σε σώσαι κύριος. πόθεν σώσω σε; μὴ ἀπὸ τῆς ἅλωνος ἢ ἀπὸ τῆς ληνοῦ; (7) Joſeph. Antiqu. lib. 9. c. 2. ἐργάσαιτο ἀνύποιστον αὐτῇ τὸν Θεόν. Vide & Pagn. Mont. Vat. Grot. Sanct. Jun. Cornel. (8) Ita Biblia Antuerp. Latin. Plantini, & Polyglotta, & Pariſina Robert. Steph. & Joan. Bened. & aliæ plurimæ Editiones ante Correct. Sixti V. & Clem. VIII. (9) Deut. xxviii. 53. 54. 58. 57. (10) Ezech. v. 10. & Jerem. Lament. ii. 20. (11) Joſeph. de Bello l. 7. c. 8. (12) וירא העם והנה השק על בשרו מבית (13) Vide ſupra, v. 3. *Utinam fuiſſet Dominus meus ad Prophetam, qui eſt in Samaria.* (14) Ita Piſc. Munſt. Eſt. Belgic. verſ. &c. (15) Ita Joſeph. Theodor. Lyran. Cajet. Vat. Sanct. Menoch. Caſtal. &c.

CAPUT VII.

Eliſæus prædicit uberem annonæ copiam Samariæ. Urbs obſidione Syrorum liberatur, cujus rei nuncii quatuor leproſi ad Regem veniunt. Caſtra hoſtium diripiuntur. Præfectus quidam Regis, qui vaticinio Eliæ fidem non addixerat, a confluentibus in porta opprimitur.

℣. 1. DIxit autem Eliſæus: audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus: in tempore hoc cras modius ſimilæ uno ſtatere erit, & duo modii hordei ſtatere uno in porta Samariæ. 2. Reſpondens unus de ducibus, ſuper cujus manum rex incumbebat, homini Dei, ait: Si Dominus fecerit etiam cataractas in cœlo, numquid poterit eſſe, quod loqueris? Qui ait: videbis oculis tuis, & inde non comedes

3. Quatuor viri erant leproſi juxta introitum portæ, qui dixerunt ad invicem: Quid
hic eſſe volumus, donec moriamur? 4. Sive ingredi voluerimus civitatem, fame mo-
riemur: ſive manſerimus hic, moriendum nobis eſt: venite ergo, & transfugiamus
ad caſtra Syriæ, ſi pepercerint nobis, vivemus: ſi autem occidere voluerint, nihilo-
minus moriemur. 5. Surrexerunt ergo veſperi, ut venirent ad caſtra Syriæ. Cum-
que veniſſent ad principium caſtrorum Syriæ, nullum ibidem repererunt. 6. Siqui-
dem Dominus ſonitum audiri fecerat in caſtris Syriæ curruum, & equorum, & exer-
citus plurimi: dixeruntque ad invicem; Ecce mercede conduxit adverſum nos rex
Iſrael reges Hethæorum, & Ægyptiorum, & venerunt ſuper nos. 7. Surrexerunt
ergo, & fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria ſua, & equos, & aſinos, in
caſtris, fugeruntque, animas tantum ſuas ſalvare cupientes. 8. Igitur cum veniſſent
leproſi illi ad principium caſtrorum, ingreſſi ſunt unum tabernaculum, & comede-
runt, & biberunt: tuleruntque inde argentum, & aurum, & veſtes, & abierunt, &
abſconderunt, & rurſum reverſi ſunt ad aliud tabernaculum, & inde ſimiliter aufe-
rentes abſconderunt. 9. Dixeruntque ad invicem: Non recte facimus: hæc enim dies
boni nuntii eſt. Si tacuerimus, & noluerimus nuntiare uſque mane, ſceleris argue-
mur: venite, eamus, & nuntiemus in aula regis. 10. Cumque veniſſent ad portam
civitatis, narraverunt ei, dicentes: Ivimus ad caſtra Syriæ, & nullum ibidem repe-
rimus hominem, niſi equos, & aſinos alligatos, & fixa tentoria. 11. Ierunt ergo
portarii, & annuntiaverunt in palatio regis intrinſecus: 12. Qui ſurrexit nocte, &
ait ad ſervos ſuos: Dico vobis quid fecerint nobis Syri: Sciunt quia fame laboramus,
& idcirco egreſſi ſunt de caſtris, & latitant in agris, dicentes; Cum egreſſi fuerint
de civitate, capiemus eos vivos, & tunc civitatem ingredi poterimus. 13. Reſpon-
dit autem unus ſervorum ejus: Tollamus quinque equos, qui remanſerunt in urbe
(quia ipſi tantum ſunt in univerſa multitudine Iſrael, alii enim conſumpti ſunt) &
mittentes explorare poterimus. 14. Adduxerunt ergo duos equos, miſitque rex in
caſtra Syrorum, dicens: Ite, & videte. 15. Qui abierunt poſt eos uſque ad Jorda-
nem: ecce autem omnis via plena erat veſtibus, & vaſis, quæ projecerant Syri,
cum turbarentur: reverſique nuntii indicaverunt regi. 16. Et egreſſus populus diripuit
caſtra Syriæ: factuſque eſt modius ſimilæ ſtatere uno, & duo modii hordei ſtatere
uno, juxta verbum Domini. 17. Porro rex ducem illum, in cujus manu incumbe-
bat, conſtituit ad portam: quem conculcavit turba in introitu portæ, & mortuus
eſt, juxta quod locutus fuerat vir Dei, quando deſcenderat rex ad eum. 18. Fa-
ctumque eſt ſecundum ſermonem viri Dei, quem dixerat regi, quando ait: Duo mo-
dii hordei ſtatere uno erunt, & modius ſimilæ ſtatere uno, hoc eodem tempore cras
in porta Samariæ: 19. Quando reſponderat dux ille viro Dei, & dixerat: Etiamſi
Dominus fecerit cataractas in cœlo, numquid poterit fieri, quod loqueris? Et dixit:
Videbis oculis tuis, & inde non comedes. 20. Venit ergo ei ſicut prædictum fue-
rat, & conculcavit eum populus in porta, & mortuus eſt.

℣. 1. MODIUS SIMILÆ UNO STATERE ERIT. Hebræus (1): *Satum ſimilæ in ſiclo*. Stater, de quo Author Vulgatæ, idem eſt ac ſiclus, valetque ſolidis duobus & triginta, ac denariis quinque monetæ noſtratis. Satum menſura eſt novem pintarum cum dimidia, hemiſextario, octava pintæ parte, quatuor pollicibus cubicis, & amplius aliquanto.

IN PORTA SAMARIÆ, ubi jus dicebatur, & rerum commercia habebantur. Jungebatur plerumque portæ urbis late ſeſe explicans forum.

℣. 2. UNUS DE DUCIBUS. Hebræus: השליש, *unus Schaliſch*; quæ inter potiſſimas erat Regni dignitates. Vide quæ diſſeruimus in Exodo XIV. 7. Septuaginta reddunt τριστάτης, *Triſtates*; quod Joſephus exponit de Duce tertiæ partis copiarum (2).

SI DOMINUS FECERIT ETIAM CATARACTAS IN COELO. Licet caderet de Cœlo frumentum tanta celeritate & copia, quanta aquæ cadunt e catarrhactis Nili cæterorumque amnium, qui præcipites ruunt e montibus, numquam verba hæc tua plenam fidem referrent. Hebræus (3): *Si Dominus fecerit feneſtras &c.* Si patentibus Cœli portis annona plueret in terram.

℣. 3. QUATUOR VIRI ERANT LEPROSI JUXTA INTROITUM PORTÆ. Moſaicæ Legis ſanctione (4), a commercio cæterorum leproſi excludebantur. Porro ejus generis leges de politia datæ vigebant adhuc in Iſraele, cum reliquæ omnes morales & rituales abjectæ negligerentur. Quatuor hoſce leproſos Giezi ac tres ejus liberos fuiſſe, docent Hebræi.

℣. 5. SURREXERUNT ERGO VESPERI. Hebr. (5): *Surrexerunt in crepuſculo*; quod de veſpertino crepuſculo, vel de noctis exordio plerique exponunt; quorum ſententiæ narrationis ſeries favet.

AD PRINCIPIUM CASTRORUM. Ad locum, ubi conſtituebantur ſpeculatores, vel ad prima tentoria.

℣. 6. MERCEDE CONDUXIT REGES HETHÆORUM. De Re-

(1) סאה סלת בשקל (2) Joſeph. Antiqu. l. 9. c. 2. ὁ δὲ τῆς τρίτης μοίρας ἡγεμών. (3) הנה יהוה עשה ארבות (4) Levit. XIII. 46. *Omni tempore quo leproſus eſt & immundus, ſolus habitabit extra caſtra.* Vide & Num. V. 2. 3. & Luc. XVII. 12. (5) ויקמו בנשף

Regibus Hethæorum actum eſt in tertio Regum x. 29. Commercia equorum detinuerant cum Salomone, atque ex iis gentibus Salomon uxores duxerat. Occupabant facile locum in Arabia Petræa ad meridiem Palæſtinæ. Vide Judices 1. 26. Textum hunc expoſuit Joſephus (1) de Regibus *Ægypti & Inſularum*, ſumens facile Græcum Septuaginta, ſonantem τοὺς βασιλεῖς τῶν Χετταίων, *Reges Chettæorum*, pro Regibus *Cethim*. Docet alibi (2), Judæos id nominis tribuiſſe Inſulæ Cypri, cæteriſque inſulis lociſque maritimis. Verum Hebræum *Hethim* longe aliud eſt a *Cethim*, a quibus frequentata Cyprus dicitur.

℣. 9. SI TACUERIMUS . . . . SCELERIS ARGUEMUR. Hebræus (3): *Nos inveniet pravitas*; id nobis erit criminis loco luendum. Iniquitas uſurpatur interdum pro pœna iniquitatis. Civis eſt ea monere, quæ ad bonum publicum pertinent: id ſi quis neglexerit, reum ſe conſtituit mali, quod ſuo ſilentio incurritur, & proditum evitari potuiſſet.

℣. 10. NISI EQUOS ET ASINOS ALLIGATOS. Alligatos nempe præſepio; ſeu potius poſterioribus pedibus alligatos, commendatoſque defixo paxillo, pro veteri more (4), hodie pariter apud Orientales perſeverante, ubi non raro occurrunt errantes in agro equi ita fune devincti (5).

℣. 13. TOLLAMUS QUINQUE EQUOS, QUI REMANSERUNT IN URBE, QUIA IPSI TANTUM SUNT IN UNIVERSA MULTITUDINE ISRAEL. Hebræus (6): *Capiamus quinque equos, qui remanſerunt; ecce ipſi ſecundum omnem multitudinem Iſrael, qui conſumpti erant, & mittamus*, &c. Mittendi ſunt quinque iſti equi in urbe reſidui, cum alii interfecti fuerint ſive in uſum cibi, ſive fame enecti. Sunt autem equi iſti, quemadmodum & reliqui cives, extenuati fame, & jamjam morituri, ut nihil prohibeat quin objiciantur diſcrimini, quippe quibus nihil infauſtius timendum ſit, quam quod imminet univerſo populo, nempe interitus. Septuaginta (7): *Sumant nunc quinque equos, qui remanſerunt hic [ecce ſunt ad omnem multitudinem Iſrael, quæ defecit] & mittamus illuc*. Conſtat utique, aliter illos legiſſe Hebræum ac nos, quemadmodum Authorem Vulgatæ. Syriacus: *Adducantur quinque ex equitibus, qui reliqui ſunt: ſi capti fuerint, cenſebuntur cum univerſo populo Iſraelis qui perierunt, & mittamus exploratum*. Arabs: *Mittamus jam quinque ex equitibus reſiduis, qui remanent illuc; ſi evaſerint, computabuntur inter eos, qui reliqui ſunt ex Iſraelitis; ſi autem perierint, cenſebimus eos perinde ac reliquos Iſraelitas, qui perierunt*.

℣. 14. ADDUXERUNT ERGO DUOS EQUOS, e quinque reſiduis in urbe. Primo quidem decretum fuerat quinque equos, deinde viſum eſt duos mittere. Rabbini (8) ita exponunt verſiculum 13. *Sumamus aliquos ex illis quinque equis, qui ſoli remanſerunt . . . . 14. Acceperunt igitur duos equos*, &c. Hebræus hujus Textus fert (9): *Tulerunt duos currus equorum*; vel duos currus, quos equi trahebant. Biga equorum jungebatur ſingulis curribus. Syriacus: *Duo paria equitum, vel quatuor equites vectos equis*, &c. Septuaginta (10), Arabs, & optimi plures Interpretes nonniſi binos equites & equos totidem agnoſcunt. Hebræum accipiunt de duobus equis currilibus, vel militaribus, ductis trahere militares currus; ut potius ſit *currus equorum* pro *equis currilibus*. Sed cur Textus, ferens perſpicue duos currus cum equitibus, non retineatur? Scitum eſt, olim egredi in prælium conſueviſſe milites curru vectos. Ducti ſunt igitur duo currus, quos ſingulos bini equites trahebant.

(1) Joſeph. Antiqu. lib. 9. c. 2. Τοῦτο τῶν Αἰγυπτίων βασιλέα, καὶ τὸν τῶν νήσων. (2) Vide eumdem, Antiqu. l. 1. c. 7. (3) ומצאנו עון (4) Xenophon de expedit. Cyri l. 3. Οἱ δὲ ἵπποι αὐτοῖς δέδενται καὶ οἱ πολλοὶ πεποδισμένοι εἰσί, τοῦ μὴ φεύγειν ἕνεκα. (5) Vide Petri Martyr. legation. in Babyl. (6) יקחו נא חמשה מן הסוסים הנשארים אשר נשארו בה הנם ככל ההמון ישראל אשר נשארו בה הנם ככל המון ישראל אשר תמו ונשלחה (7) Λαβέτωσαν δὲ πέντε τῶν ἵππων τῶν ὑπολελειμμένων, οἳ κατελείφθησαν ὧδε ἰδὲ εἰσι πρὸς πᾶν τὸ πλῆθος Ἰσραὴλ τὸ ἐκλεῖπον, καὶ ἀποστελοῦμεν. (8) Hebr. in Vat. Ita & Caſtal. (9) ויקחו שני רכב סוסים (10) Δύο ἐπιβάτας ἵππων. Ita Jun. & Tremell. Vat. Munſt. Piſc. Caſtal.

CAPUT VIII.

Septennalis fames; qua ſoluta, mulier hoſpita Eliſæi venit ad Regem Joramum, reſtitui ſibi fundos ſuos poſtulans. Eo tempore Rex de prodigiis Eliſæi cum Giezi colloquebatur. Propheta Damaſcum ſe conferens, mortem Benadadi prænunciat. Benadado ſuccedit Hazael. Idumæi deſciſcunt in Regem Juda. Joramus obit. Ochozias regnat.

℣. 1. ELiſæus autem locutus eſt ad mulierem, cujus vivere fecerat filium, dicens: Ab A.M. 3114
Surge, vade tu, & domus tua, & peregrinare, ubicumque repereris; vo- uſque ad 3120.
cavit enim Dominus famem, & veniet ſuper terram ſeptem annis. 2. Quæ ſurrexit,
& fecit juxta verbum hominis Dei: & vadens cum domo ſua, peregrinata eſt in terra Philiſthiim diebus multis.
3. Cumque finiti eſſent anni ſeptem, reverſa eſt mulier de terra Philiſthiim: & egreſſa eſt, ut interpellaret regem pro domo ſua, & pro agris ſuis.
4. Rex autem loquebatur cum Giezi puero viri Dei, dicens: Narra mihi omnia magnalia, quæ fecit Eliſæus.
5. Cumque ille narraret regi, quo modo mortuum ſuſcitaſſet, apparuit mulier, cujus vivificaverat filium, clamans ad regem pro domo ſua, & pro agris ſuis. Dixitque Giezi: Domine mi rex, hæc eſt mulier, & hic eſt filius ejus, quem ſuſcitavit Eliſæus.
6. Et interrogavit rex mulierem: quæ narravit ei. Deditque ei rex eunuchum unum, dicens: Reſtitue ei omnia, quæ ſua ſunt, & univerſos reditus agrorum, a die, qua reliquit terram, uſque ad præſens.

7. Ve-

7. Venit quoque Eliſæus Damaſcum, & Benadad rex Syriæ ægrotabat: nuntiaverunt-
que ei, dicentes: Venit vir Dei huc. 8. Et ait rex ad Hazael: Tolle tecum mu-
nera, & vade in occurſum viri Dei, & conſule Dominum per eum, dicens: Si eva-
dere potero de infirmitate mea hac? 9. Ivit igitur Hazael in occurſum ejus, habens
ſecum munera, & omnia bona Damaſci, onera quadraginta camelorum. Cumque ſte-
tiſſet coram eo, ait: Filius tuus Benadad rex Syriæ miſit me ad te, dicens: Si ſa-
nari potero de infirmitate mea hac? 10. Dixitque ei Eliſæus: Vade, dic ei: Sana-
beris; porro oſtendit mihi Dominus, quia morte morietur. 11. Stetitque cum eo,
& conturbatus eſt uſque ad ſuffuſionem vultus: flevitque vir Dei. 12. Cui Hazael
ait: Quare dominus meus flet? At ille dixit: Quia ſcio, quæ facturus ſis filiis Iſrael
mala. Civitates eorum munitas igne ſuccendes, & juvenes eorum interficies gladio,
& parvulos eorum elides, & prægnantes divides. 13. Dixitque Hazael: Quid enim
ſum ſervus tuus canis, ut faciam rem iſtam magnam? Et ait Eliſæus: Oſtendit mihi
Dominus te regem Syriæ fore. 14. Qui cum receſſiſſet ab Eliſæo, venit ad domi-
num ſuum. Qui ait ei: Quid dixit tibi Eliſæus? At ille reſpondit: Dixit mihi: Re-
cipies ſanitatem. 15. Cumque veniſſet dies altera, tulit ſtragulum, & infudit aquam,
& expandit ſuper faciem ejus: quo mortuo, regnavit Hazael pro eo. 16. Anno
quinto Joram filii Achab regis Iſrael, & Joſaphat regis Juda, regnavit Joram filius
Joſaphat rex Juda. 17. Triginta duorum annorum erat, cum regnare cœpiſſet, &
octo annis regnavit in Jeruſalem. 18. Ambulavitque in viis regum Iſrael, ſicut am-
bulaverat domus Achab: filia enim Achab erat uxor ejus; & fecit, quod malum eſt
in conſpectu Domini. 19. Noluit autem Dominus diſperdere Judam, propter Da-
vid ſervum ſuum, ſicut promiſerat ei, ut daret illi lucernam, & filiis ejus cunctis
diebus. 20. In diebus ejus receſſit Edom, ne eſſet ſub Juda, & conſtituit ſibi re-
gem. 21. Venitque Joram Seira, & omnes currus cum eo; & ſurrexit nocte, per-
cuſſitque Idumæos, qui eum circumdederat, & principes curruum; populus autem
fugit in tabernacula ſua. 22. Receſſit ergo Edom, ne eſſet ſub Juda, uſque ad
diem hanc. Tunc receſſit & Lobna in tempore illo. 23. Reliqua autem ſermo-
num Joram, & univerſa quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum die-
rum regum Juda? 24. Et dormivit Joram cum patribus ſuis, ſepultuſque eſt cum
eis in civitate David, & regnavit Ochozias filius ejus, pro eo. 25. Anno duodeci-
mo Joram filii Achab regis Iſrael, regnavit Ochozias filius Joram regis Judæ. 26.
Viginti duorum annorum erat Ochozias, cum regnare cœpiſſet, & uno anno regna-
vit in Jeruſalem: nomen matris ejus Athalia filia Amri regis Iſrael. 27. Et ambu-
lavit in viis domus Achab: & fecit, quod malum eſt coram Domino, ſicut domus
Achab: gener enim domus Achab fuit. 28. Abiit quoque cum Joram filio Achab
ad præliandum contra Hazael regem Syriæ in Ramoth Galaad, & vulneraverunt Syri
Joram: 29. Qui reverſus eſt, ut curaretur, in Jezrahel: quia vulneraverant eum Syri
in Ramoth, præliantem contra Hazael regem Syriæ. Porro Ochozias filius Joram rex
Juda, deſcendit inviſere Joram filium Achab in Jezrahel, quia ægrotabat ibi.

℣. 1. VOCAVIT DOMINUS FAMEM, ET VENIET SUPER TERRAM SEPTEM ANNIS. Cœperat jam fames, quo tempore Eliſæus filium Sunamitidis revocavit ad vitam. Hebræus (1): *Vocavit Dominus famem, & etiam venit ad terram ſeptem annis*. Docet Scriptura non obſcure, famem tenuiſſe jam regionem (2), quo tempore Eliſæus, reſtituto matri Sunamitidi filio olim defuncto, e Sunam reverſus eſt in Galgala. Reddenda eſt igitur ſententia per verbum pluſquam perfectum: *Eliſæus autem locutus fuerat ad mulierem, cujus vivere fecerat filium, dicens: Surge, vade & peregrinare ubicumque repereris; fames enim, quam vocavit Deus ſuper terram, ſeptem annis perſeverabit*. Haſce omnes circumſtantias revocavit huc ſacer Hiſtoricus, in gratiam narrationis mox jocundæ de reditu hujus mulieris, rerumque ſuarum amiſſarum, quam a Rege impetravit, reſtitutione. Præceſſerat fames obſidionem Samariæ, de qua in capite præcedenti. Numinis vigil providentia in fidelium ſervorum ſuorum commoda, ita res diſpoſuit, ut quo temporis articulo mulier venit ad Regem, ille cum Giezi de prodigiis Eliſæi colloqueretur. Notum fœminæ, & filii vultum agnoſcens Giezi, admonuit Joramum, adeſſe hominem precibus Eliſæi ad vitam revocatum.

Phraſis illa, *Vocavit Deus famem ſuper terram*, familiaris eſt Scripturæ (3), noſque infinitam Dei potentiam ac juſtitiam docet, demonſtratque, eorum omnium, quæ apud homines geruntur, curam non ſegnem habere Deum, tum puniendis impiis, tum probandis, ac perficiendis Electis. Revocat ad primam, veramque cauſam effectus omnes, quos cauſis ſecundis, & naturalibus tribuere homines malunt.

℣. 4. REX LOQUEBATUR CUM GIEZI. Si vera ſunt ea,

(1) כי קרא יהוה לרעב וגם בא אל הארץ שבע שנים [illegible] (2) 4. Reg. IV. 38. *Et Eliſæus reverſus eſt in Galgala; erat autem fames in terra*. (3) Vide Deut. XXVIII. 20. Pſal. CIV. 16. Eccli. XLVIII. 2. Jerem. XV. 2. XXIV. 10. Ezech. V. 16. Amos VIII. 11. &c.

ea, quæ de tempore hujus hiſtoriæ ſupra animadvertimus, reputandum erit, Giezi lepra tunc laboraſſe; vel forte, hiſtoriam valetudinis Naamano reſtitutæ poſt præſentem hanc eſſe revocandam. Probabilius reputamus, Giezi jam tunc laboraſſe morbo, nec niſi a Rege diſſitum, ſermonem cum illo habuiſſe (1) uti J. Chriſtus cum decem illis leproſis Evangelii geſſit (2); niſi forte ſtudium diſcendi res ab Eliſæo geſtas naturalem horrorem in inviſum hunc morbum ſuperaverit (3).

℣. 6. Restitue ei omnia quæ sua sunt, et universos redditus agrorum. Regio fiſco addictæ fuiſſe creduntur res omnes hujus mulieris, quæ ſedes ſuas deſeruit. Jubet autem Joramus reſtitui non fundos modo, ſed & fructus, ut reſtitutionis integro privilegio fruatur (4): *Reſtituere, eſt poſſeſſorem facere, fructuſque reddere*. Reputari etiam poſſet, neceſſarios vel gentiles hujuſce mulieris abſentis fundos illius invaſiſſe, ut Regia authoritate cogendi eſſent ad reſtitutionem.

℣. 7. Venit Elisæus Damascum; in regionem ſcilicet Damaſcenam, non in urbem. Itineris hujus cauſæ & tempus ignorantur; non abs re tamen arbitramur, veniſſe illum in Syriam, ut prænunciaret mortem Benadadi, deſignaretque Hazaelem in Regem Syriæ. Non deſunt etiam (5), qui credant, Eliſæum Regia unctione poſtremum hunc Principem initiaſſe; eaque expleſſe, quæ diu ante imperata fuerant Eliæ (6), quæque ipſe per ſe Elias implere non potuerat.

Benadad ægrotabat. Contracto morbo, ait Joſephus (7), mœrore ac pudore infectæ obſidionis Samariæ. Sed hoc nonniſi temeraria plane conjectura affirmatur.

℣. 9. Filius tuus Benadad. Obſequium illud, quod olim mentibus hominum inſederat erga viros Prophetas, Regibus ſuadebat, ut patris loco illos haberent. Eliſæus pater nuncupatur ab Joramo, & Joas Regibus Iſraelis (8). Chriſtiani olim id nominis tribuebant Epiſcopis & Sacerdotibus.

℣. 10. Dic ei: Sanaberis; porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur. Morbo laborat non lethifero, & ſi quidem adverſi aliquid non acciderit, non morietur; novi tamen interiturum violenta morte, externa vi inducta. Aliter: Denunciate illi, per me quidem, valetudinem: certo tamen morietur. Vel denique: Quodcumque ego dederim reſponſum, vos tamen ſemper proſperam illum valetudinem manere renuntiabitis; ſed affirmante Domino, moriturum ſcio. *Dic ei: Sanaberis*, poſitum eſt hic pro: *Dices ei: Sanaberis*. Imperativum eſt hic pro futuro, ut in illo (9): *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. Non ſuadet mendacium Hazaeli, ſed prædicit, eum mendacium renunciaturum.

Hebræus (10): *Vade, dic ei: Vivendo non vives; & oſtendit mihi Dominus, quod moriendo morietur*. Quæ lectio difficultatem omnem removet. Sed Chaldæus, Syriacus, Arabs, Septuaginta, Editio Compluteniſis, Rabbini atque Interpretum plerique legunt, ut in Vulgata: *Vade, dic ei: Vivendo vives, &c.*

℣. 11. Statitque cum eo, et conturbatus est usque ad suffusionem vultus, flevitque vir Dei. Non ſatis perſpicue exprimit Textus (11), quis ille ſit, qui hæc verba fundit, utque ita animo emotus videtur, ut animi mœrorem externa oris mœſtitia prodat. Plerique tamen dicta hæc referunt ad Eliſæum, qui graviter tot malorum aſpectu dolens, quot populo ſuo noverat imminere, intimum, quo angebatur, dolorem ita celare non potuerit, quin Hazael & hanc ejus triſtitiam ſentiret, & cauſam rogaret. Reputant alii, Prophetam oculos defixiſſe in Hazaelem, qui ea de re turbatus agitatuſque animo, rubore ſuffuſus eſt. Cum tamen Eliſæus continere ulterius lacrymas non poſſet, quid fieret ab Hazaele interrogatus eſt. Hebræus ad literam ita reddi poſſet: *Stare fecit faciem ſuam, & poſuit* in Hazaele, *uſque ad rubore illum ſuffundendum; ſimul autem vir Dei flevit*. Vel potius, Eliſæus diu conatus eſt animi mœrorem occultare, ne exteriori vultus mœrore ſe proderet: ſed cohibere demum lacrymas non valuit. Septuaginta (12): *Stetit coram, & poſuit uſque ad confuſionem, & ploravit homo Dei*. Quæ utique obſcuriſſima ſunt; ſed pleniora in Editione Complutenſi (13): *Hazael ſtetit coram eo, & miſit coram illo munera, quæ detulerat uſque ad ſuffuſionem ejus; & flevit homo Dei*. Hæc Verſio gloſſema ſapit; fortaſſe autem addere aliquid viſum eſt, perſpicuitatis gratia. Sed & ſenſum hunc admittit Hebræus, ac forte optima eſt omnium interpretatio.

℣. 12. Quia scio quæ facturus sis filiis Israel mala. Triſtes vaticinii hujus conſecutiones habes deductas inferius x. 32. & xiii. 3. 7.

Prægnantes divides. Vel, medio corpore ſecabis. Supplicium id noviſſe Veteres, demonſtravimus in Diſſertatione de Suppliciis. Aſſerta eſt vaticinio huic fides, cum Hazael bellum intulit in Galaaditidem (14). Eo enim de bello agens Amos 1. 3. affirmat, *trituraſſe in plauſtris ferreis Galaad*; & Septuaginta (15) legunt, ſecuiſſe Syros fœminas prægnantes Galaad ferreis ſerris.

℣. 13. Quid enim sum servus tuus canis, ut faciam rem istam magnam? Nomen canis ſignificare poteſt viliſſimum aliquid & neglectum, ſeu vorax, crudele, rapax. Series hujus ſermonis perſuadet, Hazaelem cani ſe comparaſſe, quod probe habens exploratam conditionem ſuam, nunquam in animum inducere poſſet, ut ea præſtaret, quæ Propheta prænuntiabat. Intelligimus inſuper, nondum illud agitaſſe, ut Regnum ad ſe traheret; neque ſpem ullam certam ea de re ab Elia accepiſſe. Vide ſuperius ℣. 7.

℣. 15. Tulit stragulum, et infudit aquam, et expandit super faciem ejus. Interpretum quidam ajunt, Hebræam vocem (16), quæ reddita eſt *ſtragulum*, deſignare pellem caprarum, cujus erat uſus in cubilibus; genuina tamen ejus ſignificatio eſt *pulvinar*. Non deſunt in Hiſtoria exempla quædam Principum eodem mortis genere ſublatorum. De Tiberio Imperatore, cum poſtremo morbo laboraret, rumor ſparſus fuit, ſuffocatum fuiſſe *pulvino injecto*, ait Suetonius in ejus vita. Sed Tacitus ea de re ſcribit: *Macro intrepidus opprimi ſenem injectu multæ veſtis jubet*. Ita & Dio. Demetrius Rex Philippi filius (17), & Fridericus II. Imperator eodem lethi genere ſublati

(1) Ita Grot. hic. (2) Luc. xvii. 12. (3) Vide Sanct. hic. (4) Cajus, L. plus eſt D. de verb. ſignific. Vide Grot. hic. (5) Ita Auct. Hiſt. Scholaſt. Cajet. Menoch. Tir. Marr. (6) Vide 3. Reg. xix. 15. *Revertere in viam tuam per deſertum in Damaſcum; cumque perveneris illuc, unges Hazael Regem ſuper Syriam.* (7) Antiquit. l. 9. c. 2. Ita & Toſt. & Dionyſ. & alii quidam. (8) 4. Reg. 6. 21. *Numquid percutiam eos, pater mi?* Et 4. Reg. xiii. 14. *Pater mi, pater mi, currus Iſrael & auriga ejus.* (9) Joan. ii. 19. Vide Glaſſ. Gram. l. 3. c. 5. (10) לך אמר לו חיה תחיה והראני יהוה כי מות ימות Ita legunt Jun. & Tremel. Lyr. Belgic. Verſ. &c. Alii legunt לו *ei*, pro לא *non*. (11) ויעמד את פניו וישם עד בש ויבך איש האלהים (12) Καὶ παρέστη τῷ προσώπῳ αὐτοῦ, καὶ ἔθηκεν ἕως αἰσχύνης, καὶ ἔκλαυσεν ὁ ἄνθρωπος τοῦ Θεοῦ. (13) Καὶ ἔστη Ἀζαὴλ κατὰ πρόσωπον αὐτοῦ, καὶ παρέθηκεν ἐνώπιον αὐτοῦ τὰ δῶρα ἕως ᾐσχύνετο, καὶ ἔκλαυσεν ὁ ἄνθρωπος τοῦ Θεοῦ. Vide Hexapla. Alia eſt Verſio, quæ in hanc incidit, habens Hazaelem ibi poſuiſſe munera, quouſque putreſcerent. Καὶ ἔκειτο τὰ δῶρα, ἕως οὗ ἐσάπησαν. (14) Vide 4. Reg. x. 32. 33. (15) Ἀνθ' ὧν ἔπριζον πρίοσι σιδηροῖς τὰς ἐν γαστρὶ ἐχούσας τῶν ἐν Γαλαάδ. Ita & Arab. Verſ. (16) ויקח המכבר *Pellis caprarum*. Pagn. Vat. Septuag. μαχβάρ. Alii apud Theodoret. στρῶμα. Joſeph. διατυπο διατρηχυ. (17) Apud Livium lib. 40.

ſlaci feruntur. Interpretes quidam ambigunt, utrum Hazael data opera Benadadum peremerit. Nec defuerunt qui crediderint, ipſum ſibi Benadadum necem conſciviſſe, ſtragulo ori admoto. Hunc ſenſum admitteret Hebræus (1), niſi reliquæ omnes rei circumſtantiæ, ejus criminis invidia Hazaelem onerarent.

℣. 16. ANNO QUINTO JORAM . . REGIS ISRAEL ET JOSAPHAT REGIS JUDA, REGNAVIT JORAM FILIUS JOSAPHAT. Seu potius, anno quinto Jorami Regis Iſraelis, cum Judæ rebus præeſſet Joſaphat, Joram filius ejus in regni ſocietatem a patre admiſſus eſt (2). *Annus quintus Regni* referendus eſt tantum ad Joramum Regem Iſraelis, non vero ad Joſaphatum Regem Juda. Porro Joſaphat titulum Regis, & poteſtatem communicavit filio, anno Regni ſui ſecundo & vigeſimo, qui cum quinto Jorami in Iſraele componitur. Cæterum animadvertere juvat, eumdem Joramum, qui nunc vocatur ad regnum cum patre, ante ſexennium ab eodem Joſaphato, anno Regni ſui XVI. conſtitutum fuiſſe in Regno Proregem. Ita conciliatur Scriptura, docens Joramum Regem Iſraelis Regnum capeſſiviſſe anno ſecundo Jorami Regis Juda (3), cum eadem Scriptura ferente hic, Joramum Regem Juda Regnum iniviſſe anno quinto Jorami Regis Iſraelis.

℣. 17. OCTO ANNIS REGNAVIT; ducto initio ab anno quinto Jorami Regis Iſraelis. Porro adminiſtravit Regnum triennio cum patre, & quinquennio ſolus, ab anno mundi 3112. uſque ad 3119. authore Uſſerio.

℣. 18. FILIA ACHAB ERAT UXOR EJUS. Athalia nempe, fœmina moribus perditiſſimis, de qua inferius, dignus Achabi & Jezabelis ſocius.

FECIT QUOD MALUM EST. Impietatem Jorami depingit vivis coloribus 2. Paralipom. XXI.

IN DIEBUS EJUS RECESSIT EDOM, NE ESSET SUB JUDA. Idumæam diu antea David ſubmiſerat (4); parueratque illa ſemper domui Davidicæ uſque ad Joramum: tunc vero Idumæi Regem ſibi abſolutum crearunt: *Conſtituit ſibi Regem*. Regi quidem parebant ſub Joſaphato, uti aperte demonſtrat expeditio Moabitica, ſuperius relata (5); ſed gerebat ille potius Præſidem, Proregem, Curatorem Provinciæ; docetque Scriptura alibi (6) non obſcure, nullum fuiſſe Idumææ Regem, cum maneret in obſequio Regum Juda. Habes hic impletam fidem Oraculi Jacobi (7), qui futurum prædixerat, ut Idumæi jugum Hebræorum excuterent.

℣. 21. VENITQUE JORAM SEIRA; in eam ſcilicet Idumææ partem, cui a Principe ejuſdem regionis nomen Seir manſerat. Vide Geneſim XIV. 16. Vel tantum: *Venit in Idumæam*, quæ ſæpe nomine Seir nullo addito deſignatur.

PERCUSSIT IDUMÆOS QUI EUM CIRCUMDEDERANT. Qui tamen iſta cohæreant cum iis, quæ ſtatim ſubduntur? *Populus autem fugit in Tabernacula ſua. Receſſit ergo Edom ne eſſet ſub Juda*. Si Joram victoriam retulit, ceciditque Idumæos, quomodo Idumæa jugo ſe liberavit, ſuaque defectione commode uſa eſt? Syriacus aliter dictum accipit, ferens, cum Joramus noctis ſilentio ſurrexiſſet, ut aggrederetur Edom, atque hoſtium, a quo circumſidebatur, exercitum, *aufugiſſe populum*, Iſraelitas nempe, *in tentoria ſua*, & hoſtile agmen perrumpere non potuiſſe. Geminus eſt Arabs. Hebræus prono ſatis ſenſu ita redditur (8): *Surrexit nocte, & aggreſſus eſt Edom, qui eum circumdederat* [phraſis iſta indicat ſuperiores fuiſſe Idumæos, ſaltem numero copiarum vel loci opportunitate] *& Principes curruum, & populus* [Iſraelitarum] *fugit in tentoria ſua*. Diverterunt ſinguli ad propria, quaſi ſcilicet Joramus idcirco tantum conſeruiſſet manus, ut expediret ſe hoſtibus validioribus, a quibus medius exceptus fuerat. Reddi etiam poſſet: *Sed populus fugit in tentoria ſua*. Ducis ſtudio milites non obtemperavere, ſed deflexerunt in fugam. Fatendum eſt tamen, Paralipomena (9) favere plurimum opinioni, quæ Joramo victoriam tribuit. Deſunt ibi verba: *Populus fugit in tabernacula ſua*; quæ pariter exponi poſſunt de Idumæis, qui poſt infauſtum prælium diſſipati, ſeſe domum receperint. Neque tamen hiſce impeditus fuit populus, quin defectionem ſuam retineret, neque Joramus commode ſatis uti ſcivit victoria ſua, ad totam illam provinciam in fidem redigendam.

℣. 22. RECESSIT ET LOBNA. Urbs *Lobna* vel *Lobna*, jacebat in plaga meridionali Tribus Juda, in finibus Idumææ; atque Idumæorum defectio urbem hanc, maximi ad rem momenti, ſecum rapuit. Cum a Joſue ſubacta fuit, Regi ſuo parebat (10). Ceſſit in ſedem Sacerdotum (11). ſed facile ad alienos Dominos tranſiit, cum hic, ſtatim oblata opportunitate, Domum Davidicam deſerat.

Rediit deinde iterum ad obedientiam Regum Juda, quippe quæ ſub Regno Ezechiæ obſidionem Sennacheribi ſuſtinuerit (12); & Joſias uxorem Lebniticam duxit (13). Neque Scriptura hic ea docet de Lebna, quæ de Idumæa, perſeveraſſe illam liberam jugo Regum Juda, *uſque in hodiernum diem*, ideſt, uſque ad ætatem Scriptoris hujus hiſtoriæ, qui circa tempora Babylonicæ captivitatis florebat.

℣.,13. RELIQUA SERMONUM JORAM, &c. De rebus geſtis hujus Principis alia leguntur in 2. Paralipom. XXI. quæ hic fruſtra quæras.

℣. 24. SEPULTUSQUE EST CUM EIS IN CIVITATE DAVID. Legimus alibi (14), Joramum a Deo punitum fuiſſe morbo, quo depaſtis viſceribus, toto biennii ſpatio, denique vitam inter tormina & dolores abſolvit. Sepulturæ mandatus eſt in civitate David, ſed non in ſepulcris Regum; neque ejus funus honore, quo majores cæteri, curatum eſt, crematis ſcilicet pro more ſupra vel juxta cadaver unguentis.

℣. 26. VIGINTI DUORUM ANNORUM ERAT OCHOZIAS, CUM REGNARE CŒPISSET. Hic alibi appellatur Joachaz, & Azarias (15). Legimus in Paralipomenis (16), Ochoziam duos & quadraginta annos egiſſe cum Regnum inivit: hic autem ejus ætas definitur annorum duorum ſupra viginti. Fruſtra labores conciliare Textus adeo pugnantes inter ſe. Ludovicus de Dieu aliique nonnulli (17) rem ita componunt. Ochozias Regnum cepit, ætatem agens duorum ac viginti annorum: uno anno regnavit: adde ejus Regno ſexennium uſurpati ab Athalia Imperii, & tredecim minoris ætatis Joas ejus filii, ſummam annorum duorum & quadraginta complent. Hæc tamen Scripturam exprimere cogunt plane contraria, quam quod reipſa exprimit. Malunt alii, duos hoſce & quadraginta annos ducendos eſſe a ſchiſmate decem Tribuum a Regno Juda. Illud videtur expeditius ac magis pronum, ſi Amanuenſium mendum irrepſiſſe in Textum Paralipomenon ſuſpicemur. Quid magis invidioſum eſt, mendum aliquod ſuſpicari in Textu

tu

(1) יקח המכבר ויטבל במים ויפרש על פניו (2) Vide Uſſer. Annal. an. M. 3106. (3) 4. Reg. I. 17. (4) 2. Reg. VIII. 14. & 3. Reg. XXII. 48. & Pſalm. LIX. 10. & CVII. 10. (5) 4. Reg. III. 9. (6) 3. Reg. XXII. 28 *Nec erat tunc Rex conſtitutus in Edom.* (7) Geneſ. XXVII. 40. *Tempuſque veniet, cum excutias & ſolvas jugum ejus de cervicibus tuis.* (5) ויקם לילה ויכה את אדום הסובב אליו ואת שרי הרכב וינס העם לאהליו (9) 2. Par. XXI. 9. *Surrexit nocte, & percuſſit Edom, & omnes duces equitatus ejus; attamen rebellavit Edom, ne eſſet ſub ditione Juda.* Legunt ibidem Septuaginta, populum in tentoria ſua confugiſſe, ut in Libris Regum. (10) Joſue X. 30. (11) Joſue XXI. 13. (12) 4. Reg. XIX. 8. (13) 4. Reg. XXIII. 31. (14) 2. Par. XXI. 18. 19. (15) 2 Par. XXI. 17. *Nec remanſit ei filius, niſi Joachas, qui minimus natu erat.* Vide ℣. 6. in Hebr. (16) 2. Par. XXII. 2. (17) Vide Kimchi & Abarbanel.

ta Librorum ſacrorum ex incuria Amanuenſium, an ultro agnoſcere apertas in illis rerum contradictiones, quas conciliare nitamur ſolutionibus, quæ ſedatis & nullo præjudicio occupatis mentibus vix probentur? Spiritus Sanctus Divinorum horum Librorum author ſcriptis ne unam eamdemque rem tradendam duplici hac plane oppoſita ratione ſuſceperit? Quomodo Paralipomena ſibi ipſis cohæreant, ſi verba eorum omnia indiſcriminatim admittantur? Hic enim docent, Joramum patrem Ochoziæ Regnum duobus & triginta ætatis annis initum, octo annis retinuiſſe (1). Alibi vero Ochoziam ejus filium & ſucceſſorem proximum egiſſe annos duos & quadraginta, cum ad Regnum evectus eſt. An filius patre ſuo ſenior eſſe poteſt? Aperta eſt hic rerum pugna. Quare non ægre admittam cum doctiſſimis Interpretibus (2), mendum irrepſiſſe in Textum Paralipomenon, ut pro quadraginta duobus legendum ſit *viginti duo*, quam lectionem tuentur Codices plures Septuaginta, omneſque Verſiones Orientales tum hic tum in Paralipomenis. Joramum natum ſtatuit Uſſerius anno Mundi 3080. eumque Proregis authoritatem filio Ochoziæ dediſſe cenſet anno 3118. ac deinde obiiſſe anno 3119. quo anno Ochozias ſucceſſerit. Qua admiſſa ſupputatione, agere utique non poterat Ochozias ætatis annos duos & quadraginta, cum pater novem & triginta non exceſſerit.

NOMEN MATRIS EJUS ATHALIA FILIA AMRI. E patre Achabo, Rege Iſraelis, nata Athalia (3), Amri, Achabi patrem, avum habuit (4).

℣. 28. ABIIT AD PRÆLIANDUM .... CONTRA HAZAEL IN RAMOTH GALAAD. Ochozias Rex Juda venit in partem fœderis cum Joramo Rege Iſraelis, & auxiliares illi copias in Regem Syriæ duxit. Cauſa belli erat Ramoth Galaad, quam Regibus Iſraelis eripuerant Reges Syriæ, & nullo jure retinebant. Achabus pater Jorami, Rex Iſraelis, urbem hanc antea tentaverat (5), atque in bello ea de re in Benadadum geſto interfectus fuerat. Joramus eamdem urbem aggreſſus eſt armis expugnavitque, uti ex ſequenti capite diſcimus. Sed in aggreſſione vulneratus, coactus eſt ſeſe Jezrahelem recipere, ut vulnera curaret, relicto obſidionis arcis imperio Jehu filio Namſi, copiarum ſuarum Imperatori. Verſabatur Jehu in Ramoth Galaad, cum Eliſæus Prophetam miſit, ut illum in Regem Iſraelis conſecraret; ſtatimque agnitus ab univerſo exercitu in Regem, movens ab Urbe Ramoth venit Jezrahelem, ubi Joramum dominum ſuum interfecit, ut ſtatim capite ſequenti narrandum ſuſcipitur.

(1) 2. Paral. XXI. 20. (2) Cajet. Torniel. Salian. Scalig. Geor. Cappel. Uſſer. Tirin. in 2. Paral. XXII. 2. (3) 4. Reg. VIII. 18. & 2. Paral. XXI. 6. (4) 3. Reg. XVI. 28. 29. (5) 3. Reg. XXII. 3. *An ignoratis quod noſtra ſit Ramoth Galaad?*

CAPUT IX.

Jehu ungitur in Regem Iſraelis, jubeturque delere domum Achabi. Neci tradit Joramum Regem Iſraelis, & Ochoziam Regem Juda. Jezabel præceps agitur e ſuperioribus mœnibus, ejuſque corpus a canibus voratur.

℣. 1. ELiſæus autem prophetes vocavit unum de filiis prophetarum, & ait illi:
Accinge lumbos tuos, & tolle lenticulam olei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Galaad.
2. Cumque veneris illuc, videbis Jehu filium Joſaphat filii
Namſi: & ingreſſus ſuſcitabis eum de medio fratrum ſuorum, & introduces in interius cubiculum.
3. Tenenſque lenticulam olei, fundes ſuper caput ejus, & dices:
Hæc dicit Dominus: Unxi te regem ſuper Iſrael. Aperieſque oſtium, & fugies, &
non ibi ſubſiſtes. 4. Abiit ergo adoleſcens puer prophetæ in Ramoth Galaad. 5.
Et ingreſſus eſt illuc: ecce autem principes exercitus ſedebant, & ait: Verbum mihi
ad te, o princeps: Dixitque Jehu: Ad quem ex omnibus nobis? At ille dixit: Ad
te, o princeps: 6. Et ſurrexit, & ingreſſus eſt cubiculum, at ille fudit oleum ſuper caput ejus, & ait: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Unxi te regem ſuper populum Domini Iſrael.
7. Et percuties domum Achab domini tui, & ulciſcar ſanguinem ſervorum meorum prophetarum, & ſanguinem omnium ſervorum Domini,
de manu Jezabel. 8. Perdamque omnem domum Achab: & interficiam de Achab
mingentem ad parietem, & clauſum, & noviſſimum in Iſrael. 9. Et dabo domum
Achab, ſicut domum Jeroboam filii Nabat, & ſicut domum Baaſa, filii Ahia. 10.
Jezabel quoque comedent canes in agro Jezrahel, nec erit qui ſepeliat eam. Aperuitque oſtium, & fugit.
11. Jehu autem egreſſus eſt ad ſervos domini ſui: qui dixerunt ei: Rectene ſunt omnia? quid venit inſanus iſte ad te? Qui ait eis: Noſtis hominem, & quid locutus ſit?
12. At illi reſponderunt: Falſum eſt, ſed magis narra nobis. Qui ait eis: Hæc, & hæc locutus eſt mihi, & ait: Hæc dicit Dominus: unxi te regem ſuper Iſrael.
13. Feſtinaverunt itaque, & unuſquiſque tollens pallium ſuum poſuerunt ſub pedibus ejus in ſimilitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnavit Jehu.
14. Conjuravit ergo Jehu filius Joſaphat filii Namſi

con-

contra Joram: porro Joram obſederat Ramoth Galaad, ipſe, & omnis Iſrael, contra
Hazael regem Syriæ: 15. Et reverſus fuerat, ut curaretur in Jezrahel propter vul-
nera, quia percuſſerant eum Syri, præliantem contra Hazael regem Syriæ. Dixitque
Jehu: Si placet vobis, nemo egrediatur profugus de civitate, ne vadat, & nuntiet
in Jezrahel. 16. Et aſcendit, & profectus eſt in Jezrahel: Joram enim ægrotabat
ibi, & Ochozias rex Juda deſcenderat ad viſitandum Joram. 17. Igitur ſpeculator,
qui ſtabat ſuper turrim Jezrahel, vidit globum Jehu venientis, & ait: Video ego
globum. Dixitque Joram: Tolle currum, & mitte in occurſum eorum, & dicat va-
dens: Rectene ſunt omnia? 18. Abiit ergo, qui aſcenderat currum, in occurſum
ejus, & ait: Hæc dicit rex: Pacata ne ſunt omnia? Dixitque Jehu: Quid tibi, &
paci? tranſi, & ſequere me. Nuntiavit quoque ſpeculator, dicens: Venit nuntius ad
eos, & non revertitur. 19. Miſit etiam currum equorum ſecundum: venitque ad
eos, & ait: Hæc dicit rex: Numquid pax eſt? Et ait Jehu: Quid tibi, & paci? tranſi,
& ſequere me. 20. Nuntiavit autem ſpeculator, dicens: Venit uſque ad eos, & non
revertitur: eſt autem inceſſus quaſi inceſſus Jehu filii Namſi, præceps enim graditur.
21. Et ait Joram: Junge currum. Junxeruntque currum ejus, & egreſſus eſt Joram
rex Iſrael, & Ochozias rex Juda, ſinguli in curribus ſuis, egreſſique ſunt in occurſum
Jehu, & invenerunt eum in agro Naboth Jezrahelitæ. 22. Cumque vidiſſet Joram Je-
hu, dixit: Pax eſt Jehu? At ille reſpondit: Quæ pax? adhuc fornicationes Jezabel ma-
tris tuæ, & veneficia ejus multa vigent. 23. Convertit autem Joram manum ſuam,
& fugiens ait ad Ochoziam: Inſidiæ, Ochozia. 24. Porro Jehu tetendit arcum manu,
& percuſſit Joram inter ſcapulas: & egreſſa eſt ſagitta per cor ejus, ſtatimque corruit
in curru ſuo. 25. Dixitque Jehu ad Badacer ducem: Tolle, projice eum in agro Na-
both Jezrahelitæ: memini enim, quando ego, & tu ſedentes in curru ſequebamur Achab
patrem hujus, quod Dominus onus hoc levaverit ſuper eum dicens: 26. Si non pro
ſanguine Naboth, & pro ſanguine filiorum ejus, quem vidi heri, ait Dominus, red-
dam tibi in agro iſto: dicit Dominus. Nunc ergo tolle, & projice eum in agrum, jux-
ta verbum Domini. 27. Ochozias autem rex Juda videns hoc fugit per viam domus
horti: perſecutuſque eſt eum Jehu, & ait: Etiam hunc percutite in curru ſuo: & per-
cuſſerunt eum in aſcenſu Gaver, qui eſt juxta Jeblaam: qui fugit in Mageddo, & mor-
tuus eſt ibi. 28. Et impoſuerunt eum ſervi ejus ſuper currum ſuum, & tulerunt in
Jeruſalem: ſepelieruntque eum in ſepulchro cum patribus ſuis in civitate David. 29.
Anno undecimo Joram filii Achab, regnavit Ochozias ſuper Judam, 30. Venitque Je-
hu in Jezrahel. Porro Jezabel, introitu ejus audito, depinxit oculos ſuos ſtibio, & or-
navit caput ſuum, & reſpexit per feneſtram 31. Ingredientem Jehu per portam, &
ait: Numquid pax poteſt eſſe Zambri, qui interfecit dominum ſuum? 32. Levavitque
Jehu faciem ſuam ad feneſtram, & ait: Quæ eſt iſta? & inclinaverunt ſe ad eum duo,
vel tres eunuchi. 33. At ille dixit eis: Præcipitate eam deorſum, & præcipitaverunt
eam, aſperſuſque eſt ſanguine paries, & equorum ungulæ conculcaverunt eam. 34.
Cumque introgreſſus eſſet, ut comederet, biberetque ait: Ite, & videte maledictam
illam, & ſepelite eam: quia filia regis eſt: 35. Cumque iſſent, ut ſepelirent eam,
non invenerunt niſi calvariam, & pedes, & ſummas manus. 36. Reverſique nuntia-
verunt ei. Et ait Jehu: Sermo Domini eſt, quem locutus eſt per ſervum ſuum E-
liam Theſbiten, dicens: In agro Jezrahel comedent canes carnes Jezabel. 37. Et
erunt carnes Jezabel ſicut ſtercus ſuper faciem terræ in agro Jezrahel, ita ut præ-
tereuntes dicant: Hæccine eſt illa Jezabel?

℣. 1. VOCAVIT UNUM DE FILIIS PROPHETARUM. Adoleſcens hic, Eliſæi puer inferius (1) appellatur: ipſum fuiſſe Jonam (2), docent Rabbini; quem certe tunc teneram ætatem egiſſe oportuit, ſiquidem vera illos affirmare cenſeamus. Nam Jeroboamus II. quo Rege Jonas prophetabat, nonniſi poſt quinquaginta circiter annos ab hac unctione Jehu regnabat.

℣. 2. SUSCITABIS EUM DE MEDIO FRATRUM SUORUM, ideſt, e reliquis ducibus, inter quos illum nanciſceris ℣. 5. legimus, ſediſſe illum in medio Principum exercitus. Accitum autem a Propheta in occultum ædium penetrale, unctione ab illo eſſe initiatum.

℣. 3. TENENS LENTICULAM OLEI, FUNDES SUPER CAPUT EJUS. Genuinam ſignificationem Hebrææ vocis, quæ redditur hic lenticula, alibi (3) expreſſimus. Hebræi, quos Interpretum plerique ſequuntur, ajunt, oleum illud, quo Reges Iſraelis initiabantur, e balſamo expreſſum fuiſſe, purum, nullo-

[1] ℣. 4. *Abiit adoleſcens puer Prophetæ.* [2] Schikard. jus Reg. Theorem. 4. c. 1. & alii. [3] 1. Reg. X. 1. יקח פך השמן Septuag. λάβε τὸν φακὸν τοῦ ἐλαίου.

nulloque ritu alio conſecratum; cum viciſſim oleum Regum Juda liquor eſſet ſacer, & in Tabernaculo conſervatus. Imperatum quidem fuerat Eliæ, ut veniens ungeret Jehu in Regem Iſraelis (1); id tamen implere ſive temporis defectu Eliæ non licuit, ſive Dominus dilationem imperaſſet, idque committi curæ Eliſæi voluit.

℣. 4. ABIIT IN RAMOTH GALAAD. Expugnata fuerat urbs, ut in exitu ſuperioris capitis animadverſum eſt; ſed arcem tenebant adhuc Syri, vel forte ejus obſidio per Hazaelem Regem Syriæ timebatur. Vide inferius ℣. 14.

℣. 7. ULCISCAR SANGUINEM SERVORUM MEORUM PROPHETARUM, quos Jezabel impie inſectata peremit (2). *Cum interficeret Jezabel Prophetas Domini*, &c.

℣. 8. INTERFICIAM DE ACHAB MINGENTEM AD PARIETEM, ET CLAUSUM, ET NOVISSIMUM. Harum phraſium explicationem habes in Deuteronomio XXXII. 36. & III. Regum XIV. 10.

℣. 10. JEZABEL QUOQUE COMEDENT CANES IN AGRO JEZRAHEL, intra ſpatium jacens inter murum & vallum urbis, nomine ſepulturam ejus curante. Abjicietur projecta, honore ſepulturæ privata.

℣. 11. QUID VENIT INSANUS ISTE AD TE? Facile hi Duces Prophetam agnovere, profeſſionem prodente habitu, ore, urbanitate, qua Jehu convenit, tum præcipiti fugâ, qua ſeſe recepit, ne verbo quidem confeſſum illum dignatus. Porro contemptus, quem de homine exhibent loquendo, pingit fere omnium militarium hominum ingenium, ſtultitiæ arguens profeſſionem obſcuram, laborioſam, auſteram, ſolitariam. Pſeudoprophetæ, quibus ſcatebat aula Achabi, & Jezabelis, ſtultorum ideam plane implebant: affectatæ illæ membrorum agitationes, & abſurda, quæ ridiculo falſoque enthuſiaſmo agitati effutiebant, juſtum populi & aulæ contemptum provocabant. Porro viri iſti idem de Prophetis Domini cenſebant, quæ de Pſeudoprophetis. Neque majus erat Hebræorum Regni Juda in genuinos Prophetas obſequium, quam Regni Iſraelitici Principum. Sæpe deceptores a genuinis Prophetis non diſtinguebantur. Quoties Ezechiel (3), quoties Jeremias (4) traducti ſunt ceu homines emotæ mentis, & pravi ſpiritus œſtro abrupti? *Dominus dedit te Sacerdotem*, ajebat ad Sophoniam Samejas, *ut mittas in nervum, & in carcerem omnem virum arreptitium & prophetantem. Et nunc quare non increpaſti Jeremiam, qui prophetat vobis?* Divinos ſuos, & fœminas Sacerdotio Apollinis fungentes perinde habebant Pagani ac furioſos & mentis emotæ homines; vel ſaltem perſuadebantur ipſam oraculi fundendi actionem illos ſtatu mentis emovere. *Quid habet authoritatis*, ajebat Cicero (5), *furor iſte, quem divinum vocatis, ut quæ ſapiens non videt, ea videat inſanus; & is, qui humanos ſenſus amiſerit, divinos aſſecutus ſit?* Virgilius de Sybilla Æneidos VI.

Ut primum ceſſit furor, & rabida ora quierunt.

℣. 12. AT ILLI RESPONDERUNT: FALSUM EST, SED NARRA NOBIS. Stultum eſſe quidem hominem ſcimus, a quo nihil veri expectandum eſt: ut ut tamen ſit, narra nobis quæ prodidit. Hebræus (6): *Vos noſtis virum & eloquium ejus. Et dixerunt: Falſum. Nunc indica nobis.* Noſtis famulum eſſe viri celebris Eliſæi, nec ignoratis ejus cauſam ignotatis. Latent nos omnia, repoſuerunt illi, quare ne a nobis abſcondas. Vel: Noſtis hominem, & quid ab illo expectandum ſit. Non, repoſuerunt: nihil eſt hic ſtulti, ſed omnia ſeria: expone quid rei agatur. Vel denique: Dixit illis Jehu: Scitiſne quæ loquutus fuerit vir iſte? Repoſuerunt illi: Minime, ſed narra ſtatim. Poſtrema hæc interpretatio optimum ſenſum reddit.

℣. 13. PALLIUM SUUM POSUERUNT SUB PEDIBUS EJUS IN SIMILITUDINEM TRIBUNALIS. Hebræus (7): *Tulerunt quiſque veſtimentum ſuum, & poſuerunt ſubter eum ad os graduum;* vel ſtraverunt planum graduum, ubi conſiſtebant. Expanderunt ſuper gradus veſtes ſuas, atque ita tumultuarium ſolium conſtruxerunt, illique impoſitum Regem ſalutarunt. Forte hi *gradus* nihil erant aliud quam tribunal in Aula poſitum, ubi tunc militares iſti Præfecti conſidebant. Aliter, juxta Chaldæum & Rabbinos nonnullos: *Poſuerunt quiſque veſtimentum ſuum ſubter eum ad gradus horarum* (8) id eſt, in foro, ad columnam horas indicantem. Sed hæc interpretatio multa de ſuo commodat Textui. Porro moris hujus, ſternendi ſcilicet humi veſtes ob eximium viri alicujus meritum commendandum, exempla quædam in Scriptura ſuperſunt. Eo honoris genere exceperunt turbæ Jeſum Chriſtum paucis ante paſſionem ſuam diebus Jeroſolymam ingredientem (9). Id etiam uſurparunt interdum Pagani, cum ſolemni pompa Idola deferrent (10). Reges Perſarum nonniſi ſuper ſtratos tapetes incedebant, quamdiu erant in Aula, ubi excubias agebant milites, qui immortales appellabantur (11).

CECINERUNT TUBA. Solemne erat Priſcis, ut novi Regis ad Regnum aſſumptio tubarum clangore nunciaretur. Vide III. Regum I. 40.

℣. 14. JORAM OBSEDERAT RAMOTH GALAAD ... CONTRA HAZAEL. Repetitio hæc ſunt eorum, quæ in ſuperiori capite ℣. 28. 29. indicantur. Hebræus legit (12): *Joram obſervabat*, vel *cuſtodiebat Ramoth Galaad a facie Hazael*. Hæc ſententia duplici ſenſu reddi poteſt. I. Si ea ponas, quæ ſupra poſuimus (13), Joramum ſcilicet cepiſſe quidem urbem Ramoth, non vero arcem; ſed & illam obſideri, atque ſtringi propius a Jehu juſſiſſe, ne quid auxiliarium copiarum ab Hazaele in illam injiceretur. II. Si dicas, Joramum urbem cepiſſe, in eaque Jehu cum toto exercitu reliquiſſe ad defenſionem, ut aggreſſionem minitantem Hazaelem repelleret. Sed in tota Hiſtoriæ hujus ſerie nihil uſpiam occurrit indicans, Jehu obſidionem in Ramoth Galaad ſuſtinuiſſe. Liberum illius ingreſſum, atque egreſſum nactus eſt puer Eliſæi; liber etiam egreditur Jehu cum exercitu. Si igitur urbem curabat diligenter, ſi adverſus Hazaelem tuebatur, dicta hæc eo ſenſu, quem primo loco propoſuimus, accipienda ſunt, vel ſaltem cautiones ſuas occupavit Jehu, ne ex improviſo ſuperveniens Hazael urbem obſideret.

℣. 17. SPECULATOR, QUI STABAT SUPER TURRIM. Hujus moris, conſtituendi ſpeculatores in ſuperioribus turribus, exempla ſuperius exhibita ſunt (14). Cum exercitum ſuum haberet Joramus in Ramoth Galaad, arrectus erat ad omnem motum, & præſertim ad ea, quæ inde renunciabantur.

℣. 18. QUID TIBI ET PACI? Cur ſollicitus es? Sive bellum, ſive pax fuerit, quid ad te? Quid de rerum ſtatu ſcire ad te pertinet? Ambigua reſponſio.

℣. 20. INCESSUS EJUS QUASI INCESSUS JEHU, PRÆ-

(1) 3. Reg. XIX. 15. 16. (2) 3. Reg. XVIII. 4. (3) Ezech. XXXIII. 30. 31. *Dicunt unus ad alterum: Venite, & audiamus quis ſit ſermo egrediens a Domino, & veniunt ad te . . . & non faciunt eos: quia in canticum oris ſui vertunt illos.* (4) Jerem. XXIX. 26. (5) Cicero lib. 2. de Divinatione. (6) אתם ידעתם את האיש ואת שיחו . ויאמרו שקר הגד נא לנו (7) ויקחו איש בגדו וישימו תחתיו אל גרם המעלות Septuag. ἔθηκαν ὑπὸ αὐτὸν ἐπὶ γαρὲμ τῶν ἀναβαθμῶν. Aqu. πρὸς ὀστέον τῶν ἀναβαθμῶν. *Super parvem ſolidiſſimam graduum.* Sym. ἐφ' ἓν τῶν ἀναβαθμῶν. *Super unum gradum.* (8) לדרג שעיא Vide & Rab. Salom. Malv. Ludov. de Dieu. (9) Matth. XXI. 7. (10) Plutarch. in Alcib. & Athen. lib. XII. (11) Athen. lib. XII. cap. 2. (12) ויורם היה שמר ברמות גלעד . . . מפני חזאל (13) Vide caput ſuperius in fine. (14) 2. Reg. XVIII. 24. Vide & Iſai. XXI. 7. 8. & LXII. 6. & Malach. II. 1. 2.

ceps enim graditur. Hebræus (1): *In temeritate ducit*, vel ſurioſe, præcipitanter graditur, ait Vatablus. Chaldæus, & Arabs longe aliter reddunt: *Lente incedit*, veluti numeratis greſſibus. Tota ſeries vitæ Jehu prodit ingenium hominis ſeveri, Catoni Uticenſi comparat Grotius (2): *Erat vir fortis, minime ad culpas indulgens, ingenio quaſi Cato Uticenſis*. Molimen illud in Joramum extremam celeritatem, & diligentiam exigebat; neque enim vel minimum ſpatium temporis concedendum erat hoſti, ut ſe recolligeret.

℣. 22. Pax est, Jehu? Venis ne pacificus? vel, recte procedunt omnia? Quid novi accidit? Cenſuit primo Joramus, Jehu cum exercitu tumultuario ſeſe recepiſſe e Ramoth Galaad, quod ſiniſtri aliquid accidiſſet.

Adhuc fornicationes Jezabel, et veneficia ejus multa vigent. Vertendum ego maluerim: Dixit Joram: Pax eſt Jehu? At ille reſpondit. Quomodo recte omnia procedant, quamdiu tam multa vigent ſcelera, & veneficia matris tuæ Jezabelis? Nonne crimina illa, ſæviſſima, impudica ac ſuperſtitioſa impiæ hujus Reginæ facta omne quidquid eſt malorum in miſerum hoc Regnum induxerunt? nec æquiora ſperamus a Deo, quamdiu Numen pacatum non fuerit ſanguine nequiſſimæ hujus fœminæ, cæterorumque, qui in ſcelerum illius ſocietatem venerunt.

℣. 23. Convertit manum suam; convertit habenas; ipſe enim per ſe facile currum moderabatur; vel juſſit aurigam habenas flectere; id enim ab illo geſtum cenſeri poterat, quod alteri imperavit ut fieret.

℣. 25. Quando ego et tu sedentes in curru, Innuere videtur Hebræus illos ſequutos eſſe binos Regium currum equitantes (3).

℣. 26. Si non pro sanguine Naboth, et pro sanguine filiorum ejus &c. Nuſpiam in Hiſtoria Nabothi (4) leguntur verba hæc Eliæ, quæ ab ipſo loquente ſe audiſſe affirmat Jehu; neque legitur ibidem, filios Nabothi commune cum patre fatum ſubiiſſe. Solemne eſt tamen Scripturæ, ſupplere in uno loco, quod in altero omiſſum eſt. Probabiliſſimum eſt autem, filios Nabothi, crimine majeſtatis damnati, eadem cum patre ſententia obvolutos fuiſſe, bonis omnibus Regio fiſco addictis. Quam ſententiam illud etiam confirmat, quod Elias non monuit Achabum, ut vineam Nabothi filiis ejus reſtitueret, & Achab, doluerit licet de crimine ſuo, uſurpatum tamen nemini reſtituit, quod facile hæres nullus ſupereſſet. Sunt qui credant (5) a ſanguinem filiorum Nabothi deſignare generatim mala, quæ ex infortunio parentis in filios inducta ſunt; paupertatem, fugam, invidiam publicam.

Quam vidi heri. Verba ſunt Eliæ ad Achabum, altera die ab ea qua Naboth injuſtam ſententiam ſubiit.

℣. 27. Per viam domus horti. Recipere ſe in ædes Jorami tentat Ochozias per viam horti, cui accedebat juncta vinea Nabothi, origo & fons malorum omnium domus Achabi.

Percusserunt eum in ascensu Gaver, qui est juxta Jeblaam; qui fugit in Mageddo, et mortuus est ibi. Qui hæc cohæreant cum Paralipomenis (6)? *Ipſum quoque perquirens Ochoziam, comprehendit latitantem in Samaria, adductumque ad ſe occidit*. Ferunt, hoſtes Ochoziam inſequentes vulneraſſe illum in aſcenſu Gaver; Regem vero fuga ſe proripuiſſe in Mageddo, ubi minus tutum fore ſe credens, clam ſe transferri Samariam curavit. Quam occaſionem ereptam ſibi dolens Jehu, quæſitum Ochoziam inventumque deducendum curavit in Mageddo, ubi & interfecit. Turbas in Regno Juda poſt ejus mortem, habes deſcriptas in Paralipomenis. Porro interficiendum ſibi Ochoziam cenſuit Jehu, quod natus eſſet ex Athalia filia Jezabelis.

℣. 29. Anno undecimo Joram filii Achab, regnavit Ochozias super Juda? In ſocietatem Regni accitus fuit anno undecimo Jorami filii Achabi, ut hic animadvertitur; ſed in Regni poſſeſſionem admiſſus non fuit, niſi altero anno, duodecimo Jorami Regis Iſraelis, ut in præcedenti capite ℣. 25.

℣. 30. Jezabel depinxit oculos suos stibio. Si Jezabel in ea, quam agebat, ætate, & in quo verſabatur, rerum ſtatu ſatis habere ſe illecebrarum cenſuit, ut ſui amorem, vel obſequium in Jehu excitaret, audaciam, & impudentiam fœminæ animo conſequi non poſſumus. Nihilo tamen ſecius quænam alia ſuccurrere poterat cauſa, quæ fœminam induceret ad fucum? niſi forte inſita ſexui ſuperbia perſuaſit mulieri, dignitatis ſuæ fœminam decere, ut nonniſi Regia compta pro more prodiret. Fucum ad pingendos oculos amabant Veteres; & cum nigri oculi pulcherrimi haberentur, variis id artibus procurabant. Erant qui palpebras linirent ſtibio. Hodie pariter fœminæ apud Syros, Arabes, & Babylonios nigro pigmento imbuunt circum oculos; & viri æque ac mulieres in deſerto, nigro illo pigmento occupant oculos, ut ſe, inquiunt, ab ardore Solis muniant (7). Per ſatium viri pariter & mulieres (8) quotidie mane imbuunt oculos, & ſupercilia nigro collyrio, & per palpebras ducunt e puro politoque chalybe pugionem, quo aciem oculorum confirmari ajunt. Plinii ætate, Romanis fœminis *tanta erat decoris affectatio, ut tingerentur oculi quoque* (9). Valebat in eam rem ſtibium, vel antimonium, cujus duplex erat uſus; primo ſcilicet ut oculos & palpebras tingeret, ſecundo ut dilataret; palpebram enim occupans, eam recipere ſe intus cogebat, adeoque & grandiores oculos exhibebat. Hinc a Græcis nomen illi datum *Platyophtalmo, quoniam in calliblepharis mulierum dilatat oculos* (10). Scitum eſt, oculos eo pulchriores fuiſſe, quo ampliores; quare Junoni a Poetis additur epitheton *Boopis*, oculi nempe bovini. Malunt alii, ſtibio palpebram dilatari; quas palpebras nobis latiores ferre Orientales conſtat (11).

Mos inficiendi atro colore oculos ſtibio ex ipſa petitum antiquitate familiaris eſt apud Orientales. Ipſe nunc pariter Moſchæ fœminæ acies oculorum ſuorum nigrificant. Ampliores oculi & frons humilis apud illos placet maxime.

Nec tingendi oculos mulierum ſolummodo ſtudium erat, ſed & viros ſtulta hæc inceſſit ambitio. Sardanapalus pingebat oculos, & ſupercilia (12). Acrius in inanem illum cultum invehuntur Tertullianus (13), & S. Cyprianus (14). *Inunge oculos tuos non ſtibio diaboli, ſed collyrio Chriſti*, ait S. Cyprianus (15). Affirmat Joſephus (16), Zelotas, qui Jeroſolymæ verſabantur, pinxiſſe oculos ſuos, & vultum. Effœminatos ætatis ſuæ ita deridet Juvenalis (17):

Ille

(1) כי בשגעון ינהג ὅτι ἐν παραλλάξει ἐλαύνει, *Inſane proficiſcitur*. Sym. ὅτι ἀτάκτως ἄγει, *Sine ordine proficiſcitur*. Theod. & Septuag. ὅτι ἐν παραλλαγῇ ἐγένετο. *Proficiſcitur tranſmutando*. Forte veredis mutatoriis utebatur.
(2) Vide ad 3. Reg. xix. 16
(3) זכר אני ואתה את רכבים צמדים אחרי אחאב
(4) 3. Reg. xxi. 18. 19.
(5) Grotius hic.
(6) 2. Paral. xxii. 9.
(7) Vide Tavernier, Voyage de Perſe livre 1. chap. 7. p. 193. Gabriel Sionit. de morib. Orient. cap. xi. Joan. Bapt. Montalb. Rerum Turcic.
(8) Chardin, Science des Perſes 1. 2. p. 202.
(9) Plin. lib. xi. cap. 37.
(10) Idem lib. xxxiii. cap. 6.
(11) Pietro della Valle, ſeconda parte, lett. 17.
(12) Vide fragmenta Cteſiæ & Athen. l. xii.
(13) Tertull. de cultu fœmin.
(14) Cyprian. de lapſis; item de diſciplina & cultu Virginum.
(15) Idem de opere & eleemoſynis. Vide, ſi lubet, Clem. Alexand. Pædag. lib. 2.
(16) Joſeph. de Bello lib. 5. c. 9.
(17) Satyr. 2.

Ille ſupercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu, pingitque trementes
Attollens oculos.

Eumdem morem, apud Medos Perſaſque obtinuiſſe, docet Xenophon (1), uti de Græcis Scriptores plurimi affirmant. Factum hoc Jezabelis mirifice exprimit Scriptura, ferens (2): *Poſuit oculos ſuos in ſtibio*; velut indicans perluiſſe, ac obtuiſſe illam oculos fuco.

℣. 31. Numquid pax pote t eſſe Zambri? Hebræus (3): *Omnia contingent pro voto Zambri occiſori domini ſui?* Quid huc venis, novus Domini tui interfector? Scitum eſt, Zambri olim neci tradidiſſe Elam Regem Iſraelis; quare crimen necis illatæ exprobratura Jezabel, nomine hoc Zambri Jehu traducit; ſimulque tacite illi idem fatum, quod Zambri, minitatur. Porro Zambri fructum criminis ſui diu non tenuit, quippe qui brevi poſt uſurpatum Regnum cremare ſe igne cum Regiis ædibus coactus fuerit (4).

℣. 32. Lavavit Jehu faciem ad feneſtram, et ait: Quæ eſt iſta? Cucurrerat Jezabel ad mœnia, ſeu potius ad portam Jezrahelis, ubi conclave fuiſſe, vel locum pro ſpecula deſtinatum, jam animadvertimus. Cum igitur Jehu Urbem ingrederetur, verba Jezabelis in ſuperiori verſiculo recitata intellexit, rogavitque ſtatim, an ſuarum partium quiſpiam illic adeſſet. Hebræus (5): *Quis mecum?* Obtulerunt ſe ſtatim duo famuli, quibus mandavit, ut mulierem e feneſtra præcipitem agerent. Illis obſequentibus, Jezabel cecidit *in clauſtrum antemuralis*, ubi miſerum corpus vorarunt canes: atque ita oraculo diu ante ab Elia prolato ſua fides manſit (6).

℣. 34. Filia Regis eſt. Filia Regis Tyri, uxor Regis Achabi, mater Jorami Regis Iſraelis, ſocrus Jorami Regis Juda, & avia Ochoziæ Regis Juda.

℣. 36. In agro Jezrahel comedent canes carnes Jezabel. In libro præcedenti (7) prænunciatum eſt, canes voraturos cadaver Jezabelis in antemurali Jezrahelis; hic autem (8) devoranda dicitur *in parte*, in agro *Jezrahel*. Prior locus alterum explicat, uti ſupra animadverſum eſt.

℣. 37. Ut prætereuntes dicant: Hæccine eſt illa Jezabel? Hebræus (9): *Ut non dicant: Hæc Jezabel*. Miſere adeo dilacerabitur Jezabelis cadaver, ut ne monumentum quidem illi erigi poſſit, ejuſque memoria penitus ex hominum mentibus deleatur. Nihil ſupererit, quod Jezabelem revocet in mentem, indicetque prætereuntibus: Monumentum eſt hoc Jezabelis.

---

[1] Xenoph. lib. 1. & 8. Cyropæd. [2] ותשם בפוך עיניה Fuc aperte eſt radix Latinæ vocis fucus. [3] השלום זמרי הרג אדניו [4] 3. Reg. xvi. [5] מי אתי מי Septuag. τίς εἶ σύ. Legerunt, uti Vulgata, מי את מי [6] Vide 3. Reg. xxi. 23. [7] 3. Reg. xxi. 23. יאכלו את איזבל בחל יזרעאל [8] בחלק יזרעאל [9] אשר לא יאמרו זאת איזבל

CAPUT X.

Jehu neci tradit ſeptuaginta filios Achabi, Regis Iſraelis, & quadraginta duos fratres Ochoziæ Regis Juda; interficit etiam Pſeudoprophetas Baalis, evertit ejus Templum, & ſimulacrum comburit. Hazael Rex Syriæ plurimas de Iſraelitis victorias refert. Jehu moritur, ſuccedit Joachaz.

℣. 1. Erant autem Achab ſeptuaginta filii in Samaria: ſcripſit ergo Jehu litteras,
& miſit in Samariam ad optimates civitatis, & ad majores natu, & ad
nutritios Achab, dicens: 2. Statim ut acceperitis litteras has, qui habetis filios domini
veſtri, & currus, & equos, & civitates firmas, & arma, 3. Eligite meliorem,
& eum, qui vobis placuerit de filiis domini veſtri, & eum ponite ſuper ſolium patris
ſui, & pugnate pro domo domini veſtri. 4. Timuerunt illi vehementer, & dixerunt:
Ecce duo reges non potuerunt ſtare coram eo, & quomodo nos valebimus reſiſtere?
5. Miſerunt ergo præpoſiti domus, & præfecti civitatis, & majores natu, & nutritii
ad Jehu, dicentes: Servi tui ſumus, quæcumque juſſeris, faciemus, nec conſtituemus
nobis regem: quæcumque tibi placent, fac. 6. Reſcripſit autem eis litteras ſecundo,
dicens: Si mei eſtis, & obeditis mihi, tollite capita filiorum domini veſtri, & venite
ad me hac eadem hora cras in Jezrahel. Porro filii regis, ſeptuaginta viri, apud optimates
civitatis nutriebantur. 7. Cumque veniſſent literæ ad eos, tulerunt filios regis,
& occiderunt ſeptuaginta viros, & poſuerunt capita eorum in cophinis, & miſerunt ad
eum in Jezrahel. 8. Venit autem nuntius, & indicavit ei, dicens: Attulerunt capita
filiorum regis. Qui reſpondit: ponite ea ad duos acervos juxta introitum portæ uſque
mane. 9. Cumque diluxiſſet, egreſſus eſt, & ſtans dixit ad omnem populum: Juſti
eſtis: ſi ego conjuravi contra dominum meum, & interfeci eum, quis percuſſit omnes
hos? 10. Videte ergo nunc, quoniam non cecidit de ſermonibus Domini in terram:
quos locutus eſt Dominus ſuper domum Achab, & Dominus fecit, quod locutus
eſt in manu ſervi ſui Eliæ. 11. Percuſſit igitur Jehu omnes, qui reliqui erant
de domo Achab in Jezrahel, & univerſos optimates ejus, & notos, & ſacerdotes, donec
non remanerent ex eo reliquiæ. 12. Et ſurrexit, & venit in Samariam: cumque
veniſ-

veniſſet ad Cameram paſtorum in via, 13. Invenit fratres Ochoziæ regis Juda, dixit-
que ad eos: Quinam eſtis *vos*? Qui reſponderunt: Fratres Ochoziæ ſumus, & deſcen-
dimus ad ſalutandos filios regis, & filios reginæ. 14. Qui ait: Comprehendite eos vi-
vos. Quos cum comprehendiſſent vivos, jugulaverunt eos in ciſterna juxta Cameram,
quadraginta duos viros, & non reliquit ex eis quemquam. 15. Cumque abiiſſet in-
de, invenit Jonadab filium Rechab in occurſum ſibi, & benedixit ei. Et ait ad eum:
Numquid eſt cor tuum rectum, ſicut cor meum cum corde tuo? Et ait Jonadab: Eſt.
Si eſt, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum ſuam. At ille levavit eum ad
ſe in currum; 16. Dixitque ad eum: Veni mecum: & vide zelum meum pro Do-
mino. Et impoſitum in curru ſuo. 17. Duxit in Samariam. Et percuſſit omnes,
qui reliqui fuerant de Achab in Samaria uſque ad unum, juxta verbum Domini, quod
locutus eſt per Eliam. 18. Congregavit ergo Jehu omnem populum & dixit ad eos:
Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius. 19. Nunc igitur omnes
prophetas Baal, & univerſos ſervos ejus, & cunctos ſacerdotes ipſius vocate ad me;
nullus ſit, qui non veniat, ſacrificium enim grande eſt mihi Baal: quicumque defue-
rit, non vivet. Porro Jehu faciebat hoc inſidioſe, ut diſperderet cultores Baal. 20.
Et dixit: Sanctificate diem ſolemnem Baal; Vocavitque, 21. Et miſit in univerſos
terminos Iſrael, & venerunt cuncti ſervi Baal, non fuit reſiduus ne unus quidem,
qui non veniret. Et ingreſſi ſunt templum Baal: & repleta eſt domus Baal, a ſummo
uſque ad ſummum. 22. Dixitque his, qui erant ſuper veſtes: Proferte veſtimenta uni-
verſis ſervis Baal. Et protulerunt eis veſtes. 23. Ingreſſuſque Jehu, & Jonadab filius
Rechab, templum Baal, ait cultoribus Baal: Perquirite, & videte, ne quis forte vo-
biſcum ſit de ſervis Domini, ſed ut ſint ſervi Baal ſoli. 24. Ingreſſi ſunt igitur, ut fa-
cerent victimas, & holocauſta: Jehu autem præparaverat ſibi foris octoginta viros, &
dixerat eis: Quicumque fugerit de hominibus his, quos ego adduxero in manus veſtras,
anima ejus erit pro anima illius. 25. Factum eſt autem, cum completum eſſet holo-
cauſtum, præcepit Jehu militibus, & ducibus ſuis: Ingredimini, & percutite eos, nul-
lus evadat. Percuſſeruntque eos in ore gladii, & projecerunt milites, & duces: & ie-
runt in civitatem templi Baal. 26. Et protulerunt ſtatuam de fano Baal, & combuſ-
ſerunt, 27. Et comminuerunt eam. Deſtruxerunt quoque ædem Baal, & fecerunt pro
ea latrinas uſque in diem hanc. 28. Delevit itaque Jehu Baal de Iſrael. 29. Ve-
rumtamen a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Iſrael, non receſſit, nec
dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel, & in Dan. 30. Dixit autem Dominus
ad Jehu: Quia ſtudioſe egiſti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia,
quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab: filii tui uſque ad quartam ge-
nerationem ſedebunt ſuper thronum Iſrael. 31. Porro Jehu non cuſtodivit, ut ambu-
laret in lege Domini Dei Iſrael in toto corde ſuo: non enim receſſit a peccatis Jero-
boam, qui peccare fecerat Iſrael. 32. In diebus illis cœpit Dominus tædere ſuper
Iſrael: percuſſitque eos Hazael in univerſis finibus Iſrael, 33. A Jordane contra Orien-
talem plagam, omnem terram Galaad, & Gad, & Ruben, & Manaſſe, ab Aroer, quæ
eſt ſuper torrentem Arnon, & Galaad, & Baſan. 34. Reliqua autem verborum Jehu,
& univerſa, quæ fecit, & fortitudo ejus, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum
dierum regum Iſrael? 35. Et dormivit Jehu cum patribus ſuis, ſepelieruntque eum
In Samaria: & regnavit Joachaz filius ejus pro eo. 36. Dies autem, quos regnavit
Jehu ſuper Iſrael, viginti & octo anni ſunt in Samaria.

℣. 1. ERANT ACHAB SEPTUAGINTA FILII. Credibile id facit multiplicitas Uxorum hujus Principis. Nec deſunt alii in Scriptura, quibus filiorum numerus ingens fuit, Gedeon familiam habebat uno & ſeptuaginta filiis florentem; Thola triginta; Abdon quadraginta; Roboamus octo, & triginta. Quamvis autem filiorum nomine ſignificari etiam nepotes poſſint, cur literam Textus deſeramus, nihil eſt.

MISIT IN SAMARIAM AD OPTIMATES CIVITATIS. Hebræus [1]: *Miſit in Samariam ad Optimates Jezrabel*. Legendum maluerim: *Ad optimates Iſrael*, vel, ut habent Vulgata, & Septuaginta [2], *Samariæ*. Sed Chaldæus, Syriacus, Arabs, & Interpretes Hebræo inhærentes retinent *Optimates Jezrabel*. Creduntur hi Optimates Jezrahel, & nutrices filiorum Achabi, ut futuris Jehu in Jezrahel ingredientis diſcrimen evitarent, recepiſſe ſeſe Samariam, Regni Metropolim, urbem aptam frangendis Jehu conatibus. Sed hæc omnia temere. Legimus, ℣. 4. reſpondiſſe illos, ad quos Jehu legatos miſerat, *præpoſitos domus*, *præfectos Civitatis*, & *nutritios*; reſpondiſſe, inquam, præſto ſe ad omnia futuros. Ita vero illi loquuntur, veluti Samaritani cives eſſent, cum ibi & dignitatem & munera, & ſedes haberent. Jezra-

[1] וישלח שמרון אל שרי יזרעאל

[2] Septuag. πρὸς τοὺς ἄρχοντας Σαμαρείας.

Jezrahelitas illos fuiſſe, ne verbo quidem innuit Scriptura, quin & contraria omnia ex illa colliguntur.

Ad nutritios Achab. Ad Optimates urbis, quibus educandi ſeptuaginta filii Achabi traditi fuerunt, uti conſtat inferius, ℣. 5. Sed litera Textus fert: *Ad nutritios Achab*, ad Præceptores nempe, qui juveniles ejus mores moderati fuerant, ad viros a conſiliis (1). Plerique tamen (2) præferunt propoſitam ſuperius a nobis explicationem, cui etiam ſeries Hiſtoriæ penitus favet. Id facile moris obtinebat, ut filii Principum educarentur in ædibus Optimatum majorum urbium. Felicem Iſraelitarum ſtatum poſt ſolutam captivitatem prænuntians Iſaias (3), futurum dicit, ut Reges, & Reginas nutritios & nutrices habeant. Roboamus Rex Juda educandos filios ſuos curabat in præcipuis Urbibus Juda, & Beniamin (4).

℣. 3. Eligite meliorem .... et eum ponite super solium patris sui, et pugnate pro domo Domini vestri. Epiſtolis hiſce arrogantibus, captioſis, & inſultantibus ferociter, & ſuperbe bellum indicit civibus Samariæ. Tentat illos in fide, qua domui Achabi inhæſerant, ſed arroganter ita, ut ſpernere illos, non timere demonſtret; quin & imbecillitati illorum inſultet.

℣. 8. Ponite ad duos acervos juxta introitum portæ usque mane. Qui cæſa juvenum Principum capita deferebant, cum noctu perveniſſent (5), in urbem admiſſi non ſunt, ſed imperatum eſt excubiis, ut capita illa accipientes, ponerent in ingreſſu portæ urbis, ubi conventus populi, & commercia habebantur, ut palam omnibus eſſent.

℣. 9. Si ego conjuravi contra Dominum meum, et interfeci eum, quis percussit omnes hos? Callidum Jehu conſilium, & impiæ politices artificium in tota hac re, & viri ſermone ſeſe prodit. Ut criminis ſui invidiam quodammodo, & horrorem apud populum leniat, conſcios & criminis ſocios quærit. Atque ita in partes ſuas, & defectionis ſocietatem illos omnes pertrahit, quos coegit manus ſuas ſanguine filiorum Achabi polluere. Si populus arma capere in Jehu voluiſſet, conſilio, duce, atque ope Optimatum caruiſſet. Illorum enim e re erat plenum exitium inferre domui Achabi, quam inſigni adeo injuria affecerant. Me quidem, ait Jehu, conſpiraſſe fatcor in Dominum meum, atque in illum manus injeciſſe. Quid vero? majoris ne criminis reus ſum quam ipſius Achabi amici, viri a conſiliis, & præfecti? Crimen ego meum non diſſimulo; ſed quam facinus meum obtinuit approbationem virorum totius gentis Principum, qui eodem atque ego conſilio arma intulerunt in domum Achabi, & felix ille moliminis mei exitus, argumenta ſunt apertiſſima, Deo Authore hæc mihi ſucceſſiſſe, atque in rebus hiſce omnibus Numinis manum non obſcure ſe prodere. Hæc ille falſo æque, ac fraudulenter.

℣. 11. Percussit Jehu .... universos optimates ejus, et notos, et Sacerdotes. An pepercit perfidis illis filiorum Achabi interfectoribus? Trucidaſſe illos, nullibi ſatis aperte tradit Scriptura; ſed nihil prohibet comprehendi illos ſub nomine Optimatum, amicorum, ac Sacrificulorum. Chaldæus, & Arabs dictum accipiunt de *Magnatibus, propinquis Regis, & amicis*. Syriacus, *de Magnatibus, conſanguineis, & ſacrificulis*. Cenſent quidam (6), *Sacerdotes* Achabi ipſiſſimos eſſe aulæ Principes, qui *Sacerdotes* eodem plane ſenſu appellantur, quo & filii Davidis Sacerdotes apud patrem ſuum dicuntur (7). Codices quidam Septuaginta (8) *pro amicis Achabi* legunt *cognitores*, id eſt, Divinos, Magos, qui futura ſeſe noſſe gloriantur. Illorum pariter meminit Leviticus (9) ſub nomine ſatis affini eum voce, quæ in Textu hoc legitur.

℣. 12. Cumque venisset ad cameram pastorum. Sunt qui Hebræum (10) reddant: *Cum veniſſet ad locum, ubi paſtores ligant oves ad tonſuram*. Vocem Originalem retinent Septuaginta (11): *Ipſe in Betakad Paſtorum*. Aquila: *In domum curvantium ſe*. Symmachus: *In domum paſtorum ſolitariorum*. Hæc omnia ſenſum reddunt minus perſpicuum (12). Tradit Euſebius, Betakad locum eſſe in Magno Campo, XV. M. paſſibus a Legione. Meminit Scriptura (13) loci *Beth-Kar* appellati.

℣. 13. Invenit fratres Ochoziæ. Incredibili celeritate hæc omnia obiiſſe Jehu videtur, nondum ſparſo rei geſtæ rumore, qui infinita pernicitate diffundendus, ut in rebus tanti moliminis docet experientia, videbatur. Duo Reges cum Regina neci traditi, univerſa Regiæ Iſraelis familiæ ſtirps extincta, mutatio totius plane Regni; hæc ſimul omnia nondum pervenerant Jeroſolymam, minus quam viginti quinque leucis ab Jezrahele abſentem, licet Ochozias Rex Juda alter e Regibus extinctis eſſet. Imo rei fama nondum pervenerat ad Betakad, locum inter Samariam, & Jezrahelem, ubi tota hæc tragœdia ſpectata fuerat. *Fratres Ochoziæ*, ipſi erant facile Regis neceſſarii, fœderati, nepotes; fratres enim ejus Regis nulli ſupererant, ſaltem ex iiſdem parentibus Joramo, & Athalia nati. Legimus enim in II. Paralipom. XXI. 7. Philiſthæos, & Arabes trucidaſſe filios, & uxores Jorami, ut diſcrimen evaſerit unus Joachas, alio nomine Ochozias, ex fide Oraculi ab Elia in literis ſuis ad Joramum expreſſi, eodem loco recitatis. Legimus pariter ibidem XXII. 8. de Jehu: *Invenit Principes Juda, & filios fratrum Ochoziæ, qui miniſtrabant ei, & interfecit illos*.

℣. 15. Invenit Jonadab filium Rechab ... et benedixit ei, & ſalutavit eum. Et ait ad eum: Numquid est cor tuum rectum sicut cor meum cum corde tuo? Sinceram ne tu mihi, ut ego tibi, amicitiam profiteris? Rebus ne meis ſtudes, & faves? Rechab pater Jonadabi inſtituit celebrem illam, quam de ſuo nomine appellavit, ſectam Rechabitarum. Originem ex Jethro ſocero Moyſis, atque e ſtirpe Cinæorum ducebant. De inſtitutione Rechabitarum, ac vitæ profeſſione agemus fuſius in Commentario in Jerem. XXXV. 6. ubi Propheta pluribus genus illud hominum commendat.

Da manum tuam, argumentum ſocietatis, pacis, & amicitiæ. Vel tantum, Jehu, manu porrecta, illum in currum ſuum levavit.

℣. 18. Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius. Tanta ego religione Baalem colam, ut cultus hic meus Achabi religionem plurimum ſuperet. Mendacium eſt, & novus viri calidiſſimi dolus. Si ſtatim ſeſe inimicum cultorum Baalis prodidiſſet, Numinis illius Sacrificuli omnes & Prophetæ vel latuiſſent, vel fuga ſibi conſuluiſſent, ipſeque Jehu ne Dei juſſiones perficeret prohibitus fuiſſet; quare callide illos ſimul congregat, ut ne unus quidem deſit. Pium viri ſtudium, non mendacium, Deus remuneratur.

℣. 20. Sanctificate diem solemnem Baal. Hebræus ad literam (14): *Sanctificate interdictum*, indi-

Comment. Tom. II. Lll 3

[1] Malv. Arab. [2] Syr. Vat. alii paſſim. [3] Iſai. XLIX. 23. [4] 2. Par. XI. 23. ex Hebræo, יבן ויפרץ בכל בניו לכל ארצות יהודה [5] Vat. Menoch. [6] Grot. Sanct. [7] 2. Reg. VIII. 18. *Filii autem David Sacerdotes erant*. [8] *Τοὺς γνώστας, τοὺς μαντεῖς, τοὺς οἰομένους εἰδέναι τὰ μέλλοντα*, ait Theodoret. qu. 32. Legunt מידעין סוף ידענים [9] Levit. XIX. 31. אל הידענים [10] בית עקד הרעים [11] *Αὐτὸς ἐν Βαιθακὰδ τῶν ποιμένων.* [12] Vide, ſi lubet, Druſ. [13] 1. Reg. VII. 12. [14] קדשו עצרה לבעל ויקראו

indicite ferias, vel abſtinentiam, generalem populi conventum, feſtum ſolemne, & feriatum, *in honorem Baal; & vocaverunt*, vel convocaverunt. Sæpe alibi animadvertere licuit, *Sanctificare* uſurpari, pro generali edicto indicere feſtum, vel jejunium, vel cœtum aliquem ſive religionis, ſive rei alicujus gravis & publicæ gratia, ſive in honorem Dei. Vide quæ diſſeruimus ſuperius, 3. *Reg.* XXI. 9.

ỳ. 21. REPLETA EST DOMUS BAAL A SUMMO USQUE AD SUMMUM. Hebræus (1): *Ore ad os*, tamquam vas regurgitans. Chaldæus: *Ex angulo in angulum*. Vatablus: *Ab ora ad oram*.

ỳ. 22. DIXIT HIS, QUI ERANT SUPER VESTES, Præfecto cellæ veſtiariæ, qui curabat veſtes Regiæ domus: vel forte, homini, cujus cuſtodiæ commiſſa erant ſacra ornamenta cultui Baal ſervientia. Exteriori pompæ in ſacris ritibus ſtudebant plurimum Pagani, ut pars illa eſſet religionis non infima. Sacerdotes Baalis induebantur facile lineis veſtibus; Sacerdotum vero Principibus ſua erant peculiaria ornamenta, a vulgaribus diſtincta. Cum Baal, & Aſtarte Numina eſſent Phœnicia, merito reputamus, Phœnicium cultum in Templis ſuis admiſiſſe. Porro quibus induerentur veſtibus Phœnicum Sacerdotes, docet Silius Italicus, deſcribens Sacrificulos Herculis Gaditani (2).

> . . . . . . *Nec diſcolor ulli*
> *Ante aras cultus: velantur corpora lino,*
> *Et Peluſiaco præfulget ſtamine vertex.*
> *Diſcinctis mox thura dare, atque e lege parentum,*
> *Sacrificam lato veſtem diſtinguere clavo.*

ỳ. 24. INGRESSI SUNT IGITUR UT FACERENT VICTIMAS. Litera Textus exprimit, tunc primum illos Templum ſubiiſſe, revera tamen diu antea ſacras ædes ingreſſi fuerant (3), neque niſi in eodem Templo diſtributæ ſacræ veſtes videntur. *Ingreſſi ſunt* ponitur pro *ingreſſi erant*.

ỳ. 25. MILITIBUS ET DUCIBUS SUIS. Hebr. (4): *Curſoribus & Schaliſchim ſuis*. Curſores ipſi ſunt corporis cuſtodes. Adonias filius Davidis Regium apparatum affectans, prodiit ſtipatus curribus & equitibus, adjecitque quinquaginta viros, qui ſibi præcurrerent (5). Exponens Samuel Hebræis, quid illis expectandum eſſet a Rege, denunciavit futurum: *Filios veſtros tollet, & faciet ſibi equites & præcurſores* (6). Nomine igitur Curſorum deſignati videntur pedites corporis cuſtodes. *Schaliſchim* inter primos erant Regni Præfectos, ut alibi demonſtratum eſt (7).

PERCUSSERUNTQUE EOS IN ORE GLADII, ET PROJECERUNT MILITES ET DUCES, ET IERUNT IN CIVITATEM TEMPLI BAAL. Quænam urbs iſta, Templi Baalis religione ſacra? Samaria facile, Regni Iſraelitici Metropolis. Hoc ſi admittamus, quale igitur fuit Templum, ubi Sacerdotes omnes Baalis trucidati ſunt? An credibile eſt, Jehu non eos convocaſſe in Templum urbis potiſſimum, ſiquidem plura eidem Numini ſacra in urbe fuerint? Non immerito reputaverimus, coegiſſe Jehu primum ſacrificulos hoſce in Templum extra Samariam, facile ut populi turbas vitaret, ac ne quis ex iis Sacerdotibus ſeſe ſubduceret, deinde vero miſiſſe ſuos in alterum Templum intra urbem; vel interfectis ſacrificulis omnibus Baalis in Templo Samariæ, milites ſuos in aliam vicinam urbem miſiſſe, vel in cæteras, ubicumque Templa Baali ſacra ſtabant. Hebræus ad literam (8): *Percuſſerunt eos ad os gladii, & projecerunt* (ideſt, authore Ludovico de Dieu) projecerunt ſe extra Templum Baalis, celerrime egreſſi ſunt. Equidem cur projicienda erant extra Templum cadavera Sacerdotum Baalis, quos trucidaverant? *Et iverunt uſque ad civitatem domus Baal*; ad urbem cognomento Templum Baalis. Sunt qui reddant (9): *Et regreſſi ſunt in urbem, in Templum Baal*. Alii (10): *Iverunt* ad intimas uſque fani partes, atque ut ita dicam, *uſque ad arcem Templi Baal* penetrarunt.

ỳ. 27. FECERUNT PRO EA LATRINAS (11). Fanum Baalis deſtinarunt in commodum populi, ut ibi naturæ neceſſitati ſatisfacerent. Perſimilis pœnæ genus recurrit in 1. Eſdræ VI. 11. edicto enim ſuo pro Judæis lato minitatur Artaxerſes, redacturum ſe in loca publica ædes illorum, qui juſſionibus ſuis reſtiterint. Idem habes in Daniele II. 5. neque unicum eſt ejus rei exemplum in Orientis hiſtoria.

ỳ. 29. NEC DERELIQUIT VITULOS AUREOS, impia ductus politica; metuebat enim, ne veteri religione deſtituta, populus in obedientiam domus Davidicæ rediret. Conſilium, quod olim Jeroboamum & reliquum Iſraelem perdiderat, ſucceſſoribus ejus pleriſque exitio fuit.

ỳ. 30. QUIA STUDIOSE EGISTI QUOD RECTUM ERAT . . . . . FILII TUI USQUE AD QUARTAM GENERATIONEM SEDEBUNT SUPER THRONUM ISRAEL. Integra fide explevit Jehu quidquid juſtum erat ex parte Dei, Achabi domo univerſa deleta, abolito Baalis cultu, atque ultione Dei in Sacerdotes & Prophetas alienorum Numinum illata. An vero Jehu a crimine defectionis in Regem ſuum excuſetur? An a cæde Ochoziæ Regis Judæ? Quomodo amoveatur ab illo culpa ob retentum cultum vitulorum aureorum, conſtantique imitatione promota impia Jeroboami conſilia; ac denique quod ſincera mente per omnes vias Domini non rectus inceſſerit? quæ illi in ſequenti verſiculo exprobrat Scriptura. Quid illi profuit ad vitam æternam, modicum illud & mortale præmium, quo donatus eſt a Deo? Numine enim largiente ſibi & poſteris, Regnum Iſraelis obtinuit ad quartam uſque generationem (12), in præmium obedientiæ ac fidei Domini juſſionibus perficiendis. Quatuor poſteri Jehu, qui continue ſucceſſione in Iſraele regnarunt, recenſentur Joachaz, Joas, Jeroboam II. & Zacharias (13). Minas Dei in Jehu, reum inique effuſi ſanguinis in Jezrahele, habes in Oſee I. 4. Achabus & Joramus rei quidem erant criminoſi: numquid tamen Jehu innocens?

ỳ. 32. CŒPIT DOMINUS TÆDERE SUPER ISRAEL; moleſtiam, tædium & mœrorem ſenſit erga Iſraelem: Iſrael tædio illi fuit ac moleſtiæ. Hebræus (14): *Cœpit Dominus excidere*, deterere, delere Iſraelem. Permiſit Deus, ut e ditione Iſraelis pars evelleretur atque corraderetur. Triſtia Eliſæi vaticinia in Regnum Iſraelis (15) ſub idem tempus implere cœpit Hazael Rex Syriæ, qui regionem totam transjordanicam vaſtavit. Deſerta a Jehu Ramoth Galaad, ejus regionis urbe, reductoque in Samariam exercitu, capta illius abſentiæ opportunitate, dum Jehu ſubigendo aſſerendoque ſibi Regno Jorami occupabatur, ſatis temporis nactus eſt Hazael, ut Regni illius partem aliquam trans Jordanem invaderet.

---

(1) פה לפה Septuag. στόμα εἰς στόμα. (2) Silius Italic. l. 3. (3) Vide ỳ. 21. & 23. (4) לרצים ולשלישים (5) 3. Reg. I. 5. (6) 1. Reg. VIII. 11. (7) Vide Commentarium in Exod. XIV. 7. (8) ויכום לפי חרב וישלכו הרצים . . . . . וילכו עד עיר בית הבעל (9) Piſcator. (10) Oſiand. (11) למחראות Septuag. εἰς λυτρῶνας. Aliud, εἰς κοπρῶνα. (12) Aug. lib. 2. contra mendacium, cap. 2. *Quid ei profuit quod pro nonnulla obedientia . . . . aliquantam mercedem tranſitoriam regni temporalis accepit?* (13) Vide 4. Reg. XV. 12. & Amos VII. 9. (14) החל יהוה לקצות בישראל (15) Vide ſup. VIII. 12.

C A-

CAPUT XI.

Athalia, neci tradita Regia ſtirpe univerſa, uſurpat ſibi Regnum. Joas filius Ochoziæ e diſcrimine ſubducitur, atque ad Regnum effertur, opera Jojadæ ſummi Sacerdotis. Athalia interficitur.

℣. 1. ATHalia vero mater Ochoziæ, videns mortuum filium ſuum, ſurrexit, & in- A. M. 3120.
terfecit omne ſemen regium. 2. Tollens autem Joſaba filia regis Joram,
ſoror Ochoziæ, Joas filium Ochoziæ, furata eſt eum de medio filiorum regis, qui in-
terficiebantur, & nutricem ejus de triclinio: & abſcondit eum a facie Athaliæ, ut
non interfieeretur. 3. Eratque cum ea ſex annis clam in domo Domini: porro Atha-
lia regnavit ſuper terram. 4. Anno autem ſeptimo miſit Jojada, & aſſumens centu-
riones, & milites, introduxit ad ſe in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus:
& adjurans eos in domo Domini, oſtendit eis filium regis: 5. Et præcepit illis, di-
cens: Iſte eſt ſermo, quem facere debetis. 6. Tertia pars veſtrum introeat ſabbatho,
& obſervet excubias domus regis. Tertia autem pars ſit ad portam Sur: & tertia
pars ſit ad portam, quæ eſt poſt habitaculum ſcutariorum: & cuſtodietis excubias do-
mus Meſſa. 7. Duæ vero partes e vobis, omnes egredientes ſabbatho, cuſtodiant ex-
cubias domus Domini circa regem. 8. Et vallabitis eum, habentes arma in mani-
bus veſtris: ſi quis autem ingreſſus fuerit ſeptum templi, interficiatur: eritiſque cum
rege introeunte, & egrediente. 9. Et fecerunt centuriones juxta omnia, quæ præce-
perat eis Jojada ſacerdos: & aſſumentes ſinguli viros ſuos, qui ingrediebantur ſabba-
thum, cum his, qui egrediebantur ſabbatho, venerunt ad Jojadam ſacerdotem. 10.
Qui dedit eis haſtas, & arma regis David, quæ erant in domo Domini. 11. Et ſte-
terunt ſinguli habentes arma in manu ſua, a parte templi dextera, uſque ad par-
tem ſiniſtram altaris, & ædis circum regem. 12. Produxitque filium regis, & po-
ſuit ſuper eum diadema, & teſtimonium: feceruntque eum regem, & unxerunt: &
plaudentes manu, dixerunt: Vivat rex. 13. Audivit autem Athalia vocem populi
currentis: & ingreſſa ad turbas in templum Domini, 14. Vidit regem ſtantem ſuper
tribunal juxta morem, & cantores, & tubas prope eum, omnemque populum terræ
lætantem, & canentem tubis, & ſcidit veſtimenta ſua, clamavitque: Conjuratio, con-
juratio. 15. Præcepit autem Jojada Centurionibus, qui erant ſuper exercitum, &
ait eis: Educite eam extra ſepta Templi, & quicumque eam ſecutus fuerit, feria-
tur gladio. Dixerat enim Sacerdos: Non occidatur in Templo Domini. 16. Im-
poſuerunt ei manus, & impegerunt eam per viam introitus equorum, juxta Pala-
tium, & interfecta eſt ibi. 17. Pepigit ergo Jojada fœdus inter Dominum, & in-
ter Regem, & inter populum, ut eſſet populus Domini: & inter Regem, & po-
pulum. 18. Ingreſſuſque eſt omnis populus terræ Templum Baal, & deſtruxerunt
aras ejus, & imagines contriverunt valide: Mathan quoque Sacerdotem Baal occide-
runt coram Altari. Et poſuit Sacerdos cuſtodias in domo Domini. 19. Tulitque
Centuriones, & Cerethi, & Phelethi legiones, & omnem populum terræ, deduxe-
runtque Regem de domo Domini: & venerunt per viam portæ ſcutariorum in Pala-
tium, & ſedit ſuper thronum Regum. 20. Lætatuſque eſt omnis populus terræ, &
civitas conquievit: Athalia autem occiſa eſt gladio in domo Regis. 21. Septemque
annorum erat Joas, cum regnare cœpiſſet.

℣. 1. ATHALIA . . . . VIDENS MORTUUM FILIUM SUUM, SURREXIT, ET INTERFECIT OMNE SEMEN REGIUM. Quid poſſit ambitio & regnandi furor, unum eſt hoc illuſtre in tota hiſtoria documentum. Athalia extinctum Regem filium ſuum cum pleriſque e Regis neceſſariis cernens, cum ope & patrocinio nepotes ſuos juvare deberet, iiſque loco matris adeſſe, impium illud conſilium agitavit, ut iis omnibus ſublatis ſola omnium loco regnaret. Crimini huic impiiſſimæ Athaliæ plurimum concedunt ea, quæ de ambitione & crudelitate Agrippinæ, matris Neronis, memoriæ prodita ſunt.

℣. 2. TOLLENS AUTEM JOSABA . . . JOAS FILIUM OCHOZIÆ, FURATA EST EUM DE MEDIO FILIORUM REGIS, QUI INTERFICIEBANTUR, ET NUTRICEM EJUS DE TRICLINIO. Joſabat, vel Joſabet (1) ſoror erat Ochoziæ Regis Juda, facile tamen ex altera matre nata (2); qua enim ratione alioquin in necem Athaliæ matris ſuæ conſenſiſſet? Joſaba callide ſubduxit Joas, infantem adhuc, e medio cæterorum filiorum Regis, qui neci ſubdebantur: ſubductum

(1) 2. Par. xxii. 11. (2) Joſeph. Antiqu. l. 9. c. 7. ἦν Ὀχοζίᾳ ὁμοπάτριος ἀδελφὴ Ἰωσαβέθη ὄνομα.

ſtum autem illum celavit una cum ejus nutrice: celavit primo domi ſuæ; tum abdidit in Templo, quod illi percommodum ſuit, cum virum haberet Jojadam Summum Sacerdotem. Cohærere iſta propius Textui Hebræo videntur (1). Pro iis enim verbis, *Et nutricem ejus de triclinio*, fert Textus: *Furata eſt Joas, & lactatricem ejus in cubicula lectorum*; id eſt, juxta plures Interpretes (2): *Furata eſt* puerum, abſconditque primum in cubiculo, ubi ipſa cubabat. Scitum eſt inter omnes, conclavia mulierum regionis illius abditiſſima fuiſſe, & ab omni alienorum commercio remota. Juxta alios (3), abſcondit illos in quodam Templi cubiculo, ubi Sacerdotes miniſtrantes cubabant.

Ex Interpretibus quidam (4) cenſent, Joas Ochoziæ fuiſſe filium non natura, ſed ordine ſucceſſionis: ſucceſſit enim illi in Regno, ſed originem referebat e Nathan, ut deductum e Salomone genus in Ochozia clauderetur. Joas author fuit novæ familiæ, quæ communem cum illa originem habebat in Davide. Si enim Ochoziam patrem habuiſſet, quid cauſæ fuiſſet, cur Athalia excluderet illum a Regno, quippe cui pronum eſſet ſub ejus nomine imperium adminiſtrare? Quod autem, inquiunt, perſuaſit fœminæ, ut neci traderet neceſſarios Ochoziæ, illud erat, quod nollet Regnum in alteram familiam transferri: quo ſpecioſo nomine ſævam illam cædem patravit. Neque Scriptura ſatis aperte docet, Joas patrem habuiſſe Ochoziam, ſed tantum raptum fuiſſe e medio filiorum Ochoziæ, cum mactarentur. In genealogia Salomonis omittitur a S. Matthæo. Id vero minus valet, cum neque S. Lucas illum recenſeat inter poſteros Nathani. Adde, quod Joas ſæpe adeo appellatur filius Regis hic & in Paralipomenis, ut, niſi apertiſſima argumenta contrarium probent, vix, ac ne vix quidem, alteri quam Ochoziæ parenti tribui poſſit. Quæ denique ad fulciendam hanc ſententiam congeruntur virorum doctorum ſuffragia, fidem facere nequeunt, cum nitantur authoritate operis ab Annio Viterbienſi falſo Philonis nomine inſcripti.

℣. 3. Eratque cum ea sex annis clam in domo Domini. Ex ædibus Joſabæ clam tranſlatus fuit cum nutrice in quoddam Templi conclave. Neque eſt cur miremur, ſi in re plane nova & ſingulari Summus Sacerdos ſolvendam cenſuit Legem, vel morem, prohibentem, ne fœminæ cubarent in ædibus Templi deſtinatis ad quietem, & habitationem Sacerdotum ſacro miniſterio vacantium.

Athalia regnavit super terram. Deleta, uti quidem rebatur, ſtirpe regia Juda, cæde Principum omnium e Familia Davidis, invaſit Athalia jure tyrannico Regnum, neque niſi vi & dolo illud occupavit. Mulieres communiter omnes a regimine excludebantur. Imperaverat Deus Iſraelitis, ut e numero fratrum ſibi Regem eligerent. Eo nomine Athalia a Regno excludebatur; neque eo ſolummodo, ſed quod genus referret alienum a Tribu Juda, & Familia Davidis, cui Deus Regnum ſpoponderat (5). Regnavit illa tamen ſexennio.

℣. 4. Anno septimo misit Jojada, et assumens centuriones et milites. Jojadæ ſummo Domini Sacerdoti magna erat vel in civilibus authoritas. Dignitate enim ſua præerat ordini validiſſimo Sacerdotum & Levitarum: accedebat munus ſupremum Judicis, & Præfecti Juſtitiæ in gente, quod illi peculiare jus conciliabat innocentiam tuendi, curandi res populi, atque impiæ Athaliæ uſurpationi reſiſtendi. Adjungebantur publicis hiſce aliæ cauſæ privatæ, ut Joas tueretur, cujus amitam duxerat uxorem, atque ita neceſſitudinem cum Regia Familia conciliaverat. Igitur Pontifex reſtitutionem Regni in Familia Davidis aggreſſus, adoleſcentulum Joas avito in ſolio collocavit. Ut tantam rem urgeret promoveretque, nihil illi deerat; ſapientiæ & cautionis erat plurimum, ingens boni publici ſtudium, robur & vis animi, denique ſolida in Deum pietas. Quo arduum illud conſilium expleret Jojada, quæcumque animo agitabat, quinque Centurionibus expoſuit, quos & in partes ſuas traxit (6). *Pepigit cum eis fœdus*, Sacramento ad ſilentium adegit, tum eoſdem clam miſit undique per regionem, ut Levitas omnes & Optimates Juda ad certam diem accirent Jeroſolymam. Res ea prudentia & cautione geſta eſt, ut nihil ſubodorata ſit Athalia, ſive quod invidiam in ſe publicam ſævitia ſua concitaſſet, ſive quod ſummum eſſet obſequium in Jojadam, ſummumque ſtudium Familiæ Davidis conſervandæ.

Convocavit igitur Jojada Centuriones & milites. Hebræus (7): *Principes Centuriarum, arietes, & curſores*. Aquila, & Symmachus: *Centuriones, & curſores*. *Arietum* nomine deſignati cenſentur duces, & qui primas tenebant inter Cuſtodes Templi, qui tamen Centurionibus parebant. Curſores Levitæ creduntur levis armaturæ. Omnes igitur convocavit in Templum, atque inviolabili ſecreto, religioſiſſimis quibuſque ſacramentis adjuratos, obſtrinxit: deinde produxit adoleſcentulum Joas, fidemque ab omnibus exegit coram Domino, ſive, ut Scripturæ phraſi utar, pepigit cum eis fœdus, collaturos omnes operam ſuam, ut puerum avito ſolio reſtituerent.

Septimus annus, de quo hic, ætatem Joas ſignificat. Natus ille anno 3119. eodem quo ejus pater obiit, aſſumptus eſt in Regem anno 3126. Athalia nonniſi ſexennio integro regnavit, ab anno ſcilicet 3120. uſque ad 3126.

℣. 6. Tertia pars vestrum introeat sabbato, et observet excubias domus Regiæ. Excubias ſcilicet agat conclavi, quod puer Joas in Templo tenet. Animadvertere hic juvat, Sacerdotes, & Levitas pro vice ſua hebdomadarium miniſterium in Templo exhibuiſſe. Munus inibant die Sabbati, qua die vicem ſuam claudebant ii, qui præcedenti hebdomada miniſtraverant; atque ita ſingulis Sabbatis aderant in Templo frequentes Sacerdotes ac Levitæ, ex urbe pariter & agro, quorum alii munus ſuum abſolvebant, alii exordiebantur. Diem igitur Sabbati opportunam cenſuit Jojada, ut puerum Joas eveheret in Regnum, quo ſcilicet frequentiores hac die turbæ ſuſpicionis nihil Athaliæ parerent. Porro miniſterium ineuntes Levitas triſariam dividens ſummus Sacerdos, partem conſtituit in excubiis ejus conclavis Templi, ubi Rex agebat; alios locavit ad portam *Sur* vel *fundamenti*, ut appellatur in Paralipomenis (8); reliquos vero ad portam Occidentalem poſuit, e Regiis ædibus in Templum deducentem: *Ad portam quæ eſt poſt habitaculum ſcutariorum*.

Negocium in hac re faceſſit plurimum porta *Sur*; neque doctiores nos reddit nomen *portæ fundamenti*, quo alibi appellatur. Quare in tanta rerum caligine malumus ignorantiam quam ſententiam temere proferre. Nihil ſatis certi de vero ejus ſitu ſive in Verſionibus ſive in Commentariis invenimus.

Custodietis excubias domus Messa. Nihil apertius de hac domo Meſſa, quam de *Sur*, novimus.

Sunt

(1) ותגנב אתו ואת מינקתו בחדר המטות (2) Ita Chald. Syr. Grot. (3) Lyr. Tir. Mar. Cornel. Vat. Piſc. (4) Ita Eraſm. & Faber., & Mari. ex Pſeudo-Philone Annii. Vide Sanct. ad 4. Reg. xiv. 18. & Can. l. 21. de locis. (5) Geneſ. xlix. 10. & 2. Reg. viii. 12. (6) 2. Par. xxiii. 1. 2. *Jojada aſſumpſit centuriones, & iniit cum iis fœdus; qui circumeuntes Judam, congregaverunt Levitas de cunctis urbibus Juda, & principes familiarum Iſrael, veneruntque in Jeruſalem.* (7) ויקח את שרי המאות את הכרי ואת הרצים Aqu. τοὺς ἄρχοντας τῶν ἑκατοντάδων, καὶ τοὺς τρέχοντας. Sym. τοὺς ἑκατοντάρχους, καὶ τοὺς παρατρέχοντας. (8) 2. Par. xxiii. 5. בשער היסוד & 4. Reg. xi. 6. בשער סור

Sunt qui nomen eſſe credant loci, quo ſublati ex Altari cineres projiciebantur. Eumdem locum credimus cum *Muſac*, de quo inferius xvi. 18. Ædificium fortaſſe aliquod erat, vel porticus Templo conjuncta exterius, ſive mera populi atrium. Porro *Muſac* מוסך, & *Meſaeh*, בית מסה, parum admodum diſcrepant.

℣. 7. Duæ vero partes a vobis omnes egredientes Sabbato cuſtodiant excubias domus Domini circa Regem. Levitis hiſce injunctæ tantum erant excubiæ Regis; cæteris foriumi & adituum Templi cuſtodia credita erat. Porro cuſtodes corporis bifariam diviſi ſunt, facile ut duobus Præfectis parerent, atque ut alii alios viciſſim adjuvarent; ita tamen ut frequentes ſemper Regi, quocumque ſe conferret, adeſſent.

℣. 8. Siquis ingreſſus fuerit ſeptum Templi. Hebræus (1): *Veniens ad ordines, interficiatur*. Si quis ingredi vi, & turbare ordines veſtros tentaverit (2), cædatur. Milites autem ſinguli ſuum locum tenebant. Vel: Si quis avaſerit intra ſepta, vel parietes, qui in atrio populi, vel qui in atrio Sacerdotum ſunt, interficiatur. Exprimit non obſcure Joſephus (3) parietem vel ſeptum in atrio Iſraelis, quem tranſgredi aliorum nemo audebat. De pariete in atrio Sacerdotum ſermo eſt apud Ezechielem (4).

℣. 10. Dedit eis haſtas, et arma Regis David, arma ſcilicet ab eo Principe Domino conſecrata, & poſt ejus mortem in Templum illata. Animadverſum eſt ſupra (5), conſecraſſe illum arma Goliath in Tabernaculo; & ex Paralipomenis (6) diſcimus, eumdem Principem ac Præfectos ejus & Duces exercitus obtuliſſe Domino munera, quæ pariter relatæ ab illis victoriæ monumenta erant. Porro hæc omnia continebantur in deſtinato quodam Templi loco, cui Sacerdos quidam præerat. Inde facile Summus Sacerdos accepit arma, quibus Sacerdotes ac Levitas, ibi tunc frequentiores quam pro conſueto, inſtrueret. Levitæ enim conſuetas excubias agentes, ſuis armis nunquam deſtituebantur. Forte etiam ſingulis arma quædam addita ſunt. Hebræus (7): *Dedit lanceas*, vel ſpicula, & clypeos, *Regis David*. Vel, ex aliis (8): *Lanceas & pharetras*. Armamentarium conſtituiſſe Davidem in Templo, quod Jojadæ hæc arma ſuffecit, Joſephus affirmat (9).

℣. 11. Steterunt . . . a parte Templi dextera uſque ad partem ſiniſtram. Rex Joas conclavi ſuo egreſſus, deductus eſt ad medium atrii Sacerdotum, ubi ſeſe obtulit ſtipatum militibus, ad dexteram, nempe ad meridiem, & ad ſiniſtram, ideſt, ad ſeptentrionem. Hos vero milites ipſiſſimos credo Levitas, qui hebdomadarium miniſterium ſuum abſolverant: ut enim ſupra animadvertimus, qui munus inibant, locati fuerant ad portas, nec deſerere locum ſuum poterant. Portas atrii populi nemo defendit, ſed aditus pro conſueto more omnibus patuit; munire tantum viſum eſt aditus e Palatio in Templum, ne Regiæ cohors locum ſanctum ingrederetur.

℣. 12. Produxitque filium Regis, et poſuit ſuper eum diadema, et teſtimonium. Sunt qui impoſitum credant Regis capiti diadema, traditumque in manus volumen legis, pro ſceptro; erat enim, inquiunt, volumen e membrana, deſcriptam ferens ſententiam Deuteronomii, quæ de electione atque officiis Regis eſt (10). Porro volumen illud membranaceam perſimilem ſceptro vel baculo ſigneam exhibebat. Malunt alii, redimitum fuiſſe Principis caput corona, cujus in anteriori parte inſerta erant phylacteria, ſeu verba legis, quæ fronti alligata Iſraelitarum ſinguli præferebant (11). Alii (12) coronam capiti, cæteraque regia ornamenta puero inducta malunt; redduntque Textum: *Poſuit diadema, & ornamentum*. Tradit Joſephus (13), corona capiti Regis impoſita, Jojadam iniiſſe illum unctione, ac palam Regem prædicaſſe. Nos tamen literam Textus ſecuti, reddimus: Poſuit ſuper caput ejus diadema, vel vittam Regiam, qua frons obvolvebatur; deinde impoſuit illi volumen legis, ita ferme, uti Jobus optabat imponi capiti ſuo prolatam a ſummo Judice ſententiam (14): *Quis mihi tribuat, ut librum ſcribat ipſe qui judicat, ut in humero meo portem illum, & circumdem illum quaſi coronam mihi*. Solemne eſt Orientalibus, ut literas, ſi quas acceperint a viro, quem ſuſpiciunt & reverentur, prius imponant capiti, quam ſolvant (15). Animadvertimus alibi morem Regum Orientalium, ferendi diadema. Amalecita quidam diadema Regis Saulis ad Davidem tulit (16). David aptavit ſibi coronam, quam Melchom Ammonitarum Numini abſtulerat (17). Comites ſuas invitat Sponſa ad videndum Regem Salomonem, redimitum diademate, quo mater illum inſigniverat (18).

Fecerunt eum Regem, et unxerunt, Regia ſcilicet unctione. Quem factum ritum oleo ſacro, quod in Templo ſervabatur, peractum fuiſſe, nec per alium, quam per Summum Sacerdotem, credimus. Moris utique non erat, ut Reges omnes Juda unctione initiarentur: id tamen ſervabatur, quoties difficultatis aliquid ineſſet ſive in electione ſive in poſſeſſione Regni. Unctus eſt Salomon, quod jus in Regnum ſibi uſurparet Adonias (19); unctus eſt Joas, quod Regnum Athalia occuparet.

℣. 14. Vidit Regem ſtantem ſuper Tribunal. Hebræus (20): *Stantem ſuper columnam*, vel tribunal, vel ſolium. Id nominis plerumque dabatur edito cuidam loco in Templo, ubi conſtituere ſeſe Reges ſolebant (21). Salomon erexerat in Templo æneum Tribunal, trium cubitorum altitudinis, & quinque latitudinis. Illud hic columna appellatur.

℣. 15. Educite eam extra ſepta Templi. Hebræus (22): *Educite extra ordines*. Educite e medio militum, ad quos venit, & apud quos conſtitit, & rapite ad necem. Septuaginta: *Educite ab intra Saderoth*; quo nomine deſignari Joſephus cenſuit torrentem Cedron, non ſatis perpendens, ea voce *Saderoth* exprimi ordines militum.

℣. 16. Impoſuerunt ei manus, et impegerunt eam per viam introitus equorum. Hebræus ad literam (23): *Poſuerant ei manus; & venit per viam introitus equorum*. Phraſim hanc, *Poſuerunt ei manus*, exponunt plures, ut ſit, locus ei factus eſt. Steterat illa præ foribus Templi, & milites medium illam excipientes, retinuerunt. Cum tamen cautum fuiſſet, ne ſanguinem ejus funderent

(1) ובא אל השדרות יומת (2) Ita Jonat. Syr. Arab. & Interpr. pleriq. (3) Joſeph. lib. 6. de Bello c. 6 p. 916. c. d. Et Antiqu. l. 15. c. 14. p. 545. D. E. (4) Ezech. xl. 9. 10. Et Joſeph. Antiq. lib. 8. cap 2. p. 262. (5) 1. Reg. xvi. 9. (6) 2. Par. xxvi. 22. *Ipſe Selemith & fratres ejus ſuper theſauros Sanctorum, quæ ſanctificavit David Rex, & Principes familiarum, & Tribuni, & Centuriones, & Duces exercitus*. (7) החנית ואת השלטים אשר למלך דוד (8) Syriac. Arab. (9) Joſeph. Antiqu. lib. 9. c. 7. ἀνοίξας δὲ Ἰωάδος τὰ ἐν τῷ ἱερῷ ὁπλοθήκην ἣν Δαυίδης κατεσκεύασε. (10) Deut. xvii. 18. (11) Exod. xiii. 9. *Erit quaſi monumentum ante oculos tuos*. Ita Grot. ex Rabb. (12) Pagnin. Vatab. (13) Joſeph. loco cit. ἐπέθηκε αὐτῷ τὸν στέφανον τοῦ βασιλέως, καὶ τῷ ἐλαίῳ χρίσας ἀπέδειξε βασιλέα. (14) Job. xxxi. 35. (15) Vide Paul Lucas tome 1. c. 8. Voyage du Levant, & Thevenot c. 46. p. 121. Bernier t. 2. Evenement des Etats du Mogol p. 70. &c. (16) 2. Reg. 1. 10. (17) 2. Reg. xii. 30. (18) Cant. iii. 3. *Videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua*. (19) 3. Reg. 1. 39. (20) עמד על העמוד (21) 2. Par. vi. 13. & 4. Reg. xxiii. 3. *Stetitque Rex ſuper gradum*. (22) הוציאו אותה אל מבית לשדרות (23) וישימו לה ידים ותבוא דרך מבוא הסוסים

drrent in Templo, apertis iterum ordinibus, liberam egrediendi viam præbuerunt; vix autem proceſſit ad portam equorum, ibi neci tradita eſt.

℣. 17. Pepigit Jojada fœdus inter Dominum et inter Regem, et inter populum. Jojada veluti ſequeſter hujus fœderis Regem adegit, ut inviolabilem fidem Deo ſponderet, ad normam Legum ipſius (1); nequid etiam cultui ejus deeſſet, obſtringeretque ſe populo ad tectas ſartaſque ſervandas Leges Regni, defendendam adverſus hoſtes ditionem, quamdiu populus in obſequio & fide maneret. Viciſſim autem obſtrinxit Optimates populi, ut nomine totius Reipublicæ integram omnino obedientiam pollicerentur, quæ tamen præceptis Domini & Legibus Regni cohæreret, Deo ſemper ſervituros, ex pactis firmatis in fœdere, quod olim cum patribus ſuis in Sinai ſancitum fuerat (2).

℣. 18. Ingressus est omnis populus terræ Templum Baal, Athalia ſuperſtitionibus omnibus Jezabelis matris ſuæ inhærens, invexerat, vel ſaltem cultum Numinum Phœnicum in Juda revocaverat. Porro Salomon (3) Numinibus Paganorum Templa conſecraverat in monte Olivarum, e regione Jeroſolymæ; nec alibi facile Athalia Baalem colebat. Legimus in ſecundo Paralipomenon xxiv. 7. Athaliam ejuſque filios pulcherrima & ditiſſima Templi Domini ornamenta in Fanum Baalis tranſtuliſſe. Merito igitur Jojada reformationem Imperii ab everſione Templi hujus infamis exorſus eſt.

Posuit Sacerdos custodias in Templo Domini. Reſtituit veterem diſciplinam, conſtituendi ſcilicet cuſtodes ad portas Templi, nequid immundum Locum ſanctum ingrederetur. Vide Paralipomena (4). Sub præcedentibus Regibus nec liberum erat, nec facile ordinem rituum in Templo inviolatum ſervare, quod Principes Religioni parum ſtuderent.

℣. 19. Tulitque Centuriones et Cerethi et Phelethi legiones. De Cerethi & Phelethi nihil in Hebræo (5), ubi tantum *Centuriones*, vel Principes centum, & *arietes*, & *curſores*; quarum vocum ſignificationem expoſuimus ſuperius ℣. 4. Porro de Cerethi & Phelethi poſt Regnum Davidis, nihil occurrit in Textu originali Librorum Regis.

Sedit super thronum Regum. Super ſolium illum magnificum, eburneum, quem Salomon ſibi, & Regibus ſucceſſoribus ſuis paraverat (6). Athalia facile venerat in Templum per portam meridianam, & per eamdem portam egreſſa eſt. Joas deductus fuit in regias ædes *per viam portæ Scutariorum*, ideſt, portæ occidentalis.

(1) Deut. xvii. 16. & ſeqq. (2) Vide Exod. xix. 5. (3) 3. Reg. xi. 5. 7. Vide & 4. Reg. xxiii. 13. (4) 2. Paral. xxiii. 19. *Conſtituit janitores in portis domus Domini, ut non ingrederetur eam immundus in omni re.* (5) ויקח את שרי המאות ואת הכרי ואת הרצים (6) 3. Reg. x. 18.

CAPUT XII.

Joas Templum Domini ſarciendum curat. Hazael Rex Syriæ urbem Geth obſidet: tum obſidionem Jeroſolymæ minitantem avertit Joas, miſſis ad illum theſauris omnibus Templi, & Regiis. Joas moritur. Amaſias regnat.

A. M. 3126. ante J. Chr. 878. ℣. 1. Anno ſeptimo Jehu, regnavit Joas: & quadraginta annis regnavit in Jeruſalem: nomen matris ejus Sebia de Berſabee. 2. Fecitque Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Jojada ſacerdos. 3. Verumtamen excelſa non abſtulit: adhuc enim populus immolabat, & adolebat in excelſis incenſum. 4. Dixitque Joas ad ſacerdotes: Omnem pecuniam ſanctorum, quæ illata fuerit in templum Domini a prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ, & quam ſponte, & arbitrio cordis ſui inferunt in templum Domini: 5. Accipiant illam ſacerdotes juxta ordinem ſuum, & inſtaurent ſartatecta domus, ſiquidem neceſſarium viderint inſtauratione. 6. Igitur uſque ad vigeſimum tertium annum regis Joas non
A. M. 3148. inſtauraverunt ſacerdotes ſartatecta templi. 7. Vocavitque rex Joas Jojadam pontificem, & ſacerdotes, dicens eis: Quare ſartatecta non inſtauratis templi? nolite ergo amplius accipere pecuniam juxta ordinem veſtrum, ſed ad inſtaurationem templi reddite eam. 8. Prohibitique ſunt ſacerdotes ultra accipere pecuniam a populo, & inſtaurare ſartatecta domus. 9. Et tulit Jojada pontifex gazophylacium unum, aperuitque foramen deſuper, & poſuit illud juxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini, mittebantque in eo ſacerdotes, qui cuſtodiebant oſtia, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini. 10. Cumque viderent nimiam pecuniam eſſe in gazophylacio, aſcendebat ſcriba regis, & pontifex, effundebantque, & numerabant pecuniam, quæ inveniebatur in domo Domini. 11. Et dabant eam juxta numerum, atque menſuram, in manu eorum, qui præerant cæmentariis domus Domini: qui impendebant eam in fabris lignorum, & in cæmentariis iis, qui operabantur in domo Domini. 12. Et ſartatecta faciebant, & in iis, qui cedebant ſaxa, & ut emerent ligna, & lapides, qui excidebantur, ita ut impleretur inſtauratio domus Domini, in univerſis, quæ indigebant expenſa ad muniendam domum. 13. Verumta-

rumtamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi Domini, & fuſcinulæ, &
thuribula, & tubæ, & omne vas aureum, & argenteum, de pecunia, quæ inferebatur in templum Domini.
14. Iis enim, qui faciebant opus, dabatur, ut inſtauraretur templum Domini.
15. Ita non fiebat ratio iis hominibus, qui accipiebant pecuniam, ut diſtribuerent eam artificibus, ſed in fide tractabant eam.
16. Pecuniam vero pro delicto, & pecuniam pro peccatis non inferebant in templum Domini, quia ſacerdotum erat.
17. Tunc aſcendit Hazael rex Syriæ, & pugnabat contra Geth, cepitque eam, & direxit faciem ſuam, ut aſcenderet in Jeruſalem.
18. Quam ob rem tulit Joas rex Juda omnia ſanctificata, quæ conſecraverant Joſaphat, & Joram, & Ochozias, patres ejus reges Juda, & quæ ipſe obtulerat: & univerſum argentum, quod inveniri potuit in theſauris templi Domini, & palatio regis: miſitque Hazaeli regi Syriæ, & receſſit ab Jeruſalem.
19. Reliqua autem ſermonum Joas, & univerſa, quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Juda?
20. Surrexerunt autem ſervi ejus, & conjuraverunt inter ſe, percuſſeruntque Joas in domo Mello in deſcenſu Sella.
21. Joſachar namque filius Semaath, & Jozabad filius Somer, ſervi ejus, percuſſerunt eum, & mortuus eſt: & ſepelierunt eum cum patribus ſuis in civitate David, regnavitque Amaſias filius pro eo.

℣. 1. Anno septimo Jehu regnavit Joas. Natus fuerat Joas eodem anno, quo Jehu Ochoziam Regem Juda patrem ipſius, & Joramum Regem Iſraelis interfecit: quare ſeptimus ætatis Joas, ſeptimus erat pariter Regni Jehu.

℣. 2. Fecit Joas rectum coram Domino cunctis diebus quibus docuit eum Jojada Sacerdos. Quo tempore Jojada diem clauſerit, ignoramus: docet tamen Scriptura (1) vixiſſe adhuc, cum Joas tertium & vigeſimum Regni annum ageret. Quare ad id uſque tempus, ac forte etiam ad aliquot ulterius annos juſtitiam Rex ille coluit; ſtudium enim ſuum pro farciendo Templo, etiam poſt Jojadæ obitum, non remiſit.

℣. 3. Verumtamen excelsa non abstulit. Suſtulit ille quidem edita loca, Templa & lucos Profanos; ſed edita illa loca Deo ſacra, quo populus ad Sacrificia confluebat, lege nequicquam vetante (2), reliquit intacta. Non immerito reputaverimus, Principem hunc ea toleraſſe, quod illis ſublatis diſcrimen incurrere ſe grande nimis & arduum non ipſe modo ſed & Jojada vereretur. Alioquin enim vivus ille Sacerdotis hujus ardor non tepuiſſet. Sed politica hæc conſilia, & humanæ ſapientiæ leges minus gratæ Numini fuerunt.

℣. 4. Omnem pecuniam sanctorum, quæ illata fuerit a prætereuntibus. Reparatione indigere Templum intelligens Rex, ſeponi in eam rem juſſit pecuniam, quæ Templo debebatur, quam Sacerdotes in proprium uſum converterant, nihil curantes ſacri hujus loci inſtaurationem. Rex igitur certos proventus in id opus aſſignavit, I. e tributo hemiſicli, quem ſinguli Iſraelitæ per capita ſingula quotannis ſolvebant, ab anno ætatis vigeſimo, ex legis Moſaicæ ſanctione (3). Vectigal illud appellatur hic *pecunia a tranſeuntibus*, nempe eorum qui recenſentur (4). Pecuniam hanc tranſeuntium exponit Grotius de ſtipe ſoluta ab advenis Jeroſolyma tranſeuntibus, ut Dominum in Templo adorarent, quam illi pecuniam dabant oblationis loco, vel ut nomine ſuo Sacrificia Domino offerrentur. Id genus hominum deſignavit Salomon in ea oratione, qua in dedicatione Templi Deo ſupplicavit (5): *Inſuper & alienigena cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum . . . tu exaudies in Cœlo &c.* Hebræum כסף עובר reddunt Septuaginta ἀργύριον συντιμήσεως, *Argentum æſtimationis*; argentum ſcilicet in commerciis probatum (6).

Quæ offertur pro pretio animæ. Alter eſt hic proventus, unde ſufficiendi erant ſumptus ad Templi reparationem; pecunia ſcilicet pro redemptione animæ ſuæ data. Cum votum quis nuncupaverit, ſeque Domino conſecraturum ſpopondit *animam*, ideſt, vivens aliquod, & animatum, res illa Deo ſolvenda erat, vel redimenda pro æſtimatione Sacerdotis; qua de re vide Leges in Levitico deſcriptas (7). Grotius dictum accipit de hemiſiclo, qui ab Iſraelitis per capita ſolvebatur.

Et quam sponte et arbitrio cordis sui inferunt in Templum. Tertius hic erat fundus in ſumptus ad Templi reparationem. Spontaneæ oblationes a privatis in eam rem collatæ, uti a vidua Evangelii, quæ duo minuta in gazophylacium Templi intulit (8). Legimus in II. Paralipomenon XXIV. 5. Regem Joas miſiſſe Sacerdotes, & Levitas per urbes Juda, qui pecunias quotannis ad farta tecta Templi colligerent.

℣. 5. Accipiant illam Sacerdotes juxta ordinem suum, ideſt, Sacerdotes pro ordine vicis ſuæ miniſtrantes pecuniam hanc excipiant: quod innuere videtur, pecuniam illam allatam fuiſſe in Templum ad Sacerdotes. Hebræus (9): *Tollent Sacerdotes vir* [quiſque] *a noto ſuo*. Cum collatitiæ iſtæ pecuniæ cogerentur in locis & Urbibus Juda, ſinguli Sacerdotes eas curabant, quæ in loco ſuo deferebantur, excipiebantque e notis ſuis, & vicinis, ibidem commorantibus.

Instaurent sarta tecta domus. Hebræus (10): *Fortificabunt rapturam domus*. Quaſi diceretur: Conſolidabunt plagam, vel obducent vulnus, reparabuntque ruinas domus Domini.

℣. 6. Igitur usque ad vigesimum tertium annum Regis Joas non instauraverunt, &c. Certus annus datæ hujus a Rege juſſionis de colligendis ad farta tecta Templi pecuniis, ignoratur. Illud conſtat, Sacerdotes mandata ſegniter curaſſe: *Porro Levitæ egere negligentius* (11). Inanes in ſumptus erogarunt, vel forte in uſus ſuos tranſtulerunt pecuniam; vel denique nulla ſolicitudine teneban-

[1] Hic ℣. 6. [2] Deuter. XII. 8. 9. 11. 13. 14. Vide dicta ad 3. Reg. XV. 14. [3] Exod. XXX. 12. *Quando tuleris ſummam filiorum Iſrael juxta numerum, dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis . . . & dimidium ſicli juxta menſuram Templi*. Vide & Matth. XVII. 24. [4] Ita Vat. Munſt. Sanct. Mart. &c. [5] 3. Reg. VIII. 41. [6] Vide Geneſ. XXIII. 16. *Argenti probatæ monetæ publicæ*. Hebr. *Argenti tranſeuntis ad mercatorem*. [7] Levit. XXVII. 2. & ſequ. [8] Luc. XXI. 2. [9] יקחו להם הכהנים איש מאת מכרו [10] והם יחזקו את בדק הבית Septuag. κρατήσουσι τὸ βεδὲκ τοῦ οἴκου. Vocem Originalem ſervans Theodoretus q. 40. ita explicat: Βεδὲκ δὲ καλοῦσι τὰ ἐφθαρμένα ξύλα, ἢ λίθους ἐξηρμοσμένους. [11] 2. Paralipom. XXIV. 5.

Digitized by Google

pebantur de opere urgendo, quod res ſuas minimum juvabat, quin & proventuum ſuorum portionem non modicam avertebat. Idem rerum ſtatus perſeveravit biennio, teſte Chronico Hebræorum, uſque ad annum Regis Joſiæ tertium & vigeſimum. Altero demum anno Princeps nova Lege vetuit, ne Levitæ pecuniam hanc exigerent, neve ſibi de reparatione Templi curam aliquam vindicarent; quin & juſſit acceptam pecuniam reſtituere, novaque ſancivit alia, ut opus urgeretur. *Prohibiti ſunt ultra accipere pecuniam*. Hebræus (1), Chaldæus, Septuaginta, Syrus, Arabs: *Conſenſerunt Sacerdotes pro non accipere pecuniam a populo*. Neque tamen exempti ſunt, quin exactæ pecuniæ rationem redderent, atque in uſum Templi eam converterent, quam illi uſurparunt.

℣. 9. Posuit illud juxta Altare, ad dexteram ingredientium domum Domini. Cenſuit Rex futurum, ut ſi omnes penſum ſuum redderent Templo, collata illa pecunia neceſſitati reparationis provideret, ſiquidem integra fide expenderetur. Statuit igitur arcam extra portam Templi, uti legimus in Paralipomenis (2). Cum vero ait Scriptura, arcam poſitam fuiſſe prope Altare, cenſendum eſt, primo quidem juxta Altare collocatam, deinde extra atrium Sacerdotum translatam fuiſſe, ut ſcilicet palam omnibus, etiam fœminis, expoſita, Iſraelitarum omnium oblationes colligeret. Vel denique explicandus eſt Textus de conſtituta arca e regione Altaris Holocauſtorum extra ambitum ſepti, quo Altare claudebatur. Ad hujus arcæ cuſtodiam deſtinati ſunt Sacerdotes & excubiæ, ne quid fraudis committeretur, atque ut exigeretur pecunia, & cætera, quæ a ſingulis ſolvenda erant. Sed oblationes religioſas & ſpontaneas per ſe quiſque in arcam jacere poterat.

℣. 10. Effundebant et numerabant pecuniam. Hebræus (3): *Ligabant, & numerabant pecuniam*. Argentum ſuum in virgas redactum ſolvebat populus, collectiſque e virgulis illis faſciculi, ad pondus operum curatoribus dabantur. Agebantur hæc omnia coram Scriba Regis & Sacerdote, per Pontificem deſtinato (4).

℣. 11. Dabant eam juxta numerum atque mensuram, in manu eorum, qui præerant. Hebræus (5): *Dabant pecuniam paratam ſuper manus Præpoſitorum Opificibus*. Vel, ex aliis: Dabant pecuniam numeratam, obſignatam, deſcripto pondere & æſtimatione. Syriacus & Arabs: *Dabant pecuniam colligatam, obvolutam*. Porro pecuniam hanc ab ipſo Rege & ſummo Sacerdote diſtributam fuiſſe, ex Paralipomenis diſcimus.

℣. 13. Verumtamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ Templi. Repugnare hoc videtur iis, quæ leguntur in ſecundo Paralipomenon xxiv. 14. *Cumque compleſſent omnia opera, detulerunt coram Rege & Jojada reliquam partem pecuniæ, de qua facta ſunt vaſa Templi in miniſterium*. Sed ipſa hæc verba nodum ſtringunt, & ſolvunt. Vetuit Rex, ne oblatæ pecuniæ diſſiparentur in alios ſumptus, præterquam ad ſarta tecta Templi, donec opus univerſum abſolveretur; tum manus admota eſt vaſis ad uſum Altaris conflandis.

Hydriæ. Hebræus (6): *Scyphi*, vel lances ex argento.

Fuscinulæ. Sunt qui reddant vocem originalem מזמרות *cultros*. Sed plerique (7) exponunt de muſicis inſtrumentis, veluti de ſyſtris, aliiſque, qui ex argento vel ære parabantur. Septuaginta reddunt ἥλοι, clavos.

Thuribula. Hebræus: מזרקות, φιάλας, pateras, ad literam, vaſa pro libationibus ſanguinis vel liquorum in Altari, vel ad baſim Altaris (8).

℣. 16. Pecuniam pro delicto, et pecuniam pro peccatis non inferebant in Templum Domini, quia Sacerdotum erat. Quid ſit diſcriminis inter delictum, & peccatum, in Levitico iv. 2. expendimus, neque tamen a vero abſidit, hic duas haſce voces eſſe ſynonymas. Pecunia pro peccato varie accipi poteſt. E. g. jubet Lex (9): *Anima ſi prævaricata fuerit cæremonias per errorem in his quæ Domino ſunt ſanctificata peccaverit*; ut ſiquis oblitus non ſolverit decimas, primitias, & alia id generis; *offeret pro delicto ſuo arietem immaculatum de gregibus, qui emi poteſt duobus ſiclis, ipſumque quod intulit damnum, reſtituet Sacerdoti, & quintam partem ponet ſupra*. Hæc omnia ita cedebant Sacerdoti, ut ad communes ſumptus non devolverentur (10). Alii Textum ita exponunt (11): Si quis advena, Ethnicus, vel alius oblationem contuliſſet ad Templum, poſcens Sacrificium, ſi quid ſupereſſet pecuniæ ad emendam victimam datæ, illud erat Sacerdotis, nec veniebat in cenſum oblationum, quæ ad ſarta tecta Templi conferebantur.

℣. 17. Tunc ascendit Hazael . . . . et pugnabat contra Geth. Hæc urbs, quam olim David Philiſthæis eripuerat, ad id uſque ſub jugo familiæ Davidicæ manſerat (12). Hazael, ignotum qua de cauſa, obſeſſurus illam veniens, eſt cepit. Geſta ſunt hæc poſt obitum Jojadæ, cum Rex ſalutaria pii Sacerdotis monita jam oblitus, fræna dediſſet licentiæ, adeout ne alienam quidem a ſe judicaret idololatriam, cujus & cultum publicum permiſit populo, ac lapidibus conficiendum tradidit Eleazarum Summum Sacerdotem, Liberatoris ſui filium (13). Cauſa hæc fuit malorum omnium, tum in ſe, tum in Rempublicam, de quibus in fine hujus capitis. Venit igitur Hazael Rex Syriæ obſeſſurus Geth; qua capta, copias adverſus Jeroſolymam duxit. Malum illud avertit a ſe Joas, ſolutis Regi tum ſuis, tum ſacri ærarii theſauris. Verum proxime ſequenti anno Hazael iterum ad arma; commiſſoque prælio Joas excidit victus, infinito propemodum ſuorum numero cæſo, interfectis Optimatibus omnibus Juda, ipſo Rege male a Syris excepto, ac vulnerato, vaſtataque ab hoſtibus regione. Joas rediit Jeroſolymam, ubi a conjuratis neci traditus eſt. Eo malorum miſerum illum Principem ultrix Dei manus adduxit.

℣. 18. Omnia sanctificata, quæ consecraverat Josaphat, et Joram, et Ochozias. Quomodo iſta cohæreant cum ſecundo Paralipom. xxiv. 7. ferente, Athaliam ejuſque filios, Ochoziam ſcilicet & fratres ejus, evertiſſe Templum Domini; & quidquid in illo invenere ſacrorum munerum, in ornamentum Templi Baalis tranſtuliſſe. Quod pariter de Joramo traditur (14), Principem oſtendit non ſatis de religione ſolicitum, neque ad oblationes, atque ad munera in Templum cumulanda paratum. Reſponderi tamen poteſt, Joramum, & Ochoziam, impios licet ac profanis ſuperſtitionibus addictos, politicis tamen rationibus, vel inani quodam gloriolæ amore, vel brevis pietatis atque timoris judiciorum Dei motu inductos, munera quædam Templo Domini contuliſſe, cum interim ſimul Domum Dei opibus ſpoliarent, quas & Fidelium, & Regum prædeceſſorum pietas conſecraverat. Nihil hac impietate fre-

[1] ויאתו הכהנים לבלתי קחת כסף Septuag. καὶ συνεφώνησαν τοῦ μὴ λαβεῖν, &c. [2] 2. Paral. xxiv. 8. *Fecerunt arcam, poſueruntque eam juxta portam Domini forinſecus.* [3] ויצרו וימנו את הכסף Septuag. ἔσφιγξαν καὶ ἠρίθμησαν τὸ ἀργύριον. [4] 2. Paral. xxiv. 11. [5] ויתנו את הכסף המתכן על ידי עשי Septuag. καὶ ἔδωκαν τὸ ἀργύριον τὸ ἑτοιμασθὲν ἐπὶ χεῖρας, &c. [6] ספות כסף Sept. θύραι ἀργυραῖ, portæ argenteæ. Forte θυῖαι, ſeu θυίσκαι, thuribula. Grot. [7] Ita Chald. Pagn. Mont. Jun. Vat. [8] Ita Chald. Arab. Mont. Jun. &c. [9] Levit. v. 15. Vide & Num. v. 26. [10] Ita Toſt. Grot. Jun. [11] Vatab. Sanct. [12] 2. Reg. viii. 1. & 1. Paral. xviii. 1. [13] 2. Paral. xxiv. 22. *Qui cum moreretur, ait: Videat Dominus, & requirat.* [14] 2. Paral. xxi. 11. 17. 20.

ſrequentius. Quam multi Templum ſpoliant, ut alterum ornent? Quam multi diripiunt pauperes, dum magnifici Operis Altaria pacti pauperum erigunt?

℣. 20. Surrexerunt servi ejus, et conjuraverunt inter se, ut ſanguinem Summi Sacerdotis Zachariæ filii Joiadæ ulciſcerentur (1), quem Joas interfici in Templo juſſerat, uti ſupra narratum eſt.

Percusserunt Joas in domo Mello in descensu sella. Mello ædes erant Regiæ a Salomone conditæ in area, ex aggeſta humo formata inter veterem urbem Jeroſolymam, & Civitatem Davidis (2). *Sella* via erat facile, vel agger imminens domui Mello. Scimus enim ex Paralipomenis (3), Joas in lecto ægrotantem neci traditum fuiſſe: *Occiderunt eum in lectulo ſuo, & mortuus eſt.* Sunt qui (4) nomina illa *Beth-Mello*, domus Mello, & *Sella* pro urbibus accipiant. Sed præſtat *Sella* exponere de via, ſeu aggere, quem ſtrui juſſit Salomon, ut ex ædibus ſuis in Templum aſcenderet (5); atque ita Textum reddere: *Percuſſerunt eum in domo Mello, ſita infra aſcenſum, ad Templum ferentem.*

Is fuit exitus Joas, Principis, quem Dei favor, & felicitas tamdiu proſequuta eſt, quamdiu pietatem, & juſtitiam coluit, duce viro illo eximio, quem illi Deus patrem & conſultorem dederat. Statim vero ac politicis quibuſdam conſiliis ſuadentibus liberam permiſit ſubditis ſuis facultatem cultus Profani, cui ſe pariter addixit, ſtatim e crimine in crimen provolutus eſt, ut ex impietate rueret in Idololatriam, ingrati animi vitium, homicidium, ſacrilegium. His autem criminibus provocavit in ſe, ſuamque ditionem terribile illud ultionis Divinæ flagellum, quo & portione Regni ſui mulctatus eſt, privatuſque maxima parte populi, viris Regni Principibus, ſuiſque divitiis omnibus, quas colligere potuit diuturno Regni ſpatio; quin & nota inuſtus eſt infamiæ ex geſto turpiter prælio, invidiam ſuorum incurrit, ac funeſtam mortem, quam & illiberale funus ſequutum eſt, addita privatione avitæ inter cæteros Reges ſepulturæ.

℣. 21. Josachar filius Semaath, et Jozabad filius Somer, servi ejus. Hi appellantur in Paralipomenis (6) Sabad filius Semaath, mulieris Ammanitidis, & Jozabel filius Semarith Moabitidis. Adſcribuntur hic tantum nomina matrum, quæ ambæ fœminæ erant alienæ.

Sepelierunt eum cum patribus suis; non tamen in ſepulchro Regum. Sepulturæ traditus eſt tantum in Civitate Davidis (7). Suppetunt alia quædam exempla perſimilis ſepulturæ, Regibus Juda decretæ (8), uti Achaz. Juris genus erat quoddam, vel licentiæ, quam ſibi populus in Principes poſt eorum mortem ſervaverat, ut privaret illos avitæ ſepulturæ honore; quod probroſiſſimum erat, ſiquid aliud maxime, ut ſcilicet ejus pœnæ metus Principes contineret in officio, ne ſuprema authoritate abuterentur. Apud Ægyptios (9) fas erat Principem poſt ejus mortem accuſare; qui ſi reus criminis convinceretur, pro delicti gravitate, honore etiam ſepulturæ privabatur.

(1) 2. Par. xxiv. 25. *Surrexerunt contra eum ſervi ſui in ultionem ſanguinis filii Jojadæ.* (2) Vide 2. Reg. v. 9. & 3. Reg. ix. 15. (3) 2. Paral. xxiv. 25. (4) Syr. Arab. Munſt. Tirin. &c. (5) 2. Paralip. xxvi. 12. & 2. Paralip. ix. 11. Ita Jun. Grot. Men. Piſc. Malv. à סלה ponitur pro מסלה *aggere.* (6) 2. Par. xxiv. 26. (7) 2. Par. xxiv. 25. *Sepelierunt eum in civitate David, ſed non in ſepulchris Regum.* (8) Vide 2. Par. xxviii. 27. (9) Vide Diodor. Sicul. l. 1. Bibl. p. 48. [illegible]

CAPUT XIII.

Joachaz Rex Iſraelis opprimitur a Rege Syriæ: ſed coram Domino animos dejiciens, liberatorem ab illo impetrat. Joas ejus filius ſuccedit in Regnum. Tres victorias de Syris a ſe referendas, ſpondente Eliſæo, diſcit. Eliſæus obit: cujus oſſa defunctum alterius cadaver contingens, ſtatim vita reſtituitur.

℣. 1. ANno vigeſimo tertio Joas filii Ochoziæ regis Juda, regnavit Joachaz filius
Jehu ſuper Iſrael in Samaria decem, & ſeptem annis. 2. Et fecit ma-
lum coram Domino, ſecutuſque eſt peccata Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit
Iſrael, & non declinavit ab eis. 3. Iratuſque eſt furor Domini contra Iſrael, &
tradidit eos in manu Hazael regis Syriæ, & in manu Benadad filii Hazael, cunctis
diebus. 4. Deprecatus eſt autem Joachaz faciem Domini, & audivit eum Dominus:
vidit enim anguſtiam Iſrael, quia attriverat eos rex Syriæ: 5. Et dedit Dominus
ſalvatorem Iſraeli, & liberatus eſt de manus regis Syriæ: habitaveruntque filii Iſrael
in tabernaculis ſuis, ſicut heri, & nudiuſtertius. 6. Verumtamen non receſſerunt a
peccatis domus Jeroboam, qui peccare fecit Iſrael, ſed in ipſis ambulaverunt, ſiqui-
dem & lucus permanſit in Samaria. 7. Et non ſunt derelicti Joachaz de populo,
niſi quinquaginta equites, & decem currus, & decem millia peditum: interfecerat
enim eos rex Syriæ, & redegerat quaſi pulverem in tritura areæ. 8. Reliqua au-
tem ſermonum Joachaz, & univerſa, quæ fecit, & fortitudo ejus, nonne hæc ſcri-
pta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iſrael? 9. Dormivitque Joachaz cum

patribus ſuis, & ſepelierunt eum in Samaria: regnavitque Joas filius ejus pro eo. 10. Anno trigeſimo ſeptimo Joas regis Juda, regnavit Joas filius Joachaz ſuper Iſrael in Samaria ſedecim annis. 11. Et fecit, quod malum eſt in conſpectu Domini: non declinavit ab omnibus peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Iſrael, ſed in ipſis ambulavit. 12. Reliqua autem ſermonum Joas, & univerſa, quæ fecit, & fortitudo ejus, quomodo pugnaverit contra Amaſiam regem Juda, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael? 13. Et dormivit Joas cum patribus ſuis: Jeroboam autem ſedit ſuper ſolium ejus. Porro Joas ſepultus eſt in Samaria cum regibus Iſrael. 14. Eliſæus autem ægrotabat infirmitate, qua & mortuus eſt: deſcenditque ad eum Joas rex Iſrael, & flebat coram eo, dicebatque: Pater mi, pater mi: currus Iſrael, & auriga ejus. 15. Et ait illi Eliſæus: Affer arcum, & ſagittas. Cumque attuliſſet ad eum arcum, & ſagittas, 16. Dixit ad regem Iſrael: Pone manum tuam ſuper arcum. Et cum poſuiſſet ille manum ſuam, ſuperpoſuit Eliſæus manus ſuas manibus regis, 17. Et ait: Aperi feneſtram Orientalem. Cumque aperuiſſet, dixit Eliſæus: Jace ſagittam. Et jecit. Et ait Eliſæus: Sagitta ſalutis Domini, & ſagitta ſalutis contra Syriam: percutieſque Syriam in Aphec, donec conſumas eam. 18. Et ait: Tolle ſagittas. Qui cum tuliſſet, rurſum dixit ei: percute jaculo terram. Et cum percuſſiſſet tribus vicibus, & ſtetiſſet, 19. Iratus eſt vir Dei contra eum, & ait: Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſive ſepties, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam. 20. Mortuus eſt ergo Eliſæus, & ſepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipſo anno, 21. Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulchro Eliſæi. Quod cum tetigiſſet oſſa Eliſæi, revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. 22. Igitur Hazael rex Syriæ afflixit Iſrael cunctis diebus Joachaz: 23. Et miſertus eſt Dominus eorum, & reverſus eſt ad eos propter pactum ſuum, quod habebat cum Abraham, & Iſaac, & Jacob, & noluit diſperdere eos, neque projicere penitus, uſque in præſens tempus. 24. Mortuus eſt autem Hazael rex Syriæ, & regnavit Benadad filius ejus pro eo. 25. Porro Joas filius Joachaz tulit urbes de manu Benadad filii Hazael, quas tulerat de manu Joachaz patris ſui jure prælii, tribus vicibus percuſſit eum Joas, & reddidit civitates Iſrael.

A. M. 3163. ante J. Chr. 841.

℣. 1. ANNO VIGESIMO TERTIO JOAS, REGNAVIT JOACHAZ. Joachas Regnum capeſſivit ineunte anno tertio & vigeſimo Joas Regis Juda, rexit nuitque annis ſeptem & decem; e quibus quatuordecim egit ſolus, biennium cum filio ſuo Joas; annus enim decimus & ſeptimus inchoatus tantum fuit, non abſolutus (1).

℣. 3. TRADIDIT EOS IN MANU HAZAEL, ET IN MANU BENADAD FILII HAZAEL. Fidem plus nimio aſſeruit Hazael oraculo Eliſæi (2), quo futurum prædixerat, ut ab illo caperentur cremarenturque urbes Iſraelis, cæderentur milites, illiderentur telluri infantes, & fœtarum mulierum ventres cæderentur. Quæ Benadad intulit Iſraeli mala, Joachaz non vidit (3); neque enim hæc niſi ſub Regno Joas ejus filii contigerunt. Verba autem illa, *cunctis diebus*, nonniſi ad Regnum Joachaz referuntur.

℣. 5. DEDIT DOMINUS SALVATOREM ISRAEL. Salvatorem hunc non alium credas quam Joas (4), a Deo excitatum, ut affectas res Iſraelis reſtitueret, atque ea, quæ crudeliter geſſerat Hazael, ulciſceretur. Precibus & pœnitudine Joachazi flecti ſe Deus paſſus eſt; ſed votorum ſuorum hic Princeps, dum viveret, compos factus non eſt. Sunt qui cenſeant, Salvatorem hunc Angelum fuiſſe cœlitus miſſum, vel Eliſæum Prophetam; cujus tamen opinionis documenta nulla ſunt in Scriptura.

℣. 6. LUCUS PERMANSIT IN SAMARIA. Hebræus (5): *Aſerah ſtetit in Samaria*. Nomen *Aſerah* uſurpatur de luco Aſtartes, vel de illius ſimulacro. Quare credibile eſt, ſub noviſſimo hoc Regno rediiſſe iterum in Samariam cultum infamem Baalis & Aſtaroth, olim ab Jehu expulſum.

℣. 7. REDEGERAT QUASI PULVEREM IN TRITURA AREÆ (6); quaſi pulverem areæ, ubi frumentum excutitur; vel, uti humum ad trituram. Ita contuſi ſunt, uti area tritura tunditur. Scitum eſt, areas ad trituram ſterni pingui humo probe pavita, ut vi triturationis reſiſtat. Septuaginta (7): *Poſuerunt eos tamquam pulverem in conculcationem.* Docet Amos Propheta (8), Principem hunc plauſtra ferrea induxiſſe ſuper Galaaditas; quod præſentem Textum non obſcure ſpectat.

℣. 8. UNIVERSA, QUÆ FECIT, ET FORTITUDO EJUS. E rebus fortiter ab illo geſtis nulla traditur. Neque tamen inde recte colligas, virtute illum caruiſſe: quam multa enim ſunt quæ de illo ignoramus? Voces Originalis (9) ſignificare poſſunt robur ejus, authoritatem, ſtrenuitatem, fortitudinem.

℣. 10. ANNO TRIGESIMO SEPTIMO JOAS REGIS JUDA, REGNAVIT JOAS FILIUS JOACHAZ. Joas filius Joachaz ad regimen admotus eſt a Rege patre ſuo, ante obitum biennio. Porro de hac admiſſione in ſocietatem Regni hic agitur. Succeſſit autem patri biennio poſt, paulo ante obitum Eliſæi. Porro Joas regnavit annis ſexdecim, comprehenſo biennio, quo ſimul cum patre ſuo rebus præfuit (10).

℣. 12.

[1] Vide Uſſer. Grot. Var. Jun. [2] 4. Reg. VIII. 12. [3] Vide infra ℣. 22. [4] Ita cenſent Toſtat. Sanct. Vatab. Mari. Vide ℣. 25. infra. [5] וגם האשרה עמדה בשמרון [6] וישמם כעפר לדוש [7] Ἔθεντο αὐτοὺς ὡς χοῦν εἰς καταπάτησιν. [8] Amos I. 3. *Eo quod trituraverint in plauſtris ferreis Galaad.* [9] וגבורתו Septuag. αἱ δυναστεῖαι αὐτοῦ. [10] Uſſer. Jun. alii.

℣. 12. QUOMODO PUGNAVERIT CONTRA AMASIAM, &c. Bellum hoc deſcriptum legitur in Paralipomenis (1). Amaſias ingenti relata de Idumæis victoria tumens, bellum indixit in Joas Regem Iſraelis. Hic aggreſſus Amaſiam, fregit, captivum duxit, atque Jeroſolymam petens, evertit mœnium cubitos quadringentos, atque ſpoliis & opibus onuſtus, regreſſus eſt Samariam.

℣. 13. JEROBOAM AUTEM SEDIT SUPER SOLIUM EJUS; poſtquam decennio ſocius cum patre regnavit; quod innuit phraſis illa, *Sedit ſuper thronum patris*; perinde enim valet, ac, *Regnavit in locum patris ſui*. Regnavit antea, patrem ſuum in ſupremo munere juvans; ſed in ejus ſolio non ſedebat. De primo hoc Regni anno, ſeu de ſocietate cum Jeroboamo, accipienda ſunt quæ leguntur inferius (2), Azariam ſcilicet Regem Juda Regnum iniviſſe anno Jeroboami ſeptimo & vigeſimo.

℣. 14. CURRUS ISRAEL ET AURIGA EJUS. Idem dicebat olim Eliſæus ad Eliam, cum Deus igneo illum curru transferret. Vide IV. Reg. II. 12.

℣. 16. PONE MANUM TUAM SUPER ARCUM. Hebr. ad literam (3): *Equitare fac manum tuam ſuper arcum hunc*. Adjunge manum tuam, arcum manu tene, ſtringe. Oraculum eſt hoc, non voce tantum ſed rebus expreſſum. Arcus & ſagittæ & jactus ſagittarum ab Joas emittendarum, futura portendebant. Sagittas illas ſequenti verſiculo appellat Eliſæus, *Sagittas ſalutis Domini*, *Sagittas ſalutis contra Syriam*. Promiſſio eſt a Domino victoriæ de Syris referendæ.

℣. 17. APERI FENESTRAM ORIENTALEM. Feneſtra hæc non ſpectabat Syriam recte, ſed regionem transjordanicam, quam Joas erepturus erat Syris (4), qui viciſſim illam majoribus illius rapuerant. Hic Hazael Rex Syriæ ſævitiem exercuerat, de qua non ſemel actum eſt.

JACE SAGITTAM, ET JECIT. Animadvertunt Interpretes (5), primam hanc ſagittam ab Joas emiſſam indicti adverſus Syriam belli quamdam eſſe ſignificationem. Moris erat olim emittere ſpiculum vel ſagittam in regionem hoſtilem, cum bellum indiceretur. Alexander Magnus, vix oras Joniæ attigit, *primus jaculum velut in hoſtilem terram jecit* (6). Turnus ita loquitur apud Virgil. Æneid. IX.

Et quis erit mecum, juvenes, qui primus in hoſtem?
En, ait: & jaculum intorquens emiſit in auras,
Principium pugnæ.

Veterem hunc morem, ſpiculum in hoſtilem terram jaciendi, indicare credunt quidam genus quoddam acquirendæ poſſeſſionis; in quam ſententiam conceſſiſſe Varro apud Servium laudatus videtur (7): *Duces*, ait, *cum primum hoſtilem agrum introitum erant, ominis cauſa prius haſtam in eum agrum mittebant, ut caſtris locum caperent*. Tradunt Judæi Doctores, morem fuiſſe Chananæorum, ut cum regionem armis ſubactam ingrederentur, jacta in illam haſta poſſeſſionem caperent. Lucem priſco huic mori affundit hiſtoria quædam apud Plutarchum (8). Deſtinati duo viri, alter ex Andro, alter e Calcide venerunt Acanthum, urbem incolis deſtitutam, ut illam occuparent; cum autem ambo feſtinato curſu eo contenderent, & Calcidicus, æmulum celeritate vincens, jamjam fores tactu apprehenſurus eſſet, alter deſperans ſatis cito ſe perventurum, ſpiculum jaculatus, foribus infixit, contendens ſe eo jactu primum cepiſſe nomine urbis ſuæ loci illius poſſeſſionem. Res delata eſt ad Judices, utriuſque partis conſenſu electos. Erythræi & Samii cauſam adjudicarunt Andriis, rati, ſpiculum ab illo jactum ſatis fuiſſe, ut urbis poſſeſſio caperetur. Judices Parii favebant Calcidicis: ſed prior ſententia vicit. Ut regrediamur ad Joas, a quo ſpiculum in Syriam jaculabatur, jactus ille duplici hoc ſenſu accipi poteſt: ſive ſcilicet indicium id fuit præoccupatæ poſſeſſionis in regionem, quam Hazael Regibus Iſraelis uſurpaverat, ſive belli in Syros indicendi denunciatio.

PERCUTIES SYRIAM IN APHEC, DONEC CONSUMAS EAM, donec ſcilicet illam deleas; vel Syros cædes ab Aphec, donec illos penitus extermines. Cum belli hujus Joas in Syros hiſtoria nulla ſuperſit, oraculi hujus fidem impletam fuiſſe demonſtrare non poſſumus. Conſtat tamen, Regem hunc ter Syros cecidiſſe (9), atque invitos coegiſſe uſurpatas Iſraelitis Urbes reſtituere. Nec ambigendum eſt cecidiſſe illos in Aphec; atque ita cecidiſſe ut copias omnes trucidaret, *donec conſumas eam*, ideſt, magna cæde tunc affeciſſe hoſtes, quos ita vicit fugavitque, ut victoriam integram referret. Nemo ignorat, Aphec urbem eſſe Syriæ, cujus eſt nomen celebre ob alia prælia ab Hebræis ibi cum Syris geſta (10).

℣. 18. ET CUM PERCUSSISSET TRIBUS VICIBUS ET STETISSET; ℣. 19. IRATUS EST VIR DEI CONTRA EUM, &c. Primum ſpiculum a Rege jactum præludium erat, uti innuimus, & denunciatio belli in Syros. Hæc autem longe aliud ſignificant. Sagittas haſce dederat Regi Eliſæus ceu pignus & argumentum futurarum victoriarum de Syris, juſſeratque illas in terram jaculari. Porro facile erat animadvertere, quo plures emitterentur ſagittæ, eo plures etiam victorias eſſe referendas. Sed noluit Deus, ut Propheta hæc Regi panderet. Regis erat propitiam Numinis voluntatem juvare, ac ſenſum oraculorum pervadere. Sed non ſatis id animadvertens Princeps, poſt tertium ictum ſtetit, atque ita limites poſuit victoriis, quas Deus illi elargiri conſtituerat, pro ictuum numero.

℣. 20. MORTUUS EST ELISÆUS, poſtquam annos ſeptem & quinquaginta ab Eliæ raptu, vaticinium inter Iſraelitas exercendo egit. Ætatem agebat utique decrepitam, cum octo & ſexaginta ante annis ad munus Prophetæ ab Elia vocatus fuerat. Brevi elogio viri hujus ingenium deſcribis Author Eccleſiaſt. XLVIII. 13. *In Eliſæo completus eſt ſpiritus ejus* (Eliæ): *in diebus ſuis non pertimuit Principem, nec ſuperavit illum verbum aliquod; & mortuum prophetavit corpus ejus. In vita ſua fecit monſtra; & in morte mirabilia operatus eſt*. Quid ſit illud, *Mortuum prophetavit corpus ejus*, ſtatim dicemus, poſtquam veſtigia ſimilitudinis inter Eliſæum & Chriſtum Jeſum exhibuerimus. Eliſæus duplici redundans Eliæ ſpiritu, Prophetiæ nempe dono, & patrandorum prodigiorum virtute, quorum ope ſupra cæteros Prophetas eminet, imago eſt, licet imperfecta, Servatoris qui gratiæ author eſt, Jeſu qui Patris eſt virtus, in quo plenitudo luminis reſidet, & a quo dona omnia perfecta, veluti fonte, dimanant. Filius mulieris Sunamitidis, nova adeo & ſingulari ratione ad vitam revocatus, baculus Eliſæi vitæ igniculis excitandis ineptus, Propheta ſe ſe aptans puero, illumque fovens, atque morti ſubducens, documenta ſunt omnia & typus aperiſſimus Incarnationis Jeſu Chriſti (11). Aquæ fontis Jerichuntis injecto ſale ab Eliſæo correctæ, quid niſi aquæ Baptiſmatis, quibus vim ſalubrem ſuavemque infundit virtus Jeſu Chriſti, qui Patris ſapientia eſt? Naaman, qui lotus Jordanis aquis lepra mundatur, idem myſterium veluti

(1) 2. Par. XXIV. 17. & ſeqq. (2) 4. Reg. XV. 1. Vide Uſſer. Vatab. Munſt. (3) הרכב ידך על הקשת (4) Vide infra ℣. 25. (5) Sanct. Tirin. Cornel. (6) Juſtin. lib. 2. (7) Varro in Caleno apud Serv. in Æneid. 9. Vide, ſi lubet, Valer. Max. lib. 5. Aul. Gell. lib. 16. cap. 14. Stat. l. 4. &c. (8) Plutarch. quæſt. Græc. Vide & Selden. Mare clauſum c. 4. (9) Vide 4. Reg. XIII. 25. *Tribus vicibus percuſſit eum Joas, & reddidit civitates Iſrael*. (10) Vide 3. Reg. XX. 26. (11) Vide Cæſarium ſerm. 42. nunc Appendic. olim inter Auguſt. & Auguſt. ſerm. 26. nov. Edit. de verbis Apoſtoli.

ſub oculos exhibet (1). Oleum, quod Eliſæus multiplicat in vaſis viduæ ab uno ex Prophetis relictæ, cujus filios in ſervitutem ſe ſe redacturos minitabantur creditores, revocat in mentem Eccleſiam, quæ Spiritus Sancti dona & gratiam (2) accipiens, per ea manibus adverſariorum liberatur, ſuaque debita omnia exſolvit. Quid Giezi lepra mulctatus, & Simonianorum Patriarcha? Quid ferrum ſecuris ex imo Jordanis alveo ligni ope revocatum, quod imago crucis Jeſu Chriſti eſt (3)? Quid pueri Bethel ab urſis vorati? quibus exhibentur Judæi pervicaces, quos Jeſu Chriſti & Apoſtolorum merita & prædicatio, ipſorum crimine, flectere non valuere; de quibus ſcriptum eſt (4): *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videant oculis ſuis, & auribus ſuis audiant*. Sed non obiter prætereunda ſunt, quæ de cadavere tactu oſſium Eliſæi ad vitam revocato narrantur, Modo ad hanc hiſtoriam.

Latrunculi de Moab venerunt in terram in ipso anno. Animadverſum eſt alibi, ejuſmodi fures, qui identidem ditionem Iſraelis vel Juda infeſtam reddebant, longe alios eſſe a furibus, quales hoc nomine deſignantur. Copiæ erant Moabitarum, quæ regionem excurrebant vaſtabantque, Ducis ſui imperio ſubditi, ſatiſque frequentes, ut juſtum exercitum referrent (5). Invaſerant hi ditionem Iſraelis, anno ipſo emortuali Eliſæi.

℣. 21. Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, et projecerunt cadaver in sepulchro Eliſæi. Solebant Hebræi cadavera extra urbes ſepelire in ſpeluncis ſpatioſis, atque idcirco exciſis, ut cadavera continerent. Locabantur autem cadavera in ædiculis, vel forulis quibuſdam tamquam furnis, ubi quieſcebant, obvoluta inſtitis lineis, & ſæpe etiam aromatibus condita. Speluncæ autem aditum admoto lapide claudebant, qui lapis removeri, ſuoque loco reſtitui citra ſepulcri incommodum poterat. Cum igitur cadaveris portitores veniſſent ad tumulum, proſpexerunt manum, vel exercitum Moabitarum ad ſe procurrentium; nactique caſu Eliſæi ſepulcrum, feſtinanter illud recluſerunt, projeceruntque cadaver in ædiculam, Eliſæi oſſa continentem, ſtatimque dederunt ſeſe fugæ, ut præſens diſcrimen evaderent: ſed defunctus vix tactis oſſibus Eliſæi, vitæ reſtitutus ſtetit.

De ſitu monumenti hujus Eliſæi diſſidium eſt ſententiarum. Conſtituitur a pleriſque Samariæ, id eſt, prope & in agro urbis. In hanc ſententiam conceſſit S. Hieronymus (6), aliique nonnulli, nec immerito illi quidem; facile enim Eliſæus diem clauſit Samariæ: ibique diu ſepulcrum ejus monſtratum fuit. Porro magnificum ſepulcrum excitatum illi fuiſſe tradit Joſephus (7) pro meritis viri, qui Dei favore adeo excelluit, ſed certum ſepulcri hujus locum non indicat. Sunt qui (8) delatum fuiſſe ejus cadaver Abelmeulam patriam ſuam in avita ſepulcra cenſeant. Alii (9) conſtituunt in monte Carmelo, unde tranſlatum Samariam credunt. Verum ſi in re adeo ambigua ſententia ferenda eſt, præſtat viciniis Samariæ cadaver illud adjudicare, quippe quibus traditio conſtantiſſima faveat. Si quis autem eadem in urbe ſepulcrum illud aſpexit, merito aſſerendum eſt, reliquias ejus eo delatas fuiſſe; in agro enim ſepulturæ mandatum ſatis conſtat.

Cæterum Joſephus (10) hiſtoriam hanc longe aliter narrat. Tradit enim, fures interfectum a ſe in via hominem quemdam caſu projeciſſe in ſepulcrum Eliſæi, quem ſtatim contactis oſſibus Prophetæ vivum ſe illis ſtupentibus exhibuiſſe. Prodigium hoc pro ſuo ingenio exaggerant Rabbini (11), narrantes, virum hunc vitæ reſtitutum obiiſſe ſtatim, quod moribus eſſet perditiſſimis, & indignus, qui diutius viveret. Eo etiam venerunt audaciæ hi Doctores, ut certum viri nomen doceant, *Sellum* enim appellatum affirmant. Malunt alii vitam diutius prorogaſſe, quod nobis credibilius videtur; ſi enim vix ſurgens ſtatim recidiſſet, quæ vis fuiſſet prodigii, quæ utilitas?

Prophetavit igitur poſt obitum Eliſæus *tripliciter*. I. Oſſa ejus prophetarunt defuncto homine in vitam reſtituto; quo prodigio vaticinia præcedentia magis magiſque confirmabantur, viri ſanctitas, miſſio, ac doctrinæ ſinceritas aſſerebatur. II. Prophetavit, en prodigio argumentum futuræ reſurrectionis ſuppeditans, uti & eo miraculo intelligimus, quanta ſit reliquiarum ſanctarum virtus, quanta vis in Cœlo ſit virorum Sanctorum interceſſionis. Porro corpora virorum illorum vita deſtituta vivificam quamdam virtutem retinent, acceptam e Spiritu Sancto, cui Templum exhibuerunt, & ex animæ ſanctiſſimæ, quam diutius retinuere, contubernio (12). III. denique Eliſæus prophetavit, quod cadavere in vitam reſtituto, ſymbolum exhibeat ac prophetiam reſurgentis J. Chriſti; hoc tamen diſcrimine, quod Eliſæus alterum, non ſe excitarit; Jeſus Chriſtus & ſe pariter & quotquot in ipſum credunt, omnes vitæ reſtituat (13).

℣. 25. Joas tulit urbes de manu Benadad, &c. Legimus Cap. x. 33. Hazaelem eripuiſſe Iſraeli totam regionem transjordanicam, Galaad ditionem, Gad, Ruben & Manaſſe, ac Baſanitidem. Exorſus eſt Hazael victorias haſce ſuas ſub Jehu, prorogavitque ſub Joachaz; ſed Joas totum hunc tractum recuperavit, coegitque Benadadum Regem Syriæ, filium Hazaelis, occupatas urbes reſtituere.

(1) Vide Ambroſ. in Luc. lib. 4. Tertull. contra Marcion. lib. 4. cap. 9. (2) Theodoret quæſt. 16. in 4. Reg. (3) Theodor. qu. 19. in 4. Reg. & Tertull. contra Judæos cap. 13. (4) Iſai. 5. 10. & Matth. XIII. 14. & Marc. IV. 12. & Luc. VIII. 10. (5) Vide ſupra v. 2. (6) Ita Hieronym. Epitaph. Paulæ; Epiphan. ſeu alius Auth. de vit. Prophet. Pſeudo-Iſidor. de vita & morte SS. Ita & Pſeudo-Doroth. & Martyrolog. Rom. 18. Cal. Junii. (7) Joſeph. Antiqu. lib. 9. cap. 9. (8) Toſt. qu. 15. in cap. 13. 4. Reg. (9) Adrichom. (10) Joſeph. Antiquit. lib. 9. cap. 9. Ita & Maxim. Taurin. Homil. 1. de feſto Paſchæ. (11) Vide Toſt. qu. 20. in hoc cap. (12) Vide, ſi lubet, Cyrill. Ieroſol. Catecheſ. XVIII. Illuminat. (13) Vide Maximi Taurin. Homil. 1. de feſto Paſchæ. Extat eadem ſub nomine Baſil. Emeſeni, t. 6. Bibl. PP.

C A-

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Amaſias interfectores patris ſui necat; prælio cadit Idumæos; ſed vincitur, & capitur ab Joas Rege Iſraelis. Defuncto Joas, ſuccedit Jeroboamus; cui Zacharias. Amaſia a ſuis interfecto, Azarias ejus filius regnat.

ỷ. 1. IN anno ſecundo Joas filii Joachaz regis Iſrael, regnavit Amaſias filius Joas re- A. M. 3165.
gis Juda. 2. Viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpiſſet: viginti ante J. Chr.
autem, & novem annis regnavit in Jeruſalem, nomen matris ejus Joadam de Jeruſalem. 839.
3. Et fecit rectum coram Domino, verumtamen non ut David pater ejus. Juxta om-
nia, quæ fecit Joas pater ſuus, fecit: 4. Niſi hoc tantum, quod excelſa non abſtulit:
adhuc enim populus immolabat, & adolebat incenſum in excelſis. 5. Cumque obti-
nuiſſet regnum, percuſſit ſervos ſuos, qui interfecerant regem patrem ſuum. 6. Filios
autem eorum, qui occiderant, non occidit, juxta quod ſcriptum eſt in libro legis
Moyſi, ſicut præcepit Dominus, dicens: Non morientur patres pro filiis, neque filii
morientur pro patribus: ſed unuſquiſque in peccato ſuo morietur. 7. Ipſe percuſſit A. M. 3177.
Edom in valle Salinarum decem millia, & apprehendit petram in prælio, vocavit-
que nomen ejus nomen Jectehel, uſque in præſentem diem. 8. Tunc miſit Amaſias A. M. 3178.
nuntios ad Joas filium Joachaz, filii Jehu regis Iſrael, dicens: Veni, & videamus nos.
9. Remiſitque Joas rex Iſrael ad Amaſiam regem Juda, dicens: Carduus Libani miſit
ad cedrum, quæ eſt in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem. Tranſie-
runtque beſtiæ ſaltus, quæ ſunt in Libano, & conculcaverunt carduum. 10. Percu-
tiens invaluiſti ſuper Edom, & ſublevavit te cor tuum: contentus eſto gloria, & ſede
in domo tua: quare provocas malum, ut cadas tu, & Judas tecum? 11. Et non
acquievit Amaſias: aſcenditque Joas rex Iſrael, & viderunt ſe ipſe, & Amaſias rex
Juda in Bethſames oppido Judæ. 12. Purcuſſuſque eſt Juda coram Iſrael, & fugerunt
unuſquiſque in tabernacula ſua. 13. Amaſiam vero regem Juda, filium Joas filii O-
choziæ, cepit Joas rex Iſrael in Bethſames, & adduxit eum in Jeruſalem: & interru-
pit murum Jeruſalem, a porta Ephraim, uſque ad portam anguli, quadringentis cu-
bitis. 14. Tulitque omne aurum, & argentum, & univerſa vaſa, quæ inventa ſunt
in domo Domini, & in theſauris regis, & obſides, & reverſus eſt in Samariam. 15.
Reliqua autem verborum Joas, quæ fecit, & fortitudo ejus, qua pugnavit contra A-
maſiam regem Juda, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iſrael?
16. Dormivitque Joas cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in Samaria cum regibus Iſrael:
& regnavit Jeroboam filius ejus pro eo. 17. Vixit autem Amaſias, filius Joas, rex A. M. 3194.
Juda, poſtquam mortuus eſt Joas filius Joachaz regis Iſrael quindecim annis. 18. Re-
liqua autem ſermonum Amaſiæ, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum
regum Juda? 19. Factaque eſt contra eum conjuratio in Jeruſalem: at ille fugit in
Lachis. Miſeruntque poſt eum in Lachis, & interfecerunt eum ibi. 20. Et aſportave-
runt in equis, ſepultuſque eſt in Jeruſalem cum patribus ſuis in civitate David. 21.
Tulit autem univerſus populus Judæ Azariam annos natum ſedecim, & conſtituerunt
eum regem pro patre ejus Amaſia. 22. Ipſe ædificavit Ælath, & reſtituit eam Judæ,
poſtquam dormivit rex cum patribus ſuis. 23. Anno quintodecimo Amaſiæ filii Joas A. M. 3179.
regis Juda, regnavit Jeroboam filius Joas regis Iſrael in Samaria, quadraginta, & uno ante J. Chr.
anno. 24. Et fecit, quod malum eſt coram Domino. Non receſſit ab omnibus pec- 825.
catis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Iſrael. 25. Ipſe reſtituit terminos Iſrael,
ab introitu Emath uſque ad mare ſolitudinis, juxta ſermonem Domini Dei Iſrael,
quem locutus eſt per ſervum ſuum Jonam filium Amathi prophetam, qui erat de
Geth, quæ eſt in Opher. 26. Vidit enim Dominus afflictionem Iſrael amaram ni-
mis, & quod conſumpti eſſent uſque ad clauſos carcere, & extremos, & non eſſet
qui auxiliaretur Iſraeli. 27. Nec locutus eſt Dominus, ut deleret nomen Iſrael de
ſub cœlo, ſed ſalvavit eos in manu Jeroboam filii Joas. 28. Reliqua autem ſermo-
num Jeroboam, & univerſa, quæ fecit, & fortitudo ejus, qua præliatus eſt, & quo-
modo reſtituit Damaſcum, & Emath Judæ in Iſrael, nonne hæc ſcripta ſunt in Li-
bro ſermonum dierum regum Iſrael? 29. Dormivitque Jeroboam cum patribus ſuis
regibus Iſrael, & regnavit Zacharias filius ejus pro eo.

℣. 2. IN ANNO SECUNDO JOAS . . . REGIS ISRAEL REGNAVIT AMASIAS. Secundus hic annus Joas ducendus eſt ex communicato illi a patre Joachaz imperio. Regnavit enim biennio cum patre, antequam ſolus abſoluta imperii poteſtate frueretur. Igitur ſecundus hic annus Joas primus eſt pariter regni, abſoluta ab illo poteſtate adminiſtrati.

℣. 3. FECIT RECTUM CORAM DOMINO, VERUMTAMEN NON UT DAVID. Exprimit hoc 2. Paralipom. xxv. 2. *Fecit bonum in conſpectu Domini, verumtamen non in corde perfecto*. Bene cœpit, male abſolvit; Joas patrem ſuum imitatus eſt: *Juxta omnia, quæ fecit Joas pater ſuus, fecit*. Pietatem coluit, quare non levibus illum victoriis adverſus hoſtes remuneratus eſt: verum in ſuperbiam, præſumptionem, & idololatriam lapſus, infelicem illum exitum, quem Joas, expertus eſt, victus primum ab hoſtibus, deinde a ſuis interfectus eſt.

℣. 4. NISI HOC TANTUM QUOD EXCELSA NON ABSTULIT. An vero illa ſuſtulerat Joas? Nonne reliquit intacta (1)? Qua igitur ratione teſtatur Scriptura, Amaſiam imitatum eſſe Joas patrem ſuum in omnibus, *niſi quod excelſa non abſtulit*? Reddi Hebræus poteſt (2): *Fecit rectum coram Domino, verumtamen non ut David pater ejus: juxta omnia quæ fecit Joas pater ſuus, fecit*; & in exordio Regni nihil illi vitio vertendum, erat niſi hoc tantum, quod *Excelſa non abſtulit*, quemadmodum neque Joas ſubverterat.

℣. 5. PERCUSSIT SERVOS SUOS, QUI INTERFECERANT REGEM PATREM SUUM: ℣. 6. FILIOS AUTEM EORUM . . . . NON OCCIDIT. Extremo ſupplicio affecit Joſaphatum & Jozabadum interſectores Joas (3); ſed erga filios eorum legis Moſaicæ ſanctionem ſervavit (4), qua vetatur ne parentum crimina inſontes filii luant. Illud vero æquitatis & juſtitiæ ſpecimen animadvertere viſum eſt ſacro Scriptori, tamquam rarum in populo vindictæ tenaci exemplum, & rariſſimum in Principe, cum præſertim res eſt de ulciſcenda morte patris & regis, cui ipſi Regii Præfecti necem in lecto ipſo ſuo intulere. Hoc quidem ex iis optima geſtis eſt, quibus exordia Regni Amaſiæ commendantur.

℣. 7. IPSE PERCUSSIT EDOM IN VALLE SALINARUM. Belli hujus Hiſtoria fuſius narratur in 2. Paralip. xxv. 5. Deſciverant Idumæi ſub Joramo Rege Juda (5); domuſque Davidicæ jugum excuſſerant. Amaſias redigere illos aggreſſus eſt; ſimulque conſilium agitaſſe aggrediendi Amalecitas & Gabalitas, Joſephus (6) eſt author. Sunt Gabalitæ Idumæorum portio, porrigens ſeſe ad Erythræum, circa Sinum Abaliticum (7). Grande illud facinus, quod animo agitabat, perfecturus, collegit ſub ſigna e ditione ſua trecenta millia, conduxitque pretio centum talentorum alia centum millia e ditione Iſraelitica. Omnibus jam paratis ad profectionem, venit ad illum Propheta, monens, ut centum millia ea Iſraele dimitteret; neque enim Deus illis aderat. Quid igitur de talentis meis jam ſolutis fiet? inquit Rex. Cui Propheta: Domini erit diſpendium tuum reparare, ſiquidem juſſionibus ejus obtemperaveris. Remiſſis igitur conductis hiſce copiis, perrexit in Idumæos cum ſuis; collatiſque ſignis in ipſa acie interfecit ex hoſtibus decem millia, totidemque cepit captivos, quos præcipites egit e rupis crepidine, cui deinde nomen manſit Jectehel. Geſtum eſt prælium in valle Salinarum, ſita ad extremam oram meridionalem maris mortui, ſeu maris ſalſiſſimi. Verum nos in tertium Regum viii. 13. demonſtravimus, vallem hanc non temere conſtitui poſſe in Idumæa meridionali, ſpatio aliquo abſentem a Palmyra, meridiem, ſeu Bozram Idumææ metropolim verſus.

APPREHENDIT PETRAM IN PRÆLIO, VOCAVITQUE NOMEN EJUS JECTEHEL. Urbs Petra nomen ſuum tradidit Arabiæ Petrææ, jacetque proxime vallem Salinarum ulterius intra Arabiam, Cades verſus. Veteri nomine appellabatur *Rekem* vel Arke, vel Hagor. Ædes ejus pleræque in rupibus exciſæ feruntur. *Sela* הסלע appellatur hic in Hebræo, quod genericum nomen eſt, uti Latinum *petra*, quo ſeu lapis ſeu rupes ſignificatur. Hinc Interpretum plures exponunt hic de lapide, quo aufugarunt Idumæi prælio victi, & ubi viribus Amaſiæ cedere coacti ſunt. E vertice hujus rupis miſeros egit præcipites victor, nomenque illi dedit *Jectehel* יקתאל, ideſt, *obedientia Domini*; documentum id ſtare volens poſteritati, victoriam a ſe de Edom relatam, fructum fuiſſe obedientiæ Divinis juſſionibus a ſe præſtitæ, dimiſſis centum millibus Iſraelitarum, quæ ex Joas illorum Rege vel emerat, vel conduxerat.

℣. 8. MISIT AMASIAS NUNTIOS AD JOAS . . . DICENS: VENI ET VIDEAMUS NOS. Superbiens Amaſias de victoria ex Idumæis relata, atque invictum ſe deinceps, & metuendum vicinis gentibus fore blanditus, miſit per legatos bellum denuncians Joas Regi Iſraelis, vel ſaltem ut mutuo utriuſque colloquio res utriuſque componerentur. Querendi de Iſraelitis non unica erat Amaſiæ ratio, omiſſa enim veteri querela de ſciſſione decem Tribuum, quæ ex obedientia domus Davidicæ ſeſe ſubduxerant, illa etiam ſupererat querendi cauſa, quod Jehu avus Joas Regis Iſraelis Ochoziam Regem Juda (8) cum neceſſariis ejus plane multis per ſummam injuriam interfeciſſet. Inſuper Amaſiæ jus aliquod fuiſſe videtur repetendi ſaltem ex parte centum illa talenta, quæ ſolverat Joas, ut centum millia Iſraelitarum conducaret, quæ deinde coactus remiſerat. Denique Iſraelitæ illi poſt dimiſſionem per urbes Juda effuſi, ceciderunt tria circiter millia, & veluti in aperto bello regionem late diripuerunt (9). Hæ utique cauſæ erant Amaſiam excuſantes, ſi quid exigeret ſatisfactionis a Rege Iſraelis. Phraſis hæc, *Veni, & videamus nos*, vel, juxta Hebræum (10), *Veni, videamus nos faciebus*, aperta eſt belli denunciatio. Nec Joas aliter accepit. In hunc ferme ſenſum Abner invitavit Joabum (11): *Surgant pueri, & ludant coram nobis*; ideſt, certamen ineant. Legitur inferius (12), Joas *vidiſſe* Regem Ægypti, ideſt, certaſſe. In eamdem ſententiam loquebantur Latini; *Cernere ferro*. Virgilius, Æneidos xii.

Inter ſe coiiſſe viros & cernere ferro.

Vide Servium in eumdem locum.

Joſephus (13), quem alii nonnulli (14) ducem ſequuntur, arbitratus eſt, Amaſiam imperaſſe Joas, ſubditiſque illi Iſraelitis, ut ſe Regem agnoſcerent; reciperentque, ut olim illorum patres, Davidicæ domus jugum; ſecus, ſe armatum experturos. In hanc ſententiam fertur Sanctius; qui pariter animadvertit, Amaſiam eam rem nonniſi de conſilio ſuorum ſtatuiſſe (15): *Amaſias, inito peſſimo conſilio, miſit ad Joas*. Quis autem crediderit, deliberatum fuiſſe in conſilio Principis, proficiſcendum ne eſſet ad periculum virium ſuarum faciendum cum Rege finitimo? Igitur ſpecioſius aliquid prætendiſſe videtur. Numquid tamen nos non probabilius aliud aſſignavimus? Recitatus ille Paralipomenon Textus non exhibet deliberatum id fuiſſe in conſilio, ſed tantum præmeditato conſilio id ſtatuiſſe Amaſiam.

℣. 9.

(1) 4. Reg. xii. 3. *Verumtamen excelſa non abſtulit.* (2) בכל אשר עשה יואש אביו עשה : רק הבמות לא סרו (3) 4. Reg. xii. 21. (4) Deut. xxiv. 16. Ezech. xviii. 18. (5) 4. Reg. viii. 10. (6) Antiquit. l. 9. c. 10. διεγνώκει τοῖς Ἀμαληκιτῶν ἔθνει, καὶ Ἰδουμαίοις, καὶ Γαβαλιτῶν ἐπιστρατεύσασθαι. (7) Vide Bochart. Phaleg l. 2. c. 21. ad fin. גבל Græc. γαβαλ. (8) 4. Reg. ix. 27. & x. 14. (9) 2. Par. xxv. 13. (10) לכה נתראה פנים (11) 2. Reg. ii. 14. (12) 4. Reg. xxiii. 29. (13) Antiq. l. 9. c. 10. (14) Ita Toſt. qu. 10. & Hiſt. Schol. (15) 2. Par. xxv. 17. (16) ויועץ אמציה וישלח

℣. 9. Carduus Libani miſit ad cedrum. Similitudines, & apologos eæ gentes amabant plurimum, iiſque in fœtibus ingenioſæ mentis, ſapientiæ ſuæ portionem non minimam conſtituebant. Hujus rei exemplum jam offendimus in Hiſtoria Judicum (1), cum Joathan filius Gedeonis exprobravit Sichemitis defectionem a filiis legitimis Gedeonis, ut Abimelechum ipſius nothum ſequerentur. Nihil ingenioſius ſuccurrere poterat Joas Regi Iſraelis, nihil aptius ad ſuperbam illam Amaſiæ confidentiam retundendam, quam ducta e carduo, cedro ſeſe parem conferente, ſimilitudo. Simul enim ſe Joas hoſti præponit, & id efficit, ut petitionis ſuæ vanitatem ſuperbus ille ſentiat. Syriacus, & Arabs pro carduo (2) exhibent *prunum*. Hebræa vox proprie ſonat ſpinam, vel aculeum.

℣. 10. Contentus esto gloria, et sede in domo tua. Hebræus ad literam (3): *Gloriare & ſede in domo tua*. Fruere victoria tua; eamque apud te privatus repete ad voluptatem, ſed ne alios turbes.

℣. 11. Viderunt se . . . . in Bethsames. Decertarunt prope eam urbem, Tribui Juda ſubditam, quamquam in Tribu Danitica ſitam, in finibus Philiſthæorum. Diſcimus e Paralipomenis (4), Amaſiam Regem Judæ poſt victoriam de Idumæis retuliſſe in Judæam ſimulachra Numinis ejus gentis, atque in tantum mentis ſtuporem deveniſſe, ut illa veneraretur. Miſit Deus Prophetam, qui Regi crimen illud exprobraret; ſed Princeps ita Prophetam ſuperbe affatus eſt: *An conſiliarius es Regis? Tace, alioquin interficiam te*. Recedens tunc Propheta, Scio, inquit, Dominum ſtatuiſſe necem tuam in pœnam nequitiæ; additque Hiſtoricus, permiſiſſe Deum, ut Princeps monita hæc non auſcultaret, auremque præberet iis, quæ ſibi reſponderat rex Iſraelis; ſtatuerat enim tradere illum manibus hoſtium, in ultionem cultus Numinibus Idumæorum impenſi.

℣. 13. Interrupit murum Jerusalem a porta Ephraim usque ad portam anguli, quadringentis cubitis. Dejectorum a Joas mœnium nonniſi trecentos cubitos Joſephus dimetitur (5); addit que, Joas victorem per eum hiatum in urbem curru vectum, Amaſiam captivum more triumphantis traxiſſe. Porta Ephraim patebat circa medium longitudinis lateris Occidentalis mœnium Jeroſolymæ; & porta Anguli ſita erat in angulo; quo latera occidentale & meridionale conjungebantur (6).

℣. 14. Et obsides. Hebræus hic, & in Paralipomenis (7): *Tulit filios arrhabonum*. Chaldæus (8): *Filios magnatum*, In Paralipomenis Interpretes longius adhuc recedunt a ſenſu Vulgatæ. Septuaginta (9): *Filios commixtionum*. Innuunt illi facile vulgum, quæ & interpretatio eſt Syriaci, & Arabici.

℣. 15. Et fortitudo ejus, qua pugnavit contra Amasiam. In eo facile prælio, in quo Amaſiam ſuperavit, exhibuit Joas virtutis bellicæ ſpecimen, cujus hic meminit Scriptura: id autem perſuadet, aciem Juda ſtrenue ſe defendiſſe, & Joas vi perrupiſſe in Jeroſolymam. Contrarium prodit Joſephus, narrans, Amaſiæ copias panico terrore correptas ſtatim effudiſſe ſeſe in fugam, Amaſiam vero a ſuis derelictum in poteſtatem hoſtium veniſſe, coactumque fuiſſe a Joas Urbis Jeroſolymæ portas victori aperire. Quæ omnia Joſephus de ſuo adjecit.

℣. 19. Facta est contra eum conjuratio in Jerusalem. Sunt qui credant, conjurationem hanc inductam eſſe ob amiſſum ab Amaſia prælium, ac everſionem mœnium Jeroſolymæ. Hinc factum creditur, ut annis duodecim in Lachis exulaverit, non auſus poſt ignominiam ejus prælii Jeroſolymam reverti (10). Sed conjurationem hanc componit Uſſerius cum ſupremo anno Amaſiæ (11).

℣. 21. Tulit autem universus populus Juda Azariam, quem loco patris Regem conſtituit. Hic alio nomine *Ozias* (12) appellatur. Porro conjurationem hanc in Amaſiam minus probaſſe populus videtur; defuncti enim cadaver intulit in ſepulchra Regum in Civitate Davidis, Regnumque detulit filio ejus, ſedecim annorum adoleſcenti.

℣. 22. Ipse ædificavit Ælath, et restituit eam Judæ. Idumæam omnem ſubegerat David, adeoque & urbem hanc, ſitam in Sinu Occidentali maris rubri, qui de urbis ejuſdem nomine apud Veteres *Sinus Elaniticus* appellatus eſt. Poſt eam victoriam de Idumæis, Amaſias ſubegiſſe iterum eorum ditionem ſaltem ex parte videtur. Patris ſui victorias longius provexit Azarias; qui & priſtinum jugum urbi Ælath impoſuit.

℣. 25. Ipse restituit terminos Israel; recuperata regione, & urbibus, quas Reges Syriæ uſurpatas, a Regno Iſraelis poſt ſchiſma decem Tribuum avulſerant; ut ſub eo Principe tota late regio ab urbe Æmath ad ſeptemtrionem uſque ad mare mortuum ad meridiem paruerit iterum Regi Jeroboamo II. ut olim initio ſeceſſionis Iſraelis ab Juda, paruerat Jeroboamo I. Regni Iſraelitici Auctori.

Per servum suum Jonam filium Amathi Prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Opher. Ipſe eſt Jonas clari nominis Propheta, cujus nobis vaticinia ſcriptis tradita ſuperſunt, quique ad Niniven miſſus venit. Patrem habuit Amathi, oriundum e Galilæa, ex Urbe Geth-Opher, in Tribu Zabulonis (13), prope Diocæſaream. Vide noſtram Præfationem in hunc Prophetam. In iis, quæ de illo ſuperſunt, ſcriptis fruſtra quæras hæc vaticinia de victoriis Jeroboami; nemo tamen ignorat, non omnia ad nos tranſmiſſa deveniſſe, quæ Prophetæ de vaticiniis ſuis ſcripſere.

℣. 26. Et quod consumpti essent usque ad clausos carcere et extremos. Hebræus legit planius (14): *Non clauſus, non extremus*. Ideſt, nemo a malis illis totum obvolventibus Regnum exemptus fuit, tutiſſimus quiſque & expoſitus, maxime imbecilles ac robuſtiſſimi, omnes ex æquo Dei vindicis ultioni obnoxii fuere. Vide quæ de hujuſmodi phraſibus alibi (15) diſſeruimus.

℣. 28. Quomodo restituit Damascum et Emath Judæ in Israel. Tota late Syria a Davide ſubacta, ſuoque addita imperio, paruiſſe illi neceſſe eſt etiam Damaſcum, & Emath, urbes regionis illius potiſſimas (16). Damaſcus Syriæ Damaſcenæ præerat; Emath, Syriæ Soba. Jeroboamus II. (17) urbes haſce, quæ olim Regno Juda paruerant, iterum redegit in fidem. Sunt qui credant, Regem hunc urbes illas quidem adjeciſſe ditioni Juda, quod juris illius eſſent: viciſſim tamen jure adeptionis retinuiſſe ſibi dominium illarum utile, ſeu vectigalia, quæ ab illis ſolvebantur. Sententiæ huic favent Textus Hebræus (18), Chaldæus, & Septuaginta. Syriacus, & Arabs neglexerunt in ſuis Verſionibus nomen *Juda*; cenſueruntque cum aliis non paucis (19), retinuiſſe ſibi

(1) Judic. IX. 7. 8. (2) החוח אשר בלבנון Sept. ὁ ἄκαν ὁ ἐν τῷ Λιβάνῳ. (3) הכבד ושב בביתך
(4) 2. Paral. XXV. 14. 15. 20. (5) Antiqu. lib. 9. c. 10. διακόψας τοῦ τείχους ὅσον τετρακοσίων πηχῶν, ἐφ' ἅρματος εἰσήλασε διὰ τῆς διακοπῆς εἰς Ἱεροσόλυμα, τὸν Ἀμασίαν ἄγων αἰχμάλωτον. (6) Vide Tabulam noſtram Conſpectus urbis Jeruſalem. (7) 2. Paral. XXV. 24. בני התערבות (8) ית בני רב רביא
(9) Τοὺς υἱοὺς τῶν συμμίξεων. (10) Vide Jun. Malv. Piſcat. & Sanct. (11) Ad ann. mundi 3194.
(12) 2. Paral. XXVI. 1. (13) Joſue XIX. 23. (14) ואפס עצור ואפס עזוב (15) Deuter. XXXII. 36. & 3. Reg. XIV. 10. (16) Vide 1. Paral. XVIII. 3. 5. 6. 7. Vide & 2. Reg. VIII. 6. & 14. & 2. Paral. VIII. 3. (17) Vat. Jun. Piſc. Menoch. &c. (18) השיב ליהודה Chald. ואתיב לבית יהודה *Reſtituit domui Juda*. Septuag. ἐπέστρεψε τὴν Δαμασκὸν τῷ Ἰούδᾳ. (19) Grot. Sanct. Tirin. Cornel.

ſibi Jeroboamum urbes illas, quas ſumptibus & diſcrimine ſuo cœperat.

ꝟ. 29. DORMIVIT JEROBOAM CUM PATRIBUS SUIS. Naturali exitu e vita ceſſit. Amos Propheta (1), qui ſub eo Principe agebat in vivis, accuſatus fuit ab Amaſia Sacerdote Bethel, quod moriturum Jeroboamum gladio prænunciaſſet: *In gladio morietur Jeroboam*. Ingens illud erat mendacium hujus vitulorum aureorum Sacerdotis, qui amovere volebat Amos, metuens ne quid ab illo gloriæ nominis ſui detraheretur.

[1] Amos VII, 11.

CAPUT XV.

Azarias lepra afficitur; cujus loco regimini manum admovet Joathan. Sellum Zachariam Regem Iſraelis interficit, ac regnat; cui Manahem ſuccedit. Solvit ille tributum Phul Regi Aſſyriæ. Phaceja ſuccedit Manahem. Phacee filius Romeliæ, ſublato Phaceja, regnum uſurpat. Teglathphalaſſar Iſraelitas pleroſque transfert in Aſſyriam. Oſee regnat in Iſraele poſt Phacee; & Achaz in Juda poſt Joathan.

A. M. 3194. ante J. Chr. 810. ꝟ. 1. ANno vigeſimo ſeptimo Jeroboam regis Iſrael, regnavit Azarias filius A-
maſiæ regis Juda. 2. Sedecim annorum erat, cum regnare cœpiſſet, &
quinquaginta duobus annis regnavit in Jeruſalem: nomen matris ejus Jecbelia de Je-
ruſalem. 3. Fecitque, quod erat placitum coram Domino, juxta omnia, quæ fecit
Amaſias pater ejus. 4. Verumtamen excelſa non eſt demolitus: adhuc populus ſa-
crificabat, & adolebat incenſum in excelſis. 5. Percuſſit autem Dominus regem, &
fuit leproſus uſque in diem mortis ſuæ, & habitabat in domo libera ſeorſum: Joa-
than vero filius regis gubernabat palatium, & judicabat populum terræ. 6. Reliqua
autem ſermonum Azariæ, & univerſa, quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro
A. M. 3246. verborum dierum regum Juda? 7. Et dormivit Azarias cum patribus ſuis: ſepelie-
runtque eum cum majoribus ſuis in civitate David, & regnavit Joathan filius ejus
ante J. Chr. 758. pro eo. 8. Anno trigeſimo octavo Azariæ regis Juda, regnavit Zacharias filius Je-
roboam ſuper Iſrael in Samaria ſex menſibus. 9. Et fecit, quod malum eſt coram
Domino, ſicut fecerant patres ejus: non receſſit a peccatis Jeroboam filii Nabat,
qui peccare fecit Iſrael. 10. Conjuravit autem contra eum Sellum filius Jabes: per-
A. M. 3232. cuſſitque eum palam, & interfecit, regnavitque pro eo. 11. Reliqua autem verbo-
rum Zachariæ, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iſrael?
12. Iſte eſt ſermo Domini, quem locutus eſt ad Jehu, dicens: Filii tui uſque ad
quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſrael. Factumque eſt ita. 13. Sel-
lum filius Jabes regnavit trigeſimo nono anno Azariæ regis Juda: regnavit autem uno
menſe in Samaria. 14. Et aſcendit Manahem filius Gadi de Therſa: venitque in
Samariam, & percuſſit Sellum filium Jabes in Samaria, & interfecit eum, regnavit-
A. M. 3233. que pro eo. 15. Reliqua autem verborum Sellum, & conjuratio ejus, per quam
tetendit inſidias, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iſrael?
16. Tunc percuſſit Manahem Thapſam, & omnes, qui erant in ea, & terminos ejus
de Therſa: noluerant enim aperire ei: & interfecit omnes prægnantes ejus, & ſcidit
eas. 17. Anno trigeſimo nono Azariæ regis Juda, regnavit Manahem filius Gadi ſu-
per Iſrael decem annis in Samaria. 18. Fecitque, quod erat malum coram Domi-
no: non receſſit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Iſrael cunctis die-
bus ejus. 19. Veniebat Phul rex Aſſyriorum in terram, & dabat Manahem Phul
mille talenta argenti, ut eſſet ei in auxilium, & firmaret regnum ejus. 20. Indi-
xitque ei Manahem argentum ſuper Iſrael cunctis potentibus, & divitibus, ut daret
regi Aſſyriorum, quinquaginta ſiclos argenti per ſingulos: reverſuſque eſt rex Aſſyrio-
rum, & non eſt moratus in terra. 21. Reliqua autem ſermonum Manahem, & uni-
verſa, quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iſrael?
22. Et dormivit Manahem cum patribus ſuis: regnavitque Phaceja filius ejus pro eo.
A. M. 3243. ante J. Chr. 751. 23. Anno quinquageſimo Azariæ regis Juda, regnavit Phaceja filius Manahem ſuper
Iſrael in Samaria biennio. 24. Et fecit, quod erat malum coram Domino: non re-
A. M. 3245. ante J. Chr. 749. ceſſit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Iſrael. 25. Conjuravit au-
tem

tem adverſus eum Phacee filius Romeliæ, dux ejus, & percuſſit eum in Samaria in
turre domus regiæ, juxta Argob, & juxta Arie, & cum eo quinquaginta viros de
filiis Galaaditarum, & interfecit eum, regnavitque pro eo. 26. Reliqua autem ſer-
monum Phaceja, & univerſa, quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum
dierum regum Iſrael? 27. Anno quinquageſimo ſecundo Azariæ regis Juda, regna-
vit Phacee filius Romeliæ ſuper Iſrael in Samaria viginti annis. 28. Et fecit, quod
erat malum coram Domino: non receſſit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui pec-
care fecit Iſrael. 29. In diebus Phacee regis Iſrael venit Teglathphalaſſar rex Aſſur,
& cepit Ajon, & Abel domum, Maacha, & Janoe, & Cedes, & Aſor, & Galaad,
& Galilæam, & univerſam terram Nephtali: & tranſtulit eos in Aſſyrios. 30. Con-
juravit autem, & tetendit inſidias Oſee filius Ela contra Phacee filium Romeliæ, &
percuſſit eum, & interfecit: regnavitque pro eo vigeſimo anno Joathan filii Oziæ.
31. Reliqua autem ſermonum Phacee, & univerſa, quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt
in Libro ſermonum dierum regum Iſrael? 32. Anno ſecundo Phacee, filii Romeliæ A. M. 3246.
regis Iſrael, regnavit Joatham filius Oziæ regis Juda. 33. Viginti quinque annorum ante J. C. 748.
erat, cum regnare cœpiſſet, & ſedecim annis regnavit in Jeruſalem: nomen matris
ejus Jeruſa, filia Sadoc. 34. Fecitque, quod erat placitum coram Domino: juxta
omnia, quæ fecerat Ozias pater ſuus, operatus eſt. 35. Verumtamen excelſa non
abſtulit: adhuc populus immolabat, & adolebat incenſum in excelſis: ipſe ædificavit
portam domus Domini ſublimiſſimam: 36. Reliqua autem ſermonum Joatham, & uni-
verſa, quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Juda?
37. In diebus illis cœpit Dominus mittere in Judam Raſin regem Syriæ, & Phacee
filium Romeliæ. 38. Et dormivit Joatham cum patribus ſuis, ſepultuſque eſt cum
eis in civitate David patris ſui, & regnavit Achaz filius ejus pro eo.

℣. 1. ANNO VIGESIMO SEPTIMO JEROBOAM .... REGNAVIT AZARIAS. Azariam appellari *Oziam* in Paralipomenis, jam animadvertimus. Neque alio nomine unquam nuncupat Joſephus; quod genuinum viri fuiſſe cenſet Grotius, ut nonniſi male utcumque nomen ab Amanuenſibus confuſum fuerit. Regnum cepit Azarias anno Jeroboami ſeptimo & vigeſimo, ducta ſupputatione ab accito Jeroboamo in Regni ſocietatem a patre, anno M. 3168. Si vero repetatur ab exordio Regni Jeroboami, poſt obitum Joas patris ejus, exordia Regni Azariæ incidunt in annum undevigeſimum Jeroboami, A. M. 3194. (1). Quæ noſtra eſt conciliatio Textus hujus cum iis, quæ alibi ſcripta ſunt (2), Amaſiam ſcilicet patrem Azariæ non regnaſſe niſi annis quindecim, ab inito Jeroboami II. regno. Si vera hæc eſſe ponantur, inquiunt, quomodo Azarias, qui Amaſiæ patri ſuo proxime ſucceſſit, Regnum ſuum inierit anno ſeptimo & vigeſimo Jeroboami? Inſuper in eodem capite (3) legimus, Jeroboamum Regnum capeſſiviſſe anno decimo quinto Amaſiæ, deinde vero Amaſiam non regnaſſe niſi annis omnino undetriginta (4). Utcumque res accipiatur, nunquam varia hæc concilientur, niſi pluribus regnandi exordiis Principi huic aſſignatis, uti a nobis ſervatum eſt: niſi forte mendum irrepſiſſe in numeros ſuſpicemur; quæ ratio expediendæ difficultatis, a viris nonnullis doctiſſimis aſſignata (5), commodior eſt quidem, ſed periculoſior, quod viam inſtruat ad integritatem Textus in ſuſpicionem revocandam, facilem nimis & pronam. Remedium eſt igitur illud nonniſi extrema exigente neceſſitate adhibendum.

℣. 3. FECIT QUOD ERAT PLACITUM CORAM DOMINO. Principis hujus laudabilia geſta plura accurate narrantur in Paralipomenis (6), quæ in unum hic colligere, ad juſtum Principis hujus elogium, operæ pretium arbitramur. Porro illi accidit percommodum, ut in Zacharia Propheta conſultorem haberet eximium, cujus monita quamdiu auſcultavit, Rempublicam ſapientiſſime adminiſtravit, eaque tantum præſtitit, quæ utiliſſima Regno eſſent, & glorioſiſſima. Bellis ſecundis pugnavit cum Philiſtæis, Ammonitis & Arabibus. Reſtituit auxitque munimenta Jeroſolymæ, turres excitavit, ciſternas fodit in agro, in commodum & ſecuritatem paſtorum. Oeconomiæ & agriculturæ ſtuduit. Exercitum habuit e trecentis ſeptem millibus & quingentis; armamentaria collegit, armis refertiſſima; nec deſtitutus eſt munitionibus & machinis tum in propugnandi, cum in aggrediendi uſum paratis. Sed mentis faſtus ille, quem virtus interdum fovet & excludit, quique magnos animos corrumpit, Azariam denique ſubegit, effecitque ut neglecto Domino in tantam deveniret audaciam, ut vel ad munia Sacerdotalia profanas manus porrigeret. Qua de cauſa factum eſt, ut a Deo puniretur eo lepræ morbo, de quo ſtatim.

℣. 4. VERUMTAMEN EXCELSA NON EST DEMOLITUS. Hoc utique non animadvertitur eo conſilio, quaſi filius ea in re diſtingueretur a patre; pater enim, perinde ac filius, edita illa loca Domino ſacra permiſerat (7): minime vero credibile eſt, toleraſſe illum loca ſimulachrorum ſuperſtitione profana.

℣. 5. PERCUSSIT DOMINUS REGEM, ET FUIT LEPROSUS. Auſo Rege Ozia (8), invito Deo & Sacerdotibus, pedem inferre in Sanctum, ac ſuffitum igni altaris thymiamatis dare [quod munus erat (9) peculiare Sacerdotum e genere Aaronico] *Azarias*, qui ſummum tunc Sacerdotium gerebat, adhibitis ſecum quatuor & viginti inter Sacerdotes, forti animo impiis ejus conatibus reſtitit, negans ad illum pertinere munus, quod unis Sacerdotibus ſervatum eſſet; quare reciperet ſe e loco Sancto, manuſque removeret ab his, in quibus

(1) Uſſerius. (2) 4. Reg. XIV. 16. 17. (3) ℣. 23. *Anno quinto decimo Amaſiæ Regis Juda, regnavit Jeroboam*, &c. (4) 4. Reg. XIV. 2. (5) Capell. Critic. Grot. Buting. (6) 2. Paral. XXVI. 4. 5. & ſeq. (7) 4. Reg. XIV. 4. (8) 2. Par. XXVI. 16. 17. & ſeq. (9) Num. III. 10. *Aaron & filios ejus conſtitues ſuper cultum Sacerdotii. Externus, qui ad miniſtrandum acceſſerit, morte morietur.*

Digitized by Google

quibus Deum nunquam adſcriptorem haberat. Hac libertate offenſus Rex, thuribulum dimittere recuſabat, addebatque minas in Sacerdotes: cum ecce tibi ſubita lepra affectus eſt, apparueruntque inopitata morbi indicia in fronte; quæ ut animadvertit Summus Sacerdos, cæterique cum illo, immundum expulerunt e Templo. Territus improviſa plaga Ozias, feſtinanter ſeſe ſubduxit. Prodigium hoc novis prodigiis quæ apocryphum ſapiunt, Joſephus exaggerat (1). Statim enim ac Ozias manus porrexit ad ſuffitum, *Ecce tibi terra vehementer concutitur, fiſſoque ſuperne templo, radius Solis os Regis improbum ferit, quod e veſtigio lepra contactum eſt. Acceſſit huic & aliud prodigium, quod eodem terræ motu ante urbem in loco, qui dicitur Eroge, dimidium montis ad occidentem vergentis revulſum, per quatuor ſtadia volutum, objectu demum Orientalis montis conſtitit, obſtructa via publica, & appreſſis ruina hortis Regiis.*

Convenit inter omnes, ſub Ozia validam terræ concuſſionem contigiſſe, cujus rei non obſcure meminit Amos (2); indicatque Zacharias, quanta tunc populum turbatio tenuerit, affirmans cives omnes Jeroſolymæ in tutum ſeſe proripuiſſe (3). Non ſatis tamen conſtat, utrum ſub ipſum tempus tentati ab Ozia muneris Sacerdotalis terra inhorruerit; quin & argumentis contrarium demonſtrari poſſe creditur. Exordium prophetandi duxiſſe ſeſe affirmat Amos Propheta biennio ante terribilem illam terræ concuſſionem ſub Ozia Rege Juda, & Jeroboamo filio Joas Rege Iſraelis. Conſtat autem, Jeroboamum obiiſſe biennio, antequam naſceretur Joathan filius Oziæ; diem enim clauſit Jeroboamus anno ſexto & vigeſimo Oziæ, cujus anno octavo & vigeſimo Joathan natus eſt. Sed Joathanum, quo tempore ejus pater lepra correptus eſt, egiſſe oportuit ætatem regimini aptam, quippe qui renunciatus fuerit ſummus Aulæ Præfectus & Regni adminiſtrator. Pluribus ergo annis poſt annum emortualem Jeroboami id contigit; adeoque is terræ motus tunc contingere non potuit, diu enim antea Jeroboamus diem clauſerat.

Ita nos quidem diſſerimus, admiſſis Uſſerii calculis, qui ſua utique difficultate non carent. Ponit enim ille, e. g. Jeroboamum deceſſiſſe anno ſexto & vigeſimo Azariæ, quamquam Scriptura non obſcure docet, Zachariam filium Jeroboami ſucceſſiſſe patri anno octavo & trigeſimo ejuſdem Azariæ (4). Inſuper Jeroboami obitum aliquot ante ortum Joathani annis conſtituit; licet in Paralipomenis (5) deſcribatur cenſus inſtitutus ſub Joathano & Jeroboamo, tamquam Regibus ætate paribus. Denique ponit interregnum undecim annorum inter Jeroboamum & Zachariam ejus filium, quod nullo Scripturæ teſtimonio probatur, cum potius contrarium Scriptura doceat iis verbis (6): *Dormivit Jeroboam, & regnavit Zacharias pro eo*; qua phraſi uti ſolet, cum filius ſtatim poſt patrem ſuum ſuccedit. Denique Amos, qui ſuppar erat ætate Jeroboamo II. & Oziæ Regi Juda (7), inſcribit Prophetiam ſuam anno ſecundo ante motum illum terræ, qui ipſiſſimus ille creditur, de quo Joſephus. Ex his omnibus apertiſſime reſultat, Uſſerii ratiocinationes nulla ratione hic quidem defendi poſſe.

Habitabat in domo libera; in domo a conſortio remota. Hebræus (8): *Habitabat in domo libertatis*, ab aliis diſcreta. Chaldæus (9): *Sedebat extra Jeruſalem*. Syriacus & Arabs: *Sedebat domi occultus*, nullis ſe Reipublicæ curis immiſcens (10), neque in publicum prodiens: obiit civili converſationi. Hic plures de hoc receſſu Regis exponunt illud Iſaiæ VI. 1. *In anno quo mortuus eſt Rex Ozias, vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, &c.* Docuerunt alii (11), Principem hunc contra apertas Legis juſſiones, quibus leproſi ab urbibus & hominum commercio removebantur (12), egredi Jeroſolyma recuſaſſe; quare Deum ut pervicaciam ejus puniret, ceſſaſſe toto vitæ illius tempore ab alloquio Prophetarum, neque verbum ſuum populo communicaſſe, qui conſortio leproſi ſe ſe polluerat. Sed traditiones haſce falſi revincunt ea quæ in Scriptura leguntur.

℣. 7. Sepelierunt eum cum majoribus suis in civitate David. Non in ſepulchris Regum, ſed in eodem agro, ubi ſepulchra erant Regum: *In agro Regalium ſepulchrorum, eo quod eſſet leproſus* (13). Ex quo intelligimus, quantus inſederit mentibus horror lepræ & leproſorum, ut ne cineres quidem leproſorum inferendi in communia ſepulchra cenſerentur. Tradit Joſephus (14), ſepulturæ mandatum fuiſſe ſeorſum in ejus hortis, facile in hortis domus extra urbem, ad quam receſſerat. Sed perhibet Scriptura, viri cadaver illatum fuiſſe in civitatem Davidis, & ſepulchro, quod defoſſum in agro Regum erat, fuiſſe mandatum.

℣. 8. Anno trigesimo octavo Azariæ . . . . . regnavit Zacharias. Ut Zachariæ primus annus componatur cum octavo & trigeſimo Azariæ, cenſet Uſſerius (15), admittendum eſſe interregnum undecim annorum & dimidii in Iſraele inter obitum Jeroboami II. & Zachariæ exordia. In eo autem interregno conſtituit turbas, quibus Regnum decem Tribuum exagitatum eſt, quas & prænunciatas credit ab Amos capitibus VII. & VIII. Nos tamen hic ℣. 5. demonſtravimus, ejuſmodi interregna non ſatis ſolido fundamento niti.

℣. 10. Sellum . . . . . percussit eum palam, coram populi conventu (16); neque facinus illud ſuum celavit, communis approbationis ſecurus. Quiſnam fuerit Sellum, ignoratur. Ex Oſee innui videtur, Zachariam neci tradendum fuiſſe Jezrahele (17).

℣. 12. Iste est sermo Domini, quem locutus est ad Jehu. Spem fecerat certam Dominus, ut filii ejus ſederent in ſolio Iſraelis ad quartam uſque generationem (18); ſediſſe autem revera conſtat Joachaz, Joas, Jeroboamum II. & Zachariam, qui poſtremus ſeriem poſterorum Jehu clauſit.

℣. 14. Ascendit Manahem . . . de Thersa, venitque in Samariam, aggreſſuſque Sellum interfecit. Manahemus, dux copiarum Zachariæ, verſabatur Therſæ, cum certior factus eſt, Regem a Sellum ſublatum fuiſſe; quare necem Domini ſui ulturus, venit, Sellum Samariæ aggreſſurus: cujus armis cum par non eſſet uſurpator, victus eſt, captus, necique traditus. Manahemus Rex ſalutatus ab exercitu, ſtatim rediit Therſam, clauſaſque ſibi inopinato urbis fores a civibus, ſe ſubmittere nolentibus, offendens, acerbe adeo rem tulit, ut ſubjectum urbi agrum ſæviſſime vaſtaverit. Furoris ejus vim maxime omnium paſſa eſt Thapſa, quæ ab ea urbe non multum aberat. Docet Scriptura, efferatum illum Regem non ſe continuiſſe, quin uteros gravidarum mulierum ſcinderet, ut illarum fœtus contereret, atque humi elideret. Plura narrantur ab Joſepho (19), quibus

(1) Joſeph. Antiqu. lib. IX. c. 11. Ita & Hebr. & Cyrill. in cap. XIV. Zach. & Procop. Gaz. in lib. Reg. & Hieron. in Amos c. 1.
(2) Amos I. 1. *Verba Amos, quæ vidit ſuper Iſrael in diebus Oſiæ . . . . ante duos annos terræ motus.*
(3) Zach. XIV. V. *Fugietis ſicut fugiſtis a facie terræ motus in diebus Oſiæ Regis Juda.*
(4) 4. Reg. XV. 8.
(5) 1. Paral. V. 17.
(6) 4. Reg. XIV. 29.
(7) Amos I. 1.
(8) וישב בבית החפשית
(9) Chald. Toſtat. alii.
(10) Joſeph. ἰδιώτης αὐτὸς ζῶν βίον.
(11) Chryſoſt. Hom. 5. in c. 6. Iſai. Procop. in eumdem locum.
(12) Levit. XIII. 46.
(13) 2. Paral. XXVI. 23.
(14) Joſeph. Antiqu. l. 9. cap. 11. ἐτάφη μόνος ἐν τοῖς ἰδίοις κήποις.
(15) Ad an. mundi 3220. Ita & Corneł. a Lapide.
(16) ויכהו קבל עם
(17) Oſee I. 5. *In illa die conteram arcum Iſrael in valle Jezrahel.*
(18) 4. Reg. X. 30.
(19) Joſeph. Antiq. l. 9. c. 11.

quibus lux aliqua Scripturæ affunditur. Cavendum eſt tamen, ne ſingula indiſcriminatim, & non dubia fide admittantur; ſæpe enim Joſephus conjecturis, atque hiſtoricis ornamentis indulget.

℣. 17. ANNO TRIGESIMO NONO AZARIÆ ..... REGNAVIT MANAHEM ... DECEM ANNIS. Poſt menſem unicum ab uſurpato Regno, ſublato a Manahemo Sellum, Manahemus ſe in Regem obtrudit eodem anno, undequadrageſimo Azariæ: ſed cum Regnum turbis plurimis agitaretur, nonniſi poſt plures menſes pacificam ejus poſſeſſionem obtinuit. Incertus, & jactatus manſit ſpatio undecim menſium; donec tandem Manahemus in ſuas partes trahens Phul Regem Aſsyriæ, corruptum muneribus, inter quæ potiſſimum ſpectabatur alter e vitulis aureis ab Jeroboamo conſecratis (1), ope ejus Principis, qui in Iſraelem venit, Manahemus in Regno confirmatus eſt, ea tamen conditione, ut mille inſuper talenta Aſsyriis ſolveret. Igitur Phul hoſtes Manahemi removit, poſſeſſionem Regni illi aſſeruit, ac demum ipſe receſſit. Tunc partæ Regni quies Manahemo, in exitu anni undequadrageſimi Azariæ: atque hoc habendum eſt exordium decennii hujus Regni Manahemi (2).

℣. 18. CUNCTIS DIEBUS EJUS. Referri hæc poſſunt ad Jeroboamum filium Nabat, qui toto Regni ſui ſpatio peccatum in Iſraele detinuit; vel potius ad Manahemum, hoc ſenſu: *Non receſſit toto Regni ſui tempore a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Iſrael.*

℣. 19. VENIEBAT PHUL REX ASSYRIORUM IN TERRAM, ET DABAT EI MANAHEM MILLE TALENTA. *Phul* pater eſt facile Sardanapali, qui nomini *Sardan* addens nomen *Pal* vel *Pul*, appellatus eſt *Sardan-Pul*, vel *Sardan-Apal*, uti *Merodac-Baladan* adjecit nomen patris ſui *Baladan* peculiari ſuo *Merodac* (3). Hanc ſi admittamus conjecturam, reputandum erit, Phul unum eſſe eumdemque virum cum *Anacindaraxe*, vel *Anabaxare* (4), quem Profani Sardanapalo patrem adſcribunt. Stephanus Byzantinus *Cyndaraxen* appellat; Julius Africanus *Acracarnen*; Euſebius *Ocrazapen*: ſed Straboni, Arriano, Suidæ, & pleriſque cæteris eſt *Anacyndaxares*. Primus eſt hic Rex Aſsyriorum, quem Scriptura in ditionem Iſraelis inducat; deinceps vero frequenter nimium redituri ſunt. Docet hic non ambiguis verbis Scriptura Phul veniſſe ſuppetias laturum Manahemo, ut regnum illi aſſereret, quod ipſe Sello amoto uſurpaverat. Eadem tradit Oſee v. 13. accitum nempe fuiſſe Aſsyrium a Manahemo in ſui auxilium contra hoſtes: *Vidit Ephraim languorem ſuum, & Juda vinculum ſuum, & abiit Ephraim ad Aſſur, & miſit ad Regem ultorem.* Docet alibi Scriptura (5), ſuſcitaſſe Deum Spiritum Phul Regis Aſsyriorum, ut veniret in regionem, &c. Joſepho authore (6), cum Phul Manahemum aggreſſus eſſet, ille ſe imparem ſentiens, ea mille talentorum pecunia pacem emit. Annuum illud tributum fuiſſe, cenſere videntur Septuaginta (7); legunt enim: *In diebus illius veniebat Phua Rex Aſſyriorum.* Verum ſatis innuit Scriptura, pecuniam hanc ſemel tantummodo ſolutam fuiſſe, nec eo ſe contuliſſe Phul ad bellum, ſed ſolum, ut res Manahemi firmaret; nec denique manſiſſe in regione Iſraelis, niſi uſque ad acceptam pecuniam, partamque Manahemo in Regno quietem.

℣. 20. QUADRAGINTA SICLOS ARGENTI PER SINGULOS. Innui quidem ex hoc Textu videtur, Manahemum ad hoc tributum coegiſſe tantum ſubditorum locupletiſſimos (8): ſed multo credibilius eſt, ne vulgum quidem eo onere caruiſſe. Narrat Scriptura id tantum, quod a divitibus ſolvebatur; cæteri pro facultatibus dabant. Quinquaginta ſicli argenti nonnihil ſuperant libras monetæ noſtratis unam & octoginta circiter.

℣. 23. REGNAVIT PHACEJA FILIUS MANAHEM. Hujus Principis cætera latent niſi hoc tantum, quod decennio regnavit, relegitque nequiſſima patrum ſuorum veſtigia. Geſta ejus deſcripta continebant Annales Regum Iſraelis (9), quos nobis remotior ætas invidit. De omnibus hiſce Principibus Iſraelis nihil in Paralipomenis; poſt bellum enim Amaſiæ Regis Juda adverſus Joas Regem Iſraelis, Hiſtoria Paralipomenon totam ſe ad Reges Juda cogit.

℣. 25. PHACEE FILIUS ROMELIÆ, DUX EJUS, PERCUSSIT EUM IN SAMARIA. Phacee dignitatem gerebat *Schaliſch* Regis Iſraelis; ideſt, unus erat e primoribus Regni Præfectis. Quæ cauſa illum impulerit, ut in vitam Domini ſui conjuraret, ignoratur. Is porro ſolidis viginti annis Regnum tenuit, ſed non felix & quietum, uti ſtatim narrabitur.

IN TURRE DOMUS REGIÆ, JUXTA ARGOB, ET JUXTA ARIE. Textus Hebræus reddi poteſt (10): *Percuſſit eum in Samaria in palatio domus regiæ, cum Argob, & Arie, & quinquaginta de filiis Galaaditarum.* Phacejam aggreſſus eſt Phacee, ſecum ducens Argob, & Arie, atque Galaaditarum quinquaginta, conjurationis ſociis (11).

℣. 29. IN DIEBUS PHACEE .... VENIT TEGLATHPHALASAR REX ASSUR. In varias ſententias de Teglathphalaſaro abitum eſt, cum Hiſtoria ſacra & profana inter ſe conciliandæ, & apud Profanos Scriptores iidem Principes, de quibus Scriptura, reperiendi ſuſcipiuntur. Cenſet Uſſarius, Teglathphalaſarum ipſiſſimum eſſe Ninum Juniorem, qui ſucceſſit Sardanapalo, appellaturque ab Æliano (12) *Thilgamus*, quod ſatis congruit cum nomine Teglathphalaſari. Nomen *Teglath* derivatur ex Diglit, Tiglit, vel Diglito, quod Tigridis nomen eſt (13). Nomen *Phul* auditum eſt antea in ejus avo; *Aſſar* nomen eſt Aſsyriæ; quod etiam deprehenditur in *Alman-Aſſar*. Damus hic paucis verbis hiſtoriam Phul, Sardan-Apali, & *Teglath-Phal-Aſſari*. *Phul*, alio nomine Acyndaraxes, Rex Aſsyriæ, filium habuit Sardanapalum, & felici, ac proſpero Regno tenuit celebre illud Aſsyriorum Imperium, quod tunc cæteris per Orientem Imperiis præſtabat. Sub eodem Rege Jonas veniſſe Niniven, ac pœnitentiam prædicaſſe videtur. Regis ac ſubditorum pœnitentia impendens eorum capitibus flagellum, ab eodem Propheta denunciatum, avertit.

Sardanapalus filius Phul viginti annis Ninive regnavit (14); cujus erat imperium non in Aſſyrios modo, ſed & in cæteras vicinas provincias, uſque in Ciliciam, ubi celebres urbes duas Tharſos, & Anchialen una die condidit (15). Arbaces Mediæ Præfectus, & Beleſus Babylonius, indignati mollem effœminatamque ejus vitam, inita in illum conſpiratione ſecundis quibuſdam præliis illum affligentes, denique in Ninive obſederunt. Biennio obſidionem hanc ſuſtinuit Sardanapalus; ſed tertio demum anno tumentes Tigridis aquæ, ſuperatis alvei anguſtiis, mœnia Ninives per viginti ſtadia, ideſt, paſſus bis mille & quingentos, dejecere. Quare Sardanapalus diutius reſiſtere hoſtibus ſe non poſſe videns, pyram incendit, quo ſe unaque Regias ædes, concubinas, eunuchos, totamque ſupellectilem ſuam cremavit. Is fuit exitus vetuſtiſſimi Aſſyriorum Imperii.

Ex

[1] Oſee 2. 6. & ℣. 13. [2] Uſſer. ad an. mundi 3233. [3] Vide Iſai. xxxix. 1. Uſſer. ad an. mundi 3513. [4] Athen. lib. VIII. & XII. Dipnoſoph. [5] 1. Paral. v. 26. [6] Joſeph. lib. 9. c. 13. Ita & Grot. *Hac pecunia & bellum redemit, & ſocietatem emit.* [7] Ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτοῦ ἀνέβη Φουα βασιλεὺς τῶν Ἀσσυρίων. Ita Menoch. [8] Ita Grot. [9] Vide infra ℣. 26. [10] ויכהו בשמרון בית המלך את ארגב ואת האריה ועמו חמשים איש מבני גלעדים [11] Ita Chald. Septuag. Syr. Arab. Vat. [12] Ælian. hiſt. animal. lib. XII. c. 21. [13] Geneſ. 11. 14. Vide Grot. hic. [14] Jul. Afric. & Euſeb. [15] Vide Strabon. lib. 14.

Ex ejus ruinis Imperia nata ſunt tria, I. Medorum, cujus Anthor fuit *Arbaces*, alio nomine *Orbaccus* (1), vel *Pharnaces* (2), quippe qui Medoa Aſſyriorum jugo liberavit. II. Babylonicum, conditore *Beleſa*, qui & *Baladan* in Scriptura (3), & Nabonaſſar apud Profanos (4). Regnavit hic annis quatuordecim Babylone, ac ſucceſſorem teliquit *Merodac-Baladan*, filium ſuum. III. Aſſyrium, ad Veteres limites redactum, quod reparavit *Ninus junior*, alio nomine *Thilgam*, vel *Teglatphalaſar*, qui Ninive reſtituta, in eam regionem imperavit, quæ peculiari nomine Aſſyria nuncupatur. Hic rebus præfuit annis undeviginti (5); idemque eſt Regum Aſſyriæ poſt Sardanapalum radix. Is erat ſtatus Imperiorum Orientalium ſub Regibus Juda, Joathano, Achaz, Ezechia, cæteriſque poſt ipſum, & ſub Regibus Iſraelis Zacharia, Sellum, Manahem, Phacee, ae reliquis. Cum autem devenerimus ad tempus Hiſtoricum Regom Orientalium, quorum erant ves plurimum cum Hebræorum rebus connexæ, operæ pretium viſum eſt, Orientalium rerum ſtatum in medium proferre. Porro occaſione bellorum Phacee Regis Iſraelis, & Raſin Regis Syriæ, accitus ab Achaz Teglathphalaſar venit in Syriam, & in ditionem Samariæ, ut eapite ſequenti narrabitur.

Cepit Ajon. Eadem eſt *Abion*, de qua alibi (6). Sermo eſt apud Ezechielem XLVIII. 1. de *Enan*, ad fines Damaſci. Hanc primam Urbem offendit Rex Aſſyriæ, e regione ſua in ditionem Iſraeliticam veniens. Jeroboamus II. omnes Syriæ urbes, quæ olim Regno Judæ parebant, receperat (7); nunc vero Teglathphalaſar illas ſibi repetit ex Phacee Rege Iſraelis.

Abel-domum Maacha, vel *Abel-Beth-Maacha*, vel planius *Abela*, vel *Abelmaim*. In hanc urbem perfugerat Seba filius Bochri ſub Davide (8). Maxime ſeptentrionalis eſt in Regno Iſraelitico.

Janoe. Hujus nominis urbs quædam occurrit in Tribu Ephraim (9). In Acrabatene ab Euſebio conſtituitur. Ægre tamen in animum induco, ipſam hanc eſſo Urbem, quam Teglathphalaſar ſuperavit. Syriacus, & Arabs hanc appellant *Niahum*; eſt autem urbs quædam *Noa* in Tribu Zabulonis (10).

Cedes, urbs eſt celebris in Tribu Nephtali. Vide Joſue XII. 22.

Azor, vetus & celebris urbs, quæ jam inde ante Joſue primas tenebat inter Urbes Galilææ (11).

Galaad uſurpari ſolet pro tota regione Transjordanica, quamquam re quidem vera id nominis convenit nonniſi montibus, quibus ditio Iſraelis ad Orientem definitur.

Galilæam, et universam terram Nephthali; Galilæam ſcilicet ſuperiorem Transjordanicam, & ſortem Nephtali cis amnem. Urbium iſtarum omnium a ſe devictarum incolas Teglathphalaſar in Aſſyriam tranſtulit. Cum enim Iſraelis regio longo intervallo a Regno ſuo diſtaret, e re ſua eſſe cenſuit, ſi incolas ejus transferret in Aſſyriam; vel forte indigebat coloniis, ut ſua ditio, quam bella Arbacis, & Beleſi in Sardanapalum vaſtaverant, frequentaretur. Legimus alibi (12), Teglathphalaſarum tranſtuliſſe Ruben, Gad, & dimidiam Manaſſe, Tribus ſcilicet omnes ſedes habentea trans Jordanem; tranſtuliſſe, inquam, in *Labelam*, *Habor*, *Ava*, & ad amnem *Goaan*. De Galilæis vero & filiis Nephtali legimus tantum, translatos fuiſſe in Aſſyriam, & Syros Damaſcenos in Kir: quod a nobis ſuo loco exponetur.

℣. 30. Conjuravit .... Osee filius Ela contra Phacee .... regnavitque pro eo, vigesimo anno Joathem filii Oziæ. Vigeſimus hic annus Joathami componitur cum quarto Achaz ejus filii; Joatham enim ante quatuor annos deceſſerat. Regnavit annis tantum ſedecim, uti legimos hic ℣. 32. 33. Cum enim Scriptura nondum de Achaz ſermonem habuerit, eamdem proſequitur annorum ſeriem, quam ab exordio Joathami duxit, quamquam illo vita jam functo. Porro Oſee non ſtatim Regni Iſraelitici pacificam poſſeſſionem obtinuit, turbis plurimis in regionem injectis. Quare novem poſt obitum Phacee annis Regnum ſuum exorſus eſt. Hæc ſuccurrerunt Uſſerio, ut conciliaret Textum hunc cum capite XVII. 1. in quo Regni Oſee exordia ad annum duodecimum Achaz conſignantur. Sed arduum eſt aliquod, quod ab Uſſerio non tollitur; ſi enim obitus Phacee ſtatuatur anno vigeſimo Joathami, Phacee Regnum prorogatur ad annos duos & viginti, quamquam intra viginti illud definit Scriptura, hic ℣. 27. Joatham Regnum capeſſivit anno Phacee ſecundo [℣. 32.]: retinuit autem annis ſedecim [℣. 33.]. Igitur annus vigeſimus a cœpto Joathami Regno incidit in ſecundum & vigeſimum Phacee.

Ut hæc omnia concilientur, non temere reputaverim, Oſee conſpirationem iniviſſe in Phacee anno illius vigeſimo, qui & duodevigeſimus erat Regni Joathami Regis Juda. Biennio poſt, ideſt, quarto Achaz, & vigeſimo Joathami, Oſee portionem Regni uſurpavit, ut ex ℣. 30. Denique anno Achaz duodecimo totius Regni pacificam poſſeſſionem inivit, ut ex Capite XVII. 1.

℣. 34. Fecit quod erat placitum coram Domino. Nihil illi exprobrat hic Scriptura, niſi quod majorum ſuorum exemplo toleraverit populi Sacrificia & ſuffitum in editis locis, Domino conſecratis. Cæterum pietatem patris ſui Oziæ ita imitatus eſt, ut præſumptionem ejus abjecerit, qoa manus porrigere profanas ad oblationem thymiamatis in Templo auſus eſt. Urbes quaſdam condidit in montibus Juda, uti & in locis deſertis turres & arces. Armis in Ammonitas motis, coegit illos ad vectigal per tres ſuccedentes annos, centum talentorum argenti, mille frumenti, ac totidem hordei menſurarum. Larga benedictione Deus pium Regem proſequutus eſt, ut cœptorum ſuorum exitu proſpero frueretur. Hæc de illo in Paralipomenis (13).

℣. 35. Ædificavit portam domus Domini sublimissimam. Portam hanc ſeu novam adjecit Templo Salomonico, ſeu veterem majorem portam Orientalem reparavit: neque alia eſt facile Porta nova apud Jeremiam (14). Tradit Joſephus (15), portas Atrii Templi, poſt captivitatem conditi, ſurrexiſſe in altum cubitis triginta, cum in latum quindecim paterent; portam vero Templi habuiſſe altitudinis cubitos quinquaginta, latitudinis quadraginta. Inſignia etiam opera adjeciſſe Joathamum mœnibus Jeroſolymæ, diſcimus ex Paralipomenis (16).

℣. 37. In diebus illis cœpit Dominus mittere in Judam Rasin Regem Syriæ et Phacee filium Romeliæ. Harum expeditionum Regum Syriæ & Samariæ in Judam exordium conſtituitur paulo ante obitum Joathami Regis Juda (17): ſævierunt autem potiſſimum ſub Regno Achaz, uti in ſerie hujus Hiſtoriæ narrabitur.

[1] Ita apud Strabon. [2] Ita Vell. Patercul. [3] Iſai. XXXIX. 1. & 4. Reg. XX. 12. [4] Hipparch. Ptolom. Cenſorin. [5] Euſeb. in Græco Chronico ex Caſtore Rhodio. [6] 3. Reg. XV. 20. [7] 4. Reg. XIV. 28. [8] 2. Reg. XX. 14. 15. [9] Joſue XVI. 6. [10] Joſue XIX. 13. [11] Vide Joſue XI. 1. [12] 1. Paral. V. 26. [13] 2. Paral. XXVII. 2. & ſeq. [14] Jerem. XXVI. 10. & XXXVI. 10. [15] Joſeph. de bello Jud. lib. 6. c. 6. In ſecundo Libro adverſus Appionem pag. 1047. narrat, portarum Templi altitudinem ſexaginta cubitos, & viginti latitudinem æquaſſe. [16] 2. Paral. XXVII. 3. [17] Vide Uſſer. ad an. mundi 3262.

CAPUT XVI.

Achaz totum ſe tradit cultui Idolorum. Petitur atque obſidetur copiis Phacee & Raſin; ſed eo metu liberatur auxiliaribus copiis Regis Aſſyriæ. Erigi jubet in Templo Altare ad normam Altaris Damaſceni. Achaz vita functo, Ezechias regnat.

℣. 1. ANno decimo ſeptimo Phacee filii Romeliæ, regnavit Achaz filius Joatham A. M. 3262. ante J. C. 742.
regis Juda. 2. Viginti annorum erat Achaz, cum regnare cœpiſſet, &
ſedecim annis regnavit in Jeruſalem: non fecit, quod erat placitum in conſpectu Do-
mini Dei ſui, ſicut David pater ejus. 3. Sed ambulavit in via regum Iſrael: inſuper
& filium ſuum conſecravit, transferens per ignem ſecundum idola gentium: quæ diſſi-
pavit Dominus coram filiis Iſrael. 4. Immolabat quoque victimas, & adolebat incen-
ſum in excelſis, & in collibus, & ſub omni ligno frondoſo. 5. Tunc aſcendit Raſin
rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Iſrael, in Jeruſalem ad præliandum; cumque
obſiderent Achaz, non valuerunt ſuperare eum. 6. In tempore illo reſtituit Raſin A. M. 3263.
rex Syriæ Ailam Syriæ, & ejecit Judæos de Aila: & Idumæi venerunt in Ailam, &
habitaverunt ibi uſque in diem hanc. 7. Miſit autem Achaz nuntios ad Teglathpha- A. M. 3264.
laſar regem Aſſyriorum, dicens: Servus tuus, & filius tuus ego ſum: aſcende, & ſal-
vum me fac de manu regis Syriæ, & de manu regis Iſrael, qui conſurrexerunt adver-
ſum me. 8. Et cum collegiſſet argentum, & aurum, quod inveniri potuit in domo
Domini, & in theſauris regis, miſit regi Aſſyriorum munera. 9. Qui & acquievit vo-
luntati ejus: aſcendit enim rex Aſſyriorum in Damaſcum, & vaſtavit eam: & tran-
ſtulit habitatores ejus Cyrenen, Raſin autem interfecit. 10. Perrexitque rex Achaz
in occurſum Teglathphalaſar regi Aſſyriorum in Damaſcum: cumque vidiſſet altare
Damaſci, miſit rex Achaz ad Uriam ſacerdotem exemplar ejus, & ſimilitudinem jux-
ta omne opus ejus. 11. Extruxitque Urias ſacerdos altare: juxta omnia, quæ præ-
ceperat rex Achaz de Damaſco, ita fecit ſacerdos Urias, donec veniret rex Achaz de
Damaſco. 12. Cumque veniſſet rex de Damaſco, vidit altare, & veneratus eſt illud:
aſcenditque, & immolavit holocauſta, & ſacrificium ſuum, 13. Et libavit libamina,
& fudit ſanguinem pacificorum, quæ obtulerat ſuper altare. 14. Porro altare æreum,
quod erat coram Domino, tranſtulit de facie templi, & de loco altaris, & de loco
templi Domini, poſuitque illud ex latere altaris ad aquilonem. 15. Præcepit quoque
rex Achaz Uriæ ſacerdoti, dicens: Super altare majus offer holocauſtum matutinum,
& ſacrificium veſpertinum, & holocauſtum regis, & ſacrificium ejus, & holocauſtum
univerſi populi terræ, & ſacrificia eorum, & libamina eorum: & omnem ſanguinem
holocauſti, & univerſum ſanguinem victimæ ſuper illud effundes; altare vero æreum
erit paratum ad voluntatem meam. 16. Fecit igitur Urias ſacerdos juxta omnia,
quæ præceperat rex Achaz. 17. Tulit autem rex Achaz cælatas baſes, & luterem,
qui erat deſuper: & mare depoſuit de bobus æreis, qui ſuſtentabant illud, & poſuit
ſuper pavimentum ſtratum lapide. 18. Muſach quoque ſabbathi, quod ædificaverat
in templo, & ingreſſum regis exterius convertit in templum Domini, propter regem
Aſſyriorum. 19. Reliqua autem verborum Achaz, quæ fecit, nonne hæc ſcripta
ſunt in Libro ſermonum dierum Juda? 20. Dormivitque Achaz cum patribus ſuis,
& ſepultus eſt cum eis in civitate David, & regnavit Ezechias filius ejus pro eo.

℣. 2. VIGINTI ANNORUM ERAT ACHAZ CUM REGNARE CŒPISSET, ET SEDECIM ANNIS REGNAVIT. Hic in ipſo limine hæremus. Achab viginti annorum ætate Regnum capeſſivit, ac poſt annos Regni ſedecim deceſſit: vixit igitur tantum annis ſex & triginta. Sed Ezechias ejus filius regnare cœpit, ætatem agens annorum quinque & viginti: quare illum genuit Achaz, cum ætatis annos undecim non ſuperaret; quod incredibile videtur. Ut nodum præciderent, Commentariorum Scriptores varii varia tentarunt. Sunt qui credant, Ezechiam filium ipſi Achaz fuiſſe non natura, ſed adoptione & lege, vel tamquam neceſſariorum maxime propinquum adſcitum. Alii (1) prodigium comminiſcuntur, rati, Ezechiam fructum eſſe a Cœlo gratis conceſſum Familiæ Davidicæ & Regno Juda. Maluerunt quidam (a), viginti hoſce annos pertinere ad exordia Regni Joa-

(1) Hieronym. ad Vitalem. *Multa & alia dicuntur in Scripturis, quæ videntur incredibilia, & tamen vera ſunt; neque enim valet natura contra naturæ Dominum.* (a) Jun. & Tremell. Harduin. Chronol. vet. & nov. Teſtam.

Joathami, patris Achaz, ut hic Textus ita reddendus ſit: *Achaz viginti annorum erat, cum pater ejus regnare cœpiſſet;* adeoque duos & quinquaginta agebat cum deceſſit; Joatham enim regnavit annis ſedecim: quare & genuit Ezechiam anno ætatis ſuæ ſeptimo, & vigeſimo. Verum hæc ſolutio totam ſubvertit œconomiam verborum, atque in ſenſum longe remotum trahit. Neque magis probare poſſumus illos, qui mendum in numeros irrepſiſſe ſuſpicantur. Tota igitur difficultatis hujus vis eo redigitur, ut inveſtigemus, utrum fieri unquam poſſit, ut gignere liberos quis valeat ætate decem, vel undecim annorum. Hoc modo expendendum eſt.

Affirmat Busbequius, in Colchide non raras eſſe fœminas ad annum ætatis decimum matres (1). Bochartus qui expoſitionem hujus Textus prolixa verſavit epiſtola (2), docet, verba illa Scripturæ, ſerentia Ezechiam Regnum iniviſſe annis natum quinque & viginti, accipi commode poſſe de anno xxv. ætatis cœpto, non abſoluto, ut reipſa nonniſi quatuor & viginti integros annos cum diebus nonnullis anni vigeſimi quinti egerit; atque ita Achaz, duodecim ætatis annos agentem, gignere Ezechiam potuiſſe. Id autem contingere potuiſſe, plurimis demonſtrat. Orientales, & incolæ ferventium regionum citius pubertatem attingunt; adeoque & gignendo pares ſunt maturius, quam algentis ſeu temperatæ regionis indigenæ. Quod compertum eſt etiam experientia vicinarum nobis, & ferventioris Cœli gentium, ut Hiſpanorum. Albertus Magnus teſtatur, ſcire ſe puellam, quæ novennis concipiens, decennis peperit. Navarrus (3) digniſſimorum relatione ſe didiciſſe tradit, in Regno Neapolitano puellam quamdam decennio non majorem peperiſſe. Mandeſle in ſuo Itinerario Indico animadvertit, regionis illius fœminas citius pubeſcere, quam noſtras a Sole remotiores; ut non deſint, ait, apud Indos puellæ decennes vel duodennes marito jam aptæ; neque novæ ibi vel raræ ſint matres decennes. Ibi etiam non ante plurimos annos, addit ille, puella ſexennis, non tamen ſine admiratione illarum etiam gentium, concepit.

S. Hieronymus, in Epiſtola ad Vitalem, ſententiam illorum fulcit, qui regnum iniviſſe cenſent Salomonem duodecim ætatis annis non majorem, adeoque & Roboamum genuiſſe cum ætatem annorum undecim non ſuperaret. Adducit in eam rem exemplum puellæ decennis, quæ filium genuit. Perſimile aliud de Hiſpana muliere narrat Sanctius (4).

Adoleſcens duodennis, teſte Scaligero (5), decennem puellam maſculini fœtus gravidam fecit Lectorii in Provincia. Romanis legibus quatuordecim annorum ætas par eſt connubio (6); quod utique illæ non præſcriberent, niſi noſſent ætatem eſſe parem gignendo; non ita tamen, ut ante illam ætatem gigni fœtum aliquando non contingat, ſed raro. Tiraquellus producit exempla quædam adoleſcentum, qui quatuordecim annis minores, & puellarum quæ nondum duodennes genuerunt; laudatque præſertim exemplum recitatum in Gloſſa Juris Canonici (7), veluti deductum e Dialogis S. Gregorii, quamquam hodie in illis non legitur. S. Auguſtinus (8) virum parem eſſe poſſe gignendo ait, ſi decennium agat. Medicorum præſcripto, viri gignendo pares ſunt anno ætatis tertio & decimo, puellæ quartodecimo (9).

℣. 3. FILIUM SUUM CONSECRAVIT, TRANSFERENS PER IGNEM. Criminis hujus horrorem minuere conati Interpretes quidam (10) cenſent, puerum hunc non igne quidem abſumptum fuiſſe, ſed traductum ſolummodo per flammas, profanæ luſtrationis cauſa, quibus de luſtrationibus ſermo eſt etiam apud Poetas (11).

Omnia purgat edax ignis, vitiumque metalli
Excoquit: idcirco cum duce purgat oves.
Certe ego tranſilii poſitas ter in ordine flammas.

Addunt, Ezechiam ejus filium patri in Regno ſucceſſiſſe, & Maaſiam alterum filium juſſu Regis Iſraelis interfectum (12). Quorſum tamen hæc? An non alios genuiſſe liberos potuit?

Quamquam procul dubio conſtat, non ſemel traductos fuiſſe homines per flammas, vel medios inter duos ignes; fatendum eſt tamen, accuſari hic Achaz de immolato reipſa filio ſuo profanis Numinibus, quorum obſequio eam victimam igni tradiderit. Docet hoc Scriptura non obſcure his verbis (13): *Filium ſuum tranſtulit per ignem ſecundum abominationes gentium, quas diſſipavit Dominus coram filiis Iſrael.* Nemo jure dubitaverit, quin Chananæi Veteres Palæſtinæ incolæ traduxerint revera filios ſuos per ignem, vel immolaverint in Numinum ſacrificium: non eſt igitur cur ambigamus, utrum Achaz id ſacrificii genus imitatus fuerit (14). Ejus criminis odio Deus Chananæos delevit (15). Earum gentium veſtigia relegentes Iſraelitæ, perſimili ſe ſcelere inquinarunt (16): *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmoniis, & effuderunt ſanguinem innocentem ſculptilibus Chanaan.* Phœnices, veterum Chananæorum reliquiæ, impium hunc morem in regione ſua ſervatores (17), ſecum in Africam & Carthaginem detulere, ubi diutius perſeveravit. Gelon Siciliæ Rex, victis Carthaginienſibus conditionem illam imperavit, ut morem hunc immolandi filios Saturno abdicarent (18); affirmatque Juſtinus libro VIII. miſſis nunciis Darium illis imperaſſe, ut humanis victimis abſtinerent. Nequaquam tamen hinc factum eſt, ut ſacrificia publica filiorum Saturno immolatorum abolerentur in Africa; perſeveraſſe enim ad Proconſulatum uſque Tiberii, docet Tertullianus, Apologetico II. Is Princeps neci tradidit impios omnes ſacrificulos, quorum cadavera ſuſpendit arboribus juxta Templa illa conſitis. Vide in hoc argumentum noſtram Diſſertationem de Moloch, & *Levit.* XVIII. 21. & *Deut.* XVIII. 10.

℣. 5. TUNC ASCENDIT RASIN REX SYRIÆ, ET PHACEE FILIUS ROMELIÆ REX ISRAEL AD PRÆLIANDUM: CUMQUE OBSIDERENT ACHAZ, NON VALUERUNT SUPERARE EUM. Geſta ſunt hæc anno primo Regni Achaz; ſed bellum ad alterum etiam annum prorogatum eſt; legimuſque in Paralipomenis (19), ambos Reges, Phacee & Raſin, veniſſe in ditionem Juda, eorumque manibus permiſſas a Deo fuiſſe copias & ditionem Achaz. Fœderati Reges copias ſuas diviſere. Raſin undique ditionem diripuit, & obvios quoſcumque abegit captivos, egitque, nullo prohibente, Damaſcum prædam, quam legerat ex hoſtili. Phacee Rex Iſraelis unius diei prælio cecidit CXX. millia hoſtium,

(1) Busbeq. Ep. 3. *Oſtenduntur pleræque matres anno ætatis decimo; quod cum mirere, neque propter corporis parvitatem credas, ipſæ infantem preferunt grandi cana haud multo majorem.* (2) Bochart. Diſſert. 23. in hunc loc. pag. 920. Edit. Lugd. Batav. ann. 1652. (3) Navar. apud Sanchez de matrimonio lib. 7. quæſt. 5. diſput. 104. (4) Ad 3. Reg. cap. 3. art. 11. (5) Scalig. in Elenc. orat. Chronol. (6) Vide Tiraquel. 6. connub. num. 36. 37. (7) Gloſſ. in Sum. l. 20. qu. 1. (8) Aug. lib. 15. de civitate Dei cap. 11. & 15. & lib. XVI. cap. ult. & in Pſalm. 104. (9) Vide, ſi lubet, Genebrard. not. in Seder-Olam-Zuta. (10) Theodoret. qu. 16. Spencer. l. 2. c. 10. ſect. 2. & ſeq. Menoch. Grot. (11) Ovid. Faſt. lib. 4. (12) 2. Paral. XXVIII. 7. (13) גם את בני העביר באש כתעבות הגוים אשר הוריש יהוה אתם מפני (14) Ita Joſeph. Antiqu. l. 9. c. 12. Toſt. Vat. Tir. Hugo Card. Hiſt. Schol. (15) Deut. XVIII. 10. 12. Sap. XII. 5. (16) Pſal. CV. 37. Vide & Jerem. XIX. 5. & 4. Reg. XXIII. 10. (17) Vide Euſeb. l. 4. de Præp. c. 16. (18) Plutarch. Apophteg. (19) 2. Par. XXVIII. 5. & ſequ.

ſtium , cœpitque ducenta millia , ex viris ſimul ac fœminis & pueris. Cum ea captivorum turba Samariam duceretur , Obed vir Propheta cum Optimatibus urbis occurrens venientibus perſuaſit , ut captivos omnes remitterent . Dimiſſi igitur ſunt omnes , cibo prius refecti , præda reſtituta , imbecilles Jerichuntem ducti.

Sub idem tempus (1) Idumæi & Philiſtæi ditionem Juda ingreſſi , omnia ſuſdeque verterunt . Philiſtæi urbes plurimas occupare , Idumæi cædibus omnia complere , prædaſque agere ampliſſimas . Quin & Idumæi facile Regem Syriæ accivere ; ut moveret in urbem Elath , quam Ozias Rex Juda ante plures annos ſibi eripuerat (2) . Cepit eam urbem Raſin , reſtituitque Idumæis (3). Hæc ſunt exordia Regni Achaz.

In his afflictarum rerum articulis (4), & ante obſidionem Jeroſolymitanam , Iſaias deſpondenti animo Achaz , adventu duorum Principum fœderatorum intellecto , ſolaturus , futuram illius liberationem & hoſtium excidium prænunciavit . Cujus oraculi pignus daturus Propheta , optionem dedit Regi , ut quod mallet prodigium eligeret . Recuſanti electionem Regi , fucata quadam animi modeſtia , nunciavit Iſaias (5) ortum *Emmanuelis* e virgine , ideſt , Meſſiæ e Maria Virgine , e Tribu Juda , & familia Davidis ; ſimulque in argumentum proximum imminentis hoſtium ſuorum deſtructionis exhibet filium ſuum *Sear-Jaſub* , affirmans , antequam hic Iſaiæ filius noverit per ætatem parentes de nomine appellare , ambos fœderatos Reges eſſe interficiendos . Lætis igitur oraculis confirmatus Achaz , Jeroſolymæ obſidionem ſtrenue ſuſtinuit . Sed cum priſtinos mores minime corrigeret , Deus novam illi moleſtiam excitavit , redeuntibus iterum poſt annum , mundi 3263. utroque Rege , Phacee & Raſin , totumque late Regnum Juda vaſtantibus.

℣. 6. In tempore illo restituit Rasin Rex Syriæ Ailam Syriæ, et ejecit Judæos de Aila : et Idumæi venerunt in Ailam, et habitaverunt ibi usque in diem hanc . Hujus loci quædam inter ſe pugnant . Si Raſin Elam vel Ailat Syris ſubmiſit , cur eo veniunt habitaturi Idumæi ? Quid juris erat Syris in eam urbem , quam nunquam non poſſederant vel Reges Juda , vel Idumæi? David , Salomon , cæterique poſt ipſum Reges Juda , illam uſque ad tempus defectionis Idumæorum ſub Joramo retinuere (6) . Pulſis tunc Judæis , Idumæis ceſſit. Viciſſim autem Judæi expulerunt Idumæos ſub Azaria Rege Juda (7) ; cujus poſtremæ acquiſitionis nomine Achaz eam urbem retinebat , cum Raſin arma ad illam admovit : quare nullis ex hiſtoria petitis argumentis demonſtrari poteſt , eam urbem Syris unquam paruiſſe. Nimis etiam aberat a Damaſco , ut Regibus Syriæ arduum eſſet commercium cum urbe a finibus ſuis adeo remota .

Pugnantia hæc induxit unica in Textum literula (8) , quæ pro alia perſimili accepta eſt . *Aram* & *Edom* ſcribuntur in Hebræo literis omnino ferme ſimilibus : eſt autem *Edom* Idumæa , *Aram* Syria . Igitur altera pro altera uſurpata eſt, uti non ſemel alias contigit (9) ; quare legendum eſt: *In tempore illo Raſin Rex Syriæ recepit Ailam pro Edom , & ejecit Judæos : & Idumæi venerunt in Elam, & habitaverunt ibi uſque in diem hanc.* Perſuaſum habemus , Idumæos invitaſſe Raſin , ut moveret in Elath , ſpe præmii allectum , omnibuſque belli ſumptibus levatum . Neque diſſimulandum eſt , Chaldæum , Hebræos , Syriacum , Arabem , Joſephum (10), Grotium , alioſque nonnullos cenſuiſſe , Raſin Urbem hanc adjeciſſe Syriæ , eoque veniſſe Syros , ut ſedes ibi pro Judæis haberent . Sed hæc omnia minora nobis ſunt , quam ut nos cogant deſerere contrariam opinionem , quam argumentis fulcivimus .

℣. 7. Misit autem Achaz nuntios ad Teglathphalasar Regem Assyriorum dicens : Servus tuus et filius tuus ego sum ; fœderatus , tributarius , ſubditus , fidei me tuæ totum committo . Nonniſi altero belli anno , acciſis penitus rebus ſuis , Achaz conſilium inivit appellandi alienum Regem , ut ſuppetias ſibi ferret . Invaſit igitur Teglathphalaſar Syriam & Regnum Iſraelis , altero anno poſtquam Achaz peſſime affectus fuit ; anno ſcilicet Mundi 3264.

℣. 9. Ascendit Rex Assyriorum in Damascum . . . . et transtulit habitatores ejus Cyrenen. Non in Cyrenaicam Ægypti quidem , quæ Aſſyriæ Regibus non parebat , ſed in *Kir* , ex Hebræo (11) , ideſt , facile ad amnem Cyrum , qui e majoris Armeniæ montibus fluens , Iberiam , & Albaniam permeans , influit in Araxem , junctiſque cum illo aquis , devolvitur in mare Caſpium . Hic appellatus occurrit apud Veteres nomine *Cyrrhus* , *Cyrus* , & *Cyrnus* ; & adhuc notus eſt ſub nomine *Chiur* , *Kor* , vel *Cur* . Tradit Joſephus (12) , translatos fuiſſe in Mediam ſuperiorem , quæ Provincia olim latiſſime patebat . Teglathphalaſar coegit Aramæos redire in regionem Kir , quam olim patres illorum deſeruerant , uti conſtat ex Amos IX. 7. Idem Amos ante annos quinque & viginti abſque ambagibus prænuntiaverat futurum , ut Damaſci incolæ in Kir transferrentur . Amos V. *transferetur populus Syriæ Cirenem* .

Sed ardua quædam in his occurrunt . Animadverſum eſt ſupra (13) , Arbacem ſubacta Ninive , Medos in libertatem aſſeruiſſe ; quare Teglathphalaſſar , quem cum Nino juniore miſcemus , cum Nino , inquam , ad veteres limites Aſſyriæ redacto , colonias mittere utique in Mediam , alienam a ſe regionem non potuit . Hiſce reponimus , Mediam late adeo non patuiſſe , niſi poſt formatum , auctum & adultum Medorum imperium ; antea enim & ſub Arbace anguſtioribus limitibus definiebatur . Docet Herodotus (14) , opera Phraortis Imperium illud limites ſuos longius provexiſſe intra Aſiam , & ſupra amnem *Halym* . *Tauris* , quæ tenere creditur ſitum veterum Echatanorum , Medorum Metropolis , plurimum abeſt a Kur vel Cyro (15) . Igitur fidem non ſuperat , Aſſyriæ Reges , Sardanapali ſucceſſores , imperium ſuum prorogaſſe in regionem , quam Cyrus perluit , eoque colonias Syrorum ac decem Tribuum traduxiſſe .

At enim quomodo hæ urbes appellantur *Urbes Mediæ* ? Sive etenim illæ comprehendebantur in veteri Media , ſive extra ejus limites jacebant . Si in ea regione ſitæ erant , libertatem obtinebant , remoto ab illis jugo Aſſyriorum , beneficio Arbacis . Si vero extra Mediam , quomodo urbes Mediæ appellantur ? Reſponderi poteſt , hujus libri Authorem pro more ætatis ſuæ loqui , ut urbes Medorum appellarit , quæ tunc , cum ſcriberet , imperio Medorum parebant . Vel , hæ urbes ſubactæ ſunt a Rege Aſſyriæ Teglathphalaſaro , pulſis Medis . Poſterior hæc ſententia confirmari poteſt ex iis , quæ leguntur inferius XVIII. 6. & 24. legimus enim ibi , Salmanaſarum miſiſſe Samariam Sepharvaitas aliaſque gentes , quas & ipſe

(1) Ibid. ℣. 17. 18. (2) 4. Reg. XIV. 22. & 2. Par. XXVI. 2. (3) 4. Reg. XVI. 6. (4) Uſſer. ad an. mundi 3262. (5) Iſai. VII. 1. 2. & ſequ. (6) 4. Reg. VIII. (7) 4. Reg. XIV. 22. (8) Vide Commentar. in Judic. XVIII. 7. 2. Reg. VIII. 13. & XXI. 7. 3. Reg. XI. 25. & Capell. Critic. Sacr. lib. 4. cap. 5. (9) vel (השיב רצין מלך ארם את אילת לארם) וינשל את היהודים מאילות ואדומים באו אילת וגו׳ (10) Antiqu. l. 9. c. 12. (11) ויגלה קירה (12) Joſeph. Antiquit. lib. 9. cap. 13. κατῴκισεν εἰς τὴν ἄνω Μηδίαν. (13) In ℣. 29. cap. XV. hujus Libri. (14) Herodot. lib. 1. cap. 102. (15) Uſſer. ad an. mundi 3283.

& prædeceſſores ipſius (1), ſubactis vicinis Mediæ regionibus, ſuperarant. Denique cenſet Uſſerius, Anarchiam, quæ conſecuta eſt obitum Arbacis, præceſſitque Regnum Dejocis, opportunam dediſſe Regibus Aſſyriis occaſionem recuperandi plures Medorum urbes, in eiſque imperium Medorum turbandi. Rages, urbs Medorum, quo profectus eſt Tobias, cum ageret captivus, una ex iis urbibus erat, quæ jugum Regum Aſſyriæ nondum excuſſerant.

℣. 10. Perrexitque Rex Achaz in occursum Teglathphalasar . . . in Damascum. Liberatum ſe ab infeſtiſſimo hoſte intelligens Achaz, ſublato ſcilicet Raſin, quem Teglathphalaſar victum interfecerat, Damaſcum venit, gratias pro accepto beneficio acturus, & forte etiam illum remoturus a conſilio veniendi Jeroſolymam. Sed ex Paralipomenis (2) diſcimus, Regem Aſſyriæ invaſiſſe ditionem Juda, plurimiſque malis affeciſſe Achaz, diripuiſſe regionem, cum nequicquam ille ad avertendum malum munera contuliſſet, ob eam rem Templo, Regiis, ac Principum virorum ædibus ſpoliatis. Ex ℣. 18. intelligimus, Achaz in ædificiis & Templo Domini, Teglatphalaſari cauſa, aliquid immutaſſe.

℣. 11. Extruxit Urias sacerdos Altare, ad normam profani Altaris Damaſceni, cujus ſchema ad ſe ab Achaz miſſum fuerat. Turpem utique indulgentiam in Regem exhibuit ſummus hic Sacerdos, Deus enim altaris ſui formam præſcripſerat (3). Salomon quidem altare extruxit, a Moſaico longe diverſum (4); ſed cum ejus formam & erectionem Deus ſolemni adeo approbatione confirmaſſet, citra impietatis crimen quidquam ex illo immutare nefas erat. Nec difficile erat Uriæ noſſe, in ea re conſilium Principis ab alio utique quam religionis propoſito dictatum fuiſſe. Novitatis hujus conſequutiones erant periculoſæ; neque enim citra periculum quidquam in rebus Religionis, etiam minoribus, & quæ ad principalem Religionis ſcopum non pertinent, innovatur. Religioſius ſeſe Macchabæi geſſerunt cum Altari Templi, quod Antiochus Epiphanes profanaverat (5). Poſt maturam ea de re deliberationem ſtatuerunt illud demoliri, atque alterum ad ejus normam e rudi lapide exſtruere; ſed deſtructi Altaris lapides in loco apto collocandos cenſuere, donec Propheta aliquis veniens aliter de illis decerneret.

℣. 12. Ascenditque et immolavit holocausta et sacrificium suum, ideſt, *holocauſtum Regis*, de quo inferius, ℣. 15. De ſacrificio Regis nihil quidem in Lege præſcribitur; ſed vero propius judicamus, poſt primum holocauſtum matutinum, quod penſum erat quotidianum, offerri conſueviſſe alterum pro Rege (6), cui & alterum adjunctum fuit veſpere poſt ſacrificium conſuetum veſpertinum. Innuit id ℣. 15. *Præcepit Rex Achaz Uriæ Sacerdoti dicens: Super Altare majus offer holocauſtum matutinum, & ſacrificium veſpertinum, & holocauſtum Regis, &c.* Hebræus verſiculorum 12. & 13. ita ſonat (7): *Rex acceſſit ad Altare, & obtulit ſacrificia ſua, & ſuffivit holocauſtum ſuum, & oblationes farinæ, & libavit libamen ſuum, & ſparſit ſanguine pacificorum, quæ obtulerat.* Denique conſecravit Altare oblatione ſolemni ſacrificiorum omnis generis, oblationum ac libaminum; præcepitque ne poſthac alio præter quam hoc Altari uterentur ad Sacrificia; ſed ſtatim clauſit Templum, neque deinceps apertum eſt, niſi poſt ejus mortem, ab Ezechia (8).

℣. 14. Porro altare æreum . . . . transtulit de facie templi, et de loco altaris, et de loco templi Domini. Hebræus (9): Tranſtulit altare æneum, quod ad facies Domini ante Templum; tranſtulit *inter altare, & inter domum Domini*. Altare æneum a Salomone conflatum opus erat molis vaſtiſſimæ; quippe quod viginti cubitos in quadrum, & decem in altum dimetiretur (10). Stabat in atrio Sacerdotum, ad dexteram ingreſſus Templi vel Sancti. Parari juſſit Achaz altare ad normam Damaſceni, quod conſtituit juxta & ante Altare Salomonicum, quod transferri juſſit ad ſeptemtrionem; quare altare Salomonicum loco, quod occupabat, *inter Templum, & novum Altare*, relicto, in angulum atrii rejectum eſt. Author Paralipomenon (11) affirmat: *Tempore anguſtiæ ſuæ* Achaz *auxit contemptum in Dominum. Ipſe per ſe immolavit Diis Damaſci victimas percuſſoribus ſuis, & dixit: Dii Regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hoſtiis.* Tum Templum diripuit, vaſa ejus omnia confregit, ſacras fores clauſit, atque altaria per omnes Jeroſolymæ angulos extruxit.

℣. 17. Tulit autem cælatas bases, et luterem, qui erat desuper. Reddi poteſt Hebræus (12): *Rex Achaz avulſit clauſuras fulcientes, & removit deſuper eis peſſulos, & conchas, & mare æneum.* Evulſit aurum & argentum, quibus poſtes & fores Templi tegebantur; vectes, peſſulos, cardines, ac cætera, quæ ad ornandas & claudendas fores pertinent. Præterea depoſuit luteres & mare æneum, facile ut ad ſe vel ad Reges Aſſyriæ æs baſium illarum omnium converteret. Ut autem prius membrum hujus periodi exponamus de portis, earum ornamentis & appendicibus, id efficit quod primo expoſitionem hanc exigat verborum perſpicuitas; ſecundo quod in capite xviii. 16. legamus, Ezechiam coactum fuiſſe pariter metallo exuere fores Templi, ut ad Regem Aſſyriæ mitteret; tum evellere cardines & laminas, quibus ipſe portas veſtiverat: quo innuitur, Achaz patrem ejus antea rebus illis omnibus portas expoliaſſe. Verbum *evulſit* vel *excidit*, eidem pariter ſententiæ favet.

℣. 18. Musach quoque sabbati, quod ædificaverat in templo, et ingressum regis exterius, convertit in templum Domini propter regem Assyriorum. Textus Hebræus ita ſonat ad literam (13): *Circuire fecit verſus Templum Muſach Sabbati, quod ædificaverant in Domo, & ingreſſum Regis extrinſecum, metu Regis Aſſur.* De *Muſach Sabbati* diſſidium eſt ſententiarum. Olim in eam ferebamur ſententiam, deſignari ea voce amplum quoddam velum, ſuper atrium Templi expanſum die Sabbati, cum populus eo conveniſſet, ut cadentes directe radios Solis ab illis averteret. Eupolemus (14) tradit, paratum a Salomone miræ magnitudinis velum, quo totus Templi ambitus protegeretur. Duplici annulo ſuſtinebatur, catenis inſerto, quibus ſupra Templum ad viginti cubitos ſuſpenſum tenebatur. Meminit etiam Joſe-

(1) 4. Reg. xix. 12. 13. *Numquid liberaverunt Dii gentium ſingulos quos vaſtaverunt patres mei? Gozan videlicet, & Haran & Reſeph, & filios Eden, &c.*
(2) 2. Par. xxviii. 20. 21. *Adduxitque Dominus contra eum Teglathphalaſar Regem Aſſyriorum, qui & afflixit eum, & nullo reſiſtente vaſtavit. Igitur Achaz ſpoliata domo Domini, & domo Regum & Principum, dedit Regi Aſſyriorum munera, & tamen nihil ei profuit.*
(3) Exod. xxvii. 1.
(4) 2. Par. iv. 1. *Fecit Altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis.*
(5) 1. Macc. iv. 45. 46. *Et repoſuerunt lapides in monte in loco apto, quoadusque veniret Propheta, & reſponderet de eis.*
(6) Vide Var. hic.
(7) ויקרב המלך על המזבח ויעל עליו: ויקטר את עלתו ואת מנחתו ויסך את נסכו ויזרק את דם השלמים אשר לו
(8) Vide 2. Par. xxix. 3.
(9) ואת המזבח הנחשת אשר לפני יהוה ויקרב מאת פני הבית מבין המזבח ומבין בית יהוה
(10) 2. Par. iv. 1.
(11) 2. Par. xxviii. 22. 23.
(12) ויקצץ המלך אחז את המסגרות המכונות ויסר מעליהם ואת הכיור ואת הים הוריד
(13) ואת מוסך השבת אשר בנו בבית ואת מבוא המלך החיצונה הסב בית יהוה מפני מלך אשור
(14) Euſeb. Præpar. Evang. l. 9. c. 34.

Joſephus velaminum pretioſi & variati operis, quæ ſuper porticus Templi Herodes expandit. Similia hiſce velamina & variata olim Romani ſupra theatrum expandebant (1).

. . . . . Cum magnis intenta theatris
Per malos volgata trabeſque trementia pendent.

Docet Vatablus, *Muſach Sabbati* tentorium eſſe, vel locum tectum in atrio Sacerdotum, ubi qui munere pro vice ſua fungebantur, cubabant. Tentorium quidem admittit Junius (2), ſed aliis illum uſibus deſtinat; aſſignat enim Oſtiariis Templi, qui pro vice ſua excubias die Sabbati agebant. Malunt alii (3), locum fuiſſe tectum ad Templi aditum, ubi Reges cæterique ſtipem egenis erogabant. Alii (4) id nominis *Muſach Sabbati* tribuunt arculæ, in quam colligebantur ad ſarta tecta Templi oblationes. Sunt (5) qui credant, innui ſolium quoddam tectum, in quo Reges ſedebant in Templo, cum ſacræ cæremoniæ agerentur. Quam ſententiam ſequuti videntur Septuaginta, cum reddant: *Tulit fundamentum cathedræ*, id eſt baſim æneam, cui imponebatur cathedra pro Rege parata, dum ſacris cæremoniis in Templo aderat. Eamdem ſententiam æquiorem cæteris reputamus. Sunt qui ita appellatum cenſeant ſuggeſtum (6), ubi legebantur ſacra volumina die Sabbati (7), quod ſcilicet figuram retulerit Regio ſolio perſimilem.

Suggeſtum illud ſacræ lectioni deſtinatum, facile eſt *Muſach Juas*, quod Manaſſes obſidione Jeroſolymæ preſſus, exui ornamentis omnibus juſſit (8); & *Muſach Sabbati* Tribunal eſt, Regi pro die Sabbati deſtinatum. Non obſcure tradit Ezechiel (9), portam orientalem atrii Sacerdotum nunquam patuiſſe, niſi diebus Sabbati, & Neomeniarum, quibus diebus Rex veniebat in Templum per atrium Iſraelis, ſiſtebatque ad introitum atrii Sacerdotum, parato ibi in Tribunali præſens ſacrificiis. Legimus, Jojadam ſummum Sacerdotem (10), cum ad Regium ſolium evecturus eſſet puerum Joas, milites ſuos diſpoſuiſſe circum illum in Muſach quod erat in Templo. Porro Muſach opus erat Salomonis (11), æneum, atque ditiſſimum, magnificentiæ Principis hujus reſpondens.

Igitur Achaz removeri e loco ſuo juſſit Muſach iſtud vel Tribunal, quod in Templo erat, atque obtrudi juſſit in locum quemdam occultum, ne a Rege Aſſyriæ raperetur.

℣. 20. Sepultus est cum eis [patribus ſuis] in civitate David, ſepulturæ mandatus eſt, quemadmodum patres ejus, in civitate David, quamquam non in ſepulcris Regum, uti luculenter aſfirmant Paralipomena (12). Animadverti alias potuit, alios Reges in pœnam nequitiæ ſuæ honore hoc Regiæ ſepulturæ privatos fuiſſe.

(1) Lucretius. Vide ſi lubet, Lipſ. de amphitheatro c. 17. (2) Ita & Grot. Piſc. Kimchi in Malv. &c. (3) Gloſſa, Lyran. Dionyſ. Hugo, Hiſt. Schol. (4) Vetus Vocabul. apud Martinium. (5) Rab. Salomon, Sanct. Cornel. Tirin. Menochius. (6) Forſter. & alii quidam. (7) Vide 2. Eſd. viii. 5. (8) Iſai. xxii. 8. (9) Ezech. xlvi. 1. 2. 3. &c. (10) 4. Reg. xi. 6. (11) 2. Par. vi. 13. (12) 2. Par. xxviii. 27.

CAPUT XVII.

Oſee ſtringitur Samariæ a copiis Salmanaſari; quæ urbs poſt triennalem obſidionem capitur, Iſraelitis in Aſſyriam tranſlatis. In vacuum eorum locum miſſi Cuthæi, a leonibus vexantur. Ad docendos illos cultum Dei Sacerdos eo mittitur; cultum autem Domini corrumpunt, ſociata illi Idolorum Religione.

℣. 1. ANno duodecimo Achaz regis Juda, regnavit Oſee filius Ela in Samaria ſuper A. M. 3274.
Iſrael novem annis. 2. Fecitque malum coram Domino: ſed non ſicut re- ante J. Chr. 730.
ges Iſrael, qui ante eum fuerant. 3. Contra hunc aſcendit Salmanaſar rex Aſſyriorum, A. M. 3276
& factus eſt ei Oſee ſervus, reddebatque illi tributa. 4. Cumque deprehendiſſet rex A. M. 3279.
Aſſyriorum Oſee, quod rebellare nitens miſiſſet nuntios ad Sua regem Ægypti, ne præ-
ſtaret tributa regi Aſſyriorum, ſicut ſingulis annis ſolitus erat, obſedit eum, & vin-
ctum miſit in carcerem. 5. Pervagatuſque eſt omnem terram: & aſcendens Samariam,
obſedit eam tribus annis. 6. Anno autem nono Oſee, cepit rex Aſſyriorum Samariam, A. M. 3282.
& tranſtulit Iſrael in Aſſyrios: poſuitque eos in Hala, & in Habor, juxta fluvium Go-
zan, in civitatibus Medorum. 7. Factum eſt enim, cum peccaſſent filii Iſrael Domino
Deo ſuo, qui eduxerat eos de terra Ægypti de manu Pharaonis regis Ægypti, colue-
runt deos alienos. 8. Et ambulaverunt juxta ritum gentium, quas conſumpſerat Do-
minus in conſpectu filiorum Iſrael, & regum Iſrael: quia ſimiliter fecerant. 9. Et of-
fenderunt filii Iſrael verbis non rectis Dominum Deum ſuum: & ædificaverunt ſibi ex-
celſa in cunctis urbibus ſuis, a Turre cuſtodum uſque ad Civitatem munitam. 10. Fe-
ceruntque ſibi ſtatuas, & lucos in omni colle ſublimi, & ſubter omne lignum nemoro-
ſum. 11. Et adolebant ibi incenſum ſuper aras in morem gentium, quas tranſtulerat
Dominus a facie eorum: feceruntque verba peſſima irritantes Dominum. 12. Et colue-
runt immunditias, de quibus præcepit eis Dominus, ne facerent verbum hoc. 13. Et
teſtificatus eſt Dominus in Iſrael, & in Juda, per manum omnium Prophetarum, &
Videntium, dicens: Revertimini a viis veſtris peſſimis, & cuſtodite præcepta mea, &

cæremonias, juxta omnem legem, quam præcepi patribus veſtris: & ſicut miſi ad vos
in manu ſervorum meorum Prophetarum. 14. Qui non audierunt, ſed induraverunt
cervicem ſuam juxta cervicem patrum ſuorum, qui noluerunt obedire Domino Deo
ſuo, 15. Et abjecerunt legitima ejus, & pactum, quod pepigit cum patribus eo-
rum, & teſtificationes, quibus conteſtatus eſt eos, ſecutique ſunt vanitates, & vane
egerunt: & ſecuti ſunt gentes, quæ erant per circuitum eorum, ſuper quibus præ-
ceperat Dominus eis, ut non facerent, ſicut & illæ faciebant. 16. Et dereliquerunt
omnia præcepta Domini Dei ſui: feceruntque ſibi conflatiles duos vitulos, & lucos,
& adoraverunt univerſam militiam cœli: ſervieruntque Baal. 17. Et conſecraverunt
filios ſuos, & filias ſuas per ignem: & divinationibus inſerviebant, & auguriis: &
tradiderunt ſe, ut facerent malum coram Domino, ut irritarent eum. 18. Iratuſque
eſt Dominus vehementer Iſraeli, & abſtulit eos a conſpectu ſuo, & non remanſit
niſi tribus Juda tantummodo. 19. Sed nec ipſe Juda cuſtodivit mandata Domini Dei
ſui: verum ambulavit in erroribus Iſrael, quos operatus fuerat. 20. Projecitque Do-
minus omne ſemen Iſrael, & afflixit eos, & tradidit eos in manu diripientium, do-
nec projiceret eos a facie ſua. 21. Ex eo jam tempore, quo ſciſſus eſt Iſrael a do-
mo David, & conſtituerunt ſibi regem Jeroboam filium Nabat: ſeparavit enim Je-
roboam Iſrael a Domino, & peccare eos fecit peccatum magnum. 22. Et ambula-
verunt filii Iſrael in univerſis peccatis Jeroboam, quæ fecerat: & non receſſerunt ab
eis. 23. Uſquequo Dominus auferret Iſrael a facie ſua, ſicut locutus fuerat in ma-
nu omnium ſervorum ſuorum Prophetarum, tranſlatuſque eſt Iſrael de terra ſua in
A. M. 3327. Aſſyrios, uſque in diem hanc. 24 Adduxit autem rex Aſſyriorum de Babylone, &
ante J. Chr. 677. de Cutha, & de Avath, & de Emath, & de Sepharvaim: & collocavit eos in ci-
vitatibus Samariæ pro filiis Iſrael, qui poſſederunt Samariam, & habitaverunt in ur-
bibus ejus. 25. Cumque ibi habitare cœpiſſent, non timebant Dominum: & immi-
ſit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos. 26. Nuntiatumque eſt regi Aſſy-
riorum, & dictum: Gentes, quas tranſtuliſti, & habitare feciſti in civitatibus Sama-
riæ, ignorant legitima Dei terræ: & immiſit in eos Dominus leones, & ecce inter-
ficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ. 27. Præcepit autem rex Aſſyrio-
rum, dicens: Ducite illuc unum de ſacerdotibus, quos inde captivos adduxiſtis, &
vadat, & habitet cum eis: & doceat eos legitima Dei terræ. 28. Igitur cum ve-
niſſet unus de ſacerdotibus his, qui captivi ducti fuerant de Samaria, habitavit in
Bethel, & docebat eos, quomodo colerent Dominum. 29. Et unaquæque gens fa-
bricata eſt deum ſuum: poſueruntque eos in fanis excelſis, quæ fecerant Samariæ,
A. M. 3264. Gens, & Gens in urbibus ſuis, in quibus habitabant. 30. Viri enim Babylonis fe-
cerunt Sochothbenoth: viri autem Chutæi fecerunt Nergel: & viri de Emath fece-
A. M. 3074. runt Aſima. 31. Porro Hevæi fecerunt Nebahaz, & Tharthac, Hi autem, qui
erant de Sepharvaim, comburebant filios igni, Adramelech, & Anamelech diis Se-
pharvaim. 32. Et nihilominus colebant Dominum. Fecerunt autem ſibi de noviſſi-
mis ſacerdotes excelſorum, & ponebant eos in fanis ſublimibus. 33. Et cum Domi-
num colerent, diis quoque ſuis ſerviebant juxta conſuetudinem gentium, de quibus
tranſlati fuerant Samariam: 34. Uſque in præſentem diem morem ſequuntur anti-
quum, non timent Dominum, neque cuſtodiunt cæremonias ejus, judicia, & legem,
& mandatum, quod præceperat Dominus filiis Jacob, quem cognominavit Iſrael;
35. Et percuſſerat cum eis pactum, & mandaverat eis, dicens: Nolite timere deos
alienos, & non adoretis eos, neque colatis eos, & non immoletis eis: 36. Sed
Dominum Deum veſtrum, qui eduxit vos de terra Ægypti in fortitudine magna,
& in brachio extento, ipſum timete, & illum adorate, & ipſi immolate: 37. Cæ-
remonias quoque, & judicia, & legem, & mandatum, quod ſcripſit vobis, cu-
ſtodite, ut faciatis cunctis diebus: & non timeatis deos alienos. 38. Et pactum,
quod percuſſit vobiſcum, nolite oblivisci: nec colatis deos alienos. 39. Sed Domi-
num Deum veſtrum timete, & ipſe eruet vos de manu omnium inimicorum veſtro-
rum. 40. Illi vero non audierunt, ſed juxta conſuetudinem ſuam priſtinam perpe-
trabant. 41. Fuerunt igitur Gentes iſtæ timentes quidem Dominum, ſed nihilomi-
nus, & idolis ſuis ſervientes; nam & filii eorum, & nepotes, ſicut fecerunt patres
ſui, ita faciunt uſque in præſentem diem.

℣. 1. ANNO DUODECIMO ACHAZ . . . . REGNAVIT OSEE . . . . IN SAMARIA. Conſpiraverat Oſee in Phacee filium Romeliæ, quem & neci tradiderat jam inde a quarto anno Achaz (1), Mundi 3265. ſed pacificam Regni poſſeſſionem non obtinuit niſi poſt octo vel novem annos, ideſt duodecimo Achaz, & Mundi 3264. Vide quæ diſſeruimus de exordiis ejus Regni, ſupra xv. 30. Cenſet Grotius, uſque ad annum duodecimum Achaz Oſee non regnaſſe, niſi ut ſubditum, & tributarium Regis Aſſyriæ; ſed excuſſiſſe tunc denique jugum, Regnumque ſibi abſolutum vindicaſſe. Reddi Hebræus poteſt in hanc ſententiam (2): *Anno duodecimo Achaz Regis Juda, Oſee Rex Iſrael regnaverat novem annis in Samaria*. Quod verum eſt ad literam; ſed retineri poſſunt ea, quæ tradidimus ad caput xv. 30.

℣. 2. FECIT MALUM, SED NON SICUT REGES ISRAEL. Permiſit enim, vel ſaltem non prohibuit, ne Iſraelitæ Jeroſolymam adirent, ut Templum Domini inviſerent, inquiunt Judæi in ſuo Chronico (3). Reges prædeceſſores gravium pœnarum metu id vetuerant, quin & milites in via diſpoſuerant, qui ſacras ejuſmodi peregrinationes impedirent. Oſee, cernens aureos vitulos raptos fuiſſe ab Aſſyriis, eorum cultum promovere neglexit. Hæc Judæi; quibus tamen affirmantibus vix credimus, geminos aureos vitulos, ante captam Samariam, inter ſpolia hoſtium ceſſiſſe: unicum modo miſit Rex Manahem ad Phul Regem Aſſyriæ. Vide Oſee x. 5. 6. 55.

℣. 3. CONTRA HUNC ASCENDIT SALMANASAR. Secundo Oſee anno, poſt undeviginti Regni ſui annos (4), *Teglathphalaſar* vel *Ninus Junior*, obierat. Huic ſuccedens Salmanaſar, elapſo anno movit in Oſee, cujus Regnum tributarium effectum fuerat Regibus Aſſyriæ jam ante duodecim annos, poſtquam Teglathphalaſar appellatus fuerat ab Achaz, ut ſuppetias ſibi laturus veniret. Inviſum jugum excutere tentans Oſee, fœdus compoſuerat cum *Sua* Rege Ægypti; quod ut reſcivit Salmanaſar, Oſee Regnum invadens, exercitum admovit ad Samariæ obſidionem, qua poſt triennalem obſidionem capta, Iſraelitas, quos Teglathphalaſar pater ſuus reliquerat, tranſtulit in Aſſyriam,

Nomen *Salmanaſari* ſervabatur in Tabulariis Tyriorum uſque ad ætatem Joſephi (5); & in Fragmento Menandri Epheſii apud eumdem legitur, quemdam Aſſyriæ Regem, quem Joſephus ipſiſſimum credit Salmanaſarum, bellum intuliſſe in totam Phœniciam; additque, reliquas Urbes receſſiſſe a Tyro, ut Aſſyriis ſeſe dederent; Tyrum ſolam reſtitiſſe viribus hoſtium omnibus ſimul junctis, & quinquennali obſidioni parem ſe præbuiſſe. Oſee Propheta *Salman* appellat eum, qui vulgo noſcitur ſub nomine Salmanaſari; ita enim Textus Hebræus Capitis x. 14. ejuſdem Prophetæ: *Vaſtabuntur, ſicut vaſtavit Salman domum Arbel in die prælii, matre ſuper filios alliſa*. Textus Græcus Libri Tobiæ pro Salmanaſaro *Enemaſſarum* appellat.

℣. 4. QUOD REBELLARE NITENS, MISISSET NUNTIOS AD SUA REGEM ÆGYPTI. Hic Ægypti Rex, appellatus hic *Sua*, vel *So* סוא juxta puncta Judæorum, ipſe eſt facile Sabacon Rex Æthiopiæ, qui paulo antea Ægyptum occupaverat, captumque Bocchorim Regem Ægypti vivum cremaverat (6). *Abacum* nuncupat Herodotus (7), qui geſta illius quædam narrat; additque, volentem libentemque reliquiſſe illum Ægyptum, abdicato a ſe, quod annis quinquaginta tenuerat, Regno. Cenſet Jaquelotus, ſermonem hic eſſe de Rege Serhone, in quem movens Sennacherib, invaſit Ægyptum (8); hujuſque belli in Ægyptios cauſam aſſignat fœdus inter Oſee Regem Iſraelis, & Regem, de quo hic (9), compoſitum.

Obſeſſa eſt Samaria anno ſexto Oſee Regis Iſraelis, & quarto Ezechiæ Regis Juda, Mundi 3279. Sæpe alias Prophetæ, quæ Urbi huic peſſimæ imminebant, mala prænunciarunt, quæ triſtia illorum oracula perinde ac ſupplementum Hiſtoriæ de capta ab hoſtibus Samaria, haberi poſſunt. Prædicit Oſee conſternationem civium (10), atque exercendam in victos crudelem a Salmanaſaro victoriam (11). Docet, victores ſciſſuros ventrem gravidarum mulierum, ac teneros illarum fœtus terræ alliſuros. Apud Michæam ſeſe exhibet Samaria veluti ſtruem lapidum collectam in agro (12). Diu equidem Samaria ruinis ſepulta ſuis jacuit; & ſi forte occurrit inferius Samariæ nomen, illud non de Urbe, ſed de provincia hujus nominis accipiendum eſt. Cuthæi, cæterique populi ex Aſſyria, ad frequentandas regionis illius Urbes miſſi, nihil minus, quam de reſtituenda Samaria curarunt. In Sichem ditionis ſuæ Metropolim tranſtulerunt (13); qui rerum ſtatus tunc etiam manſit, cum Alexander magnus in eam regionem venit. Qui poſt Salmanaſarum vixerunt Prophetæ, eumdem minitantur Jeroſolymæ ſtatum, quem Samaria paſſa fuerat (14): *Extendam ſuper Jeruſalem funiculum Samariæ*. De montibus Samariæ ita Jeremias agit, ceu de regione deſerta & inutili (15). Miſſus ad Cuthæos Sacerdos, alio quam Samariam venit; ſedem enim ſuam fixit in Bethel (16). Poſt reditum e captivitate jacens Urbs caput exeruiſſe videtur, cum non parum in eam rem ſitus ejus opportunitas contulerit. Sub Eſdra nondum equidem florebat; ſed incolarum Samariæ nomen aliquod audiebatur (17). Porro ea gens graviter ferens, quod ab Alexandro Magno excepta eſſet iniquius, atque favorem ejus Principis in Judæos iniquo animo patiens (18), occaſionem nacti abſentiæ ejus Principis in Ægypto, rebellarunt, vivumque cremarunt Andromachum, Syriæ Præfectum ab illo conſtitutum (19). Movens in Rebelles Alexander, Samariam cepit, ubi & Macedones incolas conſtituit (20); Samaritanorum regionem, & exemptionem a tributo Judæis largitus. Hæc autem quæ de regione Samaritana Judæis tradita ab Alexandro diximus, confirmantur ab Hecatæo Abderita, apud Joſephum (21): qua tamen poſſeſſione a Regibus Ægypti & Syriæ, Alexandri ſucceſſoribus, ſpoliati ſunt.

Sævientibus bellis, quibus Macchabæi Regum Syriæ arma ſuſtinuerunt, Alexander Bala largitus eſt Jonathæ tres urbes cum agris earum, evulſas e Samaria, Galilæa & Peræa (22); ac denique redierunt Judæi in poſſeſſionem urbis & Provinciæ Samariticæ ſub Joanne Hircano Aſmonæo, qui captam ſolo æquavit (23). Aulus Gabinius Syriæ Proconſul everſam reſtituit (24) anno 4657. periodi Julianæ, Mundi 3947. Sed humiles tunc repara-

(1) 4. Reg. xv. 30. (2) בשנת שתים עשרה לאחז . . . מלך הושע . . . בשמרון תשע שנים (3) Judæi in Seder Olam c. 22. & ex iis Menoch. Tirin. Cornel. alii paſſim. (4) Uſſer. ad an. mundi 3276. (5) Joſeph Antiqu. lib. 9. cap. 14. (6) Ita Uſſer. ad an. 3279. & Marsham. ſæcul. xv. Can. Ægypt. (7) Herodot. lib. 2. c. 137. 138. & 139. Vide & Diodor. lib. 1. Biblioth. (8) Jaquelot, Diſſert. ſur l'exiſtence de Dieu c. 20. (9) 4. Reg. xvii. 4. (10) Oſee x. 4. 8. & ſequ. (11) Oſee xiv. 1. (12) Michee 1. 6. (13) Joſeph. Antiqu. lib. xi. cap. ult. Σαμαρεῖται μητρόπολιν τότε τὴν Σίκιμα ἔχοντες, κειμένην πρὸς τῷ Γαριζεὶν ὄρει, καὶ κατῳκισμένην ὑπὸ τῶν ἀποστατῶν τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους, &c. (14) 4. Reg. xxi. 13. (15) Jerem. xxxi. 5. (16) 4. Reg. xvii. 28. (17) 1. Eſdr. iv. 17. 2. Eſdr. iv. 2. (18) Joſeph. Antiqu. lib. xi. c. ult. (19) Q. Curt. lib. 4. c. 8. (20) Euſeb. Chronic. Cedren. (21) Joſeph. l. 2. cont. Appion. p. 1063. Διὰ τὴν ἐπιείκειαν καὶ πίστιν ἣν αὐτῷ παρέσχον Ἰουδαῖοι, τὴν Σαμαρεῖτιν χώραν προσέθηκεν ἔχειν αὐτοῖς ἀφορολόγητον. (22) 1. Macc. x. 30. 38. & xi. 28. 34. (23) Joſeph. Antiqu. l. xiii. c. 18. & 4. Macchab. 14. (24) Joſeph. Antiq. l. 14. c. 10.

paratæ urbis res erant ; cui nomen Gabiniæ vel Urbis Gabinii (1) ex nomine Reparatoris ſui datum eſt, manſitque uſque ad Herodem Magnum ; qui res illius plurimum auxit, nomenque Sebaſtes, Auguſti cauſa, indidit. Porro Herodes illam ambitu mœnium viginti ſtadiorum, ſeu duum millium quingentorum paſſuum cinxit, mediumque conſtituit Templum unius ſtadii & dimidii, vel centum octoginta paſſuum circuitu. Urbs Samariæ illuſtris eſt adeo in Hiſtoria ſacra, tamque frequens in Libris ſacris occurrit, ut æqui bonique facturi ſint Lectores, ſiquid hic de ejus hiſtoria nacti fuerint.

VINCTUM MISIT IN CARCEREM. Hebræus (2): *Vinxit eum in carcere*. Vinctum miſit in Aſſyriam, redacta Samaria in poteſtatem. Ita cum Regibus bello captis gerebatur, ut in eo præſertim illos diſtinguerent a cæteris, quod majori ignominia afficerent.

℣. 6. ANNO NONO OSEE . . . TRANSTULIT ISRAEL IN ASSYRIOS, POSUITQUE EOS IN HALA. Regum Aſſyriorum politica docebat, ut tranſmigrationes haſce devictarum gentium alterius in alterum locum imperarent, ut ſcilicet defectionis cauſas omnes tollerent, fractis vinculis, quibus forte cum regione ſua viciniſque gentibus conjungebantur. Axioma hoc fuiſſe videtur Regibus Aſſyriæ & Chaldæis ſanctiſſimum. Utraque Prophetarum pagina exhibet minas, non in Judæos modo, ſed in vicinas etiam gentes, eos ſcilicet in captivitatem & in regiones diſſitas atque ignotas abducendos. Ad caput XVI. 9. egimus de *Urbibus Medorum*, quo captivi Syriæ prius, tum & decem Tribuum abducti fuerunt ; ibidemque conati ſumus conciliare hiſtoriam profanam, qua docemur, Arbacem libertatem Medis aſſeruiſſe, cum iis, quæ hic leguntur, Reges ſcilicet Aſſyriæ ingentes colonias in Urbes Mediæ duxiſſe. De certis locis decem Tribuum in ſedem aſſignatis, peculiarem Diſſertationem inſtituemus.

Is fuit exitus Regni Iſraelitici, poſt perindum CCLIV. annorum ab obitu Salomonis, & ſchiſmate Jeroboami, adusque captam Samariam ſub Rege Oſee, & reliquas decem Tribuum trans Euphratem abductas. In reliquo hoc capite epilogum exhibet Scriptura criminum Iſraelitarum, quorum merito in extremam illam calamitatem abducti ſunt.

℣. 9. OFFENDERUNT FILII ISRAEL VERBIS NON RECTIS DOMINUM ; criminibus nempe & ſceleribus ſuis. Hebræus (3) : *Occultaverunt filii Iſrael verba, quæ non recta erant contra Dominum* ; ideſt, obmurmurarunt ſecreto in Dominum. Auſi ſunt improbare rationem agendi, atque de illo impudenter obloqui, vel auribus inſuſurrarunt verba Deo injurioſa (4). Aliter : Studebant diſſimulare impia geſta ſua, quaſi fucata rerum ſeu verborum ſpecie decipere Deum poſſent.

ÆDIFICAVERUNT SIBI EXCELSA IN CUNCTIS URBIBUS SUIS, A TURRE CUSTODUM USQUE AD CIVITATEM MUNITAM. Undique per Iſraelem impreſſa ſeſe exhibebant ſuperſtitionis & Idololatriæ veſtigia. Loca erant edita, ubi cultus eorum ſuperſtitioſus exercebatur, late per totam regionem, nullo loco ejus labis immuni, non urbibus, non vicis, non turribus in agro ſolitariis, quo ſe recipiebant paſtores, cum ſuper greges ſuos excubant, vel cuſtodes fructuum agri ad fures abigendos. Hæc phraſis, *A turre cuſtodum uſque ad civitatem munitam*, exaggerationem forte aliquam habet, ut mitius accipienda ſit. Qui enim parari potuerunt edita loca in turri in perpetuam ſedem non deſtinata, ſed in uſum ſolummodo & commodum illorum, qui eo interdum ventitabant ?

℣. 10. STATUAS ET LUCOS. Hebræus : *Statuas*, & *Aſtaroth* vel *Aſerim*, ſimulacra nempe Deæ Aſtartes, ſeu Veneris, cujus religione ſacri erant luci. Vide IV. Regum XXI. 7. ubi de conſtituto a Manaſſe Idolo Aſerim in Templo Domini ; & caput XXIII. 4. ubi *Aſerim* ponitur cum Baale.

℣. 15. ABJECERUNT . . . . TESTIFICATIONES, QUIBUS CONTESTATUS EST EOS. Expoſtulationes ſuas in illos, vel quidquid, cœlum & terram teſtatus, denunciandum illis curaverat, vel denique præcepta omnia quæ illis tradiderat. Leges & præcepta appellantur ſæpe in Scriptura *teſtificationes*, ſive quod leges cæremoniales revera aliquid ſignificent, ſintque loco teſtimonii magnorum quorumdam eventuum ; uti Sabbatum, creationis ; Paſcha, exitus ab Ægypto ; Pentecoſte, Legis in Sinai rogatæ : ſive quod Leges datæ ſint ſolemni illo apparatu, quo ſolet pactum aliquod & fœdus ſanciri, quod nunquam ſine præſentia teſtium, & abſque obteſtationibus celebratur.

℣. 16. UNIVERSAM MILITIAM CŒLI. Aſtra omnia, quibus Sol ceu Rex præeſt ; Luna, Reginam exhibet ; ſtellæ, milites vel exercitum. Hæc phraſis eſt Scripturæ perfamiliaris.

℣. 17. TRADIDERUNT SE, UT FACERENT MALUM (5), velut mancipia quæ ſe peccato vendunt, vel ſervos qui conduci ſe patiuntur in malum. Perſimiles phraſes ſæpe alias licuit animadvertere (6).

℣. 18. ABSTULIT EOS A CONSPECTU SUO. Removit a terra illa ſancta, quam Dei munere acceperunt ; vel a Templo, ubi ſe Deus præſentem illis quodammodo efficiebat ; denique, removit a ſe, odio illos habens & horrori.

NON REMANSIT NISI TRIBUS JUDA TANTUMMODO. Regnum Juda ſolum reſervans Deus, decem Tribus abjecit. Animadverſum eſt alibi (7), communi Judæ nomine cenſeri Beniaminum, ac Tribum Levi, & ex aliis Tribubus eos, qui Religionis gratia in Regnum Juda migrarunt. Quæ pariter limitationes adhibendæ ſunt iis verbis, quæ leguntur inferius ℣. 20. *Projecit Dominus omne ſemen Iſrael* ; accipienda enim ſunt ſolummodo de decem Tribubus, quæ a Domo Davidica ſimul & a Deo receſſere. Porro hæc Dei deſtitutio jam inde a tempore ſeceſſionis cœpta (8), tunc conſummata eſt, cum Salmanaſar decem Tribuum reliquias captivas abduxit. Diſcimus ex Paralipomenis (9), Iſraelitarum plures, irritis Aſſyriorum perquiſitionibus, in regione manſiſſe. Joſias Rex Juda receptos illos in ditionem ſuam abjicere veteres ſuperſtitiones coegit, patriiſque ritibus ſe ſe reſtituere. Porro ille deſtruxit quidquid erat per regionem Iſraeliticam monumentorum impietatis & ſuperſtitionis. Ex Oſee VIII. 13. & IX. 3. conſtat, populi hujus portionem in Ægyptum aufugiſſe.

℣. 23. TRANSLATUS EST ISRAEL DE TERRA SUA IN ASSYRIOS USQUE IN DIEM HANC. Captivitas Iſraelitarum adhuc perſeverabat, cum hic liber recenſeretur ; cujus libri ſi authorem Eſdram ſtatuamus, quod veri ſpeciem habet maximam, hac parentheſi innuere voluit, Deum ſingulari utique privilegio Judæ magis quam Iſraeli faviſſe. Eſdræ enim ætate, Juda e captivitate ſua regrediebatur, in qua tamen plerique e decem Tribus gemebant.

℣. 24. ADDUXIT REX ASSYRIORUM DE BABYLONE, ET DE CUTHA, ET DE AVAH, ET DE EMATH, ET DE SEPHARVAIM. Salmanaſar traductis in urbes Medorum Iſraelitis, uti ſupra animadverſum eſt, in vacuam Samariæ regionem incolas alios deduxit, collectos e *Babylone*, ideſt, e Babylonia. Tunc enim

(1) Syncell. Chronic. pag. 305. Uſſer. ad an. 3979. (2) ויאסרהו בית כלא (3) ויחפאו דברים אשר לא כן על יהוה (4) Ita Jonat. Syr. Arab. (5) ויתמכרו לעשות הרע (6) 3. Reg. XXI. 20. 25. Vide & 1. Macc. I. 16. (7) 3. Reg. XII. 3. 20. *Nec ſecutus eſt quiſpiam domum David, præter tribum Juda ſolam.* (8) Hic ℣. 21. *Donec projiceret eos a facie ſua, ex eo jam tempore, quo ſciſſus eſt Iſrael a domo David.* (9) 2. Par. XXXIV. 6, 9. 33. Vide & 4. Reg. XXIII. 19.

enim Babylone Rex, Aſſyriis non ſubditus, Beleſi ſucceſſor, regnabat. Fortaſſe ejuſmodi Coloniæ deductæ erant ex urbibus Babyloniæ, quas Teglathphalaſar vel Salmanaſar ſubegerat. Conſtabit inferius XVIII. 34. eas gentes recens ſubditas fuiſſe, cum migrare in Samaritidem juſſæ ſunt.

CUTHA, unde Colonia in Samariam miſſa, Cuthæorum nomen obtinuit, quod facile Cuthæis abundaret. Alibi animadvertimus (1), *Cuth*, vel *Cutham*, vel *Scytham* idem eſſe ac Chuſch vel *Cuſcham*: *Sch* Chaldaice vertitur in *Th*: ex Aſſur & Aſſyria factum eſt Athyr vel Athur, & Athyria vel Athuria. Veteres Scythæ ſedes habebant ad Araxem. Inter montes Mediæ noti ſunt *Coſſei* (2). Ptolemæus (3) in Suſiana illos conſtituit.

AVAH. *Avadios* in Bactriana Ptolemæus collocat. Semiramidem veniſſe in *Chavon*, Mediæ provinciam, ſcribit Cteſias (4); cujus provinciæ nomen prununciari poteſt ut *Gavab* vel *Gnavab*. Sermo eſt apud Ammianum libro XXIII. de *Hava*, & de duobus Aſſyriæ amnibus in Tigrim influentibus agit, quorum eſt nomen alterius quidem *Diaba*, alterius *Abdiaba*. Occurrit inferius bis (5) nomen Ana conjunctum cum Avah.

EMATH. Non una eſt urbs, cujus nomen ad Emath referatur; Emeſa in Syria, Amaſea in Cappadocia, Amida in ripa Occidentali Tigridis, ad radices montis Tauri, Amaſtris ad amnem Parthenium. Nihil tamen prohibet, quin ſermonem hic eſſe reputemus de Emath Syriæ urbe, apud Scripturam notiſſima. Hanc facile ſubegerant Reges Aſſyriæ; ejuſque cives alio transferendos, ac diſpergendos, quemadmodum cæteros Syriæ incolas, cenſuerunt. Teglatphalaſar Damaſcenos ac adjacentium regionum incolas traduxit in Iberiam & Albaniam; Salmanaſar cives Emath migrare juſſit in Samariam. Emath Urbs erat ad Orontem. Iter erat quidem ex Oronte in Samariam longius quam ut neceſſe eſſet, ut privarentur ſedibus ſuis, qui ex Emath transferebantur in Palæſtinam.

SEPHARVAIM. Docti quidam Interpretes (6) cenſent, tenuiſſe illos *Syppheram*, ſive urbem Sypharæorum ad Euphratem (7). Malumus tamen illos conſtituere in regione Sarapararum, vel in montibus Saſpirorum: id enim nos propius ducit ad Mediam, quo translatos Iſraelitas e Scriptura intelligimus (8). Veriſimillimum eſt, ex iiſdem locis acceptos fuiſſe pleroſque, qui in loca Samariæ Judæis vacua deducti ſunt. Tradit Herodotus (9), Saſpiros unicam eſſe gentem, quæ ſedes habeat inter Colchos & Medos; & Strabo (10) Saraparas collocat in Armenia.

Obiter hic animadvertere juvat, diverſum aliquid ab iis, de quibus hic, legi in Eſdra, agens enim ille de populis in Samariam miſſis a Magno Aſnapharo, qui idem eſt facile Rex *Aſſaradon*, addit (11): *Reum Princeps conſilii, & Simſai Scriba, & reliqui conſiliatores eorum, Dinæi, Apharſathchæi, Terphalæi, Apharſæi, Erchuæi, Babylonii, Suſiani, Dievi, & Ælamitæ, & cæteri de gentibus, quas tranſtulit Aſnaphar, & habitare fecit in urbibus Samariæ*. *Dinæi* ipſi ſunt facile Incolæ Danaes vel Daganæ in Cappadocia (12), ſeu potius *Danacjes*, in Perſide, cujus urbis meminit Ovidius de Arte lib. 1.

Urbs in Achemeniis vallibus illa fuit.

Apharſathchæi, incolæ Paretacenes in Perſide. Sunt qui illos ſtatuant in Media, ubi *Perſoſcythæ*.

Tarplæi, vel *Terphalæi* a nonnullis redduntur *Tripolitani* in Syria; ab aliis *Tapiri*.

Apharſæi ſunt Perſæ. *Erchæi* facile ſunt Arcæi in tertia Armenia. Occurrit etiam *Arca* in Comagena. Erech vel Arach urbs eſt inter vetuſtiſſimas Orbis, a Nembrodo condita (13) in Suſiana.

BABYLONII, gens notiſſima.

SUSANNECHÆI, Suſarum, urbis Suſianæ Metropolis, incolæ.

DIEVI דהוא facile העוים incolæ *Hava*, de qua hic, & in ℣. 24. vel forte gens ſita ad amnem Diabam.

ÆLAMITÆ notiores ſunt, quam ut in illis immoremur.

℣. 25. IMMISIT IN EOS DOMINUS LEONES, QUI INTERFICIEBANT EOS. Quaſi ſcilicet Deus, ſolicitus de ſanctitate regionis, noluerit, ſolam ibi idololatriam, cæteris excluſis, regnare, nec Dæmonem gloriari, ſe, excluſo nomine & cultu Dei, abſolutum in illa imperium obtinere. Conſilia habebat ſua Deus de ea regione a ſe delecta, nec illam in perpetuum dereliquerat. Sapientis eſt quidem Numinis permittere Idololatriam, ſchiſmata, & hæreſes, quarum tamen Regnum nonniſi ad certos quoſdam limites tolerat: & cum ejus patientia noſtris criminibus fatigatur, æquitas ejus nunquam caret quo homines puniat: aer, tellus, elementa, animalia ultionem illius urgent, noſque exagitant. Joſephus pro conſueta ſibi libertate (14) Scripturæ ſenſum hic corrumpere auſus eſt, docens, eas gentes ſæviente peſte vexatas, cum remedio deſtituerentur, conſuluiſſe Oraculum, ab eoque imperatum, ut cultum ſuum Deo excelſo reſtituerent: quare miſſa ad Regem Aſſyriæ Legatione, Sacerdotem poſtularunt. Chronicon Samaritanum tradit, humum non produxiſſe niſi fructus ſpecie quidem eximios, intus veneno infectos.

℣. 26. IGNORANT LEGITIMA DEI TERRÆ. Id ſibi perſuaſerant Idololatræ, ſingulis regionibus ſuum eſſe peculiare Numen (15); neque illi plures Deos neque plurium Deorum cultum eſſe non poſſe cenſebant, dum ſuus ſingulis impenderetur. Juxta vanam hanc perſuaſionem philoſophati, expoſuerunt Regi Aſſyriæ, vexationis hujuſce cauſam nullam aliam indagari oportere, quam quod cultus Dei ejus regionis ignoraretur; eademque doctrina imbuti alienigenæ, qui Samariam incolendam venerant, cultum Domini cum vetuſta Numinum ſuorum religione ſponte admiſerunt.

Cæterum non prius hæc contigiſſe ſcimus, quam poſt adventum Cuthæorum in Samariam. Docet Eſdras (16), Aſſar-adonem, Sennacheribi ſucceſſorem, miſiſſe Sacerdotem, qui cultus Domini ritus iis gentibus tradidit. Una autem Hiſtoriæ ſerie refert hic Scriptura quæcumque pertinent ad hanc Coloniam, ne narrationis ordinem interrumpat.

℣. 27. DUCITE ILLUC UNUM DE SACERDOTIBUS, QUOS INDE CAPTIVOS ADDUXISTIS, ET VADAT &c. Hebræus (17), Chaldæus, & Septuaginta: *Deducite quemdam de Sacerdotibus .... & eant, & ſedeant ibi*. Miſſi ſunt facile plures quam unus; ſed unus cæteris authoritate & dignitate præerat, qui

(1) Geneſ. II. 13. & X. 6. (2) Vide Diodor l. 17. Polyb. l. 5. Plin. lib. 6. c. 27. (3) Ptolem. lib. 6. cap. 3. (4) Cteſias Perſic. lib. 1. apud Steph. de urb. (5) 4. Reg. XVIII. 34. & XIX. 13. (6) Grot. Jun. Malv. (7) Vide Ptolem. l. 5. c. 18. & Abyden. (8) 4. Reg. XVIII. XIX. (9) Herodot. lib. 1. cap. 103. & lib. III. 94. & VII. 79. (10) Strabo lib. X. Vide noſtram Diſſertationem in Regionem Ophir, & ad Geneſis II. ℣. 11. (11) 1. Eſdr. IV. 9. רחום בעל טעם ושמשי ספרא ושאר כנותהון דיניא ואפרסתכיא טרפליא אפרסיא ארכויא בבליא שושנכיא דהוא עלמיא ושאר אמיא די הגלי אסנפר רבא (12) Vide Ortel. Theſaur. (13) Geneſ. X. 10. (14) Joſeph. Antiqu. l. 9. c. ult. (15) Cicero de Nat. Deorum lib. 1. *Antiſthenes populares Deos multos, naturalem unum eſſe dicens: tollit vim & naturam Deorum*. Vide 3. Reg. XX. 23. (16) 1. Eſdr. IV. 2. *Ædificemus vobiſcum, quia ita ut vos quærimus Deum veſtrum. Ecce nos immolavimus victimas a diebus Aſor-addan Regis Aſſur, qui adduxit nos huc*. (17) הלכיו שמה אחד מהכהנים אשר הגליתם משם וילכו וישבו שם

qui cæteros per varia regionis loca diſtribuit. Samaria autem a Salmanaſare everſa, hic Sacerdos ſedem fixit in Bethel, loco tota antiquitate venerabili, poſt oſtenſam per viſum Jacobo ſcalam, quæ e Cœlo in terram porrigebatur. Quis vero Sacerdos iſte in Syriam miſſus? Non utique Sacerdos e Tribu Levi, neque e miniſtris Templi Jeroſolymitani; nullibi enim legimus, Teglathphalaſarum, Salmanaſarum, Sennacheribum, Aſſar-adonem captivos aliquos e ditione Juda egiſſe, niſi unum excipias Regem Manaſſen, qui ſub Aſſar-adone deductus eſt Babylonem. Facile igitur Levita aliquis reputandus eſt, qui cum in Regno Iſraelis conſideret, eamdem cum cæteris captivitatem ſubierit. Vel forte Sacerdos erat vitulorum aureorum (1), qui docere gentes illas aggreſſus eſt Dei cultum, ſed minus ſanctum, purumque; neque enim Cuthæi priſtinam idololatriam abjecere. Eſdram appellat S. Epiphanius, hæreſi LX. Sacerdotem in Samariam miſſum. Aliis (2) eſt *Lun.* Sunt qui duos veniſſe cenſeant, *Eliezerum*, & *Doſitheum*, qui poſtremus notiſſimus eſt filius Jannæi, quem S. Hieronymus (3) patrem Saducæorum, ſimulque Principem Samaritanorum facit, qui Gentiles ſuos docuit Prophetarum ſcripta rejicere. Sed conſtat, Doſitheum hunc, de quo S. Hieronymus, multo recentiorem eſſe quam Sacerdotem ab Aſſar-adone deſtinatum ad docendos cultum Domini Cuthæos (4).

Hæc ſunt igitur genuina exordia Samaritanorum, vel Cuthæorum, de quibus interdum in Scriptura. Mixtio erant plurium gentium, quæ aliunde ad frequentandam Samariam venere. Temere illi & immerito genus ſuum repetunt e Patriarchis; *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt*, ajebat ad Chriſtum Samaritana (5): hinc in periculoſis quibuſdam rerum articulis, cum Judæi laceſſerentur, veram illi tunc originem ſuam urgebant, aliieque prædicabant nihil habere ſe cum Judæis, a quibus longe diverſam originem traherent (6). Miſſus eo Sacerdos, tradidit illis ſcripta Moyſis, quæ adhuc retinent, vetuſtis Hebreis vel Phœniciis characteribus deſcripta. Cum enim literæ illæ genuinæ eſſent regionis, quam incolebant, retinendas illas cenſuerunt, uti facile & vernaculum vicinarum gentium ſermonem, ob commercii facilitatem. Contraria omnia Judæis acciderunt; cum enim vernaculum Chaldæorum ſermonem didiciſſent, & Chaldaicæ ſcribendi rationi per captivitatem Babylonicam aſſueviſſent, immutarunt ſenſim veteres characteres Librorum ſuorum Hebraicos, Chaldaicis ſubſtitutis: hinc ſcriptionis diſcrimen inter Pentateuchum Samaritanum & Judaicum.

Accuſantur, nec temere, Samaritani, quod non ſatis obſequentes Librorum ſacrorum Moſaicorum religioni, temerarias illis manus alicubi immiſerint. Animadvertitur enim in illis affectatio quædam pro ſacro illorum monte Garizim, ubi Templum ſtetiſſe jam inde ante captivitatem contendunt. Legimus in eorum Chronico, Abdiam, ſummum Pontificem Iſraelitarum, captivum una cum cæteris Niniven ſub Salmanaſaro translatum, eo tuliſſe volumen Legis illud, quod hodie uſque retinent, eumdemque condidiſſe ſub monte Garizim vaſa ſacra ejus Templi, quod vertici illius montis inſidebat. Sed inter viros doctiſſimos (7) convenit, Templum hoc excitatum fuiſſe primum a Sanaballat, pro Manaſſe genero ſuo, ſub Alexandro Magno (8). Nullum adhuc ſtabat ætate Eſdræ & Nehemiæ; maxima enim ſolicitudine teneri ſe demonſtrant, ut admittantur in partem Templi Jeroſolymitani. Adde ſi quod Templum poſſediſſent Samariæ vel alibi, an Sacerdos miſſus ab Aſſaradone ſedem ſuam in Bethel conſtituiſſet (9)? Viri quidam docti cenſuere (10), ante conſtructum Templum Garizim, Samaritanos nulla habuiſſe Moyſis volumina, nullamque aliam normam cultus Domino impendendi adhibuiſſe, quam verba docentis Sacerdotis, quæ mentibus per traditionem impreſſa conſervabantur.

℣. 29. Posuerunt eos in Fanis excelsis. Hebræus (11): *Poſuerunt in domo excelſorum*, quam ſtruxerant. Singulæ quæque gentes privata Idola ſua ſibi conſtituerunt, qualia olim in regione ſua coluerant, illaque in Templis ſuper edita loca extructis conſtituerunt. Confirmantur hinc dicta a nobis ſuperius, nullum ſcilicet commune toti coloniæ Templum poſitum fuiſſe. Atque impenſus ab illis Domino cultus eo facile totus redigebatur, ut admitterent circumciſionem, ſervarent Sabbatum, nonnullaſque rituales alias leges probarent. Verum ſatis iſta non fuiſſent, ut averterent flagellum, quo Deus antea populos illos immiſſis leonibus punierat. Profecto ſi quis unice ſpectet meritum rei ab illis præſtitæ, ægre admodum uſque adeo illa valuiſſe credatur: neque enim gratus eſſe poterat Deo cultus tam multa ſuperſtitione impurus. Verum cum illæ, quibus interdum afficimur, pœnæ ideo tantum immiſſæ ſint, ut gloriam Dei manifeſtam efficiant (12); ita pariter & illarum ceſſatio eo ſolum collimat interdum, ut ſummam Dei poteſtatem magis magiſque aperiat. Emicat hic vis & poteſtas Dei, redactis Iſraelitis in captivitatem, immiſſiſque in Cuthæos leonibus, æque ac cohibito ferocium belluarum impetu. Sapientis erat Numinis id facere, ut indociles gentes ad ſenſum intelligerent, docerenturque unum ſe eſſe ſupremum Dominum, & arbitrum cum hominum, tum & regionis, ſeque poſſe illos ad nutum ſive conſervare ſive delere.

℣. 30. Viri Babylonii fecerunt Sochoth-Benoth. Hebræum סכות בנות *Socboth-Benoth* ſonat tentoria puellarum; deſignari autem in Scriptura hic creditur (13), loca illa proſtitutionis, quam ſemel in vita in honorem Mylittæ (14) puellæ Babyloniæ exercebant. Euſebius in libro de Locis Hebraicis cenſet, Sochoth-Benoth, Aſima, Nergel, &c. nomina eſſe urbium, quas eæ gentes in Palæſtina condiderint: eamdemque ſententiam a ſe reprobari, S. Hieronymus in verſione ejuſdem Operis a ſe adornata, ne verbo quidem innuit. Sed aliis nomen *Benoth* Dei eſt, cui Templa conſecrabantur (15). Nec deſunt qui nomen Veneris ex *Benoth* derivent (16). Rabbini nomen *Socboth-Benoth* interpretantur gallinam cum pullis. Quid vero illud rei eſt? Alii dictum accipiunt de geſtatoriis quibuſdam ædiculis, ſimulacbra quædam Dearum continentibus (17). Denique putant aliqui, voces originales deſignare conſtellationem illam, quam *Pleiades* appellant (18). Sed fruſtra mentem ſubtilibus hiſce torquemus; præſtat enim retinere ea quæ ex Herodoto allata ſunt. Nota eſt Ptolemæo in Africa Urbs *Sicca Veneria*, quam alii *Siccam* appellant, unde viri quidam docti deducendam ſibi cenſent etymologiam *Socboth-Benoth*. Vide Seldenum, & Gerardum Joannem Voſſium.

Vias

(1) Lyr. Toſt. Sanct. (2) Patricid. Hiſt. Eccleſ. (3) Hieron. adverſ. Luciſer. (4) Vide Baſnage, Hiſtoire des Juifs Livre 2. chap. 5. art. 7. & 9. (5) Joan. IV. 20. Vide & ℣. 12. ejuſdem capitis. (6) Vide Joſeph. lib. 9. Antiqu. ad finem. (7) Vide Baſnage, Hiſtoire des Juifs Livre 2. chap. 5. art. 3. & 4. (8) Joſeph. Antiqu. lib. XI. c. 8. (9) Vide ℣. 18. hujus capitis. (10) Vide Mr. Simon, Hiſtoire Critique du vieux Teſtament, & P. le Quien, Antiquité des tems detruite chap. 5. n. 13. p. 167. (11) וישימו בבית הבמות (12) Joan. IX. 3. (13) Ita Grot. hic, & Selden. de Diis Syr. Syntag. 2. c. 7. (14) Herodot. l. 1. c. 199. Δεῖ πᾶσαν γυναῖκα ἐπιχωρίην ἱζομένην εἰς ἱρὸν Ἀφροδίτης ἅπαξ ἐν τῇ ζόῃ ἀνδρὶ ξείνῳ μιχθῆναι, &c. Vide & Strab. l. 16. (15) Eucher. Lugd. ad 4. Reg. XXVI. (16) Ita ſentire videtur Selden. loco citato. (17) Boch. de animal. part. 1. l. 1. c. 16. (18) Lyr. Malv.

Digitized by Google

Viri Cuthæi fecerunt Nergel. Erat Nergel, ſi Rabbinis & Interpretibus nonnullis (1) fidem habeamus, Dea quædam ſub imagine gallinæ ſylveſtris culta. Deſignatum alii cenſent ignem perpetuum, cui in honorem Solis divinos honores Perſæ impendebant. S. Ambroſius (2) ſive alter ſub ejus nomine, qui in Epiſtolam ad Corinthios ſcripſit, tradit, Samaritanos Perſico more ignem coluiſſe. Hebræum *Nergal*, ductum e נור ſeu נר, lampas, & גלל, deſignare poteſt ad literam lucem vel ignem ſcintillantem, qui vortice quodam volvitur. Celebrantur autem apud Veteres Templa, vel ſi mavis clauſtra Perſarum, ubi detinebatur perpetuus ignis ſuper altare in medio poſitum, multo cinere protectus (3). Nulla non die Magi Templa illa adibant canebantque carmina quædam, manibus interim tenentes coram igne virgarum faſciculum. Caput habebant protectum laneo pileo, aduſque labia & genas deſcendente. Sermo eſt apud Jeremiam (4) de Nergel Præfecto ærarii Regis Nabuchodonoſoris; & apud Beroſum (5) de *Neriglissoro* vel *Nergel-izor*, qui interfecto *Evilmerodacho* regnavit Babylone.

Viri de Emath fecerunt Asima. Numen hoc fingunt Rabbini, alii quidem (6) hircum ſine vellere; alii ſimiam (7), alii (8) agnum; alii ſatyrum, vel Deum Pana Poetarum. Caſu illi quidem. Latina vox *Simia* derivatur ex Græco *ſimos*, quod *ſimus* eſt Latinorum. Sed aliud eſt ſimiæ nomen apud Græcos. *Sinor* apud Parphos genus eſt muris, cujus pellibus veſtium interiora muniuntur (9).

℣. 31. Hevæi fecerunt Nebahaz. Incolæ *Havah* appellantur hic Hevæi, quorum Deum *Nebahaz* canis figuram retuliſſe tradunt Judæi. Sed horum ea de re argumentum unicum eſſe poteſt, quod נבח *Nabach* Hebraice, eſt latrare. Hinc נבחז *Nebachas*. Porro ab Ægyptiis canes aris donatos eſſe notum eſt: *Oppida tota canem venerantur*. Notum eſt pariter, Anubin Ægyptium Numen canino rictu præditum fuiſſe (10).

Omnigenumque Deum monſtra, & latrator Anubis.

Vir quidam, qui Perſidem peragravit, teſtatur ſe vidiſſe in Perſide vetuſta quædam Idola, hircum vel Satyrum exprimentia (11).

Veri ſpeciem habet maximam, *Nebahaz* derivari ex Nebo, celebri Babyloniorum Numine, & ex *Achaz*, cepit, poſſedit. Hanc ſi ſequamur etymologiam, nomen *Nebahaz* vertendum erit, Oraculum poſſidens, Deus poſſeſſor, & rerum omnium Dominus; vel ſi deducatur ex Hebræo *Chaſah*, vidit, Nebahaz vertetur: *Nebo videns*, Deus qui omnia videt. Fatendum eſt, hæc omnia nihil majus eſſe quam conjecturas; fruſtra tamen plus aliud in re obſcuriſſima quæras.

Tharthac. Numen aliud Hevæorum, figura aſini, inquiunt Judæi. Vox *Tharthac* תרתק Hebræum vocabulum non eſt; ideinque deſignare Numen ac *Nebachaz*, Marshamus ſuſpicatur.

An *Tharthac* idem eſt cum *Sar Sak*? *Sar* שר Hebraice eſt Princeps; *Sak* שך, vel *Saca* שק, nomen erat Principis, vel Numinis, in Babylonia celebris. Nota ſunt Profanis feſta *Sacæa* (12), quare *Tharthac*, juxta Chaldæam pronunciationem, erit *Deus Sak*, Jeremias (13) bis meminit Dei *Seſac*, vel Feſtorum *Seſac*. Porro Feſta hæc Veteres quidam appellarunt *Sada*, vel *Sadak*, quod accedit propius ad *Tharthac*. In recitatum Jeremiæ locum dedimus conjecturas noſtras, ut *Seſac* ipſiſſimum fuiſſe Solem, vel Lunam, Apollinem, vel Dianam, Borſippæ in Babylonia cultam, probaremus.

Qui erant de Sepharvaim comburebant filios suos igni Adramelech, et Anamelech Diis Sepharvaim. Si qua fides Hebræis, Adramelech ſimulacrum erat muli, vel pavonis; Anamelech equus, vel phaſianus, vel coturnix. Apage Rabbinica. Nomen *Adramelech* אדרמלך, quod eſt *Rex magnificus*, exprimit non obſcure Solem; *Anamelech* ענמלך *Rex pius*, & *clemens*, Lunam deſignat. Recurrit ſæpe apud Strabonem (14) *Anais*, vel *Anaia*, nomen Deæ toto Oriente celebris, quæ ipſiſſima erat Diana, vel Luna. Solemne autem fuiſſe conſtat Orientalibus, ut huic Numini maſculinum genus tribuerent, colerentque ſub Dei imagine. Credibile eſt igitur, Regem Ana ipſiſſimam fuiſſe Lunam. Quæ ſeſe exhibet affinitas inter victimas oblatas huic Numini, & Moloc Deo Ammonitarum, ac Saturno Deo Phœnicum, in eam perſuaſionem induxit plures, ut unum idemque Numen exiſtimarent. Sed hæc varietas ſententiarum conciliatur, ſi Adramelech, & Anamelech ad Solem Lunamque referamus. Vix aliud erat Orientalibus Numen, præter Solem & Lunam variis nominibus expreſſos.

℣. 32. Fecerunt sibi de novissimis Sacerdotes excelsorum. Sacerdote, vel Sacerdotibus ex Aſſyria miſſis non contenti, alios addiderunt miniſterio Idolorum. Prioribus illis utebantur ad Sacrificia Domini; aliis ad Numinum ſuperſtitiones: poſtremum hoc Sacerdotium gerebant viri nullius meriti, & dignitatis, nullo delectu e medio populi aſſumpti.

℣. 34. Usque in præsentem diem morem sequuntur antiquum: non timent Dominum, neque custodiunt cæremonias ejus. Hebræus (15): *Facientes juxta mores ſuos priſtinos, ipſi non timentes Dominum, nec facientes juxta decreta eorum, & juxta judicium eorum.* Pugnant inter ſe hæc verba, ſi referantur ad Iſraelitas, qui nec leges, nec cæremonias Veterum Incolarum regionis retinuerint. Arduum vero eſt interpretationem hanc admittere; cum nullus antea ſermo de Iſraelitis fieri cœperit. Septuaginta in alium ſenſum reddiderunt (16). *Ipſi faciebant juxta veteres mores ſuos. Ipſi timent, & ipſi faciunt ſecundum mores ſuos, & ſecundum Legem ſuam; & ſecundum mandatum, quod mandavit Dominus filiis Jacob.* Unico fœdere duo hæc ſociant, Leges Dei ac veterum morum exercitium. In aliam viam divertunt Syriacus, & Arabs: *Migraverunt Iſraelitæ de terra ſua, eo quod Dominum dereliquerunt, neque fecerunt ſecundum pactum judicium, Legem, atque præceptum, quod præſcripſerat Dominus filiis Jacob.* Poſteriorem hanc interpretationem docti plures Commentariorum Scriptores (17) ſequuntur: conſtat autem ex lectione Hebræi verſiculorum 32. 33. & 34. turbas aliquas in Textu ineſſe; & verſiculi 40. & 41. exigere videntur, ut verſiculus 34. & ſequentes exponantur de Iſraelitis extra Regionem ſuam translatis: alioqui enim pugnarent ſimul ℣. 34. *Uſque in præſentem diem morem ſequuntur antiquum: non timent Dominum*, & ea quæ leguntur in ℣. 41. de Cuthæis: *Fuerunt gentes iſtæ timentes quidem Dominum, ſed nihilominus Idolis ſuis ſervientes.* Pronum eſt autem, ut exprobretur Hebræis,

[1] Gro. Munſt. alii. [2] Ambroſ. in 1. ad Cor. c. 9. [3] Strabo lib. 15. Vide, ſi lubet, Selden. Syntag. 2. de Diis Syr. c. 5. [4] Jerem. XLIX. 3. 13. [5] Beroſ. apud Joſeph. lib. 1. contra Appion. [6] Baal-aruch, Kimchi, Rab. Salom. Deuſ. in Geneſ. 1. 1. [7] Elias Levita. [8] Thalmud. Jeroſol. [9] Heſych. in σίνωρ. [10] Virgil. Æneid. 6. [11] Deſcription de l'Univers par Maller tome 2. de l'Aſie p. 174. 175. [12] Athen. lib. 14. c. 10. Dio Chryſoſt. orat. 4. de Regno. [13] Jerem. XXV 26. & LI. 40. ששך [14] Strabo lib. XI. p. 357. & 356. & lib. XV. pag. 500. [15] הם עשים כמשפטים הראשנים אינם יראים את יהוה ואינם עשים כחקתם וכמשפטם
[16] Ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης αὐτοὶ ἐποίουν κατὰ τὸ κρίμα αὐτῶν, αὐτοὶ φοβοῦνται, καὶ αὐτοὶ ποιοῦσι κατὰ τὰ δικαιώματα αὐτῶν, καὶ κατὰ τὴν κρίσιν αὐτῶν, καὶ κατὰ τὸν νόμον, καὶ κατὰ τὴν ἐντολὴν ἣν ἐνετείλατο κύριος, καὶ τὰ ἑξῆς.
[17] Ita Jun. Vat. Piſc. Malv.

bræis, quod pro veteri more parere Domino recuſent :* quis enim neſciat illos longa habitudine moribus hiſce inhæſiſſe? Viciſſim autem minime congruum videbatur, vitio id vertere gentibus alienis, quæ nunquam antea Deum norant, quæque vix cognitum timuerunt, ac coluerunt, ut hic animadvertitur, cultu tamen minus puro, & a ſuperſtitione penitus non defœcato. Admiſſa autem hac interpretatione, reputandum erit, Iſraelitas decem Tribuum in exilio a priſtinis criminibus non reſipuiſſe, nec ſapientiores redditos eſſe, quibus a Deo cæſi ſunt, flagellis. Sub Eſdra, quem non temere horum Librorum author facias, Iſraelitarum plerique tales erant in Aſſyria, quales antea in Regionibus ſuis fuerant.

CAPUT XVIII.

Ezechias priſtinæ ſanctitati Dei cultum reſtituit, Sennacherib Regnum Juda invadens, copias ſuas propius admovet Jeroſolymam, vi redacturus ſub imperium Ezechiam, ſolvere tributa recuſantem. Rabſacis, ex Præfectis Sennacheribi, impia & minacia verba.

A. M. 3277. ante J. Chr. 727. ℣. 1. ANno tertio Oſee filii Ela regis Iſrael, regnavit Ezechias filius Achaz re-
gis Juda. 2. Vigintiquinque annorum erar, cum regnare cœpiſſet : &
vigintinovem annis regnavit in Jeruſalem: nomen matris ejus Abi filia Zachariæ. 3.
Fecitque, quod erat bonum coram Domino, juxta omnia, quæ fecerat David pater
A. M. 3278. ejus. 4. Ipſe diſſipavit excelſa, & contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque
ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes: ſiquidem uſque ad illud tempus filii Iſrael
adolebant ei incenſum: vocavitque nomen ejus Noheſtan. 5. In Domino Deo Iſrael
ſperavit: itaque poſt eum non fuit ſimilis ei de cunctis regibus Juda, ſed neque in
his, qui ante eum fuerunt. 6. Et adhæſit Domino, & non receſſit a veſtigiis ejus,
fecitque mandata ejus, quæ præceperar Dominus Moyſi. 7. Unde & erat Dominus
cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, ſapienter ſe agebat. Rebellavit quoque
contra regem Aſſyriorum & non ſervivit ei. 8. Ipſe percuſſit Philiſthæos uſque ad
Gazam, & omnes terminos eorum, a Turre cuſtodum uſque ad Civitatem munitam.
A. M. 3280. 9. Anno quarto regis Ezechiæ, qui erat annus ſeptimus Oſee filii Ela regis Iſrael,
aſcendit Salmanaſar rex Aſſyriorum in Samariam, & oppugnavit eam, 10. Et cepit.
Nam poſt annos tres, anno ſexto Ezechiæ, ideſt nono anno Oſee regis Iſrael, capta
eſt Samaria. 11. Et tranſtulit rex Aſſyriorum Iſrael in Aſſyrios, collocavitque eos
in Hala, & in Habor fluviis Gozan in civitatibus Medorum: 12. Quia non audie-
runt vocem Domini Dei ſui, ſed prætergreſſi ſunt pactum ejus: omnia, quæ præce-
A. M. 3291. perat Moyſes ſervus Domini, non audierunt, neque fecerunt. 13. Anno quartodeci-
mo regis Ezechiæ, aſcendit Sennacherib rex Aſſyriorum ad univerſas civitates Juda
munitas; & cepit eas. 14. Tunc miſit Ezechias rex Juda nuntios ad regem Aſſyrio-
rum in Lachis, dicens: Peccavi, recede a me: & omne, quod impoſueris mihi, fe-
ram. Indixir itaque rex Aſſyriorum Ezechiæ regi Judæ trecenta talenta argenti, &
A. M. 3294. triginta talenta auri. 15. Deditque Ezechias omne argentum, quod repertum fuerat
in domo Domini, & in theſauris regis. 16. In tempore illo confregit Ezechias val-
vas templi Domini, & laminas auri, quas ipſe affixerat, & dedit eas regi Aſſyrio-
rum. 17. Miſit autem rex Aſſyriorum Thartan, & Rabſaris, & Rabſacen, de La-
chis ad regem Ezechiam, cum manu valida, Jeruſalem: qui cum aſcendiſſent, ve-
nerunt Jeruſalem, & ſteterunt juxta aquæductum piſcinæ ſuperioris, quæ eſt in via
Agri fullonis. 18. Vocaveruntque regem: egreſſus eſt autem ad eos Eliacim filius
Helciæ, præpoſitus domus, & Sobna ſcriba, & Joahe filius Aſaph a commentariis.
19. Dixitque ad eos Rabſaces: Loquimini Ezechiæ: Hæc dicit rex magnus, rex Aſ-
ſyriorum: Quæ eſt iſta fiducia, qua niteris? 20. Forſitan iniſti conſilium, ut præ-
pares te ad prælium. In quo confidis, ut audeas rebellare? 21. An ſperas in ba-
culo arundineo, atque confracto Ægypto, ſuper quem ſi incubuerit homo, commi-
nutus ingredietur manum ejus, & perforabit eam? ſic eſt Pharao Rex Ægypti, om-
nibus, qui confidunt in ſe. 22. Quod ſi dixeritis mihi: In Domino Deo noſtro ha-
bemus fiduciam: nonne iſte eſt, cujus abſtulit Ezechias excelſa, & altaria: & præ-
cepit Judæ, & Jeruſalem: Ante altare hoc adorabitis in Jeruſalem? 23. Nunc igi-
tur tranſite ad dominum meum regem Aſſyriorum, & dabo vobis duo millia equo-

rum

Digitized by Google

rum, & videte, an habere valeatis aſcenſores eorum. 24. Et quomodo poteſtis reſiſtere ante unum ſatrapam de ſervis domini mei minimis? An fiduciam habes in Ægypto propter currus, & equites? 25. Numquid ſine Domini voluntate aſcendi ad locum iſtum, ut demolirer eum? Dominus dixit mihi: Aſcende ad terram hanc, & demolire eam. 26. Dixerunt autem Eliacim filius Helciæ, & Sobna, & Joahe Rabſaci: Precamur, ut loquaris nobis ſervis tuis Syriace, ſiquidem intelligimus hanc linguam: & non loquaris nobis Judaice, audiente populo, qui eſt ſuper murum. 27. Reſponditque eis Rabſaces, dicens: Numquid ad dominum tuum, & ad te miſit me dominus meus, ut loquerer ſermones hos, & non potius ad viros, qui ſedent ſuper murum, ut comedant ſtercora ſua, & bibant urinam ſuam vobiſcum? 28. Stetit itaque Rabſaces, & exclamavit voce magna Judaice, & ait: Audite verba regis magni, regis Aſſyriorum. 29. Hæc dicit rex: Non vos ſeducat Ezechias: non enim poterit eruere vos de manu mea. 30. Neque fiduciam vobis tribuat ſuper Dominum, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, & non tradetur civitas hæc in manu regis Aſſyriorum. 31. Nolite audire Ezechiam. Hæc enim dicit rex Aſſyriorum: Facite mecum, quod vobis eſt utile, & egredimini ad me: & comedet unuſquiſque de vinea ſua, & de ficu ſua; & bibetis aquas de ciſternis veſtris: 32. Donec veniam, & transferam vos in terram, quæ ſimilis eſt terræ veſtræ, in terram fructiferam, & fertilem vini, terram panis, & vinearum, terram olivarum, & olei, ac mellis, & vivetis, & non moriemini. Nolite audire Ezechiam, qui vos decipit, dicens: Dominus liberabit nos. 33. Numquid liberaverunt dii gentium terram ſuam de manu regis Aſſyriorum? 34. Ubi eſt deus Emath, & Arphad? ubi eſt deus Sepharvaim, Ana, & Ava? numquid liberaverunt Samariam de manu mea? 35. Quinam illi ſunt in univerſis diis terrarum, qui eruerunt regionem ſuam de manu mea, ut poſſit eruere Dominus Jeruſalem de manu mea? 36. Tacuit itaque populus, & non reſpondit ei quidquam: ſiquidem præceptum regis acceperant, ut non reſponderent ei. 37. Venitque Eliacim filius Helciæ, præpoſitus domus, & Sobna ſcriba, & Joahe filius Aſaph a commentariis, ad Ezechiam, ſciſſis veſtibus, & nuntiaverunt ei verba Rabſacis.

℣. 1. ANNO TERTIO OSEE .... REGNAVIT EZECHIAS. Adſcitus eſt Ezechias in ſocietatem Regni poſtremo anno Achaz patris ſui, Mundi 3277. Ducitur hinc exordium tertii anni Oſee, de quo hic, qui tertius annus longius jam excurrerat, cum Ezechias ab Achaz patre ſuo Rex renunciatus fuit. Solus autem rebus præeſſe cœpit anno ſequenti 3278. Vixit annis quatuor, & quinquaginta, regnavitque undetriginta. Quæ de ortu ejus anno undecimo Achaz patris ſui agitatur controverſia ſupra XVI. 1. expenſa eſt.

℣. 3. FECIT QUOD ERAT BONUM CORAM DOMINO. Primas Regni curas in eo poſuit, ut reſtitueret Templo Domini cultum, quod Templum Achaz clauſerat (1). Mandavit Sacerdotibus ac Levitis, ut loca ſancta purgarent, diſponerentque omnia, ut Sacrificia pro more offerrentur. Cum vero Feſtum Paſchatis die quartadecima primi menſis, ex Legis præſcripto (2), celebrari minime poſſet, indictum eſt a Rege ad menſem ſecundum; vocandiſque ad eam diem Jeroſolymam Hebræis, undique per ditionem Juda, & Iſraelis præcones miſſi ſunt. Concurſus hominum factus eſt ſolito major. Feſti pompa & magnificentia plane Regia. Reduces inde Iſraelitæ, in civitate ſua quiſque aggreſſi ſunt aras, & ſtatuas ſubvertere, delere lucos ſuperſtitioſos, illa etiam loca edita, ubi Sacrificia Domini offerri nunquam ad eam uſque diem ceſſatum fuerat. Ezechias, ut perpetuum in Templo miniſterium faceret, annonæ Sacerdotum ac Levitarum conſuluit Leges decimarum, ac primitiarum urgens (3).

℣. 4. IPSE DISSIPAVIT EXCELSA. Non ea modo, quæ Idololatriæ, ſuperſtitioni, & impietati conſecrata erant, ſed quæ pariter imbecillitas prædeceſſorum ſuorum, quorum etiam major erat pietas, tolerare coacta fuerat ſpecioſo illo nomine, quod loca eſſent Domino conſecrata. An conſilium illud Ezechiæ populus univerſus probarit, quoad ſcilicet demolitionem editorum illorum locorum, ubi liberam ſibi facultatem offerendi Sacrificia Iſraelitæ arrogabant, ignoro: legimus tamen inferius (4), Rabſacem compoſitis doloſe verbis accuſaſſe de innovatione hac Ezechiam, quaſi ſcilicet rem præſtitiſſet Dei cultui noxiam. Quæ mala decem Tribus affecerant, Regis animum firmiorem, & magis intentum reddiderunt; & facile etiam populus Juda docilitatem, & obedientiam ex illis majorem didicit. Præfatio quædam in Sophoniam inſerta in gloſſa ordinaria, & S. Hieronymo tributa, fert Joſiam reperta quædam fragmina ſerpentis ænei Ezechiæ juſſu deſtructi, in pulverem comminuiſſe atque ita totum ejus cultum ſuppreſſiſſe. Hanc fabellam nullo Scripturæ fundamento nixam Petrus Comeſtor adoptavit.

CONFREGIT SERPENTEM ÆNEUM, QUEM FECERAT MOYSES in deſerto, remedium præſentiſſimum adverſus ictus anguium, in pœnam murmuris immiſſorum (5). Simulacrum illud colubri ſuperſtitioſus populus non ſervaverat modo, ſed thure & cultu ceu Numen conſecraverat. Igitur Ezechias fregit illud, nomenque confracto indidit *Noheſtan* נחשתן, quod diminutivum eſt Hebræi *Nechoſch*, ſonante *æs*; quaſi diceretur: *Parvum hoc neſcio quid æris*. Extat Mediolani æneum quoddam ſerpentis ſimulachrum, quod ipſum eſſe Moſaicum, nullo ſuadente idoneo argumento, creditur (6).

[1] 2. Paral. XXIX. 3. [2] 2. Paral. XXVIII. 24. Vide Exod. XII. 18. [3] Vide 2. Paral. XXXI. [4] ℣. 22. *Nonne iſte eſt, cujus abſtulit Ezechias excelſa & Altaria, & præcepit Juda & Jeruſalem: Ante Altare hoc adorabitis in Jeruſalem?* [5] Num. XXI. 8. 9. [6] Mabill. iter Italic.

Veteres quidam tradiderunt (1), Ezechiam ſuppreſſiſſe pariter volumina Salomonis, in quibus diſſerebatur de natura plantarum & animalium, ac de morborum remediis, quod ſcilicet illis abuteretur populus, plus fiduciæ & ſtudii conferens ſcrutandis illis, quam opi divinitus implorandæ. Commenta ſunt hæc, quæ locum ſuum inter apocrypha merito vindicant. Scitum eſt, Ezechiam colligendas curaſſe parabolas Salomonis: eaque collectio adhuc in Libro Proverbiorum ſupereſt (2).

℣. 5. NON FUIT SIMILIS EI DE CUNCTIS REGIBUS JUDA. Similis omnino Ezechiæ nemo fuit ex omnibus Regibus Juda, in quo ſcilicet dotes viri hujus omnes colligerentur. Ezechias Princeps erat omnibus abſolutus numeris, in quo dotes eminebant optimæ, ita illi propriæ, ut alteri nuſpiam. Si quis haſce loquendi phraſes, quæ crebræ ſunt in Scriptura, ad literæ tenorem urgere voluerit, ille quidem non ſatis conſentanea admittere convincatur (3), ac ſacris Libris tribuantur, quæ a mente ſacrorum Scriptorum alieniſſima ſunt. Eaſdem, quas Ezechiæ, laudes Joſiæ (4) vindicat Scriptura; alibi vero in ipſam eamdem claſſem refert Davidem, Ezechiam & Joſiam (5), quaſi in tribus illis par eſſet virtutis gradus. Denique ore Iſaiæ pandit Deus Ezechiæ futurum, ut Jeroſolymam tueatur, atque a Sennacheribo defendat in gratiam Davidis (6); atque ita Davidem quodammodo ipſi Ezechiæ præponit. Ezechiæ elogium Spiritus S. in Paralipomenis hiſce verbis complexus eſt (7): *Operatus eſt bonum & rectum & verum coram Domino Deo ſuo.*

℣. 7. IN CUNCTIS AD QUÆ PROCEDEBAT, SAPIENTER SE AGEBAT. Reddi poteſt Hebræus (8): Proſpere illi, quæcumque ageret, omnia ceſſerunt. Vel, proſperam habuit, quacumque iret, viam. Syriacus & Arabs: *Quocumque pergebat, vincebat.*

REBELLAVIT CONTRA REGEM ASSYRIORUM (9). Negavit illum agnoſcere veluti dominum, ſolvere tributum detrectans, Achaz patri ſuo a Teglathphalaſaro imperatum (10). Ex hoc Textu ac ſequentibus, & tota hiſtoriæ ſerie intelligimus, Achaz non ſolviſſe tantum Regi Aſſyriæ tributum, ſed & ſubditum illi fuiſſe: *Servus tuus, & filius tuus ego ſum*, ajebat Achaz ad Teglathphalaſarum, quem ad opem ſibi ferendam invitabat. Verborum officium hoc ad literam & contra mentem Achaz accipiens Rex Aſſyriæ, poteſtate ſua in Jeroſolymam totamque ditionem Juda abuſus eſt: eo etenim veniens, totam diripuit ac ſpoliavit; & Rabſaces inferius perfricta fronte civibus Jeroſolymæ deditionem indicit, imperans pariter, ut Regem ſuum veluti dominum agnoſcant, ſpondens viciſſim ab illo pacem & quietem, dum transferantur in aliam regionem æque ac ſuam opimam & fertilem (11). Igitur non tributa modo exigebat Sennacherib, ſed & ſupremum Imperium in ipſum ejuſque ditionem: atque ita Scriptura merito affirmavit, Regem Judam rebellaſſe in Sennacheribum. Vera enim erat defectio, quamquam in Ezechia juſta & neceſſaria, cum Teglathphalaſar patrem Ezechiæ oppreſſiſſet iniquo & tyrannico imperio, & gravi jugo oneraſſet, non contentus accepiſſe pecunias ſibi pro opera impenſa ſolutas. Fatendum eſt tamen, Iſaiam (12) Dei nomine conqueſtum eſſe, quod inconſulto Deo tanti momenti opus ſuſceptum fuerit. Illud vero in primis graviſſime arguit, quod Hebræi Regem Ægypti opem & auxilium poſtularint.

Anno Regni ſui quarto & decimo circiter (13) Ezechias in apertam defectionem erupit. Credimus autem, occulta detinuiſſe commercia in Aſſyrios eum Regibus Ægypti atque Æthiopiæ: fidebat tamen præſertim Dei auxilio & cauſæ ſuæ æquitati. Paulo ante pluribus præliis affecerat Philiſtæos (14), amicitiam junxerat cum Merodac-Baladano Rege Babyloniæ (15). Hiſce omnibus in eam perſuaſionem venit, adeſſe tempus, quo violenti & iniqui imperii jugum excuteret.

℣. 8. PERCUSSIT PHILISTÆOS USQUE AD GAZAM. Urbs erat Gaza inter maxime meridionales & vicinas Ægypto. Occupato Achaz retundendis aggreſſionibus Regum Syriæ & Samariæ, irruperant Philiſtæi in ejus ditionem, ejuſque urbes non paucas ſubegerant (16). Injuriam hanc ulturus Ezechias, armis in illos verſis, hoſtes vicit, ac victoriam quam longiſſime fieri poterat provehens, urbes illorum omnes majores, minores, nulla excepta, occupavit: *A turre cuſtodum uſque ad civitatem munitam.*

℣. 9. ASCENDIT SALMANASAR . . . IN SAMARIAM. Eadem eſt hiſtoria ſuperius narrata capite XVII. 3. & ſeqq.

℣. 13. ANNO QUARTODECIMO REGIS EZECHIÆ ASCENDIT SENNACHERIB . . . . AD UNIVERSAS CIVITATES JUDA MUNITAS, ET CEPIT EAS. Rex Sennacherib profanos Scriptores non latet. Nomen ejus & expeditiones in Ægypto deſcribit Herodotus (17). Meminit etiam illius Beroſus (18), qui & illata ab illo arma in Aſiam & Ægyptum affirmat. His tamen authoribus, urbem Peluſium, quæ a latere Palæſtinæ prima eſt inter Ægyptias, non præteriit. Ambigere me fateor, an hæc expeditio diſtinguenda ſit ab expeditione in Tharacam Regem Chus, Ægypto proximum, & fœderatum Regibus Judæ ac Ægypti. Hoc iter paucis diebus abſolutum eſt: morbum autem Ezechiæ contigiſſe conſtat anno Regni ejus quarto & decimo, quo eodem ſuſtinuit arma Sennacheribi, & facile poſt aliquod tempus ab exercitu ejus Principis exceſſo (19). Etenim quæ Scriptura & Profani narrant de rebus geſtis a Sennacheribo in Judæa & Ægypto, confici omnia minus quam octo menſium ſpatio potuerunt. Certior factus Sennacherib de Ezechiæ defectione, ejuſque fœdere cum Ægypto & Rege Chus (20), movit ex Aſſyria, ut illum cogeret ſub imperium. Venientem exhibet Iſaias (21) e plaga Hai, Bethel, Gabaonis, & Gabaæ Saulis &c. Contulit ſe inde in Ægyptum; unde regreſſus eſt in plagam meridionalem Judææ (22). Ita ſubegit ſibi urbes regionis principes: *Aſcendit ad omnes civitates Juda munitas, & cepit eas.*

Paravit omnia Ezechias ad Jeroſolymæ obſidionem ſuſtinendam, nihilque quo urbs firmior munitiorque fieret, omiſit (23). Sed metuens ſimul longi & moleſti belli pericula, pacem emere, nihilque ob res amice componendas præteriit. Miſit igitur ad Sennacheribum, obſidione Lachis, urbis Juda, tunc occupatum, nuncios; ac denique pax compoſita eſt, pacta ſolutione trecentorum talentorum ex argento, ac triginta ex auro; quæ ſtatim perſoluta ſunt. Verum quaſi ea pecunia data eſſet ut præteritis tributis, ab Ezechia negatis,

(1) Euſeb. apud Anaſtaſ. Nicænum, & Chronic. Alex. Olymp. 9. Vide Sanct. hic. (2) Prov. xxv. & ſeq. *Hæ quoque parabolæ quas tranſtulerunt viri Ezechiæ Regis Juda.* Heb. *Quas ex multis libris, aut locis, in unum congeſſerunt.* (3) Vide Toſt. Sanct. Eſt. Cornel. Menoch. &c. (4) 4. Reg. xxiii. 25. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde ſuo, &c.* (5) Eccli. xlix. 5. *Præter David, & Ezechiam, & Joſiam, omnes peccatum commiſerunt.* (6) Vide infra ℣. 34. cap. xix. (7) 2. Paral. xxxi. 20. (8) בכל אשר יצא ישכיל (9) וימרד במלך אשור (10) 4. Reg. xvi. 7. & 2. Paral. xxviii. 21. Vide Iſai. ix. 5. (11) Vide inferius ℣. 32. & 33. (12) Iſai. xxx. 1. & ſequ. & xvii. 9. 13. (13) 4. Reg. xviii. 13. (14) Inferius ℣. 8. (15) 4. Reg. xx. (16) 2. Paral. xxviii. 18. Iſai. ix. 12. (17) Herodot. l. 2. c. 141. (18) Beroſ. apud Joſeph. Antiq. l. 2. c. 1. (19) Vide inferius xx. 1. (20) 4. Reg. xv. 11. 24. & xix. 9. (21) Iſai. x. 28. 29. (22) Vide inferius ℣. 25. & xix. 8. & Mich. 1. 13. 14. 15. (23) 2. Paral. xxxii. 2. &c.

gatis, ſatisfaceret, Rex Aſſyriæ miſit Jeroſolymam nuncios Thartan, Rabſaris & Rabſacem cum copiis, ut cogerent Ezechiam ad deditionem, ac regionis Metropolim ſibi ultro aperiendam. Inter hæc, Sennacherib, dimiſſa Lachis, exercitum admovit ad Lebnam, ubi illum Legati convenientes nihil habere ſe, quod ab Ezechia renunciarent, ſignificarunt.

Dum in obſidione Lebnæ perſeverabat, certior factus eſt, Tharacam Æthiopum vel terræ Chus Regem accedere, & copias adverſus ſe ſe ducere. Quare coactus Sennacherib, obſidione Lebnæ ſoluta, movit in Regem Æthiopiæ, ſimulque ad Ezechiam minaces impiaſque literas dedit. Regem Juda in preces converſum certiorem fieri juſſit Iſaias, Jeroſolymam nulla obſidione fore cingendam, ac futurum brevi, ut Sennacheribo, totoque ejus exercitu deleto, metu hoſtium liberaretur. Eadem nocte, qua Sennacherib Lebna profectus eſt, vel quæ vaticinium illud Iſaiæ conſecuta eſt, Angelus Domini ſæviente gladio centum & octoginta millia Aſſyriorum trucidavit. Ita vero diſtribuenda eſt hiſtoria totius celebris hujus rei, quæ tribus variis in locis narratur, hic, in Paralipomenis (1), & apud Iſaiam (2). Porro cum doctis pluribus Commentariorum Scriptoribus & Chronologis, obſidionem Lachis, & minas Sennacheribi conſignandas cenſemus triennio poſt adventum ejus Principis in Palæſtinam, & poſt triennium ab expeditione Ægyptiaca, ut Joſephus, & Beroſus teſtantur (3), & Scripturæ non ſemel (4) innuit. Ægypto redux, aggreſſus eſt Mareſam, aliaſque vicinas urbes, uti diſcimus ex Michæa (5): tum expugnata Lachis, ſtrinxit Lebnam. Id agitabat conſilii, ut urbes omnes plagæ meridionalis Juda occuparet, quo ſcilicet commercium omne cum Ægypto & Arabia ab eo latere præcideret, ac tutior ſibi obſidio Jeroſolymæ ſuccederet. Ita pariter deinceps meditatus eſt Nabuchodonoſor (6); neque facile alia Holoferni mens fuit (7): eamdemque viam Antiochus Epiphanes ſub Macchabæis tenuit (8).

℣. 16. CONFREGIT EZECHIAS VALVAS TEMPLI DOMINI, ET LAMINAS AURI, QUAS IPSE AFFIXERAT. In rebus extremis, cum de ſalute populi ac Regni agitur, fas eſt utique rebus ſanctiſſimis uti (9). Hebræus (10): *Abſcidit valvas Templi Domini, & firmamenta, vel poſtes, quas ipſe obduxerat.* Exuit, *decorticavit*, ait Chaldæus (11), evulſit laminas metalli, quibus valvas & poſtes veſtiverat: laminæ autem erant aureæ vel argenteæ. Olim Templorum fores nitebant ſæpe pretioſis metalli ornamentis. Affirmat Joſephus (12), fores atrii Templi Jeroſolymitani cum ſuis poſtibus liminibuſque ſuperioribus, metallo indutas fuiſſe: fores vero Templi, nempe Sancti, craſſioribus auri laminis nituiſſe. Hæc quidem Joſephus de Templo poſt captivitatem reſtituto: illud ne vero Salomonicum magnificentia & opibus ſuperabat? Agit Homerus (13) de foribus ædium Alcinoi, quarum poſtes erant argento, valvæ auro veſtitæ. Laminis argenteis tectas portas quarumdam Moſchæarum in Perſide, docet Tavernerius (14).

℣. 17. MISIT AUTEM REX ASSYRIORUM THARTHAN, ET RABSARIS, ET RABSACEN DE LACHIS AD

REGEM EZECHIAM. Nomina hæc Rabſaris, Rabſaceis, & Tharthani non perſonarum ſunt, ſed munerum, quæ gerebant. *Rab-ſaris* רב סריס eſt *Princeps Eunuchus*; *Rab-ſacer* רב שקה *Princeps pincerna*, vel princeps pincernarum; *Tharthan* תרתן, vel Τανάθαν *Tanathan*, uti legitur in Græco Iſaiæ, vel *Thathanai*, תתני uti legitur in Eſdra (15), eſt Præfectus donis, vel tributis. Sennacherib inſigni perfidia, poſt acceptam ab Ezechia pecuniam, adhuc tamen cogere illum vult, ut manibus ſuis urbem Metropolim, ſe Regnumque univerſum tradat. Porro tres hi Legati non ſoli venere Jeroſolymam, ſed parte exercitus, qui Lachis cingebat, fulti. *Miſit eos cum manu valida Jeruſalem.* Judæi, teſte S. Hieronymo, in Iſaiæ xxxvi. contendunt, Rabſacen unum fuiſſe e liberis Iſaiæ Prophetæ, apoſtatam, qui ad Aſſyrios deſciverit. Samaritanum alii malunt, quod ſcilicet Hebraice ſciret. Vide inferius ℣. 26.

STETERUNT JUXTA AQUÆDUCTUM PISCINÆ SUPERIORIS. Lacus iſte & aquæductus erant ad orientem Jeroſolymæ, qua parte vallis Cedron excurrebat. Porro illi *vocaverunt Regem*, provocarunt illum. Facile inducere volebant, ut ab urbe egrederetur, quo illum caperent.

℣. 18. ELIACIM . . . . PRÆPOSITUS DOMUS. Tres hi Principes inter Præfectos egreſſi ſunt ex urbe ad colloquium cum Legatis Sennacheribi. Eaſdem voces, quas hic *Præpoſitum domus Regis*, alibi (16) Author Vulgatæ reddidit *Præpoſitum Templi*. Nomen *domus* per ſe poſitum ſæpe pro Templo uſurpatur. Non ſatis definiri poteſt, quo munere quave dignitate frueretur Præpoſitus domus Regiæ apud Hebræos: ſed ex Textu Iſaiæ (17) intelligimus, veſtem geſſiſſe & cingulum e vulgaribus diſtinctum, clavem humeris geſtaſſe, atque authoritatis plurimum in populo obtinuiſſe. Dignitatem hanc geſſit Sobna ſub Manaſſe; ſed Eliacim deinde reſtitutus eſt, uti conſtat ex Iſaiæ xxii. 20. 21.

SOBNA SCRIBA. Fuſius alibi (18) de Scribarum munere diſſeruimus. Contendit S. Hieronymus (19), longe alium eſſe hunc a Sobna Præfecto Templi, vel Regiæ domus, de quo Iſaias xxii. quem pariter Judæi exauctoratum fuiſſe docent, reum proditæ Sennacheribo urbis inferioris Jeroſolymæ, minis Rabſacis territum. Vide Commentarium in eum Iſaiæ locum.

JOAHE . . . A COMMENTARIIS; vel Scriptor ephemeridum, & Annalium. Vide dicta ad 2. *Reg.* 8. 16.

℣. 20. FORSITAN INISTI CONSILIUM, UT PRÆPARARES TE AD PRÆLIUM? Hebræus (20): *Dixiſti*: Eſt mihi *verbum labiorum, conſilium & fortitudo ad prælium*. Aliter: Inanes utique ſermones jactaſti: Conſilio pollico, & viribus ad bellum. Blanditus tibi es, te neque conſilio deſtitui, nec robore ad bellum. Sed vana animo agitas. Vide Commentarium in Iſaiam xxxvi. 5.

℣. 21. AN SPERAS IN BACULO ARUNDINEO, ATQUE CONFRACTO ÆGYPTO, &c. Similitudo hæc perfecte congruit menti Rabſacis (21); demonſtrat enim, Regis Ægypti opem debilem eſſe, fragilem, incertam, quin & periculoſam iis, qui illi innituntur. Afflictæ erant vires Ægypti, bello ibi per Sennacheribum geſto.

℣. 22. NONNE ISTE EST [Dominus] CUJUS ABSTULIT

(1) 2. Paral. xxxii. 9. & ſeq. uſque ad ℣. 22. (2) Iſai. xxxvi. & xxxvii. per totum. (3) Joſeph. l. 10. Antiq. c. 2. & 3. (4) Vide 4. Reg. xix. 24. Iſai. xix. 1. 5 6. 7. & Nahum iii. 8. (5) Michææ 1. 13. 14. 15. (6) Jerem. xxxiv. 7. (7) Judith vi. vii. (8) 1. Macch. vi. 31. & ſeq. (9) Grot. lib. 2. de jure belli & pacis cap. 5. (10) קצץ דלתות היכל יהוה ואת האמנות אשר צפה חזקיה (11) קליף ית דשי היכלא (12) Joſeph. lib. 6. de bello Jud. c. 6. Vide & lib. 2. contra Appion. pag. 1067. (13) Homer. Odyſſ. H. Χρύσειαι δὲ θύραι πυκινὸν δόμον ἐντὸς ἔεργον.
Ἀργύρεοι δὲ σταθμοὶ ἐν χαλκέῳ ἕστασαν οὐδῷ.
(14) Tavern. Voyage de Perſe l. 7. c. 12. (15) 1. Eſdr. v. 3. 6. & vi. 6. 13. & Iſai. xx. 1. (16) Iſai. xxii. 15. (17) Ibidem ℣. 21. 22. 23. (18) Judic. viii. 14. (19) Hieronym. in Iſai. xxxvi. Vide Euſeb. in Iſai. xxxvi. 11. Scriba ille, authoribus Judæis, Sobnam hunc deinde ſeſe Sennacheribo dediſſe, proditis Ezechiæ rebus, ſpoliatum idcirco ſuo munere ab Ezechia, quemadmodum minitatur Iſaias xxii. 15. 16. (20) אמרת אך דבר שפתים עצה וגבורה למלחמה (21) Vide, ſi lubet Ezech. xxix. 6. Iſai. xxxvi. 6. Jerem. xvii. 17.

ſTULIT EZECHIAS EXCELSA, ET ALTARIA? Sermones ad artificium dolumque compoſiti! conatur enim Rabſaces injicere in populum faces ſeditionis & defectionis ab Ezechia. Non ignorabat, ſtudia fuiſſe populi propenſiſſima erga Altaria editis in locis erecta, pluresque ex illis ægre admodum ferre Ezechiæ præceptum, ne quis alio ſe conferret ad Sacrificia, & publica religionis exercitia, præter quam Jeruſolymam. Callide movet Rabſaces ſuſpicionem, mala omnia Juda accidiſſe in pœnam ſubverſorum altarium illorum, quæ vero Deo conſecrabantur (1).

℣. 23. TRANSITE AD DOMINUM MEUM REGEM, ET DABO VOBIS DUO MILLIA EQUORUM, ut videatis utrum totidem ſint inter vos equorum aſcenſores. Hebræus (2): *Et nunc paciſcere*, vel *da obſides domino meo*, &c. Deditionem illi facite, venite in colloquium, paciſcimini cum illo, qui viciſſim vobis duo millia equorum ſuppeditabit, modo vos e veſtris totidem aſcenſores habeatis. Norat, Hebræos deſtitui equitatu, quod rariſſimi eſſent apud illos equi.

℣. 24. UNUM SATRAPAM. Satrapa perinde valet ac magni Regis mancipium Ariſtoteles lib. de mundo. Vide hiſtoriam Chriſtianitatis Armeniæ pag. 332, vox eſt ex Armenico deducta. Supereſt optima Scripturæ verſio Armenica circa annum Chriſti 412. adornata.

℣. 25. NUMQUID SINE DOMINI VOLUNTATE ASCENDI AD LOCUM ISTUM? Rerum proſperitas ſuperbos ſpiritus alit, & mala libido homines cæcos reddit. Argumentum patrocinii Domini ſumit Rabſaces ex victoriis Sennacheribi: inſultat imbecillitati Ezechiæ, quam in argumentum Divinæ deſtitutionis detorquet. Impietatem & vim domini ſui eo nomine commendare nititur, quaſi ſcilicet Deus illas & imperaverit & probarit.

℣. 26. LOQUARIS NOBIS . . . SYRIACE. Metuebant Præfecti Ezechiæ, ne verba Rabſacis terrerent populum, quamquam longe & e ſuperioribus mœnibus audientem, rogaruntque, ut Syriace loqueretur ſecum, ejus ſermonis ſatis peritos, quod viciſſim idioma populus ignorabat. *Syriacæ* linguæ (3) nomine innuitur vernaculus Chaldæorum ſermo (4), qui familiaris erat Ninive, & in Aula Regis Sennacheribi. Hebræi, uti jam ſupra animadvertimus, cenſebant, Rabſacem hunc patrem habuiſſe Iſaiam, atque avita Religione abjecta, ad Chaldaica Sacra tranſiſſe. Opinionem hanc probaſſe Grotius videtur, quamquam nullo fultam fundamento, niſi uſu linguæ Hebraicæ, qui familiaris erat Rabſaci, atque ſciſſione veſtium ſuarum per Præfectos Regis Ezechiæ, ad hujus blaſphemias inhorreſcentibus; id enim nunquam, inquiunt Judæi, fieri ſolebat, niſi ad blaſphemias Iſraelitæ ore prolatas. Debiles conjecturas.

℣. 29. NON POTERIT ERUERE DE MANU MEA. Hebræus Bibliorum noſtrorum legit hodie (5). *E manu ejus*; quam pariter lectionem exhibent Septuaginta Editionis Romanæ, Eripere vos e manibus Sennacheribi Ezechias nullis conatibus poterit. Verum Septuaginta Complutenſes, Vulgata, Syriacus, & Arabs multo melius ferunt: *De manu mea*. Quæ pariter lectio recurrit in Textu parallelo Iſaiæ xxxvi. 14.

℣. 31. FACITE MECUM QUOD VOBIS EST UTILE. Hebræus (6): *Facite mecum benedictionem, & egredimini ad me*. Chaldæus, Syriacus, aliique nonnulli; *Inite mecum pacem, & prodite ad me*. Tutiores vobis quietis partes eligite, neque opperimini extrema. Aliter (7): *Conferte in me munera*. *Benedictio* uſurpatur ſæpe apud Eccleſiaſticos Latinos Scriptores, quemadmodum *Eulogia* apud Græcos pro *munere*. Promeremini vobis Regis gratiam obſequiis, & muneribus.

℣. 32. DONEC VENIAM, ET TRANSFERAM VOS IN TERRAM, QUÆ SIMILIS EST TERRÆ VESTRÆ. Ita vobiſcum ſe geret Sennacherib, uti cum cæteris devictis gentibus: ſedes mutabit veſtras, atque alio vos transferet; ſi vero ſpontaneam feceritis deditionem, ejus nomine ſpondeo commodam Regionem, quæ fœcunditati ſoli veſtri ex æquo reſpondeat. Accidit profecto victis gentibus commodiſſimum, ac gratiſſimum, ſi ad mitiorem lenioremque captivitatem redigantur. Verbis hiſce ſatis indicat Rabſaces, nullam aliam eſſe, quam ſibi eligant Hebræi partem, niſi ut totos ſe permittant arbitrio Sennacheribi.

℣. 34. UBI EST DEUS EMATH, ET ARPHAD? Miram impudentiam hominum Ethnicorum, qui de Numinibus ita loquuntur, ita ſe cum illis gerunt tamquam cum puris, putiſque mortalibus! Inſultant eorum imbecillitati, tamquam victis, ſeque ipſos impudentiſſime extollunt ſupra devicta hæc Numina, atque extremo contemptu illa traducunt. Narrat Svetonius in Cajo capite v. *Quo defunctus eſt die* [*Germanicus*] *lapidata eſſe Templa, ſubverſas Deorum Aras, Lares a quibuſdam familiares in publicum abjectos, partus conjugum expoſitos*. *Idolum* quidem *nihil eſt in mundo*, uti docet Apoſtolus (8): neque immerito Principes iſti inſultaſſent vanis hiſce Deorum ludibriis, ſiquidem vanitatem illorum, & vilitatem noſſent. Sed Numina eſſe fatentibus nonne piaculum erat injuriis illa & probris afficere? An citra ſacrilegium projicere illa in ignem, & ſubvertere fas erat, uti factum re ipſa conſtat (9)? Emath ipſa eſt Emeſa; Arphad, Inſula Aradus, vel Urbs ejus nominis, e regione Inſulæ, in continenti.

UBI EST DEUS SEPHARVAIM, ANA, ET AVA? NUMQUID LIBERAVERUNT SAMARIAM DE MANU MEA? Nuſpiam alibi legimus, Sennacheribum ſubjeciſſe Samaritanos. Commode igitur reddi poteſt Textus; Dii Sepharvaim, Ana, & Ava illoſne e manu mea eripuerunt? An liberarunt eas gentes, quæ hodie incolunt Samariam? Vel forte Sennacherib ſibi arrogat victorias a patribus ſuis relatas. Capite ſequenti (10), datis Lebna ad Regem Ezechiam literis, Sennacheribus victoriarum ſuarum honorem in patres ſuos refert. Animadvertere etiam licet ſupra xvii. 26. viros illos, qui Aſſaradoni renunciant, Samariam totam leonibus infeſtam effici, ita illum alloquutos: *Gentes, quas tranſtuliſti, & habitare feciſti in civitatibus Samariæ*, &c. Quamquam conſtat, Coloniam hanc, ſaltem ex parte, a Salmanaſaro diu antea ductam fuiſſe. Cum Rabſaces loquentem inducit in Paralipomenis (11) Sennacheribum, illum quidem non ita gloriantem ponit, quaſi ipſe omnes illas gentes ſuperarit, ſed tantum devictas illas fuiſſe gloriatur a Patribus ſuis. Itaque hic locus paraphraſtice reddi poteſt ita: Ubi ſunt Dii Sepharvaim, Anæ, Avæ, & Samariæ? An addictas ſibi gentes a manu mea, vel patrum meorum ſubducere valuerunt? En tertiam alteram conjecturam in eumdem Textum. Gentes Sepharvaim, Anæ, & Avæ inviti in Samariam tranſlati, vixerunt ibi aliquandiu ſub imperio, & ſervitute Regum Aſſyriæ; deinde exemplo vicinarum omnium gentium, Judæorum, Ægyptiorum, & Arabum, jugum ipſæ pariter excuſſerunt: verum Sennacherib eas Aſſyria movens ad priſtinum imperium, & obedientiam illos

---

[1] Theodoret. in Iſai. xxxvi. 5. [2] ועתה התערב נא את אדני Septuaginta: μίχθητι δὴ τῷ κυρίῳ μου. Author Vulgatæ legit: התעברו, ſed Iſaias xxxvi. 8. legit התערב [3] דבר ארמית Septuag. συριστί. [4] Vide 1. Eſdr. iv. 7. & Dan. ii. 4. [5] להציל אתכם מידו [6] עשו אתי ברכה וצאו אלי [7] Ita Arab. Jun. & Tremel. & Ludov. de Dieu. [8] 1. Cor. viii. 4. [9] 4. Reg. xix. 18. [10] 4. Reg. xix. 11. 12. *Tu audiſti quæ fecerunt Reges Aſſyriorum univerſis terris . . . . Numquid liberaverunt Dii gentium populos quos vaſtaverunt patres mei?* . . [11] 2. Paral. xxxii. 13. 14. *Quis eſt de univerſis Diis gentium, quas vaſtaverunt patres mei, qui potuerit eruere populum ſuum de manu mea?* Vide, ſi lubet, & Iſai. x. 9.

illos redegit. Merito igitur ille arrogare ſibi poterat: An Dii Sepharvaim, Anæ, & Avæ Samariam, novoſque incolas ſuos a dexteræ meæ robore tueri potuere? Cum tamen hæc hypotheſis nullo hiſtorico monumento firmetur, nutat. *Ana* Urbs eſt facile ejuſdem nominis, quæ adhuc ſupereſt, quatuor dierum itinere a Bagdad; occupatque utramque Euphratis ripam, ita ferme, ut Lutetia Pariſiorum jacet ad Sequanam: in Inſula in medio amnis, magnifici operis moſchæa erigitur. Solum Urbi circumjacens ad dimidium leucæ cultiſſimum eſt, cætera deſerta (1). Apud Iſaiam XXXVI. 19. ubi hac de re agitur, nomina *Ana*, & *Ava* non leguntur; ſed occurrunt in literis Sennacheribi ad Ezechiam ibidem XXXVII. 13. recitatis.

Hæc ſunt quæ quis attulit pro aſſerenda opinione certis quibuſdam locis nomina hæc *Ana* & *Ava* adſcribente. Sed non minoribus fulcitur argumentis opinio, quæ deſignari hiſce idola quædam contendit; reddi enim Hebræus poteſt, ubi eſt Deus Arphad, ubi eſt Deus Sepharvain, Ana & Ava? Ac ſi ambo hæc numina Ana, & Ava a Sepharvaitis colerentur. Nec alia ſunt facile numina quam quæ ſuperius XVII. 31. in Scriptura commemorantur *Adramelech & Anamelech Diis Sepharvain*, quibus, ait Scriptura, *Sepharvaitæ comburebant filios igni*. Eo in loco demonſtravimus nomina hæc Anamelech & Adramelech ſolem lunamque deſignare; eſt enim Adramelech *Rex Magnificus*, nempe ſol; Anamelech *Rex Benignus*, nempe luna, quam religioſo cultu dignam Orientales arbitrantur. Expoſitioni huic favent ea, quæ leguntur inferius XIX. 13. & Iſaiæ XXXVII. 13. *ubi eſt Rex Emath & Rex Arphad, & Rex Civitatis Sepharvain, Ana, & Ava?* Eſt enim ibi Rex poſitus pro Idolo ſive Deo capit. XVIII. 34. *Ubi eſt Deus Sepharvain Ana & Ava, Rex & Regina Cœli, Anamelech & Adramelech?* Vide diſſertationem noſtram in Anamelech & cætera Phœniciorum numina. Hebræi facile numinibus hiſce nomina Ana & Ava de ridiculo impoſuerunt; reddi enim prius illud poteſt *afflictus*, *dejectus*; alterum vero *injuſtus*, *perverſus*. Amabant enim Hebræi probroſis hiſce appellationibus gentium numina traducere; ita pro Mephibaal & Meribaal pronunciabant, Miphiboſet & Meriboſet; eſt enim *Boſet* confuſio, probrum, &c. & cum vox *Bethel* ſit domus Dei, locum illum mutata appellatione, tunc vocarunt Bethaven domus iniquitatis, ex quo Jeroboamus alterum ex aureis vitulis ibidem conſtituit. Haud abſimili exemplo vocem *Melech*, ſonantem *Regem*, in Ana & Ava transmutarunt. Ad urbem *Ana* quod attinet Carolus Parochus de Ballieau le pin apud Carnutum admonuit me per literas datas die XVIII. Julii 1724. urbem hanc jacere non quidem ad utramque oppoſitam ripam Euphratis; ſed totam ad unam ripam, cum unica compita in longum ſatis producta tota conſtet. Porro de urbe Oanu vide Itiner. Miſſionarii pag. 268. 269.

Arphad vero, de qua in hoc ipſo Regum verſiculo, credo eſſe Raphan vel Raphaniam in Syria, qua de re vide Dictionarium meum biblicum.

℣. 36. Tacuitque populus. Scribit Iſaias XXXVI. 21. tres viros a Rege miſſos tacuiſſe, quod ita illis fuiſſet a Rege imperatum.

℣. 37. Veniat Eliacim . . . . ſciſſis veſtibus. Auditis impiis Rabſacis verbis ſciderunt veſtes pro more, cum quid audiebatur horrendum, triſte, vel Deo injurioſum. Exprobrat Scriptura (2) Regi Joachimo, ejuſque Præfectis, quod non horruerint, neque ſciderint veſtes audita lectione minarum, quas vaticinia Jeremiæ continebant. Princeps Sacerdotum ſcidit veſtes ad impias, ut ipſe quidem ajebat, Jeſu Chriſti voces (3). Nec aliter Ezechias ſe geſſit, audito impio Rabſacis ſermone, ut in ſequenti Capite.

---

[1] Tavernier tome 1. liv. 2. c. 3. p. 258. & Pietro della Valle ep. 17. 1. 2. [2] Jerem. XXXVI. 24. *Et non timuerunt, neque ſciderunt veſtimenta ſua Rex & omnes ſervi ejus, qui audierunt univerſos ſermones iſtos.* [3] Matth. XXVI. 65. *Tunc Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemavit.*

CAPUT XIX.

Oratio Ezechiæ, & Iſaiæ. Angelus Domini cædit centum & octoginta quinque millia Aſſyriorum. Sennacherib recipit ſeſe Babylonem, ubi a filiis ſuis interficitur, ac ſucceſſorem relinquit Aſſar-adonem.

℣. 1. QUÆ cum audiſſet Ezechias rex, ſcidit veſtimenta ſua, & opertus eſt ſac-
co, ingreſſuſque eſt domum Domini. 2. Et miſit Eliacim præpoſitum
domus, & Sobnam ſcribam, & ſenes de ſacerdotibus, opertos ſaccis, ad
Iſaiam prophetam filium Amos. 3. Qui dixerunt: Hæc dicit Ezechias: Dies tribu-
lationis, & increpationis, & blaſphemiæ, dies iſte: venerunt filii uſque ad partum,
& vires non habet parturiens. 4. Si forte audiat Dominus Deus tuus univerſa ver-
ba Rabſacis, quem miſit rex Aſſyriorum dominus ſuus, ut exprobraret Deum vi-
ventem, & argueret verbis, quæ audivit Dominus Deus tuus, & fac orationem pro
reliquiis, quæ repertæ ſunt. 5. Venerunt ergo ſervi regis Ezechiæ ad Iſaiam. 6.
Dixitque eis Iſaias: Hæc dicetis domino veſtro: Hæc dicit Dominus: Noli timere a
facie ſermonum, quos audiſti, quibus blaſphemaverunt pueri regis Aſſyriorum me.
7. Ecce, ego immittam ei ſpiritum, & audiet nuntium, & revertetur in terram ſuam,
& dejiciam eum gladio in terra ſua. 8. Reverſus eſt ergo Rabſaces; & invenit re-
gem Aſſyriorum expugnantem Lobnam: Audierat enim, quod receſſiſſet de Lachis.
9. Cumque audiſſet de Tharaca rege Æthiopiæ, dicentes: Ecce, egreſſus eſt, ut pu-

gnet adverſum te: & iret contra eum, miſit nuntios ad Ezechiam, dicens: 10. Hæc dicite Ezechiæ regi Juda: Non te ſeducat Deus tuus, in quo habes fiduciam; neque dicas: Non tradetur Jeruſalem in manus regis Aſſyriorum. 11. Tu enim ipſe audiſti, quæ fecerunt reges Aſſyriorum univerſis terris, quo modo vaſtaverunt eas: num ergò ſolus poteris liberari? 12. Numquid liberaverunt dii gentium ſingulos, quos vaſtaverunt patres mei, Gozan, videlicet, & Haran, & Reſeph, & filios Eden, qui erant in Thelaſſar? 13. Ubi eſt rex Emath, & rex Arphad, & rex civitatis Sepharvaim, Ana, & Ava? 14. Itaque cum accepiſſet Ezechias litteras de manu nuntiorum, & legiſſet eas, aſcendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino, 15. Et oravit in conſpectu ejus, dicens: Domine Deus Iſrael, qui ſedes ſuper cherubim, tu es Deus ſolus regum omnium terræ, tu feciſti cœlum, & terram. 16. Inclina aurem tuam, & audi: aperi, Domine oculos tuos, & vide, audi omnia verba Sennacherib, qui miſit, ut exprobraret nobis Deum viventem. 17. Vere, Domine, diſſipaverunt reges Aſſyriorum gentes, & terras omnium. 18. Et miſerunt Deos eorum in ignem: non enim erant dii, ſed opera manuum hominum ex ligno, & lapide, & perdiderunt eos. 19. Nunc igitur, Domine Deus noſter, ſalvos nos fac de manu ejus, ut ſciant omnia regna terræ, quia tu es Dominus Deus ſolus. 20. Miſit autem Iſaias filius Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Quæ deprecatus es me ſuper Sennacherib rege Aſſyriorum, audivi. 21. Iſte eſt ſermo, quem locutus eſt Dominus de eo: ſprevit te, & ſubſannavit te, virgo filia Sion: poſt tergum tuum caput movit, filia Jeruſalem. 22. Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti: contra quem exaltaſti vocem tuam, & elevaſti in excelſum oculos tuos? contra ſanctum Iſrael: 23. Per manum ſervorum tuorum exprobraſti Domino, & dixiſti: In multitudine curruum meorum aſcendi excelſa montium in ſummitate Libani, & ſuccidi ſublimes cedros ejus, & electas abietes illius. Et ingreſſus ſum uſque ad terminos ejus, & ſaltum Carmeli ejus. 24. Ego ſuccidi. Et bibi aquas alienas, & ſiccavi veſtigiis pedum meorum omnes aquas clauſas: 25. Numquid non audiſti, quid ab initio fecerim? Ex diebus antiquis plaſmavi illud, & nunc adduxi: eruntque in ruinam collium pugnantium civitates munitæ. 26. Et qui ſedent in eis, humiles manu, contremuerunt, & confuſi ſunt, facti ſunt velut fœnum agri, & virens herba tectorum, quæ areſacta eſt, antequam veniret ad maturitatem. 27. Habitaculum tuum, & egreſſum tuum, & introitum tuum, & viam tuam ego præſcivi, & furorem tuum contra me. 28. Inſaniſti in me, & ſuperbia tua aſcendit in aures meas: ponam itaque circulum in naribus tuis, & camum in labiis tuis, & reducam te in viam, per quam veniſti. 29. Tibi autem, Ezechia, hoc erit ſignum: Comede hoc anno, quæ repereris: in ſecundo autem anno, quæ ſponte naſcuntur: porro in tertio anno ſeminate, & metite, plantate vineas, & comedite fructum earum. 30. Et quodcumque reliquum fuerit de domo Juda, mittet radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum. 31. De Jeruſalem quippe egredientur reliquiæ, & quod ſalvetur de monte Sion: zelus Domini exercituum faciet hoc. 32. Quamobrem hæc dicit Dominus de rege Aſſyriorum: Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam ſagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. 33. Per viam, qua venit, revertetur: & civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus: 34. Protegamque urbem hanc, & ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum. 35. Factum eſt igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. Cumque diluculo ſurrexiſſet, vidit omnia corpora mortuorum: & recedens abiit, 36. Et reverſus eſt Sennacherib rex Aſſyriorum, & manſit in Ninive. 37. Cumque adoraret in templo Neſroch deum ſuum, Adramelech, & Saraſar *filii* ejus percuſſerunt eum gladio, fugeruntque in terram Armeniorum, & regnavit Aſarhaddon filius ejus pro eo.

℣. 2. MISIT AD ISAIAM. De Propheta hoc fuſius agemus in præfatione ad volumen ipſius Oraculorum.

℣. 3. DIES TRIBULATIONIS, ET INCREPATIONIS, ET BLASPHEMIÆ. Hebræus [1]: *Dies anguſtiæ, increpationis, & injuriæ*, vel furoris, indignationis. Veniunt ut inſultent & affligant.

VENERUNT FILII USQUE AD PARTUM, ET VIRES NON HABET PARTURIENS. Extrema, & improviſa mala comparat Scriptura torminibus matris parturien-

[1] יום צרה ותוכחה ונאצה היום 70. ἡμέρα θλίψεως καὶ ἐλεγμοῦ, καὶ παροργισμοῦ ἡ ἡμέρα αὕτη.

turientis (1). Hie taman aamdem rem majori vi exprimit, addens illud, ut comparat matri, quæ viribus daſtituta partu ſaſe levare non valet. Atrocioribus illa doloribus angitur. Validius anititur, perielitatur magis, fruſtra tamen, & caſſo labore. Perſimili comparatione exprimit Homerus (2) inquietum curis Agamemnonem. Pro illo, *Filii venerunt uſque ad partum*, legit Hebr. (3), *Uſque ad anguſtias uteri*.

℣. 4. Fac orationsm pro aaliquiis, pro populo Domini, qui priſtina libertate adhuc fruitur. Aſſyrii captivas traduxerunt decem Tribus; Sennacherib Regnum Juda pro majori portione occupat; da ſtirpe Jacobi quid ſupereſt? Deum roga, ut has raliquias ſervet. Val potius: Hoſtis ſubvertit omnia, vaſtitatem lata, & terroram intulit; nitere apud Deum, ut miſeras reliquias conſervet (4).

℣. 7. Immittam ei spiaitum. Jamjam permiſſurus ſum illum malo ſpiritui (5), a quo rameare ſtatim cogatur. Sen potius, inditurus venio illi voluntatam remeandi (6): in iis rerum anguſtiis illum conſtituam, ut aliud plane cogitet, quam ut ta obſidaat. Danique, vanio injacturus illi ſpiritum terroris hoſtium ſuorum, a quo de reditu ſuo ſtatim deliberare cogatur. *Spiritus* uſurpatur pro præparatione mentis, & animi, pro vento valido, pro ſpiritu probo val improbo.

℣. 8. Invanit aegem Assyaioaum axpugnantam Lobnam. *Lobna* parum aberat a *Lachis*: ambæ vero conſidabant in montibus Juda, ad meridiem Jaroſolymæ. Vida Joſue x. 31.

℣. 9. Cumqua audisset de Thaaaca aeua Æthiopiæ, procaſliſſe ſcilicet illum, ut ſeſe aggreſſurus veniret. *Tharaca* a Strabone appellatur *Thearcon* (7): qui & laudat Megaſthenam, narrantem Thearconis victorias in Europam uſque ad columnas Harculis ſaſe porsexiſſe. Utrum Sennacherib prælium commiſerit cum Tharaca, ax Scriptura non ſatis conſtat: quin & multo probabilius cenſamus, exarcitum Aſſyrium cæſum fuiſſe in itinara, cum Ægyptum verſus (8) ipſa aadem nocte proſicifceretur, qua nocte Iſaias ſpoponderat Ezechiæ futuram a Deo ex hoſtibus liberationem. Æthiopia, de qua hie, aliud eſt plana Regnum ab eo, quod hodia eo nomine noſcitur, ad meridiam Ægypti. Regio erat in Arabia, & ultarius intra Ægyptum inferiorem excurrebat. Sedam Metropolim Tharacæ conſtitui poſſe cenſamus in urbe Taphni prope Paluſium; de qua regione locutum eredimos Iſaiam capite xviii. Vide noſtrum Commentarium in Iſaiam xxx. 4. 6.

Hiſtoriæ hujus veſtigia quædam, ſed obſita, pro eorum more, ſabulis, Ægyptii conſervarunt. Narrat Herodotus (9), *Sethonem Vulcani Sacerdotem, rerum in Ægypto potitum, bellatoribus Ægyptiis abuſum fuiſſe, contemptui habitis, tamquam ſibi non opportunis, & cum aliis ignominiis affeciſſe, tum vero agris exuiſſe, quibus fuerant a ſuperioribus Regibus ſinguli donati duodeni. Ex quo factum eſt, ut quum poſtea Senacheribus Arabum Aſſyriorumque Rex cum magnis copiis invaſiſſet Ægyptum, noluerint ei milites Ægyptii opitulari. Tunc Sacerdotem conſilii inopem in cœnaculum ſe contuliſſe; ibique apud ſimulacrum comploraſſe quanta pati periclitaretur: eique inter lamentationem obrepſiſſe ſomnum: & inter quietem viſum aſtare Deum, exhortantem nihil eum moleſti paſſurum, ſi copiis Arabum obviam iret: ſe enim auxiliarios ei miſſurum. His ſomniis fretum Sacerdotem, ſumptis Ægyptiorum iis qui ſequi vellent, caſtra in Peluſio poſuiſſe; hac enim parte Ægyptus invaditur. Eo quum perveniſſent noctu, effuſam ipſis hoſtibus vim agreſtium murium, qui illorum tum pharetras, tum arcus, tum ſcutorum habenas abederunt, ita ut poſtera die hoſtes armis exuti fugam fecerint, multis amiſſis. Eoque nunc iſte Rex in Templo Vulcani lapideus ſtat, murem manu tenens, atque hæc per literas dicens:* Ἐς ἐμέ τις ὁρέων, εὐσεβὴς ἔστω. In me quis intuans, pius aſto. Sed omiſſis ſaballis ad Scripturam regradiamur.

℣. 12. Gozan. Agitur hie de victoriis Ragum Aſſyriæ. De hoc argumento conjecturas aliquas dedimus in Diſſertationa da Regione, quo dacem Tribus translatæ fuarunt, ibique has regiones quæſivimus trans Euphratem: ſed præſtat fortaſſe illas cis amnem conſtituere. Exempla vicinarum & notiſſimarum Hebræis gentium magis apud ipſos valuiſſent, quam quæ de ramotis & minus cognitis afferri potuiſſent. *Gozan* val Gauzan arat in minori Armenia. *Haran* nrbs eſt Syriæ Palmyrenæ, ſub nomine Hararum in Tabulis Peutingari nota. Reſiph, Reſapha, val Riſapha occurrunt in Ptolemæo, in iiſdem Tabulis, & in Vetari Notitia, atque in aadem provincia collocantur. *Filii Eden qui erant in Thelaſſar*, eſſe poſſunt cives Edan in Syria. *Emath* celebris aſt urbs Emeſa. *Arphad* incolæ ſunt Inſulæ Aradi. *Sepharvaim*, *Ana*, & *Ava* jacent trans Euphratem, ut alibi demonſtratum eſt.

℣. 15. Tu as Deus solus Ragum omnium teraæ. Reparat quodammodo Ezechias injurias & probra, quæ Aſſyrii in Dei noman jecare, agnoſcens, Deum Iſraelis unicum eſſa Deum omnium Ragum Mundi, qui tam longe abeſt ut vincatur cogaturque ab imperio alterius pendere, ut potius humanam omnem poteſtatem immenſum ſuperat: ex illo & per illum imperia omnia, & authoritatis quidquid eſt, provanire.

℣. 21. Sprevit te, at suasannavit te, viago filia Sion. Sennacharib inſultavit tibi, o Jaruſalem, filia Sion! quæ quodammodo ſubdita es Sionis, ubi Templum, & Ragis ædes ſitæ ſunt. Vel, nomina *filiæ Sion* intelligandus aſt populus Jaroſolymæ; vel denique Sionem ipſam ſub imagine virginis filiæ Prophata alloquitur: O Sion, filia dilecta Domini! Exhibent non raro Prophetæ urbes, provincias, populos ſub nomine filiarum; uti: Filia Babylonis, filia Ægypti, filia Tyri, filia Maris, ideſt, urbs maritima, &c. Id autem idcirco ut tanaros miſerationis, vel amoris, & benavolentiæ affectus erga aa loca & populos excitent.

℣. 22. Contaa Sanctum Israel; ſuperbos axtuliſti oculos advarſus Deum ipſum, Sanctum, Salutem, & ſalieitatem Iſraalis. Phraſis hæc eſt Iſaiæ perſamiliaris (10); uti: *Hæc dieit Dominus Sanctus Iſrael, plaſtes ejus*. Et alibi (11): *Redemptor noſter, Dominus exercituum, nomen illius Sanctus Iſrael, &c.*

℣. 23. In multitudina curruum meorum ascendi excelsa montium, in summitate Liaani. Non legimus, Rabſacem val Sennacharibum hoc ſibi arrogaſſe; ſed præterquam quod non omnia, quæ ſuperba jactarunt illi, ſeriptis mandata ſont, potuit Prophata citra veritatis diſpendium exprimera intimos animi illorum ſenſus, atque loquentes pro mentis habitudine inducere. Porro Iſaias alia verba, perſimilis impudentiæ plena, Regi huic

[1] Deut. 12. 25. Pſal. xlvii. 7. Eccli. xaxiv. 6. Iſai. xiii. 8. xxi. 3. alii. 14. Jerem. vi. 24. & alii paſſim.
[2] Iliad. Λ. Ὡς δ' ὅταν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα . . .
Ὡς ὀξεῖ' ὀδύναι δῦνον μένος Ἀτρείδαο.
[3] עד משבר *Ad os matricis* Vat. Jun. Tremell. *ad rupturam uteri*. Mont. [4] Vide Deut. xxaii. 36.
[5] הנני נתן בו רוח [6] Ita pleique, Vat. Gloi. Pagn. Munſt. Jun. Piſcat. &c. [7] Strabo lib. 1. & 15. p. 653. [8] Vide Iſai. x, 24. 25. [9] Herodot. lib. 2. c. 141. [10] Iſai. xlv. 11.
[11] Iſai. xlvii. 4. Vide alviii. 17.

huic alibi tribnit (1). Percurrerat Sennacherib Syriam univerſam, ut e ſermone Rabſacis colligitur; quare per Libani montes iter habere illum, neceſſe fuit: erat autem facinus arduum & glorioſum; quare pronum erat, ut de eo gloriaretur, & commode ad terrendos hoſtes uteretur (2). Nihil obtrudit frequentius Antiquitas, quam iter Annibalis per alpes, cum ad itineris compendium, & facilitatem rupes igne & aceto confregit (3).

. . . . *Oppoſuit natura alpemque, nivemque.*
Diduxit ſcopulos, & montem rupit aceto.

Theodoretus, & S. Hieronymus in Iſai. XXXVII. typico ſenſu dicta hæc accipiunt, ut cedri Libani ſint Principes Syriæ, Carmelus Judæa. Utramque provinciam Sennacherib ſubegerat.

Ingressus sum usque ad terminos ejus, et saltum Carmeli ejus ego succidi. Hebræus (4): *Ingreſſus ſum diverſorium finis ejus, ſaltum Carmeli ejus.* Perveniſſe ſe gloriatur Aſſyrius ad uſque medium Libani, uſque ad ejus ſaltum, & penetrale; ſuccidiſſe quidquid erat pulcherrimum in arboribus, & fertiliſſimum. Nomen *Carmelus* non ſemper certi nominis appellatio eſt; ſæpe enim uſurpatur (5) pro loco fertili, & amæno. Carmelus ad literam eſt vinea Dei, vinea eximia. Facile etiam Aſſyrius innuere voluit, ſuperaſſe ſe ardua Libani, ut tandem pervenerit *ad ejus diverſorium*, ideſt, in Palæſtinam, & in loca culta, ac frequentata; ibi vero ſuccidiſſe quidquid erat pulcherrimum ex arboribus, optimum in vineis collium ejus Regionis, ac præſertim Carmeli.

℣. 24. Et bibi aquas alienas. Hebræus (6): *Ego fodi, & bibi aquas alienas.* Illud *alienas* non addit Iſaias (7). Ego fodi in locis nulla huc uſque aqua irriguis, & venas aquarum reperi: vel ingreſſus ſum in regionem ignotam & exteram, per viam nullo antea exercitu tritam, nec aquis carui, negante licet natura loci, ac operis difficultate. *Aquæ alienæ* deſignare etiam poſſunt aquas a ſe non collectas, nec ſui juris, ſed hoſtium. Bibi illorum aquas, exhauſi puteos, & ciſternas eorum, illis invitis. Aliter, Aquæ alienæ ſunt, quæ non niſi certo tempore fluunt, aquæ pluviæ, ciſternæ, torrentium, quæ ex imbribus liquatiſque nivibus colliguntur; plane oppoſitæ aquis fontanis, & amnium, quæ perpetuo alveo fluunt. Poſteriores iſtæ aquæ appellantur in Scriptura (8) *aquæ fideles*; & apud Latinos Scriptores (9) *aquæ perennes*. Opponitur etiam in Scriptura alienum genuino & legitimo. Ita (10) *vinea aliena* eſt vinea mala, bonis fructibus carens; *plantatio aliena* (11) opponitur fideli. Sed Jeremias longe aliam ſignificationem tribuere alienis aquis videtur; ſunt enim apud illum aquæ fontis, & perennes. En Textum Prophetæ (12): *Numquid relinquet de petra agri nivem Libani?* (amoto aggere inundantes aquas Libani excurrere libere patietur?) *Num deferuntur aquæ alienæ frigidæ defluentes rapide? Quia ſunt obliti mei populus meus.* Aquæ iſtæ alienæ ſunt igitur aquæ fontanæ, quæ ſcaturiginem habent cæcam, & occultam, quæque ex imo terræ exſiliunt, vel erumpunt e rupe, ſeu monte, fluuntque ſemper limpidæ, algentes, gratæ. Hebræus *Zur* זור, unde זרים *Zarim*, alienæ, eſt comprimere, in arctum concludere, exprimere, uti ſaniem ex ulcere: commode autem uſurpari poteſt de aquis, quæ exprimuntur ex humo, ſive e rupe exciſa.

Et siccavi vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas. Reddi poteſt Hebræus (13): *Siccavi planta pedum meorum omnes rivos aggeris*, vel *omnes fluvios aggeris*, ideſt, majora quæcumque flumina, quorum pernicitas aggeribus coercetur, quæque oppoſitis aggeribus prohibentur, ne late inundent. Gloriatur impudenter Sennacherib, quod maxima flumina ſiccaverit, cum tranſiret ſecum trahens exercitum. Eadem ſeruat Græci de Xexſe, cujus copiæ in Græciam ductæ amnes nonnullos exhauſerunt (14). Sed Xerſis exercitus Sennacheribi agmen longe ſuperabat; neque enim Aſſyrii excedebant centum octoginta quinque circiter millia; cum Xerſes amplius decies ſepties centena millia peditum numeraret (15): & tantum licet exercitum traheret, adhuc tamen vero majus ſcriptum creditur, quod flumina ab ejus copiis exhaurirentur; niſi forte intelligatur de modicis amnibus, qui ſpatio horarum quarumdam fluere ceſſaverint. Thraſoniſmo huic Græcorum non parcit Juvenalis, Satyra x.

. . . . *Credimus altos*
Defeciſſe amnes, epotaque flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Soſtratus alis.

Commode etiam in alium hunc ſenſum Originalis redditur: *Siccavi aquas, quæ claudunt, ſepiuntque urbes*; ita alio diverti aquas, ut ſiccum iter per medios illorum alveos exercitui meo pateret (16). Ita factum a Cyro cum Gyndo & Euphrate, memoriæ proditum eſt (17). Syriacus, & Arabs vertunt: *Ungulis equorum meorum fluvios omnes vel maximos exſiccabo.* Denique Hebræus verti poteſt: *Siccavi*, vel *ſiccabo omnes rivos Ægypti*; quæ poſterior verſio literæ facile magis ſervit. Vide Iſaiam XXXVII. 25. XIX. 6. 7.

℣. 25. Numquid non audisti quid ab initio fecerim? Ex diebus antiquis plasmavi illud, et nunc adduxi. Ita Deus ad Ezechiam loquitur, vanæ Sennacheribi jactantiæ opponens genuina prodigia, quibus olim populo ſuo favit. Seu potius reſpondet Deus temerariæ Sennacheribi inſolentiæ, ea, quæ ipſe revera præſtitit, & quibus adeo gloriatur, aliud plane non eſſe, quam quæ ipſe implendis conſiliis ſuis fieri voluit (18). Quæcumque, ait Dominus, tu moliris, ego prius decrevi, ego prævidi: meum eſt conſilium, cujus miniſtrum te deſtinavi. Perpetuam hic recitari in Regem Aſſyriæ invectivam, tota narrationis ſeries demonſtrat. Ita vero Textus ad literam (19): *Numquid non audiſti hæc a longe? Feci illud a diebus quondam, ſtatui, & nunc adduxi, &c.* Jam inde a pluribus annis minitabatur Deus extrema omnis Judæ; conſilium deprimendi illum, ac cædendi diu antea cœptum fuit. Vide in primis Iſaiæ Cap. x. ubi Deus ſuperbiam Regis Aſſyrii frangit, minitaturque viciſſim, ſe id commiſſurum, ut brachii ſui onus ſentiat. Vide & ejuſdem capita XXIX. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII.

Eaunt-

[1] Iſai. x. 9. 10. 11. *Numquid non Principes mei ſimul Reges ſunt? Numquid non ut Carchamis, ſic Calanno? & ut Arphad, ſic Emath? Numquid non ut Damaſcus, ſic Samaria? Numquid non ſicut feci Samariæ & idolis ejus, ſic faciam & Jeruſalem, & ſimulacris ejus?*
[2] Confer Iſai. XXXIII. 9.
[3] Juvenal. Satyr. 10. Vide, ſi lubet, Plutarch. in Annibal.
[4] אבואה מלון קצה יער כרמלו
[5] Vide Iſai. x. 18. XVI. 10. XXIX. 17. Jerem. II. 7. IV. 26.
[6] אני קרתי ושתיתי מים זרים
[7] Iſai. XXXVII. 25. אני קרתי ושתיתי מים
[8] Iſai. XXXIII. 16. *Aquæ ejus fideles ſunt.* Jerem. XV. 18. *Mendacium aquarum infidelium.*
[9] Cicer. 6. Verr. Cæſ. 8. Bell. Gall.
[10] Jerem. II. 21. *Quomodo converſa es in amaritudinem, vitis aliena?*
[11] Iſai. XVII. 10. *Plantabis plantationem fidelem, & germen alienum ſeminabis.*
[12] Jerem. XVIII. 14. היעזב מצור שדי שלג לבנון אם ינתשו מים זרים קרים נוזלים
[13] ואחרב בכף פעמי כל יאורי מצור
[14] Vide Herodot. l. 7. cap. 20. 21. τοῖσι δὲ ἐπέλιπε ὕδωρ ἐς ... ἐπέλιπε, πλὴν τῶν μεγάλων ποταμῶν; Vide & Juſtin. l. 2.
[15] Herodot. l. VII. c. 60. συμμετρήσαντες δὲ τὸ κατὰ τὸ τάξαι τὸ πλῆθος, ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν μυριάδες.
[16] Vide Grot. hic.
[17] Herodot. lib. 1. c. 189. & 191.
[18] Hieronym. Vat. Lyran. Sanct.
[19] הלא שמעת למרחוק אותה עשיתי למימי קדם ויצרתיה עתה הביאתיה

ERUNTQUE IN RUINAM COLLIUM PUGNANTIUM CIVITATES MUNITÆ. Hebræus (1). *Eris ad deſolandum acervos deſtructos civitates munitas*. Vel potius decrevi urbes munitiſſimas ſubverti, & ruinis ſuis ſepeliri: ſi conſilia hæc mea expleſti, ne ſuperbias; id enim meum eſt, qui tibi vires, qui neceſſaria omnia ad hanc rem ſuppeditavi.

℣. 26. QUI SEDENT IN EIS HUMILES MANU. Hebræus (2): *Habitatores earum abbreviati manu*; manci, debiles membro aliquo corporis, ut porrigere ad arma manus non valuerint, ad ſui defenſionem. Mira facilitate Sennacherib validas omnes urbes Juda occupavit (3), nemine reſiſtente.

℣. 27. HABITACULUM TUUM, ET EGRESSUM TUUM, ET INTROITUM TUUM, ET VIAM TUAM EGO PRÆSCIVI. Nihil a te præſtitum eſt, quod a me præviſum, & decretum diu ante non fuerit. Nihil melius, quam hæc phraſis, exprimit ſupremum illud Dei in creaturas imperium, ac viciſſim neceſſariam voluntati, & ſapientiæ Numinis ſubmiſſionem omnium æque hominum tum proborum, cum ſceleſtorum. Nihil in Mundo agitur, quod Dei oculos, cognitionem, & præviſionem fugiat, quod ipſe non dirigat in fines conſiliis ſuis, & profunditati ſapientiæ ſuæ aptos. *Ingreſſus*, & *egreſſus* ſunt molimina cœpta, geſta, decreta, &c. (4). Confer Pſalmum CXXXVIII. 1. 2. 3. *Cognoſcere* hic eſt *agere pro imperio*, decernere, præcipere, ut in illo Pſalmi XLIX. 11. *Cognovi omnia volatilia Cæli*.

℣. 28. INSANISTI IN ME, ET SUPERBIA TUA ASCENDIT IN AURES MEAS. Hebræus (5): *Eo quod iratus es in me, & faſtus tuus aſcendit in aures meas*. annulum inſeram naribus tuis, & camum ori tui opponam, uti bubalis, & mulis (6). Sunt qui vertant: *Ponam hamum in naribus tuis, & camum in labiis tuis* (7). Ludam in te, ut de piſce hamo appenſo; & ita me cogente gradieris, ut equus infrænatus, & camo valido alligatus. Perſæ funiculos vel annulos naribus horum inſerunt. Iter Moſchov. t. 1. p. 458.

℣. 29. TIBI AUTEM EZECHIA HOC ERIT SIGNUM; COMEDE HOC ANNO QUÆ REPERERIS: IN SECUNDO AUTEM ANNO QUÆ SPONTE NASCUNTUR: PORRO IN TERTIO ANNO SEMINATE, ET METITE. Ne quid de futura liberatione ambigat Ezechias, duo hic ſigna accipit, rerum tamen, quæ nonniſi poſt impletam hanc oraculi fidem exhibendæ ſunt. Porro ſimilium oraculorum exempla quædam alibi occurrunt (8). Negligendum utique non erat docere populum, quo ſciret, quæ Sennacheribo inferenda erant mala, longe aliam habere, quam naturalem cauſam; nec ſatis erat in eam rem, ut Propheta eventum illum prædiceret, adjunctis etiam omnibus indicatis. Illud præterea adjiciendum vaticinio fuerat, ut conſequutiones rei illius non neceſſarias, nec naturales, ſed ſupernaturales, & prodigioſas referaret, indicato eventu rerum illarum, quæ non aliter accipi poſſent, quam ut effectus, extra conſuetum ordinem, Numinis potentiſſimi, ac beneficentiſſimi. Prædicit igitur Iſaias futuram Ezechiæ liberationem, exitium copiarum Aſſyriarum, Sennacheribi interitum; atque in confirmationem hujus Oraculi addit futurum, ut a Deo populus ſuus conſervetur, datis etiam vitæ neceſſariis, ac ſuppeditata ratione, qua ſuis anguſtiis levetur in Regione per Sennacheribum vaſtata. Diripuit ille quidem hoc anno agrum? *Comede quæ repereris*. Qui proxime hunc excipit, annus eſt quietis (9), vel jubilæi: quietam igitur humum relinque; *& comede quæ ſponte naſcuntur*. Denique tertio anno *ſeminate, & metite*. Vaſtato licet ſolo, videbitis tamen populum jacturas ſuas reparantem, multiplicatumque ac firmius quam antea valentem; *Mittet radices deorſum, & faciet fructum ſuum*.

Argumenti æqualis eſt vis, cum futurus eventus aliquis prædicitur, vel eventum præcedat ſignum vel ſequatur: fatendum eſt tamen, pro ratione noſtra magis affici ſolere nos ſignis præcedentibus; neque tamen illa validiora ſunt, ſive ad convincendum aptiora. Quin & minus valere ad utrumque videntur. Cum enim ſignum præcedit, nihil demonſtrat aliud, quam quod res, cujus eſt indicium, Deo authore petitur, vel tantum, qui ejus evantum prædicit, Dei ſpiritu agitur. Cum vero in argumentum futuri prodigii datur ſignum futurum, tria ſimul demonſtrantur; I. eum qui fundit oracula, prophetico ſpiritu afflari, II. Deum authorem eſſe prodigii prænunciati; III. eidem pariter deberi ſignum, quod prodigium illud ſequitur, præſertim ſi miraculum alio miraculo, uti ſæpe accidit, demonſtratur.

DE JERUSALEM EGREDIENTUR RELIQUIÆ. Jeroſolyma, ceu novæ ſtirpis matre, egredietur populus novus, ejuſque filii late ſe per totam regionem effundent. Hæc urbs, de qua actum eſſe jam credis, unica erit tibi ſalus, & mater populi tui. Sublimiori ſenſu, Jeruſalem mater effecta eſt Eccleſiæ Chriſtianæ, quippe quæ miſeras Judæorum reliquias ſuppeditarit; ſervaræque e naufragio totius gentis reliquiæ, pro fundamentis Eccleſiæ locatæ ſunt, fidemque longe lateque per orbem diſſeminarunt.

℣. 32. NON INGREDIETUR URBEM HANC, NEC MITTET IN EAM SAGITTAM, NEC OCCUPABIT EAM CLYPEUS. Reddi poteſt Hebræus (10): *Non veniet ad urbem hanc, nec mittet ſagittas ſuas*; non jaciet ſagittas ſuas in propugnatores, e ſuperioribus mœnibus præliantes: denique miles clypeo armatus teſtudinem non faciet, ut propius ad urgenda mœnia accedat. Animadvertere licuit hoc in ſuperioribus, Sennacheribum Jeroſolymam non veniſſe; reductas enim Lobna copias ducens in Tharacam Regem Æthiopiæ, in itinere exercitu ſuo univerſo ſpoliatus eſt.

NEC CIRCUMDABIT EAM MUNITIO. Olim in obſidionibus ducto circum vallo claudebantur urbes, ſepiebanturque undique ſudibus, foſſis, & aggeribus, ut neque egredi ex urbe, neque ingredi quis poſſet. Addebantur etiam prope mœnia aggeres altiores, ubi machinæ locarentur, vel ſagittarii, ut pulſis e muro propugnatoribus tutius admoverentur ad aggreſſionem ſcalæ. Hebræum (11) *Solelah* ſignificat, authoribus Judæis, machinas ejaculandis lapidibus ac telis, *balliſtas*: ſed præſtat explicare de aggeribus, ut jam animadvertimus. Vox *Solelah* uſurpari ſolet de ductu quodam aggetis, ſeu viæ altioris. Cenſet Joſephus (12), Sennacheribum ex Ægypto reducem veniſſe ad exercitum, quem ducebat Rabſaces, caſtraque locaſſe ad Orientem urbis, qua parte torrens Cedron fluit. Quæ vulgaris ſententia eſt: certumque ſtatuunt plerique, exercitum Aſſyrium cum Jeroſolymæ acceſſiſſet, periiſſe Angeli exterminatoris gladio, antequam obſidionem inſtitueret. Diſtinguunt quidam Sennacheribi exercitus duos, alterum quidem ad Jeroſolymam, alterum in Tharacam miſſum. Creditur autem Sennacheribus, vix certior factus de exitio prioris agminis, rediiſſe cum altero in Aſſyriam. Hæc tamen non aſſertori-

[1] והיו להשות גלים נצים ערים בצורות [2] וישביהן קצרי יד [3] 4. Reg. XVIII. 13. [4] Vide Pſalm. CXX. 8. & CXXXVIII. 5. & Num. XXVII. 17. [5] יען התרגזך אלי ושאננך עלה באזני [6] ושמתי חחי באפך ומתגי בשפתיך Theodoret. in Ezechiel. XVI. 12. ἐκ μεταφορᾶς τῶν ταύρων, οἳ τὸν σιδηροῦν χαλινὸν ταῖς ῥισὶ δέχονται, καὶ δι' αὐτοῦ τῷ ἀρότρῳ προσάγονται. [7] Vide, ſi lubet, Pſalm. XXXI. 9. Job XL. 19. 21. Ezechiel. XXXVIII. 4. [8] Exod. III. 12. & Iſai. VIII. 4. [9] Hebræi, Uſſerius, Manſt. Tir. alii. [10] לא יבא אל העיר הזאת ולא יורה שם חץ ולא יקדמנה מגן [11] ולא ישפך עליה סללה [12] Joſeph. lib. X. Antiqu. c. 1. Vide & l. 6. de Bello c. 5.

toribus, ſed argumentis indigent; neque enim Scriptura alicubi hoc indicat, quin & in tota narrationis ſerie plane contrarium innuit. Exercitus Aſſyriorum ante Jeroſolymam, cujus recepta e traditione memoria ſupereſt, ille erat, quem Thartan, Rabſaris, & Rabſaces duxerant (1). Copiæ autem illæ non ad obſidionem Jeroſolymæ, ſed ad indicendam deditionem, terrendoſque cives venerant.

℣. 33. Per viam, qua venit, revertetur. Brevi cogetur Aſſyriam repetere. Viſum eſt autem Numini vitam huic Principi prorogare, ut ultionis ſuæ teſtem haberet, & ſuperbus ille diutius ignominiam ſuam, Divinæque Juſtitiæ graviſſimum pondus ſentiret. Sane Dominus vitam illi ſuo tempore ademit: una mors pro merito impium Regem non puniſſet.

℣. 35. Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Factum eſt hoc ea nocte, quæ proxime ſequuta eſt Oraculum Iſaiæ, minaceſque atque impias literas Regis Aſſyriæ; eademque facile nox incidebat in ſecundam diem profectionis Sennacheribi in Ægyptum. Angelus, qui exercitum hunc occidit, idem eſſe fertur Angelus exterminator, qui in majores natu Ægyptiorum filios ſæviit (2). Vide noſtram Diſſertationem de hoc argumento.

Cumque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum. Indicare hæc videntur, Angelum exterminatorem ſine ſtrepitu grandem hunc exercitum trucidaſſe. Hebræus, Chaldæus, Septuaginta, & Iſaias (3) legunt in plurali: *Et ſurrexerunt mane, & ecce omnia corpora mortua.* Referunt id quidam ad Judæos Jeroſolymæ verſantes, qui cum mane ſurrexiſſent, poſita ante ſe viderunt hoſtium cadavera, veluti ingenti prælio cæſa, in mediis caſtris. Sed narrationis ſeries revocat ad Sennacheribum, Aſſyrioſque ab Angelo relictos prodigii teſtes, & præcones.

℣. 37. Cumque adoraret in templo Nesroch Deum suum.... filii ejus percusserunt eum gladio. Docet Tobias i. 21. Sennacheribum, ut Niniven rediit, curas omnes convertiſſe ad laceſſendos Iſraelitas; ſed vix elapſis quadraginta quinque, vel ex Græco, quinquaginta quinque diebus, a filiis interfectum, quos ſubodoratos fuiſſe docent Rabbini, & cum illis plures (4), patrem ſuum de offerendis illis in Sacrificium Numini cogitaſſe. Deus Neſroch נסרך penitus latet: appellant illum Septuaginta *Μεσεράχ Meſerach*, ſive Ἐσθράχ, & Joſephus Ἀράσκην, *Araſken*, quo ille nomine nuncupat Templum, ubi Sennacherib cæſus eſt. Apud Hebræum Tobiæ a Munſtero vulgatum, eſt *Dagon*.

Fugerunt in terram Armeniorum. Hebræus (5): *In terram Ararat.* Actum eſt a nobis alibi de montibus Ararat in Armenia, quorum celebre eſt nomen ex Arca Noe, quæ vertici illorum inſedit. Ea gens bellicoſiſſima habita eſt, ſuæque libertatis ſtudioſiſſima, quam adverſus Aſſyrios & Perſas nunquam non defenderunt.

Regnavit Asarhaddon filius ejus pro eo. Creditur *Adramelechum*, & *Sarazarum* duos fuiſſe filios Sennacheribi, natu majores, ad quos jus hæreditatis Regni pertinebat, ſed in odium parricidii excluſos fuiſſe (6). Aſarhaddon appellatur *Sargon* in Iſaia xx. 1. & *Achirdon* Ἀχερδονὸς in Tobia i. 24. & *Aſſaraddin* apud Ptolemæum.

[1] Vide ſup. 4. Reg. xviii. 17. *Miſit.... cum manu valida Jeruſalem.... ſteterunt juxta aquæductum piſcinæ ſuperioris.* [2] Exod. xi. 4. [3] Iſai. xxxvii. 36. וישכימו בבקר והנה כלם פגרים מתים [4] Rab. apud Lyr. Vide & Hieron. in Iſai. c. x. & Grot. & Hebr. Tob. Munſteri dicto loco. [5] ארץ אררט Vide Geneſ. viii. 4. [6] Vide Joſeph. lib. x. cap. 2. Οἱ μὲν [illegible]

CAPUT. XX.

Ezechias æger prodigio ſanatur. Prodigium retrogradi ſolis. Legatio Regis Babyloniæ ad Ezechiam. Ezechias reprehenditur de inani pompa theſaurorum ſuorum coram exteri Regis Legatis. Defuncto Ezechia ſuccedit Manaſſe.

A. M. 3291. ante J. Chr. 713. ℣. 1. IN diebus illis ægrotavit Ezechias uſque ad mortem, & venit ad eum Iſaias
filius Amos propheta, dixitque ei: Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe do-
mui tuæ: morieris enim tu, & non vives. 2. Qui convertit faciem ſuam ad parie-
tem, & oravit Dominum, dicens: 3. Obſecro, Domine, memento, quæſo, quomo-
do ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum eſt
coram te, fecerim. Flevit itaque Ezechias fletu magno. 4. Et antequam egredere-
tur Iſaias mediam partem atrii, factus eſt ſermo Domini ad eum, dicens: 5. Re-
vertere, & dic Ezechiæ duci populi mei: Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas
tuas: & ecce ſanavi te, die tertio aſcendes templum Domini. 6. Et addam diebus
tuis quindecim annos: ſed & de manu regis Aſſyriorum liberabo te, & civitatem
hanc, & protegam urbem iſtam, propter me, & propter David ſervum meum. 7.
Dixitque Iſaias: Afferte maſſam ficorum. Quam cum attuliſſent, & poſuiſſent ſuper
ulcus ejus, curatus eſt. 8. Dixerat autem Ezechias ad Iſaiam: Quod erit ſignum,
quia Dominus me ſanabit, & quia aſcenſurus ſum die tertia templum Domini? 9.
Cui ait Iſaias: Hoc erit ſignum a Domino, quod facturus ſit Dominus ſermonem,
quem locutus eſt: Vis, ut aſcendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem
gradibus? 10. Et ait Ezechias: Facile eſt umbram creſcere decem lineis: nec hoc
volo,

volo, ut fiat, ſed ut revertatur retrorſum decem gradibus. 11. Invocavit itaque Iſa-
ias propheta Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus jam deſcenderat in
horologio Achaz, retrorſum decem gradibus. 12. In tempore illo miſit Berodach
Baladan, filius Baladan, rex Babyloniorum litteras, & munera ad Ezechiam: audie-
rat enim, quod ægrotaſſet Ezechias. 13. Lætatus eſt autem in adventu eorum Eze-
chias, & oſtendit eis domum aromatum, & aurum, & argentum, & pigmenta va-
ria, unguenta quoque, & domum vaſorum ſuorum, & omnia, quæ habere poterat
in theſauris ſuis. Non fuit, quod non monſtraret eis Ezechias in domo ſua, & in
omni poteſtate ſua. 14. Venit autem Iſaias propheta ad regem Ezechiam, dixitque
ei: Quid dixerunt viri iſti? aut unde venerunt ad te? Cui ait Ezechias: De terra
longinqua venerunt ad me, de Babylone. 15. At ille reſpondit: Quid viderunt in
domo tua? Ait Ezechias: Omnia, quæcumque ſunt in domo mea, viderunt: nihil
eſt, quod non monſtraverim eis in theſauris meis: 16. Dixit itaque Iſaias Ezechiæ:
Audi ſermonem Domini: 17. Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ ſunt in
domo tua, & quæ condiderunt patres tui uſque in diem hanc, in Babylonem: non
remanebit quidquam, ait Dominus. 18. Sed & de filiis tuis, qui egredientur ex te,
quos generabis, tollentur, & erunt eunuchi, in palatio regis Babylonis. 19. Dixit
Ezechias ad Iſaiam: Bonus ſermo Domini, quem locutus es: ſit pax, & veritas in
diebus meis. 20. Reliqua autem ſermonum Ezechiæ, & omnis fortitudo ejus, & quo-
modo fecerit piſcinam, & aquæductum, & introduxerit aquas in civitatem, nonne
hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Juda? 21. Dormivitque Ezechias
cum patribus ſuis, & regnavit Manaſſes filius ejus pro eo.

℣. 1. IN DIEBUS ILLIS ÆGROTAVIT EZECHIAS USQUE AD MORTEM. Acta ſunt hæc ante cæſum exercitum Sennacheribi, qua de re in capite præcedenti; Deus enim ſpondet hic Ezechiæ liberationem a Regibus Aſſyriæ. Sed & conſtat apertiſſime, Ezechiam incidiſſe in morbum eodem anno, quo Sennacherib in Judæam venit. En aſſerti hujus noſtri demonſtrationem. Ezechias nonniſi undo triginta annis regnavit (1), e quibus decem & quatuor abſolverat ante bellum Sennacheribi (2); ſuperfuitque poſt ejuſmodi bellum annis quindecim (3). Morbus igitur Ezechiæ ad annum Regni illius decimum quartum conſignandus eſt. Fruſtra vero in tanto Scripturæ ſilentio quærantur cauſæ affectæ Regiæ valetudinis. Illud ſolum ſcimus, in Paralipomenis (4), narrata cæde exercitus Sennacheribi, ac valetudine Ezechiæ reſtituta, veluti ut demonſtretur, morbum & diſcrimen pœnam fuiſſe in univerſam gentem a Deo inductam; in Paralipomenis, inquam, legi, Ezechiam non ſatis agnoviſſe acceptum ex Deo beneficium, & quodam mentis faſtu intumuiſſe; quare & promeruiſſe a Deo ut puniretur, ac deprimeretur: is autem morbus erat facile ulcus, vel tumor, ut inferius demonſtrabitur. Pleuritide laboraſſe illum, cenſuit Joannes XXI. Papa (5): lue affectum alii malunt: angina, cenſuit Bartholinus (6), argumentum morbi capiens ex remedio, quo curantur inflammationes, & amygdalarum ac parotidum durities, mollitur. Judæi (7) apud Euſebium, & S. Hieronymus cenſent punitum fuiſſe, quod neglexerit carmen Euchariſticum poſt cæſum exercitum Sennacheribi canere, uti geſſerant Moyſes, Anna mater Samuelis, & Debora.

MORIERIS TU ET NON VIVES. Quod hic denunciat Iſaias Ezechiæ, abſoluta & irrevocabili ſententia prolatum non eſt; alioquin enim, ait Eſtius, Rex peccaſſet, valetudinem poſtulans, nec poſtulatam impetraſſet. Verba igitur Prophetæ occultæ cuidam conditioni jungebantur. Morbo hoc utique duceris ad interitum: lethalis enim eſt, ſi naturalis cauſarum curſus ſpectetur, nec valetudo niſi a Deo tantum tibi ſupereſt expectanda. In hunc ſenſum Eliſæus reſpondit Hazaeli, Regem Syriæ valetudinem recuperaturum eſſe (8); noſſe tamen ſe, illum interiturum, quod ſcilicet ab Hazaele ſuffocandus eſſet. Natura morbi inſpecta, de valetudine judicium ferendum erat. Ita pariter & Jonas excidium Ninives prædixit (9); ſed malum illud reſipiſcentes Ninivitæ e capitibus ſuis averterunt.

℣. 2. CONVERTIT FACIEM SUAM AD PARIETEM; ut majori mentis intentione & ſupplicis animi obſequio oraret, utque inter mentis anguſtias liberius lacrymas funderet. Sunt qui os vertiſſe credant ad Templum pro more orantium (10).

℣. 3. MEMENTO, QUÆSO, QUOMODO AMBULAVERIM CORAM TE IN VERITATE, ſincere, ſeu potius obſequio conſtanti & fideli. Juſti Veteris Teſtamenti non raro in ſimiles preces abierunt, rogantes, ut rerum a ſe pie ac religioſe geſtarum Deus meminiſſet. Revocat Pſalmiſta non raro ante oculos Dei innocentiam & juſtitiam ſuam (11), Deumque rogat Nehemias ne obliviſcatur operum pietatis a ſe præſtitorum, Templo ſacriſque ritibus reſtitutis (12). In Novo Teſtamento rarius ita precantur Juſti vitam agentes mortalem. Accuratius didicimus nos eam, in qua verſamur aſſidue, neceſſitatem auxilii cœlitus dati, quo præveniamur, roboremur, & in incepto firmemur: agnoſcimus nunc tandem, Deum corona & præmio merita hominum donantem beneficia ipſa ſua præmio & corona ornare.

FLEVIT ITAQUE EZECHIAS FLETU MAGNO. Mirum profecto, Regem ſanctum, cujus de rebus egregie pieque geſtis univerſum ejus Regnum reſonabat, qui certus de innocentia ſua, Deum vocat teſtem obſequii & fidei, qua ſe totum ejus obſequio

(1) 4. Reg. XVIII. 2. & 2. Par. XXIX. 1. (2) 4. Reg. XVIII. 13. & Iſai. XXXVI. 1. (3) 4. Reg. XX. 6. & Iſai. XXXVIII. 5. (4) 2. Par. XXXII. 24. *Non juxta beneficia quæ acceperat, retribuit; quia elevatum eſt cor ejus, & facta eſt contra eum ira, & contra Judá.* (5) Joh. XXI. *Theſauro pauper.* c. 26. (6) Bartolin. de morb. biblicis, art. 10. (7) Hebræi apud Euſeb. & Hieronym. in Iſai. XXXIX. 1. (8) 4. Reg. VIII. 10. *Dic ei: Sanaberis; porro oſtendit mihi Dominus, quia morte morietur.* (9) Jonas III. 4. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur.* (10) Ita Chald. Hieronym. Menoch. alii. (11) Pſalm. VII. 9. XXV. 1. 11. XL. 13. & C. 2. (12) 2. Eſdr. XIII. 14.

quio tradidit, mirum, inquam, illum amaris lacrymis lugere, quod ad mortem accedat: quaſi lugendum eſſet, exilii finem, præmiumque virtutum ſuarum mox referendum adventare. Nimis ille recedit a fiducia Apoſtoli, qui morti veluti inſultabat, eamque præſtolabatur, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto (1). Decedebat Ezechias ſine liberis, dolebatque quod in ſe ipſo Davidis propago deſineret, atque ita perirent grandes illæ ad Davidem promiſſiones de Meſſia Iſraelis Liberatore. *Iſte omnis fletus eſt, quia deſperabat Chriſtum de ſuo ſemine naſciturum* (2). Manaſſes, Ezechiæ ſucceſſor poſt quindecim ab eo morbo annos, duodecim annorum puer Regnum capeſſivit.

℣. 4. Antequam egrederetur Isaias mediam partem atrii. Hebræus (3): *Iſaias non egreſſus fuerat Urbem mediam*. Sed in margine codicum Hebræorum pro *Urbe* legitur *veſtibulum*; quod etiam exhibent Chaldæus, & Septuaginta.

℣. 6. De manu Regis Assyriorum liberabo te. Geſta hæc fuiſſe creduntur, antequam Sennacheribus Niniveo reverteretur: quam tamen opinionem hic Textus non ſatis aperte tuetur. Potuit enim Ezechias metuere Aſſaradonem, qui alias copias ſub *Tharthan* duce miſit in Palæſtinam (4). Neque ego libenter deſero ſeriem & ordinem rerum in Libris ſacris deductam, niſi valida id argumenta ſuadeant. Morbum hunc Ezechiæ poſt reditum & obitum Sennacheribi referunt Paralipomena (5), Iſaias (6), & quartus liber Regum.

℣. 7. Afferte massam ficorum. Siccæ fici in uſus medicos plurimum valent, ac præſentiſſimum ſunt remedium ad plura. Calorem fovent & excitant; morbis gutturis & faucium medentur (7); molliunt alvi duritiem; quin & utiliter adhibentur in morbos veſicæ, jecoris, renum, & lienis: *Omnibus quæ maturanda aut diſcutienda ſunt, imponuntur*, ait Plinius. *Fici emplaſtrati peſtilentia ulcera molliunt & diſrumpunt, quo medicamento ſanatum volunt Ezechiam regem* (8), eo ſcilicet morbo laborantem, ut ajunt. Porro Regis hujus morbum *ulcus* ſeu *inflammationem* (9) appellat Scriptura. Arabs admota exhibet folia ficuum: ſed in aliis Textibus eſt *ficorum maſſa*. Quamquam inſita virtute medicinali & benefica conferre potuit aliquid ficus ad valetudinem Regis, uti animadvertunt S. Hieronymus (10) & Theodoretus in Iſaiam; libentes tamen volenteſque verum prodigium agnoſcimus niſi aliud, eo certe indicato remedio Iſaiæ a Deo, ſubitaque ac facili valetudine Principi reſtituta. S. Hieronymus in Iſaiam narrat, non defuiſſe qui crederent, Ezechiam epilepſia laboraſſe, cujus morbi remedium eſt præſentiſſimum quidquid dulcem qualitatem refert, ſive illud ore ſumatur, ſive exterius corpori applicetur. Grotius tamen aliique nonnulli cenſent, ficus noxias fuiſſe potius, quam beneficas Regi. Quod ſi admittamus, prodigium augebitur.

℣. 9. Vis ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus? De hoc prodigio vide quæ diſſeruimus in Diſſertatione de hoc argumento, ubi expendimus quid eſſet horologium illud Achaz, quæ lineæ, quas ſol retrogradus remenſus eſt.

℣. 12. In tempore illo misit Berodach-Baladan. . Rex Babyloniorum literas et munera ad Ezechiam. Berodach-Baladan filius erat Baladan Regis Babyloniorum; nomen autem Baladani occurrebat in hiſtoria Chaldæorum Beroſi, teſte Joſepho. Pro Berodach-Baladano legitur in Iſaia, xxxix. 1. Merodac-Baladan. Ptolemæo eſt (11) *Mardocampadus*. Nomen Merodac venit in compoſitionem nominis Evilmerodachi (12), & *Mardocentis* Regum Babyloniæ, a noſtro hoc plane aliorum. Creditur *Merodach* nomen eſſe Numinis Babylonii, ab Jeremia memorati (13). Berodach-Baladan colebat amicitiam Ezechiæ, quo tempore hic Sennacheribi Regis Aſſyrii armis laceſſebatur. Porro Reges Babyloniæ & Ninives jam inde a longa ætate mutuas ſimultates fovebant; & Regis Aſſyriæ victoriæ vicinorum omnium animos turbabant. Ita enim ſeſe gerebant Aſſyriorum Reges, ut facile quivis intelligeret futurum, ut brevi Imperium ſuum ad cæteras Aſiæ regiones prorogarent: quod reipſa quidem aliquanto poſt evenit ſub Nabuchodonoſore. Minime igitur mirum eſt, Regem Babyloniæ officia ſua Ezechiæ præſtitiſſe. Si legationem hanc veniſſe admittamus poſt fuſum Sennacheribi exercitum, tota utique Aſia obſtringebatur beneficio per Ezechiam accepto, fracta ſcilicet Aſſyriorum ſuperbia. A vero non aberrat, quod occaſione prodigii in Ezechiæ valetudine ſpectati, Merodach-Baladan gratulatum miſerit. Animadvertit hic Textus, legationem hanc miſſam fuiſſe, quod morbum Ezechiæ Babylonius noverit; & in Paralipomenis (14) legimus, legatos miſiſſe, ut de prodigio Jeroſolymæ viſo docerentur. Una hæc fuit e cauſis ejus itineris; ſed illa potiſſima fuiſſe videtur, ut venirent gratulaturi hoſtis communis exitium. Credunt Judæi, ſed non probant, Merodach-Baladanum patrem fuiſſe Nabuchodonoſoris.

℣. 13. Lætatus est autem in adventu eorum Ezechias. Hebræus (15): *Audivit eos Ezechias*. Aures præbuit iis quæ proponebant, & quæ nomine Regis Babyloniæ ſibi communicabant. Sed melior eſt ſenſus Vulgatæ; ac Hebræa ſyntaxis in eam perſuaſionem inducit, olim lectum fuiſſe, *Lætatus eſt*. Ita pariter interpretantur Septuaginta, & Syriacus; neque aliter eſt in Iſaia, qui iiſdem fere verbis eamdem hiſtoriam recitat (16).

Domum aromatum. Hebræus varie redditur (17). Chaldæus, Syriacus, & Arabs: *Domum theſaurorum ſuorum*. Vatablus: *Locum in quo quæcumque cara habebat, & pretioſa*. Alii (18): *Domum deſiderabilium ſuorum*.

Unguenta quoque, et domum vasorum suorum. Hebræus (19): *Oleum optimum, & domum vaſorum ſuorum*. Prior vox accipienda creditur de balſamo, quod liquorum omnium, & cujuslibet olei grati odoris eſt pretioſiſſimum: altera vero de armamentariis, in quibus arma, machinæ, & bellica quæcumque inſtrumenta: vel utenſilia domeſtica, & cætera maxime rara & pretioſa. Reſeraſſe illis ſacros Templi theſauros, cenſet S. Hieronymus (20); cujus rei indignitate potiſſimum Deus provocatus eſt.

℣. 17. Ecce dies venient, et auferentur omnia quæ sunt in domo tua. Oraculi hujus fides quo tempore impleta eſt? Sunt qui credant, Sennacheribum hujuſmodi theſaurorum partem maximam

(1) Philip. I. 23. (2) Hieron. in Iſai. c. 38. Ita & Menoch. Tyr. &c. (3) לא יצא העיר התיכונה Septuag. Ἐν τῷ μέσῳ τῆς αὐλῆς. Legunt חצר *atrium*, pro העיר *urbs*. (4) Iſai. xx. 1. *In anno quo ingreſſus eſt Tharthan in Azotum, cum miſiſſet eum Sargon Rex Aſſyriorum*. (5) 2. Par. xxxii. 24. (6) Iſai. xxxviii. 1. (7) Plin. lib. xxiii. c. 7. *Siccæ fici gutturi & faucibus magnifice utiles. Natura his excalefaciendi . . . . alvum molliunt*, &c. Vide & Dioſcorid. lib. 1. c. 145. (8) Aldrovand. de arborib. lib. 2. Vide, ſi lubet, Franciſc. Valeſ. de ſacra Philoſophia c. 19. (9) וישימו על השחין ἐπέθηκαν ἐπὶ τὸ ἕλκος. (10) Hieron. in Iſai. xxxviii. *Juxta artem medicorum omnis ſanies ficcioribus ficis atque contuſis, in cutis ſuperficiem provocatur, ac per hoc non ſpernendam eſſe medicinam, quæ uſu conſtet & experimento*. (11) Ptolem. Almag. lib. 4. cap. 6. (12) 4. Reg. xxv. 27. Jerem. lii. 31. (13) Jerem. l. 2. Victus Merodach. (14) 2. Par. xxxii. 31. (15) וישמע עליהם חזקיהו Septuag. Καὶ ἐχάρη ἐπ' αὐτοῖς. Legunt וישמח pro וישמע (16) Iſai. xxxix. 2. *Lætatus eſt autem ſuper eis Ezechias*, &c. (17) בית נכותה 70. Τὸν οἶκον τοῦ νεχωθά. (18) Munſt. Pagn. Mont. (19) ואת שמן הטוב ואת בית כליו (20) Hieronym. in Iſai. xxxix.

mam abſtuliſſe; legitur enim (1), Ezechiam collegiſſe quidquid erat auri & argenti tum in ſacro, cum in Regis ærario, ut poſtulatam ab eo Rege pecuniam conficeret. At Sennacheribus in Babylonia non regnabat. Adde, quod ex Paralipomenis (2) diſcimus, poſt reditum & cædem exercitus Sennacheribi, tum primum Ezechiam divitias colligere ſtuduiſſe. Antea enim vix poterat in ærarium quidquam alicujus momenti inferre, cum immodica tributa Aſſyriis ſolveret. Statuendum eſt igitur, oraculum hoc Iſaiæ ſuam obtinuiſſe fidem ſub poſtremis Regibus Juda, cum Reges Babyloniæ, urbe ac Templo everſis, populo in captivitatem ducto, totum Judaicum Imperium exciderunt.

℣. 18. De filiis tuis, qui egredientur ex te, tollentur et erunt eunuchi. Non ita ad literam accipiendum eſt illud, *De filiis tuis, qui egredientur ex te*, ut filii ex Ezechia parente nati, id ſubiiſſe credantur; nihil enim tale filiis ipſius contigiſſe legimus in Hiſtoria, præter Manaſſem, qui translatus eſt Babylonem: quin & Manaſſes parum ibi fuit (3), neque ſcimus in claſſem eunuchorum redactum eſſe, id eſt, coactum munere aliquo apud Reges Babyloniæ fungi. Sed Joachino regnante in Juda (4), Nabuchodonoſor Rex Babyloniæ Judæam invadens, expugnavit Jeroſolymam, duxitque captivos Babylonem Regem, & Regii ſanguinis Principes, inter quos juniores, & venuſtiſſimi ſelecti ſunt, ut Regi famularentur (5).

℣. 19. Bonus sermo Domini, quem locutus es: sit pax et veritas in diebus meis. Decretis Domini, quo par eſt obſequio, me ſubmitto & acquieſco; latæ ab illo ſententiæ æquitatem agnoſco: id ſolum rogo, ut mala hæc a capite meo avertat, & quos mihi vitæ dies decrevit, pacificos, & quietos agere patiatur. Vitii aliquid ineſſe videtur in humili hac ſubmiſſione Ezechiæ, quæ quibuſdam limitibus, & conditionibus coercetur (6): decet enim Principem ea, quo ſe ipſum, amore proſequi populum, patriam, liberos. Ingratum Ezechiæ votum excepiſſe Deum ajebant Doctores Hebræi, qui Euſebium (7) & S. Hieronymum ſacras literas docebant. Quare, addebant illi, continuo addit Propheta: *Conſolamini, conſolamini, popule meus, dicit Dominus*. Hæc enim adduntur, ut quodammodo reparetur error Ezechiæ, eaque animi remiſſio, quam erga populum ſuum exhibuit, arguatur.

Hebræus (8): *Bonum eſt verbum Domini; quod locutus es:* totum me illi ſubmitto: *Et dixit: Nonne ſi pax & veritas futura ſit in diebus meis?* Blandiar ne mihi futurum, ut dies vitæ meæ quietos agam? An Deus promiſſionem, qua in ſpem vitæ ad quindecim annos prorogandæ erectus ſum, improbavit? Vel potius: Juſta ſunt omnia quæcumque Deus ſancivit: ſed utinam coerceat ultionis ſuæ curſum, quamdiu vivo! Hujuſmodi minæ in me ſunt, an in poſteros? *Pax, & veritas* ſunt pax ſolida, & ſtabilis, pax ſincera. Docet Scriptura (9), Ezechiam, omneſque Jeroſolymæ cives animis ſeſe demiſiſſe coram Deo: quæ animi præparatio furorem Dei ab eorum capitibus avertit. Tradit Joſephus (10), Ezechiam de conſiliis Dei monitum, alte animo ſauciatum, teſtatum fuiſſe, optare ſe, ſi fieri umquam poſſet, ut mala illa a poſteritate ſua removerentur; ſed cum aliter Deus decreverit, rogare ſaltem, ut pacem toto vitæ ſuæ tempore largiretur. Denique S. Ambroſius (11) Principem hunc excuſans, quam longiſſime abfuiſſe ſcribit ab optando familiæ ſuæ exitio; *ſed*, ait, *voluntati Domini obviare non poterat; & ideo mandata ejus æquanimiter ſuſcipiebat ut ſervulus.*

℣. 20. Quomodo introduxerit aquas in Civitatem. Tunc facile id geſtum eſt, cum Ezechias ob Sennacheribi minas futuram obſidionem Jeroſolymæ timens, aquas ſubjectam urbi regionem irrigantes per diſpoſitos canales in urbem derivavit (12). *Ezechias munivit civitatem, & induxit in medium ipſius aquam, & fodit ferro rupem, & ædificavit ad aquam puteum.*

Nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum? Legitur in ſecundo Paralipomenon xxx. 32, *Reliqua ſermonum Ezechiæ ſcripta ſunt in viſione Iſaiæ filii Amos Prophetæ, & in Libro Regum Juda, & Iſrael*. Occurrit equidem aliquid e rebus ab Ezechia geſtis in volumine Iſaiæ (13); ſed repetitio hæc ſunt eorum, quæ leguntur in Libris Regum, præter unicum ejus Regis canticum in gratiarum actionem pro recuperata valetudine. Principis hujus elogium hiſtoricum texens Author Eccleſiaſtici (14), celebrat collata ab illo regioni beneficia, firmata præſertim munitionibus Jeroſolyma, deductis immodico ſumptu in urbem aquis, facta illis per cæſas rupes via, effoſſiſque ciſternis ad puriores laticea conſervandos. Revocat quæcumque geſta ſunt per bellum Sennacheribi, impiorumque Rabſacis verborum cauſa, uti populi metum, dolorem, pœnitudinem, & opem a Deo non ſine prodigio præſtitam: claudit denique: *Ezechias fecit quod placuit Deo, & fortiter ivit in via David patris ſui, quam mandavit illi Iſaias Propheta magnus*. Illuſtre illi pariter teſtimonium reddit Spiritus Sanctus iis verbis (15): *Præter David, Ezechiam, & Joſiam, omnes peccatum commiſerunt*. Quis poſt Davidem in Juda regnavit, qui æque valuerit animo, ut edita loca, Domino quidem, ſed præter fas, conſecrata, deſtruxerit? Quis anguem æneum demoliri auſus eſt (16), perque Provincias, etiam a ſua ditione alienas, populos ad Templum Domini invitare? eaque poſt Regnum, in quo impietas floruit, invitaque ſuperſtitioſorum & impiorum legione, quorum erat unicus metus, ne pietas & religio iterum florerent. Quanta in Dominum fiducia muniendum fuit, pectus, ut arduis & adverſis hiſce reſiſteret? *In Domino Deo Iſrael*, ait Scriptura (17), *ſperavit. Itaque poſt eum non fuit ſimilis ei de cunctis Regibus Juda: ſed neque in his, qui ante eum fuerunt. Et adhæſit Domino, & non receſſit a veſtigiis ejus*. Tot virtutum merito, quantis a Deo beneficiis ornatus eſt? Prætereo divitias plane immenſas (18), quarum inanis pompa illi exitio fuit. Quanta profecto illius gloria & Regni felicitas, quæ in obſequium & admirationem Ezechiæ vertit Reges vel remotiſſimos? Quid, prodigia quibus illum Deus proſequutus eſt, improviſa Sennacheribi cædes, præceps ejuſdem fuga, valetudo ipſi conceſſa, retrograda ſolis converſio, & communicatus Prophetiæ ſpiritus, quo Canticum cecinit? Satis hæc omnia demonſtrant, quantus favore & gratia apud Dominum eſſet Ezechias.

Cernere etiam licet in hoc Principe expreſſam vivis coloribus Jeſu Chriſti figuram. Ezechias Aſſyriorum jugum excutit, provocatque in ſe ingens bellum & periculoſum, quo glorioſe, non ſine Domini ope, liberatur. Bellum indicit J. Chriſtus peccato, Mundo, carni, & Diabolo. Armantur in illum ejuſque doctrinam, Eccleſiam, ac Diſcipulos omnia & orbis & Inferorum imperia. Nunquam Sennacherib adeo inſaniit, nunquam Rabſaces horrenda adeo effudit in Deum probra, ut

(1) 4. Reg. xviii. 15. (2) 2. Par. xxxii. 27. & ſequ. ad 31. (3) Vide 2. Par. xxxiii. 11. (4) 4. Reg. xxiv. 12. 13. 14. 15. (5) Vide Daniel. 1. 3. 4. (6) Ita Hebr. apud Hieron. in Iſai. c. 39. (7) Euſeb. Item in Iſai. xxxix. 7. 8. (8) טוב דבר יהוה אשר דברת ויאמר הלוא אם שלום ואמת יהיה בימי (9) 2. Par. xxxii. 26. (10) Joſeph. Antiqu. lib. 10. c. 3. (11) Ambroſ. lib. 5. de Jacob. c. 8. (12) 2. Par. xxii. 4. & Eccli. xlviii. 19. (13) Iſai. cap. xxxvii. xxxviii. xxxix. (14) Eccli. xlviii. 19. & ſequ. (15) Eccli. xlix. 5. (16) 4. Reg. xviii. 4. (17) Ibidem ℣. 5. (18) 2. Par. xxxii. 27. 28. 29.

furorem Inſectatorum Eccleſiæ ad calumnias, & impia illorum in filium Dei, & Eccleſiam probra æquent: omnibus tamen iis conatibus ſuperior Dei manus ſuperbos illos dejicit, atque inſignem de illis victoriam J. Chriſtus, ejuſque Fideles referunt. Ezechias ad ipſum uſque ſepulcri limitem deductus, deinde inſigni prodigio valetudini reſtitutus, carmen canit ſolemne, & eucharisticum; ubi altiorem figere videtur obtutum ad Servatoris reſurrectionem, in valetudine a ſe recepta tamquam in typo adumbratam: *Vivens vivens*, ait, *ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam* (1).

[1] Iſai. xxxviii. 19.

CAPUT XXI.

Impietas Manaſſis. Minæ Dei in Jeroſolymam. Amon Manaſſi; huic Joſias ſuccedit.

A. M. 3306. ante J. Chr. 698. ℣. 1. DUodecim annorum erat Manaſſes, cum regnare cœpiſſet, & quinquaginta
quinque annis regnavit in Jeruſalem: nomen matris ejus Haphſiba. 2.
Fecitque malum in conſpectu Domini, juxta idola gentium, quas delevit Dominus
a facie filiorum Iſrael. 3. Converſuſque eſt, & ædificavit excelſa, quæ diſſipaverat
Ezechias pater ejus: & erexit aras Baal, & fecit lucos, ſicut fecerat Achab rex Iſrael,
& adoravit omnem militiam cœli, & coluit eam. 4. Extruxitque aras in domo
Domini, de qua dixit Dominus: in Jeruſalem ponam nomen meum. 5. Et extruxit
altaria univerſæ militiæ cœli in duobus atriis templi Domini. 6. Et traduxit
filium ſuum per ignem: & ariolatus eſt, & obſervavit auguria, & fecit pythones,
& aruſpices multiplicavit, ut faceret malum coram Domino, & irritaret eum. 7.
Poſuit quoque idolum luci, quem fecerat, in templo Domini: ſuper quod locutus eſt
Dominus ad David, & ad Salomonem filium ejus: in templo hoc, & in Jeruſalem,
quam elegi de cunctis tribubus Iſrael, ponam nomen meum in ſempiternum. 8. Et
ultra non faciam commoveri pedem Iſrael de terra, quam dedi patribus eorum: ſi
tamen cuſtodierint opera omnia, quæ præcepi eis, & univerſam legem, quam mandavit
eis ſervus meus Moyſes. 9. Illi vero non audierunt: ſed ſeducti ſunt a Manaſſe,
ut facerent malum, ſuper gentes, quas contrivit Dominus a facie filiorum Iſrael.
10. Locutuſque eſt Dominus in manu ſervorum ſuorum Prophetarum, dicens:
11. Quia fecit Manaſſes rex Juda abominationes iſtas peſſimas, ſuper omnia, quæ fecerunt
Amorrhæi ante eum, & peccare fecerit etiam Judam in immunditiis ſuis:
12. Propterea hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego inducam mala ſuper Jeruſalem,
& Judam: ut quicumque audierint, tinniant ambæ aures ejus. 13. Et extendam
ſuper Jeruſalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab: & delebo Jeruſalem,
ſicut deleri ſolent tabulæ: & delens vertam, & ducam crebrius ſtylum ſuper
faciem ejus. 14. Dimittam vero reliquias hæreditatis meæ, & tradam eas in manus
inimicorum ejus: eruntque in vaſtitatem, & in rapinam cunctis adverſariis ſuis: 15.
Eo quod fecerint malum coram me, & perſeveraverint irritantes me, ex die, qua
egreſſi ſunt patres eorum ex Ægypto, uſque ad hanc diem. 16. Inſuper & ſanguinem
innoxium fudit Manaſſes multum nimis, donec impleret Jeruſalem uſque ad os:
abſque peccatis ſuis, quibus peccare fecit Judam, ut faceret malum coram Domino.
17. Reliqua autem ſermonum Manaſſe, & univerſa, quæ fecit, & peccatum ejus,
quod peccavit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Juda?
A. M. 3361. 18. Dormivitque Manaſſes cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in horto domus ſuæ,
in horto Oza: & regnavit Amon filius ejus pro eo. 19. Viginti duorum annorum
erat Amon, cum regnare cœpiſſet: duobus quoque annis regnavit in Jeruſalem. Nomen
matris ejus Meſſalemeth filia Harus de Jeteba. 20. Fecitque malum in conſpectu
Domini, ſicut fecerat Manaſſes pater ejus. 21. Et ambulavit in omni via,
per quam ambulaverat pater ejus: ſervivitque immunditiis, quibus ſervierat pater
ejus, & adoravit eas, 22. Et dereliquit Dominum Deum patrum ſuorum, & non
A. M. 3363. ambulavit in via Domini. 23. Tetenderuntque ei inſidias ſervi ſui, & interfecerunt
regem in domo ſua. 24. Percuſſit autem populus terræ omnes, qui conjuraverant

contra

contra regem Amon: & conſtituerunt ſibi regem Joſiam filium ejus pro eo. 25.
Reliqua autem ſermonum Amon, quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſer-
monum dierum regum Juda? 26. Sepelieruntque eum in ſepulchro ſuo, in horto
Oza: & regnavit Joſias filius ejus pro eo.

℣. 1. DUODECIM ANNORUM ERAT MANASSES, CUM REGNARE COEPISSET. Igitur natus eſt triennio poſt valetudinem a patre ſuo recuperatam (1). Regnavit annis quinque & quinquaginta, non excluſo tempore captivitatis actæ in Babylonia. Vixit annis ſeptem & ſexaginta.

℣. 2. JUXTA IDOLA GENTIUM. Hebræus (2): *Fecit malum coram Domino juxta abominationes gentium, quas Dominus expulit*. Idola nomine *abominationum* deſignat. Merito infandorum criminum Deus Chananæos delevit.

℣. 3. FECIT LUCOS. Hebræus ויעש אשירה, *Et fecit Aſerah, ſicut fecerat Achab*. Aſerah eſt ſimulacrum ligneum, vel Aſtartes: uſurpatur etiam pro luco, ubi Numen illud colebatur, & pro ipſo quod ibi conſecratum erat Idolo. Vide noſtram Diſſertationem de Numinibus Phœnicum.

ADORAVIT OMNEM MILITIAM CÆLI, aſtra omnia, quibus ceu Rex & Regina, Sol & Luna præſunt: altaria illis erexit *in duobus atriis domus Domini*, ideſt, in atrio populi & Sacerdotum. Vide ℣. 2. hujus capitis, & 2. *Paral.* XXXIII. 4. 5.

℣. 6. TRADUXIT FILIUM SUUM PER IGNEM. Igne cremavit, obſequio *Moloc*: vel tantum traduxit per ſubjectas flammas ob luſtrationem, ex ſacris profani hujus Numinis ritibus. Vide quæ diſſeruimus de Achaz ſupra XVI. 3.

ARIOLATUS EST ועונן, amavit divinationes, ariolos conſuluit, vel ipſe *ariolum egit*. Futuros rerum eventus aſtrorum vel nubium inſpectione reſerare aggreſſus eſt. Septuaginta: Ἐκληδονίζετο; quare de divinatione per virgas dictum accepiſſe viſi ſunt. Alii exponunt de obſervatione ac diſcrimine dierum faſtorum & nefaſtorum (3).

OBSERVAVIT AUGURIA. Vox originalis נחש innuere videtur magicas excantationes per angues, vel ænea vaſa. Exponitur tamen de præſtigiis & ſortilegiis omnis generis. Septuaginta: Οἰωνίζετο, *auguratus eſt*, divinationem per volatum vel occatum avium obſervavit.

FECIT PYTHONES. Conſtituit, vel authoritate ſua firmavit eos qui afflatos ſe ſpiritu Pythonico ajebant. Magi (4), qui præſto ſe habere gloriabantur familiarem quemdam Spiritum, ejuſque vocem ex imis corporis penetralibus, ex imo ventre vel ſtomacho inſonantem auribus dabant; quique ſe noſcere futura Apollineo Numine plenos affirmabant (5).

ARUSPICES, qui victimarum exta ſcrutabantur. Hebræa vox ידעונות ad literam ſonat Cognitores, Divinos, horoſcopos, & quicumque explorata ſibi eſſe ſeu futura ſeu incognita gloriantur. Idem Septuaginta: Γνώστας.

℣. 7. POSUIT IDOLUM LUCI. Hebræum (6): *Poſuit* Idolum *exciſum ex Aſerah*. Vide ſupra ℣. 3. & Diſſertationem noſtram de Numinibus Phœniciis.

℣. 10. LOCUTUSQUE EST DOMINUS IN MANU SERVORUM SUORUM PROPHETARUM, per ſuperſtites tunc Prophetas admonuit Dominus Manaſſem de ejus criminibus, populumque de prævaricatione redarguit. Ex traditione docemur, Iſaiam tum ſuperſtitem, cujus ſumma erat authoritas ſub Regno Ezechiæ, pio illo ſtudii ardore nihil remiſſo Regem vehementer objurgaſſe de iis, quibus ſe permiſerat, criminibus: ejus vero expoſtulationibus offenſum Regem ſuppliciis illum peremiſſe, ac damnaſſe, ut vivus ſerra lignea ſcinderetur (7). Porro ſecari ſolebant rei medio corpore ſerra ferrea; ſed ut prolixius ſupplicium torqueret, pro ferrea ligneam ſerram adhibere viſum eſt. Supplicium ſerræ non latuiſſe Orientales, in Diſſertatione de Suppliciis, ad Deuteronomium, demonſtratum eſt. Occurrit in volumine hujus Prophetæ aliquid, quod ad Regnum Manaſſis pertinere credimus (8): poſtquam enim quædam adſcripſit Propheta, quæ pervicacem animi hujus Principis habitudinem indicant, claudit tandem: *Et revelata eſt in auribus meis vox Domini exercituum: Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.*

℣. 12. UT QUICUMQUE AUDIERIT, TINNIANT AMBÆ AURES EJUS. Quicumque ſcilicet audierit malorum fragorem, præ horrore hærebit; uti accidit, cum auribus ſubito ſtrepit fragor aliquis vehemens & acutus, quo veluti perfodiuntur & hebetantur (9).

℣. 13. EXTENDAM SUPER JERUSALEM FUNICULUM SAMARIÆ. Commune cum Samaria fatum, eadem ſors & menſura Jeroſolymam manet. Funiculus uſurpatur ſæpe pro menſura, vel portione. Vel potius, eadem, qua Samariam, menſura Jeroſolymam dimetiar: ita cum illa me geram atque cum ea mecum ea maria. Hæc capta eſt, direpta, everſa, ejuſque cives in captivitatem ducti: idem fatum imminet Jeroſolymæ. Denique, Evertam illam ſolo æquatam, & ad funiculum quæcumque ſunt Jeroſolymæ, redigam, uti cum Samaria factum eſt. Solum unius erit ut ſolum alterius. Poſtremam hanc interpretationem ego maluerim, cujus perſimiles phraſes alicubi per Scripturam occurrunt. *Cogitavit Dominus diſſipare murum filiæ Sion*, ait Jeremias (10), *tetendit funiculum ſuum, & non avertit manum ſuam a perditione* [donec tota ſubverteretur]. *Luxit antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt.*

ET PONDUS DOMUS ACHAB. Urbem hanc funditus ſubvertam, ſolo æquabo, & ad libellam (11), qua pariter uſus ſum cum everterem domum Achab. Eamdem allegoriam proſequitur architecti, qui demolitur ædificium, ac ſolum æquat. Dictum alii accipiunt de pondere ſtateræ: Appendam Jeroſolymam ejuſque crimina eodem pondere, quo appendi domum Achab. Utar pondere juſto, accurato & ſevero. Puniam abſque indulgentia quidquid pœna dignum inveniam. Familiare eſt Prophetis ponderis & oneris nomine deſignare minas, quas ore Prophetico denuntiant (12).

DELEBO JERUSALEM SICUT DELERI SOLENT TABULÆ, ET DELENS VERTAM. Mos erat olim ſcribendi in pugillaribus cereis, ubi exarabantur literæ ſtilo æreo, vel ferreo, cujus una pars deſinebat in cuſpidem, altera teres erat, qua parte delebantur ea, quæ pars acuta ſignaverat. Ecce ſtili deſcriptionem (13):

De ſummo planus, ſed non ego planus in imo:
Verſor utrinque manu, diverſo & munere fungor:
Altera pars revocat, quidquid pars altera fecit.

(1) 4. Reg. xx. 6. *Addam diebus tuis quindecim annos.* (2) בתועבות הגוים אשר הוריש יהוה (3) Ita Arab. Pagn. Mont. Strigel. (4) עשה אוב Septuag. ἐποίησε θελητὰς Quaſi אוב eſſet ab אבה *volo*. Vulgo Septuag. vertunt אוב ἐγγαστριμύθους, *ventriloquos*. (5) Vide Levit. xix. 31. & 1. Reg. xxviii. 7. & 4. Reg. xxiii. 24. (6) וישם את פסל האשרה (7) Vide Tertull. lib. de patientia c. 14. Auguſt. l. 18. de Civit. c. 24. Theodoret. qu. 14 in 4 Reg. (8) Iſai. xxii. 13. *Comedamus & bibamus: cras enim moriemur.* (9) Vide 1. Reg. iii. 11. & Jerem. xix. 3. (10) Thren. ii. 8. (11) Septuag. σταθμὸν. משקלת. (12) Iſa. xiii. 1. xiv. 28. Jerem. xxiii. 33. 34. 36. 38. Nahum i. 1. Zach. ix. 1. xii. 1. 4. Reg. ix. 25. Ezech. xii. 10. Habac. i. 1. Malach. i. 1. (13) Ænigm. Sympoſii.

Innuit igitur Scriptura, in pœnam ſcelerum Manaſſis, delendam a Deo Jeroſolymam, uti ducto ſæpius & reducto ſtilo ita deletur Scriptura, ut ne apex quidem ſuperſit. Textus Hebræus varie redditur (1). Septuaginta ſic reddunt (2): *Extergam Jeruſalem, ſicut extergitur alabaſtrum*, (ſeu vas quodcumque, vel lanx) *quod abſtergitur, & convertitur ſuper faciem ſuam, ne forte iterum inſiciatur*. Alii: *Abſtergam Jeruſalem, ſicut abſtergitur lecythus*, vel lanx; *abſtergitur & vertitur ſuper faciem ſuam*; ſeu potius, *abſtergitur, & verſatur in omnem partem, ne quid ſordis remaneat*.

℣. 14. Dimittam reliquias hæreditatis meæ. Permittam Judam & Beniaminum hoſtibus ſuis, quemadmodum Iſraelem, vel decem Tribus deſerui. Vel contrario ſenſu: Servabo mihi portionem hæreditatis meæ, nec permittam ut in medio hoſtium ſuorum pereat. Sed prior expoſitio præferenda eſt, utpote quæ genuinum ſenſum originalis reddat (3).

℣. 17. Reliqua sermonum Manasse . . . nonne hæc scripta sunt in libro sermonum? Diſcimus ex Paralipomenis (4), Deum in Regem hunc immiſiſſe Duces copiarum Regum Aſſyriæ, qui captivum illum agentes, oneratum catenis Babylonem deduxerunt. Id vero tribuendum videtur Thartanu, a *Sargone* vel Aſaradone miſſo in Palæſtinam, qui poſt expugnatam Azotum (5), aggreſſus eſt Manaſſen, captumque duxit non Niniven, ſed Babylonem, quam Aſaradon ſubegerat, duobus ſimul Imperiis Aſſyriorum, & Chaldæorum conjunctis. Detentus Babylone Manaſſes agnovit peccatum ſuum, luxit, ac veniam impetravit; conceptaque ab illo, uti fertur, ex imo carceris oratio adhuc ſupereſt: inter Scripturas tamen Canonicas ab Eccleſia non accipitur; ſed nec reprobatur, at in cenſum Scriptorum apocryphorum refertur. Eccleſia Græca inſerendam cenſuit in ſuo Euchologio, recitatque, ut piam ſaltem orationem, quæ nihil cenſura dignum contineat. Comminiſcuntur Rabbini (6), Manaſſen, conjunctum in vas æneum perforatum, ingenti rogo expoſitum fuiſſe, in iiſque rerum anguſtiis opem Deorum omnium poſtulaſſe, quibus olim prece & thure litaverat; ſingulorum vero imbecillitatem experientia intelligenti, ſuccurriſſe opportuna quæ verba olim a patre ſuo audiverat (7): *Cum quæſieris ibi* (in rebus adverſis) *Dominum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris*. Quare ex animo ad Dominum converſus, ſtatimque captivitate ſolutus, translatus eſt in Regnum ſuum eodem prodigio, quo Habacuc Babylonem; ideſt, apprehenſus crinibus, raptus per aerem. Scriptor quidam vetus (8), ſed fidei non ſatis aſſertæ, hiſtoriam hanc Regis liberati reſtituti aliter narrat. In vinculis detentus Manaſſes pro quotidiana annona victitabat fruſtulo panis hordeacei & aqua aceto permixta, utriuſque vero arcta erat adeo menſura, ut vitam vix prorogare, ſaturari non poſſet. Inter has anguſtias, opportune miſer Domini meminit, ſtatimque ad ejus clementiam verſus eſt; nec mora: ſubita quædam flamma totum cinxit, quæ catenis liquatis, vinctum libertati reſtituit. Apage fabulas! Munus illud libertatis reſtitutæ Manaſſi poſt aliquot captivitatis annos, Saos-Duchino, Aſaradonis ſucceſſori, deberi creditur.

Reſtitutus Regno Manaſſes (9), cultum Domini in Templo reddidit, rejecit profanas aras, cæteraque veſtigia ſuperſtitionis priſtinæ delevit, nihilque permiſit, niſi tantum edita illa loca, quo populus adire ſolebat ad ſacrificandum Domino: quæ una res vitio illi poſt pœnitentiam vertitur. Munitionibus urbem firmavit, auxit & mœnia; præfectos copiarum ſuarum in omnibus urbibus Judæ conſtituit. Vita Manaſſis & res ab eo geſtæ, lapſus ejus, pœnitentia & oratio ad Deum porrecta, late deſcribebantur in Libris *Hoſai*. Sermones autem, quibus Prophetæ illum allocuti ſunt Dei nomine, legebantur in Annalibus Regum Iſraelis. Hæc de Manaſſe memoriæ prodita ſunt.

℣. 18. Sepultus est in horto domus suæ in horto Oza. Ibi forte effodienda curaverat ſibi ſuiſque ſepulchra; ibi enim Amon ejus filius conditus eſt (10). Hortus Ozæ ibi poſitus creditur, ubi Oza punitus eſt a Deo, cum Arcam tangere manu tentaſſet (11). Vel *Oza* idem eſt ac *Ozias* Rex Juda (12), qui lepra infectus occubuit, ſepultuſque eſt in agro, ubi ſepulchra Regum jacebant. Fertur (13) Manaſſes quadam animi demiſſione hanc ſibi ſepulturam poſtulaſſe, Regia ſepultura recuſata.

[1] כאשר ימחה את הצלחת מחה והפך על פניה [2] Καὶ ἀπαλείψω τὴν Ἱερουσαλὴμ, καθὼς ἀπαλείφεται ὁ ἀλάβαστρος ἀπαλειφόμενος, καὶ καταστρέφεται ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ. [3] ונטשתי את שארית Septuag. καὶ ἀπώσομαι τὸ ὑπόλειμμα, &c. Ita Chald. Syr. Arab. alii plerique. [4] 2. Paralipom. xxxiii. 11. & ſequ. [5] Iſai. xx. 1. [6] Vide Autor. Tradit. Hebr. in libb. Paral. [7] Deut. iv. 29. [8] Autor Operis imperfecti in Matth. Homil. 1. [9] Vide 2. Par. xxxiii. 13. & ſequ. [10] Infra ℣. 26. [11] 2. Reg. vi. 8. [12] 2. Par. xxvi. 1. 23. [13] Grot. Jun. Malv.

CAPUT XXII.

Pietas Joſiæ. Volumen Legis in Templo reperitur. Territus ejus lectione Joſias, conſulit Holdam Prophetidem.

A. M. 3363. ante J. C. 641. ℣. 1. OCto annorum erat Joſias, cum regnare cœpiſſet, triginta, & uno anno re-
gnavit in Jeruſalem: nomen matris ejus Idida, filia Hadaja de Beſecath.
2. Fecitque quod placitum erat coram Domino, & ambulavit per omnes vias Da-
A. M. 3380. vid patris ſui: non declinavit ad dexteram, ſive ad ſiniſtram. 3. Anno autem octa-
vodecimo regis Joſiæ, miſit rex Saphan filium Aſlia filii Meſſulam, ſcribam templi
Domini, dicens ei: 4. Vade ad Helciam ſacerdotem magnum, ut confletur pecu-
nia, quæ illata eſt in templum Domini, quam collegerunt janitores templi a popu-
lo. 5. Deturque fabris per præpoſitos domus Domini: qui & diſtribuant eam his,
qui operantur in templo Domini, ad inſtauranda ſartatecta templi: 6. Tignariis vi-
deli-

delicet, & cæmentariis, & iis, qui interrupta componunt: & ut emantur ligna, & lapides de lapicidinis, ad inſtaurandum templum Domini. 7. Verumtamen non ſupputetur eis argentum, quod accipiunt, ſed in poteſtate habeant, & in fide. 8. Dixit autem Helcias pontifex ad Saphan ſcribam: Librum Legis reperi in domo Domini: Deditque Helcias volumen Saphan, qui & legit illud. 9. Venit quoque Saphan ſcriba ad regem, & nuntiavit ei, quod præceperat, & ait: Conflaverunt ſervi tui pecuniam, quæ reperta eſt in domo Domini: & dederunt, ut diſtribueretur fabris a præfectis operum templi Domini: 10. Narravit quoque Saphan ſcriba regi, dicens: Librum dedit mihi Helcias ſacerdos. Quem cum legiſſet Saphan coram rege, 11. Et audiſſet rex verba Libri legis Domini ſcidit veſtimenta ſua. 12. Et præcepit Helciæ ſacerdoti, & Ahicam filio Saphan, & Achobor filio Micha, & Saphan ſcribæ, & Aſajæ ſervo regis, dicens: 13. Ite, & conſulite Dominum ſuper me, & ſuper populo, & ſuper omni Juda, de verbis voluminis iſtius, quod inventum eſt: magna enim ira Domini ſuccenſa eſt contra nos: quia non audierunt patres noſtri verba libri hujus, ut facerent omne, quod ſcriptum eſt nobis. 14. Ierunt itaque Helcias ſacerdos, & Ahicam, & Achobor, & Saphan, & Aſaja, ad Holdam prophetidem, uxorem Sellum, filii Thecuæ, filii Araas cuſtodis veſtium, quæ habitabat in Jeruſalem in Secunda: locutique ſunt ad eam. 15. Et illa reſpondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Dicite viro, qui miſit vos ad me: 16. Hæc dicit Dominus: Ecce ego adducam mala ſuper locum iſtum, & ſuper habitatores ejus, omnia verba Legis, quæ legit rex Juda: 17. Quia dereliquerunt me, & ſacrificaverunt diis alienis, irritantes me in cunctis operibus manuum ſuarum: & ſuccendetur indignatio mea in loco hoc, & non extinguetur. 18. Regi autem Juda, qui miſit vos, ut conſuleretis Dominum, ſic dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Pro eo quod audiſti verba voluminis, 19. Et perterritum eſt cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis ſermonibus contra locum iſtum, & habitatores ejus, quod videlicet fierent in ſtuporem, & in maledictum: & ſcidiſti veſtimenta tua, & fleviſti coram me, & ego audivi, ait Dominus. 20. Idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad ſepulchrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum.

℣. 1. FECIT QUOD PLACITUM ERAT CORAM DOMINO. Inter Principes, quos elogio proſequuta eſt Scriptura, unus eſt Joſias. Diſcimus e ſecundo Paralipomenon XXXIII. 3. anno octavo Regni ſui, cum puerilem ætatem ferme nondum exceſſiſſet, totum ſeſe dediſſe ut ſerio Dominum quæreret: quam rectam viam ſemel inſtitutam, nunquam ad vitæ exitum uſque deſeruit. Perſeveravit enim uſque ad mortem in exercitio virtutum, neque puriſſimam vitam vitio ullo fœdavit. Primo omnium ſtuduit evertendis Templis & aris editorum locorum, auferendis ſimulachris, lucíſque Numinum ſuperſtitioni dicatis, purgandoque a ſuperſtitione & Idololatria Regno. Nec pium illud ſtudium ſuum in unica Tribu Juda cohibuit, ſed & provexit in Tribus Ephraimi, Simeonis & Nephthali: eo enim ſeſe conferens, omnia ſuperſtitionis veſtigia delevit.

℣. 3. ANNO OCTAVO DECIMO REGIS JOSIÆ, MISIT REX SAPHAN. Dominum accuratius quærere jam cœperat Joſias anno octavo Regni ſui: deinceps autem cum populus oblationes ſuas ad Templum detuliſſet, exiſtimavit pius Rex, anno duodevigeſimo Regni ſui ſatis pecuniæ collectum fuiſſe, ut manus admoveri poſſet ad ſarta tecta Templi Domini inſtauranda. Mandavit igitur *Saphano Scribæ Templi Domini*, & duobus ſociis, quos Paralipomena (1) nominant *Maaſiam* Principem Urbis, & *Joham* filium Joachaz, ut collectam pecuniam darent Curatoribus, a quibus conducendi erant opifices applicandi operi, iiſque merces

ſolvenda: conventumque eſt denique, ut manus operi admoveretur. Munus *Scribæ Templi*, ſi qui erant hujus nominis Præfecti, illud erat, ut referrent in tabulas, curarentque ſumptus, & reditus Templi. Sed vero propius cenſemus, Saphanum Scribæ Regii munus ſolummodo egiſſe; neque enim alicubi occurrit, veluti peculiaris Præfecturæ nomen, *Scriba Templi*: uti neque Saphan hoc titulo niſi hic tantum diſtinguitur, quamquam titulo *Scribæ* inſignitur ſæpe tum hic, cum in Paralipomenis. Denique Textus Hebræus commode reddi poteſt (2): *Miſit Rex Saphan ſcribam ad Templum Domini* pro *ſcriba Templi Domini*. In hunc ſenſum Textum reddiderunt Chaldæus (3), Syriacus, Arabs, pluresque docti Interpretes e noſtris (4). Sub Joas. Scriba Regis aderat, cum gazophylacium recludebatur. Vide ſupra XII. 10.

℣. 4. CONFLETUR PECUNIA, QUÆ ILLATA EST IN TEMPLUM. Septuaginta (5): *Signa totum argentum*. Chaldæus (6): *Repurgetur* ſeu ponatur intra vas fuſorium omne argentum. Hebræus ad literam: *Conſummetur hoc argentum*, eliquetur, & ſcoria mundetur, ut pro viribus purum ſit, & purgatum (7). Collectum enim erat e multis fruſtulis, quæ privati quique contulerant, varii ponderis variæque mixturæ. Quare Joſias totum igne liquandum examinandumque cenſuit, ut deinde tranſiret in manus Curatorum operis: id quod perfectum legitur in ℣. 9. (8). Alii (9) ſic accipiunt: *Conſummetur argentum hoc*, colligantur ne-

[1] 2. Par. XXXIV. 8. [2] שלח המלך את שפן ... בית יהוה [3] Chald. לבית מקדשא דיי לפימר [4] Pag. Mont. Jun. & Tremell. Vatab. Cler. &c. [5] ויתם את הכסף Septuag. σφράγισον τὸ ἀργύριον τὸ εἰσενεχθὲν, ἐν οἴκῳ κυρίου. Legunt חתם [6] ויתקים ית כספא [7] Ita Vat. Malv. Pagn. alii. [8] ויתיכו עבדיך את הכסף [9] Jun. Piſcat.

neceſſariæ pecuniæ, ut ſolutio tota compleatur: vendatur quidquid offertur, ut redigatur in pecuniam, ob neceſſarios ſumptus reparationis Templi. Aliter: *Conſumetur argentum hoc*, nequid ulterius colligatur pecuniæ, non poſtuletur; non exigatur.

JANITORES TEMPLI. Hebræus (1): *Cuſtodes liminis*. Chaldæus (2): *Æditui*. Conſtat ex Paralipomenis (3), Principes janitorum Templi curæ ſuæ commiſſam habuiſſe cuſtodiam ærarii vaſorum ſacrorum, farinæ, vini, olei, thuris, aromatum: quare plus aliquid erant, quam vulgares janitores, omni carentes authoritate, quibus ſolummodo cuſtodia januarum Templi credita erat, ut prohiberent, ne quis alienus, vel immundus ingrederetur.

℣. 5. DETURQUE FABRIS PER PRÆPOSITOS DOMUS DOMINI. Hebræus (4): *Tradant manui facientium opus, Præfectis in domo Domini, tradant eam facientibus opus*. Pecunia hæc detur Opificibus, Curatoribus (5), & Præfectis operum, diſtribuenda inter Opifices, qui ſub eorum nutu operi incumbunt.

℣. 7. NON SUPPUTETUR EIS ARGENTUM. Idem ſervat Joſias, quod antea Joas (6) e ſuperioribus Regibus, in eodem opere Templi farciendi. Jubet eligi viros integros & probatos, quorum fidei committatur pecuniæ ipſis creditæ diſtributio. Reputarunt facile hi Reges futurum, ut operis elegantiæ & ſoliditati melius conſuleretur, re commiſſa Curatoribus, qui ſumptibus non parcerent, neque vererentur, ne ſibi moleſtiæ aliquid crearetur ab uſu pecuniæ ſibi traditæ.

℣. 8. LIBRUM LEGIS REPERI IN DOMO DOMINI. Volumen hoc Legis ipſum erat autographum Moyſis, ſi viros doctos nonnullos (7) audias; qua in re ſi quid dubii ſit, illud ſubducere videtur Textus Paralipomenon (8): *Cum efferrent pecuniam, quæ illata fuerat in Templum Domini, reperit Helcias Sacerdos Librum Legis Domini per manum Moyſi*. Continebat autem volumen illud Capita XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. Deuteronomii, in quibus recitantur tabulæ innovati fœderis inter Dominum, & populum. Poſtquam Moyſes ſequeſter fuit primi fœderis in Horebo conciliati, innovandum illud cenſuit in campeſtribus Moab, paulo ante obitum ſuum, ejuſque innovationis ſcriptas tabulas ad latus Arcæ collocandas curavit (9). Quæ minæ tanto terrore Joſiam affecerunt, exhibentur ac terrent Lectores in tribus illis Capitibus Deuteronomii.

In fœderibus, & in emptionibus duo plerumque tabularum exempla conficiebantur, quorum alterum ſigillo munitum condebatur in Arca, vel in loco aliquo tuto, patens alterum retinebatur a tranſigentibus. Ex tabulis fœderis, Dominum inter & Iſraelem compoſiti, altera quidem condita fuit in Arca, altera ad latus Arcæ. Vide Jeremiam XXXII. ℣. 13. 14. & noſtram Diſſertationem de veterum Librorum forma. Volumen iſtud, quod interciderat, & forte de induſtria conditum fuerat cum Arca pio ſtudio Sacerdotis alicujus, rerum potientibus impiis illis Principibus, uti Achaz & Manaſſe, initio Regni ſui forte fortuna repertum eſt ſub pio Joſia, cum theſauri Templi revolverentur, atque inde educeretur pecunia, quæ depoſiti loco condita fuerat tradenda in uſum farciendi Templi. Ex Paralipomenis (10) intelligimus, Arcam Domini extra conſuetum locum ſuum tunc jacuiſſe, quam poſt aliquod tempus reſtituendam priſtino loco Joſias mandavit.

Codicis ergo tanta vetuſtate venerabilis aſpectu in obſequium & venerationem converſi ſunt Principes & Proceres Regni, mentemque arrectam ad minas ibi expreſſas habuere. Conſilio Numinis factum eſſe tradunt Rabbini (11), ut caſu lectio incideret in Caput XXVIII. Deuteronomii, quod horrendis minis, acerbiſque objurgationibus in prævaricatores Legis refertum eſt.

Sunt qui credant (12), Achaz, Manaſſem, & Amonem, non contentos violaſſe Legem Domini, addixiſſe ſeſe Idololatriæ, ſecumque in errorem traxiſſe populos; bellum etiam indixiſſe Scripturis Divinis, quarum codices, quotquot nancisci potuere, omnes igne corripuere. Quare viſum fuiſſe ajunt codices illos a diſcrimine ſubducere: illum vero, de quo modo, in Templi pariete conditum fuiſſe, ubi ſub Joſia denique detectus eſt. Ultro admittit S. Chryſoſtomus (13), plures e ſacris Libris intercidiſſe incuria, & impietate Judæorum; alios neglexiſſe, adeo ut perirent, alios conſcidiſſe & cremaſſe: cujus rei argumentum eſſe ait, quod ſub Joſia vix reperiri potuerit unus ſingularis codex Deuteronomii humi defoſſus & pene obliteratus. Docet alibi (14), codicem hunc repertum fuiſſe ſub congeſtis ſordibus. Maluit Toſtatus, occurriſſe conditum in Arca, ubi pecunia claudebatur. Sed Scriptura conceptis verbis affirmat, repertum fuiſſe in domo Dei, ubi pecunia oblationum depoſita fuerat; quod utique nemo accipiat de Sanctuario, nec facile de ſancto, ſed potius de cellulis utrique, ad duo Templi latera, adhærentibus, ad cuſtodiam rerum pretioſiſſimarum Domus Domini deſtinatis.

Cæterum ægre admodum mihi perſuaſerim, Codices Legis Moſaicæ intercidiſſe adeo ſub Joſia, & anno Regni ejus undevigeſimo, ut ne unus quidem ſupereſſet ſive apud Sacerdotes, ſive apud Prophetas, ſive in Templo. Conſtat, vulgares maxime fuiſſe ſub Joſaphato (15), Ezechia, & Joas; neque unquam affirmat Scriptura, Reges impios, qui ſolium Juda tenuerunt, quæſiviſſe ſacros Libros ut comburerentur. Credibile ne eſt, Joſiam, qui cultum Domini præclaris adeo legibus moderatus eſt, qui idololatriam, & ſuperſtitionem amovit, ac priſtino nitori religionem reſtituit, hæc omnia ne viſis quidem voluminibus legis præſtitiſſe? Si hæc ponantur, unde totus ad nos Pentateuchus pervenit? nec enim tum repertum niſi unicum Deuteronomium fertur. An late adeo regnavit iniquitas, ut ne ſacrorum voluminum depoſitum quidem ſervaretur a Sacerdotibus, Prophetis, piiſque hominibus, qui genua ante Baalem non curvarunt? Eſto, rari tunc fuerint ſacri Codices; ſed ignorare illos non poterat Joſias, neque poterant Sacerdotes, quorum conſiliis ille utebatur. Autographi igitur Moſaici codicis aſpectu admiratio & obſequium Principis & ſubditorum excitata eſt; quemadmodum & nobis contingeret, ſi reperiretur autographum S. Matthæi, vel S. Joannis, cujus lectione aliter nos afficeremur, ac lectione Codicum vulgarium, qui manibus noſtris teruntur. Vide noſtram Diſſertationem, utrum Eſras author ſit, an reſtaurator ſacrarum Scripturarum.

℣. 14. IERUNT . . . AD HOLDAM PROPHETIDEM. Uni-

(1) שמרי הסף Septuag. φυλάσσοντες τὸν σταθμὸν τοῦ οἴκου. (2) אמרכליא (3) 1. Par. IX. 26. *Hic quatuor Levitis creditus erat omnis numerus janitorum, & erant ſuper exedras & theſauros domus Domini*. Vide & ℣. 28. & 29. (4) ויתנה על יד עשי המלאכה המפקדים בבית ונו׳ (5) Ita Grot. Vat. (6) 4. Reg. XII. 15. (7) Grot. Jun. Piſc. & Joſeph. Antiqu. l. 10. c. 5. (8) 2. Par. XXXIV. 14. (9) Deut. XXXI. 26. *Tollite librum iſtum, & ponite eum in latere Arcæ fœderis Domini Dei veſtri, ut ſit ibi contra te in teſtimonium*. (10) 2. Par. XXXV. 3. (11) Ita Hebr. Grot. Munſt. (12) Ita Sanct. Cornel. Vat. Munſt. Tir. Menoch. Lyran. Rab. Salomon. (13) Chryſoſt. Homil. 9. in cap. 2. Matth. Μετὰ γοῦν χρόνον πολὺν τὸ Δευτερονόμιον εὑρέθη κατορυγμένον που, καὶ ἠφανισμένον. (14) Idem in 1. Corint. Homil. 7. Πρὸ τῆς αἰχμαλωσίας τοσαύτην ἐποιεῖτο βλάβην τῶν Ἰουδαίων εἰς ἐσχάτην ἀσέβειαν ἐξοκείλαντων . . . τὸ δὲ Δευτερονόμιον μόλις πως εὑρῆσθαι ἐν κοπρίᾳ κατακεχωσμένον. (15) 2. Par. XVII. 9. *Docebant populum in Juda, habentes Librum Legis Domini*.

Digitized by Google

Unica hac re, quæ ſane mulieri honorificentiſſima eſt, fœmina hæc Prophetis noſcitur. Mirari ſubit, conſultum non fuiſſe Jeremiam, qui Prophetam agebat in Juda jam ab anno tertiodecimo Joſiæ: ſed facile in Anathot patria ſua verſabatur. Sophonias etiam ſub eo Rege vaticinabatur; ſed munus egiſſe ſuum non videtur, niſi ſub exitum Joſiæ.

Quæ habitabat in secunda במשנה. Quæ *ſecunda* hæc? Vulgo (1) deſignari creditur ſecundus urbis ambitus, ab Ezechia ductus (2): ſed partem hanc Urbis clauſiſſe Manaſſen (3), nos certo arbitramur. Tradunt Judæi (4), mulierem hanc ſcholæ cujuſdam moderatricem fuiſſe, ubi legem docebat. Is autem locus jacuiſſe fertur prope Templum, eoque conveniſſe dicuntur viri docti, ut iis artibus, quæ ad legis interpretationem pertinent, exercerentur. Cum tamen nonnulli (5) cenſeant, Codices legis tunc omnes penitus intercidiſſe, ajunt pariter, ſcholam hanc ſtudiis profanis fuiſſe deſtinatam. Caſu omnia Secundæ hujus, tamquam loci cujuſdam Jeroſolymæ, meminit apertiſſime Sophonias: *Vox clamoris a porta piſcium, & ululatus a ſecunda, & contritio magna a collibus.* Vide S. Hieronymum (6) in eumdem Prophetam.

V. 20. Colligeris ad sepulchrum tuum in pace. Scitum eſt, Joſiam cecidiſſe in prælio, quod temere commiſit cum Rege Ægypti (7), qui nec armis ipſum laceſſebat, nec in ipſum moverat. Nequaquam tamen hinc factum eſt, quin Joſias *colligeretur ad ſepulchrum ſuum in pace;* translatum enim ejus cadaver Jeroſolymam, ſolemni ritu ſepulturę mandatum eſt. Animadvertit hic aliquid Scriptura, quod multa animadverſione digniſſimum cenſemus. Illud eſt, quod evocatus ille fuerit a Deo ex hominum cœtu in pace, *ut non viderent oculi ejus mala, quæ inducturus erat Deus ſuper Jeruſalem.* Obiit quo tempore pax & felicitas regionem tenebant, & antequam Jeroſolymam totumque Regnum mala invaderent, quę mortem ejus conſecuta ſunt.

(1) Sanct. Tirin. Grot. Caſtal. Strig. &c. (2) Vide 2. Par. xxxii. 5. (3) 2. Par. xxxiii. 14. (4) Jonath. Rab. in Munſt. Pagn. Grot. Vatab. (5) Vide Vatab. (6) Hieron. in Sophon. 1. 10. *Quod autem ait, Ululatus a ſecunda, ſecundi muri in eodem climate portam ſignificat.* (7) 4. Reg. xxiii. 29.

CAPUT XXIII.

Joſias in communi totius populi conventu fœdus cum Domino innovat. Reliquias idololatriæ delet, indicitque celebrationem Paſchatis. In prælio, quod cum Pharaone Nechao Ægypti Rege committit, interficitur. Joachaz ſuccedit: & poſt hunc regnat Eliacim.

V. 1. ET renuntiaverunt regi, quod dixerat. Qui miſit: & congregati ſunt ad eum
omnes ſenes Juda, & Jeruſalem. 2. Aſcenditque rex templum Domini, &
omnes viri Juda; univerſique, qui habitabant in Jeruſalem cum eo, ſacerdotes, &
prophetæ, & omnis populus, a parvo uſque ad magnum: legitque cunctis audienti-
bus omnia verba libri fœderis, qui inventus eſt in domo Domini. 3. Stetitque rex
ſuper gradum: & fœdus percuſſit coram Domino, ut ambularent poſt Dominum, &
cuſtodirent præcepta ejus, & teſtimonia, & cæremonias, in omni corde, & in tota
anima, & ſuſcitarent verba fœderis hujus, quæ ſcripta erant in libro illo: acquievit-
que populus pacto. 4. Et præcepit rex Helciæ pontifici, & ſacerdotibus ſecundi or-
dinis, & janitoribus, ut projicerent de templo Domini omnia vaſa, quæ facta fue-
rant Baal, & in luco, & univerſæ militiæ cœli: & combuſſit ea foris Jeruſalem in
convalle Cedron, & tulit pulverem eorum in Bethel. 5. Et delevit aruſpices, quos
poſuerant reges Juda ad ſacrificandum in excelſis per civitates Juda, & in circuitu
Jeruſalem: & eos, qui adolebant incenſum Baal, & Soli, & Lunæ, & duodecim ſi-
gnis, & omni militiæ cœli. 6. Et efferri fecit lucum de domo Domini foras Jeru-
ſalem in convalle Cedron, & combuſſit eum ibi, & redegit in pulverem, & proje-
cit ſuper ſepulchra vulgi. 7. Deſtruxit quoque ædiculas effæminatorum, quæ erant
in domo Domini, pro quibus mulieres texebant quaſi domunculas luci. 8. Congre-
gavitque omnes ſacerdotes de civitatibus Juda: & contaminavit excelſa, ubi ſacrifica-
bant ſacerdotes, de Gabaa uſque Berſabee: & deſtruxit aras portarum in introitu oſtii
Joſue principis civitatis, quod erat ad ſiniſtram portæ civitatis. 9. Verumtamen non
aſcendebant ſacerdotes excelſorum ad altare Domini in Jeruſalem; ſed tantum come-
debant azyma in medio fratrum ſuorum. 10. Contaminavit quoque Topheth, quod
eſt in convalle filii Ennom: ut nemo conſecraret filium ſuum, aut filiam per ignem,
Moloch. 11. Abſtulit quoque equos, quos dederant reges Juda Soli, in introitu tem-
pli Domini juxta exedram Nathanmelech eunuchi, qui erat in Pharurim: currus au-
tem Solis combuſſit igni. 12. Altaria quoque, quæ erant ſuper tecta cœnaculi Achaz,

quæ

quæ fecerant reges Juda, & altaria, quæ fecerat Manaſſes in duobus atriis templi Do-
mini, deſtruxit rex: & cucurrit inde; & diſperſit cinerem eorum in torrentem Ce-
dron. 13. Excelſa quoque, quæ erant in Jeruſalem, ad dexteram partem montis of-
fenſionis, quæ ædificaverat Salomon rex Iſrael Aſtaroth idolo Sidoniorum, & Chamos
offenſioni Moab, & Melchom abominationi filiorum Ammon, polluit rex. 14. Et
contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos, replevitque loca eorum oſſibus mortuorum. 15.
Inſuper & altare, quod erat in Bethel, & excelſum, quod fecerat Jeroboam filius
Nabath, qui peccare fecit Iſrael: & altare illud, & excelſum deſtruxit, atque com-
buſſit, & comminuit in pulverem, ſuccenditque etiam lucum. 16. Et converſus Jo-
ſias, vidit ibi ſepulchra, quæ erant in monte: miſitque, & tulit oſſa de ſepulchris,
& combuſſit ea ſuper altare, & polluit illud juxta verbum Domini, quod locutus eſt
vir Dei, qui prædixerat verba hæc. 17. Et ait: Quis eſt titulus ille, quem video?
Reſponderuntque ei cives urbis illius: Sepulchrum eſt hominis Dei, qui venit de Ju-
da, & prædixit verba hæc, quæ feciſti ſuper altare Bethel. 18. Et ait: Dimittite
eum, nemo commoveat oſſa ejus. Et intacta manſerunt oſſa illius cum oſſibus pro-
phetæ, qui venerat de Samaria. 19. Inſuper & omnia fana excelſorum, quæ erant
in civitatibus Samariæ, quæ fecerant reges Iſrael ad irritandum Dominum, abſtulit
Joſias: & fecit eis, ſecundum omnia opera, quæ fecerat in Bethel. 20. Et occidit
univerſos ſacerdotes excelſorum, qui erant ibi ſuper altaria, & combuſſit oſſa huma-
na ſuper ea: reverſuſque eſt Jeruſalem. 21. Et præcepit omni populo, dicens: Fa-
cite Phaſe Domino Deo veſtro, ſecundum quod ſcriptum eſt in libro fœderis hujus.
22. Nec enim factum eſt Phaſe tale a diebus judicum, qui judicaverunt Iſrael, &
omnium dierum regum Iſrael, & Regum Juda, 23. Sicut in octavo decimo anno
Regis Joſiæ factum eſt Phaſe iſtud Domino, in Jeruſalem. 24. Sed & Pythones, &
Ariolos, & figuras Idolorum, & immunditias, & abominationes, quæ fuerant in terra
Juda & Jeruſalem, abſtulit Joſias: ut ſtatueret verba legis, quæ ſcripta ſunt in Li-
bro, quem invenit Helcias Sacerdos in Templo Domini. 25. Similis illi non fuit
ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota anima
ſua, & in univerſa virtute ſua, juxta omnem legem Moyſi: neque poſt eum ſurrexit
ſimilis illi. 26. Verumtamen non eſt averſus Dominus ab ira furoris ſui magni, quo
iratus eſt furor ejus contra Judam: propter irritationes, quibus provocaverat eum Ma-
naſſes. 27. Dixit itaque Dominus: Etiam Judam auferam a facie mea, ſicut abſtuli
Iſrael: & projiciam civitatem hanc, quam elegi, Jeruſalem, & domum, de qua dixi:
Erit nomen meum ibi. 28. Reliqua autem ſermonum Joſiæ, & univerſa, quæ fecit,
nonne hæc ſcripta ſunt in libro verborum dierum regum Juda? 29. In diebus ejus
aſcendit Pharao Nechao rex Ægypti contra regem Aſſyriorum ad flumen Euphratem:
& abiit Joſias rex in occurſum ejus: & occiſus eſt in Mageddo, cum vidiſſet eum.
30. Et portaverunt eum ſervi ſui mortuum de Mageddo: & pertulerunt in Jeruſalem,
& ſepelierunt eum in ſepulchro ſuo. Tulitque populus terræ Joachaz filium Joſiæ:
& unxerunt eum, & conſtituerunt eum regem pro patre ſuo. 31. Viginti trium an-
norum erat Joachaz, cum regnare cœpiſſet, & tribus menſibus regnavit in Jeruſa-
lem: nomen matris ejus Amital, filia Jeremiæ, de Lobna. 32. Et fecit malum co-
ram Domino, juxta omnia, quæ fecerant patres ejus. 33. Vinxitque eum Pharao
Nechao in Rebla, quæ eſt in terra Emath, ne regnaret in Jeruſalem: & impoſuit
mulctam terræ, centum talentis argenti, & talento auri. 34. Regemque conſtituit
Pharao Nechao Eliacim filium Joſiæ pro Joſia patre ejus: vertitque nomen ejus Joa-
kim. Porro Joachaz tulit, & duxit in Ægyptum, & mortuus eſt ibi. 35. Argen-
tum autem, & aurum dedit Joakim Pharaoni, cum indixiſſet terræ per ſingulos, ut
conferretur juxta præceptum Pharaonis; & unumquemque juxta vires ſuas exegit,
tam argentum, quam aurum de populo terræ, ut daret Pharaoni Nechao. 36. Vi-
ginti quinque annorum erat Joakim cum regnare cœpiſſet: & undecim annis regna-
vit in Jeruſalem: nomen matris ejus Zebida filia Phadaja de Ruma. 37. Et fecit
malum coram Domino, juxta omnia, quæ fecerant patres ejus.

℣. 2. SACERDOTES ET PROPHETÆ. Plures tunc in Juda florebant Prophetæ, uti Jeremias, Baruch, Sophonias, Urias, & Holda Prophetiſſa. Nomine Prophetarum intelligit hic Jonathan *Scribas*, ſeu viros in lege conſultiſſimos: reddunt alii diſcipulos Prophetarum. Sed cur litera Textus deferatur? Vocati ſunt hi Prophetæ Jeroſolymam cum reliquiis populi, ut fœdus cum Domino renovaretur.

LEGIT CUNCTIS AUDIENTIBUS. Ipſe per ſe legit, in argumentum ſtudii, & amoris ſui erga cultum Dei. Agere autem voluit in ſolemni hac fœderis populi cum Deo innovatione, agere, inquam, voluit ſequeſtrem, ut olim Moyſes in Deſerto, Joſue in terra promiſſionis (1), & poſt illum Samuel (2), Jojada (3), & Ezechias (4).

℣. 3. STETIT SUPER GRADUM. Super Tribunal Regibus Juda in Templo poſitum, quod in Paralipomenis deſcribitur (5). Moles erat ænea trium cubitorum, vel quinque pedum & unius pollicis altitudinis, quinque cubitorum latitudinis, & totidem longitudinis.

ET SUSCITAVERUNT VERBA FŒDERIS HUJUS, ideſt, pacta fœderis omnia complerent. Ad literam (6): *Et ſtabilireat*, firmarent, vel reſtituerent, innovarent *verba fœderis hujus*; abolitas uſu, conſuetudine, vel oblivione leges revocarent, urgerent, implerent. Vide ℣. 24. Fœdere hoc ſeſe obſtringens Rex & populus ſpondebant conſtans Legis obſequium, omniſque cultus, & religionis Deo contrariæ abjectionem. Hæc ſpondens Joſias, integra fide perſolvit. Imitatus eſt illum populus, ſed minori ſtudio, & diligentia.

℣. 4. PRÆCEPIT REX HELCIÆ PONTIFICI ET SACERDOTIBUS SECUNDI ORDINIS. Scribi potuit planius: *Summo Sacerdoti cæteriſque Sacerdotibus*; neque enim plures erant Sacerdotum ordines in Templo. Jonathan & Grotius explicant de Sacerdotibus, munera Summi Sacerdotis, ſi quæ forte ipſe per ſe obire non poſſet, ſupplentibus.

VASA QUÆ FACTA FUERANT BAAL, ET IN LUCO, ET UNIVERSÆ MILITIÆ CŒLI; ſeu potius quæ conſecrata fuerant Baal vel Soli, *Aſeræ* vel Aſtartæ; & univerſæ militiæ Cœli, ideſt, omnibus aſtris. Idolum luci, ut aliàs demonſtravimus, idem erat ac *Aſtaroth*. Hebræum *Aſera* æque deſignat lucum conſecratum, & Numen quod ibi colebatur.

COMBUSSIT EA .... IN CONVALLE CEDRON, ET TULIT PULVEREM EORUM IN BETHEL. Vallis Cedron porrigebatur ad Orientem & meridiem Jeroſolymæ: erat autem ibi Tophet, & *ſepulcra Vulgi*, alienorum, & reliquorum omnium, quibus commodum non erat ſepulcra a vulgaribus diſtincta ſibi comparare. In eadem valle conſecratus fuiſſe creditur Deus Moloc, cui ſacer ardebat ignis paratus ad comburendos in ſacrificium pueros viroſque. Locus erat igitur non una cauſa immundus, eoque pariter rejiciebantur ſordes & immunda quæque, e Templo vel ex urbe egeſta. Rex Aſa combuſſit ibi ſimulacra, quæ Maacha mater ſua (7) coluerat, eodemque projici a Sacerdotibus juſſit Ezechias ſordes Templi, quod purgarat (8), & altaria in quibus thura Numinibus cremata fuerant (9). Utriuſque Principis pietatem non imitatus eſt modo Joſias, ſed & plurimo ſuperavit intervallo. Cineres enim eorum, quæ combuſta fuerant in convalle Cedronis, deferri juſſit in Bethel, ut locus ille inquinaretur magis, translatis eo ſordibus Cedronis & Tophet, quibus horror & abominatio loci infecti & infamis magis magiſque augeretur.

℣. 5. DELEVIT ARUSPICES. Hebræus (10): *Ceſſare fecit Camarim*, vel, ſi mavis, atratos, vel præcones. Hinc derivatam cenſet Grotius *vocem Camilli* (11), qui Deorum miniſtri erant. Religioſos viros ac fœminas Chriſtianas nomine *Camarim* ideo Rabbini traducunt, quod veſtibus atris induantur. Oſee (12), ac Sophonias (13) ejuſmodi miniſtrorum, qui vitulis aureis & Deo Baali ſerviebant, meminere. Id forte nominis ſibi adſciverunt, quod interdum atras veſtes gererent; ſive quod ſacra operantes interdum alte clamarent, uti factum ſcimus eum factum offerre pararent coram Elia in monte Carmelo (14). Inter miniſtros vel Sacerdotes Iſidis ſunt *Melanephori* (15), ſeu veſtibus atrati. Nigras ejuſmodi veſtes eo potiſſimum tempore gerebant, quo Luna luce carens luctum veluti agere atque optare adventum Solis, ex Plutarchi ſententia (16), videbatur. Deſcribens Apulejus (17) pompam ſimulacri Iſidis, ait: *Quæ longe lateque meum confutabat obtutum palla nigerrima, ſplendeſcens atro nitore*.

QUI ADOLEBANT INCENSUM BAAL, ET SOLI ET LUNÆ, ET DUODECIM SIGNIS. Hebræus (18): *Qui adolebant incenſum Baal Soli, vel Baal-Schemeſch, Lunæ & Mazeloth*. Nomina hæc *Baal-Schemeſch* æque ſignificare poſſunt Baal Solem, ut unum ſit ſingulare Numen (19); vel *Baal & Solem*, ut duo Numina diſtinguantur (20): qua in re dimidium eſt ſententiarum. *Mazeloth* vox eſt ſignificationis ignotæ; redditur enim a nonnullis *influxus*; ab aliis *aſtra*, planetæ, Jupiter, Venus. S. Hieronymus (21) duodecim ſigna Zodiaci vertit; Theodoretus, *Luciferum*. De *Mazeroth*, quæ idem ſunt facile ac *Mazeloth*, ita agit Jobus, ut ſidera, quædam ſe ſe deſignare demonſtret (22): *Numquid producis Luciferum*. Hebræus, *Mazeroth?* & alibi (23) ita exhibet *Mazerim*, tamquam ad nos algorem mittentes. Septuaginta intactam ſervarunt vocem Originalem, quod illis ſolemne eſt, cum in voces alias difficiles inciderint.

℣. 6. EFFERRI FECIT LUCUM; Deam ſcilicet *Aſtartea*, vel *Aſeram*, vel *Aſtaroth*, Deam lucorum, a lucis removit.

SUPER SEPULCHRA VULGI, vulgarium ſcilicet hominum, & e fœce, quibus anguſtior eſt res familiaris, quam ut ſibi ſepulcrum privatum parent. Sepulturæ mandabantur illi in Tophet, in valle Cedronis. Populo Jeroſolymæ minitatur Jeremias XIX. 11. futurum, ut deſtruatur, ceu vas fictile, *atque ſepeliatur in Tophet, eo quod*, ait, *non ſit alius locus ad ſepeliendum*. Legimus in Paralipomenis (24), Joſiam projiciendas reliquias Idolorum ſuper tumulos cultorum ſuorum imperaſſe.

℣. 7. DESTRUXIT ÆDICULAS EFFEMINATORUM. Hebræus (25): *diruit domos conſecratorum*. Hoc olim nomine celabantur interdum lupanaria, quod conſecrata cenſerentur Numini, quod turpitudine ſua infami ejus loci turpitudini reſpondebat. Hæ vero ædiculæ in atriis Templi erant, neque quidquam illos pudebat, infamia ſua ſacram ejus loci religionem violare. Turpium harum conſecrationum meminit non ſemel Scriptura (26).

PRO QUIBUS MULIERES TEXEBANT QUASI DOMUNCULAS LUCI, quibus protegebantur turpia facinora in luco Aſtartes commiſſa, ſeu potius quibus nutriebatur fœdiſſimi Numinis in Templo collocati religio (27), quamquam nullus ibi erat lucus. Mu-

(1) Joſue XXIV. 25. (2) 1. Reg. VII. 3. 4. (3) 4. Reg. XI. 17. (4) 2. Paral. XXIX. 19. (5) 2. Paral. VI. 12. 13. Vide & 4. Reg. XI. 14. & 2. Paral. XXXIV. 31. (6) להקים את דברי הברית הזאת Septuag. τῦ ἀναςῆσαι τὰς λόγους, &c. (7) 3. Reg. XV. 13. & 2. Paral. XV. 16. (8) 2. Paralipom. XXIX. 16. (9) Ibid. XXX. 14. (10) והשבית הכמרים (11) Servius in Virgil. Æneid. XI. Varro lib. 6. de Lingua Lat. &c. (12) Oſee X. 5. Æditui ejus. (13) Sophon. I. 4. *Diſperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina æditimorum.* (14) 3. Reg. XVIII. 26. 27. (15) Μελανηφόροι. Vide Inſcript. Græc. Gruter. (16) Plutarch. de Iſide: Τοῖς δὲ μελανοςόλοις ἐμφαίνει τὰς περὶ ... (17) Apulej. lib. X. Mileſ. (18) המקטרים לבעל לשמש ולירח ולמזלות (19) Ita Syr. Jun. Munſt. Montan. Grot. (20) Ita Septuag. Jonat. Arab. (21) Hieron. hic, & de veſte Sacerdot. & de nomin. Hebr. (22) Job XXXVIII. 32. (23) Job XXXVII. 9. ממזרים קרה *ab arcturo frigus.* (24) 2. Paral. XXXIV. 4. (25) ויתץ את בתי הקדשים אשר בבית יהוה אשר הנשים ארגות שם בתים לאשרה (26) Deuter. XXIII. 18. & 3. Reg. XV. 12. 13. & 2. Macch. VI. 4. (27) Supra ℣. 6. *Efferri fecit lucum.*

Muliercularum igitur iſtarum munus erat erigere tentoria, ubi majori licentia infames cultores fœdam religionem exercerent. Ea tentoria appellantur alibi (1) *Socoth-Benoth*, tentoria puellarum. Porro ita vertendum totum verſiculum ſeptimum ex Hebræo maluerim: *Diruit Joſias domos proſtitutorum, quæ erant in Templo*; diruit, inquam, domos illas, *quas mulieres, quæ erant in Templo, texebant in honorem Aſeræ*. Non e ſolido lapide vel ligno ſtabiles erant domus, ſed tentoria. Syriacus & Arabs cenſent, haſce mulieres veſtes paraſſe Idolis, quæ in lucis colebant.

℣. 8. Contaminavit excelsa, ubi sacrificabant Sacerdotes. Sacerdotes Aaronici deſertum neglectumque Templum cernentes, neque ſibi ſupereſſe, quo vitam tolerarent, ceſſantibus decimis, oblationibus & ſacrificiis, indignum miniſterium exhibuerunt in locis editis, ubi oblationes & hoſtias populi Domino offerebant [neque enim cultum aliquem impendiſſe Idolis videntur]; atque ita præſentia & miniſterio ſuo authoritatem conciliabant cultui, quem Deus peculiari edicto interdixerat, prohibens ne ſacrificia niſi in Templo offerrentur (2). Immunda igitur declaravit Joſias, & reipſa polluit edita hæc loca, quæ rebus impuris contaminavit, ſparſis mortuorum oſſibus, vel iiſdem everſis.

De Gabaa usque Bersabee. Per totum late Regnum ſuum, a Gabaa, quæ tunc omnium maxime ſeptentrionalis erat in Juda, uſque Berſabee, quæ ultima erat inter meridionales, Ægypto proxima. Diſcimus ex Amos (3), Berſabee peregrinationem fuiſſe Iſraelitarum decem Tribuum religioſiſſimam: diruenda enim prædicit Amos edita loca Iſaaci, quæ ipſiſſima ſunt facile cum locis ſacris Berſabee, ubi olim Iſaac altare erexit (4).

Destruxit aras portarum in introitu ostii Josue principis civitatis, &c. Ædes ſuas ædiumque oſtium habebat Joſue ad ſiniſtram portæ urbis, ac prope oſtium erant altaria publica & communia, Deo forte conſecrata: ſed ejuſmodi altarium frequentia totam urbem totamque regionem ſuperſtitionibus complebat, atque ad evertendum veri Dei cultum maxime conferebat. Diſcimus ex Iſaia (5) non ad portas urbis modo, ſed etiam retro poſt oſtia privatarum domorum ſua fuiſſe altaria & ſimulacra profana. Porro cuſtos portarum Dea erat Trivia, cujus proinde manibus claves conſignabantur. Trivia ipſa erat Diana & Luna, Numen apud Hebræos celebre & venerabile.

℣. 9. Non ascendebant Sacerdotes excelsorum ad altare Domini in Jerusalem, sed tantum comedebant azyma in medio fratrum suorum. Sacerdotes qui ſacra in editis locis operati fuerant, ſuum Sacerdotii gradum retinuerunt: ut vero cauſa omnis labendi in priſtinos errores illis ſubduceretur, neceſſariæ illis res ſuppeditatæ ſunt e redditibus Templi, juxta mandatum legis (6), præcipientis, ut qui vitio aliquo naturali laborarent, abſtinerent ab offerendis panibus propoſitionis, a ſuffitu in Altari aureo, & ab hoſtiis in Altari holocauſtorum; eorum tamen annonam decernit e redditibus Templi, & *panibus qui offeruntur in Sanctuario*, panibus propoſitionis; & multo æquiori jure, ex oblationibus, quarum erat ſanctitas multo inferior, uti decimis, primitiis, aliiſque oblationibus farinæ, panum & frumenti. Decernit Deus per Ezechielem (7), ut Sacerdotes & Levitæ, qui reos ſe commiſſæ Idololatriæ exhibuerant, cuſtodes & oſtiarii Templi conſtituerentur; illiſque varia munera crederentur, ad munus Sacerdotum exercenda, mactarent victimas: caverent tamen, ne accederent ad Altare, ſacris operaturi. Eodem conſilio in Eccleſia Chriſtiana a Sacerdotio removentur, qui majoribus ſeſe criminibus inquinarunt, atque ad viliora munera adiguntur, ut pudorem criminum ſuorum majorem ferant.

℣. 10. Contaminavit quoque Topheth, quod est in convalle filii Ennom. Fertur, in eo loco Topheth celebrari conſueviſſe ſacrificia vel luſtrationes per ignem in cultum Moloch, de quibus diſſeruimus in Diſſertatione de Moloch, & ſupra xvi. 3. Nomen *Topheth* טמא את התפת derivari poteſt ex Hebræo *Toph*, quod eſt tympanum: illud vero inditum loco cenſent Judæi a ſtrepitu tympanorum, quibus occupabantur præſentium aures, ne ejulatus infantium, inter ulnas Dei Moloc crematorum, exaudiretur. S. Hieronymus (8) *Topheth* reddit *latitudinem*; locumque fuiſſe dicit amœniſſimum, pulcherrimum, irrigatum fontibus, & hortis diſtinctum. *Vallis filiorum Ennom* portionem vallis Joſaphat occupabat, ſeu vallis, quam perluebat torrens Cedron. Hic Hebraice appellabatur גי בן הנם *Geh-Hinnom*, vel *Geh ben-Hinnom*, vallis filiorum Ennom, unde Gehenna, quæ pro Inferno non ſemel in Evangelio uſurpatur (9).

℣. 11. Abstulit quoque equos, quos dederant Reges Juda Soli. Cenſent Rabbini (10), equos illos & currus, de quibus ſermo ſtatim additur, deſtinatos fuiſſe ut exorienti Soli occurreretur. Porro Rex, vel ex ejus familiaribus quiſpiam illos aſcendebat, procedebatque in occurſum aſtri a porta orientali Templi, uſque ad domum Nathan-Melech Præfecti Suburbiorum Jeroſolymæ; quemadmodum Judæi Haulamitæ equo vecti procurrebant in occurſum hujus aſtri, teſte Beniamino. Cum tamen hæc non ſatis idoneo Authore & teſte referantur, fidem habent non ſatis aſſertam. Illud conſtat, per totum late Orientem regnaſſe cultum Solis, cujus Numini ſacer erat equus, ideo facile quod animal ſit perniciſſimum. Equos Soli alebant & mactabant in Sacrificium Perſæ (11).

Placat equo Perſis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Sermo eſt apud Xenophontem (12) de Sacrificio equorum, Soli exorienti oblato. Primum quatuor inſignes tauri ſtetere, Sacrificium Jovi, cæteriſque Diis immolandum; tum equi, victimæ Soli deſtinatæ, quos ſequebatur albus coronatuſque currus, aurato jugo nitens, Jovi ſacer; tum currus alter albus, coronatus, & Soli dicatus. Hæc omnia ad locum deſtinatum deducta, ſacro igne arſerunt, integri tauri in Sacrificium Jovis, & equi pariter in honorem Solis. Maſſagetæ (13), teſte Herodoto, nullum norant Deum, præter Solem; nec Soli alias dabant victimas, præter equos, ut omnium celerrimo Deo celerrima omnium victima reſponderet. Equos igitur in ſacrificium Soli deſtinatos a loco, ubi alebantur, forte Joſias ſubducendos curavit.

Malunt

[1] 4. Reg. xvii. 30. *Viri Babylonii fecerunt Socoth-benoth.* Vide, ſi lubet Baruc vi. 42. 43. [2] Deut. xii. 11. *In loco quem elegerit Dominus . . . . illuc omnia quæ præcipio, conferetis holocauſta ac hoſtias, & decimas*, &c. [3] Amos v. 5. viii. 14. [4] Geneſ. xxvi. 33. [5] Iſai. lvii. 8. *Poſt oſtium, & retro poſtem poſuiſti memoriale tuum.* Vide & Iſai. lxv. 11. [6] Levit. xxi. 17. *Homo de ſemine tuo qui habuerit maculam non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium ejus.* (22.) *Veſcetur tamen panibus qui offeruntur in Sanctuario.* [7] Ezech. xliv. 10. *Sed & Levitæ qui longe receſſerunt a me in errore filiorum Iſrael, & erraverunt a me poſt Idola ſua . . . . . erunt in Sanctuario meo æditui & janitores portarum domus, & miniſtri domus; ipſi mactabunt holocauſta*, &c. [8] Hieron. in Jerem. vii. 31. [9] Matth. v. 22. 29. 30. x. 28. xviii. 9. xxiii. 15. & 33. Marc. ix. 45. 46. Luc. xii. 5. [10] Vide Kimchi, Rab. Salom. apud Vat. Munſt. Cornel. Boch. [11] Ovid. lib. 1. Faſt. [12] Xenoph. Cyroped. l. 8. [13] Herodot. lib. 1. c. 216. Θεῶν δὲ μοῦνον ἥλιον σέβονται, τῷ θύουσι ἵππους. Νόμος δὲ οὗτος τῆς θυσίης· τῶν θεῶν τῷ ταχίστῳ πάντων τῶν θνητῶν τὸ τάχιστον δατέονται.

Malunt alii picturas fuiſſe, vel ſimulacra quædam equorum & curruum, quæ Reges Juda Soli conſecraverant; vel equos liberos abire permiſſos in honorem Solis, ut nemini fas eſſet illos aſcendere, vel jugo ſeu currui adjungere. Perſimiles equorum conſecrationes occurrunt apud Veteres. Julius Cæſar, trajecto Rubicone, equos nonnullos dimiſit liberos (1). Priſcis Germanis ſimiles erant equi conſecrati (2): *Propriam gentis equorum quoque præſagia ac monitus experiri. Publice aluntur iiſdem nemoribus ac lucis: candidi & nullo mortali opere contacti; quos preſſos ſacro curru Sacerdos aut Rex aut Princeps civitatis comitantur, hinnitusque ac fremitus obſervant.* Sui pariter erant Perſis equi, ſimili religione Soli conſecrati, ea quibus unum tigridia inſtar maculatum furto ſubduxit Plautinus (3) in Inſula maris Rubri. Sed equi, de quibus hic, deſtinabantur facile trahendis Solis curribus, de quibus mox.

In introitu Templi Domini, juxta exhedram Nathan-Melech eunuchi, qui erat in Pharurim. Innuit hic Scriptura locum, ubi equi ſeu conſecrati fuerant, ſeu alebantur. Hebræus legit (4), equos illos fuiſſe *ab introitu domus Domini, uſque ad cubiculum Nathan-Melech Eunuchi, quod erat in Pharuris*, vel *in ſuburbanis*, authore Chaldæo. Id eſt, locus, in quo equi alabantur, jacebat inter aditum Templi, ædeſque eunuchi hujus, ſitas in *Pharurim*. Nihil niſi divinando aſſeri poteſt de loco *Pharurim*; vel facile *Parbarim*. Occurrit in Paralipomenis (5) *Parbar*, qui locus erat ad occidentem Templi: nec inviti credimus, Pharurim idem eſſe ac Græcum *Phrourion*, quod eſt excubiæ, vel locus, quem Templi excubiæ tenebant. Vide 1. *Paral.* xxvi. 18.

Currus autem solis combussit igni. Soli conſecrabantur non equi modo, ſed & currus. Rhodii, authore Feſto in Octobri, *quotannis quadrigas Soli conſecratas in mare jaciant, quod is tali curriculo fertur circumvehi mundum*. Sermo eſt etiam apud Heliodorum (6) de ſacris ſoli curribus: noſque paulo ſuperius dedimus Xenophontis deſcriptionem de Sacrificiis Perſarum (7). Conſonant Q. Curtius (8), & Herodotus (9).

℣. 12. Altaria quæ erant super tecta cœnaculi Achaz. Agunt Prophetæ de Altaribus ejuſmodi, ſuper tecta domorum erectis, quæ militiæ Cœli, id eſt aſtris, potiſſimum dedicabantur (10): Ferunt, Arabes cultum Soli impendiſſe, thuraque dediſſe ſuper tecta domorum.

In duobus atriis. In atrio Sacerdotum, ubi erat Altare Holocauſtorum, & in atrio populi.

℣. 13. Excelsa quæ erant in Jerusalem, ad dexteram partem montis offensionis, &c. Deſignatur hic *Mons olivarum*, ubi Salomon Templa profana excitavit Numinibus Sidoniis, Moabiticis, & Ammoniticis (11). Voces Originalis, *Mons olivarum*, *mons offenſionis*, corruptionis, everſionis. Luſus hoſce vocum amant Hebræi (12); cum præſertim ſignificant loca, vel res odioſas. Veriſimillimum eſt, Ezechiam ea Templa jam evertiſſe; ſed Manaſſes, vel Amon forte illa reſtituerant: quæ & ſubſtitere, quamdiu Joſias ætate minor erat, neque de iis voluntatem ſuam Deus illi aperuerat.

℣. 14. Replevit loca eorum ossibus mortuorum. Idem qui Profanis, horror inerat Judæis (13) erga cadavera; perinde enim illa habebant, ac funeſtum quid & impurum, quo loca, ſiqua contingebant, impura redderentur (14).

Præterea jacet exanimum tibi corpus amici,
Heu neſcis! totamque inceſtat funere claſſem.

℣. 15. Altare quod erat in Bethel . . . destruxit. Urbs Bethel tunc facile Joſiæ parebat; ſubdere enim illam potuere Reges Juda poſt tranſlatas decem Tribus in captivitatem. Legimus tamen, Sacerdotem ab Aſſaradone, ſucceſſore Sennacheribi, Samariam miſſum, divertiſſe in Bethel (15); unde non levis conjectura, quo tempore is in regionem venit, eam urbem Samaritanos adhuc dominos agnoviſſe.

℣. 17. Quis est titulus ille? Hebræus (16): *Quid monumentum hoc quod cerno?* vel: *Quod editum?* Voces Originalis derivantur ex radice, quæ ſonat aridum, ſiccum, aduſtum, tamquam humus ſolaribus radiis aduſta, quæ nullas ſeu herbas, ſeu radices gignit. Maluerim igitur, *Zion* hic deſignare ſtruem humus arentis, & ſiccæ, quæ ſuper tumulum hominis Dei aggeſta fuerit. Conſtat inter omnes, morem hunc obtinuiſſe olim, ut ſtrues aggeſtæ humus erigerentur ſuper tumulos: quin & interdum ingentes montium inſtar aggerebantur; hinc latinum *tumulus* (17). Prænunciat Ezechiel futurum, ut Gog ſepulturæ mandetur in terra Iſrael, & ſedulo quæſitis illorum oſſibus per agros, ſi forte ex illis fruſtulum reperiatur, arentis humus juxta illum congeratur tumulus (Hebr. *Zion*), donec illud ſepeliatur (18). De hac hiſtoria Prophetæ eodem conditi ſepulchro cum viro Dei, ex Juda adverſus Jeroboamum miſſo, vide 3. Reg. xiii. 31. 32.

℣. 18. Intacta manserunt ossa illius cum ossibus Prophetæ qui venerat de Samaria. Oſſa impii Prophetæ intacta relicta ſunt ob lypſana Prophetæ illius, qui de Juda venerat. Cur nomen *Samariæ* hic legatur, ignoro. Illud conſtat, Prophetam, virum nempe Dei ad Jeroboamum miſſum, e Juda veniſſe, uti diſerte affirmat Scriptura hic, ℣. 17. & luculentius etiam in Libro tertio Regum (19). Sed Propheta malus ſedem, domum & filios (20) habebat in Bethel. Qui vero Propheta e Juda venire poterat Samaria in Bethel, cum Samaria poſt quinquaginta amplius annos condita fuerit? Vero igitur ſimillime cenſemus, nomen Samariæ irrepſiſſe pro *Juda*. Vide quæ opere anticipato animadvertimus in hunc Textum ad iii. Reg. xviii. 32.

℣. 19. Fecit eis secundum omnia opera, quæ fecerat in Bethel. Altaria ſubvertit, edita loca violavit, eorumque locorum Prophetas omnes interfecit, ut in ſequenti verſiculo narratur. Sed quo jure hoc agebat Joſias in urbibus Samariæ, a ditione ſua alienis? Leges politicas minus quam pii ſtudii ductum ſequutus eſt; eæque fortaſſe res inciderant, ut facinus illud ſuum nihil diſcriminis ſibi illaturum, nihil moleſtiæ a Regibus Aſſyriæ reputaret. Denique cenſendum eſt, nihil egiſſe illum niſi prudentia duce & conſilio, nihilque molitum fuiſſe Deo inconſulto. Iſraelitæ decem Tribuum diu antea in captivitatem abducti fuerant; quique in regione ſupererant, reſipuerant: neque eo deductæ coloniæ ſolicitæ erant plurimum de

(1) Sueton. in Jul. (2) Tacit. in morib. Germ. (3) Vide Dion. Nicæ. in Severo. Ἵππος ἡλίῳ τιγροειδὴς τῶν ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ νήσων ἐκλέφθη. (4) מבא בית יהוה אל לשכת נתן מלך הסריס אשר בפרורים (5) 1. Par. xxvi. 18. פרבר Vide, ſi lubet, Bochart. de anim. ſacr. P. 1. l. 2. c. 10. (6) Heliod. Æthiopic. 10. (7) Xenophon. Cyropæd. l. 8. (8) Quint. Curt. l. 3. (9) Herodot. l. 7. c. 55. Μετὰ δὲ ἵπποι ἱροὶ, καὶ τὸ ἅρμα τὸ ἱρόν. (10) Jerem. xix. 13 *Omnes domus, in quarum domatibus ſacrificaverunt omni militiæ cæli.* Sophon. 1. 5. *Adorant ſuper tecta militiam cæli.* (11) 3. Reg. xi. 7. (12) הר המשחית *Mons offenſionis*: הר המשחה *Mons olivarum, vel unctionis.* (13) Vide ad Levit. xxi. & xxii. (14) Virgil. Æneid. 6. (15) 4. Reg. xvii. 28. (16) מה הציון הלז אשר אני ראה (17) Vide Servium in Æneid. 2. *Nam & terra congeſtio ſuper oſſa, tumulus dicitur.* (18) Ezech. xxxix. 15. (19) 3. Reg. xiii. 1. *Et ecce vir Dei venit de Juda in nomine Domini in Bethel.* Vide ℣. 21. (20) Ibid. ℣. 11. *Propheta autem quidam ſenex habitabat in Bethel, ad quem venerunt filii ſui, & narraverunt omnia*, &c.

de monumentis religionis eorum, qui ſedes illas ante ſe tenuerant.

℣. 22. Nec enim factum est Phase tale a diebus Judicum . . . ℣. 23. Sicut in octavo decimo anno Regis Josiæ. Si quis literam urgere voluerit, illi utique defendendum erit, Paſcha hoc, a geminis tantum Iſraelis Tribubus celebratum, magnificentius fuiſſe, & numero hominum frequentius, quam quod olim celebratum fuit ſub Davide, & Salomone, in florentiſſimo, ac feliciſſimo Imperii Judaici ſtatu, atque in ſolemni duodecim Tribuum concurſu. Exaggeratum igitur aliquid hic, pro more ſacrorum, & Profanorum Scriptorum, agnoſcendum eſt. Quotidiano ſermone uſurpatur, nihil viſum eſſe unquam magnificentius, nihil iniquius, nihil miſerius, &c. id eſt, magnificentiam, nequitiam, paupertatem, de quibus ſermo eſt, maximas omnium eſſe, & extremas. Vide quæ diſſeruimus ſuperius xviii. 5. & inferius ℣. 25.

℣. 24. Figuras Idolorum. Hebræus: *Theraphim*. Vide Geneſ. xxi. 19.

℣. 26. Verumtamen non est aversus Dominus ab ira furoris . . . propter irritationes, quibus provocaverat eum Manasses. Pius ardor, & authoritas Joſiæ continuerunt, dum ipſe vixit, optimum rerum ordinem ab ipſo ſtabilitum; & ne pariter publicus Idolorum cultus rediret, metus Regiæ indignationis ac ſeveritatis viros impios coercebat. Sed ex ultimis capitibus Jeremiæ & Sophoniæ tunc florentium diſcimus, intus in animo nequitiam ſoviſſe illos, & vitia non minora fuiſſe, ſed tantum cautiora, ne prodirent in apertum. Miſer ille Rex Manaſſes impietate ſua amplas adeo plagas aperuit, ut obducere illas pœnitudine ſua nequicquam tentaverit. Dei quidem indignatio ſententiam ſuam ad tempus diſtulerat, ſed cauſa provocati ejus furoris adhuc perſeverante, & relegente Juda potius peccantis Manaſſis, quam pœnitentis veſtigia, ac recuſante in ſocietatem piorum conſiliorum Joſiæ venire, recepit Deus ad ſe pium illum Principem, firmiſſimum propugnaculum populi ſui, ut eo exutos impios ira furoris ſui perderet.

℣. 29. In diebus ejus ascendit Pharao Nechao Rex Ægypti. Nechao Ægypti Regem, filium Pſammetichi, annis ſexdecim regnaſſe in Ægypto, teſtis eſt Herodotus (1). Anno Regni ſexto (2) movit in Aſſyrios, quos tunc regebat Nabopolaſſarus. Cauſas hujus belli ſatis exploratas non habemus. Sunt qui credant, ereptam Ægyptiis ab Aſſyriis *Carchemiſiam*, urbem ad Euphratem, Nechao recepturum veniſſe. Profectum fuiſſe illum ad inferenda Medis, & Babyloniis everſoribus Imperii Aſſyriorum arma, teſtatur Joſephus (3): cur vero Nechao ſuſcipiebat defenſionem Imperii Aſſyriorum? Imperia Aſſyriorum, & Babyloniorum in unum jam coaluerant ſub Aſſaradone. Suſpicatur Marshamus (4), Regem Ægypti, vaſta meditatum conſilia, molitum fuiſſe Aſiæ Imperium recuperare, quod patet nimis lento & remiſſo animo jam tentaverat.

Urbis Carchemiſæ nomen latet Geographos (5); eadem eſt facile ac *Cercuſium*, *Circeſſum*, vel *Circeium*, urbs ſita in angulo confluentis Chaboræ, & Euphratis (6). Meminit Iſaias (7) *Carchamis*, vel *Carchemiſiæ*, cujus ſubactæ honorem tribuere videtur *Teglathphalaſſaro*. Sed non ſatis aperte conſtat, urbem hanc paruiſſe Ægyptiis ante Nechao, cujus Principis relictum ibi præſidium captum cæſumque eſt anno quarto Joachimi Regis Juda a Nabuchodonoſore Rege Babyloniæ: ita Jeremias (8). Cenſent Hebræi (9), Nechao vitio pedum laboraſſe, quod vernaculo eorum ſermone Nechao uſurpari poſſit pro claudo, quaſi Ægyptiacæ vocis etymon ex Hebræo repetendum ſit.

Abiit Josias Rex in occursum ejus. Legimus in Paralipomenis (10), Nechao certiorem factum de motis in ſe armis ab Joſia, renunciandum illi ſuo nomine miſiſſe: *Quid mihi, & tibi eſt, Rex Juda? Non adverſum te hodie venio, ſed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus feſtinato ire præcepit. Deſine adverſum Deum facere, qui mecum eſt, ne interficiat te. Noluit Joſias reverti, ſed præparavit contra eum bellum, nec acquievit ſermonibus Nechao ex ore Dei.* Author tertii Libri Eſdræ (11), S. Hieronymus in Epiſtola ad Cteſiphontem, & Judæi contendunt, Jeremiam conſiliis hiſce Joſiæ reſtitiſſe, eumque ejus monitis parere recuſaſſe. Sed hoc nullibi in Scripturis Canonicis docemur; & Joſias facile hoſce Nechao ſermones, quos ſibi fieri Dei nomine ab illo intelligebat, accepit tamquam ludificationes hoſtis, vel tamquam indicia metus, quo prælium detrectabat.

Et occisus est in Mageddo, cum vidisset eum. Lethali vulnere ſauciatus eſt, translatuſque Jeroſolymam deceſſit: quę omnia diſcimus ex Paralipomenis. (12) Quod autem hic legimus, ℣. 30. *Portarunt eum ſervi ſui mortuum de Mageddo in Jeruſalem*, accipiendum eſt de Rege, lethali vulnere confoſſo, qui Jeroſolymam translatus interiit. Joſias prælio inſtituto, ad literam, *cum vidiſſet hoſtem*, graviſſimum vulnus ab jaculatoribus retulit. Tradit Joſephus (13), correptum fuiſſe ſagitta, cum aciem inſtruens ex ala ad alam tranſiret; vulneratum autem ut ſeſe ſenſit, mandaſſe ſuis, ut ſe e prælio amoverent. E ſuo igitur curru translatus in alterum, qui pro more ejus ætatis Reges ſemper comitabatur, vectus eſt Jeroſolymam. Commiſſum eſt prelium ad Mageddo, urbem intra ditionem Iſſacbari, ſed quę ceſſerat dimidiæ Tribui Manaſſis cis Jordanem (14). Non procul aberat a torrente Ciſon, cujus meridianum latus tenebat. Circa eumdem locum aliud jam prælium commiſſum fuerat ætate Baraci & Deboræ (15). Meminit facile hujus prælii Herodotus (16), narrans Nechon Regem Ægypti, commiſſo cum Syris prælio ad Magdolum, victoriam retuliſſe, ac cepiſſe Cadytim, urbem magnam Syriæ. Cenſuit Scaliger (17), Magdolum, de qua Herodotus, ipſiſſimam eſſe urbem, de qua Jeremias (18), in Ægypto inferiori, vicinam Mageddo. Eo uſque proceſſiſſe ait Joſiam, ut Ægyptiis aditum in Palæſtinam præcluderet; additque, Cadytim, a victore Nechao ſubactam, ipſam eſſe *Cades*, vel Cades-barne in deſerto, cujus meminit

(1) Herodot. l. 2. c. 17. 18. 25. (2) Uſſer. ad an. mundi 3394. (3) Joſeph. Antiqu. lib. 10. cap. 6. Μήδοις πολεμήσων καὶ τοῖς Βαβυλωνίοις οἱ τὴν Ἀσσυρίων κατέλυσαν ἀρχήν. (4) Marsham. Canon. Æg. ſæcul. 18. (1) 2. Par. xxxv. 21. *Non adverſum te hodie venio, ſed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus feſtinato ire præcepit.* (6) Vide Ammian. Marcell. lib. xxiii. cap. 11. & Procop. lib. 1. Perſic. (7) Iſai. x. 9. *Numquid ſicut Carchamis, ſic Calanne?* (8) Jerem. xlvi. 1. 2. *Adverſus exercitum Pharaonis Nechao Regis Ægypti, qui erat juxta fluvium Euphratem in Carchamis, quem percuſſit Nabuchodonoſor, &c.* (9) Vide Munſt. & Jun. &c. (10) 2. Par. xxxv. 21. 22. (11) 3. Eſdr. c. 28. οὐ προσέσχεν ῥήματος Ἱερεμίου τοῦ προφήτου ἐκ στόματος κυρίου. (12) 2. Par. xxxv. 23. *Ibique vulneratus a ſagittariis, dixit pueris ſuis: educite me de prælio, quia oppido vulneratus ſum; qui transtulerunt eum . . . & aſportaverunt eum in Jeruſalem; mortuuſque eſt, &c.* Vide & Joſeph. Antiqu. lib. 2. c. 6. & lib. 3. Eſdr. c. 1. ℣. 32. Eſtium, Piſcat. (13) Joſeph. Antiqu. lib. x. c. 6. διατάσσοντος τὸ αὐτοῦ τὴν δύναμιν, καὶ ἐφ' ἅρματος ἀπὸ κέρως ἐπὶ κέρας ὀχουμένου. (14) Vide Joſue xvii. 11. (15) Vide Judic. v. 19. (16) Herodot. l. 2. c. 159. Καὶ Σύροισι πεζῇ ὁ Νεκῶς συμβαλὼν ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε· μετὰ δὲ τὴν μάχην, Κάδυτιν πόλιν τῆς Συρίης ἐοῦσαν μεγάλην εἷλε. (17) Vide apud Uſſer. ad an. mundi 3394. (18) Jerem. xlvi. 14.

nit Moyſes (1). Harodotus, ex eodem Scriptore, prælio huic indidit nomen Magdoli, quæ notior urbs erat, quam Mageddo, ubi prælium commiſſum fuit, atque poſtremæ huic urbi proxime accedebat. Uſſerio perſuaſum fuiſſe videtur, *Mageddo* & Magdolum unam eſſe eamdemque urbem: conſtat equidem Interpretem Syriacum S. Matthæi ſcribere *Magedu*, & veterem Latinum Interpretem *Magedan* pro *Magdalum*, quod eſt in Græco (2). Cadytim plures eruditi eamdem cenſent cum Jeroſolyma a Nechao, ab expeditione ſua reduces, expugnata. *Cadytis* ponitur pro *Cadytha* vel *Kadiſcha*, quod Hebraice eſt urbs ſancta. Eo nomine appellabant Hebræi urbem, ubi Templum continebatur. Philo *Hierapolim* Græce noncupat; quod idem ſonat ac Hebraice *Kadiſcha*, id aſt, urbs ſancta. Ego tamen maluerim Herodotum referre ad urbem Cades, vel Cedes in Galilæa, magnitudine & robore inſignem.

Is fuit exitus pii Regis Joſiæ, Principis utique maliori fato digni, ſi juſtorum fatum id eſſet, ut rebus Mundi proſperis fruerentur. Tempus ultionis Domini jam advenerat, ſuprema jam manus impoſita erat criminibus Juda, ac Deus recipiendum ad ſe Joſiam cenſuit, ne everſum vaſtatumque Regnum ſuum lugere cogeretur. Id illi prænunciaverat olim Holda Propheciſſa (3): *Colligeris ad ſepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum*. Nihil ſupereſt addendum elogio, quo illum donat Spiritus Sanctus his verbis (4): *Similis illi non fuit ante eum Rex qui reverteretur ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in univerſa virtute ſua, juxta omnem legem Moyſi; neque poſt eum ſurrexit ſimilis illi*. Funebri carmine laudes ejus celebravit Jeremias (5), innovatuſque eſt quotannis poſt ejus obitum ejuſmodi luctus, ac recitatio lamentationum Jeremiæ de hoc argumanto. Utrum eadem ſint lamentationes, quæ inter Scripta ejus Prophetæ ſuperſunt, alibi diſcutiemus.

Magnificum ejus elogium author Eccleſiaſtici ad poſteros tranſmiſit (6). „ Memoria Joſiæ, in „ compoſitionem odoris facta, opus pigmentarii. In omni ore quaſi mel indulcabitur ejus „ memoria, & ut muſica in convivio vini. Ipſe „ eſt directus divinitus in pœnitentiam gentis, „ & tulit abominationes impietatis: & gubernavit ad Dominum cor ipſius, & in diebus peccatorum corroboravit pietatem. Præter David, & Ezechiam, & Joſiam, omnes peccatum commiſerunt.

Si quis in rebus, in vita & in morte a Joſia geſtis lineamenta ſimilitudinis cum rebus J. Chriſti conſideret, multa utrobique congruere intelliget. Joſias ante plura quam oriretur ſæcula prædictus (7), tamquam futurus ultor injuriarum Domini, & avitæ Religionis reſtaurator, exhibet Servatorem ab exordio prænunciatum, ceu imperii Dæmonis everſorem, veræque Religionis reparatorem. Sub Regno Joſiæ reperitur volumen legis Dei; quam ille legit coram univerſo populo, atque fœdus cum Domino innovat. Exhibent hæc omnia imaginem novæ, ſeu potius veteris Legis innovatæ, abſolutæ, perfectæ, & expoſitæ a Jeſu Chriſto, qui nos filios novi fœderis fecit, ſanguine ſuo obſignari. Paſcha Joſiæ celeberrimum, & ſolemniſſimum omnium quot unquam fuerint, teſte Scriptura, obſcura eſt imago Jeſu Chriſti, inſtituentis Sacramentum Corporis, & Sanguinis ſui, & mortem, quam ſibi elegit, pro nobis obeuntis. Phraſium Scripturæ nimia vis pro Paſchate Judæorum, exprimit ad literam Paſcha J. Chriſti. Joſias denique, *qui peccatum non commiſerat*, quodammodo pro peccatis populi ſui obiit, quem populum Dominus tunc multare decreverat; necique traditus eſt a Principe alieno, qui tam cum alio, non cum illo habebat. Quid hoc, niſi J. Chriſtus, qui, innocens licet aſtrictus, pro peccatis populi ſui morti traditur, ac cingitur a Romanis, populo alieno, qui Jeſum utique non norat, quique inſcius & imprudens ſeſe exhibet inſtrumentum nequiſſimi ſceleris hominum, ſimulque Divinæ erga mortales largitatis miniſtrum?

℣. 30. Tulit populus terræ Joachaz . . . et unxerunt eum. Rex Ægypti, poſt victoriam de Judæis, in regione non ſubſtitit, ſed proceſſit ad Euphratem, in expeditionem Carchemiſiæ. Interim Judæi veriti, ne redux ab expeditione Ægyptiaca ditionem Judaicam occuparet, utpote Principe deſtitutam, Joachazum, Joſiæ filium, alio nomine *Sellum*, Regem ſalutarunt. Junior hic Princeps, cum inter filios Regis natu major non eſſet, nec ad illum jure ſucceſſionis Regnum pertineret, Regia unctione initiatus eſt, quæ nunquam dabatur, niſi in ſimilibus rebus, cum Regni poſſeſſio ambigua eſſe poſſet, & litigioſa. Facile reputatus fuit Joachaz maxime aptus, qui reſiſteret Regi Ægypti, atque labantibus rebus ſuſtinendis quam cæteri, ac præſertim natu major frater. Sed redux Carchemiſſa Nechao, offenſuſque ob electum a populo, ſe inſcio, Regem, accivit Joachazum Reblam, urbem in regione Emath, amotumque a Regno oneravit catenis, ac in Ægyptum miſit, ſubſtituto in ejus locum fratre ejus natu majori *Eliakimo*. Qua ratione Joachaz in manus Nechai inciderit, ſilet Scriptura. Cenſet Sanctius, Regem Juda, ducto adverſus Nechaum exercitu, prælio victum fuiſſe. Conjecturam hanc ſuam fulcit ex Textu Ezech. xix. 2. 3. *Mater tua leæna inter leones cubavit . . . & eduxit unum de leunculis ſuis, & leo factus eſt . . . & audierunt de eo gentes, & non ſine vulneribus ſuis ceperunt eum, & adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti*. Eamdem firmant ea, quæ Nechao intulit Joachazo; cur enim, ſi ſponte ſe dediſſet, juſſuſque ſponte veniſſet Reblam, cur, inquam, catenis oneratus fuiſſet? Quid erat criminis regnum deferente populo accepiſſe? Tradunt Judæi, Joachazum exercitum duxiſſe adverſus Nechaum uſque in Ægyptum, ut mortem patris ſui ulciſceretur (8). Diſcimus ex Jeremia (9), obiiſſe illum in regione, quo captivus deductus eſt.

℣. 33. Rebla, vel ut appellant Syriacus & Arabs, *Deblat*, urbs erat in Syria, & in terra Emath, vel Amaſeæ. Ipſiſſima creditur Apamea Syriæ ad Orontem; atque ita interpretantur Chaldæi Paraphraſtæ in Libro Numerorum (10).

℣. 34. Regem constituit Eliacim . . . vertitque nomen ejus Joachim. Mutatio hæc nominum argumentum erat dominii Regis Ægypti in Regem Juda, quem conſtituebat ceu vicibus Regis fungentem, vel potius ut Regem ſubditum, & tributarium. Imperavit autem tributum centum talentorum argenti, & auri decem (11). Occurret inferius (12) Nabuchodonoſor Rex Babyloniæ, vertens nomen *Matthaniæ* in *Sedeciam*, illum in ſolio Jeroſolymæ conſtituens. Idem alia nomina indidit Danieli, Ananiæ, Miſaeli, & Azariæ, cum ſerviciis ſuis illos addixit (13). Eodem Imperii jure uſus aſt Pharao Rex Ægypti . . .

[1] Num. xii. 12. [2] Matth. xv. 39. [3] 4. Reg. xxii. 20. [4] 4. Reg. xxiii. 25. [5] 2. Par. xxxv. 24. 25. [6] Eccli. xlix. 1. & ſeqq. [7] 3. Reg. xiii. 2. *Ecce filius naſcetur domui David, & Joſias nomine, & immolabit ſuper te Sacerdotes excelſorum*. [8] Vide Munſt. hic. [9] Jerem. xxii. 11. 12. Vide & hic ℣. 34. [10] Num. xxxiv. 11. Vide Jun. hic. [11] Centum talenta argentea libras conficiunt circiter 486715. & decem aurea, libras 547659. & ſolidos decem. [12] 4. Reg. xxiv. 17. [13] Dan. i. 6. 7.

pti in Joſephum, quem in ampliſſimam dignitatem adſcivit (1).

℣. 37. Fecit malum coram Domino. Exemplum fratris revocare illum ad officium non valuit. Exprobrat Jeremias (2) Joakimo, quod domum conderet in iniquitate, injuſtis oppreſſionibus proximum afficeret, atque mercedem operariorum retineret; oculos & cor haberet in aurum & ſævas cupiditates intentum; quod animi ſui propenſionem in effundendo innoxio ſanguine, atque in ſceleribus omnis generis patrandis ſequeretur. Hæc Joakimi imago. Quam ſevera animadverſione illum punierit Deus, ex ſequenti Capite conſtabit. Ex eodem Propheta diſcimus, Joakimum neci tradidiſſe *Uriam* Prophetam, qui aufugerat in Ægyptum, ejuſque cadaver in ſepulcra vulgi projeciſſe (3).

---

[1] Geneſ. xli. 45. [2] Jerem. xxii. 13. & ſeq. [3] Idem cap. xxvi. 22. *Miſit Rex Joakim viros in Ægyptum, & eduxerunt Uriam de Ægypto, & adduxerunt eum ad Regem Joakim, & percuſſit eum gladio, & projecit cadaver ejus in ſepulchris vulgi ignobilis.*

CAPUT XXIV.

Joachim deſciſcit in Regem Babylonis, Joachin ſuccedit. Nabuchodonoſor Jeroſolymam obſidet. Joachin cum pleriſque optimatibus Regni ſui Babylonem ducitur; ejuſque loco conſtituitur Matthanias vel Sedecias.

A. M. 3397. ℣. 1. IN diebus ejus aſcendit Nabuchodonoſor rex Babylonis, & factus eſt ei Joa-
Kim ſervus tribus annis: & rurſum rebellavit contra eum. 2. Immiſitque
ei Dominus latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, &
latrunculos filiorum Ammon: & immiſit eos in Judam, ut diſperderent eum, juxta
A. M. 3405. verbum Domini, quod locutus fuerat per ſervos ſuos prophetas. 3. Factum eſt autem hoc per verbum Domini contra Judam, ut auferret eum coram ſe, propter pec-
cata Manaſſe univerſa, quæ fecit, 4. Et propter ſanguinem innoxium, quem effu-
dit, & implevit Jeruſalem cruore innocentium: & ob hanc rem noluit Dominus pro-
pitiari. 5. Reliqua autem ſermonum Joakim, & univerſa, quæ fecit: nonne hæc
ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Juda? Et dormivit Joakim cum pa-
tribus ſuis: 6. Et regnavit Joachin filius ejus pro eo, 7. Et ultra non addidit rex
Ægypti, ut egrederetur de terra ſua: tulerat enim rex Babylonis, a rivo Ægypti,
uſque ad fluvium Euphratem, omnia, quæ fuerant regis Ægypti. 8. Decem, &
octo annorum erat Joachin, cum regnare cepiſſet, & tribus menſibus regnavit in Je-
ruſalem: nomen matris ejus Nohesta, filia Elnathan de Jeruſalem. 9. Et fecit ma-
lum coram Domino, juxta omnia, quæ fecerat pater ejus. 10. In tempore illo
aſcenderunt ſervi Nabuchodonoſor regis Babylonis in Jeruſalem, & circumdata eſt urbs
munitionibus. 11. Venitque Nabuchodonoſor rex Babylonis ad civitatem cum ſervis
ſuis, ut oppugnarent eam. 12. Egreſſuſque eſt Joachin rex Juda ad regem Babylo-
nis, ipſe, & mater ejus, & ſervi ejus, & principes ejus, & eunuchi ejus, & ſuſce-
pit eum rex Babylonis anno octavo regni ſui. 13. Et protulit inde omnes theſau-
ros domus Domini, & theſauros domus regiæ: & concidit univerſa vaſa aurea, quæ
fecerat Salomon rex Iſrael in templo Domini juxta verbum Domini. 14. Et tranſ-
tulit omnem Jeruſalem, & univerſos principes, & omnes fortes exercitus, decem
millia, in captivitatem; & omnem artificem, & cluſorem: nihilque relictum eſt, ex-
ceptis pauperibus populi terræ. 15. Tranſtulit quoque Joachin in Babylonem, &
matrem regis, & uxores regis, & eunuchos ejus: & judices terræ duxit in captivi-
tatem de Jeruſalem in Babylonem. 16. Et omnes viros robuſtos, ſeptem millia, &
artifices, & cluſores mille, omnes viros fortes, & bellatores: duxitque eos rex Ba-
bylonis captivos in Babylonem. 17. Et conſtituit Matthaniam patruum ejus pro eo:
impoſuitque nomen ei Sedeciam. 18. Vigeſimum & primum annum ætatis habebat
Sedecias, cum regnare cepiſſet, & undecim annis regnavit in Jeruſalem: nomen
matris ejus erat Amital, filia Jeremiæ, de Lobna. 19. Et fecit malum coram Do-
mino; juxta omnia, quæ fecerat Joakim. 20. Iraſcebatur enim Dominus contra Je-
ruſalem, & contra Judam, donec projiceret eos a facie ſua: receſſitque Sedecias
a rege Babylonis.

℣. 1. In

℣. 1. IN DIEBUS EJUS ASCENDIT NABUCHODONOSOR. Nabuchodonoſor, celebre in hiſtoria populi Dei nomen, filius erat inclyti Nabopolaſſari, Regis Babyloniæ. Narrat Beroſus (1), Nabopolaſſarum, ut certior factus eſt de defectione Præfectorum ſuorum in Ægypto, Cœleſyria, & Phœnicia, partem copiarum ſuarum tradidiſſe Nabuchodonoſori filio ſuo [neque enim affecta ætas permittebat ut ipſe per ſe belli labores ſubiret] atque ad redigendos rebelles miſiſſe: veniſſe Nabuchodonoſorem, profligaſſe refractarios, & coegiſſe ad Imperium. Idem eum cæteris fatum ſubiit Joackimus, quem Nechao Regem conſtituerat ea conditione, ut tributum ſolveret. Acta ſunt hæc exeunte tertio, & ineunte quarto Joakimi anno, uti ex collatione Danielis (2) cum Jeremia (3) intelligimus. Credimus autem, *Nabopolaſſarum* ſocium imperii adſciviſſe filium, miſſum in provincias trans Euphratem; in Scriptura enim appellatur Rex Babyloniæ, & idem hic annus tamquam primus Regni ejus conſtituitur (4). Expeditionem ſuam cœpit Nabuchodonoſor ab expugnatione Carchemiſiæ, & a diſſipato præſidio, quem Nechao triennio ante ibi reliquerat (5). Inde ulterius procedens ſubdidit omnia, quæ Regi Ægypti paruerant, ab Euphrate uſque ad Nilum, ut hic ℣. 7. diſcimus. Venit obſeſſurus Joakimum Regem Juda Jeroſolymæ, captaque urbe, vincula injecit Joakimo, deducturus illum Babylonem (6). Sed libertati reſtituit ea conditione, ut tributum ſolveret. Joakimus triennio promiſſis ſtetit; deinde jugum Regis Babyloniæ excuſſit: quare coactus Nabuchodonoſor rediit in Judæam, ut in articulo ſequenti. In priori expeditione Jeroſolymitana Nabuchodonoſoris, hic ſacra Templi vaſa ſecum abſtulit (7), dedicavitque in Templo Dei ſui in terra Sennaar: duxit etiam captivos Babylonem Danielem cum ſociis, alioſque (8).

ET RURSUM REBELLAVIT CONTRA EUM, ideſt, poſt ſolutum triennio tributum. Vox hæc *rurſum* indicare videtur, ſemel antea rebellaſſe. Conſtat tamen, antea tributarium fuiſſe Regis Ægypti, cui ut fidem ſervaret integram, recuſaſſe Nabuchodonoſori parere, ejuſque obſidionem Jeroſolymæ ſuſtinuiſſe. Itaque vertendum eſt Hebræum וישב וימרד בו *reverſus eſt*, vel *averſus eſt*, vel *deſcivit in illum*. Uſus eſt facile opportunitate abſentiæ Nabuchodonoſoris, quem obitus patris Nabopolaſſari coegit, relictis omnibus, regredi Babylonem, ut Aſſyriorum ac Babyloniorum imperium capeſſeret. Obierat Nabopolaſſar tertio Nabuchodonoſoris anno, verſantis adhuc in Ægypto, & occupati dirigendis rebus illius, cæterarumque regionum devictarum. Beroſus apud Joſephum (9) narrat accuratiſſime reditum illius Babylonem, & quæ ab illo poſt reditum præſtita ſunt. Sed hæc ex parte ſolum ad noſtrum inſtitutum pertinent. Defectione ſua per aliquod tempus uſus eſt Joakimus; aliis enim diſtentus curis Nabuchodonoſor prohibitus eſt, ne de illo cogitaret. Nonniſi anno Regni ſui ſeptimo (10), & Mundi 3400. triennio poſt defectionem Joakimi, miſit ille in Judæam exercitum ex Chaldæis, Syris, Moabitis, & Ammonitis (11), qui & regionem vaſtarunt, & captivos abduxerunt ter millenos ac viginti tres (12).

℣. 2. IMMISIT EI DOMINUS LATRUNCULOS CHALDÆORUM. Hoſtiles haſce manus miſit Nabuchodonoſor, qui per ſe venire non potuit. Utebatur Deus hoc Rege conſiliorum ſuorum adminiſtro; & Nabuchodonoſor ejuſmodi copias immittebat, quæ nihil poſtulabant aliud, quam hoſtilem regionem diripere. Vide articulum præcedentem. Latrunculi Chaldæorum ejuſdem erant conditionis ac latrunculi Syrorum, Moabitarum, Ammonitarum, cæterorumque, de quibus alibi (13).

JUXTA VERBUM DOMINI QUOD LOCUTUS FUERAT PER PROPHETAS. Non raro Deus minitatus fuerat per Prophetas ſuos exitium Judæ, ex quo ejus Reges & populi licentiæ & ſuperſtitioni fræna laxaverant. Vide ſuperius Oraculum Holdæ Prophetidis (14). Vide etiam quæ prænunciavit Iſaias Ezechiæ, poſtquam Rex inanem theſaurorum ſuorum pompam coram Chaldæis fecit (15). Vide & Capita XIV. XV. Jeremiæ, ac ejuſdem Prophetæ Caput XVI. ubi recitantur Oracula Michææ Moſtitæ, & Uriæ filii Semei.

℣. 5. DORMIVIT JOAKIM CUM PATRIBUS SUIS. Latam mortalibus omnibus legem ſubivit, naturæ debitum tributum ſolvit; ſed privatus honore patriæ ſepulturæ, projectus eſt inhumatus. *Sepultura aſini ſepelietur*, ut habet Jeremias XXII. 19. *& putrefactus & projectus extra portas Jeruſalem* (16).

Sunt qui crediderint, eductum fuiſſe e ſepulcro, ut inhumatus jaceret (17); maluerunt alii, neci traditum fuiſſe Babylone. Sed conſtat obiiſſe Jeroſolymæ, & Chaldæos cæteroſque a Nabuchodonoſore immiſſos interfeciſſe illum, plurimiſque indignis affeciſſe defuncti cadaver, ut hic narratur. Fertur (18), poſt mortem defuncti cadaver compunctum apparuiſſe ſacrilegis ſtigmatibus, pictis characteribus, demonſtrantibus, Dæmonem, cui ſe devoverat, appellatum fuiſſe *Codonazer*. Traditiones ejuſmodi petitæ ſunt ex verbis ſecundi Paralipomenon XXXVI. 8. *Reliqua verborum Joakim, & abominationes ejus, quas operatus eſt, & quæ inventa ſunt in eo, continentur in Libro Regum Juda.*

In fragmento quodam Eupolemi apud Euſebium (19) legimus, accidiſſe quondam ut Joakimo cæteriſque Judæis Idolo aureo, Baal appellato, ſacrificantibus, fuerit improviſus Jeremias, atque imminens capitibus illorum exitium prænunciarit. Minitatus eſt Joakimus Prophetæ ignis ſupplicium; ſed Jeremias minime permotus, nunciavit illi futurum, ut coquinæ Babyloniorum miniſtrare cogeretur, eamque in rem uteretur iiſdem lignis, quæ ſibi in rogum deſtinabat, iiſdemque lignis foſſurum illum canales ad derivandas Tigris & Euphratis undas in terras Babyloniorum. Rem, uti prænunciata fuerat, cum reſciſſet Nabuchodonoſor, Aſtibaren Regem Medorum, ut ſociaret ſecum arma in Judæos, obſecravit. Ambo igitur exercitum componentes decem millium curruum, & centum octoginta millium peditum, equorumque viginti millium, in regionem venere, totamque late vaſtarunt igne, & ferro, interfectis quotquot nacti ſunt Judæos in Samaritide, Galilæa, Galaaditide, & Scythopoli: accedentes deinde Jeroſolymam, capta urbe ac Rege Joakimo, Templum diripuere, divitiis ejus omnibus Babylonem miſſis, præter Arcam, &

[1] Beroſ. apud Joſeph. contra Appion. l. 1. & lib. x. Antiq. c. 11. [2] Daniel. 1. 1. *Anno tertio Regni Joakim Regis Juda, venit Nabuchodonoſor Rex Babylonis in Jeruſalem, & obſedit eam.* [3] Jerem. XXV. 1. *Anno quarto Joakim Regis Juda, ipſe eſt annus primus Nabuchodonoſor.* [4] Jerem. loco proxime citato. [5] Jerem. XLVI. 1. 2. [6] 2. Paral. XXXVI. 6. *Contra hunc aſcendit Nabuchodonoſor, & vinctum catenis duxit in Babylonem*, ſcilicet, *ducere propoſuit*. Confer cum hoc loco. [7] Daniel. 1. 2. *Tradidit Dominus in manu ejus Joakim & partem vaſorum domus Dei, & aſportavit ea in terram Sennaar, in domum Dei ſui.* Vide & 2. Paral. XXXVI. 8. [8] Daniel. loco citato. [9] Vide Joſeph. Antiqu. l. x. c. 11. [10] Jerem. LII. 28. *Iſte eſt populus quem tranſtulit Nabuchodonoſor in anno ſeptimo, Judæos tria millia & viginti tres.* [11] Hic ℣. 2. [12] Jerem. loco proxime citato. [13] Vide ad 4. Reg. V. 2. & Judic. XI. 3. [14] 4. Reg. XXII. 16. [15] 4. Reg. XX. 17. [16] Jerem. XXXVI. 30. *Hæc dicit Dominus contra Joakim Regem Juda: Cadaver ejus projicietur ad æſtum per diem, & ad gelu per noctem.* [17] Vide Baruc 1. 24. [18] Vide Author. tradit. Hebr. in Libb. Paral. & hiſt. Scholaſt. & Lyr. Toſt. [19] Euſeb. ex Alexand. Polyhiſt. Præpar. l. 9. c. 39.

Digitized by Google

Tabulas, quas Jeremiæ reliquere. Hæc Eupolemus, miſcens poſtremam expugnationem Jeroſolymæ ſub Sedecia cum altera ſub Joakimo. Sed ab alienis Scriptoribus quis accuratum aliquid expectet?

℣. 6. Regnavit Joachin filius ejus pro eo. Joachin idem eſt ac *Jechonias*, de quo S. Matthæus 1. 11. & *Cenias*, de quo Jeremias (1). Qui vero concilientur ea, quæ hic leguntur de Jechonia filio Joakimi, cum illis Jeremiæ XXXVII. 30. *Non erit ex eo* [Joakimo] *qui ſedeat ſuper thronum David*. Reponi poteſt, Regnum Jechoniæ, utpote trimeſtre, quin & Chaldæis ſubjectum, breve adeo fuiſſe, leviſque authoritatis, ut perinde habendum ſit ac nullum.

℣. 7. Non addidit Rex Ægypti ut egrederetur de terra sua. Intra veteres Regni ſui limites clauſus eſt, ditionem Judæorum, cæterarumque vicinarum gentium excurrere deinceps minime auſus. Spatio aliquo temporis is rerum in Ægypto ſtatus perſeveravit (2); nihilo tamen ſecius tentarunt Ægyptii ſuppetias ad Sedeciam mittere in ſuprema obſidione Jeroſolymæ: cujus rei gratia Ægypto prodierunt. His vero ab exercitu Chaldæorum pulſis, Nabuchodonoſor iterum ad obſidionem urbis rediit, eamque expugnavit.

A rivo Ægypti usque ad fluvium Euphratem. A Nilo, vel ſaltem a ramo ejus amnis maxime Orientali, qui prope Peluſium fluens, fertur ad Euphratem (3). Provincias haſce omnes, quas Nechao ſubegerat, illi eripuit Nabuchodonoſor.

℣. 8. Decem et octo annorum erat Joachin, cum regnare cœpisset. Regnum capeſſenti octo tantum annos tribuunt Paralipomena: ſi alteruter Textus corruptus eſt, uti non ſine maxima veri ſpecie ſuſpicamur, mendum potius tribuendum eſt Paralipomenis, quam Textui Regum. Joachino enim erant uxores, Babylonem tranſlatæ (4) poſt tres ab incepto Regno menſes: id autem minime convenit homini octo annorum ætatis. Adde, Syriacum, & Arabem legere utrobique annos *decem & octo*. Inſuper qua ratione de puero octenni affirmari poteſt, mala illum coram Domino perpetraſſe, uti Scriptura de Joachino hic aſſerit (5)? Sunt qui credant (6), Joachinum octennem fuiſſe, cum Joakim ejus pater Regnum capeſſivit. Sed novum eſt ac ſine exemplis, ut exordium Regni patris ex ætate filiorum adſcribatur. Malunt alii (7), octavum eſſe hunc annum ſervitutis Babylonicæ, cujus exordium ducendum ſit a capta Jeroſolyma ſub Joakimo. Denique Sanctius, & Cornelius a lapide ſuſpicantur, Joachinum decennem adſcitum fuiſſe a patre in Regni ſocietatem, & poſt Regnum octo annorum cum Joakimo, deinde ſolum rebus præfuiſſe, annis duodeviginti natum (8).

Tribus mensibus regnavit. Familiares Nabuchodonoſoris, Joachino Rege creato pro Joakimo ipſius patre, venere non diu poſt obſeſſuri Jeroſolymam, novis facile juſſionibus a Nabuchodonoſore acceptis. Ut ille per ſe venit ex Aſſyria, rebus ſuis compoſitis, cum propius ad urbem ſucceſſiſſet, egrediens Jechonias, ſponte una cum matre ſua, famulis, & optimatibus, ſeſe dedidit. Regnum nonniſi trimeſtre egerat, & Nabuchodonoſor octavum agebat annum Regni, triennio circiter ante patris ſui Nabopolaſſari obitum cœpti.

℣. 9. Fecit malum coram Domino. Regem hunc pinxiſſe videtur Ezechiel (9): *Leæna tulit unum de leunculis ſuis, leonem conſtituit eum. Qui incedebat inter Leones, & factus eſt leo; & didicit prædam capere, & homines devorare; didicit viduas facere, & civitates eorum in deſertum adducere; & deſolata eſt terra, & plenitudo ejus a voce rugitus illius. Et convenerunt adverſus eum gentes undique de provinciis, & expanderunt ſuper eum rete ſuum: in vulneribus earum captus eſt, & miſerunt eum in caveam, in catenis adduxerunt eum ad Regem Babylonis: miſeruntque eum in carcerem, ne audiretur vox ejus ultra ſuper montes Iſrael*. Poſtremum hoc Jechoniam potiſſimum reſpicit; reliqua congruunt Joachimo illius patri, cujus peſſima veſtigia filium relegiſſe affirmat Scriptura. Regem hunc acerbis adeo objurgationibus perſtringit Jeremias (10), ut ad ſenſum demonſtret, quanto Deus furore in illum exarſerit, ac proinde in quantam ille licentiam venerit: *Si fuerit Jechonias annulus in manu dextera mea, inde evellam eum, dicit Dominus. Et dabo te in manu quærentium animam tuam, & in manu quorum tu formidas faciem, & in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & in manu Chaldæorum. Et mittam te & matrem tuam, quæ genuit te, in terram alienam, in qua nati non eſtis, ibique moriemini; & in terram, ad quam ipſi levant animam ſuam, ut revertantur illuc, non revertentur. Numquid vas fictile, atque contritum vir iſte Jechonias? Numquid vas abſque omni voluptate? Quare abjecti ſunt ipſe, & ſemen ejus, & projecti in terram, quam ignoraverunt. Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini. Hæc dicit Dominus: Scribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur; nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Juda*.

℣. 12. Egressus est Joachin, venitque deditionem facturus Nabuchodonoſori. Laudat Joſephus (11) hoc Joachini facinus, quippe quem maluiſſe dicit permittere ſe totamque familiam Babyloniis Jeroſolymam obſidentibus, quam profananda ipſis relinquere ſacra vaſa, eorumque furori Templum exponere. Nihil tale exprimit Scriptura; quin imo conſtat, Nabuchodonoſorem vaſis ſacris non pepercisse, ut hic narratur.

℣. 13. Concidit universa vasa aurea. Triplici direptione, ac triplici tempore vaſa opeſque Templi abſtulit Nabuchodonoſor. I. Plera[que] tulit, cum primum ſub Joachimo Jeroſolymam cepit; eaque in Templo Numinis ſui, in regione Sennaar, dedicavit (12). Eadem Balthaſar hujus filius profanavit (13), & Cyrus Eſdræ reſtituta, Jeroſolymam remiſit (14). II. Quidquid vaſorum ſuperſtes in Templo fuit, rapuit, atque comminuit, cum ſecundo eamdem urbem expugnavit, ſub Jechonia. III. Templo denique direpto, æs omne, vaſaque omnia & columnas æreas, quæ ibi nactus eſt, aureas etiam & argenteas ſupellectiles abſtulit ſub Sedecia (15). Hæc vero poſtrema vaſa ex auro argentoque a Nabuchodonoſore direpta, ea fortaſſe fuerunt, quæ Sedecias conflaverat (16).

Juxta verbum Domini, per Iſaiam prolatum, e. g. ad Ezechiam (17), tum per Jeremiam (18) pluries.

℣. 14. Transtulit omnem Jerusalem, incolas ſcilicet, ſeu potius incolarum Principes; ſequenti enim Capite ℣. 18. 19. frequentes adhuc ſatis videntur, poſt alteram hanc tranſlationem. Dena igitur hominum millia ex urbe, ac ſeptena ex agro, & mille ferri ac ligni artifices cepit Nabuchodonoſor, additis Rege, ejuſque uxoribus, ac fami-

[1] Jerem. XXII. 24. *Vivo ego, dicit Dominus, quia ſi fuerit Jechonias* (Heb. *Cenias* כניה) *filius Joakim, annulus in manu dextera mea, inde evellam eum*. [2] Jerem. XXXVII. 6. 7. [3] Vide dicta ad Joſue XIII. 3. [4] Vide infra ℣. 15. [5] Vide, ſi lubet Uſſer. Chronol. ad an. 3405. Caje[t]. Piſc. & alios. [6] Jun. & Bruchton. & Gr. in 2. Paral. [7] Harduin. Chronol. vet. teſt. Ligſ. [8] Iſa & Kim. Lyr. Mar. [9] Ezech. XIX. 5. 6. [10] Jerem. XXII. 24. & ſeq. [11] Joſeph. de bello Jud. l. 6. c. 8. p. 948. D. [12] Daniel. 1. 2. [13] Daniel. V. 2. [14] 1. Eſdr. 1. 7. [15] 4. Reg. XXV. 13. 14. 15. &c. [16] Baruch. 1. 7. 8. [17] 4. Reg. XX. 17. & Iſai. XXXIX. 6. [18] Jerem. XV. 13. &c.

familiaribus (1). Inter captivos erant Ezechiel & Mardochæus.

Omnem artificem et clusorem. Altera vox originalis חרש ſonat generice *fabrum*, τέκτονα, ligno, ferro, lapide, ære, auro, argento. Altera מסגר minus nota eſt. Alii ſabrum cæmentarium reddunt, συγκλείοντα, cujus munus eſt muros claudere, diruta mœnia reparare, *cicatrices murorum obducere*, ut ajunt Hebræi (2). Alii aurificem, cujus eſt annulos conflaro, gemmaſque auro ſtringere. Alii ferarum fabrum, vel fabrum ſolaarum ferrearum in equorum uſum, ſeu milites in præſidiis vel in caſtris clauſos. Prior explicatio verior videtur; quid enim magis e natura, quam fabros lignarios, cæmentarios, & metallorum opifices jungere?

℣. 15. Judices terræ. Hebræus אילי הארץ *arietes terræ*. Chaldæus, Syriacus, Arabs: *Principes regionis*. Principes ioterdum arietibus comparat Homerus.

℣. 17. Matthaniam patruum ejus. Joachini, Joſiæ filium, & Joakimi fratrem. Sedeciæ nomen obtinuit, ſupremuſque fuit Judæorum Rex ante Babylonicam captivitatem. *Sedecias*, quæ vox *juſtitiam Dei* ſignificat, ideirca fortaſſe appellatus eſt, quod fidem ab jurato, Dei nomine interpoſito, Nabuchodonoſor exegerit (3).

℣. 19. Fecit malum coram Domino. Adverſus Domini minas, ab Jeremia ſignificatas (4), obduruit: ad Deum reverti neglexit, malis, quibus anteceſſores oppreſſos viderat, minime perculſus. Exceranda gentium crimina imitati Sacerdotes ac populus, Templum Domini violarunt (5). Quæ illorum ſuperſtitio fuerit, docet Ezech. VIII. IX. X. XI.

℣. 20. Recessit Sedecias a Rege Babylonis. anno Mundi 3414. octavo Sedeciæ. Id graviter illi exprobrat Scriptura (6), quod fidem ſacramento datam Nxbuchodonoſori fregerit. Hæc defectio ita hoc loco narratur, quaſi Numinis irati conſilio evenerit, Permiſit Deus, ut Sedecias id gereret, invitis politices ac prudeotiæ legibus, ut in Regem ac populum ob crimina animadverteret,

[1] Vide infr. ℣. 13. 16. & Jerem. XXIV. XXIX. 2. Ezech. XVII. 12. [2] Vide 4. Reg. XII. 5. & 12. & 2. Paralip. XXIV. 13. *Obducebatur parietum cicatrix*, Eſdr. IV. 7. *Quod obducta eſſet cicatrix muri Jeruſalem*. [1] 2. Par. XXXVI. 13. *A Rege quoque Nabuchodonoſor receſſit, qui adjuraverat eum per Deum*. [4] 2. Par. XXXVI. 12. *Nec erubuit faciem Jeremiæ Prophetæ loquentis ad ſe ex ore Domini*. Vide & Jerem. XXXVII. 2. (5) Ibid. ℣. 13. & 14. (6) 2. Par. XXXVI. 13. Vide ſupra,

CAPUT XXV.

Suprema Jeroſolymæ obſidio per Nabuchodonoſorem. Capitur Sedecias, & Reblatham ductus, oculis orbatur, perpetuo carcere damnatus, Babylonem ducitur. Templum, totaque Jeroſolyma cremantur. Godolias in Judæa cum imperio relictus, ab Iſmaele interficitur. Populus in Ægyptum fugit. Joachin gratiam init Evilmerodachi Regis Babylonis.

℣. 1. FActum eſt autem anno nono regni ejus, menſe decimo, decima die menſis, A. M. 3414.
venir Nabuchodonoſor rex Babylonis, ipſe & omnis exercirus ejus in Jeru- ante J. Chr. 190.
ſalem, & circumdederunt eam: & extruxerunt in circuitu ejus muniriones. 2. Et
clauſa eſt civitas, atque vallata, uſque ad undecimum annum regis Sedeciæ, 3. No-
na die menſis, prævaluitque fames in civitate, nec erat panis populo terræ. 4. Et
interrupta eſt civitas: & omnes viri bellatores nocte fugerunt per viam portæ, quæ
eſt inrer duplicem murum ad hortum regis (porro Chaldæi obſidebant in circuitu
eivitatem) fugit iraque Sedecias per viam, quæ ducir ad campeſtria ſolitudinis. 5.
Et perſecutus eſt exercitus Chaldæorum regem, comprehenditque eum in planitie
Jericho: & omnes bellatores, qui erant cum eo, diſperſi ſunr, & reliquerunt eum.
6. Apprehenſum ergo regem duxerunr ad regem Babylonis in Reblatha: qui locutus A. M. 3416.
eſt eum eo judicium. 7. Filios autem Sedeciæ occidir coram eo, & oculos ejus ef-
fodit, vinxitque eum catenis, & adduxit in Babylonem. 8. Menſe quinro, ſeprima
die menſis, ipſe eſt annus nonus decimus regis Babylonis, venit Nabuzardan prin-
ceps exercitus, ſervus regis Babylonis, in Jeruſalem. 9. Et ſuccendit domum Do-
mini, & domum regis: & domos Jeruſalem, omnemque domum combuſſit igni. 10.
Et muros Jeruſalem in circuitu deſtruxit omnis exercitus Chaldæorum, qui erat cum
principe militum. 11. Reliquam autem populi partem, quæ remanſerar in civita-
te, & perſugas, qui transfugerant ad regem Babylonis, & reliquum vulgus, tranſtu-
lit Nabuzardan princeps militiæ. 12. Et de pauperibus rerræ reliquit vinitores, &
agricolas. 13. Columnas autem æreas, quæ eranr in remplo Domini, & baſes, &
mare æreum, quod erat in domo Domini, confregerunr Chaldæi, & rranſtulerunr æs
omne in Babylonem. 14. Ollas quoque æreas, & trullas, & tridentes, & ſcy-
phos, & mortariola, & omnia vaſa ærea, in quibus miniſtrabant, tulerunt. 15.
Necnon & thuribula, & phialas, quæ aurea, aurea; & quæ argentea, argentea;

tulit princeps militiæ: 16. Id eſt columnas duas, mare unum, & baſes, quas fecerat Salomon in templo Domini: non erat pondus æris omnium vaſorum. 17. Decem, & octo cubitos altitudinis habebat columna una: & capitellum æreum ſuper ſe altitudinis trium cubitorum: & retiaculum, & malogranata ſuper capitellum columnæ, omnia ærea: ſimilem & columna ſecunda habebat ornatum. 18. Tulit quoque princeps militiæ Saraiam ſacerdotem primum, & Sophoniam ſacerdotem ſecundum, & tres janitores. 19. Et de civitate eunuchum unum, qui erat præfectus ſuper bellatores viros: & quinque viros de his, qui ſteterant coram rege, quos repperit in civitate: & Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ: & ſexaginta viros e vulgo, qui inventi fuerant in civitate. 20. Quos tollens Nabuzardan princeps militum, duxit ad regem Babylonis in Reblatha. 21. Percuſſitque eos rex Babylonis, & interfecit eos in Reblatha in terra Emath: & translatus eſt Juda de terra ſua. 22. Populo autem, qui relictus erat in terra Juda, quem dimiſerat Nabuchodonoſor rex Babylonis, præfecit Godoliam filium Ahicam, filii Saphan. 23. Quod cum audiſſent omnes duces militum, ipſi, & viri, qui erant cum eis, videlicet quod conſtituiſſet rex Babylonis Godoliam, venerunt ad Godoliam in Maſpha, Iſmahel filius Nathaniæ, & Johanan filius Caree, & Saraja filius Thanebumeth Netophatites, & Jezonias filius Maachathi, ipſi, & ſocii eorum. 24. Juravitque Godolias ipſis, & ſociis eorum, dicens: Nolite timere ſervire Chaldæis: manete
A. M. 3417. in terra, & ſervite regi Babylonis, & bene erit vobis. 25. Factum eſt autem in menſe ſeptimo, venit Iſmahel filius Nathaniæ, filii Eliſama de ſemine regio, & decem viri cum eo: percuſſeruntque Godoliam, qui & mortuus eſt: ſed & Judæos, & Chaldæos, qui erant cum eo in Maſpha. 26. Conſurgenſque omnis populus a parvo, uſque ad magnum, & principes militum, venerunt in Ægyptum, timentes Chaldæos. 27. Factum eſt vero in anno trigeſimo ſeptimo tranſmigrationis Joachin regis Juda, menſe duodecimo, vigeſima ſeptima die menſis, ſublevavit Evilmerodach rex Babylonis, anno, quo regnare cœperat, caput Joachin regis Juda de carcere. 28. Et locutus eſt ei benigne: & poſuit thronum ejus ſuper thronum regum, qui erant cum eo in Babylone. 29. Et mutavit veſtes ejus, quas habuerat in carcere, & comedebat panem ſemper in conſpectu ejus cunctis diebus vitæ ſuæ. 30. Annonam quoque conſtituit ei ſine intermiſſione, quæ & dabatur ei a rege per ſingulos dies, omnibus diebus vitæ ſuæ.

℣. 1. ANNO NONO REGNI EJUS, MENSE DECIMO .... VENIT NABUCHODONOSOR. Deficiente a Chaldæis Sedecia, Nabuchodonoſor perfidia & levitate ejus gentis commotus, Judæorum imperium evertere, omneſque incolas alio transferre decrevit. Nono igitur Sedeciæ anno, Mundi 3414. qui Sabbaticus erat (1), in Judæam venit. Rex & populus ſervos liberare, ex lege Domini (2), qua præcipitur, ut ſeptimo quoque anno ſervis reſtituatur libertas, decreverant. Quod & ſatis accurate perfectum eſt: non tamen diu poſt revocatos ſervos io ſervitute habuerunt: eaque Divini furoris cauſa fuit graviſſima. Illud iis acriter exprobrans Jeremias (3), imminens exitium, bellum, peſtem ac famem minitatus eſt. Auctæ interim e ſubditis a Nabuchodonoſore gentibus Chaldæorum copiæ, omnem Juda regionem inundarunt, urbeſque Lachis & Azecam, quæ unicæ ſatis munitæ Sedeciæ ſupererant (4), expugnavere. Subacta regione, Nabuchodonoſor Jeroſolymam cinxit decima die menſis decimi, anno Sedeciæ nono; ſcilicet feria quinta, die trigeſima Januarii, anno Mundi 3414. ex calculis Uſſerii. Cum Jeremias liberioribus verbis futurum urbis excidium Regiſque captivitatem prædixiſſet, in vincula datus, ibi diu detentus eſt (5).

Ægypti Rex, ſecreto fœdere cum Sedecia junctus, metuenſque ne Nabuchodonoſor, expugnata Judæa, Ægyptum invaderet, exercitum conſcribit, Jeroſolymam proficiſcitur, aggreſſurus Chaldæos, ut obſidionem ſolvere cogat (6). Conſilia Ægyptiorum intelligens Nabuchodonoſor, Jeroſolyma pauliſper diſcedens, Ægyptium aggreditur, fundit fugatque (7), & Jeroſolymam revertitur. Per idem fortaſſe abſentiæ Nabuchodonoſoris tempus, Jeroſolymæ cives liberos ſe penitus eſſe rati, ſervos mox liberatos per vim in ſervitutem revocarunt: quæ illis minarum & objurgationum cauſa fuit, quas legimus in Jeremia.

Quiddam in exordio belli hujus narrat Joſephus (8), quod fruſtra in Scriptura quæras; tradit enim, quo tempore Nabuchodonoſor acceſſit Jeroſolymam obſeſſurus, fontes, qui antea aruerant, ſubito multa aqua fluxiſſe; quod pariter in ſuprema urbis obſidione per Romanos ſpectatum eſt.

℣. 2. 3. 4. CLAUSA EST CIVITAS .... USQUE AD UNDECIMUM ANNUM REGIS SEDECIÆ, NONA DIE MENSIS, PRÆVALUITQUE FAMES ... ET INTERRUPTA EST CIVITAS. Exeunte anno Sedeciæ undecimo, die nona quarti menſis (9); quarta ſcilicet feria, die 27. Julii, A. M. 3416. urbs aliquot jam menſibus fame vaſtata, ſuffoſſa ſunt mœnia; & cum hoſtilibus jam armis ceſſura eſſet urbs, Sedecias ejuſque milites fuga ſeſe præripuerunt, qua parte Jericho

(1) Vide Uſſer. ad hunc annum. (2) Exod. XXI. 2. & Deut. XV. 1. 2. 12. (3) Jerem. XXXIV. 8. & ſequ. ad finem. (4) Jerem. ibid. ℣. 7. (5) Idem cap. XXXIV. 5.... 7. Vide & cap. XXX. & XXXVIII. (6) Jerem. XXXVII. 5.... 10. (7) Joſeph. Antiqu. lib. X. c. 10. συμβαλὼν τοῖς (Αἰγυπτίοις) τῇ μάχῃ νικᾷ, καὶ τρεψάμενος αὐτοὺς εἰς φυγὴν ἐξ ὅλης διώκει τῆς Συρίας. (8) Joſeph. de bello Jud. lib. 6. cap. 11. (9) Jerem. XXXIX. 2.

richo reſpiciebatur. Vulgo creditur perſeverante celebri hac obſidione, quæ poſtrema fuit Jeroſolymæ ante captivitatem Babylonicam, id contigiſſe, quod luget Jeremias (1): *Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos: facti ſunt cibus earum in contritione filiæ populi mei*. Confirmantur hæc pariter a Barucho (2), & Ezechiele (3).

Fugerunt per viam portæ, quæ est inter duplicem murum. Per unam e portis Orientalibus, patentem inter duos muros, inter murum ſcilicet, & aggerem (4): vel facile privatum erat oſtium apertum in hortis Regis, unde ex urbe dabatur egreſſus. Cenſent Rabbini (5), viam quamdam fuiſſe ſubterraneam, ex ædibus Regum Juda uſque ad agrum Jerichuntis deducentem, qua Sedecia fuga evadere tentante, permiſit Deus, ut caprea ſylveſtris eamdem viam deſuper ſignaret, quam inferius ille dimetiebatur. Chaldæi inſequentes capream, caſu inciderunt in Regem e tecto itinere prodeuntem. Nugæ. Nihil de tectis hiſce itineribus legitur, ſive in Scriptura, ſive apud Joſephum. Sed Dio, de poſtrema Jeroſolymæ obſidione agens (6), narrat, Judæis præſto fuiſſe vias quaſdam ſubterraneas, quæ ſubtus mœnia urbis excurrentes, ducebant in agrum longius. Inde vero egreſſos Judæos narrat, & corripuiſſe Romanos, ſi qui forte longius caſtris receſſiſſent. Cenſet Joſephus (7), Chaldæos mediæ noctis ſilentio irrupiſſe in urbem, ſtatimque ſe in Templum contuliſſe; atque interim Sedeciam cum ſuis, opportunas noctis tenebras captantem, ſenſim, & ſingillatim evaſiſſe in deſerta; ſed Chaldæos re ſibi prodita a perſugis, primo orientis diei diluculo inſequutos prope Jerichuntem inveniſſe. Addit (8) in ſuo opere de Bello, Sedeciam, ut urbem, & Templum ſervaret, ſe ſe ſubduxiſſe, ac ſponraneum ſibi exilium, & captivitatem indixiſſe. Hoc tamen occultandæ veritatis gratia Scriptor Judæus comminiſcitur.

℣. 6. Duxerunt ad regem Babylonis in Reblatha. Obſidioni Jeroſolymæ, cum urbs capta eſt, præſens non aderat Nabuchodonoſor: ſubſtiterat enim in Reblatha Syriæ. Porro Reblatha urbs eſt ignota; quam tamen quidam cum Apamæa Syriæ ad Orontem miſcent.

Locutus est cum eo judicium (9), ſententiam tulit. Chaldæus: *Locuti ſunt cum illo verba judiciorum*. Cauſam ejus expenderunt, vel res ad Conſilium delata eſt, & judicium ſolemniter latum eſt. Syriacus: *Rationibus cum eo ſubductis*. Reus perduellionis, & ſeditionis pronunciatus eſt, oculiſque orbatus perpetuo carceri traditus eſt (10). Credibile eſt, Nabuchodonoſorem ſententiam in hunc non tuliſſe, niſi ex ſuffragio Optimatum ſuorum, de quibus Jeremias (11). Reges Perſidis, qui ſucceſſerunt Chaldæis, nihil de rebus majoris momenti, niſi audita ſententia Conſilii ſui, decernebant (12).

℣. 7. Filios Sedeciæ occidit coram eo, et oculos ejus effodit . . . et adduxit in Babylonem. Impleta tum mirifice eſt vaticiniorum quorumdam fides, quæ pugnantia loqui videbantur. Ex iis enim unum prænunciat (13) de Sedecia: *Adducam eum in Babylonem in terram Chaldæorum, & ipſam non videbit, ibique morietur*. In altero vero legitur (14): *Loquetur os ejus* [Sedeciæ] *cum ore illius* [Regis Babylonis], *& oculi ejus oculos illius non videbunt*. Alibi vero idem Propheta contraria omnia prædixit (15): *Oculi tui* [Sedecia] *oculos Regis Babylonis videbunt, & os ejus cum ore tuo loquetur, & Babylonem introibis*. Ductus Reblatham Sedecias, aſpexit Regem Babylonis, & cum illo colloquutus eſt, oculatuſque teſtis ſpectavit ſupplicium filiorum ſuorum; deinde orbatus oculis, translatus eſt Babylonem, ubi neque urbem, neque Nabuchodonoſorem aſpexit.

Principis hujus interitum Babylone diu ante prædixerat Jeremias (16); adjecitque futurum, ut Regio funere non privaretur: *In pace morieris, & ſecundum combuſtiones patrum tuorum Regum priorum, qui fuerunt ante te, ſic comburent te; &, væ Domine*, dicentes, *plangent te*. Docent inſuper Auctores Judæi, lugubri cantilena geminatum fuiſſe in eo funere (17): *Væ, mortuus eſt Rex Sedecias, qui ætatum omnium fæcem ebibit!* id eſt, *luit pœnas criminum præcedentium omnium Regum*.

℣. 8. Mense quinto, septima die mensis . . . venit Nabuzardan in Jerusalem. Miſſus a Nabuchodonoſore Jeroſolymam venit Nabuzardanus, ferro & igne illam vaſtaturus. Movit Reblatha, ſeptima die quinti menſis, quæ componitur cum feria quarta, 24. Auguſti; ſed non pervenit Jeroſolymam niſi die decima ejuſdem menſis, a Jeremia indicata (18). Vel eo pervenit ſeptima die menſis; ſed Regias juſſiones perficere nonniſi decima ejuſdem menſis, die ſabbathi, 27. Auguſti (19) exorſus eſt. Jejunium tunc inſtituerunt Judæi (20): ea Religio adhuc perſeverat, eamdemque diem eſurialem ad nonam, non ad decimam menſis determinarunt. Igitur Templum crematum eſt poſt quadringentos annos, menſes tres, & octo dies ab eo primum condito ſub Salomone.

℣. 9. Omnem domum combussit igni. Hebræus: את כל בית גדול *Omnem domum magnam*. Sed in Jeremia (21) legitur, combuſſiſſe illum vulgarium ædes; tum dejeciſſe mœnia, & collegiſſe reliquias populi, quas nactus eſt in urbe, translaturus Babylonem; neque in regione reliquit, niſi fæcem agreſtium, quibus colendos tradidit agros, & vineas, & Godoliam in provincia reliquit. Juſſus a Nabuchodonoſore eſt Nabuzardanus (22) curare, ne quid mali inferretur Jeremiæ, eumque libertati ſuæ prorſus permittere. Eductum igitur e carcere Prophetam aſſeruit libertati. Poſt diſceſſum Nabuzardani, Judæi, qui manſerant in regione, convenerunt Jeremiam, quid ſibi agendum eſſet interrogaturi, utrum perſeverandum in Judæa, an migrandum in Ægyptum. Poſt decem dies reſpondit Dei nomine Propheta (23) futurum, ut ſi perſeverarent in Judæa, quieti manerent ac ſecuri; minitatus eſt gladium, peſtem, & famem, ſi in Ægyptum diverterent. Monita hæc non ſpreverunt modo, ſed & Prophetam accuſarunt mendacii ac proditionis, ſtatueruntque in Ægyptum proficiſci (24). Secutus eſt illos Jeremias cum Barucho, quo a ſecretis utebatur. Ita Judæa penitus deſerta eſt, ac Judæorum Imperium extinctum, poſt quadringentos ſexaginta octo annos ab ejus exordio ſub Davide, & trecentos octoginta octo a ſeceſſione decem Tribuum ab Juda & Beniamino.

℣. 12. Vinitores, et agricolas ad colendas vineas Balſami in Judæa ſatas. Ita Rabbini.

℣. 14. 15. 16. Vide in Exodo & 3. Libro Regum,

(1) Thren. iv. 10. (2) Baruc. ii. 3. *Ut manducaret homo carnes filii ſui, & carnes filiæ ſuæ.* (3) Ezech. v. 10. *Ideo patres comedent filios ſuos in medio tui, & filii comedent patres ſuos, &c.* (4) Vide Vatab. (5) Vide Toſt. in hunc loc. quæſt. 6. (6) Dio lib. 66. p. 747. (7) Joſeph. Antiqu. lib. x. c. 11. (8) Idem de bello Jud. lib. 7. c. 4. (9) וידברו אתו משפט (10) Jerem. lii. 11. *Poſuit eum in domo carceris uſque ad diem mortis ejus.* Vide & Arab. hic, & Joſeph. Antiqu. l. x. cap. 11. &c. (11) Jerem. xxxix. 3. 13. (12) Dan. vi. 7. 8. 12. (13) Ezech. xii. 13. (14) Jerem. xxxii. 4. 5. (15) Jerem. xxxiv. 3. (16) Jerem. xxxiv. (17) Seder-Olam c. 28. apud Sanct. hic. (18) Jerem. lii. 12. *In menſe quinto, decima menſis . . . . venit Nabuzardan in Jeruſalem.* (19) Uſſer. ad an. mundi 3416. (20) Zach. vii. 3. 5. & viii. 19. (21) Jerem. xxxix. 8. ואת בית העם (22) Vide Jerem. xxxix. 11. & ſequ. (23) Jerem. xlii. 7. & ſequ. (24) Jerem. xliii.

gum, quæ diſſeruimus de varii generis vaſis, atque operibus, de quibus hic.

ỳ. 18. TULIT . . . . . SARAIAM SACERDOTEM PRIMUM, ET SOPHONIAM SACERDOTEM SECUNDUM, ET TRES JANITORES. Sophonias nec filius erat, nec ſucceſſor deſignatus ſummi Sacerdotis: ſcimus alium, filium ſummi Sacerdotis appellatum fuiſſe Joſedechum (1), qui & a Chaldæis in captivitatem ductus eſt. Sed ſummo Sacerdoti ſecundus alter addi ſolebat, ut vicibus ejus fungeretur, ſiquidem caſu aliquo morbi, ſive improviſi eventus a munere ſacerdotali prohibitus fuiſſet. Authoritatem vero gerebat hic ſecundus ſummo Sacerdoti ferme æqualem; quemadmodum olim Cæſares authoritate cum Auguſtis ex æquo ferme certabant. Celſius erat ſolium ſummi Sacerdotis; ſecundum autem ſtabat alterum pro ſecundo hoc ſacerdote (2). Inſtitutionis hujuſce Lex quidem nulla a Moyſe data meminit; ſed Eleazar filius Aaronis, appellatus in Scriptura (3) *Princeps Principum Levitarum*, perinde erat ac *ſecundus* hic *Sacerdos*. Tres janitores Præfecti erant Levitarum, qui fores cuſtodiebant, quorum fuiſſe munus ampliſſimum, animadvertimus (4). Poſt ſolutam captivitatem, quatuor occurrunt Principes claſſium oſtiariorum (5). An tribus hiſce quartus accedebat Sophonias?

ỳ. 19. QUINQUE VIROS DE HIS, QUI STETERANT CORAM REGE. Hebræus (6): *Quinque viros ex videntibus faciem Regis*. Quinque præcipuos Præfectos, inter Regis familiariſſimos. Septem habet Jeremias LII. 25. *Septem viros de his qui videbant faciem Regis*. Septem etiam legit hic Arabs. Sed facile perſuademur, primo quinque tantum in hoſtium poteſtatem veniſſe, deinde geminos adjectos fuiſſe.

ET SOPHER PRINCIPEM EXERCITUS, QUI PROBABAT TYRONES DE POPULO TERRÆ. Variis ſenſibus ſubeſt Textus Hebræus (7). A Septuaginta redditur (8): *Scribam Principis exercitus, qui ordinabat*, inſtruebat in prælium, *populum terræ*. Syriacus: *Scribam & Duces exercituum, qui animos addebant populo terræ*. Denique ſatis convenit, *Sopher* hic accipiendum eſſe pro viro a ſecretis, vel ſaltem pro *Scriba*, quod munus erat ampliſſimum apud Reges Juda, ut alibi demonſtratum eſt (9). Non tamen ſatis conſtat ex Hebræo, utrum hic Scriba alius ſit a *Principe* vel a duce exercituum, an unus idemque vir utramque in ſe dignitatem conciliaret. Maluerim ego diſtinctos credere: primo quod ejus munus eſſet exercere milites tyrones; quod magis convenit Præfecto minori, quam Imperatori. II. Si Sopher ſcribam ſignificat, quod Textus ſyntaxis apertiſſime probat, Præfectus iſte utique ſupremum exercitus ducem non egit; eſt enim *Scriba* ſupremo Duce inferior: fruſtra autem gemina hæc nomina junguntur, ut unum eumdemque innuant. Hic igitur in Scriptura Scriba ponitur Ducis exercituum, exercentis tyrones milites, & illorum cenſum tenentis, cujus tamen viri nomen ſilet.

ỳ. 22. POPULO QUI RELICTUS ERAT . . . PRÆFECIT GODOLIAM. Ferunt (10), Godoliam transfugam fuiſſe, qui in ſuprema urbis obſidione dediderat ſeſe Chaldæis, monita Jeremiæ (11), ſuadentis hortantiſque Regem, & populum, ut dedentes ſeſe, mala extrema evitarent, ſecutus. Godolias vir erat ingenio facili & pacifico, qui tempori ſervire norat (12). Sed noluit Deus, ut diu viveret in regione, quantum opus fuiſſet colligendis ibi reliquiis gentis hujuſce miſeræ, diſperſæ, ac diſſipatæ.

ỳ. 24. MANETE IN TERRA. Diſcimus ex Jeremia (13) Judæos munitiones aliquas adhuc retinuiſſe in regione, quippe quos confirmavit animis Godolias, ſpondens: *Nolite timere ſervire Chaldæis*; vel: Nolite timere ſervus Chaldæorum. *Ego habito in Maſphath, ut reſpondeam præcepto Chaldæorum: qui mittuntur ad nos; vos autem colligite vindemiam, & meſſem, & oleum, & condite in vaſis veſtris, & manete in urbibus veſtris, quas tenetis*. Addit Jeremias (14), Judæos omnes, qui aufugerant in Idumæam, regionemque Ammoniticam, & Moabiticam, ut intellexere perſeverare in Juda reliquias gentis ſuæ, confluxiſſe undique ad illas, ingentique ſtudio vinum ac frumentum cogere cœpiſſe. Hinc facile cœpit mala illa æmulatio Iſmahelis & ſociorum, qui jam tum in necem Godoliæ conſpirarunt. Certior de his factus Godolias, fidem nunciantibus non adjecit, neque aures præbuit homini, ſeſe in necem Iſmahelis offerenti. Denique Godolias miſerabili cæde ſublatus eſt ab Iſmahele in convivio, quo exceptus fuerat in Maſphat (15). Neque hac viri cæde contenti proditores, eos trucidarunt, qui ſocii illi acceſſerant, ductis in captivitatem fœminis, cæteriſque qui ſuperfuerant in Maſphat. Interim Johanan filius Caree, collecta manu, inſecutus eſt fugientem Iſmahelem & ſocios; & qui Iſmahelem inviti ſequebantur, Johanano proſpecto, ſubducentes ſeſe ab Iſmahele, venienti Johanano ſeſe adjecerunt; atque ita Iſmahel deſertus a ſuis, coactus eſt perfugere in regionem Ammoniticam, octo tantum homines ſecum ducens. Johanan duxit populum ab Iſmahele diſperſum, interrogavitque Jeremiam de conſilio quod agitabat migrandi in Ægyptum (16). Fruſtra autem Propheta mala omnia, quæ illos manebant in ea regione, expoſuit; pervicacius enim profectioni hæſerunt. Quid ibi præſtitum ſit a populo, in Commentariis ad Jeremiam dicemus.

ỳ. 27. ANNO TRIGESIMOSEPTIMO TRANSMIGRATIONIS JOACHIM . . . . . . SUBLEVAVIT EVILMERODACH CAPUT JOACHIN. Creditur (17) Evilmerodachus amicitiam conciliaſſe cum Joachino, cum ambo communi carcere detinerentur. Eo conjectus fuerat Evilmerodachus a Nobuchodonoſore patre ſuo, tum ob crimina, toto furoris illius ſeptennio, quo rebus præfuit, commiſſa; cum etiam ob gaudium, quod ille de morbo patris ſignificaverat. In carcere fuit ad mortem uſque Nabuchodonoſoris; Divinoque conſilio factum eſt, ut ſocium haberet Joachinum, & pœnæ ſocietas amicitiam inter utrumque conciliaret; atque ita denique libertatem Joachino pepererit. Hæc omnia, quamquam non certa fide conſtant, probabiliſſima tamen cenſentur: uti & quæ addunt Hebræi (18), poſt obitum ſcilicet Nabuchodonoſoris Evilmerodachum vinculis ſuis ſolutum, cum Principes Regni ſui agnoſcere ſe in Regem detrectare intelligerat, veritos ne obitus Nabuchodonoſoris falſo rumore nunciaretur, ut certiores illos de rei veritate faceret, recluſo patris ſepulcro, eductumque cadaver raptari palam funibus, & uncis juſſiſſe. Affirmant alii, Joachinum authorem fuiſſe Evilmerodacho, ut patrem exhumaret, ejuſque corpus in fruſta cæſum traderet trecentis corvis devorandum, ne forte emergeret e ſepulchro, ut olim e lycanthropia ſua redierat. Obiit Nabuchodonoſor A. M. 3442. & imperii ſucceſſorem Evilmerodachum, filium ſuum, ſcili-

(1) 1. Par. VI. 14. 15. (2) Vide Scalig. Prolegom. ad Euſeb. Vatab. Menoch. Malv. (3) Num. III. 32. *Princeps Principum Levitarum Eleazar, filius Aaron Sacerdotis*. (4) Vide ſupra 4. Reg. XXII. 4. (5) 1. Par. 9. 17. & 24. (6) חמשה אנשים מראי פני המלך (7) ואת הספר שר הצבא המצבא את עם הארץ (8) Καὶ τὸν γραμματέα τοῦ ἄρχοντος τῆς δυνάμεως τὸν ἐκτάσσοντα τὸν λαὸν τῆς γῆς. (9) Judic. VIII. 14. (10) Ita Lyr. ex Hebr. Menoch. Sanct. (11) Jerem. XXXVIII. 2. 27. &c. (12) Grot. hic. (13) Jerem. XL. 9. 10. (14) Ibid. ỳ. 12. (15) Jerem. XLI. 1. & ſequ. (16) Jerem. XLIII. 7. 8. &c. & XLIV. (17) Ita Hebræi, Lyran. Toſt. Tir. Sanct. alii. (18) Vide Hieron. in Iſai. XIV. 19. Ita & Haymo & Hugo in Iſai. XIV. & Toſt. hic qu. 37. & hiſt. Scholaſt. in cap. Daniel. Vide Sanct.

reliquit. Porro ab Evilmerodacho de manumiſſione Joachini edictum prodiit vigeſima quinta die menſis duodecimi (1); quamquam libertati redditus non eſt Joachin, niſi biduo poſt, die XXVII. ejuſdem menſis (2), quæ in feriam quintam, XVII. Aprilis, incidebat.

Cæterum nomen Evilmerodachi Priſcis auditum eſt. Docet Beroſus (3), Principem hunc iniquo & impotenti imperio regnaſſe biennio, atque proditione Negliſſoris ſoceri ſui extinctum fuiſſe. Illum pariter non ignorat Megaſthenes (4), qui Ε'υιλμαλούρουχον *Evilmalourouchon* appellat. Filium habuit Balthaſarem, uti nos in Daniele V. 1. demonſtrabimus. De ſepulcro Evilmerodachi in urbe Kapha, ſermo eſt in Itinerario Beniamini.

℣. 28. Posuit thronum ejus super thronum Regum, qui erant cum eo. Aulam Regis Babyloniæ ingenti numero freqnentabant Reges Provinciarum a Nabuchodonoſore ſubactarum, quorum ſinguli ſuum tenebant gradum pro Regis voluntate. Inter Reges aulæ Evilmerodachi, honore & gratia præſtitit Joachinus. Porro nec novum erat, nec rarum, Principes e ſolio exactos in aula Regum Orientalium intueri. Adonibeſachus, de quo Rege in Libro Judicum 1. 7. habebat apud ſe Reges ſeptuaginta, quos cæſis digitis manuum pedumque habebat ſub menſa, colligentes, quæ forte decidebant, micas. Apud Alexandrum Magnum Reges Porus, & Taxilus verſabantur. Cyrus habebat apud ſe Crœſum; quem virum habebat in pretio (5).

℣. 29. Comedebat panem in conspectu ejus cunctis diebus vitæ suæ. Duodeviginti annos natus Joachin, deductus fuit Babylonem, & carcerem ſubiit triginta & ſeptem annis diuturnum; quare quinque & quinquaginta ætatis annos agebat, cum ab Evilmerodacho liber pronunciatus eſt. Evilmerodachus nonniſi biennio regnavit, authore Beroſo; vel triennio, ex Daniele (6); quare fortuna diutius uti, Joachino non licuit. Vertendum igitur maluerim, hic & in ℣. ſequenti, ex Hebreo (7): *Cunctis diebus vitæ ejus*, Evilmerodachi ſcilicet, non Joachini, niſi forte infelix hic Princeps eodem ac amicus fato obvolutus fuit.

℣. 30. Annonam constituit ei, neceſſaria ſcilicet pro familiaribus Joachini; ille enim aderat Regi conviva. Ita pariter & David (8) imperavit Sibæ, ut curaret filium Miphiboſethi, cum interim idem Miphiboſeth regia menſa frueretur. Forte etiam Joachinus non ſemper aderat Regis conviva; ſed tantum dapibus e regia menſa delatis nutriebatur. Ita Textum interpretatur Syriacus, & conſonat vetus mos Regum Perſarum, quorum menſæ apponi ſolebat, quidquid deinde in familiares omnes diſtribuebatur. Grotius ita exponit: Evilmerodachus ſufficiebat quotidie quæcumque neceſſaria erant ad cibum, veſtes, & cætera, non illi modo, ſed & domeſticis omnibus & familiæ.

Oratio Manaſſis Regis Juda.

Quod attinet ad orationem Manaſſis, in fine 4. Reg. legendam, animadvertere juvat in 2. Par. XXXIII. 12. 13. 19. rotundis verbis ſcriptum eſſe orationem Manaſſis contineri in libris hiſtoriæ Regum Iſrael, & in ſermonibus prophetæ Hoſai; ſed non invitus credo orationem illam plane diverſam ab ea eſſe, quæ hodie legitur in calce lib. 4. Reg. quæque è Canone abeſt, quamquam canonicam veteres plures judicarunt, ut auctoritatibus adductis demonſtrat D. Cotalerius in ſuis adnotationibus ad Conſtitutiones Apoſtolicas. Inferta eſt etiam in collectione canticorum, quæ leguntur in Eccleſia; & hodie pariter in uſu eſt apud Græcos in publicis precationum formulis. In Hebræo nec hodie legitur, nec forte unquam lecta eſt, ſed viciſſim occurrit in vetuſtis plurimis Græcorum codicibus manuſcriptis, & Grecis etiam plurimis bibliorum editionibus. Tradit S. Joannes Damaſcenus, ex teſtimonio, ut ipſe ait, Julii Africani, Manaſſis orationem hanc recitantis vincula ferrea, quibus alligabatur, diffracta cecidiſſe; & Targum in caput XXXII. Paralip. hanc fabellam diventitat. Manaſſem infelicem Regem Chaldæi ænea cavea, crebris foraminibus pervia concluſerant, eique exquiſitius torquendo ignem circum caveam incenderunt. Tom miſer Deorum ſuorum opem implorare aggreſſus eſt. Cum fruſtra laboraſſet, ad Deum ſe tranſtulit, hac precationis formula adhibita. Verum qui orationi præſident Angeli omnia ad Cœlum ſpiracula diligenter clauſerant; at Deus uno foramine ſubtus thronum ſuum aperto precationem ejus ſavens audivit, caveam æneam, qua adſtringebatur, diffregit, remittendumque in ſolium Principem ſtatuit.

(1) Jerem. LII. 31. *Duodecimo menſe, vigeſima quinta menſis, elevavit Evilmerodach, &c.* (2) 4. Reg. XXV. 24. *Menſe duodecimo, vigeſima ſeptima die menſis.* (3) Beroſ. apud Joſeph. cont. Appion. lib. 1. Ε'υειλμαράδουχος ὅτος προστὰς τῶν πραγμάτων ἀνόμως καὶ ἀσελγῶς, ἐπιβουλευθεὶς ὑπὸ τοῦ τὴν ἀδελφὴν ἔχοντος αὐτοῦ Νηριγλισσοόρου ἀνῃρέθη, βασιλεύσας ἔτη δύο. (4) Megaſth. apud Euſeb. Præpar. l. 9. c. 41. (5) Herodor. lib. 1. cap. 88. Κῦρος αὐτὸν [Κροῖσον] λύσας κατεῖσέ τε ἐγγὺς ἑωυτοῦ, καὶ κάρτα ἐν τιμῇ προμηθίῃ εἶχε. (6) Dan. VIII. 1. *Anno tertio Balthaſar Regis, viſio apparuit mihi.* (7) כל ימי חיו πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς αὐτοῦ. (8) 2. Reg. IX. 10. *Inferas filio domini tui cibos ut alatur; Miphiboſeth autem comedet ſemper panem ſuper menſam meam.*

FINIS IV. LIBRI REGUM.

Digitized by Google

INDEX RERUM
ET VERBORUM,
Quæ continentur in Libris Joſue, Judicum, Ruth, & Regum.

A

Aron. Sacerdotium uni familiæ Aaronicæ reſervatur 443.

Aasbai, pater Elipheleth &c. & filius Machati 491.

Abama & Pharphar, amnes Damaſci, hodie ignoti 24.

Abana fluvius idem ne ac Orontes? 655.

Abdias Oeconomus Achabi 607. Ejus viri pietas in prophetas Domini ab Achabo vexatos *ibid.*

Abdon Judex Iſraelis 231.

Abdon, urbs Levitis aſſignata 137.

Abel, vel *Luctus*, nomen lapidis, cui Bethſamitæ Arcam impoſuerunt 327.

Abela, urbs inter Damaſcum & Paneadem ſita 480.

Abela vel *Abelmaim*, urbs in Regno Iſraelis, eadem ac Abel Beth-Maacha 692.

Abel-Domus Maacha, vel *Abel-Beth-Maacha*, urbs Regni Iſraelis, eadem ac Abela vel Abel-maim 599. Capitur a Teglat-phalaſſaro 692.

Abelmebula 206. 533.

Abelſatim, vel *Abila* 47.

Abes 128.

Abeſan Judex Iſraelis an idem ac Booz 275.

Abeſſalom idem ac Abſalom 596?

Abi filia Zachariæ, mater Ezechiæ Regis Juda 704.

Abia filius alter Samuelis 334.

Abia filius Jeroboami ægrotat, & obit 592. 609.

Abialon de Arbath, inter Principes Davidis 490.

Abiam filius Roboami, patri ſuccedit 596. Paterna vitia æmulatur *ibid.* Regni illius anni *ibid.* Obit *ibid.*

Abjathar pater Jonathæ 520.

Abjathar filius Abimelechi fugit ad David 389. Summo Sacerdotio potitus, Adoniæ partes ſectatur 518. Exilio a Salomone damnatur, atque a ſacro miniſterio interdicitur 598.

Abibal Beryti Rex, cui Porphyrius Opus Sanchoniatonis dicatum fuiſſe affirmat 36.

Abibal Rex Tyri pater Hirami 431.

Abies, an in uſum Templi Salomonici adhibitus 538.

Abiezer inter primarios Davidis Præfectos 490.

Abigail uxor Nabalis 398. Davidi occurrit cum muneribus, Davidem compeſcit, & diſcrimen cui ſe immiſerat, Nabali exponit 400. In torum Davidis adſciſcitur 401. Gignit Cheleab 425.

Abigail uxor Jetra Jezraelitæ ſoror Sarviæ matris Joab 470. De utraque hac ſorore difficultates *ibid.*

Abimelech filius Gedeonis 214. Sichemitas, ut Regnum ſibi deferant, inducit *ibid.* Septuaginta fratres ſuos interficit *ibid.* Salutatus Rex ſub quercu Sichem *ibid.* De proditione Gaalis in ſe factus certior copias in urbem Sichem cogit, captamque urbem ſolo æquat, ac ſale ſpargit 218. & *ſeq.* Occupat Fanum Berith & Turrim Sichem; aggredienſque deinde Theben, ſub ejus mœnibus lapide conteritur 219.

Abinadab filius Addo, Præfectus in Mahanaim 533.

Abiſag Sunamitis fovendo ſeni Davidi deſtinatur 517. Petitur in uxorem ab Adonia 526.

Abiſai filius Sarviæ parti copiarum Davidis in Abſalomum imperat 471. Davidem liberat, Philiſtæo in illum irruente necato 484.

Abital mater Saphatiæ 424.

Abner filius Ner, copiarum Saulis Imperator, & Regis ejuſdem conſobrinus germanus Isboſethum evehit ad Regnum Iſraelis 422. Vincitur ab exercitu Davidis *ibid.* Haſta transfodit Aſaelem 423. De Isboſetho ſeſe ulturus agit de Regno e familia Saulis in Davidicam transferendo 426. Agit cum Senioribus Iſraelis pro Davide excipiendo, agit & cum Beniamitis, tum Davidem Hebrone convenit *ibid.* Proditione a Joab interficitur 427. Davidis de illo elogium 427.

Abominatio, vox in Scriptura de Idolis uſurpata 719.

Abran vel Hebron in Tribu Aſer 129.

Abſalom, tertius filius Davidis natus Hebroni ex Maacha filia Tholmai 425. Odium ejus in Amnonem 455. Amnonem a ſicariis interfici jubet *ibid.* Fugit ad Tholmai Regem Geſſur 456. Regreſſus Jeroſolymam, ſiſtere ſe Regi non audet 458. Ejus cæſaries pulchra, & ponderis ducentorum ſiclorum 459. Biennium Jeroſolymæ agit, aſpectu Regis privatus. Admittitur tandem 460. Regem ſe ſalutandum curat Hebrone 462. Jeroſolymam ingreditur, & patris uxoribus palam abutitur 466. Conſilium Chuſai ſuggeſtionibus Achitophelis præfert 469. Infelici prælio funditur 470. 472. Interficitur a Joabo 473.

Abyla vel Hobal 24.

Accaim 124.

Accaron, urbs Philiſtæorum 101. 171. Primo filiis Juda aſſignata, dein tranſiit ad Danitas 101. An a filiis Juda capta eſt 171. Latuit Authores profanos 101.

Acco, alio nomine Ptolemais 172.

Accuſatores. An accuſatores vel reos onerarent Judices culpa ſanguinis reorum a ſe damnatorum 457.

Acetum refrigerat. Ejus uſus in navigationibus, in caſtris apud Romanos, & in condimentis apud homines e vulgo. Aceto intingebatur panis 276.

Achabus filius Amri, patri ſuccedit in Regno Iſraelis 602. Vitia ejus. Altare ſtatuit Baali; ducit Jezabelem filiam Ethbalis Regis Sidoniorum *ibid.* Eliæ exprobrat quod Iſraelem univerſum commoveat 608. Obſidetur Samariæ copiis Benadadi Regis Syriæ 615. Eruptione in Syros facta, illos cædit 616. Benadad novum bellum in Achabum inſtaurat, ſed vincitur *ibid.* Libertatem tamen a victore obtinet, qua de re Propheta Achabum increpat 617. Petit a Nabotho paternam hæreditatem, ac de repulſa indignatur 619. Hæreditatem illam invadit 620. Elias Propheta Dei ultionem ea de re minitatur *ib.* Sed Rex pœnitudine Deum flectit. Quænam pœnitudo illa 621. Michæam Prophetam nunquam niſi ſiniſtra ſibi præſagientem odit 624. Quem durius haberi jubet 625. In prælio cum Syris vulneratur, & ex vulnere occumbit *ibid.* Samariæ ſepelitur, ſed viri impii ſanguinem, juxta fidem oraculi Eliæ, lingunt canes 626.

Achan filius Charmi, ſurripit aliquid ex anathemate Jerichuntino, idque crimen Iſraeli univerſo imputatur 69. Lapidibus & igne conficitur 73.

Achaz filius Jonathan Regis Juda ſuccedit patri, quo anno 693. Impietas viri 694. Crudele ſacrificium uno ex filiis ſuis *ibid.* Obſidetur in Jeruſalem a Raſin Rege Syriæ & a Phacee Rege Iſraelis *ibid.* Viri nequitia novos in illum adverſarios provocat *ibid.* Suppetias a Teglatphalaſſaro in duos Reges precatio impetrat 695.

Modu-

Digitized by Google

Modulum Altaris Damaſceni mittit ad Uriam Pontificem, ſimile alterum erigi jubens 696. In Templo plurima mutat *ibid.* Obit 697.
Achaz, Horologium ejus deſcribitur 631.
Achemenes pater Cambyſis, Cyri avus 32.
Achias filius Achitob, alio nomine Achimelech 358.
Achimaas Præfectus in Nephtali ducit Baſemath filiam Salomonis 532.
Achimelech Summus Sacerdos, ſub nomine Abjathari & Ahiæ notus 386. 443.
Achimelech Hethæus quis? 402.
Achinoam nupſit ne Davidi ante Abigail? 401. An mulier eſſet Jezraelitis, & mater Amnonis, inter liberos Davidis natu majoris? *ibid.*
Achis Rex Geth 386. 404. Siceleg Davidi donat 405. Movens in Saulem Davidem, Satrapis minus gratum, remittit 410.
Achitob unus e filiis Phinees 358.
Achitob filius Achimelechi *ibid.*
Achitob pater Sadoc 442.
Achitophel a conſiliis Davidis, Abſalomi partes ſequitur 462. Suadet ut agmine duodecim millium David urgeatur; quod ejus conſilium ſibi communicatum efficit Chuſai, ne ab Abſalomo admittatur 468. id autem acerbe adeo fert Achitophel, ut laqueo ſibi fauces elidat 469.
Achor. Vallis Achor 73. Cur ita appellata *ib.* 109.
Achoris Rex Ægypti Regnum repetit poſt edomitam regionem illam a Cambyſe 35.
Aczib 513. 131. alio nomine Ecdippus *ibid.*
Achzaph urbs maritima, alio nomine Ecdippus 92.
Acra nomen jugi cujuſdam montis Jeroſolymæ ad meridiem 431.
Acrabim, *Acrabatene*, vel Aſcenſus ſcorpionis 109.
Acrabatene in Samaritide *ibid.*
Acrob, Inſpector, cui Deum Angelorum curam commiſiſſe docent Perſæ 33.
Acron vel Accaron 532.
Actio ſæpe pro voluntate uſurpatur 89.
Adad Idumæus, e Regio Idumæorum ſanguine, deſciſcit in Salomonem 577.
Adam conditus ne fuerit Hebrone 106. 107.
Adam vel Edom, urbs transjordanica, e regione Sarthan 55.
Adama, locus notus & frequentatus ubi 27.
Adami, alio nomine Neceb 531.
Adarezer Rex Rohob, Rex Soba 441. Geminum ejus nomen Adadezer *ibid.* 361.
Additiones Scripturæ quomodo acceſſerint 30. Additio Libro Joſue quando & a quo facta 2.
Addo, an hiſtoriam Salomonis Roboami & Abiæ una cum alio ſcripſerit 29.
Adiaba, Aſſyriæ amnis, defluit in Tigrim 705.
Adino Heſnites, inter primos Regni Præfectos ſub Davide 488. An alius a Jesbaam *ibid.*
Adithaim, *Adithu* 113.
Adommim 109. 124.
Adonias quartus Davidis filius, Hebrone natus 424. Salutari ſe in ſucceſſorem Davidis molitur 517. Convivio excipit fratres ſuos, & omnes filios Juda 519. Factio ejus primo rumore de elevato ad Regnum Salomone diſſipatur *ibid.* Ipſa fugit, & coram Altaris apprehendit 520. Monendum Salomonem curat de loco perfugii ſui, oratque ut juratus promittat vitam *ibid.* Convenit Bethſabee, rogatque ut a Salomone impetret ſibi nuptias cum Abiſag Sunamitide 525. Quodnam crimen poſtulati hujus fuerit 526. Interficitur juſſu Salomonis *ibid.*
Adonibezech Rex Chananæorum 170. Vincitur & capitur, ac paria tolerat, qualia victis a ſe Regibus ſeptuaginta intulerat *ibid.*
Adoniſedech Rex Jeruſalem 87.
Adoniram filius Abdæ, Præfectus tributorum 533.
Adorare Idola oſculo manuum 613.
Adoratio Beelphegor quot criminibus infamis 541.
Adramelech Numen Sepharvaitarum. Quæ vocis hujus ſignificatio 703. Nomen eſt etiam unius e filiis Sennacheribi 710.
Adverſitatum commoda 178.
Adullam 113.
Adulterium in horrore apud Philiſtæos 242.
Aduram Præpoſitus tributorum ſub Roboamo, miſſus ad pacandum populum, lapidibus conficitur 585.
Ædes Salomonis, Domus ſaltus Libani cur appellatæ deſcribuntur 548. & *ſeq.* Ædes ab eodem conditæ pro filia Pharaonis uxore ſua *ibid.*
Ædes æſtivæ & hyemales cujus eſſent ſtructuræ 161. Pro fœminis ædium pars a viris ſeparata 162.
Ædium vetuſtas 158. Hebraicarum ſtructura 161.
Ædicula, vel Templum domeſticum a Micha extructum 253.
Ædificare domum eſt genus perennare 282.
Ædificatio Templi quantum temporis exegerit 546.
Ædificia ex lignis & lapidibus apud Hebræos 545.
Ædificia publica rara erant olim in urbibus Hebræorum 159. Veterum ædificiorum ſoliditas 160.
Aen urbs in finibus Juda 512.
Ægyptii Nilum colebant 300. Scientia & ſapientia celebres 535. Omnium primi ex equis dimicarunt 573. An circumciſi 62. Colerent ne viva animalia, an illorum ſimulacra 295. Hiſtoriæ Ægyptiacæ vetuſtas 34. Quo eorum ſupputatio redigenda 35.
Ægyptium immanem Banajas interfecit 490.
Ægyptus equis fecunda 573.
Ægyptus nomen eſt Nili 300.
Ænigmata vel Problemata. Solemne erat Priſcis ænigmata in conviviis proponere 238. Aſſignato ſolventibus præmio *ibid.* & mulcta iis indicta, qui arcanum referare non poſſent *ibid.*
Æra Nabonaſſaris quouſque pertingat 35.
Æs. Ærea moneta nulla erat apud Hebræos ante captivitatem 483. Æs olim pondere ſicli æſtimabatur, uti cætera *ibid.* Ære abundabat Soba 361.
Africani ſatos ſe a Chananæis tradunt 17.
Agag Rex Amalecitarum Samueli exhibetur, & ab eo trucidatur 365.
Agapæ vel convivia charitatis, quæ? 306.
Agar Chaldaice vel Syriace eſt conducere, vel pignoris loco recipere 313.
Ager Jacobi ab ipſo ad Joſephum tranſmiſſus 551. Quo jure a Jacobo poſſeſſus *ibid.*
Ager robuſtorum locus ubi ſingulare certamen inter delectos Abneri & Joabi milites commiſſum 423.
Agorat vel obolus juxta Septuaginta, ipſe eſt facile Gerah vilis moneta Judæorum, valoris circiter unius ſolidi, denariorum ſeptem, & amplius aliquanto monetæ noſtratis 313.
Agricultura. Agris colendis priſci Heroes & Principes occupabantur 337.
Agrimenſores miſſi ad Chananitidem dimetiendam 124.
Ahia filius Siſæ, Salomoni a ſecretis 530.
Ahialon Judex Iſraelis 235.
Ahias Propheta de Silo prædicit Jeroboamo Regnum in decem Tribus 579. De morbo Abiæ filii Jeroboami conſulitur 931.
Ahilud pater Joſaphat 442. a ſupplicibus libellis ſub Davide 481.
Ahion urbs Regni Iſraelis, ubi ſita 599.
Ahiſſar Oeconomus domus Salomonis 533.
Ajalon vel *Ajalin* Urbs Danitica 532. 173. diſtabat a Machmas leucis tribus vel quatuor 360. Levitis ceſſit 537.
Ajalon eſtne urbis an luci nomen? 573.
Ajam Arorites, filius Parar, inter primos Davidis Præfectos 491.
Ain Remmon, vel Ain & Remmon 527.
Ain urbs Levitica 137.
Aion vel *Abion* vel *Enan* urbs in finibus Damaſci, capitur a Teglatphalaſſar 692.
Alæ. Confugere ſub alas Domini 276.
Alienare. Alienari hæreditates vetat Lex Iſraelitis 619.
Almon urbs Levitica 537.
Almoni quid 281.
Almugim quid 570. 571.

Amaad

Amaad 128.

Amalec mons ignotus 23ſ.

Amalec jungitur Egloni ad opprimendos Hebræos 179.

Amalec ex poſteris Eſau, pater eſt Amalecitarum 361.

Amalecita Davidi renunciat obitum Saulis 418. Juſſu Davidis interficitur *ibid.*

Amalecitæ gentes Arabiæ Petrææ, in finibus Ægypti & Palæſtinæ 197. 362. Decretum de illorum everſione 363. Jungunt ſe Madianitis ad oppreſſionem Iſraelis 197.

Amalecitæ a Davide cæduntur 412.

Amam 112.

Amaritias aquarum Jerichuntinarum ab Eliſæo diſſipatur 643. Amarus ſapor in olla filiorum Prophetarum ab Eliſæo corrigitur 653.

Amaſa Dux copiarum Abſalomi in Davidem, filius erat Jetræ 470. Imperium copiarum ſuarum pro Joabo a Davide illi ſpondetur 476. Tribum univerſam reducit ad Davidem *ibid.* A Joabo interficitur 480.

Amaſias filius Joas Regis Juda, patri ſuccedit 681. atque patris ſicarios interficit 686. Victoriam refert de Idumæis *ibid.* Urbem Petram ſubigit *ib.* Bellum in Joas Regem Iſraelis indicit *ibid.* Prælium committitur ad Bethſames 687. Vincitur, atque a Rege Iſraelis capitur *ibid.* Conſpiratio in illum Jeroſolymæ *ibid.* Fugit in Lachis, ubi interficitur *ibid.* cum egiſſet 20. Regni annos *ib.*

Amaſis Rex Ægypti ſuccedit Apriæ 35.

Amathæi gens Emath, Chananæa origine 23.

Ambidextri præ cæteris in prælio æſtimabantur 180. Ambidextræ naſci fœminæ non poſſunt *ibid.*

America. Americanorum origo 18. Mores Chananæis ſimillimi *ib.* An eo venerint Chananæi? *ib.*

Amma in Syria 24. 135.

Ammonitæ junguntur Egloni ad opprimendos Hebræos 179. Quin & ipſi per ſe illos opprimunt 222. Invadunt Galaaditas *ibid.* Jus ſibi vindicant in regionem Iſraelitarum 225. Vincuntur a Jephte 227. Jus pariter ſibi vindicant in Galaaditidem 346. Sumptibus ſuis conducunt Syros, ut ſe muniant contra Davidem 446. Vincuntur a Joabo *ibid.* Quomodo a Davide puniti de injuria Legatis ejus irrogata 452.

Amnon filius Davidis natu major ex Achinoam 423. Deperit Thamarem, quam violare nititur ſtratagemate 438. Eamque vi cognitam horrori deinde habet 455. A ſervis Abſalomi interficitur *ibid.*

Amon filius Manaſſe Rex Juda ſuccedit patri. Rex impius 720. Proditione ſuorum interficitur *ibid.*

Amorrhæi. Amorrhæorum regio, limites, ſedes 173. Reges illorum Og & Sehon vincuntur ab Iſraelitis 147. Redigunt in arctum Danitas 173. Sæpe pro omnibus Chananæis gentibus Amorrhæorum nomen accipitur 59. In exercitu Herculis ſub Armeonrum nomine 17.

Amos Propheta, qua vixerit ætate 687.

Amoſa 125.

Amor mulierum nimius perdidit Salomonem 576. *& ſeq.*

Amraphel Rex Sennaar, Abrahami ætate 31.

Amri regnat in Iſraele pro Zambri, quem obſeſſum in Therſa cogit igne ſe cremare 601. Æmulum habet Thebni, quem populi pars extulit ad Regnum *ibid.* Samariam condit 602. Vitia ejus & mors *ibid.*

Amri Rex Iſraelis, pater Athaliæ 667.

Amtar 128.

Anab locus incerti ſitus 95.

Anabarath 128.

Anaia, Numen apud Orientales celebre 703.

Anamelech, quæ vocis hujus ſignificatio. Numen erat Sepharvaitarum 703.

Anarchiæ in quibus nulli erant Reges vel Principes populi in Iſraele 253.

Anathematum varia genera 67. Quid inferretur Urbibus anathemati devotis *ibid.* Res & homines anathemati devoti quomodo redimerentur 165. Subdere anathemati & ſubvertere, penitus delere 363.

Anathoth urbs Beniamitica 537. Inter Leviticas *ib.* & ortu Jeremiæ celebris *ibid.*

Angelus Domini, phraſis exprimens obſequium & venerationem erga aliquem 410. Angelus Domini Joſue prope Jerichuntem videndum ſeſe obtulit 163. Quiſnam ille. Angelus venit ad locum flentium 574. Quis ille *ibid.* Angelus Domini apparuit Gedeoni 199. An Deus ille vel vel Angelus *ibid.* Alloquitur Gedeonem *ibid.* Angelus ortum Samſonis prænunciat 233. Angelos vulgo Judæi corpore inſtructos rebantur 319. Nec videri Angelos nec ſpiritum poſſe credebant veteres citra diſcrimen vitæ 234.

Angerona ſilentii Dea; pingebatur digitum ori admotum tenens 256.

Anguli populi quid 263.

Anima. Ponere animam in manu ſua quid 230.

Animæ Prophetarum Juſtorumque ante Chriſtum utrum ſub Dæmonis poteſtate fuerint 397. Credebatur olim quies animarum evocatione turbari 408.

Animal quodcumque ſibi occurrerit, devoturum ſe Deo ſpondet Jephte 227.

Annales regni Aſæ & Joſaphat ſcripſerunt Hanani & Jehu 29. Regum Juda ſæpius in S. Scriptura laudantur *ibid.*

Anna uxor Elcanæ ſterilis 304. Deum precatur 305. Concipit & parit Samuelem 305. Canticum eucharisticum pangit 308. Meſſiæ regnum prædicit 309.

Anni Ægyptiorum quo redigendi 34.

Annuli ad obſerandum, an Trojæ obſidionem præceſſerint 163.

Anſelmus de Boos ſcripſit de lapidibus & gemmis 23.

Antilibanus cum Libano confuſus 23.

Antiochus Eupator quam tenuit viam ut Jeroſolymam veniret 28.

Antiquitates. Rerum antiquarum nihil certius ſuppetit quam quod ab Ægyptiis & Perſis accepimus 34.

Aod filius Geræ Iſraelem liberat ſervitute Eglonis 180. Siniſter ne erat, an ambidexter *ibid.* Munera defert ad Eglonem 44. Simulat habere ſe occultum aliquid, vel oraculum quod pandat 181. An peccavit mendacio *ibid.* Eglonem interficit *ibid.* An peccavit in Regem illum proditione? 182. Effugit in Seirah 183. Moabitas vincit *ibid.* Deſignatur ſub nomine Herois, qui exiit e Beniamin 192.

Apamea an Sephama? 34.

Aphara 125.

Aphec in Syria & trans Libanum, Templo Veneris Aphacitidis celebris 24. 502. 173. Plures ſunt hujus nominis Urbes 97.

Aphec Urbs celebris Tribus Aſer 131.

Aphec Urbs Tribus Judæ parum diſtans ab Eben-Heſer & Maſpha 318.

Aphec locus inter Heliopolim & Biblon, in montibus Libani 361.

Aphec Urbs inter Montes Thabor & Gelboe, alia plane ab Aphec Tribus Aſer 410.

Apheca 514.

Apollo Pythius afflabat Pythoniſſam 407.

Apologus Jonathani ad Sichimitas 216. Stylus Apologorum Orientalibus familiariſſimus *ibid.*

Aprios Ephræus ſeu Vaphræus, juxta Herodotum, patrem habuit Pſammin, & avum Nechum 35.

Aqua effuſa coram Domino 330. Sacrificii id genus erat Profanis familiariſſimum 331.

Aqua luſtrali manus lavabant Pagani, antequam ad offerenda ſacrificia ſe conferrent *ibid.*

Aquæ Mazerephot 93. Merom *ibid.* Jericho 117.

Ara vel monumentum excitatum in ripa Jordanis a Tribubus, quæ poſt ſubactam Chananitidem regrediebantur ad propria 145. Ara Domino in monte Garizim quo anno excitata 79. An condita

Digitized by Google

dita in monte Hebal? *ib.* Ara ab undecim Tribubus erecta alia plane ſuit ab Ara Tabernaculi 267. Condendæ occaſio & locus *ib.* An peccarit populus illam condendo *ibid.* Ara a Gedeone extructa 201. A Samuele in Ramatha, quamquam Lex vetat altare extra Tabernaculum erigi 333. Aræ veterum ſimplices 505. Aræ tantum Deo erectæ ſteterunt diu etiam poſt diluvium *ib.* Aſylum Altaris favebat tantum reis criminis imprudenter commiſſi 520. Olim jure illo aſyli donabantur Aræ & Templa omnium ferme gentium *ib.* Sacramenta Altaris tactu præſtita 560. Ara Dei *Carmeli* originem debet ſuam Altari veri Dei a priſcis Hebræis in monte Carmelo erecto 609. Vel Paganis ipſis ſacrum *ibid.*

Arab 114.

Araba planities eſt & deſertum 92.

Arabes circumciſionem admittebant 377.

Aracæi incolæ Arcæ 23.

Arad, vel *Erod*, vel *Adar* inter Cades-barne & Aſmonam, cujus Regem Hebræi vicerunt 471.

Aradii incolæ Inſulæ Arad 23.

Araniab idem ac Areuna 494.

Ararat mons celebris, quod vertici ejus ſubſiderit Arca Noe, eſt in Armenia 716.

Arare in vitula alterius quid 239.

Arbaces Præfectus Mediæ conſpirat in Sardanapalum 31. 692. Imperii Medorum primus author 31. Appellatur Orbacus vel Pharnaces 692.

Arbe inter Gigantes Enacim facile princeps 106.

Arbores fructiferas in hoſtili præcidi vetans Lex in Deuteronomio utrum de terra tantum promiſſionis lata ſit 647. Arbores principatum ſuum deferunt ad rubum 216.

Arca Urbs tertiæ Armeniæ 701. Item alia in Comagena *ibid.*

Arca fœderis ſumma veneratione ſuſpicienda erat, Deo ita exigente 53. A quibus & quomodo deferretur in Jordanis tranſitu *ib.* In Silo ne confidebat ſub Joſue? 303. Capitur a Philiſtæis 319. Transfertur a Philiſtæis in Azotum, & in Templo Dagon conſtituitur 321. Alio & alio removetur 323. Reſtituitur Hebræis 326. Quandiu perſeverarit apud Bethſamitas 328. Transfertur in Cariath-jarim, & in domo Abinadabi ponitur 329. Subſidet in Cariath-jarim 20. annis. Deferenda erat humeris Sacerdotum 435. Oza punitur ob porrectam manum ut illam labantem regeret *ibid.* Educitur e domo Abinadab, ac deducitur ſolemni muſicorum inſtrumentorum pompa a Davide & Iſraele univerſo 434. Viris tribus familia Caath jus erat illam, velaminibus tectam, deferendi 435. Id autem honoris redactum fuit ad unicos Sacerdotes poſt ingreſſum in Terram promiſſionis *ibid.* Arca ſolemni pompa deducitur in urbem Davidis 436. eamque reponendam David curavit in domo Obed-Edom, ubi fuit tribus menſibus 435. E Civitate David in Templum a Salomone tranſlata fuit 557.

Archi 117. Archi-Atbarot *ibid.*

Architectura veterum Hebræorum alterius ne erat ſaporis a veteri Græca? 550.

Arcus. Exempla quædam ſummæ in jaciendo arcu peritiæ 263.

Area, in qua Booz cubabat tempore meſſis 278. Aream Areunæ pretio emit David 495.

Arebba 115.

Arecon 132.

Areuna eſſet ne Jebuſæus? 494.

Argentum. Argenti fruſtulum. Argentum non adhuc cudebatur ætate Baraci 194. Olim cum adhuc non ſignaretur, redigebatur in faſciculos 400. Quam familiare eſſet ſub Salomone 502.

Argob regio in Baſanitide 533.

Ariel vel Leo Dei, nomen vel duorum Gigantum vel duarum Arcium 490. Quod & figurato ſenſu datum fuit Jeroſolymæ *ibid.*

Arana 131. eadem ac Hornia 414.

Armiger, dignitas erat inter primas 354.

Armigeri Abimelechi & veterum Heroum 219. Armigeri & equi Salomonis 534.

Armillæ ornamenta erant etiam virorum conſpicuæ dignitatis, quibus & donabantur apud Romanos viri qui in prælio emicuiſſent 418.

Arnon torrens definiens ad meridiem Iſraelitarum ditionem trans Jordanem 96. Fluenti hujus curſus *ibid.*

Aroer 102.

Aroer, urbs in Transjordanicis ad Arnon in Tribu Gad 96.

Aromata Sabæorum 569.

Artes magis colebantur ab exordio apud Orientales, quam apud Occidentales 30.

Arx Sionis a Davide capta nomen obtinet *Civitatis David* 353.

Aſa filius Abiam Regis Juda 597. Idola eorumque cultum ſubvertit *ibid.* Regnat annis uno & quadraginta 599. Votum a patre nuncupatum ſolvit *ibid.* Solicitat Benadadum Regem Syriæ ut ſuppetias ſibi laturus in Baaſam Regem Iſrael veniat 599. Munera Regi Syriæ daturus, Templum & Aulam exſpoliat *ibid.* Obit *ibid.*

Aſad & Sertan Inſpectores a Deo dati, ex doctrina Perſarum, Lucifaro & ſociis, ne noceant 33.

Aſael frater Joabi, inter primores Davidis Præfectos 490. Curſu pernix 423. Ab Abnero inſequente interficitur *ibid.*

Aſan, Lacus Aſan 414.

Aſan Urbs primum Tribus Juda 113. 527. Dein Simeonis 414.

Aſarbaddon filius Sennacheribi ſuccedit patri in Regno Aſſyriæ 714. Varia ejus nomina *ibid.*

Aſcalon Urbs Philiſtæorum 171. 239.

Aſedot planities in Juda 90.

Aſedot arva culta *ibid.*

Aſedot Phaſga, Urbs ad radices Phaſga *ibid.*

Aſen vel *Aſemon* 109.

Aſer, ejus hæreditas & limites 131. Otiabatur intra portas ædeſque ſuas, cum Barac arma inferret in Siſaram 194. Chananæis hæreditatis ſuæ pepercit 172.

Aſergadda 112.

Aſima Numen in Samaria cultum ab Emathitis 703. Quis Deus? *ibid.*

Aſinæ Cis, quas filius ejus Saul amiſſas quærebat 337.

Aſinus. Aſinis in Palæſtina vehebantur Principes & viri ampliſſimi 191. 337. An etiam milites in prælio 466. Arabes pictis aſellis vehuntur 191.

Aſiongaber Urbs in extrema ora Sinus Elanitici ad Orientem Elat ad Erythræum 567.

Aſor Urbs metropolis Jabin Regis Chananæorum 92. Ad Lacum Semechon *ib.*

Aſor nova, vel Carior-Eſron 112.

Aſſaraddon Rex Aſſyriæ potitur Imperio Babyloniæ 32.

Aſſedia 131.

Aſſem Gezonites idem ac Jaſen pater Jonathan &c. 490

Aſſuri quæ ſit regio 422.

Aſſyrii. Vetus illorum imperium 31. Veteris illius Imperii & fines & diviſio *ibid.*

Aſtapus nomen Nili 100.

Aſtaroth Urbs in Regno Og 97. Numen etiam Philiſtæorum idem ac Aſtarte, Luna ſeu Venus 293.

Aſtyages Medus amovet Chaldæos ab Imperio Medorum 32.

Aſylum. Urbes aſyli Levitis aſſignatæ 133. Aſylum Altaris tuebatur tantum reos homicidii imprudenter commiſſi 520. Utrum aſyli urbes exteros etiam juvarent 133.

Atergatis Numinis cujuſdam nomen eſt 292. Dagon ita appellatus eſt *ibid.*

Athach idem facile ac Athar, de quo in Joſue xxix. ℣. 7. 414.

Athalia filia Amri Regis Iſraelis Ochoziæ Regis Juda mater 675. Stirpem totam Regiam Juda interficit, & Regnum uſurpat *ibid.* Neci traditur 677.

Athar vel *Ether* 113.

Atharoth 117.

Digitized by Google

Atharoth Addae ad orientem Ephraim 124.
Athenæ urbs Gręciæ a Cecrope Ægyptio condita 36.
Athmatha 114.
Atlanticus. Inſula Atlantica Platonis eadem ac America 15. 19.
Atreus filius Pelopis Olympicos ludos in funere patris ſui inſtituit 37.
Atrium Templi. Sedere ibi nonniſi Regibus Davidicæ ſtirpis datum 559.
Avaritia Gieai punitur 657.
Auguria & divinationes quibus ſe ex vitæ profeſſione addicebant Sacerdotes Pagani 324.
Avim 125.
Avot-jair vici, ſeu urbes Jair 270.
Aura, Aurana, Auranitis 25.
Auriga, & curru vectus interdum nomine *Curruum* deſignantur 353.
Aueis. Revelare aurem eſt monere 281.
Auſe vel *Auſein* nomen Joſue a Græcis datum 1.
Author Libri Judicum quis 155. Quis Libri Ruth, ejuſque conſilium, & tempus ſcripti Operis 270.
Author duorum primorum Librorum Regum ignotus 284. Quod ſcribendi conſilium 285.
Authores Sacri nec nomina ſua, nec tempus, quo vixerunt, prodere ſolent 304.
Authores profani ne attigerunt quidem prodigium ſub Joſue de ſtatione Solis 9.
Authoritas. Sceptrum authoritatis inſigne eſt 193.
Axa filia Calebi 111. Conjugio elocata fuit Othonieli *ib.* Poſtulat a Calebo agrum irriguum, & impetrat *ibid.*
Axaph 129.
Azanoth Thabor 131.
Azar vox, quæ uſurpari ſolet pro cœtibus, vel Tabernaculo 386.
Azarias filius Sadoci Summi Sacerdotis inter Præfectos Salomonis Princeps, & Regi illi a ſecretis 583.
Azarias filius Amariæ Regis Juda in Regem conſtituitur 687. Condit Elath *ibid.* Oaias appellatur in Paralipomenis *ibid.* De primo anno Regni ejus difficultas conciliatur *ibid.* Indoles, & virtus ejus Principia, ejuſque victoriæ quare lepra puniatur *ib.* Terræmotus ſub eo Rege 690.
Azarias Summus Sacerdos Domini ſtrenue ſeſe opponit auſibus Azariæ Regis Juda tentantis manus extendere ad ſuffitum 690.
Azecha locus ad meridiem Jeroſolymæ ad Occidentem, & quatuor leucis diſtans a Bethlebem, ac quinque ab Jeroſolymis 513.
Azereth. Dies ſolemnis conventus, quo nomine donabantur Feſta apud Hebræos 386.
Azmaveth de Beromi, unus ex primoribus Præfectis Davidis 490.
Azotus urba Philiſthæorum, incertiſſimi ſitus 321. Azotii puniuntur 322.
Azor Urbs Galilææ capitur a Teglathphalaſaro 692.
Azoth 95. 514.
Azuba filia Salai mater Joſaphati Regis Juda 626.

B

BAal, nomen, quod Diis generatim omnibus datum eſt 136. Quomodo Hebræi vocis hujus pronunciationem vitent 294. Numen iſtud colitur ab Achabo 602. Exterminatur ex Iſraele, juſſu Jehu Regis Iſraelis 674.
Baala 112.
Baala Ber Ramath, vel tantum *Baalath* 127.
Baalath, duæ vel tres hujus nominis ſunt urbes 565.
Baal Berith, de hoc Numine conjecturæ 296.
Baal-Gad Urbs in valle Libani 102. Ubi ſita *ibid.* An ad radices montis Hermon *ibid.*
Baal Maon, vel *Beel-Meon* 102.
Baal-Pharaſim, nomen inditum parti urbis Raphaim ex victoria a Davide de Philiſtæis ibi relata 432.
Baal-Saliſa Urbs in finibus Dioſpolis Vide *Saliſa*.
Baana Princeps latronum ſub ſignis Isboſethi militans 428. Cujus eſſet filius *ibid.*
Baana filius Huſi, qui curabat regionem Aſer & Baloth 533.
Baaſa Rex Iſraelis bellum indicit Aſæ Regi Juda 598.
Baaſa filius Ahiæ e tribu Iſſachar; regnat 599. Delet univerſam domum Jeroboami, regnatque annis 24. *ibid.* De annis hiſce difficultas 598. Jehu Prophetam interfecit 601. Obit *ibid.*
Baculus vel ſceptrum authoritatis inſigne 193. Scribæ baculum gerebant *ibid.*
Badan. An Badan idem eſſet cum Jair e Tribu Manaſſe, qui annis XXIII. Iſraelem judicavit 349.
Baburim locus in Tribu Beniamin 466. Quid nomen hoc Hebraice ſonet *ibid.*
Bala vel *Cariathiarim* 110. 127.
Balaam filius Beor ariolus 103.
Balaath 132.
Balac Rex Moab an in Hebræos pugnaverit 146. 206.
Baladan, quo nomine in Scriptura appellatur Beleſus Author Imperii Babylonici 692.
Balanagra cochlea in uſum aperiendi 563.
Balanos clavi genus *ibid.*
Balbec vel Heliopolis 24.
Baleares inſulæ frequentatæ a Phœnicibus vel Chananæis 17.
Balnea publica nulla apud Hebræos 160. Uſus illorum apud eas gentes frequentiſſimus 447. ut eo privare ſe eſſet argumentum luctus 477.
Baloth 112.
Bamoth Baal, vel *Bamoth Ammon* 102.
Bana filius Ahilud, Præfectus Thanath Mageddo & totius regionis Bethſan 533.
Banaias filius Capſeel, interficit geminos leones de Moab, & Ægyptium unum corpore immanem 490.
Banaias filius Jojadæ, dux Cerethim & Phelethim 443. 518. Juſſus a Salomone interficere Joabum vel ad baſim ipſam Altaris 527. Conſtituitur ſupremus Dux exercitus *ibid.* Juſſu Salomonis Adoniam interficit 526.
Baue locus fortis Dan 132.
Baniani, in India Orientali. Hiſtoria Religionis illorum, in qua veſtigia quædam generalis traditionis creationis Mundi 34.
Barac a Deo eligitur ut Iſraelem liberet 186. Renuit proficiſci in bellum, niſi comes accedat Debora *ibid.* Deſcendit e Thabor, & certat cum Siſara 187. Ubi ſepulturæ mandatus 196.
Barach locus in ſorte Dan 132.
Barba apud Romanos in luctu ſive tota cædebatur, ſive penitus negligebatur 477. Vetabat lex Hebreis uſum cædendi totam barbam in luctibus quibuſque *ib.* Radebatur in luctu apud Hebreos 445. Mos vetus apprehendendi barbam eorum quibus ſupplicabatur 480.
Barbitonſores an aliqui eſſent olim apud Hebreos 247.
Barrady amnis Damaſci 24. 656. Defluit ex Antilibano, & aquas ſuas diſpergit in paludibus, quatuor vel quinque leucis a Damaſco 656.
Baſan regio Transjordanica aſſignata dimidiæ Tribui Manaſſe 103. 104.
Baſemath filia Salomonis conjugio traditur Achimaæ, qui Nephtalitas curabat 533.
Bathus menſura continens undetriginta pintas, ſemipintam, ſemiſextarium, octavam pintæ partem &c. vide *Epha* 529.
Bazari, plateæ cum tectis porticibus, in quibus peregrini interdum cubabant 160.
Baziothia in ſorte Tribus Juda 112.
Beel-Kiam vel Kium quid eſſet Numinis? an idem cum Beel-Berith 212.
Beelphegor. Crimen in ejus cultu commiſſum 142.
Beel Samin. Dominus Cœli, Philiſtæorum Numen 295. Cur ita appellatus *ibid.*
Beelſebub Numen a Philiſtæis cultum Accarone 289. Qua eſſet forma *ib.* Forte id nominis inditum eſt ex unica ejus virtute depellendi muſcas 294. An Beelſebub muſca ſit, vel ſimulacrum humanum, muſcam capite vel manu vel juxta ſe poſitam habens *ibid.* Appellatur in Novo Teſtamen-

mento Princeps Dæmonum 294. Idem eſt forte Jupiter, Numinum omnium primus 294.
Beleſus in Sardanapalum conſpirat 691. Primus eſt author Monarchiæ Babylonicæ, appellaturque Baladan in Scriprura & Nabonaſſar apud Profanos *ibid.*
Belial. Filii Belial abſque jugo & ſuperioris authoritatis fræno 260.
Bella. Mos ferendi in bellis ſymbola Religionis ſanctiſſima 318. Leges belli permittebant ut captivi ſive occiderentur ſive redigerentur in ſervitutem 439.
Bellum. Nova gerendi belli ratio, qua uſus eſt Dominus in Siſaram ſub Debora 190.
Bella Ammonitarum in Iſraelem 225. Bella civilia, quæ Herculem & ſocios coegerunt deſerere Phæniciam 17. Bella Philiſthæorum in Davidem 483. 484. Bello parta retinebantur titulo legitimæ poſſeſſionis 226.
Belus, vel Beleus amnis celebris, influens in mare Ptolemaidis 172.
Ben-Abinadab Præpoſitus a Salomone univerſæ terræ Nephath-Dor 533. uxorem ducit Taphed filiam Salomonis *ibid.*
Benadad Rex Syriæ Samariam obſidet 615. Minas duraſque conditiones proponit obſeſſis *ibid.* Achabus ejus exercitum diſſipat 616. Regreditur iterum in Achabum *ibid.* iterumque funditur 617. Spondet Achabo reſtitutionem Urbium Iſraelis, quas ſubegerat *ibid.* Inſuper permittit ut plateas publicas haberet Damaſci *ibid.* Libertatem imperrat *ib.* Mandat ſuis, ne in prælio alium petant, quam Achabum Regem Iſraelis 625. Regem Iſraelis opprimere voluit inſidiis 659. Ejus conſilium Eliſæum non latet *ib.* Iraſcitur in Prophetam, ſuoſque mittit ut illum capiant *ibid.* Samariam obſidet 660. Munera ad Eliſæum mittit 665. Quem conſuli etiam de morbo ſuo jubet *ib.* Hazael illum ſuffocat *ib.*
Benadab filius Hazaelis Regis Syriæ, alius plane a ſuperiori 684. Ter cæditur prælio a Joas Rege Iſraelis, cogiturque captas a patre ſuo Iſraelitis urbes reſtituere *ibid.*
Ben decur Præfectus Salomonis in Macces, Salebim, Bethſames, Elon, & Beth-Anan 533.
Benedicere quid ſignificet in Scriptura 620. Munus benedicendi ſolemni ritu populo, reſervabatur Sacerdotibus, & Regibus 656.
Benedictio, quæ dabatur meſſoribus 276.
Benedictio vox plerumque in Scriptura uſurpata de muneribus 400. 656.
Benedictus a Domino 277.
Ben-Gager Præfectus in Ramoth Galaad, Oppidis Jair, & per totam regionem Argob 533.
Ben-Heſed Præfectus Salomonis in Aruboth *ibid.*
Ben Hur, filius Hur, Præfectus Salomonis in montibus Ephraim *ibid.*
Beniamin, ſors ejus & limites 124. Non exterminat Jebuſæos urbis Jeruſalem 172. Beniamitæ probant ac defendunt crimen Gabaonitarum 263. Vincunt primo Tribus alias in ſe pugnantes 264. Dein funduntur penitus 264. Rebus Davidis nunquam ſatis adhærent 466.
Beniamia. Collis Beniamin quid 354.
Berim quid? 480.
Berith Numen Philiſthæorum. Vide *Baal-Berith*. Templum Berith occupat Abimelechus 218.
Berodach-Baladan, filius Baladan Regis Babyloniæ, mittit ad Ezechiam munera 716.
Beroe filia Veneris & Adonidis, an eadem ſit cum Berith 212.
Beroth Urbs Gabaonitarum obtigit Tribui Beniamin 125.
Beroth Syriæ eadem facile cum Beroea, vel Berea Syriæ 24.
Berſabee, urbs olim appellata Sabee, quæ Simeonitis ceſſit 112. 127. Ubi ſita 334. 611.
Berſabee urbs Juda 897.
Berzellai Galaadites adjuvat Davidem ad tranſmittendum Jordanem 470.

Beſeeb urbs diſtans a Sichem decem & ſeptem M. paſſibus Scythopolim verſus 346.
Beſeth vox ſonans confuſionem, ignominiam 448.
Beſor torrens collectus ex aquis montium Idumeæ, devolvebatur in Mediterraneum ultra Gazam 412.
Beſſur vel Bethſur ubi ſita & quam diſtans ab Jeruſalem 114.
Bethabara, locus ubi Iſraelitæ tranſmiſerunt Jordanem 56.
Betagla 109. 125.
Betar, Betharon, vel Bethoron 26.
Bethanath, an eadem ac Batanæa 132.
Betharabu 109. 115.
Betharan vel *Livias* 103.
Bethaven eadem ac Bethel 70. 353. Deſertum Bethaven 124. Nomen *Bethaven* vel *domus iniquitatis* indiderunt Hebræi Urbi Bethel 294.
Beth-Dagon in Tribu Aſer 113. 129.
Bethe quænam eſſet urbs 428.
Bethel urbs Ephraimitica, an eadem cum Cariath vel Gabaone. Diſtabat ſex leucis a Jeruſalem 586. An alia eſſet a Luza 127. Cives Bethel conjunxerunt ſeſe civibus Hai, ut poſtremam hanc urbem defenderent 77. Bethel capitur a Tribu Ephraim 172.
Bethel vel *Bethaven*, cur ita appellara 70. 294. Ubi ſita 70. Urbs erat e Tribu Beniamin 294.
Bethel vel *domus Dei* pro Silo poſita 264.
Bethemerb 129.
Bethen 128.
Beth-Hern vel *Bethubarn* 206.
Beth-Heron ubi 424.
Bethle-Baoth aliter Bethberai 127.
Bethlehem, cognomento Ephrata 273. Ubi ſita *ib.* Celebris ortu Davidis, & ortu Jeſu Chriſti *ib.*
Bethlehem Zabulonis 128.
Beth-Maacha, domus Maacha 480.
Beth-Marchaboth 127.
Beth-Mello domus Mello, quod pro nomine urbis quidam acceperunt 681.
Beth-Nemra vel Neurim 103.
Bethoaim locus trans Jordanem *ibid.*
Bethoron. Geminæ hujus nominis urbes ubi ſitæ 87.
Bethoron inferior 117. ubi ſita 26.
Bethphegor trans Jordanem 103.
Bethpheleth vel *Bethphaleth* 112.
Bethpheſes 128.
Bethſabee filia Heliam, uxor Uriæ Hethæi 439. Ejus crimen cum Davide 448. Connubium utriuſque *ibid.* Davidem certiorem facit de molimine Adoniæ, revocatque illi in mentem fidem datam Salomoni filio ſuo 519. Salomonem rogat ut concedat Adoniæ Abiſag Sunamitidem uxorem 526.
Bethſames urbs circa regionem Dan & Philiſtæis finitima 533. Bethſames Nephtali appellatur 128.
Bethſames 110. vel Hir-ſemes *ibid.* Urbs quæ Levitis ceſſit 137.
Bethſamitæ puniuntur, quod Arcam curioſius inſpexerint 327. Renunciari curant civibus Cariathjarim, ut veniant reducantque apud ſe Arcam 328.
Bethſan, eo Saul a Philiſtæis translatus fuit 416.
Bethſemes Urbs Tribus Nephtali 173.
Bethſimoth ubi 97.
Bethſur prope Eleutheropolim 28.
Bethuphaa 114.
Bethſaida Urbs Tranſjordanica 25.
Beth-tirbon, vel Bethaceni 25.
Bethul, *Bethuel*, *Bethulia* 527. Utrum ibi Holofernem interfecerit Judith *ibid.*
Betzetta 206.
Blaſphemiæ. Mos Hebræorum ſcindendi veſtes ſuas, cum audiunt proferentem blaſphemias 709. Blaſphemiæ Sennacheribi in Dominum 711.
Bochim utrum certi loci nomen ſit 432. An locus ſit flentium 174.
Boen. Lapis Boen 109.
Booz nomen alterius columnæ in veſtibulo Templi Salomonis 551.
Booz neceſſarius Elimelechi 275. An unus Booz

agnoſcendus ſit in Genealogia Davidis *ibid.* Veniens ad agrum ſuum benedicit meſſoribus ſuis *ibid.* Confert ſe poſt cibum ad dormiendum in area, & Ruth ad ejus pedes cubat 279. Quod ſentiens Booz turbatur, & alloquitor Ruth *ib.* Donat Ruth ſex menſuris bordei 280. Confert ſe ad portam Urbis, ubi vocat ſeniores in teſtes connubii ſui cum Ruth *ibid.* Jungit ſe Ruth 325. Gignit Obed *ibid.*
Boſor Urbs refugii 134. quæ Levitis ceſſit 138.
Boſra urbs Levitica 137.
Brammon, quo nomine Baniani appellarunt primum filium primi hominis 33.
Bremaa, nomen unius e tribus viris perfectis a Deo creatis ex doctrina Banianorum, ut ſuccederent filiis primi hominis 34.
Britomartis nomen Deæ cujuſdam Cretenſis, an eadem cum Diana 296.
Brizo, Briſſæus, Briaz, Brictium, Numina Pagana, quæ affinitatis haben aliquid cum Deo Berith 212.
Bucca vallis 24.
Bucephalus, Alexandri Msgni equus, cujus erat ungula e frequentia eundi corraſa 195.
Bulla collo equorum & camelosum appenſæ 210.

C

Caath familia Levitica, cujus erat munus arcam deferendi 435.
Cabſeel 112.
Cademoth, vel Cedimoth 102.
Cades culta quædam regio inter Cades & Sur 201.
Cades-Barne ubi 109.
Cadis vel *Gades*, gens Chananea 17.
Cadmus author Thebarum, filius Ogygis vel Og & Cadmoneorum dux 17.
Cadumim. Torrens Cadumim vel Cadeſim 194. Utrum torrens eſſet Cadumim fluens in mare Tiberiadis *ibid.*
Cædere ligna norant optime Sidonii 538.
Cælibatus opprobrioſus erat Judæis 228.
Cænaculum ſuperius, ubi hoſpites ad quietem collocabantur 340.
Cæremoniæ in ingreſſu Arcæ in Civitatem David 435.
Cæſaraugusta. Concilium Cæſarauguſtanum cogit relictas e Regibus Hiſpaniæ viduas Monaſticum habitum induere 479.
Calceari. Mos detrahendi calceos viro recuſanti ducere viduam e fratre relictam 325.
Calceos, vel ſandalia detrita induerant Gabaonitæ 82. Detrahere ſibi calceos ſignificatin erat obſequii apud gentes plures 63. Quod etiam indieium eſt ſupplicantis & demittentis ſeſe alteri *ibid.*
Caleb filius Jephone cur Cenezæus appellatus 105. Promiſſiones illi a Deo factæ *ibid.* Portionem ſuam accipit in medio Tribus Juda 106. Spondet filiam ſuam Axam uxorem viro qui Cariath-Sepher ceperit 110.
Calendæ, ſelli Junoni dies 382.
Calor, vel æſtus minime ferendus, qui contigiſſe creditur in ſtatione ſolis ſub Joſue 10.
Cambaja locus in India Orientali, ubi Baniani conſidebant 33.
Cambyſes pater Cyri, an Perſarum Monarchiam condiderit 32.
Cameli ſatis proceri ſunt corpore, ut trajicere Erytbræum poſſint 27.
Camini apud Hebræos ignoti 161.
Camon Urbs trans Jordanem 221.
Campeſtria Libani 94.
Cana, ubi Jeſus primo claruit prodigio. Geminæ huiuſce nominis Urbes 229.
Cancelli. Feneſtræ non vitris, ſed cancellis obducebantur 161.
Candelabra aurea in Templo Salomonis 554.
Canes in Ægypto bibentes currunt metu crocodilorum 203. Lingunt ſanguinem Achabi juxta fidem Oraculi Eliæ 625. Canes devorant Jezabelem 671.
Canticum Deboræ 189. Canticum Annæ matris Samuelis 308. Davidis, in obitu Saulis, & Jonathæ 419. An mos obtineret pangendi carmina hæc lugubria in honorem defunctorum clariſſimorum *ibid.* Davidis alterum, in actionem gratiarum pro conceſſis ſibi a Deo victoriis 439.
Capernahum, fons Capernahum 26.
Capernoma in Transjordanis *ibid.*
Capharnaum ubi *ibid.*
Caphira Urbs Gabaonitarum 84.
Caphtor, Inſula Caphtor, an eadem cum Creta 290. In eam rem conjecturæ *ibid.*
Capilli. Cæſariem promiſſam ferebant Iſraelitæ 459. Romani in luctibus vel cædebant, vel intonſam negligebant 477. Pondus comæ Abſalomicæ 459. Quouſque creſcat uno anno cæſaries *ibid.* Nefas erat Nazaræis cædere ſibi comam *ibid.* Samſun ferebat comam in plexus diviſam 247. Crines Samſonis creſcentes illi in carcere, robur priſtinum illi reſtituunt 248.
Cappadoces e Caphtorim orti 290.
Caput. Tegere caput, luctus ſignificatio erat 464.
Carat Moab, vel *Caraca* 209.
Carcaa, vel *Carace* 109.
Carcar, vel *Carca*, vel *Carcaria*, urbs Moabitica 209.
Carcerati olim liberi permittebantur, qua die Princeps Regnum capeſſebant 477. Nec ſupplicium de illis habebatur læti nminis die *ibid.*
Carduus. Regnum carduo a cæteris arboribus offertur 217. Egrediatur ignis de carduo, & devoret cedros Liani. Quæ vocis hujus ſignificatin *ibid.*
Cariath Urbs ditionis Gsbaa 125.
Cariath-Ain locus Tribus Ruben 102.
Cariath-Arbe, vetus nomen Hebronis 106. Unde nomen illud *ibid.* Urbs Cariath-Arbe poſſidetur a poſteris Calebi &c. jacebatque in Tribu Juda 114. Urbs Cariath-Arbe *ibid.* Levitiea erat 137.
Cariath-Baal 115.
Cariath-Eſron, vel Aſor nova 112.
Carath-Jarim, Bala, vel Cariath-Baal 110.
Cariath-Jorim Urbs Gabaonitarum 84.
Cariath-Senna, vel Dabir 114.
Cariath-Sepher, vel Dabir 90. Capitur ab Othoniele 106.
Cariath torrens ad Occidentem Jordanis, & Orientem Samariæ 604.
Carmelus Juda 114.
Carmelus ſonat non raro locum fertilem, & amænum 712. Nomen eſt etiam montis, & ubi ſitus ille 128. 712. Urbs Carmeli in eodem monte 128. Numen Profanum, & Templum *ib.* Amœnitas, & fertilitas loci illius *ibid.*
Carmelus. Plures ſunt hujus nominis montes 28.
Cartha, Urbs, quæ Levitis ceſſit 138.
Carthaginienſes tranſeunt in Inſulam Oceani Atlantici 29.
Carthago. Urbem hanc reſtitui ſolemni decreto vetarunt Romani 67.
Carthan Urbs Levitica 137.
Caſalot vel Ceſelet-Thabor 128.
Caſius celſiſſimus Syriæ mons 24. Unde Sol exoriens a quarta noctis vigilia proſpicitur *ibid.*
Catheth 128.
Cauponæ raræ in Oriente 260. Nonnullæ erant in Palæſtina, ſed rariſſimæ 260. Diſcrimen inter veteres, noſtraſque cauponas: porro cauponariam agere ſolebant fœminæ 48.
Cedes. Urbs celebris in Tribu Nephtali 132. Inter Urbes refugii cenſetur 134. Ceſſit Levitis 138. Capitur a Teglathphalaſaro 692.
Cedimoth, alio nomine Cedemoth 102.
Cedri lignum ſolidum, pulchrum, & incorruptibile, plurimi æſtimatum in ædificiis 160. 438. Adhibent illud David, & Salomon in ſuis ædificiis 160. Genus illud arborum ubi 25. 300. Cedros abſumit rubus 217.

Cedron vallis excurrens ab oriente Jeruſalem ad meridiem, ubi ſepulchra egenorum, & exterorum 725.
Ceila Urbs Tribus Juda, tribus leucis, & ſemis ab Eleutheropoli, procedendo verſus Hebronem 113. 391. Liberatur e manibus Philiſthæorum a Davide 391.
Celeritas, una e potiſſimis dotibus bellicis 423.
Cenderia lacus, unde ſons Beli amnis 172.
Cenereth 131. Aliter Cinereth 92.
Cenez, Othonielis pater, an frater Calebi 111.
Ceni, parva regio Cinæorum, ad meridiem maris mortui 405.
Cenſus populi ſub Davide, utrum ad illum accurate renunciatus fuerit 493. Cenſus primorum Præſectorum Davidis 488. 489. 490.
Ceraunii lapides, vel lapides fulminis 13.
Cerethi, ortu Philiſtæi, cuſtodes corporis apud Davidem 443. 463.
Cerethim, populi Philiſthæl, ubi conſiderent, incertum *ibid.* Genuinum id erat Philiſthæorum nomen 285.
Certamen ſingulare inter nonnullos ex agmine Abneri & Joabi 423.
Ceſeleth-Thabor 128.
Ceſion 128. Levitis ceſſit 137.
Cethlis 113.
Cethron, eadem ac Bithron 424.
Chabul quid ſignificet 564. Terra Chabul 3. An id nomen additum fuerit in Joſue *ibid.* Eo nomine appellavit Hiramus urbes ſibi datas a Salomone in Galilæa 484.
Chalac, mons Judæam ab Idumæa ſeparans 97.
Chalat, Hebræa vox, ſonans placantiam vel panem melle & oleo vel ſubactum vel illitum 436.
Chali 128.
Chamaan ſequitur Davidem Jeroſolymam pro Berzellai Galaadita patre ſuo 478.
Chanaan deſignat potiſſimum Phœnicios 59.
Chananæi Orientis, & Occidentis 92. Agrum frequentabant atque utebantur curribus falcatis 121. Sæpe Amorrhæi appellantur 332. Anathemati devoventur 405. Utrum excipere illos, & fœderatos habere fas eſſet 83. 175. Recipi non poterant, niſi graviſſimis conditionibus 83. An terrore correpti fuerint, adventu Iſraelitarum An regionem ſuam deſeruerint, & quo ſeſe proripuerint *ibid.* Cum illos adortus eſt Joſue, liberam illis dedit facultatem, quo maxime vellent, abeundi *ibid.* Chananæi in Europa, Germania, & Illyrico *ibid.* An venerint in Americam, & qua via 18. Morum Americanorum & Chananæorum ſimilitudo *ibid.* An verum ſit, nunquam illos deſeruiſſe regionem ſuam, ut novam quærerent. Rationes pro parte negante 19. Plerique receperunt ſe in Africam, adventu Iſraelitarum 16. Chananæi ſubmittuntur, non delentur ab Iſraelitis 521. Plures regionis Urbes retinent 172. Cur Deus illos delere ſimul omnes noluerit 176. Iſraelitæ fœdus cum illis componunt 178. Chananæi opponere ſe non audent diſtributioni Regionis ſuæ, dum Joſue vivit 172. Chananæi ſuperſtites in regione poſt victorias Joſue, Hebræos opprimunt 169. Conveniunt in Bezech ſub ſignis Adoni-Bezech *ib.* Sed Deus illos manibus Iſraelitarum tradit *ib.*
Charitas. Convivia charitatis quæ 306.
Charmi pater Achani, qui e ſpoliis Jerichuntis aliquid ſubduxit 72.
Chazer-Tichon quid ſignificet 25.
Chebbon 113.
Chelion, filius Elimelechi, vir Orphæ 273.
Chemia, nomen Ægypti, authore Plutarcho 34.
Cherubim, nomen ab Judæis datum Angelis, quid ſignificet 319. Gemini Cherubim Sanctuarii Templi Salomonici, & eorum dimenſiones 544.
Cheslon, vel *Chaslon* 111.
Chinaladan ſuccedit Saos-Duchino Regi Aſſyriorum & Chaldæorum 32. Armis petitur, & ſpoliatur Imperio a Nabopolaſſaro & Aſtyage *ibid.*
Chiroteca. Juri ſuo cedebat, qui chirotecam dabat alteri 282.
Chium quid 212.
Chomer menſura æquans 298. pintas, hemipintam, & hemiſextarium 368.
Chor-Aſchan, urbs Simeonitica, quæ Aſan ſolum appellatur in Joſue 414.
Chorea, & tripudia diebus feſtis 268.
Chriſtiani primi nulla condebant Templa 504.
Chriſtus, Unctus, Regum appellatio 402.
Chronica Samaritanorum refertiſſima fabulis 3.
Chryſorrhoas, an idem Pharphar 655.
Chucherey, genus armorum in uſu apud Banianos 33.
Chuſai Arachites, amicus Davidis, ſimular ſe favere Abſalomo 466. Quid de hac re ſentiendum *ibid.* Evertit conſilium ab Achitophele Abſalomo datum 468. Monet Davidem, ut Jordanem trajiciat, Abſalomum vitaturus 469. Admiſſus in conſilium ab Abſalomo, non tamen ſervare ſecretum tenetur *ibid.*
Chuſan Raſathaim, Rex Meſopotamiæ, primûs tyrannus Hebræorum 179.
Chuſi Davidi victoriam cædemque Abſalomi nunciat 474.
Cibſaim urbs Levitica 137.
Cidon vox, quid ſignificet, clypeum ne an lanceam 77.
Cilices e Tharſis oriundi 37.
Cilix frater Cadmi, author Cilicum 27.
Cinæi, populi ex Jethro 405. Neceſſarii Moyſis 171. Præripiunt ſe in urbem palmarum, vitam agunt in tentoriis & ſpeluncis 158. Admonet illos Saul, ut ſecedant ab Amalecitis 363.
Cineret, vel *Cenerot*, urbs Tiberiadis 92. Mare Cineret, vel Tiberiadis *ibid.*
Cinnor, vetus erat lyra 434.
Circumciſio, ſymbolum manumiſſionis Hebræorum 61. Quantum de illa gloriarentur Hebræi *ibid.* Quis ejus miniſter, quod inſtrumentum *ib.* An collata fuerit filiis Hebræorum in deſerto natis 61. Circumciſio populi in Galgalis *ibid.* ſecunda erat populi circumciſio: cur vero ſecunda *ib.* Circumciſio apud Arabes poſteros Iſmaelis, & apud poſteros Eſau, eadem ac apud Hebr. 377.
Cis filius Abielis, pater Saulis 337.
Ciſon, torrens prope Thaborem 187. Trahit cadavera Chananæorum cæſorum in exercitu Siſaræ 194.
Ciſterna Bethlehem, cujus aquas optans David, oblatas recuſat 489.
Ciſternæ in agro, perfugium in rebus adverſis tutiſſimum 159. Ciſternæ vel lacus ſubterranei, vino per vindemiæ tempus continendo *ibid.*
Claſſis Salomonis ad Aſiongaber inſtructa 567.
Claviculæ in formam cochleæ ad vectes continendos 163.
Claves Aulæ Eglonis 182. Claves ſolvendis vincudis vinculis, quibus ligabantur vectes 163. Æneæ erant Priſcis; ligneæ tamen plerumque Orientalibus *ibid.* Quædam ferebantur ſuper humeros *ibid.* Qædam in formam unci, & ligni carioſi *ibid.* Quid eſſent eæ claves *ibid.*
Chlauthmon, locus fluentium 175.
Clavus quo Jael confixit caput Siſaræ 188.
Cleomedes evulſit Ludi columnam dejecitque 250.
Coa quid ſit, ignoratur. Conjecturæ de hac voce 573.
Coccinum. Coccineus funiculus pro ſigno Hebræis poſitus 51. Quo tempore Rahab eum funiculum appenderit *ibid.*
Cœleſyria vel Syria cava 44. cujus portio eſt Syria Soba, & portio altera Rohob 361.
Cognitio, pro favore ponitur 276.
Cohen, vox Summum Sacerdotem interdum, interdum Principem deſignans 361.
Colligere animam, vitam adimere 256.
Collis Beniamin, quid 354.
Colocynthidæ fructus, magnitudine & figura malo aureo ſimiles, ſed amariſſimi 652. An ſint venenum *ibid.* Quomodo ingratus ſapor mitigetur *ibid.*

Colo-

Digitized by Google

Coloniæ Phœnicum per omnes ſerme Inſulas & oras Africæ & Hiſpauiæ 16. Colonias mittit Salmanaſar Samariam 701. qua pœna illas affecerit Dominus *ibid.* Sacerdutem Iſraelitam ad eas docendas cultum Domini mittit Salmanaſar *ib.*
Columna, Milo Crotoniata loco columnæ ædificium quoddam ſuſtentat 250. Columnæ a Chananæis in Tingitana erectæ 16. Columnæ Templi Dagonis 249. *Columnæ Terræ* appellantur interdum in Scriptura viri, quibus Deus authoritatis aliquid indidit 309.
Commentarii Nebemiæ laudantur in Scriptura 30. Commentarii Pontificatus Joannis Hircani *ibid.*
Concubinæ, Nomen olim apud Hebræos probroſum non erat adeo, uti apud nus hodie 576. Diſcrimen inter concubinas & uxores 432. Quę ad legem Moſaicam tranſierant, procurabant filiis ſuis jus hæreditatis, quemadmodum & reliqui liberi babebant 224.
Confuſio. Confundere uſurpatur ſæpe pro denegare 277.
Conopion, cognomen Herculis, & quæ ejus origo 294.
Conſecrare. Pius mos conſecrandi Domino partem ſpoliorum, quæ ex hoſtibus referebantur 442.
Conſilium Achitophelis quanti haberetur 467. An dari poſſit conſilium malum ex boni propoſito 469. Permittit quandoque Deus, ut impii exitialia ſibi conſilia propunant vel exſequantur *ib.*
Conſpirationes Gaal in Abimelecum 318. Deteguntur 219.
Conventus in Sichem ante obitum Joſue 146. Undecim Tribuum, pro crimine commiſſo Gabaæ in uxorem Levitæ 263. Conventus indicebantur in portis Urbis 474.
Convivium a Gedeone Angelo ſibi per viſum objecto datum 200. Quæ olim dari ſolebant meſſoribus 276. Charitatis convivia quæ 306. Poſt funebres cæremonias plerumque dabatur convivium 428.
Corœbus primus victor in ludis Olympicis 37.
Corona aurea donabantur apud Romanos qui claruerant in certaminibus 418.
Coronatio Regum Juda 341.
Cornetbo, filia Pterelai abſcindit erinem aureum parris ſui 247.
Cornu pedum equorum contritum eſt impetu curſus Siſaræ 195.
Cornua, quos in uſus priſeis eſſent 366. Ponuntur pro Imperio, robore, gloria, & ſuprema authoritate 308. Inflare cornua, ſeu ad ineundum prælium, ſeu ad canendum receptui, munus erat Sacerdotum 423.
Corus menſura 298. pintarum, cum hemipinta & hemiſextario &c. 534.
Corvi alentes Eliam 604.
Coſſæi populi in montibus Mediæ 701.
Crabrones immiſſi in Chananæos 147.
Cras pro tempore futuro & indefinito ſumitur 408.
Creditor. Jus creditoris apud Hebræos aliaſque nonnullas gentes illud erat, ut pró ſolutione debiti acciperent filios debitorum 650.
Crepitacula, quæ olim ferebantur a leproſis, ut a cæteris diſtinguerentur 426.
Creta. Varia ejus nomina 288. Genuinus Cretenſium ſermo facile erat Phœnicius 289.
Crocodili. Metu illorum canes Ægyptii fugientes bibunt 205.
Cubare. Mos ſingularis hoſpites cubitum ducendi ſuper tecta, vel in ſuperiori domorum parte 340.
Cubitus menſura viginti pollicum & ſemis 372.
Culinæ Templi, cujus eſſent figuræ 160.
Cultri lapidei ad circumciſionem alioſque varios uſus 60. A Joſue humi conditi 151.
Cultus genuinus ille eſt, qui animo exhibetur 504.
Cun Urbs Syriæ, inter Heliopolim, & Laodiceam, ab utraque diſtans xxxıı. m. paſſibus 24.
Currus uſurpatur interdum pro eo qui currum aſcendit, pro auriga, & pro comitantibus currum 353. Currum Seſoſtridis devicti Reges trahebant 170. Bellici currus Chananæorum, qui agrum occupabant 172. Siſaræ currus falcati erant 185. Currus Soli dicati 726.
Cutteri appellatur a Banianis ſecundus filius primi hominis 33.
Cyrus amnis, qui e montibus majoris Armeniæ deffluens Iberiam, & Albaniam alluit, hodie Kor vel Cur appellatus 695.
Cyrus Rex, utrum primus author Monarchiæ Perſicæ 32.

D

D*Aberetb* 128. Urbs Levitica 537.
Dabir ubi ſita? a Joſue capta 90. Vetus ejus nomen Cariath-Sepher *ibid.*
Dabir urbs transjordanica a Dabir Juda diverſa 111, Capitur ab Othuniele 170.
Dabir Rex Eglonis 87.
Dæmon. Princeps Dæmonum Beelzebub in Scriptura appellatur 294. Utrum Juſtorum animæ ſub poteſtate Dæmonis fuerint ante adventum J. Chriſti 292. Dæmon noſcit futura per conjecturas 298. Permittit ſæpe Deus ut vera prodat 408.
Dagan vox Phœnicia, quæ ſonat frumentum 293.
Dagon Numen Philiſthæorum 292. 321. Idem eſt ac Derceto, Atergatis, Venus Aſcalonitica, & Luna *ibid.* Coram Arca Domini ruit 322. Numinis hujus figura, & vocis Dagon ſignificatio 292.
Dalila, uxor ne an ſcortum Samſonis? 246.
Daloo Vigil, piſcium cuſtos, ex Perſis 33.
Damaſcus, vetus urbs, Syriæ Metropolis, aquarum amœnitate celebris 24. 655. Amnis Damaſci *ibid.* Paludes Damaſci, quo is fluit *ibid.*
Damna urbs inter Leviticas 138.
Dan, Tribus, quæ in profectionibus agmen claudebat, cogebatque tardiores 65. Sors & limites ejus Tribus 132. Redigitur in arctum ab Amorrheis 173. Non poteſt ſortis ſuæ dominium penitus obtinere 255. Cogiturque ſedes quærere extra ſuos limites *ibid.* Ea Tribus totam addicit ſe navigationi 194. Ejus captivitas, quo tempore deſierit, & quo uſque in Idololatria perſeverarit 257.
Dan, urbs ad extremam oram terræ Sanctæ 132.
Dan urbs, olim Lais appellata 256.
Dan Sylvarum, urbs ad radices Libani Judaicarum poſtrema in plaga ſeptemtrionali 492.
Danitæ veniunt in Leſem, illamque occupant 132. Auferunt Sacerdotem ac Theraphim Michæ 256.
Daphne, ſons prope Semecbonem 25.
David conſecratur, in quo & Spiritus Domini requieſcit 367. Armiger Saulis eligitur 369. Aggreditur certamen cum Goliath 374. Lapidem ejaculatur in Gigantem, atque illum ſternit *ibid.* cujus cæſum caput defert Jeroſolymam, & arma in tentorio ſuo ſuſpendit *ibid.* Interficit ducentus Philiſthæos, eorumque præputia defert ad Saulem, quorum pretio gener Regis fit 377. Fugit Saulem, convenitque Samuelem Ramathæ 379. Evadit in Najoth *ibid.* Deinde venit in Nobe ad Achimelechum ſummum Sacerdotem 385. Auſugit ad Achis 386. Recipit ſe in ſpeluncam Odollam 388. Inde confert ſe Maſpham *ibid.* Ceilam liberat manibus Philiſthæorum 391. Egreditur inde moraturque in Deſerto Ziph *ibid.* Proficiſcitur ad Engaddi 393. Ejus obſequium erga Saulem *ibid.* Sauli juratus pollicetur, illius familiam ſe ſervaturum 394. Venit in deſertum Pharan 396. Mittit ſuos ad Nabalem, in quem & ipſe poſtea cum ſuis movetur 398. Sed illum a conſilio perdendi domum Nabalis amovet Abigail 399. Abigailem ducit 400. Alteram etiam uxorem, Achinoam Jezrahelitim, ducit 401. Latet in colle Hachila. Una cum Abiſai veniens, dormientem in tentorio Saulem invenit 403. Secundo pergit ad Achis Regem Geth 402. Hoſtilia exercet in populos Geſſuri, Gerſi, & Amalecitas *ibid.* Achis

remit-

Digitized by Google

remittere illum cogitur 410. David revertitur in teeram Philiſthæorum 412. Deum conſulit, admoto Ephod; & Amalecitas inſecutus cædit illos, prædamque omnem reducit *ibid.* & 413. Diſcit ex viro Amalecita caſum Saulis & Jonathæ 418. Hunc interſici jubet *ibid.* Obitum Saulis & Jonathæ carmine luget *ibid.* Dein conſulto Domino, Hebronem ſe confert 422. In poſſeſſionem Regni immittitur altera unctione, qua illum Tribus Juda Hebrone initiat *ibid.* Mittit Abnerum, ut poſtulet Micholem ab Isboſetho 426. Luctus ejus pro nece Abneri 427. Rechabum & Baanam, qui ad ſe tulerant caput Isboſethi, interficit 429. Tertio ungitur, atque Regnum totius gentis accipit 430. Jeroſolymam Jebuſæis eripit *ibid.* Uxores habuit octo, & concubinas decem 432. Venit in Baal-Pharaſim, cæditque Philiſthæos *ibid.* Altera victoria de Philiſthæis a Gabaa uſque Gezer 433. Cogitat reducere Arcam Jeroſolymam, venitque ad Arcam in Cariath-Jarim 434. Territus morte Ozæ, Arcam in domum Obededomi divertit 435. Deinde illam transfert in civitatem Sion *ibid.* Victoriæ de Philiſthæis 440. 441. De Adarezero filio Rohob, Rege Soba *ibid.* Inquirit de familia Saulis, ut bona illi rependat atque beneficiis plurimis cumulat Miphiboſetum 443. Ulturus injuriam, ab Ammonitis in Legatos ſuos illatam, mittit in illos Joabum 446. Cædit Syros, qui ſuppetias Ammonitis ferebant *ibid.* Ejus crimen cum Bethſabee uxore Uriæ. Interficiendum Uriam curat 448. Nathan crimen ſuum Regi exponit, illudque Rex fatetur & luget 449. Natus e Bethſabee puer ægrotat & obit 450. David urbem Rabbath expugnat 451. Sævit in Ammonitas 452. Ejus ſilentium, audito crimine Amnonis in Thamarem, excuſari nequit 455. Amovet a ſe Abſalomum, reum interfecti Amnonis 456. Poſtulatis Joabi de revocando Abſalomo annuit 457. Abſalom in patrem conſpirat 462. Monitus David ſecedit Jeroſolyma *ib.* Remittit Sadocum & Levitas, qui ſecuturi ſe eum Arca venerant, ſeque Numinis iræ ſubmittit 464. Remittit Chuſai Arachitem, qui comes ſibi acceſſerat *ibid.* Deceptus a Siba damnat Miphiboſetum, & rebus illum ſuis ſpoliat 466. Quam patienter tulerit maledicta Semei *ibid.* Victoria de Abſalomo, & luctus pro ejus nece 472. Spondet Amaſæ, qui præfuerat exercitui Abſalomi, copiarum ſuarum imperium 476. Vitam Semei pollicetur 477. Redux trajicit iterum Jordanem, Tribu Juda comitante 478. Transfert e Jabes Galaad oſſa Saulis & Jonathæ, quæ condit e regione ſepulcri Cis patris Saulis 483. Venit in Philiſthæos, atque e manibus immanis ſtatura Philiſthæi liberatur *ibid.* Carmine euchariſtico gratias agit pro victoriis de hoſtibus pluries relatis 484. Cupit aquam e ciſterna Bethlehem, ſed oblatam bibere recuſat: cur 489. Cenſum univerſi Iſraelis meditatur 492. facti pœnitet 493. E pœnis, quarum optio ſibi datur, ſeligit peſtem *ibid.* In area Areunæ erigit altare, ubi & ſacrificium offert, ut peſtem averruncet 495. Divitiæ ejus immenſæ 499. Mandat Sadoco, Nathano & Banajæ, ut deductum Salomonem in Gihon, Regem conſecrent 519. Monita ejus ſalutaria Salomoni data 522. Obit *ib.* Elogium magni hujus Principis *ibid.* Quid ſentiendum de theſauris, quæ a Salomone condita in Davidis ſepulcro eruduntur 525. Quamdiu ſepulcrum ejus ſubſtiterit. Regnavit in Iſraele annis quadraginta *ibid.*

Debora 109.

Debitores. Filii debitorum olim pro debiti ſolutione tenebantur captivi 650.

Deblat urbs Syriæ 129.

Debora Prophetis vidua, quæ Iſraelem judicabat 185. Mater in Iſraele 190.

Decem Seniores in porta Bethlehem 281.

Dedicatio Templi Salomonici 537. Vetus mos dedicandi Templa 561.

Defectio Abſalomi in Davidem 462. Prior defectio Joakimi in Nabuchodonoſorem 731. Altera *ib.*

Dejoces, Medorum Rex primus 31.

Deputatio ad Tribum Beniamini ad poſtulandos viros Gabaæ commiſſi criminis reos 263.

Derceto, nomen Deæ Syrorum. Quæ ejus imago 292.

Deſcendere ſæpe valet ire 228.

Deſertores extremo ſupplicio puniuntur 403.

Deſertum ſonat in Scriptura ſæpe locum non cultum, ubi ſponte proveniunt arbores & paſcua 76. 423.

Deſertum Jerichuntis 117. Pharan 397. Bethaven 124. Ziph 391.

Devovere. Quid ſit devotio, cui Jephte filiam ſuam addixit 227. Devovere morti, mos erat apud Hebræos obtinens 165.

Deus Iſraelis appellatur Deus vivus, ut a profanis Numinibus diſtinguatur 54.

Deus Muſca, vel Deus Muſcæ, Numen Philiſthæorum, cujus erat Templum Accarone 294.

Adeodatus, filius Jore, interficit Goliath de Geth 484.

Deuteronomium, utrum ſcriptum fuerit ſuper Altare in monte Garizim erectum 79.

Dextera locus eſt apud Hebræos honeſtiſſimus 525.

Diaba, amnis Aſſyriæ in Tigridem influens 701.

Diadema erat linea quædam vitta alba vel colorata 418. Diadema Regis Ammonitarum David in caput ſuum transfert 452.

Diana. Varia ejus nomina 293.

Diboa 102.

Dies quo Joſue ſtationem Soli imperavit, quamdiu productus 8. 88.

Dievi incolæ Havæ 701.

Digitus. Digitum ori imponere, quid ſit 256.

Diglit nomen Tigridis 691.

Diodorus Siculus quid ſcripſerit de tranſitu Philiſthæorum in inſulam Oceani Athlantici 19. deque vetuſtate obſervationum Aſtronomicarum Chaldæorum 31.

Diſtributio terræ Promiſſionis per Tribus 104.

Divinatio, communis apud Orientales 324. Sacerdotes Idololatræ id muneris gerebant *ibid.*

Divini Philiſthæorum vera prædicebant, & quo afflatu 324. Vetat Lex ne conſulantur: iidem pellebantur e ditione Iſraelis 408.

Divitiæ Davidis immenſæ 499. Utrum exaggeratum quid in Scriptura de iis ſit *ibid.* Quomodo illas parare potuerit 501.

Divortium. Libellus divortii neceſſarius erat ut mulier nuptias cum altero conciliare poſſet 401.

Dod, Hebræa vox, quæ patruum interdum deſignat 488.

Doeg Idumæus miniſter ſæviſſimi ejus imperii in cæde Sacerdotum 389.

Dominus eſt Deus ſcientiarum omnium Numen, & veritas univerſalis 308. Ab exteriori ſpecie de rebus non judicat 367. Reddet unicuique ſecundum æquitatem, fidemque ſuam 403. Conſulitur a Davide 412. Spondet eidem Regi futurum, ut firmet Regnum Salomonis 438. Per ſomnium Salomoni apparet, illique confert ſpiritum ſapientiæ & ſcientiæ 530. Apparet ſecundo Salomoni 563. Licentia ejus Principis provocatus, diviſionem Regni poſt ejus obitum prænunciat 579. Mandat Eliæ, ut recipiat ſeſe ad torrentem Carith 604. Mittit inde in Sareptam 605.

Dommim, ſeu Aphes-Dommim, Phes-Dommim, locus incerti ſitus 371.

Domus ſaltus Libani cur ita appelletur 548. 160. Deſcribitur *ibid.* Ædificare domum alicujus, eſt dare illi poſteros 283. Domorum vetuſtas 258. Hebraicarum figura 161.

Dor, urbs Phœnicum 92. 120. Regio Doe, vel Nepheth Doe 92.

Dos uxori a viro traditur apud Hebræos 377. Fœminæ principes dotem ſolvebant ſponſo. Mos

idem

Digitized by Google

idem apud alias gentes 565.
Dothan, urbs Regni Iſraelis, ubi 659. An eadem cum Dothain *ibid.*
Dotes corporis ſpectandæ in electione Regum, & Principum 344.
Durum, uſurpatur ſæpe pro calamitate, dolore, & labore 305.
Dux armorum Saulis quis? 374. Copiarum Iſboſethi quis? 422. Quis Davidis? 445. Quis Cerethim & Pheletim ſub Davide *ibid.*
Dynaſtiæ Ægyptiorum quomodo diſtribuendæ 35.

E

EBen Heſer, nomen quod Samuel indidit monumento erecto inter Maſpha & Som in memoriam victoriæ de Philiſtinæis relatæ 318.
Ebur. Thronus Salomonis eburneus 572.
Ebuſa a Jebuſæis frequentata 17.
Ecbatana, urbs ad montem Carmelum 129. Ab Arphaxado condita 31.
Eccleſia. Veteres Chriſtiani oſculabantur limina Apoſtolorum & martyrum 322.
Ecdippus, vel Aeſaph 92.
Edema 131.
Edom, vel Adam urbs transjordanica, e regione Sarthan 55.
Edom. Rex Edom negat tranſitum per ditionem ſuam Iſraelitis 225.
Edrai, locus Tribus Nephtali 132.
Edrai, urbs Regni Og 97. 102.
Educatio Salomonis utrum Nathano commiſſa 518.
Effœminatus deſignabatur nomine hominis tenentis fuſum 426.
Egla mater Jetrami, ſexti inter liberos Davidis, Hebrone nati 425.
Eglon, ſeu Odollam 87. Capitur ab Joſue 90.
Eglon, Rex Moab, opprimit Hebræos 179. ſed illos liberat Aod, Eglone interfecto 184. Libertatis hujus hiſtoria *ibid.* Pinguiſſimus erat *ibid.*
Ela, filius Baaſæ, ſuccedit patri in Regno Iſraelis 601. Interficitur a Zambri *ibid.*
Elam, urbs condita ab Azaria Rege Juda 692.
Elcana filius Jerohan cui geminæ erant uxores, Anna & Phenenna 303. Genuit Samuelem, & vir fuit Levitici generis *ibid.*
Elchanan, quid eo nomine deſignetur 484.
Eleazar ſummus Sacerdos, filius Aaronis, obit 151.
Eleazar Ahohites nomen viri inter fortiſſimos Davidis Præfectos 488.
Eleutheropolis ubi 28.
Elohim quid 325.
Eliacim filius Helciæ œconomus Regis Ezechiæ 705.
Eliacim, a Pharaone Nechao conſtituitur Rex Juda 729. Tributum Pharaoni ſolvit *ibid.*
Eliam, pater Bethlabee 448.
Elias Propheta prædicit Achabo graviſſimam ſiccitatem 603. Recipit ſe ad ripam torrentis Carith 604. Vitæ reſtituit filium Viduæ Sareptanæ 605. Achabum increpat, illique proponit, ut populum univerſum cum Pſeudo-Prophetis cogat in monte Carmelo 608. Quid cœtui collecto proponat, quid exigat a Pſeudo-Prophetis *ibid.* Deducto cœlitus igne abſumit holocauſtum; deinde neci tradit adverſarios Prophetas 609. Uberem pluviam precibus ſuis impetrat 611. Jezabelem timens, fugit in deſertum. Veſcitur cibo per Angelum delato, & jejunat diebus quadraginta; tum pervenit ad Horebum *ib.* Jubetur ire ad ungendos Hazaelem, Jehu, & Eliſæum 612. Denunciat Achabo & Jezabeli quæ utique imminebant mala 621. Prædicit mortem Ochoziæ 639. Deducto cœlitus igne, abſumit Præfectos ab eo Rege ad ſe miſſos *ib.* 640. Aquas, pallio ſuo tangens, findit 642. Rapitur; quo, incertum *ibid.* 243. Propheciæ hujus elogium 643. Eliſeo ſpiritum ſuum communicat, & qua ratione *ibid.* Venturus eſt in exitu mundi ad preparandas vias Domini *ibid.*
Eliezer ſcripſit res geſtas ſub Oaia & Ezechia 29.
Elihoreph, filius Siſę, a ſecretis Salomoni 532.
Elimelech, utrum frater Salomonis 273. Quo tempore egreſſus Bethlehem *ibid.*
Eliphelet, filius Asbai, inter primos Davidis Præfectos 491.
Elis a poſteris Eliſę, filii Japhet, frequentata 37.
Eliſæus, filius Saphat, electus ab Elia in Prophetam & ſucceſſorem ſuum 613. Poſtulat ab Elia duplicem ejus ſpiritum 642. Heres fit pallii Elię 643. quo tangens aquas, eas dividit *ibid.* Purgat, corrigitque aquas Jerichuntis 644. Graviſſima ultio in pueros Bethel, ipſi illudentes 646. Conſulitur ab Joramo Rege Iſraelis, Joſaphato Rege Juda, & a Rege Edom *ibid.* Multiplicat oleum viduę paupercule 650. Spondet nomine Domini filium mulieri Sunamitidi, quem vita dein functum, iterum vitę reſtituit 651. 652. Prodigium correcti amari ſaporis pulmenti Prophetarum 653. Naaman leproſus illum conveniens, jubetur lavare ſepties in Jordane 654. 655. Rogat illum Naaman, ut patiatur ſeſe ſterni coram Remmon 656. idque Propheta permittit 657. 672. & *ſeqq.* Punit lepra Giezi ob mendacium & avaritiam 657. Ferrum ſecuris innatans aquę 659. Indicat Regi Iſraelis Syrorum inſidias *ibid.* uſu oculorum privat Syros ad ſe capiendum miſſos *ibid.* Ceſſaturam Samarię famem predicit 662. Fames ſeptennalis ab eodem Propheta prænunciata 664. Eliſeus venit Damaſcum, & Benadad miſſis per Hazaelem muneribus, illum de morbo ſuo conſulit 665. Reſpondet, & Hazaeli prenunciat Regnum Syrię *ibid.* Mittit unum e filiis Prophetarum in Ramoth Galaad, ut ungat Jehu Regem Iſraelis 668. Predicit Joas Regi Iſraelis victorias tres de Syris 683. Obit *ibid.* Mortuus oſſium ſuorum contactu defunctum vitę reſtituit 684.
Elmelech 128.
Elon 131.
Elthece 132.
Elthecon 112. Urbs Levitica 137.
Etholad alio nomine Tholam 127.
Elymei, filii Elam cum Perſis mixti 32.
Emath. Plures hujus nominis ſunt urbes, 23. 131. 441. 687.
Emath alia eſt ab Antiochia 131.
Emath urbs metropolis Syriæ Soba 687.
Emath Syriæ ipſa eſt Emeſa ad Orontem Syriæ 23. 441.
Emere. Hebræi olim emebant ſibi uxores 481.
Emanuel. Iſaias prænunciat Achaz, futurum ut e Virgine matre oriatur Emanuel 695.
Emona 125.
Enaim 113.
Enam, eadem ac *Ajon*, urbs in finibus Damaſci 692.
Endor, Urbs in valle Jezraelis ad radices montis Gelboe 120.
Engaddi locus ſatis proximus litori Orientali maris mortui, nonnihil abſens ab agro Jerichuntis 27. 115. Utrum idem cum Azazon-Thamar 27. 115. An ipſa ſit urbs Palmatum 171.
Engannim 113. 128. urbs eſt Levitica 137.
En-Hadda 128.
En-Haſor, an fons ſit Daphniticus, prope lacum Semechon 132.
Ennon, vel Hazer-Ennon 24.
Ennon, Vallis Ennon 110.
En-Semes vallis Solis 109.
Enſis appenſus femori ferebatur ab Hebræis 480. Ex quo latere pendebat 181.
Epha menſura 181. quænam 307.
Ephi menſuræ genus apud Hebręos 280. 373. Quantum caperet *ibid.*
Ephod cingulum lana plerumque textum. Non unis Sacerdotibus permittebatur 310. 391. 412.
Ephra, urbs dimidiæ Tribus Manaſſis, Transjordanicæ 355.
Ephraim, ejus portio, & limites 117. Quomodo finitima ſit Iſſachar & Aſer 119. Vada Jordanis obſidens, reſiſtit Madianitis 200. Captos Horeb,

Digitized by Google

reb, & Zeb neci tradit *ibid.* Queritur cum Gedeone, quod in expeditionem Madianiticam vocatus non ſit 208. Bellum inter Tribum Ephraim & Galaaditas 229. Filii Ephraim coacti efferre *ſchibboleth*, non valent 230.
Ephrata, nomen Bethlehem 273.
Ephron, mons Ephron 110.
Equi nulli apud Hebreos uſque ad Regnum Salomonis 94. Ferro olim non ſoleabantur 195. Jubet Deus nervos ſuccidi equis, ſiqui capiantur e Chananæis 94. An Ægyptii primi equis uſi fuerint in bello 574. Equi Soli conſecrati 727. E ſacris equis preſagia *ibid.*
Equilia, & equi Salomonis 534.
Equitatus nullus apud Iſraelitas ante Salomonem 94.
Erchai, Incolæ Arcæ in tertia Armenia 701.
Eſdras vulgo creditur author Librorum Regum 496. Ingenium & ſcientia viri 30.
Eſob an hyſſopum ſignificet 536.
Eſron, pater Jerameelis 405.
Eſrom, urbs eadem ac Aſer 109.
Eſtaol prope Saraam, in Tribu Dan 113.
Eſthamo, Urbs Sacerdotalis in Tribu Juda, in finibus Eleutheropolis 414.
Eſthema urbs Levitica 137.
Et in capite Librorum Judicum, Joſue, Ruth, Regum, quid ſignificet 303.
Ethbaal Rex Sidoniorum, pater Jezabelis 602.
Ethai Gethæus, Princeps ſexcentorum e Geth, qui adhærebant Davidi 471. Præeſt parti copiarum Davidis adverſus Abſalomum *ibid.*
Ethalon, vel Chetalon 24.
Etham. Spelunca Etham 242. Fluvius Etham 34.
Ether 113. vel Athar 127.
Eva parit duos gemellos, ex recepta apud Perſas ſententia 33.
Evæi ad meridiem Paleſtinæ 102.
Evilmerodachus, filius Nabuchodonoſoris, ſuccedit patri 736. Eductum e carcere Joachinum Regem Juda honorifice habet *ibid.*
Eulogia, benedictio; quo nomine largitiones olim pauperibus collatæ appellabantur 400.
Eunuchus. Nulli erant in Iſraele Eunuchi 335.
Evocatio. Vetus opinio, quod animarum evocatio illarum requiem turbaret 408.
Euphrates, magnus fluvius appellatur, & eo uſque porrigenda erat ditio Iſraelitarum *ibid.*
Europa, filia Regis Tyri, a Græcis rapitur 36.
Exaggerationes in ſacris Scriptoribus qua ratione dignoſcantur 6.
Examen apum in faucibus leonis 232.
Excalceare ſe, ſymbolum erat exprimens, aliquem jure ſuo cedere 282.
Excelſa loca commendabantur quod deſtinata eſſent ſacrificiis Domini 529. Ea ſuſtulit Ezechias 705.
Excommunicationes a Baraco in terram Meroz 195.
Excubiæ Abimelechus excubias ſibi conſtituit 215. Qui excubias agunt ad ſarcinas, jus habent ad prædam uti cæteri, qui præliantur 413.
Excuti triticum varie arte ſolebat 277.
Exercitus Iſraelis. Quomodo inſtruerentur 65.
Experiri. Deus non ita probat homines, quaſi aliquid ignoret 177.
Expiationes. Vetus Paganorum ſuperſtitio expiandi ſeſe tranſitu per medias flammas 694.
Exploratores Jerichuntem miſſi 46. Quamdiu manſerint in domo Raab 47. Quomodo ab illa e periculo ſervati 48. Quinam illi 47.
Extende pallium tuum ſuper me 279.
Exteri. Humanitatis officio lavabantur exteris pedes 448. An illis fas eſſet uti urbibus Aſyli, ſi quem caſu interemiſſent 134.
Exterminare aliquem exprimitur in Scriptura hac phraſi, Perdere nomen alicujus 71.
Extrema populi ſignificant vel in populo Principes vel infirmos 255.
Ezechias, filius Achaz Regis Juda, ſuccedit patri 693. Edita loca ſubvertit 705. Cur ſerpentem æneum Moyſis ſubruerit *ib.* Victoriæ de Philiſtæis 706. Excutere conatur jugum Aſſyriorum; Evellit laminas aureas valvarum Templi Domini 707. Duras illi conditiones proponit Sennacheribus *ibid.* Ezechias mittit ad Iſaiam *ibid.* a quo futuræ liberationis oraculum accipit *ibid.* Deum rogat 711. Ægrotat, & nuncium mortis accipit ab Iſaia 715. Spem recipit valetudinis a Propheta; cujus vaticinii ſignum poſtulat & impetrat 716. Prodigium retrogradi Solis illi conceditur, & quid ſit prodigium illud? *ibid.* Vana Ezechiæ oſtentatio divitiarum ſuarum *ibid.* Oraculum Iſaiæ, prænunciantis ejus rei ultionem; cujus æquitatem Rex agnoſcit; rogat tamen ut expletio tota vita ſua differatur *ibid.* 717. Obit. Scripturæ elogium de religione ejus, & pio animi ardore *ib.* Regnat annis undetriginta 704.

F

Fabulæ Thalmudicæ, quomodo excuſentur a Rabbino quodam 150.
Facere ſæpe valet ſacrificare 234.
Faces, quibus Gedeon milites ſuos inſtruxit 205.
Fames, quæ Elimelechum coegit e regione ſua migrare 273. Sub Davide, cauſa injuriæ a Saule Gabaonitis illatæ 482. Alteram ſub Joramo Rege Iſraelis 660. Altera ſeptennalis ab Eliſæo prædicta 664.
Faſciculus. Alligari in faſciculo viventium quid 400.
Femur. Percutere femur ſure, quid ſit 242.
Feneſtræ Templi Salomonis, cujus eſſent figuræ 542. Non vitro obduci ſolebant, ſed cancellis 162. Mater Siſeræ e feneſtra proſpiciens, adventum filii ſui preſtolabatur 214.
Ferrum olim in ſoleis equorum 195.
Ferrarii fabri cur per aliquod tempus nulli eſſent in Iſraele 355.
Feſtum in Silo, cujus occaſione Beniamitæ rapuerunt ex eadem urbe uxores 268.
Feſta Domini. Viri omnes per Feſtam diem adeſſe jubebantur Tabernaculo Domini 303. Per eos dies privati nulla lege jubebantur hoſtias offerre 306. Mos agitandi lætos dies quo tempore oves tondebantur 455. Dies ſolemnium Feſtorum *Azeret* appellari ſolebant 386.
Feſta tria ſolemnia quotannis apud Hebreos 567.
Feſta ſolemnia ab Jeroboamo conſtituta 587.
Ficus. Dulcedo ficus in proverbium abiit 227.
Filia Jephte procurrit ad patrem 227. Rogat illum ut ſibi duorum menſium ſpatium ad virginitatem ſuam lugendam concedatur 228. An revere immolata fuerit 264. An Samaritæ conſecrata fuerit inter Numina 228. Quamdiu perſeveravit mos memoriam ejus in Iſraele recolendi *ib.*
Filiæ detinebantur in ædibus maternis 270. clauſæ in parte ædium remota, raro egrediebantur 454. Filiæ Sion a Beniamitis rapiuntur. Quid de eo raptu ſentiendum 268. Filiæ Jabes Galaad ſervantur in conjuges Beniamitarum *ibid.*
Filii. Lex permittens Hebræis in rei familiaris anguſtia vendere filios ſuos 650. Quæ pariter apud gentes alias obtinebat *ibid.* Filii mares jubebantur in Feſtis ſolemnibus adeſſe Templo 303. Filii Achan utrum paterni criminis eſſent conſcii 73. Utrum cum illo cremati *ibid.* Filii Gedeonis perplurimi 212. miſerabili fato e fratre ſuo cæſi 215. Filii Prophetarum 343. Filii civium Bethel, Eliſæo inſultantes, ab urſis devorantur 644.
Filius ex Ruth & Booz natus eſſe debebat in publicis cœtibus pro Mahalone 249.
Fines meridionales terræ ſanctæ parum noti. Quinam eſſent 21.
Fiſcus. Res damnatorum læſæ majeſtatis addicebantur Fiſco 45.
Flagellum, quo olim excutiebatur triticum 277.
Flamma quæ erupit e lapide, ut devoraret carnes Domino a Gedeone oblatas 200.
Flentes. Locus flentium 174. Fletus Davidis pro morte Abſalomi 233.
Fluvius turbidus eſt Nilus 100.
Foculi quibus incaleſcebant conclavia 161.

Fodinæ Damaſci 24. 655.
Fœcunditas ceu benedictio Dei habetur 304.
Fœdus Hebræorum cum Chananæis, an permiſſum? 575. Fœdera hæc malorum omnium in Iſraele origo *ibid.* Utrum cogerentur ſervare conditiones fœderum ejuſmodi *ibid.* Fœdus inter Deum & populum ſuum innovatur ab Joſue 148. Fœdus Sinai innovatur in monte Hebal & Garizim 79.
Fœminæ ædes habebant a viris diverſas, neque cum viris vetcebantur 562. Excluſæ a regimine apud Hebræos 361. Siſtere ſe Templo jubebantur, ut expiarentur poſt puerperium. Ejus Legis exceptiones 306. Inſcio, vel invito marito de rebus ſuis decernere non poterant. Ejus Legis exceptiones 398. Fœminæ alienæ utrum juberentur mutare religionem, ut viros Iſraelitas ducerent 425. Utrum fas eſſet Hebræis ducere Moabiticas fœminas 282. Fœminæ quæ cauſam ſuam dicturæ coram Salomone venerunt 531. An meretrices eſſent 47.
Fons Capernaum 26. Daphniticus, prope Semechonam *ibid.* 43. Jerichuntis 117. Nephroe 10. Rogel, vel fullonis, Taphuæ 220. Samſonis, utrum e mandibula aſini an ex humo, an e lapide eruperit 243. Funs Solis 109.
Forfices. Hebræi utebantur potius novacula, qua crines cæderent 305.
Frumentum toſtum, cujus eſſet olim uſus apud agreſtes 62. Quando Iſraelitæ veſci cœperint frumento novo Chanaanitidis 62. Quomodo præparetur ab Hebræis 469.
Fulmen, lapides fulminis 12. Nuclei fulminum quid *ibid.*
Funda, Uſus fundæ a Phœnicibus 263. Incolæ Gabaæ funditores ſtrenui *ibid.* Alia ſimilis peritiæ exempla *ib.* Peritia Balearium ejus rei *ib.* 374.
Funes nervicei olim in plures uſus valebant 246. Funes, quibus Samſon vinctus fuit a Dalila, utrum nervicei eſſent, an e ramis virentibus 247. Funes novi, quibus Samſon alligatus fuit *ib.*
Funiculus coccineus ad feneſtras Rahab, in ſignum Hebræis poſitus 51.
Fures olim minori probro notabantur, quam hodie 224. Id nominis dabatur militibus, & Cuſtodibus Principum *ib.* 428. Lex apud Hebræos jubet fures ſolvendo impares vendi 650. Fures habebat ſub ſignis Iſboſethus *ibid.*
Furtum minus erat crimen quam modo ſit 428. Quin & apud Veteres Germanos permittebatur, modo extra urbes patratum 655.
Futura Magi ſcire ſe gloriabantur animarum evocatione 379.

G

GAal, filius Obed, Sichimitas ſollicitat in Abimelechum 218. Regnum affectat *ibid.* E Sichem erumpens, cæditur ab Abimelecho *ibid.*
Gaas nomen montis, ubi Joſue ſepulturæ mandatus eſt 151. Nomen eſt etiam torrentis 491.
Gabaa. An id nominis accipiendum ſit pro loco edito 433.
Gabaa, urbs Juda 154.
Gabaat, an eadem ſit cum Gabaat-Phinees, ubi hic ſepultus eſt 525.
Gabaat-Phinees, ubi Eleazar conditus fuit 151.
Gabae, urbs Levitica 137.
Gabaon 125. Diſtantia a Gabaone Galgalam 84. & Jeroſolymam 422. Urbs erat ex ampliſſimis ejus Regionis 87. Obſidetur a quinque Regibus Chananæis *ibid.* Liberatur ab Joſue *ibid.* Cedit Levitis 137.
Gabaonitæ, dolo malo extorquent cum Hebræis fœdus, quid hic dolus 81. Hevæi erant, appellanturque interdum Amorrhæi 87. *Venerunt in nomine Domini* quid phraſi hac deſignetur 82. Dedunt ſeſe Joſue, fœduſque cum illo componunt 83. Opem poſtulaturi ad Joſue veniunt 87. Submittuntur maledicto, eorumque urbes permittuntur Hebræis; ipſique ac poſteri addicuntur ſervitiis Tabernaculi 84. An legem Moyſis receperint 483. Saul inique illos inſectatus eſt, & ad paucos redegit 482. David ſeptem viros e familia Saulis ad ſupplicium illis tradit 483. Quid de Gabaonitis factum ſit poſt Regnum Davidis 85.
Gabathon urbs Levitica 137.
Gabee 125.
Gabiſch. Lapides Gabiſch, fulguris vel piropi 13.
Gad, ejus hereditas trans Jordanem, & limites 103. Quietus in regione ſua manſit cum Baraco, cum hic præliaretur in Siſaram 193.
Gad Propheta optionem exhibet Davidi e tribus flagellis quem ſeligat 493.
Gades, vel *Cades*, populi e Chananæis 17.
Gæder in Tribu Juda 91.
Gai, alias Hai 70.
Galaad uſurpatur pro tota regione Transjordanica 422. 692. Quid nomine ipſo ſignificetur *ibid.*
Galaad & Baſan obtigerunt dimidiæ Tribui Manaſſe 119. Urbes omnes Galaaditicas poſſedit Gad 103. Montes Galaad quam late porrigerentur 96.
Galaaditæ armis Ammonitarum petuntur, & Principatum populi offerunt illi, qui primus illos aggrediatur 222. Tum veniunt poſtulaturi Jephte, qui illos ab hoſtibus liberat 224. Galaad fugitivus Ephraimi quid ſit 229.
Galeæ veterum cujus eſſent figuræ 372.
Galgala. Quid ea vox ſignificet 62. Locus quidam ubi ſitus 58. Galgala gentium an ſit Galilæa 98.
Galilæa. Utrum id nominis notum eſſet Joſue ætate *ibid.* Uſurpatur ſæpe pro finibus in Textu Joſue 3. Salomon dedit Hiramo viginti Galilææ urbes 563.
Galilæa gentium, & inferior Galilæa: earum limites & tractus 26. 98.
Galilæi alia utebantur a cæteris Judæis pronunciandi ratione 231.
Gamal. Quid ea vox ſignificet 306.
Gambiſon, vox ex Orientalibus adoptata a Gallis ut lineum quoddam loricæ genus ſignificent 418.
Garizim, mons Sichem proximus 80. 216. Jonathan allocuturus Sichimitas huc aſcendit 216.
Gaulon Baſanitidis, urbs refugii 134. Levitis ceſſit 137.
Gaza urbs Paleſtinæ 95. An illam ceperint filii Juda 171. Samſon e cardinibus ejus fores evellit 245.
Gazer, *Gazara*, ubi? 90. Levitis ceſſit 137.
Gebal, urbs Phœnicia, eadem ac Giblos 539.
Gebbethon 132.
Gedeon, e Familia inter minimas Manaſſe 342. cum triticum excuteret ſub torculari, obvium habet Angelum Domini 174. Terretur aſpectu Angeli 200. Condit Altare Domino, dejicitque aram & lucum Baalis 201. Cognomen obtinet Jerobaalis 202. Signum poſtulat miſſionis ſuæ *ib.* Veniens ad fontem Aradi, dimittit omnes qui timoris aliquid admittebant 204. Nonniſi trecentos retinet, quos inſtruit tubis & facibus 205. Aggreditur cum manu trecentorum Madianitas & fugat 206. Placat ſapientia ſua Ephraimitas 208. Regreditur ab urgendis hoſtibus 209. Interficit manu ſua Zebee & Salmanam 210. Viri hujus cum ſtrenuitate modeſtia 214. Recuſat Regnum ſibi & familiæ oblatum, ſed poſtulat ſolum inaures Madianitarum, ex quibus format Ephod *ibid.* Floret poſteritate ſeptuaginta filiorum 211. Obit 212. Elogium & ſimilitudo cum Jeſu Chriſto *ibid.*
Gedera, Gederothaim 113.
Gedor, vel *Gador*, vel *Gader* 97. Gadera 113.
Ge-Hennon, vallis filiorum Hennon, ita enim appellabatur vallis Joſaphat 727.
Ge-Hinnon, idem ac Ge-Hennon 727.
Gelboe, montes, quibus David dira imprecatus eſt 419.
Gelilah, vel *Geliloth* 124.
Geliloe, ideſt, limites *ibid.*
Genæ, Vetus mos ſalutandi fœminas tactu genarum 480.
Geneſareth, lacus 43.

Digitized by Google

Gentiles temnebant Hebręos 358. Judęi ſubrogati 463
Geographia ſancta, ejus utilitas, & neceſſitas 20.
Georgiaai, poſteri Caphtorim 17.
Gera, pater Semei, fugienti Davidi illudit 466.
Gerab, viliſſima Judęorum moneta, unius ſolidi & denariorum quorumdam 313.
Gerara prope Berſabee 27.
Gergeſæi profugerunt in Africam 15. Diem dicunt Judæis coram Alexandro M. *ibid.* Sedes illorum 54. Vincuntur ab Joſue 15.
Gerra, eadem ac *Gerara* 27,
Gerzi populi ignoti, poſteri Chananęorum 405,
Geſſen, vel Gozen, Regio in Tribu Juda, Ægypto proxima 21. 90.
Geſſn, duæ ejus nominis regiones 422.
Geſſur, Regio finitima Syriæ, circa Damaſcum *ib.*
Geſſuri, in Hebręo eſt Aſſuri: quæ ſit regio *ibid.*
Geſſuri 102. Terra Geſſuri in Arabia, in plaga meridiana, alia ab ea quæ erat ad Septemtrionem 100. Populi Geſſuri ignotiſſimi 505.
Geth 95. Urbs Philiſtæorum 21. Capitur ab Hazacle Rege Syriæ 680.
Gethaim, locus parum noti ſitus, Hujus nominis urbs erat Beniamitica 428,
Geth-Hepher 128.
Geth-Remmon 122. 137.
Gezer, urbs Ephraimitica 433.
Giblos, urbs Phœniciæ, adjacens Libano, ad Septemtrionem Sidonis, ad Mediterraneum 539.
Gideroth 113.
Giezi, ſamulus Eliſei 651. Mittitur ab Eliſæo ut vitæ reſtituat filium Sunamitidis 652. Cutrit poſt Nahamanum, poſtulans aliquid 657. Punitur lepra *ibid.* Colloquitur cum Joramo Rege Iſraelis de prodigio Eliſæi 664.
Gibon, fons ad Occidentem Jeroſolymæ 519. ubi Salomon Rex ſalutatus eſt *ibid.*
Gilo 114.
Gob, alio nomine Gazer Philiſtęorum 484.
Godolias Præfectus conſtitutus in Regno Juda a Nabuchodonoſore, interficitur ab Iſmaele 736.
Goliath Gethæus 371. vir erat e ſtirpe Enac 95. Pondus loricæ ejus 371. Iſraelem provocat ad certamen 373. Iſtu lapidis dejicitur a Davide 374.
Gomeres, populi Mauritaniæ, quorum nomen oritur ab Amorrhæis 17.
Gomor, menſura trium pintarum circiter 369.
Gomorra ubi ſita 27.
Gophna vel Cophni 125.
Goſſen, vel *Geſſen*, in finibus Ægypti 90. 114.
Græci. Hiſtoria & vetuſtas Gręcorum difficile expediuntur 36. Græca nomina in Textu Hebręo poſt captivitatem Babylonicam 182.
Grando lapidum ſuper Chananæos 88. Quid eſſet *ib.*
Gratiæ inferiores, quæ animos mutant, non ſemper conjunguntur prodigiis 589.
Greges. Reges olim & filii Regum greges curabant 455.
Gujomarus filius Aram, ex Perſarum ſententia, primus fuit illorum Rex 33.

H

HAbee Cineus cum Jabin 187. Habitabat juxta Cedes *ibid.*
Habor, urbs Medorum ad fluvium Gozar 698.
Hachila, collis, incerti ſitus 402.
Hadriel Molathites ducit Meroboam filiam Saulis 377.
Hædi apud veteres exquiſitiſſimus cibus 234. Interdictum coquendi hœdum in lacte matris definitur ſolummodo ad agnum Paſchalem 331.
Hæreditates. Vetat Lex, ne hæreditates alienentur 619. Hęreditatem Nabothi uſurpat Achabus *ib.*
Haeres. An nati ex concubina liberi jus haberent ad hæreditatem 224.
Hagor, vetus nomen urbis Petræ In Arabia 686.
Hai prope Bethel 97. Alio nomine *Gai* 70. Joſue Exploratores mittit ad illam, quam & obſidet 75. Qua ratione ceperit *ibid.* Everſa ab Joſue, deinde reſtituta fuit 78.
Hala, urbs Medorum, ad amnem Gozan 699.
Halcath 128.
Hamul, cui Deus curam cœlorum tradidit, ex Perſarum ſententia 33.
Hammoth-Dor, urbs Levitica 137.
Hamon 129. alio nomine Hammoth-Dor 137.
Hanani ſcripſit annales ſub Aſa 19.
Hanon filius Naas Regis Ammonitarum fœdiſſime excipit Legatos Davidis 446.
Hephraraim 128.
Haphſiba, mater Manaſſis Regis Juda 717.
Haran, urbs Syriæ Palmirenæ, ejus nomina 711.
Hares, mons Daniticus 173.
Harma ſive Horma 112. 127.
Haſoreth gentium, locus, ubi Siſara habitabat 185.
Harpocrates, Deus ſilentii 256.
Haſemoa, vel Haſemona 112.
Haſer-Suſa 127.
Haſer-Sual 112. 127.
Hava Regionis hujus incolæ dicti Dieviei 701.
Haſael conſulit Eliſæum nomine Benadadi Regis Syriæ 665. cui Eliſæus Regnum prædicit. Benedadum in lecto ſuffocat, ac Regnum occupat *ib.* Excurrit ditionem Iſraelia 674. Obſidet & capit urbem Geth 680. Tum copias ducit Jeroſolymam, ſed accepta ab Joramo Rege Juda pecunia recedit *ibid.* Obit 684.
Hazazonthamar, urbs palmarum, eadem ac Engaddi 171.
Hebal, ubi ſitus. Utrum in eo monte Joſue erexerit Altare poſt tranſitum Jordanis 79.
Hebræi, eorumque antiquitas 38. Oraculum de converſione ſtatus Ariſtocratici in Monarchicum 310. Incircumciſos ſpernebant 358 Jus habebant latiſſimum in filios 249. Condere ſolebant cadavera in agro & exciſis in eam rem ſpecubus 681. Quin & ſepulcra parabant in locis domui ſuæ vicinis 397. Æneam monetam nullam habuerunt ante captivitatem 483. Numinum Paganorum nomina propria corrumpebant 294. Hiſtoriæ illorum veritas 37. 38.
Hebron. Vetus ejus nomen fuit Cariath-Arbe 106. Ubi ſita 21. Capitur ab Joſue 90.
Hebron datur Calebo 106. 172.
Hebroa, vel *Habraa*, urbs Tribus Aſer 129.
Heddai e torrente Gaas, inter præcipuos Davidis Præfectos 490.
Helan ubi 446.
Helcbath, urbs Levitica 137.
Helias Summus Sacerdos jubetur ab Joſia totum argentum Templo collatum conferre in ſarta tecta Templi 722. Detegit volumen Legis in Templo 723.
Heled, idem ac *Cheleb* 490.
Heled, filius Bannæ, Merophathites, inter præcipuos Davidis Præfectos 490.
Helez Phalthites, vel Phalonithes inter primos Davidis Præfectos 490.
Heli Summus Sacerdos, benedicit Helcanæ & uxori 311. Reprehendit filios, quod non recte incedant *ibid.* Conjecturæ, qua ratione ad ſummum Sacerdotium pervenerit 312. Heli Samuelem rogat, ut indicet ſibi viſionem 316. Seſe autem ſubmittit ultioni Domini, oraculo illo prenunciatæ *ibid.* Labitur e ſella ſua, confractuſque interit 319. In ejus memoriam jejunium indicitur 320. De ſalute ejus judicium *ib.* Ejus familia Sacerdotium poſſedit aduſque Salomonis ætatem 313.
Hercules Tyrius venit in Africam 17.
Hercules. Ejus Hiſtoria e Samſone accepta 250. Prælium ejus cum filiis Neptuni 13. Invocatur ut Numen præſentiſſimum adverſus culices, Inde nomen *Conopion* 294.
Hermon, mons ad orientem Libani 92.
Hermon, mons ad ſeptemtrionem magni campi 24.
Herodes magnus reſtituit Samariam ſub nomine Sebaſtes 700.
Herodes Tetrarcha detegit Jordanis fontem 43,

Digitized by Google

Heros, Veterum Heroum veſtes 639. Heroes & Principes priſcę ætatis agricultura exercebantur 346.
Heſebon 102. Urbs Levitica 138.
Hethalon, aliter Cathela in Syria 24.
Hethæi, ubi olim habitarent 54.
Hevæi, eorumque regio *ibid.*
Hezer vel *Hazer*, vel *Chaſer*, plures hujus nominis Urbes 565.
Hiel de Bethel reſtituit Jericho 68. 602.
Hieroglyphica, quibus Mexicani utuntur pro literis 37
Hiram, Rex Tyri, filius Abibalis 431. Mittit Legatos ad Salomonem *ibid.* 538. Cui & concedit ligna, & Opifices, quos poſtulaverat *ibid.*
Hiram, nomen Opificis peritiſſimi, Tyrii, quo uſus eſt Salomon in opera ſua 549.
Hir-Semes 132.
Hiſtoria, Differentia characterum Hiſtoriæ ſanctæ & profanæ 286. Veterem hiſtoriam magis curarunt Orientales 28. Quomodo per ſe nutet 28. Quanta luce illam perfundat Hiſtoria ſacra 29.
Hiſtoria Aſſyriorum 31. & Chaldęorum *ibid.* Sinenſium, quam parvi facienda 35. Ægyptiorum quam incerta, & fabuloſa 34. Gallorum & Germanorum 36. Gręcorum quam fabuloſa 36. Hebręorum quam preſtet cęteris 29. 39. Latinorum 37. Medorum 31. Mexicanorum parum vetus 37. Perſarum 32. Phœnicum 35.
Hoba, vel *Hobal*, forte Abyla 24.
Hodſi, Regio inferior Hodſi, ignota 492.
Holda Propheriſſa mala prædicit, quæ Jeroſolymæ imminebant 131.
Holocauſtum Eliæ, igne Cœleſti abſumptum 609. Animalia maſculina, holocauſtis deſtinata 326.
Holon Urbs Levitica 137.
Homicida involuntarius fruitur jure aſyli 133. Purgandus eſt coram Judicibus 134. Nec fas eſt homicidæ pedem ex aſylo efferre, niſi poſt obitum Sacerdotis *ibid.* Homicida ſui ipſius nullam probri notam incurrebat apud Hebr. 470.
Horæ, Veteres Hebræi dies in horas non diſtinguebant 315.
Horam, Rex Gazer 90.
Horologium Achaz deſcribitur 631. Quid fuerit prodigium Solis in illo retrogradi 632.
Horma, *Herma*, vel *Harma* 27. 97. Olim appellabatur Sephaat *ibid.* 112.
Hornius cenſet, Phœnices non ſemel migraſſe in Americam, vel tres ejuſmodi tranſmigrationes aſſignat 18.
Hoſpitalitas apud Veteres ſacrá erat 82.
Hoſtia ſingulorum dierum quid 306. Pacifica apud Hebræos. Elixabatur in uſum cibi 310. Nec fas erat ex illa guſtare, niſi purificatis *ib.* Nulla Lege jubebantur privati hoſtias diebus Feſtis offerre 306.
Hurai, idem ac Heddai 490.
Huſati locus ignotus 484.
Hyſſopus deſcribitur 536.

I

JAbes-Galaad, Ejus Cives cæſi 268. Cur *ibid.* Jabes ab Ammonitis obſeſſa 346. Suppetiæ illi feruntur *ibid.* 347. Jabitæ Cadavera Saulis, & filiorum auferunt, & condunt 416.
Jabin Rex Aſor 92. Iſraelitas ſubjicit 185.
Jabok, torrens, cujus fons in montibus Galaad 96. 423.
Jachanan Carmeli 98.
Jachin, nomen unius e duabus Columnis Templi Salomonici 551.
Jahaziel Oziæ Hiſtoriam conſcribit 29.
Jahel uxor Haber Cinæi Siſaram allicit, ut in ſuum tentorium veniat, eidemque tempora clavo traiicit 187. 188. Benedicta inter mulieres 195. Lac, & cremorem lactis Siſaræ obtulit *ib.*
Jair Galaadites e Tribu Manaſſe, Judex Iſraelis 221. Filios habuit triginta *ibid.* Utrum nomen indiderit oppidis Havoth-Jair? *ibid.* Obit, & in Camon ſepelitur *ibid.*
Jair pater Iræ Sacerdotis Davidis 481.
Jair oppida & vici *Jair* in Galaad 104. 221.
Janiach fabuloſus Tribuum Tranſjordanic. Rex 150.
Janoe, Urbs Regni Iſraelitici 692. Sita in Acrabatene 117. A Teglathphalaſſaro capitur *ibid.*
Janus. Utrum primus Italiam frequentarit 508.
Japhia Rex Lachis 87.
Japhia 128.
Jaramot Levitis tradita 137.
Jarim Mons 110.
Jaſer Levitis tradita 138.
Jaſſa Levitis tradita 102.
Jazer. Ejus ſitus 107. Levitis tradita 138.
Icabod. Quid ſignificet 320.
Icabod. Nomen alterius ex filiis Phineis *ibid.*
Idola. Eorum nomen ne efferri quidem Deus patitur 144. Utrum Idola inter Iſraelitas fuerint Joſue ætate 147. Utrum Hebræi Idola coluerint in Ægypto *ibid.* Abominationes appellantur in Scriptura 719.
Idololatræ. Quid de Numinibus ſingularum regionum ſenſerint 708.
Idololatria. Ejus origo 507. Utrum Eliſæus Naamano Idololatriam permiſerit 657. Domino repugnare, quaſi ſcelus Idololatriæ 364.
Idumæa vetus alia ab ea, quam nunc vocant 22. Qui veteres illius limites *ibid.* Quamdiu Regibus Juda paruerit 626. Familiæ Davidis uſque ad Joramum Regem Juda paruit 686. Deſciſcit *ib.*
Idumæi, ab Joramo Rege Juda fracti 686. Ea de re objectiones *ibid.*
Jebus, vetus nomen Urbis Jeruſalem 125. 260. Hanc Jebuſæi occupabant, cum Levita e Bethleem cum uxore rediit *ibid.*
Jebuſæi Jeroſolymis nunquam a Tribulibus Juda pulſi 126. Cur? *ibid.*
Jechnam, *Jeconam*, *Jachanam* Carmeli 98.
Jeconam 128. Levitis tradita 138.
Jectehel, vox ſonans Hebraice obedientiam Domini, nomen Urbi Petræ inditum 686.
Jectel 113.
Jedidiah, amabilis Domino, nomen Salomoni a Domino inditum 451.
Jehovah. Angeli a Deo miſſi quandoque id nomen uſurparunt 63.
Jehu, Filius Hanani, prædicit Baaſæ ejus familiæ excidium 601. A Baaſa interficitur *ibid.* Utrum duo ejus nominis Prophetæ *ibid.*
Jehu filius Anani, ſub Joſaphato ſcribit 29.
Jehu, filius Joſaphati a Propherarum diſcipulo conſecratur 612. Rex Iſraelis ungitur 669. Achabi domum delere jubetur *ibid.* Quo facto Rex Iſraelis ſalutatus *ibid.* Adverſus Joramum conjurat *ibid.* Jezrahelem venit *ibid.* & Joramum interficit 670. Ochoziam etiam Regem Juda necari jubet *ibid.* Jezabelem e feneſtra dejici jubet 671. Omnes pariter Achabi filios neci tradit 672. Idem imperat de 42. Ochoziæ fratribus & de reliqua Achabi familia *ibid.* Prophetis Baalis inſidias molitur *ibid.* Omnes necat *ibid.* Baalis ſimulacrum deſtruit, ejuſque cultum & pſeudo prophetas delet *ibid.* Quid de ejus geſtis ſentiendum? *ibid.* Moritur *ibid.*
Jejunium 40. dierum ab Elia ſervatum 391. Hebræorum, & Mahometanorum, quid ſit ac... Mos jejunium uſque ad veſperam producendi 427. Mos indicendi jejunium, cum cœtus Religioſi convocabantur 620. Jejunium ſemper luctum comitabatur 477. Jejunium ſolemne ab Judæis inſtitutum, ob dirutum Templum 735.
Jejunogunda, uxor Urſi, ex Banianis 34.
Jephone Calebi pater 104.
Jephtha 113.
Jephtahel Vallis Jephtahel 129.
Jephte, Galaadites, meretricis filius 223. A fratribus paterna domo pulſus *ibid.* In terram Tob ſecedit *ibid.* Ad opem Iſraelitis jugo Ammonitarum oppreſſis ferendam arceſſitur 225. Populi Princeps eligitur *ibid.* Docet, Ammonitas nullo jure repetere, quæ Iſraelitæ illis abſtulerant 226.

Digitized by Google

226. Vovet, ſe oblaturum Deo quid quid primum ſibi reduci occurrat 227. Ammonitas profligat *ibid.* Victori filia occurrit *ib.* Ab Ephraimitis invaditur, quibus occurrere coactus, illos fundit 229. 230. Utrum filiam interfecerit 164. Utrum immolans peccaverit 166. Ejus mors, ſepultura, elogium 231.
Jerameel, regio in Tribu Juda 405.
Jeremias, qua in urbe natus 137.
Jericho, tribus leucis ab Jordane 55. Ea non eſt urbs palmarum 171. Ejus ſitus 47. Balſami feracitate celebris *ibid.* Anathemati devota 67. Ejus urbis obſidio 65. Qua ratione circa urbem inceſſum ſit 65. Ejus mœnia clangentibus tubis ruunt 67. Diræ in eum latæ, qui Jerichuntem reſtituturus ſit 67. Jericho ab Hiele reſtituta 68. 602. Vetus, & nova Jericho 68. Præſens ejus urbis ſtatus *ibid.* Ejus fons ab Eliſæo correcta 644. Ejus ſolitudo 200.
Jerimoth. Ejus ſitus 87. 113.
Jerobaal Nomen Gedeonis patris Abimelechi 448. Utrum idem Jerombal, Sacerdos Dei Jao, apud Sanchoniatorem *ibid.*
Jeroboam adverſus Salomonem conjurat 578. In Ægyptum fugit 579. Rex totius Iſraelis creatur 584. Domicilium in Sichem ſtatuit 585. Duos vitulos aureos conflat, & ne quis Jeroſolymam proficiſcatur vetat *ibid.* Fana in excelſis condit *ibid.* Sacerdotes non Leviticos dedicat 586. Novam ſolemnitatem indicit 593. Ipſe munera Sacerdotis obit *ibid.* Ejus familiæ excidium prædicitur 594. Obit *ibid.*
Jeroboam, filius & ſucceſſor Joas Regis Iſraelis 687. Limites Iſraelis reſtituit *ibid.* Damaſcum, & Emath ex Juda recuperat *ibid.* Obit *ibid.*
Jeruſalem. Vetus illius nomen Jebus, vel Salem 125. Olim Zedec appellabatur 87. Verus illius ſitus 27. 431. Ab Jebuſæis occupata adhuc Davidis ætate 116.430. Utrum ab Joſue capta, tum a filiis Juda 116. In finibus Tribuum Juda, & Beniamini ſita 116. A Davide obſeſſa, & capta ex Jebuſæis 116. Utrum nomen Jeruſalem efferendum ſit Hebraice in duali 170. Jeruſalem, a Raſin Rege Syriæ, & Phacee Iſraelis Rege obſeſſa, tum ſoluta 694. Utrum exercitus Sennacheribi pars illam invaſerit 713. Dei patrocinium in Jeroſolymam *ibid.* Religionis ruina Jeroſolymæ ſub Manaſſe 719. Minæ Domini in eam urbem 711. *& ſeq.* Sub Joachino a Nabuchodonoſore obſidetur 731. Iterum ſub Joachino a Nabuchodonoſore obſeſſa diripitur 732. Civium captivitas *ibid.* ſuprema urbis obſidio ab eodem 735. Direpta, & incenſa juſſu Nabuchodonoſoris *ibid.*
Jeſſui filius Saulis appellatus in Paralipomenis Abinadab 361.
Jeſus Chriſtus, lapis vivus 400. In Davide exhibitus 466. Qua ratione in Saule figuratus 420.
Jeta. Urbs Levitis tradita 137.
Jethnam, vel Jeta urbs Sacerdotalis 112.
Jethela 132.
Jether, major natu Gedeonis filius, Zebee & Salmanam necare non audet 210.
Jether 114. Urbs Sacerdotalis in Tribu Juda 137. 414. Eadem ac Jethira, in meridionali Paleſtinæ parte. Appellatur *Ether* in Joſue *ibid.*
Jethſon urbs Levitis tradita 138.
Jetra Jezrahelites, Amaſæ pater, Abigailem Naas filiam duxit 470.
Jezabel Achabi uxor 602. Eliæ necem minatur 611. Literas dat ad optimates Iſraelis adverſus Nabothum, ut interficiatur 620. Juſſu Jehu præceps datur 671.
Jezrahel, celebris in Tribu Iſſachar urbs 128.400. Altera ejuſdem nominis in Tribu Juda 114.400. Vallis Jezrahel 122. 400. Ab Oriente in Occidentem porrigitur *ibid.* Regias ædes Jezrahele habebant Reges Iſraelis 122. Ibi etiam vinea Nabothi fuit *ibid.*
Imperativum, hoc tempus apud Scripturam non ſemper juſſionem ſignificat 624.
Impietas, & Sacrilegia filiorum Heli 626.
Imprecationes in eos, qui Jerichuntem reſtituent 67. Davidis in Joabum, Abneri interfectorem 426. Vaticinia ſunt futurorum *ibid.* Priſci eas non efferebant 274.
Inarus, Ægypti Rex, qui poſt Cambyſis imperium regnavit 35.
Incarnatio Jeſu Chriſti in filio viduæ Sareptanæ, vitæ reſtituto, figurata 605.
Incircumciſus pro impuro habetur 61. Contemptus Hebræorum in incircumciſos 358.
Inciſiones carnis apud profanos in uſu 608.
Infernus, dicitur locus ſilentii 309. Magi gloriabantur ſe educere animas ex inferis 408.
Ingredi, & egredi, quid ſignificet 106.
Iniquitas, ſæpe pro pœna iniquitatis ponitur 584.
Injuriæ. Injuriis inimicum afficere dicitur dilatare os ſuum ſuper inimicos ſuos 308.
Injuria ab Abſalomo uxoribus Davidis illata 467.
Inſidiæ ad Hai 76. Inſidiæ Achabo per Benadadum paratæ 659. ab Eliſæo indicatæ *ibid.*
Inſpirationis Sacrorum Scriptorum argumenta 486.
Inſtramenta colonica, & arma lapidea 13.
Inſula Santorini recenter e mari emerſa 12.
Joab, filius Sarviæ Imperator copiarum Davidis 442. Abnerum interficit 426. Viri indoles & characteres *ibid.* 442. Ammonitas ſuperat 446. Rabbam obſidet 447. Renunciat Davidi cædem Uriæ 448. Obſidet Rabbath 451. Impetrat a Davide gratiam pro Abſalomo 459. Interficit Amaſam 480. Inſequitur Sebam obſidetque Abelam, atque obtento capite Sebæ, ſolvit obſidionem, reditque Jeroſolymam 481. Opponit ſeſe conſilio Davidis, meditantis cenſum ſuorum indicere 492. Partes Adoniæ adverſus Salomonem tuetur 518. Fugit in Tabernaculum Domini, & cornu Altaris tenens, interficitur 527.
Joachaz, filius Joſiæ Regis Juda, ſuccedit patri 729. Malum agit coram Domino, & a Pharaone Nechao conjectus eſt in vincula *ibib.*
Joachaz, filius & ſucceſſor Jehu Regis Iſraelis, Impia patrum ſuorum veſtigia relegit 682. Petitur armis Hazaelis Regis Syriæ *ibid.* Rogat Dominum, a quo exauditur *ibid.* Obit 682.
Joachin filius Joakimi Regis Juda ſuccedit patri 732. Viri impietas, & breve Regnum *ib.* Dedit ſe Nabuchodonoſori, a quo Babylonem transfertur *ibid.*
Joakim, quo nomine Pharao Nechao Eliacimum in ſolium Judæ elatum appellavit 729. Peſſimi Principis character, & defectio a Nabuchodonoſore 730. Obſidetur, capiturque Jeroſolymæ *ibid.* Alia ejus defectio *ibid.* Obit 731.
Joas, pater Gedeonis 199. Tuetur filii ſui facinus, qui lucum Baalis ſuccidit 201.
Joas, filius Ozochiæ, a furore Athaliæ ſubducitur, celatur in domo Domini 675. Conſecratur in Templo ab Joada 677. Quos reditus ad ſartatecta Templi deſtinaverit 679. Obliviſcitur monita ſalutaria ſibi ab Jojada relicta 680. In Idololatriam labitur, atque petitus armis Hazaelis Regis Syriæ, theſauros omnes in ejus manus effundit, ut recedere cogat *ibid.* cum Hazaele infeliciter pugnat *ibid.* Principes in illum conſpirant; necaturque 681. Regnat 40. annis 678.
Joas, ſucceſſor Joachaz Regis Iſraelis 682. Eliſæum ægrotantem inviſit, a quo oraculum accipit victoriæ de Syris referendæ 683. Superat prælio Amaſiam Regem Juda, eumque ducit captivum. Ingreditur Jeroſolymam; expilat ſacrum, & gium theſaurum 687. Obit *ibid.*
Joathan filius Gedeonis, e cæde fratrum ſubducitur 215. In monte Garizim exprobrat Sichimitis ingrati animi vitium 216. Recipit ſe Beram 217.
Joathan filius Oziæ Regis Juda, ſuccedit patri 692. Victoriæ ejus de Ammonitis, & mors *ibid.*
Jodes, Cuſtos a Deo datus Soli & aſtris, ex Perſarum ſententia 33.
Joel, filius natu major Samuelis 334.

Jo-

Jojada, Summus Saeerdos, Sacramentum exigie a Centurionibus, & militibus Templi Domini 676. Quibus & detegit Joas *ibid.* Conſecrat illum in Regem, atque interfici jubet impiam Athaliam 677. Fœdus init intet Deum, Regem, & populum, atque inter populum & Regem 678.
Jonas Propheta, e Tribu Juda 687. Oracula ejus de Jeroboamo II. Rege Iſraelis *ibid.*
Jonathan Sacerdos Michæ, deinde Danitarum, quanto tempore Sacerdotium geſſerit 257.
Jonathan, filius Samaæ fratris Davidis, interficit terribilem Gigantem e genere Araphæ, copiis Iſraeliticis inſultantem 484.
Jonathas, filius Saulis 352. Philiſtæos in ſtatione Gabaæ cædit *ibid.* Ignorans juſjurandum Saulis, favum mellis guſtat 360. Sententiæ mortis in illum a Saule latæ, opponit ſe populus 361. Amicitiam cum Davide jungit 376. Amicum monet de pravis Saulis in ipſum conſiliis 384. Fœdus componit cum domo Davidis 383. A Philiſthæis interficitur 414. Viri character 420.
Jonathas renunciat Adoniæ, Salomonem conſtitutum fuiſſe Regni ſucceſſorem a Davide, & unctum fuiſſe 520.
Iones e Javan, ex poſteris Japheti 37.
Jor rivus 25.
Joram, filius Achabi, ſucceſſor Ochoziæ Regis Iſraelis. De exordio Regni ipſius difficultates 640. Statuas Baalis evertit. Sed tamen vitulos aureos Jeroboami colit 646. Obſidetur Samariæ a Benadado 660. Præliatur cum Hazaele Rege Syriæ in Ramoth Galaad 667. Vulneratur regrediturque Jezraelem, ubi a Jehu interficitur 670. Ejus corpus projicitur in agrum Nabothi *ib.*
Joram, filius & ſucceſſor Joſaphati Regis Juda 666. Impietatem ejus arguit Scriptura *ibid.* Fundit Idumæos *ibid.* Regni duratio *ibid.*
Jordanes. Quota portiu alvei Jordanis relicta fuerit ab aquis in tranſitu Judæorum 54. Inundatio ejus, tempore meſſis 55. Alvei latitudo 56. Fontes 26. Curſus 43.
Joſaba, filia Jorami, & Soror Ochoziæ, ſubducit Joas filium Ochoziæ e furore Athaliæ 675.
Joſa, Curator a Deo datus aquis, e ſententia Perſarum 35.
Joſaphat, a ſupplicibus libellis ſub Davide 481.
Joſaphat, filius Aſæ Regis Juda, ſuccedit patri 596. Amicitia cum Achabo jungitur, cum eoque ſociat arma in Syros 624. Exprobrat illi Scriptura, quod excelſa non abſtulerit 623. Obit *ib.*
Joſaphat, Rex Juda, jungit arma cum Joramo Rege Iſraelis in Meſam Regem Moabitarum 646.
Joſeph. Domus Joſeph uſurpatur ſæpe pro univerſo Iſraele ut diſtincto a Juda 477. Filii Joſephi queruntur, quod ſolum nimis anguſtum occupent 121.
Joſias, Rex Juda poſt Ammonem, pius Idolorum everſor 721. Mandat Helciæ ſummo Sacerdoti, quæ neceſſaria ſunt ad ſarta tecta Templi *ibid.* Terrore corripitur lectione Legis Domini 722. Conſuli jubet Dominum de iis, quæ ad ſe & ad populum pertinent 723. Innovat fœdus nomine ſuo & populi cum Domino 725. Igni tradit vaſa omnia ſacrilega, evertit ſtatuas, deletque veſtigia omnia avitæ ſuperſtitionis *ibid.* &c. Lypſaua Prophetæ ſancti religioſiſſime curat 727. Sacerdotes editorum locorum, quæ conſecrata erant Idolis, interficit *ibid.* Jubet celebrari Paſcha 728. Laudes Scripturæ de Joſia *ib.* Pharao Nechao illum interficit *ibid.* Regni duratio 729.
Joſue, quo tempore acceperit nomen Joſue 1. Miniſter fuit Moyſis 43. Imperium & regimen populi aggreditur *ibid.* Argumentum Libri Joſue 1. 2. Author Libri ejus nomine inſcripti habetur 2. Antiquitas & veritas Libri ejuſdem 21. Quando miſerit Jerichuntem exploratores 46. Authoritatem ſuam prodigiis aſſerit 58. Videt Angelum ſtricto enſe in agro Jerichuntis 63. Proponit Chananæis ſive ut ſe dedant, ſive ut fugiant, ſive certent 75. Dolet amiſſionem quorumdam e ſuis ad Hai 70. Ducit adverſus Hai exercitum univerſum 75. Dolum exprobrat Gabaonitis 84. Liberat ab obſidione Gabaonem, fugatque Chananæos 87. Stationem imperat ſoli ac lunæ 88. Diſtributionam Chanaanitidis aggreditur 100. Novam diſtributionem filiis Joſephi date negat 121. Mittit Geometras qui regionem inſpiciant, inter ſeptem Tribus, quæ carebant adhuc hæreditate, dividendam 123. Portionem ſuam poſt reliquos omnes accivit 132. Remittit domum Tribus Ruben, Gad & Manaſſe 140. Innovat cum populo fœdus antea ad Sinai enmpoſitum 148. Obit 110. annis grandævus *ibid.* Viri elogium 149. Deſignatur ſub nomine viri fortis ex Ephraim 209. Leges ipſi adſcriptæ 149. Quædam vitæ Joſue geſta aliter in ſcriptis Judæorum relata 150. Bellum in Sobac Regem Armeniæ minoris *ibid.* Sepultura ejus in Thamnat-Sare *ibid.* ſcripſit finem Deuteronomii 43. Utrum Moyſi præponi poſſit 11.
Ira filius Jairi, Sacerdos Davidis 481.
Iſaias Propheta. Oraculum ejus ad Achaz prolatum 695. Nunciat illi oriturum e virgine Emmanuelam *ibid.* Prædicit Ezechiæ Regi Juda, quomodo a Domino ab obſidione Sennacheribi liberandus ſit 711. Alia pro eo Rege vaticinia 713. Scribit hiſtoriam Oziæ & Ezechiæ 29.
Isboſeth, creatus Rex Iſraelis ab Abnero, regnat biennio 421. Arguit Abnerum, quod ad concubinam patris ſui acceſſerit 426. Remittit Micholem ad Davidem *ibid.* Interficitur proditione Rechabi & Baanæ 428. *ibid.* Caput ejus a proditoribus fertur ad Davidem 429. Sepelitur Hebrone in monumento Abneri *ibid.*
Iſmael, Godoliam Præfectum Judææ interficit 736. Fugit in regionem Ammoniticam *ibid.*
Iſmaelitæ uſum circumciſionis habent 377.
Iſrael occaſio diſſidii inter Tribus Iſraelis & Juda 478. Univerſus Iſrael ſeparat ſe a Davide 479. Cenſus populi Iſraelis ſub Davide 492. Iſrael Regem ſibi conſtituit Jeroboamum 584.
Iſraelitæ. Status Reipublicæ Judaicæ ante Reges 251. Dominum conſulunt, quis bellum in Chananæos auſpicari debeat 169. Poſt obitum Joſue labuntur in Idololatriam 175. Idololatriam amplexi, incidunt in ſervitutem Jabin Regis Chananæorum, e qua illos Debora & Barac liberarunt 185. Incidunt iterum in Idololatriam poſt obitum Gedeonis 212. Iterum poſt mortem Jair 221. An æquo jure poſſederint terras Ammonitarum 226. Submittuntur Philiſthæis poſt Samſonem, e qua ſervitute penitus eximuntur a Samuele 332. Quo ordine inſtruerent exercitum in præliis 318. Statuunt Arcam Domini transferre in caſtra *ibid.* Cæduntur a Philiſthæis 319. Regem petunt a Samuele 334. Poſtulandi pretextus, & poſtulationis iniquitas *ib.* A Philiſtheis in monte Gelboe cæduntur 413. Nefas erat illis alienas uxores ducere, niſi religione mutata 425. Transferuntur in Aſſyriam a Salmanaſaro 699.
Iſſachar. Ejus hæreditas & limites 128. Poſtponitur Zabuloni *ibid.* Tribus illius Principes fortiter ſe gerunt in prælio cum Siſara 193.
Iſthemo 114.
Is-tob, Princeps regionis Tob 446.
Iter habere. Cauſa pietatis fas erat die Sabbathi 650.
Ithaburius, ipſe eſt Thabor 186.
Jud 132.
Juda, Tribus Judæ limites & ditio 22. 108. Hæc deſignatur a Deo, ut auſpicatur bellum in Chananæos 169. Juda capit Jeroſolymam & Hebronem 172. Fundit Chananæos 170. Cenſus ejuſdem Tribus 492. Manet ſemper in obſequio Davidis 478. In fide Roboami perſeverat 584. Crimina ejus, erectio Altarium in editis locis 594. 597. Duratio Regni Juda 627.
Judæi, Nulla infamiæ nota traducebant eos, qui ſibi intuliſſent necem, neque illos ſepultura privabant 470.

Jo

Judicare ſæpe pro munere Regis proprio 152.
Judices. Coram Judicibus rei ſemper ſtabant 134. Judices quinam 152. Quæ illorum eſſet authoritas *ibid.* Duratio regiminis illorum 153. Eligebantur, non ſuccedebant 152. An Judices librum, quem eorum nomine inſcriptum habemus, exaratint 155. An is Liber opus ſit unius ejuſdem ſcriptoris *ibid.*
Judices, Reos agnoſcere non debebant Judices: quid hoc ſignificet 348. Cautio Judicum Hebræorum qui culpam fuſi ſanguinis in delatores vel reos transferebant 457.
Judicia Dei profunda 312.
Julias appellabatur antea Bethſaida 25. Utrum geminæ eſſent urbes ejus nominis *ibid.*
Juna, vel Hazer-Ennon 23.
Jupiter Agricola 293. Jupiter Sabazius 304. Jupiter Muſcarum venator 295.
Jurare, Religio & obſequium verum erga jusjurandum 83. Cautio, antequam ſeſe illo obſtringerent 51. Tactu Altarium præſtabatur 560. Juramenta quædam in Scriptura frequentiſſima 306. Temere Saul jurat 359. Inique interdum fides ſacramento obligata exigitur 400. Fides a parentibus jurata non obligat hæredes 359. Deus fœderis 212.
Jurare. Pagani ſæpe jurabant per Deos illorum, quibuſcum paciſcebantur 410. Utrum neſas eſſet Hebræis jurare in nomine Deorum alienorum 144.
Juſti. An in animas eorum aliqua poteſtate utetetur Dæmon ante ortum Jeſum Chriſtum 297.
Juſtitia. Ius dicebatur olim in foribus urbis 159. 160. Forma ædificiorum, in quibus olim jus dicebatur *ibid.*

K

K*Aiz* quid 465.
Kalim, vox quid ſignificet? 364.
Keſem, magicum quodcumque, divinatorium & ſortilegum deſignat *ibid.*
Kir-Hareſet 648.

L

L*Labia* aquæ luſtralis in aditu Templorum 553. Benedictæ apud Chriſtianos *ibid.*
Labium. Magnum labium ex ære fuſo, quod Scriptura appellat *Mare æneum* 551.
Lac, quod Jahel propinavit Siſaræ 188.
Lachis 113. Urbs in montibus Juda ad meridiem Jeroſolymæ 87. Capitur a Joſue 90.
Lacus, vel aquarum collectio, Maris nomine deſignari ſolet ab Hebræis 44.
Lacus Azar 414.
Lacus Sodomæ, vel Mare mortuum 56.
Lacus Semechon 93.
Lacus Cendevia 173.
Læſæ Majeſtatis rei res ſuas omnes, Fiſco addictas, amittebant 45.
Lais vel *Leſem*, ſeu *Leſem-Dan*, ubi ſita 255. Danitæ ad illam explorandam veniunt *ibid.* Veniunt iterum, & illam capiunt 257.
Laiſa, urbs Beniamitica 401.
Lampenes, curriculi genus 191.
Lancea, olim erat pro diademate Regibus 377.
Laodicea, urbs 32. m. paſſibus a Cun 24.
Lapides. Pluvia lapidum in Chananæos 88. Quid 52. Quomodo lapides in nubibus formentur 14. Lapidum pluviæ non latebant Veteres 12. Quomodo interdum lapides in Aera rapi potuerint 53. Pluvia lapidum non obſcure expreſſa apud Joſue 14. Lapides e medio Jordanis alveo deſumpti in Galgalam vehuntur 57. Lapides acuti in uſum circumciſionis alioſque 60. Lapides magni in uſum ædificiorum *ib.* Lapis Boen 109. Lapis erectus in monumentum fœderis, Deum inter & Iſraelem, in Sichem 148. Super unum lapidem interficiuntur filii omnes Gedeonis 215. Lapis adjutorii quid? 332.
Latini. Hiſtoria Latinorum parum vetus 37.
Latrocinia, Mimis erant olim, quam ſine modo probroſa 654. In latrociniis diſciplina *ibid.*
Lavare pedes, Mos lavandi pedes peregrinis 448.
Lebaoth 112.
Lebana 113.
Lebna prope Macedam 90. Vide *Lobna*.
Lebona, vel Chan-Lebna 268.
Lechem, frater Goliath, a Davide interfecti 484.
Lechi, locus, ubi Samſon, rapta mandibula aſini, mille Philiſthæos interfecit 242.
Lectus. In Oriente fœminæ non niſi ab inferiori parte in lectum ingrediuntur 279. Hebræis lecti erant in domibus ſuis erecti 167.
Legati. Legati Davidis ab Hannone Rege Ammonitarum fœde habentur 445. Legati Hirami Regis Tyri ad Salomonem 538.
Legio, Urbs vicina torrenti Ciſon 194.
Lebeman 113.
Leo diſcerptus a Samſone 236. In ejus cadavere examen apum, & in faucibus mellis favus *ib.*
Lepra. Hebræorum horror erga lepram 654. Aliis gentibus minor erat *ibid.* Lepræ effectus pernicioſi 655. Giezi eo morbo punitur in pœnam avaritiæ, & mendacii 657. Lepra alba, Duplicis eſt generis *ibid.*
Leproſi relinquebantur inter Hebræos, quamdiu Sacerdotum ſententia impuros non declarabat 654. E cœtu hominum excludebantur 662.
Leſem, alio nomine Dan, ad Paneadem 132.
Lethan, fluvius Cœleſyriæ 24.
Levi Tribus trifariam diviſa 136. Principes ejus Tribus poſtulant ſibi Urbes *ibid.*
Levita, cujus uxor fœdam rem paſſa eſt a Gabaitis. Ejus Hiſtoriæ ætas 259. An licuerit illi uxorem ſuam permittere libidini Gabaitarum 260. Cadaver ejus ſcinditur in partes 261.
Levitæ quanam ætate inciperent addici ſervitiis Tabernaculi 305. In varias diſtributi claſſes, miniſtrabant Sacerdotibus in Templo 313. Nefas erat illis vaſa Sacra contingere 321. Levitis Caathitis fas erat Arcam vehere 322. Nulla eſt pars Levitarum inter Tribus Iſraelis 136. Sed tamen latius ditantur quam ceteræ Tribus 138. Urbes, & Suburbia illis conceſſa 137. Fas erat Levitis ducere ex quacumque Tribu uxores, dummodo non hæredes 250.
Lex mandans fratribus, ut ducant viduam relictam ex fratre ſine liberis decedente, utrum fratres æque omnes, etiam poſt mortem defuncti natos, obligaret 480.
Lex Regni, ſcripta a Samuele 344.
Libanus & *Antilibanus*. Horum montium deſcriptio 23. 44. Monti huic adjacens Regio promittitur Hebræis 81.
Libationes ex aqua nec præcipiebantur, nec vetabantur in Lege 330. Profani libabant Diis, antequam liquorem biberent 489.
Libellorum ſupplicum munus 442. Abiud illud gerebat ſub Davide 481.
Liber Juſtorum quis, utrum Geneſis, an Liber Legis, an Commentarii quidam 88. Utrum carmine ſcriptus eſſet *ib.* An hic liber interierit *ib.*
Liber Joſue, an ab illo ſcriptus fuerit 2. Additiones ibi ſunt nonnullæ *ibid.* Cujus ſint ætatis 3.
Liber Judicum a quo ſcriptus 155.
Liber Ruth, continuatio eſt Libri Judicum, & introductio ad Reges 270.
Libri Regum. Conſilium Authoris in hiſtoriis hiſce ſcribendis 284. Unicus erant olim Liber in Hebræo *ibid.* Continent Hiſtoriam Judaicam 571. annorum 286. Horum Author ignoratur. Variæ ea de re conjecturæ 285.
Liber dierum &c. jam diu intercidit 580.
Liberator Iſraelis, titulus Samſoni datus 235.
Libertas. Servus æger ab hero derelictus, libertatem recuperat 412. Benadad obtinet libertatem ab Achabo 617. Libertas concedebatur captivis qua die Princeps Regnum adibat 477.
Libri Salomoni adſcripti 536.
Libri ſacri alter poſt alterum juncti abſque titulis 303.

Digitized by Google

303. Fere penitus diſpari 722. Autographum voluminis legum repertum in Templo ſub Joſia *ibid.* Authores variorum Librorum apud Hebræos 29. 30.

Libri veteres qua ratione ſcriberentur 43.

Ligare. Argentum antequam cudi ſoleret, alligabatur in faſciculos 400. Alligari in faſciculo viventium quid ſit *ibid.*

Lignum fatale, furca erat 78.

Limina Templorum Apoſtolorum & Martyrum oſculabantur veteres Chriſtiani 322.

Limites terræ promiſſionis 44. Parum noti 31. In illis indicandis ſcriptura non ſatis conſtans 43. Limites Tribuum incerti 20.

Lingua Americanorum congruit cum Chananæa 18. Gallorum linguæ reliquiæ quædam ſupereſſe creduntur in Britannia inferiori 38. Punica vetus eadem cum Hebraica 17. Syriaca eadem cum Palæſtina 30.

Lingua maris ſalſiſſimi, Sinus vel extrema ora ejuſdem maris 109.

Linum adhuc in ſtipula, ſub quo Rahab celavit exploratores 50. Lorica linea 418.

Liquores. Meracei liquores omnes interdicti perpetuis Nazaræis 305.

Literæ Jezabelis, ad ſeniores Iſraelis in Nabothum 620. Divortii, neceſſariæ ad alias nuptias ineundas 401.

Lobna, vel *Lebna*, Urbs in Idumææ finibus 666. Defectio ejus *ibid.*

Loca edita. Sacrificia in editis locis utrum ſemper vetita 529.

Locus honeſtiſſimus dextera apud Hebræos 329. Siniſtra apud Turcas recentiores, & veteres Perſas. Honeſtior in menſa apud Hebræos erat in vertice. Quis apud Græcos 339.

Locuſtæ. Exercitus Madianitarum nubi locuſtarum comparatur 199.

Lodabar trans Jordanis; neque aliud quidquam de illa novimus 443.

Loqui ad cor, eſt ſolari 276.

Lorica linea, qua uti ſolebant Veteres, quomodo conficeretur 418.

Luci. Lucorum ſacrorum vetuſtas 505. Lucus Jabes, ubi Galaaditæ Saulis & trium filiorum ejus cadavera ſepelierunt 416.

Luctus vel *Abel*, quo nomine appellatus lapis, in quo Bethſamitæ Arcam depoſuere 327.

Luctum conſuetum ſeptem dierum ſemper comitabantur jejunia 416. Nulla lege præcipiebatur publicus luctus pro Regibus *ibid.* Veſtes ſcindebantur 418. Uſus radendi barbam in luctibus 445. uti & tegendi caput, & incedendi nudis pedibus 468. A balneis, & præſertim a lotionibus pedum abſtinebant agentes luctum 477.

Ludi Olympici ab Iphito inſtituti 36. Atreus alios inſtituit in funere patris ſui *ibid.*

Luna ſiſtitur ab Joſue 88.

Luſtrationes Paganorum adoptatæ ab Judæis 553. Horrori erant olim Chriſtianis *ibid.* Sed illas deinde admiſerunt *ibid.*

Luza, an alia ſit a Bethel 117. Jacet in regione Hethæorum 172. An eadem cum *Elyſa* vel *Luſſa ibid.* A quo condita *ibid.*

Lyra vetus, Cinnor ab Hebræis appellata 434.

M

Maacha regio multo ulterior ad Septemtrionem, Syriæ proxima 480.

Maacha, filia Tholmai, Regis Geſſur, uxor Davidis, mater Abſalomi 425.

Maacha, mater Abiami Regis Juda 596. An eadem ſit cum Thamar *ibid.*

Maacha, mater Aſæ Regis Juda, alia a Maacha matre Abiami 597.

Maachati, regio trans Jordanem 480. V. *Maacha*.

Maanaim, urbs Levitica 103. 138. 422.

Maara Sidoniorum, eadem ac Maratha 102. Utrum deſignet Maroram amnem *ibid.*

Macces, locus incerti ſitus 533.

Maceda 113. Ubi 88.

Macedones, orti e Cethim 37.

Maccabæi. Macchabæorum Libri a quo & quomodo ſcripti 30.

Macchir, filius natu major Manaſſis, ſedes obtinet trans Jordanem 119.

Machir filius Ammiel 444.

Machir, filius Ammielis de Lodabar 470.

Machmas, ix. m. paſſibus ab Jeroſolyma 353.

Machmetah 119.

Machtes, nomen rupis, unde Samſon aquas eduxit, ad ſitim reſtinguendam 244.

Madianitæ Principes a Moyſe vincuntur 103. Madianitæ opprimunt Hebræos ſeptennio 198. Caſtra locant in valle Jezraelis 202. Funduntur a Gedeone 206. Inaures ferunt, & monilibus ornant cervices camelorum 211.

Madon 92. Aliter Maron, in Phœnicia *ibid.*

Mæonum caſtrum; Maon 28.

Magala, locus ignotus 373.

Mageddo 121. locus, ubi fuſa eſt pars copiarum Siſaræ 194. Jacet in Tribu Iſſachar, parum diſtans a torrente Ciſon 98.

Magi gloriantur evocare ſe poſſe animas ex inferis ad futura reſeranda 408. Lex vetans illos interrogari, E ditione Iſraelis pelluntur 407.

Magnificus, quo nomine in Textu ſacro donatur Deus Iſraelis; eodemque donari pariter a Philiſthæis ſolebant ſua Numina 292.

Magron, ubi 358.

Mahanaim, Urbs trans Jordanem 103. 138.

Malatha, vel Malachis 112.

Maledictum pronunciatum in Jericuntis reſtitutorem 65. In Gabaonitas 84. In terram Meroz 191. Maledictiones & benedictiones in montibus Hebal & Garizim 80.

Manahem dux copiarum Zachariæ Regis 691. Obſidet Sellum Samariæ, capit atque interficit. Regnum uſurpat *ibid.* Capit urbem Thapſam *ibid.* Soluta pecunia inducit Phul Regem Aſſyriorum, ut Regnum ſibi aſſerat *ibid.* Tempus Regni. Obitus *ibid.*

Manaſſe. Ejus ſedes & limites 119. Limites dimidiæ ejus Tribus trans Jordanem conſidentis, & dimidiæ Tribus cis amnem 120.

Manaſſes, filius Ezechiæ, Regis Juda, ſuccedit patri 717. Princeps impius & Idololatra, qui & Altaria Numinibus extruit in ipſo Dei Templo 719. Sacrificat Diis filium ſuum *ib.* Superſtitiones Manaſſis, qui & in prævaricationem legis populum inducit. Minæ Domini *ibid.* Ultio Domini de illo *ibid.* Aſſyrii in illum movent: capitur, duciturque captivus Babylonem; deinde reſipiſcens, veniam impetrat, deſtruit Idola, & reſtituit cultum Domini *ib.* Obit *ib.*

Manetho quis 34.

Manipuli frumenti, offerendi in Tabernaculo Domini, an oblati fuerint in primo Paſchate, in terra promiſſionis celebrato 62. Colligabantur manipuli eodem tempore, quo meſſes ſecabantur 276.

Manna quo tempore ceſſaverit 45. 63.

Manue, pater Samſonis 233. An ſuſpicionis aliquid de uxore ſua admiſerit *ibid.*

Manus ſignificat robur, animi virtutem, ſpatium &c. 364. Ponere animam in manu ſua, quid ſit 230. Implere manum ſuam, quid ſit 590. Mos Paganorum oſculandi manus, cum Numina adorabant 613.

Maoch, pater Achis, Regis Geth 404.

Maon 114. Urbs plagæ Meridionalis Juda 392. Deſertum Maon *ibid.*

Maon, vel *Mæonis*, ubi 28.

Maran, quid ſit 292.

Mare Salis, vel Mare ſalſum vel Mare Sodomæ 56.

Mare mortuum, ejuſque figura 27.

Mare deſerti, ipſum eſt Mare mortuum 55. Mare Mortuum appellatur etiam mare Arabæ, Lacus Aſphaltites 97. Trajicitur Carmelis 27. Maris

ris nomen indidit Salomon 551. Vaſi ex ære fuſo 553. Dimeoſiones, deſcriptio, & ornamenta 552.
Mare magnum eſt Mediterraneum 44. Maris nomine, ſine addito, deſignatur ſive occidens, ſive Mediterraneum *ibid* Hebræi communi maris nomine innuunt etiam lacus & ingentia aquarum receptacula *ibid.*
Mertſa 114. prope Eleutheropolim 22.
Maritus. Apud Hebreos maritus uxori dotem ſolvebat 377.
Marnas Numen Philiſthæorum 295. Ejus Templum Gazæ *ibid.* Quæ ſit vocis hujus ſignificatio, & quid eſſet Numinis 296.
Maron in Phœnicia 92.
Maſal, Urbs Levitica 137.
Maſchat 113.
Maſrrephoth, Aquæ Maſerephoth 102.
Maſrrephoth, an ipſa ſit Sarepta 93.
Maſpha, urbs & mons 92.
Maſpha, urbs Moabitica in montibus Galaad 388.
Maſpha. Campeſtria Maſpha 93. Locus conventuum populi & religioſus 264.
Maſpha, editus locus, vel ſpecula, locus commodi ſitus, arx 388.
Maſphath, urbs celebris ex pluribus populi conventibus ibi coactis 330.
Maſphe eadem eſt cum Maſpha Galaad 103.
Mater Siſaræ filii ſui adventum præſtolatur 196.
Matrimonium. An connubia cum vicinis miſcere, juris ſit naturalis. Utrum liceat bellum indicere recuſantibus nuptum tradere vicinis filias ſuas in nonnullis rerum articulis 268. Matrimonium Adulteri cum muliere ejuſdem criminis rea addita nece conjugis ex canonicis ſanctionibus nullum eſt 448. Utrum valeret apud Judeos *ibid.* Utrum Lex vetaret, ne Hebrei connubia cum alienis quibuſque fœminis miſcerent 528. An interdictum ducendi fœminas alienas, Moabiticas etiam complecteretur 273. Connubium Samſonis cum muliere Philiſthea, an reprobandum 236.
Matthanias Rex in Juda a Nabuchodonoſore conſtitutus, appellatuſque Sedecias 733.
Mauſolæa. Templa Profanorum pleraque, Mauſolæa erant, excitata ſuper tumulos virorum illuſtrium 508.
Maxilla aſini, qua Samſon cecidit Philiſtheos 242. An ex illa aquæ eruperint 243.
Mazeloth quid ſit 725.
Medea filia Regis Colchorum, rapta a Grecis 36.
Medi, & Armeni deducti ab Hercule in Africam, utrum Amorrhæi eſſent & Madianitæ 17. Imperium Medorum ab Arbace conditum 692. Ejuſdem duratio 31.
Meiarcon 132.
Mejere in parietem, quid ſit 399.
Mel in Paleſtina frequentiſſimum 360. A Samſone in faucibus Leonis interfecti repertum 236. guſtatum ab Jonatha 360. De melle mira *ibid.*
Melas, vel *Melo*, nomen Nili 200.
Melchiuſa, filius Saulis, a Philiſtheis interfectus 414.
Melchom, Deus Ammonitarum 410.
Mello, urbs, vel domus Mello 215. Mello, nomen vallis inter inferiorem urbem Jeruſalem, & montem Sion, quam Salomon obſtruxit 431. Domus Mello domus eſt Regia a Salomone condita 681.
Mendacium an ſemper ſit malum, at nunquam licitum ſit 49.
Menſa communis, ſignum amicitiæ 82. Locus honeſtiſſimus in menſa apud Hebreos erat caput menſæ. Quid apud Græcos 339.
Menſis. Origo nominum menſibus inditorum 548. Utrum Lunares eſſent apud Judeos 382.
Mentiri non ſemper idem ſignificat apud Hebreos, quod hodie apud noſtrates 651.
Mentum. Vetus mos apprehendendi mentum eorum, qui rogabantur 480.
Meonenim quid 219.
Mephaat, urbs Moabitarum 102. & Levitica *ib.* 538.
Merala 1·3.
Mercatrix. Mulieres plerumque mercaturam exercebant 48.
Merob, filia Saulis, oppignorata Davidi, & nuptum tradita Adrieli 377.
Merodach, Numen Babylonicum 716.
Merom. Aquæ Merom, vel Merome 93. 194. An ipſe ſit lacus Semechon 93.
Merom, urbs XII. M. paſſibus a Samaria 93.
Meroz. Terra Meroz quæ ſit. Quis Angelus Domini maledicens terræ Meroz 195.
Meſa, Rex Moabitarum, tributarius Jorami Regis Iſraelis, deſciſcit ab illo 646. Funditur a copiis Regum Iſraelis, Juda, & Edom 647. Crudele ejus Sacrificium e filio ſuo *ibid.*
Meſphe, vel Maſpha, in Tribu Juda 125. Locus erat conventuum populi, & religioſus *ibid.*
Meſſa. Domus Meſſa quid. An eadem ac Muſach 677
Meſſiah, vox Hebrea, quæ de Chriſto accipitur 348.
Meſſis hordei vere ineunte 275. Meſſes Philiſtheorum a Samſone combuſtæ 242.
Meſſores. Benedictio meſſoribus data 276.
Meteg-ama, locus ignotus 440.
Mexicani Deum habent Numini Ammonitarum perſimilem. Regionis illorum hiſtoria hieroglyphicis literis ſcripta, quantæ ſit antiquitatis 37.
Mezari, nomen primi menſis apud Ægyptios 34.
Mezer, nomen magnæ Cairi apud Arabes *ibid.*
Mezraim, filius Cham, primus Ægypti Rex: quo nomine tota Ægyptus in ſcriptura deſignatur *ib.*
Micha, filius Miphiboſethi 444.
Michæas, filius Jemiæ, alius a Propheta inter duodecim minores 624. Vaticinia ejus ad Achabum *ib.*
Michas. Hiſtoriæ Michæ epocha 251. Reſtituit matri pecuniam ab illa amiſſam 252. In quem uſum impenſa hæc fuerit *ibid.*
Michol, filia Saulis, qua conditione a patre Davidi deſponſa 377. Traditur deinde Phalti 401. Exprobrat Davidi, quod non ſatis pro dignitate coram Arca Domini ſteterit 427. Ejus rei pœna ſterilitatem incurrit 438.
Milites Gedeonis, qui hauſtam manu aquam admovent ori, retinentur; qui vero flexo poplite illam lambunt, remittuntur 204. Romani graviter ſeſe curſu exercent 423. Diſtribuebatur illis ad annonam frumentum 429.
Militia Cœli colebatur ſuper tecta domorum 727.
Milo Crotoniates ſuppoſuit ſe ædificio, ſuſtinuitque loco columnæ 250.
Minæ Benadadi Regis Syriæ in Achabum 615.
Minbul, vel caligæ, ſorium vincula erant, vectes retinentia 162.
Miphiboſeth filius Jonathæ, filii Saulis 428. 444. Quæ a Davide commoda retulerit *ib.* Pater eſt Michæ *ibid.* Nimis præcipiti Davidis ſententia rebus ſuis omnibus exuitur 466. Queritur apud Davidem doloſam accuſationem famuli ſui Sibe 477.
Miracula. Solebat Deus ante Saulem vocationem miniſtrorum ſuorum confirmare indicio miraculorum 53. Quid obſervandum ſit in examine vel expoſitione facti alicujus prodigioſi 9.
Miſericordia Dei demonſtratur interdum ſuper nos ſuppliciis exterioribus 69.
Miſor, urbs Levitica 68.
Mixtio lapidum & lignorum in ædificiis Hebræorum 545.
Moab excutit jugum Iſraelitarum 639. Qui ſint duo leones Moab 490.
Moabitæ Ammonitis mixti in bello Ammonitarum cum Iſraelitis 225. Jus ſibi vindicant in regionem Iſraeliticam *ib.* Davidis tributarii redduntur 441. Regio illorum ad orientem maris mortui 646. Funduntur prælio a copiis Jorami, Joſaphati, & Regis Edom 647.
Mochus, Phœnicius Hiſtoricus 36.
Molada 112. Facile Malatha 127.
Moloch, utrum eadem vox ſit cum Melchom 452. Sacrificia in Tophet in cultum Moloch 726.
Monarchia Medorum ab Arbace conditur 692.
Moneta ænea nulla apud Hebræos ante captivitatem 484.

Digitized by Google

Mons montium, de quo Moyſes, eſt mons Caſius 24.
Montes meridionales Paleſtinæ 94.
Montes ſeptemtrionales terræ ſanctæ ſunt Libanus, Antilibanus, & Hermon 92.
Monumenta erigere neſas. Quenam 332.
Monumentum erectum ab Juſue in medio Jordanis 57. Erectum a Tribubus Transjordanicis redeuntibus ab expeditione Chananaitica 141. Ejus nomen *ib.*
Molere ſæpe obſceno ſenſu uſurpatur 248.
Mors. An liceat conſciſcere ſibi mortem 249. Hebræorum mos ſepeliendi mortuos in agro, vel in ſpecubus in eam rem exciſis 684.
Mortui. Turbare quietem mortuorum: quæ præjudicia ea de re mentes occupaverint 408.
Moſcheæ. Illas Turcæ nullis pedibus calcant 64.
Moyſes acceptas a Deo juſſiones tradit Joſue 94. Quando obierit 43. Moyſis character, & geſtorum ejus epilogus 29. Quibus rationibus inductus fuerit ad Geneſim ſcribendam *ibid.*
Mundus. Origo Mundi, ex Perſis & Banianis 32. 33.
Munera. Subjectionem alicujus indicant 180. Cur in Scriptura benedictiones appellentur 656. Munera Abigailis ad Davidem 398. Benadadi ad Eliſeum 665. Berodae Balaan ad Ezechiam 716.
Murus. Muri lorica circa domorum tecta regnans 161. Mœnia Jerichuntis ſponte ruunt 66. Utrum tota circum corruerint; an pars tantummodo e regione Iſraelitas ſpectans *ibid.*
Muſach Sabbati quid 696.
Muſca. Philiſthæi divinos honores conſerebant muſcis 295. Numina a Paganis culta ſub nomine *Venatorum Muſcarum ib.* Jupiter muſcarum 296.
Muſicæ vis mirifica 368.
Myſteria ſedulo celantur a Paganis 327. Pœnæ inditæ impiis illorum violatoribus *ibid.*

N

NAabol, Urbs Levitica 128. 138.
Naaman, Imperator copiarum Regis Syriæ, adit Eliſæum, ut a lepra mundetur, juſſuſque lavare ſepties in Jordane curatur 654. 655. Rogat prophetam, permittat ſibi, ut geminas mulorum ſarcinas humus Iſraeliticæ reſerat. Quo in ea re ſpectaverit 656. Rogat Eliſæum permittat ſibi, ut coram Idolo Remmon ſe proſternat; quæ petitio varie exponitur *ibid. & ſeqq.* An Naamanus perſeveraverit colere Idola 630.
Naas, Rex Ammonitarum, aggreditur Jabes Galaad 346.
Nabal, accola deſerti Maonis 398. E genere Calebi, & Tribu Juda erat *ibid.* Obit 400.
Nabi, vox ſignificans Prophetam, utrum ætate Anthoris Libri Judicum obtineret 155.
Nabopolaſſar, Chaldæus, qui regno Aſſyriæ Chinaladanum ſpoliavit 31.
Naboth, vir Jezrahelita, recuſat dare vineam ſuam Achabo 619. Damnatur morte, falſo adverſus illum teſtantibus viris duobus 620.
Nabuchodonoſor, Rex Babyloniæ, priorem expeditionem in Jeroſolymam ſuſcipit 731. Obſidio altera Jeroſolymitana *ibid.* 732. Joachinum transfert Babylonem, conſtituitque ejus loco Regem Judá Matthaniam, quem Sedeciam appellat 733. Obſidet tertio Jeroſolymam, Sedeciam capit, deinde orbatum luminibus, captivum transfert Babylonem 734. Mandat Nabuzardano Duci copiarum ſuarum, ut urbem & Templum ſuccendat 735. Interficit ſummum Sacerdotem Saraiam, Sophoniam, alioſque 736. Reliquis in regione relictis Godoliam præficit *ibid.*
Nabuzardan, Imperator copiarum Nabuchodonoſoris ingreditur Jeroſolymam 735. Urbem & Templum incendit, cives ducit captivos *ibid.*
Nachon, utrum viri nomen ſit 425.
Nadab, filius Jeroboami, ſuccedit patri 594. Regnat biennio; quo neci tradito per Baaſam, idem Baaſa regnat 599.
Naioth, locus prope Ramatham 381.
Nathan, filius Davidis, natus Jeroſolymæ 432.
Nathan Propheta, quo tempore prodierit in Iſraele, ignoratur 438. Prædicit Davidi decretum illi eſſe a Domino unum e filiis ſucceſſorem *ibid.* Exprobrat Davidi necem Uriæ & crimen cum Bethſabee 450. Monet Davidem de conſpirationibus Adoniæ, illumque de ſucceſſore interrogat 519.
Naves Tharſis quid ſint 644.
Nazaræi. Nazaræorum duo erant genera. De uno ſolum ſermo eſt in Lege 305.
Nazaræatus perpetuus Samſonis 233. Cauſa moralis roboris illius prodigioſi 247.
Nebahaz, Numen Hevæorum in Samaritide 703.
Nebel, manſura ingens, quid caperet? 367.
Nechao, *Nechos*, vel *Nechus*, Rex Ægypti, ætate Joſiæ, Regis Juda 35.
Necromantia, ejuſque vetuſtas, appendix opinionis de animæ immortalitate 407.
Nectanebus, Rex Ægypti, ſpoliatus Regno ab Artaxerſe Ocho Rege Perſidis 34.
Neheman, vox apud Hebreos innuens munus aliquod in domo Principis 317.
Nehemias, Pincerna Artaxerſis Longimani, ſcribit ſecundum Librum Eſdræ 30.
Nemrim, vel Beth Nemra 105.
Neomenia, prima dies ſingulorum menſium apud Hebreos, feſta erat 382. Quo ritu obſervarentur 382. Nullo tamen legis præcepto 651.
Nephat-Dor, regio adjacens Dor 533. Eadem ac Nephet-Dor 92.
Nepheg, filius Davidis 432.
Nephtali ejuſque ſors 130. Utrum jungeretur ſorti Juda 131. quomodo poſſederit mare & meridiem *ibid.*
Nephthova Aquæ Nephthoa 110. Fons Nephthoa *ib.*
Nergal, Hebræa vox, quæ deſignare poteſt lucem & ignem 703.
Nergel, Numen Cuthæorum in Samaritide *ibid.*
Nervi pro funibus 246.
Neſib 113.
Neſroch, Numen Aſſyriorum, a Ninivitis cultum 714.
Nilus appellatur fluvius turbidus, & cur 100. Torrens appellatur apud Scripturam & Profanos 101. Appellatur etiam Ægyptus, Oceanus, Aſtapus, Melas, vel Melo 100.
Nimbus Chananæos diſſipat & Siſaram 194.
Ninive, Metropolis Aſſyriorum 691.
Ninus Junior reſtituit imperium Aſſyriorum *ibid.*
Niſus, cujus crinem fatalem filia cecidit 247.
Noa 128. urbs Zabulonis 692.
Nobe, geminæ ſunt urbes 208. 383. In urbem Nobe Saul ſæviit 389.
Noemi, uxor Elimelechi 273. Redit in Bethlehem cum nuribus ſuis. Ea utramque dimittit; ſed Orpha tantum abit *ibid.* Pervenit in Bethlehem, ſeque appellari vult non Noemi; ſed *Maram ibid.* Aperit Ruthæ, Booz propinquum eſſe ſuum, monetque illam, ne decumbat ad pedes Booz 276. An Noemi & Ruth poſſederint agrum Mahalonis 281.
Noheſtan: quid hæc vox ſonet 705.
Nomen Angelorum 234. Utrum Angeli nomine inter ſe diſtinguantur *ibid.* Nomen inditum angui æneo Moyſis 705. Perdere nomen alicujus quid ſit 71. Nomen Baalis Hebræi deformarunt 294. Nomen filiis modo pater, modo mater dabant 543. Plura uni homini erant nomina 349.
Nophet, vel Nephet-Dor 120.
Norvegia. Utrum Gigantes Norvegiæ ex Chananæis 17.
Novacula. Utrum Hebrei novaculis uterentur 305.
Nox ab Hebræis in tres Vigilias diſtincta 315.
Nuclei olivarum, loco prunarum 161.
Numiſmaticum talentum quid eſſet 500.
Nuptiæ Samſonis cum muliere Philiſthæa 237. 238.

O

OBed, filius Booz & Ruth 282.
Obededom Gethæus, benedictus a Domino, eo quod domi ſuæ Arcam detinuerit 435.

Obe-

Digitized by Google

Obedientia melior eſt ſacrificio 364. A Deo præſtita voci hominis, quo ſenſu intelligenda ſit 89.
Oboth uſurpatur ſæpe pro utre, vel ſacco ex corio, ad liquores continandos 407.
Oceanus Atlanticus. Carthaginienſes eo ſe conferunt 19. Oceanus, vetus Nili nomen 100.
Ochozias, Rex Iſraelis, mittit ad conſulendum Beelzebub de morbo ſuo 639. Cui Elias nunciari jubet Dei ultionem *ibid.* Miſſi a Rege milites & Præfecti abſumuntur igna *ibid.* Obit, ex fide Oraculi Prophatici 403.
Ochozias, filius & ſucceſſor Jorami Regis Juda 656. Plura nomina obtinebat 667. Ejus impietas *ib.* Juſſu Jehu interficitur 670.
Ochozias, filius Achabi, ſuccedit patri 626. Regnat biennio, & paterna veſtigia relegit *ibid.*
Oculi. Nigro colore inficiebantur oculi 670.
Odollam, alio nomine Eglon 87.
Odollam, vel *Odullam*, urbs in Tribu Juda 97. Spelunca Odollam, ad meridiem Jeroſolymæ 489.
Og. Regni Og limites 97.
Oham, Rex Hebronis 87.
Oleum in uſu Deorum æque & hominum 256. In uſu Templorum qua apud Hebręos, qua apud Paganos *ibid.* Ungendi ſe olao uſus atque utilitas 650. Oleum viduæ multiplicat Eliſęus *ibid.*
Olon, *Helon*, *Holon* 114.
Olympiades, quo mundi anno cœperint 38.
Operæ vectigales. Exarcitium illarum ſub Davide, & Salomone 335.
Opher, vel *Ophera* 97. 125.
Ophir ubi 567.
Ophni, vel *Gophna* 125.
Ophni, filius Heli Pontificis in Silo 319.
Opifices. Numerus Opificum Salomonis 539.
Opprobrium Ægypti, ab Iſraelitis demptum, beneficio circumciſionia 62.
Oraculum, vel Sanctuarium Templi Salomonici, poſitum erat in adyto Templi 543. Dimenſionea ejus & ornamenta *ibid.*
Oreb capitur & necatur ab Ephraimitis 206.
Oriens. Orientales ſubditi ſunt Principibus ſuis, uti ſervi heris 335. In phraſibus ſuis hyperbolen amant 410. Sedulo colligunt hiſtorias ſuas 30.
Ornamenta camelorum Madianiticorum, quos cepit Gedeon 210.
Ornan, idem ac Areuna 494.
Orontes, amnis, qui diu Syriam perſfluens, defluit in Mediterraneum 655.
Orpha, utrum neceſſitudine cum Ruth conjungeretur 274. Mater Goliath *ibid.*
Os. Aperire os, valet ſæpe, injuriis hoſtes onerare 308.
Oſculari manum, cultus ſuperſtitioſus Paganorum 613
Oſee, vetus nomen Joſue 1.
Oſee, filius Ela, Phacee Regem Iſraelis interficit, & Regnum occupat. Quæ certa ſit Regni hujus Epocha 692. Salmanaſar Rex Aſſyriorum illum cogit ad tributum 699. Fœdus componit cum Sua Rege Ægypti, ut jugum excutiat; ſed captus a Salmanaſaro, captivus ducitur *ibid.*
Oſtentatio, qua Ezechias opes ſuas aperuit; ob quam Iſaias ultionem Regni denuntiat 716.
Othoniel, gener Calebi 111. Expugnat Dabir, vel Cariath-Sepher 111. Cujus eſſet filius 511. Suadet uxori ſuæ Axæ, ut poſtulet agrum irriguum *ibid.* Liberat Hebræos a ſervitute Chuſan Raſathaim 579. Obit *ibid.*
Oza, cadit exanimis coram Arca, quam nutantem ſuſtinere manu conatur 435.

P

P*Alæſtina*, regio fluens lacte & melle 360. Botri Palęſtinæ immanes 398. Ejus limites 100. Pleraque ejus loca everterunt Saraceni 21.
Palæphatus, author Mythologiæ, fert, Regna Regum Ægypti per dies ſupputata fuiſſe 34.
Pallium Eliæ, Eliſęi humeris impoſitum 611. Pallio illo aquæ finduntur 642. 643.
Palmæ. Urbs palmarum, quo venerunt Cinei poſteri Jethro 571. An eadem cum Engaddi *ibid.*
Palma Deboræ 186.
Palmus, menſura paulo major tribus pollicibus 372.
Palmyra, urbs celebris apud veteres, ubi 565.
Panion, an Jordanis fons 43.
Panis Gabaonitarum ſitu corruptus, arens, & perforatus 82. Panis multiplicatus ab Eliſæo 653. Panis Propoſitionis, datus ab Abimelecho Davidi 386. Panis azymus, perforatus, & punctis diſtinctus 82.
Parabolæ a Salomone ſcriptæ, quot 536.
Parcotea, nomen quod Baniani adſcribunt primæ mulieri 33.
Parelia Solis. Sunt qui ſtationem ſolis nihil aliud fuiſſe credant, quam paralium 5. Parelia diu perſeverare non poſſunt 8.
Paretacene in Perſide 701.
Paſcha nemo audebat celebrare niſi circumciſus 62. Primum Paſcha Hebręorum in Chananitide, tertium eſt ab exitu ex Ægypto *ibid.* Mandata Joſiæ pro Paſchate celebrando 726.
Paſtor populi. Familiaris arat veterum phraſis ad Reges deſignandos 430.
Pater nomen eſt dignitatis 253. Uſurpatur ſæpe pro Domino 346. 655. Datur etiam Principibus & Judicibus *ibid.* Juramento patris non obligabantur filii 360.
Patriarchæ, utrum ſepulturæ mandati fuerint Hebrone 106.
Pavimentum. Urbes Hebræorum carebant pavimento lapideo 160.
Paupertas habebatur ceu Dei maledictum 427.
Pax. Utrum interdictum eſſet ne Hebræi pacem componerent cum Chananæis 83.
Pentateuchus. Origo diſcriminis inter Pentateuchum Samaritanorum, & Judęorum 702. An ſcriptus fuerit decem linguis in Altari erecto in monte Garizim 80.
Peli vel *Pele*. An ita appellaretur Angelus, qui Manue per viſum apparuit 234.
Percutere ſuram ſemori 242.
Perſæ. Imperii illorum origo 31. Appellantur in Scriptura *Paras*, & poſteri Elymæorum *ibid.* Hiſtoria Imperii Perſarum, & originis mundi, juxta Perſas recentiores, adhuc perſeverantes in Oriente. Sunt autem in illa Hiſtoriæ ſanctæ veſtigia plura 32. Perſæ appellantur etiam Apharſathachei & Apharſæi 701. Apud illos ſiniſtra erat honoratiſſima 526. Perſæ ſocii Herculis in Africa, erant facile Pherezęi 17.
Peruvium. De origine Regum Peruv. fabellę 37.
Pes exprimit quidquid pudor exprimi vetat 183. Aqua pedum deſignat urinam *ibid.* Pedes olim lavabantur peregrinis domi exceptis 448. Incedere nudis pedibus, argumentum luctus 464. uti & non lavare pedes 477.
Peſilim in Galgalis, an eſſent Idola 181.
Peſſuli lignei, ferrei, & ænei 162.
Petra, urbs Arabiæ, nomen dat Arabiæ Petrææ 686. Capitur ab Amaſia Rege Juda *ibid.* Olim appellabatur *Hagor* *ibid.* Sed genuinum ejus nomen erat Rekem *ibid.*
Phacee, filius Romeliæ, conſpirans in Phaceiam Regem Iſraelis illum capit, interficit, & Regnum uſurpat 691. Bellum Aſſyriorum ſibi non ſecundum ſuſtinet *ib.* Proditione interficitur ab Oſee filio Elæ 692. Regni ejus duratio *ibid.*
Phaceja filius Manahem Regis Iſraelis ſuccedit patri 691. Sed conſpiratione, & copiis Phacee capitur, & neci traditur. Regni duratio *ibid.*
Phalthi, filius Lais, uxorem accipit Micholem filiam Saulis, & uxorem Davidis 401.
Phanuel, urbs Transjordanica, ad torrentem Jabok 585.
Pharai de Arbi, in Paralipomenis, Naharai de Aasbai, inter primos Davidis Pręfectos 491.
Pharan, deſertum inter montes Juda, & Sinai 397.
Pharao Rex Ægypti filiam ſuam conjugem Salomoni tradit 528.

Pharao Nechao Rex Ægypti bellum indicit Joſię Regi Juda, & illum ſuperat 728. Captivum habet Joachaz ſucceſſorem ejus in Regno Juda 729. Quo in Ægyptum miſſo, fratrem ejus natu majorem Regem conſtituit *ibid.*

Phares, ejuſque Genealogia 283.

Pharphar, amnis perluens Damaſcum 655. An idem ſit cum Cryſorrhoa *ibid.*

Pharurim quid 727.

Phaſga, mons Trans-Jordanem 97.

Pheletbi, Philiſthæi origine, & milites cuſtodes Davidis 443.

Phenenna, altera e duabus uxoribus Eleanæ 303. Sterilis 304.

Pherezæi, vox ſonans homines agreſtes 169. Integram gentem conſtituunt 17. In exercitu Herculis Tyrii ſub Perſarum nomine *ibid.*

Phiala, genuinus fons Jordanis, ultra Cæſaream 25. 43.

Philo Biblius, teſte Porphyrio, Græcis literis vertit Sanchoniatonem 36.

Philiſthæi. Origo 288. Genuinum illorum nomen eſt Cerethi. E Cretenſibus oriuntur *ibid.* Religio, & mores 289. Deorum numerus *ibid.* Habitabant ad Mediterraneum 81. Cenſebantur inter gentes Hebræis permiſſas *ibid.* In Sarrapias diſtinguebantur quinque 101. Quorum Principes non Reges, ſed Surenæ appellabantur *ib.* Hebræos opprimunt 231. 232. Quando cœperit hæc oppreſſio; & utrum univerſalis fuerit 232. 233. Incendio tradunt domum ſoceri Samſonis cum eodem Socero, & filia 242. Vincuntur a Samſone 243. Moliuntur detinere Samſonem Gazæ 245. Cæſariem illi radunt, capiunt, privant oculis, detrudunt in carcerem, vel damnant ad torquendam molam 248. Vincunt Iſraelem 318. Victoria illorum de Iſraelitis ſub Heli 319. Captam Arcam conſtituunt in Templo Dagonis 321. Qua de re puniuntur 322. Datis muneribus illam remittunt ad Iſraelitas 325. Movent in Iſraelitas ſub Samuele, ſed vincuntur 331. Sub Saulis Regno veniunt in loco, ut prælientur cum Iſraelitis 351. Goliath ſuperato, vertunt in fugam 374. Iterum movent in Iſraelitas, & caſtra habent in Sunam 407. Victoria illorum in monte Gelboe 414. Cædunt caput Saulis, quod haſtæ impoſitum per omnia Templa ſua circumferunt, & Regis arma ſuſpendunt in Templo Aſtaroth, & truncum corpus mœnibus Bethſan 416. Varia eorum bella in Davidem 483. Semper ab eodem profligati *ibid.* Ezechias illos redigit in poteſtatem 706.

Phinees, filius Eleazari Summi Sacerdotis, mittitur ad Tribus Transjordanicas 141. Munus gerit Sacerdotale 151. Author eſt Iſraelitis, ut arma inferant in Beniamitas 264. Fabulæ Judæorum de Phinee 151. Utrum Author ſit Libri Judicum 155.

Phinees filius Heli, peſſime agit una cum fratre ſuo Ophni in Tabernaculo Domini 310. & *ſeq.* Quos levi increpatione corripit Heli 311. Juxta minas Domini pereunt 319.

Phœnices, puri putique ſunt Chananæi 35. Eorum ingenium 59. Ditionis fines *ib.* Nomen ex Ben-Anach 16. 17. 95. Tranſmigratio in Americam *ib.* & in omnes ferme Mediterranei Inſulas 35.

Phœniciæ tractus 100. In latere meridionali terminatur Peluſio *ibid.*

Phœnix, Græce eſt palma, avis nomen, & hominis Phœnicii 63.

Phraortes, Rex Medorum, ipſe eſt Arphadax 31.

Phul, Rex Aſſyriorum, auxiliaribus copiis aſſerit Manahemo poſſeſſionem Regni Iſraelitici 691. Varia nomina, quibus deſignatur *ibid.*

Piſces. Superſtitio quarumdam gentium, a piſcibus abſtinentium, & mos offerendi Diis piſces aureos, & argenteos 292. Piſces curandos tradidit Deus Daloo, ex Banianorum doctrina 33.

Piſon, Rex Ægypti, annum fixit prius ad quadrimeſtre, dein ad duodecim menſes 34.

Placenta, vel panis melle, & oleo vel perunctus, vel ſubactus 436.

Platea ad conventus populi, & ad negotiationes, erat ad portas urbis 160.

Plateæ cum tectis porticibus, Bazariæ appellatæ, quo peregrini ſecedere ſolent ad quieſcendum *ib.*

Pluviæ uberes poſt diuturnam ſiccitatem impetrantur ab Elia 610. Lapidum imber ſuper Chananæos ruens. Late de illo diſſeritur 12. & *ſeq.*

Pœnitentia ſincera peccata omnia remittit 248. Pœnitentia Achabi Deum flexit 621.

Pœnitere. Quomodo Deum pœnitere poſſit 463.

Polenta, farina erat ex hordeo, vel frumento, quæ ex oleo frigebatur 398.

Politia vetus Joſue tributa 149.

Pollices. Pollices tibi cædare, ut a militia quis dimittatur 170. Pollices hoſtium cædebantur, ut inepti bello fierent *ibid.*

Polygamia nunquam non tolerata apud Hebræos 303. 432.

Porous, nomen primi hominis, ex Banianis 33.

Porphyrius, Philoſophus Paganus, utrum ſuppoſuerit Librum Sanchoniatonis 202. 293.

Portæ urbium locus erat, ubi jus dicebatur, & qua populus coibat 159. 191. 233. Marius porta, erat exterior porta urbis, agrum verſus patens *ib.* Fores domuum in Palæſtina humillimæ 162. Portarum excubias agebant plerumque fœminæ 474. Portas Gazæ transfert Samſon 246.

Porticus rectæ ante majora ædificia, cui eſſent uſui 326. Regnabant circa plateas, appellabanturque Bazaria, Porticus tectæ in ædibus Regiis *ibid.*

Poſca, vinum dilutum, quod e folliculis acinorum exprimitur 276.

Poſſeſſio. Jus acquiſitionis, titulus eſt poſſeſſionis legitimus 226.

Pondus Regis, pondus commune. An pondera apud Hebræos varia fuerint. De ponderibus animadverſiones 459. Utrum pondus Regis differat a pondere Sanctuarii *ibid.*

Præcepta. Magna Deus promittit Salomoni præmia ſi ſua præcepta ſervaverit 530.

Præcones ante exercitum Iſraelis 52.

Prædicere. Arioli Philiſthæorum qua ope vera prædicerent 324.

Præfecti primores Davidis recenſentur 490. Quibus jungebatur Hazael 421. Ben-Abinadab 532. Ben-Bechar, Ben-Heſed, Ben-Hur *ibid.* Præfecti Templi Athaliam interficiunt 677.

Præfectus, vel domeſticus, qui præerat meſſoribus 276.

Præputia. Collis præputiorum in Galgalis 58. David fert Saulis ducenta præputia Philiſthæorum, nuptias ejus filiæ empturus 377.

Prærogativæ Regis, quas Samuel populo prænunciat 334.

Precari. Mos vetus prenſandi barbam & mentum eorum, quibus ſupplicabatur 480. Hodie pariter obtinet apud Turcas *ibid.*

Preces. Mos Judæorum, qui abſunt e Jeroſolyma, rogaturos convertendi os ad illam 346. An preces in ſomno conceptæ merito fruantur 529. Quæ diuturnæ preces damnentur 305.

Princeps quid juris habeat in bona privatorum 334. Obſequium Principi debitum 403. Pœna mortis in eos, qui non parent Principi 45. Princeps Dæmonum in Novo Teſtamento appellatur Beelſebub 294. 295.

Problema propoſitum a Samſone paranymphis ſuis 238. Veteres amabant problemata *ibid.*

Procellæ, quæ montium rupes elevant in aera, familiares ſunt in America 12.

Promiſſio. Promiſſionem ſuam ſervare interdum genus eſt iniquitatis 400. Solemni promiſſione Salomon obſtringit ſeſe ad ſervanda Dei præcepta 531. Promiſſioni ſuæ deeſſe, exprimitur hac phraſi, mentiri alicui 71. 148.

Pronunciatio inter Iſraelitas diverſarum Tribuum diverſa 231. Galilæi aliter ac reliqui Judæi pronunciant *ibid.*

Pro-

Digitized by Google

Propheta ad Iſraelitas a Madianitis oppreſſos miſſus 199. Qnis ille *ibid.* Ejuſdem verba *ibid.*
Propheta ad Bethel miſſus, ſaera faciente Jeroboamo. Joſiæ ortum prædicit, atque imminens excidium altaris, in quo ille ſacrificabat 588. Quis ille *ibid.* Ejus prodigia 589. Punitur 590. Senex Propheta e Bethel *ibid.* Fallit Prophetam Domini Jeroboamo miſſum *ibid.*
Prophetæ. Nullus Propheta, niſi poſt Samuelem numeratur. Nullus Propheta a populo agnitus, dum Samuel floruit 315. Peculiaris indicia vocis & præſentiæ Divinæ ad Prophetas *ib.* Pſeudo-Prophetæ quandoque vera prædicunt 326. Utrum omnes adeo afflarentur, ut oracula funderent 343. Utrum ſeholæ eſſent Propheticæ, ubi Prophetæ communem vitam agerent, Aſcetarum more 343. Utrum Prophetæ ungerentur 613. Veterum Prophetarum veſtes 642. Pii homines Prophetas diebus Sabbathi & Neomeniarum conveniebant, eos audituri 651. Numquam ſine muneribus Prophetæ inviſebantur 337. Utrum peculiari arte nierentur Prophetæ, quo ſenſa ſua explicarent 617. Actiones ſignificantes, quibus ſententiam ſuam exprimebant *ib.*
Prophetæ Baalis Elia jubente interfecti ad torrentem Ciſſon 609. Jehu omnes Baalis Prophetas in ejus Templo, omneſque cædit 674.
Prophetæ rari erant in Iſraele 315. Prophetarum ſpiritus non ſemper perſeverabat in Prophetis 652. In Prophetiis Veteris Teſtamenti, in quibus Chriſtus typice exprimitur, ſcopulus aliquis evitandus eſt 438.
Prophetare. Utrum Saul invitus prophetaverit 739.
Prophetiſſæ plures fuerunt apud Hebræos 185.
Proſelyti. Numerus Proſelytorum, quos adhibuit Salomon in ædificiis ſuis 330.
Proſtena, vel *Proſtada*, quid ſint 582.
Ptolemaïs, alio nomine Acco 572.
Ptolemæus Evergetes imperat Eratoſtheni, ut colligat ſeriem Regum Thebanorum 34.
Pueri appellantur ſæpe famuli, & ii qui aliis majoris ætatis addicuntur 67.
Pulmentum oblatum Ruth in agro Booz 276.
Punitio Azotiorum 323. Filiorum Heli 319. Azariæ Regis Juda 689.
Pyropus. Lapides pyropi, vel fulminis 13.
Python. Spiritus Pythonis, ideſt Apollinis, cognomenta Pythii 407.
Pythoniſſa ad Saulis preces evocat animam Samuelis, quo apparente, agnoſcit Saulem 408. Utrum verum Samuelem evocaverit 296. &c. An decepta fuerit a Dæmone 297.

Q

Quadraginta anni itineris per deſertum 61.
Quercus Sichem, ubi juratur fœdus Deum inter & populum 140.
Quies. Evocationibus turbari quies animarum olim credebatur 408.

R

Rabba, vel *Ar* Moabitarum 115.
Rabbath. Urbs Ammonitarum a Joabo obſidetur 451.
Racemus Ephraim melior quam vindemiæ Abiezer 208.
Rachal urbs ignota 414.
Rahab. Utrum meretrix fuerit, an cauponaria? In utramque partem rationes 47. Exploratores celat 49. Utrum fas illi fuerit excipere exploratores Joſue? Pro excuſanda rationes 50. Quomodo domus ejus non fuerit una cum mœnibus Jerichuntis 66. Excipitur ab anathemate Jerichuntus *ib.* Quid de Deo Iſraelis ſentiret 51. Ad Judaica ſacra tranſiit, nec recepta fuit in caſtra, niſi poſt ejeratam ſuperſtitionem, acceptumque baptiſmum 66. Duxit Salomonem, unde genus Davidis 67.
Rama, vox ſonans editum locum 598. Urbs Juda, in finibus Tribuum Beniamini, & Ephraimi *ibid.* 125.
Ramatha, urbs in montibus Ephraimi, ubi ſedes Levitarum. Erat in via ex Joppe Jeroſolymam, proxime Lyddam 303.
Ramath-Lechi, locus ubi Samſon fregit Philiſthæos 342.
Rameth 528.
Ramoth Galaad, urbs ad fontes Jazer, in medio ferme tractu montium Galaad, e meridie ad ſeptemtrionem 629. Urbs refugii 534. Levitis ceſſit 138.
Ramoth ad meridiem, urbs Tribus Simeonis 414.
Raphaim, genus gigantum 97.
Raphaim, vallis Raphaim 97. 432. Porrigebatur a meridie Jeroſolymæ ad vicinam uſque Bethlehem, nomenque ſuum accipiebat e vetuſtis regionis Gigantibus 97.
Raptus puellarum Siloniticarum per Beniamitas. Quid de illo cenſendum ſit 268. Raptus Eliæ 642.
Raſin, Rex Syriæ, Samariam obſidet una cum Phacee Rege Iſraelis; ſed fruſtra uterque 694. Capit Urbem Ailam *ibid.* A Teglathphalaſaro interficitur 695.
Razon, filius Eliadæ, hoſtis a Domino adverſus Salomonem excitatus 578. An idem ſit cum Adad *ibid.*
Reblata, urbs ignota 24.
Rechab, filius Remmon, Berothites, Princeps latronum, qui ſtipendiis Isboſethi merebatur 428. Interficitur a Davide, interfecti Domini ſui reus 429.
Rechab pater Jonadabi, author ſectæ Rechabitarum 673.
Rechabitæ, quam vitæ profeſſionem ſequerentur 673. Prohibebantur in domibus habitare 158. An poſteri ſint Jethro ſoceri Moyſis 673.
Redemptor, quis ſit opinione Hebræorum 279.
Redire per aliam viam, quid ſit 589.
Refugium. Refugii Urbes 133.
Reges Sacrificuli, apud Athenienſes 79. Jus Regium in ſubditos 334.
Reges Judææ quid de illorum magnitudine & divitiis cenſendum ſit 499. Unctio Regum eodem oleo peragebatur, quo & ungebantur Summi Sacerdotes 519. Ritus in coronatione Regum Juda ſervati 341. Unis Regibus e ſtirpe Davidica, ſi qua fides Judæis, fas erat ſedere in atrio Templi 677. An Reges interdum Sacerdotalia munera obierint 412. Vetus mos Athenienſium, ut Reges & Principes ipſi eſſent pariter Sacerdotes & ſacrificuli 354. Reges Judææ in bellum proficiſcebantur, inſignia præferebant, quibus diſtinguerentur 418. Viduis Regum neſas erat virum privatum ducere 526. Leges ea de re apud Hebræos cæteraſque gentes 479.
Reges Orientis intra ditionem ſuam urbem ferme unicam tantum poſſidebant 59. Ita pariter & ſui erant perſimiles Reges omnibus ferme Chananæidis urbibus *ibid.* Quomodo Regis Orientis in bellum proficiſcerentur 625.
Reges Chananæi fœdus ineunt adverſus Joſue 87. Quinque Reges Chananæi deliteſcunt in ſpelunca Maceda 89. ſuſpenduntur 89. atque appenſi manent in patibulo uſque ad veſperam, tum depoſiti projiciuntur in ſpeluncam Mageddo *ib.*
Reges victitantes ſub menſa Adonibezechi, quique trahebant currum Seſoſtridis 170.
Reges. Libri Regum. Duo Libri Regum unicum tantum olim in Hebræo conſtituebant. Author eorum latet. Variæ ea de re conjecturæ 284. *& ſeqq.*
Reginæ viduæ prohibebantur ſecundas nuptias conciliare, quæ pariter Lex erat olim in Hiſpania 479.
Regnum. Finis Regni Juda, & Iſraelis 627. Quid ſentirent Veteres de magnitudine Regiæ dignitatis, & occupationibus Rege dignis 346. Olim apud Reges Sacerdotium cum Regia dignitate conciliabatur 354.

Digitized by Google

Rei ducebantur ad ſupplicium tecto vultu 464. Judices onerabant accuſatores culpa effuſi ſanguinis 457. Mos vetus ne ſupplicium duceretur die Feſto 477.
Rekeb, vetus nomen urbis Petræ, Metropolis Arabiæ 686.
Reliquiæ populi, ii ſunt, qui e diſcrimine evaſerunt, vel illorum poſteri, & ſucceſſores 191.
Religio ſubſiſtere inter homines nequit abſque cultu ſenſibili 504. In quo conſtituta eſſet primorum hominum Religio *ibid.* Mos deferendi in bellum Symbola ſacratiſſima Religionis 318.
Remmon quid 656. Deus Remmon quis *ibid.*
Remmon 112. Petra Remmon, quo perſugerunt Beniamitæ 265.
Remmon Berothites, e Tribu Beniamin, pater Rechab, & Baanæ 428.
Reparatio Templi. In ejus uſum Joas latifundia deſtinavit 679.
Reprobatio. Reprobationis Judaicæ imago in Saule 419.
Reſpha, filia Aje, Concubina Saulis 483.
Reſurrectio filii Viduę Sareptanę 605. Nomen *Reſurrectio* exprimit ſępe felicitatem, & proſperitatem, quę poſt ærumnas ſuccedit 308.
Rex uſurpatur pro Judice abſolutę authoritatis 253. Judices Iſraelis Regiam authoritatem, non faſtum habebant 152. Deus unus erat Rex Judęorum *ibid.* Quare injuriam ſibi irrogatam ducit ex petitione Regis a populo facta *ibid.*
Ribai de Gabaath, pater Ithai. An eſſet e Tribu Beniamin 490.
Rhinocorura torrens Rhinocorurę idem eſt ac torrens Ægypti, de quo apud Joſue 100.
Roboamus, ſucceſſor Salomonis in univerſo Iſraele 580. Sequitur conſilium Juniorum ſpretis Senioribus 584. Deſeritur a populo, cujus maxima portio ſequitur Jeroboamum 585. Salutatur Rex a Tribu Juda tantum, venitque Jeroſolymam *ibid.* Coacturus reliquos ad Imperium, a Semeja, juſſu Domini, prohibetur *ibid.*
Robuſtis. Ager robuſtorum quis 423.
Rocan, Inſpector cui aliorum curam commiſſa fuit a Deo juxta opinionem Perſarum 33.
Rogel, vel Fullonis fons, ſatis proximus Jeroſolymę ad Orientem 110.
Rohob 129. 173. Urbs Levitica 137.
Rohob vel *Beth-Rohob* in valle Libani 17.
Roma. Conditę illius tempus incertiſſimus 37.
Romani caruerunt ſimulacris in Templo uſque ad annum CLXX. Urbis conditę 307. Premia dabant illis, qui ſe inter cęteros in pręlio diſtinguebant 418. Exercebant ſedulo milites ſuos curſu 423. In luctibus vel totam cędebant cęſariem & barbam, vel intonſam negligebant 477. Edicto vetant, ne quis Carthaginem reſtituat 67.
Rorarii, milites Romanorum qui 469.
Ruben poſſedit quidquid prius fuerat Moabitarum, deinde tranſierat ad Sehonem Regem Amorrhęorum 225. Ditionis hujus Tribus fines 185. Ruben, Gad & Manaſſe revertuntur trans Jordanem 140. Quo conſilio monumentum erexerint ad Jordanem, produnt 142. Diviſiones domeſticæ Tribus ſuæ prohibent Rubenitas, ſe arma jungant cum Barac 193.
Ruddery, nomen unius e tribus viris perfectis, quos Deus creavit, ex Banianis, ut ſuccederent filiis primi hominis; ipſi autem poteſtas erat deſtruendi homines, habebatque conjugem Viſagondah 33.
Ruma vel Tarma 219.
Ruth, an filia eſſet Eglonis, Regis Moab 273. an originem referret e Petra, Metropoli Arabiæ Petrææ *ibid.* Adhæret Nohemi, venitque cum illa in Bethlehem 274. Venit in agrum Booz ad ſpicilegium 276. Ad pedes Booz cubat 279. Sola poſſidebat agrum Mahalonis 281. Tranſit in uxorem Booz 282. Liber Ruth quid contineat: ejus connexio cum Libris Judicum & Regum 270. Author *ibid.*

S

S*Aba*, Regina, inviſura Salomonem venit. Munera ejus ad Regem 569. Regio Saba ubi 56.
Sabæi. Sabæorum militiæ & aromata 563.
Sabbatum. Diei hujus quietem & ferias indicit Deus 66. Iter habere cauſa pietatis, fas erat die Sabbati 651.
Sabama, vel *Sebama* 202.
Sabarim: utrum nomen ſit urbis 70.
Sabee, utrum eadem ſit ac Berſabee 127.
Sacci in uſu apud Orientales 427. Veſtes erant luctuoſæ ignotæ materiæ & figuræ 617.
Sacerdos Summus. Quæ munera haberet ſibi peculiaria 412. Duo ſimul Sacerdotes creati, & cur 442. Dignitas ſummi Sacerdotis unice a Deo eſt 312. An certa eſſet ætas pro eo munere exercendo 397.
Sacerdotes Domini nullam habent ſoli aſſignatam ſibi portionem 124. Urbes illi aſſignatæ, non ab unis illis incolebantur 506. In claſſes dividebantur plures 313. Ritus conſecrandi Sacerdotes 590. Ab illis tantum offerenda ſacrificia. Exceptiones 326. 331. Detulerunt Arcam in tranſitu Jordanis 52. Honor ferendi Arcam ſervatus illis videtur poſt aditum in terram Promiſſionis 52. 435. Ubinam locorum ſteterint Sacerdotes in alveo Jordanis 54. Steterunt in medio Jordanis, deinde cum Area proceſſerunt ante reliquos 58. Maximo erant in obſequio apud Hebræos 518. Hebræum nomen ſignificans Sacerdotes deſignat pariter & Principes 442. Uſurpatur etiam pro viris ſanctis, qui hoſtias laudis Domino offerunt 397. Quid ſit Sacerdos fidelis 313.
Sacerdotes Idolorum ſub Jeroboamo quidam e genere Aaronico 257. Sacerdotes Profani augures agebant & Divinos 324.
Sacerdotalia munera exercentur a Regibus 354. Id tentans Azarias punitur 689.
Sacerdotium. Quibus conditionibus Deus obligaſſet fidem ſuam aſſerendi Sacerdotium familiæ Heli 313. Sacerdotium junctum Regiæ dignitati 354. Sacerdotium privatum cujuſque patris familias in domo ſua 436.
Sacrificare. Interdictum ſacrificandi extra Tabernaculum, utrum ſemper viguerit 79. An fas eſſet ſacrificare extra Tabernaculum 174. Sæpe ſacrificare uſurpatur pro mactare victimas ad convivium 338.
Sacrificium dierum, quod offerebatur ſingulis feſtis ſolemnibus ſpontaneum 306. Cui accedebat convivium 383. Sacrificium pro expiatione fœminæ poſt puerperium 306. Pro redemptione primoris natu *ibid.* Sacrificium Manue, quod cœleſti igne abſumptum eſt 234.
Sacrificia veteris legis, quomodo remitterent peccata: an & pœnas ſenſibiles 316. Sacrificia oblata a Principibus, Judicibus, & Prophetis, extra Tabernaculum 79. Sacrificia pacifica, quo ritu oblata 304. Ætas victimarum ſacrificio deſtinatarum 544. Sacrificia, cum primum Regnum a quoquam capeſſeretur 519. Sacrificia humanis victimis cruenta, Diis oblata 648. Sacrificia Paganorum ſequebantur convivia 218.
Sadai, an Deus ſit agrorum 294. Quid vox illa ſignificet apud Hebræos *ibid.*
Sade eſt agri *ibid.*
Sadoc, Summus Sacerdos 442. Davidem ſequitur cum Arca 469. Pater fuit Achimaas *ibid.* Juſſu Davidis conſecravit Salomonem Regem Iſraelis 520.
Sagitta. Exempla miræ peritiæ jaculandi ſagittas 263.
Sal ſparſum in ruinis Sichem cur 219. Similis ſævitiei exempla *ibid.* Nomen ſalis tribuitur nitro, ſali marino, & e fodinis eruto 55.
Salebim, urbs circa regionem Daniticam, & Philiſthæis finitima 533.
Salecha 97.

Salem, vetus nomen Jeroſolymæ 225.

Salim, ipſa eſt facile terra Saul, ad Jordanem ſatis proxima Galgalæ 337.

Salinæ. Vallis Salinarum cur ſic appellata, & ubi 442.

Saliſa, vel *Saliſſa*, ubi 337.

Salmanaſar Rex Aſſyriorum, cogit ad tributum Oſee Regem Iſraelis 699. Iterum venit Samariam; qua capta, Oſee catenis onuſtum detrudit in carcerem *ibid.* Transfert Iſraelitas in Aſſyriam *ibid.* Quorum loco Colonias Samariam mittit 700. Ad quas docendas cultum Domini mittit Sacerdotes 701.

Salmon e Tribu Juda duxit Rahab 67.

Salomon filius Davidis & Bethſabeę 432. Cognomen obtinet a Domino, Jedidiah 451. Deducitur Salomon conſecrandus manibus Sadoci, atque a populo Rex ſalutatur 519. Quid reſpondendum juſſerit Adoniæ, qui vivente patre Regnum ambiverat 520. Negat Bethſabeæ petenti permittere nuptias Abiſag Sunamitidis cum Adonia, cujus necem jurat 526. Eumque interfici jubet a Banaja Jojadæ *ibid.* Parcit Abjatharo Summo Sacerdoti; ſed illum amovet a munere Sacerdotali. Quo jure id præſtiterit *ibid.* Mittit Banajam ad Templum, ut Joabum interficiat 527. Mandat Semei, ut ſedem figat Jeroſolymæ, *ibid.* ſed & illum interfici a Banaja jubet *ibid.* Jungit ſe Pharaoni Regi Ægypti, cujus filiam ducit 528. Per ſomnium Deus illi apparens, optionem dat, ut poſtulet ſi quid velit 529. Spiritus ſapientiæ & ſcientiæ illi inditur, additis opibus, & gloria 530. Redditus annui Salomonis quo pervenirent 502. Jubet ſecari filium, de quo duæ mulieres proſtitutæ diſceptabant 531. Imperium ejus quam late pateret 533. Stati ſumptus pro menſa Regis *ibid.* Sapientiæ ejus amplitudo 535. 536. Numerus equorum, & curruum 535. Numerus Carminum, & Parabolarum ipſius 536. Miſſis ad Hiramum Regem Tyri Legatis, communicat illi conſilium ſuum de Templo Domini excitando 538. Manum admovet ædificando Templo 541. Altare erigit in atrio plane diverſum ab Altari holocauſtorum 267. Infert in Templum divitias a patre ſuo conſecratas, quas conſtituit in ſacro Ærario 554. Numerus victimarum immolatarum Domino in dedicatione Templi 561. Abſoluto Templo, iterum per viſum Deum alloquitur 563. Offert ter in anno holocauſta & victimas pacificas Domino 567. Septennium impendit in ædificationem Templi 546. Ædes ſibi conſtruit 548. &c. Cur domus ſaltus Libani appellatæ? Ædes conſtruit filiæ Pharaonis, uxori ſuæ *ibid.* Hiramum donat viginti oppidis in Galilæa 563. Claſſem ad Aſiongaber mittit in Tharſis una cum navibus Hirami 567. Fama viri invitatur Regina Saba, ut ad illum veniat 568. Illius lapſus. Mulierum amore præceps rapitur 576. Uxorum & concubinarum ejus numerus *ibid.* Ruit in Idololatriam, ac Templa Idolis condit 577. Tentat Jeroboamum, defectionem in ſe parantem, interficere 579. Regnat annis quadraginta. Tempus mortis, & variæ de ejus ſalute opiniones 580.

Salphaad. Filiarum Salphaad nomen. Hæreditas illi aſſignatur in ſorte Manaſſe 519.

Saltus Ephraim prope Mahanaim 472.

Samao frater Davidis, & pater Jonathani 484.

Samaræi, incolæ Symiræ 23.

Samaraim vel Zamaraim 125.

Samaria ubi ſita, eſtque Metropolis decem Tribuum, ac Amri habet conditorem 632. Obſidetur a Benadado Rege Syriæ 680. Liberatur 663. Obſidetur a Salmanaſaro, qui incolas transfert in Aſſyriam 699. Urbs penitus evertitur; ab Herode magno reſtituitur ſub nomine Sebaſtes *ib.*

Samaritani vel *Cuthæi*. Vera origo conſtitutæ gentis illius in Samaritide 700. 701. &c. Sacerdos Iſraeliticus mittitur a Salmanaſaro, ut illos doceret cultum Domini 701. Cultus illorum ſuperſtitioſus 702. &c. Libris Moſaicis minus obſequuntur *ibid.* An Librum Joſue excipiant 3.

Samgar, Judex Iſraelis, armatus vomere 600. Philiſthæos interficit 183. Utrum cædes illa facta fuerit vomere, an ſtimulo bovino *ibid.* An inter Judices Iſraelis Samgar accenſendus *ibid.*

Samir, urbs in montibus Ephraim 221.

Samſon. Oriturum illum Angelus prædicit 233. 234. Deſtinatur in liberatorem Iſraelis 233. An idem ſit ac Badan 235. Leonem diſcerpit 236. Philiſthæam uxorem ducit *ibid.* Paranimphis problema proponit 238. Necat triginta viros Aſcalone, ut veſtes condictas Paranymphis ſolvat, & uxorem deſerit 239. Ignem injicit ſegetibus Philiſthæorum 241. Fractis vinculis mille Philiſthæos aſini mandibula necat 243. Siti æſtuans, impetrat a Deo prodigioſum fontem, quo recreetur *ibid.* Gazam veniens, portarum fores transfert 245. Veniens in vallem Soree, adhæret Dalilæ 246. Aperit mulieri genuinam roboris ſui cauſam 248. Raditur, & capitur a Philiſthæis, orbatur oculis & conjicitur in carcerem, vel damnatur ad molam. Ducitur ab illis in Templum, atque ædificium ſuper ſe concutit 249. Viri obitus atque elogium 250.

Samua, filius Davidis, natus Jeroſolymæ 432.

Samuel, ſupremus inter Judices Iſraelis, natus Ramathæ, ex patre Helcana, & matre Anna 303. Quid nomen Samuel ſignificet 305. Jam inde ante ortum ſuum devovetur Domino 306. Conſecratur Tabernaculo & ſervit Deo coram Heli 310. Reſerat illi Deus conſilia ſua adverſus domum Heli 316. Agnoſcitur ab univerſo Iſraele Propheta Domini fidelis 317. Deus illi iterum apparet in Silo *ibid.* Quo tempore agnitus fuerit Judex, & Princeps gentis 303. Judex renunciatus, ſedem ſuam habet Ramathæ *ibid.* Exercet primo munus Judicis in Maſphat 332. Clamat ad Deum adverſus Philiſthæos, atque impetrat de illis victoriam *ibid.* Quamdiu judicaverit *ibid.* Filios ſuos conſtituit Judices; ſed populus de illis non contentus, poſtulat Regem 333. Saulem Regem agnoſcit 339. Quem primum privatim conſecrat; deinde palam, coram univerſo Iſraele 341. 347. Increpat Propheta Saulem, quod non obedierit mandatis Domini de Amalecitis 364. Manu ſua Agagum Regem interficit 365. Luget Saulem, mittiturque a Deo in Bethlehem, ut Davidem conſecret *ibid.* Obit 396. Viri ætas *ibid.* Anima Samuelis a Pythoniſſa evocatur 408. In hanc narrationem animadverſiones *ibid.* Utrum revera anima Samuelis apparuerit Sauli. Variæ de hac re ſententiæ 297. An Samuel author ſit Libri Judicum 155. Utrum ſcripſerit duos priores Libros Regum *ibid.*

Sanchoniaton, Author ſuppoſitus, qui nunquam extitit 202. Liber ejus perpetua eſt fabula 55. Quid de illo narret Porphyrius 36.

Sanctificare quid ſit 53. Quid ſit ſanctificatio populi a Deo exacta *ibid.*

Sanctitas, e Dei natura eſt 368.

Sanctum, Templi pars eſt, quæ Sanctuarium præcedit. Deſcribitur 543.

Sanguis. Vetat Lex ne Hebræi ſanguinem comedant 360. Hunc illum tegunt *ibid.* Curabant Judices, ut culpam fuſi ſanguinis a ſe amoverent in accuſatores, vel in reos 458.

Sanir, Mons Hermon 92.

Santorinus, Inſula paulo ante ex imo maris fundo emerſa. Hiſtoriæ hujus adjuncta 12.

Saoſduchin, idem ac Nabuchodonoſor, de quo in Libro Judith, ſuccedit Aſſaradoni 32.

Saph, nomen Philiſthæi cujuſdam e genere Gigantum interfecti a Sobochai 484.

Saphan, filius Aſliæ, Scribæ Templi Domini ſub Joſia, excipit Librum Legis e manu Helciæ Summi Sacerdotis 722. Illum perlegit coram Joſia *ib.*

Saphatia, quintus filius Davidis, natus ex Abital Hebrone 424.

Sa-

Digitized by Google

Saraias, Scriba 442.
Saraias, Summus Sacerdos, interfectus a Nabuzardano 736.
Saraim, vel Saarim 113. Locus eſt incerti ſitus, idem facile ac Saraa 372.
Sarax Arorites, pater Ajam Aroritæ 491.
Sarazar, filius Sennacheribi, una cum Adromelecho fratre ſuo patrem necat 714.
Sarcinæ. Qui remanent ad ſarcinas, æquum jus habent ad prædam cum iis, qui certarunt 413.
Sardanapalus, Rex Aſſyriæ, quo tempore, & quam vaſto Imperio regnaverit 691. Obſidetur in Ninive *ibid.* Mors ejus *ibid.*
Sardus, filius Herculis, nomen dedit Sardiniæ 57.
Sarea 113.
Sarenim, nomen Satraparum Philiſthæorum 101. Idem ac Surena Perſarum 102.
Sarepta, urbs, Tyriorum, ubi vidua erat, quæ Eliam nutriebat 605. Queritur cum Elia de morte filii ſui *ibid.* Miraculum filii illius ad vitam revocati *ibid.*
Sarid 128.
Saron. Quatuor agri Saron 26. Nomen Urbis, vel agri 98.
Sarthan, ubi 55. 553. Aquæ Jordanis eo uſque retruduntur 55.
Saſpiri, populi locum tenentes inter Colchos, & Medos 701.
Satellitium. Judices Iſraelis nullum habebant ſatellitium pro dignitate ſua 152.
Satrapæ Philiſthæorum, Sarenim appellantur 101. Vox hæc Principem deſignat 325.
Satrapiæ Philiſthæorum 179.
Satum, menſura quantum caperet 398.
Saul, filius Cis 337. Rex datus Iſraelitis, ob illorum pœnam. Quid de hac electione ſenſerint Hebræi, & S. Hieronymus 334. Dotes corporis Saulis 337. Cum aſinas patris ſui quæreret, a Samuele Rex conſecratur. Prophetam agere incipit 343. Conſtituitur, & agnoſcitur Rex in Galgalis 353. Prima cauſa reprobationis illius 354. Temerario Sacramento ſeſe obſtringit 359. Primum Altare erigit Domino 360. Dominum conſulit, utrum urgenda eſſet cædes Philiſthæorum, ab Jonatha incepta *ibid.* Jonathæ necem jurat ſed populus intercadit 361. Fundit Amalecitas 363. Sed parcit Agago, Regi Amalecitarum, ſervatque optima e ſpoliis, Deo licet vetante 364. Recedit ab eo Dominus, & viciſſim malus ſpiritus illi inſidet 367. Abalienatur a Davide, quem & conatur transfodere 376. 377. Exigit ab illo centum præputia Philiſthæorum, ut gener Regis fiat 377. Davidem doloſe quærit, & prophetat invitus 369. Exprobrat Achimelecho, quod Davidi faverit 389. Trucidat Sacerdotes Domini, & Urbem Nobe vaſtat 389. Micholem filiam ſuam, Davidis uxorem, tradit Phalthi filio Lais, ipſumque Davidem quærit in deſerto Ziph 402. Agnoſcens peccatum ſuum, ſpondet ceſſaturum ſe ab hoſtilibus 403. Territus aſpectu exercitus Philiſthei, Dominum, ſed fruſtra, conſulit 407. Adit Pythoniſſam, rogatque, ut ſibi evocet animam Samuelis 408. Vincitur a Philiſthæis, ſibique ipſe necem inſert 414. De hac nece animadverſiones 415. Sententiæ Patrum & Interpretum de reprobatione Saulis *ibid.* Philiſthæi caput ejus rapiunt, ſtatuuntque in Templo Dagonis 416. Arma ejus ſuſpenduntur in Templo Aſtharoth *ibid.* Cives Jabes Galaad Saulem, & tres filios ſepulturæ mandant in nemore Jabes *ibid.* Carmen funebre Davidis in laudem Saulis, & filiorum ejus &c. 419.
Scalæ extra domos, ad ſuperiora tecta ducentes 161.
Scarabæus, cultus ab Ægyptiis, quem milites in annulis cælatum ferebant 296.
Sceptrum, Signum authoritatis apud Veteres 193.
Scaliſchim, nomen generatim omnibus Davidis Præfectis datum 488. Sonat autem *triginta* 490.
Schephala, ager ad meridiem Judææ: ejus extenſio, & ſitus 90.
Schiboleth, vel *Siboleth*, In pronunciatione utriuſque hujus vocis diſcrimen 23.
Sciſſæ veſtes, mos uſitatus apud plures gentes in mœrore & luctu 70. 418.
Scribæ, vel Soterim, quid gererent muneris 192. Dignitatem ampliſſimam habebant. Ferebant virgam, vel ſceptrum *ibid.*
Scutum. Scutum amittere, crimen erat apud Germanos 419. Mos deferendi cadavera interfectorum in prælio ſcutis impoſita *ibid.*
Scylla, filia Niſi, cædit fatalem patris ſui crinem 247.
Scythopolis, eadem ac Bethſan 120.
Seba, ad defectionem a Davide ſolicitat Iſraelem 479. Obſidetur ab Joabo Abelæ 480. Caput ejus cæſum projicitur Joabo e mœnibus Abelæ 481.
Sebaſte, nomen, quod reſtitutæ a ſe Samariæ Herodes Magnus indidit 700.
Secretum ſervare Abſalomo an teneretur Chuſai Arachites 479.
Secrhon, Secrhona vel Sacharona 110.
Securis innatans aquis, prodigio Eliſæi 659.
Sedecias, a Nabuchodonoſore Rex Juda conſtitutus 732. Impius *ibid.* Ab illo deſciſcit: obſidetur Jeroſolymis, fugit atque capitur 734. Filios coram ſe cæſos intuetur: orbatus oculis, trahitur catenatus Babylonem *ibid.*
Segor urbs, ubi ſita 27.
Sebir mons 94.
Sebon Rex Amorrhæorum vincitur a *Moyſe* 227. Ditiones illius limites 222.
Seir, Idumææ portio, cur ſic appellata 666. Dominus legem in Sinai daturus, venit e Sehir 189.
Seirah, ubi ſita: utrum Syriade ſit 183.
Sela 125.
Sela, aliter Petra 273.
Sela, urbs Beniamitica ubi conſtituenda 483.
Selebim 132.
Sellæ in uſu apud Hebræos 164.
Sellum conſpirat in Zachariam Regem Iſraelis eoque interfecto regnat 690. Obſeſſus Samariæ a Manahemo, capitur & necatur *ibid.*
Semechon lacus 25. 43.
Semei, maledictis Davidem onerat 466. Veniam ab illo petit 477. Sedem figit Jeroſolymæ 527. Interficitur *ibid.*
Semei alius partes Salomonis adverſus Adoniam tuetur 518.
Semejas, Propheta, mittitur ad Roboamum, ne arma inſerat in rebelles 585.
Semeron, vel Simyra in Syria 92.
Semeron, in Zabulone 128.
Semma, filius Age, de Arari, ultimus erat in tribus fortiſſimis Davidis 489.
Senes Iſraelis, qui vixerunt poſt Joſue annis xxv. circiter 151. Illi ſucceſſerunt 153.
Senex, nomen ſæpe dignitatis 313. Senex accipiens Levitam domi ſuæ in Gabaa 421.
Senacherib, Rex Aſſyriorum, invadit Regnum Juda 706. Dura Ezechiæ proponit 707. Bellum illi indicit Tharaca Rex Æthiopiæ 711. Reducit exercitum e Lobna, movetque in Tharacam *ibid.* Legatos mittit ad Ezechiam, qui blaſphemias in Deum evomunt *ibid.* Angelus exterminator totum Regis exercitum cædit 714. A filiis ſuis interficitur *ibid.*
Sennaar. Pallium Sennaar ſurripit Achan 72.
Sepelire. Loca ab Hebræis deſtinata in ſepulturam 684.
Seon 128.
Sephaat, aliter Horma 171.
Sephala, ager prope Eleutheropolim 28.
Sepharvaim, quæ gens 701.
Septem. Septenarii numeri myſterium 67. Septem ſæpe pro numero indefinito 309.
Sepulcra. Cura Judæorum parandi ſibi ſepulcra vel in agris, vel in hortis, vel in montibus domui ſuæ vicinis 397. Sepulcra virorum magnorum convertebantur in Templa apud Paganos 506. Aggeſtæ humus ſtrues ſuper ſepulcra, un-

de

Digitized by Google

de Latinum *tumulus* 727.
Sepulcrum Davidis. Quid judicandum de fama divitiarum eo illatarum a Salomone 525.
Sepultura non carebant apud Judæos vel impii, ſui ipſius homicidæ 470. Vallis Cedron locus erat ſepulturæ egenorum & exterorum 725.
Ser 131.
Seræ, an in uſu apud Hebræos 264.
Seranim, Philiſthæorum Satrapæ 179. 246.
Serpens æneus conciditur ab Ezechia Rege Juda 705.
Sertam & *Aſad*, Inſpectores a Deo dati, juxta Perſas, Lucifero & ſociis 33.
Servi veterum Heroum & Prophetarum 43.
Servi non permittebantur in bellum ire, & ferre arma 355. Non manumittebantur apud Hebræos morte herorum, ſed tranſibant in filiorum hæreditatem 444. Quomodo manumiſſi apud Romanos *ibid.* Leges non admittentes ſervum teſtem contra Dominum 465.
Servitus Iſraelitarum ſub Chuſan Raſathaim 179. ſub Philiſthæis 432. Sub Madianitis duriſſima 198. Sub Philiſthæis & Ammonitis 221.
Seſac, Rex Ægypti venit Jeroſolymam 594. Spoliat Templum portione divitiarum *ibid.*
Seſoſtris vehebatur curru a ſuperatis Regibus tracto 170. Quo tempore conſtituatur, incertum 35.
Sethim 47. 52.
Shaſte, nomen voluminis Legis Banianorum 33.
Siba, famulabatur Miphiboſetho 433. Davidem fugientem ſequens, præmium refert 466. Perfidia ejus in Miphiboſethum *ibid.*
Siccitas magna ab Elia Achabo prædicta 603.
Siceleg, urbs Philiſthæorum 112. 127. 405. Conceditur Davidi *ib.* Ab Amalecitis incendio traditur in captivitatem ductis 412.
Sichem, urbs refugii 137. Levitis tradita *ib.* Capitur, & evertitur ab Abimelecho 219.
Sichemitæ vel *Sichimitæ*, erga domum Gedeonis ingrati 212. 217. Agnoſcunt Abimelechum Regem, atque illi pecuniam tradunt 215. Inter illos, & Abimelechum diſſidia 217.
Sicli Babylonici, ſicli Hebraici. Ponderis ſiclorum examen 459. Siclorum valor 495.
Sidene. Urbem hanc deſtruxit Crœſus dira imprecatus iis, qui illam reſtituerent 67.
Sidon Magna 94. Prærogativæ ejus, & inventa 93.
Sidonii, ligna ſcindendi peritiſſimi 538.
Signator, phraſis paſtorem deſignans 646.
Signum, quod Exploratores dederunt Rahabæ 51.
Sikor, rivus in Tribu Aſer 129.
Sikor, Inſula, unde ejus nomen 100.
Silentium. Silentii locus ſunt Inferi 309. Silentium ſæpe eſt agendi impotentia, & excidium *ibid.* Silentium Profanorum de ſtatione ſolis ſupra Gabaonem quid inferat 9.
Silere. Conticeſcere, quietum manere 5.
Silo, ubi ſita 123. 268. An eo convocaverit populum Joſue paulo ante obitum ſuum 146. Tabernaculum ibi erigitur 123. Donec ibi manſerit Arca 257. Exprimitur nomine Maſphæ 263.
Simeon, ejus ſedes & limites 127. Plures ex urbibus Juda ad Simeonitas devolutæ ſunt 112. Decem ſeptem vel decem & novem tantum illi aſſignantur 127. Novas ſibi procurat ſedes ſub Ezechia. Deductus fuit in captivitatem a Salmanaſaro *ibid.*
Similitudines, ænigmata, & apologi Judæis erant perfamiliares 132.
Simulare. An fas ſit ſimulare aliquid, a quo tamen quis animo abhorret 49.
Simyra, vel *Semeron* 92.
Sin, vel Sina deſertum, Idumæam contingens 109.
Sindones quid. Samſon triginta ex illis dedit Paranymphis ſuis 238.
Sinæ. An e Sinæis orti 17. Eorum vetuſtas 35. Quæ fides eorum hiſtoriis habenda. Incommoda hiſtoriæ Sinenſis, ad nos quod attinet *ibid.*
Sinæi, quinam 23. An primi Sinarum parentes 17.
Siniſtra. Siniſtræ locus honeſtiſſimus apud Veteres Perſas uti hodie apud Turcas 526.
Sinus Elamiticus 567.
Sion, nomen unius e collibus Jeroſolymæ 431. Arx Sion, appellatur civitas Davidis *ibid.*
Sira, locus in plaga meridionali Tribus Ephraim 426.
Sirion mons ad Septemtrionem Judææ 92.
Siris, vel Sirius, nomen Nili 100.
Siſa, utrum ſit idem cum Siva 532.
Siſara, dux copiarum Jabin 186. Vincitur & funditur a Baraco 187. Fugiens ad tentorium Jahelis ab illa interficitur 188.
Siva, Scriba ſub Davide 481.
Soba, Regio in ſcriptura appellata Aram-Soba, Syria bellica 361. Septemtrionalis erat Terræ S. Dives erat æris *ibid.*
Sobab, filius Davidis, natus Jeroſolymæ 432.
Sobac, Rex minoris Armeniæ, bellum indicit Joſue. Commenta hujus narrationis 150.
Sobach, Dux copiarum Syriarum, vulneribus ſuis conficitur 445.
Sobi, filius Naas e Rabath 470.
Sobochai de Huſati interficit Sapho, e ſtirpe Araph, & genere Gigantum 484.
Soccoth. Cives Soccoth cibaria dare Gedeoni recuſarunt 208. Minitatur illis Gedeon conterendos a ſe fore cum ſpinis Deſerti *ibid.* Quam in illis ultionem implet 209.
Socho, locus ad meridiem Jeroſolymæ 321.
Sochot, locus inter Jabok & Jordanem 103.
Sochoth ubi 553.
Sochoth 113.
Sochoth Benoth quid ſit 702.
Sodoma, ejuſque ruinæ & ſitus 27.
Sol colitur a Syris ſub nomine Adadi 656. Solem & Lunam ſiſtit Gedeon 88. Variæ de hoc prodigio opiniones 5. Hujus prodigii utrum meminerint profani 9. Utrum ſol prope eſſet occaſum, cum Joſue ſtationem illi imperavit 7. 88. Quomodo accipiendum ſit illud de ſole in medio Cœli conſtituto 89. Utrum e vertice montis Caſii proſpiceretur ſol exoriens a quarta noctis vigilia 24. Regreſſio ſolis in Horologio Achaz ſub Ezechia 630. 631. Quid prodigium illud? *ibid.*
Somniatores, genus Ariolorum apud Hebræos 407.
Somnium militis Madianitæ, Gedeoni favens 205. Apparet Deus per ſomnium Salomoni 539.
Somnus. Preces Deo per quietem exhibitæ utrum aliquid mereantur 530.
Sontes criminis imprudenter admiſſi, aſylo altaris fruuntur 527.
Sophonias, vir chariſſimus in Juda, a Nabuzardano necatus 736.
Soreb, Inſpector terræ a Deo aſſignatus, juxta Perſas 33.
Sorec vallis 246.
Sortes mittere 360. Uſus jaciendi ſortes in Scritura 71. Tota regio per ſortes diſtribuita eſt 104. Sorte conſultum fuit, quæ Tribus reum in ſe haberet furti ad Jerichuntem commiſſi 71. Sors omnibus Tribubus Iſraelis, & familiis Beniamiticis acta, incidit in Saulem filium Cis 344.
Soterim, qui apud Hebræos 44.
Spelunca Maceda 89. Spelunca Etham 242. Spelunca Odollam 412. Spelunca ad Jerichuntem, quo confugerunt Chananæi 16. Speluncas ſibi exciderunt Iſraelitæ adverſus Madianitas perfugium 198. Vetus mos latendi in ſpeluncis 159.
Spicæ toſtæ igne in Paſchate permiſſæ 63.
Spicilegium Lege Moſaica egenis permiſſum 276.
Spiritus Dei, quo Samſon afflabatur 209. Requieſcit ſuper Davidem 367. Spiritus Eliæ communicatur Eliſæo, & quomodo 642. Spiritus Pythonia, id eſt, Apollinis Pythii 407. Spiritus boni pravique apud Profanos, quemadmodum apud Hebræos 413.
Spolia ex æquo inter Tribus diſtributa 141. Diſtribuenda ſunt ex æquo iis qui præliantur, quique remanent ad ſarcinas 413. Spolia Jerichuntis Tabernaculo conſecrantur 67. Portio ſpolio-
rum

Digitized by Google

tum conſecrabatur Domino 442.
Spuere nemo audebat in Templis Paganorum 64.
Statim exprimitur in Scriptura voce *hodie* 144.
Stathmicum talentum, quid 500.
Statuæ Baalis dejectæ 678.
Stellæ, quomodo aciem ſtruerent, prælianter in Siſaram 194.
Sterilitas probro habebatur, & veluti maledictum & oblivio Dei 304. Michol ea pœna afficitur 436.
Stibium. Stibii uſus 670.
Stigmata Americanis familiaria 18.
Strues lapidum ſuper tumulum Achami 73.
Sua, Rex Ægypti, quocum Oſee fœdus iniit 699.
Suffetes, Judicer apud Phœnices 152.
Simbola, Inſpector a Deo datus brutis, juxta Perſas 33.
Sumptus in menſa Salomonis 534.
Sunam, urbr Tribus Iſſacbari, ubi 407.
Sunamitis, Mulier e Sunam erga Eliſæum Prophetam pia 650. cui Eliſæus filium a Deo impetrat 651. Puer natus moritur; & mater rogat pro vita filii, quam & impetrat 652.
Sunem, vel *Sunam* 128.
Superſtitiones cultur Samaritici 727.
Supplicia. Ne rei in ſupplicio ultra diem detineantur, vetat Lex 483.
Supplicium fatale lignum appellatur 78. An vivi appenderentur ſupplicio ſonter apud Hebræos. Deponebantur ante noctem *ibid.*
Sur, *Surata* ad Erythræum 109. Regio culta inter Sur & Cader 101.
Sura. Suram femore percutere, quid ſit 242.
Surena, nomen dignitatis apud Perſar, par Satrapis apud Philiſthæos 101.
Sycomorus, arbor ingens, ſimilir fico, deſcriptio ejus & fructus 573.
Symbola religionis ſanctiſſima ferri ſolebant apud gentes ferme omnes in bellum 318.
Symira urbr Samaræorum 23.
Sympula, quid; unde nomen ejus & uſus 188.
Synagogæ nullæ in Judæa ante captivitatem Babylonicam, & plures Jeſu Chriſti ætate 159.
Syri Damaſceni ſuppetias ferentes Adarezero Regi Soba funduntur a Davide 541. Syri Rohob & Syri Soba 542. Samariam obſident 660. Quorum exercitum diſſipat Deus 663. Manibus Achabi permittuntur 617.
Syria. Syria Soba portio eſt Cœleſyriæ 361. Syria Davidi ſubjicitur tributaria 441.
Syſtema de quiete terræ in centro mundi. Quomodo, ex illo, contigerit prodigium ſtationis ſolis, Joſue imperante 10.

T

TAbernaculum Domini in Silo erectum ſub Joſue 123. *ib.* Quo deinde translatum fuerit *ib.* Transfertur in Templum 557. Feſtum Tabernaculorum 561.
Tabulæ Terræ ſanctę, mendoſiſſimę plerę que 20.
Tabularia monumentorum publicorum apud Tyrios 31.
Talenta. Utrum talenta a Davide relicta Salomoni minora eſſent majoribur talentis 500. Valor argentei & aurei talenti *ibid.* Stathmicum & numiſmaticum. Nomen talenti tribuitur etiam minimę portioni talenti *ibid.* Utrum talenti valor idem ſit apud varias gentes 501.
Talentum cujur eſſet ponderis apud Hebręos. Vide *Pondus*. Talenti æſtimatio 564.
Taliſmanus, figurę ſiderate. De illir mirifica 325.
Taraph, eſt copioſum reddere 364.
Tarplai, Tripolitani in Syria 701.
Tartaria, Magnę Tartarię fines ſatis propinqui Americę ſeptemtrionali 37.
Tecta plana apud Hebręos 50. 161. Frequentabantur plurimum, eoque hoſpites ad cubandum ducebantur 50. Murorum loricam habebant circum regnantem 561. Altaria ſuper tecta militię Cœli conſecrata 727.
Tegere caput, mos erat in Judæis 464.
Teglat. Nominis hujus origo 691.
Teglath Phalaſar invadit Regnum Iſraelis 691. Quis iſta *ib.* Appellatur Thilgamur ab Æliano. Suppetias affert ad Achaz Regem Juda 695. Damaſcum evertit, & Raſin Regem Syrię interficit *ibid.*
Telaim, locus erat idam facile ac *Telem* 363. Ea vox deſignat agnos *ibid.*
Templa. An Profani cenſuerint *fas* eſſe erigi Diis Templa 505. Quę Templorum origo *ib.* Chriſtiani primitivi nulla condebant Templa 506. Profanorum Templorum pleraque non erant niſi ſepulcra magnorum virorum, quibus cultus impendebatur 508. Forma & ſitur veterum Templorum 509. Architectura, & figura Templorum reſpondebat naturę & dotibus Deorum ibi conſecratorum 511. Templa vetuſta Ægyptiorum & Syrorum *ibid.* Mos conſecrandi in Templis arma ex hoſtibur capta 386. Diris omnibur devoti, qui dejecta a Perſir Templa reſtituturi eſſent 68. Templorum Philiſthæorum ſtructura 249.
Templum unicum erat Hebręir, Domino ſacrum; ſed multo plura Idolis 506. Templum vel Sacellum domeſticum Michæ 253. Nullum erat Patriarchir Templum Domino ſacrum, ſed aræ ſimplices 505. Templum Salomonicum 511. Quo tempore ædificari cœptum 541. Celſitudo & latitudo illius *ib.* Deſcribitur 543. Dedicatur 557. Comparatio item cum vetuſtir Templis Ægyptiorum & Syrorum 512. Sollicitudo Joas Regis Juda ad ſarta tecta Templi illius 679. Incendium Templi Jeroſolymitani per Nabuchodonoſorem 735.
Teraphim. Uſurpatur ea vox interdum pro Idolis; interdum vero in partem non ſiniſtram accipitur 253. Variæ de Teraphim ſententiæ 364. Derivari poteſt e *Taraph*, & accipitur pro ſacra vel profana imagine 365.
Terebynthus. Vallis Terebynthi ubi 371.
Textrinam exercentes. Deſcriptio veteris artis textrinam exercendi 247.
Thabor 128. Mons, ubi ſitus 186. Utrum ibi Jeſus Chriſtur ſeſe transfigurarit *ibid.*
Thabor terræ, vel umbilicus terræ, eſt locus editus in medio regionir: cur id nominis tribuatur Jeroſolymæ, aliiſque locis 219.
Thacaſim 128.
Thalmud. Quomodo ejus commenta Rabbinus quidam excuſaverit 150.
Thamar, filia Maachæ & Davidis 455. Queritur de injuriir ſibi ab Amnone irrogatir 455. Veſtem ſuam ſcindit, ſeque conſpergit cinerę *ib.*
Thamar, filia Abſalomi 460.
Thamar, ubi 20.
Thamar, & Aaaron-Thamar quid utraque inter ſe differant *ibid.*
Thamna 114.
Thamna locus facile ad Tribum Juda pertinens 110.
Thamuata, urbs Tribus Dan, vel Juda 152.
Thamnath-Saraa, urbs in hęreditatem Joſue aſſignata 95. 133. Locus eſt ſepulturæ Joſue 150. Nomen Thamnath-Hares *ibid.*
Thanac 137. Locus, ubi pars cupiarum Siſaræ victa cæſaque fuit 194.
Thamnath-Selo 117.
Thapſa, vel Thapſacus, urbs celebris ad Euphratem 534. Capitur a Manahemo 690.
Thaphua 113. 117.
Thaphua, prius ad Manaſſem, deinde ad Ephraim pertinuit 130.
Thaphua in Tribu Juda 113.
Tharaca, Rex Æthiopiæ, pręliatur cum Sennacheribo, Rege Aſſyriorum 711.
Thare, & reliqui patres Hebræorum, coluerunt Deos alienos 146.
Tharſir, urbs in Cilicia 571. Quid ſint naves Tharſis *ibid.*
Tharſis, filius Japheti, pater Cilicum 37.

Thar-

Digitized by Google

Thartac, Numen Hevæorum in Samaritide 702.
Thabes, prope Sichem, ab Abimelecho obſidetur 219.
Thebni, filius Gineth, a parte populi Rex Iſraelis ſalutatur 602. Obit *ibid.*
Thecua, urbs Tribus Juda XII. M. paſſibus ab Jeroſolyma diſtans 457.
Themna 132.
Thenac, vel *Thanac* 120.
Thenac vel *Thanac*, in dimidia Tribu Manaſſe Transjordanica 98.
Therſa, ubi ſita 98. Metropolis erat olim Regni Iſraelitici *ibid.*
Theſba, urbs Gaditica, in regione Galaad, trans Jordanem 603.
Thola, patruus Abimelechi, & Judex Iſraelis 220. Utrum filius fuerit Dodo, vel Phuæ *ibid.*
Tholmai, Rex Geſſur, filius Ammiud 454. Filiam ſuam Maacham uxorem dederat Davidi 425. Tutum præſtat Abſalomo effugium 454.
Thou, Rex Emath, mittit Joramum ad Davidem, gratulaturus pro victoriis de Adarezero, & poſtulaturus amicitiam 442.
Thraces e Tiras filio Japheti 37.
Thronus eburneus Salomonis deſcribitur 572.
Thuribulum. Azarias Rex Juda ad thuribulum manum porrigens punitur 689.
Tiberias. Mare Tiberiadis 43.
Timor Iſaaci Deum Jacobi deſignat 199.
Tingitana. Chananæi in Tingitana. Columnæ ea de re ibi erectæ 18.
Titanum, Vallis Titanum 110.
Tob. Utrum nomen eſſet hominis neceſſarii Ruth, & fratris Salmonis 280.
Tob, regio ad ſeptemtrionem Galaaditidis 224. Utrum eſſet in montibus Galaad 446.
Toddicaſtrea, uxor Cuttery, ex Banianis 33.
Tondere oves. Lætitiæ ſignificationes, quo tempore oves tondebantur 398.
Tophet 110. Locus in valle Cedron, ubi ſepulcra erant egenorum & peregrinorum 726. Quo conſilio Joſias eum locum profanaverit *ibid.* Origo vocis Tophet *ibid.* Sacrificia ibi in honorem Moloch *ibid.*
Torrens. Id nominis interdum fluviis etiam ingentibus tribuitur 101. Torrens Canna vel Arundineti 118. Torrens Carith, ad Occidentem Jordanis, & Orientem Samariæ 604. Cedron, quem David lugens tranſivit 463. Torrens Ægypti 109. ipſe eſt Nilus 100. Torrens *Gaas* 151. Jabok, e montibus Galaad fluans 92. 96. Torrens Rhinocoruræ 225.
Trans-Jordanem. In hanc vocem animadverſiones 45. *Trans* uſurpatur ſæpe pro *cis* 59.
Tranſitus Jordanis prodigioſus 52.
Tranſpoſitiones in Libris Sacris 129.
Tribus Juda veniens Hebronem, ibi conſecrat Davidem 93. Diſſidium ea de re inter illam, & reliquas Tribus Iſraelis 430.
Tribus Ruben, Gad, & Manaſſe jubentur trajicere Jordanem, ut fratribus ſuis ad ſubigendam Chanaanitidem opem ferant 44.
Tribus. Aſſignatæ ſunt duodecim portiones pro undecim Tribubus, eo quod Joſeph bifariam diviſus eſſet 105. Schiſma duodecim Tribuum Iſraelis occaſione Roboami, & Jeroboami 584. Limites Tribuum ſingularum incerti 25.
Tribunal Salomonis deſcribitur 548.
Troglodytæ habitabant in ſpeluncis 158.
Tubæ, quarum fuit uſus in obſidione Jerichuntis 65. Utrum fuerint argenteæ an corneæ *ib.* An ſeptem continuis diebus inflatæ fuerint: an a populo *ibid.* Clangere tuba ad receptum, vel ad ineundum prelium, munus eſſe ſolebat Sacerdotum 424. Tubas & faces præferunt milites Gedeonis 205.
Turcæ nunquam niſi nudis pedibus gradiuntur in Moſcheis 64. Locum ſiniſtrum habent honeſtiſſimum 526.
Turris Phanuelis evertitur a Gedeone 209. Turris Sichem capitur ab Abimelecho 219.
Tyris habuerunt certo quodam tempore pro Regibus Judices 252. appellabantque *Suffetes ibid.*
Tyrus, urbs validiſſima 129. Tempus ejus conditus incertum *ib.* 35. Quinam eſſent ejus conditores. Utrum Sidone recentior. Utrum ante Joſue ſubſiſteret. Variæ ejus vices 130.

V

V*Ada* Jordanis occupant Ephraimitæ 206.
Vallis Achor ubi 33. Vallis Caſis 125. Ennon 110. Gigantum vel Raphaim, inter Jeroſolymam & Bethlehem *ibid.* Jezrael 122. Salinarum 442. Arundineti 118.
Vaſa Sacra tangere, ſau videre nuda, neſas erat Levitis 327.
Vectes & peſſuli lignei, ferrei, æneı 162. Alligabantur vinculis *ibid.*
Vellus Gedeonis in medio arentis areæ madidum, & areſcens in medio madidæ 202.
Velum, quo mulieres Syriacæ ſeſe obnubebant 281.
Venia hoſtibus data, quid efficiat coram Domino 466.
Venus Aphacitis in Aphech 131.
Verbum interdum pro re uſurpatur 306.
Verſabinum caſtrum, idem ac Bethſabee 28.
Veſtes albæ gerebantur ab honeſtiſſimo quoque, & clariſſimo 620. Veſtes Heroum, & Prophetarum 639. Mos ſternendi pavimentum veſtibus, ut viri ampliſſimi ea honoris ſignificatione diſtinguerentur 669. Judæi ſcindebant veſtes, cùm blaſphemiam audirent 709. Mutatoriæ veſtes 238. Veſtes Babylonicæ 72.
Veſtibulum Templi Salomonis deſcribitur 541.
Viæ Domini parabuntur ab Elia ineuntu Mundi 642.
Victimæ utrum immolarentur Domino ante diluvium 507. Victimæ Paſchales, an imperatæ 304. Humanæ, Paganis familiares 648.
Victoria Jephte de Ammonitis 227. Barachi de Siſara 187. Samſonis de Philiſtæis 243. Joſue de Chananæis 88. Saulis de Amalecitis 363. & de Philiſthæis 362. Davidis 374. 422. 432. 433. 441. 442. 446. 472.
Videns, ideſt, Propheta 285.
Vidua Sareptana, apud quam divertit Elias Propheta 605. Queritur de morte filii ſui *ibid.*
Viduæ Regum Hebræorum ad ſecundas nuptias tranſire non poterant 479. Neſas etiam erat illas ducere privatum virum 386. Hebræorum ea de re leges *ibid.*
Vinea Nabothi ab Achabo uſurpata 619.
Vincula portatum. *Minbal* continebat veſtes 162.
Vinum, ejuſque dotes. Deos & homines lætificat 217. Interdictum Nazaræis perpetuis 305.
Virginitas. Utrum occurrant exempla puellarum, quæ caſtitatem ſuam devoverint in Veteri Lege. Utrum filia Jephte eſſe poſſit exemplum ejuſdem rei 165.
Viſagoudah, uxor Schuddery, juxta Banianos 33.
Viſio Domini ad Salomonem facta 529. Ad eumdem abſoluto Templo 563.
Viſitare. Homines religioſi Profetas diebus feſtis & Sabbatis inviſebant 651.
Vitis, ejuſque commoda 216.
Vitrum. Feneſtræ non obducebantur vitro 161, 162.
Vitrum. Vallis ad amnem Belum ſufficit arenam ad vitrum 178.
Vitula. Arare in vitula alterius, quid ſit 239.
Vivens. Deus vivens appellatur Dominus 54. Alligari in faſciculo viventium, quid ſit 400.
Ultio Samſonis in Philiſthæos, permiſſa & probata 241. Debita cenſebatur apud Iſraelitas 133. Quæ eſſet ultio, quam ſibi debitam arbitrabantur *ibid.* Phraſes Scripturæ, quæ probare vindictam videntur: ſed re ipſa in Scriptura damnatur *ibid.*
Umbilicus terræ, eſt locus editus in medio Regionis 170.
Unctio. Mos ungendi Reges peculiaris eſt Iſraelitis, ex ſententia S. Auguſtini 342. Quid indicet *ibid.* Quid eſſet ea unctio: utrum poſt obitum Jeſu

Jeſu Chriſti ceſſarit *ibid.* Unctio Regum, & ſummorum Sacerdotum eodem oleo peragebatur 520. Unctio Regum Iſraelis fiebat oleo ſacro, quo ungebantur Reges Juda 612. Utrum Prophetæ, quemadmodum & Reges, ungerentur *ibid.* Utrum Regum unctio ex Judæis tranſierit ad Chriſtianos 342.

Ungere aliquem in Regem eſt, Regem conſtituere 612. Quod uſurpabatur etiam, cum nulla fieret unctio 216. Reges Perſidis non ungebantur *ibid.*

Vocatio Miniſtrorum Domini ante Saulis ætatem, plerumque dono miraculorum confirmabatur 53.

Voluntas aliquid faciendi ponitur ſæpe pro re ipſa perfecta, & ſæpe nomine actionis 90.

Votum Jephte, quale fuerit 165. Votum Annæ matris Samuelis 305. Nefas erat uxori votum exequi inſcio Marito *ibid.* Quid ſit votum Nazaræatus perpetui *ibid.* Votum Elcanæ quid eſſet, & qua occaſione nuncupatum 306. Votum Abiami Regis Juda impletur ab Aſa ejus filio 597. Votum in Hæbreo uſurpatur pro re voto obligata 305.

Urbes. Urbs Salis 215. utrum eadem ſit ac Segor *ibid.* Urbes, quas Salomon dedit, Hiramo Regi Tyri 563. Urbs Literarum, vel Cariath-Sepher 111. Urbs palmarum, an eadem ac Jericho 171. Urbes Chananæorum munitiſſimæ 159. Quid eſſent ejuſmodi munimenta *ibid.* Urbes Hebræorum erant mundiſſimæ 159. Urbes vel plures vel pauciores in variis cenſibus: quomodo id concilietur 115. Urbes tributæ prius Juda, deinde tranſierunt ad Simeonem, Beniamitas, vel Danitas. Rei hujus ratio *ibid.* Urbes Sortis Manaſſe, quæ ceſſerunt Ephraimitis 219. Urbes in ſedem aſſignatæ Levitis 136. Urbes aſſignatæ Sacerdotibus, colebantur etiam a cæteris Iſraelitis 106. Urbes refugii vel aſyli 133. Urbes anathemati devotæ, qua ſeveritate exciperentur 67.

Urias, vir Bethſabeæ, inter præcipuos Davidis Præfectos 604. Cur Hethæus appellatus 448. Obiit *ibid.*

Urias, Summus Sacerdos, ſub Achaz Rege Juda 696. Aram exſtruit ſimilem Damaſcenæ *ibid.*

Urim. Conſulere Deum per Urim munus erat Summo Sacerdoti peculiare 412.

Urina appellabatur in Hebræo aqua pedum 183.

Uſnem, vox Arabica, deſignans legumen 661.

Uſusfructus. Levitæ merum habebant uſumfructum bonorum, quibus fruebantur 136.

Utres ex hirci pellibus conſutis, & paratis ad liquores continendos 81. 369.

Vulpes in Palæſtina frequentiſſimæ 241. Aptiſſimæ autem erant conſilio Samſonis, injiciendi ignem in meſſes Philiſthæorum. Vulpis Carſeolanæ fabella 242.

Vultus. Tegebatur eorum os qui ducebantur ad ſupplicium 464.

Uxor Levitæ Ephraimitici virum ſuum deſerit, venitque in Bethel 259. Conceditur a viro ſuo libidini Gabaitarum 260. Corruit extincta in limine ædium viri ſui 261. Uxores devicti Regis pertinebant ad victorem 467.

Z

Zabaoth, Vox deſignans exercitum, & gregem caprarum 363.

Zabud, amicus Salomonis & Sacerdos 533.

Zabulon, ejuſque ditio & limites 127. Non delet ex urbibus ſuis Chananæos 172. Exponit ſe diſcrimini, prælians in Siſaram 194.

Zabulon, Urbs 129.

Zacharias, filius Jeroboami Regis Iſraelis, ſuccedit patri 690. interficitur a Sellum filio Jabes *ib.*

Zambri interficit Elam Regem Iſraelis, totamque familiam Baaſæ delet 601. Regnat ſeptem diebus, obſideturque Therſæ ab Amri, ubi ſe, ædes Regias, totamque Regiam familiam comburit *ibid.*

Zandava-Stavo, Liber, quem hodie Perſæ ſedulo conſervant; quo continentur ritus omnes & dogmata Religionis illorum 33.

Zanoe 113.

Zeb, Rex Madianitarum, interficitur ab Ephraimitis 206.

Zebee, & Salmanam inſequitur & fundit Gedeon 208. Hi interfecerant fratres Gedeonis ad Thaborem 209. Mandat Gedeon filio ſuo, ut illos necet: ſed ipſe per ſe id complet 210.

Zebul, Præfectus in Sichem pro Abimelecho 218. Admonet Abimelechum de conſpiratione Gaalis *ibid.*

Zedek, vetus nomen Jeroſolymæ 87.

Zemaraim, vel Samaraim 125.

Zephon vel *Sephona*, urbs ad ſeptemtrionem Ephraimi 229.

Zimukim, Hebræa vox, ſonans uvas paſſas. Uvarum Palæſtinæ magnitudo 398.

Zian quid ſit 727.

Ziph, urbs in plaga meridionali Juda 391. Deſertum Ziph prope illam jacens *ibid.*

Ziphæi 112. Spondent Sauli daturos ſe in ejus manus Davidem 402. Veniunt ſecundo ad illum, latebras ejuſdem Davidis proditurì *ibid.*

Zobeleth, rupes 119.

Zonab, utrum ſemper proſtitutam fœminam ſonet 47.

Zoph, vel Zophi vel Caph 303.

TABULÆ LOCENTUR.

Terræ Promiſſæ pag. 20.
Nova Templi Jeroſolymitani Ichnographia 512.
Conſpectus & Erectio Templi Salamonici ibid.
Novus Conſpectus. Veteris Jeruſalem 514.

F I N I S.

592794

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google